8
4 M
9

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

42.1.23.
42 42
G F
23 11

Digitized by Google

Digitized by Google


DE SS. TRINITATIS MYSTERIO
OPVS
Auctore Fr. Theodoro Bergomenſi
Capucino

Digitized by Google

DE ALMAE, AC SANCTISSIMAE
TRINITATIS
MYSTERIO
IN SERAPH. D. BONAVENTVRAM
CARDINALEM ORDINIS MINORVM.

Paraphraſes, Commentaria, & Diſputationes.

QVIBVS PRAETER DILIGENTEM TEXTVS, & verborum expoſitionem, diuinarum litterarum locis, Sanctorum Patrum aſſertis perpetuò ferè cum D. Thomæ aſſenſu Seraphica doctrina illuſtratur, & ſuſtinetur.

Additur in fine ex eiſdem Seraphico, & Angelico Doctoribus de modis dicendi in hoc Diuino Myſterio Tractatus, cum quadruplici Indice. I. Locorum Diuinæ Scripturæ. II. Articulorum, & Diſputationum. III. Rerum notabilium. IV. Earumdem rerum ad Conciones deſeruientium.

AD EMINENTISSIMVM, ET REVERENDISSIMVM

CARDINALEM ANTONIVM
SANCTISSIMI PONTIFICIS
VRBANI OCTAVI
SECVNDVM CARNEM FRATREM,

Maiorem Pœnitentiarium, & Sac. Congr. ſup. Epiſc. & Regul. & Sancti Officij Præſid.

Ex Capuccinorum Familia aſſumptum, & eiuſdem Protectorem vigilantiſsimum.

AVCTORE FR. THEODORO FORESTO BERGOMENSI
Ord. Capuccinorum Theologo, & quondam S. T. Prælectore minimo.

ROMÆ, Ex Typographia Iacobi Maſcardi, MDCXXXIII.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

Digitized by Google

EMINENT.MO ET REV.MO PRINCIPI
CARDINALI S. HONVPHRII
RELIGIONIS CAPVCCINORVM
Protectori vigilantiſs. Domino Colendiſs.

FRATER THEODORVS BERGOMEN. F.

VOLVMEN hoc de Diuinæ Trinitatis Myſterio, mea diu diligentia, & qua potui ſedulitate, præſertim infirma ſemper, & ægra valetudine, & perpetuis noſtri inſtituti, & nunquam interpoſitis occupationibus diſtentus, elaboratum euolat in ſinum tuum Eminentiſsime Princeps, vt in nidulo ortus ſui non moriatur, ſed vitam, & meliorem, & diuturniorem ſibi acquirat: in tuo Cardine fulciatur, & voluatur, ac per hominũ manus volitet: tuo melle. Vrbis collibus, & Orbis montibus omnia inundante, O argumentoſa Apis, eius inſuauis, inconcinna, & peracerba guſtatu oratio ita dulceſcat, vt ſaltem legenti ſtomachum non excitet: ſub purpureo denique pileo tuo ſplendore coruſcet. Ac veluti lapis ſua grauitate latus, in centrum ſuum ruit præceps, vt ibi ita quieſcat, vt nihil reliquum ſit, quod in poſterum expetere poſſit. Solo tuo ferè natus, & inuentus, & aura tuæ beneuolentiæ actus, & auctus, veluti theſaurus qualis qualis tuæ Eminentiæ conſpectui, & ſe totum offert, & dicat; vt ſicuti re tua fruaris, eamque in tuam ſuſcipias clientelam.

Vellet quidem hoc ſuo concitato volatu, ac præcipiti motu, & abortiuo ortu opuſculum hoc ſicut idoneus teſtis admitti, vt tibi, totique ſimul Orbi teſtatum relinqueret, quot & me beneficijs nedum decoraſti, ſed pene obruiſti, eiectum collegiſti, ab arce protexiſti, ad Vrbem tuo iuſſu vocatum in tuam honeſtiſsimam donum adſciuiſti, & Confeſſarij, & Theologi munere cohoneſtaſti, & in Viſitationis Apoſtolicæ cœtum cooptaſti: in omnem vero meum Capuccinorum Ordinem, nullum ſit beneuolentiæ ſignum quod non oſtenderis, nullum beneficentiæ genus, quod non contuleris, ac in dies magis ſemper conferas, protectione peruigili apud Sedem Apoſtolicam foueas, auctoritate ſuſtineas, & Seraphicæ regulæ obſeruantiam zelo, & exemplo ita promoueas, vt abſoluere coneris.

Sed tria in primis alta mente nobis fixa manent, quibus nos, præſtantiſſime Præſul, ea vbertate ditas, vt tibi Herculis nodo deuinxeris. Non enim primò ſatis tibi Maximo Heroi facis ſi tui ipſius præcordijs, & verbis, & opere diligas, niſi & Sanctiſſimum Papam Vrbanum Octauum in pientiſſimũ noſtræ ſeraphicæ familiæ vnicum Patrem, & Eminentiſſimos, ac Excellentiſsimos Nepotes, & omne Barberinæ gentis genus in eandem beneuolentiam, & beneficentiam erga nos trahas, & quaſi tot Mecænates nobis conſtituas: quod in primis Primates Romæ intuentur, & admirantur, & laudibus ad Sydera extollunt, & ſingulis nos ferè diebus experimur.

Sed quod nulla lance leuari, ac ſatis æſtimari poteſt; eſt Apoſtolica vita, quam

Digitized by Google

degis, & diſciplina, qua corpus tuum caſtigas, adeo vt etiam ſub Cardinalis veſtitu in Pontificia domo, in Orbis terrarum theatro, & Sacrorum Principum cœtibus, habitum abſconditum cilicium pauperis tunicæ Seraphici Franciſci geras, & inter clamydes, & purpuras, & innumeros comitatus quaſi Anacoreta degens, & Auguſtini, & Hieronymi menſa, & lectulo vtaris: & vt vno verbo rem omnem comprehendam, Antonianè viuas: ἄνθος enim & νοῦς, vnde quaſi Antonius, ſi in latinum reddatur idioma, flos mentis erit. Sola namque mente viuis, virtutum omni genere flores: cætera verò inferioris hominis, iugi Crucis Euangelicæ morte decreſcunt, deflorent, flacceſcunt, & moriuntur; & hanc de noſtra Congregatione opinionem excitas, & concilias, vt quam tu profiteris ſanctimoniam, eam te ex nobis extuliſſe, eandemque adhuc in nobis vigere omnes ſibi facile perſuadeant. Et hunc ſic Chriſti Domini, & Seraphici Franciſci odorem optimum per Orbis aerem ad cordium vſque intimiores partes emittis, & efflas, vt eo tota domus repleatur, & innumeri currant, teque reuereantur, & imitentur.

Verum cæteris muneribus non concedit, quod Deiparæ Immaculatæ Conceptioni Templum magnum, & Cœnobium amplum immenſo ære tuo nobis ædificaſti, vt omnes clament, Diligit gentem illam: & nos ad Neſtoreos annos ad Deum ex imo pectore precari teneamur: Dignus eſt vt hoc illi præſtes, & in terris eum in quo toti poſsit Eccleſiæ prodeſſe locum: & in cælis in circulo Seraphico æterna perfruatur beatitate.

Hæc opus meum commentarijs & diſputationibus in Seraphicum alterum Cardinalem eiuſdem Religionis Sanctum Bonauenturam, quot caracteribus impræſſum, tot linguis quæ in nos contuliſti indicare, cæloque, terræque teſtari enixè cupit. Non quidem vt grates rependamus: ea enim, ac tanta beneficiorum magnitudo, ac præſtantia eſt, vt neque per innumeros annos, etiamſi millies vitam daremus, ac ſanguinem; debitum animi grati ſolueremus, ſed vt hoc nequaquam fieri poſſe fateamur. Denique labor hic litterarius ſupplex iterum gratiam petit, vt tui nominis decore, & gloria commodata præſtes, vt ſub alarum tuarum vmbra ita tutus degat, vt nullum inuidorum aculeum timeat: ſicuti enim Naues nouas Diuis tutelaribus dicare ſolent Naucleri, vt ſub illo patrocinio à ventorum impetu tutas nauigationes dirigant; ſic noua opuſcula Principibus nuncupare litterarum viri auent, vt inuidiæ fluctus infringant.

Accipe igitur clementiſſime Eccleſiæ totius aureus Cardo, & relictorum, & virtutē profitentium alter Ioannes cognomēto Eleemoſinarius, volumen hoc intus & foris ſignatum, myſteriorum inquam mira vbertate redundans, quaſi lapidem Canonis, & Emphiteuſis, Capuccinorum Religionis ſub tua ditione, & protectione viuentis, tibi tua beneficentia emptæ, & acquiſitæ: nullius quidē pretij ſi quod meū eſt ſpectetur: maximi verò ſi quod in eo expenditur, & Cardinalis ampliſsimus, & Seraphicus attendatur. Et ſi ab innumeris maximi pōderis quibus detineris muneribus, & à rerum Diuinarum contemplatione aliqua diei particula ſupererit; librum aperi, & peruolue, vbique enim locorum quàm piè, ſolidè, quàmq; acutè Diuiniſsimum hoc arcanum verſet Sanctus Bonauentura, inuenies, & mirè deguſtabis. Vale ò & præſidium, & noſtræ ſodalitatis decus, & diu inter nos tutè viue, vt inter Cœlicolas æternum viuas.

PRÆ-

PRAEFATIO AD LECTOREM.

QVOD tam eruditè, ac mira ſtructura Petrus Trigoſius noſtri inſtituti profeſſor commentariis, & diſputationibus cœpit in D. Bonauenturæ Theologiam ædificare, & morte immatura præuentus non potuit conſummare; conor ego, & voluntate eorum qui præſunt cogor proſequi, & abſoluere, & ad faſtigium vſque deducere, Deo propitio, & vita comite. Ego inquam, poſt multos annos, & in diebus ſenectutis meæ, qui ſi illi me contulero, veluti ad montem arenula, ad mare guttula, ad ſolem ſtella vix apparebo: cogor tamen, & omni quam exhibere potui, excuſatione reiecta, audere mihi tandem eſt opus: diffiteri etenim non erubeſco, tanti oneris, & tam difficilis Prouinciæ magnitudine perterritus, me ita diu Superiorum iuſsis reſtitiſſe, vt iam, ac grauiter quidem angi, ac condolere conſcientia incipiam, vt ſine criminis inobedientiæ labe diutius procraſtinare, ac in longius differre non audeam.

Neque quod multos iam annos in verſandis ſacris Theologis, & D. Bonau. prælegenda Theologia conſumpſerim, & vitam, ac ætatem meam penè contriuerim, ad onus hoc promptius ſubeundum animus addebatur: potius quo clarius Theologicæ difficultatis re diuturna experientia perſpecta, eo magis deterrebat, & quo plura indies eduntur Theologorum volumina, eo opus meum comparatione fore vt vileſceret, ac inutile, & otioſum euaderet, pertimeſcebam.

Et multa quidem erant, quæ ab onere hoc obeundo retardabant, remouebant, ac quaſi vi quadam repellebant, & in primis tria. Quorum primum, quàm arduum, difficile, ac moleſtum omni tempore fuerit ipſum committere typis, & luci offerre animi fœtus, ac proprias lucubrationes. In qua quidem re ſufficere nobis vnicus teſtis D. Hieronymus debet: ipſe enim multis locis, epiſt. ad Furiam. lib. 2. contra Ruffinum, & epiſt. 2. ad Nepotianum, hoc explicatis verbis ſe expertum teſtatur. Opus ſuum edere eſt ac in ardentiſsimam flammam manum iniicere, & confodientium linguis ſe proferre, & gloſſemantium tela in ſe contorquere; vt ſatius B. Pamphilus Martyr decreuerit nihil vnquam in lucem mittere, quàm tot ferientium aculeos pati, tot mordentium dentes ferre. Quodſi præclariſsimi illius ætatis, ac temporis viri, quorum verba oracula, ſententiæ dogmata, ac penè Decreta æſtimanda erant, eloquentia flumen inundans: ac præſertim D. ille Hieronymus, quem Doctorem maximum Eccleſiæ ſuæ Dominus prouidere dignatus eſt, illis ſæculis, quibus vt oblatrantes hæretici obmuteſcerent, & ora eorum obtunderentur, & frontes nimis audentium perfringerentur, extremè indigebant fideles (ne ipſam fidem dicam) tot tamen experti difficultates, tot paſsi ſunt æmulationes; quid mihi hac tempeſtate non timendum? mihi inquam, qui tantorum Patrum nec nomina dignè proferre valeo; his temporibus, vbi editorum librorum copia inopem facit, & adeo multiplicantur volumina aliquando otioſè de eadem re eadem repetita?

Sed quæ has contemnere difficultates, iſthæc euincere impedimenta fecerunt Sanctiſsimos, ac vetuſtiſsimos Patres; eadem me compulerunt, vt tandem Obedientiæ præcepto cederem, ac humeros tanto oneri ſubmittere diutius non reluctarer. De ſe

Digitized by Google

quidem commemorato loco aduerſus Ruffinum lib. 2. Sanctus Hieronymus elegantiſſimè, ac maiori quàm meis verbis ſufficiam exprimere, humilitate, ac veritatis perſuadendæ zelo, ſcriptum nobis reliquit. Obſecro te lector ne laborem meum reprehendas. In tabernaculum Dei vnuſquiſque profert quod poteſt, alius aurum, argentum alius, &c. Ita vt neque pauperculæ viduæ duo minuta reiecta ſint. Deinde laborem meum nemo cogitur legere qui non vult. Ego petentibus ſcribo, non faſtidioſis; gratis, non inuidis; ſtudioſis, non oſcitantibus. Præterea S. Auguſtinus eadem elegantia, eademque virtute, ac animi modeſtia, & humilitate lib. 2. de Trinit. Nec trepidus ero ad meam ſententiam proferendam, in qua magis amabo inſpici à rectis, quàm timebo morderi à peruerſis. Gratanter enim ſuſcipit oculum columbinum (alij legunt oſculum) pulcherrima, & modeſtiſſima Charitas; dentem autem caninum, vel euitat cautiſſima humilitas, vel retundit ſolidiſſima veritas: magiſque optabo à quolibet reprehendi, quàm ſiue ab errante, ſiue ab adulante laudari: nullus enim reprehenſor formidandus amatori veritatis. Etenim aut inimicus reprehenſurus eſt, aut amicus. Si ergo inimicus inſultat, ferendus eſt. Amicus verò ſi errat, docendus: ſi docet, audiendus. Laudator verò & errans confirmat errorem, & adulans illicit in errorem. Emendabit ergo me iuſtus in miſericordia, & arguet me; oleum autem peccatoris non inpinguabit caput meum. Hęc eadem, inquam, ac ad minus ſimilia (non enim audeo iuxta Sanctiſſimos Patres me componere, neque eorum veſtigijs niſi diſtinctiſſimo itinere meos figere greſſus) vt huic iugo collum ſupponerem fecerunt. Sed in primis vrgens ſuperiorum mandatum, ne tandem in pertinacis contumaciæ delictum inciderem; vt labor hic meus litterarius obedientiæ potius, quàm cuiuſcumque alterius animi dotis, ac virtutis, vere ſit iudicandus labor, & fructus. Voluerunt ipſi, multorum oculis tradiderunt videndum, emendarunt, Opus auctoritatis ſuæ ſigillo munierũt. Edunt ipſi, defendant, tueantur, & protegant, ac meam in id oneris ineptitudinẽ, & inidoneitatem extuſent, quaſi per conuicia ad laborẽ hunc me traxerunt vel inuitũ. Non diſſiteor tamen meam in D. Bon. obſeruantiam, ipſius percipiendæ Theologiæ Seraphicæ vehemens deſideriũ, & explicandæ leniſſe ad hoc voluntatẽ, leuius reddidiſſe onus.

Alterum verò, quod ne aggredi arduum interpretandi hunc eximium Doctorem auderem, quinimò prorſus diffiderem, ac animo deſponderem, efficiebat; inexplicabilis ipſius obiecti indiuidui difficultas, Sanctiſſimæ ſcilicet Trinitatis myſterium, pertractandum mihi primo loco oppoſitum, de quo D. ille Auguſtinus lib. 1. de Trinit. cap. 3. Licet nihil vtilius inueniatur, nihil quoque tamen difficilius quæritur, aut periculoſius erratur. Facillimum errare proculdubio, vbi tantæ rei intelligendæ premit difficultas: ſed erit maximus error, ſi quis incideret, & immenſo immergetur Pelago, & lacrymis eluendum perpetuis patietur naufragium. Circa enim Deum ipſum ſummam veritatem, Diuinaſque perſonas emanantes errabitur. Quam verò aliam inuenire poterit proficuam veritatem, qui primam hanc maximam perdiderit? Qua luce potietur, qui ſolis reliquæ omnis lucis fontis, ac Patris, luce orbatus inuenietur? Ipſe Diuus Pater Auguſtinus de hac abditiſſima fide Commentarios edere dum animo peruoluebat; cœlitus admonitus eſt, vt quid tentaret exequi, cuique difficultati, ac periculo ſe exponeret, animaduerteret: facilius enim erat, quàm ſuo intellectu, ſuiſq; voluminibus Dei Trinitatem comprehendere; Oceanum immenſum puteolo includere. Quocirca tertio quoque verbo (vt aiunt) illis ſuis de Trinitate libris, huius ſacerrimi Myſterij inſcium; quibus idoneis verbis explicaret ignorare, ſe ad hanc Sacro-

ſan-

Digitized by Google

ſanctam Triadem exarandam impares habere vires, labia ſua agnoſcere polluta, fatebatur: ieiunijs ſeſe ſæpius excruciabat, aſsiduis precibus ad Deum ingemiſcebat, vt, quod ſibi in tanto explicando themate deeſſe experiebatur, ab ipſo vtcumque obtineret.

Ipſi Seraphim, quos in ſuæ Prophetiæ 6. cap. meruit audire Iſaias clamantes, Sãctus, Sanctus, Sanctus, quaſi cœlo, terræque de Deo trino Theologiam inclamarent; duabus alis capita ac facies velabant, & operiebant, domus implebatur fumo, & ferè orbis terrarum liminaria cõmouebantur, veluti ſic de Alma, æternaque Triade cognitio, & Theologia ipſis Seraphim ſub Deo ſumma luce, incomparabilique flamma illuſtratis, ac verè inflammatis euaderet inexplicabilis; ac pene clauſis oculis ſubinde decantanda: homines id conantes, fumo, ac omnis difficultatis, & obſcuritatis circumcingi, ac inuolui caligine, quam Iehouah ille vnus ac trinus Deus habitat inacceſsibilem: & denique dum vniuerſa totius naturæ familia eundem Deum vnum trinis quoq; perſonis ſubſiſtere audit; commoueri, ac cõturbari, ſuoq; ſubmoueri loco, vt nihil intelligat, nullamq; viam tota natura ad hanc Dei trini cognitionem demonſtret: nihil de hoc natura magiſtra vetuſtiſsima ſapientum ætas, ac Philoſophorum caterua audiuit, nihil docuit, nihil monumentis poſteritati mandauit: nihil deniq; creaturæ vllius fronti ſcriptum, impreſſumue legere licet, quod ad hanc celſiſsimam diſciplinam capeſſendam quicquam opitulari valeat. Et quidem ad Dei vnius indagandam, & aſſequendam cognitionem, plurimum creaturarum cognitio confert, & manuducit: Inuiſibilia enim Dei, teſte D. Paulo, à creatura mundi per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, &c. At Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum Sanctum nemo nouit, niſi Filius, & cui voluerit Filius reuelare.

Haud quaquam his perterritus difficultatibus omnino ab hoc onere me expedire, ac ſurripere volui; imò ad illud accedere meus tulit animus, hac in primis ratione: non enim ego hoc explicandum myſterium aggredior, ſed Seraphicum Doctorem interpretari manus admoueo, qui mirum eſt quàm egregiè, piè, & orthodoxè nobis explicatum reliquerit, & quanta vbertate, & ſoliditate huiuſce arcana aperuerit, & proſecutus ſit lumine, & potius ardore Seraphico.

Quod quidem hoc loco meas exiſtimo partes, tantiſper commemorando tangere, ac perpendere: commodius verò id agam, ſi quæ ad Diuinorum expoſitorem, ac Doctorem ritè ſpectant, ac requiruntur, paucis demonſtrauero. Id denique meo iudicio præſtantius erit præſtitum, & gratius auditum, & facilius perſuaſum, ſi non ex meo, ſed Sanctorum Patrum ore loquar. Diuus igitur Hieronymus multis locis multa hac de re æterna memoria digna nobis litteris prodidit. Primò. Veri interpretis non eſſe, propriam, ſed eius, quem ſuſcipit interpretari, mentem aperire. Deinde alijs locis, expoſitoris eſt, inquit, in eundem locum, aut Auctorem, quem decreuit explicare, Gloſſas, & varias aliorum expoſitiones colligere. Et in epitaphio Sanctæ Paulæ Romanæ de ſeipſo valde ſapienter refert, aſsiduis precibus ab hac ſancta muliere ſuauiter coactus, vt ei Diuinam explicaret Scripturam: Propterea, inquit, docui quod didiceram, non à memetipſo, ideſt præſumptione peſsimo interprete, ſed ab Illuſtribus Eccleſiæ viris: & ſicubi hæſitabam, et me neſcire ingenuè confitebar, nequaquam mihi volebat acquieſcere, ſed iugi interrogatione cogebat vt ex multis varijſq; ſententijs quæ mihi videretur probabilior indicarem. Quibus verbis, cum de ſacra interpretatione præſertim agitur, præſumptuoſum eſſe quidquid ex capite ſine graui Doctore aſſeritur, ingenuè docet.

Præterea D. Aug. lib. 1. contra aduerſarium legis c. 25. Optimam, inquit, interpretandi rationem eſſe locum loco eius ex auctoris exponere. Litteriones, non litteratos

per-

perditos, non peritos vocari eos viros, qui vnum locum carpunt, nec cum alijs locis conferunt, & confuſionem potius, quàm eruditionem ſibi ipſis eruere demonſtrat. Idem alijs grauiſsimis verbis D. Gregorius in exordio 4. lib. Moral. Rurſus in recenſendis, & ſi opus fuerit, reijciendis auctoribus, præcipuè grauioribus, & vetuſtioribus, magnam adhibendam cautelam, & reuerentiam, multi bene morati etiam antiquioris temporis tradiderunt: Eſichius enim epiſt. ad Auguſtinum, quæ inter epiſtolas eiuſdem D. Auguſt. inuenitur, periculoſum aiebat de Magiſtrorum Eccleſiaſticorum ſententijs iudicare, & alterum alteri præferre. Ipſe D. Auguſtinus lib. 83. quæſtionum quæſt. 59. agens de quadam expoſitione Parabolæ decem Virginum, licet ea ſibi non videretur conueniens, eam tamen reijcere non eſt auſus: ita enim eloquitur: De qua tamen expoſitione temerè nihil audeo iudicare, ne fortè non eius inconuenientia mihi anguſtias fecerit, ſed mea tarditas in ea conuenientiam non inuenerit.

Ipſe Euripides apud Laertium de ſcriptis Heraclyti, auctoris ſatis obſcuri, præclarè tamen ad hanc rem ſolitus erat dicere: Ea quæ intellexi præclara ſunt, opinor autem & quæ non intellexi. Auctoribus igitur, ac Sanctis Patribus debitus ſemper impendendus honor, & reuerentia; & ſi in ijs legendis aliquid inuenitur, quod diſſonum videatur; aut piè interpretandum, aut propria potius fatenda ignorantia. Egregiè habitus eſt hic honos Diuo Gregorio Nazian. de quo Diuus Hieronymus, & refert D. Thomas 1. par. quæſt. 61. art. 3. Tanta fuit Nazianzeni in Chriſtiana doctrina auctoritas, vt nullus vnquam eius dictis calumniam inferre præſumpſerit, & propter ipſius ſententiam Angelos creatos eſſe ante mundum corporeum aſſerere, non eſt exiſtimatum erroneum. Mirum eſt quanta reuerentia proſecutus ſit D. Thomas, & elegerit ſibi in Magiſtrum S. Patrem Auguſtinum. D. Hieronymus Nepotianum in eius Epitaphio hac de re in primis ad ſydera extollit, quod nunquam ſine Patribus loqueretur, nihilque ex ſe ſolitus eſſet dicere.

Mira ſimilitudine eandem rem D. Gregorius Nyſſenus docuit, nobiſque ob oculos poſuit; imitandos ſcilicet agricolas, qui ſilueſtres, & infrugiferas arbores frugiferas & domeſticas reddunt ramuſculum inſerendo, & particulam domeſticæ arboris, qua denique totam arborem frugiferam reddunt; ita ſententias Sanctorum Patrum, qui ſunt arbores excelſæ, noſtræ doctrinæ inſerendas tanquam fundamentum, & ſemen bonum, & ſal, & mel.

An verò cum ſacra doctrina, Euangelicaque Theologia intermiſcendæ profanorum Philoſophorum ſententiæ? Iam inter vetuſtiſsimos Patres controuerſum legimus: ex vna enim parte lib. 5. Stromat. ferè in principio Clemens Alexandrinus omnes infideles auctores amentes, & iniquos eſſe oſtendit, & eorum quæſtiones eſſe quas Apoſtolus Paulus 2. ad Timot. 2. conſtituit tanquam inanes, & futiles vitandas. Beatus Anaſtaſius lib. quæſtionum in Diuinam Scripturam idem confirmat auctoritate Apoſtolicarum Conſtitutionum lib. 1. cap. 7. & præcipuè, quod nihil rectum ab ijs aſſertum ſit, quod excellentius non inueniatur in Diuinis Scripturis, & à quibus tanquam vetuſtioribus ipſi ſuffurati non ſint: vt potius ad dicta antiquorum auctorum idoneè intelligenda neceſſarius ſit Diuinus textus, quàm ipſa eidem deſeruiant.

In oppoſitam partem viſus eſt multis locis iuiſſe D. Hieronymus, excitatus præſertim, & ab æmulo Ruffino coactus: redarguerat enim ipſum quod Opuſculis ſuis pluribus profanorum, & Gentilium auctorum ſententijs, ac exemplis, quàm par eſſet vſus fuerit; cui reſpondet, & vehementer demonſtrat, non ſolum Diuinarum litterarum

inter-

interpretes, & qui doctrinam Diuinam verſant, vſos eſſe, & vti debere ſententijs ex profanis deſumptis, ſed ipſos ſacros Scriptores id apertè præſtitiſſe, Moyſem Act 22. Danielem 1. ſuæ Prophetiæ, Salomonem Prou. 2. Iob. 36. vt ſolercer obſeruat D. Gregorius lib. 9. Moral.cap.6. Diuum Paulum 1. Cor. 15. Ad Titum. 2. Actor. 17. Vbi multa decerpſiſſe ex his auctoribus perſpicuum eſt: & quaſi Dauidem ex manu Goliæ eiuſdem gladium ad eundem interficiendum arripuiſſe, vt obſeruat S. Auguſt. 2. de Doctrina Chriſtiana cap. 40. & quaſi Iſraeliticum populum ab Egyptijs vaſa aurea, & argentea, & pretioſa monilia, tanquam ab iniuſtis poſſeſſoribus eripientes, vt in Dei tabernaculi cultum, & honorem conuerterent, vt ibidem D. Auguſtinus. Denique idem D. Hieronymus offert legendos Patres ſe vetuſtiores, quos omni procul dubio inueniet quiſquis legerit Philoſophorum exemplis, & Gentilium diſcurſibus plenos, Cyprianum, Methodium, Euſebium, Origenem, Clementem Alexandrinum &c.

Sed tantum abeſt vt ad inuicem aduerſentur iſti Patres, vt mira inter ipſos inueniatur concordia, ſi piè, & rationi conſonè, & eorum fines animaduertantur: & primo ex ipſo Beato Anaſtaſio, qui commemorato loco in medium adducta Apoſtolica Conſtitutione, eos dumtaxat redargui declarat, qui nimis, & magis quàm inſtituti auctoris ſacri ratio poſtulet, auctores profanos inculcant, vt ſæpenumero quaſi ſacris Doctoribus anteponant, aut ſaltem pluſquàm par ſit eis auctoritatis nomen tribuant, vt potius Ariſtotelicos, Platonicos, Auerroiſtas, Alexandræos, &c. quàm Thologicos tractatores ſeſe demonſtrent: nequaquam verò eos, qui moderatè, & raro, ijs dumtaxat locis, quibus appoſitè tum fidei dogmata non repugnare rationi, & naturali Philoſophiæ demonſtrare accidit: tum à fortiori etiam teſtibus infidelibus fidem, aut fidei mores perſuadere: tum exterorum beneuolentiam fidei noſtræ conciliare ex proprijs ipſorum locis citatis, opus fuerit: tum denique vt ipſe Clemens Alexand. 6. Stromat. animaduertit, cum ſolidos, ac ſubſtantiales cibos Religionis noſtræ hominum mentibus deguſtandos apponimus, quaſi ſalis ſapore his Philoſophorum, ac ſecularium Doctorum dictis, & ſententijs condimus, vt promptius deſumant, & libentius, & auidius comedant, ac deglutitos tenacius in cordis ſtomacho detineant.

Præterea ita rigoroſo præcepto rem prohibebant ab initio, vt pedetentim ad mediocritatem auctores reducerent. Denique diſtinctione, mea ſententia, vtendum ex more in Sanctis Patribus obſeruato, qui ſi ſermones ad populum habebant, aut Diuinas ſcripturas exponebant; aut nunquam, aut admodum raro Gentium ſententias aſſumebant: ſi verò Opuſcula, ac Tractatus componebant, & diſputationes cum aduerſarijs exercebant; & Ariſtotelis, & Platonis, & Pythagoræ, & Apollonij, & Senecæ, & Plutarchi, & Egyptiorum ſapientum vetuſtorum placita, Emblemata, Hieroglyphyca frequenter intermiſcebant, vt omnem ſaporem, & delectamentum, omnemque eruditionem, & ſplendorem complecterentur, & mirè ſic earum crudita lectione lectores afficerentur, & argumentis etiam foris, & ab inimicorum ore petitis perſuaderentur. Sic ad lineam vſque Sanctos Patres, vt dicebam, obſeruaſſe clariſſimè videmus, ſi attentè DD. Hieronymum in epiſtolis, & tractatibus, poſtea in exponendis Sacris litteris obſeruemus, ſi Iuſtinum Martyrem Orat. ad Gentes, ſi Clementem Alexand. libris Stromatum, ſi Diuum Auguſtinum in libris de Ciuit. Dei, in quibus incomparabili ſe ſuæ memoriæ commendaſſe oſtendit quæ in omnibus Gentilium libris continentur: nullam enim hiſtoriam, nullam fabulam, nullam Philoſophiæ partem, quam tradiderint Sapientes, finxerint Poetæ, notauerint Hiſtorici; prætermittit.

Quàm

Digitized by Google

Quàm verò ab ijs ieiunus in Sermonibus, & tractatibus in Euangelia; mirum eſt.

Seraphicus verò noſter S. Bonau. Commentatoris perſonam quàm perfectè egerit, obſeruare breuibus pertranſeamus, & ab hoc, quod poſtremo loco notauimus, incipiamus. Sobriè in primis, & appoſitè, vt res propoſita poſtulabat, Ariſtotelem (vt reliquos ſilentio prætercam) & in Phyſicis, & in Metaphyſicis, & Matematicis, & moralibus, & adduxit, & interpretatus eſt; ita vt nullum locum opportunum prætermiſerit, & ſuperfluum non citauerit: quam mediocritatem ſi alij alioquin glorioſi nominis Doctores obſeruaſſent, nimis Ariſtotelici etiam in ſacris fidei myſterijs notam non obtinuiſſent. Legant attentè Sanctum Doctorem, aut ſi pigeat, tabellam locorum Ariſtotelis vno oculo percurrant, & Philoſophiam Seraphicam, quæ in D. Bonauenturæ expoſitionem paucis ab hinc diebus typis mandabitur, oculatè peruoluant: ſic enim, & Sanctum Doctorem, & eius egregium Commentatorem, quàm perfectè Philoſophiæ profunda penetrauerit, aſſequentur, & in poſterum S. Bonauenturæ Theologiæ ſtructuram ſine fundamento Philoſophiæ naturalis ædificatam eſſe ſugillare deſiſtent.

Quam verò ſemper reuerentiam adhibuerit SS. Patribus, Vniuerſitatibus, & Magiſtro, quem interpretabatur; luce meridiana clarius. Vt magiſtros imitabatur, ſi opus erat conciliabat, nunquam deſerebat: Magiſtrum, ſi à communi opinione aliquando recedentem inueniebat, ſemper quoad licuit in meliorem frugem interpretatus eſt: in nullo vnquam verbo offendit. In difficilioribus verſandis difficultatibus nullum lapidem immotum relinquit, donec probabiliorem rationem inueniat: tanta tamen pietate, tanto moderamine, tanta denique animi humilitate ſe gerit, vt eam profitcatur amplectendam ſententiam, quæ magis pietati, quàm rationi ſatisfaciat, magis Deum colat, magis denique animæ ſit meritoria: ac ſic nedum intellectui, ſed etiam voluntati proficiat, & fidem non ſolum, verum etiam Charitatem nutriat. Eſt ergo Magiſter geminam veritatis, & charitatis facem præferens, quem ideo quaſi inoffenſo pede imitari licet.

Remanet vnum in hoc Sancto Doctore obſeruandum, quàm ſcilicet ſibi ſemper conſtiterit, & quàm conſtanter quam ſemel docere cœpit opinionem perpetuò ſuſtinuerit, & oblitus ſit nunquam; & quàm oculatè inter opiniones diſtinxerit, vt nullam probabilem ſicuti neceſſariam propoſuerit. Ita vt nullus Doctor, aut à contradictione, aut à temeritate, ſicuti S. Bonauentura, magis diſtet. Referam vnum, aut alterum locum. In 1. ſent. de Prædeſtinatione quæſtionem maximam agens, Deum in ſingulis hominibus prædeſtinandis habuiſſe occultam nobis rationem congruam, quare voluerit hunc, illum noluerit, docuit: ſi millies meminerit hanc opinionem, eandem ſemper cum omni animi moderatione repetit. In 2. lib. Angelorum naturam meditatus, eam aliqua compoſitione ex materia Metaphyſica compoſitam aſſerit; innumeris locis opportunè hanc ſententiam in medium adducit, perpetuò tamen, vt prima vice propoſuit, eam retinet: non quidem vt euidenti veritate pollentem, ac neceſſariam, ſed vt rationi conſonam, & ſatis probabilem. In eodem lib. imò ferè omnibus libris, in homine iuſtificando Deum quandam præſupponere ex parte hominis congruam præuiam diſpoſitionem, ſupernaturalem tamen, licet non vbique addat hunc terminum ſupernaturalem, *ſed ſupponit ſemel docuiſſe ſufficere: mirum eſt quoties eam repetat; quàm conſtanter in ea permaneat. In 3. lib. de præcipuo Incarnationis fine quæſtionem inſtituens, cum ſemel fuiſſe hominis redemptionem ſtatuerit, oppoſitæ tamen ſententiæ adhibita*

magna

magna probabilitate; intra hos terminos ſemper ſe continet. In 4. denique libro illam maximæ difficultatis ſententiam enucleans, Quomodo ſcilicet Sacramenta nouæ legis ſint cauſa gratiæ, Phyſicane, an moralis; moralem eſſe, vt probabilem opinionem amplexatus, eandem vbique locorum & recolit, & ſuſtinet. Certa ergo hac laude coronandus eſt hic Sanctus Theologus, quàm fuerit conſtans in docendo, prudens in ſeligendis opinionibus, & ponderandis, acutus in confirmandis, modeſtus & humilis in ſuſtinendis, & colendis maioribus Doctoribus, vt nihil ex ſe, ſuoque inhærens, ac ſiſus iudicio vnquam auſus fuerit proferre, & à communiori Doctorum opinione recedere. Quocirca non eſt mirum, Sixtum V. Maximum & Doctiſſimum Pontificem in Bulla, qua eum Doctorum Eccleſiæ cœtui conſcripſit, poſt plurimorum Doctorum ſeriem ipſius doctrinæ ſcrutinium, in eam exiſſe commendationem. Hac noſtra perpetuò valitura Conſtitutione doctrinã Sancti Bonau. à ſupradictis prædeceſſoribus noſtris Clemente IV. Gregorio X. & Sixto IV. laudatam, in Concilio Lugdunenſi maximè ſpectatam, in Florẽtino etiam ad res difficiles explicãdas adhibitã, grauiſsimorum virorũ auctoritate teſtatam, & cõmendatam, & eximio Eccleſiæ Doctore dignam; nos quoq; plurimũ in Domino laudamus, & cõmendamus, &c. *Vt mirum non ſit, ſi dum in humanis degeret, nulla in Senatu Apoſtolico Romano difficultas accideret, ad quam ſoluendam Seraphici Doctoris Bonauenturæ grauiſſimum iudicium non requireretur: ac merito quidem, nam & in ſua Theologia nullam ferè intactam, & inſolutam relinquit quæſtionem, licet aliquando vnico verbo indicet & ſoluat, non eo verborum apparatu, & auctorum numeroſa citatione, qua ſolent huius temporis plurimi doctores, ſibi ſæpe tribuentes quod ipſe primus docuit.*

Quare tertium illud, quod mihi negotium faceſſere poterat, & animum auertere ne ad huius Sancti Doctoris commentationem accederem, non difficili negotio & diſsimulaui, & non plurimum pendendum duxi; nimirum onus ſuſcipere commentationibus illuſtrandi antiquum & difficilem Doctorem, quod adhuc ferè nullus ex inſtituto tentauerit, de re tamen ab innumeris acutiſsimè explicata. Quo enim ad ſecundum D. Aug. rem facilem reddidit lib. 1. de Trinit. cap. 8. his verbis: Vtile eſt plures libros à pluribus fieri diuerſo ſtylo, non diuerſa fide, etiam de quæſtionibus eiſdem, vt ad plurimos res ipſa perueniat, ad alios ſic, ad alios autem ſic: præſertim quia ſi rem communem verſo, ab alijs millies & melius verſata, Doctorem tamen ferè primus ab alijs intactum tangere ego, & explicare incipio: & viget Thomiſtarum exemplum, qui quotidie S. Thomæ Theologiam commentarijs nouis adoriuntur, & diſputationibus, ab alijs iam innumeris Tomis diſputatam, explicatam, & omnibus numeris propoſitam, & protectam, & ſemper mira vtilitate.

Ad primum. Non diffiteor, nec diffiteri poſſum, à multis præſertim recentioribus ſecundum aliquas partes rem tentatam eſſe, ac in primis de noſtra Sodalitate Petro Trigoſio, de Deo vno: Franciſco à Coriolano, itidem de Deo vno & trino: Ioanne Maria Vtinenſi, diſputationibus de Vnitate & Trinitate: ab Epiſcopo Capulio Ordinis Minorum Conuentualium, in eandem vnicam partem, quos in ijs, quæ mihi congruebant, fateor animaduertiſſe, & aliquando imitatum. Sed adhuc fateor, quibuſdam ex his non fuiſſe propoſitum indagare legitimam ſententiam S. Doctoris, ſed potius addendi quaſdam aliorum Doctorum in eadem doctrina notationes, aut deducendi ipſum in mentem Scoti; & multorum Doctorum vnicam texendi in omni Theologia ſententiam: ſed in propugnanda D. Bon. Theologia, ab alijs ſine ratione ſæpe impugnata, non

video

videa plurimum laboraſſe. Sed aliunde mihi additus eſt animus hanc prouinciam adeundi, dum ſingularia loca cæterorum Doctorum, quibus Sanctum Doctorem modo adducebãt, & tuebãtur, modo reijciebant, tamen ipſius explicata ſententia, animaduerti: & plurimi æſtimaui ſemper Riccardum de Mediauilla, claſſicum quidem & magnũ Doctorem, qui licet prætermiſſo nomine; mirum eſt quàm diligenter imitatus ſit, & explicauerit Seraphicam doctrinam, Ita ut non ego primus Commentator, ſed potius tum veterum, tum recentiorum Commentatorum collector exiſtam, & videar; & colligam acinos poſt vindemiatores in benedictione Domini, & torcular meum repleam; & quaſi altera Ruth ſpicas, ex quibus granum excuſſum in horreum meum referam.

Verum quis timebit hunc ſequi Magiſtrum, aut cum eius doctrina in vllum errorem incidere? quam ipſe tanta cautela docuit in tam inſigni vniuerſitate Pariſienſi, ab omnibus receptam, amplexatam, & approbatam Theologiam, Seraphica Charitate accenſam, vt ab omnibus illius temporis Magiſtris Seraphica acclamata ſit; eandem ferè ſemper, & eiſdem multis vicibus verbis explicatam; quam & Alexander Alenſis, & Albertus Magnus, & Angelicus Thomas iiſdem temporibus docuerunt, poſtea & in Concilijs Generalibus propoſitam, & à tot Pontificibus commendatam; quam ex cathedra Chriſti in Cruce, magis quàm ab homine didicit. Auſus ergo ſum in Academiam huius Seraphici Magiſtri ingredi, hunc Seraphicum Theologum imitari, eius Theologiam profiteri, & alijs quoad potui certam & explicatam tradere. Tradam, Deo propitio, Bonauentura deprecatore, vita comite, ſuperiorum meorum benedictione & iuſſu, donec vixero.

Quid verò in hunc Doctorem præſtiterim, & hoc volumine aſſecutus ſim; non audeo dicere, videbunt, & indicabunt alij. Quid voluerim, & omni meo conatu vt obtinerem inſudauerim; paucis aperiam. Primò, nimirum vt textum, & verborum Sancti Doctoris vetuſtam & difficilem fraſim explicarem, ad modum dicendi recentiorum reducerem Theologiam; in quaſdam propoſitiones diſtinxi, quas Paraphraſes vocaui, modo ex corpore quæſtionis, modo ex argumentorum reſponſionibus excerptas, quibus compendio quodam ſententiam Sancti Doctoris facilioribus verbis explicui: probationes verò etiam ex alijs locis D. Bonauenturæ completas reddidi; argumenta, & ſolutiones ad methodum Ariſtotelicam, & formam reduxi, & quæ videbantur deſiderari, addidi. Neque mirum quod Sanctus Doctor adamuſſim ſemper omnia hæc non præſtiterit; extremam enim manum ſuæ ſcholaſticæ doctrinæ non adhibuit, alijs grauioribus negotijs præpeditus; ſed quæ nobis relicta eſt Theologia, eſt quam in cathedra dictauerat, & prælegerat, nunquam poſt ab ipſo aut expolita, aut ad ditiorem methodum redacta, qui anno ſuæ ætatis circiter trigeſimo totius Religionis Seraphicæ inſtitutus Miniſter Generalis, & per decem & octo annos, ſcilicet ad finem vſque vitæ ſuæ in eo inſudans, nulla relicta eſt ei facultas ad ſcholaſticam contemplationem redire. Omni ſolertia, quàm ſimilem Angelico Doctori Theologiam docuerit, obſeruaui, vt ſic vnius Commentatores & alteri deſeruirent; & inde certiorem, & acutiorem, & à gemino vtroque inſigni Magiſtro celebriorem redderem. Verum quia, & maximè quod ſolet ab omnibus expeti, & in primis ad faciliorem in vnaquaque doctrina pertractanda methodum ordo confert; hunc in hoc abſconditiſſimo Myſterio aliorum veſtigijs inhærendo elegi, nimirum per Tractatus, &

Primò. De poſſibili Myſterij cognitione, ac fidei neceſſitate.

Secundò. De Emanationibus, & emanationum numero, & principijs.

Ter-

Tertiò. De Relationibus Diuinis in ſe.

Quartò. De perſonis in communi, de perſonarum ſimplicitate, diſtinctione, numero, æqualitate, & Diuinitate.

Quintò. De ſingulis perſonis.

Sextò. De identitate earum cum Diuina eſſentia, & pluribus titulis de comparatione earum ad ipſam eſſentiam, & an vlla ab ea diſtinctione diſtinguantur.

Septimò. De potentia producendi ad intra.

Octauò. De actibus notionalibus.

Nonò. De Miſsionibus ad extra.

Decimò. De modis, & verbis vtendis in hoc Diuino Myſterio explicando.

Rem totam, poſt Paraphraſes Commentaria addidi, quibus & difficultates litterales omni meo conatu ſolui, apparentes contradictiones extinxi, eruditionem ex dubijs litteralibus in medium attuli, & ſæpe ex his & fundamenta, & concluſiones elicui; & vt clariorem redderem D. Bonauenturæ ſententiam, per D. Thomæ, Alexandri, & Riccardi, & aliorum relatam ſententiam, operam nauaui. Denique vbi opus fuit, Diſputationes addidi per capita diſtinctas, quibus pro mea tenuitate Seraphicam Theologiam tueri, & illuſtrare conatus ſum.

Breuitatem in hac mea tradenda Theologia, licet vndequaque laude dignam, fortaſſe tranſgreſſus ſum aliquando, & eadem diuerſis locis aliquando repetij, ne dum breuis eſſe volebam, obſcurus fierem, D. Hilarij lib. de Synodis in expoſitione Canonis 27. Syrmienſis Synodi verba hæc mente retinens: Fallit plerumque audientes & docentes breuitas verborum, & compendio ſermonum aut non intelligi poteſt quod requiritur, aut etiam corrumpitur, quod ſignificatum magis, quàm enarratum, rationis abſolutione non conſtat.

Mirabitur aliquis, quod opus non paucis ante annis totius Capituli Generalis auctoritate mihi iuſſum vt componerem, vſque ad hoc tempus diſtulerim. Omnem ceſſaturam admirationem, ſi primò quid acciderit D. Auguſtino audiat: ipſe de ſe refert in Præfatione ad libros de Trinitate, quod opus ſub initio ſuæ conuerſionis cœperit, perfecerit verò ſub fine vitæ: tanta rei difficultas eſt, tanta huius vitæ viciſsitudo, tot impedimenta accidere poſſunt, quæ aſſumptum opus interponere cogunt. Proinde admiratores certiores facio de mea in hoc Myſterio verſando inſcitia, & inſufficientia, qua longiori me indiguiſſe tempore certum eſt. De inopia, quâ plurimum laboraui librorum, & Auctorum, quâ factum eſt, in fonte quos cito Patres me non omnes potuiſſe legere, ſed credidiſſe Doctiſsimis viris referentibus. Quot vicibus coactus ſum interponere opus ægritudinum cauſa, itinerum, ad Capitula, ad Conciones habendas diuerſis & remotis locis obedientia, perpetuò infra ſepta Monaſteriorum prælegendi munere?

Genus verò orationis, & elocutionis in hac tradenda Theologia illud ſuſcepi, quod nec omnino à dicendi arte ieiunum ſit, nec adeo laſciuiens, & floridum, vt potius cum adoleſcentibus ludere vellem, quàm Theologi perſonam agens grauiter Diuina explicare: ſed medio itinere incedens, facile & planum, vt quod explicare conor, non difficili negotio ab omnibus percipiatur; ſi tamen qui legant ſint ſupra Grammatices terminos eruditi, & ad res Theologicas contemplandas idonei. Non enim decet ſapientiam veluti grauem Matronam non eſſe habitu Sancto & ornato veſtitam, neque quaſi puellam vanam Rethorum coloribus depictam, & orationum ſtellulis, & verborum

ſloſculis ornatam. Docuerunt, D. Chryſoſt. lib. 3. contra vitup. vitæ monaſt. Eloquentia, inquit, indigna eſt Philoſophis, & viris (multo magis Theologis) ludentium verò adoleſcentulorum certamen, & gloria. D. Greg. in Præfat. Moralium cap. 5. hac elegantiſsima ſimilitudine: In Diuinis pertractandis verborum ſolia non requiras &c. & quia in Templo Dei nemus plantari prohibetur; & quia quoties in folijs malè latæ ſegetis culmi proficiunt, minori plenitudine ſpicarum grana turgeſcunt; ſcilicet dum verba per eloquentiam laſciuiunt & abundant; pauci, & nullius pretij conceptus explicabuntur.

Admonitio ad huius ſacerrimi Myſterij perſcrutatores, quomodo ſcilicet accedere debeant.

F*Ide. Iſaiæ 7. Si non credideritis, non intelligetis. Vbi Riccard. de S. Vict. lib. 1. de Trinit. cap. 3. Oportet quidem, inquit, per fidem intrare, neque in ipſo introitu perſiſtere, ſed ſemper ad interiora, & profundiora intelligentiæ properare, & cum omni ſtudio, & ſumma diligentia inſiſtere, vt ad eorum intelligentiam, quæ per fidem tenemus, quotidianis incrementis proficere valeamus. Et ante ipſum D. Epiphanius hæreſ. 76. ad cap. 7. Omnino præteruolant, & excedunt, & omnem artem Syllogiſticam relinquunt doctrinali illi ex Diuina Scriptura ſententiæ, nempe: Nemo nouit Filium, niſi Pater; neque Patrem, niſi Filius, & cui voluerit reuelare. Reuelat autem per Spiritum Sanctum, non his, qui de ipſo per Syllogiſmos ratiocinantur, ſed qui in ipſum legitimè, ac perfectè credunt. Concinit D. Hilarius lib. 1. de Trinit. Reſpuit captioſas, & inutiles Philoſophiæ quæſtiones fides conſtans, neque humanarum ineptiarum fallacijs ſuccumbens ſpiritualium ſe prebet veritas falſitati, non ſecundum ſenſum communis intelligentiæ Deum retinens.*

Oratione. D. Dionyſius de Myſtica Theologia: Trinitas eſſentia, Diuinitate, ac bonitate ſuperior, ac præſtantior Chriſtianorum Theologiæ Dux, dirige nos ad ignotiſſimum, ſplendentiſsimum, ac ſummum myſterium Diuinorum culmen, in quo ſimplicia, & abſoluta, immutabilia quo Theologiæ myſteria abſtruſa ſunt, præfulgente ſilentij obſcura docentis caligine. Ita pluribus precatur S. Hilarius lib. 1. de Trinit. Ita D. Auguſtinus ad difficiliora loca huius dogmatis orationi addebat lacrymas, & ieiunia, vt de ſeipſo teſtatur ferè in fine volum. de Trinit.

Humilitate, & ſobrietate à curioſa inquiſitione, difficillimum enim eſt myſterium. Iſaiæ 53. Generationem eius quis enarrabit? & in hoc ſenſu communiter Patres. Matth. 11. Nemo nouit Patrem, niſi Filius &c. Quem locum ad hanc teſtandam difficultatem referunt, Concil. Nicænum. SS. Clemens Romanus, Cyrillus Hieroſolimit. Baſilius, Hilarius, & alij. Prouer. 25. Qui ſcrutator eſt Maieſtatis, opprimetur à gloria. Eccleſiaſt. 3. Altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris. 1. Cor. 2. Quæ ſunt Dei nemo nouit, niſi ſpiritus Dei.

Concilium Nicænum reſpondens per Euſebium: Ne quæras ò Philoſophe, alioquin ſtudes te præcipitem agere, perſcrutari tentans quæ inſcrutabilia ſunt. D. Chryſoſt. hom 2. in cap. 1. ad Hebr. Dico quoniam Filium genuit ex ſeipſo, ſed neſcio qualiter hoc intellectu percipio: & hom. 4. in cap. 1. Matth. Si enim iſtam, quæ mille celebrata teſtibus, oculis inſpecta, manibuſque contrectata eſt, interpretari tamen nullus poteſt; quem cumulum non excedunt furoris, qui ineffabilem illam generationem Dei

mera

meræ curioſitate anxiè, ſcrupuloſeque rimantur? S. Ambr. lib. 1. de fide ad Gratianum toto cap. 5. Si Paulus ea, quæ audiuit raptus in tertium cœlum, ineffabilia dicit; quomodo nos exprimere poſſumus paternæ generationis arçanum, quod nec ſentire poſſumus, nec audire? Copioſior de hac re Nazianzenus, ſed præſertim Orat. 34. quæ eſt 2. de Theologia: Ducem potius fidem, quàm rationem ſequamur: ſi modo ingenij tui imbecillitatem in propinquioribus didiciſti, rationiſque id eſſe cognouiſti, vt quænam ſint ea, quæ rationis humanæ captum excedunt, cognoſcas, ne alioquin prorſus terrenus ſis, ipſam quoque ignorantiam tuam ignorans. B. Ephrem integrum tractatum inſtituit aduerſus eos, qui Filij naturam ſcrutari curioſè nituntur. Antiquior Martyr Ireneus lib. 2. contra hæreſes: Quicumque nituntur generationes (ſuggillat Gnoſticos, qui plures generationes Diuinas ſomniabant) enarrare; non ſunt conſortes ſui, ea quæ inenarrabilia ſunt enarrare promittentes.

Sed claudo adhortationem in DD. Hieronymo in Iſa. lib. 18. Proemio. Trinitatis recta confeſsio eſt ſcientiæ ignoratio, & Auguſt. eadem ſemper & humilitate, & ſubtilitate incedente Tract. 59. in Ioan. Quid illic interſit inter procedere, & agere; longum eſt quærendo diſſerere, & temerarium cum diſſerueris diffinire, & lib. 1. de Trinit. cap. 1. 2. & 3. Afferimus aliquando rationem, non quam petunt, cum de Deo quærunt, quia nec ipſi eam valent aſſumere, nec nos fortaſſe vel apprehendere, vel proferre; ſed qua demonſtretur eis quàm ſint inhabiles, minimèque idonei percipiendo quod exigunt. Ergo ne pluribus detineam Lectorem hac adhortatione, pluresque alias aureas ſententias Patrum huc conferam, cum præſertim infra de eadem re futurus ſit proprius locus; hoc verbo finiam: In hoc præcipuè myſterio maximè Deo reuelanti fidendum, & credendum, ab eoque enixè oratione petendum, ne in hoc contemplando erremus: nullibi enim periculoſius erratur, eodem D. Auguſtino teſte eodem loco cap. 3.

Impri-

Imprimatur ſi videbitur Reuerendiſsimo Patri Magiſtro Sacri Palatij Apoſtolici.

A. Torniellus Viceſg.

DE Mandato admodum R. P. Franciſci à Genua, Procuratoris, & Commiſſarij Generalis Ordinis Capuccinorum, perlegi hæc in D. Bonauenturam Commentaria, & Diſputationes circa Myſterium Sanctiſſimæ, & indiuiduæ Trinitatis, ab Admodum Reuerendo P. Theodoro Bergomenſi eiuſdem familiæ Diffinitori Generali compoſita: eaque non ſolum nihil contra fidem continere reperi; verum & typis opus dignum iudicaui: vtpotè materiæ dignitati inſigni; quæſtionum ſubtilitate ſingulari: atque eximijs Patrum refertum doctrinis: totique perinde Eccleſiæ vtile omnino futurum.

Frater Iacobus Maria à Genua, Capuccinus, Concionator, & Sacræ Theologiæ Profeſſor.

OPus de Trinitate, & de modis dicendi, compoſitum à Reuerendo Admodum Patre Fratre Theodoto Foreſto Bergomenſi, Ordinis Cappuccinorum Sacræ Theologiæ Profeſſore, iuſſu, & mandato Adm. Reu. P. Fr. Franciſci Genuenſis, eiuſdem Ord. Procuratoris, & Commiſſarij Generalis; legi, vidi, & attentè conſideraui, in quo nihil reperi contra fidem Catholicam, nec contra bonos mores; quin potius omnia, quæ in hoc opere ventilantur, ſolida eruditione ſunt plena. Quare valdè dignum arbitror opus, quod in publicam totius Eccleſiæ, & præcipuè Seraphici Doctoris ſequacium vtilitatem excudatur.

Frater Ioannes Franciſcus de Monte Leone eiuſdem Ordinis Sacræ Theologiæ Profeſſor, ac Verbi Dei Concionator.

PErlegenti mihi, ex commiſſione A. R. P. Franciſci à Genua, totius ordinis Capuccinorum Sancti Franciſci Procuratoris, & Commiſſarij Eximij, & accurata qua potui indagine proſpicienti, opus inſcriptum de Almæ, ac Sanctiſſimæ Trinitatis myſterio in Seraphicum D. Bonauenturam Commentaria, ac Diſputationes, & Paraphraſes; cum adiacente Tractatu de modis dicendi in hoc Diuino Myſterio ab A. R. P. Theodoro Bergomenſi, eiuſdem ordinis Theologo præclariſſimo, honorato labore digeſtum, & doctrinam D. Bonauenturæ enucleatam complectens; occurrit mihi non aliquid ab Orthodoxa fide, aut à Chriſtiana pietate diſſonum, ſed illa Iſaiæ magis referta myſterijs, quam verbis explicata viſio, in qua duo Seraphim amore flagrantes aſtabant Throno Dei, & ſummæ Triadis faciē alis velantes Triſagium illud admirabile, Sanctus, Sanctus, Sāctus Dominus Deus exercituum, clara voce canebant. Si quidem qui duo Seraphim, niſi Seraphicus Doctor alter, & alter P. Theodorus? qui ambo (proportionaliter tamen) Diuina charitate perfuſi, throno Sanctiſſimæ Trinitatis aſtantes, in fide ſtabiles, volatu altiſſima opinionum traſcendunt; & clara ſi non voce, tamen Scriptura, myſterium hoc Diuinum elucidantes; non faciem Dei tegunt ſicut & illi, ne ſeculum illud oculis deprauatum claritate tanti lumini obtenebreſceret; velamine tegebant: ſed vultum Dei, vnitatem eſſentiæ, & trinitatem perſonarum complectentem, ad lumen fidei conſpiciendum fidelibus proponunt: & interim alis contemplationis, non Deū velando, ſed ſurſum volando myſteria ſuperiora exquirunt. Vnde meritò ego Fr. Baſilius è Florentia eiuſdem ordinis Capuccinorum Sacræ Theologiæ profeſſor, hoc opus typis mandandum, & oculis omnium proponendum iudico, vt & inde infideles lumen recipiant veritatis, & fideles ardore charitatis incendantur.

Ego Fr. Baſilius, qui ſupra &c.

Digitized by Google

Fr. Antonius à Mutina Miniſter Generalis Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capuccinorum.

OPus, quod inſcribitur, De almæ Trinitatis Myſterio in Seraphicum Bonauenturam, Paraphraſes, Commentaria, & Diſputationes, à Patre Theodoro Bergomenſi Ordinis noſtri Theologo, & Concionatore compoſitum, & eiuſdem Ordinis grauium, Doctorumque virorum iudicio approbatum, multiſque titulis commendatum; vt typis mandetur facultatem concedimus, ſi ijs, ad quos ſpectat, videbitur. In quorum fidem has litteras manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtri Officij munitas dedimus Romæ in Conuentu Immaculatæ Conceptionis B. Virginis. Die 12. Iunij 1633.

Fr. Ant. à Mutina Min. Gen.

EGo Virgilius Spada, Presbiter Congregationis Oratorij de Vrbe, ex commiſſione Reuerēdiſs. P. Fr. Nicolai Riccardij, Sacri Palatij Magiſtri, hunc Tractatum de Trinitate, ab Admodum R. P. Fr. Theodoro compoſitum, ea qua potui diligentia perlegi, nec quicquam vel contra fidem, vel contra mores, quod viderim, in eo reperi: quin multa tum ſingularia, tum ſubtiliſſima me didiciſſe fateor, & ideo tanquam Catholicis veritatibus confertum, ac Sacræ Theologiæ ſtudioſis perutilem, typis demandari meritò poſſe cenſerem.

NOs Magiſtri FF. Gregorius Sanctæ Mariæ Tranſpontinæ Prior, Ioannes Baptiſta Regens Collegij eiuſdem conuentus, Dominicus Campanella Ordinis Carmelitanorum, iuſſu eorum, ad quos pertinet, vidimus, voluimus, & attentè legimus Patris Theodori Capuccini de Almæ Trinitatis myſterio opus in D. Bonauenturam elaboratum, & vſque adeo Orthodoxum, & Catholicæ fidei, & Sacris Sanctionibus conforme, vt dignum, quod tutè edatur, exiſtimemus.

Imprimatur;

Fr. Nicolaus Riccardius Ord. Prædic. Sacri Palatij Apoſt. Mag.

INDEX QVAESTIONVM, ARTICVLORVM, ET DISPVTATIONVM.

IN QVO NON MIRETVR QVIS SI CAPITVM, Quæſtionum, & Diſputationum ſeries adamuſſim ijs in libro, cuius eſt index, non reſpondent: non enim id caſu, aut inaduertentia euenit, ſed conſilio, & induſtria, ad corrigendum ordinem, & in meliorem dirigendum, qui poſitus eſt in libro: erratum namque eſt ibi in addendis quibuſdam capitulis, & titulis, & numeris, & locis; hoc Indice corrigitur, & ſuis locis omnia reſtituuntur.

Quæſtio Prima.

An Trinitas ſit cognoſcibilis, & quo lumine. D. Bonau. diſt. 3. art. 1. quæſt. 4. S. Tho. 1. par. quæſt. 32. art. 1. pag. 1

Diſputatio prima.

Cap. 1. Fidem eſſe neceſſariam ad hoc myſterium. 6
Cap. 2. An per potentiam Diuinam poſsit hoc myſterium fieri viatori euidens. 17
Cap. 3. Quomodo, & ex quibus locis Diuinæ Scripturæ hæc Diuina veritas colligatur. pag. 20

Quæſtio Secunda. De emanationibus.

Art. 1. An in communi detur aliqua proceſsio in Diuinis. D. Bonau. diſt. 13. ar. 1. q. 1. D. Tho. 1. par. quæſt. 27. art. 1. 26
Art. 2. An in Diuinis concedatur proceſsio, quæ dicitur generatio. D. Bonau. diſt. 9. q. 2. D. Tho. q. 27. art. 2. 30
Art. 3. An in Diuinis neceſſariò detur alia à generatione proceſsio. D. Bonau. diſt. 10. art. 5. quæſt. 1. S. Tho. art. 3. 34
Art. 4. An, & qua ratione, & diſtinctione diſtinguantur inter ſe generatio, & ſpiratio. D. Bonau. diſt. 13. quæſt. 2. & 3. D. Thom. art. 3. & 4. 38

Diſputatio ſecunda.

Cap. 1. Dari in Deo emanationes. 45
Cap. 2. Quæ, & quot ſint emanationes. 53
Cap. 3. Quid, & quales ſint, & quomodo adinuicem differant hæ emanationes. 55
Cap. 4. Per quæ principia, ſcilicet, An per intellectum, & voluntatem emanent. 60
Cap. 5. An aliquo ordine vna emanatio alteram præcedat. D. Bonau. diſt. 12. q. 4. art. 1. & diſt. 13. q. 3. D. Thom. 1. Sent. diſt. 12. quæſt. 1. art. 1. 65

Quæſtio Tertia. De Relationibus.

Art. 1. An ſint in Deo relationes. D. Bonau. diſt. 26. art. 1. q. 1. D. Tho. q. 28. art. 1. 69
Art. 2. Quid ſint in Diuinis relationes, an proprietates. D. Bonau. ibid. q. 2. 74
Art. 3. De diſtinctione relationum à Diuina eſſentia. D. Bonau. diſt. 33. quæſt. 2. D. Thom. art. 2. 89
Art. 4. De diſtinctione relationis à perſona, & quomodo ad illam ſe habeat. D. Bonau. q. 1. D. Thom. art. 1. q. 40. 93

Diſputatio tertia.

Cap. 1. De exiſtentia, & veritate relationum in Deo. 76
Cap. 2. De quidditate, & diſtinctione relationum, quod ſubdiſtinguitur in plura alia capita, &c. 83
Cap. 3. De opinione Scoti, & cenſura ipſius opinionis. 86
Cap. 4. De virtuali diſtinctione attributorum. 88

Diſputatio quarta.

De identitate, & diſtinctione relationis Diuinæ, & perſonæ cum Diuina eſſentia.

Cap. 1. An idem ſint realiter. 97
Cap. 2. An idem formaliter aliquo modo. 100
Cap. 3. An eſſentia includatur in ratione relationis, & vice verſa. 115
Cap. 4. An, & quomodo ad inuicem Diuinæ relationes diſtinguantur. 122
Cap. 5. An, & quam perfectionem dicat relatio Diuina, & qualis ſit. 123
Cap. 6. & Art. 5. De numero, & fine relationum Diuinarum. D. Bonau. diſt. 26. quæſt. 4. D. Thom. quæſt. 28. art. 4. 133

Cap.

Cap.7.& Art.6. An aliter liceat opinari de notionibus hueuſque relatis. D. Bonau. diſt.27. quæſt.4.art.1. D.Tho.quæſt.32. art. 4. 139

Quæſtio Quarta,& I. De Perſonis,propter quas conſtituendas in Diuinis ſunt relationes,earumq. finis intrinſecus.

Art. 1. Quid ſit perſona in communi, & quoad nomen, & quoad rem. D. Bonau. diſt.23. quæſt. 1. & diſt.25. quæſt. 2. D. Thom. quæſt.29.art.1. 144

Diſputatio quinta, & prima de perſona, & eius formali ratione.

Cap.1. De ſtatu quæſtionis. 153
Cap.2. Placita Theologorum. 154
Cap.3. Notationes quædam ad colligendas concluſiones. 157
Cap.4. Quo concluſiones deducuntur. 160
Cap.5. Quo argumentorũ ſolutio cõtinetur. 165
Dubitatio de Anima rationali, An ſuo modo in corpore perfectè ſubſiſtat. 167
Art.2. Quid ſignificet perſona comparata ad eſſentiam. D.Bonau.diſt.23. quæſt. 3. D. Thom.quæſt.29.art.2. 168
Art.3. An, & quomodo ſubſtantiæ,& ſubſiſtentiæ nomine in Deo vtendum. S. Bonau. art.2. quæſt.2. S.Tho.1.par. quæſt.29. art. 2. 174

Diſputatio ſexta, & ſecunda de perſona.

De vera,& germana ſubſiſtentiæ & ſignificatione, & ratione, in hæc capita diſtributa.

Cap.1. De ſtatu quæſtionis. 176
Cap.2. De prima ſententia Theologorum. 177
Cap.3. De media opinione. 178
Cap.4. De rationabiliori opinione S.Bonau. 179
Cap.5. In quo concluſiones deducuntur. 180
Cap.6. In quo oppoſita argumenta ſoluũtur. 185

Diſputatio ſeptima, & tertia de perſona.

Cap.vnicum. De exiſtentia perſonarum, An ſcilicet ſicut tres ſubſiſtentiæ ſunt, ita tres exiſtentiæ dici, aut poſſint, aut debeant. 187
Art. 4. Quid in Diuinis primò ſignificet perſona. D.Bonau.diſt.25.quæſt.1. D.Tho.quæſt. 29.art.4. 191
Art. 5. An vniuocè nomen perſonæ dicatur de creatis & increatis. D.Bonau.diſt.25. quæſt.2.art.2. 196

Quæſtio Quinta, licet falsò ſit poſita Quarta. De pluralitate perſonarum.

Art. 1. An Diuina eſſentia in Diuinis perſonis numeretur. D.Bonau. diſt. 23. quæſt.2. art.2. D.Thom.1.Sent.diſt.2. 202
Art. 2. An ſcilicet repugnet Dei vnitati pluralitas perſonarum. D.Bonau. diſt. 2. quæſt.2. D.Thom.quæſt.39.art.2. 211

Diſputatio octaua,& quarta de perſonis.

De pluralitate perſonarum in hæc capita.

Cap.1. De ſtatu quæſtionis. 215
Cap.2. Quibus Scripturis hoc myſterium probari poſſit. 217
Cap.3. Quibus rationibus,& quanti roboris,hæc fides probetur. 223
Cap.4. Ad quid proſint pro hoc fidei myſterio, & pro cæteris, quæ afferuntur rationes. 231
Cap.5. Quo oppoſita argumenta ſoluuntur. 233
Art. 3. An ita plures ſint Diuinæ perſonæ, vt neque plures, neque pauciores quàm tres,ſcilicet quot ſint. D. Bonau. ead. diſt. quæſt.3. & 4. D.Thom. ead. quæſt. art.2. 237
Perſonæ ſunt tres. D.Bonau. quæſt.4. S. Thom. 1.par.quæſt.30.art.2. 245

Quæſtio Sexta, licet falsò ſit poſita Quinta. De ratione numeri in Diuinis.

Art. 1. Quomodo in Diuinis ſe habeat numerus, poſitiuè ſcilicet,an priuatiuè.D.Bonau. diſt.24.quæſt.1. D.Thom. citata quæſt. art. 3. 251

Diſputatio nona, in quatuor capita.

Cap.1. Quomodo tum vera, tum concors cum S.Thoma ſit S.Bonauent. opinio. 255
Cap.2. Diſtinctè de opinione S.Thomæ. 256
Cap.3. Quædam obſeruanda ad quæſtionis ſolutionem. 258
Cap.4. Quo S. Bonauent. & communior ſententia defenditur. 259
Art. 2. An vnus in Diuinis dicatur ſecundum ſubſtantiam, vel ſecundum relationem. D. Bonau.quæſt.2. D.Thom.quæſt.30. art. 3.ad 1. 262
Art. 3. An nomina numeralia in Deo dicant poſitionem,vel priuationem.D.Bonauent. art. 2.quæſt.1. D.Tho.vbi ſupra. 264

Diſputatio decima. De Numero,in duo capita.

Cap.1. De Numero in communi. 266
Cap.2. De Numero Diuino. An in Deo aſſertus, negatiuè,vel affirmatiuè ſumendus. 267
Art. 4. De eodem numero. An in Deo numerus, vel nomina numeralia dicantur ſubſtantiuè, vel relatiuè. D.Bonau. vbi ſupra q.1.art.1. D.Thom.q.13.art.2.& de Potent. quæſt.7.art.4.& 5. 269
Art. 5. An hæ nomina numeralia ita diſtinctionem importent, vt ſimul etiam aliquam

vnitatem. D. Bonau. ead. diſt. quæſt.5. & 6. D.Thom. ead.diſt.q.1.art.5. 273
Art. 6. An nomen perſonæ ſit commune perſonis increatis. D.Bonauen. diſt.25.quæſt.1. art.2.D.Thom.quæſt.30.art.4. 277

Quæſt. Septima. De Diuinis perſonis ſingillatim,

Art. 1. De perſona Patris. An ſit ingenitus. D. Bonan.diſt.28.art.1. quæſt.5. D.Thom. quæſt.34. art.4. 285
Art. 2. An Innaſcibilitas ſit eadem relatio cum Patre.D Bonau q.2 D.Tho.ar.4. 289
Art. 3. An Paternitas ſit relatio,& notio Patris. D.Bonau.q.3. D.Tho.q.33.ar.2. 292

Diſputatio vndecima, & prima de Innaſcibilitate Patris æterni, in ſex capita.

Cap.1. De multiplici ingeniti, & innaſcibilis ſignificatione. 295
Cap.2. Quàm certa ſit veritas de Patris innaſcibilitate. 297
Cap.3. De ſignificatione affirmatiua ingeniti, & innaſcibilis. 298
Cap.4. An Innaſcibilitas dicat dignitatem,& qua ratione. 302
Cap.5. An,& quam relationem ſignificet. 303
Cap.6. Quare ſi duo darentur innaſcibiles, duæ eſſent naturæ, nequaquam tamen ſi duo Filij? 304

Diſputatio duodecima, & ſecunda de Patre.

De Paternitate, in duo capita.

Cap.1. De origine quaſi paſſiua Paternitatis. 305
Cap.2. De effectu formali Paternitatis, ſcilicet An, & qua ratione Paternitas conſtituat primam perſonam. 309

Quæſtio Octaua, & Tertia de eadem Patris perſona, quatenus principium eſt.

Art. 1. De ſignificatione huius nominis Principij, & quomodo competat Deo. D.Bonau.diſt.29.q.1.& 2. D.Thom.ibidem art.1.& 2,par.quæſt.33.art.1. 312

Diſputatio tertiadecima, & tertia de Patre. De principio, & principij ratione in Diuinis, & præſertim in Patre, in quatuor capita.

Cap.1. De multiplici principij ratione, ac ſignificatione in Diuinis. 320
Cap.2. Qua certitudine conſtet, quæ de principij ratione aſſeruntur in Deo. 322
Cap.3. Quænam vera ſententia horum verborũ, Ego principium, qui & loquor vobis. Ioan.8. 323
Cap.4. De vera illorum verborum ſententia, Pater maior me eſt. Ioan.14. 324

Diſputatio quartadecima, & quarta de Patre

An Improceſſibilitas ſit noua, & diſtincta Patris proprietas.D.Bonau.diſt.28. quæſt.4. Alexand.q.64.memb.4. 326

Quæſtio Nona, & Prima de perſona Filij.

Art. 1. An Verbum in Diuinis tantummodo vt notio propria ſumatur. D.Bonau. diſt. 27. par.2.art.1, quæſt.1. D.Tho.quæſt. 34. art.1. 328
Art. 2. An, & quomodo Verbum dicat reſpectum ad creaturas. D.Bonau. q.a. D.Thom. art.3. 333
Art. 3. An ſecundum rationem intelligendi noſtram ſecunda perſona prius ſit Verbũ, quàm notitia, & ſapientia. D. Bonan. quæſt.3. D.Thom.quæſt.34.art.2. 339
Art. 4. An nomen Verbi rectè translatum ſit ad Diuina. D Bonau.quæſt.4.D.Tho.q.33. art.2. ad 4. 342

Diſputatio quintadecima, & prima de Verbo, in octo capita.

Cap.1. De huius vocis Verbi multiplici ſignificatione. 347
Cap.2. De Verbo creato, ac eius neceſſitate. 348
Cap.3. Qua ratione ad Diuina transferatur Verbum. 356
Cap.4. Quot modis in Deo detur Verbum. 357
Cap.5. De vera illorum verborum ſententia. In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbũ, &c. In ipſo vita erat,&c.Ioan.1. 360
Cap.6. An Verbum cognoſcibile ſit cognitione naturali,& quid vetuſtiſſimi Philoſophi de eo cognouerint, & aſſeruerint. 367
Cap.7. Ex quarum rerum cognitione producatur Verbum. 370
Cap.8. An,& quam rationem,& relationem Verbum dicat ad creaturas. 376

Quæſtio Decima, & Secunda de Filio, id eſt de Imagine.

Art. 1. An Imago abſolutum quid, vel relatiuum in Deo dicat.S.Bonauent.diſt.31.par.2. q.1. S.Thom.1.par.q.35.art.1. 378
Art. 2. Vtrum Imago in Diuinis propriè dicatur de Filio. S.Bonauen.quæſt.2. S.Thom. ar.2. 381

Diſputatio ſexdecima, & ſecunda de Filio. De Imagine, in quatuor capita.

Cap.1. Quomodo in Diuinis inueniatur Imago. 382
Cap.2. Cuius ſit imago Filius. 386
Cap.3. Quomodo demonſtretur de Filio Imago. 387
Cap.4. Sub qua ratione determinetur Imago. 391

Quæ-

Digitized by Google

Quæſtio Vndecima.

Diſputatio decimaſeptima.

De imagine naturæ rationalis in hæc capita,

Cap. 1. De vera ex Patribus horum verborum explicatione. Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram. Geneſ. 1. 397
Cap. 2. De ratione perfecta imaginis. 396
Cap. 3. De obiecto, & prototypo imaginis animæ rationalis, An ſit præciſè Deus. 399
Cap. 4. De quaſi ſubiecto eiuſdem imaginis, & natura, in qua inuenitur. 400
Cap. 5. De extremo diſcrimine, & maxima differentia inter æternam Filij Dei Patris, & creaturæ rationalis imaginem. 404
Cap. 6. Quam dignitatem dicat in homine imaginia creatæ ratio. 405
Dubitatio. An imago, aptitudo, & capacitas Angelica, & humana, naturalis expleta, & repleta ſit in prima ſanctificatione, & ſupernaturalis in glorificatione. 407

Quæſtio Duodecima, & Prima de Spiritu Sancto.

Art. 1. An nomen Spiritus Sancti ſit tertiæ perſonæ proprium. S. Bonau. diſt. 10. q. 3. S. Thom. quæſt. 36. art. 1. 410
Art. 2. Vtrum Spiritus Sanctus procedat à Patre & Filio. S. Bonau. diſt. 11. quæſt. 1. S. Tho. citata quæſt. art. 2. 415

Diſputatio decima octaua, & prima de Spiritu Sancto, in tria capita.

Cap. 1. De ſchiſmate Græcorum de hac re, quo ſcilicet tempore cœperit, quo conſummatum. 425
Cap. 2. Quàm Canonica, & orthodoxa, & propriè explicata fuerit fidea per illam additionem, Filioq; procedit. 428
Cap. 3. Quàm efficax ſit ad hanc veritatem confirmandam S. Bonau. ratio. 430
Art. 3. An Spiritus Sanctus procedat à Patre, & Filio, tamquam ab vno principio. S. Bonau. quæſt. 2. S. Thom. art. 4. 437
Art. 4. Vtrum Pater & Filius poſsint dici vnum principium Spiritus Sancti. S. Bonauen. diſt. 29. quæſt. 1. S. Tho. eod. art. 4. 440
Art. 5. An Pater, & Filius ſint vnus ſpirator, & an ſint idem principium. S. Bonau. q. 2. S. Thom. ibid. ad 6. 443

Diſputatio decimanona, & ſecunda de Spiritu Sancto. De vnitate principij Spiritus Sancti, in hæc capita.

Cap. 1. De principio quo. 445
Cap. 2. De principio quod Spiritus Sancti, quomodo ad inuicem ſe habeant Pater & Filius, & quid ſit. 450
Cap. 3. An Pater & Filius Spiritus Sancti poſsint duo ſpiratores nuncupari. 454
Cap. 4. De modo dicendi, & quàm legitimè dicatur, Pater & Filius ſunt vnum principium Spiritus Sancti. ibid.

Quæſtio Tertiadecima. De modo procedendi Spiritus Sancti.

Art. 1. An Spiritus Sanctus à Patre prius quàm à Filio procedat. S. Bonau. diſt. 12. quæſt. 1. art. 1. S. Thom. ibid. art. 2. 458
Art. 2. An plenius à Patre quàm à Filio. S. Bonau. diſt. 12. q. 2. S. Tho. q. 36. art. 3. ad 2. 459
Art. 3. Vtrum Spiritus Sanctus procedat à Patre mediante Filio. S. Bonau. q. 3. S. Thom. quæſt. 33. art. 3. 461
Art. 4. An Spiritus Sanctus ſit ingenitus. S. Bonauen. diſt. 13. quæſt. 4. S. Thom. vbi ſupra, art. 4. 464

Quæſtio Quartadecima. De Spiritu Sancto vt eſt Amor.

Art. 1. An Charitas & Amor ſit proprietas Spiritus Sancti. S. Bonau. diſt. 10. art. 2. q. 1. S. Thom. quæſt. 37. art. 1. 466
Art. 2. An Amor perſonalis, qui eſt Spiritus Sanctus, ſit propriè nexus, S. Bonau. vbi ſupra q. 2. S. Thom. 1. par. q. 37. art. 1. ad 3. & 1. Sent. diſt. 10 q. 1. art. 3. 472
Art. 3. An Pater & Filius diligant ſe Spiritu Sancto. S. Bonau. diſt. 32. quæſt. 1. S. Thom. quæſt. 37. art. 2. 479

Diſputatio vigeſima, & tertia de Spiritu Sancto, De veritate huius propoſitionis, Pater & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto, in hæc capita.

Cap. 1. Ab omnibus amplexanda hæc propoſitio; & qua certitudine. 486
Cap. 2. Varia Theologorum interpretatio ſupradictæ propoſitionis. 487
Cap. 3. Melior opinio proponitur, & probatur. 489
Cap. 4. Obiectiones oppoſitæ eneruantur. 490
Cap. 5. Soluuntur quinque dubitationes corollariæ. 493

Quæſtio Quintadecima. De Spiritu Sancto vt eſt donum.

Art. 1. Vtrum Donũ ſit proprietas Spiritus Sancti. S. Bonau. diſt. 18. quæſt. 4. S. Thom. quæſt. 38. art. 2. 494
Art. 2. An Donum ſit diſtinctiua proprietas Spiritus Sancti, S. Bonau. quæſt. 5. S. Thom. art. 2. 497
Art. 3. An Spiritus Sanctus ſit donum ab æterno, vel in tempore. S. Bonau. quæſt. 2. Alex. quæſt. 64. memb. 2. 500
Art. 4. Quid conuenientius de Spiritu Sancto dicatur,

catur, donum, an datum. S.Bonau. q.3. S.Thom.art.2. 501
Art. 5. An Spiritus Sanctus ita ſit donum, vt omnia in ipſo donentur. S.Bonau. quæſt.2. S.Thom.art.2. 503
Art. 6. An Spiritus Sanctus ratione donabilitatis dicatur Spiritus noſter. S.Bonauen. quæſt.6. S.Thom.ead.diſt.art.5. 505

Diſputatio vigeſimaprima, & quarta de Spiritu Sancto vt donum, in hæc capita.

Cap.1. Quid ſit donum. 509
Cap.2. An doni ratio in Diuinis inueniatur. 511
Cap.3. Quomodo donum in Deo accipiatur, abſolutène, an relatiuè, & quid ſignificet. 512
Cap.4. Quam proprietatem dicat donum in Spiritu Sancto. 515
Cap.5. An Spiritus Sanctus ab æterno ſit donum datum. 518
Cap.6. Duo corollaria. 519

Quæſtio Sextadecima. Quomodo ſe habeat perſona ad eſſentiam comparata.

Art. 1. Quomodo ſe habeat perſona ad eſſentiam comparata, An ſcilicet cum ea componat. S.Bonau.diſt.3.q.1. & alibi. S.Tho. quæſt.3 2. art.1. & 2. 523
Art. 2. An Diuinæ perſonæ, & natura ad inuicem prædicentur. S. Bonau. quæſt.2. S.Tho, art.3. 527
Art. 3. Verum in Diuinis rectè admittantur appropriata. S.Bonau.q.3. S.Tho.ar.8. 530
Art. 4. An æternitas Patri, ſpecies Filio, vſus Spiritui Sancto rectè attribuatur. S.Bonau. diſt.3 1.art.3. S.Thom.art.8. &c. 535
Art. 5. An rectè translatitia aſſumantur in Deo. D.Bonau.diſt.3 4. art.4. S.Thom.1.par. quæſt.1.art.8. 536

Quæſtio Decimaſeptima. De Diuinis perſonis comparatis ad actus notionales.

Art. 1. An illi actus ſint voluntarij. D. Bonauen. diſt.6.q.2. D.Thom. q.41 art.2. 539
Art. 2. An generatio Filij ſit neceſſaria. D.Bonauent.q.1. D.Thom.art.2. 542

Diſputatio vigeſimaſecunda. De actibus notionalibus, in hæc capita.

Cap.1. Qui, & quot ſint, & quomodo ſe ad inuicem habeant, ac prædicentur de Diuinis perſonis. 545
Cap.2. An ſit naturalis actus generationis, vel neceſſarius, vel voluntarius. 547
Cap.3. De vera explicatione illorum verborum D.Pauli ad Coloſ. 1. Tranſtulit in Regnum filij dilectionis ſuæ. 549
Cap.4. An actus notionalis ſpirationis ſit liber. 550
Cap.5. An prius ratione concipiatur voluntas generandi, & ſpirandi, quàm ipſa generatio, & ſpiratio. 551
Art. 3. An actus notionalis ſit de aliquo. D. Bonau.diſt.5.q.2. D.Thom.q.41.ar.3. 553

Quæſtio Decimaoctaua. De horum actuum principio productiuo.

Art. 1. An, & quid ſit potentia productiua in Diuinis. S.Bonauent.diſt.7.quæſt.1. & 2. D.Tho.q.41.art.6. 559

Diſputatio vigeſimatertia, in hæc capita.

Cap.1. An in Diuinis admittenda potentia ad actus notionales. 563
Cap.2. Quid ſit hæc potentia. 565
Cap.3. De termino formali productionis Diuinæ, & actuum notionalium. 568
Cap.4. Cuius ſuppoſiti ſit. 570

Quæſtio Decimanona. De eadem potentia generandi ad actum creandi, tum actiuè, tum paſſiuè comparata.

Art.1. & Dubitatio 1. An potentia generandi, & creandi ſit vna & eadem. D.Bonau.diſt. 7.quæſt.3. S.Thom.art.6. & 1.Sent.diſt. ſ... quæſt.1. 575
Art.2. & Dubitatio 2. An in quo diſtinguuntur, vtraque potentia dicatur vniuocè, an analogicè. D.Bonau.q.4. Ibid.
Art.3. & Dubitatio 3. Qua analogia conueniant terminus productionis Diuinæ, & creationis. D.Bonau. ibid. D.Thom.1.par. quæſt.13.art.5. 577
Art.4. & Dubitatio 4. An generandi potentia cadat ſub potentia creandi, vt ad Diuinã ſpectet omnipotentiam, & ideò Pater poſſit generare, quia omnipotens. D. Bonau. dubijs litt.1. & 2. D.Tho. q.41. art.2. & de Poten.q.2.art.5. & 1. Sent. diſt.7. q.1.art.1. & alibi. 581

Quæſtio Vigeſima. De æqualitate, & ſimilitudine Diuinarum perſonarum.

Art. 1. An Diuinæ potentiæ ſint æquales, & ſummè æquales. D.Bonau.diſt.19. q.1. & 2. D.Thom.q.42.art.1. 588
Art. 2. An hæc æqualitas ſit mutua, ac reciproca. D.Bonau.q.3. D.Tho.art.1. 591

Diſputatio vigeſimaquarta. De æqualitate Diuinarum perſonarum, in hæc capita.

Cap.1. Verum vna eſſentia ſit in tribus. 592
Cap.2. & Art.3. An Filius ſit coæternus Patri, & in æternitate æqualis. D.Bonau.diſt.9. q 3 & 4. D.Tho.q.42.art.2. 594
Cap.3. & Art.4. An inter Diuinas perſonas detur ordo nõ officiens æqualitati. S.Bonau. diſt.

diſt.20.art.2.q.1.& 2. D.Thom. vbi ſupra, art.3. 599
Cap.4.& Art.5. An, & quomodo Diuinæ perſonæ in magnitudine, & perfectione ſint æquales. D.Bonau.diſt.19.q.1.D.Thom. vbi ſupra art.4. 605
Cap.5.& Art.6. An in Diuinis ſit æqualitas cum circumincefsione. S.Bonau.diſt.19.q.4. D.Thom.art.5. 606

Diſputatio vigeſimaquinta. De Circumincefsione, in hæc capita.

Cap.1. De vera interpreratione illorum verborum: Ego in Patre, & Pater in me eſt. Ioan. 14. 609
Cap.2. An perſonæ Diuinæ mutuo ſecundum ſe totas inexiſtant. 611
Art.7.& Cap.6. An Diuinæ perſonæ ſint æquales in potentia. D.Bonau.diſt.20.q.1.& 2. D.Thom. art.6. 613

Secunda Pars quæſtionis. De æqualitate diuinarum perſonarum, nimirum de ſimilitudine. D. Bonau, diſt. 21. cum reliquis Doctoribus.

Art. 1. Diuinæ perſonæ ſunt adeò æquales, vt ſint omninò ſimiles. 616
Art. 2. Quid ſit hæc ſimilitudo. D. Bonau. q.1. D.Thom.q.42.art.1. 618

Diſputatio vigeſimaſexta. An hæ relationes ſimilitudinis, &c. ſint reales, vel tantum rationis, in hæc capita.

Cap.1. Status Quæſtionis. 621
Cap.2. Quæſtionis deciſio. 622
Cap.3. Ad oppoſita argumenta reſponſio. 624
Art. 3. An hæc relatio ſimilitudinis ſit mutua. D.Bonau.q.3. D.Tho.art.1.ad 3. 625

Tertia Pars eiuſdem Quæſtionis.

Art.1. An concedendum in Diuinis totum integrale. D.Bonau.diſt.19.par.2.q.1.ibid. D.Thom.& reliqui Sententiarij. 627
Art. 2. De numero Dininarum perſonarũ, quod nõ tollat eandem æqualitatem, & ſimilitudinem. D.Bonauen.quæſt.4. Alex. quæſt.45.memb.1. 631

Diſputatio vigeſimaſeptima. De numero, in hæc capita.

Cap. 1. De numero in communi. 633
Cap. 2. De numero Diuino. 636
Cap.3. De qualitatibus huius numeri. 638
Cap.4. Quibus terminis explicetur hic numerus in Diuinis. 640

Quæſtio Vigeſimaprima. De Miſsione Diuinarum perſonarum, in hæc capita diſtributa.

Art.1.& Cap.1. An, & quid ſit iſthæc miſsio. D. Bonau.diſt.15.quæſt.1.D.Thom. quæſt. 43.art.1. 643
Art.2.& Cap.2. Quibus perſonis competat mitti, & primò, An Patri. D.Bonau. q.3. D.Thom.art.4. 649
Art.3.& Cap.3. Quotuplex ſit miſsio. D.Bonau. diſt.14.q.2. & alibi. D.Thom.q.cit. & diſt. 14.art.2. 658
Art.4.& Cap. 4. An Spiritus Sanctus in dono mittatur, aut etiã in perſona. S.Bonau. diſt.14.quæſt.3. S.Thom.ibid.& art.2. quæſt.43. 662

Dubia quædam ſoluuntur.

Dub. 1. An quãdo mittitur aliqua perſona, ſemper cum gratia iuſtificante mittatur. D.Bonau.diſt.15.q.5.D.Tho.ar.3. 665
Dub. 2. An hæc veritas ſit tantæ certitudinis, vt oppoſitũ implicet contradictionẽ. 666
Dub. 3. Cum mittatur perſona, & gratia; quæritur quid primò mittatur, & quo ordine. 667
Dub. 4. Cur ſic mitti Spiritus Sancti perſona diſtinctè aſſeratur, cùm tres perſonæ veniant, & à tribus effectus ille certò efficiatur. D.Bon.q.6.vberrimè. ibid.
Dub.5. An Diuinæ perſonæ non ſolum mittantur ad iuſtificandum, ſed etiam ad iuſtificati augendam gratiam. D.Bonauent. quæſt. vlt. 669
Dub. 6. An in ſanctiſsima anima Chriſti, & humanitate ſactæ ſint miſſiones, de quibus hic. 671
Dub.7. An ſimilis miſsio facta ſit in Angelis. 672
Dub.8. An ad iuſtificãdos homines veteris legis huiuſmodi miſsiones factæ ſint. ibid.
Art.5.& Cap.5. De Miſsione viſibili, Quid ſit hæc miſsio. D.Bonau. diſt.16.quæſt.1. D.Thom.ibid. & art.7. ibid.
2.Pars huius Cap. Propter quid huiuſmodi viſibiles miſsiones factæ ſint. D.Bonauent. quæſt.2. D.Thom.art.7. 678
3.Pars Cap. Quotuplex fuerit miſsio viſibilis. D.Bonau.q.3. D.Tho.art.7. 680

Quæſtio Vigeſimaſecunda, & Diſputatio de Diuinitate Filij, & Spiritus Sancti.

Cap.1. De Diuinitate Filij 686
Cap.2. De dogmate Arriano, & eius origine. 695
Cap.3. In quo quædam Arrianorum obiecta ſoluuntur. 696
Cap.4. De Spiritus Sancti Diuinitate. 699
Cap.5. In quo quædam hæreticorum argumenta euertuntur. 706

INDEX LOCORVM SACRAE SCRIPTVRAE,

QVAE IN HOC PRIMO TRACTATV DE Trinitate, vel fuſius, vel aliquo modo explicantur.

Animaduertendum autem, aliqua loca, & aliqua locorum verba mutata eſſe ab ijs, quæ in libro aliqua inaduertentia poſita fuere: ſed ſtandum Indici; in eo enim oculatius omnia, & ſingula viſa, & attentius inſpecta, correcta, locata ſunt.

Geneſis.

Cap.1. IN principio creauit Deus cælum, & terrã. pag.21,51. 204.218.219. 322. 362,365, 429.470, 694
2 Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas. 215. 701. 708
26 Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram. 1.13,14.22.59.106. 225, 242. 252. 379.380.384.392. diffuſè vſque ad 406. 429. 588. 665
27 Et creauit Deus hominem ad imaginem ſuam, ad imaginem Dei creauit illum, &c. 396.400, 401. 404. Maſculum, & fœminam creauit eos. 393
28 Creſcite. & multiplicamini, & replete terram, & dominamini, &c. 394.403
Dominamini piſcibus maris, & volatilibus cæli, & vniuerſis animantibus, quæ mouentur ſuper terram. 406
29 Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem ſemen ſuper terram, & vniuerſa ligna, quæ habent in ſemetipſis ſementem generis ſui, vt ſint vobis in eſcam. 403
31 Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. 483
Cap.2.7. Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ. 406
Inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ. 415.701
19 Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, & vniuerſis volatilibus cæli, adduxit ea ad Adam, vt videret quid vocaret ea: omne enim quod vocauit Adam animæ viuentis, ipſum eſt nomen eius. 406
23 Hoc nunc os ex oſſibus meis, &c. 406
Cap.5.3. Adam genuit ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam. 59.395
Cap.6.7. Pœnitet enim me feciſſe eos. 709
Cap.9.3. Omne quod mouetur, & viuit, erit vobis in cibum: quaſi olera virentia tradidi vobis omnia. 403
Cap.11.5. Deſcendit autem Dominus vt videret ciuitatem. 698
Cap.15.1. Ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis. 403.407. 512
Cap.18.1. Apparuit autem ei Dominus in conualle Mambre, ſedenti in oſtio tabernaculi ſui. 221. & ſeq. diffuſè explicatur.
3 Domine ſi inueni gratiam in oculis tuis, &c. 677
10 Habebit filium Sara vxor tua. 222
21 Deſcendam, & videbo vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint: an non eſt ita, vt ſciam. 698
Cap.19.1. Veneruntq; duo Angeli Sodomam veſpere. 221
13 Eo quod increuerit clamor eorum coram Domino: qui miſit nos vt perdamus illos. 223
24 Igitur Dominus pluit ſuper Sodomam, & Gomorrham ſulphur, & ignem à Domino de cælo. 22.223
Cap.24.2. Pone manum tuam ſubter femur meum. 693
Cap.32.26. Dimitte me, iam enim aſcendit aurora. 677
29 Cur quæris nomen meum? 24
30 Vocauitq; nomen loci illius Phanuel, dicens: Vidi Deum facie ad faciem, & ſalua facta eſt anima mea. 223.383

Exodus.

Cap.3.2. Apparuit ei Domminus in flãma ignis de medio rubi. 223
13 Si dixerint mihi, quod eſt nomen eius? quid dicam eis? Dixit Deus ad Moyſen: Ego ſum qui ſum. Sic dices filijs Iſrael, &c. 169..170
14 Ego ſum qui ſum. 25. 176. 179. 204. 531, 691
Qui eſt, miſit me ad vos. 183.204.420
15 Dixitq. iterum Deus ad Moyſen: Hæc dices filijs Iſrael: Dominus Deus patrum veſtrorum, Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob, miſit me ad vos: hoc nomen mihi eſt in æternum, &c. 171
Cap.6.2. Ego Dominus, qui apparui Abraham, Iſaac,

Digitized by Google

Iſaac, & Iacob in Deo omnipotente, & nomen meum ADONAI non indicaui eis. 171.221

Cap.9.5. *Cras faciet Dominus verbum iſtud in terra.* 347

Cap.16.16. *Colligat vnuſquiſque ex eo quantum ſuffiest ad veſcendum: Gomor per ſingula capita, &c.* 408

Cap.20.3. *Non habebis Deos alienos coram me.* 22. 205

Cap.21.4. *Sin autem Dominus dederit illi vxorem.* 22

Cap.32.5. *Cras ſolemnitas Domini eſt.* 211

Cap.33.11. *Loquebatur autem Dominus ad Moyſen facie ad faciem.* 12

20 *Non enim videbit me homo, & viuet.* ibid.

Leuiticus.

Cap.6.12. *Ignis in altari ſemper ardebit, quem nutriet Sacerdos ſubijciens ligna mane per ſingulos dies.* 232

Numeri.

Cap.11.16. *Congrega mihi ſeptuaginta viros de ſenibus Iſrael, &c. & auferam de ſpiritu tuo, tradamq; eis, vt ſuſtentent tecum onus populi.* 339.506.708

Cap.14.20. *Propitius ei ſum iuxta verbum tuũ: ſed viuo ego, & viuens nomen meum, & implebit gloria Domini omnem terram (iuxta Septuaginta Interpretes.)* 22

Deuteronomium.

Cap.4.35. *Vt ſcires quoniam Dominus ipſe eſt Deus, & non eſt alius præter eum.* 207

Cap.6.4. *Audi Iſrael, Dominus Deus noſter, Dominus vnus eſt.* 110. 143. 204. 207. 686. 692

Cap.32.2. *Concreſcat vt pluuia doctrina mea.* 683

12 *Dominus ſolus dux eius fuit.* 590

17 *Immolauerunt dæmonijs, & non Deo.* 211

18 *Deum, qui te genuit, dereliquiſti, & oblitus es Domini creatoris tui.* 211

Ioſue.

Cap.24.19. *Non poteritis ſeruire Domino: Deus enim ſanctus, &c.* 205

Liber Iudicum.

Cap.11.12. *Et miſit nuncios ad Regem filiorum Ammon, qui ex perſona ſua dicerẽt.* 145

Liber Primus Regum.

Cap.1.1. *Fuit vir vnus de Ramathaimoſphim.* 261

Cap.2.2. *Non eſt ſanctus vt eſt Dominus, neque enim eſt alius extra te.* 110. 207

Cap.3.11. *Ecce ego facio verbum in Iſrael, quod quicumque audierit, tinnient ambæ aures eius.* 347

Cap.16.7. *Homo videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor.* 692

2. Regum.

Cap.7.23. *Quæ eſt autem, vt populus tuus Iſrael, gens in terra, propter quam iuit Deus, vt redimeret eam ſibi in populum.* 22

Cap.23.2. *Spiritus Domini locutus eſt per me, & ſermo eius per linguam meam. Dixit Deus Iſrael mihi, &c.* 706

3. Regum.

Cap.8.39. *Quia tu noſti ſolus cor omnium filiorum hominum.* 692

Cap.19.11. *Ecce Dominus tranſit, & ſpiritus grandis, & fortis.* 411

4. Regum.

Cap.2.9. *Dixitq; Eliſeus: Obſecro vt fiat in me duplex ſpiritus tuus.* 708

Iob.

Cap.6.4. *Quarum indignatio ebibit ſpiritum meum.* 411

Cap.12.4. *Inuocabit Deum, & exaudiet eum.* 204

Cap.14.4. *Quis poteſt facere mundum de immũdo conceptum ſemine? nonne tu, qui ſolus es?* 693

Cap.17.1. *Spiritus meus attenuabitur.* 700

Cap.19.25. *Scio enim quod Redemptor meus viuit, & in nouiſsimo die de terra ſurrecturus ſum, & in carne mea videbo Deũ Saluatorem meum.* 693

Cap.23.13. *Ipſe enim ſolus eſt.* 43

Cap.32.8. *Spiritus eſt in hominibus. & inſpiratio omnipotentis dat intelligentiam.* 415

Cap.33.4. *Spiritus Dei fecit me, & ſpiraculum omnipotentis viuificauit me.* 221.702

Cap.34.14. *Spiritum illius, & flatum ad ſe trahet.* 700

Cap.36.2. *Adhuc enim habeo quod pro Deo loquar.* 204

Pſalmi.

2.6. *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum eius.* 692

3. *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu; ego hodie genui te.* 22. 31. 33. 345. 470. 558. 595. *vſque ad* 599. 688. 689

Pſ.4.7. *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine.* 406

Pſ.8.1. *Domine Dominus noſter, quàm admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra?* 220
Pſ.9.8. *Dominus in æternum permanet.* 597
11. *Et ſperent in te qui nouerunt nomen tuum.* 43
Pſ.10.8. *Quoniam iuſtus Dominus, & iuſtitias dilexit.* 660
Pſ.13.2. *Non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum.* 365
Pſ.15.5. *Dominus pars hæreditatis meæ.* 507
Pſ.17.32. *Quis Deus præter Deum noſtrum?* 110. 207
Pſ.18.8. *Lex Domini immaculata conuertens animas: teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans paruulis.* 683
Pſ.21.7. *Ego autem ſum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis.* 325.693
Pſ.22.5. *Calix meus inebrians quàm præclarus eſt?* 408
Pſ.28.7. *Vox Domini concutientis deſertum.* 31
Pſ.32.6. *Verbo Domini cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum.* 219. 402.588.701.702.704.707
Pſ.35.9. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ.* 408
10. *Quoniam apud te eſt fons vitæ.* 33
Pſ.36.24 *Cum ceciderit non collidetur, quia Dominus ſupponit manum ſuam.* 175
Pſ.38.4. *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardeſcet ignis.* 668
6. *Verumtamen vniuerſa vanitas omnis homo viuens: verumtamen in imagine pertranſit homo.* 225.393
Pſ.39.9. *In capite libri ſcriptum eſt de me, vt facerem voluntatem tuam: Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.* 218.531.692.699
Pſ.44.1. *Eructauit cor meum verbum bonum,* 688
7. *Sedes tua Deus in ſæculum ſæculi, virga directionis, virga regni tui.* 22
Pſ.47.8. *In ſpiritu vehementi conteres naues Tharſis.* 700
Pſ.49.1. *Deus Deorum Dominus locutus eſt.* 220
Pſ.50.13. *Et ſpiritum ſanctum tuum ne auferas à me.* 700
Pſ.52.3. *Deus de cælo proſpexit ſuper filios hominum, vt videat ſi eſt intelligens, aut requirens Deum.* 698
Pſ.58.18. *Deus meus miſericordia mea* 468
Pſ.59.14. *In Deo faciemus virtutem.* 700
Pſ.61.12. *Semel locutus eſt Deus, duo hæc audiui, &c.* 219.346
Pſ.66.8. *Benedicat nos Deus, Deus noſter, benedicat nos Deus, & metuant eum omnes fines terræ.* 209.219
Pſ.67.19. *Aſcendiſti in altum, cœpiſti captiuitatem, accepiſti dona in hominibus.* 511
21. *Deus noſter Deus ſaluos faciendi.* 693
Pſ.70.5. *Quoniam tu es patientia mea, &c.* 468
Pſ.71.18. *Qui facit mirabilia ſolus.* 691
19. *Replebitur gloria eius omnis terra (ſic legit Pagn.)* 22
Pſ.77.39. *Spiritus vadens, & non rediens.* 411
Pſ.80.9. *Non erit in te Deus recens.* 695
Pſ.81.6. *Ego dixi Dij eſtis, &c.* 694
Pſ.85.10. *Quoniam magnus es tu, & faciens mirabilia, tu es Deus ſolus.* 110.207.691
Pſ.88.27. *Ipſe inuocabit me: Pater meus es tu: Deus meus, &c.* 309
Pſ.92.5. *Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis.* 226
Pſ.93.9. *Qui plantauit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum, non conſiderat?* 31
Pſ.95.5. *Quoniam omnes Dij gentium dæmonia: Dominus autem cælos fecit.* 692
Pſ.97.1. *Cantate Domino canticum nouum, quia mirabilia fecit.* 171
Pſ.99.3. *Scitote quoniam Dominus ipſe eſt Deus: ipſe fecit nos, & non ipſi nos.* 702
Pſ.101.28. *Et ſicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient.* 43.595.696
Pſ.103.24. *Omnia in ſapientia feciſti.* 704
29. *Auertente autem te faciem, turbabuntur: auferes ſpiritum eorum, & deficient, & in puluerem ſuum reuertentur.* 366. 411. 597
30. *Emittes ſpiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ.* 702
Pſ.104.21. *Conſtituit eum dominum domus ſuæ, & principem omnis poſſeſſionis ſuæ, vt erudiret Principes eius ſicut ſemetipſum, &c.* 369
Pſ.109.1. *Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis, donec ponam, &c.* 22. 589. 692. 699
3. *Ex vtero ante luciferum genui te.* 33. 554.558.559. 688
4. *Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.* 688
Pſ.110.10. *Initium ſapientiæ timor Domini.* 505
Pſ.113.4. *Simulachra gentium argentum, & aurum.* 211
Pſ.115.17. *Dirupiſti vincula mea, &c.* 474
Pſ.117.1. *Confitemini Domino quoniam bonus.* 43
Pſ.118.89. *In æternum Domine verbum tuum permanet in cælo.* 359
Pſ.119.5. *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt.* 474
Pſ.138.6. *Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me, confortata eſt, & non potero ad eam.* 12
7. *Quò ibo à ſpiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? ſi aſcendero in cælum, tu illic es.* 383.702
17. *Mihi autem nimis honorificati ſunt amici tui Deus, &c.* 10
18. *Dinumerabo eos, & ſuper arenam multiplicabuntur.* 10
Pſ.141.4. *In deficiendo ex me ſpiritum meum.* 411

Pſ.

Pſ.142.2. *Quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens.* 19.

Pſ.148.8. *Ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum.* 412.

Pſ.149.2. *Lætetur Iſrael in eo, qui fecit eum.* 22.

Prouerbia.

Cap.8.15. *Per me Reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt: per me Principes imperant.* 366.

22. *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum, &c.* 49. 365. 555.

23. *Ab æterno ordinata ſum, & ex antiquis antequam terra fieret. Nondum erant abyſſi, & ego iam concepta eram, &c.* 51. 554. 689.

27. *Quando præparabat cælos, aderam, quando certa lege, & gyro vallabat abyſſos, cum eo eram cuncta componens.* 346. 465.

30. *Et delectabar per ſingulos dies, ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum.* 346.

31. *Et deliciæ meæ eſſe cum Filijs hominũ.* 406.

Cap.9.1. *Sapientia ædificauit ſibi domum.* 555.

Cap.25.27. *Qui ſcrutator eſt maieſtatis, opprimetur à gloria.* 45.

Cap.26.4. *Ne reſpondeas ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, ne efficiaris ei ſimilis.* 696.

Eccleſiaſtes.

Cap.1.2. *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* 393.

Cap.2.12. *Quid eſt homo, vt ſequi poſſit Regem factorem ſuum?* 22.

Cap.3.21. *Si ſpiritus iumentorum deſcendat deorſum.* 411.

Canticum Canticorum.

Cap.1.1. *Oſculetur me oſculo oris ſui.* 664. 702.

Cap.2.1. *Ego flos campi, &c.* 33.

Cap.4.3. *Abſque eo, quod intrinſecus latet.* 45. 204.

7. *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.* 666.

Cap.5.1. *Veniat dilectus meus in hortum ſuum.* 664.

Bibite, & inebriamini chariſsimi. 408.

8. *Vt nunccietis ei quia amore langueo.* 664.

10. *Dilectus meus candidus, & rubicundus, electus ex millibus.* 467.

Cap.8.1. *Quis mihi det te fratrem meum ſugentem vbera matris meæ, vt inueniam te foris, & deoſculer te, & iam me nemo deſpiciat?* 664.

5. *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto delicijs affluens, innixa ſuper dilectum ſuum?* 681.

Liber Sapientiæ.

Cap.1.4. *In maleuolam animam non introibit ſapientia.* 504. 669.

7. *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum.* 429.

Cap.7.26. *Candor eſt enim lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula Dei maieſtatis, & imago bonitatis illius.* 33. 383. 384.

27. *In animas ſanctas ſe transfert, amicos Dei, & Prophetas conſtituit.* 665. 667.

Cap.9.10 *Mitte illam de cælis ſanctis tuis, & à ſede magnitudinis tuæ.* 643. 668.

13 *Quis hominum poterit ſcire conſilium Dei? aut quis poterit cogitare quid velit Deus?* 413.

14 *Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ noſtræ.* 346.

Cap.11.21. *Omnia in menſura, & numero, & pondere diſpoſuiſti.* 231.

25. *Diligis omnia, quæ ſunt, & nihil odiſti eorum, quæ feciſti.* 478.

Cap.13.5. *A magnitudine enim ſpeciei, & creaturæ cognoſcibiliter poterit creator horum videri.* 2.

Cap.14.9. *Similiter autem odio ſunt Deo impius, & impietas eius.* 660.

Cap.15.7. *Figulus de eodem luto fingit quæ munda ſunt in vſum vaſa, & ſimiliter quæ his ſunt contraria.* 407.

11. *Qui inſpirauit illi animam.* 415.

Cap.16.12. *Etenim neque herba, neque malagma ſanauit eos, ſed tuus Domine, ſermo, qui ſanat omnia.* 694.

24. *Creatura enim tibi factori deſeruiens.* 653.

Cap.18.15. *Omnipotens ſermo tuus de cœlo à regalibus ſedibus, &c.* 345. 614.

Eccleſiaſticus.

Cap.1.5. *Fons ſapientiæ verbum Dei in excelſis.* 341.

9. *Ipſe creauit illam in Spiritu Sancto, & effudit illam ſuper omnia opera ſua.* 51.

Cap.13.19. *Omne animal diligit ſimile ſibi.* 49.

Cap.17.1. *Deus creauit de terra hominem, & ſecundum imaginem ſuam fecit illum.* 395.

Cap.18.1. *Qui viuit in æternum, creauit omnia ſimul.* 51.

Cap.24.5. *Ego ex ore altiſsimi prodiui primogenita ante omnem creaturam.* 46. 61. 64. 690.

8. *Gyrum cæli circuiui ſola.* 607.

14 *Ab initio, & ante ſæcula creata ſum.* 49. 554.

Cap.48.1. *Et ſurrexit Elias Propheta, quaſi ignis & verbum ipſius quaſi facula ardebat.* 412.

4. *Sic amplificatus eſt Elias in mirabilibus ſuis, & quis poterit ſimiliter ſic gloriari tibi?* 339.

13. *Elias quidem in turbine tectus eſt, & in Eliſeo completus eſt ſpiritus eius.* 338.

Iſa-

Iſaias.

Cap.6.1. *Vidi Dominum ſuper ſolium excelſum, & eleuatum, & ea, quæ ſub ipſo erant, replebant templum.* 677.

3. *Clamabant alter ad alternm: Sanctns, Sanctus, Sanctus Dominns Dens exercituum.* 22. vſque ad 25. diffuſè, & 48. 219. 678. 686.

9. *Vade, & dices populo huic: audite audientes, & nolite intelligere.* 24.

10. *Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude: ne forte videat oculis ſuis, & auribus ſuis audiat, &c.* 24.

Cap.9.6. *Paruulus natus eſt nobis, & Filius datus eſt nobis.* 505. 512.
Et vocabitur nomen eius, Admirabilis, Conſiliarius Deus, fortis, pater futuri ſæculi, Princeps pacis. 221.

Cap.11.1. *Flos de radice eius aſcendet.* 33.

Cap.12.2. *Ecce Deus Saluator meus.* 693.

3. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris.* 693.

Cap.25.4. *Spiritus robuſtorum quaſi turbo impellens parietem.* 533.

Cap.30.27. *Ecce nomen Domini venit de longinquo.* 221.

28. *Spiritus eius velut torrens inundans, &c.* 411.

Cap.37.16. *Tu es Deus ſolus.* 590.

Cap.40.12. *Quis appendit tribus digitis molem terræ?* 175.

Cap.41.4. *Ego Dominus, primus & nouiſſimus ego ſum.* 297.

23. *Annunciate quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus quia Dij eſtis vos.* 692.

Cap.42.1. *Ecce ſeruus meus, ſuſcipiam eum.* 652.

Cap.43.10. *Ante me non eſt formatus Deus, & poſt me non erit.* 297.

11. *Ego ſum, ego ſum Dominus, & non eſt abſque me Saluator.* 692. 693.

25. *Ego ſum, ego ſum ipſe, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum, &c.* 324. 659. 693. & ſeq.

Cap.44.24. *Ego ſum Dominus, faciens omnia, extendens cælos ſolus, ſtabiliens terram, & nullus mecum.* 692.

Cap.45.8. *Aperiatur terra, & germinet Saluatorem.* 693.

9. *Væ qui contradicit fictori ſuo, teſta de ſamijs terræ. Numquid dicet lutum figulo ſuo, quid facis?* 407.

21. *Deus iuſtus, & ſaluans non eſt præter me.* 692. & ſeq.

Cap.46.4. *Ego feci, & ego feram.* 175.

Cap.48.16. *Et nunc Dominus Deus miſit me, & ſpiritus eius.* 27. 418. 531. 651. 707.

Cap.49.3. *Seruus meus es tu Iſrael, quia in te gloriabor.* 406.

6. *Ecce dedi te in lucem gentium, vt ſis ſalus mea vſque ad extremum terræ.* 693.

Cap.53.8. *Generationem eius quis enarrabit?* 10. 57. 345. 410. 598. 688.

Cap.57.15. *Quia hæc dicit excelſus, & ſublimis, habitans æternitatem.* 597.

Cap.61.1. *Spiritus Domini ſuper me, eo quod vnxerit Dominus me, ad euangelizandum pauperibus miſit me.* 27. 418. 531. 651.

Cap.62.1. *Propter Sion non tacebo, & propter Ieruſalem non quieſcam, donec egrediatur vt ſplendor iuſtus eius, & Saluator eius vt lampas accendatur.* 33. 693.

Cap.64.1. *Vtinam diſrumperes cælos, & deſcenderes &c. vt notum fieret nomen tuum.* 221.

Cap.65.16. *Et qui iurat in terra, iurabit in Deo, Amen.* 695.

Cap.66.9. *Numquid ego, qui alios parere facio, ipſe non pariam? dicit Dominus. Si ego qui generationem cæteris tribuo, ſterilis ero.* 7. 48. 358. 689.

Ieremias.

Cap.7.4. *Templum Domini, templum Domini, templum Domini eſt.* 25.

Cap.10.11. *Dij, qui cælos, & terram non fecerunt, pereant de terra, & de his, quæ ſub cælo ſunt.* 692.

Cap.18.2. *Deſcende in domum figuli, & ibi audies verba mea: & deſcendi in domum figuli, & ecce ipſe faciebat opus ſuper rotam, &c. Numquid ſicut figulus iſte non potero vobis facere?* 407.

Cap.20.9. *Et factus eſt in corde meo quaſi ignis exæſtuans, & clauſus oſſibus meis, & defeci, ferre non ſuſtinens.* 412.

Cap.23.5. *Et ſuſcitabo Dauid germen iuſtum, & hoc eſt nomen, quod vocabunt eum, Dominus iuſtus noſter.* 220.

Cap.24.3. *Ficus bonas, bonas valdè, &c.* 25.

Cap.31.3. *In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te, miſerans.* 521.

Ezechiel.

Cap.1.12. *Vbi erat impetus ſpiritus, illuc gradiebantur.* 701.

27. *Velut aſpectum ignis.* 412.

Cap.10.6. *Sume ignem de medio rotarum.* 412.

Cap.36.26. *Auferam cor lapideum de carne veſtra, & dabo vobis cor carneum.* 221.

Daniel.

Cap.3.45. *Et ſciant quia tu es Dominus Deus ſolus.* 590.

Cap.7.5. *Ecce beſtia alia ſimilis Vrſo in parte ſtetit, & tres ordines erant in ore eius, & in dentibus eius: & ſic dicebant ei: ſurge, comede carnes plurimas.* 217.

Cap.12.4. *Tu autem Daniel claude ſermones, & ſigna librum.* 219.

Cap.

Cap.13.45. *Suſcitauit Dominus Spiritum Sanctum pueri iunioris.* 337.505.507

Oſeas.

Cap.1.8. *Ablactauit eam, qua erat abſque miſericordia.* 666
Cap.2.19. *Sponſabo te mihi in iuſtitia.* 398.666
Cap.12.10. *Et ego viſionem multiplicaui, & in manu Prophetarum aſsimilatus ſum.* 219.538
Cap.13.4. *Ego Dominus Deus tuus, & Saluator non eſt præter me.* 692. *& ſeq.*

Ioel.

Cap.2.19. *Ecce ego mittam vobis frumentum, & vinum, & oleum, & replebimini eis.* 408
24. *Implebuntur areæ frumento, & redundabunt torcularia vino, & oleo.* ibid.
26. *Et comedetis veſcentes, & ſaturabimini.* ibid.
28. *Et erit poſt hæc effundam ſpiritum meũ ſuper omnem carnem.* ibid.
Cap.3.16. *Dominus de Sion rugiet, & de Ieruſalem dabit vocem ſuam, & mouebuntur cæli, & terra.* 692

Amos.

Cap.4.13. *Quia ecce ego firmans tonitruum, & creans ſpiritum, iuxta verſion. Septuag.* 554.706

Michæas.

Cap.5.2. *Et egreſſus eius ab initio, à diebus æternitatis.* 46.345

Habacuc.

Cap.1.11. *Hæc eſt fortitudo eius Dei ſui.* 204
Cap.3.3. *Deus ab Auſtro veniet.* 204
18. *Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Ieſu meo.* 693. *& ſeq.*

Aggæus.

Cap.2.5. *Quoniam ego vobiſcum ſum, dicit Dominus exercituum, & Spiritus meus erit in medio veſtrum.* 707

Zacharias.

Cap.3.8. *Adducam ſeruum meum Orientem.* 652
Cap.4.5. *Et reſpondit Angelus, qui loquebatur in me.* 706
Cap.9.9. *Ecce Rex tuus veniet tibi iuſtus, & Saluator.* 693
Cap.10.1. *Petite à Domino pluuiam in tempore ſerotino, & Dominus faciet niues, & pluuiam imbris dabit eis, ſingulis herbam in agro.* 683
Cap.14.9. *In die illa erit Dominus vnus, & erit nomen eius vnum.* 121

Malachias.

Cap.1.2. *Dilexi Iacob, Eſau autem odio habui.* 692
Cap.3.6. *Ego enim Dominus, & non mutor.* 666
10. *Probate me ſuper hoc, dicit Dominus: ſi non aperuero vobis cataractas cæli, & effudero vobis benedictionem vſque ad abundantiam.* 408

Lib. I. Machabæorum.

Cap.5.1. *Et factum eſt, vt audierunt Gentes in circuitu, quia ædificatum eſt altare, & ſanctuarium ſicut prius, iratæ ſunt valde, & cogitabant tollere genus Iacob.* 216

Matthæus.

Cap.1.1. *Liber generationis Ieſu Chriſti filij Dauid, filij Abraham.* 694
21. *Vocabis nomen eius Ieſum: ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* 693. *& ſeq.*
23. *Vocabunt nomen eius Emmanuel, quod eſt interpretatum Nobiſcum Deus.* 695
Cap.2.15. *Ex Ægypto vocaui filium meum.* 469. *& ſeq.*
Cap.3.17. *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* 126.674.676.683
Cap.4.1. *Ductus eſt Ieſus in deſertum à ſpiritu.* 415.703
4. *Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* 347
10. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies.* 143.704
Cap.5.3. *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.* 683
6. *Beati qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur.* 408
Cap.6.11. *Panem noſtrum ſuperſubſtantialem da nobis hodie.* 520
21. *Vbi enim eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum.* 414.474
Cap.7.22. *Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, &c.* 505.665
Cap.8.26. *Surgens imperauit ventis, & mari, & facta eſt tranquillitas magna.* 691
Cap.11.25. *Et reuelaſti ea paruulis.* 683
27. *Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo.* 46.129.588
Nemo nouit Filium, niſi Pater: neque Patrem quis nouit, niſi Filius, & cui voluerit Filius reuelare. 2.4.12.28.51.61.138.368.420.697.707
28. *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* 242.403

Cap.12.17. *Vt adimpleretur quod dictum eſt per Iſaiam Prophetam dicentem: Ecce puer meus electus, quem elegi, dilectus meus, in quo benè complacuit anima mea.* 652
39. *Generatio mala, & adultera, &c,* 429
50. *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis eſt, ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt.* 508
Cap.13.34. *Et ſine parabolis non loquebatur eis.* 537
35. *Eructabo abſcondita à conſtitutione mũdi.* 538
52. *Ideò omnis Scriba doctus in regno cælorum, ſimilis eſt homini patrifamilias, qui profert de theſauro ſuo noua, & vetera.* 538
Cap.16.4. *Faciem ergo cæli dijudicare noſtis.* 145
16. *Tu es Chriſtus Filius Dei viui.* 209.219. 531.545.679.689.694
Beatus es Simon Bar Iona, quia caro & ſanguis non reuelauit tibi. 2. 4. 11. 28, 420
19. *Tibi dabo claues regni cælorum, & quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis, & quodcumque ſolueris, &c.* 428
27. *Filius enim hominis venturus eſt in gloria Patris ſui.* 698
Cap.17.5. *Adhuc eo loquente ecce nubes lucida obumbrauit eos.* 676
Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui. 126
Cap.19.7. *Quid me interrogas de bono? Vnus eſt bonus Deus.* 653
Cap.20.8. *Voca operarios, & redde illis mercedem.* 496
23. *Sedere autem ad dexteram meam, vel ſiniſtram, non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à Patre meo.* 698
Cap.22.16. *Non enim reſpicis perſonam hominum.* 145
37. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua & in tota mente tua.* 400
42. *Quid vobis videtur de Chriſto? cuius filius eſt? dicunt ei, David. Ait illis: Quomodo ergo Dauid, &c. Si ergo Dauid vocat eum Dominum, quomodo filius eius eſt?* 688
Cap.24.36. *De die autem illa, & hora nemo ſcit, neque Angeli cælorum, niſi ſolus Pater.* 697
Cap.25.34. *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi: Eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare, &c.* 406.471.698
Cap.28.18. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra: euntes ergo docete omnes gentes, &c.* 695
19. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* 22.24. 217.294.309.414.434. 587 603.663.695.700.703

Marcus.

Cap.1.11. *Tu es Filius meus dilectus, in te complacui.* 695
Cap.2.7. *Quid hic ſic loquitur? blaſphemat: quis poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus?* 694
10. *Vt autem ſciatis quia Filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata (ait paralytico) tibi dico: Surge, tolle grabatum tuum, & vade in domum tuam.* 694
Cap 9.24. *Surde, & mute ſpiritus, ego præcipio tibi: exi ab eo.* 691
Cap.12.24. *Nec enim vides in faciem hominum,* 145
32. *Bene Magiſter, in veritate dixiſti, quia vnus eſt Deus, & non eſt alius præter eum.* 207
34. *Ieſus autem videns quòd ſapienter reſpõdiſſet, dixit illi: non es longè à regno Dei.* ibid.
Cap.13.32. *De die autem illo, vel hora nemo ſcit, neque Angeli in cælo, neque Filius, niſi Pater.* 697
Cap.16.15. *Euntes in mundum vniuerſum prædicate Euangelium omni creaturæ.* 12
18. *Super ægros manus imponent, & benè habebunt.* 695

Lucas.

Cap.1.15. *Spiritu Sancto replebitur adhuc ex vtero matris ſuæ.* 408.671
32. *Hic erit magnus, & filius Altiſſimi vocabitur.* 689
35. *Spiritus Sãctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. Ideòq; & quod naſcetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.* 697
36. *Hic menſis ſextus eſt illi, quæ vocatur ſterilis.* 49
37. *Quia non erit impoſſibile apud Deum omne verbum.* 8
70. *Sicut locutus eſt per os Sanctorum, qui à ſæculo ſunt Prophetarum eius.* 706
Cap.2.14. *Gloria in Altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* 22
15. *Tranſeamus vſque Bethlehẽ, & videamus hoc verbum, quod factum eſt, &c.* 347
Cap.3.22. *Deſcendit Spiritus Sanctus corporali ſpecie ſicut columba in ipſum.* 675
Cap.4.18. *Spiritus Domini ſuper me, propter quod vnxit me, euangelizare pauperibus miſit me.* 703
35. *Increpauit illum Ieſus, dicens: Obmuteſce & exi ab eo.* 691
39. *Et ſtans ſuper illam imperauit febri, & dimiſit illam.* 691

41. Exi-

41. *Exibant autem dæmonia à multis clamantia, & dicentia: Quia tu es Filius Dei:& increpans non ſinebat ea loqui.* 15

Cap.6.38. *Menſuram bonam, & confertam, & coagitatam, & ſupereffluentem dabunt in ſinum veſtrum.* 408

45. *Ex abundantia enim cordis os loquitur.* 344

Cap.7.4. *Quia dignus eſt vt hoc illi praſtes* .654

48. Remittuntur tibi peccata. 693

49. *Quis eſt hic, qui etiam peccata dimittit.* ibid.

Cap.8.46, *Nam & ego noui virtutem de me exiſſe* 692

Cap.9.34. *Timuerunt intrantibus illis in nubem.* 675

Cap.10.17. *Domine etiam dæmonia ſubÿciuntur nobis in nomine tuo.* 691

19. *Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſupra ſerpentes,& ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici. ibid.*

22. *Nemo ſcit quis ſit Filius, niſi Pater: & quis ſit Pater,niſi Filius,& cui voluerit Filius reuelare.* 12

29. *Et quis eſt meus proximus?* 241

Cap.11.1. *Domine doce nos orare,&c. Cum oratis dicite, Pater ſanctificetur, &c.* 640

13. *Quanto magis Pater veſter de cælo dabit ſpiritum bonum petentibus ſe?* 708

24. *Cum immundus ſpiritus exierit de homine.* 411

Cap.12.49. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi vt accendatur?* 412

Cap.15.22. *Cito proferte ſtolam primam, & induite illum.* 666

Cap.18.27. *Quæ impoſsibilia ſunt apud homines; poſsibilia ſunt apud Deum:* 8

Cap.20.13. *Quid faciam? mittam filium meum dilectum: forſitan cum hunc viderint, verebuntur.* 698

Cap.23.46. *Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum.* 700

Cap.24.39. *Quia ſpiritus carnem & oſſa non habet,&c.* 412

Ioannes.

Cap.1.1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* 63 .322. 337. 348. *ſed diffuſe ſatis à pag.* 360. *vſque ad* 366. 471. 588. 594. 597. 609

2. *Hoc erat in principio apud Deum.* 364

3. *Omnia per ipſum facta ſunt, &c.* 332. 345. 361. *& diffuſe à* 365. *& ſeq.* 374. 463. 470. 505. 590. 613. 616. 690. *vſque ad* 694. 704. 706

Et ſine ipſo factum eſt nihil quod factum eſt. 365. *& ſeq* 707

4. *In ipſo vita erat.* 346.376

11. *In propria venit, & ſui eum non receperunt.* 699

12. *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.* 666

14. *Verbum caro factum eſt.* 357. 669. 674. 694

Vidimus gloriam eius,gloriam quaſi vnigeniti à Patre. 56.385.445.579. 689

15. *Qui poſt me venturus eſt, ante me factus eſt.* 49.51

16. *Et de plenitudine eius nos omnes accepimus.* 692

18. *Deum nemo vidit vnquam: vnigenitus Filius,qui eſt in ſinu Patris,ipſe enarrauit.* 7. *diligenter explicatur.* 10. *& ſeq.* 56.61.129:345.554.611.689

30. *Poſt me venit vir,qui ante me factus eſt, quia prior me erat.*

32. *Quia vidi Spiritum deſcendentem quaſi columbam de cælo, & manſit ſuper eum.* 675

33. *Super quem videris Spiritum deſcendentem,& manentem ſuper eum,hic eſt qui baptizat.* 422

Cap.2.24. *Eo quod ipſe noſſet omnes, & quia opus ei non erat vt quis teſtimonium perhiberet de homine: ipſe enim ſciebat quid eſſet in homine.* 692

Cap.3.3. *Niſi quis renatus fuerit denuo, non poteſt videre regnum Dei.* 412

5. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei. Quod natum eſt ex carne, caro eſt: & quod natum eſt ex Spiritu, ſpiritus eſt.* 703

8. *Spiritus vbi vult ſpirat, &c.* 410. 412. 507. 512. 701. *& ſeq.*

16. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret.* 35. 56. 64, 385. 504. 511. *& ſeq.* 660. *&* 689

34. *Non enim ad menſuram dat Deus Spiritum.* 407

Cap.4.10. *Si ſcires donum Dei,&c.* 511.708

14. *Fiat in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam,* 702

24. *Spiritus eſt Deus,& eos,qui adorant eum, in ſpiritu & veritate oportet adorare.* 411.415.700. 704

42. *Quia iam non propter tuam loquelam credimus,&c.* 233

Cap.5.18. *Propterea magis quærebant eum Iudæi interficere, quia non ſolum ſoluebat Sabbatum, ſed & patrem ſuum dicebat Deum, æqualem ſe faciens Deo.* 585. 698

19. *Non poteſt Filius à ſe facere quidquam, niſi quod viderit Patrem facientem.* 28. 588. 613. 613

Quæcumque enim ille fecerit, hæc & Filius ſimiliter facit. 325.429590.613. *vſque ad* 615.692.694

20. *Pater enim diligit Filium, & omnia demonſtrat ei,quæ ipſe facit.*521

21. *Sicut enim Pater ſuſcitat mortuos: & viuificat: ſic & Filius quos vult viuificat.* 329.692.699

23. Vt omnes honorificent Filium, ſicut honorificant Patrem: qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem. 127. 325. 644
26. Sicut Pater habet vitam in ſemetipſo, ſic dedit & Filio vitam habere in ſemetipſo. 46.54.617
27. Et poteſtatem dedit ei iudicium facere, quia Filius hominis eſt. 697
30. Non poſſum ego à meipſo facere quidquã. 590
37. Et qui miſit me Pater, ipſe teſtimonium perhibuit de me: neque vocem eius vnquam audiſtis, neque ſpeciem eius vidiſtis, &c. 383
Cap.6.27. Hunc enim Pater ſignauit Deus. 383
45. Omnis, qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me. 668
46. Non quia Patrem vidit quiſquam, niſi is, qui eſt à Deo. 697
50. Sicut miſit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem. 54.418
62. Sciens autem Ieſus apud ſemetipſum, quia murmurarent de hoc diſcipuli eius. 692
64. Spiritus eſt qui viuificat, caro autem, &c. 411. 699. 702
65. Sciebat enim ab initio Ieſus qui eſſent non credentes, & quis traditurus eſſet eum. 692
66. Nemo poteſt venire ad me, niſi fuerit ei datum à Patre meo. 698
Cap.7.16. Mea doctrina non eſt mea, ſed eius, qui miſit me. 304. 417. 420.489.698
29. Ego ſcio eum, quia ab ipſo ſum, & ipſe me miſit. 46.54
37. Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat. Qui credit in me, ſicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ: hoc autem dicebat de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum. 511.702
39. Nondum enim erat Spiritus datus, quia Ieſus nondum erat glorificatus. 672
Cap 8.12. Ego ſum lux mundi. 324
16. Et ſi iudico ego, iudicium meum verum eſt, quia ſolus non ſum: ſed ego, & qui miſit me Pater. 324
24. Si enim nõ credideritis quia ego ſum, &c. 43.324
25. Principium, qui & loquor vobis. 322. & ſeq. diffuſè vſque ad 324. 571
27. Et non cognouerunt quia Patrem eius dicebat Deum. 323. & ſeq.
29. Et qui miſit me, mecum eſt, &c. 418
36. Si ergo vos Filius liberauerit, verè liberi eritis. 699
37. Quia ſermo meus non capit in vobis. 525
42. Ego enim ex Deo proceſſi, & veni. 41.46. 54.323. 694
46. Quis ex vobis arguet me de peccato? 19
55. Ego autem noui eum. 138
56. Abraham exultauit vt videret diem meũ. 221
58. Antequam Abraham fieret ego ſum. 694
Cap.10.15. Sicut nouit me Pater, & ego agnoſco Patrem. 138.611
25. Opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc teſtimonium perhibent de me. 691
29. Pater meus quod dedit mihi, maius omnibus eſt, & nemo poteſt rapere de manu Patris mei. 46.54.97.304.593.694
30. Ego & Pater vnum ſumus. 47. 97. 233. 236. 529. 586.593. 686. & ſeq. ſed crebrius à 690. vſque ad 695. iterum 699. 705. 709
33. De bono opere non lapidamus te, ſed de blaſphemia, & quia tu homo cum ſis, facis teipſum Deum. 593.687. 694
34. Nonne ſcriptum eſt in lege veſtra, quia ego dixi, Dij eſtis? ſi illos dixit Deos, ad quos ſermo Dei factus eſt, & non poteſt ſolui Scriptura: quem Pater ſanctificauit, & miſit in mundum, vos dicitis, quia blaſphemas, quia dixi Filius Dei ſum? 687
37. Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi: ſi autem facio, & ſi mihi non vultis credere, operibus credite, &c. 223. 233.237.691. 694
38. Vt cognoſcatis, & credatis, quia Pater in me eſt, & ego in Patre. 47.50.97.687
Cap.11.50. Expedit vobis vt vnus moriatur homo pro populo. 470
Cap.12.28. Et clarificaui, & iterum clarificabo. 676
40. Excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum, vt non videant oculis, &c. 23
41. Hæc dixit Iſaias quando vidit gloriam eius, & locutus eſt de eo. ibid.
Cap.13.13. Vos vocatis me, Magiſter, & Domine, & bene dicitis: ſum etenim. 693
18. Ego ſcio quos elegerim. 692
19. Dico vobis priuſquam fiat, vt cum factum fuerit, credatis quia ego ſum. ibid.
Cap.14.1. Creditis in Deum, & in me credite, 694
3. Iterum venio, & accipiã vos ad meipſum, vt vbi ſum ego, & vos ſitis. 611
9. Tanto tempore vobiſcum ſum, & non cognouiſtis me: Philippe, qui videt me, videt & Patrem. 24.61.240. & ſeq. 363. 384.389.609. vſque ad 612. & 617
10. Verba, quæ ego loquor vobis, à meipſo non loquor. 522
Pater autem in me manens, ipſe facit opera. 129.132
11. Non creditis quia ego in Patre, & Pater in me eſt? 33.61.121.132. 137. 346. 363. 526.565.606. vſque ad 611.704
16. Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, &c. 35.512.672.680.684
20. In illo die vos cognoſcetis, quia ego ſum in Patre meo, & vos in me, &c. 611
23. Siquis diligit me, ſermonem meum ſeruabit,

bit, & Pater meus diliget eum, & ad eũ veniemus, & manſionem apud eum faciemus. 338.397.407.418.504.511. & ſeq. 650.656.658.663.668.671 692
26. Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo. 414.418.700. 708
Ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia, &c. 64.359.420
28. Pater maior me eſt. 324. diffusè vſque ad 326.588.601. & ſeq. 674.698
31. Sicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio. 653
Cap. 15. 15. Iam non dicam vos ſeruos, ſed amicos, &c. 633.660
16. Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos, & poſui vos vt eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter maneat. 692
26. Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre Spiritum veritatis, qui à Patre procedit. 26. vſque ad 28. 41.46.54.127.224.322.417.644.699.704. 708
Cap. 16. 7. Si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos: ſi autem abiero, mittam eum ad vos. 643. vſque ad 646
13. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem: non enim loquetur à ſemetipſo, &c. 419. 522. 668.673.698
14. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, &c. 331.416.419.692
15. Omnia quaecumque habet Pater, mea ſunt. 129.139.417.420.423.614
19. Modicum & non videbitis me, & iterum modicum, & videbitis me. 611
25. Hac in prouerbijs locutus ſum vobis, venit hora cum iam non in prouerbijs loquar vobis, ſed palam de Patre annuntiabo vobis. 25.217
27. Ipſe enim Pater amat vos, quia vos me amaſtis. 660
28. Exiui à Patre, & veni in mundum. 46. 418. 554
Cap. 17. 1. Pater venit hora, clarifica Filium tuum, vt & Filius tuus clarificet te. 676
3. Hac eſt autem vita æterna, vt cognoſcant te, ſolum Deum verum, & quem miſiſti, &c. 587. & ſeq. vſque ad 591. 697. 707
6. Manifeſtaui nomen tuum hominibus. 23. 205.217
10. Mea omnia tua ſunt, & tua mea ſunt. 129.420.434.694
19 Et pro eis ego ſanctifico meipſum. 651
21. Vt omnes vnum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipſi in nobis vnum ſint. 129. 132. 261. 451. & ſeq. 693
22. Vt ſint vnum, ſicut & nos vnum ſumus. 687
23. Ego in eis, & tu in me, vt ſint conſummati in vnum. 664
Cap. 19. 30. Et inclinato capite tradidit ſpiritum. 700
Cap. 20. 17. Aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum, Deum meum, & Deum veſtrum. 652
22. Hac cum dixiſſet, inſufflauit, & dixit eis: Accipite Spiritum Sanctum, &c. 402. 676.681.701. & ſeq.
28. Dominus meus, & Deus meus. 507. 587. 693. & ſeq.
29. Quia vidiſti me Thoma, credidiſti, &c. 693
Cap. 21. 7. Paſce oues meas, &c. 428

Acta Apoſtolorum.

Cap. 1. 3. Per dies quadraginta apparens eis. 675
16. Oportet impleri Scripturam, quam prædixit Spiritus Sanctus per os Dauid de Iuda. 706
Cap. 2. 2. Factus eſt repente de cælo ſonus, tamquam aduenientis Spiritus vehementis, & repleuit totam domum vbi erant ſedentes: & apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tamquam ignis, &c. 412.676.683
4. Et repleti ſunt omnes Spiritu Sancto. 408. 672
33. Promiſſione Spiritus Sancti accepta à Patre, effudit hunc, quem vos videtis, & auditis. 671
36. Certiſſimè ſciat omnis domus Iſrael, quia & Dominũ eum, & Chriſtum fecit Deus, hunc Ieſum, quem vos crucifixiſtis. 555
38. Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum in nomine Ieſu Chriſti in remiſſionem peccatorum veſtrorum: & accipietis donum Spiritus Sancti. 511
Cap. 3. 6. In nomine Ieſu Chriſti Nazareni ſurge, & ambula. 691
16. In fide nominis eius, hunc, quem vos viditis, & noſtis, confirmauit nomen eius, &c. ibid.
Cap. 5. 3. Anania, cur tentauit Satanas cor tuum mentiri te Spiritui Sancto? Non es mentitus hominibus, ſed Deo. 587.702.706
Cap. 7. 55. Cum autem eſſet plenus Spiritu Sancto. 408
Cap. 8. 18. Cum vidiſſet Simon quia per impoſitionem manuum Apoſtolorum daretur Spiritus Sanctus, obtulit eis pecuniam dicens: Date & mihi hanc poteſtatem, vt cuicumque impoſuero manus, accipiat Spiritum Sanctum. 653. & ſeq.
Cap. 8. 29. Pecunia tua tecum ſit in perditionem, quoniam donum Dei exiſtimaſti pecunia poſſideri. 511
Cap. 9. 3. Et cum iter faceret, contigit vt appropinquaret Damaſco: & ſubitò circumfulſit eum lux de cælo, & cadens in terram audiuit vocem dicentem ſibi. Saule, Saule, quid me perſequeris? 681
15. Vade, quoniã vas electionis eſt mihi iſte,

vt portet nomen meum coram gentibus, & Regibus, & filijs Iſrael. 407
Cap. 10. 34. *In veritate comperi, quia nō eſt perſonarum acceptor Deus.* 145
38. *Quomodo vnxit eum Deus Spiritu Sācto, & virtute.* 671. 703
42. *Quia ipſe eſt, qui conſtitutus eſt à Deo iudex viuorum, & mortuorum.* 697
44. *Adhuc loquente Petro verba hæc, cecidit Spiritus Sanctus ſuper omnes, qui audiebant verbum: & obſtupuerunt ex circumciſione fideles, quia & in nationes gratia Spiritus Sancti effuſa eſt: audiebāt enim illos loquentes linguis.* 511
Cap. 11. 15. *Cum autem cœpiſſem loqui, cecidit Spiritus Sanctus ſuper eos, ſicut & in nos in initio, &c.* 511
17. *Si ergo eandem gratiam (vel vt habet Syriac.) donum, dedit illis Deus, ſicut & nobis, &c.* 511
Cap. 13. 22. *Inueni Dauid filium Ieſſe, virum ſecundum cor meum qui faciet, &c.* 387
Cap. 20. 28. *Attendite vobis, & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quā acquiſiuit ſanguine ſuo.* 694. 699
Cap. 28. 26. *Quia bene Spiritus Sanctus locutus eſt per Iſaiam Prophetam ad patres noſtros, dicens: Vade ad populum iſtum, & dic ad eos: Aure audietis, & non intelligetis.* 24. 706

Epiſt. ad Romanos.

Cap. 1. 19. *Quia quod notum eſt Dei, manifeſtū eſt in illis.* 12. 13
20. *Inuiſibilia enim ipſius à creatura mundi per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, &c.* 2. 3. 5. 12. 88. 105. 200. 225. 233. 343. 392. 536. 578. 679
21. *Quia cum cognouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt.* 2. 211
Cap. 2. 11. *Non enim eſt acceptio perſonarum apud Deum.* 145
Cap. 5. 5. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis.* 35. 470. 495. 504. 512. 519. & à pag. 661. vſque ad 666
Cap. 6. 23. *Gratia autem Dei vita æterna.* 19
Cap. 7. 24. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* 474
Cap. 8. 2. *Lex enim ſpiritus vitæ in Chriſto Ieſu liberauit me à lege peccati, & mortis.* 699
11. *Quod ſi Spiritus eius, qui ſuſcitauit Ieſum à mortuis, habitat in vobis: qui ſuſcitauit Ieſum Chriſtum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora veſtra propter inhabitantem Spiritum eius in vobis.* 702
14. *Quicumque enim Spiritu Dei aguntur, ij ſunt filij Dei.* 415. 520. 666. 699. 701
15. *Non enim accepiſtis Spiritum ſeruitutis iterum in timore, ſed accepiſtis Spiritum adoptionis filiorum.* 666.
17. *Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti.* 398
26. *Ipſe Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* 704. 706
29. *Nam quos præſciuit, & prædeſtinauit cōformes fieri imaginis filij ſui, &c.* 383. 387. 394. 398. 400
Vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus. 690
30. *Quos autem prædeſtinauit, hos & vocauit: & quos vocauit, hos & iuſtificauit: quos autem iuſtificauit, hos & glorificauit.* 409. 692
32. *Qui etiam proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, &c.* 139. 689
Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit? 512. 519
38. *Certus ſum enim quia neque mors, neque vita, &c. poterit nos ſeparare à charitate Dei.* 474
Cap. 9. 5. *Quorum patres, & ex quibus Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula. Amen.* 694. & ſeq.
20. *Numquid dicit figmentum ei, qui ſe finxit: quid me feciſti ſic? An non habet poteſtatem figulus luti ex eadem maſſa facere aliud quidem vas, &c.* 407
Cap. 10. 18. *Ergo fides ex auditu, &c.* 10
Cap. 11. 33. *O altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, quam incomprehenſibilia ſunt, &c.* 57. 412
36. *Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia.* 322. 531
Cap. 12. 3. *Et vnicuique ſicut Deus diuiſit menſuram fidei.* 408
20. *Hoc enim faciens, carbones ignis congeres ſuper caput eius.* 412
Cap. 14. 10. *Omnes enim ſtabimus ante tribunal Chriſti: ſcriptum eſt enim: Viuo ego, dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu, & omnis lingua confitebitur Deo.* 694
Cap. 16. 27. *Soli ſapienti Deo per Ieſum Chriſtum.* 697

Epiſt. I. ad Corinthios.

Cap. 1. 9. *Fidelis Deus, per quem vocati eſtis in ſocietatem filij eius Ieſu Chriſti Domini noſtri.* 360. 692
24. *Prædicamus Chriſtum Dei virtutem, & ſapientiam.* 340. 531
27. *Quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, vt confundat ſapientes. & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia, &c.* 409
Cap. 2. 7. *Loquimur Dei ſapientiam, &c. quam nemo Principum huius ſæculi cognouit.* 15

8. *Si enim cognouiſſent, numquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.* 693

11. *Quæ Dei ſunt, nemo cognouit, niſi Spiritus Dei.* 697.707

12. *Sed Spiritum, qui ex Deo eſt.* 699. 704

14. *Animalis homo non percipit ea, quæ ſunt Spiritus Dei.* 413

Cap.3.8. *Qui plantat, & qui rigat, vnum ſunt.* 261

16. *Neſcitis, quia templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis? Siquis autem templum Dei violauerit, diſperdet illum Deus: templum enim Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos.* 470.666.705

22. *Omnia enim veſtra ſunt: vos autem Chriſti: Chriſtus autem Dei.* 652

Cap.6.19. *Neſcitis quoniam membra veſtra templum ſunt Spiritus Sancti, qui in vobis eſt, quem habetis à Deo, & non eſtis veſtri?* 663.705. *& ſeq.*

20. *Glorificate, & portate Deum in corpore veſtro.* 706

Cap.8.4. *Nullus eſt Deus, niſi vnus.* 686

6. *Nobis tamen vnus Deus, Pater.* 587

Cap.9.24. *Omnes quidem currunt, ſed vnus accipit brauium.* 261

25. *Omnis autem, qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet.* 365

Cap.11.7. *Vir non debet velare caput ſuum, quoniam imago, & gloria Dei eſt: mulier autem gloria viri: non enim vir ex muliere, ſed mulier ex viro.* 384.402. *& ſeq.*

Cap.12.4. *Diuiſiones verò gratiarum ſunt, idem autem Spiritus: & diuiſiones miniſtrationum ſunt, idem autem Dominus: & diuiſiones operationum ſunt, idem verò Deus.* 505.709

11. *Hæc autem omnia operatur vnus, atque idem Spiritus, diuidens ſingulis prout vult.* 512.519.700.702

12. *Et omnes in vno Spiritu potati ſumus.* 511

28. *Et quoſdam quidem poſuit Deus in Eccleſia, primum Apoſtolos, ſecundò Prophetas, tertiò Doctores, deinde virtutes, &c.* 699

Cap.13.3. *Si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* 471

12. *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem.* 4

13. *Nunc autem manent, fides, ſpes, charitas, tria hæc: maior autem horum eſt charitas.* 471

Cap.15.10. *Gratia Dei ſum id, quod ſum, & gratia eius in me vacua non fuit.* 409

21. *Quoniam quidem per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum.* 589

24. *Cum tradiderit regnum Deo, & Patri, &c. Cum autem ſubiecta fuerint illi omnia, tunc & ipſe Filius ſubiectus erit ei.* ibid.

49. *Sicut portauimus imaginem terreni, ſic portemus imaginem cæleſtis.* 398

Epiſt.2. ad Corinth.

Cap.1.4. *Qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra.* 35

18. *Fidelis autem Deus, quia ſermo noſter, qui fuit apud vos, non eſt in illo Eſt, & Non: Dei enim Filius Ieſus Chriſtus, qui in vobis per nos prædicatus eſt per me, & Siluanum, & Timotheum, non fuit Eſt, & Non, ſed Eſt in illo fuit, &c.* 170

21. *Qui vnxit nos Deus: qui & ſignauit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris.* 655

Cap.3.6. *Littera occidit, Spiritus autem viuificat.* 699

17. *Dominus autem Spiritus eſt, & vbi Spiritus Domini, ibi libertas.* 411.699

Cap.4.4. *Deus huius ſæculi excæcauit mentes infidelium, vt non fulgeat illis illuminatio Euangelij gloriæ Chriſti, qui eſt imago Dei.* 383

Cap.5.19. *Quoniam quidem Deus erat in Chriſto, mundum reconcilians ſibi.* 694

Cap.6.16. *Vos enim eſtis templum Dei viui.* 664

Cap.11.45. *Præter illa, quæ extrinſecus ſunt, &c.* 45

Cap.13.13. *Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti, & charitas Dei, & communicatio Sancti Spiritus ſit cum omnibus vobis.* 692. 703

Ad Galatas.

Cap.1.4. *Qui dedit ſemetipſum pro peccatis noſtris.* 511

16. *Continuò non acquieui carni, & ſanguini.* 12

Cap.3.5. *Qui ergo tribuit vobis Spiritum, & operatur virtutes in vobis, &c.* 653

19. *Ordinata per Angelos in manu mediatoris.* 676

Cap.4.4. *At vbi venit plenitudo temporis, miſit Deus Filium ſuum, &c.* 220.643. *vſque ad* 646.662.666

6. *Quoniam autem eſtis filij, miſit Deus Spiritum Filij ſui in corda veſtra, &c.* 415. 417.643.700

7. *Quod ſi filius, & hæres per Deum.* 366

Cap.6.2. *Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti.* 692.699

Ad Epheſios.

Cap.1.10. *In diſpenſatione plenitudinis temporum inſtaurare omnia in Chriſto.* 219

Cap.3.10. *Vt innoteſcat Principatibus, & Poteſtatibus in cæleſtibus per Eccleſiam multiformis ſapientia Dei.* 171
14. *Huius rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, ex quo omnis paternitas in cælis, & in terra nominatur.* 31. 32. 43. 127. 294. 309. 321
Cap.4.3. *Solliciti ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis.* 473
6. *Vnus Deus, & Pater omnium.* 686
7. *Vnicuique autem noſtrum data eſt gratia ſecundum menſurã donationis Chriſti. Propter quod dicit: Aſcendens in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus.* 408. 511
10. *Qui deſcendit, ipſe eſt qui & aſcẽdit ſuper omnes cælos, vt impleret omnia. Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Euangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores.* 699
30. *Nolite contriſtare Spiritum Sanctum Dei.* 708
Cap.6.9. *Perſonarum acceptio non eſt apud Deum.* 145
17. *Et gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei.* 358. *& ſeq.*

Ad Philippenſes.

Cap.1.7. *Eo quod habeam vos in corde, & in vinculis meis.* 414
29. *Quia vobis donatum eſt pro Chriſto, non ſolum vt in eum credatis, ſed etiam vt pro illo patiamini.* 520
Cap.2.6. *Qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, &c.* 325. 385. 585. 587. *& ſeq* 605. *&* 694
7. *Semetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens, &c.* 651. *&* 653
8. *Humiliauit ſemetipſum, factus obediens vſque ad mortem, &c.* 653
9. *Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, &c.* 684
10. *Vt in nomine Ieſu omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris.* 685
21. *Omnes quæ ſua ſunt quærunt.* 365

Ad Coloſſenſes.

Cap.1.13. *Qui eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum filij dilectionis ſuæ.* 448. 468. 474. 549. 553
15. *Qui eſt imago Dei inuiſibilis.* 383. 386. 391. 617
Primogenitus omnis creaturæ. 385. 690
16. *Quoniam in ipſo condita ſunt vniuerſa in cælis, & in terra, viſibilia, & inuiſibilia, &c.* 332. 365
Omnia per ipſum, & in ipſo creata ſunt. 332. 366. 692
17. *Ipſe eſt ante omnes.* 690
Cap.2.3. *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi.* 671. 697
9. *Quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter.* 129. 132. 671. 694
Cap.3.10. *Induentes nouum eum, qui renouatur in agnitionem ſecundum imaginem eius, qui creauit illum.* 398

Epiſt.I. ad Theſſalonicenſes.

Cap.5.23. *Vt integer ſpiritus, & anima, & corpus ſine querela in aduentu Domini noſtri Ieſu Chriſti ſeruetur.* 412. *& ſeq.*

II. ad Theſſelonicenſes.

Cap.3.5. *Dominus autem dirigat corda veſtra in charitate Dei, & patientia Chriſti.* 702

Epiſt.I. ad Timotheum.

Cap.1.17. *Regi ſæculorum, immortali, inuiſibili, ſoli Deo honor. & gloria, &c.* 7
Cap.5.21. *Teſtor coram Deo, & Chriſto Ieſu, & electis Angelis, vt hæc cuſtodias.* 707
Cap.6.15. *Beatus, & ſolus potens, Rex Regum, & Dominus Dominantium, qui ſolus habet immortalitatem.* 697

II. ad Timotheum.

Cap.3.16. *Omnis Scriptura diuinitus inſpirata vtilis eſt ad docendum, &c.* 415
Cap.4.7. *Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui: in reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ.* 406

Ad Titum.

Cap.2.6. *Iuuenes ſimiliter hortare vt ſobrij ſint.* 35
13. *Expectantes beatam ſpem, & aduentum gloriæ magni Dei, & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti.* 694. *& ſeq.*
14. *Qui dedit ſemetipſum pro nobis.* 511
Cap.3.4. *Cum autem benignitas, & humanitas apparuit Saluatoris noſtri Dei.* 221

Ad Hebræos.

Cap.1.1. *Multifariam, multiſq; modis olim Deus loquens patribus in Prophetis, nouiſſimè diebus iſtis locutus eſt nobis in Filio.* 344. 361. 555
2. *Per quem fecit & ſæcula.* 332. 365. 374. 470. 694
3. *Qui cum ſit ſplendor gloriæ, & figura ſub-*

Digitized by Google

ſubſtantia eius. 125.& ſeq. 172. 362. 383. 385. 591. 617
Portansq. omnia verbo virtutis ſuæ. 64. 358
4. Tanto melior Angelis effectus, &c. 555
5. Cui enim dixit aliquando Angelorum, Filius meus es tu, ego hodie genui te? 688
6. Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terrarum. 690
10. Et tu in principio Domine terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt cæli 692
13. Ad quem autem Angelorum dixit aliquando: Sede à dextris meis? ibid.
14 Nonne omnes ſunt adminiſtratorij Spiritus, &c. 700
Cap. 2. 2. Si enim qui per Angelos dictus eſt ſermo, &c. 676
4. Conteſtante Deo ſignis, & portentis, & varijs virtutibus, & Spiritus Sancti diſtributionibus ſecundum ſuam voluntatem. 519
Cap. 3. 1. Conſiderate Apoſtolum, & Pontificem confeſſionis noſtræ Ieſum, qui fidelis eſt ei, qui fecit illum. 555
Cap. 9. 14. Qui per Spiritum Sanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo. 703
Cap. 10. 29. Quanto magis putatis deteriora mereri ſupplicia, qui Filium Dei conculcauerit, & ſanguinem teſtamenti pollutum duxerit, in quo ſanctificatus eſt, & Spiritui gratiæ contumeliam fecerit? ibid.
Cap. 11. 1. Eſt autem Fides ſperandarum ſubſtantia rerum argumentum non apparentium. 10. 175. 536
Cap. 13. 2. Hoſpitalitatē nolite obliuiſci: per hanc enim quidam latuerunt, Angelis hoſpitio receptis. 221. & ſeq.

Epiſt. Cathol. B. Iacobi.

Cap. 1. 17. Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum. 503
Cap. 2. 10. Quicumque totam legem ſeruauerit, offendat autem in vno, factus eſt omnium reus. 5
19. Et dæmones credunt, & contremiſcunt. 16

Epiſt. I. B. Petri.

Cap. 2. 22. Qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius. 653
Cap. 3. 15. Parati ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti vos rationem de ea, quæ in vobis eſt, ſpe. 224
Cap. 4. 8. Quia charitas operit multitudinem peccatorum. 504

Epiſt. II. B. Petri.

Cap. 1. 3. Qui vocauit nos propria gloria, & virtute. 139
16. Non enim doctas fabulas ſecuti, notam fecimus vobis Domini noſtri Ieſu Chriſti virtutem, & præſentiam: ſed ſpeculatores facti illius magnitudinis. 679
21. Spiritu Sancto inſpirati locuti ſunt Sancti Dei homines. 415. 706

Epiſt. I. B. Ioannis.

Cap. 2. 1. Sed & ſi quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem Ieſum Chriſtum, &c. 36
Cap. 3. 1. Videte qualem charitatem dedit nobis Deus, vt Filij Dei nominemur, & ſimus. 398. 666
2. Scimus quoniam cum apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt. 20
14. Qui non diligit, manet in morte. 43. 412
16. In hoc cognouimus charitatem Dei, quoniam ille animam ſuam pro nobis poſuit. 694
Cap. 4. 7. Quia charitas ex Deo eſt. 468. & ſeq.
9. In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam Filium ſuum vnigenitum miſit Deus in mundum. 689
13. In hoc cognoſcimus quoniam in eo manemus, & ipſe in nobis: quoniam de Spiritu ſuo dedit nobis. 469
16. Deus charitas eſt, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. 467, vſque ad 469. & 663
Cap. 5. 7. Tres ſunt qui teſtimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres vnum ſunt. 24. 182. 217, 265. vſque ad 267. 271. 309. 434. 587. 603. 630. & ſeq. 636. 639. 641. 699. 700. 705
Et hi tres vnum ſunt. 76. 97. 261. 236
11. Quoniam vitam æternam dedit nobis Deus: & hæc vita in Filio eius eſt. 376
20. Scimus quoniam Filius Dei venit, & dedit nobis ſenſum, vt cognoſcamus verum Deum, & ſimus in vero Filio eius. Hic eſt verus Deus, & vita æterna. 28. 554. 590. 689. 694. & ſeq.

Epiſt. cathol. B. Iudæ Apoſtoli.

5. Commonere autem vos volo, ſcientes ſemel omnia, quoniam Ieſus populum de terra Aegypti ſaluans, ſecundò eos, qui non crediderunt, perdidit. 691

Apo-

Apocalypſis.

Cap. 1. 5. *Primogenitus mortuorum, &c.* 690

8. *Ego ſum* A, *&* Ω *principium, & finis.* 110. 242. 629. 692. 694

18. *Ego ſum primus, & nouiſſimus, &c.* 571. 694

Cap. 2. 23. *Quia ego ſum ſcrutans renes, & corda.* 692

Cap. 4. 8. *Et requiem non habebant die ac nocte, dicentia: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens; qui erat, & qui eſt, & qui venturus eſt.* 689

Cap. 19. 12. *Habens nomen ſcriptum, quod nemo nouit, niſi ipſe.* 697

13. *Et vocatur nomen eius, Verbum Dei.* 359

Cap. 22. 1. *Et oſtendit mihi fluuium aquæ viuæ, ſplendidum tamquam cryſtallum, procedentem de ſede Dei, & Agni.* 536

21. *Veni Domine Ieſu. Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti cum omnibus vobis. Amen.* 697

Indicis Locorum Sacræ Scripturæ Finis.

DE COGNITIONE SANCTISSIMAE TRINITATIS.

NE vani, & incaſſi ſint conatus noſtri, & Apoſtolico dicto *quaſi aerem verberemus* hic prius patumper ſiſtendum. Si almæ Trinitatis, cuius Theologiam, vtcumq. pro noſtra tenui virili, in Seraphicum Doctorem, Superiorum iuſſu repetito cogente, ac Diuino Numine implorato, explicare, & commentarijs, ac diſputationibus illuſtrare aggredimur, poſſit à viatore vlla cognitio obtineri, ac eius ſtatui competat de hoc eminentiſſimo ſubiecto argumentatio, & denique, vt aiunt, poſſibilis ſit ſcientia, & demonſtratiuus habitus: ſi enim fortaſſe huius tantæ rei omnem noſtrum captum cognitio ſuperuolet, & eam aſſequi nullo nobis medio contingat; quid fruſtra inſudare, & ſub hoc grauiſſimo onere vires infructuosè conterere? & fabulosè, quaſi alterum Aeneam concitare riſus, & in vanum auram, & ſpiritum fugientem conari amplecti? Igitur principio hæc Iſagogica quæſtio proponenda, & ſoluenda: An Diuina Trinitas ſit cognoſcibilis, ac eo præcipuè, quia eſt etiam Ariſtotelicum in Analiticis Poſterioribus præceptum, de vnaquaque re prima, quæ ſoleat excuti, dubitatio eſt, an ſit, aut an ſit poſſibilis non ſolum res, de qua, ſed etiam cognitio, quam adipiſci, & capeſſere quis prætendit.

Quæſtio igitur Prima.

An Sanctiſſima Trinitas ſit cognoſcibilis, & quo lumine D. Bonau. diſt. 3. art. 1. q. 4. S. Thom. 1. par. q. 32. art. 1.

PARAPHRASIS.

PRIMA Propoſitio ex reſponſione ad vltimum. Gemina de Deo, & de quacumque re poteſt eſſe cognitio. Altera ſine diuino, & reuelationis, & fidei adminiculo, hoc eſt merè naturalis, & ſolo luminis rationis ductu acquiſita. Altera cælitus accepta, & fide, & reuelatione adiuta, & eleuata mente creata.

Secunda Propoſitio ex rationibus affirmatiuis. Cognitio ſanctiſſimæ Trinitatis eſt fidei, hoc eſt ex principijs fidei, & probatur: eſt enim ex libris, & codice diuinæ Scripturæ tantum ſumpta, & in ipſis vbique traditur: ergo aliundè haberi non poteſt.

Tertia Propoſitio corollaria ex corpore quæſtionis. Nec naturali lumine, nec ex principijs naturæ, aut creaturarum haberi, aut hauriri poteſt vllo modo cognitio huius celſiſſimi myſterij ſanctiſſimæ Trinitatis. Probatur primò. Cognitio de Deo naturalis ex creaturarum cognitione habetur, nec aliunde: ſed in creaturis nullum ſimile inuenitur: nulla namque creatura eſt, cum vnitate eſſentiæ, trina in perſonis. Secundo. Vnde & prima ratio confirmatur ex D. Dionyſio de Angelica Hierarchia cap. 2. Omnis cognitio de Deo per creaturam, aut eſt per affirmationem, aut per negationem; non poteſt eſſe per negationem; nam de Deo affirmatur Trinitas; non per affirmationem; quia in creaturis nihil ſimile inuenitur. Quod ſi opponas inueniri, & veſtigium Trinitatis in creaturis omnibus, & imaginem in creatura rationali. Reſpondeo, eſſe veſtigium appropriatorum: imaginem verò eſſe quidem propriorum, ſed non cognoſci niſi per fidem, & ex Diuina Scriptura. faciamus hominem ad imaginem, &c. *ex reſponſione ad quartum.*

Quarta corollaria Propoſitio. Quidquid aliqui Philoſophi de ſanctiſſima Trinitate viſi ſunt dixiſſe, aut ex aliquo habitu fidei ſaltem materiali, vt heretici, locutos dicimus, aut dixiſſe, quod non intelligebant, aut ex aliorum ſcriptis colligentes traditione quadam aſſeruiſſe antiquorum fidem, aut aliquo lumine illuſtratos indicaſſe myſterium hoc: aut denique de alia Trinitate ratiocinatos, hoc eſt attributorum, & appropriatorum.

COMENTARIVM.

I DONEE, & admodum conſentaneę dubitationem proponit S. Doctor in tit. quæſtioni præfixo, & non quocumque modo, An Trinitas ſit cognoſcibilis, ſed an naturaliter per creaturas cum vnitate eſſentiæ: certum eſt enim primo cognoſcibilem eſſe, tum per fidem, & reuelationem viatori; tum per intuitum, & apertam viſionem comprehenſori in Patria: neque ideò ſub hac ratione propoſuit, aut proponere potuit quæſitum, ſed ſtrictiori ratione. an cognitione naturali, &c. neque plures, aut diuerſas rationes cognoſcendi ex vi naturæ indicat, cum dicit, an cognoſci poſſit hoc myſterium naturaliter per creaturas, quaſi gemina methodus ſit. altera, qua aliquid naturaliter cognoſcitur, altera qua per creaturas: aut cognitio naturalis de Deo ex duplici capite haberi poſſit, vel ex vi, & principijs naturæ, vel medijs creaturis: conſtans enim veritas eſt inter omnes Doctores, de Deo hominem niſi per creaturas non poſſe vllam conſequi, & capeſſere lumine naturæ cognitionem, & reddit rationem, tum in corpore quæſtionis, tum ſupra quæſt. 2.; ergo quod hic quærit explicatè eſt an ſine lumine cælitus dato poſſit viator ſolo lumine naturæ ſanctiſſimæ Trinitatis in vnitate eſſentiæ cognitionem attingere, & eruditè hinc indè propoſitis rationibus, negatiuè ſoluit, multa ſimul ſcitè ediſſerens.

Eſt communis Theologorum tum dubitatio, tum ſolutio, diuina teſtante Scriptura, Matt. 16. *Tu es Chriſtus Filius Dei viui. Beatus es Simon Bariona, quia caro, & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus, qui in cœlis eſt*, & Matt. 11. *Nemo nouit Filium, niſi Pater, neque Patrem, niſi Filius, & cui voluerit Filius reuelare*. Et alibi ſæpe Ratio verò adhuc communis, quare per lumen naturale, non ſit cognoſcibilis Deus Trinus ſub hac ratione, quia Trinus eſt. Quidquid de Deo, lumine naturali, cognoſcit homo, eſt medijs creaturis; ſed creaturæ non repræſentant, nec repræſentare poſſunt, ſub hac ratione, Deum; ergo ex ipſis Deum non cognoſcit homo; maiorem argumenti propoſitionem probat Sanctus Doctor ſupra quæſt. 2. Primo Sapient. 13. *A magnitudine ſpeciei, & creaturæ cognoſcibiliter poterit Creator horum videri*. Secundo ex Ariſt. 3. de Anima text. 30. & 39. Senſibile eſt via cognoſcendi intelligibile; ſed creatura eſt ſenſibilis, & Deus eſt intelligibilis; ergo per creaturam deuenitur in cognitionem Creatoris. Tertio, ratione in corpore quæſtionis, eaque duplici. Prima conuenientiæ: nam creatura omnis imitatur Deum, Deoq. ſimilis eſt, vt effectus ipſius Dei: ergo in Dei cognitionem deducere poteſt. Secunda indigentiæ: nam Deus tanquam lux ſumme ſpiritualis non poteſt cognoſci in ſua ſpiritualitate ab intellectu in corpore, quaſi materia oppreſſo, ergo indiget materiali phantaſmate, & creatura, vt per eam Deum ipſum cognoſcat. Confirmatur prima ratio. ſimile per ſimile cognoſcitur, ſed omnis creatura eſt Deo ſimilis, vel ſicut veſtigium, vel ſicut imago; ergo per eam cognoſcibilis eſt Deus. Minorem pariter probat, eſſe vnum, & trinum, eſt proprium ſolius Dei, ergo in nulla creatura inuenitur: ergo nulla creatura poteſt repræſentare Deum, vt vnum, & trinum. ergo per illam intellectus creatus non poteſt adipiſci Trinitatis cognitionem. Secundo. Non poteſt homo de Deo per medias creaturas quicquam cognoſcere, niſi aut affirmando, aut negando: ſed Trinitas non cognoſcitur niſi affirmando, & in creatura nulla trinitas eſt trium ſuppoſitorum in vna eſſentia, ergo per creaturas cognoſci non poteſt.

S. Thomas eandem minorem probat eodem argumento. Creatura non ducit in cognitionem Dei: niſi vt ipſius effectus, ergo niſi Deum principium, & conſequenter, vnum creatura docebit: virtus enim creandi communis eſt toti Trinitati, & ad vnitatem eſſentiæ pertinet, non autem ad diſtinctionem perſonarum. Et addit egregiè Angelicus Doctor. Qui per creaturas naturali ratione Trinitatem perſonarum cognoſcere, & probare conatur, duobus modis temerariè derogat fidei. Primo, Dignitati ipſius fidei, quæ eſt de iis, quæ humanam rationem excedunt. Secundo. Vtilitati, cum enim aliquis ad probandam fidem, aſſumit rationes non neceſſarias, exponit ipſam fidem irriſioni infidelibus.

Sed quædam obſeruanda in luculentiorem ipſius S. Doctoris explicationem, & quædam, quæ videntur emergere, tollendæ dubitationes, & prima circa rationem elicitam, & aſſignatam nuperrimè, qua aſſertum eſt, non poſſe hominem per creaturarum cognitionem Diuinæ Trinitatis intellectum conſequi. Oppoſitum enim viſus eſt docuiſſe D. Paulus, interprete D. Athanaſio, ad Romanos primo, vbi primo. *Inuiſibilia Dei*, inquit *à creatura mundi per ea, quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur: ſempiterna quoque eius virtus, & Diuinitas*; quibus enumerari videntur Diuinæ perſonæ, expoſitore eodē Athanaſio, oratione 2. contra Arianos, & orat. 3. 2. inexcuſabiles reddit ethnicos. Subdit enim. *Ita vt ſint inexcuſabiles, quia cū cognouiſſent Deū, non ſicut Deū glorificauerunt, aut gratias egerunt*. Quibus verbis ſufficienter Deum cognouiſſe antiqui Philoſophi, & gentes videntur; ergo non ſolum, vt vnum, ſed etiam, vt trinum. Hoc videtur apertè docuiſſe D. Athanaſius, diſputatione habita in Concil. Niceno, ad probandam Filii Diuinitatem contra Arium. *Adſit nobis*, inquit *ille celeberrimus Paulus, & veritati teſtimonium perbibebit: inuiſibilia, enim, inquit ex creatione mundi, operibusq. intellecta conſpiciuntur, & æterna eius poteſtas, & Deitas: quo ſit, vt illi ſint inexcuſabiles, quod vbi cognouiſſent Deum, non vt Deum bonorauerunt, & gratias egerunt*. Et poſt pauca, addit, redarguens Arium, locum allegatum, & quemlibet ſimilem dicentem, non de Filij, ſed Patris Diuinitate interpretandum. *Nonne ait beatus Paulus accuſat eos, qui in corpore apparente Deo, Dei filio, non agnouerunt*

ater-

æternam eius Deitatem omnia gubernantem? ex magnitudine enim, & pulchritudine rerum conditarum congruenter oportet artificem æſtimari, & gratias illi haberi: certum autem eſt omnia creata per verbum, ſuam naturam accepiſſe, & ſine eo factum eſſe nihil. Quod idem confirmat oratione 2. contra Arianos poſt principium. *Iure Paulus incuſat Græcos, quod congruentiam inter ſe partium ordinemq; rerum natura contemplantes nihil cogitauerint de natura* Ratione, *ſiue Verbo, res enim condita Conditorem oſtendunt, vt per eum verum Deum intelligant, additumque eſt ab eodem Paulo: æterna quoque eius potentia, & Diuinitas, vt Filium ſignificaret, & oratione 2. verſus finem: in operibus indita eſt Sapientiæ effigies, vt mundus per eam cognoſceret ſuum Opificē:* Rationem *videlicet ſiue Verbū, & per Verbum Patrem.* Quod adeo Presbyteri Alexandrini Athanaſio crediderunt, vt in Epiſtola ad Alexandrum (quæ extant inter opera Athanaſii de Synodis Arimini) Aſterium Arianum accuſarent inter alia, quod negaret, hanc veritatem colligi ex verbis propoſitis D. Pauli ad Rom. 1.

Reſpondetur tamen; firmam & certam eſſe Theologorum rationem conſtructam & veritatem in ea comprehenſam. Quæ inde magis adhuc cōſpicitur. quod ipſe D. Athanaſius oratione 1. contra Arianos fatetur apertè Verbi cognitionē & Spiritus Sācti, eſſe ſupra vires naturales humani intellectus neque oppoſitum licet ſentire ex Diuinarū litterarū locis, tum ſupra relatis tum infra in diſputatione referendis; & confirmatur: nam fidei initium per donum ſupernaturale conceditur: ergo tum D. Paulus tum D. Athanaſius ipſo loco interpretandi loquuti ſupponentes tacite, auxilij ſupernaturalis gratiam excitantem, ad hanc diuinæ Trinitatis cognitionem; quia omnibus infidelibus opportune, ac congruo tempore Diuinæ placito voluntati, offertur.

Argumenti verò aſſumptum eſt ex ſe apertum, & manifeſtum, & deſumitur ab Ariſt. 1. Poſter. intellectum ſcilicet noſtrum intelligendo indigere phantaſmate, & omnem noſtram cognitionem ortum habere à ſenſibus. quod ad propoſitam rem agnouerunt, & docuerunt etiam Sancti Patres inter quos, D. Gregorius Niſſenus lib. ad Ablabium, quod non tres Dij, vbi ex profeſſo demonſtrat Dei naturā abſolutè ab hominibus in hac vita nō poſſe cognoſci, & propterea nullum eſſe nomē Dei niſi in ordine ad operationes ad extra hoc eſt, homines de Deo cognoſcere, & aſſerere, quod colligunt ex rebus à Deo creatis. idem ex D. Baſilio eruditè Cyparioſotus Decade 4. cap. 4. & 7. conſtanter docet, Dei nomina concipi non poſſe à nobis; niſi in ordine ad effectus creatos D. Hilarius lib. 1. de Trinitate poſt medium, & reliqui omnes neceſſario, vberius ante omnes D. Dionyſius de Diuinis Nominibus cap. 7.

Obſeruandum 2. quod propoſitione 1. ex reſponſione ad vltimum docuit S. Doctor; nimirum omnem cognitionem immediatè diſtribui, vt alia ſit naturalis, alia ſupernaturalis, ſufficientē eſſe diuiſionem: licet enim D. Bernardus lib. 5. de Conſideratione tria membra conſtituat dicens res diuinas tribus modis poſſe à nobis cognoſci intellectu, fide, & opinione: eſt tamen hæc potius ſubdiſtinctio, & ſubdiuiſio cuiuslibet illorum duorum membrorum: nam ſub intellectu omnem cognitionem euidentem: ſub fide obſcuram: ſub opinione probabilem cum formidine: ſub fide pariter, ideſt per reuelationem vel obſcurè, vel clare, vt in Patria, vel in via, vel maiori vel minori auctoritate, vel certudine quippe cui fiat reuelatio ſingulari perſonæ, vel toti Eccleſiæ intellectui pariter vel euidentem, vel probabilem conſpicuum eſt ergo D. Bonauenturam hac bina diſtinctione complexatum eſſe etiam trinam D. Bernardi.

Obſeruandum 3. circa argumentū quo neceſsitatem fidei probauit de hoc myſterio; ita enim viſus eſt argumentari. Cognitio Sanctiſsimæ Trinitatis traditur in Diuinis Litteris ergo aliunde haberi nō poteſt, & ſola fide percipitur, quod tamen primo aſpectu non rectè collegiſſe videtur & ſibi contradixiſſe: multa enim & in Diuinis Literis leguntur quę tamen ratione deduci, & probari poſſunt, & lumine naturæ attingi. & vt vnū afferatur exemplum cap. 3. Gen. Anima aſſeritur facta rationalis, quia ad imaginem Dei: & libera vbique locorum ſacrorum Bibliorum legitur & tamen quoque Ariſtoteles & intellectiuam, & liberam innumeris locis docet. Leo X. in Cōc. Later. temerarie illos philoſophari, qui cōtra animæ immortalitatem philoſophantur; quibus conſequitur verè philoſophari de re hac tamen. in Diuinis Litteris tradita. Itidem aliud exemplū de vnitate Dei, creditur Deus vnus primo art. fidei Symboli Nycęni. Multis locis traditur Diuinæ Scripturæ præſertim Deut. 6. & tamen ab ipſo Ariſt. lumine naturali idem demonſtratur; & ipſe S. Doctor. 3. Sent. diſt. 24. art. 2. quæſt. 3. ſatis longa, & erudita diſputatione 1. ex Riccardo de S. Victore, refert ad ea quæ fidei ſunt etiam rationes neceſſarias adduci poſſe 2. apertiſsimè Sciētia fidem non excludit, & fides ſcientiam admittit, imò perficit 3. demonſtratiuè poteſt philoſophus ſcire Deū eſſe, & eſſe vnum; qui ſi ad fidem veniens, fide eandem neceſſariam Dei exiſtentiam, & vnitatem addiſcat; adhuc tamen, & eaſdem eiuſdē Dei mente demonſtrationes retinebit: & ſicut de eadem re, habenti ſcientiam ab effectu, hæc non recedet ab ea, licet ſuperueniat cognitio per cauſam: nec ea, quæ prius per ſenſum habebatur cognitio expellitur, ſi accedat, quæ per rationem: ita, & multo magis poteſt ſimul cohabitare hæc vtraque cognitio fidei nimirum, & ſcientiæ (licet præciſè non ſecundum idem) cum præſertim perficiat fidei lumen, & mirum in modum augeat demonſtrationis lumen: non enim tanta eſt euidentia demonſtrationis, nec eiuſdem euidentiæ tanta certitudo, quanta per fidem additur, neque æque addit S. Doctor Dei v.g. vnitas demonſtratur, ſicuti docet fides: neque demonſtratione fretus quis pro Deo vno effundet ſanguinem ſicut fide imbutus innumerabilis populus effudit, neque tandem quomodo vnitati Diuinæ non repugnet Trinitas perſonarum, demonſtrabit Ariſt. quemadmodum docet fides. Quam eamdem doctrinam tradit S. Thomas 1. parte quæſt 12.

art. 13. & fuſius de veritate quæſt. 14. art. 1.

Reſp. prout poſtulat difficultatis propoſitæ res 1. ea, quæ fide creduntur, eſſe in duplici differentiam, vt alia ſint, quæ præciſè, & ſola fide percipiantur, & nulla alia cognitione percipi poſsint, vt, exempli gratia, Sanctiſsimæ Trinitatis myſterium, de quo ipſe Dominus Matth. 11. *Nemo nouit Patrem niſi Filius & cui voluerit Filius reuelare* cuius generis ſunt & Euangelij ſecreta, & nouæ legis Sacramenta. Alia inferiori modo, quæ videlicet, & fide, & lumine etiam naturali attingi non repugnat; conſtat de propoſito exemplo vnitatis Dei. Argumentũ ergo D. Bonauenturę, & argumenti conſecutio optima eſt de ſingulari illo loco Diuinæ Scripturæ non in vniuerſum; neque obſtat, quod 3. Sent. indicato loco tradiderit, de eadem re poſſe haberi, & fidem & ſcientiam: hoc enim veriſsimum eſt adhuc in genere, neque tamen de hoc myſterio de quo nunc, ita vt conſequenter ſit locutus S. Doctor, & ſibi ſemper conſtiterit.

Quod ſi vlterius quæratur; an, & quomodo præciſe, & formaliter ſit verum de eadem re poſſe haberi, & ſcientiam, & fidem; videtur enim aſſertio hæc inuoluere apertam contradictionem; nam euidentia, & non euidentia formaliter opponuntur; res autem demonſtrata per ſcientiam euidentiam parit, teſte Ariſtotele, & in oppoſitum, doctore D. Paulo, fides eſt de non euidentibus, & non apparentibus Hebr. 11. Quo circa S. Thomas 2. 2. quæſt. 1. art. 5. impoſsibile eſſe, docuit, vt idem ſit ſcitũ, & creditum ſub eadem ratione. Breuiter reſpondetur, (non enim hic eſt locus proprius) 1. per Bacconiũ 3. ſent. diſt. 25. art. 1. & Durandum quæſt. 1. Prologi & 3. ſent. diſt. 31. quæſt. 3. & 4. & Thomam de Argentina quæſt. 3. Prologi, ſaltem per diuinam potentiam, & quo ad habitum, & quo ad actum ſimul poſſe eſſe de eadem re ſcientiam, & fidem; hac in primis ratione: quia licet euidentia, & ineuidentia ſint priuatiua; non tamen priuatiuè oppoſita, ſed diſparata; ſicut perfectus calor ignis, & imperfectus calor aeris: alterius enim generis eſt ineuidentia fidei, & euidentia ſcientiæ. neque quæ huic ſententiæ à quibuſdam opponuntur valde vrgent 2. melius per D. Bonauenturam, indicato loco, & per D. Thomam itidem ſuperioribus locis; quod melius patebit.

Strictè, & limitate & formaliter ſumpta quęſtione, in hac vita, de eodem obiecto fides habitu, & actu ſimul, & ſcientia haberi poteſt, non ſub hac ratione, qua euidens & ineuidens: ſed ſub qua nulla euidentia eſt ſufficiens, quin roboretur, & augeatur, & perficiatur à fide, quo ad certitudinem, ita vt non ſit euidens per ſcientiam, ſed vt imperfectè euidens admittat ſimul ſecum fidem. Quo conſequitur in Patria id non eſſe verum, quia viſio illa, quam S. Bonauentura euidentiam comprehenſionis appellat, ſicuti aliam & inferioris ordinis naturalem, & ratione naturali comparatam, perfectiſsima eſt, & ſubinde omnem excludit fidẽ. Demonſtrationem enim vincit fides, non autem viſionem beatificam, neque huic aſſerto, ſub hac ratione, & declaratione quis contradicet, aut (mea ſententia) contradicere poterit neſcirem. confirmatur: quod enim Deus aſtruit, & reuelat certius eſſe, quàm quod Ariſtoteles, & ex lumine naturali, parta ratio, nemo inficiabitur, & euidentius ſuo modo eſt, Deum non poſſe mentiri, quam non poſſe, non eſſe veram rationem etiam demonſtratiuam, & non poſſe decipere, confirmatur 2. euidentia naturalis, ſicuti & certitudo (eiuſdem enim ſunt ponderis, præſertim ad ſupernaturalem comparata) eſt imperfecta, ergo relinquitur adhuc locus fidei. conſequentia conſtat: id enim remanet obſcurum, quod non illuſtrat euidentia: antecedens vero eſt etiam S. Thomæ, vt teſtatur, & explicate tradit 1. parte q. 1. ar. 1. & q. 12. ar. 13. & alibi; & ex differentia & valde magna diſtantia inter Deũ, & hominem: illum reuelantem, & hunc ſuo inſito lumine ratiocinantem; & inter naturale creatum, & ſupernaturale. propalum ſit. & adhuc probatur: quem ad modum enim, ex trito Theologorum proloquio plura poteſt facere Deus, quam homo intelligere; ita æque plura ſcit, & reuelare poteſt etiam de eadem veritate, quam intellectus ſuo lumine vnquam aut perceperit, aut percipere potuerit. explicatior res erit ſi, exẽpli gratia, quędam notę Theſes, ac demonſtratę, exiſtimatione communi, in mediũ adducantur. Totũ eſt ſua parte maius. quid clarius? eſt matematice ſcitũ Fides docet, in myſterio Sãctiſs. Trinitatis. tres diuinas perſonas quaſi partes numeri non eſſe quid maius vnica perſona. vnicã nõ eſſe quid minus tribus. Probatũ remanet nouo miraculo, de illis tribus pillulis in corde B. Claræ de Monte Falco, quarum vnica ſi in lance ponatur, non minoris ponderis inuenitur quam ſi tres ſimul: non maioris, ſi tres eleuẽtur. accidentia, ſine ſubiecto non poſſunt exiſtere. Triumphat Philoſophus de hoc pronunciato. Fides reuelat diuina virtute, ferè infinitis locis, & vicibus quotidie operari vt exiſtant in almo Euchariſtię Sacramẽto. vnica natura vnica ſubſiſtentia ſubſiſtit; neque in oppoſitum opinari inter Philoſophos licet. Diuina tamẽ vnica natura tribus ſubſiſtẽtijs inter ſe re diſtinctis ſubſiſtit. Quæ ſunt eadem vni tertio ſunt idem & inter ſe, iurant Ariſtotelis aſſeclæ, reuelat tamen fides eaſdem Diuinas perſonas idem cũ Diuina eſſentia ad huc inter ſe realiſsima diſtinctione diſtingui. Et alia id genus ſexcenta, quid huic ſentẽtiæ opponatur, aut opponi poſsit, aut quis contradicat, non vidi adhuc. conuenimus vniformiter in hoc aſſerto. nullum ſcitum euidens, vt ſic, admittit fidem: addimus tamen & hoc aliud. euidentiam inter homines ex ratione naturali, plurimum ab euidentia in Patria ſupernaturali deficere, quæ comprehẽſionis nũcupatur, vt per hanc dumtaxat omnis ineuidentia & ænigma explodatur; vt indicat D. Paulus Corint. 13. *videmus nunc per ſpeculũ, in ænigmate; tunc autem facie ad faciem.* ergo in aſſertis & demonſtratis concluſionibus ratione naturali remanet quid latens, & obſcurum ſuperiori lumine oſtendendum. quare argumenta in dubitatione propoſita remanent in ſuo robore.

Ob ſecundum circa ea, quę in corpore quęſtionis aſſeruit, naturali lumine, nullam poſſe haberi cognitionem de hoc myſterio, aut fieri demõſtrationem; oppoſitum viſus eſt docuiſſe tum ſupra, cum

ad

ad Trinitatem probandam argumentaretur: dixit enim, et aſſeruit, vnam à ſeipſo allatam rationem neceſſariò probare perſonarum Trinitatem. Deinde egregio illo ſuo Itinerario in Deum, et in Breuiloquio pauperum ita abundat rationibus, et hoc myſterium ſic probat, et perſuadet; vt videatur demonſtrare.

Hac de re infra erit diſputatio: interim tamen facillimo negotio apparens tollitur oppoſitio, ſi primò has rationes non eſſe à priori, aut neceſſarias, obſeruetur, ſed fidei ſuppoſitis principijs, pro babili perſuaſione adduci, in eorum qui credunt, quod vera credont, fidei nutritionem, et conſolationem, vt egregiè tradidit D. Aug. 14. de Trinit. in illa verba D. Pauli, *alij datur ſermo ſcientiæ. Huic ſcientiæ tribuo illud, quo fides ſaluberrima, quæ ad veram beatitudinē ducit, gignitur, nutritur, roboratur, defenditur: quia ſcientia non pollent plurimi fideles, licet fidem habeant*. Si vero quædam rationes ex illis dicantur neceſſariæ; id erit tum latitudine quadam, ac ſi cæteris efficaciores nuncuparentur, tum ratione principiorum fidei, quo ad certitudinem. Si vero quis lumine tantum naturæ conaretur ad hoc idem demonſtrandum; eſſet vanus, et temerarius, nihilq; prorſus efficeret: quod hoc loco orthodoxè, et eruditè vrget S. Doct. et conſentiunt omnes.

Obſeruandum 5. Paucis S. Doctor, tamen luculentiſsimè reſpondet, ſicut et S. Thomas, et enumerat omnes ferè modos, quibus aliquid ſupernaturali cognitione adipiſci licet: hoc eſt, vel fide reuelante (qui inter omnes potiſsimus eſt) vel traditione, & diſciplina; quę adhuc duplex quaſi ab affectu; vt illa, quæ diſciplina diſcuntur, aut ita, vt quid velint illa dicere, plenè à diſcente percipiātur; aut ita, vt dūtaxat ſicuti iacent apud Auctores legantur, et referantur non eorum ſententia percepta. Quod accidere potuit multis vetuſtioribus Philoſophis, quibus ſacrorum Bibliorū volumina legere contigerit, et ita in ſuis ſcriptis exſcribere, et referre; ignorātes tamen, nec intellectione aſſequētes quæ legerint. Ita innuit hic S. Doct. et manifeſtè concedit S. Thomas in 1. ſent. diſt. 3. quæſt. 1. art. 4. & 2. 2. quæſt. 2. art. 7. & inter recentiores Torres, Molina, Valentia, Zumellus &c. ex quibus omnibus liquidò colligitur, fidem eſſe in duplici differentia: aliam formalem, & infuſam, quæ in obſequium, ad ea, quæ rationem ſuperant, intellectū captiuat credenda, & firmiter tenenda: aliam materialem, & acquiſitam, de qua S. Paulus, *Fides ex auditu*; & ſic S. Doctor neceſſariò interpretandus, cum ait, niſi haberent aliquem habitū fidei, ſicut habent aliqui hæretici: nō enim de fide infuſa vlla ratione accipi poteſt, cum vna ſit fides, teſte D. Paulo 1. Cor. 16. quæ vno oppoſito actu hęreſis neceſſariò amittitur; & ideo nulla fides in hæretico inueniri, aut derelinqui poteſt: cui veritati teſtādæ mirè illud D. Iacobi deſeruit: *Qui offendat in vno, factus eſt omnium reus*: qui enim vnius articuli fidei veritatem negat, omnium articulorum fidem amittit. At vero fidei materiale, & acquiſitum, quod auditu, aut lectione acquiſierat quis, manet: vnde hæretici, multis abnegatis, multos tamen adhuc videntur retinere fidei articulos, ſed imperfectiſsimè, & valde remotè, & quo ad materiam &c.

Ad argumenta. Sicut tota argumentorum vis ad concluſionem propoſitam probandam erat in hoc ſita: cum Sanctiſsimę Trinitatis veritas ſit vndequaq; ſoli Deo proprijſsima, & in illo ſolo in vna eſſentia realiſsima Trinitas inueniatur, & ideirco in rebus creatis id ſimile nullo modo reperiatur; neceſſariò, & liquidò conſequitur, niſi fide, & Dei reuelatione hoc Diuiniſsimum myſteriū homini, & Angelo non beato, cognitione attingere, & aſſequi non licere: Humana enim ratio ab ijs, quæ in his inferioribus creaturis cognoſcit, ad ea, quæ nō cognoſcit, neq; nouit Dei cognoſcenda aſſurgit, & niſi affirmando, vel negādo ex D. Paulo ad Romanos 1. *Inuiſibilia Dei per ea quæ facta ſunt &c.* Myſteriū hoc niſi affirmando percipere nō poteſt: eſt enim veritas poſitiua: ex creaturis autē affirmari non poteſt, quia in ipſis non inuenitur ſimile.

Quod ſi in anima rationali aliqualis ſimilitudo eiuſdem Sanctiſsimæ Trinitatis inuenitur; id tantum fide conſtat, & fide percipitur: tum quia ſola ſcriptura hoc docet, Geneſis 3. tum quia terminus relationis imaginis eſt ipſa Sanctiſsima perſonarū Trinitas, intellectui noſtro occultiſsima, & eadem ſola fide perceptibilis. Ita conatus oppoſitorū argumentorū eneruatur omnis, & verè refringitur, ſi reſpondeatur primò. Duobus modis in Diuinis Trinitas ſumitur; vel propriorum, vel appropriatorum: licet enim ſint eſſentialia, & cōmunia, tamē ſolent Diuinis perſonis accomodari, veluti Patri potentia, Filio ſapiētia, Spiritui S. bonitas, rationibus ſuo loco infra reddendis. Secūdò. Cognitio in homine gemina eſt, alia ex ſolo naturæ lumine, alia ex aliorum traditione, & manifeſtatione. Vnde vnico verbo ad omnia, quæ afferuntur Philoſophos de hoc myſterio dixiſſe, ſit facie, ſi reſpondeatur: aut dixerunt ex aliorum credentium ore, & fide: aut non primo modo, ſed ſecundo ſumpta Trinitate, ratiocinati ſunt.

Quare immota, & inconcuſſa maneat veritas hæc. Sola fide infuſa Sāctiſsima Trinitas percipitur, addiſcitur, & perſuadetur: itaut etiam ſi ipſam ſacratiſsimam Scripturam quis legat, in qua de hoc myſterio apertiſsima fides traditur, & reuelatio; veritatē tamen nō aſſequetur ſine fide, aut veritatis cognitionē: quia ſolo fidei lumine liber ille Diuinarum Scripturarum ſeptem ſigillis ſubſignatus aperitur, ſola fidei lucerna aſpicitur vt legatur, & intelligatur, adhibito etiam peruigili, ſolerti, & improbo ſcrutinio, ſtudio, & labore. Diſtinctè tamen ſingula volo proponere, & ſoluere argumēta.

Primum. Philoſophi per Philoſophiam ex rebus creatis cognouerunt Trinitatem: ergo ad id ſufficit lumen rationis, & ſuperflua videtur fides. Antecedens eſt D. Auguſt. lib. 11. de Ciuit. Dei c. 25. Philoſophi tripartitam dicunt eſſe Philoſophiam, in qua eſt cognitio Sanctiſsimæ Trinitatis.

Reſp. Quod iam obſeruatum eſt, in tripartita Philoſophia illa inueniri Trinitatē appropriatorum, nequaquā propriorum: id eſt perfectionū eſſentialium Dei, ad quam capeſſendam ſola vis na-

turalis intellectus ſufficit; ad Trinitatem autem perſonarum omnino neceſſaria fides: quare ad formam argumenti negatur antecedens: locum D. Auguſtini interpretamur de Trinitate appropriatorum, qua poſita neganda quoque conſequentia. Eadem eſt D. Thomæ reſponſio ad 1.

Secundum. Magi defecerunt in 3. ſigno, Exodi 8. hoc eſt in cognitione tertiæ perſonæ. Probatur. Nam ſi de bonitate eſſentiali eſſet ſermo, non defeciſſent, quia mirum in modum ſplendet in creaturis: ergo de bonitate perſonali accipiendus locus eſt: ſed ſi defecerunt in cognitione tertiæ perſonæ tantum: ergo cognouerunt primam, & ſecundam; idque ſolo lumine rationis: non enim erant fideles.

Reſp. Negatur relata interpretatio illius loci: defecerunt enim in cognitione Diuinæ bonitatis, in myſterio redemptionis. D. Thomas in reſp. ad 1. Defecerunt in 3. ſigno, quia à bonitate, quæ Spiritui Sancto appropriatur, deuiauerunt, dum cognoſcentes Deum, non ſicut Deum glorificauerunt: ſuperaddit aliam reſponſionem, vt ibi patet. Sed animaduertendum, illius loci, quem aſſumunt aduerſarij in argumento, non eſſe literalem, ac germanum ſenſum, ſine quo argumentum ferè quicquam probare poteſt; ſed tranſlatum, & accomodatum, qui ad rem non facit, quam verſamus.

Tertium Argumentum. In creatura inuenitur veſtigium ſanctiſſimæ Trinitatis: ergo per creaturas cognoſci, & addiſci poteſt ſanctiſsima Trinitas. Antecedens eſt vulgatum omnium Theologorum aſſertum. Conſequentià videtur euidens.

Reſp. & negat antecedens: illud enim veſtigium non eſt Trinitatis propriè, ſed appropriatè. Interpretandus eſt S. Doctor, quod abſolutè non negat) quod omnes alij aſſerunt, ſed hoc ſenſu, non eſt veſtigium Trinitatis, hoc eſt non cognoſcitur ab homine ſine fide, ratione termini, cuius eſt veſtigium, quod veriſſimum eſt. Eadem eſt reſp. ad 4.

Quartum. Difficillora cognouerunt Philoſophi lumine intellectus naturali, quàm ſit cognitio Diuinarum perſonarum: ergo & eodem lumine & ipſas Diuinas perſonas cognoſcere potuerunt. Antecedens patet, quia niſi magni viri de illis rebus philoſophati ſunt: Diuinas verò perſonas, etiã rudes, & ruſtici cognoſcunt, & breuiori tempore quàm illi viri præcelſi Philoſophiam ſuam.

Reſpondet, & negat antecedens: & reddit rationem, quia cognitio ſanctiſsimæ Trinitatis eſt ſupra rationem. Quod ſi facilius, & citius hanc cognitionem Diuinæ Trinitatis aſſequuntur ruſtici, & fœmellæ; id fit ex reuelatione, & lumine fidei cælitus recepto: ſed obſeruanda illa verba (& contrarium eius videt in ſenſu) non ita accipienda, vt ſit contra rationem hoc myſterium, vt improbè aliqui aſſerere non erubuerunt, ſed contra ſenſum, hoc eſt, ſenſus noſtros non ſolum non inuenire ſimile in rebus creatis, ſed potius oppoſitum: vbi enim inueniunt plura ſuppoſita, ſimul plures eſſentias reperiunt: quare S. Doctor immediatis ante verbis dixit, hoc myſterium eſſe ſupra rationem, poſtea contra, ſcilicet ſenſum.

PRIMA DISPVTATIO.

In tria capita diſtributa.

Primum Caput. Ad hoc myſterium abſolutè neceſſariam eſſe fidem.

Secundum. Per Diuinam potentiam non poſſe hoc myſterium in via intellectui creato fieri euidens.

Tertium. Quomodo, & ex quibus locis diuinæ Scripturæ hæc diuina veritas colligatur.

CAPVT PRIMVM.

Fidem eſſe neceſſariam ad hoc myſterium.

ALMAM, eandemque auguſtiſſimam Trinitatem diuiniſſimam, non ſolum intellectione perceptibilem, ac cognoſcibilem, ſed maximè cognoſcibilẽ; neceſſariò aſſerendum, nemo inficiari vlla ratione poteſt: ſi enim non entis non eſt ſcire, & omnis ſcientiæ, cognitioniſq; ratio eſt ens; quãto maius ens, tanto cognoſcibilius: maximum, ac neceſſarijſsimum ens erit omni neceſsitate maximè cognoſcibile: imò cognitum à ſeipſo cognitione cõprehenſiua, ab Angelis, cæteriſq; in cælo beatè degentibus cognitione intuitiua, ac beatifica, & à Chriſti Ieſu fidelibus, aquis ſalutis in baptiſmate fide ſancta imbutis, cognitione tamẽ fidei. Sed nos omnium doctorum veſtigia ſecuti, hic veluti in foribus, quærimus: an aliqua alia cognitione hoc celſiſsimum myſterium attingere, & aſſequi humano intellectui liceat. Vt latiorem, & vberiorẽ colligamus, & addiſcamus de hac re concluſionem; cõmuniórem quoq; & quo liceat vniuerſaliorem inſtituimus quæſtionem de quacumque cognitione.

Eſt autem, vt ex D. Bernardo in Commentario recoluimus, triplex huius cognitionis membrum, & res diuinæ à nobis tribus modis cognoſci poſſunt, intellectu, fide, opinione. Intellectus comprehendit omnem euidentem cognitionem. Fides omnem ex oppoſito ineuidentem, & obſcuram intellectionem, in auctoritate, ſiue diuina prorſus certa, & infallibili, ſiue humana, eademq; incerta, & fallibili. Opinio probabilem cognitionem cõplectitur. Optimè quidem: nam his tantum tribus modis contingit verſari circa Diuina, aut ſolo intellectus creati lumine, aut aliũde recepto, & hauſto duobus modis: nam lumine proprio naturali, aut perfecta, certa, & euidenti cognitione aſſequimur obiectum, quod nobis propoſuimus, & conati ſumus aſſequi; & dicitur cognitio demõſtratiua, vt de Dei exiſtẽtia, vnitate, bonitate, æternitate &c. aut imperfecta, incerta, & inconſtante, & erit opinio: aut alieno lumine: ſi Diuino, certo, & inconcuſſo modo: ſi humano, incerto, & deceptibili: itaut hæc tria cognitionis capita ad duo tantũ redigi poſsint; vt aliud ſit cognitionis naturalis, quę tamen poteſt eſſe certa, vel incerta, aliud reuela-

Digitized by Google

lationis:quę itidem poteſt eſſe omnino certa,ſi eſt Diuina:incerta,ſi humana,quia omnis homo mendax,& facilis, tum vt decipiatur,tum vt decipiat.

Principio igitur quæritur. An ad Diuinam Trinitatem percipiendam,vel quod ſit,vel quid ſit,vel ſaltem an ſit poſsibilis, aut impoſsibilis non ſit, ſufficiat lumen,viſq. propria rationis naturalis,ſi non euidenti, ſaltem probabili cognitione.

Hac in maxima quæſtione variè ab hominibus opinatum eſt,variéque erratum,& peccatum irreuerenter à multis. Primò non defuerunt, qui de hoc eminentiſsimo myſterio eam habuere opinionem, vt ſola vis naturæ (quod Pellagianiſmum ſapit) poſsit huius Diuinæ veritatis non ſolum probabilem,ſed certam, & demonſtratiuam rationem conſtruere, & efformare.

His tamen, & conſimilibus rationibus videtur poſſe perſuaderi, & quodamodo demonſtrari hæc Diuina veritas.Primò Quicumq.intelligit,eo ipſo concipit operationem immanentem,cuius intrinſecus terminus eſt verbum: ergo in Deo quoq; eſt Verbum productum per ſuam Diuinã intellectionem.Sed in Deo nihil eſt accidentale,& inhærens: ergo Verbum erit ſubſiſtens.Sed inter producens, & productum neceſſariò eſt diſtinctio realis: ergo inter Verbum productum,& perſonam producentem erit diſtinctio realis:non in natura,ne Verbũ ſit creatura, vel alter Deus diuinitate diſtinctus: ergo in perſona. Idem argumentum deſeruit pro perſona Spiritus Sancti ex operatione voluntatis.

Secundò. In Deo eſt potentia perfectiſsima, & totius potentię origo:ergo & prima potentia,quę inter omnes eſt generatiua,ſcilicet intelligere:eſt enim inter omnes potentias prima,& eſt,qua parte intellectiua, conceptus, & notitiæ productiua: ergo Deo competit generare Verbum.

Tertiò. De quidditate boni eſt communicatio, & ſummi boni ſumma communicatio:at producẽdo creaturas ſummè ſe non communicat Deus:ergo debet producere perſonam conſubſtantialem, & ſibi coæqualem, cui infinitè ſe communicet.

Quartò.Summa perfectio,non deneganda Deo, eſt ſibi ſimile producere ab æterno. *Nũquid enim* Iſaiæ vlt *qui alios parere facio,ipſe non pariam?* ergo ab æterno competit Deo producere Filium, & Verbum omnino ſibi ſimile: neque enim ab æterno creaturæ produci poſſunt, nec ſunt Deo ſufficienter æquales.

Quintò. Omne æquiuocum reducitur ad vniuocum,ſicut multitudo ad vnitatem:ergo ſi à Deo eſt proceſsio æquiuoca creaturarum, quæ non conueniunt cum eo in nomine,nec ratione;debet præexiſtere; & præcedere vniuoca productio, nimirum generantis Diuinæ perſonæ realiter diſtinctę à genita, in eadem tamen numero natura.

Sextò,& vltimò,ne plura referam. Omnem inæqualitatem,teſte Boetio,præcedit æqualitas:ergo ad inæqualitatem Creatoris & creaturæ debent præcedere perſonæ plures inter ſe omnino æquales. Confirmari poteſt hoc aſſertum hęreticorum exemplo,qui ſine fide, quam amiſerunt, aſſentiuntur huic myſterio.

Referunt multi huic extremę opinioni errorem quendam ſtolidum, & impudentem Raymundi Lulli, dicentis. Omnes articuli Fidei probantur per rationes neceſſarias demonſtratiuas, & euidentes: & gloriatur, ſe probare Trinitatis myſterium per demonſtrationes ita euidentes, vt valeant Mahumetanum, & Gentilem conuincere: ita ipſe in libro de articulis Fidei, & in lib. de Ecleſiaſticis Prouerbijs, & in libro de Planctu Raymundi,& art.97.& 98.aſſerit Fidem ad hæc myſteria hominibus inſcijs,& ruſticis eſſe neceſſariam, ſed non homini ſubtili, qui facilius trahitur per rationem,quàm per fidem.Hæc refert Eymericus in Directorio Inquiſitorum par.2.quæſt.9.art.96. & teſtatur Bullam Gregorij XI. aduerſus errores Raymundi, quæ ſi non inuenitur, iniuria temporum perijt,vel nimia Lulliſtarum diligentia,& laceratione.Gerſon in alphabeto 16.littera D, ideſt in epiſtola ad Fratrem Bartholomæũ,refert, ſcripta Raymundi damnata, & repudiata fuiſſe per Facultatem, & Vniuerſitatem Pariſienſem.

In oppoſitum extremum fuit error relatus à Papa Felice 1. epiſt.3.ad Benignum.eorum,qui dicebant, Filium non poſſe propriè videre Patrem, quia ſcriptum eſt, *Deum nemo vidit vnquam*: quem errorem poſtea ſuſcitauit Maximinus hæreticus, vt refert D. Auguſt. lib. 2. contra ipſum cap.3.& deinceps cap.23.deceptus illo D.Pauli loco. *Regi ſæculorum immortali,& inuiſibili, ſoli Deo &c.* ſimilem errorem docuit Origenes, Patrem,ſcilicet,nõ poteſt videre Filius, nec Spiritus Sanctus, vt D.Epiph. hæreſi 64. & alibi teſtatur.

Media via incedentes & veritatis & fidei, ſunt, qui abſolutè intellectus creati captum, & omnem ratiocinationem merè naturalem excedere hoc myſterium profeſsi ſunt:& ſunt omnes Catholici, & orthodoxi Doctores:& confeſſa res eſt apud omnes:vt tamen diſtinctius res dignoſcatur, quædam prius pręſagienda ſunt, & inde per quædam aſſerta ſoluenda quæſtio,& ſuſtinenda veritas.

Primò ergo animaduertendum, longè aliorum omnium myſterium hoc eſſe excellentiſsimum, & triplici excellentia: quarum prima eſt. Hoc myſterium eſt naturale, æternum, & neceſſarium in ipſo Deo, adeò vt ſit ipſiſsimus Deus: reliqua enim noſtræ Fidei arcana, licet fuerint in propoſito æterno, fuerunt tamen ita ſub diuina libertate, & voluntate, & omnipotentia in tempore operata, vt ea potuiſſet non operari, ſi voluiſſet, Deus,& aliter facere,&c. At verò Diuina Trinitas adeò ipſi Deo intrinſeca eſt, vt ſit multo magis, quàm homini eſſe riſibile, aut rationale, quia eſt ipſe Deus. Secunda verò excellentia. Sicut ex hac pendent reliquæ fidei noſtræ veritates; ita ex hac pendent, & originẽ ducunt, vt ab ea efficiantur,& ad ipſam, tanquam ad ſupernaturalem finem, reducantur: ſicut enim creaturæ omnes in Dei vnius naturalem cognitionem nos conducunt; ita cætera ſupernaturalia per Chriſtum operata, & ex Diuinis paginis, & traditione ad nos deriuata, ad hoc facta,& conſtituta ſunt,vt nos in Sanctiſsimæ Trinitatis cognitionem perducant. Patet ergo ex iterato ſermone Chriſti Domini de Dei Patris ſui, & ſuiipſius, & Spiritus ſancti cognitione, &c. Secundò de Sacramentis: in Baptiſmo, & in Confirmatione eſt expreſſa Sanctiſsimæ Trinita-

tis fidei profeſsio, & illius inuocatio. Huc ſpectat Apoſtolica prædicatio io vniuerſo Orbe, & tot miraculorum patratio in prædicationis confirmationem, vt luce meridiana clarius.

Hinc oritur tertia. Cognitio huius Diuiniſsimæ veritatis cuiuſcumque alterius rei cognitionem excedit, & vires, & intellectus noſtri facultatem magis ſuperat; & patet: nam in omnis rei percipiendæ difficultate ſuperanda ad Dei omnipotentiam recolendam confugium habemus. Quod enim creauerit mundum ex nihilo, quod Dei Verbum ſit incarnatum, quod ſub almo Euchariſtiæ Sacramento Chriſti Corpus verum, & totum, & quantum verè lateat, & inueniatur, &c. licet hæc difficillima ſint; euadimus tamen, & ſuperamus, & credimus, quia Dei omnipotentiam credimus: ita præcipuè Luc. 1. dictante Gabrielis ore Spiritu Sancto. *Non erit impoſsibile omne verbum*: ita Chriſto Domino Lucæ 16. *Quod impoſsibile eſt apud homines, poſsibile eſt apud Deum*: vbi illæ proponebãtur difficultates: *Quomodo poſſunt hae fieri? Quis poterit saluus fieri?* ſed quod Deus ſit puriſsimus actus, vnus in eſſentia, trinus in perſonis, nec ſub Dei potentia cadit, nec nobis prodeſt, aut difficultatem tollit Dei omnipotentis fidem repetere: nec rationes, quæ adduci poſſunt à quocumq; maximo Doctore, aut adductæ vnquam hucuſque fuerunt, vel per ſæcula adducendæ; demonſtrare poſſunt, aut certam rem nobis facere, ſed dumtaxat congruè, & ſuauiter perſuadere, & potius receptam fidem ſuſtinere, & ſuo modo nutrire, & aliunde quàm ex Diuina omnipotentia.

Secundò animaduertendum, quod notum, ac tritum eſt apud omnes Theologos. Primò, lumen, quo intellectus creatus videt, & percipere poteſt quodcunque obiectum, in duplici differẽtia à parte rei inuenitur, & tradit in hac eadem quæſtione S. Doctor: aliud naturale, hoc eſt ex vi facultatis intellectiuæ, eique innatum, ac ſignatum: aliud ſupernaturale, quod à Deo additur naturæ, præter, & ſupra ordinem, & facultatem ipſiuſmet naturæ; quod vbique in ſacris literis, & fides, & reuelatio nuncupatur. Quæ cum duobus modis fieri poſſint, primò, cum immediatè, & clarè oſtenditur obiectum, ſecundò, cum obſcurè, & vt loquitur D. Paulus, in ænigmate; hinc lumen hoc aliud dicitur viſio; aliud, vt dicebam, fides, qua omnis altiſsima quæque veritas apprehenditur: quæ tameo adhuc gemina eſt, altera firmum, & ſtabile habens intellectus aſſenſum ex ſumma dicentis auctoritate, quæ eſt ipſiſsima Veritas, & ex infuſo in mente Theologicæ fidei habitu, & dicitur à ſchola communiter fides infuſa. Altera, qua nutanter, & incertè aſſentitur oſtenſæ, & perceptæ veritati, quam, & fidem humanam, & acquiſitam, & informem, ſcilicet ſine forma virtutis, nuncupare conſueuit omnis ſchola, quatenus ab homine addiſcitur, teſte D. Pau. ex auditu, & hominis fallacis, & inſtabilis teſtimonio nititur. Quod fidei genus iouenitur, ac inueniri poteſt in hæretico etiam homine, poſt amiſſum fidei infuſæ habitum, quo ad eas ſupernaturales veritates, quas cum Eccleſia tenet, & confitetur: non enim fide formali, & certa & infuſa confiteri poteſt, cum ea vnica hæreſi poſita amittatur: ipſa quoque vna tantum eſt, ſicut vnus Chriſtus, & vnum baptiſma. Verum tamen eſt, hanc quoque fidem, vel fidei materiam ſupponere reuelationem alicui iam factam de his veritatibus: ita vt triplex ſit vis, & gradus diſcendi aliquid; 1. demonſtratiuè, & euidenter; idque vel per viam eminentiæ, & cauſalitatis, vel remotionis, vt in S. Doctore ex D. Dionyſio, & altius ex D. Paulo. 2. probabiliter ex cauſis contingentibus, & quæ deficere poſſunt, & per libertatem mutari: & hoc vtroque modo, quod res ſit, & ita ſe habeat, & poſsibilis ſit, et contradictionem non inuoluat etc. 3. vt ſuppoſita fide oaturalibus etiam rationibus res credita perſuadeatur, et probetur.

Animaduertendum denique 3. io omni noſtra reali cognitione completa, et perfecta intellectiua ratiocinatione duos neceſſariò interuenire actus: alter eoim, et primus, eſt intellectus inquiſitio cum apprehenſione quæſitæ veritatis: alius eſt iudicium, et aſſenſus, ſiue certus, ſiue cum formidine de quæſita, et inuenta veritate. Id crediderim, quod ex 3. de Anima aſſerunt Philoſophi de duplici intellectus munere, agente, ac fere quærente phantaſmatum et ſenſuum miniſterio, et indagante veritates; et de poſsibili, quæſitæ, et indigatæ veritatis iudicium ferente.

Ric. de S. Vict. ab hac ſententia valde receſsit: apertè enim lib. 1. de Trinit. cap. 1. ad hoc myſterium aſſequendũ oeceſſariã eſſe fidem, tradidit, et loco Iſa. 7. vſus eſt: *Niſi crediderītis, non intelligetis*, Et c. 3. *Oportet per fidem intrare &c.* In hoc exceſsit, ſicuti obſernat etiam S. Th. hoc art. ad 2. Siquidem demonſtrationes et ſe feciſſe lib. 4. et fieri poſſe, et de hoc, et de quocumque alio fidei ſimili articulo, aſſerit his verbis lib. 5. de Trinit. cap 8. *Manifeſta ratione probatur, imò multiplici demonſtratione conuincitur, quod ſicut perfectio vnius perſonæ eſt cauſa alterius, ita perfectio gemina eſt cauſa tertia in Trinitate perſona.* Quod idem repetit cap. 13. et 15. fundamentum hoc ſuæ ſententiæ ponit de ente neceſſario, et quod intrinſecè non poteſt non eſſe, impoſsibile eſt non poſſe neceſſarijs rationibus probari.

Sed vir, et Pater hic, alioquin grauiſsimus, et de Diuinis literis optimè meritus; ſi in rigore Ariſtotelico demonſtrationem vſurpauit, non poteſt excuſari quin exceſſerit, ex ipſomet Ariſt. Ariſt. eoim 1. Poſter. tex. 5. et deinceps, et tex. 34. et 35. docet, principia ex ſuis terminis nota non poſſe demonſtrari, aliàs daretur proceſsus in infinitum demõſtrationum. Præterea in caſu noſtro, Trinitatem eſſe neceſſariiſsima quidem res eſt; principia tamen eius cognitionis ſunt ex creditis ineuidentibus: principia verò demonſtrationis Ariſtotelicæ ſunt euidentia etc.

Si verò fuſa ſignificatione ſumpſit demonſtrationem; excuſandus, et interpretandus, ex ijs, quæ infra diſput. 6. cap. 3. pag. 225.

Dico. Myſterium Sanctiſsimæ Trinitatis nõ eſt contra rationem naturalem, vt ratio naturalis recta inclinet, et demonſtret Trinitatem nõ eſſe, aut impoſsibilem eſſe. Probatur primò ex omniũ Doctorum aſſenſu. Secundò ex illo cõmuni axiomate aſſerto etiã in Concilio Lateranenſi ſub Leone X.

vbi

vbi aſſeritur philoſophari contra animæ immortalitatem eſſe temerarie philoſophari; quia verum non contradicit vero, arguitur. Ergo veritas non poteſt veritati eſſe contraria, ſed ratio naturalis non oſtendit niſi veritatem, alias errat, & non eſt ratio, & non demonſtrat, niſi ex veris, ergo non poteſt veritatem contra huius myſterij veritatem oſtendere. 3. Deus, ex D. Paulo, ſe ipſum negare non poteſt, & ſibi contrarius eſſe: at ſi lumine naturali demonſtrari poſſet, aut eſſe impoſſibile, aut contra veritatem huius Sanctiſsimi myſterij, ſibi eſſet contrarius, & verum contradiceret vero: ergo. Probatur 1. Deus operans, & docens, & illuminans lumine naturali naturam rationalem eſſet contrarius ſibi reuelanti, ſe trinum eſſe. probatur, & declaratur. Nam Deus eſt auctor vtriuſque luminis, & naturalis, & fidei, ergo ſi lumen naturę demonſtraret contra Trinitatem, contrarius eſſet lumini fidei reuelanti ipſam Trinitatem: quo fieret, vt Deus in altero eorum mentiretur, quod nedum blaſphemum, ſed contradictionem inuoluit; Deum ſcilicet aut poſſe decipi, aut decipere: eſt enim ipſiſsima prima Veritas inuariabilis, & eſſentialis. Tandem ex tota vi intellectus naturalis, quę quanta quanta ſit, aut eſſe poſsit, non poteſt ſupra terminum ſuæ actiuitatis: ſicut enim non poteſt ſine fide attingere myſterium Trinitatis, ita nec contrarietatem in ipſo inuenire, & neceſſario eſſe Deum vnum in perſona ignorat enim & quod ſit, & quid ſit hoc diuiniſsimum arcanum veluti ſuperioris, & ſine proportione vlla, eminentioris ordinis declaratur preſsius; verſatur intellectus naturalis ſemper circa obiecta creata, & conſequenter quidquid ſibi videbitur inuenire huic diuinę veritati contrarium, erit in re creata inuentū, à quo ſemper conſequentia erit nulla, ad idem inferendum in re diuina, increata, & infinita.

Poſſent hic quædam opponi, ſed ſicut à recentioribus, præcipuè Suarez lib. 1. de Trinitate cap. 12. & Bannes in quæſt. 32. art. 1 concl. 3. referuntur, ita ſoluuntur. Ne tamen locus ſit vacuus, vnam, aut alteram rationem ſoluendam non deſinam proponere, & referre, vt de ſimilibus in reliquis ſimile fiat iudicium.

Ergo Philoponus inimicus fidei contra hoc myſterium arguebat ſic. Hypoſtaſis, & perſona nihil aliud eſt quam natura, & ſubſtantia ſingularis: ſed in Diuinis eſt vna tātum natura, & ſubſtantia: ergo vna tantum parſona; aut ſi tres perſonæ, tres quoque naturæ, & conſequenter tres Dij: quod deteſtatur nedum fides, ſed etiam ipſamet natura. Probatur: nā in rebus creatis multiplicata perſona multiplicatur, & natura, & ens abſolutum: ergo erit idem, & in Deo.

Reſp. Et primo negatur maior: quia perſona naturæ & ſubſtantię intellectuali addit ſubſiſtentiam incomunicabilē, & modum diuerſum ſe habendi, & vltimam actualitatem; ex qua incōmunicabilis exiſtit. Ad confirmationem, nego conſequentiam & reddo rationem: nam in ſubſtantijs creatis perſona eſt ens abſolutum, nec poteſt vna natura niſi vnam perſonam habere, quo ſequitur, multiplicata perſona, multiplicari, & naturam: ſed in Deo perſonæ ſunt relationes hinc ſit, vt ipſis multiplicatis, neceſſe non ſit multiplicari naturam abſolutam.

Secūdo. Admiſſo hoc myſterio, deſtruuntur plurima principia pręſertim tria lumine naturę nota; ergo non videtur admittendum; & primo illud. Quæ ſunt eadē vni tertio, ſunt eadem & inter ſe. *Ariſtot.* lib. 7. Topicorū c. 1. loco 5. *Si cui alterum idem & alterum* ſupple erit idem: *nam ſi non ſunt ambo eidem eadem, manifeſtum, quoniam nec ſibi inuicem.* Relationes enim Diuinæ, ſunt idem prorſus cum eſſentia Diuina, & ad inuicem re differunt.

Plurimis modis Theologi, ac Patres ſoluunt, & diluunt hanc obiectionem D. enim Athanaſius, oratione 2. & 4. contra Arianos, ſtultum eſſe docuit, Deum creatis rebus metiri, & ſubijcere ens infinitum legibus entis finiti: quo conſequitur, ſi axioma hoc aſſeratur tam de Deo, quam de creaturis, tanquam falſum reijciendum: neque enim Philoſophus naturalis hoc poterit niſi exemplia creatis probare D. Hieronymus lib. 18. in Iſaiam in proemio *Trinitatis recta confeſsio eſt ſcientiæ ignoratio.*

D. Anſelmus fuſius in Monologio idem probat toto c. 62. & 63. & lib. de Incarnatione Verbi c. 6. ad finem, de hoc axiomate verba faciens de Sāctiſſima Trinitate, tandem concludit *credat in illa aliquid eſſe quod in iſtis eſſe nequit.* S. Bon. inter alias rationes, hanc afferebat, non habere locum in relatiuis ſimul & abſolutis; ſicuti Diuina eſt eſſentia cum relatiuis perſonis: ſed de hoc pluribus infra.

Secundo, aliud quod eſt principium, & omnis forma ſylogizandi, hoc myſterio videtur tolli, quod vt intelligatur, obſeruandum medium in ſylogiſmis geminum eſſe, ſingulare in ſylogiſmo expoſitorio, vniuerſale in ſylogiſmo vniuerſali, de ſingulari euaneſcit hoc totum; quod tradit Dialecticus: ſi enim arguat: *hic Pater eſt hæc eſſentia, hæc eſſentia eſt hic Filius, ergo hic Pater eſt hic Filius*, quod falſiſsimum tamen eſt; ergo in hoc myſterio deſtruitur hoc fundamentum arguendi, ſi vniuerſale, conficiuntur argumenta vniuerſalia affirmatiua in prima figura, negatiua in 2. figura. De medio vniuerſali affirmatiuo dedit Ariſt. principium 1. Priorum, *dici de omni*, hoc eſt quod prædicatur de aliquo ſubiecto vniuerſaliter ſumpto, prædicatur etiam de omnibus illius inferioribus: ſi enim animal prædicatur de homine, prædicabitur & de ſingulis hominibus, atque ita in prima figura. omne animal eſt ſenſibile, omnis homo eſt animal, ergo omnis homo eſt ſenſibilis; deficit hæc forma in hoc myſterio: ſi enim arguatur. *Diuina eſſentia eſt Pater, Filius eſt Diuina eſſentia, ergo Filius eſt Pater*, hoc argumentum eſt in barbara, æquiualet enim vtraque propoſitio vniuerſali: Diuina enim eſſentia eſt tantum vna, & tota eſt Pater, & tota eſt Filius, & tamen hæreticè concludit hoc argumentum, quo ad diſtinctionem perſonarum. Idem Ariſt. aliud fundamentum refert pro vniuerſali argumento negatiuo, quod eſt *dici de nullo* ſcilicet quidquid negatur de aliquo vniuerſaliter ſumpto, negatur de omnibus ſibi inferioribus; ſed ſi de Diuina Trinitate arguitur *Fi-*

lius

Digitized by Google

lius non eſt Pater, Diuina eſſentia eſt Filius: ergo Diuina eſſentia non eſt Pater, ergo per hoc myſterium tollitur hoc principium; falſiſsimum enim eſt, Diuinam eſſentiam non eſſe Patrem.

Aliud quoque notiſsimum principium videtur tolli, ſcilicet omne vel eſt, vel non eſt 1. de eadem re duæ contradicentes propoſitiones non poſſunt eſſe veræ: eſſe, & non eſſe: ſed in hoc myſterio ſunt veræ: *tres enim perſonæ ſunt tres, & non ſunt tres*; quia ſunt vna eſſentia, deinde *eadem res eſt eſſentia & relatio*, & tamen relatio producitur, & eſſentia non producitur; ergo eadem res producitur; & non producitur.

Sed hæc nedum falſa, verum etiam friuola, & ridicula; mirè enim deſeruiunt omnes huiuſmodi artes; & modi Sylogizandi, etiam in hoc myſterio, ſi rectè & ad omnia requiſita proponãtur. quare ad quod opponebatur de ſylogiſmo expoſitorio Reſp. argumentum propoſitum in Deo non fuiſse expoſitorium; quod conſtat ex puris ſingularibus; nam terminus Diuinæ eſſentiæ non eſt ſingularis, ſed communis; licet enim in ſe ſit ſingulariſſima eſt tamen communis, quia verè reperitur in pluribus ſuppoſitis vna, & eadem. Ad argumentum, ergo conceſſa maiori, & minori negatur conſequentia.

Ad aliud principium, dici de omni, & dici de nullo, idem reſpondeo, nimirum verè habere locum in hoc myſterio, ſed in propoſitis argumentis de Deo nulla eſt conſequentia; quia medius terminus non rectè diſtribuitur & ideo poſita maiori, & minori, adhuc negatur conſequentia. ſicut enim non concludit hic ſylogiſmus. lupus eſt animal, animal eſt leo, ergo lupus eſt leo, ideo enim falſa conſequentia; quia terminus medius, animal, non rectè diſtribuitur: licet enim animal ſit leo, eſt etiam aliquod aliud, quod non eſt leo: eſt enim etiam lupus, non valet ergo conſequentia: ergo leo eſt lupus, eadem ratione terminus medius (eſſentia) non rectè diſtribuitur in argumento nam eſt quidẽ Pater: ſed etiam aliquid aliud vel aliquis alius, qua non eſt Pater, quare non ſequitur; ergo Filius eſt Pater. Eadem eſt reſponſio in ſylogiſmo negatiuo vniuerſali; quia idem terminus medius (eſsẽtia) non rectè diſtribuitur: eſt enim quidem Filius, verum aliquid aliud, vel aliquis alius, ſcilicet Pater; quare non ſequitur, ergo Diuina eſſentia non eſt Pater.

Ad tertium principium, eadem neceſſario eſt reſponſio cum proportione, & negandum quod aſſumitur abſolute; tollitur enim contradictio in eadem re quando illa, quæ videntur contraria, vel contradictoria ſunt ſub diuerſa ratione: ſic in eſſentia Diuinæ perſonæ ſunt idem, in relatione plura, vel plures, eodem modo eadem Diuina eſſentia præciſè, vt eſſentia, non producitur, vt relatio producitur.

Dico ſecundo corollarie. omne argumentum, quod fingi & excogitari poſſet erit ſemper ſolubile: eſt certum; quia nulla poterit eſſe demonſtratio: non erit enim vnquam ex veris, & ſemper erit negandum, aut conſequens, aut antecedens; nec quicque vnquam poterit contra inſurgens argumentum infidelis: eſt Sancti Thomæ reſponſio 1. parte quæſt. 1. art. 8. his verbis. *Manifeſtum eſt, probationes quæ contra fidem inducuntur non eſſe demonſtrationes, ſed ſolubilia argumenta.*

Dico tertio, nulla ſuppoſita fide, ac reuelatione, vel mediata, vel immediata, impoſſibile eſt non ſolum hoc myſterium demonſtrare, ſed nec cogitare quidem, tanquam aut poſsibile aut non impoſsile. Primam partem aggredior probãdam, & 1. ex Diuinis Literis. Ad Hæbreos 11. ex conditione fidei, *fides eſt argumentum non apparentium*, ergo quæ fidei ſunt cum nec appareant, nec apparere poſsint, euidentes fieri non poſſunt, nec demonſtrari; multo inter omnia abſconditiſsimum. Iſaię 3. *Generationem eius quis enarrabit*? Quem locum ſcio multos Patres de generatione fidelium ex Chriſti morte interpretari, alios de generatione, & conceptione de Spiritu Sancto ex ſanctiſsima Virgine Matre; multi, & plurimi tamen de æterna quoque generatione ſumunt, ac valde conſone, ac fortaſſe conſequenter; quaſi hæc velint indicare primum ideo de Spiritu Sancto conceptum Verbum de Virgine natum ſit, quia ab ęterno de ſubſtantia Patris conceptum ſit, & genitum æquale Patri. & ex abiectiſsimo, & miſerrimo ſtatu in morte licet difficile admodũ foret eius æternam, & auguſtiſsimam generationem Diuinam diuinare, quia tamen ſub illis obbrobrijs latere debebat Diuinum Verbum; hinc non mirandum quod ex Chriſti ſanguinis efficacitate tot orituri eſſent fideles vt numerari non poſſent, vt ſerè ad literam dixerit Dauid. *Nimis honorati ſunt amici tui Deus*: & ſtatim addiderit *dinumerabo, eos & ſuper arenam multiplicabuntur &c.* licet ergo tres numerẽtur expoſitiones loci huius vna tamen ex alia pendet. Quæ omnia ſere egregie S. Hieronymus in hunc locum complectens ait, *quod duobus modis intelligitur, aut enim de eius diuinitate accipiendum eſt quod impoſsibili ſit Diuinitatis myſterium noſſe de qua ipſa loquitur in Prouerbijs. Ante omnes colles generauit me Dominus iuxta illud, quod alibi legimus: Quis cognouit ſenſum Domini? ideſt nullus: aut de partu Virginis, quod difficulter poſsit exponi.* Ex qua expoſitione optimè ſequitur, *generationem eius quis enarrabit*? ſcilicet nullus: quod idem, vt indicabam, de generatione, & redemptione fidelium aſſerendum.

Ioannis 1. *Deum nemo vidit vnquam, vnigenitus, qui in ſinu Patris, ipſe enarrauit*, Qui locus, quam vrgeat vt rectè, & lucide percipiatur, ex difficultatibus, quibus inuoluitur, expediendus eſt. Quarum prima illis continetur verbis *Deum nemo vidit vnquam*: certa enim res eſt magnis viris admodum difficilis, vt prima facie videatur veteris Teſtamẽti multis locis aduerſari; vt multum inſudarint has apparentes tollere repugnantias ſacri expoſitores quod teſte D. Auguſtino contra Adimantium cap. 9. facere noluerunt Manichæi; imò hoc etiam loco decepti nõ erubuerunt veteri Teſtamento nouum eſſe contrarium affirmare. loca autem antiquę legis permulta ſunt

præ-

Præcipuè Geneſis 31. Iacob de ſe loquens. *Vidi* (dicit) *Dominum facie ad faciem.* Exodi 33. *loquebatur autem Dominus ad Moyſem facie ad faciē.* Iſaiæ 6. *Vidi Dominū,* Magna inde orta eſt diſputatio inter Scholaſticos non ſolū, ſed inter magnos etiam Patres. An quis vnquam inter mortales degens diuinam viderit eſſentiam, ſaltem per actum traoſeuntis; quam aut ſoluere, aut referre diffusè, non videtur præſentis loci.

Altera difficultas non minoris fortaſſe ponderis. Quid ſibi velint illa verba. *Qui eſt in ſinu Patris.*

Tertia. Quæ nam totius dicti ſit ſubiecta ſententia, quodue propoſitum.

Ad primam autem difficultatem reſpondent. D. Irenæus lib. 4. cap. 17. & D. Auguſtinus, indicato loco, contra Adimantium, eodem capite 9. Deum (Patrem) nemo vidit, neque in veteri teſtamento, niſi cui Filius reuelauerit, itaque tollitur repugnantia. Viderunt quidem veteres Deum Patrem quoquo modo: potuit tamen dicere hic D. Ioannes, *Deum nemo vidit vnquam*; nam ſequitur, *Vnigenitus, qui eſt in ſinu Patris, enarrauit*, hoc eſt nemo vidit vnquam Deum Patrem, ſine Filio reuelante. S. Hilarius libro 5. Trinitatis. Deum Patrem in veteri teſtamento nemo vnquam vllo modo vidit: quotquot enim apparitiones veteribus Patribus factæ leguntur ſub quibuſcumque figuris, non de Patre, ſed de Filio ſemper fuiſſe aſſerit: Ille namque, qui poſtea in carne viſus eſt, idem prorſus nimirum Filius, antiquioribus Patribus multifaciam apparuit; vnde contra Arianos argumētabatur. Deus viſus eſt Patribus. Deus non viſus ex Io: 1. & Exodi 33. *Non videbit me homo, & viuet.* ſed inter hęc loca non poteſt eſſe contradictio: ergo in Deo plures perſonæ neceſſario fatendæ, vt in vna dicatur Deus viſus; in alia non viſus. Argumentum prorſus idem deſumptum ex Tertulliano contra Praxeam pluralitatem perſonarum negantem. D. Epiphanius hæreſi 70. D. Ambroſius lib. 1. in Lucam de apparitione Angeli Zachariæ, D. Auguſtinus Epiſtola 112. Deum non ſolum Patrem, ſed Filium & Spiritum Sanctum nemo vidit, aut videbit vnquam, ſicut Filius; hoc eſt ea perfectione, & adæquata compræhenſione, & hoc pluſquam certum eſt: Deus enim infinitus niſi à ſe ipſo infinito compræhendi poteſt, ita hęc ſententia & hoc aſſertum per hos Sanctos Patres interpretandum, & ſumendum eſt non in ſenſu abſoluto, ſed comparato ad Filium, & hinc valde eleganter ad Chriſti Diuinitatem probandam ſumatur argumentum.

Denique D. Chryſoſtomus hom. 14. D. Cyrillus lib. 1. in Io: D. Greg. Nyſſenus lib. de Beatitudine ſuper illa verba. *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt* D. Gregorius Magnus lib. 18. Moralium cap. 28. nemo hominum vnquam vidit vſq. ad Chriſti tempus plena viſione aperta, & per eſſentiam Deum, ſed qui dicuntur vidiſſe ſemper in ſimilitudine aliqua, & ſpecie interpretandi ſunt vidiſſe. Dixi hominum: de Angelis enim, qui in cælis remanſerunt, ortodoxa, & Catholica veritas eſt; ab initio ſtatim poſt creationem confirmatos in gratia vidiſſe Deum.

Omnes horum grauiſsimorum Patrum expoſitiones doctiſsimas, & acutiſsimas, & certas veritates continere exiſtimo: eos tamen magis ad D. Ioannis ſcopum loqui reor, qui de quacumque Dei, aut Patris ſolius, aut totius Trinitatis viſione agentes, ſemper nullam, ſine Verbi Filij reuelatione, factam eſſe inferunt: eſt enim Sancti Ioannis ibi certum propoſitum, ſolum Filium audiendum, ſolumque eſſe veritatis Doctorem, ac Magiſtrum, quia ſolus Deum vidit, & inde ſolus potuit veritatem enarrare.

Ad ſecundam verò tollendam difficultatem, ne longiori Patrum commentario lectores onerare videar, exactiſsime mihi vnus S. Cyrillus lib. 1. in Ioannem cap. 27. ſufficere videtur: eo præſertim, quia cum eo idem ſentiunt S. Chryſoſtomi homilia 14. S. Ambroſius lib. de Reuelationibus Patriarcharum, S. Athanaſius lib. 3. de vnica Trinitatis ſubſtantia. eſſe in ſinu Patris Filium, eſt eſſe non, vt ſeruum, ad pedes Patris, ſed vt Filium, æqualem, & dilectiſsimum in ſinu: non enim, vt ſeruus, ita prope accedere auderet. Quo ſequi etiam cæcus videt neceſſe eſt, & omnis conſilij in ſinu Patris reconditi conſcium eſſe Filium, Patrique parem, & eiuſdem ſubſtantiæ cum ipſo: vnde adhuc efficacius D. Ioannis euincit argumentum. ſolus Filius conſtitutus eſt, omnis veritatis Magiſter, ſoluſq. dignus, qui conſtituatur; quia non ſolum, vt cæteri Beati, Deum videt, & in Deo populis reuelanda; ſed ita videt, vt in ſinu Patris hoc eſt, vt Filius eiuſdem cum Patre ſubſtantiæ: vt ſit eius reuelatio ita certa, & infallibilis; ſicut ipſa Diuina Veritas, quæ eſt Filius, qui reuelat, & enarrat.

Hinc liquido ex ſe patet, quod ijs verbis, & hac integra ſententia voluerit S. Ioannes nobis explicare, ſolum ſcilicet Chriſtum audiendum, non Moyſem, aut alium quemquam, quia ſolus vidit Deum, & omnia de Deo nobis reuelanda, & vidit viſione Diuina, qua in ſinu Patris, & cū Patre Deus eſt: vnde ex omni capite certa, & infallibilis euadens doctrina, vt eidem immobiliter, & omni abſq. errandi ſuſpitione adhæreat omnis homo. Hinc denique conficitur efficaciſsima ab auctoritate argumentatio. ſolus Chriſtus vidit Deum Patrem, Deum vnum, & trinum (vt omnium Patrum complectar interpretationes) ergo ſolus ipſe ſcire, & enarrare poteſt. ergo ſine Chriſti enarratione, & reuelatione Deum Patrem, & conſequenter totam Sanctiſsimam Trinitatem intellectus creatus, quocumque acumine, & naturali lumine imbutus, & adiutus, percipere non poteſt.

Sed ne plura quam veritatis probandæ, quam præ manibus habemus, poſtulet neceſsitas, referamus, ſufficiant nobis illa loca Diui Matthæi, & D. Lucæ. Matt. 16. *Tu es Chriſtus Filius Dei viui. Beatus es Simon Bar Iona, quia caro, & ſanguis non reuelabit tibi, ſed Pater meus, qui eſt in cælis.* Vbi nomine carnis, & ſanguinis comprehenditur quidquid non eſt Pater reuelans: exceptio enim declarat amplitudinem, quæ reſtat in regula, præter exceptionem; quare neque humanus, neque Angelicus intellectus potuit Filij Diuinitatē reuelare

ita

ita aſſumit hunc locum, & interpretatur S. Cyrillus Alexandrinus in oratione de Verbi incarnatione, quæ ponitur in Epheſina Synodo cap. 1. & D. Hilarius in Commentario, & 6. de Trinit. & D. Athanaſius Ser. 3. contra Arianos, & Epiſtola de ſententia Dionyſij Alexandrini contra Arianos interpretantur, D. Petrum Chriſti Diuinitatem confeſſum, & Dei Filium natura, non adoptione. Quibus conſona ſunt quæ in eundem locum ſcribūt S. Hieronymus, & S. Hilarius in Catena D. Thomæ; cui loco ſimilis eſt ille D. Pauli ad Galatas 1. *continuo non acquieui carni, & ſanguini.* Matt. 11. *Nemo nouit Filium niſi Pater, neq; Patrem quis nouit, niſi Filius, & cui voluerit Filius reuelare.* Lucæ 10. *Nemo ſcit, quis ſit Filius, niſi Pater, & quis ſit Pater, niſi Filius, & cui voluerit Filius reuelare.* Quem locum ex vtroque Euāgeliſta ſumptum aſſumunt ad neceſsitatem reuelationis aſſerendam ad hoc percipiendum myſteriū Conc. Nycænum, & Clemens Romanus Epiſtola ad Iacobū fratrem Domini, & D. Cyrillus Hieros. Cathecheſi 6., & Baſilius libro 1. cōtra Eunomium, & D. Epiphanius hereſi 76., & D. Hilarius lib. 2. de Trinitate, & Synodus Antiochena 1. in profeſsione fidei miſſa ad Paulum Antiochenum Epiſcopum. Ex quo loco animaduerto hic etiam ſubintelligi neceſſario Spiritum Sanctum: de omnibus enim Diuinis perſonis eadem eſt ratio; Patrem enim, & Filium æquè Spiritus Sanctus nouit, ſicut Filius Patrem, & æquè reuelat.

Conſequenter omnes Patres ita locuti, & doctrinam, & veritatem hanc neceſſario ſunt profeſsi vbicumque occaſio ſeſe offerebat, & præſertim DD. Ambroſius, & Hilarius, quos hic refert S. Thomas. D. Hieronymus 14. capite in Geneſim *quod eſt nomen, ſi noſti*, dicit, ibi fieri mentionem de Diuinis perſonis; quæ naturaliter non poſſunt cognoſci: & ante ipſos D. Athanaſius Epiſtola ad Serapionem. Iuſtinus Martir in expoſitione fidei. Dionyſius cap. 2. & vltimo de Diuinis Nominibus.

Vnicam hic inter tot à Scholaſticis confectas, veluti communiorem, & efficaciorem rationem ſtatui afferre, quam ſic compono. Omnis cognitio, quæ naturaliter de Deo haberi poteſt, non poteſt colligi niſi ab effectu, & creaturis: ſed in creaturis nulla eſt, quæ ſit trina in perſonis, & vna in eſſentia, aut Deum trinum ſufficienter repræſentet: ergo. Maior propoſitio ſufficienter ſuſtineri, & probari hoc modo poteſt 1. ad Romanos 1. vbi D. Paulus apertiſsimè loquens de cognitione naturali Dei rem ad hoc vnum medium reducit. *Quod notum eſt Dei* ideſt quod ad Dei cognitionem percipiendā attinet, *manifeſtum eſt in illis*, hoc eſt, manifeſtauit Deus homini ex creaturis: *Inuiſibilia enim ipſius* ſcilicet Deū ipſum, vt D. Athanaſius oratione contra Idola *à creatura mundi*: ideſt per creationem mundi, vt D. Chryſoſtomus, Theodoretus, D. Auguſtinus, & Theophilactus, vel res creatas, ac præcipuè veluti nobiliorem inter omnes, ac omnium ferè Epitomen, hominem nimirum, iuxta illud Marci vltimo *Prædicate Euangelium omni creaturæ*, vt S. Gregorius Magnus, S. Bernardinus, S. Anſelmus in hunc D. Marci locum, & ſequuntur Scholaſtici, cum Magiſtro. *Sempiterna quoque eius virtus, & Diuinitas*: ideſt Maieſtas, & excellentia ipſius Dei immortalis, vt præcipuè S. Auguſtinus obſeruauit, multis in locis ſer. 143. & lib. 8. de Ciuit. Dei cap. 9. & Dei potentia, vt præſertim Origenes: ergo tantum ab effectibus Deus, vt vnus, cognoſci poteſt 2. eſt doctrina Ariſt. locis ſupra relatis. 3. Omne medium naturale cognoſcibile, quod veritatem hanc oſtendere poſsit, eſt aut per cauſam, aut per effectum, ex Ariſtotele, & communi, & certa omnium ſententia, quidquid aliud voluerit addere Lullus, vt infra: ſed in re hac, de qua diſputamus, medium non poteſt eſſe cauſa, & patentiſsimum eſt: nam Diuinæ Trinitatis repugnat dari cauſam; ergo remanet tantum effectus: ſed neque per vllum effectum, quem hucuſque produxerit Deus; omnis enim effectus eſt à Deo, vt vnus eſt, quippe vt ab vna virtute vnius Dei eſſentiali emanans, iuxta illud apud omnes tritum axioma, opera Trinitatis ad extra ſunt indiuiſa: actiones verò, quibus trinus, ſunt ad intra, & relationes; quibus Diuinæ perſonæ tantum producuntur, & conſtituuntur, non poſſunt colligi ab ijs, quæ ſunt ad extra. Declarabat, & probabat ſufficientiſsime ſupra Seraphicus Doctor ex illa bina, eadēque vetuſtiſsima ex D. Dionyſio diſtinctione. A creatura in Deum aſcendimus, & a creaturæ cognitione, in Dei cognitionem vel affirmando, vel negando: hic nō per negationem, cum hic affirmetur de Deo, quod creaturas produxerit, & in dies producat, quod ſit trinus &c. non per affirmationem; nam nulla creatura trina cognoſcitur cognitione naturali ad modum Dei: ergo.

Imò multa quaſi oppoſita inueniūtur in creatura, quæ poſſent impedire hanc cognitionem, vt eruditè, & grauiter diſcurrit, & probat Albertus Magnus 1. quia ſimilitudo in creaturis adeo imperfecta eſt, & deficiens, vt magis à Deo deducat, quam ad ipſum conducat 2. quia ſcientia Dei, & cognitio nimis nos excedit, & mirabilis eſt, & confortata, & non poſſumus ad eam, iuxta illud Dauid. *Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me, & confortata eſt, & non potero ad eam.* 3. Quia ſcientia naturalis noſtra habet principia oppoſita in rebus creatis; vnius enim naturæ indiuiduæ non poſſunt eſſe plura ſuppoſita, & ſubſiſtentiæ; quæ ad inuicem referātur. Deinde ſubſtantia prius eſt quam referatur. Denique omne gignens eſt prius genito, & prius in potentia ad generandum, quam generet. quæ omnia in Deo falſiſsima ſunt.

Inſtabit tamen Raimundus Lullus, & probabit, dari nouum, & tertium arguendi, & demonſtrandi genus, quod æquiparantiæ, vel ab æqualibus vocat, vt non ſolum à cauſa, & ab effectu, ſed medio quodam modo ab æqualibus liceat arguere, & demonſtrare ſanctiſsimam Trinitatē, & ipſe ſibi ſe feciſſe vaniſsime perſuaſit; & 1. in libro de demonſtratione æquiparantiæ, & alibi, hoc modo. Vbicumque eſt concordia, eſt etiam pluralitas; ſed in Diuina bonitate eſt concordia; ergo & pluralitas. probat minorē. Vbi eſt actus eſt concordia agentis, & acti in ipſo actu, ſed in Diuina bonitate, eſt actus bonificandi

ficandi

Digitized by Google

ficandi ergo eſt concordia bonificatiui, & bonificabilis in actu bonificandi. Secundo. vbicumque eſt æqualitas ibi eſt diſtinctio inter æqualia: in Diuina bonitate eſt æqualitas inter bonificatiuū, & bonificabile, ergo, & pluralitas.

Inſtabis ſecundo, Gen. 2. *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram*, Hic duo ſunt neceſſario animaduertenda. Primum, eſſe futile, & ridiculū, & monſtruoſum, quod ad creaturas ſenſu carentes, & iudaicum, quod ad Angelos directus ſit ſermo iſte, vt in hunc locū præcipuè S. Baſilius, S. Chryſoſt. S. Auguſt. lib. 16. de Ciuit. Dei cap. 6. S. Cyrilius lib. 1. aduerſus Iulianum, & cæterorum Patrum ortodoxa, & conſtans expoſitio; imo Cōcilij Sirmienſis, qua parte fuit Catholicum, in quo damnatur ſub anathemate, qui dixerit in hac auctoritate Patrem non eſſe locutum ad Filium, &c. quo reijcitur impudens etiam quorundam dictum, quod Deus cum dixit, *faciamus*, de ſe ſolo locutus ſit; numero tamen plurium, more Principum, qui vt ſuam oſtendant, & demonſtrēt auctoritatem, ſic loqui cōſueſcunt. volumus, decernimus; vt peracutè etiam iſtos refellit Theodoretus Quæſt. 2. in Gen. hac præcipua ratione; quia ob hanc cauſam debuiſſet ſemper ita loqui Deus, ac præſertim in monte Sina, quando ſumma maieſtate legem dabat, quo tamen loquendi modo, nec ibi, nec alibi vnquam vſus eſt, quod ſciam: ergo hoc loco per neceſſariam expoſitionem Diuinæ perſonæ ad inuicem locutæ ſunt.

Secundo, inter creaturas inueniri animam rationalē, poſt Angelū, ad Dei trini imaginē creatū: creauit enim Deus hominē ad imaginē, & ſimilitudinem ſuam, quo ſic arguitur; ergo Deus, vt Trinus, ad extra operatur; ergo à cognitione creaturæ ad Sanctiſſimæ Trinitatis cognitionem aſſurgere licet: inuenitur namque Dei Trini imago inter res aliquas à Deo productas.

Inſtare licet tertio. ad Rom. 1. *Quod notum eſt Dei eſt, &c.* D. Athanaſius, vt in commentario etiam notaui, orat. 2. contra Arianos, & lib. 5. de Diuina Trinitatis ſubſtantia hanc ſempiternam virtutem, & Diuinitatem interpretatur Filium Dei, Patri coæternum. Quam expoſitionem ideo repeto hic, quia eam ſecutus eſt etiam D. Ambr. vt refert, & teſtatur quoque Card. Toletus in hunc eundem D. Pauli locum. D. Anſelmus per virtutem Filium Dei, per diuinitatem Spiritum ſanctum exponit, ac ſi diceret, Filius quoque Dei, & Spiritus ſanctus, ergo per ea, quæ facta ſunt, perſonæ Diuinæ cognoſcuntur. Apud Euthymium leguntur Auctores etiam, qui de his verbis hanc eandem interpretationem ſuſtinere conantur.

Inſtare denique quarto. quis poſſet ita de facto accidiſſe; nam Mercurius Trimegiſtus in Aſclepio Monas gignit Monadem, & in ſe ſuum reflectit ardorem. Pytagoras apud Ariſtotelem 1. cæli, Deum ternario numero colendum docuit. Plato ex Porphirio, apud D. Aug. lib. 10. de Ciuitate Dei cap. 23. tres perſonas creditur agnouiſſe, primam, quam vocat vniuerſitatis Patrem; ſecundam primam mentem, ſiue, vt ſcribit Macrobius, filium; tertiam animam mundi, eandem S. Auguſt. 7. Confeſſ. cap. 9. fatetur, ſe librum Plotini legiſſe de tribus Hypoſtaſibus, & innumera alia id genus, quæ legere licet apud Euſebium Cæſarienſem lib. 11. de Pręparat. Euangelica cap. 10. Clementem Alexandrinum lib. 5. Stromatum, Iuſtinum Martyrem in Apologia, & in expoſitione Fidei, & omnia hæc, & plura alia apud Steucum vberrimè relata, & exarata lib. 2. & 5. de Perenni Philoſophia.

Ad primum reſpondeo, primo, mea ſententia, eſſe damnatum hunc dicendi modum, & hunc præcisè terminum actum bonificandi; Diuina bonitas bonificat: nam inter articulos interdictos, & condemnatos à Gregorio II. relatos à Directorio Inquiſitorum, hic eſt ſecundus: In diuinis Diuina eſſentia non eſt otioſa, ſed eſſentiat, natura naturificat, bonitas bonificat. Secundo, hoc argumētum, quoad rem, & materiam, eſſe communiſſimum omnium Theologorum, ac præcipuè S. Bonau. in hac diſt. 2. art. 1. quæſt. 1. & in Itinerario, & in Breuiloquio; quod tamen nec quicquam probat, aut probare poteſt, niſi, ſuppoſita fide, quod Deus trinus ſit; tamē vaniſſimè ab hoc homine vocatæ ſunt demonſtrationes iſtæ rationes, ſi quoquomodo probabiles ex creditis, & omnino ineuidentibus. Tertio. Actum hunc bonificandi duobus modis accipi poſſe reſpondemus; primo, vt hic actus dicat actionem realem, & communicationem propriæ perfectionis per veram productionem; vel tantum formalem, vt actus bonificandi ſit, ſicut albedinis album facere, vel, vt iſte loquitur, albificandi, ſicut, & animæ eſt viuificare: ſi primo modo ſumatur, certo certius, hoc eſſe omnino abſconditum, & ſola fide haberi, nullaq. ratione attingi, ne dum demonſtrari poſſe. Si ſecundo modo, quoad rem, hoc veriſſimum eſt, ſed quo ad rationem nihil aliud ſibi vult, quā Diuina voluntate eſſe per ſimpliciſſimam actualitatem, bonam, nullamq. prorſus diſtinctionem admittit, nullam requirit: imo omnino formaliſsima identitas eſt, ita vt illa concordia, quam iſte dicebat, & illa æqualitas nullam prorſus pluralitatem inducat. Ergo hic argumentandi modus, & reducitur ad alterum ex vetuſtiſſimis, receptiſſimisq. modis, vel per cauſam, vel per effectum, licet ineptiſſimè, & nimis inſufficienter. Nihil enim aliud eſſe poteſt, quam aut exemplum, aut principium aliquod vniuerſale applicatū ad Deum per æquiparantiam, vel excellentiam, ſed nullo modo ſufficit, ad demonſtrationem; niſi tanta ſit ſimilitudo inter ea, quæ æquiparantur; vt conueniant in eadem ratione formali, & faciāt inductionem euidentem, vel ſaltē, ſi ſumptum ex creaturis, ſit in ipſis euidens, & dum ad Deum applicatur, faciat euidentem illationem. Sed tunc neceſſario erit, vel à priori oſtendendo, id pertinere ad Dei perfectionem, vel deducendo ad impoſſibile: vel à poſteriori ab effectu in creaturis; quod tamen nulla efficacia probabit: quidquid enim ex creaturis, cognitione naturali, colligi poteſt magis diſſimile, quam ſimile huic diuiniſſimo myſterio erit, vt ſupra dicebat etiam Albertus, &c.

Ad ſecundum. fateor ingenuè, ac lubenti animo, illum locum in veteri Teſtamento primo eſſe illuſtriſſimum, ac primum ferè, ac præcipuum, quo

Digitized by Google

homini tradatur aperta Sanctiſſimæ Trinitatis, Diuinarum perſonarum in vnitate, & identitate eſſentiæ myſterium, ac fides, & ita obſeruare ſanctos Patres, inter eos, S. Auguſt. 16. de Trinitate cap. 6. S. Ambroſ. lib. 6. Exameron cap. 7. Nam illud *faciamus*, & illud *ad noſtram* perſpicuè multitudinem, & pluralitatem perſonarum indicant. Illud verò *ad imaginem*, *& ſimilitudinem*. & illud *creauit Deus ad imaginem*, *&c.* ſubſtantiæ vnitatem apertè reſtantur. Secundo hinc apertiſſimè colligo, hominem ad imaginem, & ſimilitudinem Dei, non Angelorum, (vt impiè quidam dicebat) creatum eſſe: tum quia ad animæ rationalis creationem, neque vt inſtrumentum, concurrere potuit Angelus: cum enim ſit incorporea, & immortalis, & ex nihilo creetur, ad eius creationẽ infinita virtus requiritur, cuius nullus Angelus, vt vbique præcipuè S. Bonauentura aſſerit, capax eſſe poteſt: tum quia non dixit Deus ad Angeli, ſed ad noſtram imaginem faciamus hominem: neque vna, & eadem eſt Dei, & Angeli imago, ſicut non vna, nec eadem natura, imò in infinitum diuerſa, & poſtremo apertiſsimè ſacer aſſerit Textus. *Creauit Deus hominem ad imaginem Dei*; ſed Angelus non eſt Deus: fateor hæc, inquam, & fateor catholicè: nego tamen primo Deum creaſſe animam, vt trinus eſt, ſed vt vnus, hoc eſt vna virtute, qua vnus, & tribus perſonis communis: dixit enim, vt indicaret ſe trinum; *faciamus*, ſed in Trinitate vnus creauit ad imaginem: eſt enim idem ſacerrimus Textus, qui refert, & *faciamus* in numero pluriũ, & *creauit* in numero vnius. Quod mirum eſt, quam veridicè, & eloquenter docuerit in hoc loco hom. 9. D. Baſilius, his verbis: *Et fecit Deus hominem, non dixit, & fecerunt, euitauit hoc loco multitudinem ſapienter: per illa namque Iudæum erudiebat: per hæc verò Gentilium excludens errorem ſecurè admodum ad vnitatem recurrit, vt & Filium ſimul cum Patre intelligas, & multitudinem Deorum longè periculoſiſſimam effugias*. Hæc D. Baſilius. Quaſi voluerit inferre, ſi creaſſet, vt tres, Deorum multitudinem, quaſi triplici virtute eſſentiali intuliſſet.

Secundo nego ex anima creata ad imaginem Sanctiſſimæ Trinitatis poſſe lumine naturali colligi, Deum eſſe trinum, ſi propriè, & formaliter imaginem ſumere volumus. Ratio S. Bonau. & reliquorum Theologorum communis eſt duplex. Prima, hominem eſſe ad imaginem Dei, ſicut ſola fides docet, & ſancta Scriptura refert, ita ſola fide percipitur. Secunda. ratio imaginis ſita eſt in relatione, & conformitate ad terminum, & obiectum; cuius eſt imago: ſed hoc eſt ſanctiſsima Trinitas, quæ ſola fide dignoſcitur; ergo, & imago, & imaginis relatio. Quod tamen, vt lucidius percipiatur, duo in anima obſeruanda ſunt. alterum, quod eſt abſolutè, & realiter fundamentum perfectionum, & relationum imaginis, & quaſi ipſius materiale: alterum, quod formale, & proprium imaginis, & relatiuum, vt ait Scotus. Primum naturali lumine notum eſt, ſicuti & anima forma naturalis intellectiua, & libera, vt grauiſſimè etiam Concilium Lateranenſe ſub Leone X. dũ ait, temerariè philoſophari eos, qui contra veritatem immortalitatis animæ conantur philoſophari. Secundum, ſolo fidei lumine, manifeſtum ſit.

Tertium vnico verbo ſoluere poſſem, aliorum Patrum, quos ſupra retuli, illius loci D. Pauli rationabiliorem eſſe expoſitionem, & textui accommodatiorem: nam verba D Pauli hanc habent connexionem. Per ea, quæ facta ſunt, virtus etiam, & Diuinitas eius perſpiciuntur: ſed diſtinctionem perſonarum, & myſterium Trinitatis nullatenus homo ex creaturarum cognitione, ſolo lumine naturali, aſſequi poteſt; cum lumine fidei, ex Matt. 11. ſolo, diuina Trinitas percipiatur. Aliquis alius fortaſſe poſſet reſpondere Verbi acceptionem poſſe eſſe geminam apud Theologos, vt alia ſit, & dicat Verbum vnius Dei eſſentialem ſapientiam, alia ſit ſecunda perſona genita. Sed hæc diſtinctio, & geminata acceptio Verbi nec placet D. Bonauenturæ, vt infra ſuo loco, nec ad verba D. Athanaſij in Commentario relata, nec aliorum Patrum hoc loco accommodari poteſt. Mẽte retinendum, quod eodem Commentario diximus, commentationem horum Sanctorum Patrum ſupponere auxilium ſupernaturale Diuinæ gratiæ excitantis, & conſequenter quoddam lumen fidei, quo ſuppoſito, nulla poſtea remanet controuerſia, & conceditur etiam, ex creaturis hoc myſterium colligi veluti eius veſtigio inſignitis, & quibuſdam, ſcilicet homine, &c. imagine decoratis.

Ad quartum, iam ſatis ſuperq. à ſanctis Doctoribus ſupra factum eſt: Sanctus enim Thomas in reſponſione ad primum interpretatur dicta illa philoſophorum de Trinitate appropriatorum, hoc eſt de quibuſdam eſſentialibus attributis, quæ appropriantur perſonis, vt potentia Patri, &c. non autem de Trinitate perſonarum. Diuus verò Bonauentura (ſi qua locuti ſunt ad hoc myſterium pertinentia) hos vetuſtiſsimos viros ex reuelatione non ſibi, ſed alijs facta, & fide ſaltem humana ex alijs didiciſſe: hos enim Philoſophos Græcos, iam cum Hebræis conſuetudinem habuiſſe, & ex Hebræorum ore aliqua aliquando de hac fide accepiſſe, & aliquos ex his ſacros libros legiſſe, & inde poſtea per ſua ſcripta ſparſiſſe quandam confuſam notitiã imperfectam, & plurimis erroribus mixtã; referunt SS. Patres, præcipuè D. Cyrill. lib. 1. contra Iulian., Clem. Alex. lib. 1. Strom. & lib. 5. ferè in fine tradẽs multa dogmata Theologiæ prædictos Philoſophos ex libris Prophetarũ didiciſſe. Inde in libro primo, veram Philoſophiam, ſeu Theologiã à Deo reuelante principium ſumpſiſſe. D. Auguſt. lib. 4. de Doctrina Chriſtiana cap. 28. & 18. de Ciuitate Dei cap. 17. D. Iuſtinus Martyr orat. exhortatoria ad Gentes, vbi refert, & Orphæum inuocaſſe Verbum Dei, per quod facta ſunt omnia, & plura teſtatur de ſpiritu Sybillarum, ex quibus plurima veteres diſcere potuerunt; vt non ſolum ex ſententia Platonis, & Ariſtot. ſed ex propria ſententia docet, Sybillas diuino ſpiritu fuiſſe locutas, de qua re videri poteſt Lactantius Diuinarũ Inſtitutionum lib. 1. cap. 6. & lib. 4. cap. 6. & alij poſtea recentiores, Viues in lib. 18. de Ciuit. Dei cap. 24. & Steucus lib. 1. & 3. de Perenni Philoſophia, plurimis capitibus.

Digitized by Google

bus. Neque hoc negat D. Thom. vt conſtat ex fine ſolutionis ad primum, & 4. contra Gentes cap. 7. Denique etiam per oracula dæmonum Philoſophi venire potuerunt in aliquam notitiam Diuinarum perſonarum, quas ante caſum, & peccatum Diuinæ reuelatione cognouerant. Probat, & refert D. Iuſtinus, prædicta oratione, quædam reſponſa dæmonum ad hanc ſimilem rem; nec mirum dæmones, aliquando, vera dixiſſe ſiue compulſos à bonis Angelis, ſiue impulſos libidine nocendi, qua veritatem ad maius malum retorquere contendunt: Lucæ enim. 4. etiam clamabant dæmonia. *Quia tu es Filius Dei, & increpans non ſinebat ea loqui.*

Liceat hoc loco pauca addere; primum de eorum Philoſophorum veridica hiſtoria non ſatis conſtare: Incipiamus à Mercurio Trimegiſto, de quo apertè fatetur Magnus Albertus, ſe neſcire, quis ſit iſte Mercurius, & certo credere, librum illum, qui Mercurij nomine circumfertur, eſſe confictum: & reddit rationem: omnia enim illa in illo libro legens proteſtatur, ſe inueniſſe in libro cuiuſdam Magiſtri Alani. Addit ſecundo, ſi quis Mercurius ante Chriſtum extitit, & ea quæ dixit de Deo, & Dei Trinitate, vt de Deo gignente Verbum, aut ex libro veteris Teſtamenti didiciſſe, aut de Deo producente, per ſuum intellectum, mundum; ideſt exequente in rebus, quod idea, & exemplari in ſe præconcepit. Idem, & eodem prorſus modo, S. Thomas hoc loco ad primum in fine, circa illa verba Monas gignit Monadem, &c.

S. Auguſt. 8. de Ciuit. Dei cap. 23. & 24. de tribus Mercurijs mentionem facit, & primus eſt Mercurius Hermes, qui dicitur Trimegiſtus, qui alios Deos à primo Deo factos eſſe dixit, & fuit Aegyptius. Secundus Mercurius maior, auus prędicti, natus Hermopoli. Tertius, qui de Deitate ſcribit, diſputans cum Aſclepio diſcipulo; de quo idem D. Auguſt. citato lib. & cap. 23. tradit fuiſſe idolatram. Quod idem de Platone, & Socrate aſſeruerunt Euſebius 13. lib. de Præparat. Euangelica cap. 9. & 11. & Tertullianus in Apologetico, qui Socratis impia ſacrificia deridet, & D. Chryſoſt. hom. 1. in epiſt. ad Rom. Ex quibus non videtur difficile deducendum, hos Philoſophos non potuiſſe; nec alta de Deo intelligere etiam ſi apud ſacra Biblia legiſſent, nec conſequenter ſuis libris tradere. Vnde addo ſecundo, quæ de perſonis Diuinis viſi ſunt aſſeruiſſe, nimis fortaſſe pia eſt Gloſſa, & eos indiſcreta afficit laude de appropriatis interpretari præcisè. Nam certum eſt, præcipuè Platonẽ, & aut multos immiſcuiſſe errores, aut multorum errorum poſuiſſe originem, & præbuiſſe occaſionem: idem enim Euſebius loco cit. impia, & nefaria dogmata, vel ex fabulis, vel ex vulgi opinione deprompta docuiſſe Platonem, apertè docet. Et S. Thomas lib. 4. contra Gentes cap. 6. & hic ad primum, de Filio Dei, quod, fuerit pura creatura, originem ſumpſiſſe ex Platonis dictis: dum enim viſus eſt loqui de tribus perſonis, quod Monas genuit Monadem, quod Pater genuit prolem, & habuit Filium ſibi conſimilem, diuerſas ſubſtantias poſuit, & prolem, Verbum mentem dixit ex Trimegiſto, primo eſſe factam. Hinc Arius Verbum eſſe creaturam hæreticè ſomniauit. Ergo homines iſti vtinam de his nunquam loquuti fuiſſent, eorumq. libri ad nos non perueniſſent: in his enim pertractandis adeò turpiter in multis lapſi ſunt, vt licet pauca quædam, vel vera, vel veriſimilia aliquando protulerint de Deo; magis tamen poſteritati, quæ contra Deum nefariè dixerunt, obfuerunt, quam quæ de Deo rectè profuerint (ſalua omni reuerentia, quæ S. Hieronymo debetur, qui epiſtola quadã ſua hortatur etiã ad Gentilium libros legendos, & ex ijs veritates, quæ inueniuntur, colligendas.) Vnde illud D. Pauli 1. Corinth. 2. de iſtis abſque formidine proferre poſſumus; *Loquimur Dei ſapientiã, quam nemo Principũ huius ſaeculi*, (ideſt, ex Gloſſa, Nemo Philoſophorũ) *cognouit:* & aut cum illud D. Thomæ in hoc art. corolarium alta mente reponendum, illos contemnere, & deridere fidem noſtram, qui his Philoſophorum locis, aut ratione naturali eam conantur probare.

Hoc loco ſoluenda illa quoque argumenta, quæ hac eadem quæſtione ſupra proſui. & ad primum, & ad maiorem, ſic eam diſtinguendo, reſpondeo. Licet intelligens intellectione realiter diſtincta diſtinctum verbnm producat; quia tamen Deus non intelligit, niſi per intellectionem identificatam cum eſſentia; ideo, nec realem terminum realiter diſtinctum ab eadem eſſentia neceſſario producit, & poſſet probari; ſicut Verbum, & Spiritus ſanctus realiter intelligunt, neque tamen Verbum producunt, ita non erit mirum, ſi idem aſſereretur de Patre.

Ad ſecundum. concedo primam potentiam eſſe in Deo, ideſt intellectiuam, negaret tamen Philoſophus, eam eſſe generatiuam Verbi realiter diſtincti, quia in Deo idem eſt obiectum, intellectio, & intelligens.

Ad tertium reſponderi poteſt. decere quidem ſummam communicationem, Diuinam bonitatem producere diſtinctam perſonam infinitam, aliunde tamen implicare, plura eſſe ſuppoſita eiuſdem naturæ, & in eadem ſuppoſita non eſſe partitam ipſam naturam. Deinde perfectionem communicationis non eſſe in cauſa communicante, ſed in ipſo effectu communicato, ſicut lumen Solis in effectu illuminato.

Ad quartum. Non eſſe quidem negandum aſſertum abſolutè, ſed ex adiunctis: licet enim conueniret Deo ſimilem ſibi producere: propter multas tamen imperfectiones ſibi neceſſario adiunctas, quæ valde Deũ dedecent, negandum. Præterea negandum abſolutè, Patrem generare, propter perfectionem; quia Filius, & Spiritus ſanctus æque perfectæ perſonæ, neque tamen generant. Denique Angeli perfectiores homine, nec generant tamen.

Ad quintum. videtur neganda maior: omnis enim multitudo ſupponit quidem aliquam vnitatem, & æquiuocatio vniuocationem; nihilominus non omnis productio æquiuoca ſupponit vniuocam, imò oppoſito modo ſe videtur res habere, vniuocam nimirum productionem veluti imperfectiorem ſupponere æquiuocam, eo perfectiorem, quo producit totam ſpeciem; vniuoca verò indi-

uiduum in ſpeciem. Præterea neganda eſſet conſequentia in Diuinis: diceret enim Philoſophus, repugnare eandem naturam non plurificari in plurimis ſuppoſitis; quare impeditur productio vniuoca vnius perſonæ diſtinctæ, non producta ſimul diſtinctè natura.

Ad ſextum negandum eſt fundamentum aſſumptum ad omnem inæqualitatem præcedere æqualitatem: conſtat enim, vt docuit D. Thomas quæſt. 10. de Veritate art. 13. arg. 5., vnitatem præcedere dualitatem. Poteſt ergo præcedere, & plura ſuppoſita æqualia vnum inæquale; deinde poteſt negari conſequentia à creatura ad Deum. Nullum ergo argumentum ſine lumine fidei indicat, aut indicare poteſt, ne dum demonſtrare, hoc reconditiſſimum myſterium.

Dico quarto, etiam ſuppoſita fide, nulla de Sanctiſsima Trinitate poteſt fieri demonſtratio. Hæc tamen concluſio non eſt æquè omnibus perſuaſa; imò nec deſunt homines, & in Theologia eminẽtis notæ, qui oppoſitum ſenſerint. Henricus enim Quolib. 12. quæſt. 2. & Gerſon Alphabeto 13. littera H. (dum ait, poſſe manere fidem cum euidentia Trinitatis:) Durand. 3. ſentent. diſt. 23. quæſt. 9. n. 12. Baſſolis quæſt. 1. Prologi art. 2. Caiet. 2. 2. quæſt. 117. art. 5. Nicolaus de Cuſa Cardinalis in Dialogo de pace fidei, aſſerunt, abſque formidine, poſſe haberi euidentem cognitionem, & demonſtratiuam de hoc excelſo myſterio, & probant primo, Durandus, Angelis ita de facto facta eſt huius myſterij reuelatio, vt haberent euidentiam Dei reuelantis: certum enim, & euidens, fuit illis intellectum proprium niſi à Deo potuiſſe illuſtrari de hoc, & quocumque alio myſterio vnde arguere licebat. Quidquid reuelat Deus eſt verum, hoc eſt euidens Angelis: reuelat hoc myſterium; hoc quoque ipſis euidens: ergo pariter euidens concluſio eiuſdem myſterij 2. Baſſolis ex illo D. Iacobi. *Dæmones credũt, & contremiſcũt.* De damnatis idem hoc modo arguit. Sentiunt damnati, quod à Deo puniantur, quia Trinitatis myſterium non crediderunt; ergo euidenter conuicti ſunt de veritate huius myſterij. Tertio (licet ratio hæc magis ad proximum caput ſpectet) ſi cui per miraculum viſio beata Dei conceſſa eſſet, & poſtea ſuſpenderetur, remaneret illi euidens memoria, & cognitio de iam viſo myſterio: ergo. Poſſent multiplicari hic rationes è multis alijs effectibus ſupernaturalibus.

Quid, ſi fortaſſe S. Bonauentura fuiſſet ipſe quoque eiuſdem ſententiæ? profeſſus eſt enim primo ſe de hoc articulo fidei attuliſſe rationes neceſſarias, deindè in 3. ſent. docuit de eadem re, & conceſsit ſcientiam veram, ac fidem.

Vt exſoluantur argumenta; duo prænotanda, alterum quid ſit rem eſſe euidentem, vel rei habere euidentem cognitionem. Vt aliqua concluſio verè fiat euidens in ſe, neceſſe eſt, vt ſit per principia intrinſeca rei, quibus apertè percipiatur connexio prædicati cum ſubiecto. Quæ non poſſunt eſſe, niſi duo, ſicuti tantum duplex eſt genus demonſtrationis; alterum per cauſam, per effectum alterum, ſcilicet cauſa, & effectus. Alterum prænotandum quando principia, ex quibus veritas, & cognitio concluſionis pendet, ſunt extrinſeca, licet vera, & neceſſaria, & inferant bonam, & certã conſequentiam; non faciunt tamen euidentem in ſe, ſed in principijs, ex quibus ratio formalis eſt: quia ſunt extrinſeca. Vnde ſi dicatur: Deus ſe dicit trinum: omne, quod dicit Deus verum eſt euidenter; ergò verum eſt, Deum eſſe trinum euidenter. Reſpondeo: Verum quidem eſſe, Deum eſſe trinum, ſed non euidens, niſi in dicente, & atteſtante. Ratio eſt, quia extrinſecum eſt ad eſſe trinum, dicere eſſe trinum.

Ad argumenta ergo tria ſimul. Reuelatio, & viſio, & memoria ſunt quidem principia rectè, & verè inferentia, non tamen euidenter: quia ſunt extrinſeca; ideo S. Thom. 2. 2. quæſt. 5. art. 2. ait, poſſe conuinci aliquem ex ſermone Prophetæ pronunciantis in ſermone Domini aliquid futurum, & adhibentis ſignum, vt cognoſcat manifeſtè, hoc dici à Deo (verba S. Thom.) *Quia non mentitur Propheta, licet illud futurum, quod prædicitur, in ſe euidens non ſit.*

Quod verè ad D. Bonauenturam attinet. Si illa ſua argumenta neceſſaria opinatus eſt, neque tamen euidentia. Et quod neceſſaria dixerit fortaſſe, vel vt magnam probabilitatem explicaret, vel vt vim principiorum fidei, & reuelationis patefaceret; vt etiam paucis ſupra iterum.

Ad aliud de fide ſimul cum ſcientia, &c. Reſpondetur, rem omnino, & toto cęlo diuerſam eſſe: aliud enim eſt de eadem re poſſe haberi ſcientiam demonſtratiuam, & fidem; idque non repugnare, quò ad certitudinem; (vt hic notat etiam Bannes:) aliud de hoc myſterio quærere, an poſsit demonſtrari, quod nullo modo fieri poſſe, hucuſque ſatis probatum eſt, eo quia abſconditum ſacramentum eſt, & ſola fide notum, & ex diuina tantum Scriptura collectum. Quo tandem deducitur, ad concluſionem probandam argumenta ex ſolis principijs fidei pendere, quo ſequitur, ergo intrinſecè euidenter demonſtrari non poteſt; quando verò admittebatur alicuius articuli, non tamen omnium, poſſe haberi ſcientiam, & fidem, addebatur, non ſecundum idem, ſed ex diuerſa ratione. confirmatur. Licet enim lumen fidei ſupernaturale per redundantiam perficiat intellectum humanum, vt melius demonſtret eas veritates, quæ non excedunt terminos luminis naturalis, non poteſt tamen efficere, vt ratio naturalis extendatur vltra ſuam ſphæram: ergo Trinitatis myſterinm merè ſupernaturale nullo modo poteſt attingi à virtute naturali intellectus creati: neque enim lumen fidei operatur, vt principium cognitionis Sanctiſsimæ Trinitatis ſit connexum rebus ſenſibilibus, ex quo dependet, & quo indiget intellectus naturalis in demonſtrando; & eadem ratione, non poteſt ratio naturalis, etiam ſuppoſita fide, demonſtrare poſsibilem eſſe Sanctiſsimam Trinitatem, &c.

Dico quinto. Intellectus creatus fidei lumine illuſtratus poteſt inuenire rationes, & ſimilitudines, quibus conuenientiam huius myſterij, & declaret, & quoquo modo perſuadeat, & ſenſu, & modo, quem docet S. Thom. hic in reſponſione ad ſecun-

cun-

cendum. Quæ omnes ex duplici capite deduci poſſunt, vel ex creaturis, vel ex Deo ipſo: ex creaturis quidem, vt Dei veſtigium ſunt, & anima rationalis imago: ex internis voluntatis, & intellectinis emanationibus, quas in nobis agnoſcimus, vt D. Thom. quæſt. 17. art. 1. & 8. ex D. Auguſt. 15. de Trinitate: ex fœcunditate Patris, qua in creaturis generat Filium, Iſaiæ 66. *Nunquid ego, qui alios parere facio, ipſe non pariam?*

Ex Deo autem, vt ex Dei ipſius bonitate; vt hic S. Bonauentura per quatuor rationes, quas habet etiam Riceardus quæſt. 6., Thomas de Argentina, Deus eſt puriſsimus actus: ergo producens: ergo perſonæ productæ. Durandus. eſſentia ſicut identificat perfectiones, ita poteſt identificare oppoſitas relationes. Sed iſtæ ſunt origines, ergo conueniunt perſonis. In Deo debet dari omnis gradus entis, & omnis nobilis ratio exiſtendi. ergo non ſolum eſſentialis, ſed etiam perſonalis. Pluralitas, & vnitas ſunt compoſsibiles: ergo ſimul quoque vnitas eſſentialis, & pluralitas perſonalis. Omnis natura eſt cōmunicabilis, & omne ſuppoſitum eſt incommunicabile, & ſuppoſitum, & natura compoſsibilia ſunt, & natura Diuina multò magis communicabilis, & duobus modis communitabilis: & ſuppoſitum identidem Diuinum, quia perfectius, magis incommunicabile, ergo in Diuinis, vna natura, & plura ſuppoſita. Tanta perfectione Deus eſt vnus, vt ei non ſolum non repugnet pluralitas, ſed potiùs neceſſario inferatur: eſt enim ideo vnus, quia vnicè actu continet omnem perfectionem communicabilem, & conſequenter actu communicat, alias verè non eſſet perfectè actu vnus. Et innumera alia huius generis argumenta, & colligi poſſunt ex Theologis, & componi tum deforis, tum intus in Deo. D. Bonau. Diuina eſſentia eſt ſummè ſimplex, ergo in pluribus implurificata, quod eſt idem, ac ſi dicatur Deus eſt vnus, ergo trinus, diſt. 8. par. 2. art. 1. quæſt. 1.

Eadem ratione ſimilitudines tum ex eiſdem creaturis, tum ex Sanctis Patribus, per quas Concilium Nicænum lib. 2. §. Audi iam. diſce, inquit, ex ſenſibilibus intellectilia, & ex his, quæ intellectu ſubijciuntur, ea, quæ intellectum ſuperant, & ex his, quæ dicuntur, ea, quæ ſunt ſuper omnem ſermonem, &c. Infra loco indicando ex Sanctis Patribus referemus decem nobiliores ſimilitudines.

CAPVT II.

An per potentiam Diuinam, poſſit hoc myſterium viatoris intellectui fieri euidens.

ESto de potentia, vt aiunt, communi, & ordinaria nullam Sanctiſsimæ Trinitatis cognitionem vi naturæ aſſequi poſſe intellectum: potuit ne tamen Diuina omnipotentia eo perfectionis naturalis gradu intellectum creare, qui Deum trinum intelligeret, nullo poſtea addito lumine: eo vſque inſurgit, & perueſtigat animi noſtri curioſa ſciendi voluptas: neque tamen otioſè: nam hoc quoque ſcito clarior, & magis enucleata euadet exagitata quæſtio. Similes alias ſolent Theologi excitare difficultates. an abſoluta Dei virtute, poſsit Deū quis videre, ſine lumine glorię, an Deus poſsit creare hominem liberum, natura tamen impeccabilem: S. Bonau. in 2. ſent. diſt. 24. art. 1. Sanctus Thom. quæſtione de luminis gloriæ neceſſitate; affinis videtur hæc, quæ hoc loco nunc proponitur: ſi enim, ſine lumine deſuper deſcendente, & intellectum eleuāte, Deus videri in cælo nequaquam poteſt: ita, & cum proportione ſine fidei, reuelante lumine, ipſe Deus trinus à viatore intelligi non poteſt. Quæritur tamē ſub hoc titulo. An viatori poſſit à Deo communicari euidens Trinitatis cognitio, itaut non ſit, nec intuitiua, nec ita per alienas ſpecies, ex creaturis collecta, ſed quidditatiua, & propria, & quaſi per propriam ſpeciem, & hoc, an naturaliter potuerit creari tantæ perfectionis natura, aut eleuari per ſupernaturale auxilium. Eſt res inter Theologos controuerſa. proponitur hoc loco ab egregijs viris; licet alia ſit huius dubitationis propria ſedes.

Eſt primo loco proponenda Scoti opinio, lib. 2. ſent. diſt. 3. quæſt. 9. dicentis: poteſt Angelus habere euidentem cognitionem abſtractiuam eſſentiæ Diuinæ: quam ſi haberet, eſſet aliquo modo naturalis, quatenus non eſſet actus gratuitus gratiæ, & gloriæ, & poſſet eſſe congenita intellectui Angelico in ipſa creatione: Alia tamen ratione non eſſet naturalis, quia per vires naturales non poſſet colligi illa ſpecies, nec ab agente naturali creari; ſed à ſolo Deo. In reſponſione ad quartum defendit, tanquam probabilius, idem Scotus, per illam ſpeciem, & cognitionem Angelum non cognoſcere Sanctiſſimam Trinitatem, ſed tantum Diuinam eſſentiam quidditatiuè. Addit tamen, illam cognitionem eſſe ſupernaturalem, quæ poſſet repræſentare Diuinam Trinitatem.

Tria ergo videtur dicere. Primum huiuſmodi ſpeciem de Diuina eſſentia eſſe poſſibilem. Secundum. poſſe dici naturalem, qua parte perficit naturam, & ab initio naturæ datur. Tertium de Sanctiſsima Trinitate ſpeciem poſſe quidem dari ad euidentis actum cognitionis; tamen fore ſupernaturalem. Magis abſolutè loquitur Maior in 2. d. 3. quæſt. 5. concl. 5. & q. 3. Prologi, Baſſol. quæſt. 1. Prologi art. 2. Petrus Aliacenſis in 1. q. 1. Prologi art. 2. Ocham q. 1. Prologi art. 3. concl. 2. 3. & 4. cum hac tamen limitatione, qua hi Doctores cognitionem hanc dumtaxat poſſe eſſe ſupernaturalem, tradunt. Addit Gabriel, art. 2. neque hanc ſupernaturalem concedi, poſsibile, niſi myſteriorum neceſſariorum; veluti quod Deus ſit vnus, ſapiens, potens, trinus, &c. nequaquam verò Creationis, Incarnationis, Reſurrectionis &c.

Oſtendi poteſt hæc doctrina, ac ferè ſic probari. Primo, quia ſicut talis notitia non repugnat; ita neque ſpeciei eius principium: neque enim negandus talis ſpeciei actus proportionatus. Secundo cognitio abſtractiua, eſt prior intuitiua: ſed prior, poteſt eſſe ſine poſteriori: ergo. Deinde: poteſt per diuinam virtutem quæcumque notitia intuitiua conſeruari in abſentia obiecti: ergo poteſt fieri,

vt illa, quæ erat intuitiua, fiat abſtractiua. Præterea: Angeli viatores cognouerunt euidenter, Deum eſſe illum, qui eis myſteria fidei reuelabat: ergo habebant euidentiam illorum: quia euidens illis erat, Deum non poſſe mentiri. Denique, euidenter Angelus cognoſcebat habitus ſuos infuſos etiam fidei, ſpei, &c. ſed fides ſemper inclinat ad verum: ergo euidenter cognoſcebat, Deum eſſe trinum, & reliqua per fidem credita.

Secunda ſententia Durandi quæſt. 3. Prologi, & 2. ſent. d. 23. q. 2. Capreoli 1. ſent. d. 3. q. 2. art. 3. in reſponſ. ad ſecundum, contra ſextam concluſionem. Iſti negant abſolutè, & ſub quacumque ratione poſſe viatori communicari cognitionem euidentem in ſe myſterij Sanctiſsimæ Trinitatis; ſed hanc omnem cognitionem, aut debere eſſe per ſpecies alienas, aut claram, & intuitiuam.

Mediat Caiet. 2. 2. q. 1. art. 4. & q. 5. art. 1. & q. 117. art. 5. & docet, proceriores in Eccleſia, v. g. Adam, Prophetas, Apoſtolos, & Angelos habuiſſe quidem huius myſterij fidem; ſed ſimul, & euidentiam, vt ipſe ait, in atteſtante; certo namque nouerant, Deum eſſe, qui mentiri non poteſt, qui ipſis hæc reuelabat: imò 3 par. addit q. 11. art. 1. Chriſtum Dominum per ſcientiam infuſam huius myſterij habuiſſe euidentiam, non tamen in atteſtante præcisè, quia ipſe non habebat fidem, vt etiam comprehenſor: euidentia autem in atteſtãte eſt fides, qua creditur reuelationibus à Deo factis cum euidentia, ipſum Deum non poſſe mentiri.

Licet cum de Dei abſoluta omnipotentia agitur, nullo limite licitè limitanda, nec termino definienda; ſed etiam cum timore, & tremore ad ea, quæ captu noſtro non aſſequimur, extendenda: multo enim plura poteſt Deus facere, quam nos intelligere, vt vbique omnium Theologorum ore teſtatur ipſa veritas: non eſt tamen Doctorum temeritati tribuendum, ſi aliquando reque de potentia abſoluta aliquid poſſe fieri, negant: id enim apertè colligunt, repugnare fieri, aut ita eſſe ſæpè exiſtimant, & ſibi perſuadent: ita res in hac ſententia accidit; potiſsima enim ratio tum ijs, qui negant Sanctiſsimæ Trinitatis euidentem cognitionem poſsibilem, tum ijs, qui aſſerunt, eſt, quia repugnat, vel non repugnat: cætera enim etiam, quæ non intelligimus, proculdubio operari poteſt Deus. Quod verò hic quærimus, quomodo ſe habeat, quò meliùs fieri poſsit notum fiat.

Primo aperiendum, & expendendum, quid ſit cognitio abſtractiua, & intuitiua; re enim hac probè animaduerſa difficultatis nodus erit ſolutus. Eſt ergo rei quidditatiua cognitio, quæ propriè, ac per propriam ſpeciem perfectè rem cognoſcit; quæ poteſt ſubdiſtingui in abſtractiuam, & erit, quando rem quoad eſſentiam, & quid eſt, comprehendit quis abſtrahendo ab exiſtentia in tempore; ita vt dicatur abſtractiua, quia eſſentiam tantum contemplando abſtrahit ab hic, & nunc, ſicuti cum aliquis cognoſcit roſam in hyeme; eadem verò, quando non ſolum in eſſentiam rei propriæ fertur intellectus, ſed etiam in exiſtentiam eiuſdem rei præſentem, intuitiua nuncupari à Theologis ſolet; quemadmodum, ſi quis ex eclipſi in vno hemiſphærio intelligeret eclipſim in alio hemiſphærio fieri, non intuitiua foret, ſed abſtractiua, & notitia: Ita Scotus diſt. 3. q. 9. licet Gabriel q. 1. Prologi art. 2. not. 2. his omnibus vſque adeo non conſentiat; tenet enim ad ſcientiam intuitiuã non requiri ad eſſentiam rei, niſi exiſtentiam, præſentiam autem hic non eſſe neceſſario requiſitam. Quæ quidem exceptio in genere non eſt improbè facta, ſecundùm aliquos; licet ad quæſtionem hanc nihil faciat, vt patebit. Hanc cognitionis diſtinctionem vterque S. Thelogus, licet ſub alijs verbis, agnouit, & docuit; Diuus enim Bonau. in 1. ſent. d. 39. art. 1. q. 3. intuitiuam *viſionis* ſcientiam; abſtractiuam *ſimplicis intelligentiæ* nuncupauit. Eodem modo prorſus S. Thom. 1. par. quæſt. 14. art. 9. vt etiam interpretatur Capreol. 2. ſent d. 3. q. 2. art. 3. ad primum. Idem S. Bonau. in 3. diſt. 14. q. 1. art. 2. abſtractiuæ *ſimplicis notitiæ*, intuitiuæ *experientiæ* nomen dedit: In 4. d. 60. p. 2. art. 1. q. 2. abſtractiuam *rei abſentis*, intuitiuam *rei præſentis* dixit. Quibus ad intuitiuæ rationem obiecti præſentiam neceſſariam eſſe, quicquid alij voluerint, indicauit.

Secundo animaduertendum; de ratione intrinſeca eſſentiæ Diuinæ eſt, quod exiſtat, & vbique exiſtat; vbique ſit præſens; eſt enim Ens omninò primum, independens, ſummè ſimplex, neceſſarium, & neceſſario infinitum, vt, ſicuti non poteſt intellectu Deus percipi, niſi etiam ſapiens, & bonus, &c. percipiatur; ita neque eſſentia, niſi exiſtens, & infinita, & immenſa. Hoc ſupponitur ex 1. ſent. D. Bonau. diſt. 8. par. 2. art. 1. quæſt. 2. & 1. par. S. Thom. quæſt. 3. art. 4.

Tertio animaduertendum. Rei exiſtentis cognitio euidens eſt, & eam intueri, vt in ſe eſt, & talis, ſecundum omnes conditiones ſuæ exiſtentiæ; remoto omni medio, & ſpecie intrinſeca: quia quatenus extrinſeca rem, vt in ſe eſt, repræſentare non ſufficit: hæc enim cognitio non nititur vllo medio cognito extra Deum (loquimur enim hic de Deo tantum:) quippe qui tunc eſſet, aut obſcura, aut incerta, & ad ſummum probabilis: quæ potius euidentiæ opponuntur, quàm eam vllo modo efficiant.

Quarto denique animaduertendum circa viatoris nomen, cuius, ex varijs Doctoribus, duæ ſunt intrinſecæ conditiones: altera enim eſt, qua ad vltimum ſuum finem adhuc non peruenit, ſed in eum tendit, vt adipiſcatur; altera, quam ſic deſcripſit Scotus quæſt. Quolib. art. 2. concl. 2. & ante ipſum S. Thom. 4. d. 49. q. 2. art. 7. ille viator eſt, qui intuitiuam Diuinæ eſſentiæ non habet cognitionem in mortali vita conſtitutus. Hic verò ſtatus, inquit, viæ eſt in qualibet rationali creatura, in quo à beatitudine deficit. Quo conſequitur ex hoc vtroque Doctore, imò vterque deducit, ſi miraculosè fiat, vt creatus aliquis intellectus viæ tantum habens diſpoſitionem diuina virtute ad videndum Deum per eſſentiam eleuetur; ex huiuſmodi viſione non poſſe beatum appellari ſimpliciter; ſed tantum ſecundum quid, nimirum vt in actu beati communicat. Ex quibus neceſſario infertur, viatorem in huiuſmodi eleuationibus, & reuelationibus non ſe habere præcisè, vt viator eſt.

Dico

Digitized by Google

Dico primo. Nullus intellectus creatus, vel humanus, vel Angelicus in via poteſt Sanctiſsimæ Trinitatis euidentiam, in ſe conſequi, quacumque vi, vel facultate naturali. Probatur primo: quia non poteſt dari ſpecies creata immediatè Deum repręſentans, ſecundum omnes ſuæ exiſtentiæ conditiones, vt communiter Theologi ſuſtinent. Et S. Bonau.2.ſent.diſt. 3. art. 2. q. 2. ad quartum; Non enim, inquit, poteſt dari ſpiritualior obiecto Diuinæ eſſentiæ ſpecies, nec produci, nec abſtrahi: non loquitur autem de ſpecie imperfectè repræſentante, vt interpretatur etiam Argentina: D.Thom. 1.par.q.12.art.2. de Verit. quæſt.8.art.1.3. contra Gentes c.49. cum omnibus ſuis Thomiſtis. Secundo: euidens enim cognitio Sanctiſsimæ Trinitatis in ſe eſt neceſſariò intuitiua, & beata: ſicut enim à Dei eſſentia non poteſt abſtrahi, neque cogitatione, neque exiſtentia, neque præſentia vbique: ita nullo modo euidenter in ſe cognoſci eſſentia, ſine exiſtentia, & præſentia: ſed hæc eſt intuitiua; ergo. Dicere autem, viribus naturę poſſe creatum intellectum Deum ita quidditatiuè cognoſcere, & abſolutè, eſt contra omnes Theologos, contra ipſam veritatem, contra ſacroſanctæ Eccleſiæ definitionem, in Côc. Vienn., & refertur in Clementina Ad Noſtram, de Hæret. vbi damnantur hæretici Beguini, & Beguardi aſſerentes, viribus naturę, ſine lumine ſupernaturaliter infuſo, poſſe hominem eſſe beatum. Vbi, licet de intellectu humano ſolo res definita ſit; continet tamen etiam Angelos: eſt enim eadem prorſus ratio: Et antiquioribus temporibus contra quoſdã Philoſophos de ſchola Platonis, vt teſtatur Pſellus, & contra Eunomium mordicus tenentes, Deum ab homine in hac vita propria virtute poſſe comprehendi, clarè videri, & totum agnoſci, vt refert S. Nazianz. orat.42. quos S.Chryſoſt.hom. 5. de Incomprehenſibili Dei natura, Anumęos, vel Annmos nuncupat: & contra aperta loca ſacræ Scripturæ, præſertim ad Rom.6. *Gratia Dei vita æterna*. hoc eſt via ad vitam æternam; & poteſt confici à minori ad maius argumentario. Si ad conſtituendum hominem in via, ad videndum Deum in patria, neceſſaria eſt gratia ſupernaturalis; quanto magis ad ipſum Deum videndum immediatè? &c. Secundo. Non poteſt per vllam potentiam creatura rationalis produci, & creari intrinſecè, & per naturam impeccabilis, & indefectibilis: ergo neque poteſt produci, & formari, ex ſe, & viribus naturæ proprijs beatificabilis immediatè, &c. Conſequentia eſt certa ex proportione, & ſimili ratione; vtrobique enim eſt proprietas Dei eſſe per naturam beatum, & impeccabilem. Antecedens verò probatur. Primo ex D.Bonau.2. ſent.diſt.24.art.1.par.1. S. Thom. 1. p. q.63.art.1. q.83. art.1. Scoti eadem diſt.q.3.art.3. Colligitur ex ſanctis Patribus: Diuus enim Hieronym. 2 epiſt. ad Damaſum Papam in illud Pſalmi; *Non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens, Non ait*, inquit, *omnis homo; ſed omnis viuens, non Euãgeliſta, nõ Apoſtolus, non Propheta, &c. neque etiam Angeli, neq; Throni; &c. Solus Deus eſt, in quem peccatum non cadit: cætera, cũ ſint liberi arbitrij — in vtramq; partem poſſunt ſuã flectere voluntatẽ.* D Fulgen. de Fide ad Petrum c.3. & c. 29. in illa verba D. Pauli: *Solus Deus habet immortalitatẽ.* Soli Deo docet côcedendã eſſe impeccabilitatem. D. Anſelmus lib. 1. cur Deus homo c. 10. quærens, quare Deus non fecerit hominem impeccabilem? Reſp. *Quia non potuit, nec debuit fieri, vt vnuſquiſque eorum eſſet idem, quod eſſet Deus.* Videntur didiciſſe ab ipſo Chriſto Domino. Ioann. enim 8. dum vult Iudæis ſe probare Deum, & proceſsiſſe à Deo, vt ex contextu conſtat. *Quis*, inquit, *ex vobis arguet me de peccato?* quaſi ex negatione peccati verè conſequeretur, eſſe Deum: nimirum ex negatione peccabilitatis intrinſecè. Probat S. Thom. 1. loco recenſito. Peccare nihil aliud eſt, quã declinare à rectitudine actus, quam debet habere; & inde poſſe peccare eſt poſſe declinare, &c. Sed dumtaxat ille actus non poteſt declinare, cuius regula, eſt ipſa virtus agendi: & ſola Diuina virtus eſt ipſa ſui actus regula: non enim ad ſuperiorem finem ordinatur; ergo non poſſe ex ſe peccare ſoli Deo côpetit: ergo creaturæ repugnat ex ſua natura. Alijs rationibus, alijs locis, S. Bonauentura explicatius. Primo. Homo eſt creatus ex nihilo: ergo vt ſic per naturam eſt vertibilis. Hanc conſequentiam didicit ex D. Auguſtino 14. de Ciuitate Dei cap.13. Greg. 5. Moralium cap. 27. Damaſc. lib. 2. Fidei cap. 3. Fulgen. de Fide ad Petrum cap. 3. qui vnanimi conſenſu vertibilitatis radicem à creatione à nihilo pendere extrahunt. Antecedens verò eſt de fide. Secundo; intellectus ex ſui natura eſt aptus, & idoneus omnia, & oppoſita intelligere. Ergo & voluntas ex ſui quidditate poteſt omnia velle. Ergo non ſolum bonum conceſſum; ſed etiam prohibitum. Hæc eadem ratio eſt etiam S. Thom q.83.art.5. in fine corporis articuli. Tertio: Si hominis liberum arbitrium eſſet per naturam ad malum inflexibile. Ergo omnis actus, & omne bonum ab eo egrediens eſſet in genere boni naturalis, non autem moralis, & inde non eſſet neque laude, neque mercede dignum, ac meritorium; quod eſt contra liberi arbitrij diuinam inſtitutionem. Quod idem S. Thom., loco nuperrimè relato. Ergo repugnat humanæ creaturæ, & ipſius Creatoris menti, eſſe ex ſe impeccabilem. Quarto denique. Si eſſet inflexibilis ad malum homo: per propriam naturam, & virtutem, poſſet ſe ad bonum terminare; & tunc non eſſet creatus homo, ſed vt Deus; cuius propria virtus eſt ſui actus regula, ſic ad litteram S. Thom. & ante ipſum. SS. Fulgentius, Anſelmus, &c. Ergo repugnat homini; quemadmodum repugnat hominem eſſe Deum.

Dico ſecundo. Etiam ſuperaddito ſupernaturali lumine, adhuc res fieri non poteſt, & repugnantiam videtur inuoluere: Primo, quia fieret euidẽs, in Deo atteſtante, vel lumine extrinſecè reuelante, non autem in ſe quidditatiuè, vt nunc quæritur. Secundo, adhuc ſi erit in ſe euidens, beata Trinitas, erit beatè viſa: quia abſolutè huiuſmodi cognitio neceſſario erit intuitiua, & impoſsibilis abſtractiua: imò videtur contradictio in adiecto, vt ſit abſtractiua, & euidens: eſt enim, ac ſi dicas: eſt ſimul abſens, & præſens. Quòd ſi opponas ex Ga-

briele,

bricle, & quouis alio, de ratione intuitiuæ cognitionis non eſt eſſe obiectum præſens. Reſpondeo, & oppono diuum Bonau. ſupra relatum, & dico, hanc ſententiam eſſe falſam. Secundo. Quicquid ſit in communi, ſi tamen Deo applicetur, & quæſtioni præſenti, Gabrielis opinio eſt impoſsibilis, ſicuti impoſsibile eſt, præſentiam vbique diuinæ exiſtentis eſſentiæ ab eſſentia etiam cognitione ſeiungi. Confirmari poteſt, & magis explicari prædicta ratio: omnis abſtractiua cognitio, quæ feratur immediatè in Trinitatem, non eſt poſsibilis, niſi priùs, & immediatiùs cognita aliqua creatura, ratione cuius Trinitas cognoſcatur deinde: quo fit: vt quæcunque ſpecies, quocumque modo ſupernaturalis Trinitatem quidditatiuè, abſque vlla connotatione conceptus creaturæ, repręſentet: ratio eſt, & iam ante poſita: nam quęcumque cognitio terminata ad Trinitatem in ſe, & ratione ſui eſt intuitiua ipſius Trinitatis: Deum enim cognoſcere in ſeipſo, ſicuti eſt, beatificæ viſionis differentia eſt. Docuit diuus Paulus. *Videbimus eum ſicuti eſt*. Eſt communis doctrina in diui Thomæ q. 12. 1. par. Nec valet, quod iudicabat Scotus, non contradicere, Diuinam eſſentiam quidditatiuè repręſentari, non repręſentatis Diuinis perſonis: Diuina enim eſſentia quidditatiue habet fœcunditatem, & poteſt ſubſiſtere in tribus; & eſſentia eſt de ratione perſonę, &c. Confirmari poteſt ſecundo per D. Greg. lib. 18. Moral. c. 28., qui ſic de hac veritate teſtatur. *Quamdiù hic mortaliter viuitur, videri per quaſdam imagines Deus poteſt: ſed per ipſam naturæ ſuæ ſpeciē non poteſt; vt anima gratia ſpiritus afflata per figuras quaſdam Deum videat, ſed ad ipſam vim eius eſſentiæ non pertingat*. Per D. Damaſc. lib. 1. de Fide cap. 4. *De Deo, quid eſt ſecundum ſubſtantiam, dicere impoſſibile eſt, conuenientiuſq. de Deo longè eſt per omnium ablationem facere ſermonem*, & poſt pauca. *Quaecumque per Theologiam affirmatiuam de Deo dicimus, non naturam eius, ſed ea, quæ ſunt circa naturam inſinuant*. Per diuum Dionyſ. cap. 1. de Myſt. Theol. addita expoſitione D. Thomæ 1. par. q. 12. art. 13. ad primum. Qui perfectius vnitur Deo in vita prẹſenti, vnitur ei, ſicut omnino ignoto. Quibus quid clarius?

Ad argumenta in principio propoſita, licet ſuperiori capite ferè ſoluta. Reſpondetur primo, & abſolutè negatur, poſsibilem eſſe illam ſpeciem ex locis ibi citatis. Secundo naturalem virtutem ad illum actum eliciendum ſufficere, omnino eſſe falſum ex deductis in prima concluſione. Quibus addi poteſt euidens locus Sancti Thomæ 1. par. quæſt. 12. art. 5. ad tertium: *Lumen gloriæ non poteſt eſſe naturale creaturæ, niſi creatura eſſet natura Diuina: quod eſt impoſſibile*. & ex Sancto Bonauentura loco indicato, ſicut repugnat, creaturam non eſſe vertibilem, & peccabilem, ita non indigere Dei auxilio.

An verò alterius generis creatura rationalis adeo excellens potuerit produci, vt ei naturale eſſet lumen gloriæ. Maior in 4. diſt. 47. quæſt. 4. in fine, id concedit. A Deo, ſcilicet, poſſe creari aliquem Angelum, qui naturaliter Deum videre poſſit, quod idem eſt, ac ex viribus naturæ eſſe beatum.

Alij Theologi (fortaſſe plus æquo curioſi,) an poſsit creari natura rationalis ſupernaturalis, cui proinde ſit lumen gloriæ naturale, quæſiuere.

Reſpondetur autem breuiter. Subſtantiæ creatæ conuenire non poteſt ratio ſupernaturalis naturaliter, ſed tantum formæ accidentariè, quæ additur ſubſtantiæ creatæ naturali, & perficit ſupra id, quod ipſa ex ſuis principijs poſtulat, & eleuat ad ſuperiorem, & eleuatiorem ordinem. Nam ſi ſubſtantia creata alia ratione diceretur ſupernaturalis, aut quia eſſet ſuper alias ſubſtantias, & tunc innumeræ ſubſtantiæ eſſent ſupernaturales, quia ſunt perfectiores; aut quia creantur; & tunc omnes Angeli, & animæ rationales eſſent ſubſtantiæ, & formæ ſupernaturales, quod tamen falſum eſt; non poteſt igitur quæſtio hęc proponi niſi ineptiſsimè. Secundo reſpondetur; Subſtantia creata, vel naturalis, vel ſupernaturalis repugnat, vt creata ſit, vt non indigeat Deo, ne peccet, &c.

Neque quæſtionem adiuuat, ſi dicatur. poteſt creari creatura, quæ ſit eiuſdem ordinis cum Deo. Primo enim negatur, nec rem hanc eſſe poſsibilem, explicare poſſunt. Secundo; dato per impoſsibile, adhuc erit producta, & creata, & conſequenter, vt ſic, erit à Deo dependens, Denq. intimè egens.

Ad ſecundum, & tertium aſſumptū. negatur omnino hac ratione ex iam dictis ſupra, quia cognitio quidditatiua de Deo, non eſt prior intuitiua, nec poteſt eſſe; ab ea enim non diſtinguitur; ſed ſimul, & idem cum ipſa, & ſubinde intuitiua deſtructa, alia non poteſt conſeruari.

Ad quartum, & quintum. negatur vtrunque aſſumptum, eſſe ſcilicet, euidens Angelo Deum reuelare, & habere habitum fidei: quamuis enim certum fuerit, non tamen euidens: ſupra reddita eſt ratio. Secundo, quidquid de antecedente, nego conſequentiam: neque enim adhuc ſequeretur ex illis principijs Sanctiſsimam Trinitatem eſſe euidenter in ſe cognitam, ſicut nunc nos diſputamus, ſed extrinſecè in atteſtāte, vel lumine reuelāte, &c.

CAPVT III.

Quomodo, & ex quibus locis diuinæ Scripturæ hæc diuina veritas colligatur.

POſtremum S. Bonauenturæ argumentum fuit; nos ideo indigere fide ad Sanctiſsimæ, & ter maximę Trinitatis notitiam capeſſendam, quia ex diuina tantum Scriptura de ea inſtruimur: ille verò ſacerrimus Liber nobis de ſede Dei, & Agni datus, clauſus, & ſeptem obſignatus ſigillis, vt neque Ioannes ipſe, etiam poſt multas lachrymas, potuerit legere, niſi ei, cæteriſque mortalibus, immortalis, & victorijs triumphans Leo, & Agnus aperuiſſet.

Hæc verò argumentum D. Doctoris, mea ſententia, vt probe eius vim, robur, & efficacitatem aſſequamur, poſtulat quædam animaduertenda prius, ac primo, quanta certitudine, & quomodo ex diui-

diuinis Scripturis arguendo; veritas colligatur. Secundo. Quænam exiſtimanda huiuſmodi illatio, res legitur in diuinis Litteris, ergo fide, vel ſola fide cognoſci poteſt. Tertio. Cum diuinarum Litterarum Biblia in duas ſecentur partes, in veterem, ſcilicet, & in nouam, in quibus, & ex quibus potiſſimè legimus, & fide diſcimus hoc ſacerrimum Trinitatis ſacramentum.

Sed de primo hoc loco haud laborandum cenſeo; primo quidem, quia hoc cumulatiſsimè, & vberrimè ab alijs præſtitum eſt, præſertim à Melchiore Cano de locis Theologicis. Deinde, quia infra ſuo loco redibit ſermo, & ex dubio octauo litterali libri primi diſtinctionis ſecundæ S. Doctoris, vbi octo modis ex Scriptura deduci huius myſterij veritatem, docet.

Ad ſecundum partim in Commentario ſatis exiſtimo factum, partim pauca addam, paucisq. me expediam: Argumenti ergo S. Bonauenturæ ea non eſt vis, Primo, vt illa tantum credere, & fide tenere teneamur, quæ diuinis in Litteris continentur. Secundo, vt ea, quæ habet ſacer Textus, omnia ſola fide attingi poſsint, nam, quo ad hoc ſecundum, multa notantur, & referuntur ſtylo hiſtorico, quæ ab hominibus, humanitus, & naturaliter geſta ſunt, & ab ijs, qui tunc temporis ſuperuiuebant, oculis, vel humana relatione percipiebãtur, & certo intelligebantur; itaut in his ſcribendis quidem neceſſario interuenerit Spiritus Sanctus ſcriptor aſſiſtens, & infallibiliter vera dictans; in percipiendis tamen non neceſſario fides requiratur, quia ſine fide patefieri poſſunt: ergo argumentum tenet tantum de his, quæ ſola fide aſſequuntur homines: euidentius autem, ſi ad primum habeatur ratio: eſſet conſecutio omnino hæretica, & flammis damnanda; ſi nimirum quis vellet tantum ea credere, quæ diuina enarrat Scriptura: hoc enim hæretici, præcipuè huius temporis oblatrant, & tertio quoque verbo blaſphemant, vt Traditionũ Apoſtolicarum, Summorum Pontificum, Conciliorum Generalium, (ex quibus certum, & omni ex capite indubitatum, pendere quoque Chriſtianorum fidem) auctoritatem negent. Voluit ergo Seraphicus Doctor hoc ſuo enthymemate teſtari, ſola fide Trinitatem Sanctiſsimam percipi, quia primo ſola diuina Scriptura eius veritatem tradit.

Ad tertium accedamus, & duo, quo enucleatius fieri licet, ſoluamus, primum à veteri quidem diuinarum Litterarum Teſtamento, colligi, & ſatis congrue, hoc adorandiſsimum myſterium. Secundum clarius tamen, & apertiùs, & conſequenter efficacius ab Euangelio, & Textibus noui Teſtamenti, vt patebit inter probandum.

Loca verò, & auctoritates, quæ ex antiqua Lege, & Prophetis referri poſſunt, pro hac fide perſuadenda, eſſe in duplici differentia, vehementer eſt obſeruandum: quædam enim ſunt in nouo etiam Teſtamento relata, & explicata: quædam verò, quæ tantum in veteri referuntur, & Rabbinorum veterum præcipuè expoſitione, & traditione exponuntur; de quibus egregiè meritus eſt Petrus Galatinus, inter alios, & vberrimè, & valde eruditè proſequitur lib. 2. & 3. per multa capita, ſed imprimis libro ſecundo. Inter verò huiuſcemodi loca, hoc plurimum intereſt; illa enim primi generis clariora ſunt; quia explicata ab eodem Spiritu Sancto; & probant nedum contra Iudæos, ſed etiam contra quoſlibet hæreticos admittentes tamen noui Teſtamẽti Textus. Secundi verò generis, dumtaxat ad Hebræos perſuadendos, & conuincendos idonea ſunt, quæ aſſumantur: quippe quibus noua Lex inuiſa, falſa, & fictitia; vetus verò ſemper vera, & authentica viſa eſt.

Meum autem conſilium non eſt huc referre, & congerere omnia loca, quæ collecta inueniuntur expoſita, & eruditione etiam. Linguæ ſanctæ exagitata penès innumeros recentiores auctores; ſed quædam pauca, vt hic locus non euadat omnino hac eruditione, & probationis ſpecie vacuus: plura relaturus alio loco, & propoſito. Neque, vt nonnulli (fortaſſe non admodum eruditè, & vtiliter) faciunt à primis verbis Geneſeos incipiendum duxi: illa etenim verba *In principio*, ideſt, vt aliqui obſeruant, in Filio creauit Deus, vel ex Hebraica voce, Elohim, Dij, non grauem, neque multam fidem huic myſterio conciliant: D. enim Hieronymus in Quæſtionibus ſuper Geneſim, linguæ Hebræorum erudítiſsimus Magiſter vocem Hebræam *Bereſith*, quam nos legimus; *In principio*, nullo modo ſignificare Filium, ſed principium, & caput, & principium durationis tuetur, vt cum eodem, & ante ipſum, obſeruauit etiam Tertullianus, & multi alij, & ita Editio Vulgata habet, & Septuaginta; & Symmacus, & Theodotio; vel in capite, aut capitulo, ſicut Aquila. Quod ſi aliqui, alioquin grauiſsimi, & doctiſsimi Patres, hanc vocem *In principio* in Filio interpretati ſunt, & Trinitatis fidem, hoc etiam loco, prædicauerunt, vt D. Aug. de Geneſi ad litteram opere imperfecto, & S. Hilarius in expoſitione cuiuſdam Pſalmi, vt refert ipſe S. Hieronymus, loco iam recenſito; probabilem quidem argumentationem confecerunt, nullius tamen ponderis aduerſus Hebræos, ſed probabilem potius ex ſua ipſorum auctoritate, quam illius loci veritate, & certa expoſitione: quem non eſt mirum ſi non exactè expoſuerint, nec intimè intellexerint, non enim idiomatis Hebræi peritiam profitebantur.

Quod idem prorſus de voce *Elohim* videtur aſſerendum, vt, cum multis recentioribus, obſeruauit Caietanus, quem ideo valde iniuſtè cauillat de more Catharinus: quamuis enim *Elohim* ſit nomẽ plurium, ex ſingulari *El*, vel *Eloa*; vnde ad ſignificandam Trinitatem dixerit Moyſes: *In principio creauit Elohim*, ideſt Dij, nimirum plures perſonæ, ad vnitatem verò Diuinæ eſſentiæ teſtandam, *creauit*: efficax tamen inde pro ſanctiſſima perſonarum pluralitate aſtruenda, argumentum effici nequaquam poteſt: id enim, quod valde tritum apud Hebræos eſt, ex facultate, & proprietate idiomatis, vti plurali pro ſingulari numero, &, vice verſa, ſingulari pro plurali, non poteſt ſatis efficaci ratione aſſumi, ad hoc maximum myſterium teſtandum, & perſuadendum: quod enim ipſis tertio quoque verbo, & loco ſine myſterio familiare eſt, quid ad myſterium proficit? vel quod fulcimentum certè fidei præbet? Quod verò ita ſit, quemadmodum teſtati

ſu-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EM.

ſumus,adſunt loca: Gen.24. *Poſuit manum ſuper fæmur Abraam Domini ſui*; Hebræa *Elobim*, ideſt dominorum ſuorum: vbi quis non videt vnum numerum pro altero poſitum? Exodi 21. *Si dederit Dominus eius vxorem illi*. Hebræa *Elobim*. 1.Reg. 24. *Vidi Dominum aſcendentem de terra*. Hebręa *Elobim*. Exodi 20. *Non habebis Deos alienos*. Hebræa: *Non erit tibi Dÿ alÿ, &c.* & 2.Reg.7. *Quæ eſt autē,vt populus tuus Iſrael, gens in terra propter quam iuit Deus, vt redimeret eam ſibi in populum?* Hebræa *Iuerunt Dÿ*. Et rationem ſatis congruam addere licet: Si enim ijs locis numero plurium, voce *Elobim*, ſignificarentur Diuinæ perſonæ, quid prohiberet noſtro idiomati, quin dicere poſſemus tres perſonas, tres Deos, ſi intemerata fide licet Hebræis? quod tamen acerrimè vetitum eſt, præſertim D.Athanaſij ab vniuerſa Eccleſia receptiſsimo Symbolo *Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus: non tamen tres Dÿ, ſed vnus eſt Deus*. Scio quoſdam refringere hanc obiectionem ex proprietate idiomatis Hebræorum permittentis, id non malè ſonare in illo idiomate; malè verò, & peſsimè in noſtro latino: erit huic reſponſioni reſponſio alio loco.

Primus ergo locus, plurimi à Sanctis Patribus, ad Diuinarum perſonarum Diuinitatem probandam, ſemper factus, eſt ille; quem nos quoque ſupra obſeruauimus Gen.1. *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram*: ita enim hunc locum pro hoc fidei articulo expendunt Origenes in hæc verba. D. Baſil. hom. 9. in Exam. & 5. contra Eunomium. D. Chryſoſt.ſer.5. in 5.Feriam Paſſionis. D.Ambroſ.Exam. D.Athanaſius, orat. contra Idola. D.Epiphanius in Ancorato. D.Auguſt.lib. de Geneſi ad litteram imperfecto, & 16. de Ciuit.Dei cap.6. D. Cyrillus contra Iulianum lib.1. Theodoretus Quæſt. 19. in Gen. Quam expoſitionem confirmat Galatinus Rabinorum doctrina in illum locum Eccl.2. *Quid eſt homo, vt ſequi poſſit Regem Factorem ſuum?* Vbi Hebræa habent, vt ſequi poſſit Regem, qui fecerunt eum: aſſerit enim hoc ideo ab Hebræis, ita obſeruatum, quia Gen.1. Cum faceret Deus hominem, dixit *faciamus hominem ad imaginem*, &c. Sicuti Pſal.149. vbi nos. *Lætetur Iſrael in eo, qui fecit illum*. Hebræa, *lætetur in fortioribus ſuis*, ad hunc eundem locum aſpiciendo *faciamus hominem*. Grauius Conc.Nicæn. lib.2.§. Dicit Deus, §. Sicut tu, §. Non difficile, Antiochena Synod. 1. in profeſsione fidei. Prætermitto plura. Illud vnum ex eiuſdem Geneſis cap. 19. ferè in fine expendo, cum plurimis Sanctis Patribus. *Pluit Dominus ſuper Sodomam, & Gomorram ſulphur, & ignem à Domino de cælo*; vbi Hebræa *Ieoa Mebet Ieoa*: hinc enim quoque perſonarum pluralitatem colligunt D. Ignatius vetuſtiſsimus Martyr, epiſt. ad Antiochenos. D.Iuſtinus Martyr Dialogo cum Triphone. D.Athanaſius orat. contra Gregales Sabelij. D. Hilarius 5. de Trinitate. D. Epiphanius in Ancorato. Tertullianus contra Praxeam cap.16. Concilium Syrmienſe, qua parte fuit Catholicum, ſub anathemate confirmat vtriuſque loci commentationem.

Eſt tandē egregius locus ille Iſaię 6. vbi clamāt: *Seraphim alter ad alterū, & dicebāt Sanctus, Sanctus, Sāctus Dominus Deus exercituū; plena eſt omnis terra gloria eius*: Egregio enim hoc clamore Seraphim voluiſſe Sanctiſsimæ Trinitatis myſterium explicare, teſtantur plurimi Patres, pręſertim D.Dionyſius lib. de Cęleſti Hierarchia cap.7. & c. 13. D.Baſilius lib.3. de Spiritu Sancto. D.Epiphan. in Ancorato. D.Hieronymus in hunc locum, his verbis: *Quod autem clamat alter ad alterum, vel, iuxta Hebræos, iſte ad iſtum*, ideſt *vnus ad vnum inuicem ſe ad laudem Domini cohortantur, & dicunt Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus exercituum, vt myſterium Trinitatis in vna Diuinitate demonſtrent, &c.* Vndè celebrè illud triſagium eductum eſt, de quo in quinta Conſtantinopolitana Synodo, & alibi ſępè. Addit verò, quod inde effectum ſit, omnem nimirum terram illius gloria plenam futuram; qui pro noſtra ſalute dignatus eſt humanum corpus aſſumere, ad terraſq. deſcendere. Vbi pluribus verbis iſte grauiſsimus, doctiſsimus, pariterq. ſanctiſsimus Pater exponit, clamantibus Seraphim, & eodem ardentiſsimo amore ardentibus Apoſtolis, poſtquam terra poſt Chriſti prędicatam paſsionem Sanctiſsimæ Trinitatis myſterium, & fidem cognouit, ac recepit; liminaria templi commota ſunt, domus impleta eſt fumo, ideſt templum Iudęorum concuſſum eſt, Ciuitas exuſta, nec iuxta Chriſti Domini prędicationem, lapis ſuper lapidem relictus eſt: omnis verò terra gloria Domini repleta eſt; iuxta phraſim, & propoſitum Scripturarum de hac re. Moyſi enim, cum pro adorato vitulo deprecaretur, vt Deus populo peccatori parceret, reſpondit: *Propitius ero: verumtamen viuo ego, & viuit nomen meum, quia implebitur gloria mea omnis terra*. prędicens, & promittens, iuxta fidei lumen, &c. quod hic quoque Iſaias, ſicut etiam Dauid, Pſal.71. *Implebitur gloria eius omnis terra*, & denique Angeli, Luc.2. *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax, &c.*

Sed, vt ſupra iam indicatum eſt, efficacius, & certius perſuadent, ac docent fidem hanc loca illa veteris Paginæ in noua quoque relata, & expoſita, vt Pſal.44. *Sedes tua Deus in ſæculum ſæculi, virga directionis, virga Regni tui*. Quem locum D. Paulus aſſumit, ad Chriſti Diuinitatē probandam. Pſal. 109. *Dixit Dominus Domino meo ſede à dextris meis*. Quo loco Chriſtus Dominus, vtitur ad conuincendos Iudęos de ſua Diuinitate, Matth.22. Pſal. 2. *Filius meus es tu, ego hodie genui te*. Quæ verba interpretatur idem S. Paulus ad Hebræos 1. ad ęternam Verbi generationem ſuſtinendam.

Adhuc tamen explicate Sanctiſsimæ Perſonæ tres non referuntur, neq; in toto veteri Teſtamento, ſicuti in nouo, vt inter centum loca, Matt.vlt. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filÿ, & Spiritus Sancti*. & 1.Ioan.4. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in Cælo Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres vnum ſunt*. Facit quidem admodū aduerſus Hebręos Meſsiæ Diuinitas probata per plurima Prophetarum teſtimonia, totiuſque reliqui Voluminis antiqui: conſequenter enim ſi Deus Meſsias, & promittebatur mittendus, neceſſario erit, & perſona mittens, neque tamen apertiſsimè

tiſsimè colligitur Trinitatis numerus. Sunt loca certè, quę de fide hoc premunt, ſed niſi in nouo Teſtamento explicata eſſent non cogerent, quę tamen loca, vt dicebam tres, perſonas non numerant explicitè.

Verùm huic, quam hucuſque attuli, communi Theologiæ de veritate hac, vehementer videtur obſtare, quod Iſai cap. 6. Seraphim: *clamabant alter ad alterum Sanctus, Sanctus, Sanctus.* quid enim clariùs, diſtinctiùs, & explicatiùs de hoc arcano auditum vnquam fuit? ergo neque abſconditum genti illi, cui Propheta ille magnus, magniq. faciendus prophetabat. Seraphim enim cælitus miſſi ſonora, ac clariſsima voce clamabant, & explicabant hoc myſterium, vt non fuerit opus Chriſto Legiſlatori, ac Redemptori noſtro iterum manifeſtare.

Plura locus hic, cantusq. Seraphicus offert ſcitu digna meditanda, & alta mente reponenda, quibus magis fortaſſe confirmatum remanebit, quod quærebamus, ac in primis tria, ſed breuibus, nè Scholaſtici commentatoris limites egrediar.

Primû: hoc Triſagio Seraphinos diuinam canere Trinitatem, & Iſaiam, dum gloriam Dei vidit, Dei Trini gloriam vidiſſe, idque adeo certo aſſerendum, vt negari hic de hac viſione ſenſus non poſſit, ſed ſicut ſancita veritas confitendus.

Primo enim Alex. Pont. V. à S. Petro, vt in decreto inſtructionis Armeniorum in Concilio Florentino, vel VII. vt alij, tom. 1. Concil. epiſt. Fidem *Sanctæ Trinitatis ſic docendam à Patribus* (nimirum ab Apoſtolis, quibus valde vicinus fuit) *vobisq. tradendam ſubditis deſtinamus: Iſaias namque cap. 6. prophetauit. Vidi Dominum Sabaoth ſedentem ſuper Thronum, excelſum, & Seraphim ſtabant in circuitu eius ſex alæ uni, & ſex alæ alteri, duabus velabant pedes eius, duabus velabant faciem eius, & duabus volabant, & clamabant alter ad alterum dicentes. Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth. Si Trinitas non eſt, quare tertio, Sanctus, dixerunt, aut ſi vnitas non eſt, quare ſub trina repetitione vnum Deum, ac Dominum intimauerunt?* Eadem Benedictus Primus tom. 2. Concil. in fin. epiſt. Decretalis, ad Dauid quendam Epiſcopum Arianiſmo infectum; *His Scripturarum teſtimonijs vnitatem Trinitatis agnoſce, & deſine Arianorum prauitatem ſequi, vt ab ea poſſis peccatorum indulgentiam promereri: Iſaia Propheta cap. 6. dicente. Vidi Dominum Sabaoth ſedentem, &c. Si Trinitas non eſt, quare tertio Sanctus dixerunt? Si vnitas non eſt, quare ſub trina repetitione vnum Deum, ac Dominum intimauerunt?*

Felix Papa III. tom. 1. Concil. plurimis Epiſtolis. Sed epiſt. 4. *Quid magis interdictum à vobis, Patre, & Spiritu ſancto non glorificato? nam calumniam Seraphim vos infertis, qui Trinitatem non dicitis glorificandam Sanctus, Sanctus, Sanctus, ſed ſolum perſonaliter Filium* (fuerat Petrus Fullo Sedis Antiochenæ inuaſor, qui hoc ſacerrimum Triſagium turpiſsimè vitiauerat, ipſi addens, qui crucifixus eſt pro nobis, legitimam de Trinitate ſententiam ad ſolam Filij perſonam detorquens, ex Nicephoro lib. 15. hiſt. cap. 28.) Et noſtris ferè temporibus, Gregor. XIII. ad Petrum Patriarcham Antiochenum his verbis. *Illud Triſagium, quod Cherubim tremore Trinitatis inceſſanter remittunt, ad vniuerſam Trinitatem glorificandam, dicendo. Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus, & immortalis miſerere nobis, nec in eo vlterius progrediendum eſſe ſtatuimus,* prout *hæc omnia à Sanctis Oecumenicis Concilijs accepta vniuerſalis Eccleſia conſuetudo ſeruat.* Statuit quidem Greg. de Triſagio, quod infantulus Conſtantinopoli in raptu cantari audiuit, non de eo, quod hic nos declaramus Iſaiæ 6. ſed eadem eſt ratio: vtrobique enim in trina, Sãctus, repetitione, Trinitas deſignatur. Plura de hac re Baronius in Annalibus ad annum CCCCLXXXIII.

In quinta Synodo Conſtantinopolitana act. 1. acclamatum eſt. *Sic qui non loquitur Manichæus eſt. Sanctus, Sanctus, Sanctus, Trinitas vincit.*

Simili modo in Chalcedonenſi act. 1. *Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus, & Immortalis miſerere nobis.*

Succinit vniuerſus Sanctorum Patrum cœtus huic huius Triſagij Pontificiæ explicationi, ac toto pectore votû porrigit, & ingenuè ſubſcribit. Vnum pro omnibus teſtantem, ne plurimorum relatione lectorem onerem, in medium afferam. Sanctus namque Damaſcenus lib. 3. cap. 19. de Fide. *Teſtatur,* inquit, *diuino numine afflatus Patrum Chorus, quod Sancta illa Seraphim per triplicem ſanctitatem tres ſuperſubſtantialis Diuinitatis perſonas nobis ſubindicent* (obſerua ſubindicent, hoc eſt obſcurè indicent) *per vnam autem Dominationem vnam diuinæ Trinitatis ſubſtantiam declarant.* Poſt verò D. Damaſcenum diuinarum Litterarum expoſitores in eadem huius loci explicatione perſeuerarunt vnanimes ſemper ad vſque noſtra tempora, vt optimè in aureo ſuo, ac ter eruditiſsimo de hoc Triſagio tractatu (adhuc prælo non commiſſo, pluribus tamen capitibus committendo, ne theſaurus tantus abſconditus remaneat, & tanta lux ſub modio) R. P. D. Hilarion Ordinis Ciſtercienſium Abbas oſtendit. At verò quanta perſpicuitate hæc de Sanctiſsima Trinitate veritas ex hoc Iſaiæ hymno tradatur, ſecundo loco diſcutiendum. Et quidem etiam audito hoc Iſaiæ Triſagio adhuc illius populi rudem, & imperfectam de Sanctiſsimæ Triadis myſterio cognitionem remanſiſſe, primo ex illorum aſſerto, ac commentatione, qui Chriſti prædicatione ſacerrimû hoc myſterium nobis innotuiſſe, quod prius fuerat abſconditû, docet, ſatis liquido colligitur, ſunt autem D. Cypr. vel qui illius voluminis author fuit de Operibus Cardinalibus in Prologo, D. Epiphanius in Ancorato, Tertullianus de orat. Dominica, D. Auguſtinus in illa verba Ioannis 17. *Pater manifeſtaui nomen tuum hominibus:* Patrem enim manifeſtare, eſt diſcipulos, & fideles edocere, Deum nedum eſſe Deum, ac omnium rerum datorem, & creatorem, ſed etiam Patrem, Filiumq. coæternum habere, ac genuiſſe ſibi coæqualem, proinde Sanctiſsimæ Trinitatis fidem annunciare. Eadem D. Cyrillus lib. 11. cap. 18. Sed clariſsimè omnium D. Grego-

rius

rius ille Magnus hom. 16. in Ezech. in hæc verba. *Data autem lege, rudis ille Hebræorum populus mandata Decalogi ſeruare conatus eſt, ſed tamen de cognitione Sanctæ Trinitatis eruditus non eſt, & quamuis hanc ſpirituales Patres perfectè cognouiſſent, multitudo tamẽ Synagoga nec inueni-re myſterium Trinitatis potuit, nec quærere ſciuit: ſuperueniente autem gratia per Teſtamentum nouum, omnis fidelis populus verum Deum Trinitatem eſſe cognouit.* Quo de hac re quid clariùs, & adæquatiùs aut legi, aut audiri potuit? Præterea, vt ad verba Iſaiæ propinquiùs accedamus; ex circunſtantibus textus verbis profectò, quibus magna illa viſio, & (vt ait Seraphicus Bonauentura citandus infra) reliquorum viſionum radix refertur, (infi-ciari quis poſſit?) velari potiùs, & abſcondi myſterium, quàm oſtendi, & explicari, videtur: dum enim Seraphim clamabant Sanctus, Sanctus, Sanctus, alis ſuis velabant faciem Dei, & ſuam, (vtroque enim modo ex Hebræo interpretatur locum hunc S. Hieron.) &, ad cantum ipſorum, cardinum commotio ſequebatur, & totius domus fumi, & obſcuritatis repletio; domus enim impletã eſt fumo. Et euidentiùs ex additis verbis. *Vade, & dices populo huic. Audite, & nolite cognoſcere.* Sed ſolidiùs aggrediamur, quod hic verſamus. Totum, quod hoc capite ediſſerit Iſaias, clariſsimè reſumptum eſt à D. Ioanne cap. 12. ita vt Euangeliſta Prophetæ extiterit ceu commentator. *Hæc* inquit D. Ioann. *dixit Iſaias, quando vidit gloriam eius, & locutus eſt de eo.* Certum autem eſt, (producunt grauiſsimi Patres) relatiuum (*eius*) & relatiuum (*de eo*) ad Chriſtum Verbum, ſecundam Trinitatis perſonam referri. Sic enim D. Cyrillus lib. 7. Dialog. de Trinitate. D. Ambroſ. lib. 3. de Spiritu Sancto, cap. 24. D. Hilarius 5. de Trinit. D. Athanaſius lib. de communi eſſentia Sanctæ Trinitatis. D. Auguſt. in hoc caput D. Ioann. D. Hieronym. ſuper 6. Iſaiæ. Rupertus ibidem, & alij. Teſte ergo D. Ioanne commentatore, interpretibus his ſanctiſsimis Patribus, Iſaias vidit ſecundam Sanctiſsimæ Trinitatis perſonam, ſedentem ſuper Thronum excelſum. Confirmatur ex omnibus illis Patribus, qui vbicunque in veteri Teſtamento refertur Deus illi populo apparuiſſe, ſecundam ſemper perſonam Meſsiam deſignatum, ſtatutis temporibus in carne venturum, ac genus humanum ſua morte redempturum viſum fuiſſe, cenſuerunt: Ita enim S. Hilarius 5. de Trinit. S. Ambroſ. lib. 1. in Lucam, Tertullianus lib. 3. aduerſus Praxeam. S. Clemens Romanus lib. 5. Conſtitutionum Apoſtolicarum cap. 16. Confirmatur ſecundo, ex euidenti Prophetæ, & Euangeliſtæ contextu; vtrobiq. enim de obcæcatione, & cordiũ illius gẽtis obduratione agitur. *Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude, ne forte videat oculis ſuis, & auribus ſuis audiat, & corde ſuo intelligat, & conuertatur, & ſanem eum.* Sic Iſai. *Excæcauit oculos eorũ, & indurauit cor eorum, vt non videant oculis, &c. Hæc dixit Iſaias, quando vidit gloriam eius, & locutus est de eo.* Sic D. Ioan. ita vt non poſsit negari, hoc loco, Iſaiam agere de Filio, eumq. vidiſſe in Throno, & Seraphinos audiuiſſe Sãctus, Sanctus, Sanctus in Throno ſedenti canentes. Quod ſi neceſſaria explicatione cautum eſt, Triſagium tribus perſonis cantatum, omni proculdubio: tamen explicatè nõ tres perſonas viſas à Propheta, ſed vnã duntaxat, in ea verò reliquas duas ſubintelligi, & implicari, & credi putandũ eſt: ſi enim Filius, ergo & Pater, & inter vtrunque, & vtrobique Amor, & Spiritus ſanctus: ergo obſcuro ſpectro oſtenſa Sanctiſsima Trinitas Prophetæ; neque tamen populo. Quod ſi alij ſanctiſsimi, & doctiſsimi Patres inueniantur, qui in Throno ab Iſaia viſum Patrem adſtruant, D. Athanaſ. lib. de communi eſſentia Patris, Filij, & Spiritus ſancti, D. Baſil. 5. contra Eunomium, D. Damaſc. epiſt. de hoc Triſagio; dico & ego, ſed deduco: ergo difficultate maxima hoc loco de Trinitate agitur, vt ipſi doctiſsimi Patres in ea explicanda, & interpretanda valde inſudent, & difficultate præpediti vehementer diſsideant. Ergo perobſcurè res proponitur. Secundo: illis Patribus anteponendus D. Ioannes. tertio, ſi vel Pater, vel Filius ſit viſus, vna tantum perſona diſtinctè viſa eſt.

Si vehementius obijcias. D. Paulum, Actorum vlt. de Spiritu ſancto locum hunc aſſumentem: *Verè Spiritus ſanctus loquutus eſt per Iſaiam Prophetam ad Patres noſtros, dicens. Vade ad populum iſtum, & dic ad eos, &c.* Poſſem reſpondere, locum hunc non admodum vrgere de Spiritu ſancto. Poteſt enim non relatiuè pro perſona Spiritus ſancti, ſed pro Deo vno, qui ſpiritus eſt, commodè interpretari; ſed quia eſt S. Baſilij expoſitio, eã magnifaciendam duxi: Quocirca ex ijs Patribus reſpondeo: Ipſe enim D. Athanaſius, lib. de Incarnatione Chriſti, & D. Ambroſ. lib. 3. de Spiritu ſancto in recenſito capite 23. apparuiſſe vnam perſonam, docent, ſed nominari, & aliam, ratione communis eſſentiæ; *Qui enim videt me, videt & Patrem meum.* Ioannes. Quibus ego idem infero. ergo non diſtinctè proponebantur perſonæ, ſed ex vna alia, tum relationis, tum communis eſſentiæ ratione, inferebatur, & cointelligebatur.

Quod ſi denique ex diuerſis, & varijs tum diuinarum Literarum, tum ſanctorum Patrum locis, & ſententijs colligatur, tres perſonas apparuiſſe, (illi enim, qui vnam perſonam aſſerunt, aliam non excludunt, ſed ex omnibus omnes tres enumerantur viſæ.) Eſto: non ſatis tamen perſpicuè, & explicatè, vt in Euangelio noſtro: Poterat enim Iſaias dicere. Vidi vnum in ſubſtantia, trinum in perſonis. Poterant Seraphim cantare. Sanctus Pater, Sanctus Filius, Sanctus Spiritus ſanctus, ſed, affectata difficultate reliquunt veritatem hanc Euangeliſtis explicandam, & Apoſtolis prędicandã, Matt. vlt. *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* 1. Ioann. 5. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus, & hi tres vnum ſunt.*

Res hæc certiſsima eſt, præter ea, quæ ſupra retulimus. Quare in illud Gen. 32. *cur quæris nomen meum?* Tertullianus de Oratione Dominica. *Nomen Dei Patris nemini proditum fuerat; etiam ei, qui de ipſo interrogauerat.* Moyſes quidem aliud nomen audierat, nimirum illud Exodi 3.

Ego

Ego ſum, qui ſum. Et quidem mirè rationi conſentaneè: Theodoretus enim, lib. 2. ad Græcos, tradit, Deum Iudæis noluiſſe Trinitatis myſterium reuelare explicatè, tunc enim de Aegypto exierant, vt in terram Chanaan ingrederentur: & vtroque loco Deorum multitudo colebatur, ne inde ex plurimis Diuinis perſonis in plurium Deorum cultum prolaberentur. Et Genebrardus in Pſalm. 110. ſolerter obſeruat, hac eadem in primis ratione ſæpenumero, & multis in locis Septuaginta Interpretes in Pſalmorum verſione Sanctiſsimæ Trinitatis articulum occultaſſe de induſtria, ſcilicet, ne Deorum cultui viderentur occaſionem præbere. Quid? ipſe Chriſtus, vt in illa verba Ioan. 16. *Hæc in prouerbijs locutus ſum vobis: Venit hora, cum iam non in prouerbijs loquar vobis, ſed palam de Patre annuntiabo vobis*. obſeruarunt S. Auguſtinus, & Beda, D. Cyrillus lib. 11. in Ioann. c. 8. D. Chryſoſtomus hom. 78. in Ioann. & alij, multi explicatiſsimam huius fidei commentationem reliquit poſt ſuam aſcenſionem Spiritui ſancto.

Valde ad rem; quam verſamus, prodeſt, quod eruditè expoſuit Rupertus Abbas, vt propheticus fuerit hic cantus Seraphicus, & prædixerit, quod poſtea, Chriſti iuſſu, prædicaturi erant Apoſtoli, Matt. vlt. *Euntes ergo docete omnes gentes: baptizãtes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*. Quare, & volabant, & clamabant, ex Hieronymo Oleaſtro in hunc locum; vt quam citò perueniretur ad Euangelij tempus, & futura gens adeo longinqua clamorem perciperet, & inde conciperet ſpem, & ad hoc ſic egregium fidei munus, & Sacramentum ſuſcipiendum ſe diſponeret. Ergo ſi propheticus hymnus, non ad illos, verum ad nos ſpectabat, & non offuſcat noſtrum de clariori Trinitatis cognitione Euangelij tempore aſſertum. Indicauerat hoc propheticum commentum Alexander Primus iam recenſitus, dum de hoc Triſagio verba faciens, dixit, Iſaiam prophetaſſe. Prophetia enim præſertim hoc loco de re futura eſt. D. Greg. Nazianz. orat. 5.

Remanet tertium de hoc eodem Triſagio obſeruandum: Si locus hic propheticus de Sanctiſsima Trinitate neceſſariam ſententiam ex Pontificum explicatione continet, quomodo multorum Doctorum de ſacris Litteris, ſanctaq. Theologia optimè meritorum, varia, & alia, & diſtincta, ne dicam oppoſita, expoſitio ſuſtineri poterit? neque tamen hucuſque ab vllo, quem viderim, notata, aut cenſura vlla temerata. Paraphraſtes enim primo loco Chaldæus, in Cælis excelſis domo Maieſtatis eius, Sanctus ſuper terram opus potentiæ eius, Sanctus in ſæcula ſæculorum; Quæ explicandi ratio de Deo vno eſt, neque vllo etiam conatu tribus perſonis aptari poteſt.

Alter Seraphinus, hoc eſt Seraphicus D. Bonauentura de Cura animæ puritatis ad Blancam Reginam Hiſpaniæ. *Sanctus*, inquit, *Deus ſua in ſe ſanctitate. Sanctus, ex delectatione, quam maximam percipit ſanctitatis, & puritatis noſtræ. Sanctus, propter vindictã, quã de læſa sãctitate ſumit.*

S. Ephrem Syrus, ſerm. de Deipara, Cãticum hoc Seraphicũ nuncupat de Maria, inquit enim, *Sancta, Sancta, Sancta*. Quod idem didicit, & cecinit idem Seraphicus Bonau. in Pſalterio de B. Maria. *Sãcta, Sancta, Sancta Domina Mater Dei Sabaoth.*

Ipſiſsimus Bonau. ſanctus ſerm. 8. de Luminaribus Eccleſiæ, vbi Seraphim cãtare alterum ad alterum, eſſe ad inuicem mutui Chori more cãtare, exponit, atque hinc alter Seraphim perſonarum Trinitatem, alter reſpondens aliam naturarum in Chriſto Trinitatem, Deitatis nimirum, animæ, & corporis canebat. Qua optima ratione hanc Iſaiæ viſionem cæterarum viſionum radicem nuncupauit, nimirum Trinitatis, Incarnationis, & Redẽptionis omne myſterium, quod ſolum, & præterea nihil, ferè, in Euangelio, & Symbolo proponitur, & explicatur.

Propius verò ad noſtræ ætatis tempora accedendo, Adamus Sasbout in Iſaiæ cap. 6. aſſerta ſolius Filij Dei in hac viſione apparitione, ſtatim ſubdidit. *Idcirco ter Sanctus repetitur, vt ſignificet Deum primum, & vberrimum ſanctitatis fontem*. Benedictus Arias Montanus, in libro, qui Ioſeph inſcribitur, ſiue de arcano ſermone c. 14. Seraphim ter clamantes, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, Trinitatẽ indicãt, & perfectionẽ ſummã, quæ tribus gradibus, poſitiuo, comparatiuo, & ſuperlatiuo conſtat. Idẽ Gaſpar Sanctius, Michael de Palatio in hũc eundẽ locũ.

Et hoc addo, eiuſdẽ nominis repetitio familiaris eſt diuinæ Scripturæ, vt non quoties repetitur nomen, perſona multiplicetur; ſed ipſius qualitas perſonę ſignificetur, & per hanc dicendi rationẽ exaggeretur, aut affectus, & vehementia propaletur. Sic, inter alios Prophetas, Hieremias, *vidit ficus bonas, bonas, clamauit, Templum Domini, Templum Domini, Templum Domini, &c.*

Facillimo negotio hæ diſtinctæ, relatæ, & plures aliæ, quæ referri poſſunt, expoſitiones cum primis, ac certis neceſſarijs primo loco poſitis conciliantur, ex vbertate, ſcilicet, & diuinarum Litterarum fœcunditate, quæ, obſeruatore D. Magno Gregorio in librorum Moralium Iob prologum, ſicut Rebecca duos filios vnico partu tulit, ac protulit, ſic plures ſenſus continere, & edere poteſt, nedum conſequentes, & Morales, & Anagogicos, & Allegoricos, ſed etiam plures eiuſdem loci litterales æquè à Spiritu ſancto intentos, ſacerrimus Bibliorum textus, Magiſtro D. Thoma 1. par. quæſt. 1. art. 8. Ea propter clamabant Seraphim quidem Diuinarum perſonarum numerum, ſed & earundem perſonarum; & Diuinæ ipſaſum naturæ perfectionem, & ſanctitatem, ſimulq. ineffabilem prouidentiam, eo præcipuè loco, quo dura nũciandi munus iniungebatur Prophetæ obcœcationem, obdurationem, & inde grauiſsimam populi illius punitionem. Quare ne ſcandalum tum ipſe, tum reliqua gens pateretur, velant faciem Seraphim, & oculos claudunt, ne ſecreta diuini regiminis ſcrutantes deficiant, & alta voce prædicant, & clamant, & proteſtantur Diuinam prouidentiam, Deumque Sanctum, Sanctum, Sanctum, dum aut munera largitur, aut vindictam ſumit de ſceleribus contra ſanctam, ac diuinam Legem perpetratis, vt perſonæ nullius vnquam ſit acceptator, &c.

QVAESTIO SECVNDA
DE EMANATIONIBVS.

EXPLICATA iam, tum poſſibili, tum actuali Sanctiſſimæ Trinitatis, quæ quærebatur, cognitione, cognitionisq. qualitate, & neceſſitate: quod, primo loco, ſeſe offert cognoſcendum, & recto ordine perquirendum, & expendendum, eſt de proceſſionibus in communi; deinde de ſingulis. Sic enim, etiam edocente Ariſtotele, à communioribus, & ſubinde facilioribus fit inceptio, ordoq. tum naturæ, tum diſciplinæ obſeruatur. Eumq. egregius ſacræ Theologiæ ordinator S. Thomas lepidè obſeruauit.

Et primo in communi. An in Diuinis detur proceſſio aliqua, D. Bonau. diſt. 13. q. 1. art. 1. D. Thom. 1. par. q. 27. art. 1.

PARAPHRASIS.

PRIMA Propoſitio. Iu diuinis vera datur proceſſio. Probatur primo, etiam quo ad vocem, apertiſſimo loco diuinæ Scripturæ, Ioan. 15. Mittam vobis Spiritum veritatis, qui à Patre procedit. *Secundo, ratione, prima. vbicumq; eſt origo, ibi, & productio actiua: ſed in Diuiuis eſt origo; ergo, & productio actiua: ſed vbi actiua, ibi neceſſario, & paſſiua: ergo in Diuinis eſt productio paſſiua: ſed productio paſſiua eſt proceſſio, ergo. Secundo. vbi eſt verus reſpectus ad principium à quo, & ad terminum ad quem, ibi vera proceſſio: ſed in Diuinis eſt hic verus vterque terminus, ergo. Probatur minor: nam vbi eſt verus amor, & cui vera ratio amoris competit, ibi eſt verè vterque terminus: amor euim procedit ab amante iu amatum: ſed in Diuinis eſt verus hic amor, qui eſt Spiritus ſanctus à Patre in Filium, & à Filio iu Patrem: ergo verus terminus vterque, & vera, & completa proceſſio. Tertio; & confirmatur: Amor, qui eſt in nobis, eo quia amor, verè procedit, & exit à nobis: ergo, & multo magis Diuinus Amor, quo magis, & perfectiſſimus Amor.*

Secunda Propoſitio. Licet, ſuppoſita fide, à proceſſionibus, quæ iuter creaturas, ſurgamus ad eas, quæ in Deo ſunt: proceſſiones tameu, quæ in Deo ponuntur, ab omni imperfectione ſeiungendæ neceſſario ſuut: non ſolum, quia ſicut Deo repugnat, ita à Deo omnis imperfectio catholicè remouenda eſt: ſed quia accidit, & extrinſeca eſt imperfectio proceſſioni. Probatur, ſi enim aliqua inueuitur imperfectio eſt motus, & elongatio: ſed hæc extrinſeca ſunt etiam in creaturis: nam, & radius procedit à ſole, & amor in nobis à voluntate, neque tameu dicunt, aut motum, aut elougationem.

Tertia Propoſitio ex reſponſione ad vltimum. Licet proceſſionibus Diuinis poſſit dici, quoquo modo, ſimilis proceſſio effectus à cauſa, & motus localis: nou tameu verè ita eſt, ſed nobiliori modo ſumenda: declaratur, & probatur: quia in cauſa eſt terminus à quo, & in motu terminus ad quem. Secunda pars primo ex titulo quæſtionis, quia proponit: an in Deo, non ex Deo, ſit proceſſio. Secundo ex argumentis affirmatiuis, quibus probat, per productionem Spiritus ſancti proceſſionem eſſe in Deo: ergo per actus immanentes, & Diuinos: ergo nou per effectus exteriores, neque per motum localem.

Quarta ergo Propoſitio corollaria. Hæc proceſſio in Diuinis accipienda eſt, ſecundum emanationem interioris Verbi intelligibilis, & Amoris ab intelligente, & amante, quod manet in ipſo intelligente, & qui non recedit ab amante, itaut per has emanationes producantur perſonæ ſubſiſtentes, diſtinctæ quidem iuter ſe: in Diuina tameu natura eadem prorſus. Hæc propoſitio hic explicata nou innuitur, ſed apertè probatur à S. Doctore, diſt. 2. q. 2. primo tameu inuenitur hic, quia Amor productus, & differt ab amante, & eſt in amante. Secundo ibi q. 2. Quatuor rationibus, quibus multiplicari perſonas, non multiplicata tamen natura, oſtenditur.

COMMENTARIVM.

I N primis obſeruandum, quam eruditè præponat quæſtioni titulum Seraphicus Doctor, quod & in D. Thoma obſeruauit Caietanus: primo, ſcilicet, hic non ſumi proceſſionem preſſe, ſed in communi, præſcindendo ab hac, vel illa: itaut in genere proponat, an aliquam in Deo collocare proceſſionẽ conueniat: ita tamen, vt neque tranſlatè, aut metaphoricè, ſed verè, neque ſecundum rationem intelligendi, ſed propriè, & ſecundum rem: neque denique ex tempore, ac per accidens, & ex contingentia, ſed ab æterno per ſe, ad intra de intrinſeca Dei perfectione, ac conſtitutione. Itaque non proponitur dubitatio de creaturarum proceſſione ex libera Dei potentia, & virtute, ſed de interna, ac æterna in Deo emanatione, non extra Deum emanante. Vnde non dicit, an ex Deo, ſed an in Deo poni debeat proceſſio.

Quo verò ad rem: elegantiſſimè accedit, non quidem ad probandum, an detur ſanctiſſima Trinitas,

tas, & quæſtioni an ſit ſatisfaciendum, ſed multo melius, quo ab homine fide illuſtrato fieri licet, ad indagandum, quid ſit Deus; an ſcilicet ſit trinus, & de Deo demonſtrandum, quod ex Diuina perfectione neceſſario debeat eſſe trinus.

In hac verò quæſtione paululum remotè, quod alicuius Diuinæ perſonæ admittenda proceſſio; itaut ſicut Deus eſſentia neceſſario eſt vnus, ita perſonæ eadem neceſsitate ſint plures. & oſtendit primo, dari quidem proceſsionem aliquam. Secundo, qualem. Tertio, per quos actus. Et primum ſoluit S. Ioannis loco, & rationibus affirmatiuis. Secundum, dum proceſsionem Diuinam, neque motum, neque elongationem, neque cauſam dicere oſtendit, & ab omni imperfectione emundat. Tertium, dum in Diuinis originem, & Perſonam producentem, & Amorem emanantem aſſeuerat, & aſſumit probare, ſatis enucleatè, has nimirum proceſsiones Diuinas, fieri per actus immanentes intellectus, & voluntatis. Quod tamen, ſicut difficillimæ rei eſt, ſic expoſtulat, vt vberius infra multis in locis iterum aſſumatur, inculcetur, ſic fortius conabitur demonſtrare.

Circa tamen primam propoſitionem, & Sancti Ioannis auctoritatem, veritatem ibi traditam, obſeruãdum, eſſe eadem certitudine, & fide, (vt infra amplius probabitur) qua tum certum eſt, quod diuina tradit Scriptura: tum quoque certum, dari in Diuinis aliquas perſonas procedentes: nihil enim aliud eſt in Diuinis proceſsio, quam aliqua perſona procedens, vt procedens, & producta: nam, vt eſſentia, quid abſolutum eſt, idem omnino cum perſona Patris improducta, & conſequenter improductum.

Locus relatus ex S. Ioanne apertiſsimus eſt, & quo ad rem propoſitam hic, vt nulla videatur indigere commentatione.

Argumentum primum aſſumit, & ſupponit tanquam principium certum, creditum, in Diuinis dari originem actiuam, & perſonam improductam, hoc eſt Patrem, ex omnibus illis locis Scripturæ, quæ ferè innumera afferri poſſent, quibus Patris perſona nominatur: poſito enim hoc principio, neceſſario conſequitur, quod ſanctus Doctor deducit. Datur Pater: ergo, & Filius. conceditur perſona improducta: ergo, & producta: idque conſequitur, tum ex neceſsitate plurium perſonarum, tum ex fœcunditate (vt vbique ſanctus Doctor innuit) primæ, & improductæ perſonæ; tum denique ex intrinſeca correlatiui ratione.

Argumentum verò ſecundum videtur non diſsimulandas pati obiectiones. Supponit autem, & indicat, has proceſsiones fieri per actus immanentes, & conficit argumentationem de actu amoris, veluti in quo magis expreſsè completa proceſsionis ratio explicatur, ſed hos actus interiores, nimirum intellectus, & voluntatis, eſſe fœcundos, viſus eſt Ariſtoteles negaſſe: & per hos actus produci perſonas, non timuit Durandus exercere omnes conatus, vt impugnaret. De qua re infra, tum in hoc Commentario, tum in diſputatione.

Hic verò animaduertenda, & nullo modo prætermittenda Græcorum, & quorundam hæreticorum ſententia, qua nihil agere D. Ioannem, in loco relato, de proceſsione reali ad intra Spiritus ſancti, ſed tantum de effectibus in tempore Spiritus ſancti, aſſerere, non erubuerunt. In quam ſententiam incautè nonnulli Catholici Doctores offendere viſi ſunt. Quæ nullo modo ſuſtineri poteſt; nam primo hic aſſeritur, mitti Spiritum ſanctum paracletum: ſed effectus Spiritus ſancti non eſt paracletus. Secundo effectus non mittitur, ſed perſona ad effectum. Tertio. eſt contra omnes ſanctos Patres hunc locum exponentes. Agitur ergo hoc loco verè de perfecta proceſsione interiori Spiritus ſancti. primo ijs verbis, *quem ego mittam vobis à Patre*. Sunt enim S. Auguſt. lib. 4. de Trinitate cap. 20., & S. Hilarius lib. 8. de Trinitate, qui his verbis Spiritum ſanctum à Filio procedere, & Filium ſimul cum Patre producere Spiritum ſanctum, probant: quamuis enim his eiſdem verbis promittat Filius Spiritus ſancti donorum miſsionem in tempore: cum tamen miſsio non ſit, ſine proceſsione; imò eam ſemper ſupponat; ea enim perſona tantum mittitur ab ea, à qua procedit: & ideo nunquam Filius dicitur mittere Patrem: quia à Filio Pater originem non ducit. hinc neceſſario liquido colligitur, dum Filius promittit, mittere Spiritum ſanctum, quod Spiritum ſanctum producit. Additur verò (*à Patre*) vt oſtendatur Filius à Patre, ſicut habet, & ſubſtantiam, & omnia, ſic, & vim, & fœcunditatem ſpirandi Spiritum ſanctum. Ita S. Hilarius 8. de Trinit. & Auguſt. 15. de Trinit. cap. 17. per hanc vocem (*à Patre*) affirmat Spiritum ſanctum à Patre principaliter, ratione originis, procedere: nam ab ipſo habet Filius, quod producat: Pater verò à nullo, quia prima perſona.

Quod ſi Iſa. 48. dicitur de venturo Meſſia. *Dominus Deus miſit me, & Spiritus eius.* & 61. *Spiritus Domini ſuper me, eo quod vnxerit Dominus me, ad annunciandum manſuetis miſit me*: nihil tamen cõtrariũ, & oppoſitum ijs, quæ aſſerta ſunt, adducitur: nam S. Ioannes agit de perſona miſſa Spiritus ſancti, vt Deus eſt, qui mittitur ad ſanctificandum, ſicut Filius Dei, vt Deus eſt, ad humanam carnem aſſumendam: Iſaias verò de Meſſia homine, & de donis Spiritus ſancti, & ſanctificatione in ipſo ponenda; vt homo erat futurus; quæ omnia proculdubio, etiam à Spiritu ſancto in Chriſto homine producta ſunt.

Tertium. Circa hæc verba animaduertendum: ex ijs Græcos ſui erroris, & ſchiſmatis occaſionem, & ſcandalum ſumpſiſſe: dum enim à Patre Spiritus ſanctus procedere aſtruitur; videtur Filius ab hac actiua origine ſecludi. ergo, miſerrimè, & falſiſſimè, & inſulſiſsimè deducunt, Spiritum ſanctum non procedere à Filio; obliti eorum verborum, quæ iam immediatè ſupra dixerat. *Quem ego mittam vobis*, & immemores, & non animaduertentes textum hunc non dicere, qui à ſolo Patre procedit, ſed à Patre, Filium nullo modo excludendo: neque enim, ſuppoſitis primis verbis, poteſt intelligi à ſolo Patre. Nam, qui dixit; *qui à Patre procedit*, dixerat etiam *quem ego mittam vobis*. Secundo. ex regula

Theologorum, quod diſtinctè tribuitur vni perſonæ Diuinæ, etiam ſubintelligitur conuenire reliquis perſonis, niſi illud ſit, in quo ab illis diſtinguitur. Pater autem non diſtinguitur à Filio per hoc, quod ab eo procedit Spiritus ſanctus: nam non ea ratione opponitur relatiuè Filio. Confirmari poteſt ſcripturarum exemplis. cum Matth. 16. dixit Dominus Petro: *Caro, & Sanguis non reuelauit tibi; ſed Pater meus, qui in cælis eſt.* Quis excluderet ab hac reuelatione Filium, quaſi ipſe cum Patre, & Spiritu ſancto non reuelaſſet? cum hæc reuelatio toti Trinitati competat? Matt. 11. *Nemo nouit Filium, niſi Pater.* Quis ſine temerario, & mendaci errore aſſereret, Filium ſeipſum non noſſe, & Spiritum ſanctum ignorare Filium; itaut etiam ſi dixiſſet, à ſolo Patre procedit, neceſſario etiam Filius ſubintelligendus eſſet, ex natura rei.

Adeſt autem hic grauiſsima ratio; quare non à ſe, ſed à Patre procedere Spiritum Sanctum, dixerit Dominus, & multiplex. Prima, vt indicaret differentiã ſuæ emanationis, ab ea, quæ Spiritus Sancti: non enim ſua eſt proceſsio, ſed generatio, vt infra: emanatio autem Spiritus Sancti non generatio, ſed, communi voce, proceſsio, vt ſuo loco, cum de hac emanatione. Secundo, vt indicaret, Patrem eſſe quaſi principalem Spiritus ſancti auctorem, veluti à quo etiam Filius accipit facultatẽ ſpirandi Spiritum ſanctum, & vim; quod obſeruauit S. Auguſt. 3. contra Maximinum. Addit tertiam Sanctus Bonauentura, diſt. 11. art. 1. quæſt. 1. Humilitatis gratia, & exemplo Chriſtum Dominum tacuiſſe de ſe ipſo, neque dixiſſe, qui à me procedit. Addenda quarta ratio. Si dixiſſet etiam à ſe procedere, potius tunc minuiſſet, quam auxiſſet ſuum teſtimonium apud auditores: cum enim de ſeipſo tunc ageret, ſuſpectam habuiſſent de ipſo teſtificationem. Præter quam quod fortaſſe fuiſſet otioſum. cum enim tunc Spiritum veritatis nominaſſet Spiritum ſanctum, & aſſeruiſſet; *quem ego mittam vobis*, ſatis tantam veritatem teſtatus erat. Hanc exiſtimo eſſe huius loci veram ſententiam, & ita expoſitã maximè facere, ad rem propoſitam, ad quam aſſumpta eſt à S. Doctore.

Quod verò ſpectat ad tertiam, & quartam propoſitionem. Primo obſeruandum, ſanctum Doctorem omnino negare, in Diuinis ad intra poſſe concedi nomen cauſæ, vt etiam diſt. 5. dub. 3. lit. his verbis negauit: *Sumendo nomen cauſa propriè non cadit in Diuinis*, vnde dicitur: *in hoc decepti ſunt Græci.* Græcorum error, & modus dicendi erat, vt loco proprio infra; Pater eſt cauſa Filij eò, quia ipſum generat, & eodem modo Pater, & Filius cauſa Spiritus ſancti, quia ipſum ſpirãt. Ratio omnium eſt, quare non admittendum cauſæ nomen; quia cauſa dicit diſtinctionem eſſentialem inter ſe, & effectum, imperfectionem in effectum, & ordinem ad cauſam: eſt enim poſterior natura, & etiam duratione communiter, &c. quæ omnia in Diuinis perſonis ponere, & de his affirmare, blaſphemum, & hæreticum eſt. Verum quoniam ſupra, eodem dubio, addit S. Doctor: (*Cadit tamen, & recipitur ratio principiãtis, & ratio infirmantis. Et pro his accipitur nomen cauſa.*) Hinc factum eſt nomen cauſæ, à Patribus præcipuè Græcis in Diuinis, ad diuinas origines explicandas vſurpatum, hac limitatione admittendum, vt ſcilicet præciſã ſignificet principium, non cauſam propriè; vnde quando hic dicit S. Doctor, Græcos eſſe deceptos, cum hac Gloſſa locutum eſſe, interpretari debemus. Sed hæc licet veriſsima: ad mentem tamen S. Doctoris huius loci loquamur: Dixit, deceptos Græcos aſſumentes Spiritus ſancti ſimilitudinem à proceſsione motus localis à termino à quo ad quem: deduxerunt enim: ergo Spiritus ſanctus procedit à Patre in Filium, non à Patre, & Filio; mira quidem, & lacrimanda deceptio, vt infra, & in explicatione huius argumẽti, & in diſputatione de hac veritate.

Secundo obſeruandum: harum duarum propoſitionum commentatorem, & explicatorem egregium, & doctiſsimum eſſe S. Thom. art. 1. in quo tum errores confutat, tum veritatem Diuinam aperit, & probat. Errorum primus fuit Arij, ſecundus Sabellij impijſsimorum hæreticorũ. Arius dicebat proceſsionem, de qua Diuinæ loquũtur Scripturæ, eſſe ſecundum quam effectus procedit à cauſa ſua: dixit enim, Filium procedere à Patre, tanquam eius primam creaturam, Spiritum ſanctum à Patre, & Filio, ſicuti vtriuſque creaturam; itaut neque Filius, neque Spiritus ſanctus eſſent Deus in eadem ſubſtantia, ſed creaturæ extra Diuinam naturam; adeò inferiores, & inæquales, & alienę à Patre. Sabellius autem eandem diuinam proceſſionem, de qua diuinæ Litteræ, accepit de ea proceſsione, de qua cauſa dicitur in effectum procedere, inquantum, vel mouet ipſum, vel ſuam in ipſo ſimilitudinem imprimit: negauit enim veram, & realem tum perſonarum productionem, tum inter ipſas diſtinctionem; & dixit, eatenus tantũ Deum Patrem dici Filium, quatenus carnem aſſumpſit; nominari Spiritum ſanctum, quatenus creaturam rationalem ſanctificat. Contra quos errores arguit, & primo, contra errorem Arij, probat; Filium non eſſe creaturam, ſed Deum 1. Ioannis vltimo. *Et ſimus in vero Filio eius. Hic eſt verus Deus.* Spiritum Sanctum pariter eſſe Deum 1. Corinth. 3. *Neſcitis, quia templum Dei eſtis.* Templum enim habere ſolius Dei eſt: contra errorem Sabellij, Ioann. 5. *Non poteſt Filius à ſe facere quidquam.* Vbi oſtenditur Filius alius verè à Patre. Diuus Bonau. ſoluit etiam argumenta Arij, dub. 8. litterali: ita vt D. hic Seraphicus hos hæreticos confutandi munus non prætermiſerit. Poſtea diſtinguit, geminam eſſe proceſſionem; alteram ad extra, ad intra alteram: quam diſtinctionem ſic probat, primo. omnis proceſſio eſt per aliquam actionem: ſed duplex eſt actio. vna, quæ in exteriorem materiam tendit, altera, quæ manet in agente: ergo duplex quoque proceſſio. Secundo. Probat de interiori proceſsione, quicumque intelligit eo ipſo, quod intelligit producit, aliquid, quod eſt intra ipſum, quod eſt conceptio rei intellectæ, ex vi intellectiua, & notitia procedens, quod dicitur verbum cordis, ſignificatum verbo vocis. Ergo ad intra eſt aliqua proceſſio manens in agente. Tertio definit rem, & ſen-

ten-

tentiam profert: in diuinis accipienda eſt proceſſio. ſecundum emanationem intelligibilem, & ad intra. Et confirmat elegantiſſime ratione. quæ in Deo dicuntur, non ſunt accipienda, ſecundũ modum infimarum creaturarum corporearum: ſed ſecundum ſimilitudinem creaturarum perfectiorum, hoc eſt ſubſtantiarum intellectualium: nam Deus eſt ſuper omnia: ſed in intellectualibus ſubſtantijs, nimirum in Angelo, & anima rationali, eſt emanatio intelligibilis verbi immanens in ipſo: ergo multo magis in Deo.

Tertio denique obſeruandum, quod ſupra indicauimus, & huc remiſimus, per actus immanentes, de quibus his propoſitionibus agitur; quorum efficacitate præſupponitur, dari emanationes, & proceſſiones, & perſonarum productiones in Diuinis; non videri vſque adeo verum, & certum hoc, quin diuerſimode à diuerſis tergiuerſetur, & negetur. Primo ab Ariſt. 9. Metaph. vbi in genere docet, per actus immanentes intellectus, & voluntatis nihil produci. Secundo. multi Doctores aſſerunt terminum actionis, & intellectionis præcipuè, non differre realiter ab actione, vt quodammodo videantur negare vllam productionem, per hunc actum, cum inter producentem, & productum debeat eſſe diſtinctio realis. Tertio Durandus 1. Sent. diſt. 6. quæſt. 2. & Greg. Arim. diſt. 10. quæſt. vnica, ad primam rationem principalem, & diſt. 13. quæſt. vnica, dixerunt, perſonas Diuinas procedentes non procedere, nec produci per actum intellectus, & voluntatis, ſed vel ex ſola proprietate notionali perſonæ producentis, vt vult Gregorius, vel ex fœcunditate naturæ per quoſdam alios actus communicatiuos naturæ Diuinæ priores actibus intellectus &c. vt exiſtimat Durandus, & ipſe in primis multis argumentis contendit: ſed quam falsè, & temerè, infra in Diſputatione. ſufficit hic in Commentario ad explicationem textus indicaſſe difficultates. Ad Argumenta.

Plura conficit argumenta, ex pluribus ſingillatim ſumptis imperfectionibus; quibus proinde vnica fere ſatis reſponſio facit, binaq. diſtinctio, & vtraq; in Commentario notata. de proceſſionibus neceſſario diſtinguendum, nõ de quibuſcumque hic agi, ſed dumtaxat de ijs, quæ ad intra, quæ per actiones immanentes fiunt: quarum qualis qualis in anima rationali ad Sanctiſſimæ Trinitatis imaginem creata ſimilitudo reperitur. in quibus haud quaquam propoſitæ, & oppoſitæ imperfectiones inueniuntur. deinde quæ à creaturis Deo tribuuntur, per certam Theologorum, ac perpetuo obſeruatam regulam, ab imperfectionibus emundata, & defecata prorſus tribuuntur: ſic in omnibus attributis abſolutis: ſic in relatiuis: ſic ideò & in proceſſionibus. ergo quod primo loco arguitur.

Ex vi, & vocis proceſsionis ratione, proceſſio ſecum intimè fert receſsionem, & elongationem: ergo non poteſt competere Deo. antecedens ex voce conſtat: proceſsio enim æque ac procul ceſſio. conſequentia pariter certa: nam ſicuti, propter æternitatem, negatur in Deo proceſsio: eadem ratione, propter infinitatem, & ſummam vnitatem, neganda proceſsio. ſimilis ponderis æſtimandum primum, & ſecundum. S. Thomæ argumentum art. 1.

Reſpondetur elegantiſsimè. proceſsioni ferè accidere elongationem ex finitate creaturæ: cum ſit enim finita, nec poſsit inde ſimul pluribus locis eſſe, multo minus vbique, neceſſaria ei loci mutatio, & ab vno in alium locum receſsio. in re autem, cum vbiq; locorum ex ſua infinitate ſit Deus, reuera ſunt, & conceduntur in eo emanationes, & proceſsiones, abſque vlla loci mutatione, aut elongatione. S. verò Thomas ad prima duo; id accidit, inquit, in proceſsione pertranſeunte, & locali: nequaquam vero in immanenti, quæ veriſſima, & clariſsima ſunt, & quaſi eadem diuerſis verbis explicata.

Secundo. proceſsio in rebus creatis præſefert motum ad aliquid acquirendum, quo caret, & indiget procedens: ergo Deo infinitè perfecto competere non poteſt. videtur aperta vtraque argumentationis pars.

Reſpondetur. & poteſt concedi tota argumentatio, ſi ſumatur formaliter proceſsio, vt in creaturis exercetur: nec enim in Deo eſſe, aut concedi poteſt. verum non ſic, neque ratione motus ad Deum transfertur proceſsio, ſed terminorum à quo, & ad quem honeſtiſsimè deportatur: Spiritus enim ſanctus, exempli gratia, à Patre in Filium, & à Filio in Patrem, ſine motu procedit, & conſequenter non ex indigentia &c. ad formam ergo, conceſſo antecedenti in creaturis, neganda conſequentia in Deo. repetenda illa diſtinctio de proceſsione tranſeunte in creaturis; non de immanente in Deo præſertim.

Tertio creari non competit, neque competere poteſt Diuinis Perſonis: ergo neque proceſsio. antecedens eò certum, quò de fide certum eſt, Diuinas Perſonas eſſe æternas, & Deum ipſum. conſequentia hinc conſtare videtur, non creari eſt quædam nobilis proceſsio, nimirum vt à Deo.

Reſpondetur. conceſſo antecedenti, neganda toto cælo conſequentia, hac in primis ratione. comparationes debent ad inuicem fieri, penes partium comparationis principale: principale verò in proceſsionibus, quæ non ſunt creatio, eſt terminus poſitiuus à quo, & ad quem: in creatione autem terminus à quo, cum ſit nullius proportionis cum termino proceſsionis, eſt enim ex nihilo; nulla neque ratione, neque religione Diuinis Perſonis congruere poteſt creatio; niſi Arianiſmum profiteri velimus: hinc inualidæ conſequentiæ ratio eluceſsit, diuerſitas, ſcilicet, terminorum à quo creationis, & emanationis immanentis.

Quarto. nulla admittenda in Deo proceſsio localis: ergo multo minus cauſalis: ergo nulla. antecedentis ratio iam ſupra patuit, nam Deus ex infinita entitate vbique eſt, de qua re D. Bonauentura vberrimè, diſt. 8. art. 2. quæſt. 1. & 2. prima conſequentia ex Phyſicis nota eſt, perfectior enim motus localis eſt quocumque alio motu, quia entis completi. ſecunda quoque conſequentia inde patet: nam nulla alia proceſsio realis in creaturis inuenitur.

C 3 Re-

Reſpnndetur. neganda prima conſequentia: inuenitur enim cauſalis proceſsio in Deo, dempto motu, & nomine; ſed qua parte ſecum implicat originem, & terminum à quo: emanationes ſiquidem ſunt ab intellectu Patris, & à voluntate Patris, & Filij, tanquam ab origine, & termino à quo. præterea quoquomodo negandum antecedens: quamuis enim in Deo repugnet, concedere proceſſionem localem cum mutatione loci, ratione antea indicata; eſt tamen per huiuſmodi ſimilitudinem, quæ includit terminum ad quem, aliqua ratione admittenda: Spiritus enim Sancti proceſsio eſt à Patre in Filium; non quidem tanquam in locum, aut ſubiectum, in quo recipiatur: producitur enim ſubſiſtens, ſed in obiectum.

Sed explicanda quædam verba textus: primo enim licet in Deo proceſsio cauſalis per ſimilitudinem inueniatur: neque tamen nominanda cauſa ad intra, nec res producta effectus, hac potiſsimum ratione; nam effectus, & eſt imperfectior ſua cauſa, & extra eſſentiam cauſæ: Diuinæ vero Perſonæ per proceſsiones productæ, & ſunt omninò æquales producentibus, & eiuſdem eſſentiæ numero cum ipſis. neq; præterea per illam diminutam, & remotã ſimilitudinem proceſsionis localis Diuinæ proceſsiones nuncupandæ locales, ex imperfrctione, quam ſecum fert vox localis, ex iam nuperrimè indicata ratione. neque prodeſt dicere, mutationem localem eſſe cæteris perfectiorem: eſt enim, ſi ad reliquos motus comparetur, perfectior: repugnat tamen Deo iam recẽſita ratione. proindè verba illa (*& ideo decepti ſunt Græci*) explicanda ex quæſt. 1. ſupra diſt. 11. infra tamen verſanda: vbi Ideo Græcos deceptos in proceſsionis Spiritus Sancti veritate prodit: nam amplexati proceſsionis localis ſimilitudinem termini à quo in quem, aſſeruerunt Spiritum Sanctum procedere à Patre in Filium, non tamen à Patre, & Filio. in quo turpiter errarunt, vt abundè in tractatu de Spiritu Sancto: ſi enim cauſæ ſimilitudine vſi eſſent, & quemadmodum effectus à ſua cauſa procedit, ſic Perſonæ à ſua origine; ſcopulum, & naufragium euitaſſent, quod ex motus localis ſimilitudine hæreticè paſsi ſunt. poſſet quidem deceptio hæc etiam ad ſimilitudinem cauſæ extendi, dum cauſæ nomen haud rectè retinere voluerunt, ſed non eſt hic locus.

Hæc doctrina, & argumenti ſolutio, neceſſario vera eſt, & quo ad rem, communis: quo vero ad formam poterat fortaſſe paucioribus reſponderi, & negari, proceſsionem Diuinam eſſe, aut nominandam, cauſalem, aut localem: neque enim motus, neque loci, cauſæ, effectus, ortodoxè de Diuinis emanationibus prædicari poſſunt: ſed ex ſui vbertate ingenij Sanctus Doctor, & ſuauitate voluit ſic diſtinguere, ſic aduerſario concedere aliquid &c.

ARTICVLVS II.

Adhuc de his Emanationibus.

An detur proceſſio in Diuinis, quæ dicitur Generatio. D. Bonau. diſt. 9. quæſt. 2. D. Thomas q. 27. artic. 2.

PARAPHRASIS.

PRIMA Propoſitio. Neceſſariò in Diuinis datur proceſſio, quæ propriÿſſimè dicitur Generatio, & probatur, tanquam de fide, primo ex Diuinis literis, Iſaiæ 66. Si ego, qui alÿs generationem tribuo, ſterilis ero? Epheſiorum 3. Ex quo omnis Paternitas in cælo, & in terra nominatur, ſed in terris eſt vera Paternitas, ergo multo magis in cælis: ſed Paternitas ſupponit generationem; ergo in Diuinis eſt generatio. Secundo. ratione prima. Generare in creatura dicit perfectionem; ergo ponendum in Deo. Antecedens eſt Ariſt. 2. de Anima text. 34. Conſequentia patet: nam omne, quod perfectionem dicit in creatura, ex omnium conſenſu, & recta ratione, nobiliori modo in Deo ponendum. Secunda ex corpore quæſtionis: Vbi eſt emanatio, ſecundum conformitatem naturæ, ibi eſt generatio, & patet ex definitione generationis: ſed in Deo eſt huiuſmodi emanatio: ergo & generatio. Probatur minor. In Deo eſt natura; ergo, & communicabilitas: omnis enim natura communicabilis: ſed in Deo omnis potentia coniuncta eſt actui, ex perfectione, & nobilitate Diuina. ergo communicabilis natura communicata eſt; ergo plures eandem habebunt naturam: ſed vbi ſunt plures, vel ſunt ab aliquo tertio, vel vnus ab alio. Non primum; quia nihil ante Deum; ergo ſecundum: ſed eſſe vnum ab alio in eadem natura, eſt emanare, ſecũdum conformitatem naturæ; ergo generari. ergo in Deo eſt proceſſio generationis. confirmatur. Natura Diuina ſummè bona, & actualiſſima eſt; ergo ſummè communicabilis, & communicata: ſed inter communicationum genera, nobiliſsimum eſt illud generationis; ergo in Deo ponendum.

Secunda Propoſitio. Generatio in Diuinis eſt productio viuentis ſimilis de ſimili in natura, ſecundum totum, & non ſecundum partem: quæ dicitur etiam naſcentia, ſeu natiuitas. Declaratur. dicitur primum, ad excludendas metaphoricas, & ſimilitudinis generationes. dicitur ſecundum, ad excludendam generationem animalis, & hominis, quæ fit ſecundum partem, & conſequenter per deciſionem, & diminutionem, & corruptionem: dicitur tertium maximè Diuinæ naturæ proprium: Natura enim Diuina, propter infinitatem, & ſummam ſimplicitatem, tota communicatur, & tota retinetur

tinetur

tinetur, ita vt eadem vna numero tota inueniatur in pluribus ſuppoſitis.

Tertia Propoſitio corollaria. Multum differunt inter ſe Generatio Diuina, & humana: illa enim ſecundum totum; hac ſecundum partem. Illa ſine tranſmutatione, corruptione, deperditione, & conuerſione. hac cum omnibus his imperfectionibus &c.

Quarta Propoſitio itidem corollaria. In ſubſtantijs ſpiritualibus, Angelo nimirum, & anima rationali, non poteſt eſſe vlla generatio. Non ea, qua fit ſecundum totam ſubſtantiam: nam hac eius natura eſt, qua eſt ſummè ſimplex, & infinita. Non ea, qua ſecundum partem: cum enim natura ſpiritualis ſit, & incorruptibilis, non poteſt, nec partiri, nec tranſmutari.

COMMENTARIVM.

QVID titulo quæſtionis proponatur. & quæratur adeo apertum, & manifeſtum eſt, vt circa illud immorari, eſſet tempus conterere: poſtquam enim præcedenti quæſtione probauit in genere, dandam in Diuinis proceſsionem, nunc è veſtigio recto ordine probat S. Doctor, dari illam diſtinctè, quæ verè, & propriè ſit generatio: quæ quidem ideo primo ponitur probanda; quia inter emanationes ad intra neceſſario eſt prima. In corpore autem quæſtionis tria doctiſsime, & clariſsime præſtat. Primum ſatisfacit quæſtioni, an ſit, & aſſerit, verè in Diuinis inueniri proceſsionem, & emanationem, quæ verè, & formaliter ſit generatio: idq. probat tum ex ſcripturis, tum elegatiſsimis rationibus, præcipuè ex Diuina perfectione. Alterum, quoniam potiſsima ratio ſumitur ex definitione generationis, diligentiſsimè verſat, diſtinguit, adinuenit, & perlucidè declarat adinuentam, & conflatam definitionem; tertium. optimè deducit, quare nulla generatio creaturæ ſpirituali concedenda ſit.

Quoad primum. obſeruandum ad locum Iſaiæ: ſeptuaginta Interpretes, dum legunt *Nonne parientem, & ſterilem feci dicit Dominus?* aliam horum verborum ſententiam indicare videri, & diuerſam ab ea, quam colligit S. Doctor, & ab ea qua exponit D. Hieronymus hunc locũ his verbis: *Secundum illud, quod dicitur alibi*. Pſ. 93. *Qui plantauit aurem non audiet, qui finxit oculum non conſiderat? quod ſcilicet qui omnes homines creauit ex nihilo, poſsit de vniuerſis gentibus vnam partem, in ſe credentium Eccleſiam facere.* Denique in Pſal. 28. Vbi nos legimus: *Vox Domini concutientis deſertum*, in Hebræo legitur *Vox Domini faciens parere deſertum. vt deſerta prius, Eccleſia generetur, & perficiatur*. Porro iuxta ſeptuaginta Interpretes hic eſt ſenſus. *Quod vno tempore, ad prædicationem Euangeliorum, vna gens totius orbis oriatur.* Ergo iuxta Septuaginta, & expoſitionem ad literam S. Hieronymi in his verbis, & hoc diſcurſu Prophetæ de efficiente generatione, & fœcunditate Dei in conuerſione gentium agitur, non de interna fœcunditate Patris in generatione Filij; vt hic locus non videatur cogere, ad veritatem hanc aſtruendam, licet certiſsimam & ex alijs innumeris locis de fide. Poteſt quidem ſenſum conſequentem de hac re certum facere, ea ratione, qua, & illa verba Pſ. 2. *Ego hodie genui te*. Quæ aſſumuntur à D. Paulo ad Hebræos 1. ad probandam diuinitatem Chriſti, & Actorum 13. Ad Chriſti reſurrectionem teſtandã. Quorum verborum vterque ſenſus eſt neceſſarius, veluti D. Pauli; ſed vnus conſequitur alterum, & alter arguit vnum: ex eo enim, quod reſurrexit propria virtute, euidenter arguitur, eſſe Filium Dei ab æterno genitum: & genitus ab æterno Filius, vltimis temporibus carne indutus, debuit ſeipſum hominem, & propria virtute à mortuis excitare: fit tamen hic locus Iſaiæ efficacior, eo quia illo vtitur Concilium Prouinciale Hiſpalenſe, ad hunc ſenſum, ad quem & S. Doctor. Neque tamen adhuc ex hoc fit omnino neceſſarius, tum quia Concilium eſt Prouinciale, tum quia aſſumitur, quatenus ex ſua conditione probare poteſt; neque de eius legitimo ſenſu conditur Canon: vehementer tamen probat ex communi Theologorum ſenſu, quo ab ipſis aſſumitur, ad hanc veritatem.

Alterum verò locum D. Pauli ad Epheſios eruditiſsimè quoque ex linguarum peritia exponit. idem S. Hieronymus. Et primo obſeruat, non dici à D. Paulo, ex quo omnis Paternitas creata eſt, vel nata, ſed nominatur: & reddit rationem: *Aliud enim* inquit *appellationem Paternitatis mereri, aliud naturæ habere conſortium; ita vt ſicut ipſe ſolus eſt, & verè eſt: tamen alijs quoque naturis ſubſtantiæ, & exiſtentiæ, & nomen dedit, & vt re vera eſſent, beneficio ſuo tribuit; ita ſolus Pater, qui omnium Creator eſt, & vniuerſorum cauſa ſubſtantiæ, præſtat cæteris, vt Patres eſſe dicantur.* Secundo aduertit ex Græco, & Hebræo, Paternitatem in terris ſignificare familiam, cognationem &c. & contra Eluidium parentelam, tribum &c. In cælis verò Paternitatem indicare in Angelis ordines Hierarchiarum, earum capita, & Principes, ita vt velit S. Paulus concludere; omnium in cælis, & in terris eſſe Deum cauſam, & principium: hac tamen differentia; vt Chriſti, de quo immediatè ante dixerat. *Huius rei gratia flecto genua ad Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, ex quo &c.* Pater ſit naturalis; Angelorum verò, & hominum per adoptionem, & gratiam. Quo loco licet indecenter, & irreuerenter S. Hieronymus gloſſetur à Benedicto Iuſtiniano, quòd hebraicè loquatur, quaſi rebus creatis eſſe reale neget, cum oppoſitum apertè doceat: nihil tamen aliud aſſeritur, quam Deum eſſe cæli, & terræ, & eorũ, quæ in cælis, & in terris ſunt, Creatorem, & nomine Paternitatis rationabilium creaturarum ordinem, dependentiã, & capita; nihil verò videtur facere ad generationis in Diuinis fidem teſtandam; ſed tantum hoc conficere argumentum. ſi in humanis inuenitur Paternitas, multo magis in Deo. Quod autem in humanis inueniatur, neque ſenſu literali probatur ex hoc loco. probaretur ex Theodoreti expoſitione.

ſitione . Qui vocem Paternitatis propriè accipit. Verba,quæ antecedunt,optimè aſtruūt myſterium generationis Diuinæ . *Flecto genua mea ad Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti* . Quid enim clarius ? tunc enim poſtea arguitur, ſi Paterniras ; ergo , & generatio ; quare optimè vtitur hoc loco Sanctus Doctor , ex his verbis , & hac poſtrema expoſitione .

Argumenta verò , quibus idem S. Doctor propoſitum dogma probat , efficaciſſimè probant, & adeo aperta videntur , vt nulla indigeant expoſitione .

Sed circa expoſitionem definitionis generationis aliquanriſper immorandum . eſt autem hæc; Eſt productio viuentis ſimilis, diſſimili in natura , ſeu ex ſe ipſo ſecundum totum . hæc primo definitio , ita collecta, & limitata,ſoli Deo competit, & cum ipſo conuertitūr , per poſtremam particulam additam (ſecundum totum,) & excludit omnem imperfectionem , quæ in omni generatione,infra Deum,ſolet inueniri . vt tamen clarius res , & intimius percipiatur .

Obſeruandum primo; hanc S. Bonauenturæ definitionem conſonare, & conformem eſſe ei,quam prius tradidit S. Damaſcenus lib. 1. cap. 8. de ortodoxa fide . *Generatio eſt ex ſubſtantia gignentis proferri quod gignitur ſecundum ſimilitudinem* , & ei , quam collegit S. Thomas hic ex Ariſt.8. Ethicorum cap.12.& 7. Metaphyſices c.8. textu 28.& ſect.4. Problematum, 14. Problemate ; *Eſt proceſſio viuentis à principio coniuncto , ſecundum rationem ſimilitudinis in natura eiuſdem ſpeciei :* Quod enim alij, ſecundum ſimilitudinem dixerunt , Ipſe ſimile diſſimili in natura ; quod S. Thom. ex principio coniuncto,ipſe, immo preſſius, de ſeipſo: Quid enim ita coniunctum ſibi, quam idem eſſe ? quod denique idem S. Thomas ſecundum ſimilitudinem ſpeciei; clarius ipſe explicuit hoc termino, de ſeipſo in natura .

Secundo igitur obſeruandum, cum reliquis Doctoribus in S. Thomam . Quomodo vterque Sanctus Doctor venatus ſit hanc generationis definitionem, & quomodo propriè intelligatur , Generatio ergo cōmuniſſimè primo æquiuocè,pro quacumque vel reali, vel,vt aiunt,intentionali ſubſtantiæ productione . Secundo vniuocè,pro cuiuſcumque ſubſtantiæ productione , vel animatæ , vel inanimatæ , & pro quacumque ſubſtantiali,de non eſſe ad eſſe, mutatione,ſolet vſurpari; quemadmodum Ariſtoteles communiter in Phyſicis,& de Generacione , & Corruptione . Tertiò preſſius , pro ſola viuentis ſubſtantiæ proceſſione . Quarto adhuc ſtrictius, à principio vitæ coniuncto . Quinto iterum diſtinctius,in ſimilitudinem ſpeciei . Sexto denique diſtinctiſſimè , & ſtrictiſſimè, in eadem natura numero , ne dum ſpecie : vt primo genus ſimpliciter ſit *productio ſubſtantiæ* , quocumque modo ; quem ſenſum indicauit & S. Doctor , dum productionem animalis perfectiorem generationem appellauit . Secundo additur *ex materia* ad ea , quæ ex nihilo per omnipotentis Dei virtutem creantur, ſecernenda . Tertio ex *principio vitæ* , vnde reijciuntur omnia viuentia ex principio non viuo , vt ex ſole mures , & reliqua , quæ ex putri : *coniuncto* , vt primo inanimata, ſeu elementa &c. quæ ex extrinſeca materia in eſſe producuntur : & iterum quæ in nihilum exeunt , explodantur . Secundo . vt animata verè dicantur genita , debent aliquo modo eſſe de ſubſtantia principij generantis , & , vt explicat S. Thomas 4. contra Gentes cap. 11. vt res verè genita ita ſit coniuncta generanti , vt maneat in ipſo ſaltem dum producitur , & aliquid de ſubſtantia generantis cōmunicetur ; qua exeat , & acquirat eſſe genitum , & actione interiori , & virture vitali producatur, quibus excluditur Euæ eductio : non enim ex virtute Adæ , nec ex actione vitali ; nec, hac ratione , ex principio coniuncto educta eſt . *ſecundum ſimilitudinem in ſpecie*; vt innoteſcat, quæ ſimilia in genere fiunt à principio viuo, ſcilicet viua , vt pili, vel expreſſius , vt pediculi , & culices, & vermes : qui quidem viuentes ſunt , non ſunt tamen in ſpecie ſimiles; & in hac definitione non compræhenduntur, vltima differentia. *ſecundum totum in eadem numero natura* , & adeo ſimili, vt prorſus eadem ſit : vt adhuc viuentium duplex ſit generatio , altera , qua viuentia omnia , tam perfecta, quam imperfecta , tam cognitione pollentia , quam carentia compræhendantur : altera,quæ præcisè ſolum cognitione prædita complectitur , quæ propriiſſimè eſt generatio , & genito verè nomen filij competit , vt ita definiatur . Eſt proceſsio viuentis ratione præditi ex principio viuente coniuncto, vi cognitionis . quæ vltima particula ſoli Verbo Diuino congruere poteſt propriiſsimè . Et hinc eſt , quod ſecundum totum ; cum enim ſpiritualis ſit, aut tota datur, aut nihil: eo namque impartibilis,quo ſpiritualis : & datur, quia fœcunda, & tota retinetur, quia ſumme ſimplex, & infinita : eſt ergo vniuocè de ſolo Verbo:ſicut ſuperior analoga, & ad Verbum,& ad reliqua viuentia ; ſicut , & Paternitas prius , & perfectius de Deo , deinde de creatura affirmatur .

His ſic declaratis, conſtat argumentum, & Sanctus Doctor , & Theologorum reliquorum communitas . Vbicūque inuenitur proceſsio ſubſtantiæ viuentis à principio vitæ coniuncto ; ibi in eadem natura,ſecundum totum,eſt vera, & propriiſſima generatio : ſed hæc inuenitur in Deo ; quia hæc eſt Verbi emanatio, ergo in Deo vera eſt generatio .

Hinc tertio obſeruandū . (circa tertiam propoſitionem) magnā, & magni momenti differentiam inter creatarum rerum viuentiū , & Diuini Verbi generationem inueniri : quam licet diligenti , & peracuto oculo viderit , & docuerit S. Doctor : vberius tamen , & explicatius, quippe quæ admodum refert , enucleandam duxi . Quamuis igitur aliquando Diuina Scriptura , vocum penuria , res Diuinas rerum humanarum vocabulis nominet : non ideo tamen (vt obſeruat etiā D. Athanaſius) res diuinæ , & humanæ ad inuicem comparandæ , & æquiparandæ ſunt; ſed diligentiſsimè interpretandæ , & diſtinguendæ à Theologo . Quare licet productio aliqua Diuina,ab humanis mutuata nomenclaturā,generatio nuncupetur;non idcirco tamen

men

men exiſtimanda eadem natura, vel perſectione, aut imperſectione. Ricardus art. 1. quæſt. 1. diſt. 9. hac definitione, quam colligit ex S. Damaſceno, loco ſupra adducto, Generatio eſt ex ſubſtantia generantis produci, quod generatur, ſecundum ſubſtantiam. cum ijs, quæ, paucis interpoſitis, ſubdit, quia Generatio diuina eſt ſine principio, & æterna, & opus naturæ exiſtens. & conficit hãc definitionem, quibus, ex ſua ſententia, omnis excluditur imperſectio, Generatio diuina *eſt æterna alicuius perſonæ productio, ſecundum ſubſtantiam, per modum naturæ de ſubſtantia generantis*. Ait ergo Generatio Diuina eſt primo *æterna*, ad animalium cum tranſmutatione, quæ ideo non poteſt eſſe æterna, generationem excludendam, & eam, quæ eſt de parte ſubſtantiæ, non de tota: quia ipſa quoque non poteſt, ſine tranſmutatione, & ſine initio eſſe; & eam quæ eſt æquiuoca, quæ cum, nec de tota, nec conſequentur de propria ſubſtantia, non poteſt omnino eſſe ſimilis. Secundo eſt *ſecundum ſubſtantiam*, qua particula, omnis ſecundum quid, & accidentalis mutatio, & productio ſeiungitur. Tertio per *modum naturæ* ad Spiritus Sancti proceſsionem diſtinguendam, qui per modum voluntatis, non naturæ conſtituitur, & procedit. Solers quidem, ſedula, ac ingenioſa tum definitio, tũ declaratio, & obſeruatio: operepretium tamen eſt; vt cordatius, ac diligentius in hac re grauiſsima haſce differentias, non ſolum ex Riccardo, ſed ex Seraphico, & ex Alen. & alijs colligamus. Ex triplici ergo capite indaganda, & obſeruanda hæc maxima differentia.

Primò ex capite generantium: Animal generat, & aliquando cum dolore, & paſsione vehementi. In Diuinis generatio lepidè flori naſcenti, & luci egredienti conferri ſolet, ex diuinis literis Iſai. 11. *Flos de radice eius aſcendet*, licet propriè de incarnatione ſumatur, magis propriè Cantic. 2. *Ego flos campi*. Iſa. 62. *Donec egrediatur, vt ſplendor iuſtus eius*. Alibi. *Candor lucis æternæ*. Symbolum Nicænum. *Lumen de lumine*.

Secundo, Generans quærit materiam, ex qua, & qua, & ipſum, & animatum & nutriente, & producente ſemen, & reſarciente &c. indiget: Deus autem, teſte Dauid, ex vtero ſuo generat, ideſt ex propria ſubſtantia. Tertio. Generans partem ſui generando amittit, Deus verò, licet totam cõmunicet ſubſtantiam, & eſſentiam, per generationem, nihil tamen ſui amittit, aut perdit: totam enim quoque retinet: contradicit enim generare, & generando amittere eſſe; vnde Filius, propria perſonæ voce, imago Patris appellatur, quæ procedens ab ipſo prototypo, nihil tamen ei omnino aufert. Quarto. Eandem naturam numero non communicat animal, ſed tamen ſpeciem: in ſuppoſito enim multiplicato neceſſe eſt, & ipſam naturam numero multiplicari. Deus autem eandem totam naturam numero communicat, immultiplicatam tamen; licet in multis ſuppoſitia, propter ſummam ſimplicitatem, cui perſona producta, & addita, nihil addit, nec componit. Vnde in Diuinis literis. Pater ſimilis fonti aſſeritur Pſ. 35. *Quoniam apud te eſt fons vitæ*, eo quia eandem numero aquam emittit per riuulos. Quinto. Indiget ſocio in generatione animal. Se ſolo, Deus Pater Filium ſuum generat. Quare Dauid Pſal. 109. *Ex vtero genui te*, vterum Patri tribuens, qui eſt pars mulieris concipientis, & recipientis, &c. indicat, non ſocia indigere, ſed, ſe ipſo, Patrem generare. Sexto. In humanis ex non generante fit generans, & à potentia in actum tranſit: In diuinis nequaquam eſt enim in ęternum Generans. Quare Pater ſoli comparatur: qui ſtatim, ac eſt, & ſemper producit radium; itant etiam ab æterno, ſi ſoli non repugnaret eſſe ab æterno, ab eo exiret lumen. Tandem. pater in humanis non ſtatim, ac eſt, generat, ſed indiget adoleſcente ætate. Pater verò æternus ſtatim, hoc eſt ab æterno. Quare, vt nuperrimè dicebam, & lux, & ſol, & aqua, & fons, hac ratione, rationabiliſsime nuncupatur.

Secundo, ex capite geniti, & producti; primo, Genitum creatum habet eſſe poſt non eſſe. Genitus Patris æterni, æternus quoque. *Aeternus Pater, æternus Filius*, decernit S. Athanaſius in Symbolo. Ratio verò eſt, quia idem eſſe abſolutum, quod eſt in Patre, eſt etiam in Filio. Ideò Sapientiæ 7. Sapientia, nimirum genita, dicitur *Speculum ſine macula*. In ſpeculo verò relucet idem, quod eſt etiam in alio: ita in Filio idem eſſe Filij repræſentat, & continet idem eſſe Patris. Secundo conſequenter in genito non eſt idem eſſe numero cum generante. In Deo verò, vt dicebam, prorſus idem numero. *Ego in Patre, & Pater in me eſt*, ſcilicet Patris, & mei idem, & ipſiſsimum eſt eſſe eſſentiæ. Tertiò. in humanis genitum non ſtatim producitur perſectum; ſed paulatim, & ſucceſsiuè acquirit perſectionem. Genitus Dei à Patre in inſtanti æternitatis infinitè perfectus generatur. Denique. genitum in his eſt poſterius generante. In Deo coæuus, & coæternus, vnde dicitur lux; Sap. 7. *Candor eſt enim lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula Dei maieſtatis, & imago bonitatis illius*. Lux enim eſt coæua ſoli &c.

Ex capite denique generationis magna quoque intercedit diſsimilitudo, maximeq. notanda differentia: in humanis enim generatio terminatur. In diuinis autẽ æterna ſimpliciter eſt. In humanis fit. In diuinis perfectiſsimè eſt. Quare canebat Dauid Pſ. 2. de æterna generatione, *Ego hodie genui te. Genui* enim dicit, vt infinitè perfectam generationem affirmet: *hodie*, verò, vt interminatam, partemque interminabilem decernat, & æternam.

Quarto. & poſtremo. circa quartam propoſitionem, attentè animaduertendum: non enim primo aſpectu, tum ſibi, tum rationi videtur S. Doctor locutus: dum primo generationem, ideo in Diuinis ponendam; quia dicit perfectionem, docuit; eandem quoque in animali, & homine, eadem ratione, collocauit; neque tamen naturæ ſpirituali, & incorruptibili, longè infra Deum, homine, ne dum animali perfectiori conceſsit: ſi enim ideo Deus, ideo homo, ideo animal generat, quia perfectum, vt generando ſuam alteri communicet bonitatem; quare eadem ratione, & Angelus, & anima. addam, quare & ſol non generant, & generatione ſuam bonitatem non communicant? ne-

que

Digitized by Google

que ſatis viſus dubitationi feciſſe: non enim ſufficit dicere, in Angelis nõ eſt generatio, vlla nõ diuina; quia creatæ naturæ repugnat; non animalis; quia incorruptibili naturæ conuenire non poteſt. oportebat reddere rationem, quare, cum natura ſpiritualis valde bona ſit, repugnet ei, ſeipſam communicare, & multiplicare. optimè tamen, & funditus omnem ſuſtulit dubitationem: quod quam verum ſit, vt innoteſcat, animaduertenda ſunt.

Primo, ex Alexandro quæſt. 42. membro 1. in reſponſione ad tertium. In humanis generatio licet eatenus perfectionem dicat, quatenus generans poteſt ſibi ſimile, & æquale in eadem natura producere, quam vocat perfectionem in virtute generantis: ponit tamen, & indicat notandam imperfectionem, quæ abſolutè hac ratione imperfectio nuncupari poteſt: ideo generanti conceditur generari: quia in ſe corruptibile eſt, nec in ſe ſuam ſpeciem conſeruare poteſt: vnde neceſſe ei eſt, multiplicare indiuidua. Innoluit ergo imperfectionem defectibilis naturæ, ac intrinſecè corruptibilis, tum ex natura ſua, tum ex modo generationis per deciſionem, vt docet S. Doctor.

Secundo conſequenter animaduertendum, ex Scoto diſt. 2. quæſt. 7. duplex eſt perfectio ſimplex, quæ ſi definiatur, eſt melius, quam non ipſum. Quædam alia, & ſupplens imperfectionem, vt dicebat Alexander, & alia generaliori nota, notari, & explicari poteſt non ſimpliciter perfecta, ſed habens ſibi annexam, diuerſa, ratione imperfectionẽ. ſoluitur ergo dubitatio. Generatio ſimpliciter perfecta, quæ totam communicat ſubſtantiam, eſt in Deo, ſed ex tanta perfectione non poteſt eſſe in Angelo, cuius natura finita eſt. Illa, quæ annexam habet imperfectionem, non poteſt competere Angelo, tum ex perfectione Angeli, qui, cum ſit incorruptibilis in ſe in æternum durans, non indiget generatione, nec multiplicatione indiuiduorum, ad ſeipſum in illis conſeruandum; tum ex imperfectione generationis, quæ fit per alterationem, & diminutionem, & deciſionem: ergo creatura ſpiritualis, & corporea incorruptibilis, licet bona, imò, quia ita bona, non poteſt ſeipſam hac generatione communicare: alia tamen nobiliori, licet non ſubſtantiali, ſe communicant per actus immanentes; intellectione enim verbum, volitione amorem, ad ſanctiſsimæ Trinitatis imaginem, producunt Angeli, & animæ rationales.

Ad formam ergo argumenti. nobiliſsima eſt natura ſpiritualis, ergo communicabilis per generationem: negatur conſequentia. ratio eſt, & colligitur ex imperfectione annexa generationi repugnanti huiuſmodi naturæ: imò in oppoſitum mirificè currit conſequentia. eſt nobiliſsima infra Deum, ergo ei non competit generatio creaturæ, &c.

Ad argumenta. Quatuor S. Bonau. argumenta in vnicam hanc arguendi formam redigit generatio in creatura inuoluit deformes imperfectiones; ergo non eſt Deo tribuenda. conſequentia eſt eo euidens, quo Deo repugnant huiuſcemodi imperfectiones. Antecedens primo, ſic perſuadetur. creaturarum omnium perfectiſsimæ, nimirum Angelus, & anima rationalis non generant: ergo imperfectionem implicant. Secundo, variationem, corruptionem, nutritionem, addit Sanctus Thomas art. 2. materiam; ex qua hæc fiant, accidens, quod intellectus noſter intelligendo producit, nimirum conceptum, & verbum, ſubiectum, in quo, quod à generanti accipitur, recipiatur.

Reſp. primo concedendum totum de generatione creata: non enim hæc ad Deum transfertur. Secundo. Generatio quidem creata, & perfectionem ſuam præſefert, ſed cum multis annexis imperfectionibus indicatis; fit enim ſecundum partem. Generatio verò æterna, quæ de Deo aſſeritur, eſt ſecundum totum, totaq. diuina eſſentia, generatione immultiplicata communicatur, hinc ſeiunctis omnibus imperfectionibus ab vtroque S. D. recenſitis, & quæcumque alia. ad formam argumenti. Antecedens de generatione creata concedendum, itidem & conſequentia: de increata verò negandum, pariter & conſequentia. Ad confirmationem primam. Euidens eſt ex ſecunda propoſitione textus ſolutio. Ad ſecundam quoque iam factum ſatis ex gemina data generatione, ſecundum totum, & ſecundum partem: de hac re, non de illa, numeratæ imperfectiones aſſeruntur. Sed abundè S. D. in corpore, vnde hæc ſatis etiam rudioribus.

ARTICVLVS III.

Adhuc de Emanationibus.

An in Diuinis neceſſario detur alia, à generatione, proceſſio. S. Bonauentura diſt. 10. art. 5. quæſt. 1. S. Thomas art. 3.

PARAPHRASIS.

PRIMA *Propoſitio. Danda eſt neceſſario in Diuinis alia emanatio, & proceſsio ab emanatione Verbi, quæ fit per modum voluntatis, ſiue liberalitatis. Probatur primo. In humanis non ſolum eſt actio immanens intellectus, ſed etiam voluntatis, vt experimur. ergo multo magis in Deo: dicunt enim perfectionem; ſed emanationes iſtæ fiunt per actus immanentes, ergo ſicut duo ſunt actus, ita duæ debent eſſe emanationes alia intellectus, alia voluntatis, hoc eſt alia per actionem intellectionis, alia per actionem voluntatis, ſcilicet amoris, ſecundum quem amatum eſt in amante.* Secundo. *In Deo, quia eſt natura fœcunda, & perfecta, ideo producitur perſona per fœcunditatem naturæ, id eſt, Verbum, & Filius: ergo, quia in eodem Deo eſt voluntas, & perfecta debet eſſe ſumma liberalitas, & libertas; nam primus actus liberalitatis eſt libertas, & ideo alia eiuſdem perfectionis emanatio, & alterius perſonæ proceſsio. Tertio. Creaturæ procedunt, & emanant à Deo per cognitionem, & voluntatem:*

tem: ſed ſicut in Deo ab æterno proceſsit Verbũ, quod eſſet ratio, in quo Pater omnia facienda diſponeret: ergo debuit dari & alia interior, & æterna emanatio per modum amoris, & liberalitatis, in qua omnia vellet, & donaret, & eſſet ratio volendi dandi, & donandi. Quarto. Dei voluntas debet eſſe neceſſario ſummè perfecta, ergo in ipſa debet eſſe perfectiſsima dilectio, & delectatio, & beatitudo, ergo mutua, & communicata dilectio; ergo amoris emanatio, & communicatio per liberalitatem.

Secunda Propoſitio ex reſponſione ad tertium, & ex S. Thoma art. 5. Præciſè emanationes huiuſcemodi in Diuinis ſunt tantum duæ, nec plures, nec pauciores poſſunt eſſe. Primo, quia principia in natura nobili ſunt dũtaxat duo, natura, ſcilicet, & voluntas; & probatur. Quicumque enim alius producendi, vel procedendi modus ſingi, & imaginari poſsit, erit agendi, vel per artem, vel per vim: ſed per vim eſt imprrfectiſsimus, & indignus, qui ponatur in natura tam nobili: per artem verò, aut imperfectus quoque, ac repugnans perſonæ Diuinæ, cuius eſt communicare in eadem natura Diuina numero: ea verò, quæ à Deo procedunt per artem, & exemplar, ſunt creaturæ, extra Deum: aut reducitur ad primum modum verbi, & naturæ: Verbum enim procedit ſicut ratio rationum, & ars artium omnium faciendorum.

Hoc idem probat diſt. 2. art. 1. quæſt. 4. etiam per Ariſt. 2. Phyſic. text. 49. Omne agens, aut agit per modum naturæ, aut per modum voluntatis, & multiplicat argumenta, ex hac gemina tantum emanatione, ad probandum Trinitatem perſonarum.

COMMENTARIVM.

TITVLVS quæſtionis eodem modo interpretandus, quo, & præteritæ quæſtionis: eadem enim ratione perueſtigat S. Doctor de hac emanatione, quemadmodum, & de priori. An, ſcilicet, alia dãda emanatio in Deo realis, propriè, ac formalis, ſicut, & ſuperior. Deinde illa vox *neceſſario* non ita ſumenda, vt opponitur libertati, ac liberalitati, & dicit coactionem, ſed vt excludit contingentiam, & docet intrinſecam Diuinæ naturæ perfectionem, ſicuti apertè in corpore quæſtionis ſeipſum interpretatur. ita Egidius Romanus, vt Dei voluntatem impermutabilem in ſpirando declararet, eam neceſſariam aſtruit, quia non circa media, ſed finem, hoc eſt, ſeipſum diligendum. Idem Riccardus. Eſt ergo quæſtionis huius vis, & ſententia: Intrinſeca Diuina, & adæquata Dei infinitè boni perfectio requirit, vt non ſolum per intellectum, ſed per voluntatem etiam communicetur.

Quo verò ad id, quod quæritur, & primo reſpondit S. Bonau., idem S. Thom. hoc art. & quaſi Scholiaſtem, & Commentatorem agit. Conſonam, & omnino conformem, imò eandem tradit doctrinam, & eodem argumento confirmat, eodem, & Alexander, & Riccardus. Addit tamen S. Thom. apertum S. Ioannis teſtimonium cap. 14. Quo aſſertum hoc manifeſtam fidem continere, & profiteri liquido colligitur. *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis*. vbi (vt hæc verba fideli, & certa explicatione interpretemur) tres maximi ponderis veritates eruuntur. Et prima ex primis verbis: *Ego rogabo Patrem*; loqui hic Chriſtum, vt hominem: ſi enim ſimpliciter, vt Deus, non ego rogabo, ſed ego mittam, dixiſſet; quemadmodum; & alio loco dixit: vt homo autem, & rogare potuit, & rogauit, & meruit, ac verè obtinuit Spiritus ſancti aduentum, & miſſionem: & licet infinitæ condeſcenſionis fuerit, infinitæ Spiritus ſancti perſonæ miſsio: potuit tamen à Chriſto obtineri meritis ex infinita virtute perſonæ Verbi in humanitate aſſumpta operantis, aut, vt ſic loquar, dignificantis Chriſti hominis operationes. Vnde primo, quanta inter has duarum perſonarum miſsiones differentia intercedat, clariſsimè innoteſcit: miſsio enim Filij in carne omnino gratis facta eſt, & ex amore, & charitate Diuina gratuito proceſsit, vt Ioan. 3. decernitur. *Sic enim Deus dilexit mundum, vt Filium ſuũ vnigenitũ daret.* hoc autem, quia nullum hominum meritum præceſsit, nec præcedere potuit; quoniam omnes homines tum peccatores, & Filij iræ, & mortis, & Deo inuiſi erant: & quicumque vllam gratiam obtinuit, propter hanc futuram Chriſti incarnationem obtinuit; omnis enim meriti omnium hominum radix, fundamentum, & caput fuit Chriſti incarnatio, & gratia; quod ſi etiam innocentiſsimi homines extitiſſent, Chriſti tamen incarnationem, ad quam infinitum meritum, & alterius ordinis neceſſarium fuiſſet, nullo quantumuis egregio, & quotieſuis repetito opere, veluti ſemper finito, obtinere potuiſſent.

At verò; quoniã Spiritus ſancti aduentũ præceſſit Chriſtus, & Chriſti meritum, & oratio infinitæ dignitatis, potuit ſuo merito, & iuſtitia efficere, vt Spiritus ſanctus non ſolum in diſcipulos per dona, & gratiam, ſed in omnes, homines poſt incarnationem, effunderetur, & ipſamet perſona Diuina cõmunicaretur Eccleſiæ. ex illo D. Pauli ad Rom. 5. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.* Quo tollitur illa difficilis lis theologica inter maximos Theologos, & Scotum, & videtur ferè lata ſententia: negabat enim Scotus, contra communem Theologorum ſententiã, eo meritum Chriſti, nec fuiſſe, nec potuiſſe eſſe infinitum, quo à Deo contradicit reddi merito infinito infinitum præmium. hic verò dum infinita Spiritus ſancti perſona ex meritis Chriſti deſcendiſſe aſſeritur, infinita merces Chriſti precibus proponitur, & redditur.

Secunda verò veritas ex illa voce *Paracletus* magni facienda nobis illuceſcit. Paracleon ſi intimè explicetur tria ſignificare in diuina Scriptura perdiſcitur. Primo conſolari 2. Corinth. 1. *Qui cõſolatur nos in omni tribulatione.* Secũdo adhortari. ad Titum ſecundo. *Iuuenes ſimiliter hortare, vt ſobrij ſint*: vtrobiq; enim eſt vox eadem

apud

Digitized by Google

apud Græcos iam notata. ſed in hac gemina ſignificatione toti Trinitati conuenit, cuius eſt conſolari, & adhortari homines. ſic teſtantur, & docent D. Baſil. lib. de Spiritu ſancto cap. 9. D. Hieron. epiſt. ad Hedibiam cap. 9. vnde fit ſi Spiritui ſancto tribuatur, non tanquam ei proprium, ſed tanquam commune appropriatum, vt etiam obſeruauit S. Athanaſius, dum hoc nomẽ eſſe Spiritus ſancti docuit, lib. de communi eſſentia Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Tertio tamen adinuenitur eadem vox ſignificare tueri, patrocinari, cauſſam alterius defendere, alterius eſſe aduocatum: nam 1. Ioan. 2. vbi nos legimus *aduocatum habemus apud Patrem, Ieſum Chriſtum* græcè eſt eadẽ vox, in qua ſententia non toti Trinitati, ſed ſoli Chriſto homini congruit, non enim Deum aduocare benè ſonat, ſicut ſi diceretur homo. Ergo Chriſto Deo conuenit, paracletum eſſe cum Patre, & Spiritu ſancto, ideſt conſolatorem: Chriſto ſoli homini noſtrum aduocatum eſſe, & hoc modo paracletum. Hic, vt ad rem accedamus, dum ſacer locus adductus Spiritum ſanctum Paraclitum vocat, nimirum conſolatorem, addit (*alium*) apertè indicare, & inculcare intendit vtramque perſonam Filij, & Spiritus ſancti eſſe emanantem, & quamlibet harum emanationem eſſe æqualis dignitatis, & eiuſdem diuinitatis; dum æquè, & Filio, & Spiritui ſancto conſolandi tribuit virtutem.

Tertia denique veritas huic loco, quem verſamus, maximè, quæ obſeruetur, neceſſaria, ad quem roborandum à S. Thoma, & reliquis Theologis aſſumpta eſt, in illa vocula (*alium*) alium Paraclitum: hoc enim S. Cyrillus lib. 9. cap. 44. & S. Chryſoſt. hom. 74. grauiſſimè tradiderunt Filium, & Spiritum ſanctum, non ſolum eſſe eiuſdem naturæ, & perfectionis paracliticæ, ſed diuerſam, & aliam perſonam. Ergo his verbis aſſeritur, & diuinitùs probatur, aliam, & aliam in eadem natura dari emanationem.

Scotus diſt. 2. quæſt. 7. ſuo familiari argumento, pro eadem hac Diuina veritate, hoc modo ratiocinatur: quidquid natura ſua habet vim producendi, habebit vbicumque erit: ſed voluntas natura ſua habens obiectum conueniens præſens actu cognitum producit actum amoris, ergo, & in Diuinis. Ergo alia, præter intellectus, ſcilicet voluntatis danda eſt proceſsio.

Riccardus in corpore, quæſtione prima. Fœcunditas in natura, & intellectu eſt per modũ naturæ, ad producendam aliam perſonam, quæ non ab alia habita. Ergo, & in voluntate debet eſſe fœcunditas, ad producendam aliam perſonam per modum voluntatis, quia eodem modo non eſt ab alia habita, & eſt argumentum deductum ex principio ſæpè à S. Bonauentura repetito; & fœcunditate, quæ in hoc ſita eſt, quia illa perſona ſit, & dicatur fœcunda, quæ non eſt ab alia, in ea ſpecie productionis; & ideo Pater ſit fœcundus vtraque productione, quia eſt ſimpliciter prima perſona: Filius verò ſit fœcundus, quia licet ſit à Patre, fœcunditate naturæ, & intellectus, non tamen voluntatis; vnde producat non ea fœcunditate, qua eſt à Patre productus, hoc eſt voluntate. Ergo ratio fœcunditatis ſtat in eſſe primo, & non eſſe ab alio, vt ideo ab ea perſona ſit alia, quia illa non eſt ab alia, ſub ea ratione.

Alexander quæſt. 43. membro primo. Laudabilius eſt illud bonum, quod non ſolum ſe diffundit diffuſione naturæ, ſed etiam voluntatis: ſed quod laudabilius eſt ſummo bono deeſſe non debet. ergo in Deo vtraque hæc diffuſio ponenda eſt.

Idem Alexander. Donum amoris, in quo omnia donantur, decet præcedere in largitore, ſicut ratio largiendi, & donandi: ergo, & in Deo, à quo iuxta D. Iacobum, omne donum, & datum perfectum eſt, quando largitus eſt in tempore creaturas tot, &c. & ornamenta, & beneficia, debuit præcedere donum amoris: ergo ab æterno: ſed donum eſt dicens reſpectum, & relationem. ergo.

Argumentum poſtremum, pro hac veritate comprobanda, à ſancto Doctore conſtructum, & ab emanatione creaturarum deductum, commune eſt & reliquorum Theologorum, præcipuè Alexandri, S. Thomæ in Scripto, Riccardi, & etiam aliorum. Ab Egidio tamen Romano aſſumitur impugnandum, his duabus rationibus. Prima, quia ex diſtinctione effectuum arguitur diſtinctio in cauſa, quod falſum eſt: maior enim ſemper eſt vnitas in cauſa, quam in effectu. Secunda, quia per emanationem creaturarum arguit emanationem variam ad intra in Deo; quod, vt patet, non rectè fit; & poteſt reddi ratio: Exeunt à Deo creaturæ, vt vnus eſt, & ad intra ſunt emanationes, vt plures perſonæ. Sed hæc nullius ſunt momenti, & abſque ratione opponuntur. Primo enim non arguunt hi magni Theologi ad demonſtrandum: ſed, ſuppoſita dogmatis fide, ad declarandum, quomodo in Deo poſsint inueniri variæ emanationes. Secundo. tenet argumentũ à varietate effectus, ad varietatem aliquam in cauſſa, licet non tantam, vel realem, vel formalem, vel ſaltem virtualem: non enim ab vno, & omnino, & omni modo vno, niſi vnum oriri poteſt. Atque ita varius creaturarum à Deo exitus arguit in Deo eandem quidem eſſentiam, & virtutem, diuerſam tamen rationem idearum, et agendi, et producendi eaſdem creaturas. Tertio. Quamuis eſſentialiter, et abſolutè omnino, et formaliſsimè idem ſit Deus, Diuinaq. virtus: cum tamen ex infinitate perfectionis Diuinæ, non ſolum abſolutum gradum entis, ſed etiam relatiuum in Diuina eſſentia ſupponere neceſſario debeamus; ſuppoſita fide, ex abſoluto relatiuum argui poteſt; imò eſt familiare D. Bonauenturæ argumentum hac in re. Deus eſt vnus, ergo, et trinus. Ex infinita, infinities perfecta, Dei vnitate, et perfectione, arguitur pluralitas emanationum, communicationum, et perſonarum. et Riccardus. actus in Deo eſſentialis eſt ratio actus notionalis: ergo ex illo poteſt argui hìc. Quare cum in productione creaturarum infinita Dei virtus demonſtretur, ex ea arguere ad intra pluralitatem proceſsionum licet. ſed videndus Egidius, et amicè interpretandus.

In reſponſione ad tertium, ex qua ſecunda propoſitio, S. Thomas art. 5., eadem ratione, præciſè vtitur, ad ſufficientem, et determinatum emanationum numerum probandum. Duæ ſunt tantum actiones in Deo immanentes: ergo tantum duæ quo-

quoque proceſſiones, & emanationes. omne enim agens neceſſario agit, aur per naturam, aut per voluntatem, vel alio modo. omne agens, aut determinatè agir, & hoc eſt per naturam, aut non determinatè, & hoc eſt per voluntatem; ita tamen, vt hæc non determinata dererminario voluntatis, non dicat contingentiam, ſed oppoſitum modum, ad agendum per natnram; & omnis emanatio per aliquam actionem immanenrem fit. eodem loco, S. Thomas vtitur alia ratione, nimirum auctoritare Diuinæ Scripturæ, qua propoſitio percipitur de fide; ſunt tantum duæ perſonæ procedentes, & vna rantum non procedens: ergo dumtaxat tres perſonæ, & duæ emanationes, ergo eadem certitudioe, certum eſt, duas eſſe emanationes, qua tres perſonæ.

S. Bonauentura diſt. 2. quæſt. 2. in corpore hanc aſſumit fœcundiſſimam rationem, re ferè eandem cum illa D. Thomæ. duplex in Diuinis eſt fœcunditas, ergo duplex pariter ranrum communicatio, & emanatio. Antecedens probatur, primo fœcunditas eſt ex primirate, & non eſſe ab alio: ſed tantum Pater eſt non ab alio ſimpliciter, & Filius non ab alio inſpiratione: ergo tantum in Patre eſt fœcunditas intellectus, & voluntatis, & in Filio voluntaris cum Patre. Secundo. vtraque fœcunditas eſt Diuina, & perſectiſſima, & adæquatum terminum producens: ergo immulriplicabilis, & quo ad numerum, & quoad ſpeciem, & ſimpliciter. Non ignoro hic multas difficulrates, & multorum oppoſitiones inuolui, quibus in diſputatione ſatisfiet.

Vnum animaduertendum; quomodo dicanrur voluntas, & intellectus principia harum emanationum. Eſt igitur diligenter obſeruandum, quod hic S. Doctor, in reſponſione ad ſecundũ, & diſt. 2. quæſt. 2. Voluntas, concomitante natura, producit Spiritum Sanctum, & natura, & intellectus, concomitanre voluntate, producit Verbum. quibus verbis duo magni momenti nos admonitos vehementer vult. Alterum. volunras, dum Spiritus ſancti præciſè aſſeritur principium, non ſolitariè; & ſola, & ab eſſentia, & natura Diuina ſeiuncta ſumitur, nec ſumi poteſt; non ſolum qnia ab eſſentia, & natura Inſeparahilis, per identiratem omnino eſt; ſed præcipuè, quia ſola volunras nec eſt, nec eſſe poreſt principium totum, vt ita dicam, Spiritus Sancti; ſed dumtaxar formale, & quo Diuina natura communicatnr Spiritui Sancto: ideo enim Parri, & Filio ſimilis prodneitur, quia eadem prorſus natura per voluntatem datur. Diceret Scotus: non poteſt Diuina voluntas, niſi Diuinã eſſentiam, tanquam obiectum ſibi ſufficiens, & conueniens habeat, producere Amorẽ, Spirirum ſanctum ſubſiſtentem; redderet rationem S. Bonauentura, non poſſet, nec idonea, nec apta eſſet volnntas, ſe ſola, producere Spiritum Sanctum, niſi fœcunda, & plena eſſet Diuina eſſentia, non prius ſub illa ratione communicata: eſſentia ſiquidem eſt omnis fœcunditatis, & fertilitatis radix.

Alterum. voluntas, & intellectus, vt coniunctum principinm, poteſt duobus modis ſumi, & interuenire, ad productiones; vno vt principium principale, ſecundo, vt concomitans: ſi intellectus eſt principale principinm, producitur Verbum, & concomitarur voluntas: ſi volunras; Spiritus Sanctus emanat, & concomiratur intellectus: concomitari igitur naturam, vel voluntatem eſt, non eſſe tunc principium formale, & præcipuum, coniunctum tamen, & in eadem natura numero: quæ quia commnnicatur etiam in ſpirarione Spiritus Sancti, ideo producitur ſimilis, non ramen formaliter, nimirum ex vi productionis.

In reſponſione ad quartum, memoriæ mandanda illa aurea diſtinctio, & ratio; quare exorientes, tollantur omnes oppoſitiones, quibns tẽtaret quis probare, debere plures eſſe perſonas, quam tres, & emanationes, quam duas. Non poteſt multiplicari emanatio Spiritus Sancti, nec, eadem rarione, Verbi, quia Spirirus Sanctus communicarur infinitè, & adæquarè terminatur fœcundiras principij: alij dicerent, exhauritur: non poteſt ergo eſſe, niſi vna emanario Verbi, alia Spiritus Sancti, tum quia in natura nobili, niſi hæc dno principia inueniuntur, tum quia vnaquæque harum emanationum infinita eſt, & complectitur omnem gradum perfectionis, & omnem rationem emanandi in illa ſpecie, vt multiplicabilis ſit intrinſecè. Quibus ſimul parẽtiſſimè ſoluitur, quare Filius, alium Filium non generet, & Spiritus Sanctus alium Spiritum Sanctum non ſpiret; nimirnm, quia vrraque perſona in ſua emanatione infinitè perfecta, producitur cum omni perfectione poſſibili, in illa generatione, vt non poſſe Filium alium filium generare, ne dum non arguat impotentiam, & imperfectionem, ſed infiniram perfectionem prædicet; vnde S. Doctor, poſtremis verbis mirificè concludit, & ſoluit argumentum oppoſirum, quæ ſunt, ipſa eadem ratio, quæ ponit perſonarum pluralitatem, aufert infiniratem, & ponit Triniratem.

Ad primum ergo argumenrum (quod eſt etiam Riccardi) ſic conſtructum. creaturæ producuntur per modnm liberalitatis: ergo non eſt neceſſe ſic producere perſonam ad intra. Probatur conſequentia, nam non inuenirur ſimilis modus productionis in creaturis, & in Deo: rario differentiæ eſt: quia creaturæ ad extra: perſonæ ad intra producnntur.

Reſpondetur, illa elegantiſſima, eademq. veriſſima diſtinctione, qua ad extra creaturæ, ad intra Spiritus Sanctus emanant: illæ enim ſicut liberaliter datæ, Spiritus Sanctus verò, ſicur rario dandi, & donandi, ideſt ſicut Amor, & primum donum. quo ad argumentum, negatur conſequentia Non enim eodem modo crearuræ, quo Spiritus Sanctus, procedunt. Addit Riccardus aliam diſtinctionem. creaturæ procedunt liberè, & quaſi contingenter, vt potuerit eas Deus non producere, & in aliena, & diuerſa natura: Spiritus Sanctus verò Sanctna in eadem natura Diuina, & neceſſariò neceſsirate ineuitabilitatis, & perfectionis.

Ad ſecundum; quod hac conſtabat forma. Quod prodncitur per modum voluntatis, non producitur, nec ſimile, nec æquale, nec neceſſario, ſed perſona Spiritus Sancti, ſi procedit in Diuinis, procedit ſimilis in ſubſtantia, & æqualis, & neceſſario: ergo non procedit per modum voluntatis:

tatis: ergo per modum naturæ: ergo eadem emanatio, cum emanatione Verbi.

Reſpondetur. & ſuppoſita diſtinctione, neganda eſt maior abſolutè. diſtinctio eſt; voluntas producens, aut eſt coniuncta cum natura, aut diſtineta: ſi diſtincta non producit ſimile, nec neceſſario, nec æquale, ſicut in creaturis; aut eſt coniuncta, ſicut in Deo; quod explicant Theologi, illis verbis, Spiritus Sanctus procedit concomitante, & communicante natura, ideſt coniuncta, & identificata, & eadem numero; procedit ergo Spiritus Sanctus ſimilis, & æqualis, & neceſſario; quia ei eadem Diuina natura communicatur cum eadem perfectione, qua eſt in ſpirante, & producente, & neceſſario, quia inuariabilis Diuina natura, & de ſua intrinſeca perfectione eſt; vt ſic communicetur: neque tamen hæc emanatio eſt eadem cum emanatione Verbi formaliter, & præcisè; nam Verbum procedit ſimile formaliter, & ex vi ſuæ emanationis: Spiritus verò Sanctus ſimilis quidē; neque tamen formaliter, ſed quaſi materialiter, ratione nimirū datæ naturæ. ſic, & reliqui Theologi, & verè; Riccardus autem, ad tertium, & ad quartum, eandem quidem doctrinam, & veritatē, his tamen additis terminis, tradit. In creaturis, quod procedit per modum amoris, non procedit ſimile: in Deo verò procedit ſimile, ratione iam reddita, & licet natura, & intellectus, & voluntas in Deo ſint idem ad inuicem; diuerſæ tamen ſunt rationes emanationum. nam natura, vt idem cum voluntate, communicatur, per modum Amoris, vt idem cum intellectu, per modum intellectus, & Verbi.

ARTICVLVS IV.

Denique de Emanationibus.

An, & qua ratione, & diſtinctione differant inter ſe generatio, & ſpiratio. D. Bonauentura diſt. 13. quæſt. 2. & 3., S. Tho. art. 3. & 4.

PARAPHRASIS.

PRIMA Propoſitio. Differunt ad inuicem hæ duæ emanationes Generatio, & Spiratio. Probatur primò ex D. Aug. 15. de Trinitate cap. 26. vt in textu. ſecundo ex definitione vtriuſque: generatio enim eſt emanatio per modum fœcunditatis naturæ; & proceſſio per modum amoris: ſed modi ad inuicem differunt; ergo etiam generatio, & proceſſio. Tertio. Spiritus Sanctus procedit à duobus, ſcilicet à Patre, & Filio: ergo ſi eius emanatio non differt à generatione; ſed per generationem procedit, procedet ab vno tanquam à Patre, ab alio tanquā à Matre: ſed hoc aſſerere de Spiritu Sancto, abſurdum, & blaſphemum eſt: ergo. Maior ſupponitur probata tanquam de fide, & conſequentia maioris inde conſtat: quia omne, quod à duobus procedit per viam generationis, ſic procedit. abſurditas minoris eſt euidens, hæc materiata, & immunda de Spiritu Sancto affirmare. Quarto Spiritus Sanctus non eſt Filius: ergo Spiritus Sancti emanatio non eſt Filij generatio. Antecedens eſt de fide: & certa eſt ratio: quia Spiritus Sanctus procedit à Filio. conſequentia patet: nam Filius eſt ſua generatio, & Spiritus Sanctus ſua ſpiratio, & proceſſio paſſiuè ſumpta, & ſupponitur ex infinita diuina ſimplicitate, tum in natura, tum in perſona.

Secunda Propoſitio, ex reſponſione ad argumenta. Emanatio Spiritus Sancti quare non ſit generatio, his rationibus non conuincitur, ſed coniectatur, ſalua omni reuerentia, quæ huic abſconditiſſimo myſterio ſumma debetur. Prima, Quia generatio eſt, per modum fœcunditatis naturæ; Spiritus Sancti verò proceſſio, per modum amoris, hoc iam ſupra declaratum. Secunda, ex quæſt. 1. art. 1. diſt. 10. ad tertium: Quia Spiritus ſanctus, licet procedat ſimilis in ſubſtantia, ex vi tamen ſuæ productionis, non producitur ſic ſimilis, ſicut Filius, & Verbum per generationem, & eſt declaratio ſuperioris rationis. Tertia, ex nomine: Quia emanationis Filij generatio eſt proprium nomen: Spiritus verò Sancti emanationis ad modum diuerſum, & aliud nomen; proprium, primò. nimirum, ſpiratio, ſecundo, per appropriationē, proceſſio: tum quia ſicut de plena proceſſionis ratione duo termini requiruntur, à quo, & ad quem; ita magis propriè de Spiritu Sancto dicitur, quia verè à Patre in Filium, & à Filio in Patrem exit: Filius autem à ſolo Patre: neque enim in aliam perſonam tendit: tum quia ſicut ſolus Pater dicitur ingenitus, quia nec generatur, nec eſt à generante: ita ab oppoſito verè ſolus Spiritus Sanctus dicitur procedens; nam procedit, & eſt à Filio procedente. Quarta, ex reſponſione ad tertium. Procedit enim, vt imago, Filius, cuius eſt generatio; non ſic autem Spiritus Sanctus.

Tertia Propoſitio, ex quæſt. 3. Hæ duæ emanationes inter ſe non ſolum ratione, ſed à parte rei diſtinguuntur primo. Perſonæ diuinæ inter ſe, pluſquam ratione diſtinguuntur, & de fide eſt: ergo, & emanationes. conſequentia patet: nam ſunt ratio diſtinguendi perſonas. Secundo. Emanationes hæ ſunt à principijs à parte rei diſtinctis: ergo, & ipſæ diſtinctæ. Conſequentia eſt certa: antecedens probatur de fide: generatio enim eſt à Patre ſolo; ſpiratio à Patre, & à Filio. Idem argumentum poteſt fieri à diſtinctis terminis emanationum. Tertio. Creaturæ à Deo exeunt, ita per modum voluntatis, vt non per modum naturæ: ergo emanatio per modum voluntatis differt ab ea, quæ per modum naturæ: ergo generatio à ſpiratione. Quarto. In nobis, perfectionis eſt, quod egreſſio Verbi differat ab egreſſione Amoris: ergo,

ergo, & hoc, & multo magis in egreſſionibus diuinis aſſerendum eſt. Antecedens ex eo conſtat; quod imaginem Sanctiſſimæ Trinitatis conſtituit. conſequentia vbique millies trita, & repetita eſt.

Quarta Propoſitio. Vnde hæ emanationes habeant eſſe, eſt certum, à fecunditate ſcilicet ſuorum principiorum naturæ, & voluntatis: vnde verò diſtinctum eſſe, nulla rationabilior videtur aſsignanda ratio, quam à ſe ipſis; itaut verè ſe ipſis differant. primo. Quia in Diuinis omnis diſtinctio venit ab origine, & relatione: ergo origo, relatio, & emanatio eſt prima ratio omnis diſtinctionis, ergo ipſa ſeipſa diſtinguitur. Confirmatur. ſicut in nobis rationale, & irrationale ſeipſis differunt; ita in Diuinis hæ duæ emanationes. Secundo. Non poteſt eſſe ratio, & origo huius diſtinctionis; quia generatio eſt ab vno principio: ſpiratio vero à duobus: aut quia vna procedit, vt donabilis: alia vero non: ſiquidem hæ diſtinctiones ad emanationes conſequuntur, ſecundum noſtrum intelligendi modum: ideo enim proceſsio Amoris à duobus principijs, & vt donum procedit, quia per modum nexus, & mutui amoris procedit; generatio verò Verbi ab vno principio præcisè; quia per modum verbi, & ſimilitudinis, & imaginis. Tertio Non poteſt accipi, nec venari hæc diſtinctio à terminis, aut à principijs termini, idest perſonæ productæ ab emanationibus diſtinguuntur; ſimiliter, & principia, vt, præterita ratione, conſtitit: ita vt qui harum emanationum rationem diſtinctionis ſic emendicare conaretur, peccatum circuli committeret, ergo ſe ipſis diſtinguntur.

Quinta Propoſitio corollaria. Inter has emanationes hic ordo, & concomitantia intercedit, vt ſpiratio præſupponat generationem & generatio ſpirationem inferat. Primum. nam ſpiratio eſt per amorem nectentem duas perſonas; ergo præſupponit generationem, qua duæ perſonæ diſtinguntur. Secundum. Inter Patrem enim gignentem, & Filium genitum indicatur, conſequi Amorē eos ad inuicem nectentem.

COMMENTARIVM.

OPTIMA methodo hic proceditur. Poſtquam enim veritas, numerus, & emanationum quidditas rxcuſſa ſunt, & mira perſpicuitate à Sancto Doctore explicata. ad diſtinctionem, & rationem, & qualitatem diſtinctionis edocendam, ſe conuertit: recti enim ordinis ratio euidens poſtulabat, vt etiam Ariſtotelicis præceptis, dubiratione, an eſſent, & quod eſſent, & quid eſſent, emanationes diuinæ, ſoluta, tandem ad illam, tertio loco ſitam, quales ſint, & quomodo ad inuicem ſe habeant, ſoluendam fierer tranſitus.

At verò ad hos difficillimos nodos explicandos, quibus difficiliores in quocumq; myſterio fidei inueniri non poſſunt, mirum eſt, quanta perſpicuitate, dexteritate, & modeſtia ſe gerat Seraphicus Magiſter noſter.

Sed ramen, ex titulo Quæſtionis ſecundæ aduertendum eſt, vbi quærie, an generatio ſit Spiritus Sãcti proceſſio: primo enim aſpectu videtur orioſa hæc propoſita quæſtio: ſi ſupra, diſtinctione 9. & 10. duas dãdas, & dari in Deo emanationes, docet, aliã Verbi, quę eſt generatio, aliam Spiritus Sancti, quę eſt Amoris proceſsio; quid hic iterum quærere. An generatio ſit proceſsio; ſi iam probatum eſt, eſſe duas emanationes, ſicuti duæ perſonæ emanantes? ad rem tamen, quæ hic tractatur, maximè pertinet huius quæſtionis ſolutio, non enim quæritur, iterum; an ſint duæ emanationes, ſed quomodo differant, nec hac quæſtione; an differant realiter, ſed dumtaxat indagat. Si ratio formalis generationis cõueniat etiam proceſsioni, vt licet quaſi materialirer differant, an tamen formaliter quoque, & definitione differant, inueſtigat.

Duo verò ſoluit, & egregiè enucleat, & probat, in tota quæſtione ſrcunda, idque multiplici, & perdocta ratione. Alterum, verè diuerſas eſſe emanationes, tum ex diuerſitate eorum principiorum, tum terminorum. Alrerum, quæ nam ſit hæc diuerſitas nimirum formalis quidditatiua, & quaſi ſpecifica: vna enim ex his eſt per fæcunditatem naturæ, altera voluntatis. Vna ſimilis, ex vi productionis. Altera licet ſimilis, non tamen formaliter, ex vi productionis, ſed ex eadem natura communicata; Vna ex nomine proprio ſpirationis, & appropriato proceſſionis. Altera generationis. Vna denique procedens, vt imago. Altera, vt amor; cuius ratio eſt, vt air S. Thomas, impulſus, & inclinatio in obiectum amatum. qui art. 4. hæc eadem, eandemque veritatrm, ſic mirè digeſſir, primo enim, explicato numero proceſſionum, ex numero actionum immanentium in natura rationali, art. 3., art. 4. rigoroſa indagine, quærit harum emanationum differentiam: & primo oſtendit, differre in genere: ſi enim generatio non differret à ſpiratione, ſed omnino idem eſſet; nec genitus differret à ſpirato, ſed idem, eademque perſona prorſus eſſet: quod tamen contra veritatem fidei eſt, ac decreta Symboli in primis D. Athanaſij *Filius à Patre ſolo eſt, nõ factus, nec creatus, ſed genitus; Spiritus ſanctus à Patre, & Filio, nõ factus, nec creatus, nec genitus, ſed procedens*. Deinde in corpore. Quod procedit per modum intellectus; ideo procedit, vt ſimile, & ſubinde, vt genitum: nam fit in actu, & intelligit, quia rei intelligibilis habet in ſe exiſtentem, & impreſſam ſimilitudinem. Quo ſit, vt tria requirantur ad proceſſionem ab intellectu: Primum, vt fiat in actu per ſimilitudinem rei intelligibilis exiſtentem in ipſo intellectu. Secundum, vt procedat rxinde, vt ſimile. Tertium, vt per modum generationis: omne enim generans ſibi ſimile generat, quia ſimilitudo eſt ratio agendi, & ſecundum illam agit generans.

Quod verò per modum voluntatis procedit, omnino oppoſito modo procedit, primo enim voluntas non agit, ſecundum ſimilitudinem voliti, ſed ſecundum inclinationem in illud, & deſiderium vnionis, & fruitionis. Secundo ex hoc voluntatis

proceſſio, non eſt ſecundum rationem ſimilitudinis, ſed impulſus. Tertio. exinde procedrns per modum voluntatis non eſt genitum, ſicut nec proceſſio generatio. Quod ſic diſtinctè probatur, & in argumentationem efformatur. Spiritus importat quandam vitalem motionem, & impulſum amoris, quo ducimur ad aliquid faciendum, & volendum: ergo procedens procedit non vt ſimile, & genitum, ſed vt Spiritus.

Quod ſi opponas Eccleſiaſt.13. *Omne animal diligit ſimile ſibi:* ergo & in proceſſione voluntatis, & amoris, ſicuti præſupponitur ſimilitudo, quemadmodum, & in proceſſione intellectus, ſic ex ſua proceſſione, videtur debere eſſe ſimile. Reſpondetur, interuenire quidem in vtraque proceſſione ſimilitudinem, diuerſa tamen ratione: ita enim in Verbo interuenit, vt Verbum ſit formaliter ipſa ſimilitudo; procedit enim ſecundum rationem ſimilitudinis iam in intellectu præexiſtentem. In voluntate vrrò, & ſpiritu, & amore ſimilitudo adeſt obiectiuè, vt principium amoris, & motiuum inter generantem, & genitum, ſed non facit, vt procedens ſit genitum; non enim ſecundum illam ſimilitudinem procedit, ſed ſecundum impulſum, & deſiderium vnionis cum eo.

Quod ſi iterum inſurgas. Si ſpiratio differret à generatione, haberet & ipſa proprium nomen, ſicut & generatio, ſed non habet; ergo neque res propriè eſt. Reſpondetur: ideo in diuinis non inuenitur hoc proprium nomen, quia in humanis ſimilis communicatio ſicuti non habetur, ita neque nomen, quod Deo tribuatur, non enim à creatura producitur ſuppoſitum amoris. Secundò, imò habetur & proprium nomen in diuinis, quod ſpiratio nuncupatur. Quod idem ſemper, & S. Bonauentura; ergo generatio non eſt ſpiratio; imò ad inuicem, ratione, definitione, formaliter, & quaſi ſpecificè differunt: alia enim præciſè eſt ratio, qua Filius, alia, qua Spiritus Sanctus procedit: nam Filius per modum naturæ, & generationis procedit, & emanat, vt Filius, Verbum, Imago omnino ſimilis: Spiritus autem Sanctus per vim amoris, & liberalitatis, & impulſus, & motus in amatum: & licet, vt conſubſtantialis, etiam Spiritus Sanctus procedat ſimilis omnino Patri, & Filio ſpirantibus, neque tamē ex vi, & ratione formali, & quaſi ſpecifica ſuæ productionis, ſed, vt dicebam, ratione, quaſi materiali, & ſubiectiua, nimirum naturæ diuinæ, quæ eadrm bis communicatur tota, ratione tamen diuerſa: alias tres non eſſent prrſonæ. ſic Theologorum communitas, atque etiam Sanctorum Patrū, & in primis S. Auguſtinus 5. de Trinit. cap.14. multos, inquit, ſolent mouere, cur non ſit Filius, etiam Spiritus Sanctus, cum & ipſe à Patre exeat, ſicut in Euangelio legitur, exit enim non quomodo natus, ſed quomodo datus (donatus amore, & liberalitate,) & ideo non dicitur Filius, quia neque natus eſt, ſicut vnigenitus, nec factus, vt per Dei gratiam, in adoptionem naſceretur, ſicuti nos. Ergo Spiritus Sanctus non eſt Filius; quia non eſt genitus. ergo ſpiratio non eſt generatio, quia non per modum naturæ, ſed per modum amoris. & quamuis in humanis huiuſcemodi communicatio per amorem non adſit, neque inueniatur, ex finitate naturæ, & perfectione finitæ naturæ humanæ, in qua niſi per modum perfectum generationis natura communicatur (licet in quibuſdam alijs animalibus, & per generationem, & ex putri quædam producantur, vt teſtatur experientia, &, inter Theologos, Riccardus hac diſtinctione quæſt. 3. ad ſecundum, & ante ipſum partim S. Bonauentura ad quartum;) in diuina tamen natura, ex diuinis Literis, propter infinitam eius vim, & perfectionem, hæc gemina eiuſdem naturæ numero creditur, & adoratur communicatio.

Quod ſi tandrm obijcias. de ratione formali cōmunicationis diuinæ eſt, vt eadem natura communicetur, & conſequenter, procedens ſit ſimile: ergo, ex vi huius cōmunicationis procedit Spiritus Sanctus formaliter, vt ſimilis. Reſpondeo, & repeto iam ſupra datam ſolutionem, formaliter quidem procedere Spiritum Sanctum ſimilem, non ratione tamen productionis, vt ſic, ſed ratione naturæ Diuinæ, quaſi materialis huius communicationis.

Quibus egregiè ſoluuntur, & funditus euelluntur oppoſita argumenta à S. Doctore. Quod enim primo arguitur. Generatio eſt motus ad ſubſtantiam, & ſubſtantiæ productio: ſed Spiritus Sancti proceſſio, & productio eſt ad ſubſtantiam motus &c. ergo generatio.

Reſpondetur. conceſſa maiori, & minori, neganda eſt conſequentia: non enim quælibet ſubſtantiæ productio conſtituit generationem, ſed modus, quo fit iſthæc productio. explicatur, & perſuadetur ex Diuina hiſtoria, initio Geneſ., res hęc tota. Producitur Adam à Deo, deinde Eua ab ipſomet Deo ex Adæ coſta. Producitur Abel ex Adam, & Eua. Hoc trinum productum ſubſtantia eſt, neque tamen genitum, niſi tertium: ergo ſubſtantiæ productio, ſimpliciter, non eſt generationis ratio, ſed modus: modus verò non per creationem, ſicut Adam, neque per conuerſionem miraculoſam coſtæ in Euam, (neque enim Adam genuit Euam,) ſed per viam naturæ ex principio coniuncto viuente ſibi ſimilem in natura producente: rſt communis, & certa reſponſio, quam multo ante, exemplo recenſito, docuit S. Gregorius Nazianzenus, oratione quarta de Theologia.

Secundo. genrrare eſt ſibi ſimilrm in ſubſtantia producere, ex D. Damaſceno lib.2. cap.8. Sed Spiritus Sanctus producitur ſimilis: ergo generatur.

Reſpondetur, eadem reſponſione: non enim ſimilis formaliter ratione productionis, ſed ratione naturæ communicatæ, atque ita ferè per accidens, hoc eſt, non per ſe, & formaliter.

Tertiò, eadem ferè vi, eiuſdemq. ponderis. Hæ duæ emanationes conueniunt in termino: ergo, & intrr ſe. Antecedens inde conſtat: nam vtriuſque emanationis terminus eſt ſubſtantia: eſt enim Filius, & Spiritus Sanctus Deus. conſequentia itidem: nam actiones, & mutationes à termino denominantur.

Ad hoc argumentum; primo, præterita reſponſione reſpondeo, & concedo totum argumentum materialiter, & nego formaliter. Secundo. concedo

Digitized by Google

cedo in humanis; in diuinis nego, & reddit rationem S. Doctor huius differentiæ, etiam in reſponſione ad primum. Tertio. nego antecedens: non enim terminus generationis, & ſpirationis eſt ſubſtantia, aut eſſentia abſolutè, ſed perſona, nimirum modus diuinæ ſubſtantiæ: Filius in prima emanatione, Amor in ſecunda, ex diuerſo modo fęcunditatis, & emanationis, ſic in primis hic S. Bonauentura. Quarto. nego conſequētiam: non enim, vt ſequenti quæſtione conſtabit, emanatio Diuina ſumit diſtinctionem à termino: eſt enim terminus paſsiuus diſtinctionis, ſed ſe ipſa diſtinguitur.

Quarto. omne, quod producitur, procedit, ſed Filius per generationem producitur: ergo procedit: ergo generatio eſt proceſsio: quod ſi proceſſio non ibi propriè, ſed appropriatè ſumitur, & ſic conuenit Spiritui Sancto; contra, ſicut enim prius concipitur, & ordine, & origine eſt prior generatio, ita ei prius attribui debet proceſsio.

Reſpondeo. duas ſimul obiectiones, & difficultates complectitur hoc argumentum, alteram de identitate generationis, & proceſsionis; alteram de attributione, & appropriatione huius termini ex ſe communis vtrique emanationi, proceſsionis. de primo reſpondet S. Doctor, duobus modis poteſt proceſsio vſurpari; primo, vt communis, ſecundo, vt propria. hoc loco, vbi quærimus diſtinctionem inter has duas emanationes, neceſſario ſumimus propriè, vt ſoli Spiritui Sancto competit. quo obſeruato, ruit totum argumentum. primo enim falſa eſt maior, & minor: cum enim dicimus, Spiritum Sanctum procedere, intelligimus ſpirari per vim amoris: & tunc generari, non eſt procedere.

De ſecundo laboramus, & patimur terminorum penuriam: ex eo, inquit S. Thomas ad ſecundum, quia inter creaturas, non eſt hæc ſubſtantialis cõmunicatio per modum amoris, ideo communi termino cogimur vti, pro proprio, nimirum proceſſione cõmuni, inquam, vtrique emanationi: vtraq; enim perſona procedit, Filius Io. 8. *Ego enim ex Deo proceſſi, & veni: Spiritus Sanctus.* Io. 15. *Qui à Patre procedit*: eo tamen ſenſu, & intentione, vt excludat, & diſtinguat à generatione, ac propriam Spiritus Sancti, proceſsionem ſpecificet. ſed cur Spiritui Sancto, non Filio hæc in primis accomodetur; iam primo ferè dictum eſt: Filius enim habet proprium terminum, non habet Spiritus Sanctus, ex indigentia: ergo. & licet S. Doctor non vſque adeo admittat hanc rationem: quia, inquit, habet nomen proprium ſpirationis; quod idem, & S. Thomas: cum tamen non ſit rigoroſè proprium, admittenda eſt, vt in Concilio Florentino poſita ſeſſ. 18. & addit ipſe duas alias congruas rationes, recenſitis primo, & reiectis duobus quorundam modis deinde: alteram à termino à quo, deſumptam; à termino ad quem alteram. procedit Spiritus Sanctus, quaſi magis quam Filius: nam Filius à ſolo Patre, qui ideo ingenitus ſimpliciter, quia à nullo procedit: Spiritus autem Sanctus non ſolum à Patre, non procedente, procedit, ſed etiam à Filio, ab alio per generationem procedente. ergo videtur ei completior proceſsionis ratio competere. Spiritus Sanctus procedit à Patre in Filium: non autem Filius in alium: nam ipſe eſt terminus ſuæ generationis. habet ergo vtrumque terminum ſpiratio, & ideo quoquo modo magis, & completius proceſsionis nomen congruit Spiritui Sancto, & quaſi, his cointellectis, ex communi fit propria.

Quinto. Generans eſt ſpirans: ergo genitus, ſpiratus: ergo generatio ſpiratio. Antecedens conſtat in Patre. Prima conſequentia quoque: nam dum idem agit, ſecundum idem, idem erit actionis terminus. Secunda conſequentia pariter: nam emanationes identificantur cum terminis.

Reſpondet ipſe, & negat primam conſequentiam, ex antecedentis explicatione: quamuis enim generans ſit ſpirans, quaſi ſubiectiuè, & ratione eiuſdem ſuppoſiti, vis tamen, & ratio generandi non eadem virtute prorſus, cum ratione ſpirandi: nam generationis ratio eſt per modum naturæ, ſpirationis per modum amoris, & liberalitatis; vna quidem re, diuerſa tamen virtute, quare, ad confirmationẽ primæ conſequentiæ, negatur, quod aſſumitur: non enim Pater agens, & producens omnino agit, ſecundum idem in vtraque productione. Ad ſecundam conſequentiam, iam ſolutum eſt: ſunt enim diuerſi termini, & ſic indicantur diuerſæ emanationes.

Explicata in ſecunda quæſtione differentia, &, vt magis caſtigate loquar, inter emanationes diſtinctione formali, ac virtuali: in hac tertia quæſtione, an maior, quam virtualis formalis hæc diſtinctio, hoc eſt, an realis appellanda ſit. ſolertius indagat S. Doctor, & tandem videtur apertè diſtinctionem realem concedere, & aſſerere, & confirmare.

Sed primo in quæſtionis titulo, & inde in toto quæſtionis diſcurſu obſeruandum, quo ſenſu, quaque latitudine, cum vetuſtioribus Theologis hunc realis diſtinctionis terminum aſſumat; præter ea, quæ, & alias ipſe S. Doctor docuit, in primis diſt. 26. quæſt. 1. ad ſecundum. in D. Damaſceni explicationem, & nos, & in hac diſputatione, & alibi dicturi ſumus. In titulo ergo proponitur dubitatio, an emanationes, & proceſsiones diuinæ differant realiter, vel ſolum ſecundum rationem intelligendi. opponit diſtinctionem realem diſtinctioni præcisè noſtri intellectus, quam communi voce Scholaſtici rationis ratiocinantis nuncupare ſolent. Realem itaque diſtinctionem non in ſuo rigore, vt duas res, diſtinguit, ſed vt quid pluſquam mera ratione dicit vſurpat; & initio corporis quęſtionis. differunt, inquit, ſecundum rationem originis, & habitudinis. Et in reſponſione ad quintum. differunt differentia originali, hoc eſt realitiuè. Et ad ſextum. non differunt, ſicut perſona, & perſona, neque facit numerum. Differunt ergo minus, quam realiter, realitate perfecta.

Secundo obſeruandum. emanatio trifariam vſurpari poteſt. Primo actiuè pro facultate, & vi in principio producendi. Secundo, pro terminis emanationum, qui ſunt perſonæ productæ. Tertio pro ipſis emanationibus, vt ad terminum tendunt. Et ſub hac ratione adhuc duobus modis, Primo, vt

Digitized by Google

diuerſæ præciſè. Secundo, vt adinuicem origine oppoſitæ: omnibus enim his modis eorum diſtinctio quanta ſit, indagandum.

Quatuor verò aſſertis, ſolida Theologia ſoluit omne, quod in tota quæſtione perquirebat.

Primum aſſertum. Origine, & diuerſo modo ſe habendi, & ad diuerſos terminos emanationes hæ diſtinguntur, diſtinctione reali, nimirum non ficta, & efficta ab intellectu creato, ſed ex veris, huiuſmodi indicandis ſedibus; vnde huiuſmodi argumentum conſtruere licet. Differunt principia, termini, & modi ſe habendi emanationum pluſquam ratione, ergo, & ipſe emanationes. Probatur antecedentis prima pars. Principia enim, quæ ſunt intellectus, & voluntas ita differunt, vt quædam producat voluntas, quæ nequaquam intellectus executiuè producit, nimirum creaturas ad extra. Confirmatur ex diſtinctione intellectus, & voluntatis creatæ, quæ ſunt ad imaginem harum Diuinarum emanationum. Secunda pars: Termini enim, ideſt perſonę productę, differunt inter ſe reali diſtinctione: ergo & emanationes ad ipſas. Tertia pars. Modi ſe habendi, nimirum proceſſio per naturam, & per voluntatem ſeipſis, vt infra, diſtincti ſunt, ergo pluſquam ratione, & non ficti.

Secundum aſſertum, in quo ſolertiſsimè quærit, vnde ortum habeat hæc diſtinctio, nimirum propriam, ac germanam, & adæquatam rationem, vt alia non poſsit aſsignari, quam ex ſeipſis; vt ideo generatio non ſit ſpiratio primaria ratione, quia hæc ſua formali quidditate non eſt illa: neque à priori, neque à poſteriori alia afferri poſsit ſatis ſufficiens, neque enim à gemina fœcunditate intellectus, vel naturæ, & voluntatis idonea deduci poteſt ratio: ideo enim generatio ab vno principio per modum naturæ, quia id expreſsè generationis ratio expoſtulat. Ideo amor, & amoris proceſsio à duobus per voluntatis liberalitatem nectendo egreditur; quia ſic intrinſecè mutui amoris conditio requirit, vt ſic procedere poſsit. quare non ab hac gemina fœcunditate ſumit diſtinctionem bina hæc emanatio, ſed à requiſitis emanationum harum formaliter conſtitutiuis hæc duplex producendi vis verè requiritur. Quo fit, vt hoc loco gloſſandum, & limitandum illud percelebre axioma. A quo res habet eſſe, habet, & diſtinctum eſſe: in hoc enim caſu, præſertim haud quaquam verum eſſe conſtat; à fœcunditatibus intullectus, & voluntatis habent eſſe emanationes, diſtinctum verò aliundè, nimirum ſeipſis.

Neque à terminis, & perſonis productis emanationes ſic diſtinguntur, vt per perſonas, huiuſmodi emanationes conſtituantur: ſed oppoſito modo, vt perdoctè etiam S. Thomas q. 10. de Potentia art. 2. Ideo primo loco perſona producta ſit Filius Patri ſimilis, & Verbum, quia generatur per intellectum: Ideo alia perſona, Spiritus ſanctus, & Amor nuncupetur, & verè ſit: ſiquidem per voluntatis liberalitatem producitur; quo conſequitur, quod aiunt Theologi, perſonas eſſe terminum paſsiuum, non actiuum huius diſtinctionis; & emanationes magis diſtinguere, quas producunt perſonas, quam ab ipſis diſtinguantur. Ergo ſi neque à principijs deſumunt rationem diſtinguendi emanationes, neque à terminis; conſequitur, vt ſeipſis diſtinguantur, ſicuti rationale, & irrationale.

Animaduertenda poſtrema ſententia, quam refert, & reijcit de re hac, ſanctus Doctor, quam conſentanee vnico verbo illum dicendi modum notet, & orthodoxè explodat; hæc verba non ſunt ſana, nec tali materiæ conuenientia. Eſt autem; Filius procedit per modum eſſe; Spiritus ſanctus per modum bene eſſe, ita vt quaſi magis eſſentialis, magisq. intrinſecus actus intelligendi, ceu per quem conſtituatur in eſſe formale Diuinum eſſe, quam amandi actus, vt ſubinde per actionem intelligendi formaliſsimè eſſe Diuinum Verbo communicetur; vnde intrinſecè generatur, vt ſimile; Spiritui verò ſancto idem quidem eſſe communicetur, quaſi tamen conſequenter: nam per actum amoris ad cognitionem conſequentem, & ita conſequentem, vt quaſi extra ſphæram ſimpliciſsimi eſſe Diuini, & ferè quodammodo accidentarium per eſſe additum: hoc enim poſtulare videntur illa verba; ad bene eſſe. Hanc quæſtionem ſolerter vertunt quidam recentiores, & impugnant (inter alios Didacus Ruiz diſputatione 8. ſect. 5. de Trinit.) & probare conantur æquè intrinſecum eſſe Diuino eſſe diligere, quam intelligere, & ita formaliter conſtitui in eſſe tam per diligendi actum, quam intelligendi: & ſubinde non magis diſtingui à Diuina eſſentia dilectionem, quam ſapientiam. Confirmemus, & nos, alios imitati.

Et primo. Si liceret in aliquam partem declinare, in Spiritus ſancti partē declinandum videretur, ex quorundā Patrum grauiſsimis verbis: D. enim Areopagita de Diuinis Nominibus cap. 2. initio; de Dei bonitate verba faciens, quæ eſt proceſſionis amoris obiectum, & principium, hæc profundiſsimè protulit. *Ipſa quoque bonitas Diuinam totam eſſentiam, quidquid tandem ſit, definiens, atque enuntians*, vel vt alij vertunt, *Thearchicam totam eſſentiam, quæcumque eſt, per ſe determinans, & manifeſtans* (exponit S. Thom. lect. 1. *diſtinguens ab alijs.*) Quibus ferè euidenter, ſi conſtitutiuum Diuinæ naturæ foret aſsignandum, deberet potius aſsignari bonitas, & actus diligendi, quam ſapientia, & intelligendi actus: eſt enim conſtitutiuum, quod definit, determinat, manifeſtat, & diſtinguit, quemadmodum facit bonitas; idem ſanctiſsimus Pater cap. 3. boni nominationem eſſe primam, perfectam, & manifeſtatiuam totarum proceſsionum; quibus eadem res confirmatur, proceſsionum Diuinarum principium potens, et propenſum eſſę magis bonitatem, quam ſapientiam.

Hunc Patrem, ac ceu Patrum Patriarcham mirificè ſecutus eſt D. Damaſcenus lib. 1. de Fide cap. 12. his verbis. *Quemadmodum* ait S. Dionyſius *primarium Dei nomen eſt bonum: non enim primum eſt dicendum* (eſſe) *ſed ipſum bonum ſequens verò nomen Deus eſt*. Bonitas ergo, et inde amor, nobilior, et, vt ſic loquar, intimior Deo videtur, quam ſapientia.

Sed diſtinctè vtrumque eſſe æquè de Dei eſſe ratione, vna, aut altera ratione probemus. Egregiè D. Au-

D. Auguſtinus in Pſal. 117. in illa yerba: *Confitemini Domino, quoniam bonus. Non potuit laus Dei breuiùs explicari, quam diceretur, quoniam bonus eſt. Quid ſit grandius iſta breuitate non video, cum ita ſio proprium Deo, quod bonus eſt, vt à quodam compellatus ipſe Filius Dei, cum audiret, Magiſter bone, ab eo ſcilicet, qui carnem eius intuens, & diuinitatis plenitudinem non intelligens, ſolum hominem arbitrabatur, reſponderet: Quid me interrogas de bono? Nemo bonus, niſi vnus Deus. Quod quid eſt aliud dicere, quàm ſi me bonum vis appellare, intellige, & Deum?* Quibus verbis clariſsimè conſtare facit, quam intima, & propria Deo ſit bonitas, & bonitatis ratio. Prima. Actualis intellectio, & ſapientia, ex communi Theologorum ſententia, non eſt ita comparata, & idonea, & ampla, vt omnes perfectiones Diuinas comprehendat præciſè, vt hæc, & omne eſſe, ſed magis eſt vna ex multis attributis perfectionibus: ergo non rectè aſſumitur ad ipſum Diuinum eſſe conſtituendum. Quod ideo fidentius aſſerimus: quia nullus ex his Patribus, qui ex propoſito de Diuinis nominibus agens, Diuinumq. eſſe explicare tentans, ad hoc eo vſus eſt ſapientiæ nomine. D. Hieronymus ad Epheſios 3. ad illud. *Ex quo omnis Paternitas.* D. Hilarius 1. de Trinit. columna 4. D. Auguſt. in Pſalm. 9. ad illud, *Sperent in te, qui nouerunt nomen tuum:* & tractatu 38. in Ioannem cap. 8. *Niſi credideritis, quia ego ſum.* & lib. 3. contra Maximinum cap. 26. & alibi, D. Ambroſ. lib. 8. Epiſtolarum, epiſt. 63. D. Chryſoſt. hom. 14. in Ioannem, D. Greg. 16. Moralium cap. 16. ad illa verba Iob 23. *Ipſe ſolus eſt,* & in 5. Pſalm. Pœnitentialem in illud. *Tu autem idem ipſe es*; & alibi, cum alijs Patribus: quibus locis enituntur deſcribere, & explicare Diuinum eſſe: neque tamen hoc ſolo verbo ſapientiæ id faciunt. Quod explicatius obſeruatur in D. Nazianzeno orat. 4. de Theologia, & orat. 49. de fide, & orat. 38. de Natiuitate Domini, & in D. Damaſceno lib. 1. de Fide cap. 12. & in D. Bernardo lib. 5. de Conſideratione his verbis. *Nihil competentius æternitati, quæ Deus eſt, ſi bonum, ſi magnum, ſi beatum, ſi ſapientem, vel quid tale Deo dixeris, in hoc verbo inſtauratur, quod eſt. Nempe hoc ei eſt eſſe, quod hæc omnia eſſe, &c.*

Secundo, Sapientia eo intimè ad Deum ſpectat, & vſurpant ſectatores huius ſententiæ, quo perfectiſſimum viuendi gradum Deo digniſsimum præſefert in actu ſecundo, ſed æquè id ſignificat, & eſt actus vitalis volitio, & dilectio: ergo non minus hic actus, quam ille, conſtituet Diuinum eſſe, ergo ſolus ad eſſe, hic verò ad bene eſſe non pertinebit. Minor eſt S. Thom. multis in locis: primo contra Gentes cap. 97. his verbis. *Oſtenſum eſt, Deum eſſe intelligentem, & volentem: intelligere autem & velle non eſt niſi viuentis,* ergo Deus eſt viuens. Prima par. quæſt. 18. art. 3. Viuere dicitur, quod operatur à ſemetipſo, non quaſi ab alio motum: ſed Deus à ſe ipſo amat, ergo à ſe ipſo amando viuit, & amare eſt actus vitalis 2. 2. quæſt. 179. art. 1. & 2. Intellectualis vita æquè diuiditur in contemplatinam, & actiuam, & contemplatiua actus amoris complectitur, vt idem S. Thom. 2. 2. quæſt. 180. art. 1. Eadem minor ex diuinis Litteris confirmatur. æquè enim Deus dicitur charitas, ac ſapientia, & intuens, ac videns 1. Ioan. 4. Deus abſolutè dicitur charitas, & alibi actus vitæ charitati tribuitur ab oppoſito. *Qui non diligit, manet in morte.*

Tertio. Denique de ratione intrinſeca Diuinæ ſubſtantiæ eſt, vt dicat omnem poſſibilem perfectionẽ: ſed huiuſmodi eſt Diuina volitio, & amoris actus: ergo. His, & conſimilibus fundamentis illam poſitionem notauit S. Bonau. non eſſe ſanam, &c. quaſi enim inæqualem conſtituit Spiritum ſanctum, minusq. Diuinum. Miror tamen, Recentiores quoſdam hanc ſententiam vocare Recentiorum, cum tamquam ſe vetuſtiorem eam referat S. Doctor.

Tertium aſſertum. Spiritus ſanctus, quaſi à poſteriori, diſtinctus à Filio, eiusq. emanatio à Filij emanatione, dum aſſeritur donum, quaſi enim dirigitur in tertium, et donabilis nobis, declaratur.

Quartum aſſertum. Elaboratè colligit S. Doctor ex dictis harum emanationum ordinem, de quo tamen alibi integras inſtituit quæſtiones: ſpiratio, inquit, præſupponit generationem; generatio infert ſpirationem. ratio primi; quam ſpiratione non poſſunt necti, niſi iam per generationẽ Filius, & Pater diſtincti. Secundi quoq; ratio: inter ſimiles enim Patrem, & Filium neceſſe eſt intercedat Amor, & ſe Spiritus ſancto diligunt. Hunc ordinẽ ſic neceſſariũ, propter originem, his rationibus explicatum, & firmatum ſuo loco vberiùs ipſe S. Doctor, & nos noſtris Commentarijs. His quatuor aſſertis, quomodo S. Thomas, & reliqui Doctores, vel aſſentiãt, vel diſſentiant, diſputatione conſtabit. Reliquum igitur eſt, vt argumenta S. Doctoris formemus, & ſoluamus. Sed diluamus oppoſita argumenta.

Pater ſpirat, et generat. non vt plures, aut plura: nam tunc eſſet compoſitus; ſed vt vnus; ſicuti Pater, et Filius ſpirant, vt vnũ, & vnica eſt ſpiratio: ita ergo, vt Pater, vt vnus generat, et ſpirat, vnica proceſsio erit generatio, et ſpiratio. Prima pars maioris ſupponitur certa de fide, et probata ſuis locis, et tractatibus. Secundam partem probat ipſe ex abſurdo, quod inde eueniret de compoſitione perſonæ diuinæ. Minor itidem conſtat omni certitudine: et ipſe probat d. 11. q. 2. ex proportione, et vnitatis ratione, pariter videtur conſtare.

Reſpondetur. Et conceſſa maioris prima parte, ſecunda explicatur, quomodo, et qua latitudine Pater generet, et ſpiret, vt vnus. Et vnus enim, et vnum ſuppoſitum quidem vtrumque præſtat: diuerſa tamen ſe ratione habens: et alia communicatione eiuſdem diuinæ naturæ communicabilis, intellectu, nimirum, et voluntate, et diſtincta aliqua ratione virtuali: quæ tamen nulla compoſitione perſonam afficit, vt perſæpè multis locis. Et confirmari poteſt: nam ſicuti duo reales ſunt termini producti; eadem ratione, neceſſario erunt duæ productiones. Quare neganda conſequentia. Nam ratio producendi ſpiritum à Patre, et Filio vnica eſt, vnicaq. virtus. Producendi verò Filium, et Spiritum ſanctum, alia, et diuerſa, et gemina. Neque obeſt, ſi obijciatur, ex omni natura inuenitur tantum

tum

tum vnus modus communicationis illius naturæ: quia vnica natura communicatur, quæ eſt vnicus terminus communicationis, à quo ſumit vnitatem operatio: reſpondet primo S. Bonauentura ad tertium, non natura, ſed ſuppoſita ſunt termini communicationis. ſecundo, diuinam ſolã naturam bis communicari, quia diuina, & infinitè perfecta: reſpondet S. Thomas art. 3. ad 2. alijs quidem verbis, ſed ferè in idem cum ſecunda reſponſione recidentibus.

Secundum. in Deo intellectus, qui eſt principium fœcunditatis Filij, & voluntas fœcunditatis Amoris, & Spiritus Sancti, ſunt prorſus idem: ergo & ipſa fœcunditatis ratio, & inde emanatio, & proceſsio.

Reſpondetur. & antecedens declarandum, & inde neganda conſequentia: voluntatem, & intellectum eſſe idem, & vnam, et eandem rem. poteſt & debet duobus modis accipi, vel abſolutè, vel comparatè, & relatiuè, vel, quod idem eſt, vt res quædam, vel vt principium ad diuerſa. in ordine ad Amorem, eſt voluntas. in ordine ad Verbum eſt natura, & intellectus. differt ergo voluntas, & intellectus, idem in ſe, cõparati ad diuerſas emanationes, & varios terminos, ratione, & virtute, quod ſufficit ad diuerſas conſtituendas proceſsiones, diuerſosq. terminos etiam realiter diſtinctos, vt communis ſententia eſt Theologorum huius ſectæ; ſic explicato antecedenti, negandum, idem eſſe omnibus modis; proinde neganda quoq; conſequentia. confirmatur res hæc exemplo creaturarũ, quæ à Deo producuntur: res producũtur per modum amoris, & voluntatis, neque tamen per modum naturæ. ergo in ratione principij quoquomodo differunt natura intellectus, & voluntas. hinc Amor, & Spiritus Sanctus procedit per modum voluntaris, & non per modum naturæ: non enim eſt Filius. ergo differunt ſufficienter, vt principium.

Tertium. ſi huiuſcemodi differrent, differrent per terminos: ſed vtriuſque emanationis vnus, & idem eſt terminus, nimirum, diuina ſubſtantia communicata: ergo vnica pariter emanatio.

Reſpondet, & gemina ſolutione ſoluit oppoſitum argumentum. primo enim maiorem in diuinis negat: nõ enim per terminos: ſed ſeipſis differunt emanationes diuinæ. quod ſi hoc verum inuenitur in rebus creatis, eſt ex alia ratione, videlicet ex ipſarũ imperfectione: conſtituuntur enim in eſſe diſtincto à terminis: quia ſimul ab ipſis accipiunt à potentia in actum, eſſe. quod nefas in diuinis aſſerere. ſecundo. conceſſa maiori, neganda minor: non ſiquidem emanationum terminus eſt eſſentia, aut ſubſtantia, ſed perſona, cui communicatur eſſentia: alias enim eſſentia generaretur, & ſpiraretur, ſeipſamq. generaret; quod & Paradoxon inuoluit, & contra Concil. Lateranenſe, ſub Innocentio III. vt infra in tractatu de modis dicendi. & vberrimè S. Doctor d. 5. per duos articulos, cum reliquis Theologis. ferè idem eſt argumentum ſecundum S. Thom. art. 3. q. 27. ſupra relatum, & ſolutum.

Quartum. ſi haſce emanationes aſſerit quis differre: neceſſario different, aut ſeipſis, aut ſubſtantia, aut notione. non ſecundo modo, vt patentiſsimum eſt: non primo modo: nam ſicut à ſeipſis non habent eſſe, ita neque diſtinctum; non tertio denique modo: nam de ea notione, per quam diſtinguerentur, quæreretur, per quam ipſa differret, & eadem ratione, de alia, & ſic in infinitum.

Reſpondetur. iam ſupra argumentum hoc abundè ſolutum cap. 4. præteritæ diſputationis, & ſtatutum, ſeipſis differre emanationes diuinas; & demonſtratum Theorema illud *A quo res habet eſſe ab eodem habet, & eſſe diſtinctum*, haud heabre locum in his, quæ per originem, & relationem eſſe accipiunt. quare hic nihil addendum.

Quintum. nullam differentiam poſsibile eſt inuenire, qua hæ diuinæ emanationes differant: ergo non differunt, neque plures ſunt: antecedens inde conſtat: nam omnis differentia, aut accidentalis eſt, aut ſubſtantialis: nullam autem harum de Deo dicendam, præcipit fides: nam alias, aut plures ſubſtantiæ, & Dij, aut mutabilis, & compoſitus, & accidentarius Deus.

Reſpondetur. breuis, ſolemnis tamen, & cælitus certa ſufficit hoc loco ſolutio. differunt differentia relatiua, quam S. D. vocat originalem, quæ in Deo non eſt accidens, neque ſubſtantia abſoluta. plures tradit S. Aug. lib. 5. c. 5. de Trinitate his præcipuè verbis. *In Deo nihil quidem ſecundum accidens dicitur: quia nihil in eo mutabile eſt: neque tamen omne, quod dicitur, ſecundum ſubſtantiam dicitur: dicitur enim ad aliquid, ſicut Pater ad Filium, & Filius ad Patrem: quod non eſt accidens: quia & ille ſemper Pater, & ille ſemper Filius &c. Sed quia & Pater non dicitur Pater, niſi ex eo, quod eſt ei Filius: & Filius non dicitur, niſi ex eo, quod habet Patrem: non ſecundum ſubſtantiam hæc dicuntur: quia non quiſque eorum ad ſeipſum, ſed ab inuicem, atque ad alterutrum iſta dicuntur.*

Sextũ. quomodo ſe habet generatio ad creationem, eodem modo ſe habet ad proceſsionem: ſed à creatione non diſtinguitur. ergo neque à proceſsione. probatur minor, nam ſicut creatio eſt diuina eſſentia æque pariter & perſona. ergo & ad inuicem ſunt idem ex illo axiomate, *Quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem & inter ſe.*

Reſpondetur: et primo. neganda maior non enim eodem modo ſe habet: nam ſi generatio et proceſsio ad eſſentiã conferatur, minus ab ea differt, quam creatio. nam de ijs eſſentia prædicatur, eſſentialiter (vehementer verba obſeruanda hæc, ad ruendum in Theologia S. D. eſſentiam eſſe de ratione relationis) nequaquam vero de creatione, vt conſtat, præſertim actu ſumpta. præterea ſi ad terminos comparetur, creationis terminus eſt res creata in tempore ad extra: generationis vero ad intra, et immanens, et æterna, et Deus. iterum generatio ad terminum eſt relatio realis: creationis vero, dumtaxat rationis. mox nullum eſt argumentum ab abſoluto ad relatiuum, inde generatio, et creatio, et proceſsio in ordine ad eſſentiam, et abſoluti non differunt: ergo neque relati ad terminos, et etiam, vt viæ ad terminos, et ad inui-

cem

Digitized by Google

ccm? nulla conſequentia, quemadmodum diuina eſſentia eſſentialiter prædicatur de perſonis, adeo eſt intima: perſonæ tamen ad inuicem, de fide, differunt realiter. ex his neganda conſeqnentia, ex errore, & fallacia, qua errat minoris confirmatio, ex tranſitu ab abſoluto ad relatum: vbi S. Doctor, vt infra. nullum habete locum in relatiuis illud logicum axioma indicatum, docet.

SECVNDA DISPVTATIO.

De emanatione Diuinarum perſonarum, in hæc Capita diſtributa.

Primum. Dari in Deo emanationes.
Secundum. Quæ, & quot.
Tertium. Earum eſſentia, & quidditas indagatur, & differentia.
Quartum. Per quos actus.
Quintum. Quo ad inuicem ordine ſe habeant.

DIVINARVM emanationum abyſſum inrueri audentem, & abſconditiſsimum arcanum illud perſcrutari periculum facientem debet illud celeſte oraculum deterrere; *Qui ſcrutator eſt maieſtatis, opprimetur à gloria:* Quid enim diuiniſsimis proceſsionibus inſcrutabilius? quid auguſtius? quid inaceſsibilius? quid denique ineffabilius? Iſai. 53. *Generationem eius quis enarrabit? Si enim magna opera Domini, & exquiſita in omnes voluntates eius*, et omnem laudem, et linguam excedentia; Deus, qui ter, imò millies maximus; omni proculdubio erit ſilentio declamandus, et mutis labijs decantandus, et extenſis contemplationis alis, ad admirantium inſtar Cherubin, admirandus. Si Deus vnus etiam, vt naturę author, quem nos, quamuis quaſi noctuæ, et veluti cæcutientes, ſolo naturæ lumine, quoquo modo, intellectu aſſequimur, cogit tamen totam Philoſophorum doctiſsimorum aciem, libro de Cauſis propoſitione 6., aſſerere. *Prima cauſa ſuperior omni narratione:* quo ſine temerario auſu, ad interiora Dei, ad perſonarum pluralitatem, ad proceſsiones accedet quis, etiam Angelus, nedum homo? ideo, inter Dei plurima nomina, excelſum illud Ieoa, quo Dei ineffabilitas aſſeueratur; hinc D. Dionyſij Areopagitæ, inter omnes alias cognitiones de Deo, doctiſsima negans Theologia. Hæc Nicolai Card. de Cuſa doctiſſima ignorantia. Hoc repetitum elogium Sponſæ in Canticis, mirè, & multo magis Sponſo accomodandum. *Præter ea, quæ intrinſecus latent*, iuxta Septuaginta Interpretes. *Præter ſilentium, & taciturnitatem*; hnc enim eſt ſilentio, & taciturnitate, quæ Deo intrinſeca, & interiores emanationes prætereundæ, & venerandæ. Hinc Alexander Alenſis 1. par. q. 42. membro 2. *Non eſt in poteſtate humana de generatione æterna dicere, nec de ſubſtantia æterna, quid ſit, quod ſuſpiciens Iſaias dicit. Generationem eius quis enarrabit? quaſi dicat. Nullus: imo hoc eſt præmium fidei.* Quem imitati Gregorius Ariminenſis diſt. 13. quæſt. 1. in primum Sententiarum, & Marſilius quæſt. 16. de differentia Diuinarum emanationum, affirmarunt admodum piè, & reuerentur, his verbis. *Impoſsibile eſt in hac vita, citra peculiarem aliquam reuelationem, per tales, quales nos ſumus, illud diſcrimen explicare.* Quod quidem pro ſua pietate ſolerter obſeruarunt, & ex ſanctorum Patrum ſcriptis exſcripſerunt: Inter alios enim antiquos ſanctæ Theologiæ Patres, D. Athanaſius, epiſt. ad Serapionem, D. Aug. lib. 3. contra Maximinum, cap. 14., D. Ambroſius lib. 1. de fide cap. 5. ſe harum emanationum diſcrimen ignorare, apertè fatentur. & D. Damaſcenus, primo de Fide Orthodnxa c. 2. his verbis. *Quandoquidem eſſe differentiam generationis, & proceſsionis didicimus: quis verò ſit modus huius differentia, nequaquam ſcimus: quamuis autem iſta intelligere, non poſſumus, tamen ita eſſe, veraciter confitemur, & credimus. Neque tamen propterea* ait S. Athanaſius ſer. 3. contra Arianos *ſacris Scripturis diffitendum eſt, quia huiuſmodi quæſtionem ſatis explicare non poſſumus.* Ergo in atrio huius magnæ diſputationis, nobis in primis neceſſe eſt, prænoſſe rei difficultatem, fidei neceſsitatem, ſupplicis orationis exigentiã, & quod nobis addiſcere non ſuppetunt vires, enixè ab ipſis Diuinis perſonis impetrare conemur, & maiori, qua poſſumus, animi conrentinne, in obſequium fidei curioſum intellectum noſtrum captiuemus.

Neque verò tamen his Theologorum, & ſanctorum Patrum dictis, & difficultate propoſita ita deterreamur, vt omnino ab huius diuiniſsimæ veritatis contemplatiòne, & perſcrutatione abſtineamus: In qua enim inueſtiganda veritate, & perſcrutanda laborarunt, & inſudarunt omnes Theologi, & tot ſancti Patres, nobis quoq; laborare licitum, honeſtum, & perutile erit. voluerunr ergo nobis his dicendi modis indicare, quanta in hac diſputatione humilitate procedendum, quam neceſſaria non ſolum ſit fides, ſed fidei exercitatio: & nobis innuere præſertim in vita hac, haud eſſe demonſtrationem expectandam, vel prætendendam; ſed poſt fidei confeſſionem, debere nobis quales, quales rationes probabiles ſufficere: certum tamen, atque prorſus indubitatum, nullam ab aduerſario; vel ethnico, vel hæretico, contra fieri poſſe rationem, quæ facili negotio dilui non poſsit: imò, mea, & aliorum ſententia, & diligentius in hanc maximam Theologiam incumbendum, quo per fidem certior, & captu, & veſtigatione difficilior; ſi enim multa Patres fatentur, ſe neſcire de his myſterijs, ſed tantummodo credere, exploratum videtur, non ita explicatè hæc omnia tradidiſſe diuinas Scripturas; propterea, aiunt Sancti, multa ſe ignoraſſe: ergo maxima animi, & intellectus contentione enitendum, vt quoquo modo hæc percipiamus: non enim omnino adæquatè quidditatem, & differentias omnes, & perſpicuitatem aſſequi poterimus.

His ergo greſsibus accedamus, & ad primam rem propoſitam manus admoueamus, ac primo à nomine initium ſumamus. Nomen cuius ætymon & ſignificatio primo loco, Atiſtotelico præcepto,
præ-

Digitized by Google

præaccipienda eſt proceſsio, hoc eſt, ex D. Bonau. q. 1., procul, & longe ceſsio, ſicuti præceſsio anteceſsiouem dicic, vt in humanis, & creatis rebus aſſumitur, ad ſignificandam elongationem à termino à quo, & ad terminum ad quem approximationem; quæ ideo neceſſario interuenit in hoc indicato motu ex finita, & determinata natura, quæ monetur, quæ ideo non poteſt eſſe vbique, nec multis, nec dnobus locis ſimul. In voce autem hac *elongationis*. Reſponſione ad primum; omnis motus localis, omnisq. mntatio cuiuſcumque generis accipitur: à quodam in quoddam, à cauſa in effectum, quocumque modo, à principio in principiatũ: hæc enim omnia, & procedere, & proceſsiones dicũtur: Ad Dinina autem, & ad Deum tranſlatam hanc vocem, non tam lata complexione ſumendam neceſſario, docet, citato loco, S. Doctor. ſicut enim haſce imperfectiones in Deo ponere, contradictio eſt, ita eas in Deo ſignificare, ac de Deo affirmare mendacium apertum eſſet. Sanctus igitur Thom. de potentia quæſt. 10. art. 1. elegantiſsimè refert, & docet, qua ratione, & fundamento, & vſu hæc vox à ſanctis viris, & Theologis Deo tributa ſit: eſt enim attribnrum: ſicuti nomen diſtantiæ, quæ primo inuenitur in loco, tranſumitur ad omnem formarnm differentiam indicandam; vnde duo contraria maximè diſtare, ideſt maximè differre, aſſerimus: eadem ratione, & proceſsionis nomen adinuentum eſt, ad motum localem ſignificandum, ſecundum quem aliquid ordinatè ab vno loco per media in extremum locum pertranſit; ex hoc autem quoque aſſumptnm eſt, ad omne illud, in quo eſt aliquis ordo vnius ex alio, vel poſt aliud ſignificandum: vnde in omni motu vtimur nomine proceſsionis, vt corpus procedit ab albedine in nigredinem; à parua in magnam quantitatem, à non eſſe in eſſe: & è conuerſo. eodem modo, vtimur nomine proceſsionis, vbi eſt aliqua emanatio vnius ab alio, ſicut dicitur, radius procedit à ſole, & omnis operatio ab operante, & artificiatum ab artifice, genitum à generante, & in vninerſum omnem huiuſmodi ordinem proceſsione ſignificamus.

Cum autem duplex ſit actionis, & operationis geuus, aliud tranſiens, & perficiens operatum, aliud immanens in operante, operantisq. perfectio exiſtens: hinc duplex quoque proceſsionis genus, alterum eorum, quæ à Deo ad extra exeunt, & ita omnia, quæ à Deo per creationem, vel quocumque alio modo producuntur, dicuntur à Deo procedere: alterum verò eorum, quæ non exeunt, ſed ad intra in Deo ipſo orinntur; & producuntur, & in Deo remanent, vt Verbum, & Amor: Ad vtramque ergo hanc emanationem, & actionem atteſtandam in Deo, aſſumimus hanc proceſsionis vocem: hac tamen ad omnem hanc veritatem, addita explicatione, vt ex ſancto Doctore diſt. 45. q. 3. liquido colligitur: cum enim aſſerimus, dari proceſsionem in Deo actionis tranſeuntis, non ita accipiendum, quaſi Diuina actio, quæ intellectus, & voluntatis eſt, & ipſius Dei ſubſtantia, tranſeat, & recipiatur in paſſo: hoc enim dedecet nimis, & immutabilitati Diuinæ derogat: ſed per quandam ſimilitudinem, & participationem, & efficientiam, accipiendum neceſſario eſt: quemadmodum, & ſol dicitur ad terram vſq; deuenire, eamq. pertingere, quia radijs, calore, et efficacitate ſua attingæ: ita, etc.

An verò huiuſmodi interior proceſſio in Deo verè ſit, & realiter neceſſario aſſerenda, hoc eſt, quod nunc explicare, & ex fide, & ex Concilijs, & Patribus, & rationibus ſnſcipimus.

Eſt autem apertiſsimum dogma ad fidem ſpectans, & multis dininarum Scripturarum locis aſſeritur. Micheę 5. vbi de Meſsia eſt ſermo: *Egreſſus eius ab initio à diebus æternitatis*. Eccleſiaſt. 24. vbi Sapiẽtia æterna de ſe loquitur. *Ego ex ore Altiſſimi prodiui primogenita ante omnem creaturam.* Io. 8. *Ego enim ex Deo proceſſi.* Io. 15. *Spiritus veritatis, qui à Patre procedit.* Io. 16. *Exiuĩ à Patre &c.* & omnibus illis locis, quibus Filius à Patre genitus dicitur vnigenitus, & primogenitus, & vbi Verbum, & vitam, & operari, & omnem denique auctoritatem à Patre accepiſſe aſſeritnr, & ſibi Spiritus Sanctus amor: hoc enim ex his conglobatis locis eſt manifeſtè aſſerere, dari in Deo emanationes, Filiumq. à Patre procedere, & Spiritum Sanctum ab amantibus Patre, & Filio. Io. 5. *Sicut enim Pater habet vitã in ſemetipſo, ſic dedit, & Filio*, & c. 7. *Ego ſcio eum, quia ab ipſo ſum*, & c. 10. *Pater meus quod dedit mihi, maius omnibus eſt*, hoc eſt Diuinitas, quam ab æterno per generationem accepit; & in tempore, vt homo per vnionem hypoſtaticam; & licet Græci hunc locum legant. *Pater, qui dedit mihi, maior omnibus eſt*: Latinorum tamen anteponenda lectio: eſt enim, & Concilij Lateranenſis, & Vulgatę Editionis, qua orthodoxa Eccleſia Latina vticur, quamuis vtraque lectio eundem ſenſum habeat. Matt. 11. *Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo*, & omnibus illis locis, quibns prima perſona dicitur Pater, & ſecunda, vt dicebam, Filius, & Verbum, & tertia Spiritus, Amor, et Charitas: eo enim Pater, quia generat, et habet Filium, et eo Verbum, quo loquentis eſt, et à loqnente procedit, et eo Spiritus, quo ſpiratur etc. vt infra ſuis locis. Denique omnibns illis locis, quibus plures perſonæ in diuinis leguntur, non enim, vt infra, plures eſſe poſſunt, niſi ex origine, et proceſsione, quod confirmabitur etiam ex ordine ipſarum perſonarum: non enim Filius eſt prima, ſed Pater, neque Spiritus Sanctus ſecunda; ſed Filius. Ex illis qnoque locis, quibus aliquæ perſonæ mitti aſſeruntur, eſt enim Theologorum, et Patrum iam certa, recepta, et neceſſaria obſeruatio; miſsiones perſonarum temporaneas, æternas ſupponere origines, vt non poſsit ab vllo hæc negari conſequentia. Filius à Patre mittitur: ergo à Patre procedit. Spiritus Sanctus à Patre, et Filio mittitur: ergo à Patre, Filioque procedit. Tandem vbicumque in diuina Scriptnra traditur, Filium, et Meſſiam, et Spiritum Sanctnm eſſe Deum; neceſſarinm quoque, omni proculdubio, concedendum in Diuinis, eſſe proceſsiones, quibns diuinitas vnica numero his duabus perſonis communicetur: itaue patentiſsimum vbique euadat hoc dogma de veritate proceſsionum, et tertio quoque verbo

bo

Digitized by Google

bo in Dininis Scripturarum Oraculis tradi, decerni, et dogmatizari.

Sacra quoque Concilia hanc veritatem decernunt, omnibus illis locis, quibus aduenit propoſitum de vnitate diuinæ eſſentiæ, et perſonarum pluralitate definire, præcipuè Cõcilium Nicænũ in ſymbolo, et confeſsione fidei, *Qui à Patre, Filioq. procedit*: quod refert Nazianzenus in tractatu de fide Nicæna, orat. 50. vbi poſtquam profitetur Diuinitatem Patris, et Filij, et Spiritus Sancti, tandem adiungit: *Vnum tamen Deum, quia ex vno Patre totum, quod Patris eſt Deus natus eſt Filius, & in Patre totum, quod ineſt, totum genuit Filium*. Concilium Florentinum, ſeſſ. 18. §. dixi quidem, tacitè approbat, quod Io. Theologus ait. ſola relatio, apud omnes Græcos, et Latinos Doctores, diuina proceſsione perſonas multiplicat; itaut non alia ratione, quam vi relationis, vna perſona ab alia differat. Concilium Lateranenſe, idem aſtruit, & habetur extra c. Firmiter de Summa Trinitate, & Fide Catholica. Concilium Syrmicum, canone 26., anathematizat eum, qui innaſcibilem, & ſine initio dicat Filium, tanquam duo, ſine principio, & duo innaſcibilia, & duo innata, dicens, duos faciat Deos, quem canonem D. Hilarius libro de Synodis, ita declarat. *Cum ergo vnus Deus ſit, duo innaſcibiles eſſe non poſſunt, eum idcirco Deus vnus ſit, cum Pater Deus ſit, & Filius Dei Deus ſit, quia innaſcibilitas ſola penes vnum ſit*. infra capite integro de Innaſcibilitate. Conc. 11. Toletanum. *Hoc ſolo numerum inſinuant, quod ad inuicem ſunt*, (ideſt origine producuntur,) et in hoc, numero carent, quod in ſe ſunt. Conc. Generale Sardicenſe, qua parte Catholicum, et approbatum eſt, in Epiſtola ad omnes Epiſcopos, propè finem, hanc fidei profeſsionem profitetur. *Indubitanter credentes, nunquam Patrem ſine Filio, nec Filium ſine Patre fuiſſe*. Abſurdum namque eſt dicere, aliquando Patrem non fuiſſe Patrem. Patrem enim ſine Filio nominari, nec eſſe poſſe, eſt ipſius Filij teſtimonium Io. 10. *Ego in Patre, & Pater in me eſt*. Io. 14. *Ego, & Pater vnum ſumus*. Idem Conc. Toletanum iam iam relatum, eodem loco, *Sempiternus quoque eſt & Filius, quoniam ſi Pater ſemper fuit, ſemper Filium habuit*.

Sancti denique Patres omnes vbique, iiſdem propoſitis occaſionibus, pro fide vnitatis, ac perſonarum diſtinctione, inter eos verò præſertim Sanctus Iuſtinus, in confeſſione rectæ fidei, Tertullianus contra Praxeam, Nazianzenus, indicata oratione 50. & oratione 30. quæ eſt quinta, & vltima de Theologia: *Nobis vnus Deus eſt, quoniam vna Deitas, atque ad vnum ea, quæ ex eo ſunt, referuntur*. D. Hilarius, recenſito loco nupetrimè, & frequentius lib. 4. de Trinitate, & lib. 5. & lib. 7. Diuus Fulgentius, libro ad decem obiectiones Arianorum, Obiectione prima, & quinta, D. Athanaſius, oratione contra Gregales Sabellij. D. Damaſcenus lib. 1. de fide cap. 11. his verbis. *Quapropter, neque tres Deos dicimus Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum, ſed vnum potius ſanctam Trinitatem Deum Filio, & Spiritu ſancto in vnam cauſam* (loquitur more Greporum) *Patrem videlicet relatis*. Alios innumeros Patres referre poſſem, innumeraq. Patrum loca: à quibus tamen abſtinendum cenſeo referendis, ne in re certiſſima prolixior, quam par ſit, & onerosior noter.

Vniſotmis quoque eſt omnium Theologorum ſententia de hac veritate, & neceſſitate Diuinarum proceſsionum. D. Th. 1. par. quæſt. 33. art. 4., & 1. Sentent. diſt. 2. quæſt. 1. art. 4. & quæſt. 9. de Potentia art. 9. & quæſt. 10. art. 2. D. Bonauentura diſt. 2. art. 4. Alexander 1. par. quæſt. 43. memb. 5. & 45. memb. 7. Albertus 1. par. quęſt. 42. memb. 3. Riccardus diſt. 2, art. 2. quæſt. 2. Scotus quæſt. 5., Durandus quæſt. 4. Marſilius quæſt. 14. Henricus quodlib. 6. quæſt. 1., & in Summa art. 53. quæſt. 8. & 9. & art. 54. quæſt. 2. &c.

Tertio nobis pugnandum eſt rationibus; quæ, licer demonſtratiuæ eſſe, non poſſint; perſuadent tamen, & hæc credita veritas quam rationi ſit conſona, egregiè oſtendunt. Perexcellentes ſunt rationes apud Seraphicum Doctorem, & præſertim illæ, quæ ex perfectione naturæ Dininæ, ex perſonarum ordine, & ad proceſsionẽ requiſitis, deſumuntur: natura etenim Diuina optima eſt; & ſuper omnem effatum perfectiſsima: ergo inenitabili veritate communicabilis; ergo communicata: ergo in pluribus perſonis. hanc veritatem, & conſequentiam omnis creatura teſtatur, quæ, quia ſuam qualem qualem recepit bonitatem, eam quoque, quin communicet, impediri non poteſt; neque enim ſine germine bonum inuenire licet, neque vberrimus fons detineri poteſt, quin erumpat, neque ſol, quin irradiet ſua luce, colluſtret, foueat, caleſaciat, & fœcundet &c. neque ita in præceps graue ruit ad centrum, quam bonum ad ſui diffundendam perfectionem. Neque ſuo modo, magis requiſitum, vel ad conſtituendam bonitatem, vel ad indicandam, quam poſſe alijs prodeſſe, vel in re prodeſſe, & ſuam eis partiri bonitatem.

At vero id, quod in præſentiarum fatetur veritas, de creaturis prædicat, non tantum creaturarum communicatam bonitatem, ſed vehementius, & efficacius earum indigentiam: eſt enim omnis creatura tenuis, & limitatè perfectionis, & finita, & vacua, & exilis; & quæ cum adhuc, etiam ſui diminutione, omni tamen poſsibili conatu producat, & ſuam communicet bonitatem, quid Diuinæ, vndequaque immenſæ, & infinitæ, bonitati conuenire exiſtimabimus? creaturarum continentia, & capacitas anguſta eſt, & breui termino definita, vt quæ, poſtquam Dei bonitatem miſericordia erunt omnia plena, & valdè exuberantia, veluti guttula effuſa erit, & interminabili & infinito diuinæ perfectionis oceano adhuc Diuina bonitas plena erit; ergo ad intra vt adæquatè ſe communicet Dinina perfectio, neceſſario danda eſt Dininæ eſſentiæ communicatio infinita per Diuinarum perſonarum productiones, & proceſsiones, itant non eſſet Deus, ſi non infinitè communicaretur pluribus perſonis, & plurium perſona-

rum

rum non daretur proceſſio. Ita in cælis in perpetua æternitate ardentiſſimi Seraphim clamant, & decantant, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*; ideo enim ter Sanctus, quia infinitè Sanctus, ſcilicet in tribus ſanctiſsimis perſonis communicata Diuina eſſentia inuenitur ſancta, & infinities perfectiſsima: quare idem Dominus apud Iſaiam quaſi ad inconueniens, & impoſsibile deducẽs, dicere ſolutus erat; *Qui generationem alijs tribuo, ipſe ſterilis ero*? Qui Diuinæ potentiæ reſiſtere nequit, neque omnipotentem bonitatis communicationem, aut negare, aut impedire poterit. Hinc S. Thomas, citato art. 1. in fine, dandas concludit has in Deo, ſecundum perfectiſsimum modum, proceſsiones, hoc eſt ad intra, ſecundum Diuinam, & infinitam fœcunditatem intellectus, & voluntatis.

Secundum verò argumentum eadem efficacitate concludit. Sunt plures perſonæ infinitè perfectæ, ergo etiam perfectiſsimo ordine, ergo ab vna: ſi enim ideo entia creata, vt benè ordinata, & diſpoſita ſint, neceſſario ab vno ſunt: multo magis Diuinæ perſonæ ex perfecto ordine erunt ab vna: ergo procedentes. Quod quidem argumentum infra eo magis vrgebit, quo explicatius probabitur hic numerus, & ordo.

Tertium denique, ex requiſitis ad proceſſionem hac explicatione, & collectione colluſtratur, & aperitur. Quod in parte duobus locis S. Doctor conficit. Quatuor ſunt, quæ requiruntur ad veram proceſsionem: primum, vt proceſsio ſit via ad aliquod eſſe. Secundum, vt aliquid detur, & accipiatur. Tertium, vt ſit diſtinctio inter dantem, & accipientem. Quartum denique, vt ſit prioritas aliqua producentis à producto: quæ quidem omnia cum inueniantur in Diuinis, hinc clariſsimè eluceſcit veram ibi dari proceſsionem. Probatur primum. inter Patrem, & Filium eſt via ad eſſe Filij, qui generationis proceſsione accipit eſſe à Patre, quod dicebat S. Bonau. reſponſum à quo ad quem. Secundum, quia natura Diuina à Patre datur Filio, & à Patre, & Filio eadem datur Spiritui ſancto. Eſt tertium, quia inter Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum eſt diſtinctio realis. Eſt poſtremo quartum. Pater enim quamuis, nec tempore, nec natura, nec perfectione, tamen origine eſt prior Filio, ſicut Pater idem, & Filius Spiritu ſancto. Hoc (prior) explicabitur diligentius infra.

Sancti verò Thom. hæc nobiliſsima ratio, tum hic art. 1. tum q. 10. de Potentia art. 1. danda in Deo ea communicatio, & actio, quæ in ipſo dicat nobilitatem, & perfectionem; ergo illa, quæ eſt per intellectum, & voluntatem. In actu enim intelligere, & actu velle conſiſtit Dei perfectio: neque enim ſi actu non intelligeret, nec vellet, neque perfectus eſſet, neque vita propria viueret: ſed ſi intelligit, & vult, infinita fœcunditate id facit, ergo producit Verbum, & Amorẽ infinitum; ergo emanationes, & proceſsiones Verbi, & Filij, Amoris, & Spiritus ſancti in Deo ſunt. Idem S. Thom. art. 4. ad quartum quæſt. 33. Primo, ſicut in quolibet genere oportet ponere vnum principium; ita in Diuina natura oportet vnum principium conſtituere, quod non ſit ab alio, quod ingenitum dicitur: ponere ergo duos innaſcibiles eſt, ponere duos Deos, & duas naturas Diuinas. Quam rationem ex D. Athanaſio deſumpſit, oratione contra Gregales Sabellij prope medium, neque ſunt duo Dij, cum non ſint duo Patres, &c. Qui enim duo principia ponit, is duo numina introducit, & prædicat: & ex Concilio Syrmienſi, & Nazianzeno, vt ſupra notauimus: quare Scotus, nitens hanc redarguere rationem, animaduertat, & hos Patres, & hanc Synodum habere aduerſarios. Secundo, ſi eſſent duo principia, & duo innaſcibiles, vna perſona non penderet ab alis, & ſic non diſtingueretur oppoſitione relatiua, diſtinguerentur ergo abſolutè, & eſſent duæ naturæ. Colligitur nedum ex D. Hilario, qui ibi refertur, ſed ex Conc. Nicæno, quod refert Nazianzenus, vt ſupra. Ergo Scotus huic rationi reclamans Conc. quoque videtur reclamare, & Nazianzeno, & alijs ſanctiſsimis Patribus: quibus auctoritatibus factum eſt; vt ſancti Thom. antecedens notius ſit concluſione. Confirmat ipſe vtramque hanc rationem, quæſt. 9. art. 9. de Potentia, Philoſophorum auctoritate. Quidam Philoſophi dixerunt, quod in rebus, quæ non ſunt materia, non poteſt eſſe pluralitas, niſi ſecundum originem.

Alexander ex D. Auguſtino lib. 83. quæſt. Deus ab æterno, aut potuit, & noluit, aut non potuit, ſed voluit, aut neque potuit, neque voluit, aut potuit, & voluit generare Filium, &c. non primum, quia fuiſſet inuidus: non ſecundum, quia impotens; non tertium, quia inuidus, & impatiens: hæc enim eſſet intolerabilis de Deo blaſphemia negare tum virtutem, tum bonitatem, etc. Quartum; ergo in Deo dantur emanationes, et proceſsiones æternæ. Conſequentia conſtat, quia ad has proceſsiones adæquatè ſufficientiſsima ſunt hæc principia, intelligere, et velle, tum quia hæc de ratione perfectionis Diuinæ ſunt, ita vt, ſicut antea dicebamus, non eſſet neque Deus, neque infinitè bonus, ſi ſic non communicaretur. huic argumento; quod obijci poſſet, optimè, eodem loco, reijcit idẽ Alexãder.

Probatur ratione naturali, probabili argumento, fortaſſe alio loco reſumendo. Omnes perſonæ Diuinæ, aut proprietate abſoluta diſtinguntur, aut vna abſoluta, altera relatiua, aut omnes relatiua: primum, et ſecundum impoſsibilia ſunt, ergo neceſſario dandum tertium; ſed neque hoc tertium poſsibile eſt concedere, niſi præſupponatur origo. Ergo emanationibus, et origine diſtinguntur. Probatur primum. Proprietates abſolutæ vna adinuicem aliam non excludit: non enim opponerentur contradictoriè, neque priuatiuè, nam omnes non eſſent poſitiuæ conſtituentes perſonas: neque contrariè: tunc enim dicerent imperfectionem, nam præſupponeretur ſubiectum Diuinum vtriuſque capax; non ſimul; nam repugnaret. ergo, & eſſet limitatæ capacitatis, & ſucceſsioni ſubiectum. ergo non diſtinguerentur, nec plurificarentur. Secundo. Quælibet abſoluta perfectio Diuina eſt ſubſtantia formaliter: non enim, vt conſtat, poteſt eſſe accidens quantitas, neque aliud prædicamentum, &c. ergo tunc plures perſonæ plures ſubſtantiæ abſolutæ eſſent. Tertio, tunc non eſſent infinitè perfectæ perſonæ Diuinæ:

nam

nam vna non haberet perfectionem abſolutam alterius: ſi enim haberet, ab ea non diſtingueretur.

Probatur ſecundo. Non poteſt vna perſona diſtingui ab alia per abſolutam proprietatem, alia verò per relatiuam. Siquidem primo, per eaſdem rationes, quibus iam probatum eſt, abſolutis proprietatibus non poſſunt Diuinæ perſonæ diſtingui: ſi enim vna ſola diſtingueretur; de illa omnia deducta abſurda ſequerentur: eſſet enim & ſubſtantia diſtincta ab alijs, imò nullo modo diſtincta. Secundo, quia illa perſona abſoluta careret perfectione circumincesſionis, & ordine, inter illas perſonas Diuinas. Ergo omnes relatiuè diſtinguuntur.

Probatur tertio. (Omnes ſcilicet perſonas Diuinas non poſſe relationibus diſtingui, niſi præſuppoſita origine.) Primo, quia relationes reales in Deo exiſtentes non poſſunt eſſe, niſi quæ oriuntur inter perſonam producentem, & productam. Probatur primo. Trina dumtaxat relationum genera ex Philoſophis colliguntur, vnitatis, menſuræ, & originis: ſed vnitatis non poſſunt eſſe, tum quia præſupponunt extrema iam diſtincta per alias formalitates, vt in quæſt. de Qualitate Diuinarum perſonarum conſtabit; tum quia huiuſmodi relationes ſunt rationis, vt eodem loco demonſtrabitur. Diuinæ verò perſonæ ſicut realiter diſtinguuntur, ita per reales relationes. Idem de relationibus menſuræ aſſerendum: ſunt enim & ipſæ rationis, & repugnant infinitæ perfectioni cuiuſlibet perſonę infinitæ, immenſæ, & æternæ, cui repugnat menſurari, ſicuti probat S. Thom. quæſt. 28. art. 4. ergo relatione originis diſtinguentur: ergo emanabunt, & procedent. Secundo, ſi origine non emanant, & diſtinguuntur: ergo neque vna erit in alia, & numero certo non numerabuntur; ſed poterunt eſſe infinitæ, vt deducit Scotus 1. ſent. diſt. 2. quæſt. 5. Alias rationes colligere licet ex natura relationis oppoſitæ, & originis, quæ habet vim multiplicandi; tum ex alijs Doctoribus, qui congruentias Diuinæ charitatis, &c. obſeruant, & referunt; ex Riccardo de Sancto Victore lib. 3. de Trinitate à cap. 2. vſque ad 20. & libro 5. à cap. 16. vſque ad 24. cui Riccardo non admittendum, quod prætendit, ſcilicet, hanc rationem concludere neceſſario, vt admonuit S. Thom. 1. ſent. diſt. 2. quæſt. 1. art. 4., neque hoc ſenſu eas exponunt, & tuentur D. Bonau. art. 1. quæſt. 4. Alexander 1. par. quæſt. 43. membro 5. Riccardus art. 2. quæſt. 1., & alij, ſed vt probabiles referunt.

Vltimo loco magni momenti addendum argumentum, quod eſt ſolutio eorum, quæ opponi poſſunt, quod & rectè, & neceſſario communiter à Doctoribus præſtari ſolet. In primis verò S. Thom. quæſt. citata 10. decem, & ſeptem argumenta proponit contraria, & doctiſsimè ſoluit, multa quoque S. Doctor, multa Alexãder, multa reliqui Magiſtri, pręcipuè recentiores contra hæreticos. Ex vetuſtiſsimis tamen fontibus ſanctorum Patrum collecta, & diſiecta, quod quidem quamuis abundè ſufficere poſſet, ne tamen hic locus omnino vacuus relinquatur; de reliquorum Theologorum more, quædam argumenta cum ſuis ſolutionibus proponam.

Videtur, primo, hoc aſſertum dogma multas inuoluere falſas, irrationabiles, & abſurdas, eaſque producere conſequentias. Primo. Actus immanentes intellectus, & voluntatis, vt harum proceſſionum origines, & principia ſint, oportet neceſſario, quod ſint fœcundi, & efficaces: contradicit enim, dari proceſsiones paſsiuas, & non itidem origines, & principia actiua: ſed hoc eſt manifeſtè contra Ariſtotelem 9. Metaph. tex. 26. vbi duo docet, primum. inter actionem tranſeuntem, et immanentem hanc eſſe differentiam, quod per illam fit aliquid, per hanc verò nihil: ſecundum, actionem immanentem eſſe vltimum, & perfectum potentiæ operantis: ergo non eſt aliquid per hanc actionem productum: ergo, neque Verbum, neque Amor: ſi enim vltimum affirmat, eſſe actionem, conſequenter negat, aduenire actioni poſterius aliquid, ideſt terminum actione productum, & ſi ſterilem, & infœcundam illam conſtituit actionem; ergo nihil producit. Idem videntur affirmare illi Theologi, præſertim Scotus, & Durandus, quatenus aſſerunt, Verbum nihil aliud eſſe, quam actionẽ intellectus, & eadem ratione Amorem, volitionem voluntatis.

Secundo. Si darentur huiuſmodi emanationes, eſſent, omni abſque reuelatione, lumine naturali cognoſcibiles; ſed hoc apertiſsimè Diuinis oraculis repugnare quæſtione præcedenti valde abundè probatum eſt: ergo, &c. Probatur maior. De ratione intrinſecæ perfectionis Diuinæ eſt, Deum actu eſſe maximè intelligentem, & volentem, & manifeſtum eſt, lumine naturæ: ergo quoque, & intrinſecum, & notum fœcunde intelligere, & intelligendo adæquatum terminum Verbi producere, & eadem ratione, velle, & volendo Amorem itidem producere: eodem lumine conſtat, in Deo non poſſe eſſe accidens, & inter producens, & productum intercedere neceſſario diſtinctionem realem: paradoxon enim olet, producens ſeipſum producere: ergo, aut negandæ huiuſmodi emanationes in Deo, aut concedendum, lumine naturæ percipi: quod cum ſit contra Diuinas Litteras, videtur diſcendendum à propoſito dogmate.

Tertio. Sunt intrinſecæ Deoiſtæ proceſsiones adeo, vt ſint ipſe Deus, itaque Deus de Deo, lumen de lumine, ergo æternæ: Dei tamen ſapientiam procedentẽ videtur Scriptura ſancta aſſerere, non ab æterno procedere, Eccl. 24. *Ab initio, & ante ſæcula creata ſum*: ſi enim creata; ergo non æterna. Prouerb. 8. *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum*: ſed ſi poſsidetur; ergo infra Deum, ergo ſerua, & creatura, ergo in tempore. Ioan. 1. *Poſt me venit vir, qui ante me factus eſt.* Neq; verò hic videtur adeſſe refugium ad id, quod hic Io. Baptiſta de Chriſto, vt homo erat, loquatur: eo enim ſenſu, non ante ipſum, ſed poſt ipſum erat factus per ſex menſes, Luc. 1. *Hic menſis ſextus eſt illi, quæ vocatur ſterilis.* ergo de illo ſecundum naturam Diuinam: at ſecundum illam, dicitur tamen factus, ergo non æternus.

Quarto. De ratione proceſsionis ad intra eſt, vt id, quod procedit, maneat intra in Deo, & conſequenter recipiatur in ipſo Deo: ergo in Deo eſt potentia ad recipiendam perſonam procedentem, quod videtur perabſurdum, & perdedecens, & aper-

apertam inuoluere imperfectionē, eſſet enim perſona Diuina quoquo modo intelligibilis in potentia paſsiua, ad recipiendum, ergo videtur tollenda proceſsio, eo præſertim, quia videtur repugnare, à Deo exire, & emanare, & in Deo remanere. Secundo, ex perſona procedente; primo, quia omne procedens ab alio aliquo modo eſt: ſed ab alio eſſe non videtur conuenire ei, qui omnium eſt cauſa eſſendi. confirmatur. Nam perſona eſt hypoſtaſis, proprietate diſtincta, ad dignitatem pertinens: ſed eſſe, & procedere ab alio non videtur ad dignitatem pertinere, ſed magis dignitati derogare, ergo. ſecundo; quia omne ab alio procedens videtur ab eo produci, & ſicuti à cauſa, & principio, principiari, & cauſari, ſed vna perſona non poteſt eſſe alterius cauſa; erit enim aut extrinſeca, aut intrinſeca; neque tamen intrinſeca, quia aut formalis, aut materialis; neque extrinſeca, quia vna perſona eſt in alia, *Ego enim in Patre, & Pater in me eſt*: neque principium, neque cauſa; nam primo; ergo altera principiata, & cauſata, quod ſoli creaturæ conuenit; ſecundo, ergo altera prior, altera poſterior, contra Symbolum Athanaſij. Tertio, ergo altera facta, vel operata, nam omne principium eſt factiuum, aut operatiuum. Tertio. omne procedens ab alio, & cum eo conuenit in natura recepta, & differt aliqua proprietate; ergo in Deo commune, & proprium, ergo compoſitio, quod maximè Diuinæ ſimplicitati videtur aduerſari. Quarto, omne procedens recipit eſſe. Probatur. Procedit enim, vt ſit: ſed ſi recipit eſſe, ergo indiget illo, & ſi procedit, vt ſit, ergo in ſe conſideratum non eſt, & nihil eſt: ergo Diuinas dari proceſsiones, Diuinaſq; procedere perſonas, aut negandum, aut concedendum Ario, procedere, vt creaturas; quæ peſtilentiſsima, omniumq. peſsima ab Orco hęreſis eſt; quæ diu totam ferè vexauit Eccleſiam.

In perſona producente. Nam id, quod producit, & communicat producens perſona, neceſſario fatendum in producente eſſe perfectionem: ergo poſt productionem producens illa perfectione carebit: nam omnis res producta eſt alia, & realiter diſtincta à producente.

In modo producendi. Si in Diuinis aliquid procedit, & producitur neceſſario, vel ex nihilo, vel ex aliquo: non ex nihilo: tunc enim perſonæ productæ eſſent temporaneæ creaturæ: non ex aliquo; nam, vel ex toto, vel ex parte: non primum, vt pugnat præcedens argumentum, & confirmat S. Tho. 4. contra Gentes, cap. 10. nam videtur impoſſibile, quod tota natura data Filio non deſinat eſſe in Patre: non ſecundum; nam primo, ſi ſecundum partem, ergo Diuinitas diuiſibilis: ſecundo, ergo generatio, & ſpiratio compoſita ex ſubiecto, & forma, ergo annexam videtur habere corruptionem.

Diuina eſſentia, nec genuit, nec genita eſt ex cap. Damnamus de Summa Trinit. ergo neque perſona: eſt enim idem formaliter cum eſſentia.

Si Filius à Patre procederet, ſequeretur, Patrem eſſe eſſentiatorem, & Filium eſſentiatum: ſed hic eſt error Valentini Gentilis, & Tranſyluanorum, qui propterea tres perſonas faciebant inæquales: ergo.

D. Epiphan. *hæreſi* 69. vocat Filium Autotheon, quod prædicti hæretici interpretantur, à ſe ipſo habere eſſentiam, ergo non à Patre.

Filius dicitur Iehouah, ſicuti Pater: ſed hoc nomen ſignificat ipſum eſſe, veluti fontem eſſendi, ergo à ſe ipſo habet eſſentiam.

Si Filius non haberet eſſentiam à ſe ipſo, eſſet Deus precario. Probatur conſequentia, nam ex Iure Ciuili ſignificatur, quod non ex ſe, ſed ex alio gratuito recipitur. Denique D. Auguſt. Pſal. 109. & D. Cyrillus lib. 7. de Trinit. dicunt, Patrem, & Filium eſſe vnum principium: ergo Filius caret principio, ergo eſt à ſe. Idem D. Auguſt. in Pſal. 68. & tract. 39. in Ioann. aſſerit, Filium ad Patrem dici, Deum autem ad ſeipſum, ergo Filius Deus, ad ſe ipſum eſt, & à ſe ipſo.

Hac argumentorum farragine, veluti offuſcante nube, non obſcuratur Catholica veritas de Diuinis proceſsionibus, ſed veluti veritatis vento facillimè exſufflatur.

Ad primū enim, cōceſſo antecedēte, ideo nimirū quia proceſsiones immanentes paſsiuæ neceſſario debere dari principia, & origines actiuas: negatur tamen, nihil per ipſas produci. Et ad loca Ariſt. reſpondetur primo. Et ſupponūtur multæ differētię inter actionem immanentem, & tranſeuntem. Deinde dicitur, Ariſt. loco cit. & 1. Ethicorum, non negare omnino aliquid per actionem immanentem produci, ſed quod nihil producatur, ad quod ipſa actio dirigatur, tamquam ad finem perfectiorem, itaut hanc conſtituat inter vtramque actionem differentiam: actio enim tranſiens ſemper ad terminum, tamquam ad finem, dirigitur: immanens verò nequaquam. Per calefactionem. v. g. non ſolum producitur calor, ſed calefactio, ideo eſt in rerū natura, vt producatur calor; & e. non è contra: ita vt, & terminus huius actionis ſemper ſit actione nobilior, & actio nunquā ſit vltimum tamquā finis, ad quem cætera ordinantur: actio verò immanens, licet ſemper aliquid producat, vt infra, res tamen producta non eſt finis productionis; ſed magis è contra, res producta eſt propter productionem: & ideo nec eſt, nec eſſe poteſt ipſa productione, & actione nobilior: ita, v. g. Verbum intelligendo producitur à Patre: neque tamen, vt finis intellectionis, imò potius ad intellectionem ordinatur, quia ſine Verbo perfecta intellectio haberi non poteſt: ita per actus immanentes habitus producuntur, neque tamen tamquam fines, imò ipſi ordinantur ad finem promptius intelligendi, utus, & operandi, &c. ergo Ariſt. rectè aſſerit, actionem immanentem nec producere quicquam, id eſt tanquā finem ipſa actione nobiliorē, & tanquā extrinſecū ab actione, ſed eſſe vltimū potentia perfectū terminum, quia terminus eius. Capreol. & Caiet. & alij alias addunt gloſſulas, & reſponſiones.

Ad Scotum, & Durandum reſp., aliam prorſus eſſe quæſtionem, & opportuniorem locum poſtulare: eſt enim potius diſputatio. An, & quomodo differat ab actione immanente terminus, & quid ſit; de qua re infra erit locus ſuus.

Ad ſecundum, tum ſupra iam ſatis dictum, cum de argumentatione Raymundi Lulli ageretur; imò

cum

Digitized by Google

cum de aſſertis omnium antiquitatis Philoſophorum circa Diuinas emanationes, & declaratum, placita illa omnia, & argumenta ſupponere fidem ſaltem acquiſitam, & pendere, quamuis remotè, ab aliqua reuelatione, tunc, nunc quoque reſpondetur; lumine, quidem naturæ cognoſci Deum intelligentem perfectè, & fœcundè; fœcunditate tamen perſonali, vt perſona ſubſiſtens producatur, & ei tota Diuina natura communicetur, negatur, & negatur neceſſario, ita Fide Euangelica docente. *Neque Patrem quis nouit, niſi Filius, & cui voluerit Filius reuelare*. Matt. 11.

Ad tertium, ſicuti argumentum eſt S. Thomæ; ita eius eſt optima ſolutio, eademq. triplex, quarto contra Gentes cap. 8. & 1. par. quæſt. 41. art. 3. ad quartum. primo, vt ſumatur locus ille Eccleſiaſt. 24. de Sapientia, quæ non eſt æterna, ſed donum creatum, nec conſequenter Filius Patri coæternus, & coæqualis, de qua Eccleſiaſt. 1. *Ipſe creauit illam in Spiritu ſancto, & effudit illam ſuper omnia opera ſua*. Secundo, vt de Sapientia, quidem æterna, quatenus tamen incarnata, ideſt de natura humana aſſumpta, quę dicitur Sapientia; *ante ſæcula*, ratione præuiſionis, & ratione ſuppoſiti æterni. Quam quidem expoſitionem ſcio eſſe antiquorum quorumdam Patrum, apud doctiſsimum Galatinum. Tertio. (& eſt Sancti Hilarij libro de Synodis) vt eo æterna Sapientia dicatur creata, non quidem ſicut creatura poſt non eſſe accipiens eſſe per actum creationis, ſed ad ſignificandum modum, quo ab æterno accipit eſſe perſonale per ſimilitudinem creationis: quemadmodum enim id, quod creatur, exit in eſſe, abſque vlla prorſus creantis mutatione, ita Sapientiæ Filius, & Verbum exit ab æterno in eſſe perſonale à Patre, abſque illius Patris vlla mutatione, ac ſi crearetur: ac neceſſario quidem ita reſpondendum, alias Spiritus ſancti verba contradictionem inuoluere viderentur: ſi enim, qua parte aſſeritur creata, videtur æternitatis derogare veritati: qua tamen quoque parte dicitur, *Et ante ſæcula*, videtur negare, & oppoſitum eius aſtruere, quod aſſeruerat: ſi enim creata eſt, quomodo ante ſæcula; cum id, quod ante ſæcula eſt, ſit æternum, creatum verò temporaneum? *In principio*, hoc eſt in tempore, *creauit cælum, & terram*, ſcilicet omnia, & alibi *Spiritus ſanctus creauit omnia ſimul*, & vtramq; naturam corpoream, & incorporeã &c. Concil. Lateranenſe ſub Innocentio III., & alibi de eadem ſapientia Prouerb. 8. dicatur. *Nondum erant abyſſi, & ego iam concepta eram, ante colles ego parturiebar &c.*

In hac verò explicanda auctoritate non mirum, quod S. Tho. tot afferat expoſitiones, tum quia ea eſt huius Angelici Doctoris intellectus vbertas, vbique & fœcunditas, tum quia maximè refert perlucidè, ſe ab hoc loco expedire: fuit enim locus hic, in quo impegit, & ſcandalum paſſus eſt impius Arius, vt refert D. Epiphanius, hæreſi 79.: vt ergo quam inſulſe Arius hunc locum detorſerit, quamque falsè deprauauerit, fuit non vna, aut altera, ſed multiplici explicatione germanè, & legitimè explicandus, & ad fundum enucleandus. Eadem, & ſimilia dicuntur ad locum: Prouerb. 8. & de Sapientia creata, & de incarnata &c.

Ad D. Io. cap. 1. locum: primo ex D. Auguſtino, hunc locum exponente, *ante me factus eſt*, ideſt poſitus, & prælatus eſt, vt illa vox *factus*, non importet factionem realem, ſed prælationem, & æſtimationẽ à populo. ſecundo. vt modum, quo iuſtitia, & gratia repleta eſt anima Chriſti, pluſquã anima Io., proderet: hic enim 6. menſe à conceptione, quando in montana Iudææ Maria viſitauit Eliſabeth, tunc enim Puer exultans in vtero ſanctificatus eſt, & à peccato originali mundatus: ille verò in inſtanti cõceptionis: eodem enim inſtanti, quo Chriſti anima creata eſt, & vnita corpori, & Deo per viſionem beatificam, & Verbo per vnionem perſonalem, repleta eſt tanta gratia, quanta maior eſſe non potuit, vt infinita dici poſſet, ſi non in genere entis, in genere tamen gratiæ, vt nulla potentia fuiſſet augmentabilis; & etiam in genere efficientiæ, ad infinitos homines redimendos, ſi opus fuiſſet, & ad infinitum theſaurum in ærario Eccleſiæ congregandum.

Ad quartum. De ratione proceſsionis ad intra, neganda eſt omnino conſequentia, non quidem, quod ſi recipitur, recipi non poſsit; (eſt enim hoc ex ſe euidens) ſed hanc potentiam phyſicam paſsiuam, & talem eſſe, quæ dicat imperfectionem in Deo: quod enim hoc modo eſt in potentia ad aliquid recipiendum, & dum aduenit, de facto recipit, eatenus dicitur, quatenus caret illo, & indiget tanquam perfectione, qua perficitur, dum eam recipit: Deus autem Pater, dum producit perſonã, & eam in ſe recipit, nihil recipit abſolutè aliud: nam perſona procedens eſt idem cum Patre identitate naturæ, cui non repugnat, imò mirè congruit perſonarum diſtinctio, vt docet ſancta Fides, & vberrimè Theologorum cõcors Vniuerſitas declarat, & recipit omnino id, quod adhuc habet per identitatem eandem naturæ, quæ tota, quidem communicatur, tota quoque ex infinita ſimplicitate immultiplicata retinetur.

Ad quintum. Ab alio eſſe, et ab alio ita originem ducere, et accipere eſſe, quod ſit in eſſentia diuerſum, verè derogat dignitati Diuinæ: oſtendit enim verè non eſſe primum eſſe, quod ab alio accipit abſolutum eſſe: ſed hic res non ita ſe habet; perſona enim procedens eſt coeſſentialis, et eiuſdem prorſus ſubſtantiæ cum perſona, à qua; vt non ideò non poſsit dici primum Ens: imò ita procedere indicat, et claudit perfectionem infinitam in actu intelligendi, et volendi fœcundè, et Diuinæ eſſentiæ communicationem. Ad confirmationem, ferè eadem reſpondeo; Diuinam ſcilicet perſonam accipere plenitudinem Diuinitatis, et eiuſdem eſſentiæ: importat enim tantam dignitatem, quanta eſt ipſa tota Diuinitas cõmunicata, et data: vt licet fortaſſe accipere, præciſè ſumptum, non dicat nobilitatem: ita tamen accipere, ſicut accipit perſona Diuina, eſt infinitæ dignitatis: nec maiorem dignitatem, aut perfectionem in perſona, vt ſic dicam, originante, quam in originata aſſerimus: nam in vtraque eſt eadem

prorſus Diuina eſſentia communicata, et immultiplicata. Ad ſecundam confirmationem infra erit locus vberius reſpondendi, cum tum de modis loquendi, tum de proceſsione Spiritus ſancti contra Græcos: hic tamen interim negandum antecedens, quod ſcilicet perſona alterius perſonæ ab ipſa procedentia ſit cauſa, aut eodem ſenſu principium: primo enim cauſa de ſe producit effectum in ſubſtantia diuerſum, et effectus factus eſt: et cõmuni acceptione, etiam apud Philoſophos, Deus dicitur cauſa in ordine ad creaturas: vnde ſi in Diuinis perſona producens nuncuparetur cauſa; perſona producta crederetur eſſe facta, et effectus, et creatura ad modum impijſsimæ hæreſis Arij, et aliorum: quod ſi Græci voce cauſæ in hoc myſterio vſi ſunt, aut errauerunt, vt dicit, inter alios, Sanctus Bonauentura, aut hoc eis permiſſum, quia Græcum idioma, ſine errore, hoc admittit; quod ſecundum magis, in reuerentiam ſanctorũ Patrum Græcorum, aſſerendum: eo præſertim, quod, ad ſolam vim relatiuam actiuæ originis ſignificandam, cauſam, & principium aſſumebant; quo ſuppoſito, non ſequitur, perſonam productam eſſe factam, aut principiatam, aut poſteriorem: ſequeretur quidem, ſi principium, & cauſa abſolutè vſurparetur: tunc enim perſona producta & eſſet poſterior, ſicut effectus, & producens eſſet prior, & maior, & perfectior, ſed ſi relatiuè producens quidem videtur prior, producta tamen nequaquam poſterior, neque minor perfectione, aut inæqualitate, vt alias redibit ſermo: & licet Filius admitteretur poſterior relatiuè, & origine, nihil tamen incommodi inde reſultaret, neque id prohibet S. Athanaſius in Symbolo: quia ibi loquitur abſolutè, non relatiuè, dum dicit, ***nihil prius, aut poſterius***, non enim tunc negat ordinem originum inter Diuinas perſonas, neque negare poteſt, neque hic ordo, denique derogat Diuinarum perſonarum æqualitati, vt vberius infra ſua diſputatione. Notandum tamen, inter principium, & cauſam hanc poſſe aſſignari differentiam, vt principium ſit quid communius, quam cauſa, ſicuti punctum dicitur principium lineæ, neque tamen efficiens lineam, neque ab ipſa diuerſum; cauſa verò limitetur, ad effectum à ſe diſtinctum producendum, & diuerſum; quo colligitur, magis propriè poſſe dici perſonam principium, non cauſam; non enim, quia principium, in rigore eſt cauſa, nec perſona producta, quia principiata eſt facta, neque tandem principium, quia origo efficitur cauſa, ſenſu phyſico &c.

Neque ſequitur, (vt ad aliud ex D. Tho. reſpondeamus) in perſonis eſſe compoſitionem, licet ſit commune tribus, ideſt eſſentia, & proprietas ſingularis perſonæ; idque duplici ratione, prima, ex identitate etiam formali eſſentiæ, & relatione: inter componentia autem debet eſſe vera diſtinctio. Secunda, ex natura relationis, cuius eſſe cum ſit ad aliud, non eſt componere, vt, inter alios, S. Doctor toties repetit.

Ad ſextum. negatur conſequentia, verum quidem eſt, id, quod accipit eſſe, indigere eo antequam accipiat, ſi non ſemper habuit; ſed Filius, & Spiritus ſanctus nunquam indiguiſſe, poſſunt dici, quia ſemper, & ab æterno habuerunt, & receperunt: neque tandem poteſt concedi in ſe, & ex ſe eſſe nihil: idque ex gemino fundamento, ſemper alta mente retinendo; quorum alterum, quia eſſentia Patris gignentis, & Filij geniti eſt omnino eadem; alterum, quod non poteſt concipi, quod nihil ſit; eſt enim in æternum à Patre eſſe accipiens.

Ad id, quod de perſona producente opponebatur: ex dictis, & creditis, & ex diſſimilitudine huius myſterij, cum his inferioribus communicationibus non difficilis ſolutio. dicebat S. Doctor ſupra, Diuinam generationem, definiens, eſſe communicationem ſubſtantiæ, ſecundum totum &c. & diſt. 8. dum de ſimplicitate Diuina, Diuinam eſſentiam, eo ſimpliciorem, quo inuenitur in tribus non multiplicata ex infinitate: Hinc patet ad inſtantiam: eſſentia eadem, & eſſentialis perfectio, quæ eſt in perſona producente communicatur quidem perſonæ productæ, & communicatione producitur Filius &c., ita tamen, vt eadem eſſentia communicata retineatur, & ideo negatur conſequentia.

Ad oppoſitum de modo producendi. primo, vnico modo poteſt reſponderi, & eadem doctrina, nihil ex his ſequi, ex ineffabili modo huius Diuinæ communicationis, & proceſſionis: nam tota ſubſtantia communicatur, vt in ſolutione præcedentis argumenti, & tota retinetur, ex infinita ſimplicitate, quo poſito, nulla ſequitur compoſitio ex ſubiecto, & forma, neque corruptio poſſibilis. deinde ad formam argumenti. procedit perſona ex perſona producente, & ex tota communicatione Diuinæ ſubſtantiæ, & inde ceſſat omnis deducta inconuenientia, & omnis neganda conſequentia cuiuſcumque abſurdi.

Ad illud de identitate eſſentiæ, & perſonæ, neganda eſt conſequentia, & negatur ab omnibus, & aſſerendum, eſſentiam generare, vel generari eſſe omnino falſum, ex cit. cap. Damnamus, & perſonam generari, & generare eſſe omnino verum, quod vt verificetur, licet ad inuicem ſint idem, ſufficit diſtinctio rationis. Ratio verò, quare eſſentia generare non poſſit, communis omnium Scholaſticorum eſt: quia nihil ſe ipſum generat: omne enim genitum eſt diſtinctum à generante. quo poſito, neceſſario conſequitur, ſi eſſentia Diuina generat, aliam eſſentiam generaret, & ita plurificaretur eſſentia; quod repugnat. Secunda ratio, quoniam actiones ſunt ſuppoſitorum, ſiue tanquam principia agentis, ſiue tanquam paſsi, vel termini producti per actionem; natura verò, & eſſentia non eſt principium, neque producens, neque productum, quod, ſed quo ſuppoſitum producit; eſſentia enim ſumitur abſtractè, ſuppoſitum verò concretè. Hac ratione vtuntur S. Bonauentura, diſt. 5. ibidem S. Th., Durandus, & Scotus, (licet ipſe ſub alijs terminis) Alexander 1. par. quæſt. 42. memb. 3. art. 1. Albert. 1. par. quæſt. 30. memb. 3. art. 1. Sed de hac re vberius ſuo loco.

Ad aliud. eſſentiator, & eſſentiatus, quoad primitiuum, à quo deriuantur, & ex quo componuntur, ſignificatur, eſſentiam produci, & producere, & Patrem eſſe productorem eſſentiæ &c. quare fugiendi ſunt hi termini, eo præſertim, quo in eis

latet

latet venenum Valentini gentilis, & Tranſyluanorum, qui ideo tres perſonas inæquales faciebant, & inde neganda eſt ſequela, ideo ſcilicet Patrem eſſe eſſentiatorem, quia generat Filium &c. Non defuerunt tamen, qui inter antiquos nominauerint perſonas productas eſſētiatas. Genebrardus enim, lib. 1. de Trinitate, refert Euſebium Cæſarienſem, lib. 1. Hiſt. Eccleſiaſt. c. 4., vocantem Filium eſſentiatum; ſed tunc eſſentiatus erit, cui per generationem communicatur eſſentia, & eſſentiator, qui eam communicat.

De nomine authotheon idem Epiphanius reſpondit, hoc nomine nihil intendi ſignificare, quam Filium eſſe verè, & propriè Deum non fictitiè, nec habere diuinitatem, quaſi alienam, & indebitam, ſed propriam, & debitam ſibi: nam hæc vocula, Autho, nihil ferè notat aliud, quam propriè, & per ſe, vt idem Genebrardus, lib. cit. ad ſecundum, colligit ex Platone, & Ariſt.

Quod ſi Filius dicitur Iehouah, dicitur ſicut Pater, & hoc nomen ſignificat ipſum eſſe. Reſpondetur, & Filium eſſe, id eſt, eſſe, quod Pater, & fontem eſſendi creaturarum, ſicut Pater, & Deitatem æquè ſibi debitam, ac Patri; ſicut aſſerebatur, & præcedenti argumento.

Neque ſequitur; ſi Filius à ſe non habet eſſentiā, ſed ab alio, eſſe Deum precario: neganda enim omnino hæc conſequentia; nam Filius eandem eſſentiam numero habet, quam Pater, & æquè naturaliter, ac neceſſario, ſicut Pater. ſequeretur quidem, ſi, non natura, ſed gratia, & libera voluntate ſuam eſſentiam accepiſſet à Patre, quemadmodum reliquæ creaturæ, quod hæreticum, & Arianum eſt.

Neque hanc veritatem impedit Patrem, et Filium eſſe vnum principium: ſi enim eſt principium, videtur carere principio, et Patre generante. facillimè enim reſpondetur, Filium quidem eſſe principium, cum reliquis perſonis, creaturarum, et Spiritus ſancti, cum Patre: ſui tamen nequaquam, ſed à Patre habere principium, ab ipſoque generari.

Multò minus impedit, et tollit veritatem hanc vltimo loco obiectum ex D. Auguſtino. Deum ad ſe ipſum dici, Filium autem ad Patrem. Diuus enim Auguſtinus illis verbis, nihil aliud voluit ſignificare, quam Deitatem eſſe perfectionem abſolutam, quæ formaliter non eſt ad aliquid, ideſt non eſt relatiua, ſicut filiatio: ea igitur parte, qua Filius eſt ad Patrem, dicitur ad aliud, qua Deus eſt, et eadem Deitate, qua Pater ad ſe aſſeritur, hoc eſt, eſt Deus deitate abſoluta. ſed alijs multis locis redibit de his ſermo.

CAPVT II.

Quot ſint Emanationes.

Has emanationes in Deo, tum ex dictis ſupra, tum ex infra dicendis, eſſe intellectus ad intra, et voluntatis Diuinæ, et Diuinarum perſonarum procedentium, liquido, et meridiana luce clarius conſtat: et eodem conſtituto pateſcit æquè clariſsimè, plures neceſſario eſſe, et definitè duas: ſi tamen aduertatur hic, cum hæ emanationes numerantur, neceſſario paſsiuè ſumendas, quæ propriè proceſsiones nuncupantur, qualis generatio paſsiua Filij, et ſpiratio paſsiua Spiritus ſancti: generatio enim actiua in Patre, et ſpiratio actiua in Patre, et Filio non ſunt propriè proceſsiones, nec emanationes: neq; enim differunt à Patre etc. ſed ſunt re, et ratione formaliter idem.

Ad quod tamen totum diſtinctius cognitione aſſequendum, quod de his diuiniſsimis rebus nobis cęcutientibus attingere conceditur: ſupponendum primo. Ad plures in Deo conſtituendas proceſſiones reales, non eſt neceſſarium, plura conſtituere principia producentia realia, hoc eſt realiter diſtincta, ex quibus procedant, et emanent perſonæ: hoc eſt omnino, et omni proculdubio verum, et certum: generari enim, et ſpirari differunt verè, et realiter: generare vero, et ſpirare idem realiter, imò et formaliter. Ratio huiuſce veritatis adæquata hæc eſt. Quamuis enim omnino eadem ſit actio intellectionis, et volitionis ex infinitate, et ſimplicitate Diuina, virtute tamen ſunt duæ diſtinctæ: hæc namque vnica actio tantam continet perfectionem, infinitam, ſcilicet, et abſolutè omnem, vt æquè diſtinctè duas emanationes producere poſsit, ac ſi eſſet gemina actio. Ratio eſt, quia nec tunc maiorem haberet perfectionem: aliàs hæc, quam habet, vna non infinita vndequaque perfectio eſſet; exemplis quoquomodo res pateſcit: ex eodem ſole multi radij: ex eodem vnico fonte multi riuuli: licet hac diſſimili ratione, quia non tota fontis aqua in ſingulis riuulis, ſicuti neque tota ſolis irradiandi vis in ſingulis radijs &c.

Hinc igitur ſecundo, ſupponendum. de ratione quidem proceſſionis diuinæ eſt, quod tota perfectio ſimpliciter, quam continet actio Diuina illa, hoc eſt intellectio, & volitio, communicatur, vt (liceat hoc verbo vti,) proceſſione illa veluti exhauriatur omnis illa Diuina vis, & fœcunditas, vt repugnet, aliam, ne dicam ponere, ſed neque ſomniare proceſſionem ſimilem: alias non eſſet Diuina communicatio, nec emanatio. huic tamen infinitæ proceſſionis perfectioni neque intrinſecum eſt, vnam eſſe ſimpliciter, neque repugnat, multiplicari diuerſæ, vt ita dicam, ſpeciei, & diſſimiles proceſſiones: nam per earum ſingulas non actu procedit omne, quod quoquomodo procedere poteſt. huiuſce poſterioris aſſerti duplex ratio reddi poteſt: prima communis, & Theologo digna hæc eſt; quia ſicut vna, ex tribus perſonis, non minus perfecta eſt, quam reliquæ duæ, neque magis duæ ſimul, quam vna præcisè: ita vna proceſſio, neque habet, neq; habere poteſt, aut maiorem, aut aliam perfectionem, quam non habeat alia, propter idētitatem omnimodam eſſentiæ Diuinæ, quæ in ſingulis communicatur tota immultiplicata. Secunda verò ratio eſt; quod non, verbi gratia, per proceſsionem intellectus procedat, quod per voluntatem procedit, non indicat vllam finitionem, & imperfectionē in diuerſis proceſsionibus, ex iam iam

recenſita ratione, ſed potius diuerſa entis Diuini cõditione, quo Deus ipſiſsimus vnus ſeipſum communicat, & ſuppoſita multiplicat, quod cum omnem captum ſuperexcedat, reuelatione maximè indiget, vt quæſtione prima demonſtratum eſt. His breuiter, & conciſè ſuppoſitis.

Aſſeritur orthodoxè, & catholicè. primo; plures eſſe in Diuinis proceſſiones, hoc ferè arguendi genere. plures ſunt, & duæ perſonæ procedentes, ergo plures, & duæ proceſſiones. Conſequentia patet, nam in Diuinis proceſſio ex Diuinæ perſonæ ſimplicitate, & ex infra dicendis ſuo loco, nihil aliud prorſus eſt, quam ipſa perſona procedens. Antecedens innumeris diuinarum Scripturarum locis quã manifeſtè colligitur. præcipuè de Filio, Ioan. 8. *Ego ex Deo proceſſi.* Ioan. 5. *Sicut enim Pater habet vitam in ſemetipſo. ſic dedit Filio habere vitam in ſemetipſo*, quẽ locũ, D. Cyrill. lib. 2. c. 144. D. Aug. tract. 22. in Ioan., D. Chryſ. hom. 38. de vita ſubſtantiali interpretati ſunt. Vbi contra Arianos colligitur, neceſſe eſſe Filiũ eiuſdẽ vitæ cum Patre, nec aliã habere, quã perſonalem differentiã, & originis, vt alter ſit Pater, alter Filius. Habet igitur Filius vitã in ſemetipſo, quia eſt eiuſdẽ eſſentiæ cum Patre, non habet à ſemetipſo, quia procedit à Patre, Ioan. 6. *Et ego viuo propter Patrem.* D. Cyrill. lib. 4. cap. 18. D. Hilarius lib. 8. de Trinit. D. Chryſoſt. de Chriſto, vt Dei æterno Filio interpretantes contra Arianos, concludunt. Filium eandem vitam habere, ſicut eandem eſſentiam, quam Pater habet, per natiuitatem ab eo, vt illud (propter) non dicat finem, ſed principium propter Patrem, ideſt à Patre. Ioan. 7. *Ego ſcio eum, quia ab ipſo ſum, & ipſe miſit me.* Vtramque naturam aſtruit, & Diuinam, qua à Patre eſt ab æterno, & humanam, qua à Patre miſſus eſt in mundum, vt ſcilicet fieret homo. Ioann. 10. *Quod dedit mihi Pater maius omnibus eſt.* De quibus verbis licet apud quoſdam Græcos diuerſa ſit lectio. (Euthymius enim, & Theophylactus legunt, *Qui dedit mihi Pater, maior omnibus eſt*) apud tamen omnes Patres Latinos, & in Conc. Lateranenſi, cap. Firmiter legitur. *Quod dedit mihi Pater maius omnibus eſt*, & ita legendum: ſed quoquo modo legatur, idem ſenſus eſt, & idem probat; vult enim dicere; *Pater maior omnibus eſt: ſed ego, & Pater vnum ſumus: & quod dedit mihi Pater maius omnibus eſt.* ideſt, naturam Diuinam per generationem æternam. Ergo Filius in eadem natura Diuina perſona procedens eſt; nam naturam recipit à Patre, & eam ei Pater dedit.

De Spiritu ſancto, Ioan. 15. *Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, &c.* In Symbolis Nycæno, & D. Athanaſij. Hinc ſecundo. Tres ſunt perſonæ Diuinæ de fide, & vna eſt prima innaſcibilis, ſcilicet, Pater: ergo reliquæ duæ procedentes. Tertio, duo ſunt principia virtute diſtincta producentia, ſcilicet, actus immanentes voluntatis, & intellectus, & conſequenter duo modi emanandi; ergo duæ quoque emanationes, & proceſsiones. Eſt argumentũ nobile, & commune ferè omnibus Theologis, fuſius traditum à D. Thoma 4. contra Gentes, cap. 26. & de Potentia quæſtione 9. art. 9. & quæſt. 10. art. 2. & 1. ſent. diſt. 2. quæſt. 1. art. 4. & in prima parte q. 27. art. 4., à D. Bonau. hic art. 4., à Scoto diſt. 2. par. 2. q. 2., ab Henrico quolib. 6. quæſt. 1. & in ſumma art. 52. quæſt. 8. & 9. à Riccardo diſt. 2. art. 2. quæſt. 2., à Maiore, diſt. 10. quæſt. 2., à Marſilio quæſt. 14. art. 2., ab Argentina, diſt. 10. quæſt. 1. art. 2. Probatur verò antecedens, & notum eſt etiam lumine naturali, & perceptum ab Ariſt. In natura nimirum rationali duo eſſe principia, ſcilicet intellectum, & voluntatem, neque enim maior ratio de vno eſt, quam de altero, vt ſi inſit intellectus, non inſit & voluntas: imò inuicem fit demonſtratio; eſt intellectus potentia dirigens; ergo, & voluntas, quæ dirigatur; & vice verſa: eſt voluntas indigens dirigẽte, ergo & intellectus dirigens. Deinde intellectus eſt fœcundus: ergo & voluntas; ergo in natura Diuina erunt plures, & duo termini producti. Quarto ex D. Gregorio Nazianz. orat. 13. quæ eſt ſecunda de pace, prope medium: Diuinæ perſonæ debent excedere numerum binarium, quia binarius eſt proprius compoſitionis: ſed non excedent, niſi ſint duæ proceſſiones, quibus tres exiſtant perſonæ: ergo. Hinc colligitur: omnibus argumentis, quibus demonſtratur, eſſe tres perſonas, ſimul quoque duas eſſe emanationes, demonſtratur. Alias rationes colligit S. Thom. ex quæſt. 9. de Potentia art. 9. & quæſt. 10. art. 2. alias ex Riccardo de Sancto Victore lib. 3. de Trinit. à cap. 2. vſque ad 20. & lib. 5. cap. 8. colligunt ferè omnes Theologi D. Bonau. D. Thom. & Riccardus, citatis locis, Alexander 1. par. quæſt. 43. membro 5. & 45. membro 7. Albertus Magnus 1. par. q. 42. membro 3. Egidius in 1. diſt. 10. quæſt. 3. & alij, quibus tantis, totq. Auctoribus euadunt firmiores, & maiorem acquirunt auctoritatem rationes iſtæ, licet congruentes. vnde Durandus ſolus, qui, his ferè [illegible]riſis, & poſthabitis, alias conatus eſt adinuenire, non tamen firmiores, nec grauioris ponderis, meretur irrideri.

Aſſerit ſecundo. Conſequenter has emanationes ita eſſe duas, vt repugnet, eſſe plures & [illegible]no, quod eleganter, & eruditè tradunt D. Bonau. citato loco, & Albertus 1. par. quæſt. 42. membro 3. ad argumenta, vndequaque repugnare infinitas poſſe eſſe emanationes, & perſonas. Deinde ſic confirmo. Non poſſunt eſſe plura principia in natura rationali, quam duo, ſcilicet intellectus, & voluntas; ergo, nec plures termini, neque plures emanationes. Præterea. Emanatio, & proceſsio Verbi, & Amoris ſunt infinite perfectæ: ergo immultiplicabiles; Verbum enim productum adæquat fœcunditatem intellectus Patris, & Amor ſpiratus fœcunditatem ſpirandi in Patre, & Filio. Tertio. Vbi non eſt primitas, ibi non eſt fœcunditas, & communicandi vis; ſed in Filio non eſt primitas ad generandum; ergo neque vis alium Filium generandi. In Spiritu ſancto non eſt primitas, ad ſpirandum: ergo, neque vis alium amorem ſpirandi, idque totum; quia in ſingulis productionibus perſonæ productæ ſunt infinitæ perfectionis, ergo tantum duę. Quod ſi opponas; ſi infinita eſt perfectio in productione Verbi; ergo repugnat, aliam dare; quod enim eſt ſimpliciter infinitum non poteſt vlla ratione multiplicari, Reſpondetur: negandam

eſſe

eſſe ſequelam, ex dinerſa ratione communicandi: nam infinitas emanationis Verbi non includit aliam emanationem diſtinctam, quę eſt voluntatis, & emanationis Spiritus ſancti; deinde abſolutè ratione non multiplicatur; neque, vt perſectę opponuntur. Confirmatur hęc tota res, vt in ſuperiori aſſerto notatum quoque eſt, omnibus illis rationibus, quibus, tantum eſſe tres perſonas, probatur. De Verbo mirè obſeruauit D. Athanaſius, & cum eo D. Baſilius, & D. Cyrillus, D. Auguſt. & alij aduerſus Arium. Verba D. Athanaſij ſunt in epiſtola de Decretis Nicęnę Synodi. *Quaſi vnum ex Deo Verbum non ſufficiat, quod vniuerſam mundi, ex voluntate Patris, creationem, curam, & prouidentiam ſuſtineat. Si enim Deus multa verba loquitur, hoc ipſum inditio eſt, in omnibus eius verbis eſſe quandam imbecillitatem. Contra autem ſi vno verbo vtatur, vt reuera vtitur, id eius potentiam, & Verbi ex eo nati perfectionem declarat.* Continent hæc verba vim hanc, ſi plura verba, & eadem ratione plures amores Diuini, & plures productiones in ſingulis; ergo ſingula verba, & ſinguli amores imbecilles, & imperfecti ſunt, quod pluſquam blaſphemum eſt; ſed infinitè perfectum eſt Verbum: ergo vnum: infinitè perfectus eſt Amor: ergo vnus: ergo duæ dumtaxat emanationes. Plures aliæ rationes congruentes poſſent hic congeri; ſed hæ ſufficiant, præſertim quia apud alios explicatè poſſunt legi.

Verum Raymundus Lullus, ex Eymetico, in Directorio Inquiſitorum par. 2. quęſt. 9. nimis audacter, & auſu temerario non diſſimulando, ferè contra omnia hoc capite aſſerta effutiuit, in libro de centum Dei nominibus, & in lib. 1. Sent. & alijs ſuis opuſculis, vt infra; primo enim plures, quam duos, actus fœcundos Dei ad intra aſſeruit: deinde in oppoſitum vnicam, & ſolam actionem docuit pertinere ad infinitam perfectionem Diuinę eſſentiæ, in qua tantum reperitur vnicum agens, ſeu producens, ſcilicet Pater, & vnicum productum, nimirum Filius, et vnica productio, hoc eſt Spiritus ſanctus. Secundo, neceſſario conſequenter, aut plures eſſe perſonas, quam tres, ſed ad minus quatuor, aut quinque; quod ſi non plures, vt alibi fatetur, actus illos Diuinos non infinite perfectos, in lib. de ſeptem arboribus, & de centum nominibus. Non enim per vnum illorum vna poteſt produci perſona, ſed plures requiruntur. Tertio, plures eſſe poſsibiles proceſsiones, quam ſunt, tum eiuſdem, tum diuerſæ ſpeciei.

Primum docuit lib. 1. ſent. quæſt. 2. his verbis. In Diuinis eſſentia non eſt otioſa, ſed eſſentiat, & natura naturificat, & bonitas bonificat, & infinitas infinitificat, & æternitas æternizat. Quod idem confirmat, eodem libro, vt refertur art. 3. in Directorio. Sicut leo ſe habet ad leonificandum, & homo ad homificandum: ſic, & multo plus, natura Diuina ad naturificandum, & diuinitas ad diuinificandum. idem aſſeritur, & art. 4. Quod verò hos actus intelligat fœcundos, id conſtat apertè, lib. de centum nominibus Dei, vt notatur art. 5. & 6. ſicut Deus naturale habet intelligere, & amare intrinsecè, ita intrinſecè habet naturale bonificare, æternificare, poſſeficare, & virtuficare; & libro de contemplatione, quia nō eſt altera æternitas, niſi Dei, oportet, quod ſubſtantia ſe habeat, vt ſuppoſitum æternum, & de ſe ipſa producat æternum bonum; ergo per ſingulos actus Diuinos, ſingulæ perſonæ producuntur, aut ipſi actus ſunt imperfecti: nam, ipſo teſte, ſunt plures, & fœcundi: ſunt enim ſicut intelligere, & amare. nec ſufficit ſi interpreteris, actiones illas eſſe plures tantum ratione: nam adhuc plures erunt termini, & perſonæ: Filius enim, & Spiritus ſanctus diuerſi realiter emanant ex intelligere, et amare, diſtinctis dumtaxat ratione.

Secundum. Velit, nolit, conſequenter aſſerit in libro de centum nominibus. In Diuinis eſt Pater deificatiuus, bonificatiuus, &c. Filius deificabilis, &c. Spiritus ſanctus deificare, &c. & eſt art. 8. & 9. in Directorio. Ergo ex his vnus generans, & vnus genitus, & vnus generare, & vnus ſpirans, & vnus ſpiratus, & vnus ſpirare, ergo ad minus quinque perſonæ. Deinde, lib. de Demonſtratione æquiparantiæ. Eſt vnicus diſtinctiuus, & generatiuus, ideſt Pater; vnicus diſtinctus, & generabilis, ſcilicet Filius. & vnus diſtinguere per ſpirare, & amare, & eſt Spiritus ſanctus. pugnat tamen cum Philoſophia, & Theologia, ſcilicet diſtinguere eſſe perſonā; eſt enim proprietas identificata perſonæ, per quam ab alia diſtinguitur, vt filiatio Filij, qua à Patre diſcernitur, &c.

Tertium. In lib. de contritione, confeſſione, & ſatisfactione, & oratione, & colligitur ex 14. art. Directorij. Deus Pater eſt multiplicabilis, & Deus Filius conſimiliter, quod ſi multiplicabilis, v. g. Filius eſſet, proculdubio foret diuerſæ rationis à proceſſionibus de facto exiſtentibus, eſſet quoque eiuſdem rationis: nam produceretur Filius. Vide, quam mirè, vel magis miſerè, & falſo, & temere hæc non erubeſcat prodere contra theoremata, ac ſacroſanctæ Theologiæ dogmata, nimirum contra principiorum ad intra emanationum, & ipſarum emanationum numerum, contra perſonarum numerum, contra intrinſecam neceſſitatem Diuini Entis, & firmitatem, vt repugnet aliter ſe habere, dum Diuinas perſonas plurificabiles, & augmentabiles aſtruit; ſed hæc non ſunt digna noua redargutione (oppoſitæ enim veritates conſtantiſſimè ſunt) ſed irriſione, & deteſtatione.

CAPVT III.

Quid, & quales ſint, & quomodo adinuicem differant hæ emanationes.

HAEC, quæ hoc capite exagitanda proponuntur, licet plura, & tria videantur; vel in idem tamen recidunt; vel certè ad vnum tendunt, & neceſſario rediguntur. Per differentias etenim, & quales proprietates, ſicut, quid vnaquæq. res fuerit, facile perueſtigatur, & dignoſcitur; ita, quo in his reconditiſsimis rebus, mortalibus liceat quoquomodo arguendo, ſimili ratione conſtabit quid ſint, de quibus inſtituta eſt quæſtio, emanationes.

A po-

A poſtremo propoſito auſpicemur, proceſsiones videlicet Diuinas adeo ad inuicem differre, vt vna verè quidem alteram ſupponat, altera tamen non ſit, idque perlucidè multis diuinarũ Litterarũ locis docet ſancta Fides; Ioã. 1. *Vidimus gloriã eius, gloriã quaſi vnigeniti à Patre.* Et eod. cap. *Vnigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit.* Ioã. 3. *Sic enim Deus dilexit mundũ, vt Filiũ ſuũ vnigenitũ daret*. In triplici Symbolo, Apoſtolico, Nicæno, & Athanaſij, in Conc. Toletano 1. & 2. Spiritum ſanctum eſſe Deum, non tamen genitum, ſed procedentem. Eadem ergo certitudine, qua conſtat, Filium non eſſe Spiritum ſanctum, generationem quoque non eſſe ſpirationem, ſed ad inuicem differre, conſtabit.

Sed quanta, & qua differentia differant, & quæ præciſè ſit differentiæ ratio, non ita conſtat, & difficillimum eſt inuenire; quare hic repetenda ſunt, quæ initio diſputationis retulimus, hic nimirum perattentè incumbendum, ne nimis audacter maieſtatem Diuinam ſcrutemur, nè à gloria opprimamur: ſed quam reuerenti, & humili greſſu procedendum, & in obſequium fidei captiuandus intellectus, ipſiq. fidei adhærendum, & cum D. Auguſtino humili corde confitendum; quæ ipſe, tertio contra Maximinum, cap. 13. pijſsimè faſſus eſt: *Quid inter naſci, & procedere, interſit de illa excellentiſſima natura longius explicare quis poſſet? non omne, quod procedit, naſcitur, quamuis omne procedit, quod naſcitur. Hac ſcio; diſtinguere autem inter illam generationem, & hanc proceſſionem neſcio, non valeo, non ſufficio: quia & illa, & iſta eſt ineffabilis.* Deinde cum Theologis hoc modo diſquirendum: inter ipſos namque eſt varius admodum dicendi modus, ex quo, ne dum non tollitur, ſed augetur aſſerta rei difficultas: Nominales enim, Gregorius. Gabriel, &c. diſt. 13. has emanationes tantum ratione ad inuicem differre, autumant, hac præcipua ratione: in eadem perſona iſtę duæ emanationes compatiuntur, nimirum in Patre principio generandi, & ſpirandi actiuè, & in Filio generandi paſsiuè, & ſpirandi actiuè: ſed eadem perſona eſt ſummè ſimplex, & à ſe ipſa non deffert, niſi ratione; ergo. confirmatur. hæ emanationes in eadem perſona non opponuntur relatiuè: ergo non diſtinguntur, niſi ratione, ex illo axiomate theologico. In Diuinis omnia ſunt vnum, præter vbi obuiet relationis oppoſitio. Quam ſententiam ipſemet S. Thom., referente Capreolo diſt. 13., videtur amplexus: quem ita tamen ipſemet Capreolus interpretatur, vt eum in Nominalium claſſe excipiat: vt dum ratione differre aſtruit, non ita rigoroſè ſumat rationis differentiam, vt merè rationis, ſed ita vt à parte rei, et fundamentũ aliquod ponat.

Extremæ huic ſententiæ omnino oppoſita, et contraria tradiderunt Durandus diſt. 13. quæſt. 2., Baſſolius ibidem, quæſt. vnica, art. 1. & 2. has enim emanationes realiter diſtingui, aſſeruerunt; realitate tamen relatiua, non abſoluta: idque primo ex Concilio Lugdunenſi, vt habetur 6. Decretalium c. Fideli, de Summa Trinit. et Fide Catholica. Spiratio eſt realis relatio: ſed ſicut eſſentia, quæ eſt vna, et eadem, non poteſt identificari cum diuerſis naturis, ita ergo neque vna relatio realis poterit identificari cum diſtinctis relationibus. ergo ſpiratio actiua non poterit identificari cum generatione, tàm actiua, quàm paſsiua. ergo realiter differt: et addit Baſſolius, hoc eſſe certum. Secundo. Quæ ſunt eadem, realitate relatiua conueniunt alicui, ſecundum eundem reſpectum.

S. Bonau. hoc loco, et diſt. 26. quæſt. 1. has emanationes docet, diſtingui à parte rei. ſcilicet notione: & in reſponſione, ad ſecundum, attributione, eo quod alia ratione vni perſonæ, alia ratione alteri conuenit, & aliquid dicitur de vna, quod non dicitur de alia: Schotiſtæ de more hanc diſtinctionem appellant formalem.

Certum eſt, primo, has emanationes non differre eſſentia: vna namque eſt trium perſonarum, & harum emanationum eſſentia: neque perſona; quia tunc eſſent quatuor perſonæ, duæ per generationem, & itidem duæ per ſpirationem. Secundo. non eſt diſtinctio realis perſonalis, niſi per relationes oppoſitas: hoc vero loco, non ſumuntur emanationes præciſè tantum, vt oppoſitæ ad inuicem, ſed vt diuerſæ.

Certum quoque eſt, ſecundo, has emanationes, ſi paſsiuè ſumantur, realiter diſtingui, ſicut realiter diſtinguuntur termini, ſcilicet Filius, & Spiritus ſanctus, & ideo generatio paſsiua realiter diſtingui à ſpiratione paſsiua.

Tertio. certum eſt, ſi ſecundum ordinem, quem inter ſe habent, diſtingui pariter realiter: nam includunt originem: D. enim Thomas de Potentia quæſt. 9. art. 9. ad vigeſimumquintum, & quæſt. 10. art. 2. ad ſeptimum, & D. Bonauentura diſt. 20. q. 3. & 4. In Diuinis eſt ordo, & inter has emanationes inuenitur hic ordo, vt emanatio per voluntatem neceſſario præſupponat emanationem per intellectum, à qua ducit originem, & proinde realiter ab illa diſtinguitur, per relationem originis, quod idem S. Thom. hic quæſt. 25. art. 3. ad tertium, confirmat, quia, inquit, non eſt proceſsio Amoris, niſi in ordine ad proceſsionem Verbi.

Certum eſt, quarto, ſecundum ſe, & ſecundum propriam rationem vniuſcuiuſque diſtingui ad inuicem pluſquam ratione, aduerſus Nominales; tum quia hoc modo Diuina eſſentia reali communicatione non communicaretur, niſi vno modo; tum quia Spiritus ſanctus realiter ita poſſet dici genitus, & è contra Filius ſpiratus; contra tamen Scripturas, Canones, & Concilia, & fidei Symbola: tum denique vna harum emanationum communicatur Filio, ſcilicet ſpiratio actiua, nequaquam verò generatio, nimirum actiua: non enim Filius, alium filium poteſt generare: cum Patre tamen poteſt ſpirare, & ſpirat Spiritum ſanctum: ergo; vnde ad argumentum Nominalium, reſpondetur, multitudinem relationum non derogare ſimplicitati perſonæ, nec componere: ſunt enim hæ emanationes quidam tantum reſpectus ordinis vnius ad alterum, qui etiam ariſtotelicè, & naturaliter claret, quod non componunt, cum omnis compoſitio ſit, vel ex his, vel cum his, hi vero ſunt, ad ſecundum. vt ſupra etiam tactum, veluti per tranſenſam: præcipuè ſumuntur paſsiuè, & ſi-

mul

mul cum termino, quem producunt, quo apertius deducitur, non componere, ſed referri, & pluſquam ratione diſtingui.

Exceptis Nominalibus, reliqui Theologi in re, licet non in verbis, hac in re conueniunt, ſcilicet, emanationes has, & ſecundum propriam rationem formalem, &, vt actiuè aſſumuntur, pluſquam ratione ad inuicem differre.

An vero poſsint dici, differre ſolo numero, vel etiam forma, & ſpecie, explicatius diiudicandum: Caet. inter alios, negauit, differre pluſquam numero, his exiſtimo rationibus, prima, differentia ſpecifica eſt eſſentialis: ergo in Diuinis, propter identitatem Diuinæ eſſentiæ, nulla huiuſmodi differentia admittenda. Secunda, Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, ſolo numero, & ſola perſona differunt, &, vt tradit S. Damaſcenus lib. 3. Orthodoxæ fidei cap. 4. diſtinguuntur, ſicut plura indiuidua vnius ſpeciei: ergo & emanationes: conſequentia paret: emanationes enim à terminis, & perſonis ſpeciem ſumunt. vera tamen & probabilis, &, doctiorum ſententia, certa eſt oppoſita opinio, & eſt aperta S. Thomæ de Potentia quæſt. 10. art. 2. ad 11., neque à ſancto Doctore negatur, nec, meo iudicio, negari poteſt; docet igitur S. Th. loco citato. Primo. non ſatis propriè de Deo dici ſpeciem genus vniuerſale, vel particulare, ſed ſecundum quandam creaturarum ſimilitudinem, à quarum cognitione inuiſibilia quoque, & ſempiterna Dei quoquo modo cognoſcimus; quod idem aſſerit D. Bonauentura diſt. 19. q. 2. art. 1. p. 2. Secundo. In genere ſubſtantiæ poreſt ſpecies duobus modis accipi, primo, ſpecies hypoſtaſis ipſius, ſecundo, proprietatis ſpecies, exempli gratia, Petrus albus, & Paulus niger conueniunt in ſpecie hominis, differunt in ſpecie proprietatis; alia eſt enim ſpecies proprietatis accidentalis albedo, alia nigredo. Ita adhibita reuerentia, quæ debetur proportione; Pater, Filius, & Spiritus ſanctus in ratione, & quaſi ſpecie, & natura Deitatis vnius, & eiuſdem neceſſario conueniunt: differunt tamen ceu ſpecie proprietatis: generatio enim, & ſpiratio relationes ſunt propriæ; quæ certa ſpecie differunt. declarat, & probat S. Thom. ex diſſimili ratione inter æternam, & creatas generationes. namque generantes creati intendunt per generationem ſpeciem; vult enim, exempli gratia, homo generare hominem, vnde & natura, & ſpecies multiplicatur per generationem indiuiduorum: per generationem verò æternam multiplicantur quidem ſuppoſita, ex infinitate tamen Diuinæ naturæ, ipſa multiplicari non poteſt; ſed eadem prorſus numero immultiplicata pluribus communicatur: ſed proprietates, quibus emanant, & producuntur perſonæ, certum eſt, differre pluſquam numero, ſed natura, & ſpecie, vel quaſi ſpecie: quod confirmatur, vt infra vberius ex varia vtriuſque emanationis definitione, Amoris impellentis in amatum, & intellectionis, & Verbi, quod ex intrinſeco ſuo modo emanandi producitur, vt ſimile.

Conciliari poſſunt opiniones, vt quæ aſſerunt, ſpecie differre de proprietatum ſpeciebus intelligantur, quæ verò negant conſentaneè de eſſentia, & natura negent: Ad argumentum primum: negandum eſt antecedens: gemina enim eſt ſpecies, naturæ, ſcilicet, & proprietatis: differentia ſpecifica eſſentiæ non admittenda in Diuinis, proprietatis verò admittenda. Ad ſecundum: ad antecedens dicendum. ſolo numero differunt perſonæ, vt conſtitutæ: vt verò oppoſitis relationibus, formaliter quoque, & ſpecie differunt; vnde neganda eſt ſimpliciter conſequentia, & hoc ſenſu interpretandus D. Damaſcenus. Secundo. in via S. Bonauenturæ, adhuc alia ratione neganda conſequentia: non enim à terminis emanationes iſtæ diſtinctionem ſumunt, ſed & ipſis differunt, neque hoc opponitur ad id, quod ſupra aſſertum eſt, emanationes paſſiuas diſtingui realiter ex diſtinctione terminorum, & perſonarum, ibi enim de diſtinctione numero, hic de diſtinctione formali, & quaſi ſpecifica. differre ergo, & quanta, & quali differentia has diuinas proceſſiones, iam ſatis conſtare, videtur.

An verò differentiæ rationem, & originem audendum ſit perquirere, & peruestigare, an hic ſoli fidei adhærendum, & perueſtigationis ſiſtendus greſſus; & hic quoque extollenda vox illa Paulina ad Romanos. *O altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, &c.* & illa magis ad rem Iſaiana; *Generationẽ eius quis enarrabit?* Ex his, & alijs ſupra relatis, nulla, nec cogens, nec demonſtrans ratio aut quærenda, aut expectanda: inueniri enim nunquam poterit: ſed benè congrua, & ſatis probabilis, quemadmodum & Patres, & grauiores, & antiquiores Theologi fecerunt. Quarũ quidem multas ſolent adducere Scholaſtici, multasq., inter illos, ſanctus Doctor. Quarum prima; quia generatio procedit, per modum fœcunditatis naturæ, & intellectus, ordine ſuo præcedentis voluntatem. Quæ quidem vera eſt, & benè intellecta communis, familiaris tamen Seraphico Doctori: quam ideo, abſque ratione vlla, conatur reijcere, & infringere Dominicus Bannes: & deducitur à S. Auguſtino lib. 5. de Trinit. cap. 13. his ferè verbis. *Quoniam cum Spiritus Sanctus procedat per voluntatem, magis procedit, vt datus, & vt donum, quam, vt natus, & Filius.* Dicitur ergo, Verbum produci per fœcunditatem naturæ, quia naſcitur, & per principium intellectus; nam potentia intellectus eſt magis naturalis, quam voluntas, eo quod voluntas ſit ea potentia, in qua formaliter ſita eſt libertas: vnde Verbum ideo productum habet rationem magis generationis, & communicationis fœcunditatis naturæ: maximè enim naturale eſt, teſte Ariſt. cit. loco, omnibus viuentibus generare ſibi ſimile; & naſcendi nomen à natura deſumptum eſt: ergo procedere per intellectum ordine priorem voluntate, eſt procedere per fœcunditatem naturæ.

Secunda. Argum. 2. quæſt. 2. Vna eſt ab vno, ſcilicet generatio, hoc eſt à Patre: altera à duobus, ſcilicet à Patre, & à Filio, nimirum ſpiratio. Quam quoque à grauiſsimo, & doctiſsimo P. Auguſtino didicit lib. 15. de Trinit. cap. 27. & tertio contra Maximinum cap. 14. Quia Verbum procedit ab vno tantum: Spiritus verò ſanctus à duobus, nempe

nempe à Patre, & Filio: nullus autem dicitur Filius duorum, niſi vnius ſit tanquam Patris, alterius verò tanquam matris, quod de Spiritu ſancto, comparatione Patris, & Filij, dici nequit.

Tertia eſt, quam tradit diſt. 10. art. 1. ad ſecundum: quia licet vtraque emanatio procedat ſimilis, ratione naturæ Diuinæ, quia eadem in vtraque proceſsione communicatur: prima tamen, ex vi ſuæ proceſsionis formaliter ſumptæ, producit perſonam ſimilem, & vt ſimilem: ſecunda verò nequaquam. Et hæc quidem grauis arridens, & ſatis, quo ad hoc, difficultatis nodum explicandi fieri poteſt, ſoluens, & ſatis quæſito ſaciens: & quā hic libenter, & cęteris, quę hic adduci poſſunt, amplectitur, & anteponit S. Thomas, & explicatius tradit 4. contra Gentes cap. 19.: & ſanè magni facienda: nam præter hos ſanctos Theologos, & eorum numeroſam, & doctā familiā; eam antiquitus tradiderunt S. Auguſt. 15. de Trinit. cap. 27. ad finem, & lib. 5. Quæſtionum in Deuteronomiū quæſt. 4., Alexander Alexandrinus, in epiſtola ad Alexandrum Conſtantinopolitanum, Nazianzenus orat. 36. quæ eſt 4. de Theologia, Athanaſius epiſtola de Decretis Nicænæ Synodi, & orat. 2. contra Arianos, & in compendio de Spiritu ſancto, Baſilius lib. 2. contra Eunomiū, & epiſtola 43. ad Gregorium fratrem, Epiphanius hæreſi 69., hęreſi 73., hęreſi 76., Cyrillus Alexādrinus lib. 12. Theſauri c. 15., Euſebius Ceſarienſis Demonſtrationis Euangelicæ lib. 4. cap. 2. Anſelmus in Monologio cap. 53. & colligitur ex Diuina ſcriptura illis locis, quibus aſſeritur Filius eſſe imago Patris, ad Romanos 8. Ad Coloſſenſes 1. 2. Corinth. 4. Ad Hebr. 1. Sapient. 5. Ex quibus locis recenſiti Patres probant, eſſe proprietatem intrinſecam ſecundæ perſonæ emanare, vt imaginem, & Filium, & conſequenter deducunt Theologi, hanc eſſe præciſam rationem, qua Filius non eſt Spiritus ſanctus, & qua vna emanatio differt ab alia; cum quibus relatis eſt Alexan. 1. par. quæſt. 42. memb. 2. & memb. 3. art. 2. & quæſt. 49. memb. 3., & q. 62. memb. 3. art. 2. Albertus Magnus 1. par. quæſt. 42. memb. 3. dum aſſerit, Verbum procedere per modum naturæ, Spiritum ſanctum per modum voluntatis; Riccardus diſt. 13. art. 1. quæſt. 3. & diſt. 6. art. 1. quæſt. 1. Capreolus diſt. 13. quæſt. 1. omnes ſecuti Magiſtrum Sententiarum, & hæc eſt huius diſtinctionis, & differentiæ vis, & energia. Verbum ex Diuinis literis procedit, vt figura ſubſtantiæ eius, à quo procedit, & vt imago eius, à quo producitur, & ei conſubſtantialis, eo quod ſit in eadem prorſus natura, &, vt Filius: Spiritus verò ſanctus, licet propter eandem naturam diuinam infinitam, & immultiplicabilem, &, vt S. Doctor, ait, communicante natura, procedat conſubſtantialis, & ſimilis, ex vi tamen ſuæ proceſſionis, non procedit, vt ſimilis Patri, & Filio, ſed potius, vt inclinatio, & propenſio &c. Hæc enim intrinſeca, & propria amoris vis, per quam procedit, & emanat Spiritus ſanctus. Commentatores autem, & Sectatores S. Tho. mirum eſt, quantas hic adinueniant difficultates, quantum laborent, vt hanc ſuſtineant rationem; quot argumenta fingant, & ſoluant, vt hæc inconcuſſa maneat: nec mirum; id namque totum facit maxima rei difficultas, & almi myſterij ineffabilitas. argumentum autem ferè omne eſt huiuſmodi. Spiritus ſanctus procedit à Patre, & Filio, tanquam à principio vitę coniuncto, ſecundum rationem ſimilitudinis in eadem natura: ergo in hoc non differt à Filio. Probatur prima particula: nam procedit per actum vitalem voluntatis. ſecunda quoque, nam Spiritus ſanctus procedit omnino conſubſtantialis Patri, & Filio, ex vi infinitæ naturæ communicatæ. Confirmatur, ex illis Patribus, Naziāzeno, Athanaſio, Auguſtino &c. qui aſſerunt, Verbum Diuinum ideo eſſe Filium, quia eſt imago: videtur enim conſequi, ergo differt à Spiritu ſancto, vt imago, non vt ſimilis; neque enim ad rationem imaginis ſufficit, procedere ſimile ex vi proceſſionis; ſed requiritur deſtinari, ad repræſentandum: quemadmodum & Verbum quidditatiuè deſtinatur, ad repræſentandum; hinc confirmatur ſecundo. Ignis igni ſimilis eſt, & tamen non eſt imago illius: ergo ſimilitudo non ſufficit ad rationem imaginis. His rationibus perſuaſi Canarienſis, licet quaſi ſub dubio 1. par. q. 27. art. 2. par. 4. Commentarij, abſolutè verò Vaſquez diſputat. 113. cap. 3. & 145. cap. 3. & 4. ſtatuerunt, primo, Spiritum ſanctum procedere ſimilem in natura, ex vi proceſſionis, ſecundo, Filium, & Filij generationem ideo non eſſe Spiritum ſanctum, nec ſpirationem, quia Filius eſt imago; non autem Spiritus ſanctus.

Communis ſententia ſuſtinenda, & nullius roboris æſtimendum, quod opponitur: licet enim primo Spiritus ſanctus procedat ex principio vitę coniuncto, ſicut & Filius; licet ſecundo ex perfectione Diuinæ naturæ procedat ſimilis, differt tamen à Filio, & ideo non eſt natus, nec genitus: nam ex formali, & ſpecifica ratione ſuæ proceſſionis, non procedit, vt ſimilis: Amoris enim, & voluntatis non eſt producere ſimile, ſed pondus, & impulſum in rem amatam: intellectus autem, & naturæ eſt proprium ſimile producere. & ſimilitudo, quæ inuenitur in Spiritu ſancto, non ei obuenit, niſi quodam modo, ratione materiæ, ſcilicet naturæ communicatæ; non autem ex ſpecie communicationis.

Quod verò de imagine opponunt, nihil eſt: nam in natura, rationali præſertim, pro eodem ſumitur ſimilitudo, & imago: ſic Patres ſupra citati Nazianzenus, Athanaſius, Auguſtinus &c., quod ſimilitudo in natura conueniens ex vi proceſsionis ſufficiat ad quidditatem imaginis, quam requirit generatio, & filiatio, docuit expreſsè primo. S. Th. q. 27. art. 2., & 4., & lib. 4. contra Gentes c. 11., & 19. his verbis: *Hæc eſt vera generationis ratio in rebus viuentibus, quod id, quod generatur à generante procedat, vt ſimilitudo ipſius, & eiuſdem natura cum ipſo. Eſt ergo Verbum Dei genitum &c.* & D. Bonauentura vbiq; inſinuat d. 31. ſed diſtinctius dub. 4. literal. eſt D. Auguſtini q. 4. in Deuteron. omnis imago, etiam ſimilitudo eſt, licet non omnis ſimilitudo ſit imago: ſed dūtaxat illa, quæ eſt in viuente, in eadem natura, ex vi productionis. colligitur ex Geneſ. *Faciamus hominem*

minem

minem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram. Quod ex multis auctoribus per vocem, ſimilitudinem, eanto magis imago exprimitur, quod confirmatur, Gen. 5. *Adam genuit Filium ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam*. Quod opponitur de aere, & igne. reſpondeo. non eſſe ſimilia ex vi productionis, neque in natura viuente; vnde nihil ad rem. Quod ad illud, imaginem repræſentare, non ſimilitudinem. reſp. ſimilitudinem, ex vi proceſſionis repræſentare æquè, ac imaginem. nihil ergo noui ad ſimilitudinem in eadem natura viuente, ex vi productionis, addit ratio imaginis.

Quartò randem eſt, quam exquiſitè excuſſit vndequaque S. Bonauentura, & quã ſeipſum ad æquã lancem reduxit, & explicuit, quomodo ſuperiores adductas intelligebat, & quæ benè animaduerſa, arridet, & communitati Theologorum valde placet Riccardo, Scoto, Durando, Gabrieli, Baſſolio, &c. diſt. 13. & videtur etiam S. Thomæ hic art. 4. quæſt. 27.; quatenus dicit, generationem non eſſe ſpirationem, quia procedit, vt ſimilis, ideſt, quia talis eſt, vt notat Caiet. & conciliat S. Thom. locũ, qui videtur contrarius, q. 10. de Potentia art. 2. Quod ratio, ſcilicet diſtinctionis forma is harum emanationũ ſit ipſa tota, vt ita dicã, emanatio, vt ſe ipſis ad inuicem totis diſtinguantur; eo modo, quo primæ differentiæ inter ſe diſtinguntur; quia nimirum, talis eſt intrinſeca, & formalis earum natura. Probatur antem vberrimè, vt ſupra in textu: primo; quia in Diuinis omnis diſtinctio ab origine venit, & relatione. ergo omnis relatio, & emanatio eſt prima ratio diſtinctionis, ergo ſe ipſa. Confirmatur, vt iam iam dicebam: etiam in nobis primæ differentiæ, ſicut rationale, & irrationale, ſe ipſis differunt: ergo, & multo magis in Diuinis; magis enim primæ ſunt Diuinæ, quã creatæ, etiam in ſuo genere. Secundo, ſi aliquo ex capite venari poteſt hæc diſtinctio fortaſſe ex origine, & principijs, vt faciebat iam Heruæus, Quodlib. 5. quæſt. 9., hac ſimilitudine ductus. Sicut ante realem creaturarũ diſtinctionem, præſupponitur rationis diſtinctio in Deo inter creaturarum ideas: ita inter realem diſtinctionem emanationum debet præſupponi aliqua, licet minor, diſtinctio, inter emanationum harum principia. Sed hæc non ſatisfacit: nam adhuc quæro, quare illa principia differant, & vnde diſtinctionem habeant, & fœcunditatem. Secundo, non poteſt eſſe huius diſtinctionis ratio, quia generatio eſt ab vno; ſpiratio verò à duobus: aut ſpiratio procedit, vt nexus, & donum: generatio verò nequaquam: ſiquidem huiuſmodi differentię, ſecũdum noſtrum modum intelligendi, conſequuntur ad eas: ideo enim Spiritus ſanctus à duobus, vt nexus, & vt donum, procedit, quia per modum mutui Amoris: & ideo Verbum ab vno, quia per modum Verbi, & perſectæ ſimilitudinis, & imaginis. Quod ſi opponas, emanationes iſtæ eſſe ſumunt à principijs, ergo, & diſtinctum eſſe. Reſpondetur. in hoc myſterio alio modo neceſſario rem ſe habere; habent enim eſſe à principijs fœcundis, &, vt ait S. Thomas, ab eſſentia in principijs, ſed diſtinctionem à relationibus, vt oppoſitis. Reſpondet Scotus, quod à ſe ipſis formaliter ita ſe ipſis diſtinguntur, vt illud principium, quod eſt Ariſt. 4. Metaph. text. 3., Ens, & vnum conuertuntur; vnde deducitur, à quo res habet eſſe, habet & eſſe diſtinctum. duobus modis hic gloſſ tur, primo: in Diuinis relationibus non habere locum, quia habent eſſe ab eſſentiæ fœcunditate in principijs: diſtinctum verò eſſe à ſe ipſis oppoſitis formaliter. Secundo, gloſſatur formaliter; à quo habent eſſe formale, habent & eſſe diſtinctum, quod verum eſt, nec vnum alteri repugnat. Ideo enim terminus primæ emanationis eſt Filius, quia generatur: ſecundæ vero ideo Amor, quia per voluntatem procedit.

Deinde venanda eſt diſtinctionis ratio non à terminis ipſis productis, vt hac ratione inter ſe differant, quia ſcilicet earum termini, Verbum, & Amor differunt; quemadmodum venatur S. Thomas, quæſt. 10. de Potentia art. 2. Egidius diſt. 13. & Varro, referente Scoto, hac gemina ratione. Prima, quia actio diſtinguitur à ſuo termino. Secunda inde ſumitur diſtinctio, vnde ſumitur ſpecies: ſed ſpecies à termino, ergo & diſtinctio. Ergo emanatio generationis differt ab emanatione ſpirationis, quia terminus generationis, Filius, differt à Spiritu ſancto, alterius emanationis termino. Sed hoc, inquam, modo rectè non fit. Primo, quia ſicut termini iſti ſunt paſſiui, (producti enim ſunt) ita non habent, neque habere poſſunt, vim actiuam, vel quaſi actiuam inferendi, & diſtinguendi emanationes; ſed oppoſito modo, ſicuti ſunt per emanationes, ita emanationibus diſtinguntur. ſecundo alias daretur circulus. Termini faciunt differre emanationes, & emanationes, vt probatum eſt, ſunt diuerſitatis terminorum ratio. Ad rationes reſpondetur. Primo. In relatiuis Diuinis aliter rem ſe habere, nam generatio, & ſpiratio propriè non ſunt actiones, ſed relationes. Secundo. Terminos, non conſtituere ſpeciem emanationum, ſed indicare, & eſſe notiones. Sed ſi neque principijs, neque terminis diſtinguntur, neceſſario ſeipſis. Secundo ex diuina Scriptura omnibus illis locis, quibus indicare intendit Diuinarum perſonarum diſtinctionem, numerans Diuinas perſonas, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus. Filius non eſt; ergo Pater, quia Filius, Spiritus ſanctus non eſt Filius, quia Spiritus ſanctus: ſed eſt Filius generatione, & emanatione per modum naturæ, vt ſimilis, & Spiritus ſanctus proceſſione, per modum nexus: ergo ratio prima diſtinguendi perſonas, eſt ipſa emanatio: ergo emanatio ſe ipſa ab alia differt. Tertio auctoritate Sancti Auguſtini 5. de Trinit. c. 9. qui quærens cur Spiritus ſanctus non ſit Filius, dicit. *Exit quomodo datus, non quomodo natus*; ergo ratio diſtinctionis, quia datus, non quia natus: ergo ſpecies emanationis eſt ratio formalis diſtinctionis, & 15. de Trinit. cap. 17. ſic enim inquit. *Quid diſtet natiuitas Verbi à productione Spiritus ſancti, tolle oculos in iſtam, & eos in eam fige, ſi potes, & ſic videbis, quomodo, & quantum diſtat natiuitas Verbi à proceſſione Spiritus ſancti*. Vbi obſeruandum, ſanctum Auguſtinum, ad percipiendam harum emanationum diſtinctionem, nihil aliud præcipere, vt aliunde colligatur: ſed præci-

ſè

nè in ipſas figere oculos, quia ſe ipſis differentes eſſe, perſpicimus.

Inſtant Caiet. in art. 4. quæſt. 27. S. Thom. & Bannes ibidem, dubio 3. hoc argumento, Quæ perfectè differunt ſe ipſis, differunt ſe totis; ſed iſtæ emanationes non differunt ſe totis, ergo neque ſe ipſis. Probatur maior; differre ſe ipſo eſt totum, quod eſt in illo, ex ſe, & intrinſecè eſſe diuerſum ab alio. Probatur minor; quia hæ emanationes conueniunt in multis prædicatis: vtraque enim emanatio eſt Diuina, immaterialis, infinita, &c. quibus vult inferre Caiet. nihil poſſe differre ſe toto, & primo, omnia enim ſaltem in ente conueniunt. Reſpondetur; fortaſſe laborem eſſe in verbis, & ex recta huius termini, per ſe primo, perceptione, dubitationis ſolutionem clareſcere. Igitur differre ſe ipſo primo, & ſe toto, non eſt negare omnem communitatem, ſaltem entis: alias, præcipuè Scotus, ſibi contradiceret, qui vtrumque ſuſtinet, & communitatem vniuocam entis, & hanc differentiam maximè hic inter has Diuinas emanationes: ſed eſt dicere, & aſſerere, & indicare formalem adæquatam, & totalem differentiam in eo, quo differunt; vt differre ſe toto, & primo ſit differre, ſecundum propriam rationem formalem, vt nihil, quod ſit de ratione formali, & quidditatina vnius, competere poſſit quidditatiuæ rationi formali alterius; ſed ſit omnino, & totaliter diuerſa. In quo ſenſu ſolemus vltimas differentias dicere ſe ipſis primo differre, quia nihil, quod de vna formaliter dicitur, de altera poteſt dici: ita, ad rem noſtram, dicimus, generationem Diuinam differre ſe ipſa, & ſe tota, & primo à ſpiratione, quia quod quidditatiuè, & formaliter competit generationi, competere non poſſit ſpirationi, licet, quatenus entia Diuina, conueniant; ſed & hanc, differentiam cum grano ſalis adhibendam, & ad hanc rem diuiniſsimam applicandam, obſeruat hoc loco Petrus Capreolus, &c.

Hinc, poſtremo loco, ſatis lucidè, & quales, quidque ſint emanationes, incipit patefieri; poſita namque certa, vera, eademq. intrinſeca vtriuſque emanationis differentia, & diſtinctione, inde quidditatis, & perfectionum eſſentialium earum notitiam exurgere, nemo inficiabitur. Erunt ergo (liceat ex tot, tantisq. Theologis in hac incomprehenſibili re, ad noſtri intellectus captum quoquo modo tentare, apprehendere, & definire) emanationes Diuinæ, totius ſubſtantiæ, & eſſentiæ Diuinæ per actus vitales immanentes, perſonis, quæ producuntur, communicationes, & Diuinarum perſonarum in eadem numero, natura Diuina, ex principijs, & originibus vitalibus proceſsiones, & productiones.

Quoniam autē ſunt neceſſario ordine duę, et cōtraditionē inuoluit plures eſſe, aut pauciores, ex entitatis Diuinæ, & eiuſdē modi intrinſeca neceſſitate immultiplicabili: prima ergo eſt Diuinę ſubſtantiæ totius, ſecundæ perſonæ, quæ procedit, & producitur per actū vitalem naturæ, & intellectus communicatio, qui ideo dicitur natura, & naturale principium ab omnibus, quia præcedit ſuo modo, & condiſtinguitur à voluntatis communicatione, vel idem, alijs verbis, Eſt productio viuentis, ſimilis de ſimili, ſiue ex ſeipſo in natura ſecundum totum: & quod ait S. Thom. eſt proceſſio à principio coniuncto, ſecundum rationem ſimilitudinis in eadē natura, numero, ideſt, generatio Filij, & Verbi ex intellectu fœcundo Patris intrinſecè, vt ſimilis: de ratione namq. generationis eſt, quod producatur terminus, vt ſimilis: ita vt prima emanatio ſit neceſſario generatio; nam perſona producitur, per modum intelligibilis actionis; Pater enim, intelligendo, & concipiendo ſe ipſum, & naturam ſuam, producit ſui ipſius Verbum: Verbum autem eſt ſimilitudo rei conceptæ: ergo Filium, qui eſt ſimilitudo, & imago Patris: quare ex modo communicationis neceſſario prima communicatio eſt generatio: in eadem autem natura numero, ex infinita Diuinæ naturæ perfectione, & ſimplicitate, quæ multiplicari, & partiri non poteſt, & ex identitate eiuſdem eſſentiæ, in qua idem eſt intelligere, & eſſe, & eſſentia, vnde neceſſario, ſecūdum totum, dicebat S. Doctor, ideſt tota per generationem datur Diuina natura, ſed non multiplicatur.

Secunda verò eiuſdem totius Diuinæ naturæ communicatio perſonæ procedenti, ſed per alium actum vitalem immanentem, nempe voluntatis, quæ licet ex identitate naturæ producatur conſubſtantialis, & ſimilis, quia quidquid eſt in Deo Deus eſt, non tamen, vt ſimilis, vnde non Verbum, nec Filius, nec natus, ſed vt inclinans, & procedens in eandem ſubſtantiam amatam, hoc eſt, vt amor, & vt nexus, procedit. Sed hæc quaſi per præoccupationem hoc loco dicta ſunt: vberius ſuo loco infra.

Qualitates verò, & perfectiones harum emanationum, & ex dictis colliguntur, & diffusè, & luculenter explicantur à ſanctis Doctoribus, Bonau. diſt. 5. 6. & 9. & Thom. quæſt. 39. & 41. de quibus infra ſuis locis, cum de illis perſonis.

CAPVT IV.

Per quæ principia, ſcilicet an per intellectum, & voluntatem emanent.

NOn eſt hic vana, & incaſſum repetita diſputatio de principijs productiuis: licet enim ſupra diuerſis locis, & propoſitis de principijs his facta ſit commemoratio: quo tamen quaſi accidentariè, & per tranſennam, eo nunc, & hic ſerio aſſumenda res, & ſedulo veluti ſuo loco, et ſolerter verſanda, velutì magni momenti, et enucleanda, et omni conatu, vt orthodoxa, et catholica, ſuſtinenda: ſi namque per huiuſmodi principia diſtincta ſuo modo Diuino, non orirentur hæ Diuinæ emanationes, nec perſonæ productæ eſſent diſtinctæ: neque ſecunda eſſet Verbum, et Filius, neque tertia Amor, et Spiritus ſanctus: neque, quod maximè refert, ſi per hæc principia immanentia, ſed extrinſeca producerentur Diuinæ perſonæ, extra Diuinam eſſentiam producerentur; et ita, quod mendaciſsimus Arianiſmus eſt, perſonæ productæ non eſſent Deus, ſed extra Deum creaturæ, vt obſer-

obſeruat inter alios S. Thom. quæſt. 27. art. 1.

Ergo intellectus, & voluntas Diuina ſunt duo principia harum emanationum fœcunda, immanentia, intellectus, principium Filij, voluntas Spiritus ſancti; ille ad modum Verbi; iſte ad modum Amoris. Hoc totum aſſertum, teſte D. Thom. loco nunc citato, traditur, & aſſeritur à fide Catholica, vt neque opinari in oppoſitum liceat: & poteſt apertè, & manifeſtè probari. Primo, actiones, quibus emanant Diuinæ perſonæ, ſunt immanentes, & ad intra: ergo intellectus, & voluntatis. Antecedens ex diuinis Scripturis conſtat, Ioan. 14. *Qui videt me, videt, & Patrem meum.* Et ſtatim duobus verbis interiectis: *Quia ego in Patre, & Pater in me eſt.* Quibus verbis contra præcipuè Praxeam hæreticum, vt teſtatur Tertullianus, lib. aduerſus eum, ſanctiſsimæ Trinitatis negantem myſterium, & huius loci abuſu, Patris perſonam eſſe eandem Filij dicẽtẽ, aſſeritur primo, eandẽ eſſe Patris, & Filij Diuinitatem, & naturam, & non ſolum non confundi, ſed diſtinctas tradi perſonas, vt in primis ſuſtinent, & exponunt S. Hilarius 7. de Trinitate, S. Baſilius hom. 27. contra Sabellianos, & lib. de Spiritu ſancto, cap. 28. & D. Chryſoſtomus, & D. Cyrillus in Commentario huius loci, & D. Athanaſius orat. contra Arianos, quod Deus eſt Verbum. Secundo. Magis, & neceſſario conſequenter, ſicuti eſt, ita producitur in Patre Filius: ergo per actum immanentem; ita vt integro illo diuiniſsimo diſcurſu: Christus Dominus Philippi carpens dictũ, & ignorantiam, dum petierat; Domine oſtende nobis Patrem, et ſufficit nobis, velit Diuinas perſonas, et eſſe ad inuicem diſtinctas, et eſſe einſdem ſubſtantiæ, et naturæ, et conſequenter, Patrem, Filium producere in ſe non extra ſe; vnde, *ego in Patre.* Ioan. quoque 1. *Vnigenitus, qui eſt in ſinu Patris.* Quem locum, quid quid blaſphement impij Ariani interpretantes de ſinu dilectionis, vt idem ſit in ſinu Patris, ac diligi à Patre, et non ſatis cautè quidam Catholici recentiores immitati ſunt: Sancti Patres, Cyrillus lib. 1. in Ioan. Chryſoſt. hom. 14. his elegantiſsimis verbis. *Euangelium ſinus meminit, quo vno Verbo multa, ſubſtantiæ cognitionem, propinquitatẽ, parem Patri cognitionem, poteſtatem oſtendit.* Ambroſ. lib. de Benedictionibus Patriarcharum cap. 11. et ſerm. 18. Sinum hunc eſſe intimum naturæ ſecretum. Athanaſius in expoſitione Fidei, et lib. 3. de vnica Trinitatis ſubſtantia; vbi ſolertiſsimè notat dictum eſſe Filium etiam poſtquam caro factus eſt, eſſe adhuc in ſinu Patris, ne per hoc, quod caro factus eſt, credatur eſſe diuiſus à Patre; cum reuera maneat, et etiam ſit apud Patrem, ſicut erat in principio, et ab æterno. Et licet ſufficeret probaſſe veritatem hanc, de vna perſona. eadem enim eſt ratio etiam de alia: de Spiritu ſancto tamen diſtinctè eadem veritas aſſeritur à Diuo Paulo 2. Corinth. 2. à fortiori: ſi enim ſpiritus hominis, eſt in homine, multo verius ſpiritus Patris, et Filij erit in Patre, et Filio. Quod obſeruat mirè idem S. Athanaſius eadem explicatione Fidei his verbis. *Spiritus ſancti proceſſio ſemper eſt in manibus Patris, & in manibus Filij.* Id ratione eademq. efficaciſsima perſuadetur. Perſonæ productæ ſunt in Diuina eſſentia, eidemq. conſubſtantiales: ergo per principia ad intra ipſam Diuinam eſſentiam. Conſequentia verò propoſiti enthymematis, quam certa, & ſtabilis ſit, inde patet: primo, nam etiam teſte Ariſt. principia immanentia in natura rationali, & intellectiua; ſunt intellectus, & voluntas. Rurſus arguit S. Thom. harum emanationum principia debent eſſe nobiliſsima. ergo intellectus, et voluntas: hæc enim nobiliora, quæ inueniri poſſint, in quacumque natura. Confirmatur. nam principia tranſeuntia, creaturis competunt. Tertio, ſi origines, et principia iſta, de quibus modo laboramus, admittenda in Deo ſunt, non poſſunt eſſe, niſi aut eſſentia, aut intellectus, aut volũtas, aut intellectus, et volũtas: non quidẽ eſſentia pręcisè: nam primo decretum, et damnatum eſt in Conc. Later. cap. Dam. Secundo inuoluit paradoxon. Si enim eſſentia generaret, aut ſpiraret, ſe ipſam generaret, etc. Deinde eſſentia ex ſe ſola non eſt, nec poteſt eſſe principium producendi niſi ſimul cum intellectu, et voluntate, vnde principium productiuum, eſt eſſentia cum intellectu, & voluntate, ſicut, & anima cum potentijs. ergo intellectus, aut voluntas. Non intellectus ſolum, nam tunc vna dumtaxat eſſet emanatio, & conſequenter vna perſona producta: neque adæquatè omni poſſibili modo communicaretur Diuina eſſentia: ergo intellectus, & voluntas. Præterea vbicumque inuenitur principium ex ſe, & à ſe, ſine vlla ab alio dependentia, formaliter habens vim ſufficientem producendi, ibi eſt productiuum: ſed in Deo inuenitur, & intellectus ſine vlla dependentia, & imperfectione habens actu obiectum intelligibile, ſibi præſens, & voluntas eodem modo habens obiectum actu cognitum ſibi præſens amabile: ergo ille productiuus eſt, notitiæ genitæ, & Verbi, & iſte Amoris. Probatur minor, quia hoc modo intellectus eſt in Patre perſona prima, & improducta, & voluntas in Patre, & Filio, eadem ratione prima in ratione amoris. Probatur conſequentia, quia in Deo debet eſſe omnis ratio perfecta principij. Duplex autem hæc ratio principij per ſe determinata eſt, vt natura, & vt libera per voluntatem. Denique ex diuina Scriptura omni, qua decet myſterium hoc certitudine pollet. Secunda perſona procedit, vt Verbum, & vt ſapientia, Ioan. 1. & 1. Ioan. 1. Apoc. 19. Prouerb. 24. *Ego ex ore Altiſsimi prodiui.* Procedit, vt Filius ex locis ſuperius collectis. Tertia perſona procedit, vt amor nectens, vt vbicumque locorum ſanctę Scripturæ, & Doctorum eadem certitudine certum: ergo ſecunda perſona procedit per intellectum, & generatur. ergo tertia perſona, diuerſa proceſſione procedens, alias eadem eſſet cum ſecunda, nec diſtingueretur; ſicut fides diſtinguit, procedit per voluntatem, & ſpiratur.

Neque opportunè hic à quoquam obijceretur ex abſolutiſſima Dei ſimplicitate idem eſſe etiam formaliſsime in Deo intellectum, & voluntatem: etenim, & ſupra iam reſponſum, & luculentius infra, ſufficere aſſeritur diſtinctionem virtutis, & rationis. Poſtremo eadem efficacitate. de fide Filius procedit ab vno tantum hoc eſt à Patre; Spiritus

ſanctus à duobus nimirum à Patre, & Filio: ergo Filius per generationem,& intellectum: ergo Spiritus ſanctus per ſpirationem,& voluntatem. Probatur prima conſequentia; nam ſecunda perſona eſt Filius. Probatur ſecunda conſequentia; nam ſecunda proceſſio ordine originis præſupponit primam, ergo per voluntatem. Secundo procedit, vt amor, ergo à voluntate.

Hæc veritas adeo vndequaq. certa eſt, vt Theologorum coriphæus S. Thom. eam tradere fidem Catholicam aſtruat art.1. iam indicato,& ſanctorum Patrum omnium acutiſs imus D. Auguſtinus, *ſicut Dei Verbum Filium eſſe nullus Chriſtianus dubitat, ita charitatem eſſe Spiritum ſanctum*; non poteſt ergo inter Doctores Catholicos vlla de hac re verti controuerſia; & quamuis quoſdam mutent terminos,quidam;eadem tamen prorſus veritatem,& continent, & docent, & profitentur: Riccardus enim de Sancto Victore his valde diuerſis nominibus, has emanationes venatur,non ex intellectu, & voluntate, ſed ex beatitudine, & charitate, & plenitudine gloriæ,probat plures dari perſonas: ſed in idem recidit,vt iterum infra.Scotus diſt. 2. quæſt. 4. principium Filij non intellectum,ſed memoriã fœcundã, &c. Sed hunc modum dicendi, conſentaneum communi veritati elegantiſsimè tuentur Scotiſtæ. D. noſter Bonauentura intellectum,naturam fœcundam nuncupat, fœcunditatemq conſtituit in primitate, hoc eſt in eſſe improducto, & non eſſe ab alio: inde enim euenit poſtea aliam eſſe ab eo; quod vocat fontalitatem, idque totum optima ratione: primo namque eſt etiam naturalis, & ariſtotelica phraſis: nam præcipuè 2. Phyſic. omnia agentia ad hæc duo capita rediguntur ad naturam,& voluntatem; vbi liquido intellectum,& intellectiuam vim cum natura vnit, & naturalem vocat; eſt præterea intellectus potentia naturalis; vnde axioma illud celebratiſſimũ, omnes homines natura, hoc eſt intellectu, ſcire deſiderant. Rurſus, quia verè eſt natura,quæ fœcunda eſt,& communicabilis in Patre,quatenus innaſcibili, vt ipſe ſanctus Doctor diſt. 7. q. 1.ad 2. perſona verò infœcunda, & incommunicabilis; quod ſi dicatur fœcunda perſona, non ratione ſui, ſed ratione naturæ communicabilis,certè, & verè dicitur. Iterum generatio eſt opus naturæ,vt omnes neceſſario apertis brachijs concedunt, & S. Damaſcenus docet: ergo fœcunditas generandi eſt fœcunditas naturæ: ſed hic generatur Verbum Diuinum, & Filius; ergo per fœcunditatem naturæ. Deinde id quod opponitur, & diſtinguit à voluntate, et libero, naturale eſt: ſed huiuſmodi eſt principium productiuum Filij in Diuinis: ergo naturale; ergo optimo iure ſanctus Doctor primam fœcunditatem Patris ſtatuit nuncupari naturam. Denique fœcunditas hæc competit intellectui,non præcisè,vt intellectus eſt, ſed vt tali, natura nempe Diuina: producere namque terminum ſubſiſtentem intra ſe,non eſt niſi ratione huius infinitè perfectæ naturæ.

Neque clariſsimę huic veritati eſt aliquid,quod dignè opponatur: ſi enim primo quis cõtradicens diceret, Quæ naturalia ſunt, naturæ luce percipiuntur: ſed generatio Filij Dei Patris nequaquã hac luce percipi poteſt, Matth. 11. *Nemo nouit Filium niſi Pater,&c.* ergo nulla oppoſitio,et in promptu, et perfacilis eſt ſolutio: Falſa namque maior eſt in vniuerſum; neque quod naturaliter fit à quacumque natura cognoſcere licet cuicumque intellectui,propria,et intrinſeca vi: Hoc enim, de quo hic ſermo,quod à natura Diuina fit in Patre, ſicut excedit omnem creatam naturam, ita ſupergreditur infinita diſtantia omnẽ intellectus creati idoneitatem,vt nemo vnquam intelligere poſſit, niſi cui voluerit Filius reuelare.

Neque ſecundo adhuc ex Ariſt.2.Phyſic. enumerantur diſtincta principia, natura,& intellectus; vt vnum excludat aliud. Hoc iterum nihil eſt: Ariſt. namque ibi intellectum accipit, vt cum voluntate coniunctum, & principium agens ex propoſito: qua acceptione ſola, diſtinguitur à natura præcisè. Cæterum enim,vt iam toties, intellectus dum Diuinum producit Verbum agit per modum naturæ.

Primitatem quoq; eſſe fœcunditatis rationem, & radicem optimo iure docuit idem S.Doctor, cuius hanc exiſtimo egregiam rationem. productiones Diuinæ ſunt neceſſario infinitæ perfectionis, & adæquantes producendi vim, & inde omni iure, & ratione immultiplicabiles, vt in eadem ſpecie, vel quaſi ſpecie contradicat plures, v. g. eſſe Filios Diuinos, quia in vnico Filio tota fœcunditas terminum acceperit. Ergo ſemel communicatum incommunicabile amplius eſt: ſed eſſe primum eſt eſſe à ſe,& non ab alio,& non eſſe communicatum, & conſequenter communicabile;ergo ratio fęcunditatis, & communicabilitatis, eſt eſſe à ſe, & primo. Apprimè ergo conuenit,neque perlatum vnguem à recte ſentientibus Doctoribus, neque diſcedit,neque diſſentit S. Doctor.

Inter Catholicos ergo Doctores, Durandus, & Gregorius Ariminenſis relinquuntur ſoli: Ille 1.ſententiarum diſt.6.quæſt.2. hic verò diſt.10. Diffiteri enim neque diſſimulare licet, quam longè primo Durandus à veritatis tramite aberrauerit; quod quidem licet ſatis eruditè,& luculenter Doctores, præſertim recentiores explicauerint, & erroneum dictum exploſerint, & veritatem hanc orthodoxam zelauerint, & aperto Marte defenderint, vt abſque vlla nota me ab hoc labore abſtinere facile poſſim: ne tamen huic loco deeſſe ego videar, & obtruncata videatur diſputatio, & vt errori opponatur veritas, errorem patefaciam, & neceſſarijs argumentis confodiam. Durandus igitur obſeruato loco anxius ſcire magis,quam liceat,conatus eſt productiones Diuinas ex fęcunditate Diuinæ eſſentiæ in Patre primo, præterea in Patre, & Filio colligere, non quia Pater intelligens, nec quia intelligendo producat Verbum,nec quia Pater,& Filius amãtes, & amando ſpirent Spiritum ſanctum; ſed quia in eis natura Diuina fęcunda eſt, vt infinita;ita vt etiam ſi per impoſſibile,in eis non eſſet, neque intellectus, neque voluntas, adhuc ineſſet generatio, & ſpiratio; quemadmodum ignis etiam ſi ex eo eſſet intellectus ſimul cum calore, non intelligendo tamen calorem produceret, ſed ſua fęcun-

cunditate, & calorifica vi: Quod ſi Filius productus in Diuinis Literis dicitur Verbum, & Spiritus ſanctus Amor, & Doctores omnes has perſonas procedentes produci, per intellectum, ſcilicet, Filium, per voluntatem verò Spiritum ſanctum vnanimi conſenſione aſtruant: omne id non propriè, ſed per quamdam ſimilitudinem, & accommodationem ad imaginem ſanctiſſimę Trinitatis in anima noſtra; in qua, quia intellectu, & voluntate prædita, prima emanatio eſt per intellectum, ſecunda verò per voluntatem, quatenus voluntas, non niſi in præcognitum fertur; ita in Diuina eſſentia prima emanatio generatio dicitur per intellectum, non quia re vera; ita ſit, ſed quod ſit prima, ſecunda vero per voluntatem, eadem ratione, ita vt, quod ait S. Ioan. cap. 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum*, non ſit vera, nec propria locutio; ſed adeò impropria, vt de rigore non ſit vera, reſpondere non erubeſcat. His tamen, & conſimilibus adminiculis, neque verò hęc omnia caſu, aut quaſi accidentarie, non multa adhibita conſideratione ab eius ore elapſa, ſed acriter prius animaduerſa, & penſitata, vt omni, quo potuit conatu probare, & perſuadere deſudauerit. Et primo. Intelligere, & velle in Diuinis ſunt, & actus eſſentiales, & communes tribus perſonis, & vt immanentes, ſteriles, & quibus fœcunditas competere repugnat: ergo per hos actus perſonæ procedentes produci nequaquam poſſunt. conſequētia videtur theologico diſcurſu euidens. Actus enim, per quos perſonæ producuntur, non poſſunt eſſe communes tribus, ſed notionales, & ſingularum proprij; eſt enim Pater ſolus, qui Filium producit &c. Antecedentis autem prima pars inde patet. Pater enim, & Filius, & Spiritus ſanctus, ſicuti æquè ſunt Deus, & vnus Deus, ita æquè intelligunt, & volunt. Quod ſi ſic producerentur perſonæ, produceretur, & generaretur eſſentia, & ſpiraretur Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus generaretur &c. & ita perſonæ producerent ſe ipſas; & conſtat: nam cuius eſt actus producendi, eiuſdem eſt et producere: ergo ſi communes ſunt actus intelligendi, et volendi, communes erunt et productiones. ſecunda pars antecedentis eſt Ariſt. 9. Metaph. tex. 16. Secundo principaliter. Deus, et creatura conueniunt proportione quadam, ſed creaturis, non quia intelligentes, et volentes ſunt, ſed ratione alicuius prioris, nempe naturæ, competit productio, et generatio: ſi enim præcisè creatura rationalis, vt intelligens generaret filios, creatura ratione carens non poſſet generare: quod abſurdum, et falſum, et contra ſenſum omnino eſt: ergo, neque Deo, licet ſumme intelligenti, et volenti, inerit tamen ſœcunditas, vt ſic, ſed ratione naturæ infinitè communicabilis, eo modo, quo ſupra de igne aſſertum eſt, qui ſi etiam eſſet intelligens, non calefaceret, vt intelligens, ſed vt ignis. Tertio. In creatura, vbi inter ſe, et à natura verè diſtinguuntur intellectus, et voluntas, tamen ſœcunditas eſt à natura: ergo, et in Deo, vbi intellectus, et voluntas à natura ratione tantum diſtinguuntur, productio immediatè erit à natura. Probatur, nam qualis eſt ratio in ijs, quæ realiter diſtinguuntur, talis quoque in ijs, quæ dumtaxat ratione. His præcipuè rationibus Durandus ductus, vel potius ſeductus, non erubuit, ſe Patrum, et omnium Theologorū torrenti obijcere, et ab omnibus diſcedere, ne dicam Diuinis literis reclamare, et monſtruoſa, et intolerabilia dogmata in hoc diuiniſſimo myſterio effutire.

Gregorius verò, vbi ſupra, videtur negare, dari voluntatem producentem amorem, et intellectum Verbum, Qui, cum ſit idem omni ratione in Deo voluntas, intellectus, et natura, productionum principium eſſe naturam, et intellectum, et voluntatem tradidit, quem ſecuti ſunt Ocam, et Gabriel diſt. 7. q. 1. et diſt. 11. q. 1. art. 2. Quæ omnia quidem ſunt vera, ſi abſolutè, et eſſentialiter ſumenda eſſet res, ſed cum relatiuè ſint accipienda, falſiſſima ſunt: alias tolleretur vera, et ſancta perſonarum Trinitas, inter quas eſt vera, et realis diſtinctio, vt idem Doctor eodem loco ſe ipſum declarans, et diſt. 5. ſe ipſum referens, iterum declarat, et concedit. Debuiſſet ab ijs abſtinere, nec quod omnes Doctores vnanimi conſenſione docent, ipſe audere quaſi retractare, neque apparenter: neque inde vllam timere compoſitionem in Diuina ſimplicitate: nam intellectus, et voluntas, quibus Diuinæ producuntur perſonæ, cum accipiantur relatiuè, non poteſt vlla oriri compoſitiō: repugnat enim relatiuo componere, neque cum his, neque ex his: eſt enim *(Ad)* & quatenus *(In)* prorſus identificatur cum eſſentia, vt ab ea nulla ratione differat: ſed deinceps vberius.

Pro Durando, adiungi poſſunt ſancti Patres ijs locis, in quibus dicunt, Filiū à Patre procedere natura, & non voluntate, qui multi inueniuntur in illa quæſtione, vtrum actus notionales ſint naturales. Inter quos D. Hilarius lib. de Synodis: *Omnibus*, inquit, *creaturis ſubſtantiam Dei voluntas attulit; ſed naturam dedit Filio ex impoſſibili, ac non nata ſubſtantia perfecta natiuitas*, idem lib. 6. de Trinitate, natiuitatem Filij aſſerit, eſſe ex natura Patris; Diuus Auguſtinus, lib. 15. de Trinit. c. 20. notat, Filium eſſe Filium naturæ, non voluntatis, D. Baſilius hom. 28. contra Sabellianos, ex Patre Filius non mandato factus, ſed ex illius natura genitus eſt, D. Ambroſius lib. vnico de Filij Diuinitate c. 5. ſiue lumen de lumine dicas, ſiue Verbum de Verbo, ſiue Spiritum de Spiritu &c. dixeris: vnius tamen eſſentiæ Patrem, & Filium credas: & plura huius generis. Quibus fortaſſe argumentis ductus Hieronymus quidam Zāchlius noſtris temporibus Hæreticus, lib. ſuo quodam de Trinitate, vt referunt Valentia, Controuerſia de Trinitate lib. 2. c. 4. & Vaſquez 1. par. diſput. 111. c. 1. & Didacus Ruiz diſputat. 2. ſect. 1. de Trinit., non erubuit aſſerere, temerarium eſſe illud Theologorum axioma, quod Filius procedat per intellectum, & Spiritus ſanctus per voluntatem.

Contra Durandum, in primis, eſt omnis veritas, omnis Doctor; ſed præſertim eum ſolertius refellunt Argentinas, diſt. 10. quæſt. vnica art. 2., Marſilius quæſt. 14. art. 2. licet aliàs, niſi ſint eum ſequuti, ille 1. d. 2. q. 2. art. 4. ad argumenta primæ

 opi-

opinionis, hic verò 1. ſent. q. 6. art. 1. & recentiores Caiet., Canarienſis, Bannes, Zumel, Molina, Valentia, Vaſquez, Suarez, Ruiz &c.

Contra Durandum ergo. primo. ab omnibus aſſeritur hic magna temeritate peccare: quia inſurgit contra omnium Theologorum ſcholam, & contra omnes illos ſanctos Patres, qui hac de re vllo loco tractatus dederunt: imò os mittit in cælum, & in D. Io. Euangelium, & negat, Filium verè eſſe Verbum, qué tamen Ioannes toties Verbum dicit. negat, inquam, dum non propriè Verbum dici, ſed tranſlatè aſſerit: quod enim tranſlatè, & impropriè dicitur, non eſſe id, propriè aſſeueratur, & verè: dum ab intellectu non produci contenditur, Verbum non eſſe decernitur. Hinc, teſte D. Thoma 1. par. quæſt. 34. art. 1. ad primum, referente, Origenem ita expoſuiſſe hunc D. Ioan. locum, orta eſt Arianorum hæreſis. ſecundo. Si Filius ab intellectu, & Spiritus ſanctus à voluntate nequaquam originem ducunt; quomodo Filius procedet, vt Imago, vt Sapientia; ſicuti tot in locis Diuinæ teſtantur Literæ? Quomodo Filij productio generatio Diuina erit differens à Spiritus ſancti productione, vti ſacroſancta profitetur Fides Catholica? Quomodo Filius à ſolo Patre? Spiritus ſanctus ab vtroq; ſi nec ab intellectu Filius, nec à voluntate Spiritus ſanctus, ſed vterque ab eadem vna natura? vbi erit ratio ordinis, & originis inter Diuinas perſonas? Qui erunt actus vitales, per quos emanent perſonæ; ſi non per actum intelligendi, & volendi, cum nullus alius in natura intellectiua dari poſſit? ſi in natura inferiori, nulla ſuam fœcunditatem communicet, niſi per aliquam potentiam; quare hoc negandum eſt Diuinæ naturæ? quare non aſſerendus in Diuinis intellectus &c., quo in Patre Diuina eſſentia cõmunicetur? neque hanc conſequentiam negare poteſt Durandus: nam ſimili argumentatione, ad ſuam protegendam ſententiam, ipſe vſus eſt. deinde ab omnibus admittitur. denique communicari Diuinam naturam per intellectum, & voluntatem ad quid negare? num quia de Diuina natura negatur fœcunditas? abſit, eſt enim ab eadem naturæ radice fœcunditas per intellectum &c. & illa vis communicandi, & potentia in Deo eſt adeo connexa cum natura, vt & idem ſit, & dicat ordinem communicationum, & emanationum: repugnat verò, dari communicationem, & negare potentiam communicandi: ſi enim natura Diuina ſe ipſam communicat, ergo in ea eſt vis, & potentia, qua ſe communicat. fruſtra ergo, & ſine vlla ratione; imò contra omnem rationem, à communi Doctorum cętu, & conſenſu ſolus Durandus diſceſſit; dico ſolus; nam Gregorium non deſunt, qui amicę interpretentur, & excuſent.

Quod ſi quis non eſſe erroneum, & alienum à modis dicendi ſanctorum Patrum, Verbum in Diuinis aliquando non ita propriè ſemper ſumi, vt vbique locorum, Verbum ſit illud, quod per intellectum gignitur, perſuadere eniteretur, primo ex D. Ambroſio lib. vnico de Filij diuinitate c. 5. vbi de Filij diuinitate loquens, his vtitur verbis: *Siue lumen de lumine dicas, ſiue Verbum de Verbo; ſiue Spiritum de Spiritu. vnius tamen eſſentia Patrem, & Filium credas.* Ex Dino Baſilio, contra Eunomium, vbi Spiritum ſanctum Verbum Filij appellat, ex Hebræorum 1. *Portansq. (Filius) omnia verbo virtutis ſua*, ſcilicet Spiritu ſancto, vt infra proprio loco. neque tamen Pater, neque Spiritus ſanctus procedunt per intellectum, vt conſtantiſſimum eſt.

Poteſt confirmari, quod aſſertum eſt, de Spiritu ſancto: nam Spiritus ſanctus, ex munere, docet, quod Verbi proprium videtur, Io. 14. *Ille vos docebit omnia*: & procedit de ore Dei: *Spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Pſal. 32. quemadmodum & Filius Eccleſiaſ. 24. *Ego ex ore Altiſſimi prodiui.* Et Filius dicitur datus, hoc eſt donatus, quod eſt proprium Spiritus ſancti Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret.* Sed hæc minimè leniunt Durandi temeritatem, aut à loco ſuo ſummæ auctoritatis S. Ioan. Verbum remouent, nec remouere poſſunt. Et ad Diui Ambroſij locum reſpondetur, ibi haud propriè *Verbi* vocem vſurpaſſe, neq; formaliter, ſed quaſi productiuè, vt Pater *Verbum* denominetur, quia Verbum producit. alijs verò locis, propriè cum cæteris ſanctis Patribus, *Verbum* per intellectum genitum aſſumit. Ad D. Baſilium, infra ſuo loco, erit diffuſa ſolutio: ſed quid rum? loca Patrum non impediunt, nec vllo modo labefaciunt has duas veritates: alteram; Verbum Diuinum ab intellectu Patris produci, nec vllus negat, nec negare audet: teſtantur id omnes Theologi, & ſancti Patres; alteram, locum D. Ioan. cap. 1. Catholica conſpirante Eccleſia, verè intelligi de Verbo ab intellectu Patris producto, Filioq; maximè propriè per intellectum genito. eſt ridicula conſequentia. aliqui & pauci Patres ſemel, aut iterum, tamen admodum raro, vocem *verbi* pro non genito per intellectum verbo ſumunt, ergo Verbum, quod aſſeritur à D. Ioan. c. 1. de ſecunda perſona, non Verbum verè, ac propriè, neque Patris conceptus.

Ad id, quod & Spiritus ſanctus & docet omnia, & egreditur de ore Dei, reſpondetur. ſicuti de ore noſtro & verbum, & flatus, & halitus procedit, æque ex ore, & fęcunditate Dei Patris procedit & Verbum, & Spiritus ſanctus: docet verò ſanctus Spiritus homines ad extra, & præſupponit intellectionem, & annexam habet volitionem, neque inde ſequitur, eſſe Verbum, de quo hic.

Quod & Filius dicatur datus; tum infra, cum de dono Spiritus ſancti, tum hic, primo. non ſumitur propriè datus: ergo neque Verbum de ſecunda perſona? abſurda, & nulla conſequentia. ſecundo, datus eo loco, quaſi miſſus, quod vtrique perſonæ commune. tertio datus, & donatus quidem Filius, neque tamen donum, ſicuti Spiritus ſanctus, ex vi proceſſionis.

Ad primum ergo argumentum; reſpondetur; falſum eſſe ſimpliciter, & vniuerſim totũ antecedens, nimirum intelligere, & velle eſſe tantum eſſentiales, non etiam notionales: ſicuti enim ad integrè infinitum conſtituendum eſſe Diuinũ, dicitur non ſolum entitate abſoluta, ſed etiam relatiua, ra-

tione

Digitized by Google

tione ad inuicem differentibus: ita actionem quoque Diuinam eodem modo abſolutam, & relatiuam eſſe neceſſario dicendum: ſed quatenus abſoluta, non eſt fœcunda, nec productiua, ſed quatenus relatiua, perſonalis, & propria: vnde intelligere, & velle, vt ſic, nec ſunt productiuæ actiones, nec productiones; ſed perfectiones abſolutæ, communes tribus; ſi verò intellectioni addatur, dicere, & dilectioni ſpirare; tunc intelligeudo Pater dicit Filium, Pater, & Filius amando ſpirant Spiritum ſanctum: ergo, dicere fœcundè, non eſt intelligere ſimpliciter, ſed illud ſupponit, & addit relationem ad terminum. Ita ſpirare, non eſt diligere abſolutè, ſed illud includit, & ſupponit, & addit relationem ſpirandi; ſic ſanctus Bonauentura diſt. 27. par. 2. quæſt. 1.; mens concipit intelligendo Verbum, & concipere Verbum, eſt dicere, & dicere eſt ad aliquem: vbi docet, & Verbum non eſſe intellectionem, ſed terminum; tamen ſupponere: & non eſſe ad ſe, ſed ad alium, ideſt non abſolutum, ſed relatiuum. Idem ſanctus Thom. 1. Sentent. diſt. 32. quæſt. 1. art. 1., & 2. Intelligere Patris notionale eſſe, & intelligendo producere Filium, & eſſe reſpectum ad Filium, & 1. par. q. 37. art. 1., & quæſt. 34. art. 1. ad tertium, & quæſt. 41. art. 1. ad ſecundum, & Magiſter Sententiarum, in 1. diſt. 26., & ibidem Doctores. ſecunda pars antecedentis, eſt locus Ariſt., ſed reſpondetur, innumeras ferè eſſe ſolutiones, nunc quidquid ſit in natura creata, negatur in increata. ſecundo. actus immanentes, vt immanentes, ſteriles ſunt, & effectum ad extra non producunt: ad intra verò non negauit Ariſt, ſed retorqueri poteſt argumentum contra ſuum Auctorem: quia Diuina eſſentia non eſt aliquid notionale, ſed eſſentiale commune tribus. ſed per eſſentiam non generatur Filius, nec Spiritus ſanctus ſpiratur: ergo, neque Pater per eſſentiam generauit.

Ad ſecundum. Reſpondetur, primo, eſſe quidem proportionem inter Deum, & creaturam humanam &c. in producendo: non eſſe tamen eam, quam prætendit Durandus: quia non eſt in Diuinis alia actio producendi, ſicut in homine, quam intelligere, & velle: in homine enim eſt vis generandi, diſtincta realiter à facultate intelligendi. ſecundo: proportionem eſſe: quia ſicut homo per aliquam potentiam ſe ipſum communicat: ita, & Deus, quæ eſt per intellectum, & voluntatem: falſum tamen eſt, naturam humanam ſe ipſam communicare, neque per vllam potentiam, & ita conſequenter falſum, quod deducere prætendit: itaque aerem verberat. Rurſus in creaturis propter earum limitationem, & imperfectionem, ratio poſtulat, has imperfectiones reſecari, priuſquam Deo perfectiones in eis inuentas referamus. eſt autem imperfectio fœcunditatis creatæ, naturam producere ſubſtantiam immediatè, ſine concurſu intellectus, & voluntatis; quod inde colligitur: nam corporeæ ſubſtantiæ dumtaxat generantur: incorporeæ autem, & ſpirituales nequaquam: conuenit ergo, vt fœcunditas Deo conueniat, qua parte perfectior eſt, & ſimilior ſubſtantijs ſpiritualibus, ſcilicet, vt intelligens, & volens eſt. Aliàs Durandus contra ſe ipſum probaret, Patrem non poſſe alteri perſonæ communicare ſuam ſubſtantiam, quia præciſè ſpiritualis, & intellectiuus eſt, neque enim creatura ſpiritualis creata poteſt alteri ſuam naturam communicare.

Ad tertium. concedo, quidem, & in creatura, & in Deo fœcunditatem eſſe à natura, tanquam à radice: tamen vtrobique per aliquam facultatem, & vim, & principium, quo immediatè &c. Ad probationem verò, negatur ſimpliciter, quod aſſeritur: primo enim, neque verum eſt, aut eſſe poteſt, eundem eſſe ordinem inter productiones diuerſorum producentium, quando diuerſæ ſunt facultates, & principia, per quæ &c. ſicuti in caſu. homo enim per vim generatiuam, communicat naturam ſuam ad extra: Deus verò per intellectum, & voluntatem ad intra. ſecundo. Iterum falſum, hominem immediatè per naturam ſolum commonicare, ſed per facultatem genitricem. tertio. verum quidem, hominem aliqua producere per intellectum, & voluntatem; diuerſa tamen ratione, ac Deus: ille enim per eas potentias, ceù liberas: de voluntate conſtat, & etiam de intellectu, vt imperato: Deus autem per eas tanquam naturales etc.

Ad illa loca ſanctorum Patrum pro Durando adiuncta, facillima reſponſio. Illis locis, et ſexcentis alijs eiuſdem generis, nihil aliud intenditur, quam excellentiam filiationis æternæ patefacere: non enim Verbum eſt Filius adoptiuus, nec per adoptionis gratiam, et libera voluntate, et conſilio genitus, ſed naturalis intimus Patri, eiuſdem cum eo ſubſtantiæ, et, ex vi ſuæ productionis, æqualis in natura, et perfectiſsima Imago; Quare ex his locis, neque vmbra eius, quod prætendit Durandus, elici poteſt: fauent verò mirificè phraſi, et modo dicendi in hoc myſterio D. Doctori Bonauenturæ, qui dixit, naturam eſſe principium productionis Filij, ideſt intellectum naturalem facultatem etc. Ad Gregorium, nihil hic refert, reſpondere: ab ijs enim, qui eum interpretantur, ſit ſatis, et ſupra nuperrimè, quæ opus fuerat.

CAPVT V.

An aliquo ordine vna emanatio alteram præcedat. D. Bonauentura diſt. 12. q. 4. art. 1. & diſt. 13. q. 3., S. Tho. 1. Sent. d. 12. q. 1. art. 1.

PARAPHRASIS.

PRIMA Propoſitio. Aliquo modo, ſaltem ſecundum modum noſtrũ intelligendi, emanatio Verbi eſt emanatione Spiritus ſancti prior. Probatur, primo. argumento ab ordine in anima noſtra imagine deſumpto ſic. In imagine noſtra prior eſt notitia, quam amor: ergo & in Diuina Trinitate Verbi proceſſio Amoris proceſſione prior. Antecedens eſt S. Auguſt. 10. *de Trinit. c.* 1.

quia incognita non diligimus, conſequentia perſuadetur. Ideo enim anima noſtra dicitur, vel imago, vel ad imaginem Dei, quia & ſimilis eſt ſanctiſſimæ Trinitati, etiam quo ad interiores fœcunditates, & productiones: ergo, ſuppoſita fide, colligendus ex ordine emanationum in anima ordo emanationum in Deo; ſecundo auctoritate Philoſophi de motibus animalium. voluntatis principium eſt in cognoſcente. tertio ratione prima. Filius eſt principium productiuum Spiritus ſancti, cum Patre, de fide, vt infra. ergo in emanatione Spiritus ſancti præſupponitur, & præintelligitur, emanaſſe Verbum, ſicut principium ad rem principiatam, & origo ad originatum: ſecunda. modus agendi per naturam præſupponitur à modo agendi per voluntatem, quando in eodem agẽte vterque inuenitur: ſed agere per intellectum, eſt per modum naturæ: ergo præſupponitur à modo per voluntatem. Maior huius argumenti, & conſtat, & poteſt probare per ſuperiorem iam iam adductam rationẽ: minor probatur. Verbum producitur per modum naturæ, & generationis, quia Filius: & Spiritus ſanctus per modum Amoris: ergo huius emanatio præſupponit illius emanationem. tertia, ex art. 3. in fine: Spiritus ſanctus procedit, vt Amor, & nexus: ergo præſupponit plures, & duos, quos Amore nectat, & ſimiles, inter quos ſit Amor: ergo Patrem, & Filium ad inuicem ſimiles, ex ratione productionis, & generationis.

Secunda Propoſitio. Ex reſponſione ad primum. In homine duplex inuenitur appetitus, alius præcedens cognitionem, imperfectus, & inclinans naturam, verbi gratia, ad ſciendum: alius perfectus, & completus, quo fertur animus in rem cognitam, & perfectum notitiæ partum complectitur. Prima pars patet; nam ille appetitus eſt ignorantis, & ſcire deſiderantis. Secunda quoque pars certa eſt: nam ex perfecta rei cognitione exoritur.

Tertia Propoſitio. Ex reſponſione ad vltimum. Illud axioma, Omne commune eſt, ſecundum rationem intelligendi, prius, non eſt vndequaque verum: nam primo in relatiuis, quæ ſunt ſimul natura, & cognitione, non poteſt eſſe verum: ſecundo, neque in his, quæ non ſolũ ſunt communia, cõmunitate prædicationis, ſed concordia, & connexionis. In ijs namque oppoſito modo rem ſeſe habere neceſſe eſt: nã huiuſcemodi commune intellectione præſupponit illa diſtincta, quæ poſtea conueniãt, & connectantur.

COMMENTARIVM.

NON indiget longa, neque admodum exquiſita commentatione, hoc loco S. Doctor: tum quia ipſe diuidit quæſitum, & partitur difficultatem, vt diſtinctius res percipiatur: de ordine enim reali harum emanationum, An, & quis inueniatur inter illas, alio loco, eoque gemino, primo diſt. 13. q. 3. art. 1. ſecundo diſt. 20. q. vlt. An in Diuinis ſit ordo originis, & an ordo naturæ ibidem reperiatur: vt hinc S. Doctoris ſolertiam, & in tractandis his difficultatibus exquiſitam diligentiã obſeruemus, & admiremur: & quo res maioris ponderis, & momenti, & difficillioris captus, eo ſæpius, multiſq. locis, & propoſitis exagitet, & dilucidet. de ordine rationis, & vt ipſe loquitur, ſecundum limitatum, diminutum, & imperfectum noſtrũ intelligendi modum, hoc loco: tum quia dilucidè valde rem aperit, diſputat, & ſoluit, & pro ſuo nunquam ſatis commendato more, conformiter reliquis Doctoribus.

Id, quod, primo, tamen obſeruandum eſt circa quæſt. 5. titulum, nimirum admodum ſtrictè, & limitatè proponi hic hanc quæſtionem, ſcilicet, licet à parte rei ſit vna, eadem, ipſiſſimaque res; tamen non ſecundum modum intelligendi Dei; qui abſque vlla comparatione nullo ſibi propoſito motiuo, & exemplo, perfectiſſimè vnico actu cõpræhendit; ſed ſecundum, quo neceſſario nos vtimur, noſtrũ intelligendi vſum, & rationem &c. vſus autem, & modus, quem nos in his Diuinis myſterijs contemplandis tenemus, eſt à noſtræ animæ imaginis cognitione exordium ſumere, & ſicuti in anima ordinem potentiarum, fœcunditatum, & productionum, & prioritatem, & anteceſſionem quandam percipimus, & obſeruamus: ſic inde, & his regulis edocti etiam Diuina intelligere, & percipere conamur. Quod elegantiſſimis verbis S. Th. diſt. 12. art. 1. explicat: In Diuinis non poteſt conſiderari, niſi quod abſolutum eſt, quod eſt vnum, & indiuiſibile, in quo prius, & poſterius non inuenitur: vel quod relatiuum eſt; relatiuorum autem natura eſt, vt ſint ſimul tempore, natura, & intellectu; ideo generatio non eſt prior proceſsione aliquo modo, qui poſsit ad Diuina referri, ſed tantum ſecundum modum intelligendi, qui eſt in intellectu noſtro accipiente generationem, & proceſsionem in Diuinis, ſecundum ſimilitudines repertas in creaturis, quæ valdè deficientes ſunt, ad Diuinam generationem, & proceſsionem repræſentandam; ergo tota hæc diſputatio verſatur, non circa rem Diuinam, quomodo ſe habeat, ſed potius circa intellectum noſtrum, quomodo eam appræhendat, & aſſequatur. Alijs verò locis, ſupra indicatis, de re ipſa Diuina.

Secundo. Obſeruandum conſequenter, non eſſe nobis indagandum de re, an ſcilicet, & qualis inter Diuinas emanationes, relationes, & perſonas, ordo inueniatur: ſed quomodo vnanimi conſenſu, cum reliquis Theologis, gradiatur ſanctus Doctor, in noſtri intellectus methodo, quam ex imperfectione obſeruat enucleandam. Alexander, ſanctus Thomas, Riccardus conueniunt cum ſancto Bonauentura hîc, omnem ſcilicet diſputationis huius ordinis vim ſitam eſſe, non à parte rei, ſed in intellectu noſtro, ex modo, quem didicit in contemplando imaginis noſtræ ordine, in qua tanta eſt prioritas, tantuſq. ordo, vt ſit verè realis; imò quoquomodo, & cauſalis: non enim verè poteſt quidquam diligi à voluntate, niſi prius ab intel-

tellectu cognitum, & voluntati oſtenſum: quare cognitio illa aliquo modo eſt fons, & cauſa obiectiua dilectionis &c.

Sed primo poteſt huiuſcemodi inſtantia confici: S. Bonauentura, in corpore articuli, & in argumẽtis affirmatiuis, quæ ex mente, ſicuti vera refert, totus videtur verſari circa rem, vt in ea dari ordinem oſtendat, & intuenti conſtat, quod verè, ex natura ſua, ſuo modo præcedat voluntatem notitia, & amorem, & origo, & principium rem originatam, & nexum ſuppoſita diſtincta nectentem, facillima ſolutio, ſi ad præfixum quæſtionis titulum, loquitur S. Doctor, & formaliter ex ſuppoſitis: vbique enim, & ſemper ſupponendum, loqui, iuxta noſtrum intelligendi modum, quem deſumit ex animæ cognitione, vbi huiuſmodi inueniuntur diſtincta, vt quæ de ordine à parte rei hic tanguntur in Deo, quaſi per accidens addantur.

Secundo apparentius obijci poteſt, ſed ex oppoſito, non licere, nempe, neque ſecundum ordinem noſtri intellectus intelligere, ordinem inter Diuinas emanationes, congrua admodum hac ratione: Nam & creatæ relationes ſunt ſimul non ſolum natura, ſed etiam cognitione, vt de his præcipuè teſtatur Ariſtoteles: ergo ex inter relatiua creata ordine, qui nullus inuenitur, non poteſt mens noſtra inſurgere ad eumdem inter Diuina contemplandum, & capeſſendum.

Reſpondetur. Neque Doctores, neque nos loqui de relatiuorum creaturæ cognitione, ſed de ordine, & prioritate naturæ ad voluntatem, notitiæ ad amorem, quæ relatiua nequaquam ſunt.

Tertio adhuc. Non omnia relatiua eſſe ſimul intellectu, & natura, ſed præcipuè oppoſita, neque verò diſparata. Quare hic non ſufficit, ad ſoluendum, non dari prius, & poſterius in Diuinis inter emanationes, quia relatiua ſunt ſimul &c. primo; quia hę, de quibus loquimur, emanationes, naturæ, ſcilicet, & voluntatis, non ſunt oppoſitæ, ſed diſparatæ.

Reſpondetur duobus modis: primò hoc non eſſe ad rẽ: nam propoſitum eſt, hoc loco tantum de ratione modi noſtri intelligẽdi diſquirere. ſecundo emanationes has adæquatè ſumptas eſſe oppoſitas: nam Filius per generationem accipit vim actiuam ſpirandi. Ita vt hæc duplex emanatio in ratione oppoſiti ſumenda ſit, & vt emanatio generationis ſumatur inter Patrem, & Filium actiuè, & paſsiuè, & ſpirationis actiuè in Patre, & Filio, paſsiuè in Spiritu ſancto.

Quarto Obſeruandum, & facit ad argumentorum ſolutionem clarius percipiendam. Quod ſanctus Doctor notauit in reſponſione ad primum, & deductum à nobis in propoſitione ſecunda, vberius, & diſtinctius prius docuit Alexander. Quod enim D. Bonauentura docet, appetitum eſſe duplicem, alium inhiantem ad ſcientiam, ante ipſam ſcientiam, eumq. imperfectum; alium poſt ſcientiam, et perfectum: Alexander dicit, duplicem eſſe voluntatem, aut duobus modis ſumi poſſe, primo, vt natura eſt, ſecundo, vt voluntas eſt, quod ipſe quoque collegit ex D. Damaſceno, verbis Gręcis etiam in Latina verſione etc. Porrò voluntas, vt natura, eſt appetitus generalis, & indeterminatus. voluntas verò, vt ſic, eſt ſpecialis, & determinatus. Etenim voluntas, vt natura, inſita eſt cuilibet potentiæ animæ reſpectu ſui obiecti, & eſt actus, quo naturaliter inclinatur: quemadmodum vis iraſcibilis ad bonum arduum, concupiſcibilis ad bonum delectabile, rationalis ad verum: voluntas verò, vt voluntas, eſt vis rationalis, qua mouetur ex arbitrio, & liberè: ſequitur verò, & ponit, quod indè collegit ad literam ſanctus Doctor: ſed ipſe addit rem valdè theologicam, & ad rem in præſentiarum. In Diuinis voluntas duobus modis aſſumitur, vt eſſentialis, & vt perſonalis: eſſentialis quidem à voluntate, ceù, vt natura ſumitur, quæ quaſi generalis eſt, & indeterminata, cũ ſit cõmunis tribus: eſt enim ipſamet Diuina eſſentia, quæ, ſecundum ordinem noſtri modi intelligendi, præcedit generationem Verbi æterni, & præintelligitur, ſicuti abſolutum ad relatiuum: voluntas verò notionalis, & perſonalis accipitur à voluntate, vt voluntas, quæ dicitur de Spiritu ſancto, quæ conſequitur ad notitiam, & Verbi generationem, ſecundum rationem intelligendi, non verò natura, aut tempore.

Denique circa id, quod in reſponſione ad vltimum, & tertia propoſitione, poſitum eſt, poſſet quis primo coaceruare plurima naturalia, & ad phyſicam contemplationem pertinentia, ex primo phyſicorum collecta, quæ nam ſint in expoſitionem Ariſtotelis priora natura, & vniuerſaliora, à quibus incipiendum in ordine noſtræ intellectionis, quæque adducuntur à philoſophis: ſed ferè eſſet extra chorum ſaltare, neque ſanè ad rem, de qua hic agitur, prodeſſet: ſufficit enim Theologis hic, vt ſoluant argumentum, quod erat, ſpiratio communior eſt, quam generatio; ergo generatione prior, ſaltem ſecundum modum intelligendi. Antecedens probatur: nam conuenit Patri, & Filio: generatio vero ſoli Patri: conſequentia probatur; quod enim communius eſt, prius quoque quoquo modo eſt, ex communi Philoſophorum aſſertione, ex Ariſtotele.

Quod gemina ſolutione ſoluendum. primo, aſſertum hoc non poſſe eſſe verum de relatiuis, quę ſunt ſimul natura, & intellectione, generatio autem, & proceſsio in Diuinis relatiuæ ſunt. ſecundo, ex eodem Ariſtotele, vt aliquid quo communius, eo ſit prius, non ſufficere quamcumque communitatem, ſed illam præcisè requiri, quæ dicitur prædicationis, vt eatenus animal prius homine, quatenus de pluribus, quam homo, prædicetur: proceſsio verò hoc loco, licet de Patre, & Filio dicatur: quia tamen & alia ratione eis conuenit, ſcilicet, vt nexus; hinc fit, non poſſe dici proceſsionem generatione priorem, imò poſteriorem, quo nexus ſupponit diſtinctas perſonas nectendas. Ita quoque Riccardus reſpondet, & neceſſario communis eſt reſponſio.

Tertium erat argumentum. Spiritus ſanctus æquè immediatè procedit à Patre, ſicut, & Filius: ergo proceſsio æquè immediatè, ac generatio: ergo æquè primo; ergo generatio non eſt prior proceſsione. Antecedens, & prima conſequentia patens eſt. ſecunda conſequentia probatur, ex Ariſto-

ſtotele, primo Poſteriorum; vbi, dum ait, immediata propoſitio eſt illa, qua non eſt altera prior, docet immediatum, & primum eſſe idem. Tertia verò conſequentia ex hoc manifeſta euadit.

Ad quod ſoluendum, neganda vltima conſequentia, & vt reddatur negationis ratio, ad antecedēs, addendum, Spiritum ſanctum non ſolum procedere à Patre, à quo quidem immediatè ſicut, & Filius; ſed etiam à Filio, virtute tamen recepta à Patre; vnde à Patre etiam, mediante Filio, & hac ratione, hanc proceſſionem Spiritus ſancti intelligi, ſuppoſita generatione Filij; quare robur ſuum haberet argumentum, ſi Spiritus ſanctus, per impoſſibile, à ſolo Patre procederet; verum, quia etiam à Filio; hinc claudicat, & deficit. Ad hanc ſolutionem addit, & rectè quidē, Riccardus: etiam ſi per impoſſibile à ſolo Patre procederet Spiritus sāctus, adhuc generatio prius intelligeretur. Quippe quæ procedit à Patre per modum naturæ: ſpiratio verò per modum voluntatis. Ratio aperta eſt, & eam, & ſupra, & in hac eadem quæſtione docuit Sanctus Doctor; natura namque, & intellectus prius intelligitur, quam voluntas. Imo Scotus ſi à nobis hac in re audiretur, prius formaliter, & à parte rei diceret.

Ad ſecundum, quod erat. In creaturis, antequam intellectus ad rem contemplandam, accedat, indiget voluntate imperante, & applicante, vt nunc actu contempletur: ergo & in Diuinis prior eſt voluntas imperans intellectu Patris ad intuendum, & de ſe concipiendum Verbum. Ergo tantum abeſt, vt prius generatio, quam ſpiratio accipiatur, vt ſpiratio prius, quia prius & voluntas, & amor. Conſequentia iam ſupra conceſſa eſt: tum quia anima noſtra eſt ad imaginem ſanctiſſimæ Trinitatis: tum quia hunc modum intelligendi ab anima ad Diuina transferimus. Antecedens verò, præter experientiam, quæ in nobis, &c. hoc teſtatur, & docet S. Auguſt. lib. 11. de Trinit. cap. 8.

Hoc argumentum eſt eiuſdem ponderis, cuius, & primum, & ad idem, & eiuſdem potius confirmatio, & ideo eadem facilitate diſſoluitur, & auctoritate eiuſdem ſancti Auguſtini, qua confectum eſt. vnde concedo antecedens in humanis; nego tamen conſequentiam in Diuinis. Negationis ratio eſt: in humanis enim indigemus applicante voluntate intellectū ex imperfectione diſtractionis quā patitur: & quia acquirimus eam notitiam, quam non habemus; quæ quoque eſt admodum imperfecta, quatenus acquiritur, vt teſtatur Sanctus Auguſtinus 15. de Trinit. cap. 13. his verbis. *Sicuti ſcientia noſtra illi Dei ſcientia diſſimilis, ſic, & verbum noſtrum, quod naſcitur de natura, ſcientia diſſimile eſt illi Verbo, quod natum eſt de Patris eſſentia*: Præceptum autem theologicum eſt in aſſerendis ex creaturis attributis, & perfectionibus de Deo, vt imperfectiones omnino ſeiungantur, quippe quæ Deo repugnant. ſed de re hac redibit opportunior ſubtilioris diſputationis occaſio, & vberioris.

Non eſt, cur hic poſt articuli Commentarium, neceſſariam excitemus diſputationem, ne primo affectare lites videamur: nulla namque, aut vtilitas, aut neceſſitas adeſt, aut vrget; ſi enim de differentia reali inter emanationes ſciſcitetur quis, quæſtio ſoluta eſt, in præcedenti diſputatione. Si de ordine inter perſonas, vel naturæ, vel originis, infra ſuo loco exagitabitur. Si, quo ad noſtrum modum intelligendi; videtur nullus contradicere, neque ideo quæſtioni relinqui locum, ſi vnum verbum addamus, & vnicum dubiolum in vtroque ſancto Doctore tollamus. docuit hic ſanctus Doctor, in reſponſione ad argumenta ad vltimum, non dari prius, neque etiam ſecundum rationem intelligendi in relatiuis, & ſupponitur, ex Ariſt. tanquam certum; ſed generatio, & ſpiratio ſunt relatiua, ergo inter ipſas nullus ordo. D. Thom. 1. par. quæſt. 42. art. 3. in reſponſione ad 2. videtur negare, (quod, tum in 1. ſententiarum diſt. 12. quæſt. 1. aſſeruit; tum in Summa q. 40. art. 4. & omnes alij Theologi communiter concedunt) his verbis. *In diuinis ipſæ relationes ſunt ſubſiſtentes perſonæ in vna natura. vnde neque ex parte naturæ, neque ex parte relationum vna perſona poteſt eſſe prior altera, neque etiam ſecundum naturam, & intellectum*. S. Bonau. infra docebit, intellectum noſtrum de Diuinis relationibus poſſe diſtinctè concipere originem emanationum à veluti inſurgente, & conſequente relatione ad terminum, & termini ad originem; ſi primo modo, concipit ordinem: ſi ſecundo modo, nequaquam. deinde idem Doctor in corpore quæſtionis. alia contemplatio eſt de modo, quo procedunt emanationes, alia de emanatione ipſa, quæ actu relatiuè ſumatur: ſecundo modo ſumpta eſt ſimul etiam intellectione noſtra; primo verò modo, natura, & intellectus præcedit voluntatem Diſcipuli ſancti Tho. Caiet. Torres, & Ferrarienſis 4. contra Gentes cap. 26. & Capreol. 1. ſent. diſt. 26. quæſt. 1., licet diuerſa ratione, hac vnica adhibita diſtinctione, & ſoluunt dubitationem, & ſanctum Thomam tum ſibi, tum reliquis conciliant. Si enim perſonæ, & relationes apprehendantur conceptu formaliter relatiuo, veriſſimum eſt, cum relatiua ſint ſimul etiam intellectu, quod illis locis docuit; ſi verò conceptu abſoluto, vt ſub ratione huius perſonæ, vel ſubſtantiæ incommunicabilis, &c. tunc prioritas aliqua, noſtra ratione intelligendi, adeſt. Et hæc arridens conciliatio, ſi attentè litera ſancti Thom. ſpectetur. Debemus enim eum, quod conſequenter, & formaliter loquatur, interpretari. Dicit enim, quod neque ex parte noſtra, neque ex parte relatiuorum, ſcilicet, vt relatiua, & ſub ratione relatiui, &c. non poſſe niſi ſimul intelligi.

Scio, quoſdam hunc ordinem, naturæ appellare, Alexandrum prima parte, quæſt. 46. membro 7. Maiorem in diſt. 13. quæſt. 2. &c.; ſed ſuo loco, aut res incidet in idem, aut impugnabitur.

Nō deſunt Theologi, qui, quomodo actus intelligendi, & volendi in Diuinis ſe habeant, vt notionales ad eſſentiales, & ad eſſentiam ipſam Diuinam, & ſi ab illa vlla prorſus diſt. diſtinguuntur, hoc loco diſputationem inſtruunt, ſed nos infra futuro tractatu, cum de relationibus in ordine ad eſſentiam, rem differimus.

QVAE-

QVAESTIO TERTIA

DE RELATIONIBVS DIVINIS.

DIXERAT Sanctus Doctor, ex noſtro modo intelligendi, ad originem, & emanationem inſurgere relatione. Ordo igitur poſtulabat, vt prius de emanationibus: mox de relationibus inſtitueretur diſputatio. De his ergo, hoc loco. & quærimus quatuor. Primum. an ſint. Secundum. quid ſint. Tertium, quales ſint. Quartum. propter quem finem in Deo aſſerentur.

ARTICVLVS ERGO I.

An ſint D. Bonauentura diſt. 26. art. 1. q. 1. D. Thom. q. 28. art. 1.

PARAPHRASIS.

PRIMA Propoſitio. Quidquid alij dixerint, ex certa, & neceſſaria ſententia, ponēda ſunt in Diuinis proprietates reales inter ſe realiter diſtincta, & quoquo modo ab ipſis perſonis. declarantur, & probantur ſingula partes, qua ſunt tres. Prima. non defuerunt enim, qui, ne Diuina perſona ſummam ſimplicitatem læderent, proprietatem omnem cum perſona, ita identificari, vt ab ea in nullo, niſi in modo loquendi, differret, contra communem opinionem, aſſeuerarunt. Secunda verò pars. Primo, ex S. Hieronymo in expoſitione Symboli ad Damaſum Papam. non tantum nomina, ſed nominum proprietates confitemur. ex D. Fulgentio de Fide ad Petrum. Proprium eſt Patris, quod vnum Filium genuit: ergo generatio actiua eſt proprietas Patris; ſed generatio eſt realis; ergo in Diuinis proprietas realis. Ex D. Damaſceno 1. de Orthodoxa Fide cap. 11. Differentiam perſonarum in tribus proprietatibus paternali, filiali, & proceſſibili cognoſcimus. Ex quo ſic arguitur. Sunt in Deo plures perſona diſtincta realiter: ergo ibidem debet eſſe & proprietas realiter diſtinguens: Probatur conſequentia; vbi eſt vera diſtinctio, ibi debet eſſe vera ratio diſtinguens; ſed hæc ratio non poteſt eſſe eſſentia, quia communis eſt tribus: ergo proprietas. Secundo, ratione: Generatio, & Spiratio differunt realiter. Nam differunt & perſona procedentes, idest Filius, & Spiritus ſanctus: non differunt eſſentia, vt ſupra: neque perſona: nam in eadem perſona Patris eſt generatio, & ſpiratio actiua: ergo differunt notione, & relatione. Confirmatur. nam ſi in Patre non differret generatio, & ſpiratio, Spiritus ſanctus ſpiratus eſſet Filius, & Filius Spiritus ſanctus. Tertia pars. Primo, eadem nuper deducta ratione. In eadem perſona ſunt plures proprietates: ergo non ſolum inter ſe, ſed etiam à perſona differunt. Secundo. Pater, & Filius ſunt vnum principium Spiritus ſancti reale, quia vnus eſt Spiritus ſanctus ſpiratus: non ſunt vnum ratione perſona, quia ſunt dua perſona ſpirantes, ſed vnum vnitate virtutis ſpirandi: ergo hæc virtus & eſt realis in Deo, & differens non ſolum inter ſe à ſpiratione paſsiua, ſed etiam à perſona: nam ſi idem eſſet omnino cum perſona, cum ſit in duabus perſonis vna virtus, ex duabus vnam faceret perſonam. Tertio. In Patre eſt Paternitas, qua refertur ad Filium, & innaſcibilitas, qua non refertur: ergo dua proprietates in vna perſona; ergo differunt, non ſolum inter ſe, ſed etiam aliquo modo à perſona. Quarto, ex corpore Quæſt. Diſtinctio rationis non poteſt ſufficere, ſicuti malè quidam dixerunt: ergo ponenda maior diſtinctio, ergo maior quoque proprietas, quam rationis. Probatur antecedens, primo, quia perſona & ſunt plures, & differunt pluſquam ratione, ergo & proprietates. Secundo, quia vna perſona diuerſo modo, verè à parte rei, ſe habet ad vnam, quam ad aliam perſonam; & eadem perſona plurimis modis ſe habet, vt Pater ad Filiū, & Spiritū ſanctū: & Filius ad Patrē, & Spiritū ſanctū: ergo proprietas verè eſt, & verè differēs, & inter ſe, & quoquomodo etiam à perſona.

Secunda Propoſitio. Modi dicendi, & prædicandi in Diuinis reales ſunt tres. Primus, in Quid: vt cum prædicantur abſoluta. Secundus in Quis, cū perſona prædicatur, vel de perſona ſit prædicatio. Tertius, in Quomodo, cum de proprietatibus: & ab vno horum modorum ad alium arguere, non tenet conſequentia.

Tertia Propoſitio, ex reſponſione ad tertium. Differre ratione latè patet, & tribus modis fit. Primo. per intellectum. Secundo, attributione. Tertio, id dicitur differre ratione, quod neque eſſentia, neque natura differt: vnde perſona à perſona ratione dicitur differre: quia non eſſentia, & natura, ſed relatione differt.

Quarta Propoſitio, ex reſponſione ad ſextum. Referri ſe ipſo fit tribus modis, primo, eſſentialiter, quando tota rei eſſentia ab alio dependet, ſicuti creatura à Deo. Secundo, quando inter relatiuum, & correlatiuum non cadit medium, quod non ſit alter eorum; vnde Pater ſe ipſo refertur ad Filium, ſcilicet immediatè ſua relatione. Tertio, ſe ipſo: quando quod refertur, non eſt niſi relatio, & reſpectus purus; quod non poteſt inueniri, neque in

Deo,

Deo, neque in creatura; ex probatur, & Diuo Auguſtino. Omne, quod refertur, eſt aliquid, excepto eo, quod relatiuè dicitur.

COMMENTARIUM.

RECTVS, & idoneus eſt hic ordo ad diſtinctæ ſanctiſsimæ Trinitatis myſterium, quod adeo auemus, percipiendum; quem ſequitur & S. Thomas in Summa. Poſtquam enim ſupra diſt. 8. de proprietatibus Diuinæ eſſentiæ, cum de ea ageretur, diſputatum eſt; ratio eadem à proportione poſtulat, vt cum de perſonis, de earum proprietatibus inſtituatur quæſtio, diuerſa tamen hac ratione: nam ibi de illis proprietatibus, quaſi ex eſſentia reſultantibus, hic verò de iiſdem Diuinas perſonas conſtituentibus. Secundo. Diuinas perſonas exiſtere, & per emanationes quaſdam procedere, & produci, tum indicauimus, tum infra plenius probabimus; & vnam primam improductam, & improducibilem: conſentaneè ſequitur, vt quid ſint, & per quid in eſſe conſtituantur, indagemus, & demonſtrare aggrediamur. Proprietates autem, & relationes cum ſint, quibus & conſtituantur, & diſtinguātur, & plurificentur Diuinæ perſonæ; hinc fit, vt de iis primo &c. de quibus, primo, An ſit proprietates, poſtea, Quid ſint, diſquirendum.

In prima autem quæſtione, quo ad titulum, eſt quærere, An dentur, & neceſſario dādæ proprietates, quæ non abſolutæ, ſed relatiuæ ſint; & neceſſario addit reales, quia in Deo inueniuntur, & relationes rationis, ad creaturas tamen duntaxat: Quare, & conſulto, & de induſtria addit (in Deo:) tum quia relationes rationis, potius Dei, quam in Deo dicendæ: tum quia ſunt in Deo, & ad intra, ad Diuinas perſonas diſtinguendas &c., & remanent in Deo ad inuicem realiter diſtinctæ: tum denique in Deo, vt intrinſecæ Deo eſſe, demonſtrētur: alias, nec in Deo verè multiplicarent perſonas Diuinas, & locum haberet error Porretani de aſſiſtentia relationum, damnatus tamē in Concil. Rhemenſi, ſub Eugenio III.: & hæreſis Sabelliana veritatem, & realitatem plurium perſonarum tollens.

Quo verò ad rem. primo ſoluit, quod quærit, & affirmatiua ſolutione, in Diuinis reales proprietates demonſtrat, tum auctoritatibus Sanctorum, tum rationibus, vt in textu, & adeo hanc ſolidam, & certam doctrinam docet, vt in eam omnes Doctores Catholici conſpirent, & conſequentur ad doctrinam Catholicam, & fidei ſpectare, aſſerit illis verbis Omnes Tractatores Catholici poſuerunt has proprietates in Diuinis.

Secundo. Quærit modum, quo rectè, & conſentaneè, & orthodoxè ponātur huiuſcemodi proprietates; quod vt præſtet, refert, & impugnat quorundam opiniones, qui nimio zelo Diuinæ ſimplicitatis perſonarum non ſatis, & ſufficienter diſtinctè eas conſtituerunt, hoc argumento. Sicuti cum de Diuina eſſentiæ ſimplicitate ageretur, vt eam perfectè Doctores tuerentur, dixerunt, in ea non differre quo eſt, & quod eſt, ſed idem prorſus eſſe Deitatem, & Deum; ita cum de Diuinis perſonis, eadem omnino aſſerenda, & credenda ſimplicitas: quo circa idem tenendum eſſe, quæ eſt, & quo eſt, id eſt perſona, & proprietas, vt nulla interuenienda ſit differentia, niſi modi loquendi, ſicut cum dicimus: Rogo te benignum, & benignitatem tuam.

Quo ad primum. Obſeruanda primo ingenij Seraphici Doctoris vbertas, & ſolertia, & quam abundet rationibus, & medijs in eadem re probanda, ijsq. ſingulis, quam efficacibus, & ferè omnibus principijs fidei innixis: primo enim arguit, ad hanc veritatem comprobandam, Patrum auctoritatibus: locus enim ab auctoritate eſt in re theologica potiſſimus. primus autem ex Patribus relatus eſt S. Hieronymus de Symbolo ad Damaſum Papam, cap. 17. *Non tantum nomina, ſed etiam nominum proprietates confitemur: confitemur*, ait quaſi ad ſidei confeſsionem ſpectet. Alter eſt D. Fulgentius de Fide ad Petrum cap. 1. *Proprium eſt Patris, quod vnum Filium generet*: ergo in Patre datur proprietas, actiuè generandi. tertius S. Damaſcenus lib. 1. de Orthodoxa Fide cap. 11. *Differentiam perſonarum in tribus proprietatibus &c. cognoſcimus*. ergo ſi tres perſonæ ad inuicem differunt, & diſtinguuntur, per propria diſtinguuntur. Proprietatis enim eſt diſtinguere: ergo dantur in Diuinis perſonis proprietates.

Secundo. Arguit, ex varijs modis quærendi de eſſentia, & perſona, & de eſſentia, & proprietate.

Tertio. Ex vnitate principij ſpirandi Spiritum ſanctum: non enim vnum dicitur vnitate eſſentiæ, aut perſonæ: ergo proprietatis.

Quarto. Ex reali differentia inter generationem, & proceſsionem.

Denique ex pluralitate, & differentia termini relationis in eadem perſona.

Sed inter omnes elegantiſsima, itidem mirum in modum vrgens illa: Plurificantur & diſtinguuntur de fide Diuinæ perſonæ: ergo per proprietates: ergo ibi proprietates: pluſquam enim certum eſt, commune non diſtinguere, ſed potius vnire. infra autem probabitur, eſſe argumentum Conciliorum hoc, & inde neceſſario commune omnium Theologorum, & Patrum, præſertim Boetij, deſumptum ex Diuina Scriptura, ſcilicet per proprietates relatiuas tantummodo, & præcisè, Diuinas perſonas multiplicari, & videtur argumentum hoc, reliquorum argumentorum vim complecti. Quo ad ſecundum.

Obſeruandum. ſecundo, quod hic, vt verè à parte rei proprietates in Deo & eſſe, & plures eſſe, tueatur ſanctus Doctor; inſurgit contra quoſdam, tantum quo ad modum dicendi, in perſonis concedentes proprietates, neque vero quo ad rem, hac ferè argumentatione. non læſa vnitate, & ſimplicitate Diuinæ eſſentiæ, multiplicantur tamen perſonæ: ergo prorſus, & eadem ratione, non læſa vnitate, & ſimplicitate perſonæ multiplicantur proprietates: hac ſola addita differentia, quod aliquo alio modo magis à perſona, quam ab eſſentia, vt infra, differunt. ſecundo in eadem perſona à parte rei, & verè ſunt plures, ad diuerſos terminos

com-

comparationes, & habitudines: Filius enim diuerſa habitudine ad Patrem, diuerſa ad Spiritum ſanctum. Pater alia ad Filium, alia ad Spiritum ſanctum refertur: ergo vnitas perſonæ, non impedit pluralitatem proprietatum. Tertio, ſi idem prorſus eſſet proprietas cum perſona, & duæ perſonæ eſſent vna, ſcilicet Pater, & Filius: quia in vtraque perſona eſt vnitas proprietatis ſpirandi; & vna perſona eſſet plures; nam in Patre ſunt duæ proprietatea, ſcilicet generatio, & ſpiratio actiua, & duæ in Filio nimirum generatio paſsiua, & ſpiratio actiua: aut non tot, quod orthodoxa Catholicorum doctrina ponit, eſſent proprietates; ergo plures reales proprietates ſunt in Deo neceſſario diſtinctæ, et ad inuicem, et quo quomodo à Diuina perſona. Quarto, in Diuinis ex communi Doctorum aſſerto ſunt tres veri modi dicendi, et prædicandi; eſſentialis: perſonalis, et notionalis, adeo diuerſi, vt fallax ſit, et ab omnibua exiſtimetur conſequentia ab vno ad alium, eo modo, quo ab vno prædicamento ad aliud: ergo à parte rei erit aliquid reſpondens in Deo, ſcilicet eſſentia, perſona, et proprietas, et aliquo modo diſtinctum, hoc eſt perſona inter perſonam, et proprietas, et inter ſe, et à perſona.

S. Thomas in ſcripto, eadem diſtinctione, eadem prorſus dat, quæ S. Bonauentura, imò eadem verba quoque adhibet: vbi enim S. Bonauentura omnes aſſerit tractatores Catholicos, S. Thomas, apud omnea Catholicos certum eſt. Poſtea relatis, et refutatis Porretano, et Præpoſitiuo, probar relationea verè eſſe in Deo. Vbicumque, inquit fundamentum eſt reale, et terminus relationis, ibi vera eſt relatio: ſed in Deo eſt fundamentum reale, ideſt natura, quæ cõmunicatur, et communicatio ipſa per generationem, et ſpirationem actiuam: et terminus, ideſt perſona genita, et ſpirata: ergo eſt vera relatio in Deo, ideſt in perſonis Diuinis. In ſumma quoque quæſt. 28. primo articulo, ſed contra: Deus eealiter eſt Pater, et realiter Filius, et realiter Spiritus ſanctus: ſed Pater paternitate Pater, etc. ergo Paternitaa eſt realis in Deo, et eſt argumentum S. Bonauenturæ præcipuum, quod inter alia obſeruauimus. Quidquid quidam ex recentioribus opponant huius argumenti efficacitati, ex eo quod verè quoque Deus eſt Dominus, et Creator; neque tamen relatio dominij eſt realis in Deo; de quibus alias. Sunt autem Torres, et Molina, quibus omnibus ſatisfit vnica diſtinctione; cũ dici Dominum realiter nõ relatione, ſed fundamento, ideſt actione reali, qua creauit creaturã dicatur, &c. dicitur verò Pater relatione formali, & reali in ipſo, ſicut relatione reali in creatura creata ad ipsũ. Secundo, relationes, quæ ſunt inter res eiuſdem naturæ, quarum vna procedens eſt ab alia, ſunt reales: ſed Diuinæ relationes, vt Paternitas, & filiatio, &c. ſunt inter perſonas eiuſdem naturæ, quarum vna procedit ab alia, ideſt inter Filium procedentem à Patre, & Spiritum ſanctum à Patre, & Filio: ergo ſunt reales. Quod probat, & 3. art. Eatenus erunt realea, quatenus præcipuè ad inuicem differunt: vbi ſic ratiocinatur: de ratione relationis eſt, quod ſit reſpectus vnicus ad alterum, ſecundum quem illi alteri opponitur relatinè: ergo in Deo poſitæ relationes, erunt cum hac ratione. Probatur conſequentia. nam cum aliquid alicui tribuitur, tribuendum eſt illi, quod eſt de ratione rei tributæ; ſed de ratione relationis oppoſitæ, eſt, quod ſit realis: ergo relationes in Diuinis, quibus perſonæ ſe mutuo reſpiciunt, & opponunt, erunt reales, & realiter ad inuicem diſtinctæ.

Sed quis ſit, aduerſua quem inſurgit in hoc loco S. Bonau. iam indicauit S. Thomas; eſt enim, & fuit Præpoſitiuus, aſſerens proprietatem, ſicut eſt ipſiſſima eſſentia, ita eſſe ipſiſſimam perſonam, & in concreto, & in abſtracto, ab ea in nullo differre; quo modo dicendi, realitatem, & veritatem proprietatis relatiuæ à Deo ſuſtulit,

Sed cum hoc Auctore inuenti ſunt, & alij, qui non alio modo de eiſdem relationibus ſenſerunt, & fortaſſe peius, & magis à veritate alienum: refert enim Carthuſianus 1. diſt. 26. quæſt. 2. Gulielmum Pariſienſem in tract. de Trinitate, probantem ex profeſſo, tam in Deo, quàm in creaturis relationes omnes eſſe tantum entia rationis. Sed præter ipſum, ſunt & Gulielmus Ocham in 1. Sent. diſt. 30. quæſt. 4. & Gabriel quæſt. 4. art. 1. concl. 5. præcipuè, non timuerunt dicere dubilem eſſe viam negandi omnes reſpectus, non ſolum in creaturis, ſed etiam in Diuinis; ſi dicamus perſonas Diuinas conſtitui per proprietates abſoluras: erit tamen Deus, realiter Pater, & realiter Filius, &c. ſicut realiter eſt creans per denominationem extrinſecam à creatura. & ab actione tranſeunte in creaturam, itaut hi Auctorea, quibus addendus eſt, & Gregorius in 1. diſt. 28. quæſt. 2. de relationibus præcipuè creatis qui nihil aliud concedunt quã extrema abſoluta, vt v. g. ſimilitudo inter ipſas nihil aliud indicet, quam duo ſimul coexiſtentia, eadem qualitate affecta, & Paternitas, & filiatio duos homines alterum, qui genuit, & alterum, qui genitus eſt; quod idem ſi negarent verè in Diuinis, manifeſtum errorem contrarium fidei admitterẽt, de qui infra. Alij ſcilicet Paludanus in 3. diſt. 1. q. 2. art. 3. ad finem, & art. 4. Capreolus in 1. diſt. 17. quæſt. 1. art. 2. ad 3. & diſt. 33. ad 3. & Ferrarienſis, diuerſimode tamen, & magna verborum ambiguitate 2. contra Gentea cap. 1. & 4. contra Gentes, cap. 14. & Caietanus hoc art. 1. & Canarienſis eod art. ad 4. qui omnea concedunt quidem in Deo eſſe relationea reales, quatenus tamen includitur ex eis eſſe per ſe, & Diuina ſubſtantia, & vt vulgo dicitur in ordine ad eſſe (in,) ratione verò propria, & formali in eſſe (Ad) quid reale diſtinctum, negant; ita vt relationes in Deo per hos Auctores ſint reales quo ad eſſe abſolutum in Diuina ſubſtantia; quo verò ad eſſe proprium, & relatiuum, nequaquam. Hoc neceſſario ſentiunt iſti Doctorea; ſi ſibi cohærent, & doctrinam de relationibua illo loco ad inſtitutum referunt; conantur probare ex multis locis, & multis rationibus, de quibus infra.

Sed hic notandus, & explicandus modus dicendi S. Bonauenturæ, & tum ſibi, tum S. Thomæ conciliandus: Videtur enim prima facie S. Doctor, non admodum conſentaneè D. Thomæ loquutus: Diuus

enim

enim Thomas, dicit relationem in perſona eſſe idem cum ea propter ſimplicitatem perſonæ: ſanctus verò Bonauentura videtur oppoſitum aſſeruiſſe, quando, & ſupra diſt. 13. & hic arg. 3. aſſerit in eadem perſona realiter differre; cui obſtat etiam commune Theologorum dictum, in Deo omnia vnum eſſe vbi non obſtat oppoſitio relationis; ita vt præciſè relationes oppoſitæ differant realiter; ſed obſeruanda, & mente recolenda illa diſtinctio rationis, & rei, quomodo, & quanta latitudine ſumatur à S. Doctore: aliquando enim id non differre realiter, quod non differt eſſentia, & natura, & per abſoluta, vt hic in reſponſione ad ſecundum: aliquando etiã id differre realiter, quod pluſquam ratione, ratiocinante differt, docuit: vult ergo dicere, quod differunt realiter in perſona primo, ideſt pluſquam ratione &c. ſecundo realitate relatiua, hoc eſt ſunt plures reſpectus ad diuerſos terminos, & plures modi ſe habendi; neque tamen hinc inter has relationes in ordine ad perſonam in qua ſunt poteſt interuenire differentia realis, quia neque adeſt oppoſitio realis, vt propriè ſumitur hic terminus, realis. quod ſi iterum obijcias ea ſaltem ratione componere perſonam, qua differunt. reſpon. ex Scoto, quod non componeretur, neque ſi formaliter differrent. ſecundo virtualis diſtinctio, quæ ſupponitur, non componit. tertio reſpondet ipſe S. Doctor ad tertium, diſtinctionem abſolutam componere, non autem relatiuam: reſpectus enim ſub ſua ratione formali, non dicit ordinẽ ad perſonam in qua eſt, ſed ad quã refertur: ergo perſona in qua licet eſſent plures reſpectus, quatenus dicit ſuppoſitum, & hypoſtaſim, non poteſt dici, ideo compoſita. S. Thomas, quando relationem eſſe idem cum perſona verum quidem docuit, ſed idem concedit S. Bonauentura; nam eatenus dicit differre, ideſt inter ſe, & ratione reſpectuum propria, non ratione communi, quatenus in perſona. Quod denique ſi inſtes; à perſona quoque, quoquomodo differre docuit; reſpondeo diffuſe, tum infra in diſputatione, tum hic, neque dicit differre realiter, quod eſſet contra S. Thomam, ſed aliquo modo.

Hac occaſione explanandus, quidam dicendi modus, magni Alberti ſatis obſcurus: nam hac de re, & eadem diſtinctione docet: licet realiter loquendo, relatio, nihil ſit in perſona in Diuinis: tamen ſecundum modum intelligendi, diſtinguens eſt indiſtincto, & ſuppoſita perſona, non ſupponitur relatio: ſi enim relatio nihil eſt in perſona: ergo Paternitas, nihil eſt in Patre, filiatio in filio &c., quod ſi hoc verum eſt: ergo nec conſtituit verè perſonam, nec diſtinguit, neque multiplicat: quæ ſunt intolerabilia abſurda: ſed meo, imò communi, & certo iudicio, nihil aliud voluit Albertus innuere, quam quod ex vtroque S. Doctore ſupra dicebamus, relationem, ſcilicet in ordine ad perſonam in qua eſt, nihil addere realiter, & abſolutè, quo componat perſonam, & perſonæ ſimplicitatem lædat: non enim ſicut in creatis, vbi relatio in ſubiecto cum ſit accidens additum, & abſolutum verè cum ſubiecto componit, ita licet dicere in Diuinis: eſt enim ibi relatio ipſamet perſona ſubſiſtens: licet alia ſecundum modum intelligendi ſit ratio perſonæ, qua ſubſiſtit, alia qua refertur.

Obſeruandum tertio circa Argumentorum ſolutionem, quam S. Doctor egregiè, & vberrima doctrina præſtat.

Primum autem argumentum, erat contra realem proprietatum diſtinctionem; ex duplici auctoritate, altera S. Hilarij, altera S. Damaſceni; ille enim lib. 4. de Trinitate: *Pater* dicebat, *& Filius, & Spiritus ſanctus ſolis differunt nominibus:* hic verò lib. 1. cap. 12. de Orthodoxa Fide: ſicut aliud eſt differre re, aliud ratione: in creaturis eſt differentia re, & conuenientia ratione: in Diuinis, differentia ratione, & conuenientia re: ex quibus duobus locis videtur colligi perſonas, & perſonales proprietates, non re, ſed nomine, & ratione differre; neque propterea dicendas reales, quia realiter non ſunt diſtinctæ.

Sed ad ſanctum Hilarium, reſpondet interpretandum non ſolis nominibus docuiſſe differre Diuinas perſonas; nominibus inquam præciſè ſumptis pro ſola voce, & ſono, ſed ſimul cum re ſignificata iiſdem nominibus; ita vt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus differant ſolis his nominibus, hoc eſt Paternitate, filiatione, & ſpiratione paſsiua. Cæterum in reliquis omnino conuenit.

Ad D. Damaſcenum, reſpondetur, integro illo capite, hac oppoſita proportione: diſcurrit, & probat Diuinas perſonas eſſe prorſus eiuſdem numero naturæ: differre proprietatibus: In creaturis namque ſuppoſita, vt Petrus, & Paulus differunt numero ſubſtantia, & loco, conueniunt verò in natura humana, in qua ſunt ratione, & conſideratione quatenus, ſcilicet appræhẽditur mente, eiuſdem naturæ Petrum, & Paulum, habere communitatem: In Diuinis verò diuerſa, & prorſus oppoſita ratione ſeſe habere rem conuincitur: Diuinæ etenim perſonæ in natura, & eſſentia, & æternitate reliquiſq. perfectionibus abſolutis, adeo conueniunt, omnino, vt ſint vniſsima, & eadem numero omnium trium perſonarum natura, eſſentia &c. præter ingignentiam, gignentiam, & proceſsionem: ratione autem, & intelligentia diſtinctæ, & duplici ordine diſtinctæ concipi poſſunt: primo ordine ad eſſentiam, & naturam, quo veriſſimum certo eſt proprietates ab eſſentia tantum ratione diſtingui: ſecundo ordine ad inuicem, quo tunc hæc vox (Ratione) interpretanda ſicut peritè facit S. Doctor, ideſt non natura, & eſſentia, & abſolutè, ſed notione, & proprietate: quæ comparata ad diſtinctionem abſolutorum poteſt rectè rationis diſtinctio nuncupari: & colligitur ex his, quæ ſubiungit ſtatim verbis, idem S. Damaſcenus: addit namque, *vnum cognoſcimus Deum in ſolis quidem proprietatibus Paternitatis, filiationis, proceſsionis ſecundum cauſam, & cauſale, & perſonalem perfectionem*, ideſt exiſtentiæ modum, differentiam intelligimus: non enim localem diſtinctionem, ceu in nobis cum incircumſcriptæ ſint aſsignare licet &c.

Secundum. Argumentum, ratione hac; conſtituitur Diuina perſona ſummè, & omnino ſimplex: ergo

ergo in ipſa non poteſt inueniri, neque concedi proprietas vlla diſtinguens. Probari poteſt: nam ſi diſtinguens perſonam: ergo differet ab eo, quod diſtinguit.

Reſpondetur. Trita, vulgata, & veriſsima diſtinctione: duplex enim datur, & inuenitur diſtinctio, Alia abſolutorum, Alia reſpectiuorum. Prima repugnat ſimplicitati; itaut, ſi in Deo vera inter bonitatem, & ſapientiam, verbi gratia, daretur diſtinctio, prorſus, & eorum cum Diuina natura compoſitio: & in creaturis diuerſa prædicata realia abſoluta, vel ſubſtantiæ, vel accidentis, quo diſtinguuntur, eo componunt cum ſubiecto de quo prædicantur. Secunda verò, haud officit, & repugnat ſimplicitati. Patet primo: nam reſpectum aduenire rei de nouo ipſi immutatæ remanēti conſtat, albo enim pariete ipſi immutato, aduenit ſimilitudinis relatio, ſi & alter paries albus eadem perfectione fiat. ſecundo ſumendo relationē propriè ſecundum ſuam naturam, vt refertur, repugnat poſſe componere, id in quo eſt: nam vt ſic non refertur ad id, ſed ad terminum: vnde eruditè: ***De Trinitate*** dicebat Boetius ***ad aliquid omnino non poteſt prædicari:*** nam vt S. Thomas ad primum articulo primo, vt ſic non habet ordinem ad ſubiectum in quo eſt. Ergo proprietates non componunt Diuinam perſonam: quia relatiuæ ſunt, & non vt (In) ſed vt (Ad) ſumuntur, & intelliguntur.

Tertium. Propter eandem tuendam ſimplicitatem, eſſentiæ Diuinæ attributa non dicuntur differre niſi ratione, & modo loquendi. Ergo eadem ratione de perſonarum proprietate aſſerendum idem. Probatur conſequentia: nam æquè ſummè ſimplex eſt perſona, ſicuti eſſentia.

Reſpondetur. Ferè eadem reſponſione, & negatur conſequentia: licet enim ſit eadem ſimplicitas eſſentiæ & perſonæ: non tamen eadem ratio abſolutè, & relatiuè proprietatis. Nam abſolutæ omnino tranſeunt in eſſentiam, & ſi non tranſirent eſſentialem facerent compoſitionem: relatiuæ verò præcisè, vt ſic; licet non tranſeant, quia tamen non ad eſſentiam, ſed ad terminum referuntur, & differunt, & non componunt.

Quartum. Pro eadem ſimplicitate. Diuina eſſentia propter ſummam ſimplicitatem refertur ad creaturam, & dicitur Dominus, & creator &c. ſed non diuerſa relatione a ſe ipſa, niſi ratione, ergo eadem ratione, & Diuina perſona ad perſonam: ergo tantum relatione, & proprietate rationis.

Reſpondetur, & negatur primo, antecedens: eſſentia enim Diuina non poteſt ad creaturam referri vllo modo, tum auctoritate Philoſophi 12. Metaph. text. 52. dicentis Deus non ordinatur ad res, ſed res ad ipſum; tum ratione: repugnat enim eſſentiam referri; nam relatio dicit ordinem, & quamdam dependentiam ab eo, ad quod refertur. Secundo negatur conſequentia, nam alia prorſus ratio eſſentiæ, & perſonæ; ideo eſſentia ad creaturam non poteſt referri, quia creatura ad extra eſt: perſona verò poteſt ad perſonam referri, & quia ad intra, & quia inter perſonas eſt verus originis ordo.

Quintum. Omnis creatura refertur ad Deum, non accidentali, & prædicamentali, ſed tranſcendentali, & eſſentiali relatione, & ſe ipſa: ergo multo magis perſona ad perſonam. Probatur antecedens: nam alias ſequeretur abſurdum, & daretur medium inter creaturam, & creatorem; quod non eſſet, neque Deus, neque creatura. Probatur conſequentia, nam in ſe maior eſt relatio perſonæ ad perſonam, quam creaturæ ad Deum: ergo relatio non differt à perſona.

Reſpondetur primo ad vim Argumenti ſimpliciter: concedo creaturam ad Deum, & perſonam ad perſonam ſe ipſa referri: nego tamen id quo refertur nullo modo differre ab eo, quod refertur, & ita proprietatem qua refertur, & creatura, & perſona, dico quoquomodo differre à creatura, & perſona. ſecundo dilucidius. Antecedens indiget declaratione: referri enim ſe ipſo tribus modis intelligi poteſt. primo ſe ipſo, hoc eſt eſſentialiter, vbi non per extrinſecam relationem, ſed per eſſentialē refertur, ſicut omnis creatura ad Deum à quo, quemadmodum omne eſſe accipit, ſic ſecundum omne, & totum eſſe dependet, & refertur. Ita materia ad formam &c., ſed hoc ita neceſſario accipiendum, vt interueniat aliqua differentia inter eſſentiam, & relationem, licet eſſentialem, idque primo ex D. Auguſtino. Omne quod refertur, eſt aliquid excepto eo, quod relatiuè dicitur, ideſt excepta formali relatione. ſecundo, quia nulla creatura poteſt eſſe, ita ſimplex, vt ſit omnino ſua relatio, neque ſequitur illud abſurdum, quod deducebatur, vt ipſe S. Doctor eandem difficultatem verſans optimè elucidat 2. Senten. diſt. 1. art. 1. Secundo. referri ſe ipſo, eſt correlatiuorū, inter quæ nullum medium, quo ad inuicem referri dicantur; quod proprium eſt diuinarum proprietatum: Pater enim immediatè, & ſe ipſo ad Filium refertur, & ratio eſt, ſumma perſonæ ſimplicitas: nam Pater veriſsimè eſt ſua Paternitas. Tertio denique referri ſe ipſo poſſet, & hanc habere ſententiam videlicet. id quod refertur eſt ſolum relatio, quæ ſe ipſa refertur, ne detur Relatio relationis. Quæ ſententia nullo modo admittenda eſt: tum quia referri, & nihil referri implicat: tum quia nulla poteſt concedi relatio ſine ſuo fundamento. Hac explicatione adhibita ad antecedens; conſequentia erit primo, cum hac eadem explicatione concedenda, alias audenter neganda: referri namque ſe ipſo, non tollit neceſſario omnem diſtinctionem. ſecundo adhuc neganda; nam alia ratio eſt, qua creatura ad Deum, alia qua perſona ad perſonam refertur. Hic obſeruanda opinio ſancti Bonauenturæ de diſtinctione reali relationis creatæ à fundamento. Si enim in rebus creatis plus differt relatio, quam in Diuinis, & in Diuinis non realiter: ergo in creatis realiter.

ARTICVLVS II.

Quid ſint in Diuinis proprietates perſonales. D. Bonauentura ibidem q. 2. D. Thom. q. 32. artic. 2.

PARAPHRASIS.

PRIMA Propoſitio. Proprietates iſtæ in Deo ſunt relationes. Probatur primo ex triplici loco Sanctorum Patrum ibi à Sancto Doctore poſito. ſecundo ratione. Omne abſolutum in Diuinis, & eſt communicabile, & commune tribus: ergo proprium, & incommunicabile, erit relatiuum. Conſequentia eſt nota. nam nihil aliud eſt in Diuinis. ſecundo in corpore dantur in Diuinis reales diſtinctiones: ergo per relationes. Probatur conſequentia, nam in abſolutis non diſtinguuntur, ſed conueniunt &c.

Secunda Propoſitio. Relatio in Diuinis, non eſt eo modo, quo in creaturis. Non ſolum enim in creaturis ad obiectum, & terminum refertur, ſed etiam ſubiecto inhærens ab eo differt, & dependet, & cum eo componit: & ratio eſt, quia eſt accidens: In Diuinis verò, non eſt accidens, ſed ipſamet Dei ſubſtantia; nec ideo inhæret, nec differt, nec componit, ſed habet dumtaxat, quod eſt ei præcisè proprium, hoc eſt ad terminum referri.

COMMENTARIVM.

EXPRESSO, & exquiſito Ariſt. ordine procedit S. Doctor, vt cum dubitationi, an ſint proprietates in Deo fecerit ſatis; ſtatim, & è veſtigio, ad quid ſint, explicare, manus admoueat.

Sed duo, in foribus huius commentationis inprimis ſunt ſolerter obſeruanda. Primum, quam inſulsè, ne dum falſo quidam ſancto Doctori imponunt aliquando perſonas Diuinas, & conſtitui, & diſtingui non per relatiuas, ſed per quaſdam abſolutas proprietates tradidiſſe, cum hac quæſtione de induſtria incipiat palam luce meridiana clarius, prædocere proprietates, quibus perſonæ &c, eſſe relationes, & integram quæſtionem inſtituere: neque oppoſitum vnquam, neque ſomniauerit, vt infra cum de hac re ſuo loco erit propoſitum.

Alterum, ſanctum Doctorem vberius cæteris Doctoribus, dubitationē hanc ſoluere; vnico enim articulo reliqui, duobus ille abſoluit, & gemino titulo veritatem demonſtrat. Primo ſub proprietatis titulo. Secundo, nunc ſub relationis nomine; ſimul tamen eleganti methodo, & quid ſint ſuboſtendendo, & ſub proprietatis termino relationes proprias, à communibus diſtinguendo; de quibus, diſtinctim, ſuis locis. Quod vtrumque facili negotio colligitur; nam in corpore, proprietates probat eſſe relationes: in argumentis verò, quod & reliqui faciunt, in Diuinis dandas relationes ſatagit demonſtrare.

Quo verò ad rem in quæſtione, hoc, quatuor videtur S. Doctor præſtare. Primum, facit quæſito ſatis, & reſpondet affirmando, & probat proprietates Diuinas neceſſario eſſe relationes; primo ex D. Hilario 12. de Trinitate. *Proprium eſt Deo nato eſſe Filium*; filiatio enim eſt relatio. Ex D. Damaſceno lib. 1. c. 11. de fide. *Dicamus Diuinam Verbi hypoſtaſim natiuitatis modo, & habitudine à paternali hypoſtaſi differentem*; habitudo autem eſt Relatio: ex Riccardo de ſancto Victore lib. 4. cap. 13. & 15. de Trinitete, *perſonæ diſtinguuntur proprietate originis*, quis autem non videt in Deo originem eſſe relationem.

Secundo ratione efficaciſſima, & neceſſaria. Proprium eſt ſolum, id quod vni ſoli conuenit: ſed in Diuinis, quod ſoli perſonæ diſtinctæ ab alia conuenit, eſt relatio: ergo proprium eſt relatiuū. Maior probatur: nam quod commune eſt, ideo ſi dicitur, quia multis conuenit. Minor patet: nam Paternitas, quæ ſoli Patri congruit, ſicut ſoli Filio filiatio, Spiritui ſancto ſoli ſpiratio, & proceſſio, ſunt formaliter relationes.

Tertio. Proprietatibus, Perſonæ diuinæ ad inuicem realiter referuntur: ergo ſunt relatiuæ. Probatur conſequentia. Antecedens enim apertum eſt, tum ex ſupradictis, tum ex notione proprietatis: ideo enim vnum ab alio diſtinguitur, quod ſibi ſoli habet proprium, quod non habet aliud: conſequentia, inquam probatur: nam abſoluta non manēt, ſed omnino tranſeunt in eſſentiam, à qua nonniſi ratione differunt: ergo per ſolas relationes, quæ vt ſic manent diſtinctæ &c. Confirmatur per D. Aug. 6. de Trinitate cap. 2., & 5. cap. 8. quod ad ſe dicitur, de ſingulis dicitur, hoc eſt tribus commune.

S. Thom. citato art. 2. quæſt. 32. eandem veritatem agens, licet quoquomodo, diuerſo propoſito, ſic ferè commonſtrat. Notiones, & proprietates perſonales, contra Præpoſituum, dandas eſſe, & in abſtracto, & in concreto ſic: primo, vt reſpondeamus hæreticis: confitemur Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum, eſſe vnum Deum, & tres perſonas: ſed ſicut quærentibus hæreticis, quo ſunt vnum? dicimus, eſſentia, & Deitate; ita quo ſunt tres? debemus reſpondere, Paternitate, filiatione, & ſpiratione paſſiua: ergo proprietates perſonales ſunt relationes. ſecunda. Pater habet duas proprietates; vnam qua ſe habet ad Filium, & à Filio differt, & alia qua à Spiritu ſancto &c.: ſed qua ad Filium, eſt Paternitas, qua ad Spiritum ſanctum eſt ſpiratio actiua, quæ ſunt relationes: ergo.

Riccardus ſub eodem titulo formali, quo ſanctus Doctor, primo ex Boetio lib. de Trinitate. *Relatio multiplicat Trinitatem*; hinc deducit, & conſtruit argumentationem. Id quo multiplicantur perſonæ, eodem diſtinguuntur: ſed multiplicantur relatione: ergo, & relatione diſtinguuntur: ſed diſtinguuntur ſupra, proprietatibus: ergo proprietates ſunt relatiuæ. Secundo ex D. Anſelmo

lib.

lib. de Proceſſione Spiritus ſancti. *Pluralitas ſequitur relationem:* ſed pluralitas includit diſtinctionem, quæ fit per proprietatem: ergo relatio eſt proprietas. Tertio, ſuppoſito in Diuinis principio quaſi effectiuo diſtinctionis perſonarum, ideſt origine, & emanatione, debet dari principium quaſi formale, & quaſi forma propria, qua vnaquęque perſona, & conſtituatur, & diſtinguatur ab alia: ſed hæc eſt perſonalis proprietas, nimirum Paternitas, & filiatio, &c. ergo proprietas eſt relatiua.

Secundum quod docet eſt diligens doctrina de natura relationis in communi, ac præcipuè in quo conueniat cum cæteris prædicamentis, & in quo differat: conuenit enim primo: quia eſt prædicamentum, & quoddam genus entis, & eſt accidens, quod inhæret ſubiecto, ſicut quodlibet aliud accidens. Differt verò in eo, quo conſtituitur formaliter in eſſe proprio: ipſum namque præcisè, & ſolum ad terminum, & obiectum habet reſpectum, & habitudinem, & dependentiam; ita vt reliqua accidentia maneant tantum in ſuqiecto; relatio verò tranſit, quatenus refertur extra, ad terminum. Tandem, quod poſt ſubſtantiam de reliquis prædicamentis nullum inuenitur, quod maneat in Deo, relatione excepta: ipſa namque iuxta ſuum formale de Deo, vt infra prædicatur, in Deoq. eſt.

S. Thom. quæſt. 28. art. 1. addit alteram differentiam; in reliquis prædicamentis non interponitur ens rationis: quantitas enim, v. g. qualitas, &c. ſunt tantum entia realia: At verò relatio, etiam eſt ens rationis: nam æquè refertur genus ad ſpeciem, ſicut Pater ad Filium. Ratio eſt: nam vis formalis relationis, eſt ſe habere ad aliud, quod aliquando eſt reale, aliquando rationis; quod tamen, & ſanctus Doctor, & tanquam certum ſupponit, & vbique innuit: qui dum hanc communem, & formalem relationis differentiam indagat, alia quoque indicat, quæ ad ſcopum valde proſunt, & primum, relationem differre à ſuo ſubiecto, & fundamento, aliqua realitate quæſt. 1. ad 2. & 6. argumentum. Quod magis facit, ad quod prætendimus, ideſt ad probandum in Deo eſſe relationes reales. Si enim ad realitatem relationis ſuſtinendam in creaturis adeo reales eſſe, vt à fundamento etiam realiter differant, aſſeratur; facilior erit via ad eas, & in Deo, & confitendas, & conſtituendas ſaltem virtute ab eſſentia differentes, vt conſtituant, & Diuinas perſonas diſtinguant.

Secundũ quod tollit vetuſiſſimã inter Philoſophos litẽ, & diſputationẽ, vt teſtantur, & Auerroes 12. Metaph., & Auicenna in ſua Metaph. & Simplicius in Prædicamentis, dum aſſerit, & in Deo, & in creaturia dari relationes reales, licet, & hoc non neget, quod negare non licet adinueniri, & relationes rationis.

Tertium denique quod hoc loco enucleat, eſt de relationibus in Deo, quomodo à relationibus creatis differant: in Deo enim relatio non eſt genus, neque in genere, neque accidens, ſed ſubſtantia ſubſiſtens. Si quidem ſi in Deo remaneret diſtincta realis relatio, quæ non tranſiret in ſubſtantiam, componeret Deum, & tolleret illam omnimodam ſimplicitatem, & aliquid poneret in Deo, quod non eſſet Deus, quod pluſquam blaſphemum, atque erroneum eſſet. Quod ſi remanent verè, vt de fide remanent, quo ad proprium, & formale, & vt ad terminum referuntur; & ſufficiunt ad diſtinguendas. & conſtituendas perſonas; nihil derogat ſimplicitati Diuinæ; eidem enim eſt idem formaliter; vt verò ad terminum refertur, non poteſt componere, vt ſupra nuper; compoſitio enim ex D. Bonauentura in primis diſt. 33. q. 1. attenditur per comparatioaem proprietatis ad ſubiectum; diſtinctio verò per relationem ad obiectum. Quæ cõmunis, & certa, & neceſſaria eſt omnium Theologorum aſſertio; ita vt relatio in Diuinis, & ſit realis, ſicut reales perſonæ, & quo ad (*In*) ſit ſubſtantia, & ſubinde indiſtincta, & quo ad (*Ad*) ſit relatio diſtincta, non tamen accidentaria.

Quartum. verſatur circa argumentorum ſolutionem. Primum verò huiuſmodi eſt, æquè verè in Deo, & magnitudo, & bonitas, &c. inuenitur ſicut, & Paternitas, &c. :Sed magnitudo ibi nõ eſt quantitas, nec bonitas. qualitas: ergo neque Paternitas, &c. relatio. Maior colligitur, tum ex diuinis Litteris, quæ Dominum magnum, & laudabilem nimis, & magnitudinis eius non eſſe finem, & bonum vbique commendat; tum ex axiomate Theologico concreta, & abſtracta ſine differentia aſſerenda in Deo: eſt enim magnus, & ipſa magnitudo, bonus, & ipſa bonitas; ſicuti Deus, & ipſa Deitas, &c. Minor quoque patentiſſima eſt, & in corpore quæſt. remanet probata, ea ratione, quod alias derogaret Diuinæ ſimplicitati, Deumq. indignè componeret. Conſequentia quoque hinc perſuadetur; nam ſi ad tuendam eandem Diuinam ſimplicitatem omnia, quæ de Deo aſſeruntur; dicuntur verè tranſire in ſubſtantiam: ergo idem, & de relatione dicendum. Hoc idem argumentum ſuſcipit Riccardus.

Reſpondeo, poſſet quidem negari maior; licet enim verè magnus, & bonus Deus ſicut, & Pater; diuerſa tamen ratione, eſt Pater, ac magnus; & quomodo ſit magnus, declarat egregie S. Auguſt. lib. 5. cap. 1. de Trinit. *Intelligamus ſi poſſumus, Deum ſine quantitate magnum, ſine qualitate bonum:* ſed ſufficit negare conſequentiam: nam præter conditionem communem, quã habet relatio cum reliquis prædicamentis, qua cũ ipſis in Deo tranſit in ſubſtantiam; habet, & propriam, qua referuntur ad terminum, & qua remanent, & diſtinguuntur; vt totum argumentum concedendum ſit, quo ad rationem communem, negandum verò quo ad rationem propriam; remanere enim ibi relationes, nihil obſtat ad ſimplicitatem Diuinam; nam non componunt, nec remanent, niſi vt referuntur.

Secundum. Eo modo, quo Deus eſt ſua magnitudo, eſt etiam ſua Paternitas, ſed quia eſt ſua magnitudo, quantitas tranſit in ſubſtantiam: ergo eadem ratione, & Paternitas tranſibit in eandem ſubſtantiam: ergo non remanebit, ergo in Deo proprietates non erunt relatiuæ.

Reſpondeo. Argumentum eſt eiuſdem ponderis, & eadem ſolutione ſoluitur, ſicut, & iam ante ſolutũ ex doctrina in corpore quæſtionis; ſicuti eadem veſtigia ſequens, ſoluit, & Riccardus: dicimus ergo, & negamus maiorem; non enim ſimpliciter, &

Digitized by Google

in vniuerſum eſt vera; diuerſo enim modo Deus eſt ſua telatio, & ſua magnitudo, & qua ratione diuerſa eſt eadem, non tranſit, ſcilicet ſub ratione propria, vt refertur; quo circa falſa eſt conſequentia.

Tertium. Relatio inter omnia entia minoris entitatis eſt, & maioris dependentiæ: pendet enim à ſubiecto, & termino: ergo ſi ponitur in Deo; vrgentius, & facilius debet in ſubſtantiam tranſire, patet: nam dedecet hanc entitatem minimam cum dependentia in Deo admittere.

Reſpon. Eadem ferè teſponſione. Relationem verè tranſire in eſſentiã, & fieri idem cum ea, quo ad omnia cõmunia, neque verò quo ad proprium, quo diſtinguuntur perſonæ; neque in Diuinis, eſſe veram dependentiam, vt aſſerunt S. Doctor, & Riccardus. Et illa, quæ eſt à termino, nulla dependentia eſt, dicens imperfectionem, ſed ponens naturam relationis ad intra, & perſonarum originis, & coexiſtentiam termini: ad formã ergo argumenti, negatur antecedens in Deo, vt infra, in reſponſione ad quartum, & conſequentia.

Quartum igitur argumentum, quo recentiores præcipuè ſumunt diſputandi occaſionem. An relationes Diuinæ, dicant perfectionem. Relatio eſt minimæ entitatis: ergo non eſt in Deo ponenda. Antecedens patet. aduenit enim, & recedit ſine fundamenti, & ſubiecti mutatione, & ex tertio argumento eo minimæ entitatis, quo vtrobique dependet, & à ſubiecto, et à termino. Conſequentia quoque conſtat; nam in Deo, perfectiora; et ſimpliciter perfecta dumtaxat, reponenda ſunt.

Reſpondet, et bina, et vtraq; elegantiſſima ſolutione, ſoluit S. Doctor. Altera; negandum in Deo relationem eſſe minimæ entitatis, imò maximæ, quia tranſit in Dei ſubſtantiam. Ita et Riccardus. Altera, retorquet mirè argumentum, et ex oppoſitione probat, quod prætendit: quia minimæ eſt entitatis relatio, in Deo non eſt concedenda, aſſeris tu; aſſero ego, ideo concedenda, quo enim minoris eſt entitatis, eo minus componet in Deo: ergo ad tuendam ſimplicitatem, aptior in Deo eſt relatio; imò aptiſſima. Ratio, qua minimè entitatis eſt, in eo ſita eſt, vt ſit (*Ad*) ſub qua nullam compoſitionem facere poteſt: omne verò ens abſolutum, quo diſtinctum, eo componit, quare égregiè concludit S. Doctor. Relatio melius valet in ſummo ſimplici, ad arcendam compoſitionem.

TERTIA DISPVTATIO.

De relationibus Diuinis.

SAnctus Thom. ad tria capita hanc diſputationẽ de relationibus in communi redigit; quorum primum, queſtioni, an ſint, reſpondet, dum art. primo prodit in Deo relationum veritatem. Secundum, quaſi ſecundi quæſiti quid ſint parans ſolutionem, quærit quomodo ſe habeant cum Diuina eſſentia, & infra cum de Diuinis perſonis, an differant quoquo modo ab ipſis, & ad inuicem. Tertium; quot ſint numero, art. 4. at verò latius, ſi via obſeruatur Angelici Doctoris, ad quatuor communia quæſita de vnaquaque re reſpondet, ita & S. Bonauentura erit ergo in quatuor capita, quadripartita diſputatio.

Primum. De exiſtentia, & veritate relationum.

Secundum. De quidditate, & diſtinctione. Quod in plura capita, & quæſtiones ſubdiſtinguitur.

Tertium. De qualitate, & perfectione, & modo quo ſe habent ad actus notionales.

Quartum. De fine, & propter quid in Deo ponantur.

CAPVT I.

An relationes in Deo exiſtant.

PRIMVM dogma. Qua certitudine conſtat vbique Scripturarum reuelante, & dictante Spiritu ſancto, & omnibus, & ſingulis fidelibus vbique orthodoxè confitentibus, & profitentibus, dari verè plures, ſcilicet tres perſonas Diuinas in eadem vnica eſſentia; eadem proculdubio certitudine quoque certum, & conſtans eſt, dari proprietates, & relationes reales, quibus conſtituantur, & diſtinguantur eædem perſonæ: quid enim verè, aliud perſonæ Diuinæ ſunt, niſi ipſæ proprietates, & relationes reales ſubſiſtentes, Diuinam eſſentiam includentes, & quaſi modificantes, & vt ait Sophronius figurantes, ex D. Paulo? prima pars non eſt reuocanda in dubium, vt probetur. Quid enim clarius in diuinis Litteris. 1. Ioan. 5. *Tres ſunt, qui dant teſtimonium in Cælo Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus, &c.* Matt. vlt. *Baptizantes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Symbolo Nicæno, & Apoſtolico. *Credo in Deum Patrem, in Filium eius vnigenitum, & in Spiritum ſanctum.* Symbolo Athanaſij. *Fides autem Catholica hæc eſt, vt vnum Deum in Trinitate, & Trinitatem in vnitate veneremur, &c.* Secunda verò pars, vel ſi ad illationis vim reuocetur, conſequentia; apertiſſima vbique eſt; primo, omnibus illis Scripturarum locis, quibus relatiuis nominibus Diuinæ nominantur perſonæ, *Patris.* ſcilicet *Filij, & Spiritus ſancti:* ſi enim perſona prima Pater eſt, Paternitate erit Pater: Filius, filiatione, quoque Filius, Spiritus ſanctus, ſpiratione, ſpiritus: Verbum alicuius dicentis Verbum. ex Lateranenſi Conc. extra de ſumma Trinitate, & Fide Catholica capite Firmiter, & cap. Damnamus vbi his verbis. *Hæc eſt ſancta Trinitas ſecundum communem eſſentiam indiuidua, & ſecundum proprietates diſcreta.* Quid clarius? ſecundum proprietates diſcreta? Proprietates enim ſunt relationes. ex Concilijs Toletanis 7. & 11. can. 1. ex epiſtola Sophronij in 6. Synodo act. 13. à toto Conc. tanquam orthodoxa recepta. Ex Conc. Florentino ſeſſ. 18. & 19. Proprietates perſonales, & relatiuas eſſe, & perſonas per eas ad inuicem realiter diſtingui. Denique ex Præfatio in Miſſali Romano in Miſſa

San-

Sanctiſſimæ Trinitatis. Vt *in confeſſione vera ſempiternaq. Deitatis, & in perſonis proprietas, & in eſſentia vnitas, & in Maieſtate adoretur æqualitas*. Vbique Sancti Patres vbicumque de hac re contingat docendi occaſio. Omnium Theologorum ſemper concors ſententia. Denique rationibus, quæ ſupra in Commentario.

Sed hæc, & ad hæc Conciliorum dogmata reuoco rationem Doctoris ſancti: Diuinæ perſonæ realiter de fide diſtinguuntur. ergo Per proprietates reales relatiuas: omnis namque huius argumentationis vis his omnibus conglobatis locis inhæret. Sancti quoque Thomæ ratio, quæ eſt, (ſed contra) ferè eadem quo ad vim, cum hac ſancti Bonauenturæ, & eodem robore vrget. Si relationes non ſunt in Deo, ergo, neque perſonæ. Si non reales, ergo, neque perſonæ reales, ſi realiter non diſtinguuntur: ergo neque plures reales, & diſtinctæ perſonæ; quæ eſt hæreſis Sabelliana: ſed de fide, ſunt plures perſonæ, realiter diſtinctæ: ergo, & plures relationes reales. Probantur omnes conſequentiæ, quia Pater paternitate eſt Pater, &c. cui vtrique rationi ſi obijciant Torres, & Molina. Deus eſt realiter Dominus creaturarum, neque tamen per realem relationem dominij, quæ ſit in eo, ſed per relationem rationis: ergo ex hoc pariter, quod Deus realiter ſit Pater, non videtur ſequi Paternitatem eſſe relationem realem. Reſpondent ipſi, & negant conſequentiã. Deum enim diuerſa ratione dici Patrem, ac Dominum aſſerunt: nam dicitur Dominus, nõ à relatione dominij, ſed à fundamento, & ratione fundandi relationẽ, hoc eſt ab actione reali, qua tangit, & creat creaturam ad extra. Pater verò à Paternitate dicitur, qua ad intra realiter conſtituitur in eſſe perſonæ Patris, nulla ratione ad aliquod extrinſecum. Probauit verò ſupra ſanctus Doctor, Patrem paternitate Patrem eſſe, illo neceſſario fundamento; perſonas, nõ abſolutis, ſed relationibus, & mutuis; qualis non eſt relatio dominij, conſtitui, ac verè diſtingui; imò enim abſolutis conueniunt, & vnum ſunt, penes illud D. Ioannis. *Ego & Pater vnum ſumus*.

Durandi quoque ratio ſatis eodem principio ad rem: vbi eſt natura, & neceſſaria coexigentia inter extrema relata, ibi eſt relatio realis; ſed huiuſmodi coexigentia eſt inter Diuinas perſonas: Pater enim coexigit Filium, & Filius Patrem, & ſpiratus ſpirantes, &c. ergo inter ipſas eſt relatio realis. Probatur minor: nam prima perſona verè dicitur Pater ex diuina Scriptura, & ſecunda verè Filius, & tertia verè Spiritus ſanctus: ergo Paternitas, vera Paternitas, & vera relatio: Cui ſi opponas, quod ad SS. Bonauenturam, & Thom. iam iam oppoſitum eſt, iamiam quoque ſolutum eſt.

Hic multi recentiores, vt certius à fundo enucleent rationem, quæ in corpore articuli eſt, & quantum roboris ad hanc veritatem Diuinam comprobandam contineat perfectè libretur; plurima coaceruant, & intermiſcent, quæ ad relationes reales ſpectant, atque ad prædicamenti relationis conſtitutionem, & à reliquis prædicamentis differentiam inter noſcendam vehementer proſunt: eſt enim S. Thom. ratio hæc: quandocumque aliquid procedit à principio eiuſdem naturæ; neceſſe eſt vt ambo, ſcilicet producens, & id, quod procedit, conueniant in eodem, & ſubinde oportet, vt habeant reales reſpectus ad inuicem: ſed proceſſiones in Diuinis ſunt in eadem numero natura: ergo neceſſe eſt, vt relationes ſecundum has proceſſiones ſint reales: quia realis inclinatio, & ordinatio eſt inter ipſos. Minor eo probatur quo ſupra; dum eandem naturam communicari per generationem, & ſpirationem, & ibi verè eſſe generationem, & ſpirationem genitorem, & genitum, ſpiratorem, & ſpiratum, demonſtratum eſt. Maior relinquitur nota. Huic rationi, vt fundamentum ſtrueret S. Thom. hanc primam eſſe differentiam perſcrutatus eſt inter prædicamentum ad aliquid ſecundum propriam rationem, & reliqua rerum prædicamenta, quod in hoc non ſolum, quæ ſecundum rem ad aliud, ſed quæ etiam ſecundum rationem tantum, inueniuntur: reliqua verò prædicamenta præciſè, & tantum realia continent, & ſecundum propria, ſignificant aliquid, quod primo cæteris ſubſtat, deinde quod alicui inhæret, vt quantum, quale, &c. Hinc neceſſario in tit. articuli, an relationes reales in Deo dentur; cum inueniantur, & relationes rationis. Hinc arrepta occaſione ex hoc S. Thom. rationis fundamento diſputationis ventilabro excutiunt, & plurima de relationibus exagitant, ad vim rationis explicandam.

Sed hoc præcipuum dubium in medium adducunt: relatio, vt relatio, ex hac doctrina, abſtrahit, & ab inhærentia ſubiecti, & à relatione reali: nam aliquando rationis relationem ponit quæ ideo rationis dicitur, quia extra rationem, & intellectum nullum habet eſſe; in intellectu quoque incompletè, & imperfectiſſimè quemadmodum ex oppoſito, illa eſt realis, quæ ſecundum rem in ipſa natura rerum inuenitur in eis, quæ ad inuicem verè ſunt ordinata. Hinc oritur dubitatio; ſi relatio, vt relatio, vt abſtrahit à quacumque, vel vt complectitur vtramque non competit Deo, nec in Deo collocanda. Nihil enim in Deo ponendum, quod realiſſimum, & actualiſſimum non ſit. Reſpondent tamen, licet noſtra intellectione, incompletè accipiendo, prius mens relationem in communi, vt abſtrahit, apprehendit: obiectiuè tamen, & à parte rei, eſt res vera, & realiter exiſtens, præſertim in Diuinis, vbi nihil, niſi realiſſimum, admittendum, nec credendum: præter quam, quod in via S. Bonauenturæ, hoc nobis dubium accidere non poteſt: nam hic de relationibus Diuinis actualiſsimis, explicatiſsimè agit.

Secundum dogma, æquè certum eſt ex fide relationes oppoſitas inter ſe realiter relatiuè diſtingui, ſicut, & perſonas; Paternitatem, ſcilicet à filiatione, & è contra: ſpirationem actiuam à paſſiua, & è contra. Probatur ex capite Firmiter in Conc. Lateranenſi de ſumma Trinitate, & fide Catholica. *Hac ſancta Trinitas ſecundũ communem eſſentiam indiuidua, & ſecundũ proprietates perſonales, ideſt relationes diſcreta*. Ergo ſicut Diuinæ perſonæ realiter differunt, ita & relationes, quæ faciunt perſonas differre. Præterea ijſdem locis, quibus ſupra primum dogma probatum eſt, pro-

batur, & hoc præcipuè Concilio Toletano, his verbis. *Cum relatiuè tres perſonæ dicantur; vna tamen naturalis ſubſtãtia creditur.* Et infra. *in relatione perſonarũ, verus numerus inuenitur:* ergo ſicut perſonæ realiter numerantur, pariter & relationes. Et Epiſtola Sophronij in 6. Synodo act. 13. Vbi hæc diſtinctiſſima de hac veritate leguntur verba. *Hoc quidem propter naturam, & identitatem, & cognitionem eſſentiæ: illud verò propter alterificas harum trium proprietates, propter quã diſſimilitudinem proprietatum, quæ inconfuſè vnamquamque figurant perſonam. ſicut ergo eſſe Deum, vnaquæq; inconuertibiliter poſſidet, ita, & proprietatem per quam ipſa figuratur immutabilem, & immobilem obtinet, quæ eidem ſoli eſt inſita, & ab ipſis alijs perſonis eam diſcernit.* Quibus grauiſſimis verbis æquè conſtantem, & firmam veritatem, proprietates ad inuicem diſcerni, ſicuti, & perſonas, & ſicuti eſſentiam in perſonis eſſe vnam, aſſeritur. Deinde ex Symbolo Diui Athanaſij, *Alia eſt perſona Patris, alia Filij, alia Spiritus ſancti:* ſed vna perſona, eſt alia ab alia, proprietate, & relatione: ergo æquè certum eſt, æquè differre relationes, ſicut & perſonas. Confirmatur ex identitate relationis, & perſonæ. Rurſus ex axiomate illo orthodoxo, ab omnibus Theologis recepto, ex D. Anſelmo aſſumpto. *In Diuinis omnia ſunt vnũ, vbi non obuiat relationis oppoſitio.* Itidem ex Boetio libro de Trinitate circa finem. *Subſtantia continet vnitatem, relatio multiplicat Trinitatem:* ex quo loco argumentatur primo S. Tho. Relatio multiplicat Trinitatem: ergo aut admittendus eſt error Sabellianus, Diuinas perſonas ad inuicem confundens, & relatione rationis dumtaxat diſtingui concedens, aut ſi diſtinguũtur realiter, vt præcipit ſancta fides, diſtinguentur & ipſæ relationes. Secundo in corpore: in Deo eſt relatio realis, realiter oppoſita relationi: ergo realis ad inuicem diſtinctio. Antecedens ex eo conſtat, quod dum aliquid alicui tribuitur, oportet, vt attribuantur omnia, quæ de illius ratione ſunt: ſed de ratione relationis eſt oppoſitio; & probatur. De ratione relationis eſt reſpectus vnius ad alterum, alias non eſſet relatio, ſecundum quod alterum alteri relatiuè opponitur: ergo. Probatur conſequentia, quia hęc eſt de ratione oppoſitionis; nulla enim eadem res, vt eadem, poteſt eſſe ſibi oppoſita, & repugnãs,

S. Bonauentura ſupra, eodem argumento, quo proprietates relatiuas neceſſario plures probat, ſimul realiter ad inuicem diſtingui probat, Pluríficantur de fide, & diſtinguuntur ad inuicẽ perſonæ per proprietates: ergo & proprietates ipſæ, quibus perſonæ diſtinguuntur: ſed perſonæ realiter: ergo & proprietates: ſed perſonæ per oppoſitionem, vt patet; nam Pater à Filio diſtinguitur, quia ipſum generat, & ipſe generatur; ergo eodem modo, & relationes, eatenus realiter multiplicantur, & realiter diſtinguuntur quatenus opponuntur. ſecundo, diſt. 34. art. 1. ex Riccardo de S. Victore de Trinitate lib. 4. cap. 2. Supponit geminam eſſe diſtinctionem aliam, per qualitatem, aliam per originẽ: Quæ per qualitatem eſt, in creaturis inuenitur, & verè componit: eſt enim per abſolutas proprietates, vt cum vnus eſt albus, alter niger: quæ per originem eſt, vt cum vnus ab alio procedit, quæ in Deo etiam reperitur, & non componit: tunc arguit. Sicuti vera, & realis diſtinctio eſt, quæ eſt per abſoluta; ita æquè, & multò magis vera, & realis diſtinctio, quę eſt per originẽ: ergo vera, & realis diſtinctio, & perſonalis. Probatur; ſicuti enim, non poteſt idẽ vnus eſſe albus, & niger, ita multo minus, idem poteſt eſſe eadem ratione generans, & genitus, & ſe ipſum producere; ergo cum inter originantem, & originatum ſit realis oppoſitio, erit, & realis diſtinctio. Et licet præcisè non oriatur, nec producatur relatio, vt ſic: tamen accipitur per oppoſitum ſecundum proceſſionem vnius ab alio, vt docet S. Thom. hic art. 3. ad tertium, vt obſeruat etiam hic Bannes. Et poteſt ſine formidine addi, vt infra, relationem Diuinam, vt Diuinã produci: eſt enim ſubſiſtens; & quamuis S. Doctor diſt. 26. art. 3. ſecundum rationem intelligendi primo, origo perſonæ, ſecundo perſona, tertio relatio accipiatur, nihil tamen obſtat ei, quod aſſerimus, tum propter eandem nunc relatam rationem, quia quouis modo ſumatur ad inuicẽ relatio, & origo accipitur ſecundum eundem ordinem oppoſitionis, perſonæ originantis, & originatæ: tum quia ſi adæquatè ſumitur origo, & relatio ſunt idem obiectiuè formaliter,

Tertia aſſertio. Non omnis relatio in Deo, ideo dicenda diſtingui realiter, quia opponitur formaliter: Declaratur, quamuis omnia Diuina relatio cum aliqua habeatur oppoſitionem, cum aliqua tamen non habet: verbi gratia, ſpiratio, & generatio actiua in Patre, filiatio, & ſpiratio actiua in Filio, licet vtraque actiuè ſumpta opponatur paſſiuè acceptæ, & inde diſtinguatur realiter: ſi tamen ad inuicem referantur non eſt ibi oppoſitio, ſed potius alietas, & diuerſitas. Quod tamen, & hoc modo comparatæ pluſquam ratione differant; imò aliquo modo realiter relatiuè, ſupra conſtanter docuit, & probauit S. Doctor. Primo in Patre: ſi ad inuicem ſpiratio, & generatio non differunt; ergo ſpiratio eſt generatio. Secundo: ergo Spiritus eſt genitus, & Filius eſt ſpiratus. explicatur; ſpirationis, & generationis diuerſus eſt terminus; eſt enim ſpirationis terminus Spiritus ſanctus: generationis Filius: ergo ipſæ emanationes differunt. Probatur primo in genere: Relatio à termino ſumit, & ſpeciem, & diſtinctionẽ, & ſi in Diuinis, terminus nõ diſtingnit, quia ſe ipſis diſtinguuntur; negari nõ poteſt quin indicet diſtinctas. tertio, quo diuerſo modo ſe habent, vel plures perſonæ, vel eadem perſona ad aliam, eo plures, & ſunt, et oſtenduntur habitudines. ſic Pater ſpiratione, et generatione. ſic Filius filiatione, et ſpiratione actiua: ergo ad inuicem etiam non oppoſitæ differunt. Quarto. Generatio, et ſpiratio, vt diuerſæ alio modo ſe habere faciunt, perſonas ad alias; ergo. Quinto. Omnes Doctores præcipuè S. Tho. q. 28. art. 4. aſſerunt, quatuor in Diuinis eſſe relationes: ergo relatio ſpirationis diſtincta eſt à generatione: ergo vbicumque erit; ergo etiam in Patre. Nam ex natura ſua ſunt eæ, vt ſint natura diuerſæ. Sexto.

Vi-

Videtur non poſſe res aliter intelligi. Duo ſunt termini ſpirationis, et generationis in Patre, et diuerſa habitudine ad vtrumque ſe habent: ergo diuerſæ relationes. Probatur conſequentia: nam ſicut tota relationis vis conſiſtit in eſſe *(Ad)* ita neceſſario videtur multiplicanda numero, & ſpecie ſi multiplicatur, & *Ad*, & vis, ſicut in propoſito. generatio in Patre, quia verè refertur ad Filium inuenitur: ergo, & quia diuerſo modo refertur verè ad Spiritum ſanctum, debent multiplicari; eſt Argumentum S. Bonauenturæ. Generatio, & ſpiratio differunt terminis ad quem, ergo & inter ſe aliquo modo diſt. 33. q. 3. ad primum, & diſt. 34. quæſt. 1. ad vltimum. Iterum generatio, & ſpiratio differunt ſe ipſis: ergo, & in Patre &c. neque tamen faciunt, aut facere poſſunt compoſitionem, vt alias demonſtratum eſt. Itidem generatio, & ſpiratio habent oppoſitionem realem ad filiationem, & proceſſionem Spiritus ſancti, & ſub hac ratione ſiunt quatuor relationes, ergo & in Patre: nam etiam in ipſo opponuntur.

Ita ſentiunt Durandus diſt. 13. quæſt. 2. Heruęus quodlib. 7. & Ioannes de Baſſolis ead. diſt. 13. Carthuſianus diſt. 27. quæſt. 1. Imò Ægidius Romanus, & Capreolus, & poſt ipſos, alij recentiores; dum aſſerunt, & concedunt ante omnem operationem intellectus, ſpirationem, & generationem, eſſe duas relationes: quod proculdubio ſufficit ad quod prætenditur: Quod enim ex hoc ſequatur eſſe duas res ante operationem intellectus nec ne, eſt alia res, & non deeſt ratio negandi conſequentiam hanc: aliud enim hic eſt quærere an ſint duæ relationes distinctæ eo, quod verè referuntur, & diuerſo modo: Aliud an ſint duæ res.

Neque S. Tho. oppoſitum tenens, oppoſitam ſententiam damnauit; quod ſolitus tamen eſt facere, ſi rei iudiciũ poſtulat; imò ipſemet art. 2. q. 32. hoc idem videtur ipſe concedere; ſicut inquit Filius, & Spiritus ſanctus diuerſa relatione ad Patrem referuntur, ita Pater ad Filium, & Spiritum ſanctum; quod ſi dicas hæc diuerſitas eſt virtualis Patris ad Filium, & Spiritum ſanctum, dicam, & ego: ergo, & Filij, & Spiritus ſancti erit pariter dumtaxat virtualis. Quod ſi addas hanc eſſe realem propter oppoſitionem relatiuã realem: dicam iterum, & ego, & illam propter eandem oppoſitionem, ſaltem virtualem eſſe pluſquam rationis, vt aiunt Thomiſtæ contra Scotum dum ſuſtinent omnem diſtinctionem eſſe in Deo per oppoſitioné, & docent complerè, & adæquatè ſumptam filiationem continere oppoſitionem relatiuam: nam Filius per generationem qua Filius eſt accipit à Patre vim etiam ſpirandi: ita quoquomodo Pater, eo quia Pater habet etiam vim ſpirandi, vnde inter Patrem, & Spiritum ſanctum eſt virtualis etiam quædam oppoſitio.

Quarè non poſſum ſatis mirari Valentiam, contra tot Doctores hãc opinionem quam hic tuemur eſſe temerariam, & propè erroneam protuliſſe, propter Caput. Damnamus, in Concilio Lateranenſi, vbi omnino quaternitas exploditur: cum pluſquam certum ſit Concilium aliud intendere: neque Theologorum opiniones alias probabiles velle tollere: ſit enim & Scotiſtarum ſententia de diſtinctione formali damnata eſſet, quod intolerabile quidem foret, cum in facie totius Eccleſiæ inter omnes Theologos adhuc exiſtimetur probabilis. Scio poſſe ferè omnia argumenta relata cum diſtinctione virtuali eiuſdem relationis & cum diuerſo modo ſe habendi ad varios terminos poſſe diſſolui, & non improbabiliter, & hinc colligi oppoſitam ſententiam eſſe probabilem. Eſto: neque ego oppoſitum demonſtrare contendo, ſed hanc quoque probabilem, neque vlla rigoroſa cenſura dignam: eo magis ſi & Valentiæ argumenta pro ſua opinione, quam eneruata ſint, obſeruentur. & ad oppoſita argumenta reſponſiones quomodo ſoluant animaduertentur, præcipuè ſecundum, & quintum.

Scio me hoc labore non indigere pro ſancto Bonauentura, quem interpretandum ſuſcepi, vt ſupra quoque indicaui: nam tum ſupra diſt. 13. q. 3. tantum diſtingui diuerſo modo ſe habẽdi ſpirationem in Patre, & generationem concedit, quod idem, et oppoſita opinio: tum apud ipſum, quia diſtinctio realis nihil aliud expoſtulat, quam pluſquam pura ratione diſtingui, ſicut aliquando nulla ſit oppoſitio, nulla quoque diſtinctio realis admittatur. Denique: nam realiter ſine limitatione non faſſus eſt diſtingui, has ad inuicem relationes, ſed limitatè aliquo modo pluſquam mera ratione, propter terminos.

Syluester quoque ſuper hunc Articulum S. Tho. docet diſtingui realiter realitate relationis, et hoc modo interpretari poſſe ſanctum Thomam, quando reſpondit non diſtingui has relationes niſi ratione, ideſt in ordine ad realitatem realem rei, ita quoque probabiliter Bannes. Capreolus vbi ſupra hoc loco diſtingui ratione, eſt ſpecie, et formaliter diſtingui. Ferrarienſis ſecundo contra Gentes, et Scotus ex natura rei; ergo conformiter S. Bonauentura loquitur, dum realiter ideſt realitate relatiua ratione terminorum ſpecifica, et formali has relationes diſtingui tradit; nam neque ſanctum Thomam, hoc negaſſe recenſiti Thomiſtæ interpretantur.

Hoc loco ſoluenda eſt illa communis inſtantia, quam communiter ſoluunt reliqui Theologi, ex S. Bonauentura, et eius ſolutio ſuſtinenda: Eſt enim eius ponderis, vt videatur omnem, tum relationum, tum perſonarum in Deo tollere diſtinctionem: quæ tamen de fide ſicuti ponitur; ita ſanguine defendenda, nimirum; Quæcumque ſunt eadem vni tertio ſunt eadem, et inter ſe: ſequitur enim ſed relationes ſunt eadem Diuinæ eſſentiæ ergo, et inter ſe.

Primo obſeruandum, Hanc Propoſitionem eſſe magnifaciendam, omnes expoſitores obſeruant, quippe quæ omne ſylogizandi fundamentum contineat, et fundet in ſylogiſmo expoſitorio, vbi medium eſt ſingulare: ſicuti illa *dici de omni, & dici de nullo*, vbi medium eſt commune, et ſtabile fundamentum præbet, omni aliæ argumentandi arti; vt hic, et ſuis locis proprijs animaduerrunt, tum Logici, tum Theologici Commentatores.

Se-

Secundo obſeruandum: in Diuinis quoque valere, & ſeruandam eſſe artem ſylogiſticam ſicuti in humanis, ſi rectè ſecundũ legitimas regulas dirigitur. Quod ſi exempli gratia, hæc argumentandi forma in Diuinis non rectè inferatur: hæc eſſentia Diuina, eſt Pater: hæc eſſentia Diuina eſt Filius, ergo Filius eſt Pater. Reſpondet enim primo S. Thom. quæſt. 2. de Potentia, ſicut in 1. diſt. 2. quæſt. 4. cum alijs, hanc argumentationem ideo falſam, quia varios errores continet in arte ſylogiſtica: Si enim legitima in humanis; erit quoque, & in Diuinis; & ſi accidat aliquando, quod eo vſque non pertingat, non erit contra regulas, ſed potius ſupra. Exempli gratia in propoſita difficultate, & in explicanda argumentatione propoſita: inuenitur in Diuinis quiddam ſingulare, & mirabile, quod in rebus creatis non inuenitur, ſcilicet Diuina eſſentia, quæ eſt ſingulare indiuiduum, ſimul tamen communicabile, & tribus commune, quod non inuenitur in humanis, vbi omne ſingulare eſt incommunicabile: quo fit, vt in argumento expoſitorio in humanis teneat conſequentia, quæ neganda eſt in Diuinis, vt fuſius infra. Hoc dixerim, ne ex faciliori promptitudine negandi rationem arguendi ex regulis Logicæ in Diuinis ſumatur occaſio exponendi ludibrio eaſdem res Diuinas.

Tertio obſeruandum, quo ad locum Ariſt. ſatis congruam, & materiæ argumentandi arridentem eſſe illam huius principij expoſitionem. Quæcumque ſunt eadem vni tertio ſunt idem, & inter ſe, vt ſit ſermo de prædicatione, hoc modo, quæ ſunt eadem vni tertio, prædicatione, ſunt eadem, & inter ſe, etiam prædicatione, ideſt quæ prædicantur de aliquo tertio, inuicem, & inter ſe prædicantur. Qua prædicatione, primo idem eſt poſtea hoc principium cum illo alio dici de omni, & dici de nullo, ideſt eadem ratio interpretandi; vbi certum eſt vtroque axiomate, Ariſtotelē loqui de ijs tantum, quæ ad veram prædicationem requiruntur. Secundo non admodum curandum, qua identitate, vel reali, vel formali ſint idem; dum ſit tanta, quæ ſufficiat ad veritatē propoſitionis. Ad quam ſufficientiam ſedulo obſeruanda regula medij, vt rectè, & completè diſtribuat cum extremis, ſcilicet cum alterum extremorum ſumitur vniuerſim, eodem modo ſumatur, & alterum ad tollendas æquiuocationes, amphibologicas compoſitiones, &c.

Quarto obſeruandum, quo ad propoſitum diſputationis præſentis; variæ, & plures circumferuntur Theologorum huius principij Gloſſæ, & expoſitiones, vt facilius, & clarius inſtantiæ obiectæ pro Diuinarum relationum reali diſtinctione tuenda, & verius, & certius reſpondeatur.

Et primo S. Thom. 1. par. q. 28. art. 3. ad 1. Quæ ſunt idem vni tertio re, & ratione: ſunt idem, & inter ſe, ſicut tunica, & veſtimentum: non autem in his, quæ differunt ratione. Probatur: docet Philoſophus, quamuis actio, & paſſio ſint idem motui, non ſunt tamen idem inter ſe: nam actio dicit reſpectum à quo eſt motus in mobili: paſſio verò reſpectum, vt qui eſt ab alio: ita ad rem, licet Paternitas, & filiatio ſint idem cum Diuina eſſentia: tamen inter ſe non ſunt idem, propter varios, & oppoſitos reſpectus, quos non habet eſſentia. Quibus verbis S. Thom. noluit redigere, & arctare principium hoc ad ea tantum, quæ ſunt idem re, et ratione, vt ſynonima: hoc enim ferè eſſet euertere ſylogizandi artem, & nimis reſtringere: certum namque eſt hanc rigoroſam identitatem rei, & rationis non requiri inter extremitates, vt ad inuicem connexæ prædicentur, & aliquæ aliæ, ratione etiam, & re diuerſa conſtituunt veram prædicationem: ſed vt obſeruat Torres. Principium illud non eſt in omnibus vniuerſim verum niſi in terminis ſynonimis, vel vt docent Bannes, & Ripa; & Nazianzenus. Principium hoc inſtantiam patitur in ijs, qui non idem re, & ratione; non ideo tamen ſolum, quia differunt ratione, ſed præcipuè, quod extrema, diuerſa ratione ſignificata defectum logicum in arte conſequentiarum parit. Torres quoque, & Iauellus, & Zumellus, & Ripa, & Nazianzenus, diuerſam rationem interpretantur, ideſt oppoſitas rationes formales, alteram ad inuicem, alteram excludentem. cui Gloſſulæ ſi reclamant Vaſquez, Suarez, Molina, & Valentia, à Nazzario ſatiſfit. Ferrarienſis 2. contra Gentes, cap. 9. interpretatur S. Thom. differentiam rationis, quę impediat identitatem, & prædicationem ad inuicem extremorum non eſſe rationis præciſè, ſed rationis ex natura rei, & veluti formalis, vel vt ait Bannes definitione, quod idem eſt; quibus gloſſulis defenditur S. Thom. à contradictione, quod aliter docuerit 2. contra Gentes, cap. 9. ſed hanc veluti ſcoticam gloſſam omnes reliqui Thomiſtæ reijciunt. denique Syluester in hunc eundem articulum eſſe idem ratione, inquit eſt vnum in alterius ratione excludi, & deducit ex ipſo S. Thoma 1. Senten. diſt. 33. q. 1. art. 1.: ſed hæc interpretatio videtur eadem cum illa Ferrarienſis.

Idem S. Thom. 1. Sent. loco nunc indicato ad 2. quem ſequitur Capreolus, Caiet., Syluester, & Iauellus imò, & Scotus 1. Sent. diſt. 2. quæſt. 7. hoc principium, hac explicatione illuſtrant, vt quæ ſunt eadem vni tertio ſint eadem, & inter ſe, hoc eſt eodem modo, quo ſunt vni tertio idem, ſunt, & inter ſe, vt in quacumque ſylogiſtica illatione, qua ad inuicem inter extrema vnio aliqua, & identitas infertur, & prædicatur; non erit alia, nec alterius rationis, quã illa, à qua hæc pendet, ſcilicet, quam illa, quam habet cum medio, quæ eſt res illa duobus tertia: nec tamen eadem erit concluſio cum præmiſſis, vt negando S. Thom. doctrinam conantur impingere quidam recentiores, ſed formaliter diuerſa dicet idem, ideſt ex eadem vi identitatis extremorum cum medio, tertio, verum erit eſſe idem in concluſione inter ſe.

Capreolus vbi ſupra, tertiam addit limitationem; ea videlicet, quæ ſunt idem vni tertio eſſe idem, & inter ſe, ſi illi tertio ſunt idem adæquatè, ſcilicet non ſolum ſunt illi tertio idem, ſed cum omnibus alijs, quæ ſunt eidem illi tertio idem: & hoc principium ita limitatum, eſſe veriſſimum vbicumque ponatur, tam in rebus creatis, quàm in Diuinis: vnde ſequitur, hoc principium non opponi diſtinctioni reali Diuinarum relationum ad inuicem: nam licet quælibet relatio ſit idem cum

Diui-

Diuina eſſentia, non tamen adæquatè: non enim eſt omne, quod eſt eſſentia: nam eſſentia eſt etiam alia relatio, & oppoſita, quo fit, vt ad inuicem non ſint idem.

Quartam refert idem Capreolus, etiam eodem loco, quam amplectuntur Durandus, Molina, Bannes, & Zumellus, qua coarctatur principium hoc, vt medium in quo plura ſunt idem, ſit ita ſingulare, vt ſit etiam incommunicabile. Quæ limitatio, aut eadem eſt cum ſuperiori, aut ferè ſolum verbis differens: ſi enim id cui ſunt idem extrema, eſt alijs communicabile, non eſt idem adæquatè: poteſt enim alijs communicari, & alia complectitur. Hinc relationes Diuinæ, licet ſint idem Diuinæ eſſentiæ ſingulari, quia tamen eadem eſſentia communicabilis eſt, manifeſtè ſequitur, quod inter ſe non ſunt idem.

Quintam adinuenit, & ſequitur Valentia (quæ re vera tamen eſt eadem cũ ſuperiori) principium hoc tunc verum eſt, quando illud tertium quo cum ſunt idem extrema, ita eſt vnum, vt ſimul, nec ſit, nec poſſit eſſe plura: ſi autem eſt etiam plura, non poteſt eſſe verum: nam illa identificata, cum illo erunt identificata, vt vnum eſt, non vt plura eſt: vnde ratione hac, different ad inuicem. Quod ſuperior explicatio dicebat, & inde oriebatur, quia non ſunt, idem adæquatè, quod certè idem eſt, vt intuenti patet; Hinc Diuinæ eſſentiæ, quæ vt ſingulariſſima eſt; habet tamen, vt ſit, & communicabilis, ita ipſa ſola habet, vt ſit vna non ſolum, & abſoluta, ſed etiam, vt contineat plura relatiua, non poteſt conuenire, illud principium de quo hic, nec conſequenter, cum identitate relationum cum Diuina eſſentia, poteſt tollere earundem relationum ad inuicem diſtinctionem.

Sextam idem Auctor, in mediũ affert & Vaſquez, & Suarez, etiam arridentem: hoc principium, non habet in Diuina eſſentia locum, quia infinita eſt, & eſt illud tertium alterius rationis à relationibus inter ſe; vnde non ſequitur ſi ſint idem ei, quod idem ſint, & inter ſe. Eſt enim alterius rationis, quia infinita: nam eo, quia infinita, & identificat ſibi relationes in eſſe (in) & facit, vt remaneãt diſtinctæ in eſſe (ad) ad inuicem. Diuinum enim eſſe, quia infinitum, continet, & eſſe vnum, & eſſe plura, & omnem eſſendi rationem. At in creatis, quoniam nihil ſimile inuenitur: ideò in his, & non in Deo hoc axioma obiectum quadrat: ſed meo quidem iudicio, & hæc limitatio, adeo ſimilis illi tertiæ Capreoli, vt ferè eadem videatur: in qua inſignis ille Thomiſta coarctabat, illud principium, vt tũc eſſet verũ, quando quę ſunt idem vni tertio, ſint idem, & inter ſe, ſi illi tertio adæquatè ſunt idem, & in tota latitudine; eo enim hic, inquit, Valentia Deo non quadrat hoc principium, quia Diuina eſſentia eſt infinita. Quid verò aliud eſt, quã Diuinæ relationes, ideo ad inuicem remanent diſtinctæ, quia non adæquant Diuinam eſſentiam.

S. autem Bonauentura duobus præcipuè locis, & ipſe reijcit, hoc principium à Diuinis, ne excludat diſtinctionem, quam præcipit ſancta fides; neque tamen illud contemnit, ſed mira eruditione illuſtrat. primo, diſt. 33. q. 1. ad primum, vbi quærens, an notiones ad inuicem prædicentur, verbi gratia, Paternitas eſt innaſcibilitas; ita argumentationem conſtruit; quæcumque vni, & eidem ſunt idem, ſunt idem, & inter ſe: ſed Paternitas, & innaſcibilitas ſunt idem perſonæ Patris: ergo, & inter ſe. Reſpondet primo, non valere conſequentiam, quia eſt ibi fallacia accidentis, ſicut, & in hoc Petrus eſt homo, Petrus eſt indiuiduum: ergo homo eſt indiuiduum: diuerſa enim ratione Petrus eſt homo, & indiuiduum; vnde negatur illatio ad inuicem; vnde illud principium, tunc dumtaxat erit verum, quando eadem ratione erunt idem, extrema inter ſe, qua, & vni tertio. Quæ limitatio, eſt eadem omnino, quam tradiderunt S. Tho., & Scotus ſecundo loco. Sed poteſt etiam non coactè reduci ad illam, quam primo loco, idem S. Th. dedit. ſecundo, addit aliam ſubeſſe huic principio ſententiam; vt accomodari abſolutè poſſit, hoc principium, oporteat non ſolum eſſe idem, ſed ad idem. Quare in relatiuis non poteſt admitti, quæ licet ſint idem fundamento, non ſunt ad idem: differunt enim terminis: & conſequentur Diuinæ relationes erunt quidem idem Diuinæ eſſentiæ, neque tamen inter ſe, quia ad diuerſos, & oppoſitos terminos: Et ad ſancti Doctoris propoſitum; notiones ſunt, idem eidem perſonæ, neque tamen inter ſe; tum quia eſt diuerſa ratio; tum quia diuerſi termini ad quos; ſed hæc ſecunda ratio attentè intuenti non erit admodum diuerſa à prima. diuerſo tamen termino, primam lepidè explicans, et vt ita dicam, exemplificans.

Idem S. Doctor diſt. 34. art. 1. ad vltimum exagitans, quomodo ſe habeat perſona ad eſſentiam, vel quomodo ab ea differat, hoc obiecit idem argumentum: ſi perſonæ omnino idem, cum eſſentia Diuina eſſent; eſſent quoque, & inter ſe eadem ratione idem, quod eſt error Sabellij: Probatur tamen, nam quæcumque ſunt idem omnino vni tertio, ſunt idẽ, & inter ſe omnino quoque. Reſpondet duplici reſponſione, & vtraque egregiè, prima non admittendũ illud principium, cui plura ſunt idem, quando illud non eſt ſingulare incommunicabile, ſed commune, & communicabile; vnde ſpecies, & differentiæ ad inuicem non identificantur, neque prædicantur, licet conueniant in genere: quia genus commune eſt pluribus, & conſequenter in Diuinis non habere locum: eſſentia enim licet ſingulariſsima; pluribus tamen quoque communicabilis eſt, & eſt eadem limitatio cum illa ſupra, tertia, quarta, & quinta.

Secunda non minus erudite. principium illud limitandum ad ea, quæ ſunt idem tertio, & non differunt origine: ſed licet Diuinæ perſonæ, & relationes cum Diuina eſſensia ſint idem, ad inuicem tamen differunt propter varias, & diſtinctas origines earundem Diuinarũ perſonarum &c. Quemadmodum, & multi radij, ex varijs ſtellis, licet vniantur in medio puncto, differunt tamen inter ſe propter varias ſtellarum origines. ergo Diuinæ perſonæ, & relationes; propter ſummam Diuinæ eſſentiæ ſimplicitatem, & infinitatem, licet in ea ſint idem, et re, et etiam ratione formali fortaſſe: ad inuicem tamen realiter diſtinguuntur, non obſtante

ſtante

ſtante illo principio; quæ ſunt eadem, &c. tum propter diuerſam rationem, qua cum eſſentia, & inter ſe ſe habent, tum propter diuerſos terminos, ad quos, tum propter diuerſas origines, à quibus, tum denique propter Diuinæ eſſentiæ communicabilitatem pluribus. Quibus obſeruationibus valde perſpicuum eſt ſanctum Doctorem complecti omnes ferè illas, quas ſupra, & S.Thom. & Scotus, &c. proſequuti ſunt: vnde quæ multi recentiores præcipuè Exotericæ ſcholæ, modis ſancti Thomæ obijciunt, cum obijciant neceſſario, & ſancto noſtro Doctori: idem quoque Diſcipuli D.Thom. qui pro ſuo Magiſtro laborāt, & ſoluunt obiectiones; ſoluunt, & laborant pro noſtro quoque; quare ad illos lectores remitto præſertim ad Nazarium vnica Controuerſia in hoc articulo.

Sed poſtremo attentè obſeruandum, quod addit S.Doctor, regulam videlicet huius principij vbique eſſe veram, ſi ſanè intelligatur, quod addit, vt notauimus ſupra, vt etiam in Diuinis obſeruanda ſit, & locum habeat ſylogiſtica ars, & ita aſſerendum, ne ab his, qui foris ſunt, res noſtræ fidei, & dogmata contemnentur: ſicuti enim fidei noſtræ res veriſſimæ ſunt, ita veris rationibus, & regulis ad probandum obſeruandis, probari poſſunt, & re vera probantur. Quod ſi hoc loco regula hæc non admittitur nemo admirabitur: nam Deus adeò à creatis diſtat, & ſingularis ita, & mirabilis eſt, vt mirum nō ſit ſi hac regula communi etiam creatis, non comprehendatur: nam vt dicebatur, eſſentia Diuina, ſingularis, & communis, & abſoluta eſt, & relatiua etiam complectitur, & vndequaque infinita, vt ſicut ex ſua infinita perfectione Deum ita ſe habere non ſit contra, ſed ſupra lumen naturale creatum, ita Deum non comprehendi, hac regula lumine naturali dictata, non exiſtimandum contra eandem regulam, ſed ſupra prorſus eſſe.

Hæc igitur erat inſtantia grauis ex hoc Ariſt. principio ex 7. Topicorum, cap. 1. & 3. Phyſic. tex. 21. collecta; ideo ſedulo ſoluenda, quo plures veritates videbatur offuſcare, & negare; poterat enim omnibus his ferè modis confici. Quæcumque ſunt eadē vni, & eidem tertio, ſunt eadē, & inter ſe; ſed tres relationes ſunt eædem realiter vni, & eidem eſſentiæ Diuinæ: ergo, & inter ſe, & conſequenter non diſtinguuntur realiter. Iterum, à contrario conſequentis ad contrarium antecedentis hoc modo: Relationes Diuinæ non ſunt idem realiter inter ſe: ergo, neque Diuinæ eſſentiæ. Quo præcipuo argumento, Gilbertus Porretanus vtebatur, vt relationis realiter à Diuina eſſentia differre oſtenderet. Adhuc ea, quæ ſunt idem re, & vnum, multiplicari non poſſunt: ergo neque relatio: ergo in Deo, neque plures relationes, neque plures perſonæ: nam ex Boetio, *relatio perſonas multiplicat.* Conſentaneè ergo admodum rationi, ſinguli ferè Theologi hanc argumentationem ſoluere ſolerti diligentia tentarunt, & locum Ariſtotelicum Commentario illuſtrare; quæ vt dicebamus, omnes ſolutiones ferè in hanc componi, et redigi videntur. Principium Ariſtotelicum, non comprehendere Deum, nec proinde Diuinas veritates, tollere propter infinitam, et eminentem Dei perfectionem: eſt enim Diuina eſſentia, nè dum ſingularis, et vnica, ſed etiam communis, ac communicabilis, nè dum abſoluta, ſed, et relatiua ſuo modo, etc. quo fit, vt ex vna ratione relatio, et eſſentia ſint idem inter ſe: ex alia tamen ex natura relationis ratione termini, Ad, et originis, vel originum à relatione ad inuicem differat: ita fuſius inter cæteros D. Bonauentura locis citatis, quem apertè ſequuti ſunt, Riccardus diſt. 2. art. 2. quæſt. 1. ad 2 er diſt. 33. art. 2. quæſt. 1. ad 2. Aegidius diſt. 33. Argentina quæſt. 1. art. 4. Caietanus quæſt. 39. art. 1. ad. 1. dicens, quod illa maxima Ariſt. non tenet vbi natura eſt abſoluta, et ſuppoſitum relatiuum propter oppoſitionem reſpectiuam. Et cui conſentit omnis ferè alia expoſitio benè interpretata, & fideliter explicata; & hæc reſponſio ſumitur ex Boetio lib. de Trinitate verſus finem his verbis. *Prædicationem relatiuā nihil rei addere, vel minuere, vel mutare, quæ tota non in eo, quod eſt eſſe conſiſtit, ſed in eo, quod eſt in comparatione aliquo modo ſe habere.* Et infra; *ſed quoniam nulla relatio ad ſe ipſum referri poteſt, ideirco, quod ea ſecundum ſe ipſa eſt prædicatio, quæ relatione caret: facta quidem eſt Trinitatis numeroſitas in eo, quod eſt prædicatio relationis.* Ex D. Athanaſio Dialogo primo de Trinitate, contra Macedonium, vt ſolueret inſtantiam hæreticam, Spiritus ſanctus, eſt Deus: ergo eſt Pater, & Filius. Reſpondebat: *vocabulū, Deus naturam ſignificat, nomina verò Patris, & Filij relatiua ſunt; nec relatiuū igitur nomen, naturā prouidentē aliquid deſignat, nec contemplantis, & prouidentis aliquid naturæ: nomen Patris ad Filiū relationem induxit.* Quibus verbis apertè concordiam identitatis cum diſtinctione teſtatur deſumendam ex eo, quod diſtinctio ſit in relationibus tantum; vnitas verò in abſoluta natura.

Ex D. Cyrillo lib. 7. Theſauri poſt medium, *ſola*, inquit, *diuerſitate, relationes, nec alia re vlla diſtinguuntur: relationes autē conſubſtantiallum diuerſa, &c. naturalem coniunctionem delere nō poſſunt.* Et ex innumeris alijs Patribus idem colligi conſiſtat.

Sed non deſunt, nec proinde prætereundæ quædam aliæ inſtantiæ quin proponantur, ac ſoluantur eiuſdem ferè ponderis contra eandem veritatem exiſtentiæ realis relationum in Deo, ſecundo igitur ex D. Cyrillo argumentari licet lib. 2. Theſauri cap. 3. Differentiam perſonarum, qui ſecundum relationem eſt quaſi extrinſecus intellectam eſſe. Si enim tota quidditas relationis Diuinæ eſſet realis, non eſſet extrinſeca Deo, ſed identificata, ne concederetur, quod blaſphemabat Porretanus. Reſp. tamen: D. Cyrillus id tantummodo vult, relationes Diuinas, & perſonarum differentias non claudi, ita quidditatiuè iuxta Dei eſſentiam abſolutam, vt ea ratione quælibet perſona Diuina poſſit quidditatiuè claudere ſecum totam Diuinitatis eſſentiam, & relatiuam differentiam alterius perſonæ; eſt igitur vna perſona Diuina eſſentia, ſed non omni modo, ita tamen, vt ab alia perſona per relationem differat, qua ratione vna perſona alteri dicatur extrinſeca, ideſt realiter di-

ſtin-

Digitized by Google

ſtincta quo ſenſu intelligitur, & explicatur, quod ait S. Tho. art. 2. quæſt. 28. relationis ratio non accipitur ſecundum comparationem ad illud, in quo eſt, ſed ſecundum comparationem ad aliquid extra; vnde infert relationes, vt relationes ſunt eſſe aſſiſtentes non intrinſecus affixas: dicuntur enim aſſiſtentes, & non intrinſecus affixæ, non in ordine ad eſſentiam, cum qua identificantur, ſed in ordine ad oppoſitum terminum, à quo realiter differunt.

Quarto Boetius loco ſupra citato prædicationem relatiuam, nihil rei addere, vel mutare: ergo realis non eſt, quod confirmatur alio loco in eodem libro illis verbis; *ſimilis eſt in Trinitate relatio Patris ad Filium, & vtriuſq; ad Spiritum ſanctum, vt eius, quod eſt idem, ad id quod eſt idem*: ſed ſi ſimilis eſt relatione identitatis; ergo non eſt realis, nam relatio realis extrema realiter diſtincta expoſtulat.

Sed ad primum locum facilis eſt explicatio. Nihil rei addit &c. veriſſimum eſt, quantũ ad eſſe abſolutum, quod habet in ſe, ſed in comparatione ad alterum terminum, & eſt certa explicatio; nam ibi Boetius inde colligit in Deo quo ad eſſentiam nullam eſſe differentiam, neque multiplicationem, ſed ſola relatione multiplicari perſonas.

Ad ſecundum locum, itidem facilis ſolutio; nam ibi Boetius loquitur per ſimilitudinem, & in quibuſdam eſſe ſimilem relationem perſonarum ad inuicem, relationi eiuſdem ad ſe ipſum, non autem in omnibus; eſſet enim eadem: in hoc autem ſimilis eſt, quod eadem omnino ſubſtantia, & eſſentia eſt abſoluta vtriuſque perſonæ relatæ, & ſola relatione vna ab alia diſtinguatur.

Quinto ex abſurdis, quæ ſequuntur ex realitate relationis; quorum primum, ſi relationes Diuinæ ſunt reales, ergo in Deo plures entitates, plures eſſentiæ, exiſtentiæ, perfectiones, æternitates &c. ſecundum: ergo aliqua realitas Patris pendet à Filio, & Spiritu ſancto, & præſertim realitas Filij, & Spiritus ſancti à Patre, & probatur: nam totum eſſe relationis eſt in ordine ad terminum, & ſine termino exiſtere non poteſt, & multo minus relatio producti ſine producente.

Ad primum abſurdum, licet infra expectanda ſit ſuo loco reſponſio; interim tamen dico, non eſſe inconueniens, ſecundum magnos Theologos pluriſicari in Deo entitates, & exiſtentias relatiuas, ſicut multiplicantur relationes, non tamen eſſentias, & abſoluta.

Ad ſecundum poſſem primo reſpondere non eſſe valdè improprium, nec dignum cenſura Diuinas relationes, & perſonas ad inuicem pendere; hoc enim inter Patres, aliqui concedunt, inter quos D. Gregorius Niſſenus libro de differentia eſſentiæ, & hypoſtaſeos, concedens Spiritum ſanctum à Filio pẽdere &c. D. Cyrillus Alexandrinus lib. 13. Theſauri cap. 2. Spiritus ſanctus à Diuina ſubſtantia emanat, & naturaliter inde dependet ſicuti digitus ex manu. Et omnibus illis Patribus, & locis Diuinæ Scripturæ confirmatur, quibus aſſeruntur perſonæ ſecunda, & tertia produci, & accipere eſſe ab alia. Et inter Theologos, probant Albertus Magnus 1. par. q. 39. memb. 1. Alexander 4. par. quæſt. 91. memb. 1. ad ſecundum, cum aliqua tamen improprietate loquendi. Sed propriè loquendo, & in rigore, negatur vnam relationem, aut perſonam pendere ab alia; ita S. Bonauentura, in primo diſt. 26. art. 2. in reſponſione ad argumenta, D. Thomas 4. contra Gentes cap. 14. ad nonum, Alexander 1. par. q. 48. ad finem quæſtionis, & quarta parte, nunc recenſita. Scotus diſt. 2. in 2. par. diſt. paulo ante quæſtionem quartam, & alij & probatur ratione: nã dependentia propriè ſumpta dicit, vt notat S. Bonauentura, imperfectionẽ, & limitationẽ. ſecundo, nam dependere, proprium eſt effectus à cauſa. tertio, quia vnam perſonam ab alia pendere nihil aliud eſt, quam exigentia realis vtriuſque relatiui, ita vt contradictionem inuoluat vnam ſine alia exiſtere, idque euenire ex natura relationis, loquor de Diuinis, idque propter vnitatem ſubſtantiæ, circumincesſionem, & quidditatem, vt dicebam relatiuorum, quæ poſita, ſe ponunt ad inuicem, & remota remouentur: ergo ad argumentum, vnum relatiuum in Diuinis ſine ſuo termino exiſtere non poteſt: ergo ab ipſo dependet, ſed dependentia dicit imperfectionem ergo. neganda eſt ſequela maioris, quatenus dependentia dicat aliquid aliud præter coexigentiam termini &c.

CAPVT II.

Quid, & quomodo à Diuina eſſentia, & perſonis diſtinguantur relationes.

IN foribus, & in atrio huius diſputationis deterret vehemẽter inſcriptio, & titulus ipſiuſmet diſputationis, quo nimirum audeamus, & tentemus definitione comprehendere, & terminis limitare, & terminare, quod incomprehenſibile, interminabile, & illimitabile eſt, et proinde definitioni repugnat; ſed error iſte communis eſt in Diuinis omnibus, quæ à Theologis ad ordines aliquales ſcientiæ media quadam diffinitione rediguntur, qui tamen error, eo minuitur, quo ad rigorem Ariſtotelicum diffinitiones non indagamus, ſed Diuinæ Scripturæ, et Patrum, et Theologicæ vniuerſitatis veſtigia terentes, ſi quam, molimur in medium afferre definitionem, non magis definitio erit quam quędam potius deſcriptio, aut diſtinctio, non minus credendo illuſtrati, quam diſputando ex principijs creditis eruta, et in medium allata.

Poteſt autem iſthæc diſputatio ex duobus capitibus aſſumi, et in quæſtionem vocari; primo enim immediatè quærendo, quod ſit relatio Diuina, ſecundo ad hoc lucidius obtinendum ſciſcitando, quomodo, aut ſit idem, aut differat, tum à perſonis, tum ab ipſamet Diuina eſſentia: et quomodo quoque attributa, tum à Diuina eſſentia, tum ad inuicem differant: quæ de relatiuis, licet in hoc poſtremo

mo ſenſu ab alijs ſupra cum de abſolutis; abſoluta ſit quoque hæc quæſtio: non erit tamen fortaſſe ab re ſaltem quid in ea ſenſerit S. Doctor in medio afferre, & pro virili explicare: eo magis quo à recentioribus obſeruata ſunt quædam Conciliorum loca, quæ hanc diſputationem è medio ferè tollere videntur, & quaſi decreto munire.

Quod autem ad primum. Primo S. Doctor facillimo, & breuiſſimo negotio ſi quid ſint in Deo proprietates quæratur, cum diſtinctione ſoluit, & reſpondet. Si quo ad id quo inſunt Diuinæ eſſentiæ fiat interrogatio: reſpondet ita tranſire in eandem Diuinam eſſentiam, vt omnino ſint idem cum ea, vt neque realiter, neque formaliter, vt prope infra ex communi ſententia certo probabitur: ſi verò ſub eorum ratione propria, quid ſint quis percunctetur; ſolida, & neceſſaria veritate reſpondet S. Doctor, eſſe relationes reales, & vt ſupra ſuo loco omne abſolutum in Diuinis eſt, in quo omnes perſonæ conueniunt: quælibet etenim perſona eſt omnipotens, ſumme bona, infinitè ſimplex, vna, & eadē bonitate ſimplicitate, & omnipotentia. Ergo proprium, quo à Patre diſtinguitur Filius, & differunt realiter eſt relatiuum, & probatur. Filius, quo à Patre diſtinguitur, eſt filiatio: ergo filiatio eſt relatio; filiatione enim refertur ad Patrem; & hoc adeò certum, & commune, & omnibus celebratum aſſertum, vt indignum ſit, quod aut magis probetur, aut in quæſtionem vocetur.

Secundo ergo, ſciſcitantur quidam recentiores in interpretationem S.Thom. ſi relationes Diuinæ formaliter ſumptæ ſint quid reale, nec ne, & an relatio abſtrahat à reali, & rationis relatione: certū eſt enim de fide relationes Diuinas, vt, (*Ad*) eſſe quid reale à parte rei, & ea certitudine, qua certū eſt, perſonas Diuinas eſſe plures reales, & realiter diſtinctas: ideo enim perſonæ realiter diſtinguuntur, quia ibi plures relationes propriæ in eſſe formali, & ad plures terminos oppoſitos reales referuntur, vt ex dictis iam, & infra dicendis; & confirmatur ex omnibus, quæ capite primo deducta ſunt: idque conſtanter docuiſſe S.Thom. quidquid aliqui ex ſuis Diſcipulis ei impingant, inter reliquos expoſitores fideliter ſuſtinet, & tuetur Didacus de Antoia diſp. 9. ſect. 7. de myſterio Trinitatis. In primis ex illo loco 4. contra Gentes, cap. 14. ad 4. *Sunt*, inquit, *plures res ſubſiſtentes ſi relationes conſiderentur: eſt autem vna res ſubſiſtens, ſi conſideretur eſſentia;* ſi verò relatio ſpectetur; plures: ſi enim non eſſent plures reales res, non eſſent plures ſubſiſtentes, nec plures perſonæ reales. Pluribus aute hunc Auctorem idem pro ſancto Thoma præſtitit Deza 1. Sent. diſt. 33. quæſt. 1. art. 3. notabili 4. contra Capreolum, & alios.

Sed res patentior erit ſi quomodo erga Diuinam eſſentiam ſe habeat elucidetur, an ſcilicet re, vel ſaltem ratione diſtinguatur, ita vt quoquo modo aliquid addere dicatur Diuinæ eſſentiæ, aut è contra adeò idem ſit cum ea, vt ad quæſtionem quid ſit relatio poſſit reſponderi, eſt formaliter ipſamet Diuina eſſentia, &c.

Diſputatio magni momenti præcipuè ſi augeatur, vt etiam attributorum, & identitatem, & diſtinctionem, quę inuenitur, & inter ſe, & cum eadem eſſentia complectatur: licet inter recentiores præſertim, adeò ſit frequens, & ferè trita, & repetita quęſtio, vt nihil noui videatur poſſe, aut addi, aut notari, niſi cum ſaniori, & veriori ſententia adnotetur primo de attributis, & explicetur ſancti Doctoris ſententia. Ergo ſanctus Bouaurntura, licet hac de re integram, & abſolutam quæſtionem non inſtituat, cum temporibus illis vetuſtis, grauiſſimi illi Patres Theologi grauioribus operam nauarent, & id generis quęſtionibus non admodum detinerentur, & Scotus quæſt. 7. 1. Sent. diſt. 2. dicit ſe primum hanc diſtinctionem formalem adinueniſſe, quare ante ipſum de ea non agebatur: plurimis tamen locis, ita eam S. Doctor tetigit, & innuit, vt neque inſolutam reliquerit, & quam de ea ſententiam profiteretur, non ſatis indicauerit. 1. Sent. diſt. 8. par. 2. art. 1. docet in Deo nobiliſsimo ente quidquid ponitur debet eſſe nobiliſſimum: ergo ſimplioitas, quæ ad nobilitatē ſpectat, & opponitur compoſitioni debet eſſe ſumma. Secundo. Quo maior virtus in aliquo, eo magis vnita: in Deo infinita eſt virtus: ergo maximè vna: ergo ſumma ſimplicitas. Tertio. Deus, eſt quidquid habet: ergo ſumme ſimplex. Quarto. Deus eſt primum ens: ergo ſumme ſimplex. Quinto addit in reſponſione ad primum. Fidem ita tenere, dum credit: Deum in pluribus perſonis immultiplicatum. Ex his poteſt, & rectè argui; ſi ſumma ſimplicitas, & vnitas: eſt enim idem: ergo omnis pluralitas, & compoſitio exploditur: ergo etiam formalis: nemo enim negare vllo modo poteſt perfectiorem, & ſimpliciorem eſſe vnitatem, ne dum realem, ſed etiam formalem, quam ſolam realem: ergo negat diſtinctionem formalem. Et quod magis obſeruo in hoc ſancto Doctore, ſunt duo, quæ de hac re, ſolus ex pietate tradit. Primum. Deum ex maiori ſimplicitate magis coli, decorari, & nobilitari, vt qui enim ſummè colere cupit, ſumme ſimplicem prædicare debeat; quo fit, vt qui de Deo negat diſtinctionem formalem magis colat, & celſiori honore Deum afficiat. Secundum. Fidem ita tenere, & credere in Conc. Lateranenſi, cap. Firmiter de Summa Trinit. & fide Catholica. Quo quid firmius, hac in quæſtione dicere potuit? eadem diſt. 1. par. art. 1. Veritas, & eſſentia in Deo, licet ſint vnum; ſicuti tamen in creaturis alia eſt ratio eſſentiæ alio ratio veritatis: nam eſſentia eſt quid, veritas conditio quidditatis: Ita in Deo, cui hæc ex creaturis tribuimus, nō ſunt ſynonima, ſed habent propriam rationem ſignificandi: ergo hoc attributum veritatis ab eſſentia differt tantum in ratione concipiendi, & ſignificandi nobis in ordine ad creaturas, ex quibus Dei attributum eſt: ergo non ſimpliciter, neque realiter, neque formaliter res luce clarior.

Diſtinctione 22. art. 2. vbi primo quærit an plurima nomina habeat Deus, & reſpondet; ſi de abſolutis loquamur (alia enim eſt ratio de relatiuis) ratione rei ſignificatæ, ſicut vna ſola eſt; ita vnum nomen. Tunc arguitur pro colligenda in hoc art. ſancti Doctoris mente: ergo vna definitio: ergo nihil abſolutum in Deo à parte rei differt diffini-

tione:

Digitized by Google

tione: ergo neque formaliter, neque ex natura rei. Quod ſi plura nomina ſunt, ex parte effectuum, ad Deum indicandum, & plurimis titulis, & nominibus prædicandum: non tantum ex pluralitate effectuum, ſed ex varia comparandi ratione, vel ſcilicet per viam cauſæ, vel negationis, vel eminentiæ: ſed hæc nihil varium, & diuerſum vllo modo in Deum, ſed dumtaxat varias relationes rationis ad nos, varios noſtri intellectus conceptus ex varietate creaturarum, deſumptos &c. aſtruunt.

Sed in reſponſione ad tertium euidentius: hæc enim ſunt formalia ipſius verba. Varia nomina Deo tributa non ſunt vana, vt ſupponebat argumentum in oppoſitum: quoniam, quod ſint plura, non ſolum venit ex parte intellectus: ſed etiam quoniam illi rationi internoſcendi reſpondet pluralitas ex parte creaturarum, & in Deo reſpondet vnitas complectens illam totam pluralitatem: vnde, quia intelligimus Dei potentiam, & Dei ſapientiam per diuerſa, diuerſimode nominamus: & quia in Deo vera eſt ſapientia, & vera potentia, ideo non eſt ibi vanitas: quibus verbis clariſſimis doctiſſimè aperit & vnitatem rei, & radicem, & originem; vnde Diuina multiplicantur nomina, primo ex multitudine creaturarum, & effectuum, qui diuerſimodè Diuinas participant perfectiones, & inde diuerſis explicantur nominibus. deinde ex parte intellectus, propter plurimos, eosq. varios conceptus, qui effinguntur ſub diuerſis rationibus ad Diuinam eſſentiam, quoquomodo plurimis vicibus, quia vnica non licet vice, intelligendam. Ex parte denique Dei, inde quoque originem ducit eadem multitudo: non quia in Deo plures, ac diuerſæ perfectiones, ſed vna tantũ tamen adæquans, & reſpondens, & fundans plures veritates, & prædicationes intellectus creati ſemper verum dicentis pluribus, & varijs conceptibus finitis, tamen circa eamdem rem infinitam impoſſibilem nobis vnico verbo explicari. Nullo, loco quem ſciam, S. Thomas, aut alius S. Thomæ aſſecla, diſcipulus, & Commentator, clarioribus verbis, diſtinctionem rationis, vt aiunt, ratiocinatæ, & virtualem, & fundamentalem, docuit quã hic S. Bonau. quæ licet ante operationem intellectus, actu non ſit: habet tamen fundamentum reale actu præbens originẽ, & veritatem diſtinctionis, vt intellectus diſtinctè intelligens non fingat, aut pariat chimæras: ſed vera pronuntiat ex fundamento, quod adæquatè, imò vberius, omnia vnicæ propter infinitam perfectionem eſt, quæ affirmare poteſt per annos æternos quilibet intellectus creatus.

Denique diſt. 26. art. 1. ad ſecundum. Bonitas, & veritas differunt in Deo, differentia rationis à parte noſtræ appræhenſionis; & perſona, & eſſentia differunt ratione, ſecundum differentiam attributionis, quia attribuitur vni, quod non attribuitur alteri. Quod, ferè, idem eſt cum ſuperiori diſtinctione, in qua apertius quam vllo alio loco attributorum diſtinctionem, non ex antecedente actuali in Deo diſtinctione, ſed ex varietate noſtrorum conceptuum, quia vnico, imò niſi pluribus conceptibus, rem infinitam vnam appræhendere non poſſumus. Hæc aurea, & veridica verba: differre ratione eſt tripliciter, vno modo à parte noſtræ appræhenſionis, ſicut differunt in Deo bonitas, & magnitudo: ergo appræhendendo non diſtincta, niſi virtute attributa diſtinguimus. ſecundo. Differunt, propter variam noſtram rationem attribuendi Deo, quod in idem recidit. Scio quoſdam recentiores, adeo in diſtinctionem formalem Scoti affectos omni conatu eniti, vt demonſtrent, hanc diſtinctionem attributionis coincidere cum diſtinctione formali, & inde reliquos omnes Theologos aſſentiri Scoto: quibus non eſt cur hoc loco reſpondeam, non ſolum, quia hæc attributio fit ab intellectu creato, ſed quia in proxima ſequenti diſputatione erit proprius reſpondendi locus. Sentit ergo ſanctus Doctor indicatis locis, & multis alijs quos prætermus, cum S. Thoma, q. 7. de Veritate art. 6. & opuſc. 9. q. 1. 2. & 3. & in 1. ſent. diſt. 2. q. 1. art. 2. & 3. & alibi, & Durando in 1. diſt. 2. q. 2. Gabriele quæſt. 1. & 2. Gregorio Arim. q. 1. Marſilio quæſt. 12. art. 3. Capreolo diſt. 8. quæſt. 4. art. 1. Maiori quæſt. 1. Henrico quolib. 5. quæſt. 1. & quolib. 13. q. 1. Canarienſi in hunc articulum S. Tho. diſputat. 1. par. 21. & 2. Caiet. vbique, ſed in primis opuſculo de ente, & eſſentia cap. 6. q. 12. Auerroe in 12. Metaph. com. 39. Nipho. 12. Metahp. diſput. 13. cap. 4.

Recentiores exquiſita diligentia ad hanc eandem ſententiam perſuadendam, & roborandam egregia, & diſerta ſanctorum Patrum loca proferunt. Imò non pauci profitentur, hanc eſſe Eccleſiæ Catholicæ ſententiam virtute ſaltem decretam multis locis, quæ præſertim à Molina, Vaſquez, & Suarez, in medium afferuntur, & omni diligentia librantur; præcipuè in Concilio Rhemenſi ſub Eugenio III. præſente, & grauiter agente, & conuincente S. Bernardo Gilbertum Porretanum, qui damnatus eſt, & coactus retractare; eo quod, vt ſancti Bonauentura, & Thomas, & Alex. Alen. aſſerunt, docuerit relationes, & ab eſſentia, & à perſonis; ita differre, vt affixas, & extrinſecas dixerit, & has propoſitiones negauerit; Deus eſt ſua eſſentia, & ſua Deitas, & conceſſerit; Deus, et perſona eſt Deitate Deus, ſed non Deitas, vt potius Deitatem Deiformem quam Deum ipſum aſſeruerit. Cum verò attributa dicantur idem formaliter cũ Diuina eſſentia, hæ propoſitiones erunt verè formales Deus eſt ſua bonitas etc., et cum videatur eadem ratio de attributis, et relationibus ad eſſentiam: in decreto illius Concilij, quo perſonã, et Deum eſſe ſuam Deitatem Decretum eſt, videtur quoque decretum, tanquã omnino ſimile, eſſentiam eſſe ſuam bonitatem, et oppoſitum vtroque modo reiectum, et damnatum, et in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. cap. Firmiter, et cap. Damnamus. vbi fides Catholica aſſeritur his verbis: *Vnus eſt Deus Pater, Filius, & Spiritus ſanctus tres perſonæ, ſed vna eſſentia, ſubſtantia, ſeu natura ſimplex omnino*. vbi tota ferè vis ſita eſt in illa voce (omnino) ſi enim omnino ſimplex, ergo reijcitur omnis diſtinctio, quæ à parte rei quoquomodo multiplicatur: ergo etiam formales: neque enim negare quis rectè poteſt, perfectiorem eſſe

H vnio-

vnionem etiam formalem quam ſolam realem., & magis eſſe vnam ſolam ſapientiam, quam ſapientiam, & bonitatem diſtinctam formaliter. Concilio Florentino, vbi licet non definitione, tamen conſenſu, omnibuſque Patribus, tum Græcis, tum Latinis acclamatum eſt huic veritati. Ioannes enim ex parte Latinorum ſic profert ſeſſ. 18. *Diuina ſubſtantia, & perſona, re quidem ſunt idem, ſecundum autem modum intellectionis noſtra differre videntur*: cui Marcus, nomine Græcorum, conſenſit coram toto Cõcilio. Andreas Præſul Colloſſenſis ſeſſ. 17. volens conciliare diſputationem hanc dixit. *Plurimũ refert ſimpliciter proferre Diuinam ſubſtantiam, vel Patris, Filijq. ſubſtantiam: haud quaquã tamen putare debemus, vt ne differant, quandoquidem ſola ratione, aut intelligentia differre credantur*. Et ſeſſ. vltima in quadam confeſſione, quę à Latinis ad Grçcos miſſa eſt, dicitur. *Porro autem ne identitatem coniunctionemque Diuina ſubſtantia diſtribuere, ac ipſam ſubſtantiam re, non autem ſola ratione, ab hypoſtaſibus, & perſonis differre credere videamur*. Grauiſſimum verbum (credere) quo inter Patres illos non de opinione, & ſcientia, ſed de fide agi indicatur. Vbi pars Latinorum putat incommodum eſſe admittere aliam, quam rationis diſtinctionem. Inter verò rationes plurimas hinc inde petitas, quas pro rei omnino ſimpliciſſimę vnitate tuenda conglomerant, hanc magni ponderis ſemper arbitrati ſunt. Si non omnino ſimplex Deus, vt pluſquam rationis, ſed formalis diſtinctio inter Deum, & ſuas perfectiones admittenda ſit; videtur ſequi nimis apertè Diuinam Scripturã, Concilia, Patres nunquam propriè, & omnino veridicè, hoc eſt formaliter locutos, *dum Deum Dominum noſtrum bonum, iuſtum, omnipotentem, Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum ſanctum &c.*, vbique locorum prædicant: non enim vſque adeo, & omni proprietate verum dicunt, ſi bonitas &c. formaliter non eſt eſſentia: quod videtur & valde durum, & nulla cogente, aut neceſsitate, aut rei grauitate, ſed ſola fortaſſe inutili, & curioſa diſputandi in re ſcholaſtica voluntate.

Sed an hæc cenſura, præſertim ad perſonam Scoti, ſit nimis rigoroſa, ſequenti capite indicabitur: igitur.

CAPVT III.

Quid ſenſerit Scotus, & quid de Scoti opinione ſentiendum.

NOn poſſum primo non vehementer commendare, & quibus melioribus valeo laudibus cumulare pietatem, & modeſtiam religioſiſsimi Doctoris Scoti, dum, quo tempore diſtinctionem formalem inuenit; quanta moderatione loquutus ſit, obſeruo: in primo enim Sententiarum diſt. 2. quæſt. 7. §. ſed hic reſtat; dum ante omnem intellectum creatum, & increatum dandam diſtinctionem actualem aliquam, quam vocat ex natura rei formalem in ordine ad intellectum inter eſſentiã, & relationem, & proinde inter eſſentiam, & attributa; (eandem enim exiſtimat rationem) aſſerit ſcire ſe rem nouam, & primum in medium afferre; id tamen facere ſine abſoluta aſſeueratione, imò ſaniori ſemper, & meliori ſententia ſalua; quod acerbiores Scoti aduerſarij ob oculos præſeferre, & mente tenere ſemper, & vbiq; deberent: & quod mihi valdè perſuadet, Scotum hanc ſententiam magis ex vbertate, & ingenij mirabili acumine, vt diſputandi occaſionem arriperet, quam vt aliam, & antiquiorem ſententiam impugnaret, in medium attuliſſe.

Secundo mihi admodum placeret, ſi ſufficienter ad Scoti mentem, & congruè ſuſtineri poſſet, quod aliqui emunctæ naris viri, & in omni doctrinæ genere percelebres de Scoti diſtinctione formali, ſuſpicati ſunt, diſtinctionem ſcilicet hanc non eſſe diuerſam, nec differre à communi ſententia, & diſtinctione rationis ratiocinatæ, vt aiunt, eo præcipuè, quia, notato loco ſupra diſt. 2. quæſt. 7. eam nominat virtualem, non realem actualem; imò ideo poſſe dici rationis: & quid aliud Thomiſtæ, & reliqua vniuerſitas videntur velle? At verò ex illo loco non poſſe colligi, quod optamus, manifeſtè patet: tum quia ibi, vt iamiam dicebamus, aſſerit Scotus, ſe ante omnes hanc adinueniſſe diſtinctionem: ergo non poteſt loqui de rationis ratiocinatæ diſtinctione, ipſomet admodum antiquiori: tum quia eſſe ante omnem intellectum actualem, & minimam inter eas, quæ præcedunt operationem intellectus dicit: tum denique interpretantur quid intellexerit voce (rationis) quando differentiam *rationis* eam appellauit: *rationis* ad imitationem cuiuſdam Doctoris, ideſt ſancti Bonauenturæ, hoc eſt quidditatis, quatenus quidditas eſt rationis obiectum: & virtualis, eodem loco, quia hæc diſtinctio non diſtinguitur inter rem, & rem, ſed vna res habens virtute varias realitates eminenter &c. ſubiungam tamen hic locum valdè notandum ipſius Scoti, qui nullo modo videtur poſſe has gloſſulas admittere, ipſe 1. Metaph. quæſt. 1. fol. 3. col. 1. ita formaliter loquitur. In Deo perfectiones exiſtentes illimitatæ, ſunt idipſum, quod eſſentia eius, propter ſummam ſimplicitatem: tamen quælibet ratione differt ab eſſentia, & talis differentia ſufficit ibi inter proprietates, & ſubiectum. Vbi nihil apertius videtur poſſe dici pro noſtra ſententia: quare, ne dicatur ſibi contradicere tantus Doctor; aut non conſtans fuit in hac ſententia, ſed variè pro libito loquutus eſt, aut ſe retractauit, & hic fortaſſe erit locus retractationis. Hoc certum eſt. plurimi Scotiſtę aſſerũt multis coniecturis ducti poſtremo poſt quam in Magiſtrũ Sententiarum ſcripſit, Commentarios in Metaph. edidiſſe, vt inter alios refert Mauritius Ibernicus in Præambulo ad tractatum de primo principio: & ipſe Scotus lib. 2. in Metaph. ſe ipſum refert, & citat in Prologo primi Sententiarum.

Tertio, niſi apertam Scoti ſententiam aut negare, aut extorquere, & in oppoſitum vi trahere volumus; Scotus nullo modo in Gualteri ſententiam tranſijt: Iſte namque homo, vt refert Auguſtinus Niphus 12. Metaph. diſt. 13. cap. 3. ponere

nere realem diſtinctionem inter eſſentiã Diuinam, & attributa, & inter ipſa attributa, auſus eſt, hac falſa ratione deceptus: eſſentia Diuina, & attributa ſunt in diuerſis prædicamentis: ergo realiter differunt ad inuicem; conſequentiam probat: nam res in diuerſis prædicamentis realiter differunt: neque tamẽ id nocet Diuinæ ſimplicitati, aut vllo modo componit: non enim ibi attributa ſic diſtincta ſunt, vt vnum in ratione alterius ſit actus, aut pars, alterum verò potentia; quo ſolo modo fieret compoſitio; quod docuit etiam Scotus, dum ab eadem eſſentia omnem compoſitionem arceret, etiam in ea poſita ſua diſtinctione formali.

Sed hic peſſimus Gualterij error eſt, & velit, nolit turpiter in Deo compoſitionem facit multarum rerum realiter differentium, tum actus, & potentiæ, & partis: illa enim attributa, ſi in Diuina eſſentia ſimpliciter recipiuntur, & ſunt perfectiones formaliter; alias non eſſent attributa: ergo eſſentia eſt in potentia ad ea, & ijs perficitur: tum ſaltem aggregationis infinitorum per accidens: & reuincitur eodem argumẽto D. Bernardi ſerm. 80. in Cant., quo & error Gilberti, & damuatur eadem damnatione Conc. Rhemenſis, licet non confirmati ab Eugenio III. licet enim non ſit idem hic error cum Gilberti errore: nam Gilbertus diſtinctionem realem inter eſſeutiam, & perſonam ponebat; hic verò intet eandem eſſentiam, & attributa; eſt tamen eadem ratione vterque error reiectus, propter diſtinctionem realem ibi poſitã, vbi omnino ſimplicitas Diuina fide aſſerta repugnat. Scotus autem, vt ſæpè, aperto ore proteſtatur, hanc à ſe adinuentam formalem diſtinctionem non eſſe realem, ſicut inter rem, & rem, ſed duarum rationum formalium his verbis, eodem loco: *non eſt propriè realis actualis intelligendo ſicut communiter dicitur*, realis actualis illa, quæ eſt diſtinctio rerum, & diſtinct. 2. quæſt. 4. propter ſimplicitatem ibidem alijs verbis, hanc diſtinctionem eſſe minimam eorum, quæ præcedunt operationem intellectus: ſi minima, ergo minor diſtinctione reali, & quolib. 5. art. 2. poſtquam retulit ſeutentiam D. Tho. & Henrici quærens Paternitatem, & ſpirationem actiuam in Patre differre ſola ratione, & hoc ſufficere, vt vna de altera non prædicetur, ſubdit, aliter alius, & rationabilius, vt videtur (ecce viri modeſtia,) & ad propoſitum, quod proprietates in eadem perſona, ex naturs rei differant præter conſiderationem intellectus: quia ad hoc ſufficit diſpar ratio, licet non ſit oppoſita, & propter hoc prædicatio vnius de alia in abſtracto non eſt vera, & in primo diſt. 2. q. 4. quærens, an inter eſſentiam, & relationem intercedat aliqua diſtinctio. reſpondet. melius eſt vti negatiua; non ſunt idem formaliter, quam differunt formaliter: & obſeruat, non eſſe neceſſariam conſequentiam à negatiuo ad affirmatiuum; ita vt dicatur, non ſunt idem formaliter: ergo differant formaliter. rationem affert ibidem Antonius Andreæ: nam diſtinctio illa non relatio, nec aliquid poſitiuum, ſed pura negatio eſt. vbi, quam diſtet pijſſimus Scotus à Porretano, & Gualterio, impijſſimis, & quam indiſcreto zelo, quidam recentiores, alias admodum docti, pij, & diſcreti inſimulent Scotum de hoc errore, ſatis liquido colligitur.

Opinio ergo, & ſententia Scoti, hic, & vbique de diſtinctione formali, ſi ſe ipſum in Methaphyſicis non retractauit, aſſumenda eſt: quã poſtea omnes aſſeclæ, licet durius, quam magiſter, profeſſi ſunt: & eſt media inter realem, & rationis, aut ratiocinantis, aut ratiocinati, quæ ante omnem operationem cuiuſcumque intellectus, ex natura rei, inuenitur inter ea quidem in eadem tamen per rationes obiectiuas diuerſa definiuntur definitione. Quam, vt clarius dilucidemus rem totam breuibus aperiamus.

Eſt igitur triplex genus diſtinctionis, iuxta triplex principium diſtinguens. primum tantum rationis: quod adhuc ſubdiſtinguitur, vt aliud ſit rationis præciſè, quod à ſolo intellectu ſit, vt quando facit idem a ſe ipſo diſtingui: aliud cum ab intellectu quidem diſtinguitur actu: præcedit tamen fundamentum, quod virtute continet illam diſtinctionem, & patitur diſtingui, & verificat diſtinctiones illas, & adæquatè reſpondet illis omnibus, vt de eadem re plures, tamen omnes veros, conceptus effingat, & formet, quemadmodum in re hac, de qua agimus, nimirum de Deo vniſſima, & ſimpliciſſima re: plurimos tamen conceprus affirmamus, vt ſcilicet bonus, iuſtus &c. & eandem rem infinitam diuerſis conceptibus prædicamus, eo quod ſinguli ſunt inadæquati, nec ſatis rem diuinam explicant. oppoſita eſt realis, quam inter rem, & rem pouit, &, vt ait Riccardus, conſequitur ad eſſe reale.

Sicuti media, quæ quidem actu eſt, ante omnem operationem intellectus, ſed de eadem re, vt præciſè verſatur circa rationes formales, cum vnius conceptio, & etiam definitio ſit extra aliam, ex natura ſua: quam nec negauit Ariſt., nec antiquiores Theologi, imò libenter admiſerunt: ſed ſub alio nomine, vel ſcilicet realis realitatis nomine ad ſormales rationes extenſo: vel rationis, rationis voce, vt ſæpè ſanctus Doctor noſter aſſuetus eſt loqui, ad formalem etiam diuerſitatem deducta: vt hæc tria genera ad duo facili negotio reduci poſſint, aliud realis diſtinctionis, ſed realis realiter, & realis formaliter, aliud rationis, ſed ratiocinantis, & ratiocinatæ.

Vtuntur Doctores his communibus diſtinctionibus in hac diſputatione, iuxta varias opiniones: vt primo erronee dixerit Gualterus realiter attributa differre, non conſentanee rationi Aureolus, neque ratione, vllo modo ſumpta, ratione præciſa, Nominales Gabriel 1. Sent. diſt. 2. quæſt. 2. Greg. diſt. 8. quæſt. 2. Henricus Quodlib. 5. quæſt. 1. Marſilius quæſt. 12. art. 2. Durandus diſt. 2. quæſt. 2. & 5. Ratione ratiocinata, communis opinio. Formaliter Scotus. Scoti ergo ſententia hæc eſt. Quod ſi conatur aduerſarij Scoti ſententiam argumentis probare, eſſe eandem cum reali diſtinctione hoc, aut falſum, aut ſaltem manifeſtè contra Scoti voluntatem.

Mitto pium laborem recentioris conciliatoris, conantis omnes Doctores in Scoti ſententiam deducere, hac præcipua interpretatione. Scotum

Digitized by Google

ſi attentè introſpiciatur, nullam in Deo per plurès rationes formales ante cuiuſcumque intellectus operationem admittere realem, actualem, aut virtualem, & potentialem diſtinctionem abſolutè, & ſubiectiuè, ſed obiectiuè, & vt ait Ioannes Bacconius, relatiuè in ordine ad intellectum: vt velint dicere. Attributa Diuina, vt dicunt perſectionem in Deo, nullam diſtinctionem ponunt, vt verò intelligibilia ſunt, & relationem ad intellectum, intelligibilitatis, intelligi, deſcribi, definiri, vel eorum quidditas percipi poteſt, itaut attributa Diuina diſtingui formaliter obiectiuè nihil aliud ſit, quam ſingulas eorum quidditates eſſe diſtinctè perceptibiles, & cognoſcibiles; ita Scotus 1. Sent. diſt. 2. q. 4. §. ſed hic reſtat, & in 7. Metaph. quæſt. 19. Bacconius 1. Sent. diſt. 2. quæſt. 1. art. 1. & 3. & quæſt. 2. art. 3. Quod aſſertum ferè in nullo videtur diſtingui à diſtinctione ratiocinata noſtra. Addiderim hoc dilucidius, & efficacius perſuaderi, ſi ab oculos ponatur, quod nuperrimè ex Scoto retulimus, has diſtinctiones formales non eſſe quid poſitiuum, ſed puras negationes.

Quanta verò probabilitate polleat hæc Scoti ſententia vrgent admodum aduerſarij, & vellent eam tanquam pluſquam falſam explodere, & ad hoc, Patribus multis clamant, & Concilijs: rationes multiplicant in dies. Ad omnia tamen Scotiſtæ reſpondent: Concilia, Gloſſant, ſenſu Patrum in Florentino Conc. vt poſſunt, explicant, &c.

Duo exiſtimo certa, ſed vnum alio certius. Primum, Concilia nihil contra Scotum ex intentione ſtatuiſſe, nec vlla vnquã contra eum latam ſententiã; & hinc liberè ab Eccleſia vbiq; tũ in ſuggeſtis, tum in cathedris, tanquam nõ improbabilẽ & probabilẽ hanc diſtinctionem admitti, eo præſertim ſi addatur, quod vltimo loco notaui ex conciliatoris obſeruatione. Licet à priuatis Doctoribus contrariæ ſententiæ adhuc impunè, & liberè grauius vindicetur, ne dicam percutiatur, &, pluſquam par ſit, cenſura notetur. Alterum, opinionem noſtram, id eſt communem, in quo ſi à Scoti opinione differt adeo veriorem, & certiorem teneo, vt omnino certam, & tutam prædicem, non ſolum propter efficaciores rationes, quibus nititur, & fulcitur, ſed propter plura, & apertiora placita Patrum, & Theologorum, & propter Conciliorum decreta, quæ ſi formaliter rem non decernunt, valde tamen, & vehementer indicant, tangunt, & conformiter loquuntur. Quæ hic iterum non exſcribo, tum ne acta agam, & ſubiende ne inutilem laborem ſub eam, cum vberrima, & plurima ſufficientiſſimè collecta apud multos recentiores legantur, tum denique infra conſtabunt ex reſponſionibus ad Scotiſtarum ſolutiones.

Conſectaria ex hac cõmmuni de attributorum non actuali, ſed virtuali diſtinctione.

PRimum. Deus intuendo ſe, neq; diſtinguit, neq; diſtinguere poteſt, aut intueri diſtincta attributa ſua. Docuit Capreolus 1. Sent. diſt. 8. quæſt. 4. art. 3. in cuiuſdam argumenti ſolutione. Didicit expreſsè à S. Bernardo de Conſideratione ad Eugenium lib. 5. verſus finem. *Viſus ſum protuliſſe plura, ſed vnum eſt, vnus Deus ſignatus eſt pro captu noſtro, non pro ſtatu ſuo, &c.* vbi multa docet, ſed in primis, nos viatores, dum multa proferimus de Dei perfectione, id euenire ex infirmitate intellectus noſtri. Quod docuit, & S. Thom. quæſt. 7. de Potentia art. 6. ſcilicet *intellectus noſter, quia per alienas ſpecies cognoſcit, ex infirmitate ſua oritur, vt rem integram, ſicuti eſt, cognoſcere non poſſit, & ideo diuidat, per partes apprehendat: & ex varijs creaturis Deum cognoſcens ipſum diuerſimodè intelligat.* Simile huic docet S. Bonau. præſertim diſt. 33. dubio 1. litterali. *Quia*, inquit: *videmus per ſpeculum, per ſpeciem deſumptam à creatura, intelligimus, & hoc nullum ſub Deo habet ſimile: imò ſolius Dei proprium propter ſummam ſimplicitatem, ideo eſt incomprehenſibilis nimirum non poteſt vnico, ſed pluribus conceptibus intelligi.* Clarius ſupra locis indicatis, præſertim diſt. 22. art. 2. ad 3. & diſt. 26. art. 1. ad 2. ergo Deus, qui ſe ipſum perfectiſſimè intuetur, & cognoſcit, ſicuti eſt, nec diſtinguit, neque diſtinguere poteſt, quod ſimpliciſſimum eſt, & quod nullo modo à parte rei diſtinctum eſt. Ratio adducta ex Sanctis Bernardo, Bonauentura, & Thoma, eſt; quia hoc modo diſtinguere, ex imperfectione viatoris oritur: ergo comprehenſori perfectiſſimè videnti id nec accidere, nec congruere poteſt. Secundo, & confirmatur, ideo diſtinguit viator, quia attributa Diuina ex ordine, & cognitione pluriũ creaturarũ cognoſcit: *Inuiſibilia enim ipſius à creatura mũdi per ea, quæ facta ſunt intellecta cõſpiciũtur.* Rom. 1. & has Diuinas perfectiones, ita attributa Theologus appellat, quod à creaturis diſcens tribuit, & inuenit, cõfitetur Deo: ſed Deus ſe, & ſua attributa nõ cognoſcit in ordine ad creaturas: ergo. maior nota ſupponitur, ſicuti eſt; minor probatur. Primo, quia attributa Dei ſunt reuera in ſe abſoluta, neq; vllam relationẽ ad creaturas habent: ergo ita à Deo cognoſcuntur. Deinde, quod ſi Deus ea cognoſcere poſsit, vt intellecta à viatore, prout & ipſe cognoſcit, hoc eſt diſtinctè, & relata ad creaturas, hoc non erit cognoſcere in ordine ad creaturas, ſed intellectum creatum ita cognoſcentem.

Secundum. Quod de Deo aſſertum eſt, de intellectu quoque creato Beato, cum proportione, aſſeri debet, propter eandem rationẽ: nam & ipſe Deum ſicuti eſt intuetur in ſe ipſo, nulla facta comparatione ad creaturas: videt enim Deum, ſicuti eſt, proinde, vt ſimpliciſsimum, & indiuiſum, & omnino indiuiſibilem: ergo omnes Dei perfectiones ab intellectus noſtri imbecillitate factas plures, (ſicuti accidit, & oculo corporeo, dum lippus, & cætutiens intuendo rem valde excellentem, & lucentem ſibi res plures videtur videre) ſicuti verè vnicam ſolam, &, vt ait Nicetas, ipſam ſolitatem, & ſub ratione vnius videbit. His omnibus ſuppoſitis, & alijs ſuo loco ſolerter perpenſis.

De

De diſtinctione relationum à Diuina eſſentia inſtituitur quæſtio, D. Bonauentura diſt. 33. queſt. 2. D. Thom. art. 2.

PARAPHRASIS.

PRIMA Propoſitio. Non rectè, nec fideliter Gilbertus Pictauenſis ſenſit, nec loquutus eſt de Diuinis relationibus in ordine ad Diuinam eſſentiam. Probatur nam relationem, nec eſſe eſſentiam, nec in eſſentia, ſed ab ipſa differre verè, & realiter, & eſſentia potius eſſe affixam, & aſſiſtentem publicè docuit, & ſcriptis tradidit. Quod vero quam falſum, & ab omni veritate alienum ſic demonſtratur; nam ſi relatio in Deo eſt aliquid: ergo, aut Diuina eſſentia, aut creatura: non ſecundum, quia relatio, & proprietas in Diuinis adoratur adoratione latriæ; ita canit Eccleſia: In perſonis adoretur proprietas; *ita S. Bernardus de Conſideratione, lib.* 5. Illam proprietatem, quæ Deus non eſt non mihi adorabilem credo: *ergo eſſentia Diuina, Conſequentia probatur, nam inter Deum, & creaturam nihil mediat. D. Auguſt. 1. de Trinit. cap. 6.*

Secunda Propoſitio. Relatio, & proprietas Diuina ad eſſentiam comparata eſt ipſamet Diuina eſſentia prorſus, & per omnimodam indifferentiam, vt argumento ſecundo affirmatiuo, & probatur. Primo. Proprietas relatiua eſt in perſona cum Diuina eſſentia, & hoc certiſſimum eſt: aut ergo, vt differens cum eſſentia, aut vt indifferens, & omnino idem. Si ſecundum, habetur intentum. Si primum; ergo Diuina perſona eſt compoſita ex his, neque omnino ſimplex; quod tamen, vt intolerabile abſurdum ſuo loco improbatur. Secundo. Relatio, aut eſt aliquid, aut nihil, non nihil; nam tunc perſonæ Diuinæ, non diſtinguerentur, quarum diſtinctio, nihil eſſet, quod eſt contra fidem: ergo aliquid: ergo Diuina eſſentia, vt & primum argumentum vrgebat. Tertio. Omne quod eſt, aut eſt melius, aut minus Deo, aut æquale Deo, ideſt Deus. Ergo ſi relatio erit, aliquo ex his modis vtique erit: ſed non minus Deo: quia eſſet creatura. Deinde, Pater, qui eſt paternitate Pater eſſet ſeipſo minor, non maius Deo, quia Deus eſt, quo maius excogitari non poteſt: ergo Deus.

Tertia Propoſitio. Relatio ad terminum, & obiectum comparata, non tranſit omnino in Diuinam eſſentiam, ſed quoquomodo ab ipſa diſtincta manet. Declaratur, nam manet diſtincta non vt diuerſa eſſentia, & res, & vt aliquid ad eſſentiam addat, ſed vt modus ſe habendi, & vt reſpectus ad aliud, ideſt obiectum; licet, vt ad correlatiuum ſit res, vt in textu. Probatur verò; nam ille reſpectus eſt ad aliud, eſſentia verò ad ſe: ergo aliqua differentia differt.

Corollarium. Propriè loquendo proprietas relatiua non in eſſentia, ſed in perſonis debent dici ineſſe. Ratio in promptu hæc eſt; quia perſonæ, & diſtinguuntur, & referuntur per illas, non eſſentia, quæ & communis eſt tribus, & omnino abſolutè, & ad ſe eſt. Quod ſi in eſſentia dicatur eſſe, id communiter accipiendum, quatenus, quod eſt Diuina eſſentia, in ea quoque dicitur eſſe.

Quarta Propoſitio ex reſponſione ad tertium. Proprietas prædicatur de eſſentia nō per inhærentiam, aut veluti de ſubiecto, ſed quaſi mediante perſona, quia ſcilicet proprietas in perſona eſt idem cum eſſentia.

Quinta Propoſitio ex reſponſione ad quartum. Proprietas non prædicatur de eſſentia per ſe; nam tunc cuicumque ineſſet eſſentia, ineſſet & Paternitas, & ita in Filio vbi eſt eſſentia eſſet, & Paternitas, contra diſtinctionem, & oppoſitionem relatiuam perſonarum. Neque per accidens, nam perſona non eſt aliud ab eſſentia: ſed ſingulariori, & Diuino ſoli Deo modo competenti.

Sexta ex reſponſione ad vltimum. Eſſentia de ratione ſui non includit rationem, nec relatio, Diuinam eſſentiam.

Septima ibidem. Eſſentialia adiectiua, vt dicuntur creaturis oppoſita, vt infinitū immenſum, &c. dicuntur, & competunt, etiam relationibus; etenim, & ipſæ immenſæ, & infinitæ, & infinitè bonæ ſunt, & verè dici poſſint.

Octaua Propoſitio ibidem. Relatio, & proprietas, non poſſunt dici principium ad extra; ratio eſt, quia in ſui ſignificatione, non indicant eſſentiam, vt formam, & principium.

COMMENTARIVM.

QVID quærat in hac quæſtione S. Doctor apertum eſt, nec accidit vllo ex capite dubitare: nemo enim non videt, ipſum totum eſſe in indaganda tum differentia ſi aliqua intercedere poteſt, inter relationes, & Diuinam eſſentiam, tum in aſſerenda, & comprobanda identitate inter eandem eſſentiam, & proprietates relatiuas. Quatuor autem videtur hac in quæſtione agere. Primo refert hiſtoriam, & errorem Gilberti Porretani Epiſcopi Pictauienſis. Secundum ad inueniendam difficultatis propoſitæ ſolutionem, parat certam, & neceſſariam relationis perpenſionem, duobus ſcilicet modis poſſe relationem ſumi, vel in ordine ad eſſentiam, vel ad terminum, & correlatiuum. Tertium. Quæſitam dubitationem enucleat, & ſoluit, & pereruditè probat. Quartum, quaſi corollarium ex his multa ſingularia ſcitu digna tum in fine quæſtionis, tum ad argumenta dat.

Quo autem ad primum Gabriel Vaſquez diſputatione 120. cap. 1. carpit tanquam huius hiſtoriæ ignaros Alexandrum, S. Bonau. & S. Thom. quod ſcilicet docuerint Gilbertum tradidiſſe relationes in Deo eſſe extrinſecas, & veluti affixas, quod fal-

ſum eſt, nec quidquam tale vnquam docuerit, vt ipſe loquitur. Sed Theologus iſte alioquin valde obſequens Religioſus, & moratus, poterat ab hoc cauillo ſe cohibere: tum quia his grauiſſimis auctoribus opponit Ottouem quendam vix notum, & minoris auctoritatis, & poterat ſibi perſuadere, & hos Patres habuiſſe oculos, quibus ſicut, & ille Ottonem legiſſe poterant: tum præcipuè, quia nihil ab Ottone diuerſum niſi verbis aſſeruerunt: quo verò ad rem, de qua controuertitur, omnino idem: Gilbertus enim, vt idem Vaſquez ex eodem Ottone colligie, qui tempore Eugenij III. & Corradi III. Imperatoris fuit Epiſcopus Pictauienſis, & Auctor ſex principiorum apud Logicam Ariſt. docuit, propoſitionem hãc eſſe falſam. Deus, & perſona Diuina eſt ipſa Deitas, ipſa veritas, ipſa æternitas, &c. niſi concretè, Pater, v.g. eſt Deitas, ideſt Deitate Deus, quaſi Deitas ſit forma, qua Pater eſt Deus: perſona enim, & relatio differt à Deitate, & Diuina eſſentia, à parte rei; ita vt ratio Theologica diuidat inter eſſentiam, & relationes, non autem ſolum Mathemarica abſtractio, ideſt per rationem, & opus ſolius intellectus noſtri: nam dicebat ipſe deceptus: ſi eſſet omnino idem eſſentia, & relatio, & perſona, ſequeretur, quod incarnata vna perſona, incarnarentur, & reliquæ, & admitteretur ſic, Sabelliana hæreſis, quæ omnem veram, & realem perſonarum diſtinctionem tollebat: & ſicut Pater generat, cogeremur dicere eſſentiam generare, & denique Patrem dum generat Filium ſe Ipſum quoque generare (hoc eodem argumento vſus eſt Scotus ad inducendam diſtinctionem formalem, ante omnem operationem intellectus:) ponebat ergo diſtinctionem veram inter eſſeneiam, & relationem: ſed ita loquendo, quid quæſo aliud faciebat, quam relationes negare intrinſecas Diuinæ eſſentiæ, ſed ponere extrinſecas, & veluti aſſiſtentes, & affixas, hoc eſt omnibus his terminis non intrinſecas, nec identicas? ergo hi Patres Theologi non hiſtoricum, ſed Theologum agentes etiam ad ea, quæ ex Ottone referuntur conformiter loquuti ſunt.

Hic autẽ error ipſo Gilberto videtur antiquior fuiſſe, Auctore D. Anſelmo lib. de Incarnatione Verbi, cap. 1. his verbis: *Cum adhuc eſſem Becci in Monaſterio Abbas, præſumpta eſt à quodam Clerico in Francia talis aſſertio: ſi in Deo tres perſonæ, ſunt vna tantum res, & non tres res, vnaquæque per ſe ſeparatim ſicut tres Angeli, aut tres animæ, ita tamen, vt potentia, & voluntate ſint omnino idem: ergo Pater, & Spiritus ſanctus cum Filio eſt incarnatus*: Sed veluti Gilberti in Conc. Remenſi damnatus fuit hic error, & exploſus ſub Eugenio III. & ipſo præſente cum multis Cardinalibus, & quamplurimis Epiſcopis, præſente etiam Agente, & mirabili eloquentia conuincente D. Bernardo, vt ipſe ſer. 80. in Cant. refert, vt coactus ſit Gilbertus canere Pallinodiam: quemadmodum, & ille antiquior Clericus, de quo nuperrimè D. Anſelmus in alio eiuſdem Ciuitatis Conc. ſub Reginaldo Archiepiſcopo errorem cognoſcens abiurauit, & deteſtatus eſt.

Sanctus verò Thomas hic art. 2. & 1. Sent. diſt. 33. aperit, & reddit rationem, vnde & quare deceptus ſit Gilbertus; nimirum cum duo in relatione ſemper ob oculos habenda ſint, alterum commune, & reliquis accidentibus, quod vocant (*In*) ſcilicet hærere ſubiecto, alterum relationis propriũ, quod eſt (*Ad*) & referri ad terminum; primum in Diuinis omnino tranſire in eſſentiam; ſecundum autem remanere diſtinctum; Gilbertus ad euitandos eos errores, qnos tam vehementer timebat, oblitus relationis eſſe alteri in eſſe, totus fuit in obſeruando reſpectũ ad terminum, ratione cuius ſicue in creatis dicitur aſsiſtens, & fixa relatio; ita quoque impiè faſſus eſt in Diuinis: ſed ſi attendiſſet relationes ſecundum eſſe commune, quod habent in Diuinis omnino fieri, & tranſire in ſubſtantiam, non ſic turpiter lapſus eſſet.

Quo igitur ad ſecundum, ſicuti notiſsimum, pariter quoque veriſsimum, quod de relatione obſeruant ſimul S. Bonau. & S. Thomas de gemino eſſe relationis communi cum reliquis accidentibus, quod dicitur eſſe (*In*,) & proprio, quod vocant (*Ad*) penes quod & Ariſt. præcipuè in prædicamento ad aliquid, verſat, & definit relationem. ſed quod hic Caiet. ſuo more acutè, & ſubtili indagine quærit, & ſubſtinet ex ſancto Thoma omnem realem relationem realiter differre à ſuo fundamento, et merè Phyſicum eſt, et ad rem noſtram non refert, niſi quatenus ſuum Doctorem interpretatur, quod fortaſſe idem docuit, et D. Bonau. præſertim in 4. Sentent. diſt. 5. par. 2. quæſt. 2. ad argumenta, et in 1. diſt. 33. q. 1. ad 3. ſed clarius diſt. 26. q. 1. ad 6. in fine.

Sed valde obſeruandum circa rem, quæ hic præſertim inquiritur de relationum diſtinctione à Diuina eſſentia, quæ nam ſcilicet ſit vera Sancti Bonauenturæ ſententia: non enim ita facilè videtur eam inuenire: nam primo, neque cum Scoto, neque cum S. Thoma videtur conuenire: nam Scotus ponit diſtinctionem inter quidditatẽ, et quidditatem obiectiuam: S. Thom. diſtinctionem rationis licet ratiocinatæ: D. verò Bonau. modi, et rei, neque tantum hic, ſed diſt. 26. art. 1. diſt. 19. art. 2. ad penultimum, diſt. 22. q. vlt. neque ipſe ſolus, ſed ante ipſum, Alexander quæſt. 68. membro 1. et quæſt. 56. membro 1. et alibi: poſt ipſum Riccardus diſt. 33. quæſt. 1. apertè, Durandus diſt. 33. quæſt. 1. num. 29. hi enim omnes aſſerunt relationem quo ad id, quod eſt ens, et res, et habet eſſe (*In*,) tranſit abſolutè in ſubſtantiam, et cũ ea prorſus identificatur: quo verò ad eſſe, (*Ad*) & reſpectiuum, remanet, vt modus rei; ita vt nulla alia intercedat differentia inter eſſentiam, & relationem, quã rei, & modi: ſed modus, nec vllo prorſus modo componat eſſentiam, nec quidquam addit: eſt tamen aliquid in re, ſed non dicit à re diſtinctionem, quod explicat S. Bonau. diſt. 22. art. 2. quæſt. 2. Perſonam in Deo componi ex eſſentia, et relatione non per rem, ſed per intellectum, et diſt. 24. q. 2. Vnitatem perſonæ differre ab vnitate eſſentiæ tantum ratione: et diſt. 33. art. 1. addit ſuis temporibus hanc fuiſſe communem Magiſtrorum opinionem.

Quid verò ſit differre ſicut res, & modus, non eſt

eſt ita manifeſtum: nam Capreolus eam vocat diſtinctionem inadæquationis: Paternitas enim eſſentiam dicit, & è conuerſo: ſed eſſentia eſt etiam aliud, quod non eſt Paternitas, nimirum filiatio, & ſpiratio paſsiua &c. Alij eam vocant diſtinctionem ex natura rei, quam Scotiſtæ formalem nuncupant, & cum his Durandus: Sanctus verò Bonauentura aliquando eam aſtruit modi, & rei, vt hic, & alijs notatis locis: aliquando à parte rei: aliquando attributionis à poſteriori, vt aliquid à nobis attribuatur vni, quod non attribuitur alteri: aliquando rationis cui tamen à parte rei aliquid reſpódeat, hoc eſt rationis ratiocinatæ, vt diſt. 34. art. 2. vbi quærit an perſona prædicetur de natura, & eſſentia, & reſpondet affirmatiuè: ſed in corpore declarat, cum de natura Diuina prædicatur, nec componi, nec rem diuerſam prædicari, ſed diuerſos conceptus, quos intellectus creatus format ex modo in inferioribus prædicandi: neque tamen falſus eſt intellectus: quo loco verè eaplicat diſtinctionem rationia ratiocinatæ; ita vt hæc diſtinctio modi, & rei, aut omnino ſit eadem cum illa S. Thomæ, aut idem ſignificet, vt modus ille rei à re non differat cuius eſt modus, niſi ratione ratiocinata: & poteſt addi ex cõmuni opinione, eadem eſt ratio, vel ferè eadem de attributis cum Diuina eſſentia, & de relationibus: ſed apertiſsimus eſt S. Bonauentura de attributis, vt iam notauimus ſupra: ergo idem aſſerit, & de relationibus, quod clariſsimè indicat dum modum illum eſſentiæ exponit, nihil addere nullamq. prorſus compoſitionem facere &c. ita præcipuè recentiores interpretantur S. Bonauenturam Capulius hic: Vaſquez hic diſputat. 120. cap. 4. Suarez lib. 4. cap. 4. de Trinitate. Denique reliqui omnes qui hac in opinione inter referendos Doctores oppoſitæ ſententiæ non referunt S. Doctorem, & in refellendo Durando de hac diſtinctione modi, & rei hic, nec vllum verbum quidem contra Sanctum Bonauenturam, & Alexandrum, qui hac tamen diſtinctione, & ipſi vſi ſunt.

Non poterit quidem fortaſſe negari S. Bonauēturam in eadem ſpecie diſtinctionis rationis ratiocinatæ, & virtuali in aliquo gradu magis differre ab eſſentia Diuina relationem, quã attributum docuiſſe, præcipuè diſt. 26. art. 1. ad quartum: non eſt tamen, quod ei impingat recens Theologus diſtinctionem formalem, eumq. in ſententiam Scoti trahat, niſi vt ipſe conciliauit, & interpretatus eſt ipſum Scotum nulla differentia inter diſtinctionem rationis ratiocinatæ, & formalis &c.

Quo verò ad illum modum loquendi, quo vtitur S. Doctor dum relationes vocat res: in corpore namque quæſt. dicit relationem, & reſpectum ad correlatiuum comparatum dicere rem, & diſtinctionem veram: & in reſponſione ad ſecundum proprietas non dicit ſolum intellectum, quia res eſt &c. ſolerter hic, & æqua lance explicandus, & primo, quod relationem non appellat rem in ordine ad eſſentiam, ſed modum, & rationem: tunc enim incideret in opinionem Scoti communiter explicati, à qua vbique recedit, ſed tantũ in ordine ad correlatiuũ, quo ſenſu quoque ſumpta relatione, neq; tamen abſolutè, & vlla abſque limitatione concedendum eſſe rem, ſed ex Scoto quolib. 3. præmittendum, rem tribus modis ſumi, primo modo communiſſime, quatenus nihilo opponitur, vt illud res, & aliquid dicat, quod aut eſt in rerum natura, aut non contradicit eſſe, aut ſaltem in intellectu eſſe obiectiuum, & intellectum habet: ſecundo modo communiter, vt ſcilicet id res nominetur, quod rei non eſt, aut modus, aut circumſtantia, qua acceptatione præciſè prædicati abſolutè rei nomenclatura competit: tertio denique modo rigoroſo, & ſtricto, vt illud ens, & res dumtaxat dicatur, quod verè, & ſimpliciter, & per ſe eſt, quæ ſola ſubſtantia eſt: qua præhabita diſtinctione, aſſeritur primo. Relatio Diuina, non eſt res, neque ſecundo, neque tertio modo ſumpta: non enim ſecundo modo: quia non eſſentia eſt, niſi identicè, ſed ratio, & modus Diuinæ eſſentiæ: non tertio modo, quia non eſt, quid abſolutum, ſed ad aliquid.

Aſſeritur ſecundo, primo modo relatio verè res eſt. Patentiſſimum eſt; nam in Diuinis relationes reales de fide aſſeruntur, & huiuſmodi certa ratio reddi poteſt: illa relatio eſt realis, quæ conſequitur ad extrema realia, realiter diſtincta, & ex natura inſurgit: relatio inter Patrem, & Filium eſt huiuſmodi, ergo. Patet: nam, & realiter differunt, & ex natura Patris, & Filij, inſurgit relatio Paternitatis, & filiationis, & inter ſpirantem, & ſpiratum ſpirationis actiuæ, & paſſiuæ.

Tandem circa argumentorum ſolutionem animaduertendum, quam ſibi conſtet, & conſormiter loquatur S. Doctor. in corpore, & in quæſtionis ſolutione: docuerat in Diuina eſſentia relationem ſe habere, vt modum ſe habendi ipſius eſſentiæ, & differre ab ea, vt modum, ratione ratiocinata: hac verò tradita diſtinctione vtitur ad ſoluenda in oppoſitum argumenta, & optimè ſoluit, vt

Ad primum, quod ex D. Auguſt. auctoritate conſtructum erat, non eo eſt Pater quo Deus; ſed Deitate eſt Deus, & Paternitate Pater: ergo Deitas non eſt Paternitas.

Reſpondet, & interpretatur, vt illud alio, & alio non ſit alietas rei, & rei alterius, ſed modi dicendi, denominandi, & modi ſe habendi; vt ſi reddenda ratio, & explicandus S. Auguſtinus, dicendum, alio Pater, alio Deus, hoc eſt alio nomine dicetur Pater, alio nomine Deus: & Pater non dicitur per rem diuerſam, ſed per modum, & reſpectum, Deus verò ipſa Deitate, cuius modus eſt ipſe reſpectus: ſi verò dicatur: ergo eſſentia, quæ eſt ad ſe, & abſoluta, refertur; negatur conſequentia, & infra patebit: nam perſona eſt in qua immediatè eſt relatio, quæ refertur, non eſſentia. Alexander ad idem argumentum alijs verbis, & eadem ſententia reſpondet: ſcilicet Paternitatem, & Deitatem, licet ad inuicem idem ſint; differre tamen in modo ſignificandi: alio enim modo eadem res diuina ſignificatur Paternitate, alio Deitate, vt ad inuicem differant ratione, non vana tamen, nec ficta, & caſſa, ſed in re fundata, hoc eſt non ratione ratiocinantis, ſed ratiocinata. Idem S. Doctor ad ſecundum, non per ſolum intel-

lectum,

lectum, quia res eſt, & manet reſpectu obiecti. Idem S. Tho. in ſcripto his verbis. *Ratio quam dicimus aliam, & aliam non eſt in Deo, ſed eſt in eo natura, ſiue realitas ſuper quam fundatur, & ex parte cuius ei valeant conuenire diuerſa rationes*. Ex alijs poſſet dici alio Pater, alio Deus, ſcilicet relatio non eſt de eſſentia, eſſentiæ Diuinæ, nec includi in quidditate illius, quod eſt, alia eſt ratio formalis relationis alia eſſentiæ, ſed hoc eſt, quod nos contendimus, & non concedimus, vt infra.

Ad ſecundum in Diuinis principium vniendi eſt eſſentia; diſtinguendi relatio; ergo ad inuicem non ſunt idem. Probatur: nam non poteſt formaliter loquendo, eſſe idem principium vniendi, & diſtinguendi; imò opponuntur ſicut eſſe vnum, & idem, & eſſe plura.

Reſpondet perſiſtens in ſua tradita diſtinctione, proprietatem, & eſſentiam eſſe quidem idem, quo ad rem, differre tamen ratione, & modo, & hac ratione diuerſa ſola ſufficere, proprietatem diſtinguendi, eſſentiam vniendi eſſe principium.

Ad tertium ſi relatio eſt Diuina eſſentia: ergo de illa prædicatur: ſed non poteſt prædicari: ergo. Probatur minor; ſi prædicetur, oportet, vt ſit in illa, ſed ſi in illa: ergo ibi ponet reſpectum: ergo, & diſtinctionem: nam vbi eſt varius reſpectus ibi varia diſtinctio; ſed hoc eſt intolerabile inconueniens, ponere ſcilicet circa eſſentiam Diuinam omnino, & pluſquam dici poſſet vnam, diſtinctionē: ergo.

Reſpondet primo abſolutè ad minorem. Proprietas quidem non prædicatur de eſſentia, & ſubſtantia tanquam de ſubiecto, & per inhærentiam, vel quaſi inhærentiam (hoc enim modo prædicatur de perſona,) ſed per identitatem, quatenus in perſona, perſona enim, & eſſentia ſunt vnum, & idem. vnde ad formam argumenti, negatur minor. Ad probationem data diſtinctione prædicationis, negatur ſequela illorum inconuenientium. Si enim relatio, & eſſentia ſunt idem, & differunt tantum ratione, & modo, non poteſt inde ſequi, poni diſtinctionem circa eſſentiam, ſed circa terminos ad quos diriguntur reſpectus.

Ad quartum. Si eſſentia eſt proprietas: ergo de illa prædicatur, ſed hoc impoſſibile eſt à ſufficienti prædicationis enumeratione: ergo. Probatur minor. Omnis prædicatio, aut eſt per ſe, aut per accidens: ſed proprietates de eſſentia non poteſt prædicari per ſe; nam tunc, cuicumque ineſſet eſſentia, ineſſet, & proprietas, quo ſequeretur; in Filio ineſt eſſentia, ergo, & proprietas Paternitatis: ergo Pater nō diſtinguitur à Filio, quod quam abſurdum ſit, ſatis conſtat: non per accidens: nam ſicut alienum eſt per omnes Theologos accidens à Deo, ita omnes accidentalis prædicatio.

Reſpondet mirabili huius Diuiniſſimi myſterij Elogio. De Diuina eſſentia non prædicatur relatio, nec per ſe, eo ſenſu quo ſumitur in argumento, neque per accidens, ſed ſicut excelſiori, & eleuatiori modo eſt vna, ita noua, & nunquam in his inferioribus audita prædicandi ratione, prædicatur. Quæ autem ſit hæc noua, imò æterna prædicandi ratio, philoſophandum aliquando erit: interim ſufficit adnotare, primo ex ineffabilitate myſterij, hoc ſæpè accidere Theologis, vt deficiãt regulæ Ariſtotelicæ communes, ſicut ſupra, & illa regula alioquin communiſſima, quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt idem, & inter ſeſe, non potuit in hoc myſterio habere locum: & ſicut alias S. Auguſtinus ſolitus erat dicere, res Diuinas ad regulas Grammaticas non teneri, ita dicimus regulas Logicas ſæpiſsimè excedere; & quod accidit in almo Euchariſtiæ Sacramento, quomodo ſit Corpus Chriſti ibi, explicatis ſeptem modis exiſtendi in, neceſſe fuit Diuinam potentiam adinuenire octauum pro hoc inexplicabili Sacramento.

Secundo. Prædicari per ſe, debet ſumi per ſe, primo formaliter, conuertibiliter, & adæquatè, vt ſequatur, quod in argumento deducitur: ſed eo modo non prædicatur per ſe, neque conſequenter euenit comminatum abſurdum propter differentiam, & diſtinctionem virtualem; poterat ergo cōcedi antecedens prædicatur per ſe aliquo modo, & tamen negari conſequentia: aut concedi etiam conſequentiã, ea tamen limitatione, vt quatenus idem vbicumque erit eſſentia, erit, & Paternitas, non tamen quatenus modus, & virtute diſtincta: neque enim valet conſequentia in relatione ab eſſe *(In)* ad eſſe *(Ad)* ſed reſponſio ſancti Doctoris, eſt magis ad myſteriũ omnem ferè regulam, & captũ excedens conformis, eo præcipuè, quo videtur deſumpta ex S. Auguſt. 5. de Trinit. cap. 6. his verbis. *Relationes non prædicari de Deo, neque ſecundum ſubſtantiam, neque ſecundum accidens, ſed vt ad aliquid*. Item ex Boetio libello de Trinitate ſub his terminis; *Trinitas non prædicatur de Deo ſubſtantialiter.*

S. Thomas quæſt. 39. art. 6. ad ſecundum; concedit hanc prædicationem eſſe per ſe, eſſentia Diuina eſt Pater. Quæſt. verò de potentia 8. negat abſolutè: ſed conciliatur: nam prædicatio per ſe eſt duplex, alia identica, alia formalis: eſt igitur per ſe identicè, non formaliter. Identica autem non dicitur abſolutè per ſe, niſi addatur identicè. alij aliter, vt verbi gratia, Deus ipſe ſolus, ita eſt ens, vt ſit omnis entis ratio, non ſolum ens abſolutum, ſed & relatiuum, non tantum vnus, ſed plures perſonæ, idque formaliter eminenter tamen: vnde hinc quoquo modo videntur verificari contradictoria, aut ſuperari, & deficere regulas communes, & neceſſario inueniendas nouas dicendi, & arguendi rationes.

Hac argumenti ſolutione, videtur S. Doctor indicare relationem non eſſe de conceptu eſſentiæ, dum negat prædicari per ſe, ſed infra diligentius.

Ad quintum. Primo expendenda vis, & forma argumentationis, deinde obſeruanda quędam circa ſolutionem. Quo igitur ad formam, hæc videtur eſſe. Aliqua prædicantur de eſſentia, quæ non poſſunt prædicari de relationibus: ergo eſſentia, & relatio non ſunt idem. Probatur antecedens, nam de eſſentia prædicatur, quod creat, quod ſit potens, ſapiens, volens &c. quæ nulla ratione dici poſſunt de relatione.

Reſpondet. Aliquid alteri competere, & de ipſo conſequenter prædicari, poteſt duobus modis

con-

contingere, primò per ſe primo, & formaliter, & veluti de conceptu illius: ſecundo alio latiori modo, quod ſcilicet eſt, idem illi identicè, & penes ſubſtantiam; neque tamen formaliter, & penes eſſentiam, vt clarius infra. Quæ primo modo ſunt idem, & ad inuicem prædicantur, quod vni tribuitur, alteri neceſſario tribuendum: quæ verò ſecundo modo, non item, ſed ita differunt, vt quod vni competit, nequaquam alteri competere neceſſe ſit. Modo ad formam argumenti. cõceſſo antecedenti, neganda eſt conſequentia, ſumpta identitate pro reali, & ſubſtantiali: poſſunt namque plura eſſe idem vno modo, & altero, ex dictis, diuerſa, qua diuerſitate prohibentur ad inuicem multa prædicationes; & ad hoc ſufficit diuerſitas rationis, & diuerſus modus ſignificandi terminorum, quod apertiſsimè ſatetur S. Doctor his verbis: *Quamuis proprietas ſit eſſentia; eſſentia tamen non ſupponit proprietatem, nec proprietas eſſentiam, idest hic terminus eſſentia &c.* in ſua formali ſignificatione obiectiuè non includit proprietatem, neque è contra. Et primo tria obſeruat, quæ conueniunt eſſentiæ, & proprietati, alia verò quoque, quæ non conueniunt: conueniunt etenim primo eſſentiæ, & proprietati prædicata de Deo, vt oppoſita creaturis, ſcilicet immenſus infinitus &c. ratio poteſt eſſe, quia eodẽ modo opponitur proprietas Diuina creaturæ, ſicuti eſſentia: relatio enim Diuina non eſt creatura: ergo neque limitata, neque finita &c. ſecundo, quæ conueniunt eſſentiæ, vt in perſonis, ſcilicet, eſſe cõmunicabilem, non poſſunt cõuenire proprietati. Ratio in prõptu eſt: nam eſſentia eſt communis, qua conueniunt perſonæ: proprietas propria, qua differũt, & diſtinguuntur eædem perſonæ, & repugnat, eſſe propriũ, & fieri commune, ac communicari: ſi enim proprium eſt, ſequitur incommunicabile eſt. Tertio quæ conueniunt Deo, vt forma, & principium operandi ad extra, non conueniunt proprietati. Ratio eſt, tum quia proprietas ordinatur, vt ita dicam ad conferendum eſſe perſonale, non ad operandum, tum quia ſimpliciter ad intra eſt: eſſentia vero, vt vnum etiam ad extra, ad operandum inquam. Quo fit illud tritum Theologorum prouerbium. Opera Trinitatis ad extra ſunt indiuiſa hac ratione. Quidquid enim operatur, vt vnus, & vnica potentia, ideſt eſſentiali, vt tribus communis operatur.

Secundo, quòd docuit S. Doctor i conuenire etiam proprietatibus, eſſe immenſam, & infinitam &c. hoc latam aperit viam ad illam Theologorum plurimorum ſententiam ſubſtinendã etiam ex Seraphica doctrina, relationes Diuinas, vt ſic, dicere perfectionem infinitam, & præcipuè, quo idem multis alijs locis, vt ſuo loco patebit, vehementius indicat.

Tertio, quod hoc eodem loco obſeruat, vt ſternat viam, ad ſoluendum propoſitum argumentum eſt, Eſſentia non ſupponit relationem, nec relatio eſſentiam. Et in reſponſione ad ſecundum, Relatio non prædicatur per ſe de eſſentia, ideſt per ſe primo, quod ſufficiens coniectura eſt, quod S. Doctor interrogatus de illa difficillima quæſtione. An Relatio ſit de conceptu Diuinæ eſſentiæ, nec ne, quid reſpondiſſet.

Quarto denique in fine corporis quæſtionis, & ex reſponſione ad tertiũ, modus ille dicendi, Relationes eſſe in eſſentia, non eſt, vſque adeo proprius, ſed potius mediatus, & improprius, & eſt communis doctrina S. Thomæ, Riccardi, etc.

An relatio ſit perſona, & quomodo ad illam ſe habeat. D. Bònauentura art. 1. D. Thom. art. 1. quæſt. 40.

PARAPHRASIS.

PRIMA Propoſitio. Falſo, & vlla abſque ratione, imò contra rationem, quædam extrema ſequentes de diuinis proprietatibus in ordine ad perſonas opinati ſunt. Primo enim quidam ne officerent Diuinæ perſonæ ſimplicitati, nec eſſe perſonas, nec in perſonis, ſed ipſis aſſiſtere realiter diſtinctas proprietates aſſerere, auſi ſunt, ſcilicet Porretanus. quidam verò è diametro, nimirum Præpoſitinus, & eſſe in perſonis, vt ab ipſis, niſi in modo dicendi nullo alio modo differrent, exiſtimarunt. Probatur vtraque pars, & falſitatis redarguitur: & primo prima auctoritate Concilij Rhemenſis, in quo Gilbertus, ratione vera inſtructus, retractauit, & ab ipſo Concilio eius aſſertum damnatum. Secundo, ſic. relationes aſſiſtentes, nec eſſent Deus, quia ab ipſo realiter differrent, nec creatura: nam, nec creata, nec extra Deum, ſed cum Deo æterna: quod eſt incogitabile abſurdum, cum inter Deum, & creaturam nihil mediet. Probatur ſecunda pars. Vna perſona plures habet relationes veras, vt Pater relationem Paternitatis ad Filium, ſpirationis ad Spiritum ſanctum: Filius filiationis ad Patrem, ſpirationem ad Spiritum ſanctum: plures perſonæ eandem habent relationem, vt Pater, & Filius ſpirationem actiuam: ergo vero diuerſo modo à parte rei ſe habent, ergo relatio, & proprietas ab eo, in quo eſt pluſquam modo dicendi differt.

Secunda Propoſitio. Vtraque hæc opinio, licet errauerit, aliquam tamen ſimul veritatem docuit: prima enim, proprietates diſtingui à perſonis, dixit, licet nimis: ſecunda verò ad inuicem idem eſſe, tradidit proprietatem, & perſonam.

Tertia Propoſitio. Veritas media hæc eſt: proprietas, & eſt in perſona, & ipſa perſona, ita tamen vt aliquo modo ab ea differat. Declaratur ex ijs, quæ diſt. 26. art. 2. dicta ſunt: Relatio vt, in, tranſit in perſonam, in qua eſt, vt vera ſit hæc prædicatio, Pater eſt ſua Paternitas: vt verò ad obiectum, & terminum, vt dicit modum ſe habẽdi, & reſpectum ad alium, verè manet, neque tamen componit perſonam vt

vt ibi dictum eſt. Probatur verò ſecunda pars, primo ex hac ſupra tradita doctrina, ſecundo ex iis, quæ contra Præpoſitinum deducta ſunt. Probatur prima pars ex argumentis affirmatiuis, primo ex ſumma perſonæ Diuinæ ſimplicitate. Omne ſimpliciſſimum eſt omne quod habet: ſed Diuina perſona eſt ſimpliciſſima: ergo eſt quod habet; habet proprietatem: ergo eſt ipſa proprietas. maior eſt Sancti Auguſt. 11. de Ciuit. Dei cap. 10. Minor probatur; nam alias ſi eſſet compoſita, non eſſet Deus, nam ſumma ſimplicitas eſt Dei proprietas; neque obſtat, locum Sancti Auguſtini addere excepto eo, ad quod relatiuè dicitur; nam perſona relatiuè non dicitur ad relationem propriam. Secundo ex perfectione Diuinæ perſonæ. Omne perfectiſſimum eſt id, à quo perficitur: ſed Diuina perſona eſt perfectiſſima: ergo id, quod denominatur, & perficitur in eſſe perſona. ſed perficitur, & conſtituitur in eſſe perſona per proprietatem relatiuam: ergo eſt ipſa proprietas. Maior & eſt nota per ſe, & eſt Sancti Auguſt. 6. de Trinit. & etiam probatur; nam ſi non eſſet ſua perfectio, non eſſet perfectiſſima eſſet enim imperfectior eo, à quo perficeretur: minor eſt etiam nota, quia perſona eſt Diuina; concluſio neceſſario conſequitur: quod verò perſona conſtituatur in eſſe per relationem, & neceſſarium omnium Theologorum aſſertum, & infra probabitur. Tertio, ex primitate eodem genere argumentandi. Omne ſimpliciter primum eſt quidquid habet, excepto eo, quod ab illo eſt: ergo Pater eſt ſua Paternitas. Probatur antecedens: nam ſi habet aliquid, quod non ſit ab eo, erit æquè illud quoque primum, ergo ipſum non erit ſimpliciter primum. Probatur conſequentia; nam Pater habet Paternitatem, quæ non eſt ab eo, & eſt ſimpliciter primus, & eadem ratione alia perſona Filius: eſt in ratione Filij ſimpliciter primus, & filiatio nõ eſt ab eo &c. Quarto. Proprietas Diuina eſt ens per ſe: non enim eſt per accidens: ergo ſubſtantia non creata: ergo increata: ergo ipſamet perſona. Probatur. nam relationes ſunt in perſonis, nec in alio eſſe poſſunt, niſi in eo cuius ſunt proprietates: ergo etiam ſunt perſonæ.

Quarta Propoſitio ex reſponſione ad argumenta. In Diuina perſona licet inueniatur determinans, & determinatum, abſtractum, & concretum, abſolutum, & reſpectiuum: perſona tamen, & relatio ad inuicem prædicatur verè, & ſunt vna res, propter ſummam ſimplicitatem: tum quia relatio eſt modus, non alia res intrinſecus, perſona, tum quia verè non fit abſtractio realis, ſed tantum per intellectum: denique quia ibi reſpectus non differt per eſſentiam, nec dependet à perſona, ſed tamen eſt ipſius modus differens ratione &c.

Quinta Propoſitio ex reſponſione ad quartum. Relatio eatenus dicitur aſſiſtens, & non eſſe in alio, quatenus per reſpectum quoquomodo differt, & non ineſt totaliter, ſcilicet vt refertur,

COMMENTARIVM.

COMPARATA, & explicata relatione in ordine ad eſſentiam, & quomodo idem cum ea, & quomodo ab eadem differat: congruus ordo è veſtigio poſtulat eadem ad perſonam, cui immediatè ineſt ſub eiſdem rationibus, vt conferatur. Prius namque eorum, quæ dicuntur communia, deinde, quæ propria, habenda eſt ratio: ergo prius ad eſſentiã, deinde ad perſonã expendenda erat relatio.

Obſeruat autem hic in D. Thom. Caiet. Quatuor tantum poſſe inueniri opiniones de hac re, & quadripartiri contemplationem: & Primum, relatio eſt perſona, & in perſona. Secundum, relatio non eſt, neque perſona, neque in perſona. Tertium, relatio eſt in perſona, ſed non eſt perſona. Quartum denique, & eſt in perſona, & eſt perſona, & repugnat in plura multiplicari; & tandem ſtatuitur, eſſe perſonam, & in perſona. Eſſe autem perſonam, eſt per identatem: eſſe in perſona denominatiuè quaſi per informationem. Porretanus dixit relationem nec eſſe perſonam, nec in perſona, ſed realiter diſtinctam dumtaxat aſſiſtere. Præpoſitiuus, relationem eſſe perſonam, ſed non in perſona, quia timuit ſimplicitati perſonæ derogari in ea ponere, & notiones, & relationes in perſonis in abſtracto, ne componerentur.

Veritas communis eſt, vt relatio ſit perſona, & in perſona. Aliud verò caput 13. nunquam ab vllo homine eſt opinatum. Sanctus autem Doctor in hoc art. tria intendit docere: primo enim refert duas illas varias, & falſas opiniones. Secundo ad inuicem eas confert, & quid veri, & falſi vtraque contineat, perlucidè elicit. Tertio, ſtatuit quid dicendum, idq. efficaciter probat. De Porretano autem ſatis præterita quæſtione, quod ad propoſitum attinet, relatum eſt. De Præpoſitiuo verò. hic fuit vetuſtus, & perantiquus Scholaſticus, qui in hoc, propter ſummam ſimplicitatem de Diuinis perſonis neceſſario aſſerendam, negauit, & relationem vllo modo à perſona differre, niſi in modo dicendi, ſed ſicut, propter eandem ſimplicitatem, dicebat, Deus ſe ipſo cognoſcit, ſe ipſo creat, ita perſona ſe ipſa refertur, & eandem relationẽ non eſſe in perſona, vt refert S. Thom. quæſt. 31. art. 2. propter eandem rationem tuendam, ſcilicet ſummæ ſimplicitatis, hac ratione. Notiones, & proprietates ſunt abſtractæ: ergo non ſunt ponendæ: tunc enim veluti formæ componeretur, ita vt Præpoſitiuus aperto ore viſus ſit erronee negaſſe in Diuinis perſonis proprietates, contra vniuerſum Doctorum cætum, & contra ipſam veritatem, vt interpretatur etiam S. Thom. hic art. primo: & vbicumque inueniebat abſtracta concretè interpretanda conabatur oſtendere, vt ſi dicamus: Rogo benignitatem tuam: dicendum docebat, rogo te benignum. Quem poſtea Greg. Ariminenſis in 1. diſt. 26. quæſt. 1. exactè viſus eſt imitari, dum non dari in perſonis proprietates, quibus diſtinguantur, ſed ſe ipſis diſtingui, aſſeruit, & inde abſtracta,

&

& concreta pro eodem ſupponere, vt Paternitas, et Pater pro perſona Patris.

Impugnat autem S. Doctor Porretanum duplici rationum genere, primo, quibus quæſtione prima probat, idem eſſe proprietates cum eſſentia, ſecuncundo, quibus art. 2. eaſdem proprietates eſſe idem cum perſona: ſicut enim ad idem eſt propoſitũ, ita ad idẽ, & idẽ rationũ robur, & vis. Primi articuli rationes non ſunt hic repetendæ, ne actũ agã: nuperrimè enim, & relatæ, & expoſitæ sũt, & in diſputatione infra iterũ in mediũ adducẽdæ; ſecundi verò articuli rationes in propoſitionibus adhuc ſatis explicatæ ſunt, & ſtricta paraphraſi enucleatæ.

Præpoſitiuum autem ſic explodit, primo auctoritate S. Hieronymi lib. de expoſitione fidei ad Damaſum Papam etiam contra impietatem Sabellij: tres perſonas expreſſas ſub proprietate diſtinguimus; ergo proprietas eſt in perſona. Secundo, proprietas non eſt, niſi in eo, cuius eſt proprietas, ſicut de ratione formæ eſt, vt ſit in eo, cuius eſt forma: ergo Paternitas eſt in Patre, quia Patris eſt proprietas, &c. Tertio, his rationibus, quibus quoquomodo relationem à perſona differre demonſtrat: tum ſcilicet ex plurimis veris relationibus in eadem perſona: tum ex vnica relatione in duabus perſonis, hoc eſt ſpiratione actiua; qua certè neutra perſona Patris, & Filij conſtituitur in eſſe perſonæ, ſed vt ſpirent, ſupponuntur conſtitutæ. Quibus duabus exploſis, & conuictis erroneis opinionibus, remanet ſimul fultum, & probatum medium commune, & verum aſſertum, relationem nimirum, & eſſe idem verè cum perſona, & etiam aliquo modo pluſquã mera ratione ab ea differre, quod S. Doctor lata, & licenti voce aſſerit realiter.

Sanctus verò Thomas art. 1. quæſt. 40. ſic ferè probat. In Diuinis idem eſt, quod eſt, & quo eſt, & abſtractum, & concretum, vt eſt commune aſſertum, ex D. Boetio de Hebdomadibus: ſed Pater Paternitate eſt Pater, Filius filiatione; Spiritus ſanctus ſpiratione: ergo relatio eſt idẽ, quod perſona.

Riccardus quæſt. 2. ſi perſona in aliquo differt ab eſſentia: ergo perſona erit compoſita ex illa re, & eſſentia contra ſummam perſonæ ſimplicitatem. Probatur conſequentia, nam eſſentia eſt de ratione perſonæ, ita vt in perſona quaſi modificetur. Secundo argumento deſumpto ex D. Bernardo, quod ſupra fecit & S. Bonau. id, quod eſt perſona, vt diſtincta ab eſſentia, vel eſt æquale, vel ſuperius, vel inferius ipſa Diuina eſſentia: quidquid dicatur nimis abſurdum: ſi enim æquale, ergo datur æquale Deo, quod non eſt Deus: ſi inferius, ergo Diuina perſona non eſt Deus, quia inferior Deo: ſi ſuperius, ergo aliquid Deo ſuperius: omnia inaudita monſtra, de quo argumento iterum infra, ſed inter hæc omnia argumenta fortiora mihi videntur à S. Doctore propoſita, & ab immediatiori principio petita, hoc eſt à ſumma ſimplicitate, ſine qua Deus non eſſet Deus, & pro qua tuenda, huiuſcæ diſputationes introductæ ſunt. Perſona eſt ſimpliciſſima: ergo omnino vna res, non ſolum realis, ſed etiam formalis: nam, vt millies, & repetitum, & repetetur diuerſitas formalis derogat quoquomodo ſummæ ſimplicitati, neque à Scoto ſatis probatur, quod proponitur, pluralitatẽ formalitatum, & quidditatum non componere ſuo modo. Secundo: Omne perfectiſſimum, omne primum, eſt quod habet: ergo perſona eſt ſua perfectio, etiam formaliter, eadem ratione, & proportione: nam non eſſet perfectiſsima perſona, ſi non eſſet omnino idem, omnino prima, & diſtinctio formalis non poteſt negari, quin aliquo modo lædat identitatem, & primitatem; arguere autem ex primitate in Diuinis eſt familiare vtrique S. Doctori in hoc primo lib. Sent.: Sanctus enim Thom. innumera deducit aurea aſſerta de perfectionibus Diuinis, cum de abſolutis agit: Sanctus verò Bonau. de perſonis, & primitate ſæpiſsimè fœcunditatem communicabilitatem, &c. arguere ſolet, & maximè coarguitur Diuina perfectio ex hac ſumma ſimplicitate, & plurimi refert vbique locorum ad tuendã Dei perfectionem, Dei ſimplicitatẽ tueri.

Elegantiſsima, et magis quã dici poſsit ad hanc identitatem, quæ prætenditur ſuſtinendam, ſunt, quæ ex argumentorum ſolutione colliguntur, ideo attentè animaduertenda, et dilucidè explicanda.

Primo igitur arguitur. Proprietas Diuina verè determinat perſonam, & perſona verè determinatur: ergo ab ipſa verè differt. Antecedens probatur, quia proprietas verè, & non ſolum ſecundum modum dicendi, perſonam diſtinguit. Conſequentia quoque, nam ſi inter determinans, & determinatum, non eſt vera diſtinctio: ergo ſunt idẽ, ergo nihil eſt determinans, ſed totũ determinatũ, quod videtur falſum, & contradictionem inuoluens, eſſet enim tunc determinatũ, & non determinatũ.

Obſeruandum hic, quod per determinans intelligat S. Doctor. Primo enim intelligit conſtituens, & diſtinguens, et ita neceſſario: nam à quo res eſt, vna quoque, et diſtincta eſt: ergo perſona, v. g. Patris Paternitate Pater eſt, et perſona, et vna, et ab alijs diſtincta: et inueſtigandum eſt, an hoc determinans ſit verè, et à parte rei determinans: nam non deſunt, qui, licet contra Præpoſitiuum, et Gregorium, veritate coacti, veritatem aſtruant relationum in Diuinis; negant tamen hæc munera conſtituendi, et diſtinguendi ipſas pręſtare: Canarienſis enim in Commentario art. 2. quæſt. 40. 3. parte Commen. quod didicit ex S. Thom. 1. Sent. diſt. 29. quæſt. 2. art. 1. et Ferrarien. 4. contra Gentes, et Caiet. hic art. 2. ad 1. dicunt perſonam relatione diſtingui, non tamen verè conſtitui, niſi per intellectum, ſicuti ſpecies genere, et differentia conſtitui aſſeritur, eo quia relatio conſtituens, niſi ratione, differt à perſona conſtituta, ita ratione conſtituitur. Quid vlterius Caiet. loco indicato aperit, nempe de his contingere loqui duobus modis, aut ſecundum ſe, aut vt ſunt notæ, et ſignificatæ nobis. Primo modo, neque Præpoſitiuus errauit, quemadmodum enim à parte rei perſona, et relatio ſunt ipſiſſima res vnica ita ſumpta, ideſt non ab alia re diuerſa, & conſtituitur, & diſtinguitur: ſi verò ſecundo modo, & diſtinguuntur, & conſtituuntur relationibus ſicuti Deus Deitate conſtitui, & diſtingui dicitur. De qua re nemo poteſt, mea ſententia dubitare: licet Scotiſtæ in ſua diſtinctione, ex natura rei, ſi vera eſſet, facilius, & magis propriè lo-

que-

querentur. Verum Theologi in communi vſu loquendi de ea Theologia, quam inter ſe homines loquuntur, ſecundum conceptus, quos de rebus Diuinis effingunt, debent accipi, & interpretari. ergo debet admitti; quod perſonæ, & conſtituantur, & diſtinguantur ſuis relationibus: alias euaneſcerent Theologicæ lucubrationes, & argumentationes, & commentaria ad ſtrictiſsimos angulos, & pauciſsima capita immenſa Theologorum volumina redigerentur; imò quemadmodum ſola conceſſa diſtinctione virtuali, & rationis ratiocinatæ, innumeræ admittuntur prædicationes, aſſertiones, diſtinctiones in Diuinis tanquam veriſsimæ, & ita conſtitutio, & perſonarum diſtinctio abſolutè debet lubenti animo admitti, & apertis vlnis ab omnibus amplexari, abſque addita moderatione; & ſi veræ ſunt in Diuinis relationes, quare verè non conferunt, quod eis proprium vtique eſt? eo præſertim, quo ſanctus Thomas, ad primum, concedit, verè non repugnare ſimplicitati perſonæ ipſam relationibus diſtingui, &c. Ita S. Doctor argumentum hoc ſoluens concedit, hanc vim habere relationes conſtituendi, & diſtinguendi, ideo addit verè proprietas determinat, hoc eſt conſtituit, & diſtinguit, tamen ad inuicem quoque verè prædicari. ratio in promptu ingenua hæc eſt; quia conſtituit, & diſtinguit relatio non vt res diſtincta, & noua eſſentia, ſed vt intrinſecus modus, qui nullo modo, aut multiplicat entia, aut componit: ſicut tamen vera relatio; ita verus modus, neque tamen à re niſi ratione diſtinctus. Ad formam autem argumenti, negatur conſequentia. Ad probationem, negatur, requiri diſtinctionem rei, & rei, aut inuoluere contradictionem, ſed ſufficere rei, & modi diſtinctionis iam dictæ.

Secundo. Perſona eſt quid concretum; proprietas abſtractum: ergo ad inuicem differunt. Antecedens patet; nam prima perſona, v. g. dicitur Pater concretè. proprietas Paternitas abſtractè. Conſequentia quoque conſtat, nam abſtractum differt ab eo, à quo abſtrahitur, & pluſquam ratione, & modo dicendi, aliquid enim de Patre aſſeritur, quod nequaquam de Paternitate licet aſſerere: Pater namque generat, quod non facit Paternitas.

Reſp. communi, & certa reſponſione, abſtractum, & concretum in Diuinis, & quo eſt, & quod eſt, eſſe omnino idem, & inde non fieri verè abſtractionem, niſi ſecundum noſtrum modum intelligendi, & reddit, & repetit optimam rationem, quare à Diuina perſona, & eſſentia non poſsit fieri abſtractio proprietatis, &c. quia nimirum, vt dicit (*In*) tranſit in ſubſtantiam, & ſubiectum, vel quaſi ſubiectum, & omnino identificatur. Quod ſi, vt ad terminum, manet: neque tamen ratione abſtractionis cuiuſcumque factæ, ſed ratione, intrinſeci modi. & reſpectus. Ad formam ergo argumenti conceſſo quoquomodo antecedenti; neganda eſt, conſequentia. Ad probationē, negandum aſſumptum, & factum in Diuinis: nihil enim abſtrahitur, quod differat. Ad illud, quod pluſquam ratione ſignificandi, &c. reſpond. primo, quod verum eſt ad aſſerendum verè relationem in Deo manere. Secundo, quod ad inducendam à parte rei diuerſitatem negatur: licet enim aliquid perſonæ, quod non relationis tribuatur, hoc totum eſt ratione varij modi nobis ſignificandi.

Tertio. Perſona in Diuinis eſt verè ſubſtantia abſoluta: ergo ab ipſa differt relatio, & proprietas. Antecedens eſt notum, & infra magis patebit, & poſſet probari per diffinitionem perſonæ: conſequentia verò conſtat, nam abſolutum, etiam ſi ſe ipſo referatur, non eſt, imò opponitur relatiuo, & probatur; nam neque materia, licet ſe ipſa referatur ad formam, non eſt tamen ille reſpectus: ergo Diuina perſona, quamuis referatur ad terminum, & aliam perſonam, non eſt ipſemet reſpectus.

Vide quam ad radicem veritatis deueniat, & deducat tuto itinere S. Doctor. Proponit has tres obiectiones, quas proponit, et quibus offenſus Porretanus deceptus, et lapſus eſt, vt hinc nobis certior reddatur veritas, quo certus fuit error iſtius hominis, et quo certius reſpondit Summus Pontifex, ſacro approbante Conc. Rhemenſi.

S. Thom. eodem argumento vſus, eſt quæſt. 28. art. 2. tertio loco. Relatio eſt ad aliud ſe habere: ergo ſi eſt Diuina eſſentia, Diuina eſſentia ad aliud ſe habebit, ſed hoc non poteſt eſſe: nam repugnat Diuinæ perfectioni, cuius eſt eſſe abſolutum. Reſpondet ipſe primo ad ſecundum, nos indigere nominibus, quibus Diuinas ſignificemus perfectiones, ſicuti in Deo ſunt: et ſubinde relationes, vt idem cum Diuina eſſentia nos non poſſe explicare ex exceſſu rei, et ex carentia vocum: vox enim hæc (*Relatio*) præcisè illud tantum ad aliud ſe habere nihil præterea notat. Ad tertium verò idem repetit totam difficultatem in hoc ſitam ineffabilem, et inexplicabilem rem nobis eſſe; quomodo Diuinum eſſe ſit ſimul, et abſolutum, et relatiuum, et ſic contineat omnem gradum perfectionis, dum verò quoquomodo id ſignificare conamur, vtimur diuerſis adeo vocibus, vt contradictionem inuoluere videantur, et præcipuè in his accidit abſolutum, et relatiuum, eſſentia, et relatio.

Sanctus verò Bonauentura ad idem argumentum eandem doctrinam dat, licet tantillum diuersè, et aliam aliundè colligit difficultatis huius rationem. Diuina eſſentia, et relatio ad inuicem prædicantur; & idem ſunt. Quod ſi nobis difficilè videatur, hoc euenit, quod Diuinas relationes ad creatas relationes comparatas ſumimus, & contemplamur. In relationibus autem creatis ſemper inuenitur tũ diuerſitas eſſentialis, aut à ſubiecto, aut à termino, ad quem eſt, & inde vera dependentia: vnde, nec idem eſſe, nec ad inuicem prædicari poſſunt; ſed diuerſæ res ſunt, & componunt. In Diuinis verò nulla hæc diuerſitas, nec admittitur, nec admittere licet. Quo fit, vt idem ſint, & prædicentur mutuo, & nullo modo Diuinæ ſimplicitati officiant. Duas ergo difficultatis rationes, & origines hinc habemus, alteram ex indigentia, & diminuta vocum ſignificatione, alteram ex aſſueta nobis, ad Diuina etiam contemplanda à creaturarum cognitione dependentia. Ad formam ergo argumenti, negatur antecedens; non enim perſona Diuina tantum ſubſtantiam abſolutam com-

ple-

plectitur, ſed etiam ineffabili nobis ratione ſimul etiam relationem: illam, vt rem, hanc, vt modum; conſequentia quoque inde negatur. Ad rationem quoque, negatiuè in Diuinis reſpondetur, vt tota vis argumentationis ex relatione creata collecta ſit. Neque mirum, conſequentiam non tenere in Deo: valde enim diuerſa ratione, res ſe habet.

Contra verò has tres apparentes rationes, quibus Porretanus illuſus delirauerat, & à veritate impiè deuiauerat, Conc. Rhemenſe præſente Eugenio III. hoc orthodoxum, Catholicum, & cæleſte decretum poſuit. *Credimus, & confitemur, ſolum Deum Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum æternum eſſe; nec aliquas omnino res, ſiue relationes, ſiue proprietates, ſiue ſingularitates, vel vnitates dicantur, vel alia huiuſmodi ad eſſe Deo, quæ ſint ab æterno, & non ſint Deus.*

Quarto denique omne, quod aduenit alicui, & recedit ſine ſui corruptione non eſt, nec prædicat aliquid in illo, ſed eſt tantum aſsiſtens: huiuſmodi eſt relatio: ergo non eſt, nec prædicatur de Diuina perſona, ſed eſt ei aſsiſtens. Minor probatur ex D. Boetio ad Symmacum ante finem his verbis. *Relatio non in eo, quod eſt eſſe conſiſtit, ſed in comparatione.*

Satisfacit exquiſitè, & apprimè interpretatur Boetium, & quam conciſè, & diminutè in argumentatione ſumatur relatio, demonſtrat. Totum ergo relationis eſſe, eſt, in, &, Ad, diminutè autem ſumptum, ve ſumit Boetius eo loco, nimirum dumtaxat in ordine ad terminum, quo ſenſu præciſo, & aduenit, & recedit ſine ſubiecti mutatione, ſed ſola termini, er obiecti variatione, ratione cuius, eſt tantum aſsiſtens. Verum adæquatè ſumpta, et vt eſt in ſubiecto, et aliquid in eo dicit, quod non negat imò innuit eodem loco Boetius, et verbis, et ratione. Ad formam ergo argumenti negatur minor: ratio eſt, quia relatio non tantum dicit, *Ad*, ſed etiam, *In*, et de ea vnum ſine altero ſumere, eſt diminute ſumere ſicuti ſumpſit illo loco Boetius. Quo ſolo non animaduerſo, deceptus fuit Porretanus, vt ſupra docuit Sanctus Thomas negatur etiam maior, nam id quod aſſumitur eſt verum tantummodo de ente abſoluto, et non relatino ſimul, vbi notanda ſingularis, et digna illorum verborum abſque ſui mutatione, expoſitio.

QVARTA DISPVTATIO.

De identitate, & diſtinctione relationis Diuinæ, & perſonæ cum Diuina eſſentia in hæc capita diſtributa.

Primum. An idem ſint realitdr, vel differant.
Secundum. An formaliter aliquo modo.
Tertium. An vnum ſit de ratione alterius.
Quartum. An ſaltem ratione diſtinguantur.

QVAEDAM in hac diſputatione ſunt extra omnem controuerſiam, quædam verò controuertuntur. Primo enim omnino certum, & diffinitum, relationem realiter ab eſſentia, non differre; incertum verò, qua identitate ſit cum ea idem, an formali etiam, ne dum reali. Secundo an ita formaliter, vt ad inuicem vnum ſit de conceptu, & ratione alterius, ſcilicet cum dico eſſentiam, dicam etiam relationem, & è contra. Hæc omnia diſputanda, & ſoluenda; tum quia magni momenti ſunt, tum quia omnia hæc propoſuit, & pro dignitate ſoluit Sanctus Doctor: quare ſuſcipienda, & ſuſtinenda.

CAPVT IGITVR I.

Quod relatio, & perſona, idem realiter eſt cum Diuina eſſentia.

NIhil prænotandum hic neceſſe eſt, vt quod propouitur tuendum, intelligatur. Planiſsima namque res eſt, nec cuiquam occulta eſſe poteſt. Quod hic quæritur imò fides profitetur Diuinam eſſentiam, & proprietates, & relationes non eſſe diuerſas res, ſed ipſiſsimam rem vnam, eandemque, quæ Deus eſt, & licet hæc res eadem certitudine certa ſit, qua, & certum eſt fidei noſtræ non poſſe ſubeſſe falſum, & qua repugnat, plures eſſe Deos, & aliquid eſſe æternum, & non eſſe Deum: tamen vnde petenda certitudo hæc; non alienum à Theologo, & munere noſtro in medium afferre ſi non ad probandum id, de quo dubitare nefas eſt, ad reddendam tamen rationem, & auctoritatem, quare dubitare non liceat, exiſtimo.

Eſt autem totum Scripturarum volumen, hac reuelata veritate, tertia quoq; linea, vt ita dicam, plenum, refertum, & illuſtratum; præcipuè omnibus ijs locis, quibus, & Deum eſſe vnum, & ſingulas Diuinas perſonas eſſe Deum, & Meſsiæ diuinitas aſſeritur. Si enim Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus eſt vnus Deus: ergo ineuitabili conſequentia Pater, & Paternitas; Filius, & filiatio, &c. ſunt Deus, & ſi Deus eſt vnus, ſunt vnus Deus: vna ergo res Diuina, & verū quid, & illud diuiniſsimū. Sumo tamen vnum locum inter cætera apertiſsimum. Ioan. 10. *Ego & Pater vnum ſumus*. repetitum eod. cap. *vt credatis, & cognoſcatis, quia ego in Patre, & Pater in me eſt*. Et ſua Canonica ep. 1. cap. 5. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in Cælo, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, & hi tres vnū ſunt*. Pater autem, & Filius vnum ſunt virtute, & potentia; nam ſupra dixerat. *Nemo poteſt rapere de manu mea*: quod, vt probet addit; *ego, & Pater vnum ſumus*, ideſt quia eadem eſt virtus & potentia mea, quæ Patris mei. Verum quia Patris virtus infinita eſt, ita, & mea; *quia vnum ſumus*, ideo *nemo poteſt rapere de manu mea*. Ita exponunt Sanctus Baſilius lib. 1. contra Aeunomium, & ita exponendum ex contextu probat. Ita S. Ambroſius lib. 3. de Spiritu Sancto, cap. 18. & lib. 1. de Fide, cap. 1. Sanctus Chryſoſtomus hom. 60. vbi optimè, quod maximè hic prætenditur,

ditur deducit: ſi Pater, & Filius vnius ſunt virtutis: ergo, & ſubſtantiæ, & eſſentiæ: nam Dei virtus, & potentia eſſentialis, ita neceſſario eſt, vt ſi non eſſet; eſſet vtique accidentaria, & hoc modo Deus compoſitus eſſet, & ita denique non Deus. Sed addit S. Ambr. eodem loco rem perattentè obſeruandam, quod hic S. Ioannes, & dicit, vnum, & ſumus. Prima namque voce, vnitatem eſſentiæ: ſecunda, pluralitatem relationum, & perſunarum, contra Sabellianos atteſtatur; quod idem, & S. Hieronymus 6. in Iſaiam. *Vnum*, inquit, *ad naturam: ſumus, ad diuerſitatem perſonarum refertur*: vt hic locus, quam omni ex parte vrgeat propoſitum noſtrum, ac confirmet, animaduertamus, plures, ſcilicet relationes cum eſſentia eſſe vnum. Hunc locum ideo à nobis propoſitum, plurimi ſecerunt Patres ad Filij conſubſtantialitatem, & *omouſion* probandam contra Arianos: Hilarius lib. 7. de Trinitate, Tertullianus lib. aduerſus Praxeam, Ambroſ. ſupradicto loco, Hieronym. 18. Ezechielis, Auguſt. tract. 48. in Ioan. Conc. Lateranenſe ſecundum, vnde deſumpta eſt decretalis illa cap. Firmiter, & Futilem Arianorum fugam, hoc ſcilicet loco ſanctum Ioannem agere de concordia voluntatis Patris, & Filij, non de identitate eſſentiæ, efficaciter exploſerunt, & doctè; præſertim S. Auguſtinus contra Maximinum lib. 2. cap. 12. & lib. 3. cap. 22. Quod idem hic, & contextus verborum, & propoſitum reuincit: & Hebræorum audientium Chriſtum intelligentia: ita enim ſermonem Chriſti interpretati ſunt, & ideo ipſum de blaſphemia, quod ſe ipſum faceret Deum incuſarunt, vt nullus ambigendi locus relictus ſit, quod hoc textu relationes eſſe idem cum eſſentia Diuina reueletur, & fide decernatur.

Secundo probatur eadem veritas ex 6. Synodo, act. 11. vbi trium perſonarum vnam eſſe Deitatem decernitur. 2. cap. Damnamus de ſumma Trinitate, & fide Catholica; Pater aſſeritur communicare Filio totam ſuam ſubſtantiam. Damaſus Papa de expoſitione Fidei ad Paulinum. *Si quis non confitetur Patris, Filij, & Spiritus ſancti, vnam diuinitatem, poteſtatem, & maieſtatem, anathema ſit.* Concilia Toletana 6. & 11. *Confitemur Trinitatem vnius eſſentiæ, virtutis, Maieſtatis, & naturæ.* cap. Firmiter ſub Innocentio III. in Concilio Lateranenſi. *Vnus ſolus eſt verus Deus — Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, tres perſonæ, ſed vna eſſentia, ſubſtantia, ſeu natura ſimplex omnino.* Ibidem cap. Damnamus, vbi in Deo omnino quaternitas damnatur, quæ tamen negari non poſset, ſi relationes, & perſonæ ab eſſentia realiter differrent; eſſent enim quatuor his verbis. *Vna quadam ſumma res — quæ veraciter eſt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus: tres ſimul perſonæ, & ſigillatim, qualibet earundem. Ideo in Deo ſolummodo Diuinitas eſt, non quaternitas: quia qualibet trium perſonarum eſt illa res, videlicet ſubſtantia, eſſentia, ſeu natura Diuina.* Quibus eodem cap. ſubiungitur. *Licet igitur alius ſit Pater, alius ſit Filius, alius Spiritus ſanctus, non tamen aliud, ſed id quod eſt Pater, eſt Filius, & Spiritus ſanctus, idem omnino.* Quo loco error Ioachim Abbatis explicatè damnatur, qui Magiſtro Sententiarum imputabat, quod aſſeruerit in Deo eſſe quaternitatem, tres ſcilicet perſonas, realiter ab eſſentia diſtinctas, eo quod dixerat. In Diuinis Pater generat, ſed eſſentia non generat. Quod, vt ipſe euitaret abſurdum, incidit in peius, & deteſtabilius, eſſe ſcilicet in Deo tres perſonas, non vnitate eſſentiæ vnum, ſed vnitate collectiua; vbi viſus eſt tres Deos conſtituere: Concilium verò, vtrumque damnat, & quod Abbas aſſerebat, & quod Magiſtro obijciebat, Magiſtrumque ab hac calumnia grauiter vindicat.

Tertio. Ex Conc. Rhemenſi, vbi refertur, cum Gilbertus Porretanus aſſereret nulla facta de attributis cum Diuina eſſentia, quomodo ſe habeant, mentione; de perſonis cum eadem eſſentia dicebat: Diuina natura, quæ Diuinitas dicitur, Deus non eſt, ſed forma qua Deus: quemadmodum humanitas non eſt homo, ſed forma qua homo eſt. Cum Pater, & Filius, et Spiritus ſanctus vnum eſſe dicuntur, non niſi vna diuinitate eſſe dicantur, nec conuerti poſsit, vt vnus Deus, vel vna ſubſtantia, vel vnum aliquid Pater, et Filius, et Spiritus ſanctus eſſe dicantur. Tres perſonæ tribus vnitatibus ſunt tria, et diſtinctæ proprietates tribus, quæ non ſunt ipſæ tres perſonæ, ſed ſunt tres res æternæ, et ad inuicem à Dinina eſſentia numero differentes, itaut perſonam Diuinam non eſſe diuinitatem, ſed diuinitate quaſi forma Deum dixerit; ita ex quodã Codice Manuſcripto omni fide digno contra quod, ſic conſtituitur his verbis: *Credimus, & confitemur ſimplicem naturam Diuinitatis eſſe Deum, neque aliquo ſenſu Catholico negari poſſe, quin Diuinitas ſit Deus, & Deus diuinitas: ſicubi verò dicitur Domini ſapientia, Dominum ſapientia ſapientem, magnitudine magnum Diuinitate Deum eſſe, & alia huiuſmodi phraſes; credimus non niſi ex ſapientia, qua ipſe Deus eſt ſapientem eſſe, non niſi magnitudine, qua eſt ipſe Deus magnum eſſe; non niſi ea æternitate, quæ ipſe Deus eſt, æternum eſſe, non niſi ea vnitate vnum, quæ eſt ipſe, non niſi ea diuinitate, quæ eſt ipſe, ideſt ſe ipſo magnum, ſapientem, æternum, vnum, Deum.* Reliqua in Commentario.

Ex Concilio Florentino, vbi licet non diffinitionibus, ſed diſputationibus, vniformiter tamen ab omnibus illis doctiſſimis Partiſius Græcis, & Latinis: doctiſſimo illo Ioanne agente pro Latinis, & Marco Epheſino pro Græcis, recipitur, & aſſeritur, relationes ab eſſentia non niſi ratione diſtingui: ex eodem Conc. & 11. Toletano, & alibi, vbi recepeiſsimum ab omnibus Theologis prinuipium aſſeritur, in Deo omnia eſſe vnum, vbi non obijciat relationis oppoſitio. Ex D. Athanaſij Symbolo. *Alia eſt perſona Patris, &c. ſed Patris, &c. vna eſt ſubſtãtia, &c.* Omnes Patres neceſſario in hoc tanquam in dogma fidei conueniunt. Qui præcipuè ſolent adduci à Theologis ad aſſerendam identitatem etiam formalem, licet à Scotiſtis gloſſentur, de identitate reali.

Denique Sãcta Romana Mater Eccleſia in Miſſali in Præfatio Miſſę Sanctiſsmę Trinitatis. *Vt in*

per-

Digitized by Google

perſonis proprietas, in maieſtate adoretur æqualitas. Quod ſi relationes non eſſent eademmet Diuina eſſentia, & tamen ab Eccleſia Romana cultu latriæ adorarentur, peccatum Idololatriæ committeretur: nam creatura adoraretur. Quod enim realiter à Diuina eſſentia differt, neceſſario creatura eſt, vt inter alios S. Auguſt. lib. 1. de Trinit. cap. 6.

Denique ſuppoſita fide Theologis non deſunt congruentiſſimæ rationes, quibus hoc tantum myſterium efficaciſſime aſtruant, & ſuo modo demonſtrent, & primo S. Bernardus ſerm. 80. in Cant. & lib. 5. de conſideratione qui, & interfuit Concilio Rhemenſi, & diſputando Gilbertum in errore ſuo haud pertinacem, ad meliorem frugem reduxit, gemino argumento, rem hanc probat. Primo, ex Diuina ſimplicitate, fide credenda. ſi relatio non eſt ipſa Deitas, ſed Deitate Deus: ergo compoſitus eſt Deus, ideſt perſona ex Deitate, & relatione; quam conſequentiam, vt effugeret S. Bonauentura ſupra dicebat: Omne ſimpliciſſimum eſt omnino, quod habet, perſona Diuina eſt ſimpliciſſima: ergo eſt, quod habet, habet relationem, & eſſentiam: ergo eſt omnino eſſentia, & relatio: ergo in perſona relatio, non differt ab eſſentia vbi, & ipſe apertè indicabat neceſſario hanc ſequi conſequentiam, ſi relatio differt ab eſſentia, cum eſſentia componit. ſed efficacius probatur ſuppoſito antecedenti. ex duabus rebus realiter diſtinctis, ideſt eſſentia, & relatione coaleſcit perſona: ergo compoſita. Probatur, nam, vel illa duo vniuntur ad conſtituendam vnam perſonam, vel non. ſi ſecundum: ergo perſona, & Deus in ſenſu Gilberti præcipuè non verè vna, & vnus per ſe, ſed tantum per accidens, & aggregatione. Si verò primum: ergo compoſita: nam intelligi non poteſt, quod vnum ex varijs rebus ad inuicem vnitis non reſultet compoſitum, & verè compoſitum, ſicuti actus, & potentia: nam ſi ad inuicem vniuntur: ergo poterant vniri: & ſi vnum tanquam determinans, vt relatio: ergo alterum tanquam determinabile, ideſt eſſentia. Confirmatur exemplo, Verbi incarnati, vbi, quia diuerſa concurrunt, & per ſe vniuntur, perſona Diuina in carne humana verè à varijs Concilijs, & ſanctis Patribus, & Theologis dicitur compoſita. Licet vero in tertio Sent. ſanctus Bonauentura, quodam ſcrupulo, torqueretur, & nollet concedere perſonam incarnatam dicendam compoſitam: in re tamen non negat, neque negare poteſt, niſi & à Conciliorum, ſanctorum Patrum, & reliquorum Theologorum phraſi, et à veritate velit diſcedere. Quod ſi Deus eſſet compoſitus, neceſſario eſſet, quid imperfectum: nam omne compoſitum quatenus tale eſt imperfectum: Demonſtrat S. Bonauentura: omne enim perfectiſſimum eſt ſua perfectio: nam aliàs penderet, et ſuam perfectionem ſuſciperet à quodam diſtincto à quo perficeretur.

Secunda ratio S. Bernardi, quam poſtea poſteriores Theologi, S. Thomas hic, ſed contra, S. Bonauentura hic argum. 3. Riccardus, & reliqui imitati ſunt, & libentiſſimè adhibuerunt. Eſt autem hæc: relatio à Diuina eſſentia realiter diſtincta, aut eſt aliquid, aut nihil; non poteſt eſſe nihil vt conſtat: ergo aliquid. ſi aliquid, & non eſt eſſentia: ergo, vel illa inferius, vel æquale, vel ſuperius. ſi æquale; primo: ergo plures dij. ſecundo ex D. Bonauentura: ergo hic Deus non eſt ſimpliciter primum, nam eſt aliud æquè primum, ſcilicet relatio. tertio nullus erit Deus: nam quod limitatum eſt, & non omne ens, Deus non eſt. Si ſuperius: impoſſibile eſt; nihil namque ſupra Deum eſſe poteſt: nam Deus eſt, quo nihil magis, vel maius poteſt excogitari. Si inferius: ergo creatura: nam inter Deum, & creaturam, nihil medium eſſe poteſt. quare nullius eſſet momenti ſi ad hoc opponeretur, relationem, licet non eſſet eſſentia Diuina, inde tamen non colligi eſſe creaturam: poſſet enim eſſe terminus extrinſecus Diuinæ naturæ, illi tamen naturaliter coniunctus, non factus: de ratione autem creaturæ, eſt eſſe factam; nullius inquam momenti: nam illa relatio ſic aſſumpta, aut eſſet independentur à ſe, ſicut ipſa diuinitas, aut à diuinitate penderet: ſi primo modo; ergo duæ entitates æquè primæ, quod repugnat, ad eſſe ſimpliciter primum, quod tamen verè Dei proprium, vt nuperrimè quoque dictum eſt: ſi ſecundo modo cum ab ipſa ſupponatur diſtincta: ergo ab ipſa efficientur: nullus enim alius modus excogitari poteſt, & probatur: nam non niſi ex nihilo fieret: neque enim ex ſubſtantia Dei: tunc namque & fieret ex Deo, res diſtincta tanquam ex materia: & ſi de Deo fieret tunc ei tota ſubſtantia communicaretur cum ſit impartibilis, & ſic fieret Deus, & multiplicaretur ſummum ens, quod repugnat: ergo creatura eſſet, & ita Verbum, ita Spiritus Sanctus eſſet creatura, & ecce hæreſis Arianorum. Quid? etiam lumine naturæ, & ſit noua ratio, & principijs naturalis philoſophiæ demonſtrare licet; non quidem ſub ratione relationis; eas namque non cognouit naturale lumen, quomodo ſint in Deo, ſed ſub ratione ſimplicitatis elegantiſſimè Ariſt. 12. Methaph. tex. 37. ſimplex autem qualiter habens, ideſt, & quo eſt, habet, & quod habet ſunt idem, & textu 39. quare vita, & duratio continua, & æterna exiſtit in Deo: hoc enim Deus eſt, & textu 51. affirmat Deum eſſe ſuum intelligere, & alibi Deum eſſe purum actum, & immutabilem: ergo quidquid eſt teſte Ariſt. in Deo, eſt ipſe Deus: ergo relationes in ipſo Deo exiſtentes ſunt ipſe Deus.

Capreolus in primo Sententiarum diſt. 8. q. 4. art. 1. refert Auerroem, Auicennam, & Algazelem multis locis, idem ſentientes. Ludouicus Viues ſuper 8. lib. de Ciuit. Dei cap. 6. refert mirabilem locum ex Alſinoe, de re hac in hunc modum. *Deus ipſe ſupremus ineffabilis, æternus, ſeipſo perfectus, nullius rei indigus: Diuinitas eſſentia, ratio, veritas, armonia, bonum exiſtit. neque vero, hæc ita dinumero, vt inter ſe ipſa disiungam; imò, vt vnum potius cuncta conſidero*. Quid clarius, & excellentius in omni Philoſophia, tum Ariſtotelica, tum Platonica? nec opponi poteſt, hos non de relationibus, ſed de perfectionibus abſolutis, & attributis loqui: eadem enim eſt prorſus ratio. Teſtantur omnes præcipuè Scotus de Diuini

enim eſſe ſimplicitare differentes, ita telatio realiter diſtincta in Deo componeret, ſicut abſolutum ſenſerunt: & Theologi, vt auditum ab ipſis in hac diſputatione eſt hanc identitatem relationum, cum eſſentia, & perſona probandam ſuſceperunt ex Concilijs propter tuendam Diuinam ſimplicitatem.

Reliquum eſt poſtremo loco recenſere, & animaduertere, & ſoluere id, quo allucinatus ſit Gilbertus, & pietate Chriſtiana referre certas, antiquas, & veridicas ſolutiones.

S. Bonauentura hic retulit, & propoſuit, quibus in hunc errorem pro lapſum fuiſſe Gilbertum teſtatur, eaq. facillimo negotio ſoluit. S. Tho. hoc articulo, hunc errorem effutiſſe hominem iſtum, quia relationum tantum diſtinctionem, & terminos diſtinctos, non inhærentiam, & identitatem cum eſſentia attenderit.

Otho Frinſingenſis Epiſcopus lib. de geſtis Federici Imperatoris c.56.& 57. his rationibus motum aſſerit. Si relatio, & perſona, & eſſentia ſunt idem: ergo, & perſonæ ad inuicem, eo principio, quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem & inter ſe. Ergo ſi vna perſona eſt incarnata, omnes perſonæ, & eſſentia, erunt incarnatæ: ergo eadem perſona erit, & generans, & genita: ergo contra fidem tolletur omnis diſtinctio realis diuinarum perſonarum, vt impiè Sabellius blaſphemabat: ergo (Abbas Ioachim) ſi Pater generat, & eſſentia generabit, & generabitur, & ita ſeipſam generabit, quod paradoxon redolet, & contradictionem inuoluit.

Hæc eſt prima, quam ſua ipſorum incomparabili humilitate, reſponſio, ad hæc ſimilia difficillima ſolent adhibere ſanctiſsimi, & vetuſtiſsimi Patres, quam adhibet D. Hilarius lib. 2. de Trinit. *Immenſum eſt, quod exigitur, & incomparabile, quod audetur &c. extra ſignificantiam eſt ſermonis: extra ſenſus intentionem: extra intelligentiam conceptionem: quidquid vltra quaritur, non enunciatur, non attingitur, non tenetur verborum ſignificantiam, rei ipſius natura conſumit. ſenſus contemplationem imperſpicabile lumen obcæcat. intelligentia capacitatem, quidquid ſine nullo continetur, excedit. mihi verè hos reſpondenti, in curis actus eſt, in ſenſu labes; in intelligentia, ſtupor, in intelligentia autem, non iam infirmitatem, ſed ſilentium confitebor.*

Scotus ad hæc abſurda omnia euitanda, & contradictoria tollenda, ſufficere docebat diſtinctionem non realem, ſed formalem, & ex natura rei mediam inter realem, & rationis.

S. Thomas, & S. Bonauentura, & reliquus communis Theologorum conuentus ſatis diſtinctionem virtualem.

Concilium Florentinum omnia hæc, ſcilicet relationes ab eſſentia, ratione diſtingui, qua data, voluit, ad omnia propoſita abſurda ſatisfieri poſſe.

Concilium Rhemenſe, non rationem theologicam, ſed abſtractionem mathematicam, ideſt diſtinctionem rationis ſatis eſſe.

Concilium Lateranenſe, in Deo non eſſe quaternitatem: eſſe idem omnino, & ſimpliciter, Deū, eſſentiam, naturam, & perſonas: verum tamen dixiſſe Magiſtrum. Eſſentia non generat, & Pater generat &c., ita vt ipſum hanc diſtinctionem ſufficere rationis indicauerit; ſed de his in ſequenti Capite vberius.

CAPVT II.

An differant formaliter, & diſtinctio hæc neceſſaria ſit.

ADmirabilis ſimplicitatis, & identitatis attributorum, & proprietatum relatiuarum cum Diuina eſſentia, poteſt in medium afferri, inter multa à ſanctis Patribus, & eruditiſsimis viris obſeruata, & adinuenta, hoc vnum exemplum, à Mathematicis deſumptum, mihi valdè rem ob oculos, quo in myſterio maximo diuino ab homine balbutire licet, & vix attingere, ſcilicet punctum. Si circumferatur linea, vt fiat circulus, & in centro ſtatuatur, & figatur punctum. per punctum medium ab vna parte in aliam circuli ducatur linea, vt diametra ſit; à puncto ad circumferentiam ducantur innumeræ lineæ, & à circumferentia ad punctum, per angulum duarum linearum proximarum ſe in ipſo contingentium. hoc punctum habet primo abſolutum eſſe puncti, quod eſt ſimpliciſſimum quid, in genere quantitatis. habet deinde eſſe relatiuum principij, medij, & finis, à quo oriuntur, ad quem terminantur lineæ, & per quem quaſi media linea tranſit: & horum quodlibet eſt idem cū puncto: quodlibet tamen addit propriam rationem quandam ab alia, conſideratione diſtinctam: neque tamen hæc rationum multitudo aliquid aut addit puncto, aut punctum componit, nec puncti vnitati, & ſimplicitati vllo modo obeſt, licet aliud munus videatur, quo incipit, aliud quo terminat, aliud denique quo nectit, vnit, & continuat lineam. Ita Petrus, Illuſtriſſimæ Dominicanorum familæ Alumnus, & natione Sedunus, ciuitate Tarantaſienſis, dignitate Cardinalis & tandem meritis & auctoritate Summus Pontifex, & charitate cum D. Bonauentura adſtrictiſſimus. Punctum autem erudita, & docta peruetuſta ætas Deo comparabat, & Diuinum eſſe ob oculos mentis, quo fieri licet, per punctum ponebat. Et Plato philoſophorum Coriphæus. Deus eſt circulus cuius centrum vbique, cuius circumferentia nuſquam. Hoc indicato modo, & ceu propoſita ſimilitudine: Dei eſt vna eſſentia, cui tamen non repugnat trina perſonarum multiplicatio, quarum quælibet eſt Diuina eſſentia, et tamen ſunt diſtinctæ earum relationes, neque tamen hæc relationum, et perſonarum multitudo vllam in eſſentia facit compoſitionem, licet quælibet earum proprium habeat actum diſtinguendi, conſtituendi perſonam, et eam ad aliam referendi. Hoc igitur eſt myſterium, primo fide credendum, latria colendum, Iehouah, hoc eſt ineffabile nominandum, vnum perfectiſſimo modo tenendum, trinum quoque ſuſcipiendum,

& Theo-

& Theologorum munere ad fidem ipſam nutriendum,& vt fas eſt, intelligendum. Quod hoc capite reuerentur indagandum mihi eſt,quomodo inquam hæc vnitas,et hęc pluralitas adinuicem ſe habeant, ſint idem, non ſolum realiter, vt fides ipſa cogit, et ſuperiori capite probatum eſt, ſed fortaſſe, an etiam formaliter, vt hoc capite, nunc videndum. Quod quidem ſedula, et ſolerti indagine veſtigandum; plurimi enim refert in meditatione Theologorum: et ideo mirum eſt quam tota Theologorum familia concertet in hac re explicanda, et tuenda,& varijs modis anhelet:in tres enim acies partita eſt: duæ extremis partibus pugnant. tertia medio, & ſecuriori itinere incedit.

Eſt autem Scotus eo tamen ſenſu, eoque moderamine, quo ſupra explicatum eſt, hic in primo Sententiarum diſt. 2. quæſt. 7. & quodlib. 5. art. 2. & alibi cum ſuis; cui Gabriel in 1. diſt. 2. quæſt. 1. art. 1. notat. 3. & 4. & art. 3. dub. 3. Ocham q. 1. Marſilius quæſt. 1. & quæſt. 6. art. 2. concluſ. 4. adhærent: cum quibus fuit, & Durandus 1. diſt. 33. quæſt. 1. quamuis hanc diſtinctionem, non vocet formalem, & mediam inter realem,& rationis ſed quoquomodo realem qualis eſt inter rem, & modum rei, qua in re meruit ab omnibus Theologis grauiter carpi: viſus enim eſt adhærere Gilberto &c. Scotus igitur, ſicut inter attributa, & eſſentiam, ita, & eadem ratione inter eſſentiam, & relationem, docuit Interuenire differentiam, non realem, & actualem, ſicuti inter rem, & rem, ſed medio modo, realem quidem, & actualem ante omnem operationem intellectus, tum creati, tum increati; formalem tamen, & ex natura rei, ita vt in eſſentia Diuina à parte rei obiectiuè, alia ſit ratio formalis, & quidditatiua, & definitio eſſentiæ, alia relationis, & perſonæ: & hoc quidem, vt facilius, & certius ſuſtineatur veritas myſterij Sanctiſſimæ Trinitatis, & ſoluantur omnes, quæ ex vnitate eſſentiæ, & pluralitate perſonarum vehementer apparentes oriri poſſunt difficultates: ita vt zelo ſuſtinendi, & defendendi almæ Trinitatis veritatem,hanc diſtinctionem adinuenerit Scotus.

In qua quidem,adeo vltra quidam recentiſſimus Scotiſta progreditur, vt ſine hac diſtinctione, Sabelliana hæreſis ferè locum habere videatur, & hæc Diuiniſſima veritas diſtinctionis realis perſonarum quaſi pereat, & euaneſcat. vbi profectò magnam rem proferre non timet, & magni pluſquam decet momenti pendet hanc diſtinctionem, vt eam eſſe ſolidum, & ferè vnicum huius cæleſtiſſimæ fidei fundamentum exiſtimare videatur, & hac præciſa, & vnica, procul expelli, & radicitus euelli omnem difficultatem, & luce meridiana,hac varia ratione formali,clarius illuſtrari hoc difficillimum,& quaſi ſola fide capiendum dogma. Satius fortaſſe dixiſſet,ſi myſterium hoc ineffabile,& mēte humana percipi non poſſe faſſus eſſet. ſtatui ex ipſo Scoto,vberius quo potero hanc totam doctrinam referre, & quomodo eam tradat, quam modeſtè, & quibus limitationibus in medium afferat aperire. Primo in intellectu gemina datur diſtinctio; alia penes modum concipiendi ipſius; alia penes obiecta formaliter inter ſe diſtincta. prima autem adhuc duplex, vt alia ſit ſub diuerſis modis grammatices, vt hominem in caſu nominandi, & diuerſo alio caſu, verbi gratia accuſandi, vel dandi: hæc enim eſt aliqua diuerſitas. Alia, vt ſub diuerſis modis logicè, vt concipere hominem in abſtracto, & concreto. ſecunda verò penes diuerſa obiecta formalia, quando ſcilicet intellectus terminatur non ad idem,diuerſis conceptibus, ſed ad diuerſa ex natura ſua, vt ad albedinem,de qua modo colorem, modo diſgregandi rationem quis concipit: ſunt enim hæ duæ rationes diuerſæ formales ex natura rei: nam dum attingit, & appræhendit colorem præciſè non appræhendit diſgregatiuum;dum verò diſgregatiuum, non colorem; quia ex natura ſua differunt. dum autem obiectis varijs formalibus reſpondent diuerſæ res reales, tunc eſt diſtinctio realis.

Quærit verò diſtinctius,an hęc vnitas, vel diſtinctio formalis,poſſit dici realis: breuibus negat; ſi enim eſſet verè realis, eſſet ex re, & re, & tunc diuinæ perſonæ ſimpliciſſimę eſſent compoſitæ ex re, & re: & quemadmodum non rectè poteſt dici realis actualis, ita neque potentialis, quia verè in Diuinis perſonis, nihil à parte rei eſt in potentia: poteſt, tamen primo dici rationis, non quia à ratione formata, ſed quia, vt quidditas eſt rationis obiectum. ſecundo poteſt quoque virtualis nuncupari; quamuis enim diſtinctio formalis non contineat rem, & rem, ſicut diſtinctio realis: illa tamen vnica res continens diuerſas realitates formales virtute, poteſt dici continere diuerſas res, quatenus illæ diuerſæ quidditates obiectiuæ complectuntur in ſe quidquid illis cōpetit, ac ſi eſſent verè diuerſæ res. tertio denique magis propriè, ſtatuit nominare formalem: quā vt exactius aperiat, et quid ſit hæc identitas formalis, et diſtinctio, conatur definire: identitas enim formalis eſt includere aliquid in ſua ratione formali: ita vt ſi definitio includentis aſſignaretur, incluſum eſſet definitio, vel pars definitionis. Quod breuibus eſt, ac ſi diceretur, illud cum alio eſt, idem formaliter, cui eadem definitio competit, et ratio eſſentialis, et primus modus dicendi per ſe: et conſequenter illa differunt formaliter, quibus diuerſa ratio eſſentialis, diuerſaq. definitio congruit.

Et vt clarius adhuc,hanc vnitatem formalem ob oculos ſtatuat: ſex vnitatis gradus aſcendendo enumerat, et in primo, hoc eſt in infimo loco ponit imperfectiſsimam aggregationis vnitatem. ſecundo loco,vnitatem ordinis, quæ primæ relatæ vnitati ordinis relationem addit, vt ſi in prima aceruus lapidum confusè poneretur,in ſecunda,illa lapidum multitudo, quoquomodo diſponeretur, et ordinaretur. tertio vnitatem per accidens;quæ præteritis adiungit informationem accidentalem eorum, quæ ſic ſunt vnum. quarto vnitatem compoſiti ex principijs eſſentialibus per ſe. quinto vnitatem ſimplicitatis, quæ verè eſt identitas. ſexto tandem eminentiſsimo loco,locat vnitatem, et identitatem formalem. vbi obſeruandum, quam apertè perfectiorem vnitatē, eſſe formalem, quam realem, et ſimplicitate excellentiorem, nimirum perfectiſsimam fateatur Scotus. Quam quidem,

quoniam perfectiſsimam Deo competere, ipſique propriam, ex certa conſcientia ſciebat, hinc dum tamen ex alio capite diuerſitatem formalem in ipſo Deo ponere conſentaneum ducit, non audet abſolutè, id Deo tribuere, dum eſſentiam, & relationem non differre formaliter, ſed potius non eſſe idem formaliter dicere ſuadet: durum enim auribus eorum, qui piè, & honorificè de Diuina vnitate ſentiunt, videtur audire de ea vllam differentiam, ne dum realem, ſed neque formalem. Tandem de tota re hac, quam ſic ſine abſoluta aſſertione, ſaluo meliori iudicio aſtruit, quam fortè, & non improbabili coniectura, in Metaphyſicis retractauit. exemplum conatur in medium adducere: ſit albedo, & ſupponatur accidens ſimplex, tamen eſt in albedine à parte rei bina realitas, altera qua ratio coloris ſumitur, altera qua ratio albedinis, quæ eſt differentia ſpecifica coloris, & harum duarum rationum vna non includit alteram, nec altera eſt de ratione formali vnius, ita vt ſi albedo præcisè, quid ſit definienda eſſet, & quid color diſtincta definitione opus eſſet: quod tamen exemplum, aut rem Diuinam ad quam ſignificandam aſſumitur, pro dignitate non attingit, aut oppoſitum, quod prætenditur concludit. hæc enim propoſita duplex realitas in albedine, verè componit; nam color ſe habet, vt genus, & potentia, albedo verò tanquam differentia: his obſeruatis, quomodo in Deo hanc aſſertam rationem diſtinctam formalem Scotus, & Scotiſtæ probent, nobis nunc audiendum eſt, ſed velim in primis Scoti diſcipuli alta mente retinereut quanta Scotus in proponenda, ac ſuſtinenda hac formalitate, modeſtia vſus ſit, & quanti ſemper fecerit oppoſitam ſententiam.

Facit verò Scotus ſtructuræ argumentorum ſuorum hoc veluti apologeticum fundamentum formalitates iſtas plures in Deo, non tollere, neque vllo modo maculare Diuinam ſimplicitatem ferè his verbis. *Quoniam Diuina attributa, non ſunt formæ, quæ actuent, & informent Diuinam eſſentiam, & rationem ſubeant partis, eo modo quo formæ creatæ partes ſunt, compoſitionem efficiunt in rebus, quarum ſunt partes, ſed ſolum ſunt rationes formales, à quibus eſſentia formaliter eſt talis, puta intelligens, volens, aut aliquid ſimile: cum verò idem ſint re, cum eſſentia, neque cum ea, vlla efficere poſſunt compoſitionem, neque etiam tollere ſimplicitatem &c.*, ita vt tota vis huius apologiæ, hæc ſit; non ſunt partes, nec ſicut materia, & forma, nec ſicut actus, & potentia hæ formalitates: ergo non componunt. ſed negari non poteſt, quod ipſe ſupra faſſus eſt, aliquid tolli de ſumma vnitate his diſtinctionibus formalibus; nam magis eſſe vnum, quod idem eſt formaliter, quam quod diuerſum, ipſe docuit, & vnitatem formalem, eminere ſimplicitati; quo fit Diuinam ſimplicitatem ſine hac vnitate non eſſe ſummam, ſed infra.

Sexdecim argumenta Scotiſtarum refert, & ſoluit Capreolus 1. Sentent. diſt. 8. quæſt. 4. ad octo redacta, idem præſtat Caietanus de ente, & eſſentia cap. 6. & licet ibi ſint argumenta, pro diſtinctione attributorum eadem eſt tamen ratio, & vis etiam de diſtinctione relationum. Pauca argumenta referam præcipua tamen, Scoti.

Quorum primum. De eſſentia Diuina, & relationibus verè à parte rei contradictoria verificantur: ergo ad inuicem aliquo modo à parte rei neceſſario differunt: non realiter, vt ſtatuit fides; non ratione tantum: nam diuerſitas ficta, quæ nihil ponit in re non ſufficit, ad realem contradictionem tollendam: ergo ſaltem formaliter, & ex natura rei. Antecedens parentiſſimè probatur. Ante omnem operationem intellectus eſſentia Diuina eſt communicabilis perſonæ, & relatio incommunicabilis: eſſentia non generat, nec generatur, nec ſpirat, nec ſpiratur. Pater generat, & ſpirat, Filius generatur, & ſpirat, Spiritus ſanctus ſpiratur vndequaque propriè: ergo ſunt prædicata contradictoria, niſi aliqua vera diſtinctione tollantur, & ſic conſequentia probatur: repugnat enim, & omni ex parte patens eſt, de eodem ſubiecto, ſub eadem ratione formali verificari contradictoria; idem enim eſſet, & non eſſet, & fuit argumentum Gilberti, quod in foueam deduxit, vt paucis antea.

Neque valet, aut ſoluit ſufficienter argumentum, quod reſpondent Caietanus, Molina, & plurimi alij Recentiores, dum negant conſequentiam, & negationis reddunt rationem. primo eſſe idem formaliter bifariam ſumitur: vel formaliter præcisè actu, & formaliter tantum, vel formaliter virtualiter, & eminenter, id quod eſt idem formaliter primo modo, currit, & vrget argumentum Scoti: quod ſecundo modo falſa eſt conſequentia, ſicuti in Deo: Diuina enim eſſentia eſt quidem communicabilis formaliter, & actu: eſt tamen virtute, & eminentia incommunicabilis, quia eſt infinita, & ſimpliciter ex ſuo Diuino eſſe illimitata, vt vtrumque contineat, ita vt ſit idem formaliter; differat tamen virtualiter, & eminenter; nec neceſſe eſt, quod formaliter eſt idem, vna ratione, ſit quoque idem, omni alia ratione: non ſoluit inquam primo: quia Caietanus hoc effugium huius eminentiæ adinuenit, & adhibuit ad fugiendas difficultates argumentorum. ſecundo duo prædicata contradictoria, non poſſunt verificari, nec virtualiter, neque eminenter de eodem, quia abſolutè ſub quacumque ratione, repugnat de eodem repugnantia prædicari: ergo eſſentia eadem formaliter eminenter non poteſt eſſe communicabilis, & incommunicabilis: neque illud, eminenter, tollit quin ſit formaliter eadem. tertio eſſentia non eſt virtualiter, & eminenter communicabilis, ſed acto formaliter: & ita relatio eſt acto formaliter incommunicabilis: nam relatio actu conſtituit perſonam in eſſe incommunicabili, & per eſſe abſolutum in eſſentia, in eſſe communicabili: ergo hæc diſtinctio, nec facit ad rem, nec ſufficit. quarto. Hæc vna formalitas in Deo infinita, eminens, & virtualis: aut aufert, & tollit omnes alias rationes formales diſtinctas à parte rei, ita vt voluntas, intellectus, abſolutum, reſpectiuum, &c. non habeat amplius rationem ſuam propriam, aut non tollit: ſi ſecundum habeo intentum, quia adhuc remanet diſtinctio formalis: ſi primum: ergo abſolutum eſt formaliter relatiuum, & è contra: ergo relatio

com-

Digitized by Google

communicatur. Ergo eſſentia plurificatur,contra veritatem, contra Scripturam, & Concilia. Probo conſequentiam, nam ſunt idem formaliter: Quinto ſequeretur Patrem eſſe formaliter Filium, generationem formaliter ſpirationem. Sexto. Iſta ratio formalis infinita eminens, vel continet non ſolum perfectiones ſimpliciter perfectas, ſed etiam perfectiones creaturarum perfectas ſecundum quid: vel tantum primas. Si primum ergo æquè poterit Deus dici homo, leo, petra, materia prima, ſicut bonus, ſapiens, Pater, Filius, &c. quod refugiunt omnes; & patet, eodem enim modo eminentur vtraque perfectio continetur. Si ſecundum ergo ſaltem iſtæ duæ formalitates erunt in Deo vna perfectionum ſimpliciter, altera perfectionum ſecundum quid. Septimo. Si per illam vnicam rationem formalem eminentiæ, tolleretur diſtinctio formalis relationum, ab eſſentia, & inter ſe, ſequeretur perſonas Diuinas, & ad inuicem differre realiter, neque tamen formaliter, ſed Pater eſſet Filius formaliter, &c. ſed conſequentia eſt abſurda, ergo. Probatur verò cõſequentia, nam fieret vnum formaliter per illam eminentiam. Octauo. Repugnat aliquid in alio eſſe formaliter, & virtualiter. Probatur, nam formaliter eſt actu, virtualiter eſt potentia.

Reſpondent Molina, & Bannes, ſunt idem formaliter actu ex parte rei: ſed differunt fundamento, & virtute etiam à parte rei: per opus autem intellectus fiunt actu diuerſa formaliter: & addit Vaſquez hanc diſtinctionem fieri in ordine ad varios conceptus noſtros. ſed neq; hoc ſoluit; primo hac ratione, duo contradictoria, probant rem, de qua verificantur, non eſſe eandem, eo modo, quo de illis verificantur: ſed iſta duo contradictoria, eſſe communicabile, & incommunicabile, verificantur de eſſentia, & relatione actu, non tantum virtute: ergo concludunt, actu, non tantum virtute diſtingui ad inuicem. Probatur minor, nam actu communicatur eſſentia.

Secunda ratio Scoti. Pater æternus intelligendo ſe, intelligit eſſentiam, & Paternitatem ſuam, aut ergo hæc duo intelligit, vt duo obiecta formalia, aut, vt vnum, alio, & alio modo conceptum. Si ſecundo modo ergo eſſentia non differt à relatione niſi ſecundum varios modos concipiendi, nec differt pluſquam Deus, & Deitas, homo, & humanitas: ergo à parte rei ipſiſſima res formaliter erit eſſentia, & Paternitas, ergo communicata eſſentia, communicabitur, & relatio perſonalis, & tolletur diſtinctio itidem perſonalis, quæ eſt hæreſis Sabelliana. Si primo modo, habeo intentum, & probatur: nam illa Patris cognitio eſt intuitiua, & rei exiſtentis in rerum natura: ergo Pater ſicut duo obiecta formalia intuetur eſſentiam, & Paternitatem: ergo ſunt duo ex natura rei formaliter diuerſa.

Reſpondet Caiet. Deum Patrem intelligere eſſentiam, & Paternitatem, vt vnum formaliter, vt plura tamen virtute, quod ſufficit: ibi enim ſunt actu vnum, ita tamen plura virtute, & perfectione, vt poſſit omnem tollere contradictionem, & difficultatẽ, & verificare verè omnẽ diuerſũ conceptũ.

Primo contra. Propria eſſentiæ, & propria relationis ſunt contradictoria; nam communicari, & non communicari contradicunt: ergo eſſentia non poteſt exercere munera relationis.

Secundo, ergo relationes non actu, ſed tantum virtute, & potentia ſunt in Diuina eſſentia: ergo eſſentia, non eſt ens actu, ſed virtute, & potentia. Probatur conſequentia, quia ſicut, quod dat eſſe actu, dat eſſe diſtinctum, à quouis alio; ita quod à contrario non habet eſſe: inſeparabilia enim ſunt eſſe, & diſtinctum eſſe: ergo relatio, ſi non facit plura actu in eſſentia ibi non eſt actu, & formaliter.

Tertia. Si idem formaliter eſt eſſentia, & relatio; ergò ſicut relatio, ita eſſentia refertur, & multiplicat eſſentiam.

Quarto. De fide eſt, relationes in Diuinis oppoſitas, eſſe inter ſe diſtinctas realiter ſicuti res; ſed ſi in eſſentia, Diuinæ relationes habent eſſe actuale formale per operationem intellectus, ſequitur eſſe ens rationis: ergo, & ad inuicem non poſſunt opponi realiter. Probatur, quia diſtinctio realis ſupponit extrema realia.

Tertia. Ratio Scoti. Nihil poteſt eſſe idem realiter, & formaliter illi, à quo realiter neceſſario differt: ſed vnumquodque ſuppoſitum Diuinum idem alteri realiter, eſſentia Diuina formaliter eſt: ergo vnumquodque ſuppoſitorum non poteſt diſtingui per eſſentiam ab alio formaliter: ergo illud quo diſtinguitur ab alio, debet eſſe diſtinctum à parte rei, ex natura rei ab eſſentia; alias eodem formaliter, ideſt eſſentia, & conuenirent, & differrent, quod repugnat; vel alio modo conſtruatur argumentum idem. Diuinæ perſonæ differunt realiter ad inuicem, & per eſſentiam formaliter idem: ergo per eandem eſſentiam non poſſunt diſtingui: nam idem formaliter non poteſt eſſe ratio, & principium conueniendi, & diſtinguendi: ergo oportet, quod differant ab eſſentia formaliter, quo differant, & ad inuicem. Eſt autem argumentum S. Bonauenturæ ſupra relatum, & faciliori modo propoſitum. Proprietas eſt ratio diſtinguendi in Diuinis, eſſentia ratio vniendi: ergo ad inuicem differunt, proprietas, & eſſentia. Probatur, nam idem formaliter, non poteſt eſſe principium vniendi, & diſtinguendi.

Quarta ratio ſumitur in Conc. Florentino in litteris vnionis his verbis: *Quod Pater generando Filium communicat eſſentiam non Paternitatem*. Pater omnia, quæ Patris ſunt vnigenito ſuo gignendo dedit præter eſſe Patrem: ergo eſſentia, quæ datur neceſſario differt formaliter à Paternitate, quæ retinetur.

Quinta. Relationes in Diuinis verè conſtituunt, & diſtinguunt perſonas, vt omnes Theologi, Patres, & Concilia aſſerunt: ergo ab eſſentia differunt actu. Probatur conſequentia; nam, vt conſtituant, & diſtinguant actu, ſicuti faciunt, debent eſſe actu formaliter: nemo enim poteſt dare, quod non habet, nec operari niſi quatenus eſt: ſed per aduerſarios non habent in Diuina eſſentia eſſe niſi virtuale ab ea diſtinctum: ergo diſtinctè non poſſunt, nec conſtituere, nec diſtinguere perſonas.

Se-

Sexto. Si nec realiter, nec formaliter relationes, nec à perſonis, nec ab eſſentia diſtinguuntur: ergo perſonæ ſe ipſis, & conſtituuntur, & diſtinguuntur: quod, vt abſurdum, & erroneum aduerſarij damnant in Gregorio Ariminenſi, quaſi hoc docuerit.

Poſtremo, ex multis locis Sanctorum Patrum, præcipuè D. Auguſt. 7. c. 1. de Trinit. *Omnis eſſentia, qua relatiuè dicitur, eſt aliquid excepto relatiuo*. Rurſus: *De Filio non eo Verbum, quo Sapientia*. lib. 3. contra Maximinum cap. 10. *Si poteſt Deum Patrem concedere ſimplicem, & tamen eſſe ſapientem bonum &c.* quanto magis vnus Deus poteſt eſſe ſimplex, & tamen Trinitas, ita vt tres perſonæ non ſint partes vnius Dei; hinc arguitur, ſi attributa, ſola ratione diſtinguuntur, S. Auguſtini argumentum, eſſet ridiculum, & nullius momenti: hæc enim eſſet vis. multitudo attributorum per rationem diſtinctorum non facit cõpoſitionem in Deo: ergo neque multitudo perſonarum realiter diſtinctarum ad inuicem, neque component, neque tollent ſimplicitatem. Quæ enim illatio eſt hæc: attributa per rationem diſtincta non componunt: ergo, neque perſonæ realiter diſtinctæ? Neceſſario: ergo ſupponit aliquam diſtinctionem à parte rei in attributis, vt aliquid probet. Denique certum eſt de fide productionem Filij, non eſſe productionem Spiritus ſancti, vt omnes Theologi Patres, & Concilia, & definitum eſt à Concilio Toletano primo; à Leone I. confirmatum, aliàs Filius, eſſet Spiritus ſanctus: hinc arguit, & ex vtraque parte ferit: ergo emanationes à parte rei diſtinguuntur, neque tamen componunt: ergo etiam attributa, licet à parte rei diſtincta, non component Diuinam ſimplicitatem. Confirmatur: nam in eadem perſona plures emanationes ſunt, vt in Patre, & Filio, neque tamen componunt eas: ergo, neque attributa. Tandem, aduerſarij, inquit, componunt Deum ex Diuina eſſentia, & virtute illa, & potentia, quam millies repetunt, non formali, ſed virtuali, & potentiali virtute, tum attributa, tum relatiua diſtingui; ita vt dum ſimplicitatem Diuinam conantur tueri illis diſtinctionibus, terribiliter eam, & lædant, & diſcerpant, & acerrimè feriant.

Oppoſito extremo loco ſunt, & pugnant multi non ſolum, neque reali, neque ex natura rei formali huiuſce relationes ab eſſentia diſtingui, ſed neque etiam ratione: ſolet referri Aureolus diſt. 1. quæſt. 2. hac ratione: ne minimum quidem, nec perlatum capillum lædatur Diuina ſimplicitas: mente enim ſua tenuit, etiam diſtinctionis rationis ſummæ ſimplicitati contradicere; omnis enim diſtinctio, quæcumque ſit aliquid de ſimplicitate demit, & ſimplicius omnino videtur eſſe, quod omni caret diſtinctione. Alij verò, qui tantum ratione ratiocinante diſtingui autumant: ſunt autem, qui præter quoſdam paucos de attributis idem aſſeruere.

Sed media ſententia, & vera quã reliqua Theologorum communitas docet, & ſuſtinet, & maxima prudentia tuetur, & ſanctorum Patrum placitis fulcitur, quam ſanctus Bonauentura in 1. Sententiarum diſt. 7. quæſt. 3. & diſt. 33. quæſt. 1. & 2. & diſt. 34. q. 1. & 2. quo vltimo loco, præcipuè quæſt. 1. ferè per totum, clarius quam ad hoc propoſitum deſiderari poſſit, aſſerit, probat, & repetit, rem naturæ, ideſt perſonam, & proprietatem, nihil addere naturæ, nec eam diſtinguere, aut componere, ſicut, nec addit, nec diſtinguit, nec componit multitudo attributorum, quæ enumerat, & intelligit, vt multa, ſed tamen à parte rei ſunt vnum, vt in vtroque propoſito ſit compoſitio, & additio non circa rem, ſed circa intellectum, qui tamen fidelis, ſanus, & verus eſt. vbi notandum, apud ſanctum Doctorem, eſſe eandem rationem attributorum, & relationum; quo explicatur, & alius locus ſupra, & infra repetẽdus, relationes magis differre ab eſſentia, quam attributa; & quæſt. 2. eſſentiam eſſe perſonam, & naturam proprietatem, eſſe propriiſſimam prædicationem, & probat: nam in Deo eſt ſumma identitas: ſi ſumma: ergo formalis: conſequentia eſt Scoti, vt ſupra, & infra. Antecedens adhuc infra. Ibidem: intellectum creatum intelligere Diuina per hæc inferiora, & notandus locus hic ad plura: ergo diſtinctionem in Diuinis attributis, & relationibus ab eſſentia non in ipſis, ſed ab his inferioribus ſumit; Et in fine corporis quæſtionis ex D. Auguſtino, Deum quidem eſſe ſimpliciſſimam rem à nobis, tamen non poſſe, nec concipi, nec explicari, niſi complexè, & compoſitè: veriùs enim eſt Deus, quam cogitatur, & verius cogitatur, quam dicitur.

S. Thomas 1. par. quæſt. 28. art. 2. & quæſt. 39. art. 1., & 2. & 4. contra Gentes cap. 4. & de potentia quæſt. 8. art. 2. & q. 9. art. 1. & 1. Sentent. diſt. 33. art. 1. Magiſter Sent. in 1. diſt. 8. in fine, & tota diſt. 33. & 34. Alexander 1. par. quæſt. 56. memb. 2. & q. 68. memb. 5. art. 6. Albertus Magnus 1. par. quæſt. 39. memb. 2. art. 1. particula 2. & art. 2. & quæſt. 44. memb. 4. Henricus 2. par. ſummæ art. 56. quæſt. 4. præſertim ad argumenta, & quodlib. 5. quæſt. 6. & 7. Riccardus diſt. 33. art. 2. quæſt. 1. & diſt. 34. art. 1. quæſt. 1. & 2. Ægidius, & Argentina diſt. 33. quæſt. vnica art. 2. & 3. Greg. ibidem quæſt. 1. art. 2. Maior diſt. 26. & 7. Aureolus vberrimè in 1. diſt. 1. tota quæſt. 1. & diſt. 33. tota quæſt. 1. & diſt. 26. art. 1. propoſitione prima Capreolus diſt. 33. quæſt. 1. art. 1. & 3. præſertim ad argumenta Scoti. Ferrarienſis 4. contra Gentes cap. 14. Caietanus, Canarienſis, Bannes, & reliqui expoſitores D. Thom. præſertim in Articulum quæſt. 28. &c.

Sed primo, quid ſit, & quomodo intelligatur hæc rationis diſtinctio, animaduertẽdum ex huius ſententiæ doctoribus præcipuè D. Bonauenturæ q. 1. diſt. 34. licet ſupra quoque hæc res ſufficienter ſit declarata ex eodem ſancto Doctore diſt. 22. art. 2. Diſtinctio igitur rationis, de qua eſt noſtra, & vera ſententia eſt, quando non ſolum in conceptibus formalibus, quibus appræhendimus &c., ſed eſt in rationibus formalibus ipſis appræhenſis, ſeu in conceptibus obiectiuis, non ſimpliciter tamen, ſed comparatione ad ipſos conceptus formales appræhendentis: ita vt multiplicemus nos, & diuidamus conceptus de eadem re non multiplicata,

nec

nec diuiſa, aut ex ſe diſtincta, abſque vlla operatione intellectus noſtri; ſed tantum ab eodem intellectu diſtinctè, et veluti ſecundum partes, et incompletè concepta, et ſumpta, et eadem perfectiſſimè conceptibus reſpondente, eoſq. infinita ſua perfectione adæquatè verificante, et cauſante, et terminante, vt licet in obiecto non ſit actualis, et realis diſtinctio, abſque operatione intellectus, ſed ſit vnica res ſimpliciſſima ex ſe formaliter, eſt tamen ibi fundamentalis, et virtualis eminens diſtinctio, qua intellectus creatus de eodem obiecto infinitè perfecto ſemper verum cogitat, concipit, et affirmat, ſemper licet vero, tamen inadæquato conceptu; ita vt, verbi gratia, ſapientia, miſericordia, bonitas, eſſentia, perſona, in ſe non ſint vllo modo diſtinctę verè, ſed ratione diſtinctæ, tamen verè concipiantur, et veri ſint conceptus, et prædicationes humani intellectus; nam res illa infinita Dinina, ita verè eſt eſſentia, perſona, miſericordia, ſapientia, etc. ſub eadem ratione, ac ſi ſub diuerſa ratione, et diſtinctione: vnde intellectus, licet diuerſis conceptibus, verum tamen ſemper dicit, etenim verè eſt ſapientia, et perſona etc. Deus; Quare non ſolum eſt diſtinctio in conceptibus formalibus ſolum, vt dicunt Nominales, ſed in obiecto; non abſolutè tamen, et ſimpliciter, vt prætendunt Scotiſtæ, fortaſſe potius, quàm Scotus, ſed virtute, et vt in ordine ad conceptus formales, vt hæc diſtinctio fundamento ſit in eſſentia, effectiuè ab intellectu noſtro. Quod egregie docuit S. Doctor dum et nullam fieri compoſitionem, et diſtinctionem in re obiectiua, ſed in intellectu multiplicante conceptus, neque tamen fictos, ſed veros, et ſanos de eadem re adæquante: intellectus enim, lumine fidei, verè ſcit, Deum eſſe rem ſimpliciſsimam, licet eam niſi pluribus vicibus explicare non valeat.

Et hinc clariſsimè colligitur primo, quam verè S. Thom. quæſt. 13. art. 4. concluſerit plurima de Deo nomina non eſſe ſynonima, nam varios, et veros de Deo conceptus intellectus viatoris continent, ſignificant, et prædicant, quod verè ſufficit, ad euitandum ſynonimi vitium: habet enim huiuſmodi diſtinctio in intellectu, et in re, ex qua colliguntur ſpecies quibus intelligit, ideſt in rebus inferioribus, à quibus intelligendo dependet, et in obiecto, circa quod verſatur, extrinſecas has intellectus diſtinctiones admittens. ſecundo. Ideo plurima verè eſſe attributa de Deo, licet res vnica ſit ſignificata: nam varijs conceptionibus ab homine, Deo tribuuntur, vnde dicuntur attributa, ad ſignificandas perfectiones Dei obiectiuas, quæ eatenus variæ, et plures ſunt, quatenus obiectiuè, hoc eſt connotatiuè plurium conceptuum formalium. Quod confirmari, et colligi apertius poteſt ex attributi definitione: eſt enim primo perfectio Diuina naturalis, abſoluta, ſimpliciter, & formaliter in Deo exiſtens, inueſtigata à naturali ratione ex creaturis, affirmata per modum formæ adiacentis &c. dixi formaliter in Deo exiſtens, ad nō comprahendenda ea, quæ in Deo, niſi eminenter exiſtunt, vt homo, leo, cæteræq. omnes creaturæ. Dixi naturalis, ad ea excludenda, quæ non niſi liberè, & voluntariè (voluntate tamen Diuina, Deo conueniunt, vt creatio, conſeruatio, gubernatio &c.) dixi affirmata: nam ea, quæ negantur de Deo, vt eſſe ingenitū, immortalem &c. ratione negationum non ſunt attributa, ex Riccardo diſt. 8. art. 3. dixi abſoluta, nam relatiua non ſunt attributa; quia perfectiones attributorum debent eſſe communes; relatiua autem ſunt propria diſtinctarum perſonarū, denique ratione naturali ex creaturis &c. ex D. Paulo: *Inuiſibilia quidem ipſius à creatura mundi per ea, quæ facta ſunt intellecta cōſpiciuntur: ſempiterna quoq; virtus &c.* nō enim niſi in ordinatione ad creaturas, & ex creaturis eas & cognoſcimus, & de Deo affirmamus; quidquid aliqui dicant, per modum formæ, ſic ſapientia bonitas, & per modū actus, vt velle, intelligere &c. quocirca, vt nuperrimè ſupra, quæ de Deo dicũtur negatiuè ratione negationũ nō ſunt attributa. Hinc conſtruitur ad confitmandū, quod dicebatur, ratio. Attributū non tãtum eſt perfectio in Deo, ſed perfectio affirmata, & attributa: ſed tributio, & affirmatio eſt non in re, ſed in intellectu per medios conceptus formales tribuente conceptui obiectiuo *vnum alteri*, vel in voce, vel in ſcripto &c. ergo conceptus obiectiuus connotat formalem; ergo poteſt dici ad diſtinctionem formalis, diſtingui.

Neceſſariam autem huius diſtinctionis & horum multiplicium conceptuum originem, non tam ex fundamentis Scotiſtarum, quam ex Imperfectione, & modo intelligendi noſtri intellectus, in via nos ſtudioſè obſeruare tenemur. Sanctus Bonauentura multis locis, ſed præſertim quæſt. 2. diſt. 34. & clarius quæſt. 2. diſt. 22. & S. Tho. multis quoque locis, ſed in primis quæſt. 7. de potentia art. 6. hæc duo de intellectu noſtro intelligente tradunt. Primo; ſimpliciſſimam Dei perfectionem in varias, & plures perfectiones ab intellectu noſtro diſtingui, tum ex ſua limitata, & finita entitate, & virtute in operando, qua non poteſt vnico conceptu adæquato Deum infinitum concipere, ſed indiget multiplicare de eadem re infinita, conceptus, vt quaſi per partes, qui non habet partes; quo meliori poteſt modo, Deum intelligat; tum ex infinitè excedente obiecto, vt hic etiam obſeruat Riccardus. ſecundo, quia per ſpecies à creaturis realiter diſtinctis collectas intelligimus, quare perfectiones realiter diſtinctas in creaturis, Deum intelligendo, non poſſumus non reſpicere; quo fit, vt ſicut in creaturis virtutes diſtinctas inuenimus, ita ad inſtar earum diuinas conſideramus perfectiones: licet ex alio capite intellectus fidelis ſciat, & credat, omnia hæc in Deo ſimpliciter eſſe vnam ſimpliciſſimam rem. Quod idem nobis, in ipſis rebus creatis accidit: multa enim circa creata diſtinguimus per intellectum, quæ in ſe nequaquam diſtincta ſunt: ſed ita tamen, quia eodem genere, vel ſpecie in alijs inuenimus diſtincta: ita in homine diſtinguimus animal, & rationale, quia inuenimus in alijs animal ſine rationalitate. Probat Durandus in 1. diſt. 2. q. 3. num. 10., & deinceps, diſtinctionem rationis, vt omnino nō ſit ficta, debere habere aliquod fundamentum in re, quod cum in Deo, cum ſit ſimpliciſsima res habere

non

nõ potuit in diſtinctione creaturarũ debet habere:

Secundo. Non minus attentè debemus pro hac re, quo melius fieri poteſt intelligenda, ob oculos habere, quod D. Dionyſius Areopagita 2. De Diuinis nominibus, cap. 2. docuit, quod poſtea didicit, & tradidit Caiet. quæſt. 39. art. 1. & de ente, & eſſentia, quæſt. 12. natura Dinina eſt vnica ſumma, & infinita eminentiſſima perfectio, continens omnes perfectiones, partim diſtinctas per omnes creaturas. Nec poteſt dici, aut abſoluta præcisè, aut reſpectiua, aut vna ex his, aut mixta, aut reſultans, ſed eminentiſſima, formaliter complectens, & quod abſoluti eſt, & quod reſpectiui, & quod vnius attributi eſt, & quod alterius, & quod omnium, & quidquid perfectionis eſt; & oportet rem ita eſſe, alioquin nec eſſet ſumme ſimplex, nec infinitè perfecta, nec maximè vna. Poteſt declarari, & confirmari primo, ex duplici eſſe, vel modo eſſendi, quem habent formæ, & rationes rerum formales omnes; quorum vnus eſt in propria natura, alter in ſuperioris ordinis re, cui formaliter inſunt; v.g. forma, & vis, & ratio volendi, & intelligendi; & vis, & ratio virtutis diſſiccandi, alio modo hæc ſe habet in ſublunaribus his, alio modo in ſole: illa verò, alio modo in nobis, alio in Deo: nam vt ſunt in proprijs naturis à parte rei ſecundum ſe differunt ſaltem formaliter, ſecluſa omni intellectus operacione, tum ex imperfectione proprij ordinis cuiuſcumque rei, limitata, & determinata natura, vt vna non includatur in racione, & ordine alterius. Verum ſi eleuentur in ſuperiorem ordinem, ibique ponantur, ex eminentiori, & ſimpliciori natura illius ordinis, in ea ſicuti res inferius diſtinctæ, vniuocantur; ita, & rationes formales, abiecta, & quaſi exuta, & depoſita inferiori limitatione: ita virtus deſiccatiua elementaris differens à ratione calefactiua, ad ſolem eleuata, induit vnitatem formæ lucis, & vnitatem rationis formalis: quia lux ſolis ſub hac vnica ratione formali lucis, vtrumque præſtat. Idem, in anima rationali contemplari licet: diſtinctæ enim, & ſeparatæ formæ vegetandi, & ſentiendi in arbore, & animali, in ipſa vniuocantur ad vnum eſſe: hinc fit argumentum: ſi res plures inferiores ad nobiliorem creaturam, & ſuperioris ordinis vniuocantur, & identificantur: ergo multo magis, & incomparabili ratione perfectius, vniuocabuntur, & in ſimpliciorem vnionem vnientur, ſi eleuabuntur in Deum infinitè vnũ, infinitè ſimplicem, & infinitè perfectum. Probatur conſequentia. Dei eſſe, ex quo eſt ipſum eſſe ſubſiſtens, continet neceſſario, & omnem perfectionem eſſendi, & omnem conſequenter creaturarum perfectionem, & abſolutam, et relatiuam: hæc enim quoque, ſicut entitatem, et in Deo incommunicabilitatem, et vltimam actualitatem, ita, vt infra, perfectionem dicit, et eo modo, quo eſt, et perfectum eſt, et perfectiones identificat: at verò maximum ens, et ſummum, ergo maximè, et ſummè vnum, ergo ipſa vnitas, ergo perfectiones in vnitatem formalem, quæ eſt ſumma vnitas neceſſario redactæ credendæ ſunt. Secundo, verbum, et conceptus, quo Deus comprehendit, ſe ipſum intelligit, et concipit, vnus omnino eſt: ergo, et res intellecta vna, et ratio intelligendi: nam quo rationes obiectiuè multiplicantur; multiplicantur, et verba, et conceptus, & quo vnus conceptus abſolutè, vna quoque ratio obiectiua, neceſſario erit.

Prima concluſio. Relationes, et proprietates, et eadem ratione attributa, et intellectu, et conceptu, quem ſibi de aliqua re format mens, poſſunt ab eſſentia Diuina diſtingui, quidquid alij dixerint. Primo ex communi cæterorum omnium Theologorum ſententia, oppoſitum adeo ſentienti, vt Scotiſtæ, imò ex natura rei actu, Thomiſtæ ex natura rei virtute, et poteſtate, maiorem admittant diſtinctionem; ſecundo, ratione, et prima. multa nobis de vnico Deo ex diuerſitate, et creaturarum pluralitate obijciũtur: ergo intellectus noſter de Deo, poteſt plures cõceptus formare, & effingere. Antecedẽs patẽs eſt: queadmodũ enim plures creaturæ Diuinam diuerſimodè participant perfectionem, & variè inde repræſentant; ita varias ex his colligit intellectus de Deo ſpecies: conſequentia eadem ratione probatur; nam ſicut intellectus ideo intelligit, quia facta res eſt ſibi per ſpecies præſens, ita vario, & diuerſo modo intelligit, quia per varias ſpecies præſens eſt.

Obijcies, hanc rationem nihil probare de relationibus: non enim ſunt attributa, nec conſequenter, ex creaturarum ſpeciebus cognoſci poſſunt. Reſpondetur, non eſſe quidem attributa, tamen ſuppoſita fide, & ex creaturis, & per ſpecies conſequenter cognoſci poſſunt; anima nãmque rationalis eſt ad ſanctiſsimæ Trinitatis imaginem: & eiuſdem ineffabilis almæ Trinitatis, omnis creatura eſt veſtigium: & quamuis omnis creatura ſit à Deo, vt vno, & vna eſſentiali virtute producta: illa tamen vnica virtus potuit in creatura Trinitatis imaginem imprimere, ex qua per fidem reuelata poteſt mens fidelis ad cognoſcendam eam inſurgere, & manu duci. Alio autem capite relationes non ſunt attributa; nimirum, quia non ſunt communes, &c. Confirmari poteſt ex diuina Scriptura, quæ innumeris locis, tum verbis, tum ſymbolis ſanctiſsimæ Trinitatis myſterium, nobis ob mentis oculos ſtatuit, vt ſupra notarunt, & collegerunt Theologi, Gen. 3. *Faciamus hominem ad imaginem, &c.* Gen. 18. *Quando tres viri ad Abraam acceſſerunt*; vnde in hoc myſterio canit Eccleſia: *Tres vidit, & vnũ adorauit.* Gen. 31. Quando cũ Iacob per totam noctem luctebatur vir, qui erat Verbum Diuinum, aut Verbi repræſentator, vt colligitur ex contextu illius loci, & aſſeruerunt multi Patres, & docuit Conc. Syrmienſe hac parte Catholicum, & à Summo Pontifice confirmatum, vt inter alios habet, S. Hilar. de Synodis, ſumma Conciliorum, & obſeruat Paulus de Palatio in Oſeam Prophetam, & tandem Card. Baronius in Annalibus ſuis anno illius Concilij. alias Pontifex erraſſet, vt Pontifex in confirmatione illius Concilij; quod valde aborrere vidẽtur piorũ aures, & firmitati cathedræ Apoſtolicæ detogare, & Bellarm. lib. 1. Concil. c. 7. &c. ergo ex his varijs, & innumeris alijs locis diuerſæ ſpecies colligi poſſunt, & diuerti conceptus efformari, &c. Secundo, eadem res confirmari poteſt ex excedenti, & mirum in modum

dum

dum vincenti quamcumque potentiam creatam obiecto infinito ſanctiſsimæ Trinitatis: ſi enim vnico conceptu viator hoc ineffabile, & diuiniſsimum myſterium concipere non poteſt: ergo neceſſario pluribus: ergo ratione different.

Obijcies ſecundo. id quod perfectiſſimo modo, & formaliter, & intrinſecè vnum, & idem eſt, indiſtinguibile eſt, & per extrinſeca diſtingui non poteſt: huiuſmodi ſunc ſunt relariones Diuinæ cum eſſentia, vt probabitur vberius: ergo per intellectum exrrinſecum diſtingui non poſſunt; nec valet dicere per effectus, qui poſſunt eſſe varij connotatos, poſſe quoquomodo diſtingui; nam ipſi effectus non res dininæ diſtinguerentur. Reſpondetur, non per intellectum quidem, diſtingui intrinſecè quaſi Deus partibilis ſit, & quis adeo demens, vt præſumat, aut ſomniet hæc? ſed extrinſecè, ita intelligi, & non in ſe, ſed vt in intellectu concipiente, & diſtinguente, quod ſufficit ſatis ſuperq. eſt, ad diſtinctionem rationis ſundandam.

Quod ſi quis tandem opponat, Deum adeo ſimplicem eſſe, vt ne quidem intellectu oppoſitum cogitari poſſit: reſpondetur, hanc intellectus diſtinctionem, & rationis, omnino myſterio Diuino huic extrinſecam eſſe, nec officere, neque vmbram vllam Diuinæ ſimplicitati facere, & qui per intellectum, aut diſtinguit, aut poſſe diſtingni cogitat non minns honorificè de ea ſenrit. primo enim ſentit in ſe eſſe indiſtinguibilem, & oppoſitum inuoluere repugnantiam, nam ſumma ſimplicitas eſt Dei proprietas. ſecundo cogitat intellectum diſtinguere, non rem, ſed conceptus, qui ſunt rationis &c.

Quod ſi vltimo loco, huius opinionis Patroni vellenr, ideo hanc ſententiam diſtinctionis: etiam rarionis, eſſe impoſsibilem, & repugnare, quia Diuina eſſentia in ſuo conceptu formali, etiam relationes includit, vel ſaltem oppoſito modo relationes eſſentiam: tunc quoque adhuc in promptu eſſer reſponſio, quod in rem valdè dubiam infra tractandam, & valdè ab hac diuerſa opponunt, & vt in præſentiarum, ſufficit, iam data reſponſio, non eſt quæſtio de re, ſed de ratione, & intellectu diſtinguente &c.

Secunda Concluſio. Dininæ relationes, & perſonæ ab eſſentia, plnſquam ratione ratiocinante differunt, quidquid in oppoſirum dixerit Eunomius hæreticus, vt refert ſanctus Baſilius contra eum, & hæretici alij abſolutè reijcientes omnem rationis diſtinctionem, & qnidquid Præpoſitiuus, non tamen hæretico ſenſu aſſerens, nullo modo ratione, nec conceptu, ſed ſolo vocabulo, & nomine &c. & quidquid aliqui ex quibuſdam locis Patrum male intellectis fruſtra conentur perſuadere, vt videre licet apud Rniz diſput. 12. ſect. 1.: ſuppoſito, quod ſupra de diſtinctione ratiocinara diximus, & quod hic addimus. primo requiri plutalitatem conceptnnm. ſecundo rei cognitæ verè conuenire plura prædicata, quæ conceptibus ſignificantur. tertio rem eandem melius explicari, & intelligi pluribus conceptibus, quam vnico: tunc primo perſuadetur concluſio ex Concilio Florentino, vbi traditur ſubſtantiam, & perſonam Diuinam differre, ſecundum modum intellectionis noſtræ, & ſola ratione. deinde ex D. Iuſtino in expoſitione Fidei de Trinitate: *Quod ingenitus, genitus, procedens, non ſignificent ipſam eſſentiam, ſed ſubſiſtentias, & eſſendi modos determinent.* ſequitur enim: ergo conceptus eſſentiæ ſunt diſtincti à conceptibus perſonarum, & relationum. Ex D. Baſilio indicato iam loco ſupra. *Quicumque repentina comprahenſione ſimplicia videntur ac vnica, varia verò, ac multiplicia ſi ſubtilius exquiruntur, hæc cum mente diuidantur, ſola opinione diuiſa dicuntur.* Ex D. Gregorio Niſſeno lib. de differentia eſſentiæ, & hypoſtaſis, hæc nomina differre ſignificatione, & ratione. Ex Diuo Nazianzeno oratione 44. in Penr. num. 14. *Omnia quæcumque Pater habet ſunt Filij præterquam, quod ingenitus non eſt; Omnia quæcumque Filius, Spiritus ſancti ſunt, ſi generationem exceperis. hæc porrò nequaquam ſubſtantiam ſecernunt, verum circa ſubſtantiam ſecernuntur &c.* orat. autem 32. declarauit ſecerni circa ſubſtantiam eſſe diſtingui per rationem. Ex D. Auguſt. 7. de Trinit. cap. 1. *Omnis eſſentia, quæ relatiuè dicitur eſt etiam aliquid excepto relatiuo, ſicut homo Dominus, homo ſeruus &c.* ergo, & Pater in Diuinis eſt aliquid ad ſe, ſcilicet Deus, vt poſsit dici relatiuè ad Filium. & cap. 2. *Non eo Verbum, quo ſapientia, quia Verbum nō ad ſe dicitur, ſed tantum relatiuum ad eum, cuius eſt Verbū ſicut Filius ad Patrem: ſapientia verò eo quo eſſentia,* & cap. 4. *ſi autē aliud eſt Deo eſſe, aliud ſubſiſtere; ſicut aliud Deo eſſe, aliud Patrem eſſe, vel Dominum eſſe: quod enim eſt, ad ſe dicitur: Pater autem ad Filium, & Dominus ad ſeruientem creaturam dicitur &c.* eodem tamen lib. 7. declarat non eſſe aliud Deo eſſe, aliud perſonam eſſe; quibus diuerſis locis certo deducitur non eſſe aliud re, ſed ratione. Ex eodem in Pſal. 68. ad illa verba: *Et non eſt ſubſtantia. Quidquid,* inqnit, *eſt Pater, quod Deus eſt, hoc Filius eſt, hoc Spiritus ſanctus: cum autem Pater eſt non illud eſt, quod ad ſe eſt. Pater enim non ad ſe, ſed ad Filium dicitur, ad ſe autē Deus dicitur, itaque eo, quod Deus eſt hoc ipſo ſubſtantia eſt, & quia eiuſdem ſubſtantiæ Filius; proculdubio, & Filius Deus eſt,* & multis alijs proculdubio colligitur, idem eſſe re perſonam, & eſſentiā; differre verò rationem, & conceptu, idem ſerm. 30. de tempore, & 5. de Trinitate cap. 5. ex D. Cyrillo. Dialogo de Trinit. lib. 5. *Nonne melius, & magis rationabile videtur putare quidem Deum, naturam ſimplicem gerentemq. ſe, & operantem vario modo.* Ex D. Damaſceno lib. 1 fidei cap. 11. *Secundum omnia,* inquit, *vnum ſunt Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, præter, ſi ita dicamus ingignentiam, gignentiam, & proceſſionem.* Ratione autem, & intelligentia hoc diſtinctum &c. ſcilicet à Deitate, vt ſtatim ipſe probat. Idem ſuſius lib. 3. c. 6. ex D. Chryſoſtomo hom. 1. in Ioannem, & hom. 2. ad Hebræos in epiſtola ex D. Ambroſio lib. de Incarnatione cap. 9. ex Theodoreto lib. 4. hæreticarum ſabularum, & innnmeris alijs locis, & Patribus. idem perſnadetur ex communi Theologorum ſententia.

Deinde

Deinde probatur rationibus; nam alias nomina, tum attributorum, tum relationum ab eſſentia, quæ in Diuina Scriptura plurima ſunt, eſſent omnino ſynonima, & ſubinde ſacra Scriptura plena nugationibus, & battollogieis propoſitionibus inueniretur, quod indignum nimis eſt, & ipſius maieſtati tot myſteria, ex fœcunditate Spiritus Sancti continenti, & communi ſanctorum Patrum aſſertioni, & commentationi vehementer repugnaret. Tertio ex infinita perfectione obiecti Diuini, adæquante, quæcumque infinitia, vt ita dicam nominibus prædicamus de Deo. Quarto, voces ex Ariſt., ſunt notæ eorum, quæ ſunt in anima: ſed plurimos, eosq. diuerſos, non ſolum pluralitate diuerſarum virtute formalium rationum obiectiuarum, ſed ex diuerſitate rerum; vnde ducitur cognitio: ergo nomina plura, & voces de Deo non ſunt ſynonimæ, ſed propriæ, & immediatè de eodē ſubiecto ſignificant attributa: ergo diſtinguuntur ratione ratiocinata: ergo multo magis relationes. Probatur vltima conſequentia, nā relationes, præter abſolutum, & eſſe (*In*) quod habent, pariter, & habent eſſe (*Ad*) ſibi proprium, quo neceſſario quoquomodo, & magis in eodem genere diſtinctionis, differunt. Confirmatur. Relatio, & eſſentia in Patre reperitur, in quo non eſt, aut eſſe poteſt filiatio: liquido conſtat, & hoc eſt fundamentum diſtinctionis, & maioris, quam inter attributa inter quæ nullum ſimile diſcrimen reperitur, quod, vt ſupra notaui, docuit S.Bonauentura diſt.26. art. 1. ad quartum: nam idem prædicatum, quod affirmatur de relatione, negatur de eſſentia Diuina, & è contra: ergo pluſquam ratione differunt ad inuicem ratiocinante; antecedens conſtat, nam de eſſentia aſſeritur abſolutum, & ad ſe, de relatione, ad aliud, de eſſentia communicabile, de relatione, & perſona, incommunicabile, &c. conſequentia quoque: nam alias verificarentur contradictoria de eodem, & ſub eadem ratione: quæ tamen tollitur per ſolam diſtinctionem conceptuum fundamentum habentium in reali Dei perfectione. Sexto, Deitas, & relatio magis explicatur, & perfectiua diſtinctis prædicatis, & conceptibus abſolutis, & relatiuis, quam altero tantum eorum, vt probat S.Thom. quæſt. 28. art. 2. ad 2. & ad 3. ergo ita dicendum: ergo rationabilius ratione ratiocinata, quam ratiocinante dicuntur differre.

Tertia concluſio. Relatio, & perſonalitas, eſt modus, & differt ſicut modus, ſecundum rationem, & rectum ordinem intelligendi Diuinæ ſubſtantiæ: ita docuit D.Bonauentura ſupra diſt. 25. q. 2. prope finem, & diſt. 16. par. 2. art. 1. ad 3., & alibi: ita Alexander 1. par. quæſt. 44. in corpore, & ad quintum, & quæſt. 49. memb. 2. Albertus 1. par. quæſt. 44. membro 2., Riccardus diſt. 2. art. 2. quæſt. 3. Marſilius quæſt. 3. art. 3. ad 8.: Riccardus Victorinus lib. 4. de Trinit. cap. 19. dum probat perſonas Diuinas diſtingui: quia quamuis vtriſque ſit vnus modus eſſendi, non tamen vtriſque eſt vnus modus exiſtendi, & cap. 24. perſonam diffiniens, eſt inquit exiſtens per ſe ſolum iuxta ſingularem quendam rationalis exiſtentiæ modum. Probatur verò omne commune, atque indifferens modificatur per proprietates peculiares, & veluti indiuiduales: ſed Diuina eſſentia eſt communis tribus, & modificatur, & determinatur per proprietates: ergo proprietates differunt, ſicut modus. Secundo, ſubſiſtentia perſonalis, eſt terminus eſſentiæ: ergo modus vis huius rationis, vberius explicabitur ſuo proprio loco infra. Tertio, eſt modus dicendi ſanctorum Patrum, D. Iuſtini in expoſitione fidei de Trinitate, ferè in initio. Ingenitum, genitum, & procedentem, nomina non ad eſſentiam attinere, ſed ad modos ſubſiſtentiæ, fatetur. D. Baſilij lib. 4. contra Eunominm. Ingenitum, & innaſcibilem, eſſe modum ſubſtantię vocat, idem lib. 5. paulò poſt medium. Nazianz. orat. 29. ſimul, atque Pater ingenite erat; Filius quoque genite erat, quibus modis dicendi explicat modos exiſtendi. D. Cyrilli Dialogis de Trinit. lib. 1. In Patre, & Filio modum quendam, & differentiam deducit, & alibi clarius, ſcilicet lib. 2. columna 4. & lib. 7. prope medium. *Proprietas, inquit, non qua diuinitatem indicat, ſed qua benè ſignificat quis modus exiſtentiæ ſingulorum nominatorum, à nobis intelligatur.* D. Damaſceni lib. 1. fidei cap. 9. *Spiritus Sanctus à Patre procedit, non tamen per generationem, ſed per proceſſionem; alius autem hic ſubſiſtendi modus incomprehenſibilis.* & cap. 11. Poſt quædam verba concludit: *exiſtentiæ modum differentiam intelligimus.* & cap. 13. *De eiſdem relationibus non ſubſtantia ſunt inditia, ſed habitudinis ad inuicem, & modi ſubſiſtendi.*

Quarta concluſio. In eſſentia Diuina relationes, ſcilicet Paternitas, Filiatio, & Spiritus ſancti ſpiratio actiua, & paſſiua, licet verè, & formaliter ſint; ita tamen ſunt formaliter, vt ſint etiam eminenter, neque ab eſſentia formaliter, & ex natura rei differant. Prima pars huius concluſionis adeo certa eſt, vt inter Doctores Catholicos, nulla poſſit eſſe controuerſia: Eſt enim æquè de fide, ac totum myſterium Sanctiſsimæ Trinitatis, omnibus illis diuinarum Scripturarum locis, & Conciliorū, quibus Diuinæ perſonæ aſſeruntur, & de his decernitur. Vnde in Symbolo Athanaſij vniuerſa canit Eccleſia. *Hæc eſt fidei Catholica, vt vnum Deum in Trinitate, & Trinitatem in vnitate veneremur.* Secunda verò pars primo declaratur. Dicitur relatio in eſſe eſſentiæ primo formaliter, quia verè, & propriè, ac perfectè ineſt, additur tamen eminenter, quia licet ibi ſit adeo formaliter, vt omni perfectiſſimo modo, non tamen actu diſtinctæ, ſed in vna perfectiſsima, & eminentiſſima vnitatis ratione, vt competit Diuinę perfectioni; qua, quæcumque intelligi poſſunt, & dici de Deo, hac vnitate contineantur, virtute ſola diſtinctæ adeo, ſcilicet perfectè, verè, ac ſi eſſent diſtincta, & idcirco adæquare, omnes diſtinctiones, & prædicationes, quæ de eo infinitæ fieri poſſunt, ac ſi ſimpliciter, ac formaliter ex natura rei eſſent diſtinctæ, & hoc eſt eminenter; hæc enim vox illum modum, quem Diuinam decet naturam exiſtendi, vt eminentiori modo, ac perfectiori, quam intelligi poſsit, ſignificat. Vnica namque res illa Diuina, illimitata, & infinita, eminentia perfecta, omnibus etiam, & infinitis prædicatis, & pluribus, quam

dici

Digitized by Google

dici poſſunt perfectiſſima adæquat, nec minorem vim habet eſſentia Diuina, eodem modo infinita terminandi, ac verificandi &c. ac ſi in ea eſſet formalis diſtinctio, imò, vt ſic dicam, maiorem, ſcilicet digniorem, & nobiliorem. modo probatur & primo omnibus illis locis, & rationibus, quibus ſupra identitas realis probata eſt, & ab omnibus huius ſententiæ Auctoribus ad hanc quoque identitatem formalem confirmandam tanta aſſertione afferuntur, vt ex illis non deſint, qui non timeant, his præcipuè Conciliorum locis, oppoſitam ſententiam, non omnino tutam in fide derelinquere. Quod tamen, vt ſupra etiam docuimus, de tanto Theologo dico Scoto, præſertim de Theologia optimè merito non dicendum cenſeo, vt ijs locis ſupra recenſitis huic opinioni, inferendum ſit hoc crimen, aut hæreſis, aut erroris, aut temeritatis, ſed dũtaxat falſitatis, & minoris reuerentiæ quam ſummam ſimplicitatem, & vnitatem deceat. præter Concilia ſupra relata, Florentinum, Lateranenſe, Rhemenſe, licet hoc quo ad confeſſionem fidei non fuerit confirmatum, vt refert ſupra citato loco Epiſcopus Otho: ſunt innumeri Patres à recẽtioribus relati, præſertim poſt alios à Didaco de Montoia tom. de Trinitate diſput. 11. ſect. 3. & probatur primo rationibus. In Deo neceſſario ponenda ſumma vnitas: ergo formalis. De antecedente huius enthymematis, ita ſentit S. Doctor diſt. 34. q. 2. in corpore, vbi aſſerit in Deo, eſt ſumma identitas. diſt. 43. q. 1. Verſans, & declarans, ac ſuſtinens hanc neceſſariam concluſionem: Potentia Dei eſt infinita, virtute, actu, & habitu inter alias rationes hanc adducit à priori. *Propter ſummam indiuiſionem virtutis cum eſſentia, & propter ſummam vnitatem ipſius virtutis, ideo vbicumq; poteſt, tota poteſt, & tantũ in extrema mundi parte, quantum in medio, & tantum in ſummo, quantum &c.* & omni modo infinitatis, & ita, & ſummam virtutem, & inde infinitam in Deo ponit, vt qui in minimo læderet vnitatem, quaſi per diſtinctionem, etiam formalem à parte rei omnipotentem quoque, & infinitam virtutem Dei ineuitabili conſequentia læderet, & minueret. Et poſt pauca, eadem q. 1. omnino aſſerit idem eſſe ſimplicitatem, & vnitatem his verbis. *Potentia eſt omnino ſimplex omnino indifferens, & omnimoda vnione vnitiſſima: ergo infinita*: ergo, colligo ego, ſicut ſummè ſimplex, ità maximè vnus: ratio eſt, quia ſimplicitas eſt vnitas: ergo, quod derogat vnitati, derogat, & ſimplicitati. Diſt. 24. q. 1, in argumentis affirmatiuis. eo modo quo res eſt, eodem eſt vna: ergo à quo ens Diuinum eſt, vnum pariter eſt. Rurſus, vnum eſt de perfectione entis, & quo perfectius ens, eo magis vnum, vndè infinitè perfectum, eſt ens Diuinum: ergo infinitè vnum: vnde in corpore, vnum de Deo concludit poſitiuè dici, & ſubinde perfectionem neceſſario in Deo ſummam ponere: nam in reſponſione ad argumenta dicit: vnitas in Deo eſt perfectiſſima, & accipitur, ſecundum omnimodam priuationem multitudinis ita quoque Alexander quæſt. 13, memb. 1. & 2. ens cognoſci vnum per poſteriorem negationem, ideſt à poſteriori, quia non habet cauſam ſuperiorem, per quam probetur, & ideo vnum negatiuè in ratione innoteſcendi; nam cognoſcitur quatenus diuiſum ab alijs, vbi videtur optimè interpretari Ariſt. 5. Metaph. cap. 6. *quæ diuiſionem non habent, dici vnum*; nimirum non quia hæc præciſa ratio ſit vnius, ſed hinc cognoſcitur, vnde certo ſupponit, vnum dicere perfectionem quemadmodum, & Scotus 4. Metaph. aſſerit vnum importare perfectionem ad ens, ergo infinitam in Deo, & S. Tho. quæſt. 11. art. 3. quod Deus eſt maximè vnus: quia maximè ſimplex. Vbi licet art. 1. vnitatis rationem in negatione diuiſionis poſuerit, ſupponit tamen poſitionem, & perfectionem: ideo enim indiuiſum actu, & potentia, quia in Deo eſt ipſum eſſe. & idem S. Bonauentura diſt. 33. art. 1. in fundamentis, vt etiam in Commentario tetigi, omne ſimpliciſſimum, eſt, quod habet: & omne perfectiſſimum eſt, id quo perficitur: & omne ſimpliciter primum, eſt quidquid habet, vt de primo habet D. Auguſt. 11. de Ciuit. Dei cap. 10. de ſecundo, idem 6. de Trinit. cap. 6. de tertio patet ratio conuincens. ſi ergo vnitas in Deo dicit perfectionem, quæ eſt tranſcendens erit vniuerſitatis, & vt ait Ioannes Picus de ente, & vno ex D. Dionyſio Areopag. cap. 2. de Diuinis nominibus totius proprietatis identitatem omnia ſuperantem, & ibidem, vnitatem perſonarum in eſſentia eſſe ſummam, & omnem coniunctionem corporalem, & ſpiritualem ſuperare, ex his inquam, Ioannes Picus. Deus eſt vnus, quia vnicè continet omnia, & eo vnus, quo ens, vt vnitas dicat modum perfectionis entis, & ſicut ipſum ens, & omne ens, ita ipſa perfectio, & omnis, & ſumma perfectio; & D. Bernardus lib. 5. de conſideratione: perſonarum, proprietates nõ aliud quam perſonas & perſonas ipſas non aliud quam ipſam eſſentiam, & ſubſtantiam vnam, vnam Diuinam naturam, fides catholica docet. Quo circa ad vim argumentationis, iam propoſitæ accedendo, quæ erat, Deus eſt maximè vnus: ergo formaliter vnus, infero eſſe optimam argumentationem, & antecedens ea certitudine certum, & eo modo, quo certum eſt Deum eſſe, & eſſe ipſum, & primum, & perfectiſsimum, & ſimpliciſſimum ens, Conſequentia verò primo probatur ex Scoto ſupra, vbi enumerans ex gradibus vnitatis, poſtremum, & ſummum gradum ponit vnitatem formalẽ: ergo inquam ex ipſo Scoto debetur Deo vnitas formalis, ergo à parte rei diſtinctio formalis in Deo ſummæ perfectioni vnitati, ſimplicitati, infinitati virtutis derogat. tertiò vnitas ab ente creato, aut differt formaliter; aut non: ſi non differt: ergo, neq; in Deo: nam non minus vnum debet eſſe, eſſe infinitum, & increatum, quam creatum; ſi differt: ergo in Deo non debet differre, ſicut enim perfectius ens eſt ipſum ens; ita magis vnum debet eſſe: ergo formaliter idem, & vnum; nam inter identitatem realem, & formalem nullus medius gradus intercedit. fortis vtraque conſequentia: tamen, quia fortior videtur prima, antecedens huius conſequentiæ ſuſcipio probandum

Ariſt. 4. Metaph. cap. 2. Ens, & vnum non ſunt diuerſæ naturæ, ſed vna, & eadem. Quod ſi diſtincta entitas, & realitas poneretur; ita vt ens ſe ipſo non eſſet vnum, quærenda eſſet alia realitas, qua eſſet vna, & de hac alia, vſque in infinitum, vt optimè deducebat contra Auicennam, S. Tho. quæſt. 11. art. 1. ad primum: ergo vnaquæque res, eo ipſo, quod eſt ſine vllo ſuperaddito intelligitur vna, alias ens non eſſet vnum ens, ſed entia, & in Deo: ergo qua ratione ſummum ens, eadem ſummè vnum: & aliud cogitare omnino otioſi eſt animi, & diſtinctionibus tantummodo nimis addicti: ergo à parte rei vnitas non dicit quid diſtinctum ab ente, & eo probatur, quo rem non eſſe plures res probatur, & eo quoque eſſe vnam; nam eatenus eſt vna, quatenus non eſt plures, & hæc eſt ratio formalis vnius: vnum enim opponitur multitudini: & ſola inductione probatur. Vnaquæque entitas, vel generica, vel ſpecifica, vel denique indiuidua, vel quanta continua, vel diſcreta, eſt ita talis, quia non eſt plures. patet: nam demonſtrata natura generica animalis, vel ſpecifica hominis, vel indiuidua Petri, eo ſtatim patet, quod non ſunt plura genera animalis, vel ſpecies hominis, vel indiuidua Petri, &c.: ergo ratio formalis vnius eſt rem ipſam eſſe: ergo, & in ente perfectiſſimo Diuino, & multo magis.

De quo ſolo probo adhuc. De ratione entis Diuini eſt, quod ſit improductum, primum, ſummum, & ſimpliciter neceſſarium: ergo de ratione quoque eiuſdem eſt, quod ſit vnum: ergo formaliter, vtraque conſequentia metaphyſico eſt aperta; quod eſt de ratione alicuius certum eſt eidem competere per ſe primo, & formaliter: deducunt latè, & vberrimè probant Metaphyſici. ex D. Bonauentura diſt. 35. & diſt. 2. quæſt. prima; vbi aſſerit Deum eſſe, non poſſe intelligi, niſi intelligatur, vt vnus, In reſponſione ad argumenta. & diſt. 23. art. 3. vbi aſſerit nos non poſſe intelligere vnum, niſi intelligamus, quod eſt, & quo eſt, in corpore quæſtionis. & ex Diuo Thoma prima parte, quæſt. 11. art. 3. & ex Alexandro prima parte, quæſt. 14. membro 2. Non enim poſſunt dari duo entia ſimpliciter prima, quæ ſint à ſe: neutrum enim eſſet abſolutè primum, neque ſimpliciter in perfectione æquale: neque erit perfectiſſimum, & ſummum, & ſi etit ab alio, aliud habebit factorem, & productorem, & ita non erit à ſe, neque neceſſarium, vlla ratione, neque ipſum ens, neque Deus, Confirmari poteſt ab effectibus, & ex ſupremo dominio veri Dei in omnem creaturam. Secundo ex cauſa finali, quæ non eſſe poteſt, niſi vna eadem neceſsitate, qua non poteſt eſſe niſi vnum principium: non enim verè eſſet vltimus finis niſi eſſet vnus, ſicuti neque primum principium ſi non eſſet vnum. *Ego ſum Alpha, & Omega*, Apoc. cap. 1. *Altiſſimus, omnia propter ſemetipſum operatus eſt*. Prouerb. cap. 16. Tertio. Neque ſuper omnia diligi poſſet Deus, & ex toto corde, vt tamen præcipitur vbique locorum in diuinis Litteris, ſi non eſſet vnus: SI enim duo eſſent, neuter ſuper omnia diligeretur, ſi æquè diligeretur. Si verò vnus tantum, ille ſolus eſſet Deus, qui ſuper omnia, &c. Quare in diuinis Litteris, dum de colendo, & diligendo Deo ſuper omnia præceptum fertur, rectiſsima ratione annectitur, Deum eſſe vnum. Deuter. cap. 6. *Audi Iſrael, Dominus Deus tuus vnus eſt Deus, & non eſt alius præter eum*. 1. Reg. 2. *Non eſt ſanctus, vt eſt Dominus, nec enim eſt alius extra te*. Pſalm. 17. *Quis Deus præter Deum noſtrum*? Pſalm. 83. *Tu es Deus ſolus*. Sap. c. 12. *Non eſt alius, quam tu*. & Matthæi cap. 22. Ieſus Chriſtus teſtatur, ſcribam illum ſapientiſsime deduxiſſe, Deũ toto corde diligendum, quia ex Deuter. decernitur eſſe vnũ: ergo vndequaque Deus, vt ſic, & formaliter, eſt vnus.

Sed magis ad rem accedendum, & arguo ſecunda præcipua argumentatione ex doctrina eiuſdem Scoti citato loco diſt. 2. quæſt. 7. formalem diſtinctionem nominat etiam virtualem, & quid velit, hac voce dicere, ſe ipſum explicans, reſp. Suam, ſcilicet diſtinctionem formalem; ideo dici etiam virtualem, quia illud, quod habet talem diſtinctionem in ſe non habet rem, & rem, ſed eſt vna res habens virtualiter, ſiue eminenter quaſi duas realitates: quia vtrique realitati, vt eſt in illa re competit illud preprium, quod ineſt tali realitati, ac ſi ipſa eſſet res diſtincta: ita enim hæc realitas, ideſt relatio diſtinguit, & illa, ſcilicet eſſentia non diſtinguit, ac ſi eſſet vna iſta, vna res, & illa alia, &c. Quibus mirum, quam clarè, & enucleatè, ita veram, & perfectam eſſe hanc diſtinctionem formalem inter quidditatem, & quidditatem, quam illam inter rem, & rem; quibus ſic argumentor. Primo, realis diſtinctio arcenda de fide eſt à Diuinis, vbi non obniat oppoſitio relatiua, quia Diuinæ ſimplicitate obeſt, & repugnat: ergo, & hæc formalis. Probatur conſequentia: nam æquè perfectè diſtinguit ex Scoto, & ideo virtualis vocatur, ac illa. Dices æquè perfectè in ſuo genere, ſcilicet formalis diſtinctionis; non tamen ſicut realis: ab ea enim diſtinguitur, & minor eſt. Contra. Primo, quia diſtinctio formalis hoc modo eſt realis tranſcendentalis, & probatur: nam vbi actu eſt alia, & alia quidditas, eſt actu aliud, & aliud ens tranſcendentale: nam ens ſignificat vtrumque, & eſſentiam, & quidditatem: & vbi eſt aliud, & aliud, eſt alia, & alia res: res enim, & ens conuertuntur: ergo vbi plures quidditates, ibi plures res: ergo vbi diſtinctio formalis, ibi quoque diſtinctio realis. Confirmatur, nam perſonalitas ex Scoto eſt alia quidditas à quidditate eſſentiæ: ergo alia quidditas erit realiter. Conſequentia videtur certa: nam inter ens reale, & rationis non datur, nec poteſt dari medium. Secundo ex adducto fundamento Scoti diſtinctiua perſonalitatis, & eſſentiæ, ſunt tam perfecta, quam diſtinctiua perſonarum ad inuicem: nam æquè actu ſunt illa, ſicut iſta, & diſtinctiua perſonarum ſunt tres relationes oppoſitæ: & perſonæ, & eſſentiæ ſunt quidditas ex natura rei,

& ita

& ita perfecta, & perfectè diſtinctiua eſt quidditas eſsentiæ, & relationis, ſicut relatio Paternitatis, & filiationis; cum in Diuinis nihil ſit magis, & minus: ergo tam erit perfecta diſtinctio inter eſſentiam,& perſonam,ſicut inter perſonam, & perſonam. Quod ſi arguas non tanta diſtinctione diſtinguere poſſunt illa, quia eſſentia,& relatio non poſſunt ſeparari: poſſibilis autem ſeparatio, eſt de ratione diſtinctionis realis. Reſp. neque perſonas Diuinas poſſe ad inuicem ſeparari, & tamen realiter diſtingui.

Tertio his ſuppoſitis fortiori argumentatione vrgeo,& eſt D. Bernardi ſupra,contra Porretanum imitata,& collecta,& repetita à Theologis præſertim SS. Bonau.& Thom. Si relatio,& perſona quidditatiuè,& formaliter differt à Diuina eſſentia: ergo perſona Diuina quidditatiuè intrinſecè, & eſſentialiter non eſt Deus: nam non eſt de quidditate, & eſſentia Dei: imò ex ſuperiori argumento realiter differt ab eo,& conſequenter eſt creatura: nam quod non eſt vera eſſentia, vel de eſſentia Dei, eſt infra Deũ, & Dei effectus, & probatur ex alio capite: nam verè tunc finitum ens eſt perſona, nam conſtat ex eſſentia,quæ intrinſecè cum non habeat perfectionem perſonæ, nec perſonæ quidditas perfectionem eſſentiæ finita eſt vtraque: duo verò finita non faciunt infinita. Secundo verè eſſet compoſita perſona,ſicut creatura,& Angelus: non minus enim componunt variæ quidditates formales in perſona, quam genus, & differentia in Angelo; ſunt etenim, & hæ variæ quidditates formales.

Quarto. Denique Diuina eſſentia propter ſuam infinitam, & illimitatam perfectionem identificat ſibi realiter,quæ ad inuicem differunt realiter, idq. de fide ex cap. Damnamus. Ergo, vel æquè, vel multo magis debet ſibi identificare formaliter eaſdem relationes,quæ differunt formaliter. Probatur, tum quia non eſt vnum, alio mirabilius. Secundo, quia non minus perfecta eſſentia in hoc, quam in illo. Tertio denique, quia hoc facilius captu videtur: ſicut enim, quæ tantum formaliter diſtant, & idem ſunt realiter minus diſtant, quam,quæ realiter ita facilior, & intelligibilior videtur, vt ita dicam, identificatio.

Obijcies ex alio capite neceſſario hæc diſtinctio, ſuſtinenda, ne redeat in Paradoxon Sanctiſsimæ Trinitatis myſterium. Si in Deo nulla datur actualis diſtinctio: erunt verè contradictoriæ, & impoſsibiles propoſitiones: idem enim formaliter,& erit communicabile,& incommunicabile; & ad ſe, & ad aliud, & idem principium formale erit, quo,& conueniunt,& diſtinguuntur perſonæ,nimirum eſſentia Diuina ſi idem formaliter cum proprietate. Confirmari poteſt argumento quodam Aureoli, quem referunt, & ſoluunt Capreolus 1. Sent. diſt. 2. quæſt. 3. & Caiet. 1. par. quæſt. 39. art. primo: vt aliquid actu ſine repugnantia affirmetur, & negetur de eadem re neceſſario actu præcedere debet veluti actualis effectus cauſa actualis: ergo,& de eadem Diuina eſſentia, vt rectè affirmetur verè eſſe communicabilem, & negetur eſſe incommunicabilem, debet neceſſario dare actualis aliqua diſtinctio ſi non realis ſaltem formalis.

Reſpondeo. multa digna ſcitu deſiderare hanc obiectionem infra ad argumenta referenda: ſed hoc loco duo ſufficiant. Primum,ad quod prætendunt Scoti Diſcipuli potius quam Scotus, non ſufficit diſtinctio formalis ad tollendas illas, quas vocant contradictiones de Diuina eadem, indiuiduaque eſſentia: Si enim eadem numero omnino eſſentia, & communicabilis, & incommunicabilis tealiter eſt à parte rei, debet præcedere realis diſtinctio: tota enim eſſentia communicatur, & tota incommunicata eſt in perſona, verè identificatas habens realiter omnes quidditates, & vt vna, & ſub eadem tealitate contradictoria verificantur. Quare, aut nulla actualis diſtinctio requirenda, aut maior, quam formalis. Cum ergo hæc diſtinctio contra ſanctorum Theologorum, & veterum Doctorum aſſerta, & non arridens Conciliorum dogmatibus, & non ea, quæ Diuino enti ſimpliciter primo, improducto ſummo, maximè vni, &c. debetur, religione, & reuerentia, & inutiliter, & incaſſum neſcio, nec diuinare vllo modo valeo, cur etiam contra Theologorum torrentem, & fortaſſe contra Magiſtri Scoti mentem,quidam maximè noſtris temporibus adeo pro ea laborent, anhelent, & deſudent, & veluti de re quaſi, ad fidem ſpectante, & maximi momenti pro Theologia, & Eccleſia viſcera ferè videantur, velle effundere; neque à nobis hunc oppoſitæ opinionis tuendæ ardorem addiſcant: Zelamus enim, nos Dei Optimi Maximi ſimplicitatem, & vnitatem, & Scripturarum, & ſanctorum Conciliorum propriam, & ſimplicem, & vt à Spiritu Sancto prolatam phraſim tueri, & interpretari, non ſine maxima neceſſitate, & maximis Magiſtris ad improprium, & difficiliorem, & non arridentem ſenſum diſtrahendam: quod tamen verè, & pluſquam certo ab aduerſarijs fit, dum in quacumque ferè propoſitione de Deo affirmatiua intermiſcent hanc diſtinctionem formalem, vt ſi dicit in diuinis Litteris Spiritus Sanctus Deus eſt bonus potens; Pater, Filius, & ſexcenta id genus loca, & ſimiliter Deitas eſt Pater, vel Deus eſt Paternitas, &c. ſemper improprius fit ſermo, neque verus per ſe, imò in rigore falſus, quod non videtur ſuſtinere ſanctarum Scripturarum dignitas: non enim millies (aiunt) verus eſt formaliter, nam bonitas relatio, differt formaliter à Diuina eſſentia.

Secundum, quod reſpondeo eſt citato loco Caiet. Ad hoc, ſcilicet, vt de eodem aliquid negetur, & affirmetur ſine contradictione, requiritur quidem neceſſario in eo diſtinctio veluti cauſa veritatis huiuſce affirmationis, & negationis, & diſtinctio actu: non tamen oportet, vt ſit actu diſtincta: ſufficit enim virtute, hoc eſt, vt actu habeat virtutem diſtinguendi licet in ſe non ſit diſtincta: ſicuti ad hoc, vt hic effectus habeatur non eſt neceſſe, vt cauſa ad hunc effectum ſit vniuoca, ſed ſufficit, vt ſit ſufficiens ad hunc effectum producendum; vel vniuoca, vel æquiuoca. Exempli gratia; calor, vt actu producatur, non eſt neceſſe, vt ab igne tantum actu cali-

Digitized by Google

do producatur, ſed à ſole etiam tantum virtute calido, produci poteſt: ita maximè ad rem, vt verificetur de eodem, negatio, & affirmatio, non eſt neceſſaria cauſa diſtinguens, actu diſtincta, ſed ſufficit virtute propter eminentiam virtutis.

Quinto. Si relatio, vel proprietas perſonalis diſtingueretur ante conſiderationem intellectus, quocumque modo ſequeretur, in Deo reperiri quaternitatem rerum, contra capitulum Damnamus de ſumma Trinit. probatur conſequentia; nam ibi prohibetur quilibet talis diſtinctio; quippe quæ ſummæ identitati, & ſimplicitati repugnat: in Deo enim, inquit, ſolummodo Trinitas eſt, non quaternitas, & infra id, quod eſt Pater, eſt Filius, & Spiritus ſanctus idem omnino, obſeruanda illa vox, idem *omnino*: ſi enim idem omnino ergo nullo modo differt: dicere verò idem omnino identicè eſt valde diminuere vim illius vocis conciliaris, *omnino*; licet enim, vt gloſſat Durandus ex primo inſtituto decretū illud celebratum ſit ad damnandum Ioachini errorem, non inde ſequitur tamen, quin eodem decreto, ſimul explosa ſit quæcumque alia actualis diſtinctio, aliàs per antiquorum Conciliorum decreta ſequeretur non poſſe refutari nouos exortos errores.

Sexto, Si à parte rei diſtingueretur actu, ſine operatione intellectus; ſicut ſequeretur ſubſtantiam Dei non eſſe infinitè perfectam, & omnem perfectionem: ſic ſi ab eadem ſubſtantia eodem modo diſtingueretur relatio, eadem ratione ſequeretur eandem eſſentiam, non eſſe omnem entitatem.

Septimo. Dantur prædicationes mutuæ in Deo abſtractorum de concretis; & concretorum de abſtractis: ergo ratio vnius non excluditur à ratione alterius; antecedens, & conſequentia ſuaè, & latè probatur ſect. 6. diſp. 11. à Didaco de Antoia, vbi inter cætera egregius recenſetur locus Diui Athanaſij orat. contra Gregales Sabellij. *Vniuerſa*, inquit, *plenitudo, & integritas Deitatis eſt Pater, vt Pater*. quod idem aſſerit, & aſſerendum de Filio, & Spiritu ſancto, per quam, vt aiunt reduplicationem omnis actualis, & formalis quidditas de eſſentia Diuina prædicata, & relationis includere quidditatem eſſentiæ, et non diſtingui ab ea niſi ratione.

Quinta concluſio. Sicuti relatio magis differt ab eſſentia, quam attributum, in eodem tamen genere diſtinctionis, ita minus à perſona, quam ab eſſentia. Prima pars iam probata eſt, & ratio potior fuit id quod eſt ſolius relationis proprium, ſcilicet eſſe (*Ad*) ſub qua ratione remanet, quemadmodum quo ad eſſe, (*In*) tranſit in eſſentiam, & attributa, & inde poteſt confirmari: nam relatio, & eſſentia, non dicuntur ad conuertentiam ſicuti dicuntur attributa: eſſentia enim eſt Paternitas, & eſt filiatio: Paternitas autem non eſt filiatio: eſſentia eſt tres perſonæ, Paternitas autem non eſt tres perſonæ; deinde relatio, vt ſic, non dicit eſſentiam; Perſona verò, vt ſic dicit relationem: ergo magis differt relatio ab eſſentia, quam à perſona. Probatur ſecunda pars. primo à S. Thoma quæſt. 40. art. 1. ad ſecundum; vbi proprietates hac ſola ratione aſſerit eſſe in eſſentia, quia ſunt idem cum ea: in perſona verò non tantum ratione identitatis, ſed etiam ratione formæ, tanquam enim forma in ſuppoſito, & tanquam forma, & conſtituunt, & diſtinguunt perſonam, non autem eſſentiam. Quod, & reliqui Theologi de ratione, & conſtitutione Diuinæ perſonæ, rectè ſentientes neceſſario dicere tenentur: ergo magis intus eſt perſonæ proprietas, quam eſſentiæ. Confirmatur. Eſt dubium, an proprietas ſit de ratione eſſentiæ, & multis Theologis negatur: eſt tamen certum de ratione perſonæ, eam enim & conſtituit, & diſtinguit. Nec oppoſitum, aut dicit, aut dicere poteſt ſanctus Doctor noſter: Quantumuis enim hic diſt. 33. art. 1. teſtetur relationem quatenus dicit ordinem ad obiectum quoquomodo diſtingui à perſona ſicuti q. 2. dicebat eadem ratione diſtingui ab eſſentia, & hac ratione manere relationes in Diuinis: eodem tamen loco dicit hanc differentiam dicere tantum diſtinctionem perſonæ à perſona: at ego dico hanc eſſe rationem intrinſecam perſonæ Diuinæ, qua, & conſtituitur, & diſtinguitur, & refertur: perſona enim Diuina eſt ſubſiſtens relatio, & vbique vbi de perſonarum conſtitutione, & diſtinctione loquitur, hæc prorſus, quæ hic ſanctus Thomas, ita vt ſola ratione ratiocinata diſtinguatur relatio à perſona: imò non diſſone Franciſcus Ferrarienſis 4. contra Gentes cap. 26. Turrianus in D. Thom. art. 2., & 4. Vaſquez diſp. 128. cap. 5. & alij exiſtimant eodem modo conſtitui perſonam relatione, ſicut Deus Deitate, ita vt, v.g. Paternitas non ſit veluti pars perſonæ, ſed tanquam formatorius quæ includat eſſentiam, ac proinde totum, quod dicit perſona: neque opponit, quod in Conc. Florentino ſeſſ. 19. Ioannes maximus Theologus Latinorum omnium nomine annuente vniuerſo Concilio perſonam ex Diuina eſſentia, & proprietate conſtare aſſeruerit: nam, & quod dixit veriſſimum eſt, neque negat, quod nos aſſerimus, ſcilicet eadem ratione perſonæ eſſe, conſtare ex eſſentia, & relatione, & relationem in ſui ratione includere eſſentiam.

Ad argumenta diſputationis initio propoſita. Primum argumentum petit, & continet vim, & efficaciam reliquarum, tum Scoti, tum Scotiſtarum rationum: negata, ſcilicet diſtinctione formali neceſſario ſequi multa contradictoria; idem communicabile, & incommunicabile eſſe abſolutum, & relatiuum, &c.

Hic primo ſupponendum neceſſarias, & vrgentes non poſſe afferri ſolutiones, vt inter alios obſeruauit Greg. de Valentia tom. 1. de hac diſtinctione actuali, & virtuali. Primam ergo, & firmam, & adæquatam reſponſionem, tradit ſancta fides. Quare optima in primis hoc loco eſt reſponſio, & animaduerſio D. Hilarij 2. de Trinit. etiam ſupra obſeruata, quam refert, & Magiſter Sent. diſt. 33. cap. 5. Quærenti quomodo idem poſſit eſſe abſolutum, & relatiuum ad ſe, & ad aliud; his æterna memoria dignis verbis reſpondet: *Immenſum eſt, quod exigitur, & incomprehenſibile: extra ſignificantiam eſt ſermonis: extra ſenſus intentionem, non enuntiatur, non attingitur, non tenetur,*

tur, &c. vt ſupra in fine capitis ſuperioris: ita vt neque Scotiſtæ, neque Thomiſtæ, neque quiſquis alius ſit ſe iactet bis diſtinctionibus virtuali, aut formali adæquatè abſoluere difficultates, demonſtrare veritatem, & facilitatem huius tanti myſterij.

Secundo S. Doctor diſt. 34. att. 2. ad vlt. hoc idem argumentum ante Scotiſtas per multos annos proponens, & ſoluens, negae manifeſtè has eſſe contradictiones communicabile, & incõmnnicabile, &c. his verbis: *Dicendum, quod communicabilitas, & incommunicabilitas non ſunt oppoſita proprietates: ſed ſic differunt, ſicut habere propriatates, & non habere: quia enim perſona habet proprietatem relatiuã, ideo diſtinguitur, & eſt incõmunicabilis: ſed quia eſſẽtia caret illa proprietate, ideo cõmunis eſt, & communicabilis pluribus, & ideo non diſtinguit ad inuicem.* Secundo, reſpondet, communicabile, & incommunicabile, ſe habere, & eſſe ſicut commune, & proprium, & in humanis etiam communicabilitas non diſtinguit: licet enim homo communis, & Petrus propriũ dicat, & ita ſit à parte rei tamen nõ diſtinguit: Petrus enim eſt homo. Quanto magis in Diuinis vbi ſũma ſimplicitas, & infinita conueniet cum proprio commune, & communicabilitas cum incommunicabilitate, &, poterit dici Deus eſt Pater, & Pater eſt Deus? proprium ergo non diſtinguit à communi, ſed ab alio oppoſito proprio, & ita inter cõmune, & propriũ in Diuinis non eſt diſtinctio, imò maxima cõuenientia: ſed diſtinctio inter propria ad inuicẽ, ſcilicet inter Patrem, & Filium, &c. Hanc non eſſe contradictoriam propoſitionem communicabile, ſcilicet, & incommunicabile in Deo ſimpliciter omnes neceſſario concedunt, ſed alia, & diuerſa ratione id aſſerunt, vt intuenti compertum eſt, ſed inter alios S. Bonauentura reſpondet, & vniuerſalius ſoluit negans abſolutè hæc ſibi ad inuicem contradicere. Quod ſi Scotiſtæ adhuc vrgeant niſi conceſſa diſtinctione formali eſſe contradictionem: idem S. Doctor quaſi eos ſeraphica charitate admonens. Animaduertite, inquit, non in re, de qua controuertitis, ſed in intellectu veſtro hanc hærere cõtradictionẽ: Duplex enim quoquomodo poteſt cõtradictio diſtingui, alia in re, in intellectu alia: in re, quãdo verè à parte rei rẽ, ita eſſe repugnat, ſicuti ſi enunciaretur creatura eſt æterna: ſi enim creatura, ergo non æterna: ſi æterna ergo nõ creata, nec creatura; vel vniuerſalius ſi eodem momento, & eadem ratione de eadem re diceretur eſſe, & non eſſe; intellectu verò ſæpenumero accidit, tum ex rei intelligibilis difficultate, & eminentia, intellectus capacitatem excedente, tum conſequenter ex eiuſdem intellectus defectu inſufficientia, & allucinatione, vbi difficultatem rei non attingere, neque adæquatè apprehendere valens ad contradictionem refugiens, contradictionem in obiecto ſibi videre fatetur, quæ terminet, & diſſoluat rem: ſed terminat intellectum, & diſſoluit, & impedit, ne pertingat, & perueniat; vbi ſi perueniret ſe rei difficultate, & magnitudine victum non ad extra in re, ſed ad intra in ſe contradictionem, & terminum humili recognitione fateretur: Quod ſi etiam in creatis id accedere poteſt, quid in tertio quoque greſſu in Diuinis? Diuina præcipuè, quæ ad intra creatum omnem captum in infinitum excedunt, & ideo vbique nobis his rebus humanis aſſueti, contradictionem inuoluere videntur: ſed tum fides, tum certa noſtræ cæcitatis animaduerſiõ optimè omnem tollunt contradictionem.

Egregiè Ioannes Picus Mirãdulanus in opuſculo, cui de ſcala Diuinæ cognitionis nomen inſcripſit ex D Dionyſio, meditabundus, piè admodum, quæ diſtinctè de Deo aſſerimus, inquit non ſunt Deus, ſed aliquid Dei, ſed quod abſolutè quadam caligine circundatum, & obtectum, nobis omnino, & intellectui noſtro abſconditur, ille Deus eſt: & addit hæc D. Dionyſij effata admirans, & quomagis poteſt ſubmiſſe veneratus, Deus non eſt Deus, ſed pluſquam Deus: Deus non eſt bonus, ſed pluſquam bonus: non eſt vnus, ſed pluſquam vnus, non eſt trinus, ſed pluſquam trinus, &c. hoc eſt non eſt eo modo Deus bonus, vnus; & trinus, quo infœlix, & cæcutiens intellectus noſter intelligit, ſed altius, excelſius, & mirabilius, &c. ergo illa non dicunt contradictionem, licet ita nobis videatur.

Sed dicent; hoc eſt Concionatorem, non Theologum agere, nec argumenta ſoluere, ſed potius ficta humilitate deuictum fugere. Reſp. primo ita ſanctum Hilarium ſoluere. Secundo, verè ſanctum Bonan. ſoluiſſe. Tertio, imò hoc eſſe verum, & Chriſtianum, & fidelem Theologum agere, vbi nimirum opus eſt inſufficientiam noſtram non diffiteri, & Diuinũ myſterium incomprehenſibile eſſe adorãdo profiteri. Quarto, quod aduerſarius à me expectat, vt tandem dicam: tollitur contradictio per diſtinctionem virtualem: ſed ipſe, & impugnat, & affectat ignorare quid ſit hæc virtualis diſtinctio, & interpretatur virtualem, vt oppoſitam actuali, & vt in potentia. Quod niſi, vt dixi iam, hoc affectando, & diſſimulando diceret, in tanto viro non poſſe non admirari. Reſpondeo igitur, vt nuper etiam ſupra, virtualem diſtinctionem eſſe actualem; ideſt actu diſtinguentem, & adæquantem diſtinctionem noſtrorum conceptuum non actu diſtinctam propter infinitatem entis Diuini comprehendentis omnem gradum in ſumma, & infinita ſimplicitate, vnitate, & identitate abſoluti & relatiui entis: exemplo cæli, & ſolis, vnica, & æquiuoca virtute plurima producente diſtincta: imò addo, & aduerſarium amicè admoneo, vt cautè loquatur, ne, dum à parte rei in ente vno, & infinitè vno has actuales diſtinctiones indiſcriminatim ponit: illud diſtinguat, & limitet, & faciat finitum, et ſupponat entis finiti differentias.

Ad oppoſitiones, et conſequentias ferè inde patet euaſio, et ſolutio: tamen amicitiæ ergò, ad poſtremam, primo, actualis contradictio communicabilitas, et incommunicabilitas: ergo non ſufficit virtualis diſtinctio ad eam tollendam, negat antecedens S. Bonauentura: ego verò etiam conſequentiam ex iam iam dictis ſit quid, et ſignificet virtualis diſtinctio; Ad primam, ſecundam, et tertiam oppoſitionem, eadem data reſpondeo omnino ſufficit.

Ad quartam. Dico vnicam eſſe rationem for-

malem in Deo. Ergo, inquit, reſpectiuum eſt abſolutum formaliter: concedo: ergo reſpectiuum communicatur, nego ex infinitate entis, ex diuerſitate virtuali.

Ad quintam, & penultimam, nego conſequentiam, & ibi eſt error Logicus: fit enim tranſitus ab identitate cum eſſentia, ad identitatem ioter perſonas, & ab identitate relationis, quod idem eſt cnm eſſentia, ad identitatem com termino, hoc eſt ab eſſe *(In)* ad eſſe *(Ad)* relationis: quæ conſequentia ſi admittenda eſſet, admittenda pariter, & hæt. Relationes cum eſſentia ſunt idem realiter: ergo, & ad iouieem ab eſſentia tantum formaliter differunt: ergo, & ad inuicem: quam tamen conſequentiam negat, & vetat ſancta fides.

Ad ſextam concedo actiuè, & nego paſſiuè. Generatio, & ſpiratio actiuè ſunt idem formaliter, ſed paſſiuè differunt realiter, hoc eſt, termini, & perſonæ productæ: neque hoc eſt cootra Concilia, imò iuxta Concilia.

Ad ſeptimam. Quod ſi continet eminenter ſub vna ratione formali, quidquid perſectionis continet etiam creatura: ergo æquè poterit Deus dici leo, Petra &c. nego conſequentiam: nam petra, vt petra &c. vt hæc, limitata & imperfecta, ſicut non eſt in Deo, ita non poteſt prædicari de Deo, ſed nego etiam ſecundam conſequentiam, & neceſſario, ex negatione primæ: nam creaturæ, eo modo, quo ſunt in Deo ſecundum, ſcilicet, id quod eſt perſectionia dicunt eandem oumero perfectionem formalem infinitam,

Ad octauam negatur omnino aſſumptum ex ſupra tradita virtualis diſtinctionis expoſitione.

Ad ſecundam rationem Seoti principalem. Optima reſponſio. Ad oppoſitiones, ad primam iam reſponſum eſt, & negatum, eſſe contradictionem per infinitatem entis, abſolutum, & relatiuum continentis, & ex virtuali diſtinctione. Ad probationem, adhuc negatur ex S. Bonauentura: nam illa non eſt contradictio, ſed differentia perhabere, & non habere.

Ad ſecundam, & tertiam, adhuc ſufficienter dictum: tota enim argumentatio iſta, ex vera, aut affectata igooratione, quid ſit differre, & eſſe virtualiter: ſunt enim relationes in eſſentia quaſi mediatè, ſed in perſonis immediatè realiter noo tamen ab ipſis differentes, niſi virtute tamẽ actuali, ſufficientes ad tollendas de facto quas vis, quas intellectus creatus timuerit ex inſufficienti captu contradictiones; quare negatur illa conſequentia ineſſe infinitè, in quo, & repugnat multiplicatio quæcumque actualis ex ſimplicitate, & vnitate, & infinitate &c. & ſufficit virtualis, quæ & eſt formaliter actu, & ad modum illius entis in quo eſt vnæ. Præterquam quod, hæc conſequentia ne dicam multitudo, & farrago cooſequeotiarum, petit diſtinctionem realem; neque enim minima diſtinctio formalis, ſufficit ad tollendas reaies contradictiones: realiter communicatur eſſentia. realiter non communicatur perſona, ita vt etiam datis diſtinctionibus formalibus, adhuc remaneat eadem res indiuidua, de qua verè realiter, dicitur abſolutum, & reſpectiuum, communicabile, & incommunicabile &c. quod ſi ſufficit formalis, ſufficiet, & virtualis: æquè enim diſtinguit, vel quaſi efficit diſtinctionem.

Ad quartam negatur conſequentia: tum quia eadem fallacia laborat, qua ſupra ad primum argumeotum, arguit enim ab eſſe *(In)* ad eſſe *(Ad)* in relationibns: tum quia inducit diſtinctionem realem: ſi enim quæ ad inuicem differunt realiter, diuinæ relatiooes debent actualiter, & ab eſſeotia differre, debent realiter differre etiam ab eſſentia, quod ſupra Conciliorum decretis vetitum eſt, & exploſum.

Ad tertiam rationem Scoti. Sicut virtute, eſt ratio, & argumentum S. Bonauenturæ, ita ſufficiat reſponſio, qua ſuum argumeotum ſoluit, idem ſanctus Doctor; negatur enim maior, quando id quo plura conueniunt, & differunt, differt aliqua differentia, ideſt virtuali, & quod idem eſſe, ſupra docuimus, rei, & modi.

Ad quartam conceſſa maiori, & minori negatur conſequentia ratione ſupra millies dicta.

Ad quintam negatur conſequentia. Ad probationem negatur, quod nobia falſo imponit; ponimus namque nos æquè ac ille, ſicuti ponit, et fides; relationea quibus conſtituantur, et diſtinguantur perſonæ, verè, et actu, et formaliter in Deo, vt tamen virtualiter ab eſſentia diſtinctas, quod ſufficit.

Ad ſextam. Plura dicenda infra, cum de Diuinarum perſonarum conſtitutione, vbi, et de opinione Greg. Arimineoſis. Nunc ad formam argumeoti primo negatur conſequentia: adeſt enim diſtinctio virtualis actu. ſecundo concedo conſequẽtiam realiter: ſicut enim à parte rei relatio, et perſona ſunt idem realiter, et ſimpliciſsimè, ita ſe ipſis realiter conſtituuntur, imò formaliter, et ex natura rei, vt S. Thom. 1. Sententiarum diſt. 26. quæſt. 2. art. 1. Canar. Comment. in art. 2. et 4. quæſt. 40. 1. par. Caiet. in art. 2. Ferrar. 4. contra Gentes cap. 26. et Vaſquez diſputat. 156. & ratio eſt io promptu; eſſentia, relatio, et perſona non differunt ex natura rei, ſed ex relatione conſtituitur perſona in eſſe perſonæ: ergo ſe ipſa formaliter conſtituitur: ergo, inquit ille, bene dixit, et Gregorius, et ante ipſum Præpoſitiuus ab omnibus, tamen Theologis relicti, et eiecti. negatur conſequentia, vt infra patebit.

Ad auctoritatea Sanctorum reſpoodeo, locutos eſſe de ijs rebus diuinis, vt ab ipſis, et à nobis cognoſcuntur, hoc eſt per diuerſos noſtros conceptus, quos verè io ordine ad nos diſtinctè prædicamus. ad quod ſola diſtinctio rationis virtualis ſatis abundeq. ſufficit, quod ſupra docuerunt in ſimili Alexander, et S. Bonauentura.

Ad D. Auguſtini locum contra Maximinum, quem taoti facit recens hic Scotiſta. Reſpondetur D. Auguſtinum optimè arguere, et aduerſariũ in arguendo ſolita ſibi peccare fallacia, dum arguit ab eſſe *(In)* ad eſſe *(Ad)* relationum, cum patentiſsima ſit diuerſa ratio. Vult ergo S. Auguſtinus optime duo, illa argumentatione concludere. Attributa in Deo noo componunt: ergo neque relationes, imò multo minus: relationes enim cum ſecundum ſuam propriam rationem ſint ad aliud

minus

minus eſſentiam poſſunt componere, quam attributa, quia non ſunt ad eſſentiam, ſed ad terminũ. Quod verò ad inuicem differant realiter, hoc eſt in quo incidit tertio quoque verbo, non animaduertens rationem eſſe omnino diuerſam: non enim poſſunt componere, quia vt ſic non ordinantur ad vnionem, ſed ad oppoſitionem, et ad diſtinctionem realem. Quod ſi ſupra dictum eſt, magis relationem differre ab eſſentia, quam attributa, non ſequitur in eſſentia componere; tum quia eſt in eadem ſpecie diſtinctionis; tum quia, qua ratione magis diſtinguitur, magis quoque repugnat componere. Non eſt ergo ridicula argumentatio. Attributa differunt ratione: ergo, et perſonæ: imò veriſsima in ordine ad eſſentiam, quod verò differant ad inuicem realiter, eſt prorſus alia ratio.

Ad duas poſtremas inſtantias, iam reſponſum eſt, nihil noui addit, nullamq. difficultatem proponit: mirum tamen eſt, quod impugnat, et quod vltimo loco tanquam ſuæ diſputationis coronidẽ, locat: nos ſcilicet componere Deum, cum illa virtute, aut virtuali diſtinctione, quæ ſemper per ora noſtra volitat, et qua gloriamur omnia argumenta ſoluere: quid enim minus ſapienter? quam eleganter ſimulat ſe ignorare, quid ſit illa virtus, quanta denique ſolertia ſuam medetur argumentationem, vt in ſequendi nos, arripiat occaſionem?

Soluenda breuibus, & argumenta Durandi; quorum primum erat. Eſſentia Diuina eſt in aliquo ſuppoſito formaliter in quo non eſt quælibet relatio formaliter, eſt enim in Patre, in quo tamen non eſt filiatio eodem modo formaliter; alioquin ſicut Pater formaliter eſt Deus per Diuinam eſſentiam in ſe exiſtentem, ſic Pater formaliter eſſet Filius per filiationem, in eo formaliter exiſtentem: ergo relatio ex natura rei, & formaliter differt ab eſſentia. ſecundo ex auctoritate D. Damaſceni 1. de fide cap. 9. & c. 11., & c. 13. probat relationes, & proprietates eſſe modum exiſtentiæ Diuinæ: inter modum autem, & rem, vult intercedere diſtinctionem, quæ non ſit media inter realem, & rationis, ita vt ſit realis, non tanta tamen, quanta inter rem, & rem &c.

Ad primum. primo neganda conſequentia; non enim ideo filiatio non eſt in Patre, quia differat, vel ſit idem, cum Diuina eſſentia, ſed quia opponitur, & differt realiter à Paternitate; deinde redibit ſermo de eodem argumento infra, & futura diſputatione: eſt enim D. Bonauenturæ cui interim reſpondetur, licet ſit idem Paternitas, v. g. cum Diuina eſſentia, non tamen conuertibiliter, & adæquatè &c. patebit, tertio huiuſmodi variæ prædicationes de eſſentia Diuina, & proprietatibus, & plures, & oppoſitæ, quoquomodo, non ſunt abſolutè de eadem re, ſed de pluribus conceptibus noſtris, qui diuerſi ſunt, & aliquando oppoſiti habita ratione ad res creatas ex quibus deſumpti ſunt, vt pluribus ſupra; deinde ad antecedens negatur ſequela, & additur ex ea parte qua Paternitas, idem eſt cum eſſentia, non repugnat eſſe in Filio; imò eſt ſicuti ipſamet eſſentia, quo fit, vt primo loco dixi, vt tota ratio ſit difficultatis, & ambiguitatis argumenti ſumere relationem ſub ratione communi, vt tranſit in Diuinam eſſentiam, dum ſumenda ſit ſub ratione propria, vt refertur, & vt opponitur.

Ad ſecundum. Iam reſpondit ſupra D. Bonauentura; modum illum ex D. Damaſceno, & multis alijs Patribus ſupra recenſitis Diuinarum proprietatum, quibus Diuina eſſentia ſubſiſtit, nihil addere Diuinæ eſſentiæ, & ſubinde nihil ab ipſa differre, niſi quatenus eam, nos ſecundum rectam rationem intelligendi, ſic eam concipimus, ita etiam multi ex recentioribus inter quos Vaſquez, & Didacus de Montoia.

CAPVT III.

An eſſentia Diuina includatur in ratione relationis, & vice verſa.

ADhuc laboramus, & enitimur pro eadem omnimoda identitate relationũ, cum eſſentia Diuina, & formali, & quærimus, an idem non ſolum ſint ad inuicem formaliter, & quidditatiuè, quoad rem, ſed etiam quoad modum intelligendi, & concipiendi, & ſignificandi noſtrum; ita vt in conceptu relationis explicito, includatur etiam eſſentiæ conceptus, & è contra in conceptu eſſentiæ explicito, claudatur etiam relatio, ſaltem confusè formaliter.

Scio primo loco quoad eſſentiam, ſcilicet ipſam non claudere in ſuo conceptu relationem, multos adinueniri Doctores, qui negent: ſunt autem primo loco, omnes qui ſupra exiſtimarunt relationes à Deitate ex natura rei, ante opus intellectus diſtingui, Durandus, Scotus, Ocham, & Gabriel &c, & omnes auctores, qui Deitatem non eſſe de quidditate relationis dixerunt: Albertus Magnus, Gregorius Ariminenſis, Molina, Vaſquez &c. & quod magis refert, S. Doctor noſter apertiſſimè hoc videtur ſentire quæſt. 2. diſt. 33. vbi primo ad quintum argumentum: *Eſſentia*, inquit, *non ſupponit proprietatem, nec proprietas eſſentiam*: vnde ſequitur, vt illud, quod conuenit eſſentiæ, non conueniat etiam proprietati &c. & hoc eſt, quod quæritur, eſſentiã, ſcilicet de ſui intrinſeca ratione non includere relationem, neque è contra; (licet ad inuicem ſit omnino eadem ſubſtantia, & eſſentia, & relatio:) continet enim diuerſam rationem fundamentalem in re, vt appræhenſa vna re, non appræhendatur alia, cum diſtinctè ſumitur eſſentia, & relatio ſecundo, in argumento quarto, & in eius reſponſione: non prædicatur proprietas de eſſentia per ſe, & probatur: nam Paternitas, ſi per ſe prædicaretur: ergo cuicumque ineſſet eſſentia, ineſſet, & Paternitas: ſed eſſentia ineſt filiationi: ergo, & Paternitas ineſſet filiationi, quod falſum eſt, & eſt efficacius, quod in hac re fiat argumentum: in reſponſione verò concedit non prædicari per ſe, quod alijs exponunt per ſe primo, & formaliter, & propriè, licet ipſe addat non per ſe; ſed per perſonam; & tamen negat prædicari per accidens, quia relatio non eſt aliud ab eſſentia, ſed mirabiliori

liori modo, & nouo Ariſtoteli incognito, & arte prædicandi.

Quod idem docuit Alexander 1. par. quæſt. 56. membro 7. art. 1. ad octauum, & quæſt. 68 membro 5. art. 5. & Riccardus in 1. diſt. 34. art. 1. quæſt. 1. & 2. Marſilius quæſt. 37. art. 3. concl. 1. Ægidius Romanus diſt. 34. art. 2. Argentina diſt. 33. quæſt. vnica art. 3. & multi alij præſertim recentiores, Canarienſis in quæſt. 28. ſancti Thomæ art. 2. diſp. 2. dubio vltimo; & diſp. 3. par. 2. & fuſius quæſt. 39. art. 6. Suarez lib. 4. de Trinit. cap. 5. & 6. Belarminus lib. 2. de Chriſto, cap. 9. poſtremo Antonius Ayoſſa tom. de S. Trinit. q. 28. diſput. 7. art. 2. licet, referat varia loca Patrum non admodum ad rem, & quod magis refert S. Thomam in hanc ſententiam plurimi diſcipuli interpretatur primo 1. par. quæſt. 33. art. 3. ad primum. In Trinitate propria non eſſe de conceptu communium his verbis: *Communia abſolutè dicta ſecundum ordinem noſtri intellectus, ſunt priora, quam propria, quia includuntur in intellectu propriorum, ſed non conuertitur*. & quæſt. 8. de Potentia, art. 2. ad 6. docet propoſitionem hanc, eſſentia Diuina eſt relatio non eſſe per ſe, ideſt per ſe formaliter, & primo, vt exponit Caiet. quæſt. 39. art. 6. Quod ſi prima parte, quæſt. 27. art. 2. ad tertium in perfectione Diuini eſſe, omnia includi aſſerit idem ſanctus Doctor, nihil huic puncto, quod nunc verſatur contrarium aſſeritur, ſed tantum ſumma identitas inter relationem, & eſſentiam, & infinita, & vnica perfectio entis Diuini aſtruitur. Pro hac autem tuenda opinione præcipuè recentiores, & Patribus, & Concilijs, & rationibus vtuntur, quæ refert poſt alios Didacus de Montoia diſput. 14. ſect. 2., & 3. qui ſimul quoque notat circa analogiam vocis, & ſignificationem Deitatis, &c. vt primo, & magis propriè pro ratione formali, & quaſi ſpecifica, per quam vnaquæque perſona conſtituitur integrè, & perfectè in ratione Dei; ſed non in ratione perſonæ. Secundo, aliquando illa vox ſumitur pro tota realitate illius entitatis, quæ eſt Deus; tertio accipitur aliquando hæc vox, Deus, natura, & ſubſtantia, prout condiſtinguitur ab accidenti. Quarto, eo modo ſumitur ſubſtantia, & natura, vt eſt idem, quod quidditas non ſolū abſoluta, ſed etiam relatiua; tunc rationibus. Relationes non ſunt communes, ſed propriæ; eſſentia verò eſt communis tribus, ex cap. Firmiter, & cap. Damnamus: ergo conceptus eſſentiæ non includit conceptum relationis, alias, & ipſa eſſet communis, ſicut communis eſt eſſentia. Secundo. Relatio eſt ad aliud, eſſentia ad ſe, ergo, &c. Tertio. Si Paternitas eſt de conceptu quidditatiuo Deitatis: ergo, & de conceptu quidditatiuo Filij. Probatur conſequentia; nam Deitas eſt de eſſentia Filij, & conſequenter quidquid eſt de conceptu quidditatiuo Deitatis, debet eſſe, & de conceptu Filij. Confirmatur, quia ſi Deitas complecteretur conceptu ſuo quidditatiuo tres perſonas copulatiuè, non poſſet prædicare de ſingulis perſonis diuiſiuè dicendo, Filius eſt eſſentia Diuina, etc. tunc enim eſſet dicere Filius eſt Deus Pater, eſt Spiritus ſanctus, ac inde Filius eſt totà Trinitas, quo quid abſurdius? Confirmatur ſecundo. Si filiatio, et ſpiratio eſſent de quidditate Deitatis, ſequeretur, Patrem, vt Patrem non eſſe vniuerſam plenitudinem Deitatis; quod tamen negat D. Athanaſius orat. contra Gregales Sabellij: ergo, neque collectiuè, neque diuiſiuè perſona, et relatio eſt de ratione, et conceptu Diuinæ eſſentiæ. Quarto. Si Deitas eſſentialiter includeret Patrem, et Filium, et Spiritum ſanctum ſequeretur in ipſa Deitate, vt Deitas eſt contineri diſcrimen Patris à Filio, et conſequenter Pater à Filio differret non ſolum, vt Pater, ſed vt Deus, quod tamen falſum eſſe, et certum eſt, et docent innumeri Patres D. Athanaſius Dialogo primo de ſancta Trinitate contra Anomæum *Deus à Deo nihil differt, quatenus Deus*; et orat. 4. contra Arianos. *Quamquā alius, eſt Filius quatenus genitus, idem tamen exiſtit quatenus Deus*. D. Baſilius lib. 5. contra Eunomium D. Cyrillus Alexandrinus Dialogo primo de Trinitate, D. Damaſcenus lib. 1. de Fide, cap. 6. D. Ambr. lib. 2. de Fide ad Gratianum, cap. 2. et innumeri alij. Denſque Diuina ſubſtantia non eſſet communis tribus perſonis ſi clauderet illas in ſuo conceptu: ſed eſſe communem perſonis docent Concilia, et Patres, Conc. Lateranenſe, cap. Firmiter, Conc. Florentinum ſeſſ. 18. D. Hilarius millies reperit indifferentem naturam, et eſſentiam, et ſubſtantiam, D. Auguſt. 7. de Trinit., Anſelmus præſertim de Incarnat. Verbi, cap. 3. D. Damaſc. 3. de Fide, cap. 6. et innumeri alij.

Quod verò, nec relatio claudat in ſuo conceptu eſſentiam, videtur quoq; certum, tum quia vtrumuiſus eſt tenuiſſe S. Doctor, dum, nec eſſentiam ſupponere relationem, nec relationem, eſſentiam docuit, et multi alij graues Theologi, Scotus, Ocham, Gabriel, Albertus Magnus 1. par. quæſt. 39. memb. 2. art. 2. et 3. Molina, Vaſquez, et alij, et primo, Paternitas, et quæuis alia relatio concipitur à nobis, vt aliquid adueniens Deitati, et etiam quaſi contrahens, et modificans: ergo non intelligitur, vt quid intrinſecè includens eſſentiam. Confirmatur determinans, et modificans non eſt de conceptu determinanti, et patet, tum inductione in rebus creatis; tum quia videtur exorbitans, eandem eſſe rationem determinantis, et determinati: confirmatur ſecundo, nam ſequeretur relationem non conſtituere perſonam; ſi enim perſona conſtituta nihil aliud eſt, quam eſſentia relatione determinata; ſi de ratione relationis eſt, etiam eſſentia: ergo æquè determinaretur perſona per eſſentiam, quam per relationem, etc.

Qui verò aſſerunt, affirmantq. oppoſitum relationis nimirum cōceptum, continere eſſentiæ conceptum, et viceuerſa, licet fortaſſe non ſint tot numero, ſunt tamen, et tot, et eius notæ, et ponderis, vt ſuo nomine, et rationibus, ſic perſuadeant, vt applauſibilem, et probabilem ſuam opinionem reddant.

Quo enim ad hanc partem colligitur primo ex D. Bonauentura diſt. 28. art. 3. præſertim in reſponſione ad argumenta, vbi apertè aſſerit proprietatem perſonalem dicere totum perſonæ, et perfectum, et completum; ſi enim dicit totum, et perfectum, dicit, et eſſentiam, vt infra cum de diffini-

tione

tione perſonæ, & diſt. 13. quæſt. 3. ad vltimum. eſſentia prædicatur eſſentialiter de perſona; quo quid clarius: ergo eſſentia de ratione perſonæ; nam eſſentialiter prædicari, quidditatiuè prædicari. Colligitur efficacius ex D. Thom. & apertius quæſt. 33. art. 3. ad primum. *Communia*, inquit, *abſolutè dicta ſecundum ordinem intellectus noſtri ſunt priora, quam propria, quia includuntur in intellectu propriorum; ſed non è conuerſo*: ſed omnes relationes ſunt propriæ, & eſſentia communis: ergo ex D. Thom. eſſentia clauditur in intellectu relationis. Idem videtur liquido conſtare ex quæſt. 27. art. 2. ad tertium illis verbis. *In ipſa perfectione Diuini eſſe continetur, & verbum intelligibiliter procedens, & principium Verbi, ſicut, & quæcumque ad eius perfectionem pertinent*; hic autem modus continendi, non eſt actualis, ſed quidditatiuus, ſed ad modum totius potentialis, & tranſcendentis, quemadmodum ens ſub ſe continet quaſlibet differentias vltimas, & ideo clauditur in earum quidditate; & hanc fuiſſe mentem D. Thom. ideo conſtat: nam alias ſibi contradiceret; ſuperiori enim loco docuit propria non eſſe de intellectu communium, ſed viceuerſa: ergo, & hic ſic interpretandus. hanc verò ſententiam eandem docuerunt Alexander 1. par. quæſt. 68. memb. 5. art. 5. Aureolus in 1. diſt. 1. quæſt. 1. art. 1. & diſt. 33. quæſt. 1. art. 1. & 3. Marſilius in 1. quæſt. 23. art. 3. Capreolus in 1. diſt. 2. quæſt. 3. Henricus quolib. 5. quæſt. 6. Canarienſis in præſenti quæſt. 28. art. 2. diſput. 1. dub. vlt. & diſput. 3. par. 2. concl. 4. Suarez lib. 4. de Trinit. cap. 7. Belarminus tomo 1. lib. 2. de Chriſto, cap. 9. ad finem, & multi alij recentiores. Probatur verò ſi relatio non includeret eſſentiam ſequeretur perſonam Diuinam cuius tamen ſummæ ſimplicitati repugnat, componi, ſcilicet ex his diſtinctis, eſſentia, & relatione. Secundo, relatio Diuina cum ſit ens, erit neceſſario ens, vel à ſe, vel ab alio: ſi ab alio: ergo creatura, quod quam abſurdum ſit perhorreſcunt aures audire: ergo à ſe: Deitas verò, cum ſua ratio formalis ſit, eſſe à ſe: ergo relatio Diuina ſi de ſui ratione eſt eſſe à ſe, de ſui quoque ratione eſt eſſe de ratione Deitatis. Tertio. Ideo vna perſona Diuina refertur ad aliam, quia relatio ineſt illi tanquam fundamento abſoluto, cui nullam realitatem addit, vnde de ratione relationis eſt non ſolum eſſe (*Ad*) ſed etiam (*In*) repugnat enim ad aliud eſſe, niſi cuidam ſubiecto inſit, & ratione alicuius abſoluti: ſed fundamentum, & abſolutum Diuinæ perſonæ, cui ineſt relatio eſt Diuina eſſentia: ergo ratione abſoluti refertur, neque ſine illo referri poteſt: ergo in ratione relationis, & conceptu clauditur ratio eſſentiæ. Caietanus viſus eſt idem docuiſſe quæſt. 27. art. 2. ad tertium in illa verba D. Thom. ſupra relata dum dixit. Impoſſibile eſt poſſe adæquatè diffiniri Deũ ſi diffinibilis eſſet, niſi comprehenderetur, & eſſentia, & relatio, & quidquid formaliter eſt in Deo: ergo de ratione relationis eſt includere, & eſſentiã.

Quarto. Suarez loco recenſito cap. 7. Diuinitas eſt de eſſentia Patris: ergo de eſſentia Paternitatis. Probatur conſequentia. Abſtractum, & concretũ in Diuinis adeo ſe habent ad inuicem, vt nihil includat vnum eſſentialiter, quod non includat, & aliud, hac in primis ratione; quia concretum in Diuinis nihil aliud eſt, quam ipſa forma ſubſiſtens propter ſummam Dei ſimplicitatem. Deinde Paternitas, v. g. eſt Deus: ergo eſſentialiter: ergo de conceptu eſſentiali perſonæ eſt Deus. Prima conſequentia probatur. Quidquid eſt Deus, eſt ſummè, & infinitè perfectum, ſed maioris perfectionis eſt includere Deum eſſentialiter, quam quocumque alio modo: ergo quidquid eſt Deus eſſentialiter eſt Deus.

Quod ſi opponas quidquid ſit à parte rei ſaltem ex modo noſtro concipiendi certum eſt nos vnum ſine alio poſſe concipere. Reſpondeo tamen, & probo, quod eſt eſſentialiter ſuperius includitur, etiam ſecundum modum noſtri intelligendi in conceptu inferioris, ſed eſſentia comparatur ad relationes, etiam abſtractè ſumptas, ſicut forma communis, & eſſentialis: ergo, & ſecundum rem, & ſecundum cognitionem eſſentia clauditur in conceptu relationum. Minor eſt certa; maior probatur. Animal enim clauditur in conceptu hominis, & ens in conceptu cuiuſcumque particularis. & entis, & modi, & differentiæ entis. Secundo. Non poteſt concipi relatio quin ſimul, & ens non creatum, vt patet: ergo increatum: ergo in conceptu noſtro relationis concipitur ens increatum, ideſt eſſentia. Adhuc ex Concilijs ſupra relatis Lateranenſi ſub Innocentio IV. & Rhemenſi. Concilium Nicænum lib. 2. §. Sancta, & magna Diuinitas, non eſt vna perſona, ſed tres verè ſubſiſtentes. Et ex innumeris Patribus, has propoſitiones eſſe veras, proprias, & exactas. Quælibet trium perſonarum eſt illa res, ſcilicet eſſentia Diuina. Pater eſt ipſa Deitas. Relationes, & proprietates, quæ ſunt in Deo, ſunt ipſe Deus. Pater eſt veritas, Filius eſt veritas, Pater eſt charitas, Filius eſt gratia. *Deus erat Verbum*. Ioan. 1. Quidquid eſt in Deo, non ſolum in Deo, ſed eſt ipſe Deus. Perſona Patris eſt Diuinitas, Deus eſt Trinitas, &c. in quibus propoſitionibus vnũ extremorũ in alio quidditatiuè includi certũ eſt: ergo ſunt formales: ergo Diuina eſſentia clauditur in extremo relationis, & vice verſa.

Oppoſitum ſentientes, concedunt quidem has aſſertiones eſſe veras identice; ſed in rigore, & propriè eſſe falſas. Mirum profectò, primo ad tuendum terminum, *formaliter* propinquis temporibus hoc ſenſu ad inuentum; Patrum Conciliorum, ac diuinarum Litterarum propoſitiones improprias, & in rigore eſſe falſas eſſe, aſſerere non timent. Tanti ne emitur, hoc, *formaliter*? impropriè, & in rigore falſo loquitur, per Patres Concilia, & Euangeliſtas, Spiritus Sanctus?

Sed contra verò adhuc per ſanctos Patres. D. Nazianz. oratione in ſancta lumina, quæ eſt 39. *Tria vnum, in quibus eſt Diuinitas, vel vt magis propriè dicam* (*obſerua magis propriè*) *quæ eſt Diuinitas*? D. Cyrillus lib. 11. Theſ. cap. vnico, probans ingenitum, non eſſe differentiam ſubſtantialem Dei. *Videmus enim*, inquit, *ſubſtantialem differentiam in compoſitis inueniri. Deus verò ſimpliciſſimus eſt*: ergo ex D. Cyrillo, ingenitum eſſe, quæ eſt proprietas Patris, ſi vllo modo ab eſſen-

ſentia differret, ſimplicitati Diuinæ derogaret, Deumq. componeret; ergo, & Paternitas, quæ eſt ipſamet ingeneratio. Idem lib. 3. Theſ. cap. 4. *Quomodo*, inquit, *Pater erit omnium principium, ſi non ſimplex, ſed compoſitus erit? primum enim nequaquam compoſitum eſſe poteſt; quia nihil poteſt ipſo præintelligi, ꝗ quo componatur*. Si nihil: ergo neque differentia, & diſtinctio formalis. D. Athanaſius oratione contra Gregales Sabellij. *Vniuerſa*, inquit, *plenitudo, & integritas Deitatis eſt Pater, vt Pater: vniuerſa item plenitudo Deitatis, eſt Filius, vt Filius*. eadem ratio de Spiritu ſancto: ergo formaliter Deitas eſt Pater. Huiuſmodi enim reduplicationes veritatem formalem indicant. D. Damaſcenus lib. 1. de Fide cap. 11. *Cum verò ad ea, in quibus eſt Diuinitas, ſiue vt exactius loquar, quæ ſunt ipſa Diuinitas*. D. Bernar. ſerm. 80. in Cãtica. Hanc propoſitionem Pater eſt veritas, eſſe magis propriam, quam Pater eſt verus: ſed hæc vera eſt identice: ergo illa formaliter: non enim alia identitas, quam formalis, & realis. Et confirmatur ex Alex. Alenſi 1. par. q. 80. memb. 5. art. 6. vbi in primitiua Eccleſia refert, non fuiſſe nomina abſtracta in vſu: ſed à Patribus adinuenta, ad magis hæreticos peruincendos, qui de Diuinis ſecundum rationes creaturis conuenientes diſputabant; ad tollendos cauillos, & æquiuocationes occultas, & magis propriè, & loquerentur, & ſignificatius concluderent, eſſentialia de notionalibus in abſtracto introduxerunt prædicari: ergo ex communitate Patrum propoſitiones abſtractæ in Diuinis, ſunt magis propriæ, quam concretæ referente Alexandro: ergo formales. Theologi omnes nunquam finem faciunt Durandum temeritatis nota, vt mitius loquar temerandi, quod dixerit, & Ioan. cap. 1. gloſſauerit textum, dum, Verbum Deum; & Filium Dei appellat, Verbum impropriè appellaſſe, & de rigore Filium Dei, nõ eſſe Verbum, nimirum non produci per intellectum. D. Thomas 1. par. q. 34. art. 1. ad 1. refert Originem, Verbum Diuinum ibi ſumi metaphoricè, & hinc Arianiſmum originem duxiſſe: ergo videntur gloſſare, & has (bone Deus) gloſſas Deus eſt Verbum non eſſe verum de rigore, ſcilicet formaliter, & admonere, vt ab his abſtineant, & ſi opus fuiſſet cohiberentur. pugnemus rationibus.

Prima. Quicquid eſt Deus, eſt eſſentialiter Deus: ſed proprietas, & relatio, & perſona eſt Deus: ergo eſſentialiter Deus. Probatur maior: quicquid enim eſt Deus, eſt ſumme perfectum: ſed maioris perfectionis, eſt perſonam eſſentialiter claudere Deitatem: facit enim Deum magis vnum: ergo quicquid eſt Deus eſſentialiter eſt Deus. Probatur minor, diffinita eſt in Concilio Rhemenſi, imò à D. Ioan. cap. 1. *Deus erat Verbum*. In Præfatio Miſſæ Sanctiſſimæ Trinitatis; *vt in perſonis adoretur proprietas*. Adoratur verò per ſe æquè, ac vnitas, ex Symbolo Athanaſij. *Hæc eſt fides Catholica, vt vnum Deum in Trinitate, & Trinitatem in vnitate veneremur*. Ex ritu Eccleſiæ in Litanijs. *Pater de Cælis Deus. Fili redemptor mundi Deus, Spiritus ſancte Deus. Sancta Trinitas vnus Deus*. ergo, & ſingulæ, & omnes perſonæ ſunt Deus, & adorantur, vt Deus. Fuſiſſimè à D. Bernardo ſerm. 80. ex forma argumenti. Secundo ex D. Bonauentura 1. diſt. 13. quæſt. 2. ad vltimum; vbi hanc fatetur prædicationem eſſentialem. Perſona eſt Diuina eſſentia: ergo formaliter. Nam prædicari eſſentialiter eſt quidditatiuè prædicari, vt vnum ſit de quidditate, & ratione formali, alterius. Claudit perſona quidditatiuè diuinam eſſentiam: ergo, & proprietas. Antecedens videtur non poſſe negari, ex diffinitione communiter recepta perſonæ, vt infra cum de perſona. Conſequentia conſtat. nam perſonam conſtituit quaſi forma proprietas. Docent omnes Scholaſtici præſertim SS. Bonauentura, & Thomas ſupra recenſiti. Ante ipſos, Magiſter in 1. diſt. 33. cap. 1. 2. & 3. didicit ex D. Hieronymo in expoſitione Symboli ad Damaſum Papam. *Non nomina tantummodo, ſed etiam nominum proprietates, id eſt perſonas, vel vt Græci hypoſtaſes exprimunt, hoc eſt ſubſiſtentias confitemur*.

Eſſentia Diuina comparatur ad Diuinas relationes, etiam in abſtracto ſumptas, ſicut forma communis eſſentialis: ergo in ipſarum quidditate clauditur. Antecedens inde conſtat, quia commune eſſe, & communicabile, eſt prædicatum abſolutum Diuinæ eſſentiæ, & primum ens, & inde fœcundum, præſertim ex familiari dicendi ratione S. Bonau. colligitur ex D. Athanaſio Dialogo primo de Trinitate, contra Anomæum. *Eſſentia declarat communitatem, & ſi quid Diuinæ eſſentiæ proprium, id quoque commune eſt hypoſtaſibus, quæ eſſentiæ ſubſunt*. Conſequentia hinc patet: nam commune clauditur in particularium quidditate, vt genera in ſpeciebus ſpecies, in indiuiduis. Docuit ſupra etiam S. Thomas. præterea probatur, & explicatur magis. Relatio Diuina præcisè ſumpta, eſt ens reale intrinſecè: ergo increatum ens: ergo primum, & independens: ergo Diuina eſſentia quidditatiuè.

Denique filiatio penès ſuam formaliſſimam rationem eſt Verbum, & ſimilitudo, & perfectiſſima imago Patris, non Paternitatis; imo ab ipſa realiter differt, ipſiq. realiter opponitur: ergo ratione eiuſdem naturæ: ergo quidditatiuè eandem naturam includit. Eadem ratione paternitas, negatiuè ſumpta eſt innaſcibilitas, hoc eſt è nullo procedens, neque ab intra, neque ab extra: ergo, vt ſic claudit eſſentiam, quæ eſſe habet à ſe. Poſitiuè quoque accepta eſt perfectiſſimum exemplar, quod perfectiſſimè imitatur Filius, vt imago ratione naturæ: ergo.

Quo verò ad aliam partem, eſſentiam ſcilicet Diuinam quidditatiuè complecti relationes, docuit Henricus Quodlib. 5. quæſt. 6., qui hac obſeruatione, & diſtinctione tradita relationem ita differre ab eſſentia, vt eam tamen includat in ſuo conceptu: duplici namque ratione animaduertit aliquid ab alio differre, & diſtingui, altero nempe quando eſt extra rationem ita alterius, ſicut differentia eſt extra rationem generis; altero quando, eſt quidem in alterius ratione cum aliqua tamen addita ratione peculiari, ſicut ſpecies, & genus: non priori autem modo, ſed poſteriori tradit relationem

tionem

Digitized by Google

tionem contineri in eſſentia. Idem Canarienſis in hunc articulum diſput. 3. Gregorius de Valentia lib. 1. de Trinit. cap. 29. arg. 4. Ante eos Aureolus diſt. 1. quæſt. 1. art. 2. & diſt. 33. q. 1. art. 1. & 3. Eadem videtur ſententia Capreoli in 1. diſt. 2. q. 3. & Gregorij Ariminenſis in 1. diſt. 2. quæſt. vnica art. 2. poſt tertiam concluſionem. Tribuitur ſancto Thomæ, quæſt. 27. art. 2. ad tertium, & alij plures videntur eam innuere: probatur verò, & auctoritate Patrum vehementer perſuadetur.

D. enim Nazianzenus orat. 45. de Diuinitate concedit Euagrio, ad quem orationem dirigit, diuinam eſſentiam ex tribus perſonis eſſe conſtitutam: idem orat. 19. *Vnum*, inquit, *in tribus Diuinitas eſt, & tria vnum, eo inquam, in quibus diuinitas eſt, velut vt magis propriè dicam, quæ diuinitas eſt*: ergo propriè perſona diuinitas eſt: ergo formaliter. D. Cyrillus dialog. de Trinitate lib. 2. ferè in principio. *Diuinam ſi quis agnominaret naturam integram, nobis quaſi vno ſignificato ſtatim oſtenderet ſanctiſſimam Trinitatem, quia vna Deitate intelligitur*: adeo vero oppoſitum ſentientes, exhilem adhibent gloſſam ad hunc locum, vt operæpretium non ſit eam referre aut reijcere. Idem lib. 13. cap. 1. *Spiritus ſanctus in ipſo Deo eſſentialiter eſt, & inſeparabiliter ex Deo prodit*. Quid clarius? ergo eſſentia claudit in ſe Spiritum ſanctum, & eadem ratione Patrem, & Filium. Neque accidentariè hoc dixit, ſed penſitatione inſigni: idem namque eodem capite, eiſdem verbis repetit, & in fine: *Spiritum ſanctum* appellat *operationem eſſentialem in propria hypoſtaſi procedentem, & manentem*. & cap. 4. *Spiritus ſanctus eſſentialiter eſt*. Opponere vero, potuiſſe S. Cyrillum ſumere eſſentiam impropriè, pro quidditate perſonæ: Hoc eſt diuinare, & ad propriam tuendam ſententiam improprietatis crimine notare ſanctum, & doctiſſimum Patrem. lib. 7. Theſaur. cap. 1. *Verbum, & eſſe Filij ſecundum naturam hoc nomen ſignificat*. S. Auguſt. 4. de Trinit. cap. 20. receptus à Magiſtro, & Scolaſticis in 1. Sent. diſt. 15. & legitur in Conc. Tolet. 11. in profeſſione Fidei: & in Florent. multis locis ſeſſ. 22. 23. & 24. & in litteris vnionis Eug. IV. *Pater eſt principium totius diuinitatis*: ergo in diuinitate compræhenduntur perſonæ: Nam deitatis, preciſis perſonis nullum eſt principium. Confirmatur, quia multi Patres, relationes diuinas multis locis, eſſentiam & naturam appellant: & Patrem eſſentia eſſe Patrem, & Filium natura Filium: ergo ex Patribus nobis patet diuinam eſſentiam claudere relationes, & poſſe nos tute aſſerere & magna probabilitate, non adæquate eſſentiam concipi niſi ſic in tribus ſubſiſtentijs, vt qui eam ſine perſonis, & proprietatibus conceperet, & conſtituiret, nec integram, neque perfectam conſtitueret, nec conciperet, vt etiam infra dum, de perfectionibus relationum. Confirmatur ſecundo. Patres orthodoxi, dum Deum, & Diuinam eſſentiam eſſe tres perſonas aſtruunt, proculdubio eſſe intrinſecè, & eſſentialiter volunt, vt omni conatu recedant ab oppoſitis erroribus futuris Gilberti. Gualterij, & Ioachimi & ab eorum vmbra. Hinc S. Th. q. 27. iam recenſita. Verbum in ipſam ingredi diuini eſſe perfectionem docuit. D. Athan. Ser. 4. cont. Arianos, ipſam Patris proprietatem, eſſentiam Filij conſtituere tradit, & orat. cont. Gregales Sabellij. *Plenitudo*, inquit, *& integritas Deitatis eſt Pater, vt Pater, Filius, vt Filius*, & infra eadem ratione *Spiritus ſanctus, vt Spiritus ſanctus*: Relationes ergo vult eſſe plenitudinem, & integritatem diuinitatis: ergo de conceptu Dei eſt Pater &c. D. Cyrillus Hieroſolimitanus catecheſi ſexta, in initio ex verbis Apoſtoli. *Benedictus Deus, & Pater Domini Noſtri Ieſu Chriſti*, ſub infert; *ſimul vt cum intelligitur Deus, intelligitur & Pater*: vt indiuiſa Patris & Filij gloria percipiatur. D. Cyrillus Alexandrinus iam ſupra iterum relatus lib. 11. Theſ cap. vnico. *Vidimus* inquit *in compoſitis ſubſtantialem differentiam, ſolus vero Deus ſimpliciſſimus eſt*. Quibus videtur omnem diſtinctionis vim in ſubſtantia Dei negare. D. Damaſc. lib. 1. de Fide. *Quod vero ad ea in quibus diuinitas eſt, ſiuè vt exactius loquar, quæ ſunt ipſa diuinitas*. Et licet aliquos ex his Patribus ſupra retulerim: iterum tamen hac ratione refero, quia eadem vi probant hanc partem, qua ſuperiorem. Anaſtaſius Synaita, de rectæ fidei dogmatibus lib. 1. *Nec enim ſolum Deus eſt, ſed & Pater, & per quod Deus per illum & Pater*: vt intrinſecè paternitatis ratio videatur incluſa &c. D. Anſel. in monologio cap. 16. *Illa ſumma eſſentia, nullo modo ſic eſt aliquid, vt illud idem ſecundum alium modum, aut ſecundum aliam conſiderationem non ſit; quia quicquid aliquo modo eſſentialiter eſt, hoc eſt totum quod ipſa ſit*. Quibus, licet de attributis eſſentialibus quorum vnum eſt de ratione alterius, Sanctus Pater agat: eadem tamen ratio erit, & poſtulat quidditatiua & integra diuinæ eſſentiæ perfectio, de relationibus. Poſtremo loco tamquam coronidem, vetuſtiſſimum omnium Patrum. D. Dionyſium refero c. 2. de Diuin. nomin. vbi docet diuinitatem conſtare tribus perſonis, & non eſſe integram atq; totã niſi vt includit omnes & ſingulas perſonas. Denique Eug. 3. *Ne aliqua, inquit ratio theologica inter naturam, & perſonam diuideret*. Theologicam vocat, actualem. Ioannes, Theologus latinorum, in Conc. Florent. ſeſs. 18. *Diuina ſubſtantia, & perſona ſunt quidem idem, ſecundum autem modum intellectionis noſtræ, videtur differre*: ergo à parte rei non plures quidditates, ſed vna præcipuè eſſentialis & relationis includens. Dices, hæc tranſeant, noſtra diſputatio eſt de conceptibus qui plures conceduntur per hæc verba ex Concilio Florentino vltimo loco relata. Suſtine parumper, de hac obiectione infra.

Idem confirmemus rationibus. primo, quidquid competit diuino eſſe, competit, & diuinæ eſſentiæ, & eſt argumentũ Bannes, in articulum ſecundum quæſt. 28. ad ſextum: ſed competit diuino eſſe, eſſe Patrem: ergo & diuinæ eſſentiæ: probatur minor: nam aliter non eſſet infinitè perfectum: nam eſſe trinum dicit infinitam perfectionem, vt capite ſequenti. Secundo, & probat maiorem præteriti

ritiargumenti. Diuina eſſentia ſubſiſtit per perſonam: ergo perſona eſt ei intrinſeca, & eſſentialis. Probatur ſequela: alias enim ſequeretur Diuinam eſſentiam ſubſiſtere per aliquid non ſibi intrinſecum, & eſſentiale; quod acmodum dedecet, & falſum. probatur exiſtentia perfecta, eſt de ratione Diuinæ eſſentiæ, infinitæ, & primæ, & independentis: ſed Diuina exiſtentia, formaliter eſt ſubſiſtentia & perſona, vt infra tractatu de perſona, & quæſtione de ſubſiſtentia: Diuina enim eſſentia tribus ſubſiſtit ſubſiſtentijs: ergo relatio Diuina, eſt de ratione Diuinę eſſentię. Tertio Deitas eſt infinitè perfecta in genere entis, & bonitatis; ergo eſſentialiter continet & entitatem, & perfectionem relatiuam: alias non eſſet abſolutè infinita. Quarto ratio communitatis intrinſecè continet omnia, quibus eſt communis, alias verè non eſſet communis, nec quæ non contineret, eis eſſet communis, ſed eſſentia Diuina, communis eſt tribus perſonis: ergo eas includit, vt ſic.

Quod ſi S. Thomas commune non eſſe de ratione proprij ſecundum modum noſtri intellectus ſupra docuit: reſpondetur primo, oppoſitum alibi docuiſſe, & in vltimo teſtamento, ideſt in ſumma, dum de verbo aſſeruit eſſe, & ingredi perfectionem Diuini eſſe. Secundo poterat ſumere commune, vt in creaturis. Tertio loquebatur de eſſentia ſub ratione, vt adhuc non communicata. Quarto communitatem, vt ſic non continere diſtinctionem contentorum: contentis tamen, vt communis ineſt: eaq. cōplectitur quia hæc eſt ratio communis. Quinto Diuina eſſentia, licet ſit communis, non eſt tamen de rigore ſuperior ſicuti genus, de qua ibi S. Thom. deniq. S. Thomas de imperfectiſſimo noſtro modo loquendi non de re adæquate concepta. Quinto ad inuicem Deitas, & relatio in abſtracto prædicantur, & magis propriè quam concretè, vt ſupra, præſertim ex D. Bernardo: ergo formaliter: ergo vnum eſt de ratione alterius. Sexto eſſentia eſt de ratione relationis: ergo, & relatio de ratione eſſentiæ. antecedens iam ſatis in probabili ſententia, conſtitit ſupra. conſequentia ergo probanda, primo ex omnibus iam recenſitis Patribus, & Concilijs, quibus ſatis perſpicuè aſſertum legitur eodem modo eſſentiā, & relationes, & perſonas non differre, niſi ratione & cogitatione noſtra: qua dicendi ratione, æque à parte rei vnum eſſe de ratione alterius innuitur aſsertū. Secundo relatio identitatis eſt mutua; alias in intelligibilis implicatio, quo modo vnum ſit idem alteri, & illud alterum non ſit idem illi. Cōfirmatur, ex D. Greg. Nazianz. orat. 36. quæ eſt quarta de Theologia. *Cum natura, animo & cogitatione diſtinguuntur; ſimul quoque nomina diſtinguuntur. quod ex D. Paulo audire licet his verbis vtenti, vt Deus Domini Noſtri Ieſu Chriſti, Pater ille gloria. Vides quomodo Chriſti idem Deus, gloriæ autem Pater dicatur? quamuis enim hæc duo, vnam perſonam efficiant: id tamen non natura ſit, ſed rerum cognitione.* Vides quam explicate, eadem ratione eſſentiam, & relationem ad inuicem coire quaſi ad inuicem, ingredi quidditatem alterius docet iſte S. Pater, qui nunquam in vllo verbo, paſſus eſt calumniam, teſte D. Hieronymo, referente S. Thoma. eadem conſequentia oſtenditur; propoſitiones ex terminis tranſendentibus conſtantes, ſunt conuertibiles ad inuicem, vt formaliter ſubiectum ſit de ratione prædicati. verbi gratia, ſicuti hæc vera eſt. Deitas eſt paternitas, vt Deitas ſit de ratione paternitatis. eius conuerſa, paternitas eſt Deitas: paternitas erit de ratione Deitatis. neque obſtat ex regulis Dialecticis, propoſitionem conuerſam eſſe indirectam. reſpondetur enim, plures ex his regulis, reconditiſſimum Sanctiſsmæ Trinitatis myſterium, Ariſtoteli abſconditiſsimum, haud potuiſſe complecti, ſicuti ſupra de alia conſtitit. Secundo regulam propoſitam non attingere propoſitionem ex tranſendentibus terminis.

Neque quod docuit S. Thomas de potentia quęſtione 9. ar. 2. ad ſecundum, aduerſatur. nimirum dum de Deitate, relatio prędicatur, non eſſe propoſitionem per ſe: inferiora enim non prędicatur per ſe de ſuis ſuperioribus, ſed per accidens: reſpōdetur enim primo eſſentiam non eſſe propriè ſuperiorem ad Diuinas perſonas. Secūdo non per accidens verè, ſed quaſi per accidēs ad imperfectiſſimū modum intelligēdi viatoris. Tertio ſtandū ad quod dixit in ſūma. reſpondet S Bonau. neq; per accidēs, neq. per ſe, Ariſtotelice, ſed mirabiliori modo, neq. alio ſenſu D. Damaſc. Diuinas perſonas vocauit accidentia: extenſa enim ſignificatione loquutum interpretatur S. Thomas q. 39. art. 36. ad ſecundum. Denique eadem veritas, & conſequentia ſic protegere licet, tum argumento ſupra relato ſancti Bonauenturæ, vbi propoſitiones identicas eſſe maximè proprias in Deo aſſerit: quia eſt Deus maximè vnus: hinc enim ſequebatur: ergo Deus eſt vnus formaliter, ex Scoto etiam: nam ipſo teſtante, vnitas formalis eſt ſumma, & maxima. In hac vero re, de qua hoc loco, pariter optimè deducitur: ergo vnitas eſt mutua, alias nō eſſet maximè vna: ergo mutuo vnum de ratione alterius: tum omnia argumenta præteriti capitis de vnitate formali attributorum, & relationis cum Diuina eſſentia, & de identitate quidditatiua eſſentiæ cum relationibus: ſtatim enim ac identitas eſt ſumma, quod de vno concepto extremo, de altero quoque aſſeritur, & demonſtratur.

Ad ea, quæ obiecta ſunt, ſoluenda: primo, non admodum vrgeo, neque loca ſanctorum Patrum, quæ pro hac ſententia retuli, nego poſſe gloſſulas pati, & admittere, itidem & rationes non admodum difficili negocio ſolui, & ab aduerſarijs oppoſita loca ſanctorum Patrum adduci oppoſitasq. rationes, quibus ſuam reddant ſuaſibilem ſententiam: neque enim meam demonſtrare, profiteor aut contendo.

Imò fortaſſe hæc metaphyſica lis, & controuerſia, plurimum tamen ſpectans ad ſummam Dei ſimplicitatem, infinitamq. vnitatem tuendam, quibuſdam obſeruatis, & ob oculos mentis poſitis, aut diſſoluetur, aut facilius contraria, argumenta diſcutientur, vt nobis nulla ratione obſtent. Primo. Diuina eſſentia bifariam accipi, & intelligi poteſt. primo, quatenus eſt idem, quod ſubſtantia hac latitudine ſumpta, vt eſt omne, quod non

exi-

exiſtit in alio tanquam in ſubiecto, & habet eſſe à ſe: & tandem omne quod non eſt accidens: & eleuatiori, & ſublimiori modo: Deus poteſt accipi, vt in ſe eſt ipſum eſſe & ſubſiſtere, ac ipſa ſumma, & infinita perfectio: cui proinde competit, ob infinitam millies repertam vnitatem ſub vnica ratione formali, quicquid abſoluti & relatiui ratio perfecta poſtulat; & vt vnico verbo dicatur: eſſentia diuina, intrinſece, & formaliter eſt Deus vnus, & trinus, omni ratione perfectus, adeo vt ſi quicquam ex his deeſſet, non eſſet ille Deus, quem adoramus: intrinſecè enim Deus ita eſt ens neceſſarium, eſt immutabile, vt oppoſito modo cōtradictionē inuoluat, quo ſenſu loquutus S. Thomas quæſtione 27. art. 2. ad tertium. Secundo ſtrictè, & præcisè, poteſt eadem Diuina eſſentia vſurpari vt quid per ſe, non ſolum non accidens: ſed etiam condiſtinctum relationibus etiam ſubſiſtentibus: tunc enim ratione virtuali condiſtinguuntur; quare non multiplicata eſſentia, relationes multiplicantur in quatuor, & in tres ſubſiſtentes; ita S. Bonauentura diſt. 13. quæſt. 3. diffuſe, & diſt. 15. quæſt. 1. & 3. conſimili modo de relationibus cogitandum, vt primo modo ſumantur ſecundum totam, & integram, & completam, & adæquatam rationem formalem diuinam, vt ſunt in ſe claudentes Diuinam eſſentiam, & conſtituentes in ratione perſonæ ſubſiſtentis, in communi. Secundo vt præcisè, & condiſtinctæ à Diuina eſſentia; quatenus dumtaxat ordinem, & oppoſitionem vnius perſonæ ad alteram dicit. Ita quoque quālibet perſonam Diuinam, aſſumere licet, vt v. g. Pater ſignificet, aut præcisè relationem in concreto, aut integrum perſonam, ex eſſentia, & relatione conſtantem.

Secundum ferè ex primo conſectarium: quæ Diuinæ eſſentiæ tribui ſolent, ſub duplici ratione, ſecundum noſtrum intelligendi modum, fieri poteſt. Primo quatenus ſub hac ratione, communicabilis tribus perſonis: hoc namque ſenſu, ei competunt prædicata, & attributa omnia abſoluta, tum ſimpliciter, tum quamcumque relationem rationis, dicentia ad creaturas, tam affirmatiua, quam negatiua. Secundo vt quidditatiue conſtitui nata, ſub ratione perſonæ, & modificabilis relationibus ad eſſe in tribus. quo ei competunt; origines, actus notionales, relationes Trinitatis, & quicquid ad hoc diuiniſſimum Myſterium pertinet: ita tamen vt vtraque hæc acceptio Diuinæ eſſentiæ, ad totam, & integram, & adæquatam rationem ipſius, vt ita dicam, conſtituendam adeo requiratur, vt qui vnam præcisè ſine altera aſſumeret, inadæquatè, & conciſe eandem Diuinam eſſentiam aſſumeret; vt à parte rei, obiectiuè vnica ſit res formalis, omnem rationem, tum abſoluti tum relatiui, complectens, diſtinctam opere intellectus noſtri, ſemper imperſectè, & inconcisè intelligentis.

Tertium pariter inde, animaduertendum. inadæquatam eſſe conuerſionem inter relationes ſingulas, & Diuinam eſſentiam: eſſentia ſiquidem, ſicut, tribus communis, nullique propria, vt claudatur ſub conceptu quiditatiuo, v. g. Paternitatis, non oportet, vt ſecundum omnem rationem, filiationis, & ſpirationis paſſiuæ, claudatur: Sicuti enim paternitas vt opponitur, non eſt filiatio, &c. eadē ratione clauſa in ratione paternitatis eſſentia non erit in ratione filiationis; vice vero verſa: eſſentia claudens paternitatem, claudit & filiationem, &c. ratio vero eſt: nam eſſentia eſt paternitas, & filiatio, & ſpiratio ſingulaſque perſonas complectitur, paternitas verò non eſt eſſentia adæquatè: neque enim eſt filiatio. non itaque ad conuertentiam adæquatè dicuntur: ſed paternitas ſolum ſui ratione eſſentiam claudit &c. eſſentia verò vt tribus communis ſingulas claudit.

Quartum poſtremo valde obſeruandum; eſt admodum diuerſus, inferendi modus, ab eſſentia ad relationem, & vice verſa à relatione ad eſſentiam, ab eo quæ eſt à relatione ad relationem, in Diuinis præſertim. In primo enim modo, eſſentia & relatio, eſt omnino idem: in ſecundo vero, interiacet oppoſitio & diſtinctio realis. ratione primi, Pater eſt in Filio, & Spiritu Sācto: ratione vero ſecundi, manent diſtinctiſſimæ perſonæ & relationes: & licet per circumincessionem, vna perſona ſit in alia, vt teſtatur Io. 14. Dominus, *ego in Patre, & Pater in me eſt*, idque ratione, tum eſſentiæ, tum termini correlatiui: non impedit tamen, quin perſonæ ad inuicem ſint diſtinctiſſimæ, vt, inſigne fallaciæ crimen committatur, ſi fiat tranſitus ab vno modo ad alium: quemadmodum ſi diceretur, ſi relatio eſt de ratione eſſentiæ: ergo vbicumque inuenitur eſſentia, inuenitur & relatio, & eſt idem cum illa: ſed inuenitur in Paternitate, & filiatione, & eſt idē cum illa: ergo paternitas eſt filiatio, & idē cum ipſa: eſt enim manifeſtiſsima fallacia ex diuerſo modo inexiſtendi relationes, & *in*, & *ad*, vbi conſtanter ſemper neganda conſequentia paternitas eſt in eſſentia, & filiatio: ergo ſunt idem cum eſſentia veriſſime quidem: ergo ſunt & ad inuicem; nequaquam: eſt enim, alia ratio relationis oppoſitionis. His obſeruatis, exiſtimo, aut tolli litem propoſitam, & conciliari, aut ſolui ex ſe oppoſita, & interpretari ſanctorum loca, vt non ſit opus ſingulari, ac diſtincta ſolutione.

Quod ſi quis obijceret, nos in eſſentia concipere diſtinctè quidditatē relationis, à quidditate eſſentiæ, & eſt diſputatio propoſita, initio capitis huius, de conceptibus prompta reſponſio, hos conceptus varios, & plures, tum neceſſitate immenſæ rei obiectæ, & limitatæ, & imperfectæ virtutis intelligendi intellectus viatoris, tum poteſtate, & libertate, de eadem quidditate obiectiua infinita multiplicare conceptus cogimur & delectamur. hoc explicatiſsime docuit ſupra S. Doctor ſub prima ratione, nimirum neceſsitatis: delectationis vero ratione, nemò negabit poſſe quemquam ſub vnica ratione concipere, quod ſub pluribus vult facere; conſtat enim ex varijs & contrarijs Theologorum ſentētijs præſertim in hac re, de qua in præſentiarum de ijs vero conceptibus ſic multiplicatis non eſt diſquiſitio. vnicus erit conceptus in beatis, Deum ſicuti eſt, intuentibus. quod fortaſſe Zacharias Propheta c. 14. illis verbis indicauit. *In illa die erit Dominus vnus, & erit nomen eius*

vnum. vt vertunt non ſolum auctor vulgatæ, ſed etiam 70. interpretes, & ipſe Pagninus ex Hebræo: licet enim de vnico veri Dei cultu, & religione, deſtructis & exploſis vbique terrarum Demonum Idolis, & omnibus fictis ſimulacris; prædicationis Apoſtolorum, & Eccleſiæ doctorum tempore, quo vnus, iſque verus Deus Chriſtus, & Dominus Noſter, cognoſcetur, & vera latriæ adoratione coletur, eique toto terrarum orbe munda oblatio fiet, ſit prophetia: De glorioſo tamen cultu, quo futuro eodemque æterno ſeculo in cælis, cælicolæ beati, ſimpliciſsimum Deum vnum & trinum vnico nomine inuocabunt; & ſub vnica ratione beate cognoſcent, & vnico actu completo, & perfecto nullaque ratione multiplicato, contuebuntur, valde ſuaui, & arridenti, interpretatione interpretari congruit, quod graues Theologi egregiè præſtant.

Sanctum Bonauenturam in hanc ſententiam explicate audemus, vt non de varia obiectiua quidditate, ſed de varijs viatoris conceptibus neceſſario imperfectis & inadæquatis loquutus ſit; tum neceſsitate, tum voluntate efformatis, vt ſibi facilius hoc Diuiniſsimum myſterium intelligendum accomodaret, idque ego mea ſententia cogor vt commentator præſtare vt ab inconſtantia dicendi, & cõtradictione eum tuear: cum enim vno loco eſſentiales vocauerit prædicationes, conſimiles, eſſentia eſt Diuina perſona; alio, ratio perſonæ, totum perſonæ comprehendit, nimirum relationem & eſſentiam, alio, prædicationes identitas in Deo eſſe maxime proprias quia eius ſumma vnitas; alio, nos multos de eadem re infinita parere conceptus, vnicam rem, & rationem obiectiuam ſemper videtur faſſus; è contra vero, alibi eſſentiã non ſupponere relationẽ, neque vice verſa. relationem, eſſentiam; in intelligibile eſſe multiplicari perſonas non multiplicata eſſentia, niſi vtriuſq; ſit diuerſa ratio; tollitur verò ex explicata iam iam difficultate & primis locis de vnitate obiectiua, ſecundis vero de pluralitate conceptuum, ex neceſsitate per eorum imperfectionem, & inadæquationem, vt quoquo modo ſuppoſita fide, ſibi myſterium adaptet cognitionis modum fingat, & componat Theologus. Ob reuerentiam tamen tanti magiſtri ſuis dubitationibus propoſitis ſic reſpondeo diſtincte, eaſque ſic interpretor, licet iam ſupra ſatis excuſſæ ſint.

Primum. In intelligibile eſt, ſi non differunt ratione, eſſentia, & relatio, quin multiplicatis perſonis, multiplicetur, & eſſentia; interpretor enim. Primo veriſsimum eſſe, in intelligibile nobis eſſe hoc maximum Sacramentum, & ipſe ſæpe tradidit, magis fidei quam rationibus inhærendum, & hoc eodem modo plures Sancti Patres inprimis Sanctiſsimus Hillarius, reſpondiſſe ſupra recenſiti ſunt; hinc ſibi varias rationes effinxit neceſsitas, vt aliquo modo intelligat hanc rem fide reuelatam. Secundo, ſuppoſita fide; ſi ad mentẽ, eaq; doctiſsime de Diuina ſimplicitate, docuit, reuocemus ſcilicet; immultiplicabilẽ eſſe Diuinã eſſentiã in tribus, quia infinita, & infinite ſimplex, & hoc eſſe potiſsimum de hac ſimplicitate ſumma, argumentat.

quia communicatur pluribus, & non multiplicatur. Tertio eadem redit difficultas de identitate reali vt ſic, ſicuti ſupra.

Secundum. Si eſſet eadem ratio eſſentiæ & relationis. vbi eſſet eſsentia eſset, & relatio: eſſentia eſset in Filio: ergo & paternitas. Primo reſpondit ipſe ſupra, quando interpretabatur, quæcumque ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem, & inter ſe, ibi enim ſoluit, alia eſt ratio relationis qua idẽ tertio in eoq; per identitatem eſt, alia qua refertur ad terminum, terminoque opponitur, quæ ſolutio hic apprime deſeruit, eſt relatio Patris in Filio vt idem cum eſsentia; non eſt vt *ad*, ſed ei opponitur. Secundo ineſt Filio ſicuti in termino, non autem vt forma conſtituens Filium.

Tertium cuiuſcumque ſit. Eſſentia eſt abſoluta & communicabilis; proprietas eſt relatiua, & incommunicabilis: ergo vnum non eſt de ratione alterius: alias relatiuum erit abſolutum, & abſolutum relatiuum, & communicata eſſentia, communicaretur & relatio.

Reſpondetur, abſolutum quidem non eſſe de ratione relationis finitæ, ſed bene de ratione relationes infinitæ in ratione, & latitudine entis: Deus enim abſolute in latitudine entis, eſt ens, & abſolutum & relatiuum; quia omne ens. Secundo iam ſupra, communicabile non opponitur incommunicabili ſicuti neque commune, proprio, negatur vero inde ſequi relatiuum eſſe abſolutum. Tertio reſpondetur relationem quidem non eſſe abſolutam, ſed eſſentialiter includi in ratione abſoluti, & vice verſa. ad formam argumenti: negõ antecedens, tum ſi ſumatur relatio, vt ineſt eſſentiæ & in ratione, *in*, tum quia ens diuinum vtrumque complectitur, Secundo: nego conſequentiam: ſicuti alia eſt ratio entis, alia ſubſtantiæ, & tamen ens quidditatiue continetur in ſubſtantia, ita & abſolutum in relatiuo &c. non enim relatio ineſt eſſentiæ ſub ratione communicabilis, ſicuti neque eſſentia ineſt neque clauditur à relatione, ſub ratione communicabili, nam perſona conſtans ex eſſentia & relatione, communicabilis non eſt, alias non eſſet perſona, ita in genere reſpondet Henricus ſupra relatus.

CAPVT IIII.

An, & quomodo ad inuicem Diuinæ relationes diſtinguantur.

CAput hoc ideo proponitur vt qua ratione prætermittitur oſtendatur ſi de relationibus in eadem perſona, vel de eadem relatione in pluribus perſonis fiat ſermo, hic non eſt operæ pretium dubitare, aut operam perdere, alias enim reſſoluta eſt; ſi verò de relationibus oppoſitis, cũ eadem ſit difficultas, & difficultatis ratio cum ea quæ de perſonis, ne bis inutiliter eadem res diſquiratur, differenda in diſputationem de diſtinctione perſonarum, eo præſertim, quia res de fide certa eſt, nulluſque dubitationi relinquitur. locus & etiam plura, quæ videbantur rem difficilem reddere, alijs locis proprijs, excutiuntur.

CA-

CAPVT IGITVR V.

Quales ſint in Deo relationes, nimirum an aliquam perfectionem vt ſic dicant.

IN Deo optimo Maximo ipſaque ſumma, & infinita perfectione vndequaque, ſi audierent puſilli, inter Theologos, eſſe diſceptationem, & litem, & multorum placitum, inueniri aliquid intrinſecum Deo, quod tamen ne dum non ſit infinitè perfectum, ſed neque vllam dicat perfectionem, relationes nimirum: ſcandalum fortaſsè paterentur, indigerentque vt capaciores, quam ſonet vox, & monſtret prima facies huius propoſitæ quæſtionis, reddderentur.

Ego quoque meam fateor puſillitatem, vt aut adhuc rem Theologicam non tetigerim, aut res hæc quæ proponitur diſputanda, maxima mihi videatur. Quam tamen, adeo mordicus quidam, per docti, & mirum eruditi Theologi, relationes Diuinas ſcilicet non dicere ex ſe perfectionem, tueri conantur, eo præſertim, ſi quod ſupra probatum, & rationibus munitum verum eſt, omnium in Deo vnicam eſſe rationem, vt vnum attributum ſit de ratione alterius, & relatiuum de ratione abſoluti: tunc enim repugnabit relationem Diuinam poſſe concipi ſine eſſentia; tunc quoque contradicet relationem ſine perfectione cogitari poſſe: ac quocumque modo ſumatur vel vt, *In* vel vt, *Ad*, non poteſt ritè negari, non ad Deum optimum Maximum pertinere intrinſece; ſed in meo ſenſu nimis abundo fortaſſe.

Audiamus Magiſtros Theologos quaſi ex ſuggeſto ſuam de hac re ſententiam promentes & meliora quæque ex illis colligamus, & primo loco ſanctum Doctorem, ipſiuſque ex munere tum commentatorem, tum propugnatorem agamus. Ipſum Seraphicum Diuinæ bonitatis amore ardentiſſime flagrantem, de re hac, quæſtionem non inſtituiſſe, compertum, atque exploratum eſt; idque ex animo, & de induſtria, mea quidem ſententia: tunc enim temporis inter grauiſſimos illos Theologos, ac Patres, ac ſanctiores, orta non erat hæc quæſtio, neque illis in mentem vnquam venire poterat ſub aliqua ratione poſſe ab homine Deum concipi non amabilem, neq; perfectum quod idem eſt, ſicuti faciũt qui eum ſub ratione perſonæ & relationis oppoſitę non eſſe perfectum autumãt. Quare hanc veritatem, ceu exploratiſſimam, intactam reliquere, atque inconcuſſam ſuppoſuere.

Multis tamen locis pro opportunitate ſibi obuiantibus, non prætermiſit indicare, quid ipſe ſentiebat. Colligam, & indicabo pauca, quæ ſatis ſuperque explorabunt nobis ſancti Doctoris mentem, intellectum patifacient. Primo diſt. 6. quæſt. prima Generationem in Diuinis ponendam eſſe præciſis omnibus imperfectionibus, tradit: quia perfectionem dicit: ergo generatio actiua Paternitas, & relatio præciſe ſumpta eſt ſumma perfectione dum dicat aliquam perfectionem, erit infra huius conſequentiæ ratio. Dicit generationem in Diuinis diſtinguere: ergo generatio illa, quam vt perfectionem requiſitam ponit in Deo; accipit præciſè, & vt refertur; nam accipit, vt diſtinguit. eadem quæſtione ad eandem generationẽ in Deo confirmandam, colligit ex Diuina ſumma bonitate communicabili, & vt verius loquar communicata, & hoc modo Deus ſumme bonus communicatur: ergo per generationem veluti primum modum, & primã rationem communicandi: ergo generatio ſummæ communicationis ratio, eſt optima, ne dum bona. eadem ratione diſt. 10. ponenda emanatio ſecunda, per modum charitatis, & liberalitatis; quibus liquido ſpirationem dicere liberalitatem præciſè in ordine ad Spiritum ſanctũ & inde perfectionem, aſtruit. Diſt. 23. quæſt. 1. ideo quia in humanis hæc vox *perſona* excellẽtiam & dignitatem ſignificat ad Diuina vbi eſt ſuppoſitum nobiliſſima proprietate diſtinctum, omni ratione tranſlata, eſt, vbi clarius, quam expectari poſſet ſanctus Doctor perſonam proprietate diſtincta in Deo importare dignitatem, & excellentiam, fatetur. Gloſſulam hic, qua Scotus hoc commune dictum ex Boetio carpit, non aſſero: quia nunc nec pro Magiſtro, nec pro veritate pugno; ipſius Magiſtri mentem dumtaxat quæro, & in apertum profero. Diſt. 31. quæſt. prima, Patrem diligere Filium, & Filium Patrem, diſtinctas perſonas enucleatè profitetur: ergo neceſſario ſupponit, & Patrem, & Filium diſtinctas perſonas eſſe diligibiles & conſequenter bonos, & perfectos. Diſt. 33. quæſt. 2. ad vltimum, Relationibus, hæc prædicata negatiua, vel potius affirmatiua, tamen creaturis oppoſita, *immenſum, infinitũ &c.* docet conuenire. Quis verò iſthæc prædicata, dicere perfectionem negare, non erubeſcet? ac pudore non ſuffundetur? Diſt. 26. quæſt. 4. Innaſcibilitatem eſſe notionem propriam Patris relatiuam priuatiuè & ex conſequenti, poſitiuam: neque tamen perſonalem, ac perſonæ conſtitutiuam, & dicere in Patre excellentiam, & nobilitatem teſtatur: ergo ex Seraphico Doctore, generatio, vt oppoſita filiationi innaſcibilitas, vt propria Patris dicit perfectionem, nobilitatem, & dignitatem: ergo relatio eſt perfectio: neque vnquam vllo loco, quem viderim, docuit, aut minimo verbo ſubindicauit oppoſitum; neque illud quod dixit diſt. 26. quæſt. 2. ad vltimũ, faceſſit negotium; vbi relationem eſſe minimæ entitatis, neque ideo tanquam rem imperfectam in Deo eſſe ponendam, docuit: primo ex prima ibi reſponſione ad argumentum. deinde ex argumento propoſito, vbi de relatione creata, realiter à fundamento differente, erat difficultas, & quod addit, eſt tantum retorquere argumentum & aduerſario, arma ſubripere ad ſuam ipſius defenſionem dicens, eſſe minimæ entitatis. Ego dico; eſto: ergo ponenda in Deo, quia tunc non componet.

Quod verò, & S. Th. cum Sancto Doctore noſtro, pluribus locis in hanc eandem inclinet ſententiam, facile colligitur, primo quæſt. 27. art. 2. ad tertium, cum ait in ipſa perfectione Diuini eſſe continetur verbum: quæ Gaietanus verba dicit eſſe aurea in fine cõmentarij. Quibus verbum, vt verbum pertinere ad perfectionem Diuini eſſe do-

cet; quæſt. 28. 3. art. ad tertium ſuppooit ſubſiſtentiam eſſe perfectionem. quæſt. 8. de potentia art. 1. arg. 8. ſumpto eum ſolutione manifeſte ſuppouit, quod eſſentiæ Diuinæ deeſſet aliquid ad ſuam perfectionem; ſi illi deeſſent relationes identificatæ cum illa. quæſt. 29. art. 3. in corpore. *Perſona,* inquit, *ſignificat id quod eſt perfectiſſimum in tota natura ſcilicet ſubſiſtens in natura rationali: vnde cum omne illud, quod eſt perfectionis, Deo ſit attribuendum, eo quod eius eſſentia continet in ſe omnem perfectionem, conueniens eſt, vt hoc nómen, perſona, de Deo dicatur*: Quicquid contra hoc euidentiſsimum teſtimonium conetur Caietanus in ſuo cōmentario, tertia parte quæſt. 3. art. 1. ad tertium: *hoc,* inquit, *eſt proprium Diuinæ perſonæ propter eius infinitatem, vt ſtat in ea concurſus naturarum non quidem accidentaliter, ſed ſecundum ſubſiſtentiā.* opuſculo primo contra errores Græc. cap. 2. in fine, D. Baſilij teſtimonium de dignitate Patris exponit; non de dignitate naturali ſed de perſonali, *ſicut,* inquit, & *ſecundum nos dicitur quod perſona eſt hypoſtaſis proprietate diſtincta, ad dignitate pertinente*, & eodem modo intelligit Auctoritatem, D. Hilarij cap. 7. *commune eſt inquit Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, quod nullus eorum ſit indigens*; item *commune eſt cuilibet eorum quod nullus ſine alijs duobus poſſit eſſe Deus perfectus*. Denique quæſt. 29. art. 3. ad ſecundum, ſuſcipit, amplectitur & exponit communem perſonæ definitionem, ſcilicet eſſe hypoſtaſim diſtincta proprietate ad dignitatem pertinente. neq; quod docuit quæſt. 28, art. 2. ad tertium, aduerſatur, his verbis: *ſi in Diuina perfectione nihil plus contineretur quam, quod ſignificat nomen relatiuum, ſequeretur quod eius eſſe, eſſet imperfectum*: non enim vult relationem illo loco ex ſe dicere imperfectionem, ſed tantum quod ſi eſſeutia Diuina ſolum haberet rationem relationis qualem habent relationes creatę, haberet adiunctam imperfectionem, vel accidentis, vel entis rationis, vel diminuiti; vel ſi careret eſſentia abſoluta & eſſe vt pura relatio; neq. tamen, quidquid addat Caiet. ex hoc loco colligere licet: S. Th. ſentire perfectionem nō dicere relationem Diuinam vt ſic: non enim hic locus erat quærendi de re hac, & hoc ſenſu quem hucuſque retulimus multi Thomiſtæ interpretantur D. Th.

4 Eadem veritas colligitur ex Alexandro, prima parte quæſt. 69. membro ſecundo dicente innaſcibilitas ſecundum poſitinum quod dicit, & Paternitas, eſt perfectio Dei. Ex Alberto magno in ſumma quæſt. 42. membro 2. particula prima ad ſecundum, & particula 2. ad finem, dicente, *perſona Diuina eſt ens perfectum, & poſſidet perfectam rationem, & veritatem perſonæ*. & ſequenti membro tertio. *In tribus perſonis eſt ſufficientia perfectionis perſonarum, vt propterea non poſſunt eſſe plures perſonæ.* eandem ſententiam ſequuti ſunt Henricus quodlibet primo quæſt. 1. Gregorius Ariminenſis in primo diſt. 20. quæſt. 1. art. 1. dum impugnat oppoſitas ſententias, & diſt. 33. quæſt. vnica art. 3. ad ſextum, vbi tantum negat relationibus, perfectionem ſimpliciter; aliam verò perfectionem in proprio genere, concedit Maior in primo diſt. 19. quæſt. vnica ad argumenta, etiam perfectionem ſimpliciter cōcedit, & diſt. 37. abſolutè affirmat, relationes Diuinas dicere perfectionem: quia ſunt ipſa Diuinitas: Marſilius in primo quæſt. 23. art. 3. corollario 4. Ocham in primo diſt. 19. dum reſpondet ad dubium primum, & in fine quæſt. Gabriel in primo diſt. 7. quæſt. 2. art. 2. Aureolus in primo diſt. 19. parte 2. art. 3. Clictouæus in D. Damaſcenum lib. primo fidei cap. 11. Heruæus in primo diſt. 2. quæſt. 4. art. 1. Torres prima parte quæſt. 28, art. 2. Caietanns 3. parte quæſt. 3. art. 1. Perſonalitates Diuinæ ſunt infinitæ perfectæ vt ſubſiſtētes, & hoc modo, vt relationes; nam ſicut ſubſiſtentes numerantur, & ſunt tres, ita rationes ſubſiſtendi ideſt perfectiones. Bannes in hunc articulum primo omnis relatio, ſiue creata, ſiue increata dicit perfectionem, ſecundo, Relatio Diuina quatenus diuina etiam prçcisè ſumpta non ſolum, vt conſtituit perſonam, ſed etiam, vt facit referre, & dicit (Ad) dicit perfectionem Diuinam, & ſimpliciter infinitam. Zumellus diſputat. 5. primo Relatio Diuina ſecundum eſſe ſuum totum, tum abſolutum, tum relatiuum, dicit perfectionem. Secundo vt propriè, & præcisè ſumpta in ordine ad terminum, dicit perfectionem, ratione diſtinctam à perfectione eſſentiæ. Tertio perfectio vnius relationis v.g. Paternitatis, non eadem formaliter in omnibus perfectionibus. Quarto perfectio Diuina relatiua non eſt ita in vna perſona quin ſit, & in alia. Gregorius de Valentia quæſt. 2. de relationibus Diuinis puncto primo ad tertium argument. primo. Relatio Diuina obiectiuè ſumpta & quo ad ſuum eſſe reale proprium eſt perfectio ſimpliciter infinita ſecūdo perfectio vnius relationis eſt diſtincta à perfectione relationis oppoſitæ; ita vt cōcedi poſsit in Deo ſunt tres infinitates relatiuæ. Tertio oppoſita opinio negans relationem Diuinam præcisè ſumptam obiectiuè eſſe perfectam, non eſt toleranda, eandem doctrinam tradit in controuerſijs de Trinitate lib. 2. cap. 12. Gabriel Vaſquez diſputatione 122. cap. 6. & 7. primo, Relatio Diuina vt *ad*, eſt perfectio infinita. Secundo eadem perfectio Paternitatis, & Filiationis eſt; neque mirum ſi multiplicata perfecta relatione, non multiplicatur perfectio: nam primo vt Maior primo diſt. 33. in quæſt. 1. ad. 1. & Canatienſis in art. 2. quæſt. 28. S. Thomę diſputatione 3. parte 2. in argumento 4. reſpondetur. Relatio, ideo multiplicatur quia opponitur vna alteri: perfectio verò relationum cum non opponatur nec neceſſe, nec mirum ſi minus multiplicetur. Quo res valde commoda ſequitur, & tollitur cuiuſdam argumenti difficultas, nimirum non poſſe dici aliquam perfectionem eſſe in vna perſona, quę non ſit in altera, & hinc omnis ſuſpitio Diuinarum perſonarum inæqualitatis, euaneſcit: ſi namque erit ſolummodo vna perfectio relatiua, eadem erit in omnibus perſonis, & hac etiam perfectione, erunt omnino æquales. Tertio ipſe Vaſquez Relationes in Deo ad Deum ſpectant, & intrinſecè requiruntur, vt ſint quaſi de conſtitutione, & integritate ipſius

Dei

Dei conſtantis ex eſſentia, attributis, & relationibus, itaut ſi deeſſent Deo relationes, non eſſet perfectus Deus ſicuti: ſi eſt ei quoque aut bonitas, aut iuſtitia deeſſet, imperfectus eſſet Deus. Quarto Eedem relationes adhuc in Deo ponuntur, vt ei conſentaneę, & eum perficientes, & hinc patet primo, tres relationes, eſſe vnam tantum perfectionem: quia vna ſola Dei integritas, & infinita perfectio, qua eſt perfectiſſimus Deus. Secundo, Relationes Deo conſentaneæ, Deumque perficientes, ſicuti non differunt à Deo, niſi ratione, ita non plurificant, quatenus perfectæ, niſi ratione. Suarez lib. 3. de Trinit. cap. 9. & deinceps; primo reiecto hoc modo dicendi Vaſquez, ait, & aperte teſtatur oppoſitam ſententiam perfectionem relationum negantem, ſemper ei viſam, duram, & admodum difficilem. Secundo, relationem Diuinam perfectionem diſtinctam ab alia alterius relationis perfectione, eamque tranſcendentalem, & infinitam, neque tamen infinitè perfectam ſimpliciter in genere entis, ſed in tali genere eius relationis &c. itaut relati omnes, & alij quos de induſtria prætermittimus, de Diuinis relationibus, in bonitate ſentientes, eas, & eſſe perfectas, & infinitè perfectas, quoquomodo, vel communi, vel propria acceptione ſumantur, conſtanter aſſerant: quocumque modo in Deo enim ſint, ſunt Diuinæ, ſunt Deo intrinſecè, Diuinæ eſſentiæ modi intrinſeci ſunt. Quod verò earum perfectiones plurificentur nec ne, ſed vna remaneant, hoc mihi non faceſſit negotium, relinquo Theologorum opinionum latitudini. Poſt omnes temporibus noſtris vberrimè, & doctiſsime inter omnes, Didacus de Montoia de Trinitate diſputatione 29. & 30.

Sed quid? Scotus ipſe quidquid alibi dixerit primo Sententiarum diſt. 1. quæſt. 2. argumento principali primo, & in eius ſolutione, concedit relationes Diuinas habere rationem boni conuertibilis cum ente, licet non boni fruibilis &c. quia relatio non eſt bonum perfectum.

Sententia hæc quam tueri profitemur, accepta eſt ex Sanctis Conciliis, & Patribus, qui ſubſiſtentias, & perſonas appellant perfectas, & Trinitatem perfectam, ideo ex ipſis tuenda, & confirmanda. Concilium Nycenum, vt habetur in libro ſecundo, de actis eius ante conſtitutionem decretorum §. Sancta, & magna, ita definit. *Verbum eſt perſona perfecta ex perfecta, & Filius perfectus, ſicut & Pater*; & longe inferius §. non difficile. *Vna eſt Diuinitas Sancta Trinitatis, quæ in tribus ſubſiſtentijs perfectis, & æqualibus conſideratur.*

Primum Concilium Conſtantinopolitanum, in Epiſtola ad Damaſum Papam. *Credimus* inquit *æqualem honorem, & dignitatem, & imperium coæternum in tribus perfectiſsimis ſubſiſtentijs, ſeu tribus perfectis perſonis.* Sophronius in Epiſtola quæ habetur in ſeſta Synodo generali, actione 11. Subſiſtentijs, & proprietatibus intellectualibus perfectis numerari Trinitatem aſſerit. Quibus locis ſi concilia illa, & epiſtolæ conciliares loquutæ ſunt propriè formaliter, & penes rationem ſubſiſtentiæ, vt decentiſsimum eſt exiſtimare, nimis apertum eſt tribui perfectionem relationibus, & perſonis Diuinis, vt ſic.

Eodem modo interpretādi ſunt Patres ſtatim referendi de eiſdem proprietatibus Diuinis: D. enim Dyoniſius de Diuinis nominibus cap. 2. *demonſtratum eſt*, inquit *nomina omnia, quæ Deo digna ſunt ſemper non ſingillatim per partes, ſed in tota perfecta, integra, plenaque Diuinitate à Diuinis Scripturis laudari*; quo loco vniuerſam Trinitatem, quæ tres perſonas complectitur, euidentiſsime intelligit, vnde ſequitur: ergo Trinitas eſt perfecta, integra, plenaque Diuinitas. D. Iuſtinus in expoſitione fidei de Trinitate. *Maluimus* inquit *vnius Deitatis in tribus perfectis ſubſiſtentijs notitiam exponere.* D. Athanaſius orat. 2. contra Arrianos: *Si non eſt* inquit *Filius proprium ſubſtantiæ Patris germen, ſed ex non entibus emerſit: ex non entibus quoque conſtata eſt Trinitas, & fuit aliquando, quando non Trinitas, ſed vnitas dumtaxat erat, ipſaque aliquando Trinitas, non integra, aliquando autem plena fuit: non integra quidem, cum non dum eſſet Filius; plena autem cum Filius eſſe incepiſſet*, & infra vocat *Trinitatem perfectam.* D. Baſilius hom. 28. contra Sabellianos. *Filius*, inquit, *ex Patre ſempiternè perfecto, perfectus reſplendens*, & lib. 5. contra Eunomium. *Verbum viuens eſt perſona perfecta, & Spiritus ſimiliter.* D. Epiphanius hæreſi 69. *Tria perfecta, vna Deitas*, & infra: *duo perfecta Pater, & Filius*, & in fine, *eum tres ſint perfectæ ſubſtantiæ, ideſt ſubſiſtentiæ, vna vero Deitas Patris &c.* D. Cyrillus Alex lib. 1. Theſauri cap. 6. *Perfectus eſt non ſolum quia Deus, ſed etiam quia Pater eſt*, mirus locus ad indicandum quod quæritur, eo præſertim, quo ſtatim adiungit: *notio ergo perfectionis fœcunditas eſt.* D. Damaſcenus lib. 1. fidei cap. 11. *Secundum cauſam* inqnit, *& cauſale, & perſonalem perfectionem ideſt exiſtentia modum differentiam intelligimus*; idem S. Doctor, aſſerit libro de Decretis primæ inſtitutionis cap. 1. & epiſtola de Triſagio. *Pater, Verbum, & Spiritus Patris ſunt hypoſtaſes perfectæ.* D. Hieronymus Epiſtola 57. ad Damaſum, *ſufficiat*, inquit *nobis dicere, vnam ſubſtantiam, tres perſonas ſubſiſtentes perfectas, æquales.*

Eandem veritatem plures ſanctiſſimi Patres colligunt, & affirmant ex verbis Apoſtoli Hebr. primo. *Qui cum ſit ſplendor gloriæ & figura ſubſtantiæ &c.* quatenus vocat filium ſplendorem gloriæ & figuram: ideſt ſimilitudinem perfectam, & imaginem Patris: eiuſmodi enim voces mitificam dignitatem, & perfectionem prædicant: ita D. Baſilius loco citato. Theod. in Epitome Diuinorum Decretorum lib. 2. cap. 5. Alexander Alexandrinus Epiſtola ad Alexandrum Conſtātinopolitanum, & alij. Idem ſecundo confirmant ex innaſcibilitate, & auctoritate Patris producētis Verbum, & Spiritum ſanctum: ſic D. Nazianzenus oratione 26. ſic D. Gregorius Nyſſenus lib. de differentia eſſentiæ, & perſonæ: ſic D. Hilarius lib. 4. de Trinitate, & lib. 9. & lib. 11. D. Auguſt. tract. 59. in Ioannem, & quæſt. 122. ex quæſtionibus veteris, &

Digitized by Google

noui Teſtamenti & D. Cyrillus loco indicato.

D. Nazianzenus oratione 13. *quanto Deus*, inquit, *rebus creatis excellentior eſt tanto vtique prima cauſa magnificentius eſt Diuinitatis, quam rerum creaturarum principium eſſe &c.* quibus verbis Deum Patrem eſſe principium diuinitatis ideſt Filij, & Spiritus ſancti magnificentius quiddam eſſe, quam eſſe principium creaturarum apertis verbis profitetur: & paulo inferius eadem oratione aſſerit *Patri eſſe gloria acceſſionem, eſſe Patrem Filij, & Spiritus ſancti productorem &c.* ergo Paternitas, & ſpiratio actiua eſt quid glorioſum, & præſtantiſſimum vt ſic conceptum, & quoquomodo diſtinctum à Diuinitate; Eadem ratione *laudanda eſſe*, inquit, *quæ manant à Patre ſcilicet Filium & Spiritum ſanctum*: ſed per ipſum Ariſt. primo Ethicorum cap. 12. *non eſt laudandum, niſi quod bonum & perfectum eſt*: ergo ſi laudanda perſona Filij, & Spiritus ſancti, perfecta eſt; ergo perſonalitas & relatio dicit perfectionem.

Sed ne dum ex Patribus, verum ex Diuinis literis confirmanda eſt hæc ſententia, quam profitemur & loca confirmationis in promptu ſunt. Primo, omnia illa Diuinarum literarum loca, quibus Diuinæ perſonæ ſe inuicem dicuntur amare: ſi enim Pater amat filium, & filius Patrem &c. ergo boni, & perfecti. *Hic eſt filius meus dilectus in quo mihi bene complacui &c.* D. Ioannes dicit filium Patri eſſe *chariſſimum*. Prouerbium Theologicū & dogma; Pater, & filius amant ſe ad inuicem Spirando Spiritum ſanctum. Ad Hebr. 1. de filio verba faciens, Apoſtolus vocat filium ſplendorem gloriæ & characterem Diuinæ ſubſtantiæ: *cum ſit ſplendor gloriæ & figura ſubſtantiæ eius* quem locum Sancti Patres, vt ſupra notauimus, obſeruauerunt ad hoc propoſitum, vt liceat argumentari, filius vt à Patre diſtinctus, eſt ſplendor, & figura, & character, & perfectiſſima imago Patris: ergo perfectionem dicit.

Nec ſoluit, quod fortaſſe obijcietur, quod perſonæ ad inuicem ſe amando amant Diuinam eſſentiam: quia ipſa ſola amabilis eſt: reſpondetur enim ad inuicem ſe amare, vt Patrem, & filium, & diſtinctas perſonas & ita Diuinam Scripturam loqui, & in proprio ſermone interpretandam eſſe, & perſonam includere quidē Diuinam eſſentiam, tamen conſtitui, & diſtingui præciſe per relationem.

Confirmatur omnibus illis exemplis, quibus Patres ſanctiſſimæ Trinitatis myſterium explicarunt. Tertulianus in Apologetico *ex ſole egreditur radius, & ex vtroque ſplendor*. Tria ſunt, ſol, radius, & ſplendor ad inuicem diſtincta, tamen pulcherrima viſu, & in ſe excellentiſſima. D. Gregorius Niſſenus ad Simplicium de fide. D. Aug. ad Cathecumenos de fide. ad eandē rem quoquomodo declarandam, ignis exemplum aſſumunt & Splendorem, & calorem in eo animaduertunt. *Sunt tria* inquiunt *coæua, ignis & ſplendor, & ex vtroque calor in eodem igne diſtincta, & eadem pulchritudine; & venuſtate*. D. Nazianzenus fontis riuuli, & lacus ſimilitudine illuſtrat, & mirum quanta voluptate, aquam, & in riuulo, & in lacu quoquomodo diſtinctam deguſtamus. & ſolidiori auctoritate, Geneſis 40. & multorum allegoria proponitur vna vitis tribus propaginibus diſtincta ad idem myſterium teſtandum, & ſingulæ propagines, viſu pulchræ, & delectabiles. Et ſexcenta id genus, quæ poſſent in medium afferri, quibus mirificè, quod præſeferunt tres ſcilicet Diuinas perſonas, vt tres eſſe maximè amabiles perſuadetur. ex quibus D. Bonauentura diſt. 2. colligit Trinitatis myſterium auctore Riccardo de S. Victore; propter ſummam iucunditatem, & dilectionem & condilectionem danda in Deo perſonarum Trinitas &c. ergo perſonæ ad inuicem ſunt iucundæ, et diligibiles &c.

Tertio, diminutus, et imperfectus fuiſſet Deus ſi illi deſuiſſet formalis, et explicita ratio perſonalitatis et relationis: ergo relatio, et perſonalitas, vt ſic, perfectionem peculiarem dicit, et perficit, et complet diuinitatem. Probatur antecedens primo: nam ſine ratione formali perſonalitatis, et relationis non eſſet, neque fæcundus, neque potens generare. Pater, vt conſtat: ergo. ſecundo ſi non eſſet in Deo principium quod, generandi, et ſpirandi; non eſſet, neque filius genitus neque Spiritus ſpiratus, Deus eſſet mutus, ſine locutione, et ſermone et ſapientia, et ita non eſſet Trinitas, et ita tanta perfectione careret Deus, vt non eſſet Deus. Probatur conſequentia. Quæcumque enim priuatio, et imperfectio, conſtituitur in eſſe per abſentiam formæ perficientis: ita enim quis dicitur indoctus, quia caret forma doctrinæ: ergo ſi Deus ſine perſonis eſſet, imperfectus, id vtique eſſet, quia perſonalitas eſt forma perficiens.

Magnifaciendus hic argumentandi modus: pendet enim ex ſupra citatis Patribus, et frequens, inuenitur apud ipſos Patres ſanctos; præſertim apud D. Athanaſium, qui oratione ſecunda: *ſi Patri* inquit *non æterna eſt ſua ſapientia ſiue verbum*, ſequitur, *vt Trinitas æterna non fuerit &c.* ergo priuatio relationum in Deo, et productionum, tollit æternitatem Trinitatis, quæ eſt maxima perfectio, ideo eadem oratione vocat Arianos plagiarios: quia negando conſubſtantialitatem verbi exuunt Deum verbo ſuo, et ſapientia ſua, et lucis ſplendore, quaſi perimunt, et ſterilem conſtituunt. Repetit eandem formam argumentandi ſer. 3. geſtorum Concilij Nicæni, vt refert etiam ſanctus Thomas opuſculo contra errores Græcorum cap. 7. et in compendio de Spiritu ſancto, et diſputatione contra Arrium habita in concilio Niceno, *ſequitur*, inquit *fuiſſe aliquādo tempus, quādo Pater fuit irrationalis ideſt ſine verbo*. Mira conſequutio: ſi verbum non eſt ab æterno productum: ergo Pater ante, quam produceret, erat ſine verbo, et ſine ratione: ſed verbum, et ratio, et Sapientia dicit perfectionem, alias nulla eſſet conſequutio D. Athanaſij, ergo et relatio. Neque ſequitur quod viſus fuit D. Auguſtinus negaſſe. Patrem nimirum eſſe ſapientem formaliter per ſapientiam genitam, cum ſit ſe ipſo ipſa ſapientia; ſed ſequitur quia Pater ſapiens eſt, ſua ſapientia producit verbum, & notitiam & ſapientiam & ſi

non

non produceret, non eſſet ſapiens, & dum producit ſe ſapientem declarat.

Eandem argumentadi vim animaduertere licet apud Nazianzenum oratione 49. *Ideo* inquit *Sapientia appellatur, vt nunquam Pater ſine ſapientia hoc eſt ſine filio ſuo eſſe credatur.* vide poſtea collegit Theophilactus in primum caput Ioannis. *Impoſsibile eſt Deum eſſe abſque ſermone & ſapientia, & virtute &c.*

Et oratione 5. de Theologia. *Si vnum deicis, audax dicam, ne duo ſuperiori loco colloces: qua enim imperfecta Deitatis vtilitas: imo qua Deitas, ſi imperfecta? perfecta autem, quomodo erit; in qua ad perfectionem aliquid deſideratur; deſideratur autem, ſi ſanctitate caret. Hanc quomodo habere queat, niſi Spiritum habeat.* ergo Spiritus ſanctus eſt de perfectione Deitatis.

S. Cyrillus ſecundo Theſauri cap. 1. *non poteſt eſſe perfecta Deitas niſi habeat filium*: eadem S. Athanaſius, oratione 3. contra Arianos, & epiſtola ad Serapionem, vt colligit S. Thomas opuſculo de erroribus Græcorum cap. 7. Sophonius epiſtola in Sexta ſynodo, actione 11. *ſicuti tres ſubſiſtentias exorare didicimus, ità & tres glorificare perſonas inſtruimur.* D. Damaſcenus lib. 1. cap. 3. *tres ſunt qui adorantur Pater, Filius & Spiritus ſanctus.* imo ex diuinis litteris ad Epheſios 4. *flecto genua mea, ad Patrem Domini mei, Ieſu Chriſti.* Io. 5. *vt omnes honorificent Filium, ſicut honorificant Patrem. qui non honorificant Filiũ, non honorificant Patrem*: vbi exquiſite de diſtinct. perſonarum adoratione: ergo diſtinctæ perſonæ adoratione ſunt perfectione digniſſimę. Eodem modo D. Epiphanius hæreſi 69. *ex eo* inquit *quod Pater ſemper perfectus eſt & nunquam perfectione indiget ideoque non poteſt profectum facere in Deitate*, colligit Patrem nunquam fuiſſe ſine Filio quia ſic acquiſiſſet quoque perfectionem: ergo ex Epiph. habere Filium in Deo eſt perfectio.

Idem D. Ambroſius lib. 4. de fide ad Gratianum cap. 4. D. Anſelmus in primam ad Corinthios, cap. 1. in illa verba Chriſtum *Dei virtutem, & Dei ſapientiam*; ita D. Baſilius lib. 2. & libro 4. contra Eunomium. D. Hilarius lib. 12. de Trinitate, & alij.

Huic argumentationi videtur obſtare quod ſcribit D. Athanaſius in Epiſtola ad Serapionem referente D. Thoma opuſculo primo contra errores Greg. cap. 7 *Pater per ſe, & ſine alicuius indigẽtia, plenus & perfectus exiſtens Deus ad ſui perfectionem, neque Filio, neque Spiritu Sancto indiget*: quod confirmant D. Bonauentura in primo diſt. 2. quæſt. 2. ad primum. D. Thomas ibidem quæſt. 1. art. 4. dum aſſerunt, propter indigentiam non multiplicari perſonas: ſi enim non indiget Pater Filio: ergo non perficitur Filio, relationes non perficiunt, neque ſunt perfectiones.

Sed non obſtãt hæc: nulla enim eſt conſequentia, Pater ſine Filio eſt imperfectus: ergo indiget illa perfectione: tunc enim aliquis aliqua re propriè indigere dicitur, quando illam expectat, & recipit ab aliena ſubſtantia, & diſtincta. Secundo Pater non poteſt dici indigere Filio, quia nihil ab ipſo quem producit, recipit.

Ratio perſonalitatis formalis & præciſa, eſt conſtituere naturam in vltimo complemento, vt tradunt communiter Scolaſtici, & ipſemet Scotus aliquando: ſed relatio conſtituit perſonam in eſſe formali perſonæ: ergo perfectio eſt, alias nullius roboris eſſet argumentum. D. Th. & aliorum Theologorum, dum ideo perſonam ponendam eſſe in Deo aſtruunt, quia omne quod dicit perfectionem inuenitur in ipſo, cui rationi, quod opponit Caietanus infra impugnabitur.

D. Athanaſius in Symbolo, & Sancta Eccleſia in præfatio miſſæ Sanctiſsimæ Trinitatis, aſtruunt proprietates Diuinas adorandas eſſe. *Fides catholica hæc eſt, vt vnum Deum in Trinitate, & Trinitatem in vnitate veneremur: & in perſonis adoretur proprietas*: ſed ex ipſo Ariſt. honor eſt reuerentia alicui exhibita propter virtutem, & excellentiam bonitatis quarto Ethicorum cap. 3. & 5. cap. 6. & 8. cap. 8. vt exponit, & S. Th. ſecunda ſecundæ quæſt. 103. art. 1. & 2. & tertia parte quæſt. 25. art. 1. ergo eſt aliqua perfectio in relationibus propter quam adorantur.

Relatio eſt in Deo de fide: ergo dicit perfectionẽ, quidquid enim eſt in Deo, perfectionem debet dicere. Negant aduerſarij in eſſe Deo formaliter, & inde quoque negant conſequentiam: ego verò libenter peterem ab eis, vbi ſint relationes Diuinæ, ſi non ſint in Deo, & quæ nam ſit conſequentia iſta: non ſunt in Deo vt abſoluta, ergo non ſunt in circumferentia Diuini eſſe? Secundo probo ineſſe formaliter, vt ſupra etiam tetigi: nam relationes, vt relationes proprie inſunt Diuinæ perſonæ quatenus eam quaſi formant, ait Sanctus Thomas quatenus eam conſtituunt, & diſtingunt, & vnam ab alijs diſtinctam ſtatuunt ait S. Bonauentura: ergo inſunt formaliter. Secundo adhuc dicunt perfectionem: nam conueniunt Deo, alias non eſſet ſimpliciter infinitus, & careret hoc gradu entitatis relatiuè; nec quicquam eſt, quod obijciunt quidam, primo non eſſe in vniuerſum verum, quod aſſumitur: nam primo negatiuum, non poteſt dicere perfectionem, & tamen ad Deum ſpectare quis negare audebit? Secundo etiam poſitiua relatiua quæque Deo conueniunt: neque tamen perfectionem vllam dicunt, & adeo hoc certum eſt, vt oppoſitum contradictionem inuolbat ſcilicet dicere perfectionem, & eſſe relatiuum, nam perfectio abſoluti eſt. Sed contra: nam primo, attributa Diuina negatiua negant tantum imperfectionem in Deo, vt incommunicabilem eſſe perſonam, eſſentiam infinitam, immenſam, incomprehenſibilem &c. ergo dicunt, & claudunt perfectionem ſummam, & maximam. Ratio enim formalis qua infinitus dicitur Deus, eſt quia poſitiuè continet omne ens, & omnes gradus poſsibilis perfectionis, & perſona, ideo incommunicabilis, quia in vltima perfectione, & actualitate eſt. Secundo, Relatio, vt relatio, eſt ens verè, & reale: ergo ex adæquata conuerſione boni cum ente, & optima diuiſione entis in abſolutum, & relatiuum, eſt bona, bonitate relatiua: neque quicquam rationabiliter in oppoſitum poteſt dici. æque enim relatio, *ad*, in ſuo genere, & eſt ens, & con-

Digitized by Google

& conſequenter bona, ac vt dicit, *in*: neque adhuc ab vllo contradicente omnem bonitatem ſecundum omnem gradum dici ſolum de Subiecto obiectum eſt; hoc enim conceditur, de bonitate abſoluta, non de relatiua: ſed hæc non ſunt in Diuinis vbi relatiuum, & abſolutum, idem ſunt vna ſola ratione formali, & vbi relatio eſt ſubſiſtens; neque vnquam adhuc ſatis conſentaneè probatum eſt aliquid eſſe verè ens; neque tamen aut perfectum, aut imperfectum eſſe, & conſtabit infrà.

Realis relatio in tota ſua latitudine non ſolum, vt, *in*, ſed præſertim vt, *Ad*, ita facit ad myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, vt ipſum conſtituat, & diſtinguat & perſonas numeret, & multiplicet, vt ſint plures perſonæ ſubſiſtentes: ſed hoc Myſterium dicit ſumma perfectionem in Deo; ergo. Maior eſt certa: non enim, niſi per oppoſitionem diſtinguuntur perſonæ ad inuicem, neque Pater, eſt Pater, niſi in ordine ad filium &c. ergo, Et eſt D. Boetij. *Relatio multiplicat Trinitatem*. minor iam ſatis ſupra probata eſt & per rationes & per Sanctos Patres, adeo vt ſi non eſſet Trinitas perſonarum, non eſſet Deus, vt nunc iterum probare, eſſet actum agere: vt tamen ſoluam quod opponit Scotus, addo & repeto in minoris confirmationem. Relatio facit perſonam ſubſiſtere ergo dicit perfectionem: reſpondet enim primo Scotus, ſubſiſtere eſſe duobus modis, vel vt dicit per ſe exiſtere, quod eſt Diuinæ eſſentiæ & dicit perfectionem, vel vt dicit incommunicabiliter ſubſiſtere, quod eſt perſonarum & non dicit perfectionem. ſecundo alij, etiam ſi dicat perfectionem hoc habet ab eſſentia.

Sed contra, primo ſubſiſtere primo modo ità clauditur in relatione, vt ſit de conceptu illius: ergo ſi vno modo, etiam alio dicet perfectionem. Secundo: ipſe ſupponit, rationem vltimam perſonæ eſſe negatiuam incommunicabilitatem, quod neque verum eſt, vt infra probabimus, neque ipſe conſtanter ſuſtinet, imò aliquando oppoſitum concedit. Ad ſecundum vberius quidem infra, interim: ſicuti relatio non eſt in eſſentia niſi impropriè, ita ab ea non habet propriè perfectionem; quod ſi habet: habet tamen, & hinc poteſt dici præcisè perfecta à quocumque eam habeat, imò hinc arguo, & iam aſſertum confirmo. Relatio ita pullulat ab eſſentia, vt eo quia eſt in ea, ab ipſa quoque habeat eſſe, *ad*, formale, & probatur: nam eo quia eſſentia Diuina propter ſummam, & infinitam ſuam ipſius bonitatem communicabilis eſt, & communicatur inſurgit relatio, *ad*, & multiplicantur perſonæ in natura Diuina; ſed ſecundum omnes præcipuè aduerſarios, quod relatio habet ab eſſentia dicit perfectionem, ergo & eſſe, *ad*, dicet pariter perfectionem.

Si Relatio vt, *ad*, non dicit perfectionem: ergo imperfectionem; ſed nulla imperfectio poteſt eſſe in Deo, ergo relatio, aut non eſt in Deo, aut ſi eſt, perfectionem dicit. Probatur prima conſequentia, primo ex ſufficientiſſima prima optima, & adæquata diuiſione entis in finitum, & in infinitum: nam adeo immediate & ſufficienter diuidit, vt contradictionem, inuoluat, eſſe, & non eſſe, aut finitum, aut infinitum, & probatur: nam ſicuti optima, & adæquata diuiſio entis eſt, in eſſe à ſe & ab alio, per eſſentiam, & per participationem, creatum, & increatum, neceſſarium & & contigens, omnino actuale, & potentiale: ita quoque hæc diuiſio erit optima: nam quoad rem ſi bene explicentur termini eadem eſt hæc diuiſio cum illis, licet conceptibus noſtris diſtinguamus, vt optime probat Suarez diſputatione 28. ſect. 2. ergo etiam relatio continetur ſub hac diuſione: ergo finita, vel infinita: finita non poteſt eſſe: ergo infinita, & infinite perfecta.

Relatio Diuina vt *ad*, ſi non eſt infinita ſimpliciter ergo limitata, ab illa perfectione, & etiam quo ad entitatem: nam ſi caret formaliter perfectione illa infinita: in intelligibile eſt, quin ſit limitata, & conſequenter finita, & perfectione, & entitate.

Omne ens *quantum*, adæquate diuiditur in ens finitum, & infinitum: ſed omne ens reale, eo ipſo quod reale eſt, quantum eſt, quantitate perfectionis eſſentialis ſeu formalis: ergo relatio, quæ eſt realis, vt *ad* erit quanta, & perfecta. Probatur minor: nam omne ens reale eſt creatum, vel increatum: ergo finitum, vel infinitum: ergo perfectum, vel imperfectum.

Nullam habere imperfectionem nullamque ei competere poſſe, nulla maior imperfectio inueniri poteſt: ergo relatio Diuina hoc modo imperfectiſſima eſt. Confirmatur; oppoſito modo id quod habet quod ſibi omni ratione competere poteſt dicitur perfectum, & bonum: ſed relatio, vt ſic habet omne quod ſibi competere poteſt; alias priuatiua eſſet: ergo perfecta eſt. confirmatur: eſt enim Diuina ens enim diuinum conſtat ex abſoluto & relatiuo.

Tandem, implicat contradictionem aliquid eſſe in Deo, & non dicere neque perfectionem neque imperfectionem; nihil enim vt iam probatum eſt determinatum in ſigulari & indiuiduo poteſt abſtrahi à tranſcedentali perfectione, vel imperfectione: probatur: nam v.g. relatio Paternitatis, vt ſic, vel requiritur ad ornamentum, & complementum Diuinitatis, ita vt melius, ſe habeat diuinitas cum illa, quam ſine illa, vel non requiritur; ita vt æquè bene eadem diuinitas ſe haberet, ſine illa, ſicut ſe haberet cum illa. Si primo modo, erit perfectio, ſi ſecundo modo, erit infructuoſa, & ſuperuacanea imperfectio: ergo dicere relationem, non eſſe neque perfectam neque imperfectam, eſt dicere apertam contradictionem.

Denique ex certiori opinione relationis vt ad, & vt in, eadem eſt ratio formalis realis; vnde ſequitur, ſi ratio in, dicit perfectionem: ergo, & ratio, ad, Quod & ſupra alio loco deductum eſt, licet aliquali diuerſa forma. Tandem vt vnde incepit oratio, eo terminetur. aſperum vehementer, durumque auribus pijs videtur audire, ſub aliqua ratione à parte rei eſſe aliquid Diuinum, & non eſſe perfectum, neque bonum, eo præſertim, quo nihil quod ſit vllius momenti & quod vllum emolumentum in Theologia aſſerat, ſi ita dicatur; ab aduerſarijs, aut opponitur aut opponi poteſt.

Con-

Confirmatur Diuinæ perſonæ ad inuicem ſunt iucundiſſimæ, & fruibiles, & faciunt ad Diuinam Beatitudinem, vt docet D. Bonauentura inter alios in primo diſtinctione 2. quæſt. 4. ex Ricardo de S. Victore: ergo vt ſic bonæ, & optimæ, & perfectiſſimæ. 6. Spiritus Sãctus procedit vt Amor mutuus, & vt Pater, & Filius ſe ad inuicem amant: ergo Pater, vt Pater, & Filius, vt Filius ſunt amabiles. ergo boni, & perfecti. Denique indignum eſt ponere in Deo, quod non ſit melius eſſe, quam non eſſe, ſed relationes de Fide in Deo ponuntur: ergo ibi melius eas eſſe, quam non eſſe. ergo perfectionem ſummam, & ſimplicem dicunt. Conſequentia eſt D. Anſelmi in Monol. c. 14. in Proſol. c. 3. perfectio ſimpliciter ſimplex eſt, quæ in vnoquoque melius eſt eſſe, vel melior ipſa, quam non ipſa. Antecedens vero probatur 2. ex ante iam dictis. Relatio integrat, & perficit Deitatem, vt de ratione ipſius perfectionis ſit 3. hinc. Melius eſt, Deum eſſe Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum, eſſe tres perſonas, tres Relationes reales ad inuicem diſtinctas, quam non eſſe: ſi enim ſic non eſſet, Deus non eſſet, vt ſupra ex D. Gregorio Nazianzeno, & melius eſt Deum fæcundè cognoſcere, & amare, hoc eſt generare, & ſpirare, quam eius oppoſitum. Melius eſt Patrem eſſe, quam non eſſe, & eſſe Patrem, quam Filium, hoc ſenſu; ſi enim Pater eſſet Filius, Pater non haberet Filium diſtinctam perſonam, atque ita vna deficeret perſona 4. perfectio ſimpliciter ſimplex eſt ſumma: nam non ſummam ponere in Deo indignum eſt. Relatio ſumma eſt, primo enim in ſua quidditate includit diuinam eſſentiam, vt iam conſtitit 2. vnaquæque. Relatio & proprietas vnius perſonæ continetur in alia, nam in filiatione Paternitas, in Paternitate filiatio, in Spiratione paſſiua Paternitas, & filiatio eo modo, quo antea explicatum eſt: ergo ſingula Relatio eſt ſimpliciter, & ſumma perfectio. Conſequentia iam conſtabit, ſi Antecedens demonſtratur quod vt faciam ſic aggredior. Primo ex D. Bonauentura, in primo Diſtinctione 19. parte 2. art. 1. q. prima ad tertium, tantum eſſe perfectionis in vna perſona, quantum in tribus, ſed non tot modis. Ex D. Thoma prima parte quæſt. 42. art. 4. ad ſecundum *vere ergo dicitur, quod quicquid habet dignitatis Pater, habet Filius, &* lect. 4. in Ioannis 16. ſimpliciter conceditur. *Quicquid habet Pater habet filius, non tamen, quod eodem modo habeat, quo habet Pater; nam filius habet ſicuti accipiens ab alio. Pater vero, ſicut alij, dans.* Eadem Ricardus in 1. Diſt. 19. art. 2. quæſt. 3. ad primum Ex Patribus, Lactantio lib. 4. Diuinarum inſtit. cap. 29. *quicquid eſt in Patre ad Filium tranſfluit.* D. Iſidoro lib. 1. ſent. de ſummo bono cap. 15. *Nihil habet Pater, quod non habeat Filius.* D. Hilario lib. 3. de Trinitate *Quid diſtrabis a Patre Filium? Sunt vnum, ſcilicet hic, qui eſt, nihil habet, quod non ſit, in eo, a quo eſt.* Eadem S. Hieronymus in Matthæi 24. caput. in illa Verba Nemo nouit Patrem, niſi ſolus filius. Eadem S. Cyrillus lib. 1. Theſ. cap. 8. D. Ambroſius lib. 5. de fide, ad Gratiarum cap. 6. D. Athanaſius multis locis, præſertim integra Oratione in Matth. cap. 11. in illa verba, *omnia mihi tradita ſunt a Patre meo.* Ex Diuiuis literis Ioannis 16. *Omnia quæ habet Pater mea ſunt.* 17. *Omnia mea tua ſunt, & tua mea ſunt*, vbi ſi Spritus ſanctus abſolutè profert *omnia* non a nobis limitanda Spiritus ſancti Verba.

Quod ſi multi S. Patres limitarunt, filium omnia Patris habere præter Paternitatem, innaſcibilitatem, & Spiritum ſanctum omnia habere Patris, & Filij præter Paternitatem, filiationem, & ſpirationem actiuam. Reſpondeo veriſſima docuiſſe, ſi tamen ità explicentur. Pater non habet filiationem ita vt ſit Filius, neque Filius Paternitatem, qua conſtituatur Pater neque Spiritus ſanctus Paternitatem, & filiationem, quibus ſit Pater, & Filius; alio tamen modo habet; quod obſeruarunt SS. Bonauentura, & Thomas ſupra, vt vndequaque veriſsimum retineatur quod Dominus Ieſus ſupra, *Omnia tua mea ſunt &c.* Pater enim habet Filium nedum ratione communis eſſẽtiæ, ſed in primis ratione termini vitalis actus immanentis generationis: ſic enim filius eſt in Patre, & Pater in filio ratione principij ipſum producentis intrinſece; ſic Pater, & Filius in Spiritu ſancto, vt principium ſpirans, & Pater, & Filius habet in ſe immanentem Spiritum ſanctum, ſicuti terminum, & fructum ſuæ fæcunditatis: habet ergo Spiritus ſanctus filiationem & alio modo, quam filius, filius vt proprietatem perſonalẽ conſtituentem. Spiritus ſanctus, vt principium producens. Hæc patent etiam exemplis ob oculos poſitis inter creata: nam & arbor dicitur perfecta ſuo fructu vnito, & pendenti, & mater itidem idonee aſſeritur perfecta ex filio genito; multo ergo magis Pater æternus gignens in æternum, & habens perfectiſſimum filium in ſinu ſemper vnigenitum, vt teſtatur Ioannes primò, *qui eſt in ſinu Patris.* Confirmantur hæc omnia ex myſterio circum inceſſionis Diuinarum perſonarum: Ioannis 14. *Pater in me, manens ipſe facit opera, ego in Patre, & Pater in me eſt.* Ioannis 11. *Sicut tu Pater in me, & ego in te*, præſertim ſi recolatur explicatio ſuo loco tradita, & cofirmata, vt vna perſona ſit in alia non tantum ratione vnius eſſentiæ, ſed ratione perſonarum diſtinctarum per actus immanentes ad inuicem inexiſtentes, vt etiam canit Eccleſia. *Totus in Verbo Pater &c.* Pater enim, vt Pater, eſt in filio, & filius in Patre &c. Quod obiter confirmari poteſt ex illo D. Pauli loco ad Coloſſenſes 2. *Chriſto inhabitat omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter*, quo loco vtuntur ſæpe Patres, ad filij æqualitatem tuendam: ſi enim omnis plenitudo Diuinitatis habitat in Chriſto: ergo & ſub ratione vt communicatur Patri, & Spiritui ſancto: ergo Pater, & Spiritus ſanctus habitant in filio incarnato, & humanæ naturæ iuncto: profecto ex hoc loco, quod quærimus, ſatis videtur collucere.

Sed æquitatis ratio poſtulat, vt oppoſitè ſentientes, diligentius audiamus, nec minus attente, nec minus amice, ac beneuole: & ipſi namque Diuinarum perſonarum æqualitatis fidei dogma Zelantes

ſantes relationibus Diuinis eſſentialem quidem, & abſolutam, & identicam perfectionem infinitam, vtraque manu concedunt, & hilari corde fatentur, formalem autem, & relatiuam liberè negant, ne, vt aiunt perſonarum diuinarum æqualitatem conturbent.

Conueniunt itaque omnes, primo, quod relatio Diuina vt realis, & ſub ea ratione, qua ponit aliquid in re, & dicit eſſe commune in eſſentia Diuina, dicit perfectionem, & eam quam ipſamet eſſentia: eſt enim idem cum ipſa; & hac ipſa ratione, eſt perfectio infinita ſimpliciter; & ratio eſt nunc indicata: ſicuti enim idem cum eſſentia, ita cum ea eſt perfecta eadem perfectione qua ipſa eſſētia, quæ eſt infinita ſimpliciter. Secundo; ſi ſumatur relatio integro, & totali conceptu, quo comprehenditur, nedum ſuum formale, & proprium, ſed etiam commune, & fundamentum cui inhæret, & ipſum claudit in ſe, et in hoc conueniunt, et concedunt dicere perfectionem, neque ſolum in Diuinis, ſed etiam in quacumque reali, et creata relatione. In hoc vno ſolo puncto à nobis recedunt, diſsidentq. toto cælo, et totius diſsidij lis, pendet, relationem præcisè ſumptam, et in ordine ad terminum, etiam Diuinam nullam prorſus dicere perfectionem, neque imperfectionem, itaut perſona Patris. v. g. vt diſtincta à Filio, et vt Pater nullo modo ſit perfecta.

Sunt autem huius ſententiæ Doctores, & huius aciei milites, ac duces, & harum relationum perfectionis, aduerſarij, primo hi, qui tenuerunt relationem formaliter, vt relationē nihil ponere reale. Paludanus in tertio diſt. 1. q. 1. art. 3. ad finem, & art. 4. Capreolus in primo diſt. 17. quæſt. 1. art. 1. ad tertium, & diſt. 33. art. 3. ad argumenta Aureoli præſertim ad primum tertium, & quartum. Caiet. quæſt. 28. primæ partis art. 1. & 2. & tertia parte quæſt. 3. art. 1. Ferrarienſis ſecundo contra gentes cap. 9. & lib. 4. cap. 14. Canarienſis, prima parte quæſt. 28. art. 2. ad quartum: ſi enim negant entitatem his relationibus, negant proinde, & perfectionem omnem. Secundo qui concedunt entitatem ante omnem operationem intellectus, negant tamen relationem; ſunt Scotus, Quodlib. 5. art. 2. & in fine totius quodlib. vbi docet relationi formaliter, vt relatio eſt non conuenire quantitatem perfectionis, & ideo neque finitam eſſe, neque infinitam, & in primo Sent. diſt. 2. quæſt. 5. §. *Ad primam quæſtionem dico*. Et diſt. 26. quæſt. vnica §. *ad primum tertiæ viæ*, & diſt. 19. quæſt. 1. ad ſecundum principale. Durandus in primo, diſt. 13. quæſt. 2. & in tertio diſt. 1. quæſt. 3. & in primo, diſt. 19. quæſt. 4. & in ſecundo, diſt. 34. quæſt. 1. Marſilius in primo, quæſt. 6. art. 1. in arg. 3. & art. 3. ad octauum, & quæſt. 23. art. 3. Riccardus in 1. diſt. 9. art. 1. quæſt. 3. & diſt. 24. art. 1. quæſt. 3. ad primum, Argentina in primo, diſt. 4. quæſt. 1. art. 1. Molina prima parte quæſt. 28. art. 2. diſputatione vltima, & quæſt. 42. art. 6. diſputat. 2. & alij. Argumentum primorum Auctorum iam indicatum eſt; Nullā habent entitatem relationes, vt ſic: ergo, neque perfectionem. Conſequentia eſt certa; antecedens conantur roborare ex D. Thoma præcipue Capreolus; ſed nihil obtinet, vt videre licet apud recentiores, hanc ſententiam inſectantes. Aliorum verò ſecundæ ſectæ hæc ſunt grauiora argumenta 1.

Primo Scotus triplici arg. 1. non poſſunt eſſe plura realiter diſtincta, & formaliter, & intenſiuè infinita: ſed Diuinæ relationes, ſunt plures, ideſt tres: ergo non poſſunt eſſe formaliter infinitæ: minor eſt neceſſaria, & de fide conceſſa. Probatur ergo maior, primo, ex diffinitione infiniti. Infinitum intenſiuè eſt illud, cui nihil deeſt entitatis, eo modo, quo poſsibile eſt entitatem, & perfectionem includi in vno: ſed ſi plura erunt infinita, certum eſt entitatem, & perfectionem vnius non includi, imò excludi ab alio: ergo non erunt infinita ſimpliciter nec conſequenter ſummæ perfectæ relationes, ea perfectione, quæ in Deo diffinita eſt à Sancto Anſelmo in Monologio cap. 15. Secundo & confirmatur. Plura bona excedunt vnum bonum, quando ſingula eorum non, habent eandem bonitatem: ergo non poſſunt dari tria infinita bona, quia duo excederent tertium ex his, & quod ideo ex hoc eſſet infinitum, vt ſupponitur & non infinitum, quia excederetur: repugnat autem infinitum excedi; nam quod exceditur eſt finitum.

Secunda Ratio, qua eadem maior probatur. Infinitum terminat omne finitum ſufficienter, quo ad omnem dependentiam: ſed impoſſibile eſt plura eandem totalem dependentiā terminare; quia circumſcripto vno infinito aliud ſufficienter terminatur: ergo impoſsibile eſt plura eſſe infinita. Rurſus, vnius, & eiuſdem intellectus infiniti non poſſunt eſſe plura obiecta prima, & adæquata: ſed ſi darentur plura infinita, darentur plura huiuſmodi obiecta: ergo

Huic argumento gemina adhibetur reſponſio, prima, licet tres ſint relationes perfectæ, infinitæ, non ſunt tamen tria infinita perfecta; quia vna omnium eſt perfectio, vt ſupra iam deductum, & probatum eſt, ſicuti vnus Deus perfectus vnica reali, & formali perfectione ſub vnica ratione formali comprehendente quidquid abſoluti, & relatiui ex conditione entis vndequaque infiniti. Quod amplius placet confirmare, primo ex innumeris locis Sanctorum Patrum præcipuè D. Auguſtini libro 6. de Trinitate cap. 7. & cap. 9. & cap. 10 lib. 7. cap 6. lib. 8. in proœmio, & cap. 1. Fuſius lib. 15. de Trinitate cap. 3. lib. 3. contra Maximinum, cap. 10. Ser. 28. de tempore epiſtola 66. ad Maximinum, quæ loca recipiunt communiter Magiſter, & Scholaſtici diſt. 19. in primo, & D. Th. quæſt. 42. art. 4. & Alexander quæſt. 47. membro 4. & Albertus prima parte quæſt. 47. art. 3. Quibus locis aſſeritur abſolutè Tres perſonas ſimul ſumptas non eſſe aliquid perfectius, quam vnaquæque perſona, ſingillatim accepta hac ratione; quia vna eſt eſſentia Diuinitatis in tribus propter quam ſunt omninò æquales; ſed non eſſent omnino æquales niſi vnica quoque eſſet in tribus perfectio, non ſolùm quo ad abſoluta, ſed etiam quo ad relatiua & duæ relatiuæ perfectiones eſſent quid magis quam vna, ſecundo ita ſentiunt diſtinctè & explicitè plures, & maximi Theologi quorum primus, & antiquior eſt

eſt D. Bonauentura 2. Sent. diſt. 38. dub. 3. literali his verbis. *Ideo poteſt dici, quod Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus ſunt tres res, non tamen poteſt dici, quod ſint tres bonitates.* Henricus quodlib. quæſt. 1. Idem Scotus ſicuti ſupra relatum eſt in primo diſt. 1. quæſt. 2. ad primum principale. Gregorius in 1. diſt. 20. quæſt. 1. art. 1. & diſt. 33. quæſt. vnica art. 3. ad 6. Maior in 1. diſt. 19. quæſt. vnica ad argumenta. Marſilius in 1. quæſt. 23. art. 3. Corollario 4. Canarienſis 1. parte quæſt. 28. art. 2. diſputatione 3. parte 2. Vaſquez prima parte diſputatione 122. cap. 6. Caietanus. 3. parte quæſt. 3. art. 1. vbi aſſerit; perſonalitas, & ſubſiſtentia, perfectio eſt, & Patri non deeſt aliqua perfectio, licet ei deſit perſonalitas Filij; quia eadē eſt perfectio; ratio validiſſima eſt in fundamento locorum D. Auguſtini & rationis inde deductæ. Tres perſonæ nihil perfectius continent, quam vnica ſola perſona: ergo vnica tantum eſt perfectio omnium perſonarum. Probatur conſequentia: ſi enim ſunt tres realiter diſtinctæ perfectiones, & ſingulis perſonis propria, manifeſtè ſequitur in vna perſona tantum, non eſſe perfectiones duas aliarum duarum perſonarum; & plus perfectionis cum habeant tres perfectiones quam vnica, non videtur poſſe euitari non eſſe verum, quod ſuppoſitum eſt, nihil perfectionis continere plus tres perſonas quam vna. Confirmatur ſi extra vnam perſonam eſt perfectio alterius: ergo illa non eſt ſimpliciter infinita, quia aliquid ei deeſt, nec ſimpliciter perfecta ex diffinitione etiam Ariſt. 5. Metaph. cap. 16. text. 21. *perfectum dicitur vno quidem modo extra quod non eſt vllam accipere particulam* & 3. phyſicorum cap. 6. *Id eſt perfectū, ac totum cuius nihil prorſus abeſt.*

Tertia. Ita indicant Patres cum aſſerunt ex relationibus Diuinis integrari vnicam, et Diuinam perfectionem. D. Athanaſius orat. 2. contra Arianos vocans Diuinitatis vnitatem integram ſi habet filium, ſed non integram ſi aliquando non habuit filium. et oratione contra gregales Sabelij. *Vnus* inquit, *& vnus*, et *dualitas non diuiſa* ex natura, *cum ſit indeficiens ad ſuam integritatem, vniuerſa enim plenitudo & integritas Deitatis eſt Pater, vniuerſa item plenitudo Deitatis eſt Filius. quandoquidem amborum vna forma intell. qua integrè ſe in vtroq. & ſolide exibet &c.* quibus aperte colligitur quod Deitatis integritas, et plenitudo deficeret, ſi deficeret Filius Patri, aut Filio Pater D. Dyoniſius de Diuinis nominibus cap. 2. tota perfecta, plenaque diuinitate &c. vbi intelligit tres perſonas ſimul ſumptas.

Secunda Reſponſio. Duplex eſt infinitum in Deo, aliud in latitudine entis, aliud in genere talis relationis. In primo haberent locum Scoti inſtantiæ ſi tamen realiter, aut etiam formaliter relatiua perfectio differret ab abſoluta. Quam diſtinctionem cōceſſit iam et ipſe Scotus de attributis, dum bonitatem Diuinam, non Infinitam ſimpliciter, ſed in genere docuit, vbi vocat infinitam perfectionem ſingulorum attributorum, & tamen vnius attributi perfectionem non eſſe de ratione alterius: & tamen non eſſe concedendam relationibus perfectionem; ſequeretur enim plures perfectiones infinitas eſſe in Deo.

Inſtat Scotiſta primo De ratione infinita à parte rei, eſt eſſe ſimpliciter illimitatum, negatur aſſumptum, de quocumque infinito.

Seccundo: Relatio Diuina formaliter ſumpta ſi eſt infinita, eſt ſecundum entitatem ſuam: ergo quia ens ergo infinita ſimpliciter. Reſpondeo primo: eſt infinita ſimpliciter vnica infinitate Diuina 2. nego conſequentia: eſt enim infinita, infinitate entis relatiui.

Tertio. Si eſt infinita ex parte rei ergo vel in genere ſubſtantiæ vel accidentis. Reſpondeo in genere ſubſtantiæ, ergo infinita ſimpliciter. nego conſequentiam: nam in genere ſubſtantiæ vt proprietate diſtinctæ & primæ ſubſtantiæ.

Quarto Ergo Diuina ſimplicitas compoſita eſt ex infinito ſimpliciter, & infinito in genere. Reſpondeo eo modo quo compoſita eſt ex eſſentia & relatione, hoc eſt nullo modo; vnde negatur conſequentia; ſed quidquid ſit de his inſtantijs, nihil a nos: ſuſtinemus enim primam reſponſionem, qua poſita, nihil opponunt.

Secunda Ratio principalis, Scoti. Omnis perfectio eſt communicabilis. ergo ſi datur & perfectio perſonalis, & eo magis, quo infinita, erit communicabilis: ſed repugnat relationem perſonalem communicari: eſt enim oppoſita, & ideo incommunicabilis: ergo & eius perfectio ſi aliquam haberet, ergo non habet.

Reſpōdeo primo, perfectiones perſonarum quatenus opponuntur, non communicantur: duplex enim eſt ratio Diuinæ eſſentiæ, alia qua communicabilis, alia qua non: vt enim in perſonis, non communicatur; vnde falſum eſt, omnem perfectionem ſub omni ratione communicabilem eſſe, niſi ſub ratione abſoluti.

Inſtat idem Scotiſta abſurdum eſt dari in Deo perfectionē non ſimpliciter perfectam. Reſpondeo primo, eo modo, quo datur ens relatiuum ratione diminutum, ab ente abſoluto ſecundo, magis abſurdum dari ens diuinum ſub ratione relatiua nulla ratione perfectum, vt faciunt ipſi. tertio concedo abſurdum eſſe dari ſcilicet in Deo perfectionem non ſimpliciter perfectam: nam relationes Diuinæ ſunt perfectio ſimpliciter ſimplex, ita. Gregorius in 1. diſt. 20. quæſt. 1. art. 2. & diſt. 34. quæſt. 1. art. ad 6. Maior in 1. diſt. 19 quæſt vnica ad primum Gabriel diſt. 7. quæſt. 3. art. 3. Valentia lib. 2. de Trinitate cap. 12. Vaſquez loco citatō cap. 4. 6. & 7. Caiet. 3. par. quæſt. 3 art 1. Probatur ex diffinitione. D. Anſelmi in Monologio cap. 14. perfectio ſimpliciter ſimplex, eſt quam in vnoquoq. melius eſt eſſe, quàm non eſſe. melius autē eſt Deū eſſe trinum, Patrem, Filium, Spiritum ſanctum, eſſe fœcundum ad generandum, & ſpirandum, quàm nō eſſe: ſi enim ſic non eſſet; nō eſſet Deus. Quod ſi opponas, non eſt melius eſſe Patrē, quàm non eſſe Patrem: nam non eſt melius, quàm eſſe Filium Reſpōdeo: eſſe quidem melius eſſe Patrem, quàm nō eſſe, & quàm eſſe Filium; nō quia Pater ſit melior Filio; neq. enim poteſt eſſe, cum Patris, & Filij, &c. vnica ſit perfectio etiam relatiua: ſed primò, ſi Pater eſſet

Filius

Filius, non eſſet in Deo hæc diſtincta entitas relatiua Paternitatis à Filio. Secundo, ſi non eſſet Pater, non eſſet neque Filius. Tertio Pater includit eſſentiam, & alias relatiuas Perſonas ſibi compoſſibiles tanquam terminos immanentes ſuæ fæcunditatis, nimirum Filium, & Spiritum Sanctum: ergo dicit perfectionem ſimpliciter, & infinitam abſolutè.

Secundo inſtat. ergo perſonæ Diuinæ vt perſonæ non ſunt ſimpliciter perfectæ. Reſpondeo ex eius reſponſione: ergo perſonæ Diuinæ nulla ratione ſunt perfectæ. ſecundo reſpondeo, ſunt ſimpliciter perfectæ: quia vnica eſt perfectio Diuina. tertio eo modo ſunt perfectiones relatiuæ ſicut ipſæ relationes, vt vna, & excludat aliam & ad illam pertineat, dum refertur & originem habẽt ad Diuinam eſſentiam, quatenus ex Diuinæ eſſentiæ communicatione inde oriuntur; & pullulant in Diuinis perſonis, & quatenus vt explicatius infra, vna eſt terminus alterius, & altera, principium.

Tertia ratio principalis, quam neminem animaduertere, aut ſoluere, ait Fabrus id autem mea ſententia non puto eſſe verum: quia tum in alijs ſolutam, tum ferè nullius momenti: eſt autem: omnis perfectio infinita, & ſimpliciter, eſt idem cum omni ſibi compoſſibili in eodem ſuppoſito: ſed ſpiratio actiua, & generatio actiua in eodem ſuppoſito non ſunt idem: ergo aut non ſunt perfectio, aut ſi eſſent, componerent ſuppoſitum, contra Diuinam ſimplicitatem ſuppoſiti.

Reſpondeo eadem reſponſione, primo, vnica eſt perfectio Diuina, licet plures ſint relationes; quare conceſſa maiori, negatur minor, quo ad perfectionem ſecundo negatur etiam minor, quia non ſunt plures relationes pluralitate reali, aut formali; ſed tantum rationis ratiocinatæ, quæ nullam compoſitionem facere poſſunt in perſona: neque oppoſitum S. Bonauentura de emanationibus niſi ratione termini, docuit.

Arguunt alij. Si tres illæ relationes realiter diſtinctæ dicerent perfectionem eſſent quoque tres diſtinctæ perfectiones, tunc arguo primo ergo in Patre eſt aliqua perfectio, quæ non eſt in alia perſona: ergo illa alia perſona caret aliqua perfectione, & ſic quælibet perſona eſt ſine aliqua perfectione. ſecundo cõſequenter: ergo vna perſona eſt perfectior alia, contra æqualitatem perſonarũ fide teſtatam; & probatur conſequentia; nam Pater habet generationem & ſpirationem actiuam, quã non habet Filius, neque Spiritus ſanctus &c. 3. illæ tres perfectiones, eſſent quaſi diuerſa ſpecie diſtinctæ ſicut numeri, & oppoſitæ, ideo inæquales.

Supponunt hæc argumẽta & ſimilia primo, quod ſupra ſæpe, & grauiter negatum eſt ad multiplicationem Relationum multiplicari & perfect. 2. hinc nulla eſt conſequentia vt ſit aliqua perfectio in vna, quæ non eſt in alia Perſona; vnica eſt enim perfectio 3. falſum eſt, Patrem eſſe imperfectum, quia non habet perfectionem filij: id enim tantum dicitur imperfectum, quando caret illa perfectione quæ ſibi competere poteſt: non autem illa quæ ſibi repugnat plures verò perfectiones relatiuæ ſi eſſent nihil aliud facerent quam diſtinguere perſonas, non inæquales reddere. 4. adhuc ſi plures eſſent perfectiones, eſſet tamen falſum, vnam eſſe in vna perſona, quæ non eſſet in alia: nam Paternitas eſt in Filio, vt principium filiationis, & filiatio eſt in Patre, vt terminus Paternitatis; ſpiratio actiua eſt in Patre, & Filio & etiam in Spiritu ſanctò vt principium Spirationis paſſiuæ, & ſpiratio paſſiua, eſt in Patre, & Filio, vt terminus, licet, diuerſa ratione; nam Paternitas eſt in Patre veluti formaliter; in Filio verò, vt principium explicandum exemplo arboris, vt ſupra. exemplo intellectus creati, qui perficitur verbo mentis à ſe productio, & in ſe manente, & vt Mater perficitur Filio, quem in vtero geſtat, vel in ſinu ab vbere pendentem: ergo multo magis Pater, æterno perficitur Filio producto per actionem immanentẽ, & in ſe exiſtentẽ: ergo Pater ad ſuam quidditatiuam perfectionem, poſtulat intra ſe ipſum continere perfectionem filij & filiationis: idem aſſeritur de alijs perſonis ſua proportione, & modo. Confirmantur hæc omnia ex myſterio circuminceſſionis, collecto ex D. Ioannis locis cap. 14. *Pater in me manens ipſe facit opera*, & iterum: *ego in Patre, & Pater in me eſt*. cap. 17. *Vt ſint vnum ſicut tu Pater in me, & ego in te*. cap. 1. *In Principio erat Verbum.* ideſt in Patre, ex multis Patribus. Ad Coloſſenſes ſecundo. *In Chriſto habitat omnis plenitudo Diuinitatis*. Quæ loca ad hoc myſterium, multis locis Sancti Patres multis verbis illuſtrant, ad nimirum Diuinæ ſubſtantiæ vnitatem non ſolum, ſed etiam immanentiam vnius diſtinctæ perſonæ in alia explicandam.

Iterum inſtant Scotiſtæ. Relatio præcisè ſumpta eſt vt dicit ordinem ad terminum; ergo formaliter non eſt perfectio. Antecedens conſtat; ſic enim Diuinæ perſonæ ſunt tres ſubſiſtentiæ, vt referuntur, alias non numerarentur &c. Probatur conſequentia. Trinitatis perfectio, vt ſic, ineſt ei cuius eſt perfectio, ſed relatio, vt *ad*, non ineſt: ergo. Probatur minor nam vt ſic, reſpicit terminum extrinſecum.

Reſpondetur Relationem Diuinam, vt ad, eſſe Diuinam, & ſpectare ad plenum, & integrum, & infinitum eſſe Diuinum, ita vt non eſſet Deus vndequaque infinitus niſi contineret, & eſſe, *ad*; & æquè ad infinitatem Diuinam conſtituendam, requiritur eſſe relatum, ſicut eſſe abſolutum, & de ratione Dei, verè ita eſt eſſe Trinum, ac eſſe vnum. Ad formam argumenti. Relationem referri non eſt non ineſſe, ſed eſt explicare modum quo ineſt: ita enim ineſt, vt referatur, non ſolum enim vt conſtituit, ſed etiam vt diſtinguit: à quo enim formaliter res habet eſſe, habet, & eſſe diſtinctum: ergo quo formaliter ineſt, & diſtinguit, & refertur; vnde negatur minor, ineſt enim ideſt eſt in latitudine, & circumferentia Diuinitatis. Confirmatur ex infinita ſimplicitate Diuina, qua eadem eſt ratio formalis perfectionis Diuinę communis, & propriæ. Confirmatur ſecundo; nam relatio non ineſt immediatè eſſentiæ, ſed perſonæ cuius eſt relatio conſtituens, & diſtinguens, vt docuit S. Bonauentura. Secundo reſpondetur. Relatio, vt ſic,

& vt

Digitized by Google

& vt referetur ad terminum eſt etiam terminus, nam Paternitas eſt terminus filiationis, & vice verſa; itaut, vt ſupra dicebamus, & entitas, & perfectio vnius relationis, ſpectet etiam ad entitatem, & perfectionem alterius. Quo ſenſu poteſt negari etiam maior: nam vera tantũ eſt de perfectione abſolute, vt videatur argumẽtum petere principiũ.

Ex D. Thoma quæſt. 42. art. 4. ad quartum. Dignitas perſonæ, & relationis pendet ab eſſentia Diuina propter identitatem: ergo Relatio ex ſe non habet dignitatem, & perfectionem. Reſpon. 1. pendere quidem radicaliter ab eſſentia tamen formaliter ſicut perſona exiſtit per relationem ſic perfectam eſſe. Secundo pullulat quidem relatio ab eſſentia, tamen, & ipſa eſſentia ſubſiſtit vltima actualitate ſubſiſtentiæ per relationem.

Denique ſi Relatio Diuina eſt perfecta, erit, aut finita, aut infinita vt patet: ſed non infinita: nam nec includit, vt ſic Diuinam eſſentiam, neque oppoſitam relationem, vt pluſquam manifeſtum eſt. Ergo finita. Ergo non perfecta.

Reſp. 1. Relationum Diuinarum, & Diuinæ eſſentiæ vnicam eſſe perfectionem, & quamlibet relationem includere Diuinam eſſentiam, licet non omni modo. Secundo eſt infinita formaliter in genere talis relationis, cui vt ſupra etiam notatum eſt, licet deſit oppoſita relatio; non dicitur tamen imperfecta: quia ei ita deeſt, vt repugnet ei conuenire, imperfectum autem eſt dum eo priuatur, quod deberet habere. Tertio vna oppoſita relatio continet aliam, tamquam terminum, vel tamquam principium, & ita eſt infinita ſimpliciter. Quarto Relatio eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, & ſic omni modo infinita. Quare fortaſſe oleum, & operam perdidimus, alias addendo reſponſiones, & multiplicando inſtantias; hæc enim vna & primo loco poſita, & vltimo repetita abſolutè ſufficiebat ſcilicet vnicam eſſe perfectionem in Deo, vnam relationem alteram continere, & claudere &c. Quibus procul abeſt omnis inæqualitatis ſuſpicio inter Diuinas perſonas; neque tamen fruſtra inſtantijs ſatisfecimus: par enim erat omnem opinionem, pro ſua probabilitate in medium proferre, & ei noſtram tuendo ſatiſfacere.

Poſtremo locò animaduertenda Scoti diſtinctio: conceſſit enim relationes Diuinas eſſe perfectas perfectione, entitatis, qua bonum conuertitur cum ente: perfectio ne vero boni fruibilis, quia non ſunt bonæ perfectæ vt in eo quieſcere, & beari poſſit intellectus & voluntas rationalis, negauit; & licet contra vtramque ſatis hucuſque probatum & demonſtratum ſit oppoſitum, ſcilicet nedum entitatiua, ſed fruibili bonitate eſſe perfectas: quia infinite ſimpliciter ſunt perfectæ: tamen vbi & amabiles, & amari perſonas, ad inuicem, & iucundiſſimas, & omni adoratione digniſſimas, & ita conſtitui obiectum beatificum, vt ſine ipſis viſa ſola eſſentia, nequaquam perfectè beatus foret quis videre enim & ipſas omnino & intime deſideraret, neque diuina optima eſſentia, omni modo fruibili frueretur, ſicuti ſupra d. 2. q. 2. & 3. S. Doctor, deſtinctè, contra hanc partem negatam actum eſt.

CAPVT VI.

Quot ſint relatienes Diuinæ, & propter quid ſunt D. Bonauentura diſt. 26. art. 4. D. Thomas quæſt. 28. art. 4.

PARAPHRASIS.

PRIMA propoſitio. Ad inueſtigandum, & indagandum proprietatum, & relationum Diuinarum numerum, proponendum, & ſolerter obſeruandum quid proprii, & diſtinctè hac tria nomina ſignificent: notio, relatio, & proprietas: Proprietas namq; præcisè dicitur quatenus vni ſoli conuenit. Relatio, vt ad alterum dicit habitudinem. Notio, vt deſeruit, & eſt principium Diuinas perſonas cognoſcendi.

Secunda propoſitio. Quidquid alij dicant: notiones Diuinæ ſunt quinque. Innaſcibilitas, Paternitas, Filiatio Spiratio actiua, & Spiratio paſſiua. Probatur. Notio eſt ratio innoteſcendi, & manifeſtandi, & diſtinguendi Diuinas perſonas: ſed quinque modis poſſunt innoteſcere, & manifeſtari: ergo; nam primo, per viam originis priuatiuè, idest quatenus à nulla perſona habent originem: & ſic manifeſtatur prima perſona per innaſcibilitatem, qua dicit nobilitatem. Secundo per originem poſitiuè, quo nimirum vna perſona eſt ab alia, & alia eſt à qua illa: & ſit argumentum: Duæ ſunt origines: ergo, quattuor notiones relatiuæ: Pater enim eſt origo Filij, & refertur ad Filium. Secunda Filius eſt à Patre, & refertur ad Patrem. Tertia Pater, & Filius ſunt origo Spiritus Sancti, & vnica relatione referuntur ad ipſum, & ipſe refertur ad Patrem, & Filium: ergo quatuor.

Tertia propoſitio. Ex his; quatuor ſunt proprietates: nam illa eſt proprietas, qua vni ſoli competit: ſed innaſcibilitas, & Paternitas ſoli Patri: Filiatio ſoli Filio, Spiratio paſſiua ſoli Spiritu Sancto competit: ergo quatuor tantum: nam Spiratio actiua Patri, & Filio conuenit.

Quarta propoſitio. Ex his quinque notionibus; proprietates conſtituentes perſonas ſunt tantum tres. Probatur nam neque innaſcibilitas ſaltem complete, neque Spiratio actiua conſtituunt perſonas: nam, licet aliquo modo prima initiatiuè conſtituat: Secunda verò diſtinguat: tamen quia non plene, prima neq; ſecũda conſtituit, non dicuntur perſonales: ergo ſola Paternitas, & Filiatio, & Spiratio paſſiua ſunt proprietates perſonales, hoc eſt perſonas conſtituentes.

Corollarium. Notiones ſunt quinque: Proprietates ſunt quatuor; ex his, Relationes quatuor; perſonales tres.

Digitized by Google

COMMENTARIVM.

NON indiget admodum, commentatione aut diſputatione, hic Sanctus Doctor: nam quæ ab ipſo hoc loco traduntur, & communia ſunt inter Thologos, & ferè nullo modo controuertuntur, & clarè, perſpicuè, & fœliciter explicantur: conſtat namque, primo loco, hic hanc proponi quæſtionem, & ſolutionem indagari, quæ ad quæſtionem an ſint relationes, & etiam quid ſint, ſpectat: dum enim, & notiones, & proprietates, & quaſdam negatiuas, quaſdam poſitiuas, quaſdam ex his non relatiuas eſſe reſpondeatur; ſatis congruè, quoquo modo, quid tandem ſint, finitur explicari, & quot ſint; & tertio loco ad quæſtionem propter quid, attinere, hinc conſtat, hoc eſt ad innoteſcendas, diſtinguendas, & conſtituendas perſonas. Ad rem igitur hæc quæſtio valde pertinet.

Secundo verò quod ad rem, quæ hic verſatur harum quinque notionum eodem argumento ſufficientia à Sancto Thoma, quæſt. 32. art. 3. quo hic à Sancto Bonauentura demõſtratur. Sed hoc diuerſo vtitur quæſt. 28. *art.* 4. ſic enim ratiocinatur, de quatuor relationibus. Omnis relatio ex Ariſt. 5. Methaph. cap. 15. Fundatur in quantitate, vel in actione, aut paſsione: ſed in Deo non eſt relatio realis, quæ fundetur in quantitate: non enim eſt quantus; neque quæ fundetur in actione ad extra: nam ex certa, & communi opinione relatio, quæ inſurgit in Deo ex creatione, & creaturarum dominio, non eſt realis, ſed rationis: de qua hic Sanctus Doctor aſſerit poſſe eſſe infinitas, & ratione eorum quibus innoteſcere poteſt, & ratione ſimilitudinum quibus &c. & ratione idearum eiuſdem ordinis, & quod ferè idem eſt, ratione creaturarum, non ſolum producibilium, ſed etiam productarum; quæ tamen non poſſunt eſſe notiones cum ſint communes: ratio verò innoteſcendi neceſſario ſit propria; ſed in actione ad intra, ſecundum quam eſt proceſsio in Diuinis: ergo cum tantum, vt ſupra probatum eſt, ſit duplex actio ad intra, altera intellectus, qua verbum procedit, voluntatis altera, qua amor; & Spiritus Sanctus producitur, erunt neceſſario dumtaxat quatuor relationes reales. Paternitatis ad Filium, Filiationis ad Patrem, Spirationis actiuæ ad Spiritum Sanctum, Spirationis paſsiuæ ad Patrem, & Filium. Ratio verò, & potiſsima hæc eſt: nam inter principium, & inter id quod à principio manat realiter, eſt realis relatio mutua, quando extrema in eodem ordine exiſtunt, ideſt quando id quod procedit eſt eiuſdem ordinis cum eo, à quo procedit: ſed Filius realiter procedit à Patre; & Spiritus Sanctus realiter à Patre, & Filio: ergo inter eos eſt realis mutua relatio. minor eſt de fide; maior eſt ex communi conſenſu philoſophorum, & inductione conſtat in omni productione reali inter extrema eiuſdem ordinis extra Deum.

Ita quoque probat, & argumentatur Alexander. Riccardus verò hoc ſuppoſito argumento, quod non videtur poſſe melius confici, ſic arguit, ſupponit primo, & proponit; ſunt quinque notiones, ex his, quatuor relatiuæ, in quantum per eas perſonæ diſtinguuntur: tres perſonales, quibus perſonæ conſtituuntur: Spiratio autem actiua, quia duabus conuenit perſonis, non videtur proprietas in genere; quo tamen non omnibus perſonis conuenit, & Patrem, & Filium à Spiritu Sancto diſtinguit; licet non ſit perſonalis: aduenit enim perſonis conſtitutis, aliquo modo, videtur poſſe dici proprietas; his propoſitis, ita argumentum conſtruit; ſi aliqua videretur poſſe addi notio, illa vtique eſſet: quia ſcilicet Filius non eſt ſpiratus: Spiritus Sanctus non eſt genitus, Pater non procedit, & eſt Inſpirabilis &c. ſed hæc, nec ſunt, nec poſſunt eſſe notio propria, & vera: ergo. Probatur minor. Ad hoc vt aliqua ſit propria notio, tria in primis requiruntur, primum, vt ſit originis, ſecundum, vt ſit dignitatis, tertium; vt dicat proprietatem determinatam, & ſpecialem: ſed perſonam, ideſt Spiritum Sanctum non producere, non dicit dignitatem, Filium non ſpirari, Spiritum Sanctum non generare, non eſt determinata, nec ſpecialis negatio, etiam ex D. Bonauentura diſt. 28. quæſt. 4. non enim negat ſimpliciter perſonas non eſſe productas: Filius enim licet non ſpiratus, tamen genitus eſt, & Spiritus Sanctus quamuis non genitus; tamen ſpiratus, & negatio, vt ſit notio, & ad dignitatem ſpectans debet eſſe vniuerſalis, ſicut innaſcibilitas in Patre, qua abſolutè negatur, Patrem ab vllo produci. Patrem autem non ſpirari, non eſt notio diſtincta ab innaſcibilitate, & ideo abſolute dicitur innaſcibilis, quia, nec generatur, nec ſpiratur: neque quibus cognoſcitur eſſentia, ingenita, & inſpirata &c. ideo ſunt notiones, quia originem non dicunt ego vero has ideo rationes retuli; quia muniunt, & complent, & explicant Sancti Bonauenturæ rationem; quod eadem ratione, alijs locis ſæpe præſtabo, loco commentarij.

Duplex de hac re remanet ſoluenda dubitatio, altera, quam inducit Scotus. qui conatus eſt ſuſtinere etiam poſt commune Theologorum aſſertum, notiones Diuinas eſſe ſex, in primo diſt. 28. quæſt. 1. ad tertium, quod negauit, & negationis ſufficientem rationem reddidit Riccardus; aſtruit inſpirabilitatem in Filio eſſe notionem, hac præcipua ratione ſi innaſcibilitas in Patre, & eſt notio, & dignitatem dicit, quare, & in Filio inſpirabilitas, non erit pariter notio, & dignitas?

Quod ſi opponas, eſſe cõmune Theologorũ dictum de quinq; notionibus, hoc nihil obſtare debet; quia & vſque ad numerum quinarium ſucceſsiuis temporibus auctæ ſunt; vnde mirum non debet eſſe, ſi modo addatur ſexta, & ad ſenarium reducatur. Primo enim ex Diuinis Scripturis, præcipuè primæ Ioannis tertio, ſicut tres ſunt, qui teſtimonium dant in Cælo; Pater Verbum, & Spiritus Sanctus, ita tres tantum notiones enumerantur, quæ ſunt relationes perſonales. poſtea addita fuit quarta, ideſt ſpiratio actiua. Præterea ingenitum eſſe, quæ eſt notio Patris, propter Arrium, vſque ad D. Ambroſij tempus ab Eccleſia reiecta, poſteris temporibus recepta eſt ad alias hæreſes tollendas, pro

Scoto

Scoto multiplicantur argumenta vſque ad vndecim, quæ tamen diligenter ſoluit Didacus de Montoia diſput. 47. ſect. 4.

Cæterum reliqua Theologorum communitas, quam non ignorauit Scotus conſtanter, & merdicus ſuſtinet hunc notionum numerū quinariū, Alexander 1. par. quæſt. 68. membro 3. S. Bonau. loco citato, S. Thomas cum Thomiſtis art. præſenti, Riccardus pariter loco indicato, Durandus quæſt. 2. Capreolus in 1. diſt. 28. quæſt. 1. art. 1. concluſ. 5. & 6. Gabriel quæſt. 1. art. 3. dubio 1. Marſilius in 1. diſt. 29. art. 1. negatione 8. Inter quos Riccardus, Durandus, Capreolus, & alij non ſolum cum communi eſſe tantum quinque notiones aſſeuerant, ſed diſtinctè negationem ſpirationis, proceſſionis, &c. eſſe notionem conſtanter negant; neque Scotus abſolutè id profitetur; cum dubitatione enim ſententiam ſuam proponit, propter reuerentiam communis in contrarium opinionis. Et in reportatis quaſi ſeipſum retractans, & ad communem opinionem ſe remittens ait: *Inſpirabilitas eſt prius in Patre, & Filio, quam ſpirent, & ideo non eſt notio.*

Ad argumentum autem ipſius Scoti multæ, & variæ à varijs Doctoribus afferuntur reſponſiones, ſed inter omnes optima, quam affert Sanctus Bonauentura diſt. 27. q. 2. ad argumenta, Innaſcibilitatem non eſſe notionem, nec dicere dignitatem, vt formaliter negatio eſt; ſed ratione quaſi materialis; quod notat, & ſupponit in perſona, de qua negat naſcibilitatem: ſupponit enim dignitatem, & modum ſubſiſtendi illius perſonæ, quæ eo, quia à nullo eſt, ideo eſt prima perſona habens plenam, & fontalem plenitudinem, & auctoritatem producendi omnes perſonas in Diuinis producibiles. Explicatur tamen per negationem, quia facilius prima, & ita explicantur, & melius à poſteriori, & per quod non ſunt percipiuntur; quod, & ipſe ſanctus Doctor tradit, & didicit à Sanctis Patribus, & primo à ſancto Baſilio contra Eunomium lib. 4. cap. 2. his verbis. *Quare innaſcibilitas ſubſiſtentiæ non ſubſtantiæ, hoc eſt eſſentiæ nomen eſt.* & à ſancto Cyrillo lib. 1. Theſauri, cap. 4. circa finem, *& in nomine ingeniti, non ſubſtantiam, id eſt eſſentiam, ſed modum, quo Deus eſt ſignificare volumus.* & à ſancto Damaſceno lib. 1. de Fide, cap. 9. *Quo fit vt omnia, quæ Pater habet Filij ſunt, hoc vno excepto, quod ingenitus non eſt.* quæ quidem vox nec naturæ diſcrimen, nec dignitatem, & auctoritatem, ſed exiſtentiæ modum indicat.

Quod verò ait ſanctus Thomas, innaſcibilitatem poſitiuè ſumptam non eſſe diſtinctam notionem à paternitate, & ſpiratione actiua. Reſpondetur alium admodum, & diuerſum eſſe conceptum Patris, eſſe innaſcibilem ratione poſitiui, alium eſſe Patrem, vel ſpirantem: nam ratione primi ſumitur, vt ſub ratione primi principij omnem fœcunditatem continentis abſolutè? ratione verò ſecundi, vt peculiare principium Filij: ſicut rationem tertij, vt Spiritus ſancti principium, & origo; vt quemadmodum ideo innaſcibilis negatiuè, quia à nullo abſolutè eſt, ita innaſcibilis poſitiuè, quia omnium fœcundiſſimum principium, nulla prorſus præciſe habita ratione ad hanc, vel illam perſonam. Differunt ergo iſta duo Theologica in conceptu, non in re concepta.

Quod verò improceſſibilitas nullam diſtinctam notionem dicat inter reliquos Doctores egregiè ſanctus Doctor diſt. 28. quæſt. 4. ſecutus Alexandrum quæſt. 69. membro 4. probat, primo, quia vt omnem proceſſionem negat eſt idem cum innaſcibilitate, vt tantum ſpirationem paſſiuam, eſt idem cum ſpiratione actiua: nam quia non ſpiratur, ſpirat. Secundo, quia improceſſibilis non dicit nobilitatem, neque ex principali, neque ex conſequenti, nec rationem diſtinctam poſitiuam, & reſpectum. Et probatur ex ſupradictis: vt enim ad nobilitatem ſpectet, debet neceſſario ponere aliquid: hæc verò nihil ponit, quod non ſpectet, & ad Patrem, & ad Filium. Filius enim nec ſpiratur, nec ſpirationem conſequitur. Ergo non eſt notio, de cuius ratione eſt, vt ſit propria ratio cognoſcendi diſtinctam perſonam: neque non procedere, poteſt eſſe ratio notionis propriæ non tantum propter rationem ſancti Bonauenturæ ad vltimum, ſed etiam vt obſeruarunt alij: nam non procedere, eſt veluti genus, quod includitur in quaſi ſpeciebus proceſſionum, vt primo argumento indicauit idem ſanctus Bonauentura; licet hæc ratio incidat in idem cum ſuperiori. Duo ergo egregiè præſtitit S. Doctor, & per doctrinam innaſcibilitatis ſoluit argumentum pro improceſſibilitate, & ſimul ipſam improceſſibilitatem diſtinctè demonſtrat non poſſe eſſe notionem.

Secunda dubitatio erat bipartita, vt aliqui dixerint nedum non eſſe ſex notiones in Deo, ſed nullas; quidam verò non eſſe quinque, ſed tantum quatuor negantes innaſcibilitatem eſſe notionem: Auctor primæ opinionis fuit Præpoſitiuus, vt referunt D. Bonau. diſt. 33. art. 1. D. Thom. 1. par. q. 32. art. 2. & alij Scholaſtici, qui ideo aſſerebat in Diuinis, nec proprietates, nec notiones ponendas eſſe in abſtracto, quia nullo modo diſtinguuntur à perſonis: omnis enim diſtinctio Diuinæ repugnat ſimplicitati. Secutus eſt eum Gregorius 1. diſt. 26. & 27. quæſt. vnica, art. 2. licet in explicatione differat: exiſtimat enim proprietates in Deo perſonales ſint intranſitiuæ, id eſt non proprietates perſonarum, ſed ipſiſſimæ perſonæ, itaut niſi vocem admittat proprietatis: à parte verò rei nihil; idem docuit Maior in 1. diſt. 26. integra quæſtione vnica.

In oppoſitum ſunt omnes Theologi abſolutè, & probatur primo ex Patribus D. Iuſtino in expoſitione fidei de Trinitate, ex D. Baſilio lib. 2. contra Eunomium, & in epiſt. 43. ad Gregorium Nyſſenum, & lib. vnico de Spiritu ſancto, cap. 5. ex D. Gregorio Nyſſeno lib. de Differentia eſſentiæ, & perſonæ, ex D. Epiphanio hæreſ. 73. Secundo probatur. Nota, vel idem eſt cum notione, vel eam conuertibiliter infert, & infertur: ſed notas conuenire perſonis Diuinis, quibus cognoſcantur, docent D. Iuſtinus citato loco, & D. Baſilius indicata

epiſtola, notam, & caracterem pro notione ſumendo, & D. Athanaſius quæſt. 7. de natura Dei, vbi ait, *de proprietatibus Diuinis tria propria, tria indiuidua, tres caracteres*. Tertio. In quacumque perſona Diuina, eſt propria ratio: ergo, & proprietas, & notio, qua dignoſcatur. Antecedens eſt D. Athanaſij, oratione ſecunda contra Arianos dicentis: *Paternitatis ratio, &c.* & infra. *Verbum erat adorandum ſecundum ſuam è paterna ſubſtantia proprietatem*. & D. Nazianzenus orat. 29. *Ita nobis proprietatum ratio conſtabit, ſi Patrem quidem principij expertem, & principium cogitemus, &c.* Nyſſenus lib. ad Ablabrium. *Alia*, inquit, *ratio eius, quod quid eſt, alia eius quod, quomodo eſt*; *quibus vltimis verbis*, rationem propriam perſonæ explicat; & alij innumeri Patres poſſent referri, qui tum idem aſtruunt, tum has proprietates in abſtracto de Deo proferunt. Conſequentia quoque probatur: ſi enim in perſona eſt propria ratio, per quam exiſtit: ergo, & in abſtracto proferri debet, & per ipſam cognoſci.

Quod idē quarto loco confirmatur. Notio obiectiua, nihil aliud eſt, quā ratio, per quā res in ſua quidditate propria, & à qualibet alia diſtincta cognoſcitur: ſed quæcumque res in ſua quidditate propria cognoſcitur, & per ſuam proprietatem intrinſecam, per quam eſt in eſſe diſtincto, tanquam per rationem obiectiuam diſcernitur: ergo quæcumque proprietas vnius perſonæ, eſt ratio, & notio propria eius, vt cognoſcatur. Confirmatur. Perſonæ Diuinæ conſtituuntur, & diſtinguuntur per proprietates paternitatis, filiationis, & ſpirationis paſſiuæ: ergo per eas quoque cognoſcuntur: ergo proprietates ſunt notiones. Deniq; per omnia loca, omneſq. rationes, quibus ſupra cap. primo, demonſtratum eſt, proprietates, & relationes reales dari in Deo, ſimul quoque notiones ibidem exiſtere nemo non videt oſtenſum. Quam verò cenſuram Præpoſitiui ſententia mereatur cap. ſequenti explicabitur. Reſpuenda omnino hæc ſententia tanquam contra Patres, & omnium Theologorum Theologiam de certo numero notionum conturbans; ſed pluribus cap. ſequenti.

Secundæ verò ſententiæ patronus fuit Gabriel, qui vt indicatum eſt, negabat innaſcibilitatem eſſe notionem, hoc primo inter alia, argumento; ſi negatiuè innaſcibilitas ſumatur, conuenit & Spiritui ſancto, ſi poſitiuè, innaſcibilis eſt etiam eſſentia, &c. quod argumentum nullius momenti eſt, & iam ſupra ſolutum. Secundo, ſic iterum arguit. Si pluſquam tres relationes ſunt in Deo, ſcilicet quatuor, & quinque notiones: ergo pluſquam tres res ſunt in Deo: ſed hoc falſum eſt: tantum enim tres, ideſt tres perſonæ conceduntur in Deo, ergo: Minoris momenti eſt hoc argumentum, quam fuerit primum: neganda enim eſt prima conſequentia, neque enim licet in Deo ſint quatuor relationes reales, ſunt tamen quatuor res: nam relatio ſpirationis actiuæ non differt niſi ratione à paternitate, & filiatione, ſicuti neque Deitas à perſonis, & à relationibus.

Sed hac indicata ratione, iterum inſurget quis: In Patre paternitas, & ſpiratio actiua non diſtinguuntur ad inuicem niſi ratione, nec proinde, vt duæ res: ergo duæ non ſunt notiones, vt videtur. Poſtulat hæc inſtantia, & dubitatio, & indiget potius declaratione, quam redargutione, aut argumentatione.

Eſt ergo animaduertendum primo, relationem actiuæ ſpirationis eſſe veram, & realem inter relationes Diuinas, veram quoque notionem: & præter quam, quod eſt certa, & conſtans omnium Theologorum opinio, & ſententia, atque adeo, vt S. Thomas poſtquam prima parte quæſt. 28. art. 1. docuit relationes perſonarum eſſe reales, & art. 4. eſſe quatuor, quæſt. 8. de Potentia, art. 4. dixerit eſſe de fide; licet diffinitiones de fide non ſint, ita de hac relatione expreſſè, vt de hac non prætendamus niſi certitudinem Theologicam: Probatur etiam ratione, qua S. Bonauentura probabat ſufficientiam numeri notionum poſitiuarum ex vera, & reali origine duplici Diuinarum perſonarum hoc modo. Duplex eſt origo: ergo quatruplex relatio realis: tunc ſubſumo: ergo ſicut vera, & realis eſt relatio paternitatis ad Filium, & Filij ad Patrem propter realem originem: ita eadem ratione, & certitudine erit vera, & realis relatio ſpirationis actiuæ ad Spiritum ſanctum propter realem originem Spiritus ſancti ab ipſis. Eadem ratione, vt ſupra vtitur, ſic S. Thom. Inter principium, & id quod ab ipſo emanat realiter eſt realis relatio mutua, &c. ſed Pater, & Filius, ſunt è quibus emanat Spiritus ſanctus de fide: ergo inter ipſos, & Spiritum ſanctum inſurgit mutua realis relatio: ergo ſpiratio actiua eſt relatio realis.

Quod ſi vt refert Suarez lib. 5. de Trinitate, cap. 4. quidam ex antiquioribus de hac re viſi ſunt dubitaſſe. Ego reſpondeo, eos Patres loquutos de relationibus conſtituentibus perſonas, inter quas certo non eſt ſpiratio actiua. Si qui verò inter ipſos quoque aſſeruerunt non eſſe mutuam conuerſionem inter Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum: Reſpondeo interpretandos eſſe loquutos formaliter, & præcisè ſub ratione Paternitatis, & filiationis, non opponi Spiritui ſancto, nec referri: licet ſi quis adderet, referri quidem etiam ſub his rationibus ſi adæquatè ſumantur Paternitas, & filiatio: prout continent vim ſpirandi in concreto (quippe quibus, vt primis, & fœcundis ſpiratione) competit ſpirare; primæ autem ſunt, quia Pater, & quia Filius.

Animaduertendum ſecundo. Quamuis ad inuicem Paternitas, & ſpiratio actiua, non differant, neque realiter, neque formaliter, nec ſint duæ res; non mutuo tamen prædicantur, neque inde minuitur numerus relationum realium, vt verè non poſſint dici à parte rei quatuor: dixi primo non differunt realiter contra Durandum, qui aduerſus communem Theologorum torrentem diſt. 13. q. 2. non timuit ſpirationem actiuam realiter à Paternitate in Patre, & à filiatione in Filio differre aſſerere; itaut voluerit, noluerit contra Conc. Lateranenſe, cap. Damnamus quartam rem, & quaternitatem in Diuina Trinitate admiſerit. neque ſatis ſe tuetur ab hac Lateranenſi cenſura, ſi dicat ibi tantum quaternitatem perſonarum damnari.

non

non autem quamcumque rerum relatiuarum: tum quia ſine vlla reſtrictione loquutum eſt; tum quia eſſentiam, etiam cum tribus relationibus non eſſe quatuor res docet: tum denique, quia ſi ſpiratio actiua eſt res realiter diſtincta à tribus relationibus, non minus conſtituet perſonam, quam reliquæ. Ratio eſt, quia eſt ſubſtantialis relatio incommunicabilis, diſtincta nec ſoluit Durandus, quod non conſtituit diſtinctam perſonam, quia communis duabus perſonis, Patri ſcilicet, & Filio: nam ſi communis eſt, communitate eſſentiæ hoc niſſil eſt; nam ſic ſunt, & reliquæ relationes, & tamen conſtituunt: ſi verò communis aliqua identitate cum paternitate, & filiatione: tunc ergo ab ipſis realiter non differt. Si poſtremo communis per aliquam vnionem cum illis: ergo illas perſonas verè componit contra ſimplicitatem ſummam Diuinarum perſonarum: & conſequenter, ergo tertia perſona erit ſimplicior iſtis duabus perſonis, quia hac compoſitione ſpirationis actiuæ carebit. Denique incommunicabilis eſt hæc relatio Spiritui ſancto: ergo ſaltem ratione huius conſtituet. &c.

Neque verò vlla ratione, licet S. Doctori noſtro hanc eandem, & erroneam imputare opinionem, quamuis diſt. 26. q. 1. & diſt. 33. q. 1. contra Præpoſitiuum arguens, vt relationum realitatem, & veritatem tueretur viſus ſit per exagerationem quoquomodo dixiſſe in Patre has relationes differre realiter. Primo, quia à nullo Doctore, quem viderim de hoc errore inſimulatur. Secundo, quia apertiſsimè docet minus differre relationem à perſona, & in perſona, quam ad inuicem: ad inuicem enim, vt opponuntur, differunt realiter: à perſona autem aliquo modo: ergo minus quam realiter. Tertio. Ea eſt latitudo apud S. Bonauenturam, & alios priſcos Theologos diſtinctionis, & realitatis, vt ſæpenumero id dicatur differre ratione, quod eſſentialiter non differt, vt in cit. q. diſt. 26. ad ſecundum, & è contra id realiter nuncupetur differre, quod pluſquam ratione tantum differt, quod in hac quæſt. accidiſſe interpretamur. Quarto vbi argumento affirmăte in principio quæſtionis aſtruit, generatio, & ſpiratio actiua differunt realiter reddit rationem: quia differunt, & perſonæ productæ: & ſe ipſo pateret, etiam ſi taceret, has notiones differre non ſicut rem, & rem, alias perſona eſſet compoſita, vt teſtatur in reſponſione ad tertium; ſed ſicut duæ relationes, atque id tantum ratione terminorum, ad quos tota vis relationis eſt: duo autem ſunt termini, ideſt generationis Filius, ſpirationis actiuæ Spiritus ſanctus: differre ergo docuit relationes, quia differunt perſonæ, hoc eſt clarius differunt termini relationum; hunc modũ dicẽdi tuẽtur, Syluest., Bannes, & Nazarius probabiliter, ſcilicet realiter differre in genere relationis.

Dixi neq; formaliter propter Scotum, & Gabr., qui Scotus quodlib. 5. q. 2. ſicut formaliter, & ex natura rei attributa, & ab eſſentia, & inter ſe, vt diſparata differre teſtatus eſt, & conatus probare: ita eodem modo, et fundamento, et paternitatem præſertim, et ſpirationẽ, et filiationem ad inuicem differre, ob hanc inter cæteras rationes, quia ſpiratio actiua à Patre communicatur Filio, generatio verò actiua nequaquam, quod ſignum certum videtur pluſquam ratione eas ad inuicem differre, contra quam tamen opinionem nihil neceſſe eſt in præſentiarum addere, aut repetere: ſatis enim quæ ſupra, ex communi Theologorum ſenſu producta ſunt, & ad hanc omnemq. aliam ſimilis characteris inſtantiam tollendam; ſufficit enim differre ratione, & virtute.

Dixi tertio ad inuicem non debere prædicari, vt abſque alia limitatione proferatur paternitas, eſt ſpiratio, & è contra: Quod primo S. Doctor diſt. 33. q. 3. egregiè enucleat, & eruditè diſſerit, & probat, & primo, in concreto legitimè poteſt enũtiari; Pater eſt ſpirans; ratio eſt, quia eſt prædicatio per inhærentiam in eodem ſuppoſito. Igitur vera eſt hæc enunciatio, quia vnum idemq. ſuppoſitum, ideſt perſona prima; idem eadem ratione de Filio: Filius eſt ſpirans. In abſtracto antẽ omnino retiẽnda, & cohibẽda lingua, ratione eadem à proportione contraria, quia nõ de ſuppoſito, ſed ad inuicem, qui diuerſi reſpectus ad diuerſas perſonas, prædicarentur: ideo enim primo modo vera erit prædicatio propter identitatem perſonæ, ſecundo modo, falſa propter diuerſitatem formarum hoc eſt relationum, & reſpectuum, ex diuerſis terminis: alius enim eſt terminus paternitatis, alius terminus ſpirationis: alias ſequeretur Patrẽ æquè generare Spiritum ſanctum, & ſpirare Filium.

Quod ſi opponas. Si inter attributa ſit mutua prædicatio, & verè dicitur bonitas eſt iuſtitia, &c. & ſi adhuc verè admittitur enuntiare paternitas eſt Deitas, quanto magis deberet admitti paternitas eſt generatio, & ſpiratio, conſequentia videtur rationalis: nam maior eſt vnio proprietatum in vna perſona, quam attributorum in vna natura communi, & quam proprietatis, & eſſentiæ.

Reſpondetur hoc minimè negotium faceſſere, & hoc eſſe admodum diuerſa ratione: nam propoſitę ad inuicem prædicationes ſunt veræ identicè propter identitatem eſſentiæ, hæc verò, de qua eſt controuerſia non eſt vera: quia non comparatur ad eſſentiam, cum qua quidem idem eſt, ſed ad diuerſos terminos ſecundum quos dicit varios reſpectus, vnde non poteſt verè ad inuicem prædicari.

Scotus hanc prædicationẽ negat ex ſua opinione, quia vnam ab alia ex natura rei formaliter, differt: quod tamen iam negatũ, & impugnatum eſt. S. verò Thom. art. 3. ad tertium idem cum S. Bonau. his verbis. *Plures proprietates vnius perſonæ eſt non opponantur ad inuicẽ relatiuè non differunt realiter: nec tamen de ſe inuicem prædicantur, quia ſignificantur, vt diuerſæ rationes perſonarum; ſicut etiã non dicimus, quod attributũ potentiæ ſit attributum ſcientiæ, licet dicamus, quod ſcientia ſit potentia.* quæ verba Caiet. cum multis alijs enucleans doctè, animaduertit illum modum dicendi S. Thom. quo ſignificantur attributa, vt diſtincta, quem ego quoque libenter aduerto, quia valdè deſeruit menti, & doctrinæ Sancti Bonauenturæ, quæ eſt prorſus eadem cum Sancto Thoma, & etiam in modo loquendi, vt patebit non dormitando intuenti. His igitur verbis nequaquam

primo, quod ei imponit Scotus, & poſt eum Molina prætendit has relationes ad inuicem non prædicari; ideo quia differant ratione: nam alia quoque multa prædicantur ad inuicem; licet ratione differant; ſed quia ſignificantur diſtinctè, hoc eſt, vt diuerſæ relationes in actu exercito ad diuerſos terminos: voce enim hac paternitas, & ſpiratio ſignificatur formaliter diuerſa ratio in praxi ad diuerſos terminos, ac perſonas: ita quoque prædicantur ad inuicem ſapientia, & potentia identicè cum Diuina ſubſtantia; ſub ratione verò attributi, quia tunc in praxi à nobis attribuuntur, & ſignificantur, vt diſtincta, ad inuicem non prædicantur.

Poſſumus, & alias huius negatæ prædicationis cum vtroque Sancto Doctore, cum Egidio, Scoto, & alijs rationes addere; ſed hæc vna nunc ſufficiant, ne Diuinæ confundantur proprietates, & proceſſiones. Hinc licet inter generationem, & ſpirationem non ſit niſi differentia rationis, & licet inter intellectum, & voluntatem Diuinam non ſit alia, quam rationis differentia, non admittitur tamen; generatio eſt ſpiratio, Pater generat voluntate, & ſpirat intellectu, ne perturbentur, & confundantur propria, ac ruat Sanctiſſimæ Trinitatis myſterium: vel vt verius dicam obruatur, noſtris ineptijs, & improprijs dicendi modis.

Ergo quoque, quod poſtremo loco dixi, erunt de neceſſitate, vt ait S. Bonauentura quatuor relationes, aut notiones relatiuæ. Dixi quatuor, non autem quinque, quia prima notio, quæ eſt innaſcibilitas, non eſt primo relatio, niſi priuatiuè ad non auctorē, quod ſupra indicauit S. Doctor, dum eſſe aliquo modo relationem dixit. Secundo niſi ſumatur complete, & vt indicat primitatem, & fontalem plenitudinem. Quatuor igitur completè relationes, & ex ſupradictis, primo probatur; licet enim à parte rei contra Durandum præcipuè, non ſint duæ res, ſed vna, & conſequenter non improbabiliter, Gregorius, & Gabriel non quatuor diſtinctas reales relationes ſint, ſed tantum tres: adhuc tamen ſunt quatuor; tum quia eſt ibi duplex realis origo; ergo duplex realis mutua relatio; ergo quadruplex, licet hæc non ſit realiter diſtincta: Tum quia quamuis actu vna ſola relatio; ex ſua tamen infinita virtute præſtans ad duos terminos realiter diſtinctos terminari. Quo ſoluitur ratio Durandi, quæ erat, vna ſola relatio repugnat ad duos terminos reales referri: ergo neceſſario duæ reales relationes Paternitas, & ſpiratio actiua. Reſpondetur enim vnam quidem re, & virtute, non poſſe ad plures terminos referri; ſed vnam re, plures tamen virtute, poſſe; quemadmodum iſta eſt. Tertio, melius, & communiori Theologorum ſententia S. Bonauenturæ, S. Thomæ, Scoti, & multorum aliorum, duas eſſe veras non res, ſed relationes, quia verè ſunt duo termini, ad quos, vnde tota vis relationis pendet, & duas rationes quaſi ſpecie differentes referendi: eo præcipuè ſenſu, quia nos, & intelligimus, & nominamus, & ſignificamus, & volumus dicere Paternitatem, & ſpirationem in ſe quidem eſſe vnam rem relatiuam ad terminos, tamen eſſe duplicem formaliter. Quod ſi quis inſtet multiplicato inferiori neceſſario, & ſuperius multiplicatur: ergo multiplicata relatione multiplicatur, & res, & ens. Reſpondetur id quidem verum ſi fiat ſecundum idem: ſed hic fit ſecundum diuerſa; nam multiplicamus, & numeramus relationes has præcisè, & dumtaxat ratione terminorum, & dicimus duas, quia alia perſona, ad quam Paternitas, ideſt Filius, alia ad quam ſpiratio, ideſt Spiritus ſanctus.

Vltimo animaduertendum, & ſit veluti tertia dubitatio, circa terminos, & terminorum ſignificationem, quos primo loco S. Doctor poſuit, & nos poſtremo loco obſeruamus, quia omnibus hucuſque dictis valde deſeruiunt, nimirum circa vocem notionis, proprietatis, & relationis. Quo igitur ad vocem notionis licet Sanctus Doctor propriè explicuerit eſſe rationem diſtinctè cognoſcendi perſonam Diuinam; adnotandum tamen primo, quod refert Belarminus lib. 2. de Chriſto, cap. 1. & 2. huius vocis deriſorem fuiſſe Valentinum Gentilem, & Tranſiluanos, alioſq. huius notæ, eo quod non legatur in ſacris Litteris: quod impiè dicitur; nam primo licet totidem ſyllabis notio non inueniatur in ſacris Litteris: inuenitur tamen tanquam in radice, ex quo deducitur, ſcilicet verbum noſco, vnde verbalis vox nuncupatur, Ioan. 8. propè finē, *Ego noui eum*, & c. 10. *Sicut nouit me Pater*. & Matt. 11. *Nemo nouit Filium niſi Pater, & Patrem quis nouit niſi Filius, & cui voluerit Filius reuelare*. Ergo idoneè ex diuinis Litteris deducitur. Secundo. In diuinis Litteris habetur res, quæ ſufficit, licet non habeatur explicata vox: nam perſonæ Diuinæ nominantur Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, in quibus earum notiones intelliguntur, ſcilicet paternitas, & filiatio, & ſpiratio paſsiua, ſicuti abſtractum intelligitur in concreto, vt docuit S. Thomas art. 2. ad primum. Tertio. Legitima vox eſt, quia frequentiſsimo in vſu inuenitur, & ſub hac voce apud SS. Patres, apud D. Auguſtinum lib. 5. de Trinitate, cap. 6. *Alia notio eſt qua intelligitur genitor, alia qua ingenitus*, Apud D. Gregorium Nyſſenum orat. cathechet. cap. 2. *Eodem modo adducemur ad notionem ſpiritus*, Apud D. Chryſoſtomum hom. 1. in Ioan. *Nam à notione quæ nobis largita eſt*. Apud D. Nazianzenum orat. 35. *Vt & communes notiones ferunt, & ipſa nominum verborum vis, ac facultas*. Deinde ſub hac voce, *nota*, frequentiſsimus vſus eſt apud eoſdem Sanctos Patres. D. Iuſtinus in expoſitione Fidei de Trinitate, ſæpè D. Baſilius lib. 2. contra Eunomium, epiſt. 43. ad Gregorium Nyſſenum. lib. vnico de Spiritu ſancto, cap. 5. D. Greg. Nyſſenus lib. de Differentia eſſentiæ, & perſonæ. D. Epiphanius hæreſi 73. & alij. Denique omnes Theologi Scholaſtici.

Animaduertendum ſecundo, notionem à Theologis, & Patribus ſub duplici ratione vſurpari. Primo, ſub ratione formali, vt idem ſit, quod conceptus, vt notitia alicuius rei. Secundo pro ratione obiectiua cuiuſcumque rei ſub qua cognoſcitur.

Sed notio formalis ſub triplici gradu accipi, & diſtin-

diſtingui poteſt, & primus erit gradus, quando latiſsimè ſumitur pro quacumq; cognitione, quemadmodum Cicero lib. 1. de Legibus ait. *Dei notionem nullũ animal eſt, quod habeat præter hominem*. Secundus gradus erit magis ſtrictè pro cognitione diſtinguente quamlibet rem ab alia, vel ſecundum rem, vel ſecundum perſonam; quare Boetius ad tertium librum Topicorum *notio, inquit, eſt mentis conceptio, quæ ad plures res pertinet à ſe inuicem differentes*. Tertius gradus dum maximè ſtrictè notio formalis ſumitur ad diſcernendum inter perſonas, ita Cicero lib. 5. de Officijs. *Explica, & excute intelligentiam tuam, vt videas quæ ſit in ea ſpecies, & forma, & notio boni viri*, ita D. Greg. Nyſſenus loco indicato orationis cathecheticæ.

Iiſdem gradibus ſumitur, & diſtinguitur notio obiectiua. Primo pro quolibet conceptu obiectiuo cuiuſcomque rei. Secundo, magis ſtrictè pro differentia propria, qua cognita diſcernitur vna res ab alia, licet differentia ſit eſſentialis, vel generica. Quo ſenſu ſæpè attributa Dei nuncupantur notiones Dei, quemadmodum D. Nazianzenus recenſita orat. 35. Tertio maximè reſtrictè, quemadmodum hoc loco, & propoſito, de quo agimus, pro ratione obiectiua, ad diſcernendum inter perſonas eiuſdem naturæ; itaut notio ad hoc propoſitum ſit veluti ſigillum, & character, quo vna perſona cognoſcitur ab alia diſtincta, & differre poteſt. Eſt propria ratio, & principium cognoſcendi perſonam Diuinam, ita D. Bonauentura hoc loco, ita S. Thom. queſt. 32. art. 3.

Quo ad alias duas voces, & in genere quo ad omnes tres, obſeruandus S. Doctor in corpore quæſtionis, quam diſtinctè, cuiuſcumque vocis quæras, & indaget proprietatem, & non indiget, niſi ut non oſcitanter legatur. Ita Alexander prima parte, queſt. 68. memb. 2. Albertus 1. par. q. 30. memb. 2. art. 1. D. Thom. art. 3. queſt. 32. Riccardus diſt. 27. queſt. 1. art. 1. & alij. Addenda tamen, quæ diſt. 24. queſt. 2. art. 1. in reſponſione ad quartum his verbis tradit. *Relatio, notio, vnitas, & proprietas, idem dicunt ſub diuerſis rationibus: ſenſus enim eſt perſona vna, id eſt vnica perſonali proprietate in ſe indiſtincta, & ab alijs diſtincta*. & quæ diſt. 27. quæſt. 1. art. 1. in fine corporis. *Proprietas, inquit, duo importat ſcilicet emanationem, & habitudinem, quæ quamuis idem re; differunt tamen ratione intelligendi, Hoc quod eſt generare importat productionem, & generatio emanationem: ſed hoc, quod eſt eſſe Patrem proprie importat habitudinem*.

Sed in aliqualem loculentiorem explicationem iterum obſeruandum circa acceptionem proprietatis, vel proprij. Pluribus enim modis accipi poteſt, primo notionaliter, altero modo, vt nihil notionale ſignificet, ſed idem ſit, quod rem non eſſe alienam, ſed haberi ab aliquo, & illi conuenire. Quare Boetius lib. de duabus naturis. *Natura, inquit, eſt cuiuslibet ſubſtantia ſpecifica proprietas*. Qua ſignificatione omnia attributa Diuinæ eſſentiæ communia tribus perſonis ſunt ei proprietates; Deus enim à ſe ipſo eas habet, non ſunt ei alienæ, & eiſ à creaturis diſtinguitur, & illi denique Diuinæ naturæ ſunt maximè propriæ; quare D. Petrus in 2. cap. 1: *Vocauit nos propria gloria, & virtute*. & D. Athanaſius ſer. 4. contra Arianos, *Vnum, inquit, ſunt Pater, & Filius ſuitate, & proprietate naturæ*, & alijs locis, & multi alij Patres, & colliguntur ex diuina Scriptura huiuſmodi locutiones, Ioan. 15. *Omnia quæcumque habet Pater mea ſunt propterea dixi, quia de meo accipiet*, veluti, ac ſi dixiſſet Chriſtus Dominus, ſunt propria mihi, & Patri, ita D. Apoſtolus. *Proprio Filio ſuo non pepercit*. vbi Sancti Patres Verbum eſſe proprium Patris docent. Quare Riccardus de ſancto Victore lib. 4. de Trinitate cap. 16. alias docuit proprietates eſſe communicabiles Diuinis perſonis, alias incommunicabiles.

Alio ſenſu, quem primo loco poſuimus, nimirum notionali, præſens inſtitutum poſtulat; proprietatis ſignificationem, vt idem ſit, quod vni perſonæ Diuinæ, non alteri; imò, quod ab altera diſtinguit, & ita etiam ſpiratio actiua dicenda eſt proprietas: quia Patrem, & Filium à Spiritu ſancto diſtinguit. Si tamen ſtrictiſsimè ſumatur ad tres relationes conſtitutiuas perſonarum limitatur. Quo ſenſu innaſcibilitas, & ſpiratio actiua non ſunt proprietates, & ſic apud innumeros Patres legere licebit, numerum proprietatum ad tres redactum Nazianzenus orat. 25. Baſilius tractatu de vera, & pia fide, & epiſt. 78. ad Euſtatium lib. 2. contra Eunomium. Ioannes Theologus in Conc. Florentino ſeſſ. 18. & Riccardus de ſancto Victore lib. 4. de Trinitate, cap. 17. & lib. 5. cap. 11. 13. 14. Apud eoſdem Sanctos Patres adhuc tres tantùm proprietates numerantur; ſuppreſſo etiam nomine paternitatis, ſed innaſcibilitatem pro paternitate vſurpantes, Damaſcenus lib. 1. Fidei cap. 11. Baſilius lib. 2. contra Eunomium, Nyſſenus epiſtola aduerſus Apollinarem, & alij.

CAPVT VII.

An liceat aliter de Diuinis notionibus hucuſque declaratis opinari. D. Bonau. diſt. 27. q. 4. art. 1. D. Thom. q. 32. art. 4.

PARAPHRASIS.

PRIMA. Propoſitio. *Opinari de re aliqua eſt cum formidine oppoſitæ opinionis, & abſque certa animi adhæſione aliquid animo ſentire.*

Secunda Propoſitio. Circa ea, quæ ad humanæ inquiſitionis doctrinam ſpectant, aliter quàm alij faciant opinari, & contra quam alij ſentiunt, ſentire licitum eſt probatur. Huiuſmodi namque non faciunt ad ſalutem, v. g. circa numerum notionum, quæ non ſunt neceſſaria ad ſalutem.

Tertia Propoſitio. Aliter autem, & contrarium ſentire, quam ſancitum eſt de fide, & deſcri-

ptum,

ptum, & exaratum in Diuina Scriptura, illicitum, & peccatum eſt: & peccatum quidem erroris ſi ſine pertinacia aſſeratur: hæreſis vero ſi cum pertinacia.

Quarta Propoſitio. Diuerſimode ſentire, aliamque opinionem amplecti cõtra ea, quæ leguntur in Scriptura; ſi ex ignorantia oriatur peccatum nullum eſt: vt ſi quis ſimplex, & idiota contra hiſtoriæ veritatem opinaretur; Iſaac eſſe filium Iacob: quod ſi id faceret ex ſcientia, opinio eſſet peccatum erroris, & cum pertinacia, hæreſis.

Quinta Propoſitio. Contra ea quæ non ſunt formaliter de fide, nec aperta in ſacra Scriptura, ſed deducuntur, & conſequuntur ad fidẽ, opinari ante quam declarentur, & decernantur ab Eccleſia, & adhuc ſunt, aut occulta, aut controuerſa inter Doctores, peccatum non eſt: ſecus ſi poſtquam declarata & decreta ſunt: tunc enim ſicut dictum, opinari eſt error: aſſerere, hæreſis.

Sexta Propoſitio. Aſſerere, quæ dubia ſunt circa Deum, & Diuina, peccatum præſumptionis, & ſuperbiæ committitur: nimis enim præſumit ille, quia abſolutè aſſerit, quæ adhuc dubia, & haud determinata ſunt.

Septima Propoſitio. Ex his ſuppoſitis, quæſtionem ſoluens. Contrariam amplecti opinionem de nominibus in ijs, quæ aperta non ſunt in fide; aut ab Eccleſia, & certo, & communi Doctorum conſenſu decreta non ſunt; peccatum non eſt. eſſet autem præſumptionis peccatũ ſi quis in ijs, quæ adhuc in opinione ſunt vellet certo, & abſolutè aſſerere. Igitur de notionibus licet aliter opinari ſine hæreſi ſi in hæreſim inducere non eſt ei animus, vel inde ſequi hæreſim non aduertit.

COMMENTARIVM.

CONSECTARIVM eſt ex dictis hoc dubium neceſſario ſoluendum: ſupra enim dubitatum eſt, & contra Præpoſitinũ, & contra Gilbertum de veritate, de identitate & diſtinctione proprietatum, & contra alios, de numero, de quidditate, & diſtinctione notionum; tandem dijudicandum, & quid tuto dicere, aut opinari de notionibus liceat: qua denique certitudine, quæ hucuſque propoſita, & diſputata ſunt, amplexanda, vt adhuc relictus ſit locus in contrarium inculpatè opinandi, nec ne.

Scio quoſdam in D. Thomam commentatores, ſtrictius interpretari titulum quæſtionis, & dubiũ, vt ſit formaliter ſumenda mens, & colligenda in S. Thoma, & S. Bonauentura: (eſt enim prorſus, & intentio, & occaſio, & dubitandi ratio eadem) vt non de relationibus, & proprietatibus in communi, ſed de notionibus præciſè, vt notiones ſunt, inſtituatur dubitatio; ſed hæc non multi ponderis ſunt. Quo generalior erit quæſtio propoſita, eruditur erit ſolutio: quo verò ſtrictior facilior; licet ad mentem S. Thomæ exiſtimẽ ſecundo modo: dicit enim argumento, ſed contra art. 1. articuli fidei non ſunt de notionibus. ſcilicet præciſè ſumptis. D. verò Bonauentura primo modo: ponit enim, vtrum peccatum ſit de notionibus, ſiue proprietatibus contrariè opinari. hoc igitur quęrit S. Doctor; quæ nam ſint ita vera, & certa inter ea, quæ inter Doctorum ſentẽtias aſſerta ſunt, vt non liceat contrariam ſequi opinionem, & ſi certa, quo gradu certitudinis. Quæ nam verò, non adeo certa, vt poſsit quis intacta ortodoxa fide oppoſitum ſentire.

Ad quod indagandum ſternit ſibi viam, quibuſdam præiactis diſtinctionibus, vt ſine commentatione in textu patens eſt.

Quo tamen ad terminum, *opinari*. S. Doctor hic, obſeruat, opinionem eſſe rationis collationem, hoc eſt, tunc hominem dici opinari, quando inter multa, probabilia conferendo vnum accipit, altero non ſine formidine, & ſua probabilitate derelicto; quod opponitur aſſertioni, quæ tunc ab anima fit cum inter dubia vnũ abſolutè, & omni depoſita formidine eius oppoſiti ſeligitur, aliud verò abijcitur.

Sed rem hanc totam luculentius, & vberius explicat S. Doctor 3. Sententiarum diſt. 24. quæſt. 2. art. 3. duobus ſcilicet modis, opinionem ſumi primo, vt hic, quando vni quis aſſentitur parti, altera cum formidine, & vacillatione relicta. ſecundo pro illo animi aſſenſu, quem ſyllogimus dialecticus generat. vnde illud tritum inter ſapientes prouerbium: *Syllogiſmus dialecticus opinionem, demonſtratiuus ſcientiam generat*: vt inter vtramque opinionis ſpeciem videatur hæc ſola, & præcipua differentia intercedere, vt hęc apertè illã non dicat imperfectionem ſeu includat formidinis in ſe: illa verò dicat, & exprimat. hic poſſent tradi regulæ collectæ, & relatæ à recẽtioribus de ſeligenda tutè meliori opinione; ſed ne videar, ideo coaceruandi multa ſtudioſus, quo voluminis magnitudinem affectem, hæc ſuis auctoribus relinquo, hoc vno de induſtria animaduerſo, quod S. Thomas quolibeto 8. art. 12. tradidit, vt tunc tutè altera relicta probabili, ne me periculo exponam, illa quam eligo, ita mihi debet in praxi omnem peccandi ſcrupulum eximere, vt nullo timore errandi excrucietur conſcientia, præſertim quando, quam amplector opinionem, eſt minus tuta.

Quo autem ad illam hæreſis diffinitionem primo obſeruandum ex S. Doctore, vt ſit error contra veritatem fidei cognitam cum pertinacia aſſertus, vt ex eodem loco, aliud accidat eſſe errare in fide, aliud hæreticum eſſe: non ratione obiecti, & per ſe, ſed ratione diſpoſitionis animi errantis, aut ex ignorantia, aut ex certa cognitione; tamen tantummodo opinando, aut denique peruicaci, & obſtinata adhæſione: primo namque modo, aliquis, ne peccet excuſari præcipuè poteſt ſi adhuc, res dubia, neque ſancita fuerit. ſecundo modo peccabit, & quidem grauiſsimè. tertio modò hæreſis peccato ſe præcipitabit. Quare doctiſsimus; idemq. pijſsimus Pater Auguſtinus cõſueuerat ſimilibus verbis dicere, *errare quidem potero, hæreticus autem nunquam ero*. Ex his perſpicuè elicitur hæręſim ſcitę à Sancto Doctore diffinitam eſſe.

Digitized by Google

Quod apprimè confirmatur; docuit quoque S. Thomas ſecunda ſecundæ quæſt. 2. art. 1. ſed neceſſario addendum ſuit ab eo qui recepit fidem; primo ex vi, & ethymologia ipſius vocis (hæreſis:) eſt enim Græca, & ſecundum D. Iſidorum diuiſionem vnioni oppoſitam importat: vt tamen latina quoque ab hærendo deriuata, hanc præſefert vim vt hæreſis ſit, ab ea quam ſemel imbuit, & profeſſus eſt fidem, receſsio, & prima animi ad oppoſitum, & obſtinata adhæſio. ſecundo, vt quantum diſtet Iudæorum cæterarumque gentium infidelium in fide error & ab hæreſi differat, colligatur: licet enim turpitet circa veritatem; & Dei & Chriſti erreut, & omni vi; & deprauatis Scripturarum veterum locis obſtinate illi pugnent: iſti verò, & armis tueantur ſpurciſsimam & millies pluſquam falſam, fictam, quam ipſi vocant, Religionem, comentur ſubſtinere: nunquam tamen erunt hæretici: quia nunquam charactere baptiſmi, fuerunt inſigniti, aut fidem Catholicam vllo alio modo receperunt.

Sed ad clariorem S. Doctoris Doctrinæ notionum occaſione huc allatæ, explicationem, adhuc animaduertendum, & circa illa verba (quædam ſunt de neceſsitate fidei, & quædam de neceſsitate Scripturæ) aliquantiſper perſiſtendum: videtur enim primo ſatis difficilè percipere differentiam, quam his verbis S. Doctor conſtituit inter ea, quæ de neceſsitate fidei, & quæ de neceſsitate Scripturæ: vtraque enim quo ad fidem, & ſunt certa de fide, & neceſſario credenda: & ſi in partem alteram propondere liceret, quæ narrantur in Scriptura videtur certiora, hoc eſt omnino certiſſima: immediatè enim à Deo reuelata ſunt quocumque modo & Diuinus textus eſt certiſsima inter omnes, baſis, & regula, & canon credendorum.

Verum omnia rectiſsimè probata, & conſtituta ſunt, & primo, exiſtimo primo loco quaſi enomerauerit quæ in genere, & quocumque modo de fide ſunt. ſecundo verò loco, quæ in ſpecie, & ſingulari ratione itidem de fide ſint, hoc eſt ex Diuina Scriptura reuelata. ſecundo ex S. Thoma hoc eodem art. aliquid eſt de fide, & ad fidem ſpectat duobus modis; primo directè, & ſecundum ſe, vt Deum eſſe trinum, & vnum, Filium Dei eſſe incarnatum, & huiuſmodi ſimilia. ſecundo modo indirectè, & quaſi per accidens, & ſunt illa, ex quibus conſequitur aliquid contra fidem: vt in Diuina Scriptura; Abraham duos filios habuit: hoc enim negare conſequitur Scripturam eſſe falſam. Ad hanc igitur indicandam differentiam S. Bonauentura illa diſtinctione, & illis verbis videtur vſus. tertio, vt primo, quæ diſtinctè propoſita, & decreta ſunt ad credendum. ſecundo, quæ licet quidem ſint de fide, non tamen vt diſtinctè credantur omnibus proponuntur, ſicuti omnia, quæ ſunt in Scriptura vt non interponatur diſtinctio alia, niſi, quæ inuenitur, quæ explicitè, & quæ implicite credēda ſunt.

Verum quidem ex his alterius dubitationis non minoris pendendæ ſolutionis neceſſitatem non mediocrem video: quæ nam ſcilicet ſunt, quæ Euangelij tempore, & præcipuè his temporibus vbi ſedis Apoſtolicæ oraculis, reſponſis, & decretis omnia videntur luce conſperta, & illuminata expreſſa, ac declarata; quæ nam inquam, quæ credenda teneatur quilibet fidelis præſertim explicitè poſtulat, etiam hoc loco verba præſertim S. Doctoris, quibus diſtinguit licere contrariam amplecti opinionem in his: etiam tum ſi ignorat Scripturas vir ſimplex & ignarus: tum ſi eſt ante pertractationē hoc eſt ante reſponſum, & deciſionem ſedis: poſt enim hæc, nequaquam: ergo quis, & quæ & quando teneator non opinari contrarium imò explicitè profiteri, hic exquirendum.

S. Thomas ſecunda ſecundæ quæſt. 2. art. 5. Quātum ad prima credibilia, quæ ſunt art. fidei, tenentur, inquit omnes explicitè credere, ſicut & tenentur habrere fidem; articulo verò ſexto, ſicut Angeli Superiores per quos inferiores illuminantur habent pleniorem notitiam de Diuinis: Ita inter homines, ſuperiores, ad quos alios erudire pertinet, tenentur & pleniorem habere notitiam, & magis explicitè credere: ita vt (reſponſione ad primum) non omnes eadem neceſſitate teneātur ad explicitè credenda credere; ſed magis ſuperiores, & capita quam membra, & ſubditi ſimpliciores. Art. denique ſeptimo magis ad rem accedens, explicatius reſpondet, & neceſsitatis ſtatum ex tempore patefacit: dicit enim poſt Chriſti aduentum, & poſt Euangelij reuelatam gratiam tenentur omnes, Chriſti myſteria explicitè credere præſertim ea. quæ in Eccleſia, vt ipſe ait publicè proponuntur, & ſolemnitates in Eccleſia de ijs inſtitutæ à fidelibus obſeruantur. Ideo Chriſti Annuntiationem, & Incarnationem, Natiuitatem, Circumciſionem &c Mortem, Reſurrectionem, Aſcenſionem, Spiritus ſanctus Aduentum ad mundum iudicandum eiuſdem Chriſti deſcenſum; omnes etiam ruſtici, & credere, & ſcire quod tenentur nemo eſt qui tutè dubitare poſsit, vel ſaltem incumbere, vt addiſcant. Trinitatem autem Sanctiſsimam ſicut ſine ipſa myſterium Incarnationis credi non poteſt (ſecunda enim perſona, ſcilicet Filius miſſa eſt, & incarnata, et à Patre miſſa, et de Spiritu ſancto concepta; et ſicut eam ſolemni ritu, et cultu colere præcipit eadem Sancta mater Eccleſia; ita omnes pariter fideles explicitè credere teneri docet idem S. Thom. art. 8. Quemadmodum hanc fidem, cum renaſcuntur fideles per innocationem Sanctiſsimæ eiuſdem Trinitatis adipiſcuntur.

Seraphicus verò Bonauentura hanc eandem ad credendum obligationem, et neceſsitatem explicatiſsimè non minori facilitate, et fælicitate, et certitudine tertio Sentent. diſt. 25. art. 1. q. 3. quæ nunc ferè innuit, enodat, et explanat his ferè dictis.

Primum omnes Chriſti fideles tenentur credere omnes articulos. Secundū omnes fideles credere omnes articulos implicitè eſt fidei diminutæ: adeò enim quorundam articulorum manifeſta eſt veritas, quod nullus habēs vſum rationis illos ignoret, niſi omnino negligat, et contemnat Deum, et ſalutem propriam. Tertiū credere omnes articulos fidei explicitè eſt prouectę fidei, et non eſt de generali neceſsitate ipſius fidei: ſed eſt aliquibus neceſſarium, ſcilicet illis qui iam profecerunt in fide, et

illis

illis potiſſimè qui alijs fidem explicare, & manifeſtare tenentur, vel qui prædicandi, & docendi alios munus aſſumunt, ſicuti ſunt habentes animarum curam, & prædicatores Verbi Dei. quartum credere quoſdam articulos implicitè quoſdam explicitè, eſt ad hominis ſalutem neceſſarium. quintum omnes vſum rationis habentes tenentur explicitè credere omnes illos articulos, quos eis manifeſtat, non ſolùm prædicatio, ſed vſus Eccleſiaſticus, & conſuetudo, ſicuti eſt de Trinitate, & vnitate quam poſſunt noſſe ex ipſo actu conſignationis: conſignant enim ſe in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti: & ſicuti etiam de Natiuitate, Paſſione, & Reſurrectione, & peccatorum remiſſione, quos cognoſcere poſſunt ex ipſis ſolemnitatibus, quas Eccleſia celebrat, & actibus Sacerdotum. Ideo ab horum cognitionem nullus ratione vtens excipitur, aut excuſatur: quia non poteſt eſſe talis ignorantia ſine negligentia, & contemptu. ſextum credere implicitè eſt in generali credere omne, quod credit ſancta Mater Eccleſia; ita vt à nullo particulari diſſentiat, nec aliquem articulum diſcredat. ergo quilibet Ruſticus, quælibet muliercula tenetur incumbere, vt diſcat articulos omnes ſymboli Apoſtolici, quia omnes explicitè credere tenetur.

At verò quoniam in dies explicantur, quæ multa erant implicata, & occulta, & decernuntur, & vt credenda proponuntur fidelibus; hinc omnino verum eſt, quod S. Thomas hoc articulo quarto, quẽ præ manibus habemus, multa nunc reperiri hæretica, quæ prius non reperiebantur, propter hoc, quod nunc eſt magis manifeſtum, nec ſoquam ratione, quia declarata, & manifeſtata, & propoſita, vt tanquam de fide explicitè credantur.

Sed tandem ad id in hac quæſt. quod potiſſimũ de notionibus enucleandum prætenditur deueniendum eſt, ſcilicet aliqui abſque periculo hæreſis circa notiones opinati ſunt contrariè, & probatur: quia nihil intendebant ſuſtinere contra fidem: conſequenter noſtris etiam temporibus abſque eodem hæreſis periculo, licet contrariè opinari quando nimirum nihil intẽditur; aut animaduertitur inferri contra fidem. ratio eſt, quia formaliter loquendo articuli fidei ex ſe non ſunt de notionibus, nihil enim ex ſacris Literis, neque ex vlla Eccleſiæ deciſione colligitur; aut apparet decretum ſub hoc ſcilicet nomine notionis. dixi formaliter; & ſub nomine notionis: nam ſi quo ad rem, & vt aiunt materialiter negaret innaſcibilitatem Paternitatem &c. erraret in fide, nam inde ſequeretur aliquid contra fidem Sanctiſſimæ Trinitatis; nimirum quod Pater eſſet ab alio, neque eſſet Perſona prima, neque Pater &c. Itidem qui negaret illas proprietates quas vocamus notiones, erraret apertè: qui verò eas concederet, ſed non eſſe vocandas notiones contenderet, nihil contra fidei ſanctiones diceret, ſed ſolum contra communem Theologorum, & multorum Patrum ſententiam loqueretur; non ſine temeritate.

S. Bonauentura cum S. Thoma, & communi opinione idem deducit, cum notiones ex ſe formaliter ſuppræ ſint ex ijs quæ directè, & per ſe non ſunt de fide, ſed tamen indirectè: inde ſequitur poſſe de his aliter opinari ſine formali hæreſis peccato: an tamen aliud peccatum committi in hoc poſsit; addit S. Doctor, quod iam ſæpe aſſeruimus, poſſe præſumptionis peccato peccare, illũ, qui hac in re contra communem opinionem aliquid diceret, præſertim ſi non opinaretur tantum ſed aſſereret; Ideo eo, quia abſolutè aſſerere, quod inter varios opinantes vltra, citraque agitatur præſumptio eſt: quod ſeueriori cenſura, & rigoroſius explicauit Altiſiodorenſis in ſua ſumma libro primo, his ferè verbis: *à Diuina Scriptura, quia non habemus determinatum de notionibus quid tenendum*: neutra opinio erit hæretica. Ideo Magiſtris licet circa hoc opinari, ſed non aſſerere: *Si quis enim de Deo quod non eſt determinatum ſacra Scriptura* (addendum vel ab Eccleſia) *vel quod non ſequatur directè ex fide*, peccat mortaliter, *quia conſtituit ſe ſupra Deum: iudex quippe eſt ſupra id quod de Deo iudicat.*

An verò ſi quis nunc certo aſſeueret notiones eſſe aut plures, aut pauciores quam quinque aliquo ne, & quo ſe peccato inficeret, & commacularet?

Hoc certiſsimum eſt qui hoc dictum proferret, quod neque antiqui Patres vllibi aſſeruerunt, & oppoſitum, quod Theologorum communitas docuit, hoc exiſtimandum peccatum temeritatis, & ſaltem periculi erroris; aſſerunt multi ex recentioribus, Torres, Bannes, Zumellus, & alij; & meo etiam iudicio nõ immerito; nam in re maximi momenti, ſcilicet de Sanct. Trinitate nomen, & nomen tum nouum notionis fingere, & in medium afferre, quod neq; inſignis diligentia Patrum, inuenit, neq; vllus grauis Theologis admiſit, eo præſertim quo, & ſufficientia quinque notionum egregiè probatur à Theologis, & conſequenter nulla nouæ notionis apparens neceſsitas, aut congruentia exiſtit, non poteſt à temeritatis nota, & errandi periculo excuſari. Et hinc valdè vrgens pro hac re argumentum, exquiſitè laborarunt ſancti Patres circa noſcendum hoc myſterium, & regulas tradendas (loca Patrum apud Suarez lib. 5. c. 9. & lib. 10. c. 2. & Vaſquez diſp. 127. & 140. inuenies) & præciſè agnouerunt, & tradiderunt, & eos ſequuti omnes Theologi validis argumentis grauiter hunc eũdem numerum firmarunt: ergo aliquid noui tentare, & ab hac omnium aſſertione diſcedere, & eſt ſanctos negligentiæ inſimulare, quod videnda non viderint; et temerariè nimis præſumere, et indetrimentum tanti myſterij, ac nouitatis aliquid afferre, non negandum videtur.

Neq; verò hic Scoto qui ſextam notionem moliri viſus eſt, grauis nota incuritur: nam non aſſeruit abſolutè ſextam notionem, ſed tamen propoſuit dubitationem, vt acueret, et excitaret hominum ingenia, et adæquatam inde expeterent ſolutionem reliqui homines.

Sed deniq; an Gilbertus dixerit hæreſim dum identitatem relationum cum Diuina eſſentia negauit, ſed eas affixas, et extrinſecas poſuit non ab re, hæc dubitatio hoc loco exurgit, tum ex titulo quæſt. vbi non ſolum de notionibus, ſed etiam proprietatibus dubitandum præmiſit S. Doctor; tum ex cor-

pore

Digitized by Google

pore vbi eam, et proponit, et ſoluit, Reſpondendum ergo non fuiſſe hæreticum Gilbertum, hac potiſſimum ratione, quia cum pertinacia non aſſeruit ſuam ſententiam; imò à ſancto Bernardo instructus, rationibus edoctus, ſe remiſit, et coram Concilio recantauit: hæreſim tamen dixiſſe, et eſſe maximè poſt Conciliũ: eſt namque per fidem, et Scripturam determinatum ait S. Doctor ſaltem in locis, vbi vnum Deum eſſe verum, eumque ſolum latria adorandum. *Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſerui es.* Matt. 4. Denteron. c. 6. *Audi Iſrael Dominus Deus tuus vnus eſt:* & per vnicum cultum Sanctæ matris Eccleſiæ, quo ſemper adorauit, latriam et adorat proprietates perſonarum & Deum; ſequitur enim: ergo eas idem cum Deo, & Deum ipſum, credidit ſemper, alias ſemper erraſſet.

An verò itidem contraria, et extrema in oppoſitum ſententia Præpoſitiui, eadem nota hæreſis inurenda ſit? Reſpondet primo S. Doctor hanc non ita à veritate deuiare, ſicut oppoſita: fatetur enim identitatem relationum cum eſſentia; errare tamen contra ſenſum, & modum dicendi communem omnium Theologorum, et contra ſanctos Patres, primo contra D. Auguſtinum qui lib. 5. de Trinitate cap. 6. *alia* inquit, *notio qua intelligitur genitor, alia, qua ingenitus:* contra D. Gregorium in præfatio Miſſæ. *In eſſentia adoretur proprietas*. contra D. Hieronymum. Confitemur non tantum nomina, ſed etiam proprietates. contra D. Damaſcenum lib. 3. de fide cap. 5. *Differentiam perſonarum in ſolis tribus proprietatibus paternali, filiali, & proceſſionali recognoſcimus.* contra D. Bernardum ſerm. 80. in Cantica, quatenus abſtracta de Deo propriè aſſerenda docet, quod negabat Præpoſitiuus. Sed quod magis eſt, contraria docuit, ſacris Concilijs, Lateranẽſi ſub Innocẽtio III. cap. Firmiter de ſumma Trinitate, & fidei Catholica, vbi profitentur patres illi, fidẽ de ſanctiſſima Trinitate, & communem, & indiuiduam eſſentiam, & ſecundum *perſonales proprietates* diſcretam decernunt, Concilio Florentino in literis vnionis &c. omnia, quæ Patris ſunt Pater gignendo dedit Filio, præter eſſe Patrem: ſequitur enim: ergo Patrem eſſe eſt proprietas realis ex Cõcilio. verum non negauit Præpoſitiuus diſtinctionem realem perſonarum ad inuicem.

Requirebat res, vt hoc poſtremo cap. eam iam in principio propriæ diſputationi ſatisfieret, & finis propter quem ſint in Deo relationes explicaretur: ſed idcirco hic diſtinctè prætermittitur quia, & ſupra indicatum, & nunc ſequenti diſputatione vberius explicandum: cum de perſonis: propter enim perſonas conſtituendas, & diſtinguendas, ſunt in Diuinis relationes, & proprietates.

QVAE-

Digitized by Google

QVAESTIO QVARTA
ET PRIMA DE PERSONIS DIVINIS.

POSTQVAM de conſtituentibus Diuinas perſonas, de emanationibus nimirum, & Diuinis relationibus hucuſque; recta ordinis ratio poſtulat, vt deinceps de perſonis ipſis conſtitutis inſtituatur tractatus, in tres partes ſeiungendus. In prima de perſonis in communi integra erit conſideratio, in ſecunda de ſingulis perſonis, de Patre ſcilicet, de Filio, & Spiritu ſancto, in tertia de his quæ ad perſonis conſequuntur.

Quid ſit Perſona in communi, & quo ad nomen, & quo ad rem. S. Bonauentura diſt. 23. q. 1. & diſt. 25. q. 2. S. Tho. q. 29. art. 1.

PARAPHRASIS.

PRIMA Propoſitio ex quæſt. 1. & 4. diſt. 23. Perſona quo ad nomen, eſt primo quaſi per ſe vna: & rectè quidem: nam ſignificat ſubſtantiam in ſe indiſtinctam, & ab alijs diſtinctam, & hæc eſt vnitas vera ratio. ſecundo dicitur perſona, quia per ſe ſonat, hoc eſt valde, & excellenter ſonat, ad dignitatem, & excellentiam in re per vocem perſonæ ſignificatam. Quod itidem ex duplici alio capite colligitur, primo ex æquipollenti nomine Græco, quod eſt Proſopon: idem namque, idiomate Græco eſt Proſopon quod latino perſona: vnde ad magnificentiam perſonæ explicandam deducta eſt vox Proſopopea. & laruati homines in Tragedijs ad magnos homines repræſentandos, perſonæ dicebantur: & in Eccleſijs primioris in Clero dignitatis viri, perſona nominabantur; qua lingua noſtra Itala, Perſonaggi diconto. Ratione confirmatur; res ab hac, voce, perſona ſignificata eſt vltima actualitas in natura rationali; ſed hoc eſt, id quod digniſſimum eſt in illa natura: ergo perſona eſt vox dignitatem ſignificans.

Secunda Propoſitio quo ad rem ex art. 1. quæſt. 4. diſt. 25. Ex Boetio lib. de duabus naturis cap. 2. optimè definitur perſona: eſt ſubſtantia indiuidua naturæ rationalis. Declaratur, & probatur ex reſponſione ad tertium; dicitur enim 1. ſubſtãtia, loco generis. Additur, indiuidua, ad ſignificãdam triplicem incommunicabilitatem. Primam, prædicationis; nam vna perſona non eſt alia. ſecundam compoſitionis: cum enim in vltimo actu ſit, non eſt alteri componibilis. tertiam vnionis. quo enim ipſa eſt dignior, non eſt cur alteri vniatur. quibus rectè conſequitur, animam rationalem, & humanitatem in Chriſto non eſſe perſonam: quia vtraque vnibilis: illa corpori, hæc verò perſona Verbi. ſecundo ſubſtantia ibi in diffinitione aſſumitur, vt communis, tum prima, tũ ſecunda ſubſtantia. Indiuidua, vt contrahit ad primam ſubſtantiam in natura rationali, & intellectuali. ergo optima diffinitio in qua nulla committitur nugatio, nihil extrinſecum includitur; inuenitur genus, & differentia, & verè diffinitio, & diffinitum ad inuicem conuertuntur.

Tertia Propoſitio ex reſponſione ad quartum, licet plures inueniantur, & tradantur de perſona diffinitiones: ad ſe inuicem tamen, neque aduerſantur: neque Boetij diffinitioni quam ſuſcipit S. Doctor, opponuntur: quod enim Riccardus de S. Victore lib. 2. de Trinitate cap. 28. primo definit Perſona eſt intellectualis naturæ incommunicabilis exiſtentia. ſecundo perſona eſt exiſtens per ſe iuxta ſingularem quendam rationalis exiſtentiæ modum; non aliud intendit: quam vna magis ſtrictè potius Diuinam perſonam, quam quamcumque aliam diffinire: Boetius verò rem in communi explicat: altera verò Boetij diffinitionem declarat. Quod verò ad Magiſtri diffinitionem perſona eſt hypoſtaſis diſtincta proprietate ad dignitatem pertinente, nemo non videt hoc nihil noui nihil diuerſi continere, ſed ipſum quoque primo perſona in communi diffinire ſecundo addere rationem traſlationis, vtrumque magis propriè, & explicatius tentaſſe perſonam diffinire, quam fecerit Boetius &c.

COMMENTARIVM.

HAEC quæ hucuſque de hoc Sanctiſsimo Myſterio à Sancto Doctore tradita, & explicata ſunt, quaſi per Iſagogen, & vt quædam præambula ad diuinarum perſonarum cognitionem dicta ſunt: præcipuum enim, & primum, quod hic quæritur, & quo tractatus hic tendit eſt de Diuinis perſonis. Quare, & S. Thomas, hæc in præambulo ad quæſtionem hanc 29. de perſonis docet ad tractatum hunc emanationes, & relationes idcirco explicatas eſſe, quia præcognoſcendæ erant. de perſonis autem à preceptis Ariſtotelis, neque per latum vnguem diſcedens Sanctus Doctor, ordine à nobis propoſitio ſeruato. primo à communioribus principium auſpicatur, vt de perſonis in communi primo poſtea de Diuinis. ſecundo de perſonis vniuerſim, ita diſpoſuit ſuam tractationem, vt à diffinitione exordium ſumat: & vt in foribus, quod primo loco ipſe Ariſt. docuit à nominis vi & ethymo-

logia

Digitized by Google

logia initium accipit vt primo, quid nominis,mox quid rei &c. vt inde, quo balbutire licet,ad Diuina tranſuolet, & in Deo verè perſonas eſſe, & quid, audeat fideliter & reuerenter aperire.

Licet igitur in his duabus quæſtionibus S. Doctor ſcopum hunc ſibi propoſuerit,probandi ad Diuina, perſonæ nomen rite translatū,eo,quia perfectionem, & dignitatem præſefert, & diffinitione communi, Boetium etiam Diuinam perſonam compræhendiſſe, et hac ratione à diffinitione deſumpta verè in Deo eſſe perſonas demonſtrare, quo, ſuppoſita fide,conceditur homini in via; duo tamen diſtincta docere ei in animo eſt. Alterum, quid nominis perſonæ, & quid rei. Alterum ex his ad Diuina optima ratione perſonæ nomen transferri, quia perſonæ res,& diffinitione inuenitur ibi,& explicatur.

Quo verò ad primum,ad nomen ſcilicet, & quid ſibi velit nomen, & vnde deſumptum ſit, prodit. Sed priuſquam, quicquam de perſonæ nomine explicetur; Primo obſeruandum,ad plura ſignificanda in homine ab Auctoribus hoc nomen, *perſona*, vſurpatum eſſe; Primo enim ad effigiē fictā hominis, & cooperimentum illud quo faciem tegit homo, & abſcondit, quod laruam nuncupant homines apud Gelium, aſſumptum eſt: vnde laruatus, & perſonatus dicebatur ille. Et quia ſonorior vox tunc emittebatur per laruam,tunc perſona à valde ſonando, & altius clamando nominabatur, à verbo perſonare,hoc eſt multum ſonare. At quoniam hic eſt vſus præcipuus eorum, qui in ſcenis diuerſorum hominum ficta,vel vera facta repræſentant, varijs indumentis,& vario vocis ſono,geſtis,modo ſe vnū, modo alium hominē, & hominum diuerſam conditionem: & hos diuerſas perſonas dicimus, & in eodem homine plures homines dixit Terentius. *In vno homine multa poſſunt eſſe perſonæ iracundi, mitis, læti, &c.* Hinc tertio, quia diuerſis indumentis, & actionibus, & vocibus diuerſas affectiones exprimimus; ad qualitatem ſignificandam perſona ex vſu ſumpta eſt. at verò quia hæc fictè fiunt omnia, ad fictionem, & hypocriſim explicandam,perſonæ voce vetuſti Auctores vſi ſunt. Quare Seneca apparentem,& fictā huius ſæculi fęlicitatē perſonatā vocabat, ad inſtar hiſtrionum, qui diuerſos ſe fingūt,& ſimulant. Onus quoque,& prouincia, quæ alicui imponitur, perſona ſolet nuncupari. Faciem denique antiquitus ſignificabat perſona, Supponunt Patres Conc. Nicæni lib. 2. §. Cum ſit copioſa: *cum perſonam audimus,ne ſuſpicemur,quod eſt Diuinum habere humanam effigiem*, &c. quibus colligitur, tunc temporis perſonam ſignificaſſe effigiem, & faciem. Et ſequitur: *nam, & cœlum, & terram perſonam habere teſtantur, quemadmodum, & ipſe Dominus in Euangelio ad Scribas, & Phariſæos loquēs aiebat. Hypocritæ faciem, ſiue perſonam cœli, & terræ dijudicare noſtis*. Confirmatur ex Euangelio,nam quod Matt.12.dicitur. *Neque vides in faciem.*Matt. 22.diſcitur. *Non reſpicis perſonam.*

Vera tamen, & germana huius vocis ſignificatio eſt, quam diffinitione, Boetius exprimit; qua ſingulare,non vniuerſale, non accidentis, quod à ſubiecto indiuiduatur,vt docet S.Tho.ſed ſubſtātię, quæ ſeipſa ſit ſingularis,& indiuidua; & non cuiuſcumq; ſubſtantiæ,ſed nobilis, hoc eſt rationalis,& intellectiuę,& in ea,quod perfectiſſimū eſt,& vltimam actualitatem notat,optimè patefit,& ſignificatur, ad quod conſequitur incommunicabile eſſe.

Quare hìc ab vllo auctore,Laurentij Vallæ, non poteſt audacia,& temeritas diſſimulari: nec non debita redargutione retundi: hic enim & fines ſuos grammaticæ tranſgreſſus, & in ea etiam turpiter errans in meſſem alienam, & Deo ſacram, falcem mittens Boetij diffinitionem ab vniuerſa ferè Theologorum ſchola receptam, non erubuit carpere his verbis: *Homini Romano oſtendam Romane neſcire loqui: perſona namque non eſt magis in Deo, quam vel animi, vel corporis in bruto, qua vnus homo ab alio differt, quem dicimus conſulis militis, vel ſerui perſonam exercere, &c.* Quibus audet dicere falſo Boetium ad intellectualem ſubſtantiam ſignificandam perſonæ nomen vſurpaſſe,& barbarè locutum: & multis rationibus libro 6. Elegantiarum, cap.34. contendit probare perſonam non ſubſtantiam, ſed qualitatem ſignificare; quare Terentius, vt ſupra in vna, & eadem ſubſtantia, eodemq. ſuppoſito plures inuenire perſonas docuit. Et inde infert non magis Deo, quam brutis perſonæ nomen, & vim conuenire: ſed allucinatur intolerabiliter hic grammaticulus, & ſomniat, hac tantum ratione Deo congruere perſonam, qua aliquando irati, aliquando mitis, & miſericordis, aliquando vindicantis Iudicis, aliquando liberaliter facientis, &c. perſonam induit: ſed miſerrimè inquam labitur, & infęliciſſimè in petram frangitur, & turpiter omni verbo errat. Primo enim Romana elegantiſsimè latina, & vt aiunt Tulliana perſona ſignificat ſubſtantiam: nam Cicero de Oratore ait, hominum eſſe innumerabiles perſonas: vbi manifeſtè,& perſonam ſumit pro ſubſtantia, & ſua auctoritate nomen hoc elegans latinum facit: & alijs etiam locis,vt in Theſauro Nizzolij. In iure, etiam Ciuili; vbi maximè viget candor linguæ latinæ, ad ſignificandam naturam rationalem, & humanam ſubſtantiam nomen perſonæ inuenitur, vt ff. de ſtatu hominum lege 1. & 2. & in tit. per quas perſonas. Imò apud diuinas Litteras, hac formali ſignificatione prolata à Spiritu ſancto legitur Act. 10. *Nō eſt perſonarū acceptor Deus.*& ad Rom.2. ad Epheſ. 6. *Perſonarum acceptio non eſt apud Deum.* Iudic.11. *Iephte miſit nuntios,qui ex perſona ſua dicerent, &c.*

Quod ſi aliquando apud quoſdam Auctores pro ſignificanda aliqua animi, vel corporis affectione, ac qualitate vſurpata legatur: inſulſa tamen,& temeraria, & in hac re erronea conſequentia, quod nunquam pro ſubſtantia rationali nominanda ſumatur, & hic eſt modus arguendi hæreticorum, quo præcipuè Ecolampadius de verbo (*Eſt*) aliquando eſt vſus; dum hæreticè impugnaret formam Sacramenti conſecrationis Euchariſtiæ. Aliquo loco Scripturarum ſumitur, eſt,pro ſignificat

ergo vbique hoc ſenſu ſumendum eſt, ergo, & in his verbis. *Hoc eſt Corpus meum*, illud eſt ſumendum pro ſignificat, &c.

Quod verò S. Bonauentura addit de interpretatione vocis perſonæ. Perſona primo, ideſt per ſe vna. Secundo perſona breui quantitate prolata hoc eſt valde ſonans, & tertio ex Alexandro membro 1. quæſt. 56. ex æquipollenti Græco nomine Proſopon à pros, quod eſt in, & ſopos, quod eſt facies, vnde proſopopæia, ideſt perſonæ fictio, &c. ſunt elegantes, & verè ethymologiæ, & huius vocis, *perſona*, verſiones. Quo enim ad primam ſpectat, quoad rem verè perſona eſt per ſe vna etiam ex Alexandro indicato loco, hoc eſt, non per aliud, neque per accidens, neque per compoſitionem eſſentialem (perſona Diuina.) eſt enim ſimpliciſsima, & ipſamet relatio ſubſiſtens, ſua origine indiuidua. Secundo per ſe adeò ſcilicet perfectè vna, vt repugnaret plurificari hæc perſona: ita tamen, vt quamuis S. Doctor declaret, ideo vnam, quia indiuiſam, & indiuiſibilem; vnitatis tamen rationem, non conſtituat in hac negatione diuiſionis: hoc enim colligit à poſteriori, & hanc negationem ſupponere poſitionem tradit; itaut ratio vnitatis ſit poſitio, non negatio, vt eruditè probat diſt. 24. q. 2. de vno in Deo: aliàs non ſibi conſtaret, & repugnantia docuiſſet. Hinc huius nominis perſonæ etymologia, & explicatio pluris æſtimanda eſt, cum quia rem omnino veram aſſerit, tum quia eſt grauiſsimi Doctoris.

Quo verò ad ſecundam explicationem, eſt itidem valde ad rem, & ab antiquis linguæ vocumq. Romanarum cultoribus excepta, & ab eo trahit originem; quod dum quis facie laruatus, & perſonatus non poſsit niſi per os laruæ emittere flatum, & vocem, hinc à concauitate laruæ collecta in vnũ vox vndequaq. omni alio exitu conſtipato, neceſſario euadit vehementior, & altius ſonat: vnde Theologicè mirè aſſumitur ad excellentiam, & dignitatem in natura rationali nominandam, & rectè, hac ratione valde ſonare aſſeritur, cuius virtus, & nomen vndiq. circumſonat gratanter, & honorificè auditur; itaut in iure Canonico idem ſit perſona, ac Prælatus, vt doctiſsimè aſſerit Albericus de Roſate Bergomatum Patriæ decus in ſuo Dictionario littera P. & affert extra: de regulis iuris, cap. Debitum perſonæ. lib. 6. & ibi Io. Andreæ, vbi vbertimè de hac perſonæ acceptione.

Quod denique ad tertiam eiuſdem vocis ſententiam, & etymonem, veriſsima quoque, & ab antiquis Theologis obſeruata, & iure ipſo, & ritu Eccleſiaſtico deducta, & grauiter, & idoneè ad rem, quam tractamus, accommodata.

Verum perſonæ vocis vi rectè animaduerſa facilis ad interiora, & quod quid ipſius perſonæ erit introſpectus. Videtur autem ſingularis in eo ſita difficultas, vt quomodo vox hæc (*indiuidua*) ſumatur, negatiuè, ſcilicet, an affirmatiuè; hoc eſt, an ratio formalis perſonæ poſita ſit, & exprimatur per incommunicabilitatem, vel incommunicabilitas conſequatur ad id, quod præciſè, & formaliter conſtituit poſitiuè ſubſtantiam rationalem ineſſe perſonæ: quod alij dicerent quid de ſui ratione perſona ſupra naturã ſingularem addat, &c. reliqua enim apud Sanctos Doctores, Bonauenturam, & Thomam non difficili negotio intelliguntur, & explicantur. Vt autem propoſitam difficultatem certo pede ſtatuamus: quanti eam fecerit S. Doctor, & poſt eum Scotus quantiq. facienda, & ponderis ſit prius videndum exiſtimo, ne in re fortaſſe non neceſſaria diutius, & anxius, quam par ſit, & res propoſita expoſtulet, inſudemus. Quo igitur ad ſanctum Doctorem certum eſt quidquid, vel quomodo huic quæſtioni reſpondeatur ipſum non admodum vrgere affirmando ſcilicet, aut negando, hoc eſt, vel perſonæ rationem formalem incõmunicabilitate ſitã eſſe aſſeratur, vel vltimam actualitatem naturæ, & perfectionem eſſe, quæ præciſè perſonam in eſſe perſonæ conſtituit, non multum incommodi afferre Theologiæ, nec plurimi æſtimandum, vt luculento diſcurſu in propoſita quæſtione docet; modo in hoc conueniamus: In perſona actu verè eſſe, quo, aut primo, aut conſequenter dicatur incommunicabilis, vt incommunicabilitatis perſonæ, aut ratio formalis, aut radix, excellentia quædam illius naturæ exiſtat: hunc verò modum dicendi vtrique parti plauſibilem, & ferè problematicum ex varijs antiquorum Doctorum traditis, & relatis perſonæ diffinitionibus amplexatus eſt. Primo enim Boetius diffiniens perſonam, & affirmando, dum perſona eſt ſubſtanciæ indiuiduæ rationalis naturæ, & negando dum indiuiduam eſſe dicit: indiuidui enim ratio eſt eſſe indiuiſum in ſe, & alijs non communicatum viſus eſt locutus. Riccardus verò de S. Victore perſonæ rationem, in negatione voluit conſtituere, dum vno loco perſona eſt intellectualis naturæ incommunicabilis exiſtentia: in alio verò loco valde admodum diuerſo modo, & oppoſito, perſona eſt exiſtens per ſe iuxta ſingularem quemdam exiſtenciæ rationalis modum, diffiniuit. Eodem modo à Magiſtris: perſona eſt hypoſtaſis diſtincta proprietate ad dignitatem pertinens: quos enim Magiſtros in hac diffinitiune perſonæ indaganda imitandos ſibi propoſuit; eos, & in modo dicendi ſequi, & imitari ſtatuit. Quod ſi denique in alteram partem libentius deſcenderit oppoſitæ tamen opinionis Auctoribus, debitum tribuit honorem, & rationi conformem loquutos doctrinam teſtatus eſt. Hinc primo rationabilem indiuidui interpretationem faſſus eſt illam, quam tum de altero non prædicatur, tum alteri non componitur, tum denique alteri, vt digniori, nequaquam vnitur, nec vniri poſsit.

Scotus quoque adeo placidè, et moderatè hanc verſauit, et ſuſtinuit doctrinam, vt teſte *Lycheto* omnino alteri parti non adhæſerit; imò alijs Scotiſtis aſſerentibus fuerit hac in re problema profeſſus 3. Sentent. diſt. 1. quæſt. 1. art. 3. (licet præciſè de perſona creata, non de omni perſona in genere ab eo inſtituatur quæſtio) refert vtramque opinionem, et affirmantem probabilem confitetur, vt in ipſo patet, et vt præcipuè præter notatos

Sco-

Scotiſtas diligenter obſeruant. Rada controuerſia 21.art.2. & Aretinus diſt.1.quæſt.1.art.11. Quemadmodum tamen Scotus in eam deſcendit ſententiam, quę rationem formalem perſonalitatis in negatione cuiuſcumque communicabilitatis, vt loquitur ipſe, & vt quo, & vt quod, & cuiuſcumque dependentiæ, & actu, & aptitudine, vt illa natura verè, & propriè dicatur perſona, quæ in oatura rationali, vel intellectuali in ſe adeo perfectè, & completè ſubſiſtat, vt nulla ratione ei competat alteri ineſſe, vel actu vel potentia: an verò in natura illius actualis entitas exiſtat, qua formaliter dicatur incommunicabilis nec ne, cum magis veluti ad materiā, quam ad perſonæ formam ſpectet non plurimi faciens, admodum eurditè, & vero ſimili valde ductus ita oppoſitam tueri ſententiam ſtatuit S. Bon: hac namq; quæſtione de indiniduo creato liqnido, & clariſſime indioidum ſubſtātiæ eſſe compoſitum, & addere ſupra ſubſtantiam realiter, docuit: indiuiduum autem perſonæ diuinæ non quidem componi; rationem tameo perſonæ poſitione conſtitui, & diſtingui, origine ſcilicet & productione; vnde perſona Diuina indinidua eſt, & diſtincta origine, proprietate, & relatione, & hanc relationem à natura & eſſentia non re, ſed dumtaxat ratione intelligendi, diſtingui, vt ſibi ſemper & vbique etiam in hac re conſentaneè loquatur, profitetur idem Saoctus Doctor.

Quod ſi Riccardus per communicabilitatis negationem perſonam diffinierit, ſcitè S. Doctor reſpondet primo; Riccardum aſſeruiſſe alia deffinitione, quod prætendimus, rationem ſcilicet perſonæ eſſe quendam ſingularem modum exiſtendi naturæ rationalis. ſecundo ne ſibi ſtaret oppoſitos, alia deffinitione rem ne dum quid eſſet io ſe, ſed quomodo etiam à nobis poſſet cognoſci tradidiſſe comentatur. vnde per conſequentem incommunicabilitatem alteri, eo præcipuè, quo de Diuina perſona ratiocinabatur, perſonam diffiniuit: quæ cum omnino prima ſit per priora non poteſt, nec ſciri, nec diffioiri.

Ita in re valde ſimili diſt.24.art.1. docet vnum in Deo poſitiuè neceſſario ſumendum & aſſerendū, hac certa ratione, quia primum, & Diuioum; negatiue tamen & conſequenter à nobis apprehendendum, eadem prorſus ratione, quia primum: repugnat etenim primum per prius cognoſci. Poſtremo, vt omnem tollat dubitationem quid incommunicabile eſſe, verè ſit, optime diſt. hac q. 2. ad vltimum his verbis ediſſerit: *dicendum quod non eſt pura priuatio imò importat poſitionem*, & quæſt.1. in corpore: *Perſona vlterius quia incommunicabilem habet rationem eius quod ſubeſt proprietati diſtinguenti, dicit habitudinem ad proprietatem*. Et in hac quæſt. io fine. *Priuatio in illa perſona magis eſt poſitio quam priuatio.* vbique verò perſonam Diuinam eſſe ſuppoſitum nobiliſſima proprietate diſtinctum, quęſt.1.diſt.23. q. 1. diſt.34. &c. Qui verò ab hoc S. Doctore huius aſſerri, rationem expoſceret, facili, & prompto negotio primo omnibus ſupra locis collectis, et infra colligendis, quibus perſonæ rationem excellentiam verè dicere aſsidue, & ſolerter aſſeruit hac conſtructa argumentatione, reſponderet, primo ratio perſonæ ad dignitatem pertinet: ergo poſitiua eſt. aſſumptum iam probatum eſt. conſequentia liquet: quod enim negatur, inſigne quicquam eſſe aut egregium repugnat aſſerere. ſecundo, perſona Diuina, relatione quam verè in Deo catholica ponit fides, conſtituitur: ergo per entitatem veram ſed vberius infra.

Quo igitur ad tertium quod præcipuum in hac quæſtione eſt, ferè iam patet, veriſsima ſcilicet fidem noſtram profiteri de Diuinis perſonis, & docere; dari namque in Deo perſonas. iam conſtat ex perſonæ vera, & communi notione & deffinitione & eſt diſtincta quæſtio, ac propoſitio, ex diſt.23. quæſt.1.

In Deo verè perſona & perſonæ ratio ionenitur & de fide concedenda, & confitenda & probatur primo ex ſupra obſeruatis quo ad nominis perſonæ vim, & ſententiam, eſt & per ſe vna, & valde ſonans: ſed per ſe vnam, & eminentiam ſonans propriiſsime reperitur in Deo, ergo & perſona. Confirmatur ex voce perſonæ idiomate Græco quæ eſt proſopon &c. ſecundo quo ad rem; vera perſonæ quidditas, & deffinitio. & res, eſt natura intellectualis in ſe perfectè ſubſiſtens ab alijs diſtincta, vel eam habet: ſed io Deo at conſtabit cum de perſonarum diuinarum pluralitate agetur eſt habens Diuinam naturam intellectualem nobiliſsima proprietate ab alijs diſtinctam: ergo. tertio Perſona dicit quod eſt in natura rationali vltima actualitas, & completio. ergo Deo competit, & ei tribuenda. Probatur conſequentia, quod actu completo eſt, & perfectionem dicit, in Deo ponendum, & de Deo fatendum, ac credendum. quarto denique. Perſona inter homines dicit dignitatem, & in Eccleſiaſticis hominibus conſtat, qui inſigni dignitate decorati dicuntur perſonæ: ſed quod dignitatem ſonat, ac contioet appoſitiſsime competit Deo: ergo.

S. verò Thomas art.3. hanc eandem veritatem, hac propoſitione explicatam de more excellentur primo probat ex D. Athanaſio in ſymbolo, *alia eſt perſona Patris, alia Filÿ, alia Spiritus ſancti*. ſecundo ratione eadem, qua, & Sanctus Doctor. Omne quod dicit perfectionem Deo tribuendum: nam Diuina eſſeutia, & ſignificat, & complectitur, & omnē, & omnimodam perfectionem; ſed perſona ſignificat qnod eſt perfectiſsime in tota natura ſubſiſtens ſcilicet in natura raticnali. ergo; addit verò, quod communiſsimum & certiſsimum eſt & quod infra per integram quæſt. ſecundā diſt.25. S. Doctor docebit analogicè, & excellentius perſonam de Deo quam de creaturis dici ſicuti, & reliqua nomina, & attributa, quæ à nobis Deo tribuuntur.

Eadem prorſus Riccardus quæ & S. Thomas diſt.23. quæſt.1. ſed ſolerter duo præterea memoriæ conſignanda, primum vtramque hanc rationem, & nominis perſonæ & rei adeo præſſe & vrgenter probare vt de fide ſtatuat: Quo enim ad nomen præter locum S. Athanaſij à D. Thoma relatum eſt etiam locus Conc. Tolet.11. Pater & Filius, & Spiritus ſanctus tres quidem perſonæ ſed

vna eſſentia. Et Lateranenſis ſub Innocentio III.& refertur cap. Firmiter de ſumma Trinitate, & & fide catholica; vbi nomine perſonæ illi Patres vtuntur & cap. Damnamus. *Vna quidem res eſt incomprehenſibilis, & ineffabilis, quæ veraciter eſt Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, tres ſimul perſonæ* &c.& in Conc. Hiſpalenſi. *Confitemur Dominum noſtrũ æternaliter ex Patre Deũ natum, temporaliter ex vtero glorioſæ Virginis Mariæ hominem editum; & ob hoc in vna perſona duas naturas habentem.* Damaſus Papa in confeſſ. fidei ad Paulinum. *Si quis tres perſonas non dixerit veras Patris, Filij, & Spiritus ſancti, & æquales, anathema ſit.* Et familiare eſt omnibus Patribus, tum Latinis, tum Græcis in voce Proſopon, & in voce hypoſtaſis, vt inter recentiores præcipuè referunt Suarez lib.1.c.1.de Deo Trino, & Didacus de Montoia.

Quo verò ad rem, & veritatem huius ſacratiſſimi Myſterij omnibus ijs diuinarum Litterarum locis aſtruitur, quibus de pluralitate perſonarum, de Patre, Filio, & Spiritu ſancto, de Meſſiæ diuinitate, inter recentiores colligunt Valentia, & Suarez, & nos infra cum hac re, quæ in expoſitione ſancti Doctoris, erunt neceſſaria.

Secundum. Quæ ſit vera diffinitionis Boetij ſententia, quomodo etiam Diuinæ perſonæ appoſitè conueniat. Sanctus igitur Thomas ſupra indicato loco, eſt inquit ex diffinitione Boetij primo ſubſtantia, quam hic in reſponſione ad ſecundum accipiendam non pro prima, aut ſecunda docet, ſed communiter, quatenus in primam, ac ſecundam diuiditur; additione autem *indiuidua* trahi ad primam ſubſtantiam. Secundo, indiuiduum primo eleganter diuidit in indiuiduum, quod in triplici genere inuenitur, vt aliud ſit indiuiduum accidentis, quod non à ſe, ſed à ſubiecto, in quo eſt, indiuiduatur; aliud ſubſtantiæ in communi, quæ per ſe ipſam indiuiduatur; aliud denique, quod non ſolum ſubſtantiæ communiter ſumptæ, ſed ſubſtantiæ rationalis excellentiam dicentis, de qua hic præcipuè; cuius proprium eſt, vt non agatur, ſed ſola agat, & ſui actus dominium, imperiumq. egregiè habet, quæ ſola ad eandem excellentiam indicandam, perſona nuncupatur.

Has autem differentias, & referunt, & explicant Thomiſtæ. Et primum, quod animaduertunt eſt quo ad nomen. Hæc tria diuerſa indiuidua, ideo varia ſortiri nomina, vt ſuas proprias, & diuerſas, aut excellentias, aut proprietates indicent. Quare accidentis nomen, & omnibus commune indiuiduum, quia ſcilicet omni caret dignitate ſingulari, quam ſignificet. Secundum, hoc eſt ſubſtantiæ dicatur hypoſtaſis, vt id, & per ſe ſtare, & in ſe ſubſiſtere, & à ſe ipſo hoc habere pateſiat. tertium autem, & multo melius, & excellentius ſuæ ſubſtantiæ intellectualis, cuius eſt indiuiduum hac voce *perſona* explicatur.

Quo verò ad rem, quærit Caiet. hic huius veritatis rationem, quomodo, ſcilicet ſubſtantia, ſe ipſa indiuiduetur: & reſpondet primo hic non ſumi ſubſtantiam pro hac, vel illa, ſed in communi, vt ſubſtantia eſt, ſicut, & accidens iuxta naturam ſuam, vt accidens eſt. Secundo hanc eſſe ſubſtantiæ conditionem, & quidditatem, vt ſicut accidenti prior eſt, ita ab accidente nullam habeat dependentiam. Accidentis autem oppoſito modo, proprium eſt, & conſequi ad ſubſtantiam, & ipſi intrinſecè inhærere, & ab ipſa pendere; hancq. eſſe intimam eius naturam: hinc colligit ſolutionem. Ideo à ſubſtantia accidens dici, & accipere indiuiduationem, quia ab ipſa, vt accidens pendet: ſubſtantia verò è conuerſo à ſe ipſa non ab accidenti, & per ſe ipſam ſit indiuidua, quia non ab accidenti pendet, ſed ipſo prior, & nobilior eſt. Quod verò accidens aliquod ab alio accidenti videtur indiuiduari, vt qualitas à quantitate, & aliquod ſe ipſo, vt quantitas: hoc primo ei obuenit, non vt accidens, ſed vt tale, qualitatis, ſcilicet, & quantitatis, vt quantitas. Secundo, neque hoc etiam ei poteſt cõpetere intrinſecè ſine relatione ad ſubſtantiam, in qua primo eſt quantitas deinde qualitas, &c. alij ex Thomiſtis alio modo; ergo perſona eſt ſubſtantia indiuidua excellenter ſeipſa indijudicata. Addit verò in reſponſione ad quartum, hanc vocem *natura* in diffinitione poſitam, & non ſumi, vt principium motus, nec vt materiam, aut formam, ſed vt eſſentiam rei, quam ſignificat eius diſſinitio, & non eſſentiam communem, ſed rei ſingularis, & determinatæ ediſſerit; & denique quod additur naturæ rationalis, hic rationalem pro natura intellectuali, & Angelo, & homini communi accipiendam explicat, quia irrationalis natura, non perſona, ſed ſuppoſitum tantum, & hypoſtaſis eſt. Quibus omnibus poſitis primo conſequitur inter indiuiduum, ſuppoſitum, & perſonam, ita fieri comparationem, ſicut inter inferius, & ſuperius: ex quibus indiuiduum omnibus commune eſt: dicitur enim tam de accidentibus, quam de ſubſtantia: deinde latius patet ſuppoſitum, quam perſona, vt conſtat: ſecundo partes præciſas ſubſtantiæ, non eſſe hypoſtaſes, nec indiuidua, nec animam rationalem ſeparatam eſſe perſonam: quia per ſe, nec à ſe omnino ſunt ſed in alio, hoc eſt in toto, & corpore, & intrinſecè vnibiles, vt partes, & vt formæ. Denique non ſatis conſantaneè hanc diſſinitionem Boetij Scotum impugnare, & aliam Riccardi tanquam ſolam veram tueri ex dictis, & infra etiam ſuo loco dicendis facilè conſtabit.

Sanctus verò Bonauentura huic interpretationi, & Commentario non diſſentiens, ita primo exponit, quod in genere hac diſſinitione diffinitur, tum creata, tum increata, & Diuina perſona. Primo ex intentione Boetij illo libro de perſona Chriſti, quæ Diuina eſt, agentis, tum ex re diffinita, quæ eſt ſuppoſitum in natura intellectuali incommunicabile, quod eſt Diuina quoque perſonâ. Secundo, quod in ordine ad Diuinam perſonam rigoroſè, & ad exquiſitas regulas diſſinitionis Ariſtotelicas, hæc non eſt diſſinitio; cum Deus, & perſona Diuina ex infinita ſimplicitate, non ſit diſſinibilis, ſed vera innoteſcendi, & cognoſcendi ratio, qua Deus nobis cognoſcibilis. Tertio, quod prima ex diſſinitione vox poſita, quæ eſt ſubſtantia, licet poſſit duobus modis accipi primo pro hypoſtaſi,

Digitized by Google

ſtaſi,& prima ſubſtantia,cui addita vox, ***indiuidua*** contrahitur adeſſe incommunicabile, vt ſupra obſeruauit, & S. Thomas: melius tamen pro ſubſtantia,vt communi ad primam,& ſecundam,& addita vox indiuidui, & contrahit ad primam, & dicit vltimum in natura illa, & completiſſimum, diſt.23. art. 1. argumento 2.& 3. Secundo conſequenter vox indiuidua in ſubſtantia creata dicit, quid poſitiuum, additum ſubſtantiæ communi, quo trahitur, & completur in eſſe perfecto in ſe. In increata verò dicit originem, & proprietatem diſtinguentem, & conſtituentem perſonam. Rationalis naturæ art. 2.ad ſecundum, diſt.22. non vt rationalis dicit potentiam diſcernendi verum à falſo per inquiſitionem; hoc enim tantum homini competit: ſed vt præſcindit, & tantum facultatem, & potentiam diſcernendi bonum à malo, & verum à falſo. Ex quibus vtriuſque Sancti Doctoris hæc conſequuntur. Primum, humanitatem Chriſti præciſè ſumptam licet ſit ſingularis, & ab alijs diſtincta, non eſſe tamen perſonam in ſe ſubſiſtentem, quia in perſona aliena, ſcilicet Diuina ſubſiſtit, et illi vnibilis, et vnita; hoc dictum conſtat quidem ex diffinitione perſonæ. Sed in 3. Sent. in tract. de Incarnatione adeò munitur ſolidis fundamentis, vt eo euadat dogma ad fidem pertinens, quo de fide eſt in Chriſto Domino noſtro, duas quidem eſſe naturas, in vna tamen perſona ſubſiſtere, eaq; non humana, ſed Diuina de fide decretum eſt.

Secundum. Quod ſupra etiam indicauimus eadem ratione animam rationalem ſeparatam non eſſe, nec poſſe dici perſonam cōpletam, quia pars, et forma. Et licet Vgo de ſancto Victore lib. 2. de Sacramentis, par. 2. cap. 11. et alibi, et Magiſter Sentent. lib. 3. diſt. 5. oppoſitum tenuerint his rationibus, quia perſona eſt indiuiduum rationalis ſubſtantiæ,& anima rationalis à corpore ſeparata eſt ſe ipſa indiuidua, ideo &c. Secundo aſſerit Magiſter, anima ſeparata ſe habet ſicut Angelus: ſed Angelus eſt perſona: ergo, & anima. Tertio cui competit loqui de ſe tanquam de ſe, conuenit eſſe perſonam, ſed animæ ſeparatæ conuenit loqui de ſe: nam ad animas ſeparatas Beatorum dirigimus orationes, & ipſæ loquuntur de ſe, & inter ſe, & cum Angelis,& poſſunt ad nos loqui: ergo.

Communis tamen, & certa ſententia, vt dicebam eſt in oppoſitum, & D. Bonau. 3. Sentent. diſt. 5. art. 2. q. 3. refert ſuo tempore opinionē Vgonis, & Magiſtri fuiſſe, quam reijciebant communiter Doctores, ita reijciunt Alexander 1. par. quæſt. 56. membro 3. ad tertium,& 3. par. quæſt. 4. membro 6. Albertus 1. par. quæſt. 44. membro 2. D. Thomas hîc art. 1. ad quintum, Scotus in 1. diſt. 23. quæſt. vnica, art. 1. Riccardus in 3. diſt. 5. & communiter omnes. Probabat S. Thomas, quia anima ſeparata non eſt integra,& completa ratio ſpecifica, ſed pars quidditatiuè, pars autem non eſt perſona S. Bonauentura,& Scotus, quia eſt communicabilis, & vnibilis alteri. Argentinas, quia ſi anima eſſet perſona in Chriſto eſſent duæ perſonæ: alij alias, ſed fortaſſe nō eſt inconciliabilis hęc lis omnino; nam qui dixerunt animā ſeparatam perſonam ad morem Platonis loquuti ſunt, qui hominem non ex anima, & corpore componi, ſed eſſe animam in corpore exiſtimauit eſſe ſicut nauta in naui. & ideo animam apud alios, etiam ſacros Doctores, imò apud D. Paulum 2. Corinth. 4. dici hominem, quia nobilior pars hominis; non inde tamen idoneè colligitur animam de rigore eſſe perſonam rationibus iam deductis,&c. non ſoluo rationes in oppoſitum: nam nullam continent difficultatem, & ferè ex ſe patent.

Reliquum eſt, vt vltimo loco ad argumenta, quæ S. Doctor in oppoſitum propoſuit, reſpondeamus, vel vt verius loquamur Sancti Doctoris reſponſa, & ſolutiones obſeruemus.

Primo igitur q. 1. diſt. 23. ſic opponit, quo argumento poſtea vſus eſt, & Riccardus eadem diſt. & quæſt. & alij ex quodam S. Auguſtini loco de Trinitate lib. 5. cap. 9. cum quæritur, quid tres? *Magna prorſus inopia hominū laborat eloquiū: dictum eſt tamen, tres perſonæ non vt illud diceretur; ſed ne taceretur:* hinc conſtat argumentum. Si ſancta Eccleſia, Eccleſiæq; Doctores vtuntur hoc nomine perſonæ, non vt verè vtantur: ſed ne omnino muti, & conuicti, videantur ab aduerſarijs: ergo non verè, nec propriè competit hæc vox perſona Deo, nec legitimè ad Deum transfertur.

Reſpondet, & interpretatur D. Auguſt. quod loquutus ſit iuxta modum dicendi ſui temporis, quo perſona æquipollebat in ſua ſignificatione ſubſtantiæ: vnde docet non ad ſignificandum tres perſonas eſſe tres ſubſtantias tranſlatum eſt ad Diuina hoc perſonæ nomen, ſed ne taceretur confeſſio myſterij Sanctiſſimæ Trinitatis, aſſumptum eſt ad veritatem hanc aſſerendam, & confitendam. Magis igitur refert neceſſitatem, qua ad Diuina *perſona* vox tranſlata eſt, quam eius propriam neget ſignificationem. Quod idem, & Riccardus. Et re vera eo loco nunquam ex Diui Auguſtini animo fuit perſonę veram,& germanam notionem redarguere, ſed vt dicebam, vt difficultatem myſterij indicaret: quemadmodum in initio capitis citati egregiè eloquitur his verbis. *Nō audemus dicere, vnam eſſentiam tres ſubſtantias, ſed vnam eſſentiam, vel ſubſtantiam, quemadmodū multi Latini iſta tractantes, & digni auctoritate dixerunt cum alium modum aptionem non inuenirent, quo enuntiarēt verbis, quod ſine verbis intelligebant.* Quare hîc nihil obſtat in Conc. Lateranenſi, quod dictum eſt verè,& propriè nimirum perſonas eſſe in Diuinis. Quis enim negat? ſed dumtaxat qua ratione moti, & ferè coacti Patres ad Diuina tranſtulerint perſonam aſſeritur, & qua adhuc remaneat ineffabile myſterium hoc, & omnia eloquia creata vincat, vt hac perſonæ nomenclatura, non totum, quod à parte rei in almo Trinitatis arcano explicatum eſſe indicetur.

Secundum. Perſona dicit rationem indiuidui,& particularis: ſed indiuiduum, aut particulare de Deo dicere, non licet: ergo neque perſonam. Probatur maior hoc ferè eodem argumento hac eadem quæſt. 3. ex diffinitione perſonæ Boetij. Perſona eſt indiuidua ſubſtantia, &c. Probatur minor ex reſponſione argumenti: nam particulare ex vi

nominis præſefert partem, & imperfectionem. Secundo ex S. Thoma. Indiuidui principium eſt materia. Quæ omnia, quam iniquum ſit de Deo affirmare, meridiana luce clarius eſt.

Reſpondet S. Doctor, & implicitè negat maiorem, quod ſcilicet de ratione perſonæ ſit, eſſe particulare ſi proprie à vocis origine loquendum nobis eſt. Imò perſona ſi quid ex ſe ſit ſpectetur, opponitur particulari: Dicit enim non partem, ſed totum quid, completum non in alio, ſed in ſe, non ab alio, ſed à ſe ſubſiſtens, & hac ratione, & genus valde impropriè conceditur in Deo: ſiquidem partem, incompletum, & abſtractum dicit: ſpecies verò appoſitè conceditur, ſicuti, & perſona, quia completam, & abſolutam, & perfectam rem indicat. Sanctus verò Thomas ad quartum dari in Deo perſonam, vt indiuiduum non quo dicit materiam, ſed quo incommunicabilitatem, neque à S. Doctore differt: nam eatenus incommunicabilis alteri quatenus in ſe completum eſſe, & ſecundum vltimum actum habet. Riccardus eidem argumento, idem quod S. Thomas, & conſequenter, quod ſanctus Doctor, vt intuenti conſtat.

Tertium. particulare, & indiuiduum, & ſubinde perſona maximam dicit compoſitionem, vt manifeſtè in homine conſtat: ergo non conuenit Deo: conſequentia eſt euidens ex ijs, quæ de Dei ſumma ſimplicitate mirò conſenſu ab omnibus Theologis: imò ab ipſa orthodoxa fide aſſerta ſunt.

Elegantiſsimè reſpondet, et ſequitur Riccardus, et aſſumptum negat neceſſario in Deo, idque gemina ratione: ſola enim primo, origine, quæ nec componit, nec componere poteſt, nec compoſitione ex his, nec cum his; conſtat, & conſtituitur perſona: eſt enim ad. Secundo ex illimitatione, et infinitate: cum enim perſona ſit extra genus contrahi differentijs, aut componi nequaquam poteſt. Imò ex vbertate ingenij, etiam perſonæ creatæ addit accidere componi, non quia perſona eſt, ſed quia in genere, et limitata, et creata. Eadem reſpondet S. Thomas in 1. diſt. 23. art. 2. quæſt. 1. ad ſecundum. de ratione perſonæ dicit completionem in natura rationali; accidit autem in creata perſona dicere compoſitionem ex multis differentijs, etc. ergo ſimplicitati Diuinæ non repugnat perſona; eadem Ægidius, eodem loco ad ſecundum.

Quartum. Græci nomen Proſopon in Diuinis non admittunt: ergo multo minus latinis licebit admittere perſonæ nomen. Antecedente ſuppoſito probatur conſequentia; tum quia pluribus abundant, et aptioribus vocibus Græci, quàm Latini, tum quia cum vtriuſque gentis vna eademq. ſit fides, eadem debet eſſe, et confeſſio, et conſitendi modus.

Reſp. Argumentum hoc ſecum fert, eandemque elegantem reſponſionem, hac quidem ratione, quia Græci nominibus abundant, habent proprium hypoſtaſis nomen, quo non Proſopon, propriè Diuina ſuppoſita, & rectè, & appoſitè explicent: nos verò vocum penuria valde laborantes non ſubſtantiæ nomine æquipollenti Græcorum hypoſtaſi, ſed perſona cogimur vti, ne hæreſum peruerſa dogmata amplecti videamur. Si namque ſubſtantiæ nomen ad hoc myſterium enuntiandum adhibere voluerimus, cum in noſtro latino idiomate, & eſſentiam ſignificet; in Arianorum abire ſententiam iuſtè redargueremur. Quibus Sanctus Doctor videtur annuere, ab origine nomen perſonæ, non vſque adeò propriè ad Diuina tranſlatum. Sed nihil nouum, neque quod damnum, aut ſcandalum afferre poteſt, prudentiſſimè Seraphicus noſter aſſerit: illud enim impropriè, & æquiuoce, quod hæc vox perſona, apud Latinos ſecum ferre videtur primo apertè, & reliqui Theologi aſſerunt, Sanctus Thomas hic art. 3. ad tertium, & in 1. diſt. 23. art. 2. ad primum, admittit aliquam improprietatem, ſi à quo deſumpta eſt vox ſpectetur, ſed quo ad id, ad quod explicandum appoſitum eſt, nequaquam, ſed maximè Deo conuenit: quippe in quo ſuppoſitum infinitè perfectum maxima dignitate diſtinctum, quod per perſonæ vocem exprimatur, inuenitur. Quod idem, & ſanctus Doctor, & fortaſſe explicatius edifferit; idem, & reliqui Theologi, quibus in mentem hoc argumentum venerit. Ægidius loco ſupra recenſito §. propter quod notandum, ijs ferè verbis dubitationem, & proponit, & ſoluit, quibus ſanctus Doctor: Addit tamen, licet apud Latinos vocum inopia quandam æquiuocationem contineat: Etenim, & laruatum in tragedijs, & in natura rationali ſubſiſtens ſuppoſitum, ſignificatione complectitur: non tamen ſua opinione à laruato, ſed à ſuppoſito ad Diuina adductum.

Sed quid? Ergo non propriiſſimè Diuina ſuppoſita nuncupantur perſonæ? abſit omnino hoc à pijſsimi Doctoris mente, imò quanta ratione de Diuinis prædicetur elegātiſsimè in corpore quæſtionis contendit; imò quo ad rem in Diuinis nihil magis propriè. Denique quod per tot ſæcula ab omnibus Patribus, & Theologis, & Symbolis, & Concilijs probatum, & decantatum eſt tandem non eſſe factum proprium quis effutire audebit? quod ſi eo ſacroſancta Scriptura non eſt vſa, reſpondent Doctores, & præcipuè S. Thom. ad primum, nec eſt, quod repetamus, nec noſtra indiget commentatione. Elegantiſsimum tamen eſt, quod S. Auguſtinus 7. de Trinitate, cap. 5. prodit. *Si diuina Littera non aſſerunt: neque tamen contradicunt.*

Argumenta verò art. 2. diſt. 22. hæc ſunt.

Primum, nulla ratione Diuina perſona eſt diffinibilis, ergo quam tradidit de qualibet perſona quatenus Diuinam comprehendit, quilibet Doctor, diffinitio futilis, vana, & nihil rectè explicans. antecedens conſtat: omne enim quod diffiniri prætenditur, debet eſſe compoſitum ex genere, & differentia, vt inde ad leges conſtruatur diffinitio: ſed Diuina perſona, & omnino infinita eſt, & ſimplex, & adeo, vt licet plura de ea accipiat, & concipiat intellectus creatus: nihil tamen ei à parte rei diſtinctum reſpondet, quo fabrefieri vera diffinitio poſſit.

Reſpondetur, & primo reiecta peracutè quorundam ſolutione multiplici ipſe ſolutione ſoluit. Prima, quam in ordine poſtremam locat hanc, quam vt-

verſamus diffinitionem non conſtare ex omnibus diffinitioni debitis legibus: quippe & circa rem infinitã, & infinite ſimplicem, hoc eſt Diuinũ ſuppoſitum quod nullo termino claudi, aut nulla lege, & regula circumſcribi, aut diffiniri poteſt, verſatur vnde potius qualis qualis notificatio, & explicatio per ſimilitudinem; quam ſcientifica diffinitio nuncupari erit conueniens. ſecũda eſt quia loco aggregationis & compoſitionibus quibus explicita, & ad leges Ariſt. ſolet componi diffinitio, in Deo ſunt diſtincta quibus ſimul conſtituitur tum diſtinguitur perſona origo, ſcilicet, & relatio, & proprietas, quæ licet à Diuina eſſentia non ſint diſtincta re; ſunt tamen virtute, vt diſtinguentem, non permittant mentiri: & ad quam de Deo efficere diffinitionem ſufficiant. Albertus hic, Simplex perſona inquit vt non ſimplex per intellectum noſtrum à nobis diffinitur; imò vt obſeruat Egidius hoc loco quæſt.3. ex commentatione in nulla re diffinienda neceſſe eſt qui partes diffinitionis, actu diſtinctæ, aut compoſitæ ſint, ſed ſufficit, quod potentia ratione, & ſecundum intellectum: nam vt idem commentator 8. Meth. commento tertio docet, Genus in diffinitione, in potentia, & tamen ratione ab eo in quo eſt differens, & ſe tenet ex parte materiæ totius, non partis: differentia verò dicit ipſum totum per modum formæ totius non partis: vnde inter genus, & differentiam non poteſt eſſe vlla realis, aut actualis, ſed tamen rationis virtutis, & potentiæ diſtinctio: ita conſequenter diffinitio conſtans ex genere, & differentia, non poteſt ex partibus, niſi ratione tantum differentibus conſtare: vt mirum itaque non ſit ſi circa rem etiam Diuinam tanta ſimplicitate ſimplicem tamen rectè Doctores quoquomodo diffinitionem ædificare tentauerint. Quod etiam Riccardus ad ſecundum verè concedit, licet prima facie negare videatur, quod namque ipſe negat, et non poſſe perſonam verè diffiniri, non quia inter eius partes, vel verius quaſi partes, non ſit ad diffinitionem ſufficiens diſtinctio, ſed ideo quia ipſa ſcilicet eſſentia, & relatio ſunt infinitæ; quibus idcirco diffinitionem competere repugnat. S. Thomas hac eadem diſt.25. eadem in virtute concedit; reſpondet enim large ſcilicet ſumptas diffinitionis regulas, etiam ſimplicem naturam & perſonam poſſe diffiniri. vt inde ſancti Doctoris mentem ferè liceat intueri, hanc diffinitionem, vt etiam Diuinam perſonam complectitur parum à recta diffinitione deficere; ſi præcipue, ab hominis cognitione attingi poteſt animaduertatur perſonam eſſe diffinitam non in entitatis ſuæ latitudine quod in idem incidit ferè quod alij Doctores dicunt diffinitionem componi de Diuina perſona, vt ab homine concipitur.

Secundum Argumentum quod eſt commune reliquorum Theologorum. Partes in diffinitione ſumptæ non competunt perſonæ: ergo non eſt recta de ea tradita diffinitio. conſequentia eſt certa. Probatur antecedens primo in diffinitione aſſertum eſt perſonam eſſe indiuiduam ſubſtantiam naturæ rationalis. Suſcipio particulam rationalis; hæc differentia eſt animalis, homo enim eſt animal rationale, ergo non poteſt competere perſonæ Diuinæ: nam cui non competit animal, neque animal rationale: ſed animal cum ſit corporeum non competit Deo; ergo neque rationale. ſecundo & eſt argumentum tertium in ordine. particula illa ſubſtantia, repugnat Deo, ſi ad rem perſonæ cuius hic quidditas, & diffinitio indagatur, refeatur. Subſtantia: aut pro ſubſtantia ſimpliciter, aut pro hypoſtaſi ſumitur. Si primo modo perſona eſt ſubſtantia: ergo multiplicata perſona multiplicabitur & ſubſtantia: quod tamen in Deo fieri fides prohibet: ergo improbe perſona diffinitur ſubſtantia. ſi ſecundo modo, tunc ad nugandum particula (indiuidua) in diffinitione poſita eſſet; ſubſtantia enim & indiuidua hoc ſenſu prorſus idem eſſet; quod tunc contra omnes bonæ diffinitionis leges, eſſet ire. tertio & eſt virtute contra vocem, *indiuidua*. Indiuiduum eſt idem cum eo cui additur, idest ſubſtantia: ergo nugationis peccatum committitur. quarto ex regulis rectæ diffinitionis hæc præcipua animaduertitur, vt cum diffinito conuertatur, vt omnis ſubſtantia indiuidua in natura rationali ſit perſona, & perſona ſola, & omnis, ſit indiuidua ſubſtantia &c. ſed hic multa in medium afferri poſſunt, quæ ſunt indiuidua naturæ, rationali & non ſunt perſonæ: ergo. ſufficiat ex multis: Anima rationalis eſt indiuidua, et non eſt perſona vt ſupra indicatum eſt, et abunde ſuo loco traditur humanitas Chriſti. Diuina eſſentia; neque tamen, vt teſtatur fides, perſona.

Denique vnius rei vnica recta diffinitio eſt: ſed hic de perſona, multæ hinc inde afferuntur et conferuntur diffinitiones Boetij, Riccardi, Magiſtri &c. ergo vt vno verbo claudam, hæc diffinitio nulla diffinitionis lege fulcitur.

Propoſitis tamen argumentis ſolerter, ſolida, et communi Doctrina S. Doctor reſpondet, et traditam Boetij diffinitionem apprimè ſuſtinet, et tuetur. Ad primam etenim particulam diffinitionis primo loco impugnatam ſic ſoluit: rationale ſcilicet duplici ratione interpretari licet: aut quatenus, facultatem, ac vim inter verum, et falſum diſcernendi, et dijudicandi quod alij vt vim intelligendi, et contemplandi exprimit præcisè vt Egidius, aut vt ad hoc præſtandum vtitur diſcurſu, et perſcrutatione, et diſquiſitione indiget. Quemadmodum autem ſub ſola prima ratione ſumptum poteſt nedum homini, ſed etiam Deo competere; ita poſitum eſſe in diffinitione, et hoc modo ſumendum: proprerea ex hac etiam parte rectè diffinitionem confectam: alio verò modo imperfectionem inuoluentem de ſolo animali dici, ac prædicari. Ita quoque S. Thomas, hac eadem diſtinctione, ad quartum, addens eruditè hac ratione, qua in diffinitione vſus eſt Boetius poſtea S. Gregorius, Angelum animal rationale nuncupauit. Et antea per multos annos, D. Dionyſius Areopagita de Cæleſti hierarchia c.15. ſenſibile, et rationale ſupereminenter in Angelo reperiuntur. Quod totum deſumpſit ex ſuo Magiſtro Alberto eadem diſt.art.1.

Ad ſecundum. Quoquomodo ſubſtantia in diffinitione ſumatur nullum ex inde ſequitur inconueniens

ueniens quod opponebatur: nam ſi primo modo, quo ſunt plures perſonæ eo etiam plures ſubſtantiæ indiuiduæ: teſte enim D. Anſelmo, ſicut perſona, ita ſubſtantia indiuidua. ad formam igitur argumenti, ſi perſona eſt ſubſtantia: ergo multiplicabitur in Diuinis ſicut perſona, ita ſubſtantia: quod impium et hæreticum videtur, ne dum abſurdum. concedenda conſequentia et negandum hoc, aut abſurdum, aut impium eſſe; ſi tamen prius quod ipſe ſanctus Doctor quæſtione ſequenti mira circumſpectione docet, et quod reliqui tum Patres, tum Scholaſtici exquiſita diligentia in hanc rem obſeruarunt, animaduertatur, et infra à nobis, quo diligentius licebit præſtabitur; nimirum ſubſtantia, aut à ſubſtando alij, et hoc triplici ratione, vel alij inhærenti ſicut inhæret accidens; vel diſtinguenti quemadmodum facit proprietas, vel denique perficienti, ſicuti res ſubſtat eſſentiæ et ſecundum intelligendi modum eſſentia perficit: aut à per ſe ſtando, non ab alio, nec in alio: tunc ſi ſecundo modo: verè tres perſonæ diuinæ ſunt tres ſubſtantiæ: quo enim tres perſonæ non alteri veluti accidens in ſubiecto inhærent, ſed ſicut ens per ſe in ſe ſtant, ſunt; eo poſſunt dici tres ſubſtantiæ tamen relatiuæ: quia per ſe ſtant, vt inter ſe diſtinctæ. Etiam ſi primo modo: ſub ſecunda tamen differentia; quoquomodo licet non admodum propriè, tres ſubſtantiæ proprietate relatiua diſtinctæ nuncupari poſſunt, et magis propriè ſub tertia differentia: res enim naturæ & perſona triplici modo ſubſtat, & perficitur ab eſſentia. Quare hoc etiam modo à ſubſtando triplici ratione tres perſonæ ſine erroris periculo effari poſſunt, ſed infra exactius, & vberius: non enim in latitudine admittitur: ergo plures ſubſtantiæ, ſed, ergo plures ſubſtãtiæ indiuiduæ, quod nihil aliud prædicat, quam plures perſonæ, & plures relationes ſubſiſtentes. Albertus reſpondet confidentius his verbis; *Neſcio quid prohibeat, quin poſſimus dicere tres ſubſtantias indiuiduas natura rationalis, quia ſubſtantia ibi ſiat pro ſuppoſito.* Ita quoque ſanctus Thomas.

Si verò pro hypoſtaſi ſumatur negatur indiffinitione à perſonæ in nugæ ineptiam lapſum eſſe Boetiũ: nam adhuc internoſcitur in hypoſtaſim, & indiuiduum, differentia: ad hypoſtaſim enim, & ſubſtãtiam primam ratio indiuidui adiuncta addit rationem incommunicabilitatis, vt in textu: vnde cum ſub diuerſa ratione vterque terminus ſumatur nulla hic verborum nugatio nec videtur; nec videri, aut ſomniari poteſt.

Secundam tamen rationabiliorem ad argumentum, rei, & ſibi magis arridentem adhibet reſponſionem ex arte diffiniendi, & rationi admodum conſentaneæ poſitum eſſe, perſona eſt ſubſtantia indiuidua, ſine vlla ſynonimitatis, & loquacitatis ſuſpitione: nam ſubſtantia hoc loco rectius, vt in primam & ſecundam ſubſtantiã diuiſibilis eſt vſurpatur; & per vocem, indiuidua, ad primam contrahitur, & coartatur, vt ſit horum verborum hæc ſubiecta ſententia. Perſona eſt prima ſubſtantia.

Quod ſi inſtes, hanc eandem eſſe reſpon. quam primo loco reddit, & reijcit S. Doctor; atque quod negat videtur aſſerere: reſpon. eſſe valde diuerſam ſubſtantiæ acceptionem in prima & tertia reſponſione: aliud enim formaliter eſt ratio communitatis ſubſtantiæ præcisè, aliud ratio diuiſibilis in primam, & ſecundam, vel vt alij dicunt, aliud eſt ſubſtantia communis, aliud ſubſtantia in communi in ordine ad primam & ſecundam: primo enim modo ſubſtantia, formam, & eſſentiam ſignificat, cui repugnat in primam; & ſecundam diuidi, alias proprietas in Diuinis diſtingueret eſſentiam, & numerentur tres eſſentiæ & inde poſſet admitti quod falſiſſimum eſt, eſſentia generat. ſecundo verò modo, ipſam ſubſtantiam, non ſub ratione eſſentiæ ſed ſub ratione entis ſubſtantialis, vt diuiſibile eſt &c.

Sanctus Thomas, & in primo ſententiarum recenſito ſupra loco ad ſeptimum, & hic ad ſecundum & quæſt. 9. de potentia art. 2. neque per latum vnguem a ſancto Doctore diſcedit: vtramque enim ſubſtantiæ acceptionem, & Doctorum opinionem referens, nec vtramque abſolutè deſpiciens ad eam ad quam, & ſanctus Doctor, deſcendit. Ita ante ipſos Albertus. Alexander amplectitur primam ſententiam, & pro hypoſtaſi ſumit ſubſtantiam; quam ideo S. Doctor veneratur vt obſequens diſcipulus ſui magiſtri. Aegidius ſequutus Riccardum de ſancto Victore pro exiſtentia interpretatus eſt: & S. Doctor in reſponſione ad vltimum in hoc non differre inter ſe Boetium, & Riccardum cum gloſſauerit, erit & Ægidius cum ipſo.

Ad tertium, conceſſa libentiſſime maiori negatur minor: & quod animæ & Diuinæ eſſentiæ, & humanitatis Chriſti exemplo conantur oppoſitores probare, reſpondet adhuc negando: anima namque rationalis, vt ſeparata, licet ſit hæc & non alia: non eſt tamen indiuidua ſubſtantia dicens primo vltimam perfectionem, & conſequenter negationem communicabilitatis: & qua parte eſt forma hominis, ideo a ſubſtantia indiuidua deficit, cuius eſt per ſe, & in ſe ſtare. eadem ratione primo, ſacerrima Chriſti humanitas non eſt, indiuidua; quia alteri vnita. ſecundo, quia perſona ex dignitate non habet cui digniori vniatur: at humanitas Chriſti longe digniori perſonæ verbo Diuino ſcilicet vnita ab ipſoque aſſumpta eſt. Diuina quoque eſſentia licet vna, & perfectiſſime hæc: ex hac tamen perfectione, quæ ſumma eſt quia tribus perſonis communicabilis, non ideo perſona. De anima rationali quod non ſit perſona plurimis proſequitur S. Doctor in tertio ſententiarum diſt. 5. quæſt. tertia contra Magiſtrum, & Vgonem, & diſt. 10 eiuſdem libri art. 1. quæſt. 3. Quod ſi animaduertiſſet Longus recens ſancti Bonauenturæ ordinator, & expoſitor, non ita libere de ratione indiuidui, eſſe incommunicabile negaſſet; ex diffinitione enim ipſius indiuidui ab ipſo ex Ariſt. collata, id omnino eſſe falſum collegiſſet. indiuiduum eſt, quod eſt indiuiſum in ſe, & ab alijs diuiſum: quid enim hoc poſtremum indicat aliud, quam indiuiduæ ſubſtantiæ repugnare eſſe in alio. ſecundo ex allata ſancti Bonauenturæ Doctrina non eſt niſi.

ini-

Digitized by Google

initiatum indiuiduum eſſe in ſe indiuiſum, & per additam ſecundam particulam conſtituitur in eſſe formali, & acquirit eſſe proprium, cui repugnet communicari.

Ad quod poſtremo loco obijciebatur reſponſio facilis, communis, & in promptu. Plures illas diffinitiones eiuſdem rei, & perſonæ non eſſe ſingulas omnino adæquatas; & ideo non inutiliter plures: alia enim aliam corripit, & perficit. Secundo alia perſonam in communi diffinit, alia præciſè diuinam. Tertio, alia rationem magis propriam perſonæ ad Diuinam tranſlationis reddit: ergo eadem res, eſt diffinita, ſed quia difficillima, & infinita, ideo multis conatibus à multis, vt melius explicaretur, quo liceret, tentatum eſt. Ita quoque S. Thomas, licet non tanta vbertate art. 3. ad quartũ, Alexander ad vltimum: Boetius diffinit perſonam, quo ad rem, dum ait eſt intellectualis naturæ, ex diuiſione entis, et ſubſtantiæ vſque ad vltimas differentias rationalis, et irrationalis, etc. Riccardus ex vi nominis *perſona*, venatur diffinitionem ex Iſidoro; quod ideo dicitur perſona quaſi per ſe vna, dum aſſerit, eſt per ſe ſubſiſtens. Magiſtri ex vſu huius nominis *perſona* diffinitionem ferè collegerunt: vſus enim obtinuit, vt ad ſignificandam dignitatem, aſſumatur perſonæ nomen, etc. denique Boetius magis humanam, Riccardus magis Diuinam diffiniuit, ita quoque ferè Ægidius.

QVARTA DISPVTATIO.

Et prima, de perſona, & de eius formali ratione.

Primo. De ſtatu quæſtionis.
Secundo. Placita Theologorum.
Tertio. Notationes ad colligendas concluſiones.
Quarto. Concluſiones deductæ.
Quinto. Soluuntur oppoſita argumenta.

CAPVT I.

De ſtatu quæſtionis.

NVLLVS videtur dubitandi locus relictus circa traditam, et ex multis Theologis explicatam Boetij præcipuè diffinitionem, vt conſtare poteſt ex cõmentario tantummodo particula illa (*Indiuidua*) non potuit adeò attentè, et ſollicitè exponi, quin magna nobis adhuc relinqueretur dubitatio expendenda, et ſoluenda. Indiuiduam ſiquidem ſubſtantiam in natura rationali eſſe perſonam omnes conſtanter, et conformi aſſenſu aſſeuerant; et indiuiduum fieri, per vltimam differentiam vnanimes annectunt; ſed illa vltima differentia, et modus quid ſit. Poſitiuum, aut negatiuum; vltima actualitas, vel alteri incommunicabilitas, inter Doctores relinquitur admodum controuerſum.

Et mirè quidem vnanimes idem Theologi omnes in perſona vtrumque admittunt, & vltimum actum ſubſtantiam perficientem, & alteri incommunitatem, & incommunicabilitatem: & verè rationi admodum conſentaneè: neque enim hæc duo ad inuicem ſeiungi, aut vllo modo ſeparari poſſunt; vnum namque & neceſſaria alterius ratio intrinſeca, & origo eſt: ideo enim incommunicabilis perſona, nec alteri vnibilis, quia ipſa omnem perfectionem, & communicationem accipit, & terminauit: ſed omnis in hac diſputatione difficultas in eo ſita eſt, & ex eo pendet, quæ nam præcipua, & propria perſonæ, & formalis ratio conſtituens, illa ſcilicet poſita perfectio, an illa negata communitas, & communicabilitas; ac nos quando nominamus, & rationem perſonæ diffinitione explicamus, quod explicatum, & diffinitum ſit formaliter, vel gradus entitatis, & perfectionis realis, à quo habet perſona, vt in ſe ſubſiſtat; an illa inconcreto ratio incommunicabilis naturæ rationalis alteri: hoc eſt, quod quæritur.

Quãuis autẽ ſupra ex S. Bonau. & Scoto præcipuè obſeruatũ ſit, quidquid hic dicatur non in re Theologica admodũ referre: nunc tamen in animo eſt quærere, ac ad exiles vires noſtras, quid rationabilius dici hoc loco poſſit indicare: & licet à multis noſtræ præſertim ætatis Theologis diſtinctis quæſtionibus, & locis; & quid in diffinitione, & perſonæ voce formaliter ſignificetur, & quid à parte rei perſona, vel creata vel Diuina addat naturæ, cuius ſuppoſitum eſt, & perſona: nobis tamen vtrumque hic præſtare, rationabile ita exiſtimamus, vt ſi vnum ab altero diſtinctum, diſputetur, aut imperfecta res pertractetur, aut alterum in alterius tractatione ſæpè repetendum ſit; imò vnum enixe alterum probat: quærimus enim quid ſignificat præſe perſona, quid conſtituat perſonam, quid naturæ addat nonne ad inuicem, ita hæc connexa ſunt, vt vnum ſine alio intelligi nequaquam poſſit, & vnum alterum probat? neque tandem vllo modo piorum auribus horrori ſint hæc, dum audiuntur, de perſonæ ratione eſt, quod ſit incommunicabilis: quemadmodum enim Diuinitati maximè proprium eſt eſſe bonum; imò ipſiſſimum bonum; ita eadem ratione, & vbertate videtur aſſerendum proprium eſſe communicari: ergo Diuiniſsimis perſonis, in quibus ipſum ſummum bonum infinita perfectione ſubſiſtit, videtur eadem ratione ſumma communicatio eis conuenire: toties autem audire per ſcholas, & in circulis piorum aures obſtrepere; perſonæ Diuinæ ſunt incommunicabiles: perſonis repugnat communicari quocumque modo, & vt quo, & vt quod: ratio propria, & formalis perſonæ Diuinæ eſt incommunicabilitas: horribilia videntur, & nihil, quod magis Deo Optimo Maximo aduerſetur, audientiq. magis inuiſum, &c. At hæc puſillis, & ignaris, & quid per hæc dicatur adhuc cognitione nequaquam aſſequentibus. Neque enim hic, quod maximè Deo proprium, negatur; ſed quomodo id fiat indagatur. Imò ex infinita iam cõmunicata eſſentia perſonis; oritur perſonæ conuenire incommunicabilem eſſe; ita vt incommunicabilem eſſe potius ſit infinitæ communicationis iam exhibitæ ſignum, & eximium argumentum, & ideo maximè

con-

conueniens. Sed quid? fortaſſe, quod ad rem, quam probandam ſuſcipimus nobis elapſum ore eſt verbũ valde cõducens, ab hac voce incommunicabilis, in conſtituenda ſaltem formaliter perſona Diuina, quia non piè, & ſuauè audiunt omnes, abſtinendum, ne neſcientibus oboriatur ſcandalum.

CAPVT II.

Placita Theologorum referuntur.

NOn in animo meo eſt in medium hoc capite afferre omnes, quæ Doctorum circumferuntur opiniones de hac re, quam nunc diſputatione verſamus. Nimia namque, nimiſq. faſtidioſa res eſſet: tempore enim ſancti Thomæ, vt ex ipſomet colligitur multis locis præcipuè 1. Sentent. diſt. 23. quæſt. 3. & diſt. 25. art. 1. & de potentia, quæſt. 9. art. 4. vt hic etiam art. 4. quæſt. 29. animaduertunt Torres, & Zumellus, nouem referebantur ſententiæ: mirum eſt, quot poſterioribus temporibus, & Doctoribus additæ ſint, vt non multum diſtet illud tritum prouerbium hoc loco. Quot capita, tot ſententiæ. Igitur grauiores tantum, & difficiliores in medium expendendas proponam ſententias, & ad tria capita redigam.

Et primo capite Durandi placitum, quod refertur, etiam ab antiquioribus Theologis, & Henrico tribuit Scotus. & etiam Ægidio, quod amplexatus eſt Torres in hunc articulum ſancti Thomæ. Docuit Durandus perſonam pro ſuo formali ſuppoſitis indiuiduis cum ſuis proprietatibus conſtituentibus non ſignificare, nec ſubſtantiam, nec relationem, nec negationem: ſed denominationem quandam, ſicut, & hoc nomen indiuiduum ſecundam intentionem ſignificat, licet quomodo, nec explicat, nec probat, ſed ſupponit. Fundat autem ſuam ſententiam Durandus, & quicumque cum illo hoc idem opinatur. Primo, perſona, & ſuppoſitum nihil aliud eſt, quam quod ex hac forma, & ex hac materia eſt compoſitum, nec aliud quicquam excogitari poteſt: hoc verò nihil prorſus aliud eſt, quam hæc natura ſingularis: ergo perſona nihil addit reale ſuper naturam ſingularem, ſed tantummodo per modum ratiocinandi, & conferendi intellectus intentionem quandam. Secundo. Perſona dicit aliquam intentionem communem tribus perſonis, quia prædicatur de illis: vel ergo realem, vel rationis: non realem, nam neque generaliſsimam, neque generis ſubalterni: non enim eſt genus in Diuinis: neque ſpeciei ſpecialiſsimæ: tunc enim, eſſent duæ ſpecies reſpectu earundem perſonarum, altera perſonæ, altera Deitatis. Tertio. Perſona diffinitur, quod ſit incommunicabilis, &c. ſed hoc eſt ſecundæ intentionis: ergo. Quam ſententiam Filippus Faber Scotiſta 3. ſentent. diſp. 2. in via Ariſt. ait eſſe veram: nam apud Ariſt. prima ſubſtantia, & ſuppoſitum, & natura ſingularis, & perſona, eſt omnino idem: nam omnis naturalis, & indiuidua ſubſtantia eſt incommunicabilis, vt ipſe ait, & vt quo, & vt quod, & actu, & aptitudine, & ideo eodem modo etiam natura rationalis eſt perſonata. Quod ſi Verbum Diuinum inuenit naturam humanam ſingularem, neque tamen perſonatam, quam aſſumpſit, hoc ignorauit, nec percipere potuit Ariſt. veluti quod, ſola fide percipi poſsit.

De Diuinis perſonis præcisè quidam recentiores Theologi præſertim, vt Molina in quæſtionem quartam, D. Thom. art. 2. diſput. 1. Valentia ſua quæſt. 14. puncto 2. Vaſquez diſput. 158. cap. 2. Suarez lib. 7. de Trinit. cap. 2. aſſerunt formaliſsimam rationem relationis eſſe quidem realem, conſtitutionem tamen perſonæ eſſe rationis; quod eo colligitur ex omnibus Theologis ferè aſſerentibus perſonam, & proprietatem Diuinam ab eſſentia non diſtingui niſi ratione ratiocinata: & ratio videtur euidens; nam ſi inter Diuinam eſſentiam, & perſonam, & rationem conſtituentem perſonam non eſt differentia niſi rationis; ratio formalis perſonæ, vt ſic, videtur non poſſe eſſe niſi rationis, & niſi per intellectum.

Secundo loco; vt in Commentario etiam retuli eſt Scotus, primo in 1. Sententiarum diſt. 23. & 25. diffiniens quid ſit perſona, & reiecta Boetij diffinitione, & amplexans, et tuendam ſuſcipiens illam Riccardi, quæ eſt incommunicabilis exiſtentia intellectualis naturæ: et ibi addens: ſicut communicabile eſt duobus modis, vel vt quod, dum aliquid pluribus inferioribus per ſui identitatẽ communicatur; adeo vt illa inferiora ſint ipſum, vt animal, homini, et leoni, etc. et ita homo, et leo eſt animal, etc. et vt quo, dum alteri communicatur, vt forma: ita incommunicabile, duobus quoque modis aliquid exiſtit, vt quo, ſcilicet, et vt quod. Ex quibus colligit duo. Primum, perſonam non dicere aliquid ad ens rationis pertines: quidquid enim in diffitione aſſeratur, quod ſcilicet ſit exiſtentia, quod incommunicabilis, à parte rei, ante omnem operationem intellectus, in perſona verè ita eſt. Secundum, vt ſui diſcipuli, cum interpretantur, perſonam formaliter tantum dicere, et conſtitui, negatione communicabilitatis, & duplici negatione, vt quod, & vt quo. Eodem autem loco, diſt. 23. in fine, & in diſt. 25. oppoſitam ſententiam in medium adducit, et eam veluti valde probabilem, et declarat, et ſuſcipit, perſonam ſcilicet conſtitui in eſſe formali perſonę, per quid poſitiuum, et dicit eſſe rationem ſubſiſtendi; ita vt ratio formalis perſonę ſit ſubſiſtere, et conſequenter commune, et tribus perſonis Diuinis, et cuicumque perſonę etiam creatę: hac tamen differentia, vt in perſona Diuina præcisè non ſit, neque abſolutum, neque reſpectiuum, ſed quid indifferens ad vtrumque, conſequenter tamen connotans Patrem, Filium, et Spiritum ſanctum, de quibus formaliter dicitur ſubſiſtere, ſecundo itidem relationes, origines, et proprietates perſonales, tertio, ipſammet Diuinam eſſentiam. In perſona verò creata primo connotat ipſam perſonam in concreto aggregatam ex natura ſingulari indiuidua, et ex duplici negatione dependentię, hoc eſt ex duplici incommunicabilitate, ſecundo, ipſam naturam ſingularem, in qua illa negatio ſubſiſtit.

Qua-

Digitized by Google

Quare Rada controuerſia 22. hanc Scoti ſententiã explicans trahit in ſententiam S. Thomæ & S. Bonauenturæ pancis quibuſdam exceptis ad Doctrinam ſpectantibus. In tertio verò Sententiarum. diſt. 1. quæſt. 1. art. 3. & in Quodlib. 19. art. 3. docet adhuc perſonæ formaliter propriam rationem eſſe negationem, & negationem vt quo ſupra in medium deductam; obſeruat autem triplicem eſſe primam actualem, qua actu perſona alteri extrinſeco non communicatur. ſecundam aptitudinalem, vt ipſe air, qua nec apta eſt communicari vnde incommunicabilis dicitur. tertiam potentialem; qua repugnat quidditati perſonæ communicari addit verò hanc triplicem negationem ſoli Diuinæ perſonæ conuenire: perſonæ enim creatæ per Diuinam potentiam in ſenſu diuiſo non repugnat communicari. Ergo ex Scoto Perſona incommunicata, & incommunicabilis adeo eſt, vt contradicat ſimpliciter communicari, & hoc eſt ei ratio formalis, quod confirmat, & in primo ſententiarum diſt. 2. quæſt. 4. quærens quomodo communitati eſſentiæ conuenire poſſit perſonarum pluralitas, ait in hoc differre naturam a perſona: nam natura eſt communicabilis: perſona incommunitabilis. Scotum ſequũtur Baſſolius tertio ſententiarum diſt. 1. quæſt. 1. Mairo diſt. 1. quæſt. 11. Notabili penultimo Ocham diſt. 1. art. 3. Almainus diſt. 2. quæſt. 1. Gabriel art. 1. Canarienſis in art. 4. quæſt. 29. D. Thomæ ad tertium Molina ibidem art. 1. diſput. 3. & art. 2. diſput. 3. Inter antiquiores Henricus quodlib. 5. quæſt. 8.

Suadent autem ſibi Scotiſtæ opinionem hanc efficaciſſime probari quatuor rationibus à Scoto, prima, ſi perſona dicit, quid poſitiuum, additum naturæ ſingulari: ergo in natura humana erit aliqua entitas poſitiua, neque à Verbo diuino ſumpta, neque apta, quæ poſſit aſſumi: ſed conſequens eſt falſum: ergo, & antecedens. Probatur minor, primo ex ſancto Damaſceno lib. 3. capite 25. quod eſt inaſſumptibile, & incurabile. ſecundo omnis entitas creaturæ quæcumque ſit eſt neceſſario in potentia obedientiali reſpectu, tum Diuinæ perſonæ, tum Diuinæ virtutis. Probatur conſequentia maioris: vt enim tractatu de Incarnatione inter omnes Theologos conſtantiſſimum eſt, contradicit perſonæ communicari, & aſſumi: ergo ratio perſonæ, neque per Diuinam potentiam aſſumi poteſt.

Secunda, ſi ratio perſonæ & vltimum conſtituens in eſſe perſonæ, & complens hanc naturam perficiens, eſt entitas poſitiua: ergo Chriſti humanitas à verbo Diuino aſſumpta, tantum abeſt, vt fuerit perfecta, vt maxima, & poſtrema perfectione careret, hac ſcilicet entitate conſtituente naturam in vltima perfectione: quod adeo incongruum videtur, vt hoc piorum aures de ſacerrimi Chriſti humanitate vnita verbo audire perhorreſcant; Confirmatur efficacius. Entitas hæc perſonalis eſt realitas neceſſario à natura ſingulari, quam perſonat, diſtincta; alias idem eſſet contrahens, & contractum: quod ſi fieret idem cum illa, mutaretur: nam omnis actus ſubſtantialis alteri adueniens, illud mutat; ergo non poſſet perſonari per illam entitatem. Probatur, ſi eſt diſtincta illa entitas, non eſt ipſius naturæ: ergo ipſam non perſonat. ſi idem facta: ergo pariter ipſam non perſonat: nam non eſt amplius eadem illa natura, ſed mutata, & alia facta per illam additionem.

Tertia. Si hæc eadem de qua nunc diſceptatur perſonæ entitas aſſeritur: ergo natura humana à verbo aſſumpta, aut non poteſt ab ipſo dimitti: quod tamen omnes vnanimi conſenſu negant, aut neceſſario creanda entitas illa, qua natura depoſita ſubſiſtat. Conſequentia vtraque probatur: nam repugnat naturam ſubſiſtere ſine illa entitate ſibi formaliter requiſita: ergo non ſubſiſtet, aut de nouo creanda, vt ſubſiſtat.

Quarta. Poſita hac ratione, iſta entitate: ergo non repugnat naturam ſine illa, tamen per ſe exiſtere, quod tamen contradictionem inuoluit, exiſtere, ſcilicet per ſe, & non eſſe perſonam. Probatur tamen conſequentia; nam ſe ipſa natura ſingularis eſt prior, & non de ipſius naturæ ratione eſt hæc entitas, ſed diſtincta: ergo non repugnat poſſe produci, & exiſtere ante illam actualem entitatem; & probatur; quia verbum tunc in illa priori actualitate, poſſet non aſſumere, ſed ſic relinquere: ergo exiſteret per ſe, non perſonata.

Addunt vero alias multas rationes Scotiſtæ inter quos Philippus Faber diſputatione ſecunda hoc loco; & primo tanta ſuo ipſorum iudicio efficacitate, vt parum diſtet quin oppoſitum de hæreſi damnent ſententiam; eam, inquam, ſententiam, quam ipſe Scotus, vt probabilem docuit. Sancti etenim Patres inquiunt, Concilia, Nicænum primum, Ephesinũ primum, Calcedonenſe primũ dilucidè Chriſtũ eſſe perfectum Deũ, & perfectum hominem grauiſsime aſſerunt contra Arium, Neſtorium, Apolinarem Euthichetem, & Dioſcorum, & alios quoſdam Diuinitatem, humanitatem quoſdam negantes; alios naturas confundentes: ergo in ipſa Chriſti humanitate ſupponunt rationem perſonalem, qua eſt homo perfectus, et ita entitatem perſonam illam coſtituentẽ, quæ ſi abeſt apertè remanet imperfecta illa aſſumpta humanitas: Confirmatur ex egregio ad hanc rem loco D. Dionyſij Areopagitæ de Diuinis nominibus capite ſecundo, *ex nobis integrè verèq. humanatum eſt Verbũ*: ſed ſi datur hæc entitas poſitiua, et à Verbo, non eſt neque aſſumpta, neque aſſumptibilis; non erit verum, quod aſſerit hic ſanctiſsimus Pater verè, ſcilicet, et integre ex nobis humanatum Verbum.

Secundo ex diffinitione Riccardi. Duo ſunt in Perſona exiſtentia, & incommunicabilis, eſt enim exiſtentia incommunicabilis: ſed exiſtentia non eſt quid reale diſtinctum à natura ſingulari; perſona autem eſt quid diſtinctum: ergo eſt quid negatiuum præciſè communicabilitatis. Alias erunt duæ exiſtentiæ alia naturæ ſingularis, alia perſonæ, & ita duo modi exiſtendi oppoſiti, alius communicabilis, alius incommunicabilis.

Tertio formaliter ex diffinitione hac Riccardi in qua dicitur Perſona eſt exiſtentia incommunnicabilis: ergo ad rationem perſonæ ſpectat, quod ſit incommunicabilis.

Quarto. Exemplis Sanctorum Patrum, quibus

ũtun-

ſtuntur ad explicandũ Sanctiſſimæ Trinitatis myſterium, de ferro ignito, de Ramuſculo inſito trunco arboris: ſed ferrum dum ignitur & ramus dum inſeritur, nullam amittit entitatem, quam prius habebat, ſed tantum negationem illam dependentiæ, actus, & aptitudinis: ergo neque natura humana aſſumpta à Verbo nihil præter independentiam amiſit: ergo in natura qua perſona independens eſt nulla eſt entitas poſitiua.

Tertio loco, tertium Theologorum placitum redigit, & comprӕhendit omnes, qui perſonam ſignificare primo, & per ſe in recto, & formaliter aliquam rem, et rationem formalem poſitiuam, qua perſona eſt, et conſequenter id quo perſona in eſſe perſonæ conſtituitur, non eſſe quid rationis, vt cum Durando alij aſſerebant, neque quandam negationem, vt Scotiſtæ, ſed quandam rem, vel modum verum, et realem dantem eſſe præcisè perſonæ, qua, et eſt, et verè dicitur. Perſona igitur, vt dicitur de Diuina, Angelica, et humana natura in recto ſignificat gradum illum à quo vnaquæque perſona v. g. Petrus, Michael, Pater, Filius, et Spiritus ſanctus habet, vt ſit ſubſiſtens incommunicabile, et ideo diſtinctum à quocumque alio in ea natura, cuius eſt perſona; in obliquo autem naturam rationalem, cuius eſt perſona: Quare cum in Diuinis perſona à relatione habeat, vt ſit perſona in ſe ſubſiſtens, et ab alijs diſtincta in recto ſignificabit relationem ſubſiſtentem, in obliquo eſſentiam Diuinam.

Sanctus Thomas hic art.4. De ratione perſonæ eſt ſignificare, quod diſtinctum eſt in ea natura in qua eſt ex diffinitione indiuidui, ſed alio, et alio modo; quemadmodum et natura eſt diuerſa, et id quo in ea diſtinguitur perſona. In natura humana, ſunt hæ carnes, & hæc oſſa, & hæc anima, quæ licet non ſint de ratione perſonæ: ſunt tamen de ratione perſonæ humanæ & principia indiuiduantia: in natura autem Diuina, non ſunt neque poſſunt eſſe niſi relationes quæ ſint ratio conſtituendi, & diſtinguendi perſonas: nam eſſentia cum ſit communis tribus non poteſt eſſe ratio diſtinguendi, ſed potius conueniendi, & exiſtendi: relatio autem ibi cum ad modum accidentis non inhæreat, ſed ſit ipſamet eſſentia, & ſubſiſtat ſicut eſſentia, hinc neceſſario perſona, & conſtituetur diſtincta, relatione, & ſignificabit per ſe relationem non quocumque modo, nec ſub ratione relationis, ſed vt ſubſiſtentem, & vt modum in recto, eſſentiam autem in obliquo.

Quod ſi quoque dicat ſignificare perſonam, eſſentiam in recto, & relationem in obliquo ibi ſumit eſſentiam, vt idem prorſus cum relatione ſubſiſtente formaliter, & relationem ſub ratione relationis non vt ſubſiſtentem; ſicut enim in natura humana ex hac carne &c. & hac anima quaſi ex materia reſulat indiuiduum perſonæ, ita in Diuinis, & eſſentia, et relatione quaſi materialiter ſumptis reſultat, quod formaliter eſt perſona, & à perſonæ vocabulo immediatè ſignificatur, ideſt relatio, vt ſubſiſtens ex, & in illa natura. ſic ex his conficitur ratiocinatio ſancti Thomæ prima; Perſona in quacumque natura ſignificat id quod eſt in natura illa diſtinctum: ſed in Diuinis non ſit niſi per relationes originis, vt iam ſupra probatum eſt: ergo perſona ſignificat relationes originis. Probatur maior, primo, perſona ſignificat indiuiduum naturæ rationalis: ſed indiuiduum eſt quod eſt in ſe indiſtinctum, et ab alijs diſtinctum: ergo in quacumque natura perſona ſignificat quod diſtinctum. ſecundo, probatur exemplo naturæ humanæ. Perſona in natura humana ſignificat hæc oſſa, has carnes, et hanc animam. ſunt enim de ratione ipſius: ergo perſorna ſemper ſignificat quod diſtinctum eſt: ſed relatio in diuinis eſt ſubſiſtens: non enim eſt ibi vt accidens, ſed vt ſubſtantia: ergo ita eam ſignificat perſona.

Hanç eandem doctrinam tradit idem ſanctus Thomas de Potentia queſt.9.art.4. vbi duo docet primum hoc nomen *perſona* communiter ſignificare formaliter ſubſiſtens in natura rationali ſiue intellectuali, ea ratione qua perſona nihil aliud eſt quam indiuidua ſubſtantia naturæ rationalis &c. ſed quoniam omne ſubſiſtens diſtinctum, et in natura humana eſt per aliquam materiam indiuiduatum et in Diuina illud diſtinctum non poteſt eſſe niſi relatio; quia omne abſolutum eſt commune: hinc perſona humana quaſi materialiter illud per materiam indiuiduatum, et Diuina, relationem, et eſſentiam quatenus idem quaſi materiam relationem verò ſubſiſtentem formaliter. Ex quo etiam ſecundum deducit, relationem ſignificari formaliter a perſona non vt relationem, ſed vt relatiuum, conſequenter, non vt v.g. Paternitatem, ſed vt Patrem: hoc enim perſonæ ſignificatione continetur quaſi obliquo, et materialiter Hanc omnes Thomiſtæ, et multi etiam exteri, doctrinam apertis vulnis amplectuntur et tuentur: licet inter ſe diſſideant in aſſequenda, et explicanda ſancti Doctoris mente et in tollenda inter ipſius dicta apparente contradictione: nam quidam vno loco relationem materialiter, altero verò loco formaliter ſignificare perſonam aſtruunt. alij verò vtrobique ſemper idem docuiſſe interpretantur Capreolus, Petrus Bergomas in tabula aurea. Vaſquez Suarez. ſed quolibet loco egregiè, et conſequenter locutus eſt, et interpretes potius verbis quam ſententia altercantur: ſignificatur enim relatio verè formaliter, vt res ſignificata: quaſi tamen materialiter et implicitè quo ad modum: non enim vt relatio præcisè, et tanta latitudine: ſed vt ſubſiſtens, et ita vt relatiuum identificatum cum Diuina eſſentia: et ſicut vtrumque neceſſario Verum, ita vtroq. modo neceſſario debuit explicare. formaliter igitur tantum à perſona ſignificatũ eſt, et explicatè ſubſiſtens; formaliter verò implicitum eſt relatio, et eſſentia, ceu ex quibus ſubſiſtit perſona.

Sed res vocat preſſiorem et lucidiorẽ huius dicti explicationem; perſona ſignificat relationẽ per modum ſubſiſtẽtis et hypoſtatis, et ſubſtantiæ, quæ ſicut vno verbo hoc continetur, ſignificatur relatio a perſona, non per modum relationis, ſed abſolutè; ita ſatis expedita eſſet, niſi declaratione indigeret. ſicut igitur omnis relatio creata habet et quod ſit accidens, et quod ſit relatio, quæ licet ex natura rei prorſus idem ſint: poteſt tamen confusè

acci-

accipi, & vt accidens, nulla habita attentione, an ſic relatio, vel hæc relatio: ita quoque relatio Diuina, licet idem prorſus ſit cum ſubſtantia; ita vt verè ſit ſubſtantia: poteſt tamen confuſè accipi, vt hæc ſubſtantia, nulla adhibita conſideratione an ſit relatio, vel hæc relatio: quæ hoc modo ſi concipiatur, erit admodum differcus conceptus ab eo, quo vt relatio concipitur. Primus enim erit per modum abſoluti, ſecundus per modum relationis. Hinc oritur, quod perſona, quia relationē, per hunc modū abſoluti indicat nō præciſè vt relatio, non dicitur relatiuè ad aliam perſonam: neque enim oſtenſo Patre æterno rectè dixeris hæc perſona eſt alterius perſonæ, ſcilicet Filij perſona, ex D. Auguſtino 7. de Trinit. cap. 6. *Cum dicimus perſonam Patris, non aliud dicimus, quā ſubſtantiam, ideſt hypoſtaſim Patris: ad ſe quippe dicitur perſona non ad Filium.*

S. Bonauentura præter loca ipſius in Commentario relata, diſt. 23. q. 1. ita formaliter; perſona de ſui ratione dicit ſuppoſitum proprietate diſtinctum ad dignitatem pertinens: quod ex vi nominis *perſona*, eleganter probar ibi, & dilucidè, diſt. 25. q. 1. Perſona in communi ſignificat tum ſubſtantiam, & ſuppoſitum ſubſtantiale, & id principalius, tum proprietatem, qua vltimo cotrahitur ad eſſe diſtinctum. Si verò præciſè de perſona Diuina agatur, perſona dicit, et ſubſtantiam, et relationem. Quem modum dicendi nulla vi appoſita, recipit S. Thomæ concordia, et expoſitio perſona, quo ad rem ſignificatam, er quaſi materiam, licet veluti primo nominis ſignificationi obiectum, et in genere, ſignificat ſubſtantiam principalius, quo verò ad modum, quo perſona eſt diſtincta, et in Diuinis, præcipuè ſicuti quaſi per formam, per proprietatem, et relationem ſubſiſtit, ita formaliter ſignificat, et primo relationem, non vt exercitam, ſed vt ſubſiſtentem: Diuina enim perſona ſtrictè, & formaliter ſumpta, vt in Diuinis numeratur, eſt proprietas, & quaſi materlaliter eſt eſſentia, vt diſt. 33. q. 1. diſt. antem 34. q. 1. Quærens an res perſonæ, & perſonalitas addat aliquid naturæ, cuius eſt perſona, reſpondet, in humanis, & creatis, perſona, & indiuiduum addit verè qualitatem abſolutam, quaſi formam ad materiam; & adeò loquitur hic ſanctus Doctor conſtanter, vt dicar, diſtinctio per qualitatem eſt in creaturis, nec poteſt eſſe ſine additione: quia hæc diſtinctio ortum habet ex additione materiæ ad formam: ſicuti vnus non poteſt eſſe albus, alter ab illo niger, niſi per abſolutam qualitatem albedinis additam vni, & nigredinis additam alteri; vbi videtur apertè ſanctus Doctor fateri, quod additur naturæ ad eam indiuiduandam, vel perſonandam, differre realiter ab ipſamet natura; aſſerit enim eſſe diſtincta ſecundum rem; vnde ſuppoſita creata omnia, ſunt verè compoſita: de qua re infra. In Diuinis, quia Diuinæ perſonæ non abſolutis, ſed relatiuis, & origine diſtinguūtur; quia vna perſona producit, altera producitur, & ſe ipſa producit, & ſe ipſa producitur: & quia in Deo ſumma ſimplicitas; ibi licet ſit vera diſtinctio: nulla tamen, neque additio, neque conſequenter compoſitio. Tandem concludit, perſona eſt modus ſe habendi, & in ordine ad eſſentiam, cuius eſt perſona, & ad perſonam, à qua eſt, & ad quam eſt. Hac obſeruata differentia, in ordine ad eſſentiam eſſe modum; tantum in ordine ad perſonas poſſe dici rem: ergo nomen perſonæ ſignificat hunc modum, & hanc rem, hac ratione: ſed hic modus eſt aliqua entitas poſitiua, in eſſentia modalis, in perſona, ſubſiſtens. Hanc verè eſſe ſancti Doctoris mentem, vbique de ea dum loquitur, conſtanter vlla abſque trepidatione conformem ſancto Thomæ, & communiori, & veriori Theologorū ſententiæ, ſemper mihi perſuaſi. Idem Alexander 1. par. quæſt. 56. membro 4. art. 1. his verbis. *Perſona eſt exiſtentia incommunicabilis naturæ, vel exiſtens per ſe, ſolum ſecundum quendam modum exiſtendi, &c.* Riccardus diſt. 34. art. 1. quæſt. 2. in corpore his verbis. *Perſona cum eſſentia dicit proprietatem, vt ſubſiſtentem, ſcilicet ſub ratione formali ſubſiſtendi.* Certum eſt autem ſubſiſtere, eſſe ad ſe, præſcindere, ſcilicet eſſe à termino, à quo diſtinguitur: ergo de ſui ratione non dicit incommunicabilitatem. Hanc eandē ſentētiam communiter expoſitores D. Thomę, Caiet., Capreolus, diſt. 25. q. 1. art. 1 Marſilius magis copioſè, & magis apertè amplexati ſunt, & cæteri antiquiores in 1. quæſt. 28. art. 2. Argentina in 1. diſt. 23. quæſt. vnica, art. 1; Henricus 1. par. art. 53. quæſt. 5. hanc fatetur eſſe communem ſententiam omnium Auctorum, quos ipſe vidiſſet. Hanc ſequuntur recentiores, Vaſquez 1. par. diſput. 27. & diſput. 130. Suarez lib. 1. de Trinit. cap. 3. & diſput. 34. ſect. 2. in Metaphyſicis, &c.

CAPVT III.

Notationes quædam ad colligendas concluſiones.

ANtequam colligantur, & deducantur hic probandæ concluſiones, neceſſario animaduertendum, primo, ſicut genus duplex perſonæ inuenitur, vnum creatæ, increatæ alterum, ex duplici natura, cuius ſubſiſtunt perſonæ: nam quaſi ex extranea ratione ab eſſentia, ſcilicet, cuius eſt perſona, conſtituitur talis perſona diſtincta, quia ex tali natura; vnde Diuina perſona ratione Diuinæ naturæ: creata, ratione creatæ naturæ: ita intrinſecus erit ad perſonalitatem ſpectans conſtituendi perſonam, duplex modus: quemadmodum igitur alia eſt perſona abſoluta, ideſt creata, alia relatiua, nimirum Diuina; ita quoque abſoluta ratione conſtituetur in eſſe ſingulari ſubſiſtendi, & incommunicabili perſona creata, & perſona Diuina relatiua, relatiua quoque ratione conſtituetur in eſſe perſonali ſubſiſtendi incommunicabiliter, & diſtinguetur ab alia: quod his nominibus Patris, & Filij, & Spiritus ſancti ſignificatur, quæ per modum hypoſtaſis formaliter relationem explicant. Igitur perſona Diuina ſignificat rationem perſonæ, vt in Deo, non ſub ratione relationis, vt relatio eſt, ſed vt contracta quaſi extranea differentia ex natura, in qua eſt, ita vt relationem per modum

O ſub-

ſubſtantiæ ſubſiſtentis, & hypoſtaſis exprimat: quod tandem idem eſt, ac ſi dicatur perſona ſignificat relationem non formaliter, vt ſic, ſed ſub ratione perſonalitatis talis naturæ Diuinæ, vt per ſe primo formaliter ſubſiſtentiam; relationem verò ſic implicitam demonſtret: quare in obliquo rectè dicebatur, perſona eſt ſubſiſtentia in natura Diuina proprietate relatiua diſtincta, neque id attentè intuenti repugnat; imò appoſitè congruit noſtræ expoſitioni nuper ſancto Bonauenturæ adhibitæ. Ita quoque Alexander 1. par. quæſt. 56. membro 1. Gabriel hac diſt. art. 2. concl. 1. 2. & 3. Capreolus quæſt. 1. art. 1. concl. 1. Marſilius in 1. quæſt. 26. art. 2. Canarienſis in hunc art. S. Thomæ.

Secundo valde animaduertenda, tum opinionum varietas, tum vera, ac rationi conſona differentia inter naturam, & ſuppoſitum, tàm in Angelo, & homine, quàm in quocumque alio ſubſiſtente, vt hinc quam rectè de hac re ſenſerit, & docuerit S. Doctor noſter, apertè colligatur. Huius rei difficultas, in hoc ſita eſt, & hoc eſt, quod præſſe, & in primis quæritur, quid ſcilicet, v. g. Petrus addat ſuper indiuiduam ſuam humanitatem conſtantem ex hac anima, & ex hoc corpore. Circumferuntur autē de hac re, vt primo Caiet. & Medina 3. par. q. 4. art. 2. & poſt eos per multi alij recētiores teſtati ſunt, ſeptē opiniones variæ, quas tamen oēs Caiet. reijcit.

Prima Henrici Quodlib. 4. q. 2. Durandi 1. Sent. diſt. 34. quæſt. 1. & aliorum, naturam, & ſuppoſitum in quacumque creata ſubſtantia, re prorſus idem eſſe, tantummodo autem differre in ratione concipiendi, vt eadem res apprehenſa, vt quo, ſit natura, vt quod, ſit ſuppoſitum.

Secunda Heruæi Quodlib. 3. q. 6. eandem rem eſſe, quo ad intrinſeca: differre verò realiter, quo ad connotata in modo ſignificandi: docet enim, v. g. Petrum eſſe ſuam humanitatem in concreto, vt ſignificatur habens ea omnia, ſine quibus vera humanitas exiſtere non poteſt: quæ tamen ſine quibus, &c. differunt ab ipſa humanitate realiter.

Tertia. Quæ parum diſtat à ſuperiori, quam idem Heruæus refert, & reijcit, intercedere ſcilicet, differentiam realem inter naturam, & ſuppoſitum: natura enim, v. g. Petri, dumtaxat ex ſe, ſolam humanitatem dicit: Petrus verò addit affectionem omnium accidentium, quibus Petrus afficitur.

Quarta. Quam idem Heruæus in medium affert, & repellit, inter naturam, & ſuppoſitum, ſtatuendam differentiam, quæ inter totum, & partes inuenitur: nam ſuppoſitum conſtat, & reſultat ex natura, & exiſtentia: natura autem eſt vna harum partium.

Quinta. Quam tradit, & ſuſtinet Capreolus in 3. Sentent. diſt. 5. quæſt. 1. Differre, ideſt ſuppoſitum à natura per actum extrinſecum exiſtentiæ (hæc enim ſua opinio eſt, actum exiſtentiæ eſſe extrinſecum à natura.)

Sexta. De qua ſupra, & hic, Scoti in 3. Sententiarum, diſt. 1. quæſt. 1. naturam conſtitui in eſſe ſuppoſiti, & perſonæ intrinſecè per negationem duplicis dependentiæ ad aliud, actualis, & aptitudinalis; ita enim eſt, inquit ille, in ſe, vt nec ſit, nec poſſit eſſe in alio; ita vt hæc, v. g. humanitas, ita ſit ideo perſona, quia nec terminatur, nec terminari poſſit, vt aſſumatur à perſona Diuina, in ipſaque ſit, & ab ea dependeat.

Septima. Quæ fuit Ioannis de Neapoli in Quodlib. quæſt. 9. Suppoſitum addere ſupra naturam hanc, ſimplicem negationem, vt natura, & perſona eandē rem ſignificent; perſona tamen addat hanc negationem quatenus in nullo ſuſtinetur. Obſeruat autem eodem loco Caiet. has omnes enarratas opiniones in hoc conuenire, quod earum nulla ponit, aut contrahit in natura ſingulari ad eam perſonam conſtituendam quicquam per perſonam poſitiuum intrinſecum addi, hoc fundamento: nam quidquid tentetur addi, non poteſt eſſe, neque accidens, neque ſubſtantia, quæ eſt, aut forma, aut materia, aut compoſitum, idq. ex Ariſt. 7. Metaph. docente, in his, quæ ſunt per ſe, idem eſt quod quid eſt, & id cuius eſt.

Inter poſteriores verò, & recentiores: alij ad naturam, vt ſuppoſitum, & perſona euadat, nihil ab ea reale diſtinctum addere neceſſe eſt: nam id quo formaliter, & per ſe natura ſubſiſtit, eſt entitas poſitiua ſub exiſtentia latens, ideſt modus eſſendi, & exiſtendi ſubſtantialis. Ita Petrus Fonſeca lib. 5. Metaph. cap. 8. quæſt. 6. quem ſequitur Valentia 3. parte.

Alij perſonalitatem ad hoc dari naturę, vt illi det vltimum complementum in ratione exiſtendi: quod eſt, vt compleat naturam exiſtentem, & trahat ad eſſe ſubſiſtentiæ; etenim exiſtere eſt habere entitatem extra cauſas in rerum natura, adhuc indifferentem ad modum exiſtendi, vel in alio, vel in ſe, & per ſe. Subſiſtere autem addit, & limitat ad exiſtendum per ſe: ergo ſubſiſtentiæ, & perſonæ ratio exiſtentiam incompletam, tum quia adhuc illimitatam, tum quia ſi in alio exiſteret, imperfecta eſſet, complet, & perficit, perfectumque modum exiſtendi confert. Quare Chriſti humanitas Verbo Diuino inhærens hac ſola perfectione penè exiſtendi caret. Hæc autem ratio ſubſiſtendi addita exiſtentiæ naturæ, ſicuti eſt modus verus, & realis, ita verè componit in perſona creata, & à natura, cuius eſt modus reali differentia differt, non tamen ſicut res à re, ſed ſicut modus rei à re. Ita Suarez diſp. 34. ſect. 4. Metaph. & ferè Vaſquez 1. par. hac quæſt. diſp. 31.

Alij, ſcilicet Caietanus loco cit. ibidem Medina, & Ferrarienſis 4. contra Gentes cap. 43. ſubſiſtentiam creatam eſſe quandam entitatem realiſſimè, tum ab eſſentia, tum ab exiſtentia naturæ ſubſtantialis diſtinctam, hoc tamen communi termino explicatam, ex natura rei ſcilicet. Secundo huius realitatis, qua natura ſubſiſtit, hoc duplex munus eſt, primum, vt conſtituat, ſubiectum proprium exiſtentiæ ſubſtantialis, & aliarum proprietatum perſonalium, ſicuti filiatio, operatio, &c. ſubſiſtens enim eſt, quod generatur, de quo dicitur Filius, & quod operatur iuxta omnium tritum prouerbium, ſuppoſitorum eſt agere. Secundum munus, vt diſtinguat, & diſtinguatur ab alio, & repugnet ei eſſe in alio: natura enim per perſonalitatem vltimum recipit terminum: nam perſonari eſt terminari, & fieri incommunicabile, & vt quo,

& in

& in quod, & pars, ant quaſi pars in toto.

Alij denique, Baunes quæſt. 3. art. 3. dubio primo; & ſecundo, ne in tot Theologotum placitis enumerandis lectotem nimis oneremus; primo probaliſſimũ, inquiunt, eſt, ſuppoſitum ſupra naturam addere modum tealem, per quem intrinſecè conſtituatur natura in eſſe ſuppoſiti, & ordinem ad actum exiſtendi extrinſecè, ita vt conſtituatur in eſſe ſuppoſiti per modnm ihtrinſecum, & per otdinem, & ad actum exiſtendi: ita tamen, vt actus exiſtendi ſit extrinſecus, neque de ratione ſubſiſtentiæ. Secundo probabile quoque, illum modum formalem ſubſiſtendi à natura, cuius eſt modus, tantum ratione formali differre, ſicuti modus à re, quod ſequitur & Zumellus, retractans, quod alias pro Caietano docuerat: probabilius tamen longè realiter ſicut rem à re differre.

Sed vſque adhuc ferè aerem verberanimus, & ventum rete comptæhendimus, & ſtructuræ noſtrę, fundamenta in arena iecimus, ſi quid vterque ſanctus Doctor exacta indagine non quæramus, & ſolerter explicemus: Sanctum autem Thomam hac in te conformiter interpretari rem difficilem, & operoſam aggredimur: pluribus enim locis nedum diuerſa, ſed contraria docuiſſe viſus eſt: nam in tertio de Anima, lect. 8. tex. 11. in 7. Metaph. lect. 11. text. 41. & 8. Metaph. lect. 3. text. 8. decernit, cum Ariſt. & inter ſubſtantias immateriales, & materiales hanc ſtatuit differentiam, quam vbique repetit, præcipuè 1. pat. quæſt. 3. art. 3. vbertimè, & 4. contra Gentes, cap. 55. vbi congruentius Verbum aſſumpſiſſe humanam, quam Angelicam naturam tradit ideo: nam in Angelica non eſt aliud natura, aliud perſona, ſicut in humaua, ſubſtantias, ſcilicet materiales, & quod habeant materiam indiuiduantem, quæ ad quod quid eſt non ſpectat, non eſſe ideo ſuum quod quid eſt: abſtractas verò, & ſubſiſtentes cum non habeant, per quod indiuiduentur, quod ſit extra rationem ſuæ ſpeciei eſſe ſuum, quod quid eſt. Contra verò alijs quoque multis locis, etiam in ſubſtantijs immaterialibus, aliud eſſe naturam, aliud perſonam apertè docuiſſe vehementer apparet: nam Quodlib. 2. quæſt. 2. art. 4. hoc argumento probat in Angelis à natura differre ſuppoſitum: cuicumque poteſt aliquid accidere, quod non ſit de ratione ſuæ naturæ, id à natura differt: ſed in Angelo accidit, quod eſt præter rationem ſuæ ſpeciei: ergo in eo differt perſona à natura. Maior eſt Ariſt. 7. Metaph. text. his verbis. *In his, quæ dicuntur per ſe idem eſt rei, & quod quid eſt rei: in his autem quæ dicuntur per accidens non ſunt idem.* Ratio eſt, quia natura tantum id quod eſt de ratione ſui ſignificat; ſuppoſitum verò etiam alia, quæ ei accidunt: vnde ſuppoſitum eſt totum; natura verò, & ſpecies, & quidditas eſt pars formalis. Minor autem probatur; nam præter alia, exiſtentia videtur accidere eſſentiæ: eſt enim præter eam, nec in eo clauditur, & in ſolo Deo, quo eſt, claudit, quod eſt: & naturę tantum prædicata eſſentialia cõpetunt. Suppoſito verò vt ſic, plura extrinſeca naturę competere patens eſt, & planè videtur. Conciliant, & interpretantur Thomiſtę ſanctum Thomam multis modis, inter quos Petrus Bergomenſis in ſua tabula aurea concordat. 114. Caiet. 3. par. quæſt. 4. Bannes 1. par. quæſt. 3. art. 3. Nazzarius 1. par. & alij, &c. ſed in primis audiendus ipſe S. Thomas recenſito Quodlib. quæſt. 2. art. 4. ad primum; vbi ſatis apertè, quod omnibus locis ſibi conſentaneè docuerit, apertè colligitur: quod ſcilicet nullibi, aut negauerit, aut negare voluerit etiam in immaterialibus ſubſtantijs diſtingui verè à natura ſuppoſitum, ſed dumtaxat non eadem ratione, qua diſtinguuntur in nobis forma, & materia; itaut hæc fuerit ſancti Thomæ conſtans vbique ſententia: in rebus materialibus ſuppoſitum differt à natura, & ex communi fit ſingulare per determinans, & indicans: v. g. homo fit, & hic homo per hanc animam, & hanc carnem, & per hęc accidentia, quę accidunt ei, vt homo eſt, & vt natura ſpecifica, neque enim ſunt de ratione ipſius: immaterialia verò ſe ipſis indiuiduantur, & ſunt, quod quid eſt, hoc eſt non eodem modo, quo materiata per materiam, & accidentia indicantia aptitudinem recipiendi illa eadem accidentia, &c. ſed alio modo, quem dicto loco Quodlib. explicauit; eſt autem hic Angelus à natura Angelica differt per aliquid ſui intrinſecum ipſum perficiens, & complens in ratione ſuppoſiti, & perſonæ: quo (verba ſancti Thomæ.) *Quædam attribuuntur ſuppoſito, & non naturæ. Propterea ſuppoſitum in eis non eſt omnino idem cum natura.* Confirmat, quęſt. 3. art. 3. vbi ſolum Deum eſſe ſuum eſſe docet. Hęc differentia vehementer probatur ab ipſo S. Thoma, quæſt. 75. art. 5. ad ſecundum, 2. contra Gentes, c. 52. & 53. probant Patres omnes, quorum loca referuntur à Magiſtro Sententiarum in 1. diſt. 8. Quibus verò rationibus, infra.

Sanctus verò Bonauentura, pro ſexcentis locis, ſufficiat propoſitus, ſeu proprius diſt. 34. quæſt. 1. art. 1. Quo loco paucis verbis, omnia, quæ multis locis, multisq. verbis, ac ſententijs S. Thomas, mihi videtur dicere. Dicit ergo ex Riccardo de S. Victore lib. 4. de Trinit. cap. 2., geminam eſſe in vniuerſum diſtinctionem in hac re: alia enim per ſolam originem: alia per qualitatem: per originem, cum vnus ab alio producitur: per qualitatem verò, & proprietatem abſolutam, qua vnum differt ab alio; vtraque autem diſtinctio eſt vera diſtinctio, ſed longè diuerſa ratione: verè enim generans à genito diſtinguitur: verè quoque, quod per abſolutum additum ab alio diſtinctè ſubſiſtit. Quo circa vera in Diuinis inter Diuinas perſonas diſtinctio, quia vera origo, ſed hæc diſtinctio nihil Diuinæ eſſentiæ diſtinctum addit, niſi ratione per intellectum, & eſt modus ipſiusmet Diuinæ eſſentiæ: nec ideo componit, aut eſſentiam ipſam, aut perſonas: quia nihil additur reale diſtinctum, abſolutum. Oppoſito modo in creatis: ſicut enim album à nigro verè diſtinguitur per additam albedinem vni ſubiecto, & nigredinem alteri, ita vnum ſuppoſitum ab altero diſtinguitur per additum naturæ abſolutum, quo ſubſiſtit, & per additum hoc, quo hoc ab alio diſtinctum ſubſiſtit. Ergo res naturæ in natura creata addit abſolutum quid diſtinctum, quo natura ſubſiſtit, & quod cum

natura ſubſiſtit, & quod cum natura componit; id verò vocat qualitatem, tum per ſimilitudinem, tum quia licet ſit vltimus terminus, & actus ſubſtantiæ, ad modum tamen qualitatis ſe videtur habere, ſicut ſe habent differentiæ ſubſtantiales contrahentes, & conſtituentes ſpecies, vt rationale, animal: tum denique vt naturæ accidit, & eſt extra quidditatem, & ſpeciem naturæ ipſius; quorum omnium reddit rationem, radicemq. aperit dum hæc verba profert: *Diſtinctio per qualitatem hoc eſt per rem abſolutam non poteſt eſſe ſine additione: quia hæc diſtinctio ortum habet ex additione materiæ ad formam.* Quid euidentius? ergo materia, quæ concurrit ad indiuiduandum, cum ſit extrinſeca naturæ; ratio indiuidui materialis ſubſtantiæ neceſſario, & addit, & componit naturam, & conſequenter eſt ab ea realiter, ideſt pluſquam ratione diſtincta; præter accidentia, quæ ex intrinſeca capacitate, non naturæ, ſed ſuppoſito, cum competant, indicant ab eadem natura differre.

In ſubſtantijs autē ſeparatis attentè legēdus eſt idem S. Bonau. 2. Sent. d. 3. q. 1. & deinceps, vbi quærit, tum ſimplicitatem Angeli, tum radicem, & rationem indiuidui ſubſtantiæ: primo enim liquido docet verè Angelum componi, & ex ente, & eſſentia, & ex quo eſt, & quod eſt, ſcilicet ex natura, & perſona, & hanc compoſitionem eſſe realem interpretatur inter alios ſanctum Doctorem, Franciſcus Suarez. Si verò quis à ſancto Doctore peteret radicem, & rem huius diſtinctionis, libenter reſponderet, eſſe eandem cum radice materiatorum ſuppoſitorum, ſcilicet materiam, quam, & in Angelis ponit, eo tamen modo depuratam, quo ibi per longas diſputationes; quod ſi in communiori ſententia vellet reſpondere, diceret ad naturam addi proprietatem ſubſtantialem abſolutam, qua contrahitur ad eſſe ſuppoſiti, & perſonæ, quæ ſit vltimus terminus terminans, & complens, & perficiens eandem naturam, vt inde ſequatur, & independentia, & incommunicabilitas, vt tandem perſona ſit ſubſtantia rationalis proprietate diſtincta ad dignitatem pertinens, & ratio ſuppoſiti, & perſonalitatis ſit complementum, & vltimus terminus, & actus additus naturæ, &c.

Hæc verò plura addidimus, tum ad explicandam perſonæ quidditatem, tum ad euitandum, quod grauiter docuit grauiſſimus Pater D. Gregorius Nyſſenus grauiſſimis verbis lib. de differentia eſſentiæ, & hypoſtaſis: *Quoniam complures,* inquit, *nihil intereſſe putant vtrum eſſentiam, an hypoſtaſin, quis dicat, quaſi in vtroque nomine vna ſignificatio ſit, & ideo duplicis hæreſeos in contrarium ſeiſſe erron circa ſignificationem harum vocum principia, atque augmenta præbuit; cum Sabely quidem ſectatores propter communionem eſſentiæ ſanctam Trinitatem in vnam hypoſtaſin cogant: vice verò verſa, qui contrario morbo correpti ſunt, Arianos dico, propter differentiam hypoſtaſeon, præſcriptionem quoque eſſentiarum introducant.*

CAPVT IV.

Quo, concluſiones deducuntur.

PRima concluſio contra Durandum, & reliquos eiuſdem ſectæ. Perſona ex ſe neque eſt, neque aliquid ſignificat ſecundæ intentionis, vel entis rationis. Probatur, & probare neceſſe eſt, quo efficacioribus rationibus liceat in re difficillima; hinc enim fidei noſtræ de Diuinarum perſonarum veritate, ac reali exiſtentia, & reali diſtinctione, negotium grauiter pendet. Probatur ergo omnibus illis locis fidei noſtræ, quibus Diuinarum perſonarum veritas aſſeritur, diſtinctio, & origo demonſtratur, & productio vera refertur, & numerus explicatur, & Deitas communicata oſtenditur. Quæ loca tum Scripturarum, tum Conciliorum forent certè plurima, ſi in medium afferre, à quoquam tentaretur; vt tot Patrum immenſa volumina taceam, & Theologorum concordem ſententiam. Secundo ex diffinitione perſonæ. Eſt enim ſubſtantia indiuidua rationalis naturæ: ergo formaliter ſignificat aliquid realiter ſubſiſtens. Tertio ex vtroque ſancto Doctore, vt alios prætercam. Perſona ad nobilitatem ſpectat, & dicit, quod nobiliſſimum eſt, & in tota natura perfectiſſimum. Quarto. Quod eſt potiſſimum argumentum. Secunda intentio non eſt niſi opus noſtri intellectus: ergo poſita hac opinione, perſonæ Diuinæ non ſubſiſtunt realiter diſtinctæ, niſi per mentis noſtræ figmenta: ergo Deus noſter trinus, eſt intellectus creati fœtus: quod quam erroneum, & monſtruoſum ſit, quis non videt? Conantur quidam inter quos Vaſquez diſput. 130. cap. 2. in art. 4. quæſt. 31. in bonam partem interpretari, & Durandum, huius opinionis exiſtimatum patronum.

Secunda concluſio. Perſona, vel perſonæ ratio non in negatione formaliter conſiſtit, ſed in aliqua reali poſitione; quod explicuit S. Bonauentura, dum de creata dixit, naturæ perſonam addere qualitatem abſolutam, & de Diuina originem, & diſtinctionem, & modum à natura ex Diuina ſimplicitate tantum ratione diſtinctum, & S. Thomas, vt ſupra, & latè refert Caiet. 3. par. quæſt. 4. art. 2. modo probatur primo, ex Ariſt. in prædicamento ſubſtantiæ, vbi primam ſubſtantiam eſſe propriè, & principaliter, & maximè ſubſtantiam docuit: & 5. Metaph. cap. de ſubſtantia, vbi ſubſtantiam in hypoſtaſim, & eſſentiam diſtinxit, ex quibus huiuſmodi conficitur argumentatio. Per Ariſt. prima ſubſtantia eſt maximè, & perfectiſſimè ſubſtantia: non enim eſt in alio, ſed in ſe ſubſiſtit perfectiſſimo, abſoluto, & optimo modo: Ergo perſona, quæ eſt in natura intellectuali prima ſubſtantia, hoc ſignificat, & hoc idem eſt: ſed hoc non eſt negatio, ſed maxima poſitio: Ergo. Secundo, & ſit explicatio, & confirmatio. Perſonalitas eſt conſtitutiua per ſe primo, & natura rationalis, & intellectualis per perſonalitatem conſtituitur in eſſe perfectiſſimo exiſtendi in ſe: ergo eſt quid non negatiuum, ſed poſitiuum. Tertio. Nomina perſonarum,

vt in

vt in Diuinis Pater Filius, & Spritus ſanctus, & nomina naturarum cum nominibus his indicantibus, vt hic homo hic Angelus, & cum his, vt ego, tu, ille apud aures omnium intelligentium & andientium, ſubſtantiæ conceptum non negationis. quarto Perſona præcisè ſub ratione perſonæ, vt in traditis diffinitionibus, eſt ad perfectionem, & nobilitatem pertinens: ergo poſitiuè: negatio namque, neque perfectionem, neque excellentiam vllo modo formaliter ſumpta ſignificat, vt hic neceſſario ſumenda: quæritur etenim perſonæ formalis ratio. Neque vllius momenti poteſt eſſe quædam ſolita proponi ſolutio, perfectionem nimirum, & dignitatem illam ad perſonam pertinere ratione naturę in qua eſt perſona: non enim ad naturam, vt ſic, ſed vt in perſona ſubſiſtit, ſpectat: nam ſi natura illa per ſe, & in ſe perfecta ratione non ſubſiſteret, hoc eſt perſonaliter, non diceretur perfectiſsima, neque digniſsima. Hinc quinto. Ratio perſonæ eſt non in alio, ſed in ſe, & per ſe ſubſtantiam rationalem ſubſiſtere: ergo perſonam eſſe eſt quid in re affirmatum non negatum. ſexto. In Diuinis, perſonę diſtinguũtur, & conſtituuntur in eſſe perſonæ, per reales proprietates relatiuas Paternitatis filiationis, & proceſſionis, & in humanis per proprietates abſolutas, & modos: ergo. ſeptimo. In Incarnationis myſterio; Verbum dum aſſumpſit naturam humanam in atomo, eam nec aſſumpſit, neque aſſumere potuit perſonatam: quia repugnat: tunc enim eadem natura numero, & in ſe, & in alio hoc eſt in verbo extitiſſet, & conſequenter non cum omni actualitate, & perſectione eam aſſumpſit, licet aliunde longè magis eam perfecerit, Diuinam ſcilicet ei perſonalitatem tribuendo, ſed impediuit ne propriam contraheret in ſe rationem, perſonæ: ergo ſi cum perſonalitate non erat aſſumptibilis, & ſi eam Deus impediuit, neceſſario perſonam eſſe, eſt aliquid verè à parte rei in natura rationali, alias ridiculæ eſſent Phraſes ſanctorum in hoc myſterio explicando. Denique octauo ex facillima omnium argumentationum contrariæ ſectæ ſolutiones, vt infra.

Neq. plurimi faciendæ cuiuſdã Scotiſtæ alioquin eruditi, ad modum, & per acuti obiectiones: quod enim ad primum ex Ariſt. non ſatis quid noui addat, ſcitur: concedit enim primam, & indiuiduam ſubſtantiam, conſtitui in eſſe indiuiduo completo per poſitionem, neq; tamen ſic perſonã creatam. At verò in communi ſententia, perſona ab indiuiduo communi non differt in ratione conſtitutiui; ſed tamen in ratione, et in nobilitate naturę: vnde ad dignitatem dicitur pertinere eo modo quo nuper declaratum eſt. Quod verò addit, ſubſtantiam ſingularem perſonari negatione communicabilitatis, hoc eſt totum quod negatur; & ſingularem ſubſtantiam communicari, & communicabilem eſſe exemplo Diuinæ eſſentiæ, quæ ſingulariſſima eſt, & tamen communicatur perſonis: tunc dico magna hunc virum inuoluere, quæ ſuo loco negabuntur, nunc ſufficiat, naturam ſingularem in ſe ſubſiſtentem perfecto, & vltimo modo, eſſe perſonam: quod ſi imperfectè, & incompletè ſumatur, neque hoc modo Ariſt. ſumpſit primam ſubſtantiam, neque ad rem noſtram facit, neque inde mirum, ſi alia imperfecta, & inconcinna ſequantur.

Ad ſecundũ, concedit de perſonis Diuinis, quod poſitiuis relationibus conſtituantur in eſſe perſonæ: negat autem de perſonis creatis: nam non ſunt vniuocè perſonæ cum diuinis. Verum ipſe ſatis ſuſo ſermone ſupra conatus eſt cum Scoto, Diuinas perſonas connotare quidem, & ſupponere eſſentiam, & relationes: formaliter tamen triplici negatione conſtitui, actuali, aptitudinali, & potentiali, vt nec actu communicẽtur, nec aptæ ſint, imò eis repugnet communicari; ita vt hic Doctor vtatur argumentis Scoti, etiam quando pro noſtra ſententia arguit, & eum faciat problematicum, imò de perſonis Diuinis cedat litem; ſed etiam de perſonis creatis eadem analogicè erit ratio; licet enim non conueniant in entitate, & in perfectione, vt ait S. Bonau. diſt. 25. art. 2. quæſt. 2. quid impedit, quin conueniant in ratione conſtituendi? cum præſertim, & in natura rationali vltimus gradus perfectionis ſit perſonalitas, & cum perſonæ nomen ab humanis Deo ſit tributum, vt ex his illas Diuinas perſonas, quoquomodo intelligamus, & perſona creata ſit quædam participatio increatæ perſonæ; debet ergo eſſe aliqua inter has perſonas proportio, quæ nulla inueniretur ſi oppoſita ratione conſtituerentur: imò licet arguere à conceſſis ad negatum tãquam à fortiori. Conſtituitur Diuina perſona per aliquid poſitiuum additum, non tamen diſtinctum, multo magis perſona creata per aliquid additum diſtinctum componens, conſtituetur &c.

Ad ſeptimum (Ad reliqua namque media non eſt operæ pretium detineri) id quod impediuit Verbũ in natura humana Chriſti fuit, ne ſubſiſteret in ſe per duplicem negationem exiſtendi in alio. Id quod ſuppleuit fuit, quod non propria, ſed Verbi ſubſiſtentia ſubſiſteret: & hoc eſt, quod ſanctorum Phraſes petunt, & explicare prætendunt. Reſpõdetur; hæc quidẽ Scoticè probabilia: ſed hæc non eſt, neq; vis argumenti, neq; hac ſolutione ſublata eſt; neq; pro dignitate Sanctorum dictis ſatis fit; neq; a ſutili nugacitate defenduntur: quid enim aſſumpſit Verbum Diuinum? ſi omne quod impeditũ, & adeo impeditum, vt repugnaret, ita aſſumere carnem humanam, ſi non fuiſſet impeditum, erat negatio quædam? dicere verò negationem non eſſe puram negationem, ſed in ſubiecto dicere puram poſitionem hoc eſt, aut tranſire in noſtram ſentẽtiam, aut ſanctos Patres non eſſe formaliter, & propriè locutos, ſed materialiter dumtaxat aſſerere: & vt efficacius vrgeam pro noſtra ſententia, adhuc probo, & primo & ſit octaua ratio; negatio communicabilitatis nõ poteſt competere per ſe ſuppoſito, ſed tantum ratione alicuius poſitiui contrarij in ipſo, & probo: nam primo negationem præcedit affirmatio, & propterea ſi negatur communicabilitas de ſuppoſito debet eſſe propter aliquid prius affirmatũ de eodem. ſecundo alias ſi non haberet quo communicari non poſſet, nunquam eſſet per ſe ſuppoſitũ completum; nõ enim haberet: quo ſubſiſteret: ſemper enim poſſet alteri communica-

Digitized by Google

ri perfecto modo in ſe ſubſiſtit, & negatio tantum explicat, & indicat perfectionem conſtitutæ ſubſiſtentię. Confirmatur, ſi ſola negatio eſſet perſonæ omnis ratio, nihil eſſet, & nihil poſſet impedire perſonæ aſſumptionem quod abſurdum eſt: ergo id quod impedit, eſt aliquid poſitiuũ: ergo illud eſt ratio perſonæ; eſt enim id, quo perſona non poteſt aſſumi.

Nono. Ex principijs ipſius Scoti, in 3. diſt. 1. quæſt. 4. docuit probabile eſſe perſonam creatam poſſe terminare ex Diuina efficientia, alienã naturã: quia non videtur poſſe adduci contradictio: ſed negatione nõ poteſt terminare naturã: ergo, et probatur: nam terminare eſt actus realis; ergo ſi perſona, vt perſona præciſè poteſt terminare, ratio perſonalitatis non erit negatio, ſed quid poſitiuum, Quod ſi ratione poſitiui, in ſuppoſito ipſum terminare reſpondeat: ergo aut non vt perſona terminat, aut perſonæ ratio in illo poſitiuo conſiſtit, quod nos prætendimus. confirmatur & ſit.

Decima Ratio. Humanitas Chriſti aſſumpta, quæro, an poſsit terminare aliam naturam: ſi non poteſt: ergo deeſt illi, illud poſitiuum, quod ſi haberet poſſet; ergo perſonalitas addit quid poſitiuum naturæ: ſi poteſt, quia ineſt illi quidquid illi eſt ens: ergo aut humanitas in verbo eſt ſubſiſtentia creata, quod eſt damnatum; aut vnio non ſit ad ſubſiſtentiam, quod eſt abſurdiſsimum. Probo autem, quod poſsit terminare ex opinione Scoti, vel potius huius Scotiſtæ: nam humana natura habet eſſe poſitiuum in verbo, quod habeat quæcumque perſona creata, & ita æquè perfecta in ratione ſubſtantiæ quam quæcumque alia perſona creata: quod enim obijci poſſet, non eſſe æquè perfectam, quia caret negatione illa, abſurdiſsimum eſt: facit enim negationem de ratione ſubſtantiæ: per poſitiuum, vt iam iam dicebam neceſſe eſt terminare naturam alienam: ſed ſi repugnat quod illud quod non perſona poſſet terminare vnionem perſonalem, ſequitur poſſe vnionem tamen inter naturas omnino actu completas, quod omnes negant.

Tertia Concluſio. Id poſitiuum quod addit perſona naturæ creatæ non eſt, neque indiuiduatio, & vt ſic dicam ſingularitas, neque accidens vllum, neque exſtentia ſimpliciter, neque vlla alia entitas diſtincta realis, realiter à natura. Hæc concluſio, vt intuenti peruium eſt ac conſpicuum, multas continet partes; ſingulæ probandæ ſunt, vt tandem ſic colligamus veram perſonæ rationem conſtituentem, Probo igitur concluſionis particulam primam; primo ex ſancto Bonauentura, in tertio Sententiarum, vbi humanitatem Chriſti à Verbo aſſumptam ex ſe fuiſſe indiuiduam, neque Verbum addidiſſe ei rationem indiuiduandi, & exiſtentiam, docuit, ſed ſubſiſtentiam ſingularem. ſecundo idem de eadem natura confirmatur ex D. Damaſceno, qui cum omnibus Theologis docuit naturam aſſumptam in *atomo*, ſcilicet in ſingulari: ergo hoc exemplo, efficaci ratione oſtenditur indiuiduum eſſe, non eſſe quid additum naturæ à perſonalitate. tertio ratione meo quidem animo, mirè comprobante. de ratione ſubſiſtentiæ eſt incommunicabilitas; de ratione naturæ indiuiduæ, & ſingularis non eſt incommunicabilitas. ſed eius oppoſitum: ergo ſubſiſtentia, non eſt indiuiduatio. denique in Diuinis eſſe ſingulare, non eſt eſſe ſuppoſitum, ſed ab ipſo differt ſaltem ratione, vt ſupra ſatis oſtenſum eſt: ergo multo magis in creatis ex earum imperfectione.

Probo ſecundam particulam, primo. ſuppoſitum vt ſic, eſt ſubſtantia completa, ac per ſe vna: ergo quod additur naturæ, vt fiat ſuppoſitum non eſt de genere accidentis; ſed ſubſtantiæ. Confirmatur Suppoſitum eſt complementum naturæ ſubſtantiale: ergo non eſt accidens. ſecundo eodem exemplo humanitatis Chriſti. Verbũ Diuinum aſſumpſit naturam humanam, omnibus proprietatibus, & accidentibus connaturalibus affectam, & perfectam, & tamen ſine vlla perſonalitate, & aſſumendo non ſuppleuit in ea ex aliquo accidenti, alias vnio illa accidentalis, non ſubſtantialis fuiſſet: ergo accidens non eſt, quod aditum naturæ eam conſtituat in eſſe ſuppoſiti, & perſonæ. Conſequentia eſt certa. antecedentis ſingulæ partes ſunt Orthodoxæ, & neceſſariæ; ergo qui docuerunt naturam, vt accidentibus affectam eſſe rationem ſubſiſtendi, non ſunt audiendi nullo modo.

Antequã probemus, vel vt rectius loquamur reprobemus particulam hanc tertiam concluſionis; referendum, quid in ea Doctores ſenſerint. fuerunt ergo, qui ſubſiſtentiam, nihil aliud eſſe, quam naturæ creatæ ſubſtantialem exiſtentiam. docuerunt, hoc ferè communi argumento. exiſtentia ſubſtantialis eſſentialiter eſt ſubſiſtentia: ergo illam ſolam poteſt addere ſuppoſitum, naturæ. Antecedens probatur. exiſtentia ſubſtantialis eſſentialiter per ſe, eſt exiſtentia: ſed in hoc ex communi ſententia ſolum conſiſtit omnis ratio ſubſiſtentiæ: ergo. Maior patet: nam ſicut ſubſtantia eſt per ſe ens, ita exiſtentia ſubſtantialis eſt per ſe exiſtentia; & in hoc ſolo, hæc exiſtentia ab accidentali differt.

Circa eam tamen exiſtentiam, duo inueniuntur modi opinandi. ſunt namque quidam. qui ſuppoſitum ſolam quidem exiſtentiam, addere naturæ autumant, illam tamen non includere intrinſecè, ſed tantum extrinſecè addere habitudinem ad illam ſicut potentia: d obiectum, & terminum; ita tribuitur Capreolo in 3. diſt. 5. quæſt. 3. art. 3. ad primum, contra Concluſionem ſecundam. alij verò exiſtentiam ſubſtantialem formaliter, & intrinſecè ſuppoſitum, & ſuppoſitum conſequenter nihil naturæ addere, quam exiſtentiam hanc aſſeruere: contra tamen vtroque modo ſumptam, & probo propoſitam concluſionis particulam, & primo contra primum modum: videtur enim primo loco manifeſtam inuolucre contradictionem, quod ſcilicet à parte rei ſuppoſitum differat à natura, & tamen nihil addat naturæ ipſi ſuppoſito intrinſecum, ſed tantũ extrinſecè connotatum, tanquam terminum: nam ſi exiſtentia non includitur in formali, & intrinſeca ratione conſtitutionis ſuppoſiti quæro, an ſit aliquid aliud, quod conſtituat idem ſuppoſitum, & non ſit de ratione naturæ, cui additur, & quæro, quid ſit illud, per quod formaliter ſuppoſitum, & conſtituitur & diſtinguitur à natura. ſi verò

verò nihil aliud aſſeratur de ratione ſuppoſiti, quod quoque non includatur in ratione naturæ, & verſa vice: ergo hæc duo ad inuicem non diſtinguentur re ipſa. Probatur, nam ſi ad inuicem nõ vt includens, & incluſum diſtinguuntur, nullo alio modo diſtinguentur, vt patebit infra. Quod amplius declaro, & probo. Si enim dicantur ad inuicem diſtingui extrinſecè, per habitudinem ad exiſtentiam verè extrinſecam, & v.g. auditus, & viſus differunt ratione obiecti diuerſi, vtrinſque potentiæ: ſcilicet ſoni, & coloris: ſed hoc nihil eſt; nam in intelligibile eſt, aliquid per extrinſeca diſtingui, quin primo ſupponatur per aliquid prius intrinſecum diſtinctum, quare vnum non ſit aliud, vt patet in propoſito exemplo de viſu, & auditu: ad inuicem enim intrinſecè vna potentia non eſt alia. Si admittas hanc intrinſecam eſſe differentiam, vt non naturæ, ſed ſuppoſito competat eſſe exiſtentiæ. tunc ego primo nego: competit enim eſſentiæ, & naturæ exiſtere, aut potentia, aut actu. Secundo. ergo tantum ratione ad inuicem, & attributione differrent, aut redit idem argumentum, eademq. petitio, quid ſit illud, quod intrinſecè ſuppoſitum ſit capax exiſtentiæ eo modo, quo non eſt capax natura, & eſſentia. Tertio exemplo humanitatis Chriſti. De fide, humanitas Chriſti caret propria perſona creata, neque alia ratione ex Capreolo, niſi quia caret propria exiſtentia creata, at verò ego ab eo quæro an aliquid aliud deſit illi ſacerrimæ humanitati; quod ſi haberet eſſet proximè capax propriè exiſtentiæ, cuius nunc quia non habet non eſt capax. Si verum eſt, quod ei aliquid deſit; ergo illud eſt intrinſecè conſtituens, & diſtinguens ſuppoſitum à natura. Si verò nihil præter exiſtentiam deeſt: ergo illa eſt, quæ intrinſecè conſtituit ſuppoſitum: ergo non eſt extrinſeca.

Contra ſecundum modum opinandi, primo ex Caiet. 3. par. quæſt. 4. art. 2. cum ſuis ſectatoribus ibi. Secundo. Exiſtentia non diſtinguitur ex natura rei, ab eſſentia actuali: ſubſiſtentia autem ex natura rei diſtinguitur ab eſſentia actuali: ergo non poteſt eſſe idem cum exiſtentia. Et probatur primo. Subſiſtentia per aliquam potentiam poteſt ſeparari ab exiſtentia, vt patet in Chriſti humanitate: exiſtentia autem non poteſt ab eſſentia actuali ſeparari: ſi enim in re exiſtente deſtruitur, & tollitur eſſentia, & ſeparatur ab exiſtentia: ergo deſtruitur in illa aliquod eſſe actuale, & extra cauſas, quod ante habebat: ergo deſtruitur aliquod eſſe exiſtentiæ: ergo non manet: ergo impoſsibile eſt exiſtentiam ab eſſentia ſeparari. Probatur prima conſequentia. Sicut omne fieri terminatur ad aliquod eſſe extra cauſam; ita omne non fieri ad non eſſe actuale: neque enim eſſentia in eſſe obiectiuo corrumpi, & deſinere eſſe poteſt. Secunda conſequentia patet ex illo principio. Omne eſſe actuale eſt exiſtentia. Tertia quoque ex alio principio. In vna re tantum eſt vnum eſſe exiſtentiæ. Secundo. Implicat eſſentiam conſeruari in eſſe extra cauſas ſine exiſtentia: nam ſi ita conſeruatur; ergo exiſtit, ſi autem exiſtit: ergo exiſtentiam habet. Ex quibus conſequitur ſi non poteſt vna ſine alia per quamcumque potentiam conſeruari: ergo ad inuicem idem ſunt, & adeò, vt nulla poſsit eſſentia, per alienam exiſtentiam conſeruari, vt patuit in Chriſti humanitate: ratio eſt eadem, quia ſunt idem.

Quod ſi ſanctus Bonauentura in 2. Sentent. diſt. 3. cum de ſimplicitate Angelorum diſſereret, dixit Angelos eſſe compoſitos verè ex eſſentia, & eſſe, ſcilicet exiſtentia: reſpondeo ſumpſiſſe tunc eſſentiam, vt abſtrahit ab actuali exiſtentia: tunc enim ab exiſtentia actuali diſtinguitur verè, ſicut quod non eſt ab eo, quod eſt, & ſicut potentiale ab eſſe actuale. Deinde voluit S. Doctor docere Angelos non eſſe purum actum ſicut Deus. Tertio, principali argumentatione ex proprijs effectibus quaſi formalibus cuiuſcumque exiſtentiæ, & ſubſiſtentiæ: nam proprium exiſtentiæ eſt conſtituere id, cuius eſt exiſtentia in ratione entis in actu: ſubſiſtentiæ verò in eſſe completo, & à quocumque ſubſtentante independente: & ſicut exiſtentia nullum actum ſupponit; ſed primum confert; vnde componere non poteſt, ita ſubſiſtentia ſupponit actum exiſtentiæ, eumq. ſupplet, & perficit, & quoquomodo componit, & ab eo ſaltem ex natura rei differt, & diſtinguitur. Quod totum veriſsimum quoque eſt in ſubſtantijs ſeparatis Angelis ſcilicet. Primo, ex ſupradictis in declarationem ſancti Thomæ. Secundo, ex apertiſsimo loco ſancti Bonauenturæ de Angelis. Tertio, ratione ex communi Theologorum ſententia, Angelicam naturam nimirum fuiſſe aſſumptibilem à Verbo: ergo eius perſonalitas ab ea diſtincta, & ſeparabilis, ſuppoſito, quod negari non poteſt, perſonam vllam creatam non fuiſſe à Verbo ad vnionem naturæ aſſumptibilē. Ergo tandem ſuppoſitū, & ſubſiſtētia naturæ non addit exiſtentiam præciſè, de qua hic ſermo eſt, neque per eam trahitur ad ſuppoſitum. His dictis, & argumentis patet ſolutio ad argumentum primo loco factum pro identitate exiſtentiæ, & ſubſiſtentiæ. Modo quartam concluſionis partem ſuſcipio probare.

Fuit præcipuè Caietanus, qui docuit ſubſiſtentiam addere naturæ entitatem abſolutam realiter à natura diſtinctam, & hanc prius natura ſupponi in natura, quam exiſtentia; itaut ſint tres realitates abſolutæ, natura, exiſtentia, & ſubſiſtentia: hanc ſicut ſuppoſitum ſuſtinet, quemadmodum, & alias ſuppoſiti proprietates, vt filiationem, actionem, &c. neque tamen componit cum natura, quia non eſt, neque forma, neque accidens, ſed purus terminus à quo quodammodo natura dependet, licet non in genere cauſæ, & quod magis videtur faceſſere negotium, ipſe conatur probare hanc eſſe ſancti Thomæ 1. par. q. 17. art. 2. & 1. germanam ſententiam. videtur S. Bonauentura eandem docuiſſe ſententiam quæſt. ſupra adducto diſt. 34. dum creatam perſonam eſſe compoſitam ſecundum rem, & conſtitui per qualitatem, & proprietatem abſolutam: quid enim remanet niſi, vt dicat per entitatem abſolutam? licet ergo fateatur compoſitionem contra præſentem Caietani ſentētiam clariſsimè tamen quoque entitatem illam abſolutam conſtituere perſonam, videtur fateri: arguo

tamen

tamen contra hanc particulam, & primo, difficillimè oſtendent Patroni huius ſententiæ, quid ſit hæc realis entitas addita naturæ, quæ tamen non componat: eſſe enim omnino ſimplex ſuppoſitum, eſt Diuini non creati ſuppoſiti proprietas. Secundo diſtinctas realitates ſimul iunctas non componere videtur inintelligibile: hæc enim ferè eſt compoſitionis diffinitio, vt ipſemet Caietanus toties contra Scotum faſſus eſt de realitatibus etiam tantum formalibus. Tertio exiſtentia, vt terminus eſſentiæ in ea verè componit: ergo, & ſubſiſtentia, cum, exiſtentia, vel natura. Antecedens eſt ipſorum conſequentiæ eſt eadem ratio. Quarto. In Incarnatione, & humanitate, & Verbo, ſit vera, & mirabilis compoſitio, vt grauiſſimi teſtantur Patres: ergo, & multo magis in ſuppoſito creato. Quinto. Multiplicare entia ſine neceſſitate ſemper omnibus viſa res eſt inutilis, & contra naturæ inſtitutum: hic, vt omnes ipſo ferè ſolo Caietano excepto, Doctores fatentur, nullam huius multiplicationis adeſſe rationem, ne dum neceſſitatem, vt infra ſequenti concluſione patebit: ergo. Neque vllius momenti eſt adducta ratio myſterij Incarnationis: ad hoc enim, vt humanitas poſſit perſonalitate carere, non ideo multiplicanda illa entitas diſtincta realiter, ſed ſufficit diſtinctio modalis, & ex natura rei: poteſt enim ſine ſuo modo proprio per Diuinam potentiam conſeruari, & conſequenter præconcipi ad eſſe ſubſiſtentię: & ſi prius natura eſſet ſubſiſtentia, quam exiſtentia, non repugnaret dari eſſentiam ſubſiſtentem, ſine exiſtentia. Secundo, Verbum aſſumpſiſſet naturam humanam antequam exiſteret, & dum ſubſiſteret, quod vtrumque intolerabile eſt. Neque ſecundò, quod adducebatur, quicquam probat, ſuppoſitum, ſcilicet eſt id, quod eſt; ergo ſubiectum exiſtentiæ: negatur enim ideo dici id quod eſt, ſed vt conſtitutiuum per exiſtentiam perfectam, & vt habens eſſe determinatum, quod poſtea reliquarum actionum, & proprietatum perſonalium, &c. ſit ſubiectum. Neque tertio vllum ei refugium præſtat ad arcendam compoſitionem, illa diſtinctio de compoſitione cum his, & non ex his: nam ſicut verè conſtat ſuppoſitum, ex quo eſt, & quod eſt, ita componitur ex ijs: quemadmodum Chriſtus iuxta modum dicendi Conciliorum, & Patrum ſicuti conſtat ex natura humana, & perſona Diuina, ita dicitur compoſitus ex his. Neque vllam rationem, aut affert, aut afferre poteſt Caietanus in contrarium: & componi ex actu, & potentia, eſt compoſitio ex his, vt præcipuè ſanctus Bonauentura dicto loco 2. Sententiarum, diſt. 3. Sexto, ſi exiſtentia, & ſubſiſtentia, ita ſe habent ad inuicem, & differunt realiter, & abſolutè, & iſta natura ſua, illam præcedit; tunc, ego exemplo Incarnationis, ſic arguo: ergo humanitas Chriſti duplici vnione vnita eſt Deo; altera exiſtentiæ: quod ſi exiſtentiæ Diuinæ cum idem ſit formaliter, quod eſſentia: ergo, & eſſentiæ, ergo facta eſt vnio naturarum, quod tamen falſiſſimum eſt: altera verò perſonæ: quod ſi duæ realiter diſtinctæ: ergo per Diuinam potentiam vna ab altera poterit ſeparari, & vna ſine altera exiſtere: ergo humanitas Chriſti propria perſonalitate perſonata poterit exiſtere exiſtentia Diuina: quod vt minus dicam eſt nouum, inauditum, & ſine vlla neceſſitate aſſertum.

Neque hæc erat illorum verborum ſancti Thomæ ſententia vnde ſuam Caietanus excepit opinionem. patet: nam illa verba: eſſe conſequitur perſonam ſicuti habentem eſſe, hanc congruam admittunt gloſſam, non quod eſſe ſit ad perſonam poſterius, ſed quod conueniat ei perſonæ, ita vt conſequi, non dicat conſecutionem effectus à cauſa, ſed illationem, & conſequentiam v. g. verè eſſe & perfectè competit perſonæ quia ſubſiſtit.

Neque S. Bonauentura Caietani dictis aſſenſit, neque in illius ſententiam inceſſit, & nihil certius: nam illo loco primo, dum additam abſolutam qualitatem naturæ teſtatur in creaturis conſtituere perſonam, & ſuppoſitum, obſeruandum peratentè propoſitum ſancti Doctoris: tunc enim Diuinarum perſonarum proſequebatur ſimplicitatem, & realem tamen inter ipſas, diſtinctionem hac potiſsimè ratione, quia origine, & relatione, ſola, conſtituebantur, & diſtinguebantur: in oppoſitum verò quaſi per accidens addidit perſonam creatam conſtitui abſolutis: quod ingenue fatemur, & veriſsimum eſt: quid tamen illud ſit, vt ſcilicet entitas abſoluta, non dixit: abſoluta quidem dixit hoc eſt non relatiua, quemadmodum in Diuina perſona; non tamen abſoluta, vt profitetur Caietanus, quæ non ſit, nec ſubſtantia, nec accidens, & realiter differat: imò dum eam nominauit qualitatem, aut accidentalem, aut ſubſtantialem neceſſario eſſe, fatendum eſt; quod ſi dixerit, & differre, & componere ſecundum rem: vetuſcorum more, non adeò ſtrictè (ſecundum rem) ſumpſit, vt voluerit realem diſtinctionem indicare; ſed ſecundum rem in ea latitudine, vt excluderet diſtingui, ſola rationis diſtinctione. Illud ergo additum abſolutum eſt non relatiuum; quid verò ſit infra erit notum, & certum.

Quarta concluſio conſectaria. Illud quo Diuinę perſonæ conſtituuntur, diſtinguuntur, & multiplicantur, eſt hic modus relatiuè ſubſiſtendi perfectiſsimè Diuinæ eſſentiæ, in tribus diſtinctis, & relatiuè oppoſitis modis ſe habendi incommunicabiliter, differens, & ab eſſentia, & à perſona, quam conſtituit, tantum ratione ratiocinata. Probatur prima pars, tum ex ſupra reiectis alijs opinionibus: ſi enim neque per negationem, neque aut per accidens, aut exiſtentiam ſolam, aut per aliam entitatē conſtituitur perſona, certè per proprium modum ſic exiſtendi perfectè, qui eſt relatio ſubſiſtens, tum auctoritate D. Bonauenturæ, relata diſt. 34. vbi Diuinas relationes vocat modos: tum ex Scoto, dum noſtram hanc ſententiam probabilem confitetur, & docet abſolutè perſonam conſtitui per rationem, & modum ſubſiſtendi, & referente Franciſco Aretino in ſua Summa morali, & ſpeculatiua in tertium Sententiarum Scoti diſt. 1. q. 1. art. 12. ex Scoto. Perſona Diuina, & humana, vniuocè conueniunt in multis, licet non in omnibus: tum ex Durando quoque in 1. diſt. 35. vbi dicit, & ſtatuit differentiam inter eſſentiam, & perſonas eſſe modi, & rei: & quod magis eſt ex D. Damaſce-

maſceno primo de fide c.9. bis verbis *quo ſit, vt omnia, quæ Pater habet Filij ſint, hoc vno excepto quod ingenitus non ſit: quæ quidem vox, nec naturæ diſcrimen, nec dignitatem, atque auctoritatem, ſed exiſtentiæ modum dicit*, & cap.11. *in ſolis autem proprietatibus &c. perſonæ perfectionem, hoc eſt exiſtendi modum diſcrimen animaduertimus*; & cap.13. *quæ quidem ſcilicet proprietates, non huiuſmodi ſunt, vt naturam declarent, ſed mutuarum perſonarum inter ſe affectionem, & exiſtendi modum*, & ante ipſum fuit D. Iuſtini in expoſitione fidei de Trinitate, ferè in principio, vbi dicit *ſubſiſtentias, & eſſendi modos*. & quæſt.129. ad Orthodoxos, *modos eſſentiæ* appellat, quod idem D. Baſilius lib.5. contra Eunominm D. Nyſſenus lib. ad Ablabrium. D. Nazianzenus, orat.29. D. Cyrillus Dialog. de Trinit. lib.2. & lib.7. his verbis. *Nomina Patris, & Filij, & Spiritus ſancti bene ſignificare quis modus exiſtentiæ ſingulorum nominatorũ*, & lib.11. Theſauri cap. vnico, & Theodoretus in Epitome diuinorum Decretorum lib.5. cap.3 & alij permulti, quos alio loco citauimus. Confirmatur etiam rationibus. primo ex terminis exiſtere, ſolum dicit habere entitatem extra cauſas in rerum natura, & eſt de ſe indifferens ad modum exiſtendi, vel per ſe, & independenter & perfectè, vel oppoſito modo, in alio, imperfectè dependenter & cum dici in ratione exiſtentiæ, præciſè ſumitur, eſt indeterminata rea ad exiſtendum, vel per ſe, vel in alio; & vel ſumatur vt ſic nullo modo determinata, vel in alio, vt exiſtat, erit ſemper imperfecta, donec ad per ſe exiſtendum, vt ita loquar modificetur, & terminetur: ergo per ſe exiſtere, & ſubſiſtere modus, & complens, & perficiens, & determinans naturam exiſtentem indiuiduam, & ſingularem, ita perfectè conſtituens, vt nulla ei ratione competere poſsit ab alio pendere, & communicari, & amplius perfici. Qui poſtremus, & ſi adeo perfectus modus ſolummodo deerat humanitati Chriſti à Verbo aſſumptæ, ita vt ideo aſumptibilis, & aſſumpta, quia prius natura exiſtens per Deum creantem, carebat tamen propria perſonalitate, & hoc modo in ſe exiſtendi. Hanc ſententiam etiam inter Thomiſtas amplexati ſunt Dominicus Soto, Logica quæſt. 3. vniuerſalium & cap. de ſubſtantia cap. 1. & 1. Phyſicorum quæſt. 2. & Dominicus Bannes 1. parte quæſt. 3. art. 3. ſic D. Thomam interpræcantes, neque vllius momenti ſunt quæ conatur obijcere Nazarius 1. parte quęſt. 50. art. 2. contr. 3. vtintuenti patet.

Quinta Concluſio. Eadem ratione, & proportione id quo ſuppoſitum, & perſona creata conſtituitur in eſſe perſonæ formaliter, & per ſe, & additur naturæ, vt completè dicatur per ſe eſſe perſonam, & ſubſiſtere, eſt iſte modus ſubſiſtendi naturæ, prius natura actu exiſtentis: qui actu, & componit, & diſtinguitur à natura, cuius eſt modus, ex natura rei, & poteſt dici latè reali hoc eſt actuali diſtinctione. Duabus partibus ſicut, & ſuperior conſtat, hæc concluſio, cuius prima pars eadem vi iiſdemque rationibus perſuadetur, & probatur quibus, & in ſuperiori concluſione ex refutatis ſcilicet cæteris opinionibus ex declaratione, huius &c. ſecunda verò pars probatur. primo ex modo dicendi à D. Bonauentura aſſerto hoc loco diſtin.34. & in ſecundo diſt.3. cum de ſimplicitate naturæ Angelicæ. ſecundo ex omnibus locis quibus S. Thomas dicit ſuppoſitum à natura in creaturis diſtingui realiter, addita tamen limitatione realiter, ideſt actu non ſicut res, ſed ſicut modus à re. tertio ex his, quæ ſupra contra Caietanum, & Durandum. quarto quia maximè in myſterio Incarnationis hæc diſtinctio ſufficit, propter quod myſterium ferè inducta videtur: quare nulla maior addenda, & probatur primo quia ſatis eſt, vt hoc ſolo modo ſubſiſtendi humanitas Chriſti priuaretur, & oppoſito modo afficeretur. ſecundo, quia hac ſola data diſtinctione, multæ aliæ huius myſterij difficultates, facili negotio ſoluuntur, vt recte differit, & in praxi ſoluit Suarez diſputatione 34. in methaphyſicis, ſectione quinta ferè in fine. quinto, quia ſicut actualis inhærentia accidentis eſt ab eius exiſtentia diſtincta non ſicut res, ſed ſicut modus, actuale ſubſiſtere ſubſtantiæ ab eius actu exiſtendi naturæ. ſexto quia hac retenta opinione, & diſtinctione facilior euadit, & ſolutio, & argumentatio, quid ſit, hæc ſubſiſtentia: facilis enim ſolutio erit ſi dicatur eſſe ſubſtantiam tranſcendenter ſumptam à qua exiſtens ſubſtantia hunc ſubſtantialem modum ſubſiſtendi accipit contra accidens, veluti à quo hunc modum nulla ratione accipere poteſt. ſecundo. cur non illa diuiſione ſubſtantiæ comprehendatur non eſſe, neque materiam, neque formam, neque compoſitum: reſpondetur enim clariſſimè, quia eſt modus. tertio ſi ad modum cauſæ, & cuius generis cauſæ conſtituit exiſtentem naturam, perſona: ad rationem enim quaſi cauſæ formalis reduci poſſe erit prompta reſponſio; eo quia ita afficit naturam, vt ei tribuat eſſe ſubſiſtens: neque tamen vſque adeo propriè, quia Verbum pro ea non potuiſſet ſupplere cum formæ vicem gerere non poſſit Deus, alias componeretur phyſicè. Quo verò modo diſtinguit, eodem componit, ſicut ſcilicet modus, & res. Quare hic nihil amplius addendum &c.

CAPVT VLT.

Quo argumentorum ſolutio continentur.

RELIQVVM eſt ergo, vt opoſita argumenta diluamus, quod operis difficilis non erit, omnibus ſuperius, & contra reliquas opiniones deductis, & vniuerſim memoratis. Ad quatuor illas Scoti argumentationes quas Scotiſtæ tanti faciunt, & multo plures quam ipſe Scotus: cum enim & oppoſitam ſententiam multum probabilem aſſeruerit, his potius aduerſariorum ingenia exercere, quam aliquid augmenti argumento concludere, voluiſſe videtur admodum conſentaneum. Ad quas, ſufficerent certo, quæ iam reſponderunt, tum Caietanus, tum permulti alij, nam quæ illis reſponſionibus alibi obiecerunt non ſunt

tanti

tanti ponderis, vt eas labefacere, aut enervare potuerint: eas tamen breuibus repetemus, vt facilius, quæ opponuntur, diſſoluamus.

Ad primum igitur. negatur minor, ad primam confirmationem cuiuſcumque ſit, reſpondetur, eſſe ibi certum ſermonem de entitate naturæ; non perſonæ: quia aliunde repugnat, perſonā à perſona aſſumi: quare ad ſecundam confirmationem, hoc idem quod vltimo verbo tactum eſt, ſufficit, non eſſe mirum, & inconueniens quod, per quācumque virtutem non poſsit aſſumi, quod repugnat aſſumi: neque hoc eſſe terminare Diuinā virtutem, cuius terminus eſt omne factibile poſſe facere; facere autem repugnantia, & contradictoria, eſt nihil facere, & à non ente ad non ens tranſire, & perſonam, cuius eſt in ſe exiſtere, aſſumere eſt perſonam non in ſe, ſed in alio exiſtere, & exiſtere & non exiſtere, eſt nihil.

Inſtat Faber contra primam reſponſionem, falſum eſſe, quod aſſumpſerit Verbum tantum eſſentialia naturæ, & probat, quia tunc non aſſumpſiſſet differentiam indiuidualem, & naturam ſingularem, quod falſiſsimum eſt, & probatur conſequentia quia de ratione naturæ communis non eſt indiuiduatio. Reſpondetur & negatur aſſumptum, ad probationem iterum negatur aſſumptum: nam quando aſſeritur, aſſumpſiſſe eſſentialia naturæ, intelligitur huius naturæ indiuiduæ, de cuius ratione eſt indiuiduatio.

Inſtat idem contra ſecundam ſolutionem. Nulla entitas creata eſt, quæ non poſsit aſſumi à Verbo: ergo, & illa perſonalis addita naturæ, non enim implicat: nam implicatio ſi eſſet, vtique eſſet, quia illa perſona eſſet diuina, & humana, vna & plures: ſed hoc non implicat, neque ſequitur, quia tunc vna perſona duas haberet perſonalitates &c. Reſpondetur. Negatur aſſumptum, Ad probationem, iterum aſſumptum negatur. Ad rationem reſpondetur, hanc non eſſe implicationem, ſed quam nos ſupra aſsignauimus, hanc ſcilicet perſonam non eſſe aſſumptibilem, quia eius rationi formali in ſe exiſtendi, repugnat, quidquid alij fortaſſe negauerint. ſecundo reſpondetur; rationem perſonæ non eſſe entitatem quam tertio quoque verbo arguens ſupponit, ſed intrinſecum modum entis. Quare quas poſtea multiplicat inſtantias, hac vltima reſponſione omnes ruunt; & ad ſanandum naturam humanam vitiatam in Adam ſuffecit aſſumpſiſſe naturam, & hoc modo neceſſario interpretandus eſt D. Damaſcenus.

Ad ſecundam rationem Scoti, conceditur ſequela maioris, & negatur minor: nam ſufficit, vt ſit homo, & perfectus, quod habeat naturam humanam aſſumptam. neque mirum, quod in Incarnatione careat ea ratione perſonæ, quæ ad myſterium aſſumptionis repugnat, neque de ratione naturæ ſingularis eſt, & eidem naturæ humanæ carere ratione perſonæ propriæ, vt nobiliorem perſonalitatis Diuinæ rationem acquirat, valde vtile, & perhoneſtum eſt.

Inſtat Fabrus, Scoti rationem eſſe efficaciſſimā; & probat: de fide eſt, quod Chriſtus eſt perfectus homo, ſed ſi deeſt illa entitas poſitiua, non eſt perfectus: ergo. Reſpondetur, nihil deeſſe humanitati Chriſti, niſi id, quod ſi adeſſet, repugnaret, & deſtrueret myſterium Incarnationis; & induceret errorem Neſtorij: & illud, quod deeſt, non eſt de ratione naturæ indiuiduæ; alias ab ipſa non potuiſſet ſeiungi: & Chriſtum eſſe vniuoce hominem quo ad naturam, non quo ad perſonam, & hoc non eſſe entitatem vllam, ſed modum ſubſtantialem naturæ creatæ.

Ad tertium ſicut, & ad ſecundum reſpondetur, & partim conceditur ſequela maioris, et negatur minor, hoc ſcilicet eſſe inconueniens: conceditur enim, ſi dimitteretur à verbo natura humana, oporteret ei addere illum modum per ſe exiſtendi aliquo modo, vel per creationem, vel per influentiam ex intrinſeca ratione naturæ ſubſtantialis, vt in ſuum modum exiſtendi proprium, remoto impedimento flueret, ex Sancto Thoma 3. parte quæſt. 2. art. 5. ad primum, et quæſt. 16. art. 12. in corpore, et ad primum, vt eius diſcipuli communiter interpretantur, et indicat Genebrardus lib. 2. de Trinitate, folio 93. et 94. et ratio eſt, quia ex parte naturæ ſunt omnia ſufficientia principia, vt ex his reſultet ſubſiſtentia actiue; quare non eſt deneganda hæc vis. et probatur: nam eſſentia, quæ eſt nobilior quam ſubſiſtentia, per exiſtentiam conſtituitur in ſtatu, quo poſsit eſſe principium intrinſecum ſubſiſtentiæ ſaltē per reſultantiam naturalem, ſuppoſito 1. quod apud nos eſt certum, eſſentiam exiſtentem præcedere, ordine naturæ, ſubſiſtentiam, et quod nobilius eſt, poteſt, et debet virtute continere ſuum proprium ſubſiſtendi modum; quo circa natura humana illa ſtatim, vt non exiſteret in Verbo, flueret in ſe ipſa: ad Confirmationem iam ſatis ſupra factum eſt; et ad ſequentes, quas multiplicat inſtantias Fabrus: vbique enim ſupponit, quod negatum eſt, perſonalitatem eſſe entitatem realem abſolutam diſtinctam.

Ad quartum. negatur conſequentia maioris. Ad probationem, negatur omne, quod aſſumitur, et ſupponitur ab aduerſario, etiam in natura rationali aliam eſſe rationem indiuidui per ſe, exiſtentis, aliam perſonæ: omnino enim falſum eſt tum ex Boetio definiente, perſonam eſſe indiuiduam ſubſtantiam; tum ex S. Bonauentura, loco ſupra citato, indiuiduum ſcilicet ſubſtantiæ ſine modo per ſe exiſtendi nō eſſe perfectè indiuiduum, vt definiuit Ariſt. licet enim ſit in ſe indiuiſum, non eſt tamen ab alijs ſufficienter diuiſum. Quare humanitas Chriſti præciſè ſumpta; quia ſecunda ratione indiuidui carebat, neque ab alijs erat diuiſa; quia perſonæ Diuinæ erat vnita, vnde liquido conſequitur, ſubſtantiam per ſe exiſtentem in natura rationali eſſe perſonam, formaliter. Tertio ex S. Bonauentura, et Sancto Thoma, et communiter in declaratione definitionis Boetij, perſona eſt ſubſtantia indiuidua, declararunt, eſſe primam ſubſtantiam; vnde in creatis, ſingulare, prima ſubſtantia, perſona, & ſuppoſitum, conuertuntur.

Ad alias rationes additas, et ad primam, negatur conſequentia: nam ratio perſonalitatis non eſt de ratione naturæ, vt aſſumpta ſit natura perfecta ſine perſonalitate: Ad confirmationem, auctoritatemque

temq. D. Dionyſij, id quod ſupra reſponſum eſt, ſatis eſt: integrè namque humanatum eſt verbum, integram naturam humanam aſſumpſit: certum eſt autem non aſſumpſiſſe hominem.

Ad ſecundam, ex diffinitione Riccardi, reſpondeo, & nego conſequentiam: licet enim non dicat aliam entitatem diſtinctam: neque tamen dicit puram negationem, ſed quid medium poſitiuum, hoc eſt modum intrinſecum per ſe, & in ſe exiſtendi. Secundo, negatio illa, qua vſus eſt Riccardus ad explicandam quidditatem perſonæ, non ideo vſus eſt quaſi ſit intrinſeca perſonæ ratio, ſed licet extrinſeca, qua tamen, & ingenuè, & melius, & facilius perſonalitas exprimeretur. Propterea additæ obiectiones euaneſcunt: neque enim ſequitur eſſe duas exiſtentias, &c. ſed vnam tantum, completam, & per rationem perſonalem perſectam, ad in ſe exiſtendi modum, redactam.

Ad tertiam, & ad exempla Sanctorum Patrum in explicando ſacerrimo Incarnationis myſterio: primo, optima reſponſio, quam ipſe ſibi obijcit aduerſarius noſter, exempla dicere ſimilitudinem, non identitatem, neque neceſſe eſſe in omnibus dicere ſimilitudinem, ſed in his, ad quæ potiſsimè aſſumuntur. Secundo, ferrum, &c. dum vnitur igni, vel ignis ferro, amittit id, quo prins competebat duplex illa negatio, & poſtea non competit: inintelligibile enim eſt, quod entitati alicui, vllo abſque fundamento modo cõpetat, modo nõ competat negatio dependentiæ, &c. Tertio, vt iam millies repetitum, in humanitate Chriſti, nulla entitas ablata eſt, ſed impeditum, ne ſuum ſubſtantialem modum in ſe exiſtendi contraheret: & conſequenter in omnibus à ſanctis Patribus aſſomptis exemplis, nulla entitas diminuta: ne nunc præter neceſsitatē incipiamus verſare difficultates phyſicas, quæ circa hæc exempla excitari poſſunt, pręcipuè de vnione ignis ad ferrum, quæ nam ſit: ſed ſicut eam adamuſſim omnino non curarunt ſancti Patres, ita nos, neque in præſentiarum curemus: ſed vnico verbo omnia hæc argumenta contra Caietanum, aſſerentem, illam perſonalitatis entitatem poſitiuam, neque contra nos allata ſunt, vt neque reſpondere teneamur.

Quæ verò ex Caietano opponit Nazzarius q. 30. 1. par. art. 2. vltimo notando ſuæ diſputationis de ratione perſonæ contra hanc diſtinctionem modi, & rei, & quod ſubſiſtentia ſit modus vltimus perficiens exiſtentiam, nullius ſunt momenti, & ex dictis conſtat: ſupponit enim, quod vbique rationibus ad id valde perſuadentibus negatum eſt, exiſtentiam eſſe vltimam actualitatem, & ad ipſam ſupponi ſubſiſtentiam ex ſancto Thoma: nos enim ſubſiſtentiam terminare, & complere, & perficere quaſi formaliter, & efficienter exiſtentiam, congrue in hunc modum S. Thomam interpretati ſumus.

Dubitatio de anima rationali.

An ſuo modo in corpore perfectè ſubſiſtat.

QVoniam S. Doctor inter dicendum negauit animam eſſe perſonam, ac perfectè ſubſiſtere, neque tamen ea imperfecta ſubſiſtentia quando animæ competat, an ſcilicet, non ſolum extra corpus, ſed etiam in corpore, explicauit, & nos ſupra id ei extra corpus congruere docuimus, reliquum eſt, vt etiam idem dum corpori vnita eſt enucleemus. Caietanus ergo 1. par. quæſt. 76. art. 1. ad. 5. & quæſt. 90. art. 2. Ferrarienſis 1. contra Gentes, cap. 68. quibus videtur fauere S. Thomas 1. Sententiarum diſt. 8. art. 2. quæſt. 5. Reſpondent animam in corpore verè ſubſiſtere: nam licet ſit in corpore, neque tamen ab illo ſuſtentatur, aut pendet: alij oppoſito modo, inter quos ipſe Caietanus 3. par. q. 6 art. 3. non ſubſiſtere, probare conãtur: nam ſubſiſtere negationem exiſtendi in alio includit. Alij media via incedentes, ſicut Fonſeca lib. 5. cap. 8. quæſt. 5. ſect. 4. cum eorum ſententia ſubſiſtere vtroque modo accipi poſsit, vel vt includit tantum negationem exiſtendi in alio ſuſtentante, & ab eo cum dependentia: vel vt includit etiam quocumque modo, & negationem exiſtendi tanquam partem in toto: reſpondit, priori modo vnitam corpori ſubſiſtere, poſteriori verò modo nequaquam: ſed hæc Scoticam doctrinam redolent, quam ſupra impugnauimus, negationem nimirum conſtituere ſubſiſtentiam, non per modum poſitiuum conſtitui ſuppoſitum, ad quem ſequitur repugnantia modi oppoſiti: ſi enim per exiſtentiam in ſe ſit ſuppoſitum, ſequitur repugnare ei in alio exiſtere. Harum opinionum, quæ ſit probabilior, licet vrgentes rationes, quibus perſuaderi poſſet, non adſint: mea tamen ſententia, qui animã ſuo modo etiã dum informat corpus ſubſiſtere aſſerunt, rationabilius aſſerere videtur. primo quia informare corpus non eſt ab ipſo pendere, vt ſimpliciter opponatur ei ſubſiſtendi ratio: nam ab eo, quod corpus informet ab eo non terminetur, nec contrahitur ad ſubſiſtendum, nec accipit ſubſiſtentiam, ſed eam potius videtur ei ſua vnione, & animatione conferre ſaltem ſecundum partem. Secundo, anima prius natura, quam informet corpus, ſupponitur à Deo creata ſubſiſtens; nam creatio, inquiunt Thomiſtæ, eſt ſubſiſtentium: ſed eodem inſtanti, quo creatur, vnitur corpori: ergo ſubſiſtentiam, quam creatione accipit, informando non amittit, aliàs eodem inſtanti, & ſubſiſteret, & non ſubſiſteret. Quod ſi primo inſtanti vnionis ſubſiſtit: ergo & in reliquis inſtantibus ſubſequentibus: nam eadem eſt vnio, & ratio. Confirmatur: ſtatim enim, vt derelinquit corpus, ſubſiſtit: ergo, & quando erat in corpore. Antecedens eſt certum, & ſupra ſuo loco firmatum eſt, ea ratione, vt ibi. Conſequentia probatur; nam dum deſinit informare, nulla alia circa animam, aut fit, aut rationabiliter fieri poteſt mutatio, quam ab

infor-

Digitized by Google

informatione ceſſare: ergo ſi prius ſubſiſtebat, & poſterius ſubſiſtit. Neque opponi poteſt in ſeparatione animæ fluere ſubſiſtentiam, ſicur in humanitate Chriſti ſi à Verbo derelinquererur: nam non eſt eadem rario: in vnione enim humaniras carebat propria ſubſiſtentia perſonali, quia ad aliam perſonam rerminabatur: hic autem anima in corpore, non ita rerminatur ad corpus: imò vt nuperrimè dicebatur, magis ipſa terminat ſuo modo corpus. Poſſet confirmari exemplo animæ Chriſti, quę dum informabat corpus, ſubſiſtebat, licet Verbi ſubſiſtentia ſimul: quare perſpicuè colligitur, informationi non repugnare ſubſiſtere.

ARTICVLVS II.

Quid ſignificet perſona comparata ad eſſentiam. D. Bonau. diſt. 23. q. 3. D. Thom. q. 29. art. 2.

PARAPHRASIS.

PRIMA Propoſitio. Valde congrue vtroque idiomate, Latino ſcilicet, & Graeco, & quatuor nomina in Deo admittuntur, & verè, ac propriè ſignificant. Declaratur: quod enim græcè vſia, latinè eſſentia. Quod græcè vſioſis, latinè ſubſtantia. Quod græcè hypoſtaſis, latinè ſubſiſtentia; Quod denique græcè Proſopon, latinè dicitur perſona. Probatur. Et primo, de nomine eſſentia, & vſia. Quod præcipuè à ſancto Doctore hac quæſt. quæritur. Primo ex D. Auguſtino lib. 7. de Trinit. cap. 3. in fine, vt in textu. Secundo hoc nomen ſibi Deus impoſuit: ergo rectiſsimè, & ſapientiſsimè ipſi conuenit. Antecedens patet, Exodi 3. Qui eſt miſit me, &c. *ſed cui competit, qui eſt, competit, & eſſentia ſimpliciter. Conſequentia probatur. Deus, ſicut ſe optimè nouit, ita optimo nomine ſe nominauit. Tertio, nomen eſſentia eſt abſolutiſſimum: ergo maximè Deo congruit. Antecedens eſt Auicennæ, dicentis, eſſentiam abſolutè rei quidditatem ſignificare. Conſequentia eſt certa: Quid enim æquè abſolutum, & à ſe, & independens, ſicut Deus?*

Secundo probatur de reliquis tribus nominibus; ſimul cum nomine eſſentiæ duobus ſuppoſitis, quæ ſcilicet de Deo docet fides, eſſe ſcilicet vnum, & trinum, & ſuppoſito in omni ente exiſtente neceſſario inueniendum, quo eſt, & quod eſt. Tunc ſic arguitur. Deus eſt vnus: ergo erit ibi, id quo eſt, & id quod eſt neceſſario intelligendum, & explicandum: ſed id, quo, per nomen eſſentia, & vſia, & id quod eſt, per nomen ſubſtantia, & vſioſis optimè explicatur: ergo hæc duo nomina de Deo maximè propriè dicuntur. Deus eſt trinus: ergo id, quo trinus, & id, quod trinus, vel magis propriè, is, qui trinus, & diſtinctus, & quo diſtinctus: ſed per ſubſiſtentia, & hypoſtaſis nomen ſignificatur diſtinctum ſuppoſitum, & per perſonam, & proſopon, proprietas nobilis, qua diſtinctus eſt: ergo optimè, & ſufficientiſſimè hæc quatuor nomina in Deo ponuntur, & ſignificant.

Secunda Propoſitio Corollaria. Quas alias rationes præcipuè tres aſſignant, & reddunt quidam Theologi, non videntur admittendæ, veluti quæ hic ſacris quatuor nominibus abutuntur, & non ad germanam, & propriam eorum vim, & ſententiam aſſumuntur. Probatur de ſingulis, ſingulæq. redarguuntur.

Et prima. In Deo de fide fatendum, quod communicabile, & quod incommunicabile eſt, & commune, & diſtinctum, & proprium: & etiam ex humana ſcientia, quo eſt, & quod eſt, ſcilicet abſtractum, & concretum: ſed per eſſentiam, quo eſt, & abſtractum, & per ſubſtantiam, quod eſt communicabile, & concretum: ergo hæc duo nomina rectè in Deum aſſumuntur; ſimili quoque ratione; ad id, quod incommunicabile, & diſtinguibile eſt exprimēdum, ſubſiſtentia exprimit ad id, quod incommunicatum, & diſtinctum, perſona, &c. ſed contra: nam aſſumit hypoſtaſim, & ſubſiſtentiam pro diſtinguibili, & perſonam pro diſtincto, contra communem Theologorum ſententiam: imò contra D. Damaſc. lib. 1. c. 10. de fide, qui pro eodem hypoſtaſim, & perſonam vſurpant.

Secunda. eſſentia Deo ſtrictiſsimè conuenit, veluti qua omnia indigent, & à qua emanant. Subſtantia quoq; ceu quæ nullo indiget: nam diſtinctum ſuppoſitum dicit, perſona denique proprietatem nobilem. Contra. Abutitur namque eſſentia nomine, & facit referri ad creaturas: quod tamen ex communi, & certa ſententia abſolutiſsimum eſt.

Tertia. Sicut communicabile duplici ratione ſignificari poteſt, & in abſtracto, & in concreto: ita ad rationem abſtracti ſignificandam, eſſentia nomen adhibuerunt Patres Theologi: ad concreti verò rationem exprimendam, ſubſtantia nomen. Eadem ratione incommunicabile ad abſtractum, ſubſiſtentiam aſſumpſerunt: ad concretum, perſonam, & ſic rectè horum quatuor nominum ſufficientia videtur collecta. Contra, duplici ratione, prima æquè rationem abſtracti indicat ſubſtantia, ſicut eſſentia. Secunda. Supponit, quod valde controuerſum, & ſub lite adhuc pendet, poſſe ſcilicet ſumi, & accipi, & intelligi hypoſtaſim, & ſubſiſtentiam, non intellectis, & abſtractis proprietatibus: quod tamen inquam pro certo ſupponitur, dum ſubſtantia, con diſtincta tamen à perſonali proprietate in abſtracto accipitur.

Tertia Propoſitio. In Deo propter ſummam ipſius ſimplicitatem, id quod tam crebro pro horum nominum fundamento repetitur, quo ſcilicet, & quod, ſubſtantia, et eſſentia, diſtinguibile, et diſtinctum, abſtractum, et concretum, nullam facit diuerſitatem, niſi ſecundum rationem noſtram intelligendi.

COM-

COMMENTARIVM.

ID quod hac docta, & peracuta quæſtione inquirit, & inuenit, & optimè ſoluit S. Doctor, biſario ex capite peruestigari poteſt; alterum eſt, ſi abſolutè hæc ſola quæſtio ob oculos ponatur: alterum ſi totius tractatus ſcopus attendatur iuxta ordidem, quem vt plurimum imitari ſtatuimus, Sancti Thomæ. Si enim ex primo capite ſancti Doctoris mentem indagare volumus; certa, euidens, & aperta nobis arridet, tum ex corpore quæſtionis, tum ex vtraque parte fabrefactis argumentis, tum denique ex titulo præfixo: nam de eſſentiæ voce, & ſignificatione ſola intendit doctrinam tradere, & ſuſtinere: titulus ſiqnidem eſt. An in Diuinis eſſentiæ nomine vtendum. Argumenta prima contra eſſentiæ vocis vſum. Secunda pro recto eius vſu. In corpore de eſſentia reſpondet; quod ſi & de reliqnis tribus alijs vocibus, ferè accidentariè, & ad pleniorem eſſentiæ nominis cognitionem, non plurimum animaduertens, quænam ratio hic, aut opportunitas de eſſentia agendi, ſecutus Magiſtrum, qui de vnaquaque re oblata occaſione diſquirit.

Si verò ex alio capite, hoc eſt intra limites, & ad ſcopum, in quo nunc inſudamus de perſonis cum ſancto Thoma in hoc ſecundo articulo; neceſſariò ad perſonæ rationem reliqna accomodanda, & interpretanda erunt, nec alienus eſt ſanctus Doctor, qui in ea diſtinctione de perſonis agit. Quemadmodum igitur S. Thom. de perſonę nomine ad ſex alia nomina comparato, hoc eſt, ad hypoſtaſim, ſubſiſtentiam, eſſentiam, ſubſtantiam, ſuppoſitum, & rem naturæ vberrimè tractat, & duplici ſuppoſita diſtinctione, altera ex Ariſt. 5. Metaph. de ſubſtantia, ſubſtantiam nimirum biſariam ſumi, primò, vt eſt quidditas per diffinitionem explicata, quæ poteſt dici eſſentia, ſecundò à ſubſiſtendo per ſe, vt eſt prima ſubſtantia: ſecunda, ſubſtantiam, hoc ſecundo modo acceptam adhuc dupliciter, primò logicè, vt ſuppoſitum, & ſubiectum, de quo fiunt prædicationes. Secundò, vt eſt prima ſubſtantia, & tunc dicitur res naturæ, ſubſiſtentia, & hypoſtaſis: res naturæ, vt ſupponitur communi naturæ: ſubſiſtentia, vt non in alio, ſed in ſe: hypoſtaſis, vt alijs veluti accidentibus ſubſtat. His inquam ſuppoſitis, probat. Perſonam cum eſſentia non coincidere: cum reliquis magis quidem, ſed neque cum ipſis vſquequaque: patet ſecunda pars: nam perſona in genere ſubſtantiarum ſignificat idem, quod ſubſiſtentia, &c. ſed ipſa ſola in ſubſtantia rationali ſignificat indiuiduum ſubſtantiæ. Prima quoque pars: ſi enim certum eſt perſonam eſſe indiuiduum ſubſtantiæ, conſequitur non eſſe præcisè, neque ſignificare quidditatem, & eſſentiam. Ita S. Doctor noſter, dum perſonæ nomen, & rem proſequitur cum hæc quatuor nomina, de quibus hic quæritur, quidquid ferè de Deo ſciri poſſit, explicent: quænam vnicuique ſit ſubiecta vis, & ſententia, ſedulo indagine exquirit, & exquirere tenetur, vt inde clarius quid perſonæ nomen præſeferat, quidq. diſtinctius ipſa ſit, eluceſcat. Eſſentia ergo, quo Deus eſt vnus: ſubſtantia id, quod pariter eſt à ſe vnus: ſubſiſtentia, is, qui trinus: perſona ergo, quo trinus eſt, hoc eſt nobiliſsimam relationem ſignificabit: hoc æternæ memoriæ commiſſo, non eſſe hæc diuerſa à parte ei, ſed duntaxat in noſtro modo concipiendi: non enim, vt tertio quoque verbo maxima ratione repetunt Theologi, quo, & quod, concretum, & abſtractum, trinum, & vnum, ad inuicem ſimplicitati Diuinæ officiunt, eamq. haud componunt. Hæc huius quæſtionis Commentarij compendio.

Sed quædam in exactiorem huius Theologię explicationem ſolertius animaduertenda exiſtimo. Et primo loco, quænam vis ſit in illa ratione ex 3. Exodi capitis verbis petita: nomen eſſentiæ maximè Deo conuenit, quia ipſe ſibi hoc impoſuit illis verbis: *Ego ſum, qui ſum, et qui eſt, miſit me.* vbi apertè interpretatur, verba illa Dei abſolutam eſſentiam ſignificare; quam ergo congruè arguerit, vt percipiamus germanam, genuinamq. horum verborum ſententiam, ex ſanctis Patribus præcipuè peruestiganda.

Exodi ergo 3. quærenti Moyſi: *Si dixerint mihi, quod eſt nomen eius? quid dicam eis?* reſpondet Deus. *Ego ſum, qui ſum, ſic dices filijs Iſrael, qui eſt, miſit me ad vos.* Quæ verba, licet in Hebræo textu in futuro tempore pronuncientur. *Ero, qui ero, et qui erit, miſit me*, vt habet etiam paraphraſis Chaldaica: communiori tamen ſententia, & Sanctorum expoſitione, ponitur ibi futurum pro præſenti, vt frequens in idiomate Hebræo vſus inuenitur, quemadmodum apertis locis ſacrę Scripturæ, inter alios probat Lippomanus in catena in Exodum, in hunc locum. Quare, ita & antiquitus verterunt Septuaginta Interpretes, & poſtea Vulgatæ editionis interpres à ſancto Concilio Tridentino confirmatæ. *Qui eſt, miſit me ad vos:* ita quoque expoſitiones ad textum Hebræũ, quas auctor catenæ in Lippomano refert ad contextum multorum ſanctæ Scripturæ locorum, & ad Moyſi eo loco negotium commiſſum, perpolitè licet arrideant, & ſint elegantes: ſolidiores tamen, & veriores, quæ ad textum noſtræ Vulgatæ editionis à ſanctis Patribus adducuntur; quod vt euidentius comparatione fiat, ob oculos ponam, quæ ad textum Hebræum primò; quæ ad Latinum noſtrum ſecundò adhibitæ ſunt. Ita ergo catenæ Auctor, *Ehie Aſer ehie, ego, qui ero.* Ita phraſis Chaldaica, ac ſi dicat. Is ſum, qui ero. Alij, *ero quia ero*: ero enim, vt *Aſer* non ſit relatiuum, ſed coniunctio, & copula. Loci verò huius quidam dicunt hanc eſſe ſententiam: ego ò Moyſes, ſicut ero tecum, ſic ero cum Iſraelitis, vt educam eos ex Ægypto, vel ego ero cum ipſis in hac afflictione, quemadmodum fui in alia afflictione, & eos nunquã derelinquam. Supra dixit Dominus Moyſi. *Ego ero tecum:* idem verbum, & eandem promiſſionem repetit Deus nunc, & eidem Moyſi inculcat, vt eum reuocet à curioſa inquiſitione arcanæ naturæ Dei, ad obſeruationẽ reuelatę promiſsionis, & manifeſtati Verbi ſui, vt ſit ſenſus: dixi antea ero tecum: quo Ver-

bo manifeſtè promiſi, me præſentaneo meo auxilio adfururum tibi, & impleturum, quæ antiquioribus Patribus pollicitus ſum. Vade igitur, & hac mea promiſsione confidens ſufficiat tibi, & populo meo, vt cognoſcatis hanc voluntatem meam his verbis manifeſtatam, *ero, qui ero*, hoc eſt ero tecum: præter hunc reuelandi modum, qui eſt per Verbum meum, alium non aſſumam, hic modus ſatis vnicuique ſufficiat ad ſalutem, donec futurum ſæculum reuelatum fuerit. Tunc enim vnuſquiſque cognoſcet Deum ſicuti à Deo cognoſcitur. In præſenti autem ſæculo ſufficit vobis, inquit Dominus, verbum promiſsionis meę: intra quem reuelandi modum me continebo: tu verò has meas pollicationes populo Iſrael volo inculces, & dicas; ero miſit me ad vos, hoc eſt Deus, qui promiſit Patriarchis omnem benedictionē in ſemine Abrahæ, qui eſt Deus verax, & promiſsi obſeruator. Is inquam miſit me, vt educam vos de Ægypto. Hęc valde probabilia hebraizantes, quę quidem vndequaquè vera; ſed non ad hunc locum.

Ergo textus noſtræ vulgatæ editionis grauiores, ſolidores, & veriores interpretes audiamus, à quibus neque per latum vnguem ſanctus Doctor diſceſſit. Sanctus Hilarius primo de Trinitate: *Admiratus ſum planè tam abſolutam de Deo ſignificationē, quæ naturæ Diuinæ incomprehenſibilem cognitionem aptiſſimo ad intelligentiam humanam ſermone loquatur, non aliud proprium magis Deo quàm eſſe intelligitur: quia id ipſum quod eſt, neque deſinentis eſt aliquando, neque capti; & id quod incorrupta beatitudinis perpetuum eſt, non potuit, aut aliquando poterit non eſſe: quia diuinum eſſe, neque abolitione, neque exordio obnoxium eſt, & cum in nullo à ſe Dei deſit æternitas, dignè hoc ſolum quod eſſet, ad proteſtationē incorruptæ ſuæ æternitatis oſtendit*, quibus manifeſtè verbis ſuum eſſe illimitatum, & æternum, Deum illis verbis Moyſi reuelaſſe, egregie oſtendit S. Hilarius. Non minus grauiter, & eleganter S. Ambroſius de fide contra Arrianos cap. 4. *Benè quod de Deo legis ſcriptum, ego ſum, qui ſum, & qui eſt, miſit me, & ipſe ſaluator Dominus, hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. & ergo in ſubſtantia, eſſentia ſua Deus, cuius cognitio vita æterna eſt; qui & ſanctus eſt quantum dici non poteſt, qui tunc dignè æſtimatur, cum inextimabilis dicitur. Vtq; velis, nolis* Idem libro quinto de fide: *eſt Chriſtus, & eſt ſemper: qui enim ſemper eſt, eſt: Chriſtus autem ſemper eſt, de quo dicit Moyſes, qui eſt miſit me: erat vtique Gabriel, erat Raphael, erant Angeli, ſed ſemper eſſe, qui aliquando non fuerunt, nequaquam pari ratione eſſe dicuntur: in Chriſto autem, ſicut legimus, non fuit; eſt, & non, ſed eſt, in illo fuit: vnde ſolius eſt Dei verè eſſe, qui ſemper eſt.* Idem Epiſt. 36. lib. 8. Epiſtolarum, vbi egregiè difficillimum illum D. Pauli locum. 2. ad Corint. 1. exponit: *fidelis autem Deus, quia ſermo noſter, qui fuit apud vos non eſt in illo eſt, & non, Dei enim Filius Ieſus Chriſtus, qui in vobis per nos prædicatus eſt, per me, & Syluanum & Timotheum non fuit, eſt & non; ſed eſt in illo fuit: quot quot enim promiſſiones Dei ſunt, in illo eſt, & per ipſum Amen Deo ad gloriam noſtram.* Interrogabat Moyſes, *quid dicam illis, ſi requirant quis eſt Dominus, qui miſit eum: & quod nomen illi?* dixit Dominus, *ego ſum, qui ſum*, hoc eſt verum nomen Dei. Vnde & Apoſtolus de Chriſto: *Dei enim Filius Chriſtus, qui in vobis eſt, per nos prædicatus eſt, per me, & Syluanum, & Timotheum, non fuit in illo, eſt, & non: ſed eſt in illo fuit*: vbi S. Ambroſius ex hoc ſancti Pauli loco Chriſti verè conuenire, *eſt*, ſolidè docet: & quamuis illo loco Apoſtolus per hunc modum dicendi, *eſt*, velit inſtruere Corinthios, omnes promiſſiones quæ in Euangelio continētur, & per Apoſtolos prædicantur, in Chriſto verificari, vt teſtantur, Theodoretus, & S. Hieronymus. & alij, vt S. Chryſoſtomus, & Theophylactus in ipſo Amen, ideſt in virtute Chriſti fieri, & robur habere, & r... as eſſe ad gloriam Dei: hæc enim ſignificat illa vox, Amen, & Amen Deo, verè ſunt virtute Chriſti ad gloriam Dei. Ad hoc tamen explicandum vtitur verbo, eſt, & dignam de infallibili Dei promiſſione reddit rationem, quia Chriſtus, eſt abſolutè: & quemadmodum Chriſto eſſe deficere non poteſt, quia eſt ipſum eſt, ita neque eius veritas, & promiſsio. S. Hieronymus in Epiſtolam ad Epheſios cap. 3. *Ego ſum qui ſum; nunquid ſolus Deus erat, & cætera non erant? quomodo ſibi nomen commune ſubſtantiæ proprium vendicat Deus? illa, vt diximus, cauſa quia vt cætera ſint, Dei beneficio ſumpſere &c. Deus verò, qui ſemper eſt, & aliunde principium non habet, & ipſe ſui origo eſt, ſuæ cauſa ſubſtantiæ, non poteſt intelligi aliunde habere, quod ſubſiſtit*; Idem in Epiſtolam ſecundam ad Corinthios. *Qui miſit me, eſt, ille enim verè eſt, qui ſemper idem eſt.* S. Auguſtinus, *de eo, quod dictum eſt à Deo Moysi, Ego ſum, qui ſum, eſſe, nomen eſt incommutabilitatis: omnia enim quæ mutantur, deſinunt eſſe quod erant, & incipiunt eſſe quod non erant: eſſe verum, eſſe ſincerum, eſſe germanum, non habet niſi qui nō mutatur. Ille habet eſſe, cui dicitur, mutabis ea, & mutabuntur, tu autem idem ipſe es. Quid eſt ergo ſum qui ſum, niſi æternus ſum? quid eſt ego ſum, qui ſum, niſi mutari non poſſum? cum ergo hoc ſit nomen æternitatis, plus eſt quod dignatus eſt habere nomen Miſericordiæ Ego ſum Deus Abraham, Iſaac. &c.* Idem planius de Ciuitate Dei lib. 10. cap. 11. *Ego ſum, qui ſum: cum enim Deus ſumma eſſentia ſit, hoc eſt ſummè ſit, & ideo immutabilis ſit: rebus, quas ex nihilo creauit, eſſe dedit, ſed non ſummè eſſe, ſicut ipſe eſt*; & poſt pauca; *ſe ipſum appellauit cum ad Moyſen loqueretur in monte; Totum enim in ſe ipſum, eſſe complectitur, quod neque cepit vnquam, neque deſinet, quaſi quoddam eſſentiæ Pelagus infinitum, & immenſum, omnem, & naturæ, & temporis rationem tranſcendens.* Idem alij innumeri Patres, quos idem Lippomanus in eadem catena recenſet.

7. Sed egregium eſt, quod ipſe Lippomanus (quod

le-

ſeeerat, & Toſtatus in Exodi cap.6.) ex doctiſſimo Hebraicæ linguæ Theodoreto, & alijs, nomen ineffabile Dei quadrilitterum, quod aiunt Græci Tetragrammaton, idem ſignificare, & eſſe nomen Qui eſt, à Verbo aiali eſt, ſubſtantiuo. Quod ideo ineffabile, non tantum, quia prohibitum erat cuicumque, præterquam ſummo Sacerdoti, illud proferre, ſed ex Diuino eſſe ſignificato, quod ex ſe ſicut incompræhenſibile, ita quoque ineffabile eſt. rem hanc eruditiſſimè Lippomanus probat, hac inter alias ratione. Nomen ineffabile ſcriptum per Iod loco Vao in medio ſignificat, erit, & ait hanc fuiſſe antiquiſſimam ſcriptionem huius vocis: tractu verò temporis facilem fuiſſe tranſitum ex Iod in Vau, quemadmodum his temporibus ſcribitur. ſecundò, tum ex contextu huius ad Moyſen ſermonis: *dixitque iterum Deus ad Moyſen, hac dicet Filijs Iſrael: Dominus Deus Patrum veſtrorum, Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob miſit me ad vos. Hoc nomen mihi eſt in æternum, & hoc memoriale meum in generationem, & generationem.* Vbi locò Deus Patrum &c. Hebraicè eſt Ieoua, qui eſt, & quod addit, hoc nomen mihi eſe in æternum; non debet intelligi de alio nomine, quàm de eò, quod nuper ſibi impoſuerie, ſcilicet, *qui eſt*, licet Ieoua non habeat relatiuum, ſed tantum, erit, vel eſt; ſi tamen illud volumus explicare, dicemus; qui eſt, maximè in Idiomate hebræo, in quo relatiua ſæpe dimittuntur. certiò interpretatione illius loci. ſexto Exodi. *Ego Dominus, qui apparui Abraham, Iſaac, & Iacob in Deo omnipotenti, & nomen meum Adonai non indicaui eis.* Hebræa habent, Ego Ieoua, & nomen meum Adonai; non eſt in textu Hebræo, hoc nomen, Adonai, ſed interpres morem Hebræorum ſecutus, nomen illud ineffabile, non ſua voce ob illius reuerentiam, ſed aliena pronuntiauit, & dixit Adonai. Vult ergo dicere, Patribus Antiquis nomen meum non reuelaui eis, ſed apparui in omnipotenti Deo, ideſt in omnipotenti virtute, & omnipotentem me illis declaraui, & mihi abundè eſſe diuitias, vt eos diuites redderem: verum adhuc opere non compleui, quod illis pollicitus ſum: nam adhuc in terram Chanaam fluentem lac, & mel, non reduxi: tu verò adimpletum videbis, quod eis promiſi: reducam enim &c. ſed ad rem: nomen meum non reuelaui eis, ſicut reuelaui tibi, velle dicere videtur: quale ſuum nomen? iam iam dixerat, ego Ieoua, quale reuelauerat tum Moyſi, hoc eſt, *qui eſt miſit me*: ergo nomen Ieoua eſt nomen qui eſt; ita verò poſtulabat ratio ſurgentis Eccleſiæ quaſi aurora, vt fierent in dies, luminum, & Diuinæ cognitionis incrementa, & poſteriori Moyſi plura, quàm antiquioribus, Abrahæ &c. reuelarentur; quæ Paulus aduentu Chriſti adeo aucta eſſe dixit, vt principatuũ, & poteſtatum cæleſtium de Deo cognitionem auxerit, & cumulauerit, *vt innoteſcat principatibus, & poteſtatibus &c.* & hoc eſe quod toties Dauid canebat. *Cãtate Deo canticum nouum*, quaſi diceret, continuo nobis noua ſuppeditantur cantandi argumenta.

Ergo, vt vnde diſceſſit, tandem reuertatur oratio, optimè S. Bonauentura vſus eſt hoc loco exodi 3. ad Diuinam eſſentiam indicandam, & verè, ac Sanctorum Patrum interpretationi inhæſit, & mirificè eſſentiæ nomen Deo competere probauit.

Quod idem trina efficaciſſima argumentatione præſtitit S. Thomas 1. par. quæſt. 13. art. 11. quarum tertia fuit. *qui eſt* ſignificat eſſe in præſenti, quod maximè proprium Deo, cuius eſſe non nouit, neque præteritum, neque futurum. ſecunda ex Damaſceno lib. 1. cap. 12. *Qui eſt* abſolutum totum in ſe ipſo compræhendens veluti pelagus, infinitum, & indeterminatum ſignificat: quolibet enim alio nomine determinatur aliquis modus ſubſtantiæ rei; ſed hoc nomen, *qui eſt* nullum modum determinat eſſendi, ſed ſe habet indeterminatè ad omnes modos, & ipſum Pelagus ſubſtantiæ infinitum nominat.

Secundò conſequenter animaduertendum, quàm rectè redarguerit S. Bonauentura abuſum huius nominis, eſſentia, illa argumentatione ſecunda, quando ita ſumebatur, vt à qua reliqua fluerent: cum in omni abſtractione, & vt ita dicam, abſolutione à quacumque relatione ad creaturas ſumendum eſſet; ſicut enim hucuſque ſatis probatum, & oſtenſum, ipſum purum, & abſolutum eſſe diuinum explicat: ergo non contractè, & limitatè ad creaturas vſurpandum eſt: eo præſertim, quod tunc eſſet nomen omnipotentis, quod antiquis Patribus reuelatum eſt, non quod ſoli Moyſi, vt teſtatur Diuina Scriptura. Eandem de eſſentia ſententiam tenuit, & clariſsimè docuit S. Thomas, alio etiam loco quàm ſupra, nimirum prima parte quæſt. 59. art. 2. his verbis. *Natura & eſſentia alicuius rei intra ipſam rem comprahenditur*, & loquitur de eſſentia creata Angelorum. *Quidquid ergo ſe extendit ad id quod extra ſe eſt, non eſt rei eſſentia*; quod peracutè exagitat, & exponit, & tuetur Caietanus.

Obijcies. Nomen Dei Ieoua, quod ſuprà Diuinam eſſentiam ſignificare docuimus, & eſſe idem quod, *qui eſt* ex Lippomano, præcipuè eſt dictũ ab eo, quod ille facit, quod promiſit, & opera adimplet, quod pollicitus eſt: deducitur enim ab aiah &c. Reſpondetur. Quidquid de plena huius nominis Ieoua ſignificatione: nam inter ipſos linguæ Sanctæ eruditos ſcio magnam pendere litem: nihil tamen impedit, quin verum, et probabilius ex ſanctis Patribus ſuprà recenſitis docuerit S. Doctor. Quod et Scotus queſt. 1. Quolib. ex deſcriptione, quam conatur conſtruere de Diuina eſſentia, colligi poteſt: *eſt entitas realis, vnica, prima, abſoluta, in actuali exiſtentia &c.* quod verò Ieoua nomen præter hanc entitatem ſub abſoluta ratione, alia quoque ſignificet &c. ad eandem eſſentiam ſpectantia, nihil hic, vt iam dicebam, obſtat, niſi velimus negare ex ſupra pro Patrum ſententia deductis.

Tertiò. Animaduertendum, quàm eruditè ſanctus Doctor, vtatur his nominibus, hypoſtaſi, ſubſtantia, et ſubſiſtentia, eo ſcilicet ſenſu, quem tandem vſus Eccleſiaſticus obtinuit, et nunc vlla abſque trepidatione retinet, et exercet vbique locorum ex communi Theologorum ſententia; Anti-

P 2 quis

Digitized by Google

quis namque temporibus, his nominibus, præſertim hypoſtaſis, mirum eſt quàm Sancti Patres, & ipſamet ferè tota Eccleſia vexata ſit, & excruciata propter Arij vitandam hæreſim: quæ iam totum ferè orbem occupauerat; & infecerat: nunc enim hypoſtaſis in omnium ore eſt ad ſubſiſtentiam, & perſonam ſignificandam; & ideo incarnationis myſterium per vnionem hypoſtaticam vllo abſque ſcrupulo, ac ſcandalo exprimimus, & quod veriſſimum eſt, vnionem perſonalem explicare intendimus.

At verò, vt vberrimè, & accuratè, & pereruditè inter alios collegit Vaſquez diſp. 134. in hunc art. S. Thomæ, vetuſtiſsima ætate quàm vehementer Sanctorum Patrum conſcientias concuſſit, & torſit timor de hypoſtaſis vſu, eo quia ſignificare ſubſtantiam eis videbatur, atque ita ſi ad tres perſonas indicandas, & eas tres hypoſtaſes nominandas aſſumeretur, Diuinam, & vnam ſubſtantiam diuidere, & tres confiteri ſubſtantias formidabant: & faceſſebat negotium ſancta Scriptura: nam D. Paulus ad Heb. 1: *Qui cum ſit ſpelndor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius*: vbi loco *ſubſtantiæ* Græca habent hypoſtaſim, & vt ſanctis Patribus Athanaſio Epiſtola ad Epiſcopos Aphricæ, Epiphanio hæreſi 69. & Theodoreto, & Chryſoſtomo in hunc locum, ibi hypoſtaſis ſignificat eſſentiam; hinc D. Hieronymus ad Damaſum Pontificem ſcribens Epiſt. 17. *Taceantur tres hypoſtaſes ſi placet, & vna teneatur: nomen hoc non eſt bonæ ſuſpitionis*. Et paulo poſt. *Mihi credite, venenum ſub melle latet: traſfigurat enim ſe Angelus ſathanæ in Angelum lucis*; & tandem concludit: *tota litterarum ſecularium ſchola, nihil aliud hypoſtaſim, niſi Vſiam ſignificare nouit: & quis ore ſacrilego tres ſubſtantias prædicabit?* hic idem timor tenuit, & præſsit S. Auguſtinum: quinto etenim de Trinitate cap. 8. *eſſentiam dico, quæ Vſia Gracè dicitur, quam vſitatius ſubſtantiam vocamus; dicunt quidem & illi, ſcilicet Græci hypoſtaſim; ſed neſcio quid volunt intereſſe inter Vſiam, & hypoſtaſim, ita vt plerique noſtri, qui hæc græco tractant eloquio, dicere conſueuerint vnam eſſentiam, tres ſubſtantias*. & ſtatim cap. 9. *ſed quia noſtra loquendi conſuetudo iam obtinuit, vt hoc intelligatur cum dicimus eſſentiam, quod intelligitur dum dicimus ſubſtantiam, non audemus dicere tres ſubſtantias*. Idem eodem timore repetit lib. 7. cap. 4. quo tamen libro. cap. 6. tandem vbi ſcandalum non eſſet, & de ſenſu Catholico conſtraret, concedit, ſicut Græci dicunt tres hypoſtaſes, ita latinos poſſe dicere tres ſubſtantias. Eundem de hac voce ſuſpectum etiam inter Græcos habuit magnus Athanaſius Epiſt. ad Epiſcopos in Africa vbi ait, Hiparxis, & Vſia idem ſignificat, quod Hypoſtaſis. Budæus Cõment. linguę Grçcę docet, Hyparxim ab Hypoſtaſi parũ differre. Et quod magis refert, Concil. Sardicenſe Epiſtola ad Epiſcopos, quam tenet, & refert Theodoretus lib. 2. cap. 8. eodem ſenſu vtitur Vſia, & hypoſtaſi dicens, Diuinarum perſonarum vnam eſſe hypoſtaſim, quam hæretici pro Vſia vſurpant.

Sed denique inter Patres, tum Græcos, tum latinos, imò inter Cõcilia conſtitutus eſt, & diſcretus ſenſus inter has voces vſiæ, & hypoſtaſis, vt certo vſia naturam, & eſſentiam; hypoſtaſis perſonam importet: quo circa in Deo vnam vſiam, ideſt eſſentiam, & tres hypoſtaſes confiteri libera voce cuicumque liceat. Ita inter multos D. Athanaſius libro de diffinitionibus, & in ſuo Symbolo, vbi nos, *Alia eſt perſona Patris &c.* ipſe; *alia hypoſtaſis Patris &c.* ita concilia; Calcedonenſe in inclyta fidei confeſsione. Alexandrinum, apud D. Cyrillum Epiſtola 10. Epheſinum anathematiſmo ſecundo, & quarto. Conſtantinopolitanum ſecundum coll. 8. canone 5. & 8. ſexta Synodus generalis actione 4. in Epiſtola Agatonis, & actione. 11. Epiſtola Sophronij: & tandem vſus Eccleſiaſticus, hypoſtaſi pro perſona tutè indiſcriminatim vti concedunt; adeo vt his temporibus, qui in Deo tres hypoſtaſes, *vel ſubſiſtentias* latinè negaret, errore notaretur. S. Thomas hic art. 5. ad tertium, adhuc videtur dubitare, vt exponit Valentia conclusione tertia de vſu huius vocis hypoſtaſis pro perſona, ſed referri poteſt ad tempus antequàm inter latinos huius vocis vſus Eccleſiaſticus vulgatus eſſet. De quo tempore itidem obſeruandum, quod teſtatur Concilium Alexandrinum, Antiquos ab hac voce, ſaltem tanquam æquiuoca, ita horruiſſe ſi cum Arrianis agebant, non verò ſi cum Sabellianis, contra quos opus erat inter perſonas realem diſtinctionem fateri, quam negabant.

De reliquis autem nominibus, ſcilicet ſubſtãtia, & ſubſiſtẽtia, & perſona, hic pauca neceſſe eſt dicere; nam de perſona ſupra ſatis. de ſubſiſtentia infra diſtinctè a S. Doctore. de ſubſtantia verò idem S. Doctor ſtatuit, In Diuinis admittendam ad Diuinam eſſentiam per ſe ſubſiſtentem, vt quod, ſignificandam, An verò, tum, vt à ſubſtando alijs, tum vt à prima ſua ſignificatione hypoſtaſis ſignificat ſubſtantiam, ita ad Diuinas perſonas ſignificandas, & numerandas, infra articulo ſequenti. Interim hic S. Thomas ad ſecundum, inter nos latinos cum æquiuocum ſit hoc nomen, vt modo eſſentiam, modo perſonam ſignificet, ad vitandum errorem potius ſubſiſtentiam quam ſubſtantiam, & verterint ex hypoſtaſi, & in Sacerrimo Trinitatis myſterio latini adhibuerint.

De nomine (Res naturæ) iam infra diſt. 34. & ſupra retulimus, rem naturæ in Deo eſſe modum Diuinæ eſſentiæ in perſona, & ad perſonam oppoſitam relatam eſſe rem, ideſt perſonã ipſam ſimpliciſsimè, & formaliſsimè. Sanctus verò Thomas hic vbi in communi de hac voce agit in ordine, tum ad increatam, tum ad creatam perſonam, & ſuppoſitum, tantum dicit ex Etymologia dici perſonam rem naturæ, vti ſupponitur naturæ communi, vt dum v. g. dicitur, Petrus eſt homo, Petrus ſit res, & ſuppoſitum humanitatis naturæ communis, & ſpecificæ, quod idem docet quæſt. ſequenti S. Bonauentura. Quod autem hic quærunt Doctores, An ratione huius nominis poſsint dici in Deo tres res, infra.

De ſuppoſito, hic S. Bonauentura conuertit cum ſubſiſtentia, vt neceſſario hoc loco circa hanc vocem non ſit commorandum. S. Thomas in corpore

ſuppo-

poſitum communiter ſignificare ſecundam intentionem affirmat; neque tamen cum de Deo dicitur: iam enim vſus obtinuit, vt cum ad Diuinam transfertur, rem in Diuina natura ſubſiſtentem præſeferat; dicitur autem ſuppoſitum, quod ſubſtet, & ſub alijs poſitum ſit; idq. quod ſit ſubſtantia incommunicabilis, idem cum hypoſtaſi, & ſubſiſtentia.

Denique, quod in corpore de harum quatuor vocum differentia, & conuenientia deducit, ac concludit, optimè congruit cum his, quæ docuit Alexander 1. par. quæſt. 58. membro 2.

Sanctus autem Thomas in primo, hac eadem diſt. quæſt. 1. varias ipſe quoque horum quatuor nominum diſtinctiones, & diſtinctionum rationes refert, & plures, quam S. Bonauentura: ſed addit ex doctrina D. Boetij lib. de duabus naturis in Chriſto, melius horum nominum differentiam ſumi ab eorum actibus, à quibus imponuntur, ſcilicet ab eſſe, ſubſtare, & ſubſiſtere: quem imitatur Ægidius Romanus eodem loco: eſſe enim eſt commune quoddam, & non determinat aliquem modum eſſendi: ſubſiſtere autem dicit determinatum modum eſſendi per ſe, & non in alio, quemadmodum accidens: ſubſtare verò eſt ſub alio poni. Igitur eſſe, dicit, quod eſt commune omnibus generibus. Subſiſtere autem, & ſubſtare, quod eſt pro prędicamento ſubſtantiæ, proprium cuius eſt, veluti ens perfectum per ſe ſtare, & ſubſterni, ac omne accidens ſuſtinere: ergo eſſentia eſt, cuius vſus eſt eſſe. Subſiſtentia, cuius actus eſt ſubſiſtere. Subſtantia, cuius actus eſt ſubſtare: ſed addit S. Thomas, hoc duplici ratione fieri in quolibet; vt quo, & vt quod; ſicuti calefacere eſt actus calefacientis: vt quod, operatur calefactionem; & vt quo, denominatur calefaciens. Ita eſſentia, vt quo, erit, ſi ſumatur, vt in homine humanitas, quaſi hominis forma, ad quam conſequitur eſſe homo, & qua formaliter dicitur homo: vnde Boetius in prædicamento ſubſtantiæ, vſioſis, & ſubſtantia eſt forma, &c. vt quod, vt homo: ita ſubſiſtentia, vt quo, conſignificatur illud eſſe, quod conſequitur ad primam formam eius, quæ eſt ſubſtantia: ſubſiſtit enim quod ſubſiſtit, per ſubſtantiam, quæ cum ſit perfectum ens, eſt ratio perfectè exiſtendi: vt quod verò, id quod ſubſiſtit per illam formam, & eſt illud in quo primo inuenitur talis forma: Ita ſubſtantia, vel hypoſtaſis, vt quo, eſt materia, ratione cuius ſubſtat, & in ſe recipit veluti ſubiectum; vt quod, eſt primum indiuidum ſubſtantiæ: ergo hæc tria nomina differunt, & vt quo, & vt quod. Vt quo, eſſentia ſignificat quidditatem. Subſiſtentia, formam partis. Subſtantia, materiam. Vt quod, eſſentia, vt habet eſſe: ſubſiſtentia, vt determinatum primum eſſe, ideſt ſubſtantiæ: ſubſtantia, vt ſubſtat accidentibus: perſona autem eſt ſubſtantia particularis, vt ſubſtat proprietati nobili: vt quo, eſt illa proprietas: vt quod, eſt habens illam. Quæ quidem omnia ſunt vera, neque contradicunt S. Bonauenturæ, præter quam in vno verbo, ſcilicet ſubſtantia: ſi quidem negat poſſe ſumi in concreto, vel vt quod: quod tamen aſſerit S. Thomas: ſed non eſt magni momenti differentia, & fortaſſe nulla: nam S. Thomas non dicit ſubſtantiam poſſe ſumi, vt quod, & concretè, ſed actum eius, qui eſt ſubſtare: quod non negat, neque S. Bonauentura, imò apertè concedit, dum perſonam vocat ſubſtantiã. Quod ſi viſus eſt hic negare, ratio fuit, quia vlterius proſpexerit, & ad alium finem harum vocum differentiam quærebat, vt ſcilicet eorum vſus in Deo rectè admittitur: quare ſubdit; dubiũ eſt, vtrum ſit intelligere hypoſtaſim abſtractis proprietatibus, &c. eadem ratio eſt de voce eſſentiæ, quæ tantum abſtractè, non concretè admittitur, &c.

Ad argumenta S. Doctoris in oppoſitam partem. Primum. Quidquid de Deo affirmamus, & agnoſcimus, id ex cognitione creaturarum, & ex Dei relatione ad ipſas: ergo ſicut nihil abſolutè cognoſcimus ita nullum erit admittendum nomen in Deo abſolutè ſignificans, quemadmodum nomen eſſentiæ, &c.

Reſpondit egregiè, non ſolum nos ex creaturis cognoſcere Deum, ſed Deum ab ipſis independentem, & abſolutum, & ſubinde ex creaturis accipimus nomina ad Deum etiam abſolutum nominandum, ſicuti eſſentiam, & ſubſiſtentiam, &c. Quod omne quidem verum, & ègregiè obſeruatum, & à ſancto Doctore multis locis, & à reliquis Theologis ſæpè, licet varijs terminis aſſertum.

Secundum argumentum. Quo prætendit impugnare in communi harum vocum numerum, ſufficientiam, & diſtinctionem, & eſt commune reliquorum Theologorum, & in plura diſtributum. Alexandri vbi ſupra, membro 2. S. Thomæ in primo, loco citato, & in ſumma, hoc art. argumento 3. & Ægidij vbi ſupra. Eſt autem argumentum ſancti Doctoris huc. Subſtantia, eſſentia, &c. non differunt: ergo fruſtra multiplicantur hæc nomina. Conſequentia eſt euidens. Antecedens probatur: nam ſubſtantia, ſi commune quid ſignificat, eſt idem cum eſſentia: ſi quid diſtinctum, erit ſuppoſitum, idem cum perſona, &c. S. Thomas in ſumma. Primo. In Diuinis, tres perſonas, tres etiam ſubſiſtentias dicimus: ergo idem perſona, & ſubſiſtentia. Secundò ex Boetio. Eſſentia eſt compoſita ex materia, & forma: ergo idem quod ſuppoſitum. Tertiò, ex eodem Boetio. Græci indiuiduam ſubſtantiam hypoſtaſim vocant: ſed apud nos Latinos idem ſignificat perſona: ergo. eadem repetit in 1. Sententiarum. idem aſtruunt reliqui Theologi.

Reſpondit S. Doctor in corpore quæſt. primò. horum nominum in Deo à parte rei non eſſe differentiam, niſi ſecundum noſtros conceptus: in rebus verò creatis, & eſſe differentias, & eas aſſignat ad tertium, & ſufficientiam: ita quoque reliqui Theologi, S. Thomas in ſcripto. Ad primum, eſſentiam quoquo modo ſumptam ſignificare compoſitum ex materia, & forma, ſed non demonſtrare, ſicut facit indiuiduum, ſcilicet hanc formam.

Ad ſecundum. Subſiſtere ſignificare quidem determinatum modum eſſendi, tamen ſpecificè ex natura ſubſtantiæ: ſed indiuiduum, vt poſterius ad illam naturam ſic ſubſiſtentem.

Ad tertium. Subſtantiam dici, vt ſubſtat: ſubſiſtentiam autem, eſſe quidem eandem ſubſtantiam, ſed vt ſuo modo exiſtit.

Ad quartum. Nomen hypoſtaſis aliud habere

ex proprietate vocis, aliud ex vſu. Ex primo quamcumque ſubſtantiam particularem exiſtentem: ex vſu verò ſubſtantiam nobilem, ideſt perſonam.

Ad quintum, idem quod ad tertium. In ſumma verò, vt ibi legenti patet, ne longius quam par ſit Commentarium omnium referendo reſponſionem efficiam.

ARTICVLVS III.

An, & quomodo ſubſtantiæ, & ſubſiſtentiæ nomine in Deo vtendum.

D. Bonau. quæſt. 2. vbi ſupra D. Thomas.

PARAPHRASIS.

PRIMA Propoſitio. Subſtantia, vt deducitur à ſubſiſtendo, & per ſe ſtando, in Deo propriè, & magis quam in creaturis inuenitur, & ſignificat. Primo per Ariſt. prædicamento de ſubſtantia: ſubſtantia eſt, quod eſt per ſe ens: ſed Deus eſt propriiſſimè per ſe ens: ergo Deo maxime congruit ſubſtantia. Secundo. Subſtantia per D. Auguſtinum 7. de Trinitate, cap. 2. eſt dici ad ſe, & abſolute; ergo maximè propriè Deus dicitur ſubſtantia. Maior eſt D. Auguſtini. Minor probatur. Illud ens eſt ad ſe, & abſolutè, quod independens omnino eſt, & primum: talis eſt Deus; ergo.

Secunda Propoſitio. Subſtantia, vt à ſuſtando alijs non ita propriè, & in omni latitudine de Deo aſſeritur. Probatur. Alij ſubſtare, poteſt triplici ratione, & intelligi, & fieri. Prima, vt ita alteri ſubſtet, vt inhærenti, ſicuti accidens inhæret ſubiecto. Secunda, vt ſicut diſtinguenti, quemadmodum Diuina perſonæ proprietatibus. Tertia, quaſi perficiẽti: ſed nullis his rationibus adæquatè congruit Deo: ergo. Probatur de ſingulis. De primo res patentiſſima eſt, repugnat enim accidens inhærere Deo. De ſecunda oſtendo. Licet enim proprietates dicantur inhærere Diuinæ ſubſtantiæ, non vſque adeo tamen propriè; nam primo immediatè inhærent perſonis, non eſſentiæ. Secundò, id quod alteri ineſt, & quod alteri ſubſtat, debet inter ipſa vera interuenire diſtinctio, & differentia: ſed inter eſſentiam, & perſonas, & proprietates inexiſtentes, non eſt vera, & realis differentia; ſed tantum ſecundum noſtram rationem intelligendi: ergo ibi non eſt propria ratio ſubſtandi. Præterea, proprietas, quæ eſt in Deo, facit perſonas propriè exiſtere, non ſubſiſtere, aut ſubſtare: ergo hac ratione ſubſtantia à ſubſtando non admittitur bene in Deo. Nota eſt conſequentia. Antecedentis prima pars probatur. Primò ex Riccardo de ſancto Victore, lib. 4. cap. 20. qui docet, melius dicitur in Deo exiſtentia, quam ſubſiſtentia. Secundò, quia exiſtere, eſt ab alio eſſe; ſed in Deo Diuinæ perſonæ ab origine, & à proprietate conſtituente, & exiſtente ſunt: ergo hac ratione propriè in Deo non dicitur à ſubſtando. Secunda pars ex ſe remanet probata, & confirmatur, quia ſubſtare, eſt ſub alio diſtincto ſtare: ſed in Deo non eſt quid diſtinctum, ſub quo ſtet: ergo non debet dici ſubſtare, nec ſubſtantia. Tertio denique, ratione idem probatur. Si ſubſtare perficienti in Deo eſt admittendum, erit, quia rei natura ſubſtat Diuinæ eſſentiæ tanquam perficienti: ſed hoc à parte rei nihil eſt diſtinctum, niſi penes noſtram imperfectam intelligendi rationem, quæ alio modo rem Diuinam infinitam, & omnino ſimplicem niſi ex rebus creatis diſtinguendo, non poteſt intelligere: ergo propriè, neque hac ratione à ſubſtando dicitur ſubſtantia.

Tertia Propoſitio corollaria. Res natura, & ſuppoſitum, & perſona, à Diuina eſſentia non differunt niſi per rationem noſtri intellectus.

COMMENTARIVM.

EXQVISITA diligentia cum reliquis Theologis S. Doctor, ac ſedulo, indagine diſquirit vocum proprietatem, quibus hoc auguſtiſſimum Trinitatis myſterium, difficillimũ effatu, & inde obuium, vt in eo explicando facillimè erretur, magis propriè, quo fieri liceat, loquantur. Tanta enim, & tam excelſa eſt huius dogmatis maieſtas, & celſitudo, vt non ſolum in illud credendo, & percipiendo, lumine deſuper dato indigeamus, ſed etiam in proferendo, & explicando inſtruamur, quibus caſtis, & certis, & nullo periculo expoſitis verbis, nobis præſtare liceat: ergo circa has voces, ſubſtantia, & ſubſiſtentia, & ex hac quæſtione & ex præcedentis Commentario, Magiſtro ſancto Doctore, tum quaſi materialiter ad has voces explicandas, tum formaliter ad plenius perſonæ nomen percipiendũ, ſatis abundè colligitur quid obſeruandum.

Et primo. Neceſſaria, ſicut & certa, quã præmittit S. Doct. diſtinctio de ſubſtãtię bifaria ſignificatione, & etymologia, hinc liquido colligitur ad ſuſtinenda, ſcilicet, & concilianda ſanctorum Patrum dicta. Certa quidem: eſt enim Ariſt. & reliquorum Doctorum. Si propriè, & non tranſlatè ſumatur, vt ſubſtantiæ nomen à ſubſiſtendo incommunicabiliter, & poſtrema perfectione eſt, quod græcè per obtentum vſum Eccleſiaſticum, hypoſtaſis, & latinè, ſuppoſitum, & in rationali natura, perſona: ſi à per ſe, & non in alio ſtando, quemadmodum accidentia: omne enim, quod non eſt accidens, nec alteri inhæret, dicitur ſubſtantia; quam ſi phyſicè accipias erit prima ſubſtantia, & ſuppoſitum, quod non ſolum non eſt in alio, ſed in ſe, & à ſe exiſtit. Excluditur forma, & materia, quæ licet ſit ſubſtantia, & à ſe, non eſt tamen ad ſe, nec in ſe, ſed ad vnionem, & in compoſito. Si metaphyſicè, erit rei diffinitæ quidditas, & eſſentia, quam Græci, Vſiam, & omne abſolutum. Secundo. vt alijs, vel accidentibus, vel ſpeciebus, & generibus prima intentione

Digitized by Google

tione ſumptis ſubſtat; quò eo quia communior, & vulgatior, & Ariſt. prædicamento de ſubſtantia; eò cum ſubſtantiæ nomen auditur, hac ſecunda ſententia percipitur. Docuit Ariſt. prædicamento de ſubſtantia, dum ſubſtantiam eſſe, quæ de nullo prædicatur, ideſt, quæ in alio non eſt, & quæ alijs ſubſtat: quam Boetius lib. de duabus naturis in Chriſto, ita refert: ſubſtantia, ſi per affirmationem ſomatur, eſt quæ ſubſtat: ſi per negationem, quæ in alio non eſt, tanquam in ſubiecto, ſicut accidens, & competit ſecundæ ſubſtantiæ, ſicuti primo modo, primæ.

Neceſſaria quoque hæc animaduerſio, & diſtincta acceptio: aliàs Patres contradixiſſe ſibi viderentur, inter quos S.Aug. primò enim 6. de Trinit. cap. 5. *Deus abſque vlla dubitatione dicitur ſubſtantia.* Idem 15. de Trinitate. Deum immutabilem ſimplicemque ſubſtantiã vocat. lib. de Fide, & Symbolo, dicit, *ſubſtantia non eſt aliquid, quod non ſit in Deo.* Contra verò prohibet de Deo prædicari ſubſtantiam, multis locis, præcipuè lib. 7. de Trinitate cap. 4. in fine, & principio capitis 5. his verbis, *ſicut enim ab eo, quod eſt eſſe, appellatur eſſentia, ita ab eo, quod eſt ſubſiſtere, ſubſtantiam dicimus: abſurdum eſt autem, vt ſubſtantia relatiuè dicatur: omnis enim res ad ſe ipſam ſubſiſtit, quanto magis Deus? ſi tamen eſt dignum, vt Deus dicatur ſubſiſtere: De his enim rebus rectè intelligitur, in quibus ſubiectis ſunt ea, quæ in aliquo ſubiecto eſſe dicuntur, ſicut color, aut forma in corpore: corpus enim ſubſiſtit, & ideo ſubſtantia eſt: illa vero in ſubſiſtente, atq; ſubiecto corpore, quæ ſubſtantia non ſunt &c.* Tandem infra ſubdit: *Deus autem ſi ſubſiſtit, & ſubſiſtentia dici poteſt, & eſt in eo aliquid tanquam in ſubiecto non eſt ſimplex.* Et infra: *nefas eſt autem dicere, vt ſubſiſtat, & ſubſit Deus ſuæ bonitati, atque illa bonitas non ſit ſua ſubſtantia, vel potius eſſentia, neque ipſe Deus ſit ſua bonitas: ſed in illa ſit tanquam in ſubiecto.* Igitur modo admiſit in Deo ſubſtantiam lib. 7. cap. 5. de Trinitate, modo prohibuit eiſdem libris vt refert etiam S. Bonauentura. Quod idem facile erit inuenire apud alios Patres. Ergo admodum neceſſaria hæc diſtinctio; cuius quidẽ diſtinctionis veram reddit rationem S. Doctor diſt. 8. p. 2. lib. 1. dubio 5. literali: ſubſtantiam à per ſe ſtando denominatam admittendam in Deo, quia magnam dicit perfectionem, vt verò à ſub alijs propriè ſtando deductam, omnino prohibendam, quia magnam inuoluit imperfectionem, ideſt compoſitionem, vt ex loco Sancti Auguſtini ouperrimè producto.

Quod tamen S. Doctor, & in hac ſecunda ſignificatione ſubſtantiam in Deo admittat quoquo modo, nimirum à ſubſtando, non eſt mirandum. Primo quod hoc didicerit ex Sancto Auguſtino, vbi citato loco de Trinitate lib. 7. nefas tantum dicit, ſubſtantiã dici de Deo, vt propriè ſubſtat, quia vt proprie ſubſtat, debet in eo tamquam in ſubiecto inhærere aliquid diſtinctum, & mutabiliter: ergo impropriè, & vt ait, abuſiuè, videtur concedere, poſſe dici: erit autem impropriè, quãdo Deus ſubſtare dicetur ijs, quæ à Deo verè non diſtinguuntur. Secundo. Hoc docuit, & Alexander 1. parte quæſt. 57. membro 3. & ex Ethimone nominis dixit, hypoſtaſim nihil aliud eſſe, quàm ſubſtare proprietati, & membro 2. ad ſecundum. Sub, in Diuinis dicitur reſpectu eius, quod eſt ſupra; non tantum ſecundum rem, ſed ſecundum rationem intelligentię noſtrę: noſter enim intellectus propter ſui compoſitionem non poteſt intelligere, vel eloqui illam ſimplicitatem, quæ eſt Diuinæ eſſentiæ vt ſic &c. Ita ex communi, & vſitato modo dicendi Theologorum: Quemadmodum enim ad vnicam formaliſſimè rem Diuinam explicandam, eiuſque perfectionem enucleandam, propter intellectus noſtri indigentiam multiplicamus nomina, adinuenimus attributa, admittimus phraſes, quæ vni Deo non conuenirent in rigore, ſed ideo hæc dicere licet, propter plurimos noſtros conciſos de Deo ineffabili conceptus ſignificandos, vt in longa, & diffuſa de attributis Diuinis Theologia conſtat: eadem pari ratione, Deum ſubſtare ſuis attributis propter exiles noſtri intellectus vires, vt nos ad morem noſtrum in rebus creatis, & compoſitis, percipere poſſimus, abſque errore admitti poteſt. Quod multis locis S. Doctor pro tuenda, & Dei ſimplicitate, & multarum propoſitionum veritate, admonuit, & hoc loco prudenter animaduertit. Denique, quod ferè in idem incidit, per ſimilitudinem, & translationem potuit in Deo idem cõcedi, ſi ſubſtare, ſcilicet, pro eodem, quod ſuſtinere, & vt clarius dicam, ſuſtentare, accipiatur: hoc namque apertum, & frequens apud grauiſſimos Patres. D. Dionyſius 4. de Hierarchia cæleſti ait, *eſſe omnium eſt ſuper eſſe Diuinitatis.* Boetius de duabus naturis. *De Deo dicitur ſubſtantia, non quod ipſe cæteris rebus quaſi ſubiectum ſupponatur: ſed quia omnibus ſubſiſtere ſubminiſtrat.* Ipſe comentator 2. Metaphyſices. *Vnum eſt ens, per ſe ens, & verum, per ſe verum, & omnia ſunt entia per eſſe, & veritatem eius:* Imo ex Diuinis literis plurima poſſent afferri ad hanc rem, loca, Iſaiæ 40. *Qui appendit tribus digitis molem terræ,* Dauid, pſal. 36 *cum ceciderit, non collidetur, quia dominus ſupponit manum ſuam* Iſai 46. *Ego feci, ego feram.* Ad Hebræos 1. D. Paulus. *Portans omnia verbo virtutis ſuæ.* & reliqua omnia loca, quibus Diuina rerum creatarum conſeruatio aſtruitur. Huc omnis arridet, præcipuè Sancti Doctoris, de creaturarum vanitate doctrina, quod ſcilicet ad nihilum prolabuntur, quia ex nihilo productæ, niſi præpotenti Dei manu retineantur, ſuſtineantur, & conſeruentur. Ita ad Hebreos 11. fides dicitur *ſubſtantia rerum ſperandarum,* ſcilicet fundamentum, & radix. Secundæ ad Corinthios 9. & 11. cum dicit fundamentum gloriæ, Grecè eſt, hypoſtaſis &c. ergo erit Deus ſubſtantia, hoc eſt ad intra: intacta tamen diuina ſimplicitate, quæ eſt ſumma, dicetur Deus ſuis perfectionibus ſubſtare ad imbecillẽ captum noſtrum: ad extra, ad neceſſariam Dei virtutem, ad creaturas ſuſtinendas, & conſeruandas indicandam: & hoc eleganti ſimilitudine à ſenſatis deducta: ſicut enim ab Ariſt. ſubſtantiam accidentibus ſubſtare dicitur, eo quia ſeipſis exiſtere nequeunt, ſed ſubſtante, & ſuſtinente extremè

indi-

indigent: ita rebus creatis, quæ ad Deum comparatæ accidentibus exiliores, & indigentiores ſunt, dicitur Deus ſubſtare, ne citius pereant. Hac tamen addita, & oculatiſſimè animaduerſa diſtinctione, quam primo loco abſolutè obſeruauit S. Doctor: accidentia ſubiecto inhærere tanquam ab ipſo diſtincta: in Deo nihil ineſſe tanquam ab eo diſtinctum, nihilo ſubſtare tanquam à ſe ipſo diuerſum; quo ſolo ſenſu loquebantur ſancti Patres, & negabant de Deo ſubſtantiam à ſubſtando.

At verò non diſſimulanda dubitatio de huius quæſtionis titulo: præmittit, & promittit diſquirere de recto vſu in Deo, non ſolum huius vocis, ſubſtantia, ſed etiam, ſubſiſtentia: neque tamen vllum apparet verbum de ſubſiſtentia, ſed totus eſt in verſanda, & perueſtiganda ſubſtantiæ propria, & certa vi, & ſignificatione, requiſita in Deo.

Facillimo negotio hæc dubitatio diſſoluitur. Stetit primò promiſſis, & ad appoſitum titulum explicuit quæſtionem S. Doctor. Primò ſicut græca vox *Vſioſis* vertitur ſubſtantia, & ſubſiſtentia, ita ſæpè pro eodem ſubſtantia, & ſubſiſtentia ſumitur, ſicuti ſumpta eſt hoc loco. Secundò, diſtinctè: Subſtantiam à per ſe ſtando deducebat, & tunc de ſubſiſtentia agebat, ſicuti dum à ſubſtando, de ſubſtantia: quare vtramque vocem æqua, & eadem lance expendit, & excuſſit, & ex titulo quæſtionem ſoluit: ita quoque Alexander quæſt. 57. membro 1.

Sed de hac formali voce, ſubſiſtentia, quæ iam frequens eſt, & per ora, tàm Theologorum, quàm Patrum, & Conciliorum, volitat, dubitat idem Alexander eadem quæſt. membro 3. ad penultimum; cur tanta auctoritate vſurpetur, & referatur: neque tamen ex diuinis Litteris colligi poſſit: nullibi enim legitur. Soluit primò. Quamuis in diuinis Scripturis huiuſmodi vox non inueniatur; inuenitur tamen res, quæ hac voce explicatur: quibus enim locis Deum eſſe Deum vnum, eſſe qui eſt, *Ego ſum, qui ſum.* Exodi 3. &c. aſſeritur; pariter Dei eſſentia, & à ſe ſubſiſtentia aſſeritur. Quibus quoque locis. Pater, Filius, & Spiritus ſanctus nominatur, perſona, hypoſtaſis, ſubſiſtentia itidem nominatur. Secundò, propter hæreticos à ſanctis Patribus, & Concilijs huiuſmodi nomina adinuenta ſunt, ad veritatem fidei explicandam, & eorum cauillos euitandos: quemadmodum de perſona refert S Auguſtinus lib. 5. de Trinit. cap. 9. & lib. 7. cap. 4. *Cum quæſitum eſt, quid tres? dictum eſt tres perſonæ, non vt illud diceretur, ſed ne taceretur hoc; conati ſumus hoc nomine perſonæ vti, vt tunc aliquid hæretico reſponderemus, et ne quaſi conuicti obmuteſceremus.* Eandem rem, eadem ratione de ſubſiſtentia aſſerimus.

Ad argumenta ſancti Doctoris nihil reſtat diſtinctè obſeruandum; omnes enim auctoritates, & ex his ſi confectæ ſunt rationes, & explicantur, & expediuntur, gemina illa notione ſubſtantiæ propoſita, & obſeruata. Poſſet tamen diligentius obſeruari Patrum dubitatio circa ſubſtantiæ vſum in Deo: non ſolum enim D. Auguſtinus, & Boetius, vt ſupra, ſed etiam D. Damaſcenus lib. 1. de fide, cap. 8. & D. Anſelmus in Monologio, cap. 25. & 26. & Riccardus Victorinus lib. 2. de Trinit. cap. 22. & lib. 4. cap. 20. & Magiſter Sent. lib. 1. diſt. 8. cap. penultimo, cum reliquis Scholaſticis, negāt Deum eſſe ſubſtantiam, ſed ſupra ſubſtantiam: & deſumitur ex D. Dionyſio Areopagita, & alijs antiquis Patribus, aſſerentibus, Deum nihil eſſe eorum, quæ nobis nota ſunt, ſed aliquid ſuperexcedens illa omnia; & confirmatur primò; nam eadem ratione potuiſſent dicere Patres, in Deo non eſſe relationem, ſed aliquid ſupra relationem. Secundò, illis argumentis confirmari idem poteſt, quibus quidam Doctores ſuprà ſuo loco contendebant, relationes Diuinas non eſſe reales. Reſpondetur illa diſtinctione, ſuprà hoc eodem Commentario data, & ad primam confirmationem, potuiſſe, dicitur, Patres dicere, relationes Diuinas non eſſe reales, quò ad improprietatem modi dicendi, non quò ad rem ſignificatam. Ad ſecundam confirmationem, ſicut ſuprà ſoluta ſunt argumenta illorum Doctorum, ſic negatur, ijſdem argumentis probari, quod prætendit obiectio.

Quòd ſi ſecundò opponatur: Deus ex communiori Theologorum ſententia non eſt in prædicamento propriè, ſed ſupra prædicamentum, vt ſuis locis probatur: ergo non debet dici ſubſtantia. Reſpondetur, nihil probari hac obiectione, & iam ſuprà ſolutam, dum ſubſtantiam, vt prædicamentalis eſt, & ſubſtat accidentibus, impropriè, & abuſiuè de Deo dici, aſſertum eſt, &c.

QVINTA DISPVTATIO.

Secunda de perſona.

De vera, & germana, ſubſiſtentiæ, & ſignificatione, & ratione, in hæc cap. diſtributa.

Primum. De ſtatu quæſtionis.
Secundum. De prima ſententia.
Tertium. De ſecunda ſententia.
Quartum. De tertia ſententia.
Quintum. De concluſionibus decernentibus veritatem.
Sextum. De reſponſione ad argumenta in oppoſitum.

CAPVT I.

De ſtatu quæſtionis.

VIDEBITVR fortaſſe cuiquam inanis, ac inutilis hæc, quæ nunc excitatur, & proponitur de ſubſiſtentia diſputatio, veluti in qua, nō de re aliqua, in Diuina eſſentia à parte rei vllo modo diſtincta ab ipſa eſſentia, & exiſtentia Dei: eo enim quo exiſtit, etiam ſubſiſtit Deus, ex infinita perfectione Diuinæ eſſentiæ: quare de voce, & nomine dumtaxat, inter Theologos tam ardens exorta eſt contentio,

quid,

quid ſcilicet hæc vox ſubſiſtentia importet, cum in re, cognita Dei infinita perfectione, nulla poſsit eſſe diſſenſio: maximi tamen ponderis, mea, & meliori ſententia æſtimanda quæſtio hæc eſt, etiam ſi de huius vocis notione ſola agatur: imò tanto ſemper facta eſt à grauiſsimis viris, vt eos in varias diuiſerit ſectas: & meritò quidem: nam in re tanta explicanda omni ſolertia vitandæ ſunt voces impropriæ, nè fortaſſe inducerentur hæreſes: & quemadmodum eadem vox, Græco idiomate prolata, hypoſtaſis ſcilicet, temporibus ſanctorum Athanaſij, Gregorij Nazianz. Hieronymi &c. adeo exercuit, & torſit ingenia, & concuſsit conſcientias vtriuſque Eccleſiæ, Græcæ, & latinæ, vt idem Nazianzenus oratione de laudibus. D. Athanaſij ſub fine, his verbis teſtatur, *Res eo adducta eſt, vt periculum eſſet, nè orbis terrarum finis vna cum Syllabis à ſe inuicem diſtraheretur, & abrumperetur*: nam vt refert S. Hyeronimus Epiſt. 57. tota prophanorum Græcorũ Schola diſcrimen inter hypoſtaſim, & vſiam ignorabat. Quare Græci, qui tres hypoſtaſes Diuinas perſonas vocabant, videbantur latinis tres vſias, ſiuè eſſentias cum Arrio dicere: latini verò, qui reiecto nomine hypoſtaſis, perſonas dicebant, Græcis videbantur diſtinctionem, non realem, ſed tantum ratione muneris, ſiue officij, inter eaſdem perſonas cum Sabellio agnoſcere; eo quod perſonam, non realem diſtinctionem, ſed munus, & auctoritatem ſignificare exiſtimabant: itá pro ſubſiſtentia inter Thologos latinos, licet non tanta animorum acerbitate, nec dogmatis diſcrimine, orta tamen eſt ea lis, & contentio, vt in multas acies diſſecti ſint, & plura acierum capita conſtituta: & ſicuti ad tollendas hypoſtaſis lites, & diſſenſiones plurimum grauiſſimi Patres, ac de fide, & Diuinis literis optimè meriti laborarunt, & inſudarunt, D. Athanaſius præcipuè in Conc. Alexandrino, & tract. de diffinitionibus. D. Baſilius epiſt. 43. ad D. Greg. Nyſſenum fratrem. Idem Nyſſenus libello de differentia Vſiæ, & hypoſtaſis: & ex latinis: D. Boetius de duabus naturis, & vna perſona Chriſti. D. Hieronymus de expoſitione fidei ad Alipium, & Auguſtinum. D. ipſe Auguſtinus lib. 7. de Trinit. cap. 6. licet præcipuè hi duo poſtremi prius adeò trepidaſſent: venenum enim Arianum ſub hac voce hypoſtaſis latere timebant, quamuis extremam manum vſus eccleſiaſticus liti impoſuerit: ita & omni conatu viris doctis enitendum, aut ad hanc remouendam de ſubſiſtentia controuerſiam, aut ſaltem ad controuerſiæ honeſtatem oſtendendam.

CAPVT II.

Refertur prima Theologorum ſententia.

IN tria igitur capita, quidquid alij dicant, opinionum partiti ſunt de re hac Theologi: an ſcilicet ſubſiſtentiæ notio rectè, ne dum perſonis, verum, & eſſentiæ Diuinæ conueniat: aut etiam præciſè, itá eſſentiæ, vt nequaquam perſonis accomodare liceat, aut tertio itá de perſonis, vt non de eſſentia congruè prædicetur.

Primum caput hoc cap. enarrandum, eorum eſt, qui in Deo vnam ſolam ſubſiſtentiam, & vnam ſubſiſtendi rationem communem tribus perſonis concedunt, ita vt tres perſonæ, vel relationes perſonales, non ſine diuerſa ratio ſubſiſtendi, nec diuerſæ ſubſiſtentiæ, ſed ſolum tria complementa naturæ Diuinæ, vel tres perſonalitates, & vt ait Scotus, tres modi incommunicabilitatis, quibus conſtituitur, & contrahitur natura ad rationem perſonæ, & vt clarius referatur hæc ſententia; ſubſiſtentia in Diuinis nulla relatiua, ſed vnica abſoluta de Diuina eſſentia. Quare in hac opinione, non liceret dicere, quod docuit Martinus primus in Conc. Lateranenſi conſult. 5. canone 1. vbi definit, *Deum eſſe vnitatem in Trinitate*, quod explicat, *vnum Deum in tribus ſubſiſtentijs, vel tribus hypoſtaſibus*: omnino enim idem eſt: neque quod Agatho Papa in Epiſt. quæ habetur 6. Synodo act. 4. cuius verba ſunt: *confitemur, Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum Sanctum, non tres Deos, ſed vnum Deum, non trium nominum ſubſiſtentiam, ſed trium ſubſiſtentiarum vnam ſubſiſtentiam*, vel vt emendatiores habent codices, *vnam ſubſtantiam*, neque quod in Quinta Synodo generali can. 1. ſtatuitur ſub Anathemate, *Qui non confitetur vnam eſſentiam Patris, & Filij, & Spiritus Sancti in tribus ſubſiſtentijs eſſe adorandam*, & innumera alia loca, quorum quædam infra recenſenda ſunt. Huius opinionis fuit Scotus in tertio ſententiarum diſt. 1. quæſt. 2. *§. ad quæſtionem igitur*, Vbi manifeſtè docet, ſubſiſtentiam abſolutam communem tribus perſonis; & videtur negare ſubſiſtentias relatiuas, & quolib. 5. art. 3. ad tertium, Eſſentiæ Diuinæ referens totum eſſe per ſe, perſonalitatibus relinquens ſolam incommunicabilitatem. Idem videtur innuiſſe 1. ſententiarum diſt. 4. quæſt. 2. & diſtinctione 26. quæſt. vnica, dum reſpondet ad arg. de quarta via. Albertus 1. parte ſummæ quæſt. 43. membro 1. ad opinionem tertiam, & membro ſecundo in corpore, & ad argumenta. Argentina in 1. diſt. 26. quæſt. 1. art. 3. ad tertium & ad octauum, & art. 4. ad nonum. Marſilius in 1. quæſt. 30. art. 2. ad quartum, & ad decimum. Capreolus in 1. diſt. 26. quæſt. 1. art. 1. concluſione 3. & art. 3. Paludanus in 3. diſt. 1. quæſt. 2. in fine. Ægidius in 1. diſt. 23. quæſt. 2. art. 3. ad arg. licet in fine addat, quia patitur cauillum hæc vox ſubſiſtentia, eam debemus à Deo remouere, vt Deum non ſubſiſtere, ſed exiſtere dicamus: & noſtris temporibus fauet Bellarminus tomo primo controuerſ. 2. lib. 2. de Chriſto cap. 15. poſt medium. ſed nemo apertius hanc amplexatus eſt ſententiam, quam Durandus in primo diſt. 26. quæſt. 1. & in 3. diſt. 1. quæſt. 5. qui primo declarat, deinde probat ſuam ſententiam; itá habere tres perſonas Diuinas à Diuina ſubſiſtentia abſoluta, vt ſubſiſtant: à relationibus verò aduenientibus, vt ſint tres res ſubſiſtentes, & vt ipſe ait, adiectiuè, ita vt, licet ſint tres ſubſiſtentes; non ſunt tamen tres ſubſiſtentiæ,

quia

quia ſicut ab vna deitate habent vt ſint Deus, & quamuis tres perſonæ, tamen vnus Deus; ita ab vna ſubſiſtentia, vt ſubſiſtant tres, vnica tamen ſubſiſtentia; quare perſona Diuina non habet à ſua proprietate, vt ſubſiſtat, ſicut habet ſuppoſitum creatum, ſed vt ſit perſona: à ſubſiſtentia, vt ſubſiſtat: probat autem triplici argumento. Primo, ſubſiſtere dicit perfectiſſimum modum eſſendi, ſed in Diuinis perfectiſſimus modus eſſendi eſt ad ſe, & abſolutum: ergo perſona Diuina quod ſubſiſtat, non poteſt habere à relatione: relatio enim eſt ad aliud: ergo ab eſſentia, quæ eſt ad ſe: Conſequentia eſt euidens: nihil enim aliud in Deo, poteſt, nec cogitari quidem, quàm abſolutum, & relatiuum. ſecundo, & ſit prioris rationis confirmatio. Relatio, aut nullam dicit perfectionem, ſi enim aliquam diceret, tunc vt ſæpiſsimè aſſeritur, eſſet aliqua perfectio in vna perſona, quæ non eſſet in alia; aut ſi aliquam, non poſſet eſſe ſimpliciter ſimplex, vt requirit ſubſiſtendi ratio. tertio ex Doctrina S. Auguſtini qui libro 7. de Trinit. cap. 3. hoc ferè modo ratiocinatur: *nam ſi hoc eſt Deo eſſe, quod ſubſiſtere, ità non erant dicenda tres ſubſiſtentiæ, vt non dicantur tres eſſentiæ: quemadmodum, quia hoc eſt Deo eſſe, quod ſapere; ſicut non tres eſſentias, ità nec tres ſapientias dicimus: ſic enim quia hoc eſt illi, Deum eſſe, quod eſt eſſe, tam tres eſſentias, quàm tres Deos dici fas non eſt: ſi autem aliud Deo eſt eſſe, aliud ſubſiſtere, ſicut aliud Deo eſſe, aliud Patrem, aut Dominum eſſe: Quod enim eſt, ad ſe dicitur, Pater autem ad Filium, & Dominus ad ſeruientem creaturam dicitur. Relatiuè ergo ſubſiſtit, ſicut relatiuè gignit, & relatiuè dominatur, & ità iam ſubſtantia non erit ſubſiſtentia, quia relatiuum erit: quemadmodum enim ab eo, quod eſt eſſe, appellatur eſſentia, ità ab eo, quod eſt ſubſiſtere, ſubſiſtentiam dicimus: abſtinendum autem eſt, vt ſubſtantia relatiuè dicatur: omnis enim res ad ſe ipſam ſubſiſtit, quanto magis Deus, ſi tamen dignum eſt vt Deus dicatur ſubſiſtere.* quibus omnibus, & multis alijs ex eodem Auguſtino, & alijs Patribus, vt infra, iuxta horum Theologorum ſententiã D. Auguſtinus concludit, ità in Deo ſubſiſtere, eſſe abſolutum, vt nullum ſubſiſtere ſit relatiuum.

CAPVT III.

De media opinione.

MEdium, & rationabiliorem locum elegiſſe, ſibi perſuadent, Caietanus in prima parte quæſt. 2. art. 2. & quæſt. 3. art. 2. & 3. Item 3. parte quæſt. 3. art. 2. & eſt primus auctor huius ſententiæ, quem ſequuntur Bartholomeus Miranda in ſumma Conciliorum, in notatione ad ſextam Synodum actione 13. & Iauellus quæſt. 39. art. 4. & quæſt. 3. art. 3. & Medina quæſt. 3. art. 2. & Bannes, quæſt. 29. art. 2. & quæſt. 40. art. 4. & Zumellus quæſt. 29. art. 2. diſputatione 4. & quæſt. 30. diſputatione vnica; & Molina quæſt. 29. art. 2. diſputatione 3. licet hic auctor fateatur, hanc ſententiam non loqui ad phraſim Conciliorum, & Patrum. & Suarez 3. parte quæſt. 3. art. 1. diſputatione 11. & de Trinit. lib. 3. cap. 4. & Ripa quæſt. 29. & Paulus Nazzarius ibidem art. 4. qui vt fortiores, & auctiores in hoc litterario bello videantur, enituntur ad ſe coaceruare, & inter ſuos Illuſtrioris nominis Doctores recenſere Scotum cum ſuis in ſua opinione; ſed conſtat tanta vi id fruſtra conari, quanta differentia patebit inter eorum ſententias; & Riccardum 3. ſententiarum art. 1. quæſt. 4. Ocham quæſt. 1. art. 3. Gabrielem diſt. 1. quæſt. 1. art. 3. dubio 4. Almainum diſt. 1. quæſt. 1. art. 3. dubio poſtremo; ſed eadem iniuria: nam re verà iſti Doctores, concedunt naturam creatam poſſe aſſumi à Deo ſecundum communẽ, & eſſentialem exiſtentiam, ità vt ipſa foret terminus: neque immediatè terminaret aliqua perſonalitas, neque tamen concedunt realem ſubſiſtentiam communem. Caietanus igitur cum ſolis ſuis recentioribus relatis, neque tamen omnibus eodem modo: nam aliqui ex his imò valde diſſentiunt, quia exiſtimant ſubſiſtentiam abſolutam, ſi detur, eſſe ſatis, vt non opus ſit tribus ſubſiſtentijs relatiuis, imò pugnare cum illis: Caietanus inquam, non auſus tres relatiuas ſubſiſtentias negare, quartam ſubſiſtentiam abſolutam, & communem tribus addidit, & eam eſſentialem, & eſſentiæ propriam: reliquas autem perſonales appellat; ita vt duplicem ſubſiſtendi rationem in Deo conſtituat; & conſequenter duplex ſubſiſtens, alterum eſſentiale, vt hic Deus; perſonale alterum, vt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus: ità tamen, vt non ſint quatuor, ſed tres ſubſiſtentes: tũ quia, vt infra, ſubſiſtentia abſoluta ab ipſis non differt niſi ratione: tum quia non ſunt niſi duæ ſubſiſtendi rationes: tum denique quia ſubſiſtentia abſoluta non habet omne requiſitum ad rationem ſubſiſtendi, incommunicabilitatem nimirum: hanc enim ſi haberet, eſſet perſona; quare Caietanus eam ſemiplenam vocat: hanc autem opinionem eſſe communem Theologorum ſententiam aperto ore dicere non dubitat. Quod ſi in aliquo à communi videatur differre, erit ſola voce, & nomine, non autem re: nam omnes concedere tenentur, exiſtentiam perfectam eſſe propriam naturæ Diuinæ; vt differat à quacumque natura creata; ita vt ipſi creatæ naturæ conuenire non poſſit; commune autem tribus perſonis ſubſiſtentiæ nomẽ mereri ipſi autumant, ex quo deducunt: ergo erit diſputatio de nomine, & à communi ſententia nomine dumtaxat diſtabit: pro ſua autem hac ſententia, & ratione, & auctoritate pugnare contendunt. Prima verò auctoritas, qua adeo vrgere aduerſarios exiſtimauit Durandus præcipuè, vt oppoſitam ſententiam opprimere perſuaſerit, eſt paucis ſupra relata Sancti Auguſtini. ſecunda, eſt mendoſus ille textus Agathonis Papæ in Epiſtola decretali, quæ habetur ſexta Synodo act. 4. à nobis relata iam capite 2. confitemur Deum Patrem &c. *Neutrium nominum ſubſiſtentiam, ſed trium ſubſiſtentiarum vnam ſubſiſtentiam*: ſed mendoſus inquam, vt communiter concedunt etiam aduerſarij: legendum enim

pro

Digitized by Google

pro vna ſubſiſtentia, vnam ſubſtantiam: ita enim plura exemplaria latina emendata legunt, & præſertim illa editio exactior, facta ſub Siſto V. tom. 3. Conciliorum. Ita codices impreſſi Coloniæ Agrippinæ anno 1606. & multa alia loca, quæ legi poſt ſunt apud recentiores, præſertim Vaſquez 1. parte q. 29. diſput. 125. & 126. & 3. par. q. 3. art. 1. & Suarez ſect. 3. diſp. 11. quæſt. 3. concl. 2. & Ruiz diſp. 14. ſect. 8. & 9. Innumera quoque loca Sancti Thomæ, quæ hic nõ referre ſtatui, tum quia multa ſunt coacta, & patet ex tanta inter S. Doctoris diſcipulos, & in referendis, & coaceruandis locis, & interpretandis, diſſenſione: tum quia oppoſitum infra conabor oſtendere: tum tandem, quia ſi eius fuit fortaſſe opinionis, cum eo in hoc non ſentio.

Ad ſecundum igitur locum, ad rationes ſcilicet deueniunt, & primam ex enumeratis, & conglobatis ipſius Sancti Thomæ locis, ita conſlant: tres perſonæ ſunt vnus Deus, & hic Deus: ergo hic Deus eſt communis tribus perſonis: ſed hic Deus hanc deitatem ſubſiſtentem dicit: ergo datur ſubſiſtentia communis tribus perſonis. Probatur minor: nam hæc Deitas eſt quid abſolutum, & infinitè perfectum, & infinitè ſimplex: ergo communis: ergo ſubſiſtit: ergo idem quod hic Deus: nam quo eſt, ideſt Deitas, & quod eſt, ideſt Deus, ſunt formaliſſimè idem. Probatur ſecunda conſequentia; nam hic Deus commune tribus, eſt prius relatiuis: ergo non ab ipſis, nec in ipſis, ſed prius ſecundum noſtrum intelligendi modum, ſe ipſo ſubſiſtit. Confirmat Suarez loco infra oſtendendo, prius quibuſdam iactis ad ſuam rationem fundamentis. Diuina eſſentia non poteſt neque concipi, vt concipitur naturæ humanæ exiſtentia, imperfecta, vt à ſua perſonalitate diſtinguitur: eadem Diuina eſſentia, non poteſt neque concipi, niſi vt infinitè perfecta: repugnat enim ei non eſſe infinitam, & infinitum eſſe eſt de ratione ipſius: ergo includitur in ſuo eſſe eſſentiali, & formali cõcepto, non ſolum exiſtere, ſed etiam in ſe, & per ſe exiſtere, quod eſt ſubſiſtere. Antecedens conſtat, quia ex vi illius eſſe habetur tota Trinitas, & quælibet perſona illius, vt ſit ens ſimpliciter, & infinitè perfectum tota latitudine entis: nam relationes, vt ſic non addunt perfectionem, quæ formaliter pertineat ad infinitatem ſimpliciter: non enim ſunt de conceptu formali Diuinæ eſſentiæ, vt alias probatum eſt. Probatur conſequentia primò, quia ens ſimpliciter infinitum non poteſt concipi, vt eſſentialiter quid infinitum, tanquam quo eſt, & non tanquam quod eſt: ſecundò, quia ſi illud eſſe per eſſentiam ex ſe eſt infinitum ens per ſe ſimpliciter: ergo eſt Deus, & non tantum Deitas: ergo in ſe, & per ſe exiſtens.

Molina loco indicato; ſubſiſtere eſt, vt dicit, per ſe, ita ut à nullo dependeat, à quo ſuſtentetur, vel in quo indigeat inhærere; tunc ſic arguit. Primò auctoritate Sancti Greg. Nyſſeni de vita Moyſis, qui explicans rubi viſionem ait. Solum eſſentiam Dei ſubſiſtere. Secundò ex Sancto Auguſtino ſupra 7. de Trinitate cap. 4. & 5. Præterea ratione. Eſſentia Diuina non eſt minus independens in ſuo eſſe à perſonis, quàm anima rationalis à corpore, in quo eſt: ſed anima rationalis in ſe habet quandam ſubſiſtentiam independentem à corpore, vt patet dum à corpore ſeparata eſt: ergo multo magis Diuinæ eſſentiæ, vt ſic infinitè perfectæ, idem debet competere etiam perſonis non conceptis, & abſque illis per intellectum.

Nazarius ſupra, vt ad idem arguendum ſternat ſibi locum, & materiam congerat, ſatis longo diſcurſu probat, hunc Deum habere verè rationem perfectam ſingularis, & indiuidui, vt inde hanc deducat argumentationem. Id quod eſt verè indiuiduum ſubſtantiale, verè ſubſiſtit; Deus eſt huiuſmodi: ergo ſubſiſtit. Minorem conatur probare ex Sancto Thoma quæſt. 13. art. 3. primæ partis, & ex illo loco ab eodem Sancto Thoma relato, Exodi 3. *Ego ſum, qui ſum*. ſecundò ex Ariſt. 3. Metaph. tex. 14. *ſingulare exponimus, quod numero eſt vnum: vniuerſale autem, quod in his*. Tertiò ratione. Illud eſt ſingulare, quod eſt vnum numero, & qua ratione vnum, non poteſt in plura tamquam in inferiora ſibi, multiplicari: ſed Deus eſt ita vnus, vt quatenus vnus repugnet multiplicari: ergo ſingulare eſt, & indiuiduum: ſed in vniuerſa rerum natura omne ſingulare eſt, quod exiſtit, aut ſubſiſtit: ergo Deus, eo quo ſingularis, ſubſiſtit: non erit tamen ſuppoſitum, aut perſona; nam ſuppoſito nullo modo conuenit communicari; naturæ autem Diuinæ maximè conuenit: quare à Caietano hoc Diuinum eſſe dicebatur ſemiperſona.

CAPVT IV.

De rationabiliori opinione Sancti Bonauenturæ.

OPpoſitam ſententiam extremam primæ docuerunt grauiores, & antiquores, & plures Theologi Scholaſtici, ceu rationabiliorem: nedum enim in Deo vnicam ſubſiſtentiam, eandemque abſolutam non conceſſerunt his tribus communem, ſed tres ſolas relatiuas ſolidè aſſeruerunt; ita vt non Diuinam eſſentiam, ſed dumtaxat tres perſonas eſſe ſubſiſtentias, ſubſiſtentiæque rationem requirere, profeſſi ſint ſuſtinere.

Hanc ſententiam docuerunt, Alexander, 3. par. quæſt. 1. membro 3. & quæſt. 7. art. 3. memb. 1. Henricus Quolib. 5. quæſt. 8. & 2. par. Summæ art. 53. quæſt. 6. præſertim ad quartum. Aureolus in 1. diſt. 26. art. 4. §. reſtat. Riccardus in 1. diſt. 26. quæſt. 1. art. 1. Marſilius 3. ſententiarum quæſt. 2. art. 3. dubitat. 2. Aegidius, licet aduerſarij pro ſe referant. S. Bonauentura multis locis, & ſemper vbi ſeſe offert occaſio, ſed præcipuè clariſſimè primo Sententiarum, diſtin. 23. art. 2. quæſt. 1. vbi per totam quæſtionem nunquam ſubſiſtentiæ nomen, niſi perſonæ tribuit, & diſt. 25. dub. 1. literali his verbis. Vt ſoluat ex verbis Boetij de duabus naturis, & vna perſona Chriſti ortam dubitationem, qua viſus eſt eſſentiam vocare ſubſiſtentiam, reſpondet: *Boetius accipit ibi hoc nomen ſubſiſtentia, ſecundum Marcum Tullium,*

prout

prout accipit ſignificationem ſecundum actum ſubſiſtendi, ſiue per ſe ſtandi, & ſic tantum vna eſt ſubſiſtentia: ſed nunc Doctores Scripturæ accipiunt, prout magis importat reſpectum ad proprietatem cui ſubeſt, & ſic plurificatur. Ratio autem huius eſt communis vſus: quia accipiunt ſubſtantiam pro natura rei: ideo pro ſuppoſito magis voluerunt accipere ſubſiſtentiam; quid clarius? & quid efficacius, & prudentius in hac re difficillima, & quæ innititur fidei? dicit ergo, vocare eſſentiam ſubſiſtentiam, eſſe contra vſum, & morem, & phraſim Doctorum Scripturæ, ideſt quaſi contra ipſam Script. Patres, & Concilia; hac namque voce Doctores Scripturæ, & communis vſus hæc omnia complectitur: & hæc ſunt quæ præcipuè pro tuenda hac ſententia, & propoſui, & ſufficiunt adducere.

Hæc eadem ſententia ſatis efficaciter colligitur ex D. Thoma; nam 1. par. quæſt. 38. art. 4. docet, non eſſe vnam perſonam communem tribus perſonis communitate rei, ſicut vna eſſentia eſt communis tribus perſonis: Idem verò S. Thomas quæſt. 28. art. 2. tradit, ſubſiſtentiam naturæ intellectualis eſſe idem quod perſona. Quod confirmat multis alij locis, præcipuè quæſt. 30. art. 4. vbi probat, communitatem perſonæ ad tres perſonas Diuinas non eſſe communitatem rei, ſicut vna eſſentia communis eſt tribus perſonis &c. vbi animaduertendum, nullam ſubſiſtentiam eſſe realiter communem, ſicut realiter communis eſt Diuina eſſentia. Hanc eandem ſequuntur inter recentiores, Genebrardus lib. 2. de Trinitate pag. 89. Syluester in primam par. quæſt. 39. art. 4. Bartholumæus Spineus quodam opuſc. Valentia ſuper eudem art. quæſt. 39. ſua quæſt. 13. puncto 3. & in controuerſijs libro 3. de Trinitate cap. 6. Vaſquez 1. par. diſputat. 125. cap. 3. & diſputat. 156. & 3. par. quæſt. 3. art. 1. fauet & Molina 1. par. quæſt. 29. art. 2. diſputat. 3. concluſ. 1. eo præſertim, quò aſſerit ſententiam Caiet. non eſſe ad phraſim Conciliorum, & Patrum, licet concluſ. 2. videatur non nihil fauere Caiet. Sola tamen interpretatione verborum. Didacus Ruiz diſput. 34. ſect. 2. & 5. præſertim.

CAPVT V.

In quo concluſiones deducuntur.

Reliquum igitur eſt, vt hoc capite ſententiam hanc Sancti Bonauenturæ, & Antiquorum, quam veram exiſtimamus, in concluſiones deducamus, & quò efficacius exilitati noſtræ licebit, tueamur, & probemus.

Sed in primis ſubſiſtentiæ nomen, & poſtea res animaduertenda diligenter; & cum aliqua æquiuocatio poſſit hic contineri, omnino tollenda; ne in indagando quod quærimus æquiuocis præpediamur, & diſtrahamur. Quò igitur ad vocem, poteſt hoc nomen ſumi, primò pro concreto, & ſubſiſtente, vt idem ſit ſubſiſtentia, ac ſubſiſtens, quo modo Concilia, & communiter Sancti Patres ſumunt; vnde tres perſonas tres ſubſiſtentias conſtanter vocant. ſecundò, vt Scholaſtici ferè ſemper, pro abſtracto, non vt quod ſubſiſtit, indicent, ſed rationem ipſam, & modum formalem, à quo res habet, vt per ſe ſubſiſtat: hic autem non priori, ſed poſteriori modo ſumendum neceſſariò, cum non, an Deus in concreto ſit habens ſubſiſtentiam, quæratur, ſed, an Diuinæ eſſentiæ, vt abſolutè ſumitur, propriæ ſubſiſtentiæ ratio competere poſsit.

Quo verò ad rem, poteſt rurſus id, ſubſiſtere, triplici ratione vſurpari. Prima, vt ſit idem ſubſiſtere, quod per ſe exiſtere; ita vt non in alio tamquam in ſubiecto: Quod omnibus ſubſtantijs, tàm primis, quàm ſecundis, tàm completis, quàm incompletis, certum eſt conuenire: neque enim v. g. aut homo, aut hic homo, aut forma, aut materia, in alio tamquam in ſubiecto ſunt: & repugnat ſubſtantiæ ab Ariſtotele poſitæ, rationi, quæ eſt non dici de ſubiecto, & voci ipſius ſubſtantiæ: à ſubſiſtendo enim, vel ſubſtando denominari, communis aſſerit opinantium multitudo. Secunda ratione, vt ſubſiſtere ſit idem, quod per ſe exiſtere; ita vt in ſua exiſtentia non pendeat ab aliquo, cui quaſi inexiſtat, & à quo habeat, vt ſuſtentetur, quo modo non omnis ſubſtantia ſubſiſtit: non enim prima, & vniuerſalis, cum à ſua ſingulari pendeat: neque forma (Anima rationali excepta) aut materia, propter mutuam dependentiam, quam ad inuicem habent, quamuis multo magis materia, propter aut nullam, aut minimam ex ſe entitatem magis à forma pendeat. Hinc quidam, perfectam, & certam ſubſiſtentiæ rationem deducunt non eſſe aliud, quàm rem hoc modo exiſtere, ſcilicet vt ab alio nulla ratione in exiſtendo pendeat, à quo ſuſtineatur. Tertia poſtrema ratione, ſubſiſtere, ſit ita ſub omnibus alijs ſiſtere, vt nullum remaneat inferius, cui communicari poſſit. Quia ita ſubſiſtere, eſt incommunicabiliter ſubſiſtere, & ſubinde ſuppoſitorum, & perſonarum proprium. Quas duas ſubſiſtendi rationes poſteriores, primò perlucidè; & diſtinctè obſeruauit, & tradidit & Scotus in Quolib. quæſt. 4. art. 2. & quæſt. 5. ad tertium, cum ſubſiſtere æquiuocum eſſe, & tàm pro per ſe, quàm pro incommunicabiliter ſubſiſtere, docuerit: has duas quoque in hac diſputatione expendenda ſuſcipiamus prima poſpoſita, tanquam nec ſatis propria, neque hoc loco ad rem neceſſaria, & ſecundo modo ſumpta rectè de Diuina eſſentia dici. Tertio verò modo rectiſsimè Diuinis perſonis conuenire. de quibus ſit.

Prima Concl. Contra Durandum, & ſuę ſectæ reliquos. Perſonæ Diuinæ verè, & exquiſitè ratio ſubſiſtentiæ conuenit, vt quemadmodum tres perſonæ numerantur, vt infra, ita verè tres ſubſiſtentiæ. Hæc concluſio continet, & explicat illam ſedatam litem vetuſtiſsimam de voce *hypoſtaſis*, & omnino è medio ſublatam, adeò vt Sancta Synodus generalis Conſtantinopolitana cap. 4. & 5. diffiniat, factam eſſe vnionem Incarnationis in vnica hypoſtaſi, & voce latina, in vnica ſubſiſtentia; ita Epiſtula Sophronij, quæ ab vniuerſo Concilio recepta, & decreta eſt: *Beata Trinitas non naturis,*

Digitized by Google

ris, *aut eſſentijs, ſed ſubſiſtentijs numeratur*, vt concluſio hæc adeò orthodoxa, vt Conciliaris ſit, præſertim quo ad nomen, & etiam quo ad rem, ſi Sacerrima illa Concilia proprijs,& congruis nominibus locuta ſint; ita Concil. Nicænum, & generale primum, lib. 2. verſus medium. §. in libro Iob. *Vna* inquit *Diuinitas Sanctæ Trinitatis in tribus ſubſiſtentijs perfectis æqualibus conſideratur*, & §. cum ſic copioſa, verſus finem. *Quidquid, ait, per ſe ſubſiſtit, quatenus per ſe, ſubſiſtit*. (vides quàm propriè rationem formalẽ ſubſiſtendi delineat) *propria natura perſonam, ſiuè faciem, ſiuè figuram habere dicitur*. Concilium Conſtantinopolitanum primum, quod eſt generale ſecundum, in Epiſtola ad Damaſum Papam: *In tribus perfectiſsimis ſubſiſtentijs, ſiuè in tribus perfectis perſonis, vt neque Sabellij languor locum habeat confuſione ſubſiſtentiarum, aut peremptione proprietatum*. Concilium Calcedonenſe, quod eſt generale quartum, act. 16. in reſponſione apud Martinum Imperatorem, in profeſſione fidei: *Trium ſubſiſtentiarum Patres intuliſſe doctrinam, non extra Sanctam Scripturam hanc inuentionem ſibi fingentes*. Concilium Nycænum 2. quod eſt generale ſeptimum, act. 3. *Deitatem vnam in tribus ſubſiſtentijs indiuiſim diſcretam, & diſtinctim vnitam: non ex imperfectis tribus vnum exiſtens (quemadmodum ille magnus Dyoniſius inquit) ſecundum quidem ſingularitatem perſonarum tria adoranda*. Eugenius quartus in Concil. Florentino, in litteris vnionis, ita decernit, *eſſentiam ſuam, ſuumque eſſe ſubſiſtens habet ex Patre ſimul, & filio* (loquitur de Spiritu Sancto) *& ex vtroque æternaliter, tamquam ab vno principio, & vnica ſpiratione procedit &c.* & cætera multa alia Concilia Græca, latinitate donata, voce ſubſiſtentiæ pro perſona vſa ſunt, & latino ſermone decreta, vt Agatho Papa in Epiſtola, quæ habetur 6. Synodo act. 4. & Eugenius quartus nuperrimè relatus, & Martinus primus in Conc. Lateranenſi, Concilio quidem particulari, tamen præſide ſummo Pontifice Martino, habente auctoritatem infallibilem, conſular. 5. canone 1. vt ſupra etiam recenſui: *ſi quis*, inquit, *non confitetur &c. vnum Deum in tribus ſubſiſtentijs conſubſtantialibus anathema ſit*. Et Sanctus Gregorius refert lib. 1. regiſtri Epiſt. 41. Concilium Vormacenſe latinum, vbi dicitur, in tribus ſubſiſtentijs vnàm eſſe ſubſtantiam.

Probatur ex Patribus. S. Hylarius libro de Synodis. *Sunt quidem per ſubſtantiam tria, per conſonantiam vnum*. D. Anſelmus in fine ſui Monologij. *Aptius tres ſubſtantiæ, ſubſiſtentiæ dicuntur*. D. Boetius de duabus naturis, & vna perſona Chriſti. *vnam eſſe eſſentiam, & tres ſubſtantias*. D. Athanaſius Ser. de Deipara his verbis. *Venerari orthodoxos vnum Deum in tribus ſubſiſtentijs, in quibus vna eſt ſubſtantia vis, & efficacia*. & contra Arianos pag. 165. *eſſentia non niſi in indiuiduis ſpectatur, hoc eſt in hypoſtaſibus ſubſiſtit*. & in quæſtionibus, quæſt. 7. *Tres perſonas confiteor, tres ſubſiſtentias, tria propria, tria indiuidua, tres characteres*. D. Nazianzenus orat. 25. ad Arrianos. appellat *proprietates, per ſe ſubſiſtentes*. D. Chryſoſtomus hom. 2. ad Hebræos 1. *Quemadmodum Pater in ſe ipſo ſubſiſtit, ita & Filius*. D. Damaſcenus lib. 1. fidei cap. 6. *Filius, qua ſubſiſtit ſecundum ſe ipſum, diſcernitur ab eo, à quo ſubſiſtentiã habet*. D. Cyrillus Alexandrinus Dialog. de Trinit. lib. 2. Pluries repetit *tres ſubſiſtentias proprias*. Denique, vt prætercam innumeros alios, D. Iuſtinus vetuſtiſsimus in expoſitione fidei de Sancta Trinitare, proponit, ſe maluiſſe *vnius Deitatis in tribus perfectis ſubſiſtentijs notitiam exponere*; Et q. 17. ad Orthodoxos. *Vnus eſt Deus, vno, & indiuiduo ſubſtantia, ſed tres perſonæ diuiſione conſiſtentiarum*, hoc eſt diſtinctione ſubſiſtentiarum.

Prȩterea omnibus illis locis, quibus Patres docent perſonam idem eſſe cum ſubſiſtentia, & hypoſtaſi, vt inde conficiatur vehemens argumentum. Perſona idem eſt cum ſubſiſtentia: ergo ſicut perſona dicitur relatiuè in Diuinis, & plurificatur, ita & ſubſiſtentia; hoc docent, Theodoretus in Breuiario Liberati cap. vlt. additionum, *ſubſiſtentia, & perſona in nullo ſignificatorum differunt, niſi nomine: ſubſiſtentia enim perſona eſt*. D. Cyrillus lib. de fide ad Theodoſium, loquens de quibuſdam hȩreticis, ait, *imaginantur vnigenitum Dei Verbum Enhipoſtaton, hoc eſt ſubſiſtentia, vel hypoſtaſi, qua per ſe verè, & propriè ſubſiſtat, deſtitutũ*. D. Damaſcenus lib. de Decretis primæ inſtitutionis cap. 1. *hypoſtaſis, id eſt quod per ſe cohæret, & Proſopon, id eſt perſona, figura, proprium, & indiuiduum, idem efficiunt*, & cap. 2. *Vnuſquiſque homo eſt hypoſtaſis, id eſt res per ſe conſtans*. D. Hilarius lib. de Synodis. *tres ſubſiſtentias eſſe dixerunt ſubſiſtentium, perſonas, per ſubſtantias edocentes*. Denique D. Athanaſius citato Sermone de Deipara Sanctiſſima: *hypoſtaſis*, ait, *ſua interpretatione deſignat id, quod ſubſiſtit*. idem apertè colligitur prætermiſsis multis alijs Patribus, ex Concil. Epheſino 1. vbi declaratur, *idem ſignificare ſubſiſtentiam Verbi, & perſonam Verbi*. Calcedonenſe act. 5. *vtriuſq; naturæ proprietate ſeruata, & in vnam perſonam, & in vnam ſubſiſtentiam concurrente*. Conſtantinopolitano 2. Collat. 8. *anathematizatur Neſtorius, qui conatur in Myſterio Chriſti introducere duas ſubſiſtentias, ſeu duas perſonas &c.*

Denique probatur rationibus, præcipuè S. Bonauenturæ. Subſtantia mediat inter eſſentiam, & perſonam: ergo participat de natura extremorũ: ergo ſi ab eſſentia dicitur vna, à perſona debet dici tres, & plures. Antecedens probatur à S. Doctore quæſt. 2. huius diſtinctionis, dum ſubſtantiam, ſi à per ſe ſtando deducitur, admiſit propriè in Deo, & eſſe idem, quod eſſentia: ſi à ſubſtando diſtinguenti, idem quod perſona: ergo medium: nam ex vna conditione per ſe ſtandi, ex altera ſubſtãdi ex parte perſonæ. ſecundò, cum eſſentia videtur dicere abſtractum, cum perſona omnino concretum, & actum. Prima verò conſequentia conſtat ex definitione medij, ſecunda quoque ex extremorum

Q oſten-

oſtenſione. ſecunda ratio. In Deo verè eſt numerus, ex infra dicendis, & interim negari non poteſt, ex Diuina Scriptura 1. Io. 3. *Tres enim ſunt, qui teſtimonium dant in Cælo, Pater &c.* ergo aliquid numeratur: non accidens; tum quia non poteſt eſſe in Deo: tum quia etiam in creaturis accidentia per ſubſtantiam, & per ſubiecta numerantur: ergo ſubſtantia: ergo in Deo plures ſunt perſonæ: ergo & plures ſubſtantiæ. Antecedens patet de fide, conſequentia quoque conſtat, tum ex identitate perſonæ cum ſubſtantia, ideſt ſubſiſtentia: hoc enim modo in corpore Articuli S. Doctor ſumit ſubſtantiam pro ſubſiſtentia, & docet omnino idem cum perſona. Præterea ex diſtinctione perſonarum ad inuicem. Pater non eſt Filius: ergo perſona: ergo ſubſiſtentia Patris, non eſt ſubſiſtentia Filij. Quartò. In Deo ſunt relatiua ſubſtantiæ, nequaquam accidentium: ergo oppoſitio: ergo multiplicatio ſubſtantiæ, hoc eſt ſubſiſtentiæ. Ita S. Doctor, idque luculenter, & egregiè addit ex relato dub. 4. diſt. 25. ita vſum Eccleſiæ vbique receptum, Diuinas perſonas ſolitum ſubſiſtentias vocare, nequaquam verò eſſentiam.

Rectiſſimè autem, & admodum cautè S. Doctor, dum ſubſtantiam multiplicabat in diuinis, explicabat, hoc eſt ſubſiſtentias: nam cum ſubſtantiæ nomen admittat aliquam æquiuocationem, & vt nuperrimè dicebam, ſit medium inter eſſentiam, & perſonas, vt meritò tàm pro eſſentia, quàm pro perſona accipi poſſit, ſi abſolutè, & indefinitè audiretur, tam eſſentiæ, quàm perſonæ audientis auribus conceptum exprimere, & imprimere poſſet, & ita in Arrianiſmum inducere. Quare, aut abſtinendum, aut cum addita, & explicante particula, indiuidua ſubſtantia, ſicut in definitione Boetius, vel ſubſiſtentia proferendum, ex Theologorum conſilio, & Conciliorum, & Eccleſiæ vſu.

Sed iterum accipio rationem S. Doctoris; vt pro veritate hac magis vrgeam; ſicuti eadem ratione vehementer multi docti recentiores exiſtimarunt vrgere, præcipuè Molina, & Suarez, vt ex diametro pugnet, cum arguit; in Deo ſunt tres perſonæ, non ſolum concretè, & quaſi adiectiuè, ſed etiam abſtractè, & ſubſtantiuè, ita vt tres perſonalitates, & perſonæ rationes: ergo quoque non ſolum tres ſubſiſtentes, ſed tres rationes ſubſiſtendi. Antecedens nemo negare poteſt: docet fides, & eſſe tres perſonas, & inter ſe realiter diſtinctas per diſtinctas rationes, hoc eſt relationes oppoſitas; dum eas numerando vocat, Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum. Quibus non ſolum teſtatur plures, ſed iiſdem nominibus, Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, refert diuerſam rationem quaſi ſpecificam, qua ſunt plures, Paternitate ſcilicet, filiatione, & paſsiua ſpiratione. Totum ergo negotium erit in probanda ſufficienter conſequentia, probatur verò: primo efficaciſsimè ex vſu, & phraſi Conciliorum, tàm Græco, quàm Latino Idiomate nuperrimè ſatis teſtato, vbi indiſcriminatim, tàm perſonæ nuncupantur ſubſiſtentiæ; quàm numerantur, & multiplicantur. ſecundò ratione: ſi perſona habet vnaquæque propriam rationem ſuæ perſonalitatis: ergo propriam rationem, qua vt hæc perſona, ſubſiſtit: ergo propriam, & diſtinctam ſubſiſtentiam, & ſubſiſtentiæ rationem: vnde vna Deitas, & tres perſonalitates, & ſubſiſtentiæ, quia ita eadem Deitas tribus modis ſubſiſtit relatiuis, diſtinctis trina oppoſitione. Probat S. Doctor omnibus illis locis, quibus relationes conſtituere, diſtinguere, & quaſi formas perſonis aduenire tradit, ceu diſt. 28. q. 2. ad ſecundum, quæſt. 3. ad primum, & diſt. 26. ferè per totum, q. 1. 2., & 3. & omnibus illis locis, quibus non per abſoluta, ſed per relatiua perſonas conſtitui enucleat. Eadem repetuntur à S. Thoma vbicumque ſe ſe offert occaſio; præcipuè tamen 1. par. quæſt. 40. art. 3. his verbis. Proprietates perſonales non intelliguntur aduenire hypoſtaſibus Diuinis tanquam formas ſubiecto, ſed ſecum ferunt ſuppoſita. Et ad ſecundum. Paternitate non ſolum Pater eſt Pater, ſed etiam quis, ſeu hypoſtaſis; & alibi: quibus confici poteſt huiuſmodi efficax argumentatio; ne dicatur relationes inuenire, & ſupponere ſubſiſtentes diſtinctos in Diuinis (tunc enim per abſoluta neceſſariò conſtituti, & diſtincti forent) oportet neceſſariò eas conſtituere ſuppoſita, & multiplicare, & diſtinguere perſonas, & aduenire quaſi formas: ergo communicabunt exiſtere, & ſubſiſtere diſtinctum: ergo erunt ſubſiſtendi propria, & formalis ratio. Confirmatur, Relatio perſonalis dans perſonalitatem, dat intrinſecè & incommunicabilitatem, ſed incommunicabile eſſe, & ſubſiſtentia ſunt idem: ergo perſonalitas eſt ſubſiſtentia: ſed perſonalitas eſt triplex: ergo & ſubſiſtentia. Confirmatur ſecundò. oſtenſo Domino Ieſu, in eo ſunt duæ naturæ, & vnum ſuppoſitum, vnaq. ſubſiſtentia Verbi, & probatur: eſt enim dogma orthodoxum; ſicut enim facta eſt vnio in perſona Verbi, non in eſſentia, aliàs tot hæreſes admitterentur: ergo ſubſiſtit ſubſiſtentia Verbi: ergo Verbum perſona diſtincta eſt ſubſiſtentia; ſed tres perſonæ ſunt: ergo tres ſubſiſtentiæ. Quod ſi non plures ſunt ſubſiſtentiæ, nec plures ſubſiſtentes, aut perſonæ erunt: non intelligitur enim multiplicari ſuppoſita adiectiuè, non multiplicatis formis, quibus ſubſiſtunt; ita vt tres ſubſiſtentes neceſſariò inferant tres ſubſiſtentias. Probatur prima conſequentia: aliàs enim non haberet Verbum propriam ſubſiſtentiam, & humanitas ſubſiſteret ſubſiſtentia abſoluta, & facta eſſet vnio naturarum. Confirmatur tertiò. Paternitas non adiacet ſubſiſtenti eo modo, quo ſpiratio actiua adiacet Patri, & Filio, iam conſtitutis in ratione ſubſiſtentium: Ergo Paternitas ſecundum ſuam peculiarem relationem relatiuam eſt ratio conſtitutiua ſubſiſtentis, & tribuit hanc diſtinctam ſubſiſtentiam.

Obſtabis primò, non benè colligi ex vſu Eccleſiæ, ex tot recenſitis Concilijs rationem diſtinctam ſubſiſtendi in abſtracto: nam hypoſtaſis Græcè concretum eſt, & ideò Latini indifferenter vertunt ſubſiſtentiam, vel perſonam: ergo per illa loca non probantur niſi ſubſiſtentes, & quod, non quo.

Obſtabis ſecundò. Si tres ſunt ſubſiſtentiæ: ergo tres perfectiones diſtinctæ: ergo aliqua perfectio eſt in vna perſona, quæ non eſt in alia.

Tertio.

Digitized by Google

Tertiò. Perſona quidem ſubſiſtit, & incommunicabiliter, & incommunicabilem in ſe habet ſubſiſtentiam; tamen non ex ſe, & propriam, ſed ex communi, & abſoluta.

Quartò, & difficilius, ait Suarez: ſubſiſtere eſt ad ſe propriè; quomodo ergo poteſt eſſe ad aliud? hoc eſt ſi ratio ſubſiſtentiæ eſt abſoluta, qua ratione poterit eſſe conſentanea, & conueniens relationi?

Ad primum reſpondeo primo, hanc inſtantiam modi dicendi Conciliorum, apud quæ Diuinæ perſonæ dicuntur abſque vlla addita limitatione ſubſiſtentiæ plures: ergo ita formaliter ſumendæ nè impropriè, & incautè locuti dicantur illi Patres, & ſi Concilia, numerare ſubſiſtentes dumtaxat voluerunt, conſequenter numerarunt, & ſubſiſtentias ſine quibus ſubſiſtentes plures eſſe non poſſunt, vt iam probatum eſt. Secundò, & probatur data ſolutio: ſi enim ſubſiſtentiæ formaliter, & propriè, & relatiuè non ſumerētur, ſequeretur neceſſariò factam eſſe vnionem in Incarnatione, non in propria ſubſiſtentia Verbi, ſed in communi, & eſſentiali. Tertiò ſupponit hæc inſtantia, quod nos ſupra negauimus, & cuius oppoſitum probauimus, incommunicabilitatem ſcilicet eſſe negationem, ſed nos poſitiuum dicere, & conſequenter idem cumratione perſonæ, & ſuppoſiti; ſatis demonſtrauimus: quare, à quo erit incommunicabilitas, erit & perſonalitas, & ratio ſubſiſtendi.

Ad ſecundum. Supra abundè ſatisfactum eſt ſuo loco, quod ſi addas, ſubſiſtere dicit perfectionem ſimpliciter, quæ non poteſt in ſuppoſitis multiplicari, nec eſſe relatiuum. Et hoc eodem loco negatum eſt, ſed iterum infra, cum ad argumentum Durandi.

Ad tertium. Iam ſolutum eſt in reſponſione ad primum: ſed vberius infra in ſecunda concluſione, vbi ex propoſito ſubſiſtentia communis negabitur.

Ad quartum. Nullam hic difficultatem percipimus, imò facillimo negotio congruè poſſe ad hominem verti argumentum obſeruamus hoc modo, ſubſiſtentia eſt relatiua propriè: ergo non poteſt ei competere, vt ſit abſoluta; deinde infra, & interpretabimur locum D. Auguſtini, vbi aſſerit, ſubſiſtere eſt ad ſe, & probabimus nullam dari abſolutam ſubſiſtentiam.

Secunda Concluſio. Licet perfectiſsimè Diuina eſſentia exiſtat, & infinitè ſit perfecta, & ipſa ſola ſit, de qua; Exodi 3. Antonomaticè Spiritus ſanctus teſtatur: *qui eſt, miſit me*, ei tamen non conuenire rationem ſubſiſtentiæ, rationabiliſsimè exiſtimant grauiſsimi, & ſapientiſsimi Patres, & Doctores. Probanda nobis nunc hæc concluſio iiſdem capitibus, quibus & ſuperior probata eſt, nimirum auctoritate, & ratione: & prima auctoritas ſit, omnis ille idem vſus Eccleſiaſticus, quem ſupra teſtatus eſt D. Bonauentura loco citato, & quem ex Concilijs, & Patribus ſatis abundè deduximus, quibus non de eſſentia, ſed de perſonis dumtaxat affirmari ſubſiſtentiam conſpicuè vidimus; inde deduco nunc argumentationem, quam ad argumentum Suarez inuiumus, ratio ſubſiſtentiæ conuenit perſonæ relatiuæ: ergo non poteſt conuenire eſſentiæ abſolutè. Antecedens iam ſatis probatum eſt. Conſequentia ergo probatur. primò, ſubſiſtentia eſt relatiua: ergo non poteſt eſſe abſoluta: nam opponuntur. ſecundò, ſubſiſtentia eſt modus, quo ſubſtantia per ſe exiſtit; ſed quidquid eſt in alio tamquam in ſuppoſito, vel perſona, non exiſtit per ſe, niſi ratione ſuppoſiti, in quo exiſtit: ergo quidquid eſt in alio tamquam in perſona, non ſubſiſtit. Confirmatur primò. Deitas vt ſic, exiſtit in tribus relationibus, tamquam in tribus ſuppoſitis: ergo per ſe non ſubſiſtit. Confirmatur ſecundò. Modus per ſe exiſtendi, ſicut quidditatiuè affere repugnantiam exiſtendi in alio, ita incommunicabilitatem, qua formaliter prohibet communicari perſonæ: ergo eſſentia Diuina ſicut intrinſecè vt ſic, communicabilis eſt, ita ej repugnat ſubſiſtere. Probatur tertio ſubſiſtentia quidditatiuè eſt vltimus terminus, qui ad vlteriorem terminum non terminatur: nam per ſe exiſtit: ergo diuina eſſentia nō ſubſiſtit, quia terminatur ad tres perſonas, in quibus ſubſiſtit, ita vt ſi ſubſiſtit per ſe ſit perſona abſoluta incommunicabilis. Probatur quartò. abundè ſufficiunt tres ſubſiſtentiæ relatiuę: ergo ſuperflua ſubſiſtentia abſoluta; antecedens conſtat omnibus ijs locis, & argumentis, quibus infra probabitur non poſſe eſſe niſi tres perſonas. quintò, eſſentia Diuina ſine tribus perſonis non eſſet infinitè perfecta: ergo non poteſt ſubſiſtere ſine illis. Conſequentia inde conſtat, quia hæc eſt ratio ſubſiſtentiæ, vt dicat omnem perfectionem. Antecedens perſuadetur ex omnibus, quæ ſupra allata ſunt ad demonſtrandam intrinſecam perfectionem Diuinam relationum.

Præterea ex alijs capitibus probatur, & arguitur contra abſolutam ſubſiſtentiam. Vſus perpetuus poſt ſedatam litem de nomine hypoſtaſis, eſt, vt diuinæ perſonæ non eſſentia, ſed hypoſtaſes nominentur, aliàs enim adhuc eſſet periculum idem obiectum, ad decipiendos fideles, quod adeo præcipuè S. Hieronymus timebat; quod ſi aliquando, idem S. Hieronymus, & S. Auguſtinus nominarunt eſſentiā, hypoſtaſim, vel ſubſiſtentiam, id fuit, tum ante litem, tum pendentia litis tempore, tandem iſte, quem teſtamur vſus, correxit: ergo nunc non licet dicere eſſentiam, hypoſtaſim, aut ſubſiſtentiam.

Vſus quoque inter latinos perpetuus eſt, vt hypoſtaſis ſit idem, quod latinè ſubſiſtentia: ergo eſſentia, ſicut non licet nominari hypoſtaſis, ita neque latinè ſubſiſtentia.

Iterum repeto argumentum ſupra indicatum. Diuina eſſentia ſine relationibus concepta, non concipitur vndequaque perfectiſſimo, & omni modo ei competenti: ergo vt ſic, ratio ſubſiſtentiæ ei non competit: declaratur res exemplo humanitatis Chriſti; licet enim humanitas hæc, vt ſic, ſit indiuidua, & perfectè exiſtens, ita vt non in alio tanquam in ſubiecto, non adhuc tamen poteſt dici ſubſiſtere, & eſſe ſuppoſitum, niſi, aut ei addatur id, quo contrahitur ad eſſe ſuppoſitum, aut ei ſupponatur Diuinum ſuppoſitum, ſcilicet Verbum: modo probatur. Diuina eſſentia adęquatè concepta

Q 2 inclu-

includit relationes perſonales omnes, veluti de ipſius ratione intrinſeca, vt ſupra ſatis oſtenſum eſt, & ſine quibus non eſſet hic Deus, quem adoramus: ergo ſine ipſis ſumpta, inadæquatè, & non omni perfecto ei modo debito, ſumitur: ergo nequaquam ſub ratione ſubſiſtentiæ: probata iam eſt conſequentia: nam ſubſiſtentia complectitur, etiam per aduerſarios, omnem, & perfectum, & poſtremum modum perfectè exiſtendi. Probatur clarius: nam competit Diuinæ eſſentiæ vt ſic, adhuc exiſtere in alio, tamquam in ſuppoſito. Et quamuis ex eo, quia hoc ſuppoſitum non poſsit eſſe alienum, ſicut in humanitate Chriſti, dicenda ſit infinitè perfecta, adhuc tamen non ſubſiſtit, quia communicabilis eſt proprijs ſuppoſitis.

Nec quicquam eſt, quod quidam ex recentioribus opponit, ſubſiſtentiam communem abſtrahere à communicabilitate, & ab incommunicabilitate: nam de ratione ſubſiſtentiæ eſt habere naturam, qua ſubſiſtat, & ſit quod ſubſiſtens; & præterea nihil. Quod confirmatur: natura Diuina vt ſic, infinitè perfecta, de ratione ſua formali habet vt exiſtat, & ſit communicabilis: ergo non abſtrahit à communicabilitate, & non ſumitur ſub vltima actualitate, & conſequenter, adhuc non ſubſiſtit. Quare egregiè S. Athanaſius dialogo de Trinitate contra Anomæos pag. 167. *Eſſentia*, inquit, *non niſi in individuis ſpectatur, hoc eſt in hypoſtaſibus ſubſiſtere*: mirum, quam vrgeant aduerſarios verba illa: *Non niſi in hypoſtaſibus ſubſiſtere*: non ergo, vt abſoluta, & communis. Confirmatur ex Alex. 1. par. quæſt. 39. memb. 3. art. 1. & 2. & ex S. Bonauentura diſt. 4. q. 4. dum aſſerit conſtanter Deum ſignificare, & ſupponere, tum pro natura Diuina, tam pro perſonis: ſed natura, & forma vt ſic, eſt communicabilis: ergo vt hic Deus, non præſcindit à communicabilitate: ergo vt ſic, non ſubſiſtit vltima ſubſiſtentia.

Sed grauioribus auctoribus poſtremo res tota confirmatur, & 1. in 6. Synodo act. 11. Sophronius Patriarcha Conſtantinopolitanus, Epiſtola profeſſionis fidei, recepta à Synodo act. 13. inquit: *Neque ſecundum quod Trinitas vnus Deus agnoſcitur, & ſubſiſtentiæ tres, & tres perſonæ, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, dicitur contractus, vel compoſitus, vel confuſus, & in vnam ſeipſum colligens ſubſiſtentiam* (obſerua hic prohiberi vnam ſubſiſtentiam) *in vnamq. vertens, non numerabilem perſonam* (adhuc animaduerte eadem ratione, quod eſſentia non poteſt dici perſona, ita neque ſubſiſtentia) *Sabellianorum iſta eſt prauitas, in vnam ſubſiſtentiam tres confundere ſubſiſtentias, & in vnam perſonam eaſdem tres conſpergens perſonas*; & poſt pauca: *Vtrumque eſt impium, tam ſingularitas circa ſubſiſtentiam, quam ternalitas in naturis*. Et longè infernus: *neque ſubſtantias confundentes, & in vnam circa ſubſiſtentiam deducentes*.

Neque obſtat, quod hoc loco Sophronius agat contra Sabellianos: nam inter dicendum, prohibet abſolutè hunc modum dicendi, & nominandi eſſentiam ſubſiſtentiam. D. Iuſtinus quæſt. 17. ad Orthodoxos: *Vnus*, inquit, *eſt Deus, vno individuo ſubſtantia, ſed tres perſonæ diuiſione conſiſtentiarum*. & in expoſitione fidei de Trinitate ait: *Quatenus Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus vnius Deitatis dignoſcendo ſubſiſtentias: quatenus autem Deus, eſſentiam communem ſubſiſtentiarum intelligendo*. Quibus, antiquiſsimus Martyr, & Doctor tribus perſonis, non eſſentiæ tribuit, & concedit rationem ſubſiſtentiæ. D. Gregorius Nyſſenus oratione Catechetica cap. 1. *Dei Verbum*, inquit, *et quidem, quod per ſe conſiſtit, diſtinctum eſt, & diuiſum ab illo, ex quo habet, quod conſiſtit, id eſt à Patre*. Concedit Verbo, non eſſentiæ, conſiſtentiam. D. Damaſcenus in Epiſtola de Triſagio: *Trinitatem*, inquit, *impoſſibile eſt dicere vnam hypoſtaſim*, & poſt pauca: *Non eſt autem ipſorum communis vna hypoſtaſis, Deitas autem communis eſt trium hypoſtaſum vna exiſtens*: ergo ex hoc S. Doctore, ſi Deitas non eſt vna hypoſtaſis, non erit, neque vna ſubſiſtentia communis. D. Hilarius, (& prætermitto D. Cyrillum Alexandrinum lib. 1. Theſauri, de Trinitate cap. 9. D. Ambroſium in Symbolum Apoſtolorum cap. 2. Theodoretum in additionibus ad Breuiarium Liberati, fragmento penultimo) lib. de Synodis poſt canonem 27. Synodi Syrmicæ. *Si*, inquit, *vnius ſubſtantiæ, Pater, & Filius dicatur, vt hic ſubſiſtens ſub ſignificatione, licet duorum nominum vnus, ac ſolus ſit; confeſſum nomine Filium conſcientia non tenemus, ſi vnam ſubſtantiam confitentes, ipſum ſibi vnicum, & ſingularem, & Patrem eſſe dicimus, & Filium*, quibus negat vnam ſubſiſtentiam trium perſonarum ſub nomine ſubſtantiæ, & indicat periculum erroris Sabellij.

Hanc huius ſententiæ præcipuam rationem, & fundamentum conantur oppoſitę ſententiæ Patroni euertere, hoc fere modo. Per ſe vltimatè exiſtere, eſt duplici ratione: prima, ita per ſe exiſtere vltima exiſtentia, vt non ſit, neque vnquam futura ſit in alio; ſecundò, per ſe vltima exiſtentia exiſtere, quo ad perfectiſſimum modum per ſe exiſtendi: tunc hoc modo poſteriori eſſentia vt ſic, non intellectis perſonis, omni modo perfecta exiſtit, & vltimatè ei omnia conſentanea adſunt ad rationem ſubſiſtendi. Cui obiectioni ſatisfacit meo iudicio ſimplex negatio: nihil enim probant quod prætendunt. Quod ſi adducunt: non decet eſſentiam veluti natura priorem, emendicare à perſonis ſubſiſtentiam, & perfectionem. Reſp. 1. hos Theologos ſupponere, quod nos toto cælo negamus, relationes non dicere perfectionem infinitam in Deo: ſecundò differre re, & formaliter ab eſſentia: tertio multo magis non eſſe de intrinſeca ratione Diuinæ eſſentiæ: itaut inadæquatè accipiatur diuinum eſſe, ſi ſine ſua fœcunditate, & ſuo intrinſeco modo, & ſuppoſitorum multiplicatione ſumatur: quare ſine ratione tamquam abſurdum deducunt, in noſtra opinione mendicare eſſentiam, ſubſiſtentiam à perſonis; quaſi perſonæ ſint quiddam extrinſecum ab eſſentia: non enim mendicat, ſed ſeipſam perficit eſſentia Diuina, dum ſeipſam communicat: vel potius nos Diuinæ eſſentiæ perfectionem intrinſecam plenè concipimus, dum eſſentiam

com-

communicatam perſonis apprehendimus, ſine qua communicatione formaliter non ſubſiſtit. Propterea ad obiectionem, eſſentia ſine perſonis perfectiſſimè exiſtit, vt ſubſiſtat, negatur, ſicut ſemper ſupra recta ratione, iuxta Sanctorum Patrum phraſim negatum eſt.

Impugnatur ſecundò, non contradicere Sanctis Patribus, neq; Concilijs, ſi aſſeratur, Diuina eſſentia abſoluta ſubſiſtit: nam Concilia ſubſiſtentiam, vt ſuppoſitum ſonat, & perſonam concretè, vſurparunt: quo ſenſu non cõtradicit dicere, eſſentiam ſubſiſtere in abſtracto, vt dicit rationem ſubſiſtendi. Reſp. nihil hic reſpondendum: ſatis enim ſupra, dum ſubſiſtentes perſonas multiplicari per diuerſas rationes ſubſiſtendi; diuerſas inquam, quaſi ſpecificè, ſcilicet per Paternitatem, filiationem, & proceſſionem, dum ſecundò verè confirmatum eſt ſic ſubſiſtere Diuinas perſonas.

Tertiò inſtant, non poſſe negari, multos Patres aliquando, vt D. Auguſtinus, D. Hieronymus, & alij, vocaſſe Diuinam eſſentiam hypoſtaſim, & Deitatem ſubſiſtere dixiſſe.

Reſp. 1. vberius de his cap. ſequenti, ſecundò, multos ex illis Patribus adhuc non plenè nouiſſe ſignificationem huius vocis hypoſtaſis, & ſubſiſtẽtię, quam poſtea remota lite vſus totius eccleſiæ declarauit. Tertiò, ſæpè illos ſanctos Patres Diuinam eſſentiam per ſe exiſtere, & ſubſiſtere accepiſſe, & voluiſſe explicare ab alio non pendere, ſed à ſe ipſa tamquam primum infinitum ens.

Denique Caietanus exiſtimauit, litem, & ſeipſum eripere, & liberare de manu, & poteſtate aduerſariorum, & patrum, ac Conciliorum 3. par. quæſt. 2. art. 2. ſi diceret, Diuinam eſſentiam non ita ſubſiſtere ſubſiſtentia communi, vt ſit perfectum ſuppoſitum, & abſoluta perſona; ſed quaſi imperfectum, veluti cui deeſt incommunicabilitas, & rectè dici poſsit ſemiſuppoſitum, & ſemiperſona.

Sed hic modus dicendi, & opinandi, nouus, & inuſitatus, etiam à ſectatoribus huius opinionis reijcitur: eſt enim contra modum, & phraſim dicendi Conciliorum, & Patrum, vt antea recenſitum eſt: ſecundò falſum aſſerit: nam hæc ſubſiſtentia abſoluta, cum ſit communis tribus perſonis, & ab ipſis ferè niſi ratione differat, non poteſt eſſe niſi perfecta, & completa vt ſic: tertiò, manifeſtè pugnat cum Sancto Thoma, quæſt. 30. art. 4. non eſſe communitatem rei, ſicut vna eſſentia communis eſt tribus perſonis, ſed eſſe communitatem ſimilem indiuiduo vago. Et ſubdit. Nomen perſonæ non eſt impoſitum ad ſignificandum indiuiduum ex parte naturæ, ſed ad ſignificandam rem ſubſiſtentem in tali natura, hoc eſt communem ſecundum rationem omnibus perſonis Diuinis, vt vnaquæque earum ſubſiſtat in Diuina natura diſtincta ab alijs: ita S. Thomas; vbi nullam ſubſiſtentiam eſſe realiter communem, ſicut eſt realiter communis Diuinitas, teſtatur. Idem repetit q. 40. art. 3. explicatius: Dicere autem Diuinam eſſentiam eſſe ſubſiſtentiam, & abſolutum ſuppoſitum, & abſolutam perſonalitatem in Deo, Eimericus in directorio Inquiſitorum par. 2. quæſt. 2. refert inter errores Raymundi Lulli.

CAPVT VLT.

In quo oppoſita argumenta ſoluuntur.

NVnc verò diſtinctius aduerſariorum primo loco poſita argumenta ſoluuntur, qua ſolutione, nouo, & fortiori argumento noſtra ſententia confirmatur. Poſtquam enim quod nobis oppoſitum eſt facili negotio ſolui conſtabit, veriorem eſſe antiquiorem, & grauiorum doctorum quam docuimus ſententiam, quis videre non cogetur? Quamuis verò ſimplicior, & facilior ad reſpondendum ratio ſeruaretur, ſi primò ad auctoritates, deinde ad rationes: tamen ne quo oppoſitæ ſunt rationes, & loca Sanctorum, confundatur ordo, ad rationes Durandi primo loco relatas, & primæ opinionis, ſic reſpondendum cenſeo.

Et ad primum, ſuppoſita longiori multorum reſponſione, primò ſupponere Durandum, quod nos ſupra negauimus, variam, & diuerſam eſſe rationem perfectionis abſoluti, & relatiui: diximus enim vnam eſſe perfectionem Diuinam complectentem, tum abſoluta, tum relatiua, eo quia in Deo non multiplicantur niſi quæ opponuntur: abſoluta autem, & relatiua neque opponuntur, neque differunt perfectione: ſupponere ſecundò, relatiuum non eſſe de ratione abſoluti Diuini, imò ab ipſo differre pluſquam ratione: quod nos quoque, & Auctoribus, & rationibus negauimus. Ad totum ergo argumentum, negamus ſubſiſtere Diuinum perfectiſsimum excludere perfectionem relatiuam, imò intimè ſibi identificat abſolutum, formaliſsimè relatiuum: & ad formam argumenti, negatur minor: illud enim ad ſe exiſtere, vt eſt perfectio, non excludit ad aliud. Imò infrà conſtabit, etiam relationes formaliter, vt conſtitutiuæ ſunt, ad ſe exiſtere.

Obſeruat Molina, argumentum hoc magis fauere opinioni Caiet. quàm Durandi: non enim probat non conuenire perſonæ ſubſiſtere, ſed non conuenire niſi ratione etiam eſſentiæ, quæ veluti pars ingreditur ad conſtitutionem perſonæ.

Ad ſecundum, vel potius ad confirmationem, reſpondetur. Relationem Diuinam dicere perfectionem, vt in reſponſione ad primum, non diuerſam tamen à perfectione abſoluti. deinde, ſi diuerſam, non facere inæquales perſonas, ſed diſtinctas, eo modo, quo & relatio. Eſt autem perfectio hæc, relationis intrinſeca affectio; & ideo negatur eſſe abſurdum, quod ipſe obijciebat: neque enim ita diſtinguit perſonas huiuſmodi perfectio, vt tamen non conueniat, vt tali perſonæ in natura Diuina; præterea hoc modo conceptam relationem, non eſſe ſimpliciter perfectam, ſed vt non diſtinctam ab abſoluta.

Ad tertium, agitur de interpretatione loci D. Auguſtini, & omnis conſimilis cuiuſcumque alterius Doctoris, & Patris; & reſpondeo, primo alta mente reponendum tempus, quo tum ſanctus Auguſtinus, tum ſanctus Hieronymus, tum alij contemporanei Patres, ſimilem dicendi modum ſecuti aliquando: eo namque tempore infæliciſſimo

Digitized by Google

vixere, quo totus ferè terrarum orbis, igne, & hæreſi Arriana æſtuabat, & conabantur innumeri, ſimplices homines voce hypoſtaſis decipere; vt diuinas tres perſonas tres hypoſtaſes nuncuparentur: quia apud Græcos tunc, aut huius vocis vis ignorabatur, aut pro Vſia, & eſſentia ſumebatur communiter, vt teſtatur S. Hieronymus: vnde ſic latenter ad diuerſam Filij eſſentiam à Patre, credendam, & confitendam, decepti cogerentur. Quare hoc exorto ſchiſmate, & hac grauiſsima de fide ardente, & pendente lite, oculatiſsimè iſti Patres abhorrebant, & ſeſe abſtinebant ab illis vocibus, quæ, aut decipere, aut periculo exponere ſimplices credentes poſſent, ſcilicet inter alias, hypoſtaſis voce: vnde niſi de ſubſtantia abſoluta eam concedebant. Non verò, vt huic, de qua inter Theologos, vllo abſque fidei periculo, aut detrimento nunc controuertitur, quæſtioni, auctoritatem adderent; ſed ne errandi in voce æquiuoca, ſaltem apta decipere, ſuo ipſorum nomine magno, occaſionem offerrent, & anſam præberent; ſedata autem lite, & per apertum, & certum orthodoxum Eccleſiæ vſum, hypoſtaſis ſententia, & vi cognita; & hypoſtaſim Diuinæ perſonæ conceſſerunt, & in communem dicendi modum deſcenderunt; ita vt hypoſtaſis tandem omnino æquipolleat ſubſiſtentiæ; quare ſemper S. Auguſtinus tunc temporis vertebat Græcam vocem, hypoſtaſim, in ſubſtantiam, non ſubſiſtentiam, ne tres ſubſtancias, & eſſentias, tres perſonas ad Arrij mentem hæreticam in Idiomate latino concedere videretur: & quod de hypoſtaſi, idem de ſubſtantia, & timebat, & erat periculum: eo quia tamen ipſe plenè, & planè vocis hypoſtaſis vim tandem nouerat, 7. de Trinit. cap. 6. vbi non eſſet ſcandalum, poſſe ſicut Græcè tres hypoſtaſes, ità latinè tres ſubſtantias concedebat; ergo hic, & ſimilis locus S. Auguſtini nihil ad rem noſtram prorſus faciunt, ſed ſunt voces timoris, & circumſpectionis illorum temporum: hoc eodem modo interpretandus S. Hieronymus epiſt. 57. ad Damaſum. *taceatur* inquit, *tres hypoſtaſes, ſi placet, & vna teneatur*: ibi enim hypoſtaſim ſumit pro eſſentia; ſimilia loca adduci poſſent ex Sanctis, Athanaſio, Epiphanio, Liberio Papa, Concilio Sardiceni &c.

Secundò. Reſpondeo, perſonam, & hypoſtaſim, in eſſe perſonali à relatione ſubſiſtente conſtitutã, poſſe duplici ratione conſiderari; prima, vt conſtituta eſt, & ſubſiſtit, ſecunda, vt actu refertur ad terminum. Sub prima ratione non dicitur referri, nec eſſe ad aliud; nam vt ſic, tantummodo dicit ſubſiſtentiam; & quo non formaliter dicitur ad aliud, eo poteſt ad ſe dici: ſub ſecunda vero ratione non ita: tunc enim verè ad aliud. Hanc binam de perſona animaduerſionem, ferè omnes obſeruarunt: duplex enim eſt relationis Diuinæ munus, conſtituendi aliud, actu referendi aliud: colligitur ex D. Auguſt. 7. de Trinit. cap. 6. *vbi* inquit, *ad ſe dicitur perſona Patris, non ad Filium, ſicut ad ſe dicitur Deus*; quibus luce clarius, ad ſe ſubſiſtere, non tantum de eſſentia, ſed etiam de perſona dici oſtenditur.

Reſpondeo tertiò, D. Auguſtinum, nunquam dixiſſe, vnicam eſſe ſubſiſtentiam Dei, ſed tantum vnicam eſſe ſubſtantiam, vt conſtat ex toto contextu capitis vtriuſque 4. 5. 7. lib. de Trinit. vt verò explicaret perfectam vim, & exercitium ſubſtantialis entitatis, vſus eſt verbo, ſubſiſtere, non verò eo ſenſu, quo diſputamus, ad aſſerendam ſubſiſtentiam de Diuina eſſentia; ſic inter alios egregiè notarunt, Alex. 1. par. quæſt. 57. membro 3. Henricus 2. par. art. 53. quæſt. 6. ad quartum, & confirmatur: nam alias intolerabilis eſſet, & erronea, ſententia Diui Auguſtini apud Patres, qui apertè concedunt tres ſubſiſtentias relatiuas, vt ſupra vidimus; ipſe verò manifeſtè ſubſiſtere relatiuum negaret.

Alij alio explicandi modo reſpondent: ſubſiſtere latius patet, quàm abſolutum, & relatiuum, & ipſis commune, quemadmodum res, accidens, & ſubſtantia, communia quoque ſunt abſolutis, & relatiuis: eſt enim duplex accidens, duplex ſubſtantia, duplex res, relatiua, & abſoluta: ergo & in Diuinis idem obſeruare, & dicere licet, quando relatio ſumitur concretè in ſola ratione perſonæ, & ſuppoſiti; & quando in ratione reciprocationis ad correlatiuum.

Ad reliqua Patrum loca, & teſtimonia; ad illud Agathonis Papæ, quo triumphare gloriatur de aduerſarijs Miranda, reſpondetur, quod iam reſpõſum eſt ſupra etiam per aduerſarios, Molinam, Suarez, Nazarium, & communiter valdè probabile eſſe, mendoſum eſſe illum locum, & ſubſiſtentiæ loco, nunc legi ſubſtantiæ, & corrigendum hoc modo, trium ſubſiſtentiarum vnam eſſe ſubſtantiam, quemadmodum plura exemplaria latina, & emendatoria oſtendunt.

Ad D. Hilarium, præter ea, quæ obſeruat Vaſquez, & quàm corruptè allegetur locus ille S. Hilarij. ſeptimo de Trinitate in fine, optima interpretatio eſt illa, quæ ex S. Damaſc. 3. de fide cap. 3. addiſcitur. Diuinam quidem eſſentiam ſubſiſtere, tamen niſi in tribus perſonis: quibus hoc maximo interprete, innumera ſimilis phraſis ſanctorum teſtimonia, quæ poſſent referri, & partim refert Didacus de Antoia, explicantur quàm eruditè. Quare ad Niſſenum; qui magis explicatè in Diuina eſſentia viſus eſt ſubſiſtentiam aſſerere; reſpondetur, eſſentiam à ſe ſubſiſtere, quia non ab alio, tanquam à cauſa, ſicuti reliquæ creaturæ: eſt enim primum ens: neque tamen dicenda communis ſubſiſtentia nam etiam; vt in perſonis ſubſiſtit, adhuc à ſe, & non ab alio tanquam à cauſa, habet, vt ſubſiſtat. ſecundo, & ad ipſum, & ad reliquos Patres Græcos, ſi qui huius dicti inuenirentur aſſertores, vnum obſeruandum, quod docuit Nyſſenus libello de differentia Vſiæ, & hypoſtaſis, cum alijs multis Patribus Græcis, cum quibus eſt Boetius lib. de duabus naturis, & vna perſona Chriſti, hypoſtaſim idem eſſe cum perſona in natura rationali, nec alio nomine Græco quod habeant, vti poſſunt Græci ad communem ſubſiſtentiam ſignificandam, quàm hypoſtaſi; nec vnquam ipſe præcipuè, Diuinam eſſentiam vocauerit hypoſtaſim: tunc enim perſonam eam conſtituiſſet, nec ex illo, nec ex alio Græco deduci vnquam propte-

Digitized by Google

rea poterit, diuinam eſſentiam eſſe ſubſiſtentiam: nam contra ortodoxum eccleſiæ vſum hypoſtaſis vocem adhiberent.

Ad rationes. Et ad primam, conceſſo antecedenti cum prima conſequentia, negatur minor, & vltima conſequentia. Ad probationem negatur conſequentia. Ad ſecundæ conſequentiæ rationem adhuc negatur conſequentia: ſubſiſtit enim in tribus ſubſiſtentijs, quibuſcum eſt idem formaliter, vt ſi prius concipiatur vt vnus ſine perſonis, concipitur inadæquatè. Ad confirmationem Suarez eadem ferè reſponſio, ſicut eadem confirmandi vis: Diuina eſſentia vt ſic, eſt infinitè perfecta, conceditur, ſed vt ſic, non includit perfectiones relatiuas: ergo ſe ipſa ſine illis ſubſiſtit. Poſſet negari maior: poſſet enim dici, Dinina eſſentia vt ſic, hoc eſt vt vna, eſt infinitè perfecta ſine perſonis; ſed negatur minor, vt ſupra ſatis oſtenſum eſt: Diuina enim perfectio infinita formaliſsimè, complectitur etiam relatiuas perfectiones, velnti vltimas actualitates: ſubſiſtit ergo in ipſis; ſe ipſa autem nequaquam: ſicuti namque repugnat vnicam perſonam incommunicabilem; ita vnicam ſubſiſtentiam abſolutam, hac ratione, quia eadem numero natura in omnibus perſonis ſubſiſtit: exiſtit quidem perfectiſſimè in ſe, & ex ſe, & non ab alio, & communis omnibus perſonis: tamen tantum in ipſis ſubſiſtit.

Ad ſecundam, negatur illud ſequi abſurdum, quod fabnlantur, eſſentiam ſcilicet mendicare à perſonis ſubſiſtentiam: ſequeretur quidem, ſi perſonæ eſſent quid diſtinctum, & ab eſſentia remotum, & ſeparatum:-at verò cum intimæ Diuinæ eſſentiæ adeo ſint perſonæ, vt de ipſius ratione ſint; non ab ipſis mendicat ſubſiſtentiam, ſed hæc eſt Diuina Deitas, vt tribus intrinſecè modificetur, & ſubſiſtat perſonis. Sed deducitur hoc abſurdum ex abſurdiore ſuppoſito, perſonas aſſerere extrinſecas, & quaſi ab eſſentia alienas, vt in quibus locetur, & ſuſtineatur.

Ad tertiam negatur minor: ad probationem ex locis, reſp. ijs quidem locis, quod ſit vnum, & ſingulare, quatenus in ſe indiuiſum probari: ſed hoc non ſufficit ad completam ſingularis, & indiuidui rationem, ex Ariſt. 7. Metaph. ſed requirit ab alijs eſſe diuiſum: at verò eſſentia Diuina in ordine ad Diuinas perſonas, quibus eſt communicabilis, non eſt diuiſa, nec diſtincta; tunc enim non eſſet communis: propterea non adæquatè in diuidua, vt ſubſiſtat niſi in ipſis: ita ſupra ſæpe ex Sancto Bonauentura 3. ſent. plenam rationem indiuidui expoſcere diniſionem, & diſtinctionem &c. quare humanitas Chriſti vt ſic, non eſt perſectè indiuidua. Ad rationem negatur minor. Ad probationem reſpondetur, licet ſit ita vna Diuina eſſentia, vt plurificari non poſſit, eſt tamen ita vna, vt in pluribus poſsit inueniri; quod verò non multiplicetur, quaſi accidit ex infinitate: quare illud vnum non dicit completam rationem vnins ad ſubſiſtendum: quod ſi tamen velles nobis nolentibus ſubſiſtere: ex ante oſtenſo loco D. Damaſceni dicam, ſubſiſtit quidem, ſed in tribus perſonis.

TERTIA DISPVTATIO.

De perſona.

De exiſtentia perſonarum.

An ſcilicet ſicut tres ſubſiſtentiæ ſunt, ita tres exiſtentiæ dici, aut poſſint, aut debeant.

COGIT nos hìc dubitare, & in diſputationem ire: breuius tamen quàm in alijs ſoleamus, auctoritas, & locus Sancti Bonauentutæ, eadem quæſt. 2. ex Riccardo de Sancto Victore lib. 4. cap. 20. ſubſtantiam proprietati diſtinguenti ſubſtare, non facere ſubſiſtere, ſed exiſtere, quaſi ab alio eſſe: hinc eſt, quod Riccardus dicit, quod melius dicitur exiſtentia, quàm ſubſiſtentia: videtur ergo clariſsimè Diuinas perſonas tres eſſe exiſtentias concedere: quia exiſtere eſt à diſtinguente, & proprietate, & origine: nam exiſtere, eſt ab alio ſiſtere: ergo ſicut tres relationes perſonales, ita tres exiſtentiæ. Quod ſi Gabriel Vaſquez diſput. 126. diligenti conatu incumbit, vt Riccardum in ſuas partes interpretetur, ipſam ſcilicet exiſtentiam in Deo non plurificari, ſed einſdem vnius abſolutæ exiſtentiæ, quæ eſt actus eſſentiæ, modos: ſed, aut fortaſſe iſte aliquando nimis diligens, & exquiſitus auctor, vim infert Riccardi verbis, aut quod concedit, ſufficit ad id, quod ab alijs prætenditur: ſi namque tres modi exiſtendi exiſtentiæ abſolutæ, ſunt tres perſonæ: ad eſſentiam quidem comparatæ, ſunt modi; at verò ad inuicem ſunt, & realitates, & entitates exiſtentes relatiuæ. Ergo vt Sanctum Doctorem interpretemur, ſoluenda nobis eſt nunc hæc dubitatio.

Reſp. igitur hac vnica concluſione: in Deo ſicuti ſunt tres actu relationes perſonales, ad inuicem realiter diſtinctæ, & conſequenter tres perſonæ conſtitutæ; ita exiſtunt realiter, & ſunt tres reales exiſtentiæ relatiuæ. Declaranda prius concluſio, deinde probanda. Animaduertendum igitur primò, ſicuti ſupra cum de ſubſiſtentia agebatur, duo obſeruata ſunt, alterum concretum ipſius ſubſiſtere, ſcilicet habere eſſe ſubſiſtens: alterum abſtractum, rationem ideſt ſubſiſtendi, quam ſubſiſtentiam formalem nominabant auctores: conſimili ratione de exiſtentia nunc; aliud ſcilicet eſſe, quærere concretè, an Diuinæ perſonæ exiſtant diſtinctæ: aliud, an habeant diſtinctam exiſtendi rationem: licet diſſimili ratione diffinienda res ſit: ſupra enim communem ſubſiſtentiam negauimus, & propriam perſonalē ſuſtinuimus; nunc verò & cōmunem ſupponimus, tamquam commune Theol. dictum, & tamquam adeo receptum, & certum, vt ex Franciſco Suarez 3. par. quæſt. 3. & diſp. 11. ſect. 1. oppoſitum ſit temerarium, & contra dicta Scripturæ, & Sanctorum Patrum ex multis capitibus, ſed præſertim ex illo loco 3. Exodi *qui eſt*

miſit

miſit me: vbi cum multis Sanctorum Patrum expoſitionibus; Diuinum eſſe abſolutum, & tribus perſonis vt idem, in eo ſunt, commune aſſeritur; vnde hoc conficitur argumentum. *qui eſt*, eſt eſſentiale, & abſolutum: ergo commune tribus: ſed eſſe, & exiſtere, & eſſentia, & exiſtentia in Deo ſunt formaliſsimè idem: de ratione enim eſſentiæ eſt exiſtere; ergo datur & exiſtentia eſſentialis communis: probanda ergo relatiua quoque, & propria perſonarum exiſtentia.

Sed adhuc aliud pariter pro propoſiti dicti explicatione præmonendum; exiſtentiam poſſe duobus modis ſumi, primò vt dicit perfectum, & determinatum modum rei in aliquo genere, & eſt actus formalis, & ſpecificus: ſecundò vt entitatem actualem, & actum entitatiuum extra cauſas ſuas, & extra nihil in genere entis realis: conſimili modo biſariam poſſe poni exiſtentiam relatiuam, primò vt noſtro modo intelligendi natura Diuina per illam exiſtit in perſonis, & non multiplicatur: deinde, vt ipſa perſona, & relatio ſecundum proprium ſibi competentem modum refertur ad terminum, exiſtit; ita vt non dicantur exiſtentiæ, quibus Diuina natura abſolutè exiſtat, ſed rationes formales, per quas Diuinæ perſonalitates, & relationes actualiter ſunt: hoc ſenſu, in animo noſtro eſt probare, & ſuſtinere propoſitam concluſionem. Primò, eorum qui hoc docuerunt auctoritate, quorum primum refero Riccardum de Sancto Victore lib. 4. de Trinitate cap. 23. qui definiens perſonam dixit, *eſt intellectualis naturæ incommunicabilis exiſtentia*, vbi ſic argui poteſt. Natura Diuina vt ſic, exiſtit communicabilis: vt in perſona, exiſtit incommunicabilis: ergo ratio exiſtendi eſt quoquomodo diuerſa, quem modum dicendi, omnes qui hanc amplexati ſunt definitionem, videntur ſequuti. Alia ex eodem Doctore refert Suarez, quæ exiſtimat apertiſsima. Secundò ex Sancto Bonauentura loco citato, vbi mea certa ſententia ſatis clarè admittit, & docet, quod nunc auidè inuenire cupimus: proprietas diſtinguens, ideſt perſonalis, quæ, & conſtituit, & ſimul diſtinguit, facit exiſtere; & quia exiſtere, eſt ab alio ſtare, & ab alio oriri: ergo verè ex hoc Sancto Magiſtro datur exiſtentia perſonalis, & relatiua. Quod ſi addat, hoc non eſſe vſque adeo propriè dictum, hoc certè non ad dubitandum de ratione exiſtendi relatiuè, ſed, vt ibi patentiſſimum eſt, ad oſtendendum non adeo propriè ibi ſubſtantiam proprietati ſubſtare, ex vſu humano ſumi, propter identitatem inter ſubſtantiam, & proprietatem, cui ſubſtat.

Obſtabis vehementius. Supra ex D. Bonauentura cum Henrico, & alijs ſuſtinuimus, relationem Diuinam eſſe de conceptu intrinſeco Diuinæ eſſentiæ: ergo, & exiſtentia relationis erit de conceptu exiſtentiæ abſolutè: quomodo ergo conſequenter hic tenemus aliam eſſe rationem exiſtendi relationis, aliam exiſtendi eſſentiæ? reſpondetur, nos conſequenter loqui, & duplici ratione, prima, quia hic ſumuntur relationes in eſſe proprio in ordinatione præcisè ad terminum, & vt ſic ratione diſtingui ab eſſentia, & conſequenter etiam exiſtentiam relatiuam ab exiſtentia abſoluta; non autem in eſſe communi: tunc enim diſtinctum eſſe non habet ab abſoluto. Secunda, ſicut ad inuicem referuntur: tunc namque ſicuti ſunt tres res; ita neceſſario erunt tres res exiſtentes diſtincta exiſtentia: quia aliàs adinuicem actualitatem nec haberent, nec exiſterent. videndus hic Suarez concluſ. 3. ſect. 3. diſputat. 11. quæſt. 3. tertiò probatur ex Riccardo de media villa 3. ſent. diſt. 1. quæſt. 2. ad primum. Quærebat vtrum poſsibile ſit vnam perſonam incarnari ſine alia, & arguit in oppoſitam partem, & ſupponit primò, naturam humanam aſſumptam extitiſſe per exiſtentiam Verbi, & trium perſonarum vnum tantum eſſe exiſtere, & probatur: quia ſicut vna eſt eſſentia, ita vna exiſtentia per quam exiſtunt, ergo vna ſine alia ſicut exiſtere non poteſt, & dare humanitati exiſtentiam, ita vna ſine alia incarnari non poteſt. Ad argumentum his verbis reſpondet: *ad primum in oppoſitum dicendum, quod exiſtere abſolutè dictum, vnum eſt in tribus perſonis; ſed exiſtere perſonam Patris, non eſt exiſtere perſonam filij, vel Spiritus Sancti*. quid clarius? exiſtere abſolutum tribus eſt vnum, exiſtere perſonarum eſt triplex, ſicut triplex perſona: quare gloſſula Vaſquez certo euaneſcit, dicere ſcilicet Riccardum, exiſtere perſonam Patris non eſſe exiſtere perſonam Filij, valde diuerſum eſſe quam dicere, exiſtere perſonæ Patris non eſt exiſtere perſonæ Filij, quaſi velit dicere, exiſtere perſonam, dicit modum, exiſtere perſonæ, dicit actum exiſtentiæ: ſed primò ita dixit ſuperioribus verbis, exiſtere abſolutum in tribus eſt vnum; in quo namque differt exiſtere in tribus ab exiſtere trium? Et ſi conſequenter locutus eſt, neceſſariò voluit dicere, exiſtere relatiuum in tribus, hoc eſt trium, eſt triplex; alias non ſoluiſſet argumentum: vt neceſſariò ſit idem perſonam exiſtere; & exiſtere perſonæ: ſecundò, modi illi in ordine ad eſſentiam ſunt actus exiſtentes; & ad abſurdum, quod ex argumento deducit ipſe, negatur conſequentia vt infra. Quod ſi dicas ex Ariſt. relationes non produci, neque ad ipſas eſſe motum; reſpondeo, de relationibus ſubſiſtentibus falſum eſſe: ergo nulla ratione inficiari poteſt, in hac ſententia nobiſcum non ſenſiſſe Riccardum.

Quartò ex Scoto in primo ſent. diſt. 11. quæſt. 2. §. *ad rationes*. Vbi ait, relationes non ſolum diſtingui ab alia ſecundum quidditatem relationis, hoc eſt ſecundum ſuam eſſentiam, ſed etiam ſecundum eſſe; quibus non potuit aliud velle dicere, quàm diſtingui ſecundum exiſtentiæ eſſe; & relationem non ſolum non tranſire in eſſentiam, & identificari cum ea ſecundum ſuam quidditatem formalem, ſed etiam ſecundum eſſe. Cuius fundamentum eſt illud, quod ſemper tenuit, ac docuit, exiſtentiam non differre ab eſſentia: quo poſito ſequitur; remanet quidditas eſſentialis relationis: ergo & exiſtentiæ, quia ad inuicem non differunt. Ergo Scotus omnibus illis locis, & rationibus, quibus relationes differre formaliter ab eſſentia, & eſſentiam, & exiſtentiam non differre profitetur, ſimul quoque perſonas proprias exiſtentias relatiuas

tiuas

tuas habere profitetur. Hanc eandem ſententiam tenent neceſſario interpretes alicuius notæ, Scoti; & multi recentiores, inter quos eruditè Suarez loco antea recenſito. Longus noſter à Coriliano problema ſuſtinet: in Scoto tranſeat: ſed in ſancto Doctore, quem ſuis notationibus colluſtrat hoc problema non poſſe admitti, ſatis ſupra exiſtimamus demonſtraſſe. Hanc eandem ſententiam, & modum loquendi, imitari ſunt Ioannes Theologus in Concilio Florentino. Albertus 1. par. quæſt. 44. membro 2. dum defendit diffinitionem Riccardi; Alexander 1. par. quæſt. 44. & quæſt. 49. membro 2. Henricus in ſumma art. 53. quæſt. 1. & cæteri Scolaſtici recipientes eandem diffinitionem Riccardi; Inter recentiores, inſignes quoque Theologi idem docuerunt. Suarez 3. par. to. 1. diſput. 11. ſect. 2. & 1. par. lib. 3. de Trinit. cap. 5. & lib. 5. cap. 2. Zumel 1. par. quæſt. 28. art. 2. ſua quæſt. 4. concluſ. 1. Medina 3. par. quæſt. 17. art. 2. dub. 3. Ruiz diſput. 25. ſect. 5.

Colligi poteſt quoque ex Patribus quibuſdam, dum aſſerunt: aliud eſt, eſſe Patrem, & aliud eſt, eſſe Deum: his enim verbis viſi ſunt diſtinxiſſe eſſe exiſtentiæ perſonarum ab eſſe exiſtentiæ eſſentialis, & communis. Ita D. Athanaſius Dial. 1. de Trinit. contra Anomæum, de Filio, ait *à Patre non differre in Deum eſſe, ſed in Patrem eſſe, & Filium eſſe*. & orat. 4. contra Arianos, *quamquam alius eſt Filius, quatenus eſt genitus; attamen idem exiſtit, quatenus eſt Deus*. D. Epiphanius in Anchorato, *honoratur* inquit, *Pater, ſecundum quod Pater eſt, honoratur Filius, prout Filius eſt, honoratur Spiritus ſanctus, prout Spiritus verus eſt*. D. Chryſoſtomus. hom. 1. in Ioannem, *omnibus* inquit *Patrem eſſe conſtabat, ſi non vt Patrem, ſaltem vt Deum*. D. Auguſtinus lib. ſeptimo de Trinitate cap. 4. *aliud* inquit *eſt Deo eſſe, aliud Patrem eſſe*, ità D. Anſelmus in Epiſtola de proceſſione Spiritus ſancti *§. credunt*. & *§. his præmiſſis*.

Nunc pugnemus rationibus; & quia rationi conſentanea noſtra opinio, pro virili conemur, & eam confirmemus etiam ex ſancto Thoma, quæſt. 5. de potentia art. 4. ad tertium, & ex Capreolo latè in 1. diſt. 8. quæſt. 1. concluſ. 2. & Caietano de ente & eſſentia cap. 4. proximo ante quæſt. 6. & cap. 5. quæſt. 10. ad octauum: ex quibus ſuppono, exiſtentiam eſſe quendam actum, ſeu terminum eſſentiæ eiuſdem prædicamenti; quamuis in eo non directè, ſed reductiuè collocetur: quod alij dicunt actum entitatiuum, & actualem entitatem, ſicuti indicauit Scotus vbi ſupra: tūc nihil multiplicatur, aut numero, aut ſpecie, niſi multiplicatis formis, quibus, quod eſt, exiſtit: ſed in Diuinis multiplicantur relationes perſonales, quaſi formæ ſpecificę perſonarum: ergo multiplicantur, & eſſe perſonarum, & rationes eſſendi, & tandem exiſtentia. Maior eſt certa; quia forma dat eſſe rei. Minor quoque ex pluribus locis deductis, Paternitatem ſcilicet quaſi ſpecie differre à filiatione, & eſſe qua formaliter prima perſona cõpletè eſt Pater: & ex loco illo, *proprietas eſt diſtinguens*: ergo & conſtituens: ergo dans eſſe diſtinctum: ergo plura eſſe: ergo plures exiſtentię. Conſequentia quoque probatur, quia propria exiſtentia relatiua, ratione ſecundum noſtrum intelligendi modum, differe ab exiſtentia abſoluta. ſecundo, quia realiter ad inuicem differunt. tertio, hinc vnaquæque entitas, & res eſt extra nihil, per actum exiſtentiæ.

Secundo. Relatio ſecundum proprium eſſe, eſt ens reale, & dum aduenit ſubiecto in creaturis, addit actuale eſſe relationis ad terminum, & dum auſertur, illud eſſe minuitur, & eſt euidens axioma: ergo habebit propriam exiſtentiam, ex vtroque fundamento, tum Scoti, tum ſancti Thomæ: ergo multo magis in Deo, probatur: quia relationes Diuinæ actualiores ſunt, & inde, magis exiſtentes.

Tertio. Hæc opinio ſic explicata, eo præcipuè videtur amplexanda, quo tum magis perſonarum veritatem, & realitatem, & diſtinctionem, contra Sabellianos profitetur; nec Arrianæ hæreſi, neque per latum vnguem, ne dum accedit, ſed ne vllam vmbram quidem ſomniat. Probatur vtraque pars: quo enim ad Sabellium: hæc eius deteſtanda hæreſis erat, perſonarum diuinarum veram, & realem diſtinctionem negare, eaſque ſolo munere, & effectu diſtingui, dum impius eandem perſonam quatenus generat, Patrem, quatenus carnem ſumit, Filium, quatenus denique ſanctificat animas, Spiritum ſanctum nuncupabat: modo aſſerere, & ſuſtinere, & tueri, perſonas non ſolum relatione oppoſita, ſed exiſtentia vera relatiua, ſed ſubſiſtentia diſtingui, ita vt in eadem eſſentia vna abſoluta, vel eandem eſſentiam vnica exiſtentia, exiſtere in tribus, & tres perſonas realiter diſtinctas exiſtere proprijs relationibus diſtinctis, quis aut non videre, & non fateri expræſſiorem realitatem, & veritatem earundem perſonarum poterit? quo verò ad reliquam partem: Arrius enitebatur, Filium eſſentia, & Vſia facere differre à Patre, vt hinc Filij diuinitatem negaret, eumque puram creaturam, populo ſimplici præſertim proponeret. At verò quid hæc trina exiſtentia relatiua in eadem vnica eſſentia huic impietati faciet? quis Auctorum hoc vnquam indicauit? multiplicantur relatiua, non abſoluta; aſſerimus exiſtentias relatiuas, non abſolutas.

Dices D. Hieron. Epiſt. 57. ad Dam. Papã. *Quiſq;* inquit *tria, eſſe tres Vſias dicit, tres naturas conatur aſſerere*, vbi ſicut tres Vſias, ita tres exiſtentias videtur prohibere, & conſequenter tantum exiſtere eſſentiale concedere; vnde tria eſſe admittere, Arrio concedere Filium à Patre eſſentia differre, videatur. D. Auguſtinus 7. de Trinit. cap. 4. *Aliud eſt Deo eſſe, aliud Patrem eſſe: Quod enim eſt, ad ſe dicitur: Pater autem ad Filium*. Et ibidem addit, quod ſicut non dicuntur *tres eſſentia Dei, ita nec tria eſſe*, ſicuti nec tres Sapientiæ: quia inquit, *vnum eſt Sapere in Deo, quia in illo hoc eſt eſſe, quod eſt Sapere*; ergo ex D. Auguſtino multiplicare eſſe, & exiſtere, quod idem eſt, Arrianiſmum ſapere videtur.

D. Damaſcenus lib. 1. de fide cap. 11. penes perſonalem perfectionem hoc eſt exiſtendi modum. vbi per exiſtentias non docet differre perſonas, ſed per modos exiſtendi.

D. Tho-

D. Thomas omnibus illis locis, quos obſeruat, & refert Suarez indicata ſect. 2. & in 3. par. q. 17. art. 2. ad tertium, vbi clariſſimè dicit, in perſonis Diuinis non eſſe aliud, eſſe perſonæ, prçter eſſe naturæ, & ideo tres perſonas, non habere niſi vnum eſſe. Et 1. par. q. 30. art. 2. ad ſecundum. Perſonas Diuinas non diſtingui in eſſe abſoluto in quo ſubſiſtunt, & quæſt. 2. de potentia art. 5. in corpore; quia eſſentia Diuina eſt ſuum eſſe, non accipit eſſe per ſuppoſita, & art. 6. non eſt concedendum, quod aliquid abſolutum in Diuinis multiplicetur, ſicut quidam dicunt, quod in Diuinis eſt duplex eſſe, eſſentiale, & perſonale: omne enim eſſe in Diuinis eſt eſſentiale: nec perſona eſt niſi per eſſe eſſentiæ, & quæſt. 9. de potentia art. 3. ad 19. & quæſt. 8. art. 2. ad 11. & quæſt. 1. de veritate art. 5. ad 18. ergo apertè reclamat S. Thomas huic ſententiæ, Patrum ſupra indicatorum ſententiam, & modum loquendi imitatus.

Verum horum Patrum, & aliorum ſimilia, ſi quæ inueniantur dicta, adhibita, & ſolerter animaduerſa diſtinctione, ita conabor interpretari, vt nobiſcum potius, quàm contra nos ſenſiſſe, quiſquis mentis compos libenter iudicauerit.

In triplici igitur genere cenſeri poſſunt, quæ diuinis conuenire poſſunt, & de ipſis prædicari. In primo genere ſunt illa, quæ abſoluta ſunt, neque multiplicantur, vt eſſe Deum, eſſe incomprehenſibilem, intellectualem &c. ratio autem quare multiplicari non poſſunt, propriè eſt, quia forma, vnde hæc, & ſimilia ſumuntur, eſt omnino eadem in omnibus, & ſingulis perſonis. In ſecundo genere, quæ perſonis præcisè, & ratione relationis conueniunt, vt eſſe perſonam, eſſe Patrem, eſſe Filium &c. hæc autem multiplicantur, alia enim eſt perſona Patris, alia Filij, &c. Et multiplicantur ſubſtantiuè, & quaſi ſpecificè, quia multiplicantur formæ, & rationes ſpecificæ perſonalitatum, nimirum Paternitas, Filiatio, & proceſſio, quæ ad inuicem differunt formaliter, & definitione, & quaſi ſpecie; alia namque ratio relationis Paternitatis, alia filiationis &c. In tertio denique genere ſunt, quæ quodam medio modo, abſolutè quidem conueniunt perſonæ ratione eſſentiæ, vt eſſe, exiſtere &c. modo conueniunt eidem perſonæ præcisè, ratione relationis, & multiplicata relatione multiplicari quoque poſſunt, ſicuti oppoſito modo abſolutè ſumpta hæc prædicata non multiplicantur, quia dicuntur de eſſentia, & exiſtentia eadem in tribus perſonis, & dicuntur prædicatà tranſcendentia, & ex ſe abſtrahentia ab eſſe abſoluto, & relatiuo.

Ergo exiſtentia relatiua multiplicatur, & triplex eſt, quia forma, de qua dicitur, hoc eſt relatio, multiplicatur; exiſtentia verò abſolutè prolata, verſa vice multiplicari non poteſt, quia vnica eſt eius forma, ſcilicet eſſentia.

Quare Sancti, Hieronymus, & Auguſtinus non conceſſerunt, exiſtere Dei abſolutè ſumptum multiplicari, relatiuum autem, & ad terminum, non negarunt. Ita S. Hieronymus tria eſſe negat, non tres eſſe, ſcilicet exiſtentias: ſicuti tres perſonæ vnum ſunt, non tamen vnus, aut vna. Ita S. Auguſtinus, exiſtere ad ſe, Patrem ad Filium, primum nō multiplicat, ſed ſecundum, ſcilicet relatiuū, non abſolutū. D. autem Damaſcenus vocat exiſtendi modū, in eſſentia quidem: ad inuicem autem & ad da perſonam, exiſtentiam, & rē; ſed ſicuti relationē vt ſic, nō poteſt negare non habere ſuam actualitatē, ita neq; habere ſuam exiſtentiam. Idem facilius, & breuius. Relatio vt in eſſentia, exiſtit exiſtentia eſſentiæ, & cōmuni & abſoluta; vt verò in perſona, & in ratione propoſita, exiſtit quoque iuxta propriam actualitatem exiſtentia propria, & multiplicata propria ratione relationis, multiplicatur exiſtentia.

Ita quoque prorſus, & quaſi neceſſariò interpretanda ſunt loca Sancti Thomæ, vt eſſe, & exiſtere, in ordine ad eſſentiam, idem, & vnicum ſit; in ordine verò ad terminos, & relatum, diuerſum, & multiplex. ſed ſeipſum interpretatur S. Thomas in primo diſt. 33. quæſt. vnica art. 1. ad primum his verbis: *quatenus eſſe ſignificat quidditatem, quam explicat definitio, ſic eſſentia, & relatio non vniuntur in eſſe*; quem ſequitur ſuus commentator Caietanus prima par. quæſt. 28. art. 2. & multo magis Scotus, tenens relationem ab eſſentia formaliter differre, vbi clarè S. Thomas, diuerſum eſſe id eſt exiſtere, habere eſſentiam, & relationem in eſſe proprio, & relatiuo ad terminum concedit: quare quando alibi eſſe eſſentiæ, & perſonæ non differre docuit, non ſumebat perſonam quidditatiuè, hoc eſt propriè in ratione relationis. Nullum ergo hucuſque aduerſarium noſtra ſententia habet ex ſupra recenſitis.

Sed ne canamus adhuc Triumphum, fortaſſe multis rationibus hanc de exiſtentiarum multitudine opinionem, multum fauere Arrianis, & ſubinde falſam, non deſunt qui conentur oſtendere, & primò. Exiſtentia eſt actus eſſentiæ adæquatus, ponens eſſentiam in entitate actuali: ergo multiplicata exiſtentia, multiplicabitur & eſſentia, & ecce Arrianiſmum.

Scio quid ex alijs poſſem methaphyſicè, & ex Scoto reſpondere, ſed ex D. Auguſtino 7. de Trinit. reſpondeo, & nego conſequentiā hac ratione, quia multiplicari eſſentiam contradicit Scripturę, ſed multiplicare exiſtentias relatiuas, non contradicit, ita ipſe dicebat: quare dicimus tres perſonas, & non tres Deos, aut eſſentias? quia huic contradicit Scriptura: illi verò non contradicit. Secundò, quia exiſtentia actus eſſentiæ eſt abſoluta, & ideo immultiplicabilis: exiſtentia autem relatiua, de qua nunc, quæ eſt actus quidditatis relationis, ad numerum relationis numeratur & ipſa.

Secundò. ſi plures exiſtentiæ: ergo quoque plures durationes, & æternitates, & ſapientiæ, & omnipotentiæ &c. & probatur eodem medio, quo ſupra.

Reſpondetur, & eadem ratione negatur conſequentia, durationes ſimpliciter, & æternitatem, & ſapientiam, & omnipotentiam, non poſſe vlla ratione multiplicari, ſi ſumantur abſolutè, quia reclamat, & contradicit fides, & ipſa quoque Scriptura, quibus locis Deum multipli-

cari

Digitized by Google

cari vetat: hæc enim de vno Deo abſolutè dicuntur, idque omni ratione: nam ſunt prædicata, & perfectiones eſſentiales. Obſtabis: ſed & exiſtere eſt prædicatum eſſentiale. Reſp. exiſtere eſſe prædicatum eſſentiale, & conſequenter, & de abſolutis, & de relatiuis dici poſſe; ex Sancto Thoma prima par. quæſt. 39. art. 3. ad tertium; & ideo diuerſam omnino eſſe rationem huius prædicati ab alijs etc. deinde vt ſupra nos nuperrimè notauimus, exiſtere, hic non in omni latitudine ſumitur, ſed præcisè, vt actus quidditatis relationis, ratione ab eſſentia, et ad inuicem re differens. Ad inſtantiam de tribus durationibus diſtinctè, et de æternitate; reſp. nullam eſſe conſequentiam, & diſſimilem admodum eſſe rationem: tum quia à coniunctis, ad diuiſa non tenet conſequentia, ex Ariſt. 2. Periarmen. Sicut non tenet; Homerus eſt homo mortuus: ergo Homerus eſt homo. Ita non tenet: ſunt tres exiſtentiæ relatiuæ, & tres durationes relatiuæ: ergo tres exiſtentiæ, & tres durationes. Ratio eſt, quia poſtremus terminus admodum minuit de præcedentibus; mortuus ſcilicet minuit de homine, & relatiuum additum præcedentem exiſtentiam reſtringit, & durationem: tum quia æternitas eſt attributum eſſentiale, duratio verò nomina magis abſtrahit quàm æternitas. Amplius probatur; nam ſi fuiſſent in Deo tres durationes, fuiſſent etiã tres æternitates: etenim illæ durationes, ita indiuiſibiles, inuariabiles, ſine pincipio: & fine, vt eis æternitatis definitio competeret. At verò ſicuti non poſſunt eſſe tres æterni, ex D. Athanaſio in Symbolo, ita neq; tres æternitates; & ratio conſtat, nam multiplicantur æterni propter diuerſas æternitatis rationes, ſicuti plures ſunt perſonæ propter rationes plures perſonalitatum.

Tertiò poteſt quis arguere ex opinione eorum, qui tenent in rebus creatis exiſtentiam vnicam eſſe, & ſuppoſiti, & naturæ, & quaſi hoc modo probare. Actus perſonalis adueniens eſſentiæ, & quidditati, non addit illi nouam exiſtentiam, ſed dumtaxat nouum modum exiſtendi, vt patet exemplo humanitatis Chriſti, quæ eandem habet exiſtentiam ex ſe, quam accipit à Verbo; ſed ſolum diuerſum modum exiſtendi accipit, quia dum eſt per ſe, per ſe exiſtit, dum eſt in Verbo, in Verbo exiſtit: tunc ergo multo magis in Deo, vbi perſonalitas nihil addit eſſentiæ, & naturæ, ſed tantum modum, ſola ratione diſtinctum.

Reſp. nullam eſſe conſequentiam, & diſſimilem admodum rationem: ex D. Bonauentura negandum eſt antecedens, vt infra. In via Scoti, & D. Bonauenturæ neganda probabiliter & conſequentia, propter diuerſam rationem conſtituendi perſonam Diuinam, & humanam. His ſolutis, adhuc poteſt confirmari propoſita concl. nam omnis productio, ſicuti & antea indicatum eſt, ideo eſt, vt terminus productus exiſtat, & actu ſit in rerum natura: ergo productio Verbi Diuini ad hoc immediatè eſt, vt ſub propria ratione exiſtat: ergo ſecundum ſuam rationem perſonæ habet propriam exiſtentiam. Probatur: per generationem enim à Patre accipit Filius, non ſolum, vt actu ſit Deus, ſed etiam, vt actu exiſtat Filius. Deniquę ſicuti creatis relationibus competit propria exiſtentia relatiua, inter enim entia, & entis prædicamenta eſt ens relationis: ergo & relationibus Diuinis eodem, imò potiori iure conueniet actualitas exiſtentiæ relatiuæ, eo maximè, quia iſtæ relationes verè producuntur, non autem creatæ.

ARTICVLVS III.

Quid in Diuinis primo ſignificet perſona. D. Bonauentura diſt. 25. quęſt. 1. D. Thom. q. 29. art. 4.

PARAPHRASIS.

PRIMA Propoſitio. Reiectis, & confutatis valdè congruè, & ſolidis fundamentis ijs, qui de ſignificatione perſonæ, qui in numero plurium perſonam ſignificare relationem, in numero verò ſingulari ſubſtantiam: & qui antequam decreuiſſet de de hoc Eccleſia, ſubſtantiam: poſt verò Eccleſiæ reſponſa, & decreta, relationem ſignificare tradiderunt: dicendum, perſona in communi, & abſolutè ſumpta, ſubſtantiam cum proprietate quidem ſimul ſignificat, præcipuè tamen, & potiſſimum, ſubſtantiam: reſtrictè verò, & vt in Diuinis, oppoſito modo, & ſubſtantiam, & proprietatem, quæ eſt relatio; ſed præſertim, & potius relationem. Huius propoſitionis quatuor partibus conſtantis, prima pars probatur. primò, non poteſt perſonæ ſignificatio variari variato numero: nam numerus plurium tantum geminat ſuum ſingulare: ergo non mutat rei numeratæ ſignificationem. ſecundò, Ex D. Athanaſio in Symbolo. Alia eſt perſona Patris, alia Filij, alia Spiritus ſancti: non quidem alia ſubſtantia, nam Patris, & Filij, & Spiritus ſancti eadem ſubſtantia eſt: ergo alia proprietas: ergo in numero ſingulari ſubſtantiam hoc modo non ſignificat. tertiò, quod non varijs temporibus variam præſetulerit ſignificationem, quia Eccleſia, licet varijs temporibus magis vno nomine, quàm alio reſponderit; Reſpondendo tamen nouam nomini non addidit, aut impoſuit ſignificationem. quartò, Quidquid de hoc eſſet, adhuc non eſt ſoluta quæſtio, nec ad quæſtionem quidquam prodeſt: nam controuerſia, & difficultas in hac quæſtione inter Doctores eſt de hoc nomine perſona, in tempore poſtquam, & Eccleſia, & Patres reſponderunt.

Secunda Pars probatur. Perſona conſtat ex ſubſtantia, & proprietate, vt ex definitione tradita patet: ergo nomen perſona ſic congruũ eſt.

Item ex Diuo Auguſtino 7. de Trinitate cap. 7. idem eſt Deo eſſe, & eſſe Patrem. Iterum cum dicimus perſonam Patris, non aliud dicimus quàm ſubſtantiam Patris: ergo perſona etiam in Diuinis ſignificat ſubſtantiam. Idem ex

D. An-

D. Anſelmo in Monologio, quot ſunt perſonæ, tot ſunt ſubſtantiæ: ergo ſubſtantiam ſignificatione continet. Idem ex Vgone de ſancto Victore lib. de Sacramentis tertio. prima parte. Vnum nomen eſt ſubſtantiale, quod de ſingulis, & ſingulariter, & pluraliter dicitur. Idem ex definitione Boetij ſupra tradita. Tertiò rationibus; prima, ex definitione. Perſona in humanis ſignificat ſubſtantiam: ergo multo magis in Diuinis; nam præcipuè in Diuinis non poteſt ſignificare accidens. Secunda, Perſona ex S. Auguſtino, ſeptimo de Trinitate, ad ſe dicitur: ergo ſignificat ſubſtantiam. Tertia, Ad interrogationem factam per quid, reſpondetur, quod ſubſtantia eſt, & ſubſtantiam dicit; ſed quærentibus hæreticis quid tres? ab Eccleſia reſponſum eſt, perſonæ, vt teſtatur D. Auguſtinus loco iam indicato, & poſt ipſum refert Magiſter: Ergo perſona indicat ſubſtantiam. Quarto, Circumſcripta relatione per intellectum, & abſtractis proprietatibus, ſicuti faciunt gentes, & intellecta vna tantum perſona, & natura in Deo, adhuc intelligitur illa vna ſola perſona, & natura intellectualis ſubſtantiæ: ergo perſona ex ſe ſignificat ſubſtantiam.

Tertia Pars probatur. Perſona de ſe, ex ſua germana, & prima ſignificatione ſignificat certæ ſubſtantiæ ſuppoſitum, ſiue in Deo, ſiue in creaturis: ergo &c. & confirmatur ex definitione Boetij.

Quarta Pars probatur auctoritate, tũ Boetij, tum Riccardi. Perſona in Diuinis multiplicatur nõ multiplicata ſubſtantia: ergo ſingulariter, & præcipuè hoc nomẽ dicit id, quo diſtinguitur, & in eſſe plurificato conſtituitur; ſed non poteſt eſſe niſi relatio: ipſa enim conſtituit, & diſtinguit perſonas: ergo id potiſſimum ſignificat. Confirmatur. Id, quod per ſe primò importatur per diſtinctionem in Diuinis, eſt relatiuum, id per perſonam importatur: eſt enim hypoſtaſis proprietate diſtincta: ergo id primò indicat perſona.

Secunda Propoſitio. Subſtantia, ſicuti duobus modis conſueuit, tum in Diuinis, tum in humanis accipi; primò vt natura communis, vt cum dicitur homo, & Deus; ſecundò, vt cum hoc certum ſuppoſitum, vt Petrus, & in Diuinis, Verbum &c. ſic duobus quoque modis conſueuit interrogari per quid, & de ſubſtantia, primo modo reſpondetur; per quis, & de eadem ſecundo modo.

Tertia Propoſitio. Poſſibile eſt eandem perſonam, & ſubſtantiam, & relationem ſignificare, neque vllam contradictionem res hæc inuoluit. Probatur. licet ſubſtantia ad ſe, & relatio ad aliud dicatur, & hæc ad inuicem opponantur, vt non videantur in eodem poſſe inueniri: cum tamen in Diuinis perſona dicatur ſubſtantia, non communis, ſed certa, & indiuidua, ſcilicet ſubſiſtentia; eaq. multiplicata: quo ſubſtantia eſt, ad ſe dicitur, quo certa, & multiplicata, ad aliud dicitur: ergo non contradicit, quia id diuerſa ratione fit.

Quarta Propoſitio ex reſponſione ad tertium: in qua modus quidam dicendi, & locus S. Ioannis in Epiſt. 1. cap. 5. explicatur. Interrogatio facta per quid, poteſt interrogare, & de eſſentia, vt quid homo? & de ſpecie, vt quid currit? homo, vel equus? & de ſpecie ſub titulo qualitatis, vt currunt albi, quid albi? homo, vel equus? & dicitur interrogatio, & reſponſio, non ſubſtantiua, ſed adiectiua.

Quinta Propoſitio corollaria. Interrogatio facta ab hæreticis, quid tres? non ſubſtantiam, nec eſſentiam in communi, ſed certum, & indiuiduum quærebat: quare reſponſum optimè eſt, quid tres? perſonæ.

Sexta Propoſitio ex tertio argumento. Perſona, vt Diuina, quantauis abſtractione concipiatur, non poteſt ſine relatione concipi; Ratio eſt, quia perſona ratio, & quaſi forma, eſt relatio.

COMMENTARIVM.

PLVRA, & potiora relata, & expoſita ſũt ſupra, quęſtione de quidditate, & formali poſitiua ratione perſonæ: quare breuius, quàm moris ſit noſtri, hunc articulum expediemus, ne acta agamus, & eadem cum legentium ſtomacho ſine ratione repetamus; reſtat tamen obſeruandum quo ad articuli præfixum titulum, circa quem, primò, non quæri hic de Etymologia nominis; ſed de re ſignificata, & quid ſit illud, quod per hanc vocem, perſona, explicetur; vt adhuc Sanctus Doctor cum reliquis Theologis ſatagat inuenire quod quid Diuinæ perſonæ: nec quæ hucuſque quanta quanta elaboratione dicta ſint, adhuc ſufficere: ſed cũ Diuina perſona conſtet non ex ſola eſſentia, ſed etiã ex relatione conſtituente, & diſtinguente, quid præcipuè, & prius, & indicetur per vocem perſonæ, & in re requiratur ad rationem perſonæ, eſſentia, vel ſubſtantia, vel relatio. Quod vt S. Doctor ſufficienter, & cumulatè de more præſtet, in tota quæſtione tria facit; primum, quaſdam de hac re diſſidentes, & falſas opiniones refert, & reſpuit, & argumentis reuincit: ſecundum, ſuam propriam ſententiam refert, enucleat, & probat: tertium ad idem probandum dubitationem quandam diligenti indagine proponit, & ſoluit, quam prima propoſitione propoſui: & vt, quo poſſim meliori ordine, ſancti Doctoris doctrinam digeram, primo loco obſeruo, hic in communi non agere ſanctum Doctorem de perſonæ, aut nomine, aut re: hoc enim iam quæſierat, cum ſupra, & quid perſonæ Etymon, & quid eſſet, fusè oſtenderit: ſed in ſpecie, quid perſona Diuina: quo circa, dicit, an ſignificet relationem: certum enim eſt perſonam, quæ non eſt Diuina, nec ad rationem perſonæ in communi, non requirere, nec ad eam ſpectare relationẽ: vt obſeruat S. Thomas hoc art. perſona in communi, & perſona Diuina ſe habent ſicut animal, & homo, vel ſicut genus, & ſpecies: quærit igitur quid ſit perſona Diuina, ſupe-

ſuperiori loco in communi, quid perſona, eſtque magnum, & valde difficile quæſitum, et teſte Alberto Magno, ex difficilioribus, quæ hoc in myſterio agitentur tum ex rei difficultate, tum ex varietate nimia inter Theologos opinantes.

Quo verò ad primum ex tribus propoſitis. In more ab omnibus poſitum eſt; vt verum à falſo ſecernatur, primo loco referre varias Doctorum opiniones, vt ſepoſitis irrationabilioribus, rationabiliores ſeligantur; & quanta ratione reiectis alijs, illa quæ eligitur anteferatur, cum alijs comparatione obſeruata euidentius eluceſcat: quo fit, aliorum ſententias recenſere, non eſſe, aut conterere tempus, aut inutiliter lectores occupare, & onerare, aut vanam coaceruare materiam, vt plura folia impleantur, & augeatur opus; ſed admodum, & rationi conſentaneum, & rei Theologicæ vtile ad falſas oſtenſas, & indicatas opiniones eultandas; ad ſtatum, quæ exagitatur quæſtionis conijciendum; & denique magis, eius quæ eligitur, ſententiam fulciendam, & comprobandam: neque partes ſuas adhuc pro dignitate ſuſtinuit Theologus, neque probandi muneri ſatisfecit, niſi poſt quam aduerſarios profuderit, & oppoſita argumenta confoderit, & ſic ſua, quam profitetur ſententia, quàm à falſo diſtet demonſtrauerit.

Præter igitur quas referunt, & Albertus, & S. Thomas multis locis, de hac re ſententias, hic duas recenſet D. Bonauentura, quas apertas, & apertè reiectas, & in textu, & in propoſitione prima legere, & percipere facillimum eſt, vt circa eas alio opere commentatoris opus non ſit, quàm circa ſecundam opinionem potius hiſtoricum, quàm Theologum agere, & breuibus hiſtoria referre, quam refert, vel ſaltem tangit S. Thomas hoc art.; quam prius Magiſter, & multo ante D. Auguſtinus. Suſtinebant tunc Patres hanc Catholicam fidem, in Deo eſſe tres, Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum: cauillabantur, & audacter renuebant hæretici, & obſtrepebant interrogantes, quid tres? Reſpōdebant: perſonæ. Hoc tamen tunc reſponſo, neque Eccleſia adinuenit, nec illo tempore hoc perſonæ nomen effinxit, neque inuen- iam nouam indidit vim, ac ſententiam: ſed vt hic refert S. Thomas, huius antiqui, & vetuſti nominis vis ante hæreticorum calumniam erat animaduerſa, ſed erat in vſu, ſicut vnum aliorum abſolutorum: neque inde, quod etiam negat S. Bonauentura; ex hac huius vocis perſonæ noua obſeruatione, ad hæreticorum cauillos tollendos ſignificationis variata eſt ratio, aut mutata, ſed obſeruata: quæ non exigente temporum neceſſitate prius non erat, ſed quoquomodo indiſtinctè; non quo relationes, ſed quo eſſentiam, & ſubſtantiam Diuinam ſignificabat, vt infra, vſurpabatur. Nunc igitur ad relationes ſignificandas aſſumitur perſonæ nomen, non ex ſolo vſu Eccleſiæ, ſed ex nominis congruentia; iam enim ſemper ex ſe fuit ad hoc ſignificandum idoneum nomen; quo ſenſu piè interpretandus S. Auguſtinus, ſeptimo de Trinitate cap. 4. & 5. vbi certè videtur hanc tenuiſſe, & docuiſſe ſententiam, quam primo loco S. Thomas, ſecundo locò S. Bonauenturæ referunt, perſonam ſcilicet, ex ſe ſignificare eſſentiam, & tunc ad aliud quàm eſſentiam ſignificandam non fuiſſe in vſu.

Quo ad ſecundam partem. Quod præcipuum in hac diſputatione quæritur cum reliquis Theologis à S. Bonauentura, eſt, quid per perſonam ſignificetur, et quid ſit perſona in primis Diuina: quod vt præſtet, primò ſternit duo fundamenta. Primum. Non repugnat idem ſuppoſitum numero, et ad ſe, et ad aliud dici ſub eadem voce perſonæ: quippequod tum ex abſoluta ſubſtantia, tum ex relatione conſtare, et conſtitui poteſt; quod hac ratione ſuadet. Perſona eſt, et indiuidua, et conſequenter ab alijs diſtincta ſubſtantia, quæ magis propriè tamen ſubſiſtentia nuncupatur: ergo abſque contradictione ſignificat, et ſubſtantiam, et relationem; ſubſtantiam, vt ſuppoſitum; proprietatem, vt diſtinctum: eſt enim ſubſtantia proprietate diſtincta. ſecundò, de facto perſona in Diuinis multiplicata eſt nō ſecundum ſubſtantiam, et eſſentiam: ergo ſecundum relationem: ergo perſonæ quidditati, ſicut non repugnat eſſe, tum abſolutam, tum relatiuam; conſimili ratione, nec voci vtrumque ſignificatione oſtendere, contradicet.

Secundum, quod iacit fundamentum, eſt, tum ſubſtantiam, tum perſonam poſſe, imò congruenter debere terminata ratione ſumi: ſubſtantiam ſi quidem, et iam ex Ariſt. modo pro prima, modo pro ſecunda ſepenumero neceſſariò accipere conuenit: ſecunda ſubſtantia eſt eſſentia communis abſtractè concepta ſic per intellectũ: prima eſt ſubſiſtentia indiuidua diſtincta, et certa. Perſona quoque, primò communi ſumptione, vt à creata, et increata abſtrahit, animaduertitur, quemadmodum à Boetio ſupra definita eſt. ſecundò de ſola perſona Diuina, vt hæc, à quacumque alia, tum humana, tum Angelica, diſtincta: his obſeruatis S. Doctor deducit primò, perſona, ſubſtantiam non ſecundam, ſed primam, indiuiduam ſcilicet, ſignificat, et ſecundò, perſona indiuiduam illam ſubſtantiam non tantum diſtinctam, ſed ſub hac ratione, vt diſtincta eſt, indicat, tertiò, ipſam diſtinctionis rationem, quæ in communi proprietas eſt, in creatura abſoluta, in Deo autem relatiua; quartò, in creatis verè perſonam componi ex his duobus, ſubſtantia, & proprietate: in Diuinis ſimpliciſſimam perſonam intelligi; tamen ex his quaſi diſtinctè conſtare: hinc incipit argumenta conſtruere.

Primum. Perſona præcisè, & quaſi in genere accepta, eſt prima ſubſtantia proprietate aliqua diſtincta: ergo ex ſe vtrumque perſonæ nomen præfert: ſed vt ſic, primum, & præcipuum eſt ſubſtantia: ergo præcipuè ſubſtantiam ſignificat. Antecedens patet, tum ex Boetij definitione, tum ex modo dicendi ex logicis regulis: quod enim primo loco in recto ponitur, potius eſt, quàm quod in obliquo definitione explicatur; tum denique ex Patrum dictis, & rationibus in articulo primo loco poſitis.

Secundum. De ratione perſonæ eſt ſubſtantiam di-

R

dicere, vt nuperrimè indicatum eſt: ergo multò melius in Deo. Conſequentia eſt euidens: nam etiam in Deo eſt, & nobiliori, & excelſiori modo perſona. Tertium, quod quæſitæ hic difficultatis nodum ſoluit. Id, quod conſtituit, & diſtinguit, & multiplicat in Diuinis perſonam, eſt proprietas relatiua perſonalis, veluti forma ipſius perſonæ: Ergo perſona id primò, & præcipuè ſignificat. Antecedens eſt Boetij. *Subſtantia continet vnitatem, relatio Trinitatem multiplicat*: & ratio ibi contenta reuincit: nam eſſentiam, & ſubſtantiam repugnat omni ex capite multiplicari: conſequentia pariter non poteſt eſſe niſi valde certa, & conſtans; nam ratio formalis, & quaſi forma perſonæ eſt relatio.

S. verò Thomas hoc eodem art. vt quàm ſemper ferè in vnum vtriuſque Sancti Doctoris Sancta doctrina conſpiret, ad hanc eandem rem probandam hiſce argumentationibus accedit. Primò, & in veſtibulo articuli, rei, quæ indagatur, difficultatem aperit, & proteſtatur mirum ſcilicet videri non abſque ratione poſſe, quod in Diuinis perſonæ nomen admittatur, & multiplicetur; neque tamen ad aliud, quemadmodum reliqua relatiua nomina, dicatur. Secundò, hinc diligentius in rem explicandam incumbendum, & opinionum diſſidia hac difficultate orta tollenda. Tertiò, ob oculos per attentè obijciendum, quod aliquid ſcilicet eſt ibi de ſignificatione minus communis, quod non erit de ſignificatione, & notione magis communis: rationale namque v. g. eſt de ratione hominis, non autem animalis, & conſequenter aliquid de perſonæ Diuinæ ratione erit, quod non poterit eſſe de perſona indiſtinctè, & in genere accepta: tunc, perſona in quacumque natura ſignificat, quod eſt diſtinctum in illa natura: ſed in Diuinis diſtinctio non fit niſi per relationes originis: ergo perſona ſignificat relationem originis. Minor eſt certa ex multis ante dictis, & varijs locis repetitis. Maior verò probatur. Primò, Perſona in communi ſignificat ſubſtantiam indiuiduam in natura rationali: ſed indiuiduum eſt, quod in ſe indiuiſum ab alijs eſt diſtinctum: ergo. Secundò exemplo, vt in eius textu. Cum verò plurimis modis relatio indicari poſſit; addit, & probat, à perſona Diuina non quocumque modo, ſed vt ſubſiſtens eſt, ſignificari, hac ratione. Relatio in Diuinis cum non ſit accidens ſubiecto inhærens, ſed ipſamet ſubſtantia, & eſſentia, ita vt ſicut Deitas eſt Deus, ita Paternitas v. g. Diuina ſit Deus Pater: & ſicut eſſentia eſt ſubſiſtens, eadem ratione & relatio: ergo à perſona ita ſignificatur: ergo per ſe perſona in Diuinis relationem ſignificat: ergo idem docet S. Thomas, quod S. Bonauentura; idem enim eſt per ſe ſignificare, ac primò, & præcipuè.

Sed adhuc omnino nodus difficultatis propoſitæ non diſſolutus, nec explicatus eſt, aut prorſus omnis ſuſpicatio eradicata; quinimmò hinc adhuc exorditur, ne dicam exardeſcit magna, ac inter Theologos vehemens altercatio: non enim hæc, quæ hucuſque allata, & explicata ſunt de perſonæ ſignificatione, vel de realis perſonæ conſtitutione, quod ſcilicet tum natura, tum proprietas ex æquo requiratur, quodque in creatura hęc duo tanquam realiter perſonam conſtituentia, hac vtique ratione ipſis ad eam congredientibus, perſona, vera, ac reali cõpoſitione affecta remaneat: in Deo autem, vt intacta, ac prorſus intemerata, Diuina, ſummaque ſimplicitas, ipſiſſimaque identitas: eadem dico, non vt duæ veræ res, ſed vt vndequaque eadem, ſed diuerſa tamen noſtræ mentis conceptione, & perpenſione ſumpta: neque tamen inde inferre licet: ergo verè in perſona non eſt relatio in ſua ratione præciſa, & propria, penitus idem cum abſoluta eſſentia: aut è contra, non eſt in ſua propria ratione eſſentia, quippe in veram relationem tranſierit: nam vt ex dictis ſupra de eſſentiæ, & perſonæ infinita ſimplicitate ſupponitur, verè quidem, & abſolutè, & relatè ſubſiſtit Deus; non tamen duplici realitate, ſed vnica prorſus, eadem vnica ratione formali, qua diuinum ens infinitum ex ratione relatiua, & abſoluta, ineffabili modo vnicè eminenter exiſtit. Sed his anhelans mentis noſtræ peruestigatio, non quieſcens adhuc vrget: quid prius, quid potius, quid directè, & primò, quid denique formaliter, & directè, tum à perſonæ ſignificationis vi explicetur, tum in ratione perſonæ contineatur.

Principio quidem. Relatio, quæ in Diuina perſona interuenit, triplici ratione expendi, & indicari poteſt. Prima, ſub ſua præciſa, & formali in actu exercito ratione, hoc eſt, vt ad terminum correlatiuum actualem habitudinem habet, vt Paternitas ad filiationem. Secunda, ſub ratione quidem relationis, neque tamen propriè, vt ad, ſed vt exiſtit, vt quaſi forma abſoluta, & quidditas quædam. Tertia denique, vt ea quidem ſignificetur, neque tamen formaliter per propriam conceptionem, & explicitè, ſed implicitè; Ita vt, ſi quod totum præſefert nomen & terminus, explicaretur, & ad fundum enuclearetur, neceſſariò appareret, & implicita, & inuoluta relatio: exemplo hominis id S. Thomas declarat, quod alij formaliter, vel materialiter aiunt. Quod idem, ac ſi explicatè quis ſciſcitando aſſereret; num cum perſonam proferimus, relationem tamquam partem ad integritatem perſonæ requiſitam, vel eſſentiam eadem ratione ſignificemus: an verò id, quod per ſe intenditur per huius nominis vim, ſit ſola, vel primaria per ſe relatio, quaſi perſonæ forma, aut ratio formalis.

Secundò, vt idem explicatius prodatur. Id directè à nomine quoquam aſſeritur ſignificari, in quod primò, & immediatè nominis vis fertur, & ad quod ſignificandum per ſe præcipuè iam nomen impoſitum fuit, quod in caſu recto explicari ſolet: Indirectè verò, & quaſi connotatè, quod cum alio notatur non per ſe, & in caſu obliquo proferri moris eſt. Rurſus directè aliquid gemina ratione ſignificari contingit: altera formaliter, cum expreſsè ipſo nomine explicatur: altera materialiter, cum vt nuperrimè expoſitum eſt, non diſtinctè exponitur, ſed veluti contentum, ſubiectum, vel pars, & materiale formalis ſignificationis.

Theologi verò, valde obſeruandum, quàm varia, & diuerſa, & oppoſita ratione, tum antiquos,

Digitized by Google

præcipuè Sanctum Thomam interpretati ſunt, tum ſua placita hac de re pronuntiarunt: quos tamen omnes hic referre, & onerosum, & inutile foret; eo quia tum ſupra ad hanc eandem rem., quamuis diuerſa ratione, retulimus; tum quia hic litem non agimus, ſed Sanctum Doctorem explicamus; tum deniq; laborioſum non admodum negotium eſt omnes ferè in eandem ſententiam reducere, præcipuos dumtaxat, quos imitari, & connectere enitimur, in medium afferamus: non autem Scotum; nam primò extra chorum noſtrum ſaltat: non enim perſonam, aut ſubſtantiam, aut relationem exprimere tradit, ſed negationem, & eandem binam communicabilitatis &c. vt de hac re antea diſſeruimus. Secundò quia quamuis in 1. ſententiar. diſt. 27. quæſt. 2. & diſt. 25. quæſt. 1. oppoſitam etiam admittat ſententiam, perſonam ſcilicet rem poſitiuam ſignificare, neque tamen ſubſtantiam, aut relationem, ſed quid commune vtrique; hac vtique ratione, non poteſt ſignificare ſubſtantiam; nam in Diuina natura non plurificatur, perſona autem, vt præcipit fides, neceſſariò pluris eſt: non relationem; nam quemadmodum, & hoc duplum dicitur huius dimidij duplum, & duplum abſolutè dimidij duplum: ita ſicut hæc perſona, Pater ſcilicet, dicitur filij Pater, ita perſona dicetur perſona Patris, eſt perſona Filij, quod eſt abſurdum ex S. Aug. 7. de Trinit. c. 6. Neque conſimili ratione Durandum referre, ad rem quam verſamus præciſè, pertinens eſt: Durandus enim directè perſonã, neque ſubſtantiam, neque relationem, ſed quandam ſecundam intentionem, quemadmodum, & indiuiduum, ſignificare voluit: qua tamen id ratione aſſerat, nullam in medium prodit: ſed ſicut Durandus latè explodit Scotum, ita ipſum ferè vniuerſus Theologorum cætus vnanimi conſenſu.

Sanctus Bonauentura, vt in textu, & textus propoſitionibus, duo clariſsimè litteris mandat: primum, perſonam in communi ſumptam prius, & potius ſignificare ſubſtantiam, non quamcumque tamen, ſed primam, hypoſtaſim ſcilicet, & ſubſtantiam, deinde proprietatem. Secundum ſtrictè verò, & præciſè, vt in Diuinis eſt, quaſi oppoſito modo, primò, & quaſi præcipuè relationẽ; vtrumque quidem ex Boetij ſupra allata perſonæ definitione, & hinc inde confectis rationibus; & tertiò, vt in calce corporis quæſtionis, ex cõmuni doctorum comprobatione his verbis. *Hinc eſt, quod Sancti, & Doctores dicunt nomen perſonæ ſecundum ſubſtantiam dici, licet etiam ſecundum relationem dicatur*, & colligitur apertè ex D. Aug. 7. de Trinit. c. 6. & alibi, & ad hoc aſſumit S. Bonauentura alio loco, *omnis eſſentia, quæ relatiuè dicitur, eſt etiam aliquid relatiuo excepto*; itidem ex D. Aug. Primum autem ex illis verbis, principalius dicitur ſecundum ſubſtantiam quantum eſt de generali, & primo nominis intellectu: quod recentiores dicerent primò, & directè. Secundum quoque ex Boetio libro de Trinitate in fine; *ſi perſonæ Diuinæ ſunt, neceſſe eſt, vocabulum, quod ex perſonis trahit originem, ad ſubſtantiam, ideſt eſſentiam non pertinere*. Secundò ex Riccardi de Sancto Victore definitione, eſt incommunicabilis naturæ exiſtentia: exiſtentia enim illa modus ſingularis exiſtendi eſt: hic autem eſt relatio in Deo. Tertiò ex eodem Boetio, *ſubſtantia continet vnitatem, relatio multiplicat Trinitatem*. Quartò, ratione ex eiuſdem Boetij definitione deſumpta, *perſona eſt ſubſtantia indiuidua proprietate diſtincta*; ſed indiuiduum ad diſtinctionem pertinet, quæ tantum ex relatione fit: ergo & perſona.

Gabriel Vaſquez diſputat. 127. cap. 1. & 2. obſeruat ſolummodo primum dictum, & interpretatur Sanctum Bonauenturam directè, & formaliter, & principalius docuiſſe, perſonam ſignificare ſubſtantiam, conſequenter relationem, & inde materialiter: quem inter noſtrates Longus noſter ſecutus eſt. Certa (mea ſententia) Sancti Doctoris de hac re intentio eſt, primò perſonam, vtrumque quod ad conſtituendam perſonam interuenit, ſubſtantiam ſcilicet, & relationem ſignificare, idque per ſe, & directè, ſicuti per ſe, & directè neceſſariò vtrumque requiritur, vt mediocri etiam attentione intuenti ex ſe perſpicuum eſſe poteſt; ſecundò, Relationem formaliter, & proprietatem, vt in perſona quidem communiter ſumpta, & ſigulariori ratione in Diuina, ſicuti antea obſeruatum eſt. Id commonſtratur formaliter, quod expreſsè ipſo nomine explicatur: Relatio in perſonæ definitione ipſo nomine exprimitur, dum perſona aſſeritur eſt ſubſtantia indiuidua, proprietate diſtincta, & dum vbique perſonam Diuinam formaliter per relationem, non per abſolutum in eſſe perſonæ conſtitui traditur; ergo: neque enim video, qua ratione, & conſequentia negari à quocumque mentis compote poſsit: ad conſtituendam perſonam formaliter requiritur relatio: ergo perſona formaliter ſignificat relationem: ſi enim id, quod rectè debet ſignificari, formaliter eſt etiam relatio: ergo idoneum perſonæ nomen ad ſignificandum, id ſignificabit. Addendum tamen, cum complera ſua, & adæquata ratione relatio hic non explicitè aſſumatur: vt conſtitutiua enim, non vt actu relatione oppoſita diſtinctiua, hoc eſt non in actu exercito ſumitur: hinc non à ratione diſſonè poteſt dici, quod hac parte, non formaliter, ſcilicet adæquatè, ſed etiam materialiter, non omnino explicitè, ſed etiam implicitè ſignificare. Quod prius docuit Alexander 1. par. quæſt. 56. memb. 2. quem, eandem ſententiam profeſſus, multis reiectis Doctorum placitis, tandem ſecutus eſt Riccardus: perſonam quidem ſignificare ſubſtantiam, ſed non quamcumque, & quacumque ratione, ſed ſingularem, & diſtinctam, & ſubinde ſubſtantiam, & relationem; & in reſponſione ad vlt. relationem quidem exprimere perſonam, neque tamen in omnem modum, ſed, vt ipſiuſmet verbis vtar, ſub ratione communitatis relationis, hoc eſt ratione diſtinctionis, quatenus ſubſtantia eſt indiuidua, numerabilis &c. & quantum ad hoc dicitur ſecundum relationem, licet perſona ſecundum nomen ſuum non dicatur ad aliquid; quid quæſò aliud velit dicere, quàm perſonam explicare relationem verè, & formaliter, vt conſtituentem diſtinctè, non tamen completè, ſcilicet etiam vt actu relatam, & oppoſitam, & diſtinguentem?

S. Thomas quæſt. 9. de potentia art. 4. argumentum idem his præcisè verbis verſat, & decernit. Perſona Diuina formali ſignificatione ſignificat diſtinctum ſubſiſtens in natura Diuina: & quia hoc non poteſt eſſe niſi relatio, vel relatiuum; ideo materiali ſignificatione ſignificat relationē, vel relatiuum: præſenti verò articulo ex Caietano ſeipſum redarguens, & retractans, ſed ex Cānarienſe, & alijs, idem confirmans, his duobus pronuntiatis, ſua ſibi congenita perſpicuitate expendit, atque fœliciter expedit.

Primum autem eſt: perſona in cōmuni non relationem, ſed ſubſtantiam indiuiduam in natura rationali ſignificat, cuius pronunciati, hæc ex eo collecta, reddenda eſt ratio: ſi ſic appræhenſa perſona relationē diceret, quacumq; in natura inueniretur, tum Angelica, tum humana, idem penitus diceret; quod tamen, vt conſtat, falſiſſimum in facto eſt.

Secundum verò pronunciatum: perſona præſsè ſumpta, vt diuina ſcilicet, relationem, & realem, & in recto, & dicit, & ſignificat, & eſt ipſa relatio: neque tamen relatio præcisè ſumpta, vt relata ſcilicet, ſed vt ſubſtantia ſubſiſtens, & hypoſtaſis, & per modum ſubſtantiæ: quod proculdubio idem eſt, quod in quæſtione de potentia docuit, vt ſibi conſtans, & in eadem ſententia perpetuò manens: quod enim primo loco dixit, materialiter, eſt idem quod ſecundo loco directè, & formaliter docuit, non tamen adæquatè: eo enim relatio formaliter ſignificatur, quo ſubſiſtens, & conſtitutiua perſonæ: eo verò etiam materialiter, quo non vt relata, & in actu exercito.

Quibus ſatis conſideratè perpenſis, inter Theologos, præcipuè S. Thomæ diſcipulos, non poteſt eſſe alicuius momenti, niſi fortaſſe verborum diſſenſio: quod enim Bannes, & Vaſquez, & alij aſtruunt, perſonam præſeferre relationem implicitè, idem profecto eſt, quod S. Thomas, Capreolus, & alij enunciant, materialiter: quod verò Caietanus, Bannes, Molina, Valentia, Zumellus, & Ripa interpretantur, hic Sanctum Doctorem relationem formaliter per perſonam ſignificari docuiſſe, in re niſi verbis ab ijs non differunt, qui materialiter vtroque loco S. Thomam locutum fuiſſe ſuſtinere conantur, à Capreolo ſcilicet primo Sententiarum diſt. 25. quæſt. 1. à Bartholomæo auctore noſtrate Bergomenſi in tabula aurea in Diuum Thomam, Verbo Perſona num. 21. à Iauello, Silueſtro, Torres, Vaſquez commemorata diſputatione, Suarez lib. 7. cap. vlt. de Trinitate, & Rada: Nam relatio verè, etiam vt ſubſiſtens, eſt ſuo modo formaliter relatio, & per ſe, & diſtinctè à perſona ſignificatur: ſi tamen comparatè ad relationem præcisè in ratione propria, quatenus actu refertur, ſatis congruè, & rationi conſentaneè poteſt à Theologis dici, non formaliter, ſed materialiter relationem explicari, & pronuntiari. Itaque relationem formaliter ſignificat perſona, hoc eſt verè, & directè, vt ſubſiſtens; non formaliter, ſed materialiter, nimirum non in actu exercito, & ſpecifico &c. ergo omnes ferè ſequuti ſanctæ Theologiæ Duces in hanc vnanimes eum ſententiam, vt hanc conſtruant conſectariam concluſionem.

Perſona diſtinctè, formaliter, & directè ſignificat hypoſtaſim, & ſubſiſtentiam, quod indè indiuiduam ſubſtantiam definiuit Boetius. Proprietatem verò in communi, & proprietatem relatiuam in Deo directè quoque, & per ſe materialiter ad perſonam conſtituendam, & implicitè; formaliter tamen quoque, hoc eſt directè, & per ſe, licet non omninò adæquatè, & expreſsè: quod etenim liquidò exprimitur, eſt relatio ſubſiſtens incommunicabiliter: quibus cordatè animaduerſis, emergit primò, & clareſcit argumentum Scoti, quo ſupra conabatur perſuadere, non poſſe relationem poſitiuè ſignificare: conſequitur enim illud à Scoto indicatum duplex abſurdum nulla ratione ſequi; quia perſona, & relationem, non tamen in actu exercito explicat, & ſubſtantiam non ſimpliciter, ſed multiplicabilem, hoc eſt hypoſtaſim: ſecundò, quomodo verba ſancti Auguſtini lib. 7. de Trinit. cap. 6. ſanè audienda, et interpretanda ſunt, nomen perſonæ in Deo non ſignificat relationem, ſcilicet expreſsè, et perfecta formalitate.

Quò ad argumentorum ſolutionem, hoc vnum remanet obſeruandum, quod itidem ad quod in tota quæſt. caput eſt plurimi faciendum. Adeo intrinſeca perſonæ relatio eſt, vt quantalibet abſtractione ſuppoſita, adhuc non poteſt congruè perſona ſine incluſa relatiua proprietate accipi, et ratio poteſt eſſe: ſi enim perſona eſt indiuidua ſubſtantia, non poteſt eſſe ſine proprietate conſtituente, & pariter diſtinguente, ex definitione *vnius* ab Ariſt. tradita.

Multa quoque de perſonæ ratione, & tractatu, ex diuerſis S. Doctoris locis excerpi poſſent, & à quibuſdam excerpuntur, & augere tractatum: ſed nos ſequuti S. Thomæ methodum, vna cum eo ad perſonarum numerum tranſimus: quæ hic relinquuntur explicaturi ſuis locis cum Angelico Doctore, vnicam quæſtionem hic addentes, hac ſola ratione, quia & congruè ſit, & alio loco eam per ſe non verſat S. Thomas, tangit tamen ſupra art. 3. eſt igitur.

ARTICVLVS IV.

Num vniuocè nomen perſonæ dicatur de creatis, & increatis. D. Bonauentura diſt. 25. q. 2. art. 2.

PARAPHRASIS.

PRIMA propoſitio. Perſona de perſonis increatis, & creatis non dicitur neque vniuocè, neque æquiuocè, ſed analogicè. Declaratur primò, dici aliquid vniuocè, eſt quando communitas, & habitudo eſt in ordine ad res eiuſdem generis ſecundum nomen & rem: quod idem, & analogicè dicitur, ſed analogia generis, & æqualitatis: ſi verò eſt communitas in ordinē ad ea, quæ ſunt in diuerſis generibus; ita tamen, vt prius, &

prin-

Digitized by Google

principalius vni, deinde alteri conueniat, id verè dicitur analogicè: deinde probatur prima pars. primò, Deus, & creatura ſummè diſtant: ergo nihil eſt eis vniuocè commune: eadem euidentia conſtat antecedens, & conſequentia. ſecundò, Deus, & creatura non vniuocantur in ſubſtantia: ergo neque in perſona. Antecedens itidem perſuadetur, quia tunc Deus eſſet in genere, & prædicamento ſubſtantiæ, quod inconueniens eſt, & ideò communiter à Theologis negatum; & patet, quia vniuocatio ponit in genere. Conſequentia quoque probatur ex multis ante dictis, & confirmatis; nam perſona eſt ſubſtantia. tertiò, conuenire vniuocè aliquid pluribus, eſt æqualiter de illo participare; ſed nihil æqualiter participat, aut participare poteſt creatura cum Deo: ergo perſona non conuenit, neque inde prædicatur vniuocè de increatis, & creatis perſonis. Maior ſupponitur ex Ariſt. de Vniuocis; & communi omnium aſſenſu. Minor probatur ex eodem medio, quo in primo argumento, quia ſcilicet Deus, & creatura ſummè, & infinitè diſtant.

Probatur ſecunda pars: nam inter creatas, & increatas perſonas, præter idem nomen, inueniri debet ſimilis habitudo: ergo non merè æquiuocè dicitur.

Probatur conſequenter tertia pars. primò. Si aliquo modo conueniunt, neque vniuocè, & plusquam æquiuocè: ergo analogicè, ex ſufficienti modorum conueniendi, & prædicandi ex Ariſt. enumeratione. ſecundò, vbi conſimilis habitudo, ibi pariter analogia reperitur; ſed inter diuinas, & creatas perſonas eſt conſimilis habitudo: ergo & analogia. Maior patet ex analogiæ definitione. Minor quoque: nam perſona dicit hanc communitatem habitudinis: conſequentia itidem conſtat, nedum ex forma, ſed ex materia argumenti, ex infinita differentia perfectionis inter Diuinas, & creatas perſonas. tertiò ex reſponſione ad tertium, vbi admodum diuerſa ratio diſtinguendi inter perſonas diuinas, & creatas.

Secunda propoſitio. Perſona analogicè, æqualiter, & quaſi vniuocè dicitur de Diuinis. Probatur, quod dicitur æqualiter in comparatione rerum eiuſdem naturæ, dicitur analogicè, & quaſi vniuocè; perſona de Diuinis eiuſdem naturæ Diuinæ æqualiter dicitur: ergo. Maior conſtat ex iam in textu traditis: minor probatur per fidem, qua perſonas Diuinas omninò æquales credimus: conſequentia ex comparatione perſonarum adinuicem iam conſtat.

Tertia propoſitio ex eodem fundamento elicita. Perſona de creatis perſonis vniuocè, analogicè dicitur. probatur ratione eadem cum proportione, qua & ſuperior: æqualiter etenim conuenit omnibus, & ſunt in eodem genere naturæ creatæ, licet quoque deinde differant Angeli, & homines.

Quarta propoſitio corollaria. Perſona, quo ad rem proprius dicitur de perſona increata, per poſterius de creatis; patet ex dictis: nam hic fit comparatio inter diuerſarum naturarum perſonas, in qua verè ſita eſt analogiæ propriè dictæ ratio extra genus. ſecundò ex reſponſione ad primum: nam in Diuinis nobilius ratio perſonæ, & naturæ intellectualis, & hypoſtaſis, & diſtinctionis, & proprietatis inuenitur, quàm in humanis, aut Angelicis.

Quinta propoſitio. Perſona, quo ad nomen de perſonis creatis per prius dicitur; nam perſonæ nomen ab humanis ad Diuina tranſlatum eſt: ergo de creatis: antecedens ſupra luculenter, & fusè probatum eſt prius.

Sexta propoſitio ex reſponſione ad tertium. Incommunicabilitas in perſonis, præcipuè diuinis, non eſt pura negatio: nam dicit diſtinctionem inter perſonas, & valdè multum diuerſam, quàm inter humanas: inter diuinas enim eſt præcisè originis ratio, vlla prorſus abſque compoſitione: inter creatas verò, & humanas, expreſſas compoſitiones ponit.

COMMENTARIVM.

NON potuit vlla ratione, dubitatio iſthæc diſſimulari, aut prætermitti: quantanis enim ſupra luculenta explicata de exiſtentia, quidditate, formalitate, & ſignificatione perſonæ, tum in communi, tum in ſpecie Theologia ſit; adhuc ſuboriebatur hæc tollenda, & ſoluenda quæſtio, ad regulas præcipuè dicendi ex Ariſt. Perſona, & perſonæ ratio conueniebat, & prædicabatur de creatis, & increatis ſimul, & de ſingulis diſcriminatim: diſcutiendū erat ſub qua ratione, eo vel maximè, quod inter præcipuè proceriores Magiſtros, non diffitenda altercatio, nec obliuiſcēda pugna inuenitur de pluri, & varia, & multigena perſonæ acceptione: primò enim vt obſeruat, & reijcit Alex. 1. par. q. 56. memb. 4. art. 1. Magiſter Sent. diſt. 25. & ex D. Auguſtinus conatur perſuadere, adeo perſonę nomen diuerſimodè vſurpari in Diuinis, vt aliquando pro eſſentia, aliquando pro hypoſtaſi, aliquando denique pro proprietate, vt inde non abſurdum, dici in Diuinis æquiuocè concedere exiſtimet. primo modo cum dicitur, Pater eſt perſona. ſecundo, dum alia eſt perſona Patris, alia Filij, alia Spiritus ſancti. tertio, cum v. g. Pater, perſona differt à Filio &c. Secundò, Scotus verò cum multis alijs vniuocè tum in Deo, tum de Deo, & creaturis ſemper docuit perſonam ſumi; quando reliqua Diuina nomina, & perfectiones, vniuocè prædicari de Deo, & creaturis, ſuſtinebat. Ergo neceſſariò, & ſolerter huius quæſtionis ſolutioni incumbendum. Quod in S. Doctore, dum hoc præſtare contendit, primò in titulo quæſtionis animaduertendum; ibi vniuocum ab eo ea ratione ſumi, qua præcisè definitur ab Ariſt. in prædicamentis. ſecundò in corpore, vbi prius doctrinam parat dubitationi propoſitæ conſentaneam; deinde quæſtioni ſolutionem ſolidam, & veram, & cum maioribus Theologis communem reddit.

Digitized by Google

Quam verò doctrinam ad quæſtionem proficuam, & neceſſariò ſuſternendam, de vniuocatione ſcilicet, & analogia promit; huiuſce rationis eſt. Primò in fronte corporis art. vniuocum ſtatuit, & analogum bipartitè vſurpari, & aſſumi poſſe, primò logicé, aut methaphyſicè; ſecundò phyſicè, quod alij dicunt, prima, vel ſecunda intentione, aut vt ens rationis, vel reale: logicè quidem, & vt rationis opus, qnando rem per ordinem ad conceptum mentis concipimus; et tunc illa res æquiuoca nuncupabitur, quæ vnico conceptui eadem ratione eam repræſentanti non reſpondebit, neque de ea, aut vt genus, aut vt ſpecies prædicabitur: vniuoca verò oppoſito modo, quæ ſcilicet vnico conceptu, vnicam tationem formalem, æqualiter ab omnibus abſque dependentia, et ordine vllo in eo ſignificatis participatam, adæquat: analoga autem, quæ medio modo. Sed phyſicè, et realiter, et à parte rei, tunc vniuoca res, quando ratio, et natura, et perfectio eiuſdem rei à pluribus ſecundum eundem perfectionis gradnm participatur; vt animalis ratio ab omnibus animalium ſpeciebns: æquiuoca ſtrictè, et preſſè, quando in re nihil ei prorſus commune vlla ratione, præter vocis nomenclaturam: æquiuoca verò fusè, et latè, qua tatione, et medium analogum complectuntur; quando in æquali portione eiuſdem naturæ ſortiuntur partes: quo circa Ariſt. 7. phyſ. in genere latere æquiuocationes teſtatus eſt; quippe quod generis ratio differentias ſpecificas, & neceſſarium ſpecierum ordinem (ſunt enim ſicut numeri) non eodem perfectionis pondere complectitur. His verbis Sanctus Doctor hæc omnia indicauit: perſona non dicit niſi communitatem habitudinis, ſuper quam fundatur communitas rationis: quibus vberius, & hoc diſtinctè addit, inter Logicam, & Phyſicam vniuocationem, & analogiam, hoc neceſſariò interuenire, quod vbique philoſophi obſeruatè tradunt; ideò ſcilicet logicos, & metaphyſicos conceptus vniuocos, & analogos eſſe veros; quia fulcimentum, & fundamentum præſtat res: eo enim de pluribus aliquod dicitur genus, quo in illis rebus multis inuenitur eſſe conſimilis perfectionis ratio, & gradus.

Hæc verò licet perſpicua, & nulla obnoxia difficultate; dicenda tamen erunt quædam adhuc in S. Doctoris expoſitionem: & primò, eandem doctrinam ſolent reliqui Doctores his diuerſis terminis æquè elegantet explicare, cum bipartitum eſſe mentis noſtræ conceptum aſtruunt: alterum formalem, obiectiuum alterum: primum verò ex Scoto, actum intelligendi: ex D. Thoma, & communiori Theologorum ſententia, verbum mentis, quod ſit rei intellectæ ſimulacrum, & actualis rei, quæ intelligitur, ſimilitudo ad eam exprimendam producta: & hac ratione nuncupatur formalis conceptus, quatenus rem ſub ea forma, quæ concepta eſt, & intellectione appræhenſa, explicatur: qui conceptus, modo diſtinctus, modo confuſus, modo mixtus aliquando eſſe accidit; obiectiuus autem eſt res ipſa, vt intellectui obiecta nedum, ſed concepta, & vt intellectum immutans &c.

Deinde eiſdem ferè, vel paucis adiunctis verbis, quid, quotuplexque ſit vniuocum, & analogum, definit idem Sanctus Doctor, & eruditè commonſtrat. Eſt inquit communitas habitudinis, & conſimilis multorum habitudo: eſt ſcilicet vniuocum, cum plura conueniunt in eadem natura, eamque ſimiliter, & æqualiter participant; eſt autem duplex, vel prima, conſimilis, & realis participans habitudo, & conuentus in eodem genere, eademque natura: & tunc rectè, & ſcitè, & proprie vniuocatio, vel æqualis analogia, quod idem eſt: vel ſecunda, in diuerſorum generum rebus, quam veram analogiam mediam nuncupat: vtriuſque autem ad faciliorem rei perſpicuitatem exempla mirè ad exprimendum accomodata affert: & primi, ſcilicet in eodem genere: Petrus, & Paulus, eſt indiuiduum: indiuiduum enim, & indiuidui ratio æquè, quo ad nomen nedum, ſed ad rem vtrique conuenit, quia vterque in eadem natura. Secundi verò hoc alterum exemplum: Petrus, & album eſt indiuiduum; quo enim Petrus, & albedo ſunt diuerſi generis, eo indiuidui rationem non eadem ratione, ſed per prius vni, alteri per poſterius conuenire perſpicua res eſt omnino.

Hanc eandem rem, quam hic S. Doctor, etiam ſupra diſt. 7. quæſt. 4. his tradidit verbis: duplex eſt Analogia, quædam per reductionem ad vnitatem naturæ ſecundum prius, & poſterius; quæ eſt, quam hic per verba conſimilis habitudinis in eadem natura indicat: quædam alia per reductionem ad vnitatem ſimilitudinis proportionis, non naturæ, quam hoc art. per conſimilem habitudinem in diuerſis generibus exprimit; diſt. verò 14. quæſt. 2. pleniorem huius totius rei, & effuſiorem elargitur explicationem.

Modus dicendi, inquit, eſt triplex, vniuocus, æquiuocus, & analogus, ſinguloſque modos elegantiſſimè, & clariſſimè perpendit, & prodit. Tunc dicendi modus eſt æquiuocus, cum circa dici, nõ circa eſſe ſit geminatio. Appoſitiſſimè rem ob oculos ponit: cum enim de homine vero, & picto dicitur homo, de vtroque geminatur vox: vterque enim dicitur homo: res autem, ſcilicet homo verus, non geminatur: pictus namque homo non eſt homo. Vniuocus verò eſt, cum eſſe, non vox geminatur. Sortes enim, & Plato v.g. verè ſunt plures veri homines: at vox homo non geminatur, quia non multipliciter dicitur. Analogus denique geminat, & enumerat in dicendo, & in eſſendo; rationem elegantiorem, & valde appoſitam reddit, quia ſcilicet Analogia non tertium modum, nec tertium caput diſtinctum conſtituit, ſed medium, parte vniuoci, & parte æquiuoci conſtitutum, capit. Quare ab vniuoco ſumit eandem naturam, ab æquiuoco in diuerſo gradu; vnde & nomen quidem vnum, tamen diuerſitatem graduum naturæ participat, & ſignificatione plurificat. Quod idem denique repetit diſt. 29. art. 1. quæſt. 2. ad argumenta, quod ſcilicet illud verè Analogum, quod medium eſt inter purum æquiuocum, & vniuocum. Quod itidem ibi verè inuenitur analogia; vbi verè prius, & poſterius dicitur. Quibus omnibus locis exactam de Analogia præcipuè videtur explicuiſſe doctrinam, & quid ſit quaſi quaterna definitione de-

ſinit,

finit, vt indicatum eſt. Quibus quàm liquido elucent, tum Sancti Doctoris varij, & vberes dicendi modi ad rem eandem explicandam; tum, quàm exactè quam ſuſcipit rem, omni ex capite enucleat; tum denique, quanta primum circumſpectione S. Doctor vtatur, quàm pedem ferendo, eius quam exagitat difficultatem ſtatuto gradu figat, & quot intentat vias, vt ad veritatis abſconditum tabernaculum admittatur.

Verum, non prætereundum, quod inter hæc de Analogis protulit, ceu in quo analogi quidditatem explicatione compræhendit. Vnitas ſcilicet ſimilitudinis proportionis. Quod quo notius fiat.

Primò obſeruandum. Analogum quidem plura ſignificare, non ea tamen abſolutè, ſed cum ordine aliquo, & ſimilitudine, & proportione, & dependentia ad inuicem, vnius ſcilicet ad alterum. Quod poteſt eſſe triplex, vel à ſimilitudine præciſè, vel à cauſa, vel à proportionalitate. Primum quidem exemplo vulgato patet, de homine vero, & picto: ideo enim pictus dicitur homo, quia cum homine vero aliqualem extrinſecam habet ſimilitudinem. Secundum verò conſimili trito in eadem re exemplo conſtat de cauſa efficiente; ſanans dicitur medicina, cibus, & medicus, ſed tamen cum dependentia à medico, qui eſt primum ſanans, & efficiens ſanitatem, reliqua verò, quatenus ab ipſo ad ſanitatem inducendam aſſumpta, & directa; quo eodem exemplo paucis mutatis, & analogum à finali cauſa, eadem perſpicuitate compræhenditur: etenim, & animal, & medicina, & cibus dicuntur quidem ſana, ſed animal primò, & per ſe, reliqua ad inducendam ſanitatem: eadem proportione à cauſa materiali, analogum dicendum, hac obſeruata, & non obliuioni tradenda regula, in huiuſce generis Analogis ſemper vnam formam ſignificari, quæ intrinſecè, & verè in vno ſignificatorum exiſtat, à qua reliqua extrinſecè denominentur: vnde illud Ariſtotelicum & philoſophicum proloquium. In vnoquoque genere eſt vnum primum cæterorum menſura. Tertium denique, de quo hic præcipuè Sanctus Doctor, eſt, in quo quædam inter analogata proportionalitas obſeruatur: gratiori exemplo res ob oculos exponitur. homo, & prata rident; riſus de vtroque dicitur, ſed hac ſimilitudine, & proportione, vt primò, per ſe, & propriè de homine, poſtea per ſimilitudinem, & imitationem quandam de prato dicitur riſus: quemadmodum enim ridet homo ad ſuam intus patefaciendam lætitiam; ita prata ſua viridanti herba, qua ſuam fæcunditatem præſeferunt, ridere nuncupantur. Sed duo breuibus remanent obſeruanda.

Primum, vt eorundem, de quibus S. Doctor, certius rem capeſsamus. Proportio, & Proportionalitas in hoc ad inuicem differunt, & docent in numeris Arithmetici, etenim proportio eſt inter duos æquales, vel inæquales habitudo, vt quatuor ad duo. Proportionalitas eſt habitudo, & ſimilitudo duarum proportionum, vt ſicut ſe habet quatuor ad duo; ita ſe habet ſex ad tria. Hæc verò eſt Analogia inter ſimilia, vt inter riſum hominis, & prati; ita tamen, vt ad vnum ordinentur, & ab eo ſimilitudinem ſortiantur.

Alterum inde obſeruandum, quod in re grauiſſima S.Thomas docuit 1. par. quæſt. 13. art. 6. vbi in genere de nominibus Dei quærens, quod nos hic de vnico perſonæ nomine quærimus, quomodo ſcilicet Deo, & creaturæ conueniat, & reſpondens, per Analogiam, inquit: & quo ad propoſitam difficultatem requiritur, & ad proportionem ſpectat, de more clariſſimè explicat, proportionem hanc bifariam ſumi. Primò, vt cum multa ad vnum, à quo dependent referuntur, quod & nos huc uſque toties notauimus, quam communiter Analogiam attributionis ſolent nuncupare, vt ſanitas de medicina, cibo, & vrina refertur ad ſanitatem animalis. Secundò, cum vnum ad alterum, vt cum ſanitas eadem, & de medicina, & animali dicitur, quàm communiter proportionis, vel proportionalitatis nomine ſolent explicare. Hanc autem multorum ad vnum, eſſe Analogiam inter Deum, & creaturas, aſſeueranter docet. Quo toto doctiſſimi illius articuli diſcurſu, quæ nuper ex diuerſis S. Doctoris locis collegimus omnia continentur.

Sed inter has duas Analogorum ſpecies obſeruanda differentia: nam primò, Analoga attributionis non neceſſario formam inhærentem in omnibus Analogatis requirunt, ſed in ſolo analogato principali, ad quod reliqua referuntur: ſanitatis enim v. g. forma niſi in ſolo animali verè inuenitur. Alterius verò ſpeciei Analoga in omnibus Analogatis, formam ſignificant, licet diuerſo gradu, exiſtere; vt ſapientia dicitur de Deo, & Angelo, & homine, vt verè in quolibet Analogato ſapientiæ forma inſit: & quia cum aliqua inuicem proportione, ideo Analoga: at verò quoniam excellentius in Deo, ideo per prius de eo. Secundò, diuerſa ferè definitione definiuntur: nam illa definiuntur per illud, ad quod vnum referuntur; pulſus enim ſanus, greſſus ſanus, color ſanus &c. per animal ſanum definitur. Iſta verò non eſt nec neceſſarium, nec congruum ſic definire: neque enim rectè per Dei ſapientiæ definitionem hominis quoque ſapientia definitur; vnde attributionis Analoga ita poſſunt definiri. Sunt ſcilicet illa, quorum nomen eſt commune, ratio eadem in termino, ad quem referuntur; diuerſa verò in habitudine ad terminum quoquo tamen modo ſimilis, proportionis autem analoga, hac altera diuerſa definitione, quorum quidem nomen commune, ratio verò diuerſa, ſed ſimilis proportione vnius ad alterum. Verum quidem Analogata cum Deo ferè ſunt vtriuſque ſpeciei, & ad inuicem miſcentur, etenim ad inuicem proportionem habent, & ad vnum primum referuntur. His prælibatis, & obſeruatis.

Secundum quod potiſsimè venari propoſuit S. Doctor, hoc gemino pronuntiato luci exponit. Primum, perſona phyſicè, & à parte rei, Diuinis & creatis Analogicè veriſsimè conuenit, quod ex numeratis, & obſeruatis, hac vnica conflata argumentatione ſatis demonſtrari poteſt. Ratio vera perſonæ excellentius, & infinitè perfectius conuenit Diuinis ſuppoſitis, tum ex ratione entis, tum ex perfectione ſubſiſtendi, tum in ratione conſtituendi &c. Suppoſito quoque creato eadem perſonæ

ſonæ ratio, licet longè inferiori, & imperfectiori modo conueniat: ergo vtrique Analogicè, analogia tum attributionis, tum proportionalitatis: parſ. 1. antecedentis, iam conſtat: ſecunda quoque & ex ſupra tradita definitione à Boetio, & ab omnibus Theologis recepta, & conditione, & dignitate naturæ intellectualis, & ex infinita diſtantia à Diuina natura. Conſequentia conſimili modo ex dictis conſtat; ſiquidem natura humana ſubſiſtens ad imitationem, & in ordine ad Diuinam, quam participat perſonæ rationem, & quia ad eandem proportionem perſona rectè nuncupatur: ſicuti enim ſe habet perſona Diuina ad naturam Diuinam, ita creata ad humanam, & Angelicam: vtrobique enim vltima actualitas, & naturæ intrinſeca modificatio, & conſequenter incomunicabilitas inuenitur. De hac Analogia ſemper ſibi conſtans fuit S. Doctor, & idem vbi ſeſe obtulit occaſio aſſeueranter docuit, præcipuè 1. ſent. diſt. 1. dub. 5. litterali, latè diſt. 7. diſt. 14. vbi ſup. diſt: 24. & 29. &c.

Secundum pronuntiatum. Idem logicè, & methaphyſicè neceſſarium eſt quod ſenſerit, ex eiſdem verbis, quæ commentarijs illuſtrare nunc conamur: communitas, inquit, rationis ſuper comunitatem habitudinis, ſcilicet realis fundatur: ergo qualis realis, talis neceſſariò erit & rationis: ſed realis eſt Analogica: ergo & conceptus rationis, & logicus, licet communis, erit tamen communis communitate Analogica, eo vel maximè, quia omnium Theologorum eſt ſententia, diſt. 1. diſt. 5. & 8. & valde conformis D. Auguſtino.

Huic, quã de ratione perſonæ Analogica, & cæterorum nominum, ac perfectionum Dei, & creaturarum S. Doctor profitetur ſententiam, adhæret, & vtramq; manum dat S. Thomas hic art. 3. et q. 13. art. 5. et alibi, his rationibus. Prima, omnis effectus non adæquans virtutem agentis, non recipit ſimilitudinem, niſi deficienter, & diuiſim; ſic ſe habent omnes effectus in ordine ad infinitam Dei efficacitatem: ergo niſi variè, et Analogicè conueniunt. Minorem probat ex ſimilitudine Solis, et per patentem in creaturis diſtinctam operãtis, et multiplicatam virtutem. Secundò. Minus diſtant inter ſe creaturæ, quàm à Deo; ſed inter ſe adeo diſtant quædam, vt niſi Analogicè conueniant: ergo multo minus cum Deo vniuocè, et multo magis Analogicè omnis creatura quoquomodo conuenit. Tertiò, ſi tantum æquiuocus inter Deum, et creaturas eſſet conuentus; nihil de Deo ex creaturis poſſet demonſtrari, ex fallacia æquiuocationis; ſed multa tamen, tum per Diuinam Scripturam Rom. 1. *Inuiſibilia quidem Dei* etc. et alibi, tum per Ariſt. 8. præcipue Phyſicorũ, et 12. Metaph. etc. demonſtrantur: ergo Analogicè. Confirmatur, nam omnia in ordine ad Deum diriguntur, et dicuntur. Quartò de perſona, art. 3. Perſona excellentius de Deo quàm de creatura dicitur: ergo Analogicè.

Doctrinam hanc prior prædocuit Alexander 1. par. quæſt. 56. memb. 4. art. 1. hoc aſſerto: Perſonam ſecundum quandam communem rationem dici de Deo, et creatura: ergo Analogicè. Hanc poſtea promptè amplexatus eſt Riccardus diſt. 25. art. 2. quæſt. 2. eadem fere communi reliquorum Theologorum ratione, quam præcipue ex vtroque Sancto Doctore nunc retulimus. Hanc denique cæterus reliquorum Theologorum cætus profitetur, et pugnaci argumentatione tuetur.

Vnicus cum ſuis Scotus videtur ab hoc cætu recedere, et in oppoſitam abire ſententiam, præſertim ſi logicè, et Metaphyſicè inſtituatur quæſtio, diſt. 2. quæſt. 1. & 3. et diſt. 8. quæſt. 2. primi ſententiarum, contra quem acerrimè inſurgit Caiet. Sed doctiſsimus Lichetus diſt. 3. quæſt. 1. et diſt. 8. quæſt. 2. et in conceptibus vniuocis admittit Analogiam quandam excellentiæ per prius, et poſterius, et hanc fuiſſe Scoti ſententiam teſtatur. Quod colligi facillimè poteſt ex ipſius Scoti rationibus, quibus quamuis quandam communitatem perſuadeat; non tamen rigoroſè vniuocam, vt etiam mediocri mentis acie intuenti patens erit: vnde nullo relicto aduerſario, vt roboratior euadat S. Bonauenturæ ſententia, in eandem et Scotus, vel non inuitus tranſit. Quare hanc in quæſt. aliud obſeruandum non occurrit: quæ enim aliqua fortaſſe cõmentatione indigere videntur, tum ſupra ſuis locis, tum infra ſequenti quæſtione opportuna redibit explicandi occaſio. Reliquum igitur dumtaxat erit, vt argumenta, et ſolutiones de more obſeruemus.

Primum autem argumentum huiuſcè conſtructionis, & vis eſſe videtur. Quæ ſunt eiuſdem nominis communis, & rationis, vniuoca dicuntur; ſed huiuſmodi eſt perſona creatis, & increatis perſonis: ergo vniuoca. Maior ſupponitur ex Ariſt. cap. de Vniuocis, in Antepredicamẽtis. Minor probatur ex ſupra tradita communi definitione ex Boetio.

Reſpondetur, & negatur minor, & ad rationem ex Boetij definitione interpretamur eam; vt licet quandam vtrique perſonæ communem rationem contineat, non eſt tamen adeò communis, vt omnem Analogiam, & differentiam excludat: compertiſſimum enim eſt longè nobiliorem, & excellentiorem, & naturam intellectualem, & *hypoſtaſim*, & proprietatem Diuinam, quàm ſit creata. eandem huic argumento reſponſionẽ præſtat Alexander art. 1. memb. 4. quæſt. 56. Sanctus autem Thomas diſt. 25. quæſt. 2. in primo, eidem argumento eandem reſponſionem adhibet, diuerſis licet verbis, ex Ariſt. 2. Metaph. tex. 4. Quorundam rationes nihil prohibet non vniuocas eſſe, ſcilicet quidditates, & rationes per definitionem explicatas, admittere analogiam, vt de rebus definitis prædicari Analogicè poſſit definitio. Sicut ergo res definita, perſona ſcilicet, & Analoga erit definitio, ita Analogicè ei competet. Eadem prorſus eſt Riccardi reſponſio ad primum eadem diſtinctione art. 2. quæſt. 1.

Secundum Argumentum. Vbi eſt communitas conſimilis habitudinis, ibi vniuoci ratio; ſed inter Diuinas, & creatas perſonas eſt conſimilis habitudo: ergo vniuoci ratio. Probatur minor: nam ſicut ſe habet Pater ad naturam Diuinam, ita Petrus ad humanam &c.

Reſp. et geminam adhibet reſp. 1. ex corpore quæſt. conſimilem habitudinem in eadem natura indicare vniuocationem; ſed in diuerſis naturis,

que-

Digitized by Google

quemadmodum in re propoſita, Analogiam: Perſona ſiquidem creata, & increata ſunt adeo diuerſæ naturæ, vt ad inuicem infinitè diſtent. Secundam verò ad argumentum, & ex huius vocis conſimilis vi, quæ varia ſubeſſe poteſt: poteſt enim eſſe ſimilis adæquatè, & dicere rem ita ſimilem, vt æqualis ſit; ſecundò, ſimilem proportione aliqua, & tunc perſonæ Diuinæ, & creatæ, ex conteſtata ſimilitudine non eſt vniuoca ratio, quia inter ipſas ſimilitudo eſt proportionis, non æqualitatis. Sed vtraque ſolutio eiuſdem ponderis eſt, licet diuerſis terminis explicata.

Tertium argumentum. Complementum, & vltima perſonam conſtituens ratio, eſt incommunicabilitas, ſed hæc communis eſt vtrique perſonæ vniuocè: ergo. Probatur minor, nam negatio non ſuſcipit magis, & minus.

Reſp. & negatur maior duplici ratione, vel multiplici loco Sancti Doctoris; cum ſupra non negatione, ſed diſtinctione, & origine Diuinas perſonas conſtitui, & diſtingui, creatas verò per additam qualitatem abſolutam docuerit. Secundò hic, etiam aſſertam, & conceſſam incommunicabilitatem non eſſe tamen negationem, neque putam priuationem &c. quare negatur & minor: diuerſa namque nimis in ratione diſtinguendi, & ſubſiſtendi &c. ratio inter Diuinas, & creatas perſonas; quo fit, vt nulla vniuoci ratio inter ipſas conſiſtere poſſit. Idem vnanimi conſenſu S. Thomas ad 1. art. & diſt. citata, Idem Riccardus ad ſecundum. Tertiò poteſt addi, & alia ratione explicari, & negari major, non eſſe ſcilicet incommunicabilitatem rationem poſtremam conſtituentem perſonam, ſed conſtitutam explicare, & conſequi, quod tamen in idem recidit.

Argumenta quoque oppoſitæ partis non adeo concludunt contra vniuocationem, vt fieri debeat ad æquiuocationem tranſitus, & tollant medium analogum, quare vis primi argumenti ita moderanda. Deus, & creatura ſummè diſtant: ergo nihil commune; ſi enim illud commune abſolutè negaretur, neganda eſſet conſequentia: licet enim ad inuicem ſummè diſtent, eſt tamen ordo, & imitatio creaturæ ad creatorem, & exinde quædam Analogiæ communitas.

Argumenti verò quarto loco poſiti doctrina obſeruanda eſt, veluti vera, & communis, quam etiam tradit S. Thomas quæſt. 13. art. 6. Perſona ſcilicet, & reliqua Dei nomina propria, quo ad rem, prius, & nobilius de Deo dicuntur, quo ſenſu D. Paulus ad Epheſios 3. *ex quo omnis paternitas nominatur*: inde enim ſequitur: ergo Paternitas de Deo prius quàm de homine dicitur: quo tamen ad nominis impoſitionem prius de creaturis: quippe quod à creatura ad Deum attributum, & tranſlatum eſt. Quod quidem magis perſpicuè de nominibus metaphoricis conſtat: à creaturis namque originem allegoriæ ducunt, & ſumuntur, vt inde poſtea denominetur, & ſenſibus noſtris objiciatur Deus.

QVAE-

QVAESTIO QVARTA
DE PLVRALITATE PERSONARVM.

PRAEOSTENSA, & rectè, & ſufficienti tractatu commonſtrata in Diuinis veritate quidditate, & perſonæ formali ratione, conſentaneum, conſectariumq. eſt, & muneri Theologi cuiuſquam congruum eniti, vt Sanctiſſimæ Trinitatis Myſterium abſconditum incipiat egredi, & in media luce habitare; de perſonarum numero inſtituatur quæſtio. In qua quidem veritate capeſſenda, & verſanda, nunc certius, & euidentiùs quanta fidei neceſſitate premamur, quàm curioſitatis habenæ cohibendæ, & in eiuſdem fidei obſequium captiuandus intellectus, ne Diuinæ maieſtatis facti nimis auidaces ſcrutatores opprimamur à gloria, experimur: quis enim nouit Patrem, aut Filiū, niſi cui voluerit Filius reuelare? Itaque potiſſimum fidei reuelationi, & auctoritati fidendum, & inhærendum: & hoc præambulo lumine, hoc difficillimo itinere, & difficultatum, & inuolucrum tenebrarum contecto, progrediendum. Sed antequam Perſonarum præcisè numerum in quæſtionem vocemus, non inopportuno loco, mea ſic fert ſententia, de nomine & re eſſentiæ, & Dei inſtituenda percunctatio, eo vel maximè, quod S. Bonauentura has ad hanc rem proponit quæſtiones.

Primus igitur articulus.

An Diuina eſſentia in Diuinis numeretur, D. Bonauentura diſt. 23. quæſt. 2. art. 2. D. Thomas 1. ſent. diſt. 2.

PARAPHRASIS.

PRIMA Propoſitio. In Diuinis perſonis numeratis non licet numerare, aut multiplicare eſſentiam, neque quo ad rem, neque quo ad nomen. Probatur primò. In Deo eſt abſolutiſſima vnitas eſſentiæ: ſed quod abſolutiſſimum eſt, repugnat multiplicari: ergo eſſentia Diuina adeo verum eſt quod multiplicari non poteſt, vt repugnet. Secundò, & confirmatur. Repugnat Deo vero noſtro plurificari: ergo multo magis eſſentiæ Diuinæ. Antecedens conſtat, Deut. 6. Audi Iſrael Dominus Deus tuus, Dominus vnus eſt. Symbolo Nyceno. Credo in vnum Deum. Symbolo D. Athanaſij. Non ſunt tamen tres Dij, ſed vnus Deus. Secundò his rationibus, quibus multis vnum eſſe Deum, & oppoſitum repugnare, probat ſupra diſt. 2. art. 1. quæſt. 1. vbi eandem quam hic, quærit rem. S. Doctor; ſed ad alium finem. Probatur conſequentia. Eſſentia magis abſolutè, & illimitatè ſumitur quàm Deus: ergo ei magis repugnat multiplicari. Antecedens patet; nam Deus in ordine ad Diuinas perſonas limitatur; eſſentia verò nulla ratione, aut comparatione coarctatur. Conſequentia quoque; nam eo res infinita ſimpliciter immultiplicabilis, quia formaliter infinita, & illimitata. Tertiò, Natura Diuina non multiplicatur, neque numeratur in tribus perſonis: ergo neque eſſentia: conſequentiæ ratio eſt, nam eſſentia eſt nomen Diuinæ naturæ, ſicut & ſubſtantia. Quartò ex corpore articuli. Idem, & vnum quod poteſt diuerſis modis haberi à pluribus, non eſt neceſſe quod multiplicetur; ſed eſſentia Diuina à pluribus perſonis diuerſis modis habetur: ergo immultiplicata. Minor probatur. primò ex ſumma, & infinita ſimplicitate, & perfectione, pluribus ad intra modis communicabilis. Secundò, quia eadem eſſentia, alio modo, & diuerſa ratione eſt in Patre, alia in Filio, alia in Spiritu Sancto, vt ſuo loco, luculenter.

Secunda Propoſito. Natura in Diuinis dicitur eſſentia; & ſubſtantia habens naturam, dicitur perſona.

Tertia Propoſitio ex quæſt. 3. art. 2. Repugnat in Deo dicere plures Deos. Probatur primò, quia id probibet, & eadem Scriptura, & eadem Diuina perfectio, ſuperiori propoſitione commemorata. Secundò, hoc nomen Deus Diuinam naturam, & eſſentiam ſignificat: ergo ſicut immultiplicabilis eſſentia, ita & Deus. Tertiò eadem vi argumenti. Hoc nomen Deus, non ſolum ſuppoſitum, ſed & formam ſuppoſiti, Deitatem ſcilicet præſefert: ergo ſicut non poſſunt dici tres Deitates, ita neque tres Dij. Confirmatur ex quæſt. 3. diſt. 4. Nomina propria non inflectuntur numero plurium; Deus eſt nomen proprium ſignificans propriam, & indiuiduam formam Dei: ergo non plurificatur.

Quartà Propoſitio. Nomen perſonæ commune, licet poſſit multiplicari, tum ratione proprietatis, & dici tres perſonæ, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, quia in eis tres diuerſæ proprietates, tum ratione naturæ habita, & dici tres perſonæ Diuinæ: nomen tamen Deus, tribus eiſdem commune, non poteſt multiplicari, vt liceat dicere, tres perſonæ ſunt tres Dij. prima iam probata, pars ſecunda probatur, quia Idioma, nec latinum, nec græcum, habet congruas

vo-

Digitized by Google

voces ad id explicandum 2. quia nomen, Deus, formam, naturam ſcilicet diuinam, immultiplicabilem, ſubſiſtentem ſignificat.

COMMENTARIVM.

ACCVRATIOR, & exactior, & vberior hic S. Doctor euadit commentator, quàm cæteri, quos ego viderim Doctores: cum enim Magiſter ſententiarum hac diſt. 23: hanc geminam proponat quæſtionem ex lib. 7. de Trinit. S. Auguſtini: quare ſicut dicuntur tres perſonæ, non liceat quoque tres eſſentias, & tres Deos dicere; ſolus ipſe, & exponat Magiſtrum, & ſecum inſtituat, & ſoluat hanc binam dubitationem: & cum hęc eadē difficultas gemino ex capite redeat, & ex re, & ex nomine: ex vtroque capite vtroque loco, diſtinctè, & ſcitè, verſet, diſputet, & ſoluat: quo enim ad rem ſpectat, an ſcilicet ſit vnus Deus, & vna Dei eſſentia; id diſt. 2. quo ad nomina, & modum dicendi; hic diſt. 23. & vtraque ſanè quæſtio, & diſtinctè, & ſimul, eodem ſcilicet propoſitò, & loco, erat expendenda, & expedienda; quippequam ſic & diſtinctam, & loco iunctam; doctiſſimus omnium Magiſter S. Auguſtinus prodidit, & mirè ad diuinæ Scripturæ phraſim diſſoluit. Licet igitur diſt. 2. pro vnitate eſſentiæ longa argumentationum ſeriè pugnauerit: nunc tamen in eandem incedens, acta non agit, neque inutiliter infodat, dum eandem eſſentiam non numerari iterum tuetur: vtrobique enim tum ſequitur Magiſtrum, tum longè diuerſus ſcopus, & varia admodum diuerſitatis ratio, quam inter reliquos Doctores ipſe oculatius animaduertit, & bina integra quæſtione proſequutus eſt: accipit autem eſſentiæ, & Dei nomina, vt à quæſtionum titulis exordiamur, vt abſolutè, Dei propria aſſeruntur, & Deus, tribus perſonis communis, in ipſiſque non multiplicatus ſubſiſtit.

Sed principio, quam ſibi hac in re ob oculos propoſuerit S. Auguſtini imitandam, & expoſitione ſua explicandam doctrinam S. Doctor, hoc loco ſtatuendum eſt, vt primò ex hoc maximo Doctore propoſitæ dubitationes è medio tollantur. quinto ergo capite lib. 7. de Trinitate, hiſce verbis, tum quæſtionem, tum quæſtionis difficultatem, ediſſerit. *Si propterea dicimus tres perſonas, quia commune eis eſt id, quod perſona eſt; alioquin nullo modo poſſet ita dici; quemadmodum non dicuntur tres Filÿ, quia non commune eſt eis id quod Filius eſt; cur non dicimus etiam tres Deos? certè enim quia Pater perſona, & Filius perſona, & Spiritus ſanctus perſona, ideo tres perſonæ: quia ergo Pater Deus, & Filius Deus, & Spiritus ſanctus Deus, cur non tres Dÿ? aut quoniam propter ineffabilem coniunctionem hæc tria ſunt ſimul vnus Deus; cur non etiam vna perſona? vt ita non poſſimus dicere tres perſonas, quamuis ſingulam quamque appellemus perſonam? quemadmodum non poſſumus tres Deos dicere: quamuis ſingulum quemque appellemus Deum, ſiue Patrem, ſiue Filium, ſiue Spiritum ſanctum.*

Tandem elegantiſſimè huic maximæ dubitationi ſolutionem adhibet. *an quia Scriptura non dicit tres Deos? ſed nec tres perſonas alicubi commemorare inuenimus. an quia nec tres perſonas vnam perſonam Scriptura dicit? legimus enim perſonam Domini, non perſonam Dominum: propterea licuit, loquēdi, & diſputandi neceſſitate tres perſonas dicere, non quia Scriptura dicit, ſed quia non contradicit. Si autem* diceremus tres Deos, contradiceret Scriptura dicens, audi Iſrael, Dominus Deus tuus Deus vnus eſt.

Deinde de eſſentia eadem ratione, ſic dubitationem inſtituit. *Cur ergo, & tres eſſentias non licet dicere? quod ſimiliter Scriptura, ſicut non dicit, ita nec contradicit: nam eſſentia ſi ſpeciale nomen commune tribus, cur non dicantur tres eſſentiæ, ſicut Abraham, Iſaac, & Iacob tres homines, quia homo ſpeciale nomen eſt commune omnibus hominibus? ſi autem ſpeciale nomen non eſt eſſentia, ſed generale; quia homo, & pecus, & arbor, & ſidus, & angelus dicuntur eſſentiæ, cur non dicuntur tres eſſentiæ? ſicut tres equi dicūtur tria animalia? & tres lauri, tres arbores? & tres lapides, tria corpora? aut ſi propter vnitatē Trinitatis non dicuntur tres eſſentiæ, ſed vna eſſentia; cur propter eandem vnitatem, dicuntur tres ſubſtantiæ, vel tres perſonæ, & nō vna ſubſtantia, & vna perſona? quàm enim eſt cōmune illis nomen eſſentiæ, ita vt de ſingulis dicatur eſſentia, tàm illis cōmune, vel ſubſtantia, vel perſonæ vocabulum: quod enim de perſonis ſecundum noſtrum Idioma, hoc de ſubſtantÿs ſecundum Græcorum conſuetudinem, quæ diximus oportet intelligi: ſic enim illi dicunt tres ſubſtantias vnam eſſentiam, quemadmodum nos dicimus, tres perſonas vnam eſſentiam, & vnam ſubſtantiam.*

Quid igitur reſtat, niſi vt fateamur loquendi neceſſitate parta hæc vocabula, cum opus eſſet copioſa diſputatione aduerſus inſidias, vel errores hæreticorum? cum enim conaretur humana inopia loquendo proferre ad hominum ſenſus; quod in ſecretario mentis pro captu tenet de Domino Deo creatore ſuo, ſiuè per piam fidem; ſiue per qualemcumque intelligentiam; timuit dicere tres eſſentias, ne intelligeretur in illa ſumma æqualitate vlla diuerſitas. Rurſus non eſſe tria quædam, non potuit dicere: quod Sabellius, quia non dixit, in hæreſim lapſus eſt. Et poſt pauca in vniuerſum concludit. *Quemadmodum, quia hoc eſt Deo eſſe, quod ſapere, ſicut non tres eſſentias, ita non tres ſapientias dicimus: quia hoc illi eſt Deum eſſe, quod eſſe, tàm tres eſſentias, quàm tres Deos dicere fas non eſt: ſi enim aliud eſt Deo eſſe, aliud ſubſiſtere; ſicut aliud Deo eſſe, aliud Patrem eſſe, vel Dominum: quod enim eſt, ad ſe dicitur: Pater autem ad Filium, & Dominus ad ſeruientem creaturam dicitur. Relatiuè ergo ſubſiſtit, ſicut relatiuè gignit, & relatiuè dominatur.* Quibus auguſtiſſimus Auguſtinus pereruditè vtramque dubitationem radicitus euellit; plurificari quidem perſonas, tum quia nedum Scriptura non contradicit, ſed concedit

cedit

cedit; dum Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum enumerat, tum ad hæreſim Sabellij euitandam, tum denique ad reſpondendum hæreticorum inſidijs, vncum neceſſitate ducta: Deum verò nequaquam; hoc quidem explicato loco Diuina prohibent oracula; eſſentiam autem ideo nulla ratione multiplicari poſſe, primò eadem ratione, qua neque Deus: hoc enim illi eſt Deum eſſe, quod eſt eſſe: ergo ſi Deus non poteſt plurificari, neque eſſentia; quod fuit argumentum poſtea S. Bonauenturæ, vt in textu; imò à minori ad maius. ſecundò eodem fundamento ſicuti tres ſapientiæ in Deo, niſi hæreticè poſſunt admitti, eadem ratione neque tres eſſentiæ: quo enim in Deo eſt ſapere, eo eſt eſſe. tertiò, ne in illa ſumma æqualitate vlla intelligeretur diuerſitas: quod ſi alia Patris eſſentia, alia Filij, Spiritus ſancti alia ſacrilego ore diceretur, tantam ibi diuerſitatem cogeremur concedere, quanta inter Deum, & creaturam, hoc eſt ſummam, & infinitam: cum enim vt ſupra diſt. 2. repugnet eſſentiam Diuinam multiplicari; ſi eſſentia Filij à Patris eſſentia differret, Patris ſolius Filium generantis eſſet Diuina, Filij autem creata, quod ſolum impijſſimo Arrio ſuffeciſſet. quartò denique, Perſonarum, & eſſentiæ eſt valde diuerſa ratio, vnde à perſonis ad eſſentiam nulla congruè poteſt ad hãc rem ratio deduci: eſſentia ſi quidem omninò abſolutè: perſona, hypoſtaſis, & ſubſiſtentia relatiuè ſumitur; aliud eſt enim Deo eſſe, aliud ſubſiſtere, aliud Deum eſſe, aliud Patrem eſſe: quod enim eſt, ad ſe dicitur: Pater autem ad Filium &c. & quid ſolidius? quid exactius? quid explicatius?

Quæ omnia tamen, vt quod diximus, quàm ſolidè, & verè ab hoc Sanctiſſimo Patre, & Theologorum Choriphæo dicta, & aſſeuerata ſint; non diſſimulandæ, ſed ſedulò quædam euellendæ dubitationes, quæ ex aſſertis videntur neceſſariò ſuboriri; quarum.

Prima, Quomodo à D. Auguſtino potuit verè dici, Scripturam non contradicere eſſentiæ Diuinæ multiplicationi, eò vel maximè poſito ipſius fundamento, idem eſſe illi Deum eſſe, & eſſe: licere enim videtur hoc in eum contorquere argumentum. Quæ Scriptura vetat plures dicere Deos, eadem clariſſimè plures eſſe eſſentias vetare videtur: & probatur; nam idem eſt Deum eſſe, & eſſe: ergo. Deut. 6. *Audi Iſrael &c.* pluralitas eſſentiæ, quemadmodum & Dei apertè prohibet: euidentius Exodi 3. confirmatur. *ego ſum, qui ſum, & qui eſt, miſit me*: ſupra enim præſsè ibi de vnitate eſſentiæ decerni demonſtratum eſt.

Secunda. Si quidditates obiectiuæ, quæ definitionibus explicantur, ex philoſophorum dicendi ratione ſine vllo errore eſſentiæ nuncupari poſſunt: cum multæ in Deo admittantur, non ſolum ex probabili Scoti ſententia, qui differentias formales in Deo fatendas contendit: ſed ex fide: ſi enim alia eſt perſona Patris, alia Filij, alia Spiritus ſancti, neceſſariò alia quoque erit ratio, & quidditas, & definitio Patris, alia Filij &c. ergo & alia huiuſce notæ eſſentia. Confirmari poteſt vehementiori, ſaltem apparenti ratione: licuit ſupra dicere tres exiſtentias relatiuas: ergo & eſſentias tres relatiuas.

Tertia. Contradicere docuit Scripturam huic multiplicationi. Videtur primis ſacrorum Bibliorum verbis id aperto ore concedi: vbi enim nos, *In principio creauit Deus cælum, & terram*. hebræa legunt: Bereſit Bare eloim: hoc eſt in principio creauit Dij: Quod ſi hebræis licuit de vno Deo, attamen Deos aſſerere; quare & nobis eandem fidem, & religionem profitentibus, non licebit?

Ad hanc tertiam dubitationem primò reſpondemus, & tota reſponſionis vis ex recta, & cohærente, illorum verborum quæ oppoſita ſunt, interpretatione erit. Quidam, vt hunc euitarent ſcopulum, & hanc effugerent difficultatem, reſponderunt. Hebræos penuria vocum laborantes, & præcipuè hoc in loco; Eloim, cum ſingulari careat, & dumtaxat plurali numero flectatur; vllo abſq; myſterio numerus plurium pro ſingulari poſitus eſt, vt idem ſit Dij, & Deus; quare & interpres noſter vertit; *creauit Deus*, non Dij; vnde ex hac interpretatione hebræorum phraſis nihil negotium faceſsit; ita inter alios Caiet. in huius loci explicatione. Sed hæc euaſio nulla omnino eſt: compertiſsimum enim apud huius linguæ hebrææ eruditos, Eloim plurale, ſingulare habere El, vel Eloa; tradidit memoriæ antiquiſsimus Rabbi Dauid, & reperitur in Scriptura. Iob 12. *Inuocabit Deum, & exaudiet eum.* Iob 36. *Adhuc habeo quod pro Deo loquar.* Abacuc 1. *Hæc eſt fortitudo eius Dei ſui*, & cap. 3. *Deus ab Auſtro veniet.* Quibus omnibus locis habetur Eloa, vbi nos *Deum* habemus: quod & S. Bonauentura 1. Sent. diſt. 2. dub. 8. ſcitè obſeruauit, & ante D. Hieronymus ad Marcellam, & hoc nomen Eloa inter Dei nomina hebræa numerauit.

Alij hunc modum dicẽdi diſcordem, Bara Eloim, *creauit Dij*, non vacare myſterio, ſed initio ſacrorum Bibliorum voluiſſe fidelibus Spiritum ſanctum indicare maximum noſtræ fidei ſacramentum, ſanctiſsimæ ſcilicet Trinitatis, vnitatem quidem verbo ſingulari *creauit*; perſonarum verò Trinitatem, Eloim plurium numero: ita Magiſter ſent. 1. diſt. 2. quẽ Scholaſtici omnes poſtea ſequuti ſunt; cum quibus Burgenſis, Lyranus, Galatinus, Steucus, Catharinus, & alij quàm plures.

Quod ſi opponas; ergo & nos poſſumus tres perſonas, tres Deos dicere; quod tamen fides noſtra per Scripturas, & per Concilia interdicit. Reſp. & eſt ſancti Bonauenturæ reſp. diſt. 4. hoc quidem idioma hebræum ferre; nequaquam tamen noſtrum latinum; quod non eſt mirum ex varia idiomatum proprietate. Et confirmari poteſt alio exẽplo ex Cant. 4. explicatore S. Hieronymo: quod enim nos. *Abſque eo, quod intrinſecus latet.* 70. interpretes, *extra taciturnitatem tuam*, legunt; vbi Sanctus Hieronymus, Idioma ibi hebræum caſtè, & pudicè quædam exprimere, quæ nulla prorſus ratione noſtrum latinum idioma pateretur: & eo hic facilius, quo omne errandi periculum tollitur ex addito verbo in ſingulari numero *creauit*: ſi namque quis inſtaret; in perſo-

nis

nis plurificatis non poſſe Dei nomen plurificari, quia verè formam Deitatis implurificabilem ſignificat; euellitur ex verbo *creauit*, quo obſtatur ne ſub hac ſententia Dij, & Eloim vſurpetur, ſed dumtaxat perſonarum numerus cōmonſtretur. Neque ſolius hebræi Idiomatis libertas hæc eſt: nam & Græco ſermone inoffenſa aure legitur neutrum nomen plurale annexum verbo ſingulati, vt nos diceremus, animalia currit. Imò, & latina noſtra lingua, cum percipuè nomina ſunt collectiua, vt aiunt; impunè enim, imò conciunè dicitur, populus clamant: tota vrbs currunt.

Alij denique, & fortaſſe ad propoſitam dubitationem collimatius: quod hoc Geneſis loco nihil obſtat, neque vllum myſterium velatur, aut reuelatur, ſed ordinaria phraſis hebraica libertate Barra Eolim, *creauit Dy*, pro Deus creauit, dictum eſt: nulla enim inconcinnitas, aut dicendi grammaticæ diſſonantia apud hebręos cenſetur, plurali pro ſingulari numero vti, & verbo ſingulari plurale nomen annectere, & vice verſa. Et innumera ſunt in Diuinis litteris exempla, quę hic, ni lectoris faſtidium euitandum eſſet, in medium poſſent adduci, & in Lexico Sanctes Pagnini legi facilè poſſunt. Vnum, aut alterum ſufficiet pro ſexcentis, quæ in promptu nobis eſſent.

Ioſue vltimo. *Non poteritis ſeruire Deo: Dominus enim ſanctus eſt*; quo loco hebræa: quia Dij Sancti ſunt. Exodi 20. *Non habebis Deos alienos*. Hebræa, Non erit tibi Dij alieni: ergo idiotiſmo frequenti hebræorum, ad vnum Deum teſtandum licitè vſurpatur Eloim. Quod ſi vllum hic latuiſſet myſterium, non ignoraſſent vetuſtiſſimi hebræorum Magiſtri: & inter noſtrates hoc non prætermiſiſſent, Origenes, & D. Hieronymus. Hanc poſtremam euaſionem, & interpretationem adhibent, Toſtatus hoc loco, & tractatu de Trinitate pugnaciſsimè contra Lyranum. Caietanus eodem loco cum alijs doctiſſimis viris, & inter recentiores, Hieronymus ab Oleaſtro, Pererius, & Vaſquez: nobis quoque, & eo magis placet, quo & Sancti Bonauenturę reſponſione roboratur: hac enim ratione, per idiotiſmum ſcilicet hebræorum, quo ipſis & non nobis, pro Deo, Deos dicere licet: quare magnificandum, quod inde colligit, & tradit monitum eodem commentario Hieronymus ab Oleaſtro; non hoc loco pugnandum cum hebræis ad ęis Sanctiſsimæ Trinitatis fidem perſuadendam, ne nos putent validiora non habere. Imò valde ſcitè hic pius, & doctus vir, & de hebræo Idiomate plurimum meritus, ediſſerit. primò. Si Moyſes adeo tempeſtiuè his verbis voluiſſet Sanctiſsimam Trinitatem indicare, errandi periculo hebræos expoſuiſſet. Secundò, peracutè S. Auguſtinus in illa verba D. Ioannis. *Pater nomen tuum manifeſtaui hominibus*, non quo voceris Deus, *quia notus in Iudæa Deus*, ſed quo vocaris Pater meus, quaſi ſcilicet prius non fuerit manifeſtatus. Tertiò. Eloim à radice Alaah longa deductione ſignificat iudicem vindicem, quaſi mundum, quem ſua ſapientia, & bonitate produxit, ſua potentia vindicaturus, ſi eo homo abuteretur.

Hanc ſolutionem, quam huic loco, & dubitationi adhibuit Sanctus Bonauentura, vt comp'ectitur & aliam poſtremam, confirmant, Alexander quæſt. 50. memb. 2. ad ſecundum. S. Thomas 1. par. quęſt. 39. art. 3. ad ſecundum his verbis, linguæ diuerſæ habent diuerſum modum loquendi: vnde ſicut propter pluralitatem ſuppoſitorum Græci dicunt tres hypoſtaſes, ita & in hebræo dicitur pluraliter Eloim, nos non dicimus pluraliter, neque Deos, neque ſubſtantias. Riccardus diſt. 4. quæſt. 3. ad primum, &c.

Secundæ verò dubitationi quaſi occurrens S. Thomas 1. ſent. diſt. 33. quæſt. vnica art. 1. ad primum, viſus eſt conceſsiſſe, poſſe quem ſine erroris periculo hoc ſenſu quidditatum formalium, & relationum, plures eſſentias aſſerere: potuit namque hæc verba, quatenus eſſe ſignificat quidditatem, quam explicat definitio; ſic eſſentia, et relatio non vniuntur in eſſe; quod ferè ſubſcribens Caietanus 1. par. quæſt. 28. art. 2. diſtinguit inter quod quid eſt relationis, et quod quid eſt naturę Diuinæ: Idem à fortiori docebit Scotus. Attamen ſub diſtinctione obſeruandum aliud omnino, et valde referre ſi plurificetur eſſentia abſolutè, vt plures eſſe eſſentias in Deo aſſeratur: aliud ſi ſtrictè, et limitatè, vt ſi proferatur, et ſumatur eſſentia quidditatiuè, vel relatiuè: priori ſiquidem modo abſolutè, hic dicendi modus omninò vitandus, veluti falſus, et erroneus: omnibus enim locis illis, quibus Diuina Scriprura teſtatur, et fides docet, et præcipit Deum eſſe vnum; itidem præcipit, et ſtatuit vnam Dei eſſe eſſentiam, et vnius einſdem eſſentiæ, et naturæ tres perſonas. Cuius aſſerti hæc neceſſario reddenda ratio, quia eſſentia rei ſimpliciter dicitur illa, qua res in ſuo eſſe ſimpliciter conſtituitur, et quod eſt principium omnium operationum: ſed vnica eſt natura, et eſſentia, qua perſonæ Diuinæ habent ſuum eſſe ſimpliciter, et quæ eſt principium in eis omnium operationum: ergo etc. probatur primò minor per D. Gregorium Nyſſenum lib. de Differentia eſſentiæ, et perſonarum: vbi eſſentiam eſſe illam docet, in qua plura ſuppoſita conueniunt, quemadmodum plura hominum indiuidua in eadem natura humana conueniunt. Secundò per D. Baſilium epiſt. 80. operationis ſimilitudo in Patre, Filio, et Spiritu Sancto, eandem in his eſſe naturam manifeſtè declarat: vnde ad inſtantias, licet ex hypoteſi plurificentur quidditates; negatur tamen conſequentia, inde ſequi abſolutè, licitè poſſe enunciari plures eſſentias: neque vllus ſanæ mentis, et cautus Theologus id vnquam voluit inſinuare; multo minus cautiſſimus, et oculatiſsimus Sanctus Thomas; ſed commemorato loco tantum cum dicimus eſſe relationis præcisè hic non indicare eſſe ſimpliciter diuinum, ſed quidditatem relationis: ſicut autem niſi ratione differt relatio ab eſſentia, ita neque diſtinctam eſſentiam, nec ſubinde plures eſſe eſſentias fateri concedit, aut concedere poteſt. Ad aliam inſtantiam de pluribus exiſtentijs in Deo, duas exhibemus ſolutiones: altera hæc eſt, ſicuti triplicem non dedimus exiſtentiam abſolutè, ſed limitatè relatiuam ſcilicet, ita

S ne-

neque triplicem eſſentiam abſolutè: an verò limitatè, hoc eſt relatiuè, ſtatim andietur. Altera verò, diuerſa adeſt ſignificandi ratio in his duobus terminis, eſſentia, & exiſtentia: hæc enim generatim loquendo, non reſpicit rantum naturam, & eſſentiam rei; ſed quamcumque entitatem, & quemcumque modum rei, ita vt tot ſint modi exiſtentiæ, quot ſunt modi entitatis actualis. Hinc, ſi poſterioti modo, reſpondetur rem non eſſe tanti momenti, & iam inter Catholicos conſtat, tum Dei eſſentiam non plurificari, ſed de modo dicendi dumtaxat eſſe altercationem: attamen neque hunc modum dicendi eſſe vſurpandum, neque eſſe in praxi, & grauiſsimorum Theologorum ſententia eſt, & ipſis ego libentiſsimè adhæreo: & ratio adæquans in promptu eſt: eſſentia idem quod natura, & ſicut natura, ita & eſſentia eſt id, quod conſtituit formaliter eſſe Dei; ſed tres relationes non dicuntur tres naturæ relatiuę: ergo neque tres eſſentiæ relatiuæ eadem ratione ſunt dicendæ. Præterquam quod, vt nunc dicebam, nullus huius dicendi modi vſus apud graues, quos ſciam, auctores inuenitur: ſed redibit de hac re ſermo, tractatu de modis dicendi.

Ad primæ ergo dubitationis ſolutionem aſſurgo; ſanctus Auguſtinus interptetandus hac addita obſeruatione. Aliquid tum concedere, tum prohibere ſacra Oracula, gemina ratione ſumitur, vel formaliter, & etiam quo ad nomen, vel dumtaxat re; vt quidem inueniatur in Diniuis littetis res vel prohibita, vel aſſerta, & præcepta, quamuis nullibi eius proprium nomen; quod poſtea, tum Patres, tum ſcholaſtici explicatiotis intelligentiæ ratione, & hæreticorum occurrendi inſidijs neceſſitate, coacti ſunt inuenire: de qua re in medium plura poſſent educi exempla, ſed ſufficiat quod paucis ante iam dictis relatum, & expoſitione à Theologis actum de perſona; quod quidem nomen de Deo aſſertum, in nullo Scripturarum loco inueniri certè poterit; cum tamen res apertiſſima inueniretur, ad reſpondendum hæreticis teſte ipſo ſancto Auguſtino adinuenerunt Patres. Idem prorſus de eſſentiæ voce aſſeritur, & aſſerendum grauiter; res enim, & vnitas rei, ſcilicet eſſentię inuenitur in Diuinis Litteris, & ijs, quę obijciebantur in dubitatione, locis, & omnibus alijs, quibus vnus Deus aſtruitur, & præſertim propter ibi relatam S. Auguſtini rationem, longis, & fuſis Theologorum commentationibus illuſtratam. Nomen autem eſſentiæ præciſè, nec inuenitur, nec eius multiplicatio vetatur: & ſub hac ratione locutus eſt Sanctus Pater, dum non contradicere Scripturam proteſtatus eſt, vt arriperet diſputandi inde occaſionem, & dubij ſolutionem quærendi, prodendi, & confirmandi veritatem, & rationem reddendi, quare perſona rectè multiplicetur, neque tamen eſſentia.

Porrò his dubitationum ſolutionibus, licet ex S. Auguſtini textu deſumptis, tamen plurimum ad S. Doctoris noſtri commentationem conducere arbitratus ſum, neque eo tantum, quo recenſitæ quæſtiones ad illa verba D. Auguſtini explananda inſtitutæ ſunt, ſed eo potius, quo eædem ferè ſoluendæ proponuntur dubitationes, eademq. argumenta.

Quo tamen ad vnitatem eſſentiæ, efficaciſſimis vtitur argumentationibus S. Doctor. primum eſt ex abſoluta, & illimitata eſſentiæ ratione ductum, vbique, & à reliquis Theologis, præcipuè à ſancto Thoma repetitum; cuius hæc, mea ſententia, eſt vis. Illud, quod abſolutè, & illimitatè, & maximè vnum ſumitur, ei repugnat plurificari; hoc modo accipitur, & concipitur, & à parte rei eſt Dei eſſentia: ergo plurificari ei repugnat. Maior patet, tum quia ita illimitatè ſumptum, omnem rationem eſſendi, & perfectiones neceſſariò complectitur, & proinde ſi multiplicabitur, quodlibet multiplicatum, & erit limitatum in eſſentia, & perfectione, & adinuicem multiplicata different, & quod in vno erit, alteri deerit, & erit idem eſſe multiplicatum, & eſſe limitatum, tum quia id, quod vnum eſt, quatenus vnum, & ſingulare, ei contradicit communicari, & multiplicari: illud enim vnde v. g. Petrus communicatur obuenit ei, non quia Petrus, ſed quia homo. Minor quoque probatur omnibus illis Theologicis theorematibus notis, vulgatis, & omni veritate, & certitudine ſuffultis; Deus eſt ſua eſſentia, & ipſa eſſentia; eſſentia Diuina eſt infinita, eo quo illimitata, & in nullo recepta, aut terminata, & infinitè ſimplex, & propter ſuam ſubſtantialem incommunicabilitatem æterna: & non ab alio, ſed ſe ipſa, infinitæ virtutis, & perfectionis, & non ad alium finem, ſed propter ſe, omnium vltimus, & perfectiſsimus finis; alia perficiens, & terminans: quarę optimè de Dei infinita magnitudine Diuus Dionyſius cap. 9. de Diuinis nominibus mirè appoſitè loquitur. Magnus quidem Deus dicitur tum ex ſua magnitudine qua ſe, & cum omnibus, quæ magna ſunt communicat, & per omnem magnitudinem ſe diffundit, locum omnem continet, omnem numerum ſuperat, omnem infinitatem tranſilit; tum ex ſumma vi, actionibus, magnitudine, ac muneribus, quæ ab ipſo quaſi fonte manant: & D. Gregorius Nazianzenus orat. 38. idem intuitus, Deum pelagus quoddam eſſentiæ immenſum, & interminatum appellauit, & paucis ante quibuſdam verbis indicauit, in ſe ipſo Deum vniuerſum quod eſt, complecti: quam Gregorij ſententiam in hunc modum, & his verbis interpretatus eſt Nicetas. *Deus ſemper eſt, vt cum Diuinologuo Dionyſio dicam, vniuerſam eſſentiam in ſe complectitur:* Ego enim inquit Scriptura ſum primus, & ego poſtea, & ante me non eſt alius Deus, nec poſt me futurus eſt: tota enim eſſentia illius, nec principium habens, nec finem habitura eſt, quaſi vaſtum quoddam Pelagus eſt, & ſimpliciter neceſſaria: eſt denique ſummè bona, & perfecta, & prima, & maximè vna, maximèq. ſingularis, vt inter alios Patres docuit Boetius his diſertiſsimis verbis. *Inter omnia, quæ vnum dicuntur arcem tenet vnitas ſanctiſsima Trinitatis:* & inter Theologos hic S. Bonauentura in veſtibulo quæſtinnis dum abſolutiſsimam vnitatem illam Diuinæ eſſentiæ nuncupat, & S. Thomas quæſt. 11. art. 3. dum eo quia maximè ens Deus,

& ma-

Digitized by Google

& maximè indiuiſus, quia nec actu, nec potentia, etiam logica, diuiſibilis ſit. Quibus euideutiſsima conſecutione fit patens, Diuinam eſſentiam,& re, & nomine implurificabilem,adeo vt multigena repugnãtia repugnet. Prima, quia repugnat primũ ens ſimpliciter plurificari. ſecundò, ipſum ens, vel ipſa eſſentia illimitata. tertiò,infiuitum ens. quartò,ſummè bonum:ſequeretur namque ſi alia eſſentia Diuina daretur, neutram eſſe ſummam,& infinitam,& illimitatam,& primã,ſed patt:tam, & dimidiatam, & finitam, & productam ex nihilo, et conſequenter contingentem, et imperfectam; quatenus quælibet alterius diſtinctæ perfectione careret: omne namque abſolutè primum, eſt à quo neceſſariò reliqua ex oon ente, et ex oihilo ſunt: ergo euidens repugnantia: dum enim plurificatur diuinum eſſe, abſolutè negatur. Quare elegantiſsimè Tertullianus; *qui plures Deos facit,nullum Deum verum relinquit:Quare Deus, ſi non eſt vnus. non eſt*, libro aduerſus Matcionem primo cap.3. Et ſicut repugnat eſſentiam Diuinam eſſe ab alio, et ex non eſſe produci, et conſequenter non eſſe ens abſolutè neceſſarium, et non eſſe ipſam eſſentiam, et ſimpliciter illimitatam, et infinitam, et ſummè perfectam, et bonam, et independentem, et ſimplicem; ita eadem prorſus ratione repugnabit multiplicari. Quæ omnia ex omnibus Theologis ſuis locis, dum hæc de Diuina eſſentia eſſentialia prædicata enuuciantur, aperta conſecutione deducuntur, & præſertim ex S. Bonauentura præcipuè diſt. 2. art. 1. quæſt. 1. & diſt. 8. par. 1. art. 1. & 2. Has, & ſimilea repugnancias fuſiori, & vberiori ſermone deducit Snarez in Methaphyſicis, diſputat. 29. ſect. 1. & 3. & diſputat. 30. ſect. 10.

Verum hæc Diuina ſic implurificabilis eſſentiæ veritas, ſolidiori, & veriori, quàm humana adducere poſsit ratio, fundamento nititur, Diuinarum ſcilicet ſcripturarum innumeris vbiqne repetitis locis, & præcipuè, qui non ſolum vnum aſſeruot Deum, vnamque Deitatem; ſed adeo expræſsè, vt omnem alium excludant. Deut. 4. *Dominus ipſe eſt Deus, & non eſt alius præter ipſum*. Deut. 6. *Dominus Deus tuus vnus eſt*; benè à qnodam ſcriba Matt. 12. explicatum his diſertiſſimis verbis. *Quia vnus eſt* Deus, *& non eſt alius præter eum*: vnde ſubdit Euangeliſta. *Videns Ieſus quod ſapienter reſpondiſſet &c.* qua Diuina, tum explicatiooe, tum obſeruatione, omnia eademquæ innnmera oracnla de Vnitate Diuinæ eſſentiæ expoſita maneant: nimirum cum excluſione hac, vt ita ſit vna deitas, vt nullam aliam diſtinctam admittat, ant admittere poſſit: conſectarinm enim eſt, non ſufficere de Diuina eſſentia firmare vnitatem, niſi excluſione affirmetur, et intelligatur: quamuis enim eo quia maximè ens ſit maximè vna, et quia maximè ſingularis, ab omnibns ſit diſtincta; eo tamen quia quodlibet ens, & eſt vnum, & multa alia entia ſimilia admittit, pari ratione ſingula propriè vnitate vna, vnde plura entia nuncupantur: hinc vt explicatius res hæc Diuina intelligatur, addenda excluſio vbique, & animaduertenda, & ſupponenda, præſertim quia aliquibus locis explicatè additur 1. Reg. 2. *Non eſt Sanctus, vt eſt Dominus, nec enim eſt alius extra te.* pſal. 17. *Quis Deus præter Deum noſtrum?* pſal. 85. *Tu es* Deus *ſolus*. Sapientiæ 12. *Non eſt alius quàm tu*. Elegantiſſimè rem omnem hanc expreſsit, & quaſi coronide ſubſignauit D. Dionyſius 2. de Diuinis nominibus. Diuinoloquus explicatiſsimis verbis. *In omnibus ferè ſacris libris aduertimus Diuinitatem Sanctè prædicari, vt ſingularem quidem, & vnicam, ob ſimplicitatem, atque vnitatem excellentis illius indiuidui, ex quo veluti viuifica veritate in vnū tendimus*. Pluribus rem hanc non proſequor in præſentiarum, ne in alienam meſſem falcem mietere videar: hæc enim adamuſsim, & exquiſitè peruolucre, ad Dei vnitatem per ſe ſpectat; ego verò Dei Trinitatem explicare vtcumque ſuſcepi.

Secunda quoque ratio in corpore art. conſtructa mirè ad rem collimat, & apprimè vrget; euidentius tamen ſuppoſita fide: priori enim ratione, etiam ſolo naturæ lumine eſſentiæ Diuinæ vnitas demonſtratnr vtcumque; neque tamen plenè; hæc verò poſterior niſi ex fidei lumine robur vllum accipit: huiuſmodi enim ſtructuræ eſt. Quod idem & vnum non multiplicatum à pluribus perſonis dinerſis modis poteſt haberi, non eſt neceſſe quod multiplicetur; ſed eſſentia Diuina à pluribus perſonis diuerſa ratione habetur, vt infra cū de ſingulis perſonis, & ſupra cum de pluribus emauationibus: ergo &c. compertiſsimum eoim eſt maximè fide opns eſſe, vt ſnperioribus, cum de neceſsitate reuelationis ad Sanctiſsimam Trinitatem percipiendam agebatur: vnitati autem eſſentiæ non repugnate perſonarum pluralitatem, in hoc ſita eſt maximi myſterij maxima difficultas: hinc enim factum eſt, quod ſapientum vetuſta ætas alioquin vehementer perſpicax, & in altiſsimarum rerum diutiſsimè verſata contemplatione; huius tamen myſterij nihil proprium vnquam, niſi ex alterius ore, & traditione attingere potuerit: ex his tamen fidei principijs elegantiſsima argumentatio deducitur; & maior eo eſt euidens, quo ſi illa vna ſufficiens eſſentia multiplicaretur, id fruſtra & ſine vlla ratione fieret, quod nullibi patitur, nec Deus, nec oatura: eo enim, & in vno corpore humano vna numero ſufficit anima, quia à pluribus potentijs eadem poteſt haberi: & hi philoſophi, qui auſi ſunt multiplicare in eodem ſubiecto & corpore animam, & in philoſophiam, & rectam rationem, & veritatem catholicam peccarunt. Minor, quo miram, & plurimam inuoluit Theologiam, eo fæcundiſsimè probari poteſt. Primò, ex ſumma, & infinita ſimplicitate, quæ & in pluribus inueniri, & non multiplicata poteſt: ſi enim non in pluribus, non eſſet infinita; ſi non immultiplicata, non eſſet omnino ſimplex, ſed ferè partibus conſtaret, & componeretur; quod euidenter ſimplicitati repugnat. Confirmatur ex oppoſito argumento: eo enim & perſona humana pluribus naturis conſtat, corporea, & incorporea, quia ſimplex non eſt: ergo Diuina ex oppoſito, quia ſummè ſimplex & ex pluribus oaturis non conſtabit &c. Secundò, ex infinita fæcunditate ſeipſam gemina

Digitized by Google

communicatione naturæ ſcilicet & voluntatis: eo enim à pluribus Diuina infinitè bona eſſentia haberi poteſt, quo pluribus communicabilis eſt, Filio per naturam, & intellectum, Spiritui Sancto per amorem, & voluntatem. Tertiò, ex identitate naturæ Diuinæ, & eſſentiæ: inter ſe enim niſi noſtro intelligendi modo differre, quatenus eandem nos ſub ratione fæcunditatis, & principij, & ſub ratione præcisè illimitatè eſſendi concipimus, diuerſa hæc ſortitur nomina, naturæ, & eſſentiæ: eadem natura Diuina numero in tribus perſonis; ergo & eadem eſſentia. Id fortius ſequenti articulo, cum vnitati naturæ non repugnare plures perſonas demonſtrabitur.

Quod verò in corpore S. Bonauentura explicationis gratia addit, & videtur quandam inter naturam, et habentem naturam conſtituere differentiam, vt natura ſit eſſentia ipſa, et habens naturam, ipſa perſona; hoc ſalis grano ita accipiendum, vt nullam prorſus, aut in eſſentia potentialitatem, aut in perſona compoſitionem, aut denique inter eſſentiam, et perſonam actualem diſtinctionem admittat: ſupra enim cum de perſonæ ſimplicitate, et relatione, tum cum eſſentia, tum cum perſona, omnigena identitate agebatur, hæc omnia ſatis ſuperque exploſa ſunt. Eſſentiæ verò, vt à perſona habitæ, ex ſua infinita actuali perfectione, et ex propria, et intrinſeca exiſtendi neceſſitate repugnat, eam, vt aptam natam haberi, quatenus non haberi opponitur, ſeorſum vſurpare ſicut non poteſt non haberi, et non communicari, ex intrinſeca totius eſſe Diuini ratione; pari, et conſimili ratione non poteſt neque concipi, vt in potentia ad hoc, vt habeatur, et communicetur, niſi ea potentia, quam, tum Theologi, tum Philoſophi, logicam, & non repugnantiæ nuncupare conſueuerunt: quemadmodum enim non poteſt adæquatè, niſi cum ſuis relationibus perſonalibus, vtpote de ipſius ratione, concipi Deus; nec poteſt non eſſe vnus, & trinus, neque Pater non poteſt non generare Filium, neque Pater, & Filius non ſpirare Spiritum Sanctum ex intrinſeca Diuini entis conditione, & fæcunditate: ita neque perſona, vt etiam producta, & originata, poterit, vt primò ita ſit poſsibilis producti, vt non neceſſariò producta: neque enim ea ratione perſona Diuina producitur, vt res creatæ ad extra, vt ſit in totali poteſtate producentis eas non producere, veluti quæ ſuapte natura totæ à Diuina voluntate dependeant; ſed inuariabili, & intrinſeca, & neceſſaria Diuini eſſe perfectione, ita producuntur, vt ſubinde non poſsint non produci.

Tandem, non opus nobis plurimum circa ſecundam quæſtionem immorari; quod ſcilicet non poſſint plures, aut eſſe, aut dici Dij, licet plures, & in re ſint, & dicantur perſonæ; tum quia eadem prorſus eſt res, & idem rationum robur, & pondus, idem denique & finis, & difficultatis nodus, qui de eſſentia; tum quia id pro dignitate, qui de abſolutis cum de Dei vnitate, præſtiterunt: tum denique quia multis locis luculentiſſimè, & conſpicuiſsimè S. Doctor id exegit; & nunc nobis non eſt animus neceſſaria prætermittere. Ergo non fas eſt, inquit S. Bonauentura, plures, aut eſſe, aut nominare Deos. Quod tamen perſpicacius aſſequemur, ſi prius quotuplici vſurpatione hæc vox, Deus, vſurpari poſsit, ex diſt. 4. queſt. 3. ipſius Sancti Doctoris prænotemus. Ibi igitur imitatus Alexandrum 1. par. quæſt. 50. memb. 2. Dei nomen triplici ratione perſpicuè docet ſumi poſſe. Primò nuncupatiuè, vt ipſi doctores aſſerunt, hoc eſt ſecundum hominum opinionem; vnde gentilium vulgus, Idola, & innumeros homines, Deos decepti nuncuparunt. Secundò adoptiuè, eo quia quando homines à Deo in Filios adoptantur, ijs qualemqualem ſuæ, tum bonitatis & perfectionis, tum potentiæ ſimilitudinem communicat, & partem quandam facit: quod vtrumque 1. Corint. 8. peroptimè confirmat Apoſtolus. *Si quidem ſunt Dij multi, & Domini multi.* Quare ex Chriſti Domini commentatione Ioan. 10. Sancti, & prophetæ ex collata, tum Sanctificationis gratia, tum prophetandi Spiritu, Dij nuncupantur illo loco: *Ego dixi Dij eſtis & Filij excelſi omnes.* Et Exod. 7. *Conſtitui te Deum Pharaonis*, & Exod. 22. *Dijs* hoc eſt Iudicibus, & poteſtatibus, *non detrahes.* Tertiò verò naturaliter, & eſſentialiter, quo nempe naturam verè Diuinam, & eſſentiam exprimit, quod eſt res noſtra, de qua in præſentiarum diſquirimus. Tunc his obſeruatis, ſtatuit & Sancta fides, & recta Philoſophia, & S. Doctor cum reliquis omnibus, in prima quidem vſurpatione erroneè plures concedi Deos: in ſecunda verò ex Diuina Scriptura reuelante, & concedente, & per participationem, licitè pluri ficari Deos, Deique nomen pluribus tribui: in tertia tamen, nequaquam, neque Dei naturam, neque nomen; quod qui fecerunt, id quidem turpiſsimè lapſi, & deliramenta ſequuti, & maximis obuoluti tenebris fecerunt.

Deinde ex eadem diſtinctione quæſt. 4. itidem oculatè animaduertamus, hoc nomen Deus tertia ratione ſumptum, quid immediatè, & primò ſignificet, & pro quo etiam ſupponat; an pro natura Diuina, tum abſtractè, tum concretè; an pro perſona, & pro eiſdem, aut alterutra ſupponat: alia namque eſt ratio ſignificandi, alia ſupponendi: hæc enim fit dumtaxat in propoſitione, illa verò etiam extra propoſitionem: & vt clarius loquamur, ſignificatio eſt rei per vocem repreſentatio, & expreſsio. Suppoſitio verò eſt acceptio, ſiue vſus, & deſignatio termini ſubſtantiui pro aliquo; ſiue pro ſe, ſiue pro ſuo ſignificato in propoſitione, vnde propoſitio ſit vera: Dixi, termini ſubſtantiui: nam adiectiui potius copulatio, quàm ſuppoſitio dicenda erit; quare latius patet ſignificatio, quàm ſuppoſitio: illa enim quocumque modo proferatur, hæc verò tantum, et limitatè in illa propoſitione, in qua iacet, vt ſit vera: et.

Pronuntiandum primò. *Hoc nomen Deus* nunquam ſupponere pro eſſentia communi tribus perſonis ſubſiſtente, hoc eſt pro ſubſiſtentia cõmuni, & abſoluta, hac præcipua ratione, qua ſupra diffuſa diſputatione probauimus, quia iuxta Conciliorum, & Sanctorũ Patrum orthodoxam phraſim hic vſus non inuenitur. Secundò propriè, et ex ſua ſuaptè

pro-

Digitized by Google

propria, ac germana ſignificandi ratione; tunc pro perſona ſupponit, quando actus notionalis additur, & pro ea præciſè perſona, cuius eſt additus actus; pro perſona v. g. Patris, ſi dicatur Deus generat; pro Filio, Deus genitus; pro Spiritu Sancto Deus ſpiratus, aut procedens: pro duabus perſonis ſimul, ſi Deus ſpirat: Pater enim, & Filius ſpirant Spiritum Sanctum. Ita vnanimi conſenſu omnes, ac præſertim proceriores Theologi, D. Bonauentura commemorato loco. Alexander prima parte quæſt. 50. memb. 1. S. Thomas 1. par. quæſt. 13. art. 8. Gabriel. diſt. 4. quæſt. 1. art. 1. & reliqui ex Symbolo Nycæno, quod in Miſſa canitur, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verũ de Deo vero; vbi Deum verum, tum Patrem ex quo, tum Filium, qui à Patre per generationem procedit &c. Ex Matt. 16. *Tu es Chriſtus filius Dei viui*, vbi diſertis verbis Patrẽ Deum viuum appellat. Ex D. Athan. Symbolo. *Deus Pater*, *Deus filius*, *Deus Spiritus Sãctus*. Deniq; ex omnibus illis tum Patribus, tum Concilijs, quæ luculenter Magiſter d. 21. recenſet, vt hæc ſuppoſitio ſit certa, & de fide.

Tertiò. Cum abſolutè, & illuminatè Deus pronunciatur, immediatè, & primò pro eſſentia; mediatè verò pro perſonis, in quibus ſubſiſtit: nec refert, an abſtractè, vel concretè enuncietur: eadem enim proculdubio eſt in Diuinis ratio, propter ſummam ibi, infinitamque ſimplicitatem; licet ex modo ſignificandi, obſeruanda varietas: ſi enim illimitatè vt Deus, vel abſtractè, vt Deitas; eſſentiã ſignificat, ſi concretè proferatur, tunc habentẽ Deitatẽ; neq; enim ex modo ſignificãdi verè diceretur, generat Deitas, aut creat, ſed Deus: vtriuſq; huius ſuppoſitionis rationem immediatam reddit primo S. Bonauẽtura. Deus, eo terminus dicitur diſcretus, quo ſingularem, & vnicam naturam ſignificat: eo quoque terminus communis, quo natura hæc vnica tribus perſonis communis, & tres perſonas habet: ergo & ſupponere poteſt, & re ſupponit, tum pro perſonis Diuinis, ſi per notionem contractè proferatur, tum pro natura indiuidua Diuina, ſi abſque addita notione explicetur: euidens res eſt à parte rei, ea inconfeſſo neceſſariò apud omnes ratione, quia Deus, & vnus, & trinus: ſi enim ſub vtraque ratione Deus, Deum, & vnum, & trinum ſignificabit, vnum quidem ex ſua natura, trinum quoque, vt Deus eſt Trinitas, aut diſtinctam Trinitatis perſonam, vt Deus generat, Deus natus, Deus procedens. Probatur tamen diſtinctè, quod vt terminus communis pro perſona ſupponit, ſicut hoc nomen homo ſupponit pro omni eo, cui ineſt humanitas; eadẽ ratione Deus pro omni, cui ineſt Deitas: ſed ideo Paulus dicitur homo, quia ineſt ei humanitas: ergo Pater, & Filius &c. debet dici Deus, quia in Patre &c. ineſt Deitas: ſecundò, concretum propriè ſupponit pro ſubiecto, vel ſuppoſito illius formæ, vt album pro re alba, potius quàm pro albedine: ergo & Deus, nomen concretum, ſupponet pro habente Deitatem: ergo pro perſona Diuina; quod verò vt terminus diſcretus pro natura Diuina, probatur ex pſalmo 66. *Benedicat nos Deus, Deus noſter, benedicat nos Deus, & metuant eum omnes fines terræ*; vbi illud *eũ* refert naturam, non perſonam: ergo ſignificat, & ſupponit pro natura: tertiò, hæc eſt vera, Deus eſt Trinitas; ſed in hac propoſitione Deus non vni perſonæ conuenit: ergo naturæ vni in tribus.

Sanctus Thomas quæſt. 39. art. 4. idem docuit. Nomen inquiens, Deus, quandoque ſupponit pro eſſentia, vt cum dicitur Deus creat: quia hoc prędicatum, creat, competit Deo ratione formæ ſignificatæ, quæ eſt Deitas: quandoque ſupponit perſonam, vel vnam tantum, vel duas, vel tres &c. Neque oppoſitum vnquam docuit in 1. ſent. diſt. 4. quæſt. 1. art. 2. & hic ad 3. & art. 6. imò ex his omnibus locis vnus perfectus dicendi modus colligitur, vt obſeruarunt, Caietanus hic, & Petrus Bergomenſis in tabula aurea concord. dub 918. dixit idem art. 4. ad 3. licet diuerſis verbis: ſic enim habet. Aliter ſe habet hoc nomen Deus ad ſupponendum pro perſona, quàm hoc nomen homo &c. forma enim ſignificata per nomen homo, realiter diuiditur in diuerſis ſuppoſitis, & homo pro perſona ſupponit per ſe, etiam ſi nihil addatur, quod determinet ad perſonam: pro eſſentia autem humanitatis, cum non ſit vna niſi per conſiderationem, non pro ea ſupponit, niſi addito moderamine conſiderationis, vt ſi v. g. dicitur, homo eſt ſpecies. Deus autem, cum eius eſſentia non numeretur in ſuppoſitis, pro ea per ſe ſupponit: pro perſona ex adiuncto, vt Deus generat, quod vocant, Caietanus concomitanter, & Bergomenſis, quaſi accidentariè, locis ſupra oſtenſis.

Quod ſi Scotus diſt. 4. quæſt. 2. & diſt. 21. in fine, viſus ſit oppoſitum dixiſſe, cum hoc nomen Deus litteris prodiderit, ex ſe proprium, quod & ſingulare naturæ Diuinæ, quod eſt Deitate ens, ſeu exiſtens in natura Diuina, & de ſe hoc ſicut Deitas: de ſe non includens aliquid incommunicabile, nec de ratione perſonæ formaliter &c.

Quod ſi quoque Gandauenſis quolib. 5. quæſt. 8. ad argumenta, & Durandus diſt. 4. quæſt. 2. hoc nomen Deus, ex ſe perſonam, indifinitè tamen ad vnam, vel duas, vel tres &c. Reſp. 1. Non mirum in hac Theologorum varietate hos cum Sancto Doctore non conuenire, idque teſtatus videtur S. Doctor in enumerandis opinionibus, ſed ceu vtramque complexus opinionem, ex vtraque ſuam coagmentaſſe, & vberiorem, & vniuerſaliorem probaſſe: ſecundò, verè in re inter hos Doctores nullum intercedere diſſidium, eo præſertim, ſi addatur hic, quod ipſe in hac quæſt. quam explicamus, ad ſecundum docuit, quo quærebat, cum in Deo ſint plures habentes Deitatem, quare non ſint plures Dij. Reſpondet. Hoc nomen, habens Deitatem, ſi neutraliter ſumatur, eſt præciſè hic Deus, & hæc natura Diuina ſingularis; ſi maſculinè, perſonas ſignificat: dum enim ſanctus Doctor, Deus, inquit, eſt terminus diſcretus, & hic Deus, Deitatem habens, eſt neutrum, & nulla addita reſtrictione, ſupponit pro eſſentia, & pro hoc Deo vno, ex naturæ Diuinæ ſimplicitate, quod dicebat Scotus: dum verò addit, eſt terminus communis, & ſignificat naturam tribus communicatam; ſi addatur notio, eam ſignificabit perſonam, cui addita notio competit; indicat quod

Thomiſtæ concomitanter; quod Scotus ex ſe, & non formaliter ex ſua opinione de differentia formali non negauit, neque negare potuit; quod conſequenter alij dixerunt, ex ſupra allegatis Patrum, Conciliorum, & ſanctæ Scripturæ dicendi modis, quibus de fide, Deum pro perſona ſupponere, aſſertum eſt &c.

Hinc corollarium. hoc idem nomen Deus, quod ſignificet, tum naturam indiuiduam, & inde terminus diſcretus, & ſingularis; tum perſonas plures, & ideo communis nuncupetur terminus, ei ſoli proprium, & ſingulare eſt, ea profecto ratione, qua in ſolis perſonis Diuinis inuenitur eadem natura Diuina numero non plurificata, quod ſcitè, & oculatè tradit, & docet S. Doctor poſtremis huius quæſt. verbis perſpicuis; quare terminus iſte, exempli gratia, homo, non poteſt in pluribus indiuiduis ſignificare eandem naturam humanam indiuiduam: nam non eſt eadem numero, ſed tantum ſpecie; quo circa homo non poteſt eſſe terminus niſi communis, non autem diſcretus: & conſequenter hæc propoſitio non erit vera: homo eſt Petrus, & Paulus, ſicut veriſſima eſt, Deus, eſt Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, ratione modo aſſerta,

Ex his omnibus ad hoc obſeruatis, hæc pro hac quæſt. ſoluenda efficitur efficax argumentatio. Quocumque modo nomen, Deus, non ſolum pro natura, ſed etiam pro perſonis vſurperur, ſemper, etiam in perſonis indicatur vnica, & indiuidua natura Diuina: ergo licet plurificentur perſonæ, nõ poteſt plurificari Deus, neq; inde plures perſonæ plures Dij vnquam ritè poterunt dici. Ratio eadem ſufficiens erit, quia ad plures Deos diſtinctos plures naturæ Diuinæ diſtinctæ inenitabiliter requiruntur: quod eſt argumentum ſancti Bonauenturæ in corpore quæſt. confirmatum, in reſponſione ad omnia ferè argumenta; neque ſcilicet ideo plures perſonas poſſe dici, aut quia Deus Pater generat Deum, non autem Deus Filius: ratio eadem in corpore eſt, quia cum dico, Deus generat Deum, non tantum dico in quo differunt in ſuppoſitis, ſed in quo non multiplicato, neque multiplicabili, conueniunt, ideſt in Deitate; eadem enim Deitate numero Deus generans, ac Deus genitus eſt, aut quia idem ſit Deus, & habens Deitatem; vnde ſi plures ſint habentes Deitatem, plures ſint Dij: nam eadem nunquam ſatis repetenda ratione, licet ſint plures habentes Deitatem; nequaquam tamen plures Dij: tum quia eandem numero habent Deitatem, ex infinita ſua ſimplicitate aptam natam haberi à pluribus diuerſis modis; aut quia nomen, Deus, vt pluribus alibi, & S. Doctor, & Sanctus Thomas ex D. Damaſceno proſequuntur, ad Dei operationes ſignificandas: quare ſi plurificabuntur operationes, nomen quoque Dei plurificari debet: nam cum Deus ſubſtantiuè ſumatur, non poteſt plurificari; aut quia plurificatis perſonis, plurificetur & perſonarum forma: quælibet enim perſona vt diſtincta etiam, eſt Diuina. Reſpondetur enim non numerari formam, ſed eiuſdem numero formæ poſſeſſores, qui ſunt tres: quia dum perſona diſtincta, Diuina nuncupatur, ſuppoſitum quod Diuinitatem poſſidet, explicatur; aut denique ſi tres perſonæ in natura Angelica poſſunt dici tres Angeli, quare & tres perſonæ in natura Diuina non poterunt dici tres Dij? nullo titulo conceditur, nedum quia hac dicendi phraſi caret idioma, tum græcum, tum latinum, non fortaſſe hebræum, vt iam ſupra obſeruatum fuit; ſed quia diuerſa prorſus vtrobique ratio; nam natura Angelica multiplicabilis, & multiplicata, nequaquam Diuina; imo repugnat: quo circa poterit quidem pluribus perſonis adiectiuum addi, & dici Diuinæ; neque tamen ſubſtantiuum, ſcilicet Dij, explicata ratione: ergo cum vnica numero ſit Dei natura, & fidei, & naturæ lumine conſtet, & iam demonſtratum ſit; niſi falſiſſimè poterit Dei nomen plurificari.

Sed inde, neque diffiteri, neque diſſimulari, quæ exoritur grauis, ſed breuibus expedienda dubitatio. Vnde inquam, cum nota ſit, & euidens de vnitate Dei veritas, fiat tamen, quod omnes homines ferè ita in hoc cæcutierint, & decepti adeo fuerint, vt nedum plures Deos celebrauerint; ſed inter ipſos, & ſerpentes, & lapides conſcripſerint, & adorarint: et augetur dubitandi ratio, ſi, quod inter cæteros S. Doctor noſter diſt. 2. quæſt. 1. monumentis tradidit, obſeruetur, ſola ſuppoſita vocis Dei ſignificatione, plures eſſe Deos non ſolum impoſſibile, ſed etiam toto cælo inintelligibile; & tot tamen numero, etiam inter peritos, & eruditæ ſectæ Philoſophos, & ſapientes, Deos ferè innumeros poſuerint, vt infelix eorum memoria, eorum ſcriptis per tot ſæcula ad nos deducta, teſtatur. Hanc dubitationem S. Bonauentura perſenſit, & in indicata quæſt. in reſponſione ad primum ſoluere experimentum fecit, & duo attulit; alterum, eorum, qui Deos multos coluerunt, non fuiſſe intellectum, ſed phantaſticum deliramentum; quod tamen verum eſſet ſi ſola ignara plebs id dixiſſet, ſed Philoſophi, & celebres ſcientia viri id ipſum aſſeruerunt. Alterum, qui hunc multorum Deorum cultum profeſſi ſunt, viliorem, & humiliorem quàm par erat, de Deo conceptum ſibi effinxerunt; qualem verò Sanctus Doctor non pandit, ſed huic dubitationi ſatis, mea ſententia, fecit egregiè: quo namque ad primam reſponſionem, indicauit vulgi, & plebis, non peritorum hominum fuiſſe errorem, & deliramentum, & quod de philoſophis oppoſitum eſt, apertum eſſe mendacium: quod nunc fuſius idoneis teſtibus comprobandum duco: Iuſtinus enim lib. de Monarchia. et orat. Parænetica, & Lactantius lib. 1. Diuinarum Inſtitutionum cap. 5. & Arnobius lib. 3. contra gentes, & Euſebius lib. 2. de præparat. Euang. cap. 9. & Tertull. in Apologetico cap. 10. cap. 11. & cap. 12. omnes vetuſtiſſimi, & poſt ipſos D. Auguſtinus vberrimè lib. 4. de Ciuit. Dei per multa capita: omnes vnanimes teſtantur, omnes viros in philoſophia eruditos vnum ſolum Deum agnouiſſe, vt de Socrate, Platone, Ariſtotele, Cicerone, & alijs, de Pythagora Sophocle, Euripide, de Orpheo, & antiquis Poetis, Iuſtinus aſſerit, Quod ſi in eorum ſcriptis plures Dij legantur; vnius Dei plures virtutes, vel quaſi

par-

partes, ſic voluiſſe dicere teſtatur. S. Auguſtinus loco memorato. Sed præſtat omnibus, quod D. Paulus ad Rom. 1. de Gentibus oraculum nobis reliquit. *Cum cognouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificauerunt*; vbi præſertim de philoſophis loquebatur: vnde fortaſſe eos præcipuè incuſat S. Paulus, quod cognito vno Deo, plures tamen cum vulgo Deos permittebant, & ore fatebantur. Quod propterea tamen, tum permittebant, tum & ipſi ſentire præmonſtrabant, vt populorum multitudini condeſcenderent; tum ne eos aduerſus ſeipſos concitarent, eandem religionem non profiteri non audebant, vt de Varrone teſtatur S. Auguſtinus lib. 4. de Ciuitate Dei cap. 34.

Quo autem ad poſteriorem S. Bonauenturæ reſponſionem, appoſitiſsimam exiſtimo: nam non conſtat quid Dei nomine intelligeret illa priſca, & vetuſta ætas, & eadem, quæ ad noſtra vſque tempora ex Idolatris adhuc perdurat: an Deum creatorem, ac vnum principium, vel potius quamlibet cauſam ſuperiorem, aut virtutem, aut hominem inſignem, aut dæmonem, Deum appellarent: certum tamen eſt, eo ſenſu, quem adæquata vocis Dei vis fert, non vſurpaſſe, quod docuit S. Doct. Verumenimuerò, qua interiori Religione? certè quidē ſpuria, & omnino falſa tot Deos colebāt, totq; Deorum Idola: quò tamen ad Idola obſeruādum, ea veneratos eſſe veluti eorum hominum, aut ſpirituum imagines, quos in honore habere ſoliti erant. Ex Euſebio lib. 8. de præparat. Euang. & lib. 3. cap. 3. Ex D. Athanaſio lib. contra Idola gentium. ex Lactantio lib. 1. Diuin. inſtit. cap. 15. & lib. 2. cap. 2. Ex D. Cypriano lib. de Idolorum vanitate circa principium. Ex D. Auguſtino concione 2. in pſ. 113. circa illa verba, *Simulacra gentium argentum & aurū*. ex Nicephoro lib. 11. hiſtor. cap. 25. ex Sozomeno lib. 7. cap. 15. multa referuntur in hanc ſententiam, & videndus Suarez in 3. par. tomo 1. diſput. 54. ſect. 7. & confirmari poteſt exemplo hebræorum Exod. 32. vbi adorantes vitulum, non vitulum tanquam Deum, & propter ſe, ſed in illo Deum adoraſſe viſi ſunt ex illis verbis ab Aaron prolatis, *Solemnitas Domini eſt*: incredibile enim videtur homines illos in tantam tamen cæcitatem deueniſſe, vt aureum illum inanimem vitulum pro vero Deo adorauerint. Quo verò ad illos, quibus idolum erexerunt, inter ipſos verum cultum vni vero Deo debitum diuiſerunt, & in hoc Idolatriæ peccato ſe inquinauerunt, tum quia hominibus mortuis, & etiam viuis, vt ex Danielis 2. colligitur, & quibuſdam mundi partibus, vt cælo, ſoli, igni &c. ex 13. & 14. Sapientiæ, verum ſoli Deo vero tribuendum honorem tribuerunt, vnde Deut. 32. *Deum, qui te genuit dereliquiſti, & oblitus es Domini creatoris tui*; & ſupra *Immolauerunt demonijs, & non Deo*. Sed hæc in longius protrahere, non eſt huius loci. Reliquum eſſet igitur tantumodo, vt argumenta in oppoſitum Sancti Doctoris exponeremus, niſi prius relata, & ſoluta eſſent.

Ergo Deum, nec Dei eſſentiam multiplicare, nec re, nec nomine cum non liceat, de perſonarum vera, ac catholica pluralitate, ac multitudine nunc neceſſariò inſtituenda quæſtio, & in ea, primò diſputandum. An repugnet Dei vnitati pluralitas perſonarum, ſecundò, infinitæ aut ſint, aut poſſint eſſe, tertiò, Quot tamen numero, quartò, An ad inuicem realiter differant;

ARTICVLVS II.

De primò. An ſcilicet regugnet Dei vnitati pluralitas perſonarū. D. Bon. d. 2. q. 2. D. Tho. q. 39. art. 2.

PARAPHRASIS.

PRIMA Propoſitio. Tantum abeſt, vt vnitati Diuinæ perſonarum pluralitas repugnet, vt ei, eo quia vna eſt, maximè competat.

Primò ex corpore quæſtionis. Deus ex ſupra dictis eſt infinitè ſimplex ſimplicitate perfectionis, & inde maximè vnus: ergo ex omni gradu ſimplicitatis debet eſſe non multiplicatus in pluribus, & maximè communicabilis: ergo ex vnitate pluralitas.

Secundò. Deus eſt primum ens, & conſequenter vnum; ſed primitati debetur fæcunditas: ergo quia primum, & vnum, pariter fæcundum, & plures. Probatur minor: ex antiqua opinione, quæ primitatem, ideſt innaſcibilitatem, omnium emanationum fontalem plenitudinem conſtituebat, ex diſt. 22. art. 1. ad vltimum.

Tertiò. Deus eſt ſummè perfectus, & eo quia vnicè ſumma potitur perfectione; ſed omne perfectum communicabile eſt: ergo Deus, quia ſummè vnus, ſummè communicabilis; ſed de ratione ſummæ, & perfectiſſimæ communicationis eſt ſimilem omnino ſibi producere, & contradicit eidem perfectioni eo in diuerſa natura producere, quo natura Diuina multiplicari contradicit, ex quæſtione de vnitate Dei: ergo ſimilem in eadem natura: ergo ſuppoſitum.

Quartò. eadem arguendi vi, & ratione è ſumma beatitudine. Vbi ſumma beatitudo, & ſumma bonitas, ibi ſumma Charitas, & iucunditas; vbi ſumma Charitas, ibi pluralitas, quia Charitas ad alterum; vbi ſumma bonitas, ibi ſumma communicatio, non in diuerſa natura, ex iam indicata contradictione: ergo in eadem: ergo plura ſuppoſita.

Poſtremo ex reſponſione ad tertiū. Diuinæ ſimplicitati omnis pluralitas non repugnat, ſed dumtaxat abſolutorum, & quæ per additionem fit; ſed perſonarum pluralitas non eſt huiuſmodi: eſt enim tantum per relationem, & originem, quæ nulla ratione componit: ergo.

Secunda Propoſitio. De facto in eadem natura Diuina, ea vna implurificata manente, plura ſuppoſita, pluresque perſonæ dantur. primò, nam ita docet, teſtatur, & præcipit fides. ſecundò, quia ſuppoſita fide, idem præterita pro-

propoſitione recenſita rationes vehementer perſuadent: licet enim primo aſpectu ad tollendam repugnantiam, & potentiam aſſerendam directa videantur; ex ſuppoſito tamen illo vulgato, & trito, & certo axiomate; In ſempiternis idem eſt poſſe, & eſſe; ea ſuppoſita, ibi erunt quę non repugnat eſſe.

Tertia Propoſitio. Pluralitas in Deo perſonarum non eo requiritur, quo vna indigeat altera, ſed vt per eas Diuina bonitas communicetur.

COMMENTARIVM.

RECTO, ac neceſſario ordine conſectarium eſt, quod hic S. Doctor expendendum aggreditur: cum enim ſuperioribus diſtinctionibus, & quæſtionibus exacta diſquiſitione actitatum, & terminatum, in Deo concedi ea, quæ conſtituunt perſonas, emanationes ſcilicet, fæcunditates, & relationes, & conſequenter verè perſonam; erat quoque neceſſaria conſequentia ſtatuendum de numero perſonarum; & inde plures, ſicuti docet fides, perſonas, & perſuadent rationes ex ſuperius poſitis principijs. De perſonarum ergo pluralitate magnam, & difficillimam cum omnibus reliquis Theologis quęſtionem aggreditur; ſed ipſe ſingulari animaduerſione hac: nedum vnitas eſſentiæ non impedit hanc ſuppoſitorum pluralitatem, ſed potius indicat, & conſtituit, ea, qua infra demonſtrabitur, ratione, adeo vt de ratione Diuinæ eſſentiæ adæquatè conceptæ, ſit perſonarum pluralitas: vnde & ſit certa, & optima conſecutio: Deus eſt vnus: ergo trinus.

Sed hic duo in primis obſeruanda in foribus huius commentationis: alterum ex titulo quæſtioni præfixo: alterum ex argumentorum genere, & ſcopo: ex titulo ſiquidem rectè perpenſo ſequitur tota quæſtionis vis; cum Dei ſcilicet vnitate ponenda pluralitas, ſi Dei vnitas pro eſſentia, & Deitate vnica accipiatur, ea ſententia, qua ſuperiori quæſt. de Deo vno dubitationem inſtituit, & fideliter ſoluit: alio namq; quouis modo ſumeretur vnitas, extra rem præſens inſtituta eſſet quæſtio. Itidem, cum perſonarum pluralitas conſtituitur indaganda; pluralitas realis neceſſariò interpretanda ſicuti ſupra & vnitas: aliàs ſi nec vnitas hoc ſumeretur modo, nec pluralitas, nec impio Arrianorum dogmati obuiaretur, nec ſacrilegę Sabellianorum blaſphemię occurreretur: ſi nimirum de vnitate eſſentiæ reali, realique perſonarum multitudine non exerceretur diſputatio, quod ideo vtrumque vniuerſa Theologorum hic Schola maximè, ad catholicæ fidei protectionem prætendit; & ſequenti diſputatione fiet conſpicuum.

Ex genere quoque arguendi, primò hoc argumenti genus, quo rem, de qua diſceptatur, non repugnare, nec impoſſibilem eſſe, nec per contradictionem à ſubiecto probamus excludi, ſemper plurimi fecerunt, tum priſci, tum recentiores Doctores, eo vel maximè, ſi aduerſus gentes infideles, & Ethnicos controuertatur diſputatio: D. enim Iuſtinus Martyr in 1. & 2. defenſione noſtræ Religionis, & in oratione adhortatoria ad gentes, & in quodam opuſculo contra cuiuſdam decreta. D. Athanaſius aduerſus gentes. Euſebius elegantiſsimè libris de præparat. Euang. Lactantius Firmianus ſuis Inſtitutionibus; & inter omnes S. Thomas contra gentes vbique, ſed præſertim lib. 1. cap. 7. & 9. omnes hoc argumentum contra gentes docent, & repetunt, quo, quam tuemur fidem, & Theologiam, promamus; non contradicere, nec verę Philoſophiæ, nec naturali rationi, contrariam licet omnem excedat creatam intelligendi vim, ac facultatem, vt inde maximè fide indigeamus; ac denique omnia quæcumq; fiant, aut quanta quanta verſutia, & calliditate fieri, & conſtrui, & palliari poſſint argumenta, & ſolui poſſe, & non difficili negotio ſolui, ac dilui, vt admodum ſcitè, & perdoctè inter alios obſeruauit idem S. Thomas prima parte quæſt. 1. art. 8. & 1. contra gentes cap. 7. in fine his verbis. *Ex quo euidenter colligitur, quæcumque argumenta contra fidei documenta ponantur, hæc ex principijs primis naturæ inditis per ſe notis non rectè procedere: unde nec demonſtrationis vim habent, ſed vel ſunt rationes probabiles, vel ſophiſtica*; & ſic ad ea ſoluenda reliquitur locus: quidquid in oppoſitum vlla abſque ratione ſenſerint, Durandus quæſt. 1. prologi art. 2. Non poſſe argumenta gentium ſolui contra fidem euidenter, ea ratione, qua nec fidei veritas poteſt euidenter conſtare, & Rupertus Olcoth. 1. ſent. Rationes contra fidem eſſe contra rationem naturalem, quia ratio naturalis oppoſitum eſſe falſum dictat: contra quos hic agere fusè, cum nec ratio poſtulet, nec tempus ferat; ſufficit ad Durandum quod doctè docuit Caietanus; argumentum euidenter ſolui, poſſe bifariam fieri, aut euidentia poſitiua, aut negatiua; vnde argumentum, quod contra articulum fidei conſtruitur, ſoluitur, & diluitur euidenter negatiuè, quatenus reſponſione fit euidens, propoſitionem oppoſitam non cogere, nec euincere intellectum. Ad Rupertum, quod eo loco tradidit S. Thomas, & luculenter expoſuit Ferrarienſis, dicitur: Quæ intellectui creato indita ſunt, veriſsima pariter ſunt: quæ docet noſtra fides, veriſsima quoque eſſe neceſſe eſt; ſed verum non poteſt contradicere vero: ergo quæ fidei ſunt, non contradicunt ijs, quæ rationi indita ſunt, ſed dumtaxat excedunt: neque recta ratio exiſtimat, quod exiſtimauit Rupertus. Quod autem omnis humana capacitas impoſſibile cenſebat, quod diuina virtus operata erat; Virginem v. g. poſſe concipere ſine cum viro concubitu; id, non quidem vt contrarium fidei, ſed ex ſola ſecundarum cauſarum vi aſſertum; non vero ex omni, quod præpotens ſola Dei virtus operari poteſt. Quod ſi, & ſapiens, & Philoſophus quis, idem & Diuinæ potentiæ negare auſus fuiſſet, id profectò, non ex vera philoſophia, ſed potius ex philoſophiæ abuſu negaſſet: & teſtis eſt idem Sanctus Thomas in Boetij de Trinitate quæſt. 2. art. 3.

Huius generis argumenta, & in hoc toto Sanctiſſimæ Trinitatis arcano, & in vniuerſa Theologia,

Digitized by Google

gia, vt aliàs, & cōmodiori loco obſeruatum eſt, quāuis elegantiſſima, & maximi ponderis, & mirificè veritatem perſuadētia; nunquam tamen vllum exactas demonſtrationis regulas ita attigit, vt vera, & Ariſtotelica nuncupanda ſit demonſtratio: quidquid etiam magni nominis viri in oppoſitum ratiocinari contenderunt, hac potiſſimum ratione, quia argumentationum Theologicarum omnium principia ſunt ex creditis, & reuelatis; ſunt quidem argumenta & rationes certiſſimæ, ac omni procuIdubio certiores, quàm Ariſt. demonſtrationes; vtpote ex certiori fidei lumine, quàm naturæ, & neceſſariæ, & ea neceſſitate, qua v. g. in Deo eſſe generationem, & productiones, & communicationes ex conditione entis Diuini, & ex ſummæ communicationis ad intra fæcunditate: cum tamen intellectui non ſint euidentes, non dicuntur demonſtrationes: non enim euidenter intellectum cogunt; ſunt tamen euidenter credibiles: eadem lance perpendenda ſunt, quæ hic ex vnitate, ſimplicitate, & perfectione ſumma à Sancto Doctore deducuntur: neque enim niſi per fidem, nobis eam eſſe Dei optimi maximi vnitatem, vt ea non multiplicata in eadem produci poſsint ſuppoſita plura, conſtat.

Omnia, quæ tum in hoc, tum in conſimili myſterio confici poſſunt argumenta, rectè, & admodum eruditè ad duo præcipua capita rediguntur. Ad id, quod eſt rationum, & ad alterum, quod fides in Scripturarum innumeris oraculis tradit, & præcipit fides. Quod quidem ſecundum caput in dub. 8. litterali, in 8. capita diſtribuit S. Doctor, vel clarius loquar, 8. genera locorum obſeruat, quibus hoc clariſsimum Trinitatis dogma probari, & roborari poſsit, quæ in diſputatione ſingula enodabuntur.

Quo verò ad indiuidua argumenta, quibus ad hoc myſterium, quod non repugnat, vtitur S. Bonauentura, poſtremo loco commemoratum adhibuit etiam S. Thomas 1. par. quæſt. 30. art. 1. ad tertium; per vnitatem Diuinam ſcilicet quod excluditur ſola pluralitas abſolutorum, relatiuorum nequaquam, & quod illa ſola, non autem hæc vnitati repugnat: reliqua verò ferè eadem adhibuit in 1. ſent. diſt. 2. art. 4. Hic verò art. 1. ad eandem rem hanc conſtruit rationem, & ex perſonæ quidditate deducit. Perſona Diuina ex præcedentibus tractatibus eſt relatio ſubſiſtens; ſed relationes ſubſiſtentes in Deo ſunt plures: ergo plures quoque perſonæ. Alexander 1. par. quæſt. 14. memb. 5. in reſponſione ad argumenta, eadem via ratiocinatur ex Diuina ſimplicitate, & vnitate, quippe cuſ originis pluralitas, & relatio non opponitur: & in corpore quæſtionis ex Diuini eſſe quaſi definitione. Diuinum, & infinitum eſſe eſt vnitas infinita, & non multiplicata in tribus: ergo de ratione Duini eſſe, eſt vt detur pluralitas perſonarum. Riccardus in 1. diſt. 21 art. 2. quæſt. 2. ex Seraphico Doctore quatuor prima argumenta ex illis ſtratis fundamentis omnino vt iacent mutuauit; addidit quintum, quod idem tamen ex eod. Doctore Sācto alibi deſumpſit, ex illo principio; quod omnes emanationes ad vnam primam reducendæ, ſicut multę vnitates ad primam: ergo ad alicuius increatæ perſonæ emanationem; ſed nulla perſona ſeipſam producere poteſt: ergo aliam: ergo plures erunt. Thomas de Argentina quæſt. 2. vbi ſupra quibuſdam argumentis ex eiſdem tamen, eandem veritatem tueri contendit. D. Thomas 4. contra gentes cap. 11. elegantiſsimum Sancti Bonauenturæ ex primi entis fæcunditate elaboratum argumentum ad hanc formam redigit. Quanto aliqua natura eſt altior, tanto id, id quod ab ipſa emanat, eſt illi magis intimum; ſed natura Diuina in Patre eſt altiſsima, quia Diuina, & prima ſimpliciter: ergo quod ab ipſa emanat, erit ei maximè intimum: ergo eiuſdem naturæ numero: non eiuſdem ſuppoſiti, quia nec quicquam à ſe ipſo emanat, nec ſe ipſum producit. Maiorem probat per diſcurſum emanationum omnium naturarum: eo enim natura inanimis, quo eſt infima v. g. ignis extra ſe ignem in materia inflammata producit; & ex oppoſito, quo natura rationalis inter naturas creatas ſublimior, eo magis interius quod emanat, ſui ipſius verbum ſcilicet; licet alterius generis, hoc eſt accidentis: verum quoniam excelſior, & excelſiſsima Diuina natura, & fæcunditas; hinc emanatio ipſius adeo intrinſeca, vt ſit idem eſſe, intelligere, intellectio, res intellecta, Deus intelligens, & Deus intellectus. Albertus magnus ex Diuina ſimplicitate hanc deriuat argumentationem, recenſitis primò quatuor modis, quibus quod eſt, & ſuppoſitū inuenitur in entibus. In quibuſdam natura, ſiue quo eſt, differt à ſuppoſito, communicabilis tamen pluribus; imò communicata, ita tamen vt diuidatur in plura ſuppoſita per actum generationis. In alijs verò ita eadem natura differt à ſuppoſito, vt communicabilis quidem ſit, tamen actu nunquam communicetur: eo quia totam ſuam materiam intra ſe habet, vt nihil extra, vt ſol, & luna &c. in qua ſola totum ſuum eſſe ſaluatur; hæc enim eſt apud omnes communis, & certa ratio, quare per generationem non in plura diuidatur natura, ſcilicet quia habet in ſe, omnem, & totam ſui eſſe adæquatè materiam. In alijs tertiò natura quidem differt à ſuppoſito, eſt tamen ſimpliciter ipſum quod eſt, indiuiſibile, ſpirituale, & immateriale, & contrahitur ad indiuiduum, non quidem ex materia, quam non habet; ſed ex proprietatibus ſuppoſiti penes attributa perſonalia, ſicut Angeli. Quartò denique eſt in quo, in Deo nimirum, idem omnino eſt quo eſt, & quod eſt, natura puta, et ſuppoſitum: quare numerato ſuppoſito non numeratur natura, nec in ſuppoſita diuiditur, vnde hanc ædificat argumentationem. Ex infinita ſimplicitate idem eſt quo eſt, et quod eſt: et quod eſt indiuiduatur relationibus proprijs: ergo vnitati non repugnat pluralitas. Aegidius Romanus eadem diſt. eodem argumento proculdubio eandem veritatem ſuppoſita fide vt tueatur, progreditur. Scotus ex eadem Diuina fæcunditate, et ſimplicitate, ex noſtro Seraphico Doctore diſt. 3. quæſt. 1. Omnis natura, eo quo natura, fæcunda, et communicabilis eſt: ergo et eo multo magis Diuina, quo perfectior eſt: ſed Diuina ex infinita ſimplicitate,

et ſu-

Digitized by Google

& ſubinde vnitate, implurificabilis eſt: ergò vnitati Diuinæ pluralitas quàm mirificè conſentanea eſt; tantum longe eſt vt repugnet. Quibus omnibus, quàm conſpicua res ſit Sanctum Bonauenturam ſibi ſufficere, & ſuis argumentis cæterorum argumenta complexum, neminem latere poteſt.

Sed quod in hac reconditiſsima veritate, quam ſola fide attingere valemus; ſpecioſiſsimam ab eodem Seraphico in ſuo breuiloquio, quaſi coronidem audiamus. *Fides, cum ſit principium cultus Dei, & fundamentum doctrinæ, quæ in hoc ſita eſt, & dictat de Deo ſentiendum eſſe pijſsimè, & altiſsimè: non autem ſentiret de Deo altiſsimè, ſi non crederet poſſe Deum ſe ſummè communicare: nec ſentiret de Deo pijſsimè, ſi crederet poſſe, & nolle. Ideo vt pijſsimè, & altiſsimè ſentiat, dicet, Deum ſe ſummè ab æterno communicare, habendo dilectum, & condilectum; ita vt in Deo ſit mens generans, Verbum naſcens, & Amor vtrumque nectens*: ergo ex dignitate, & pietate, cum Diuinæ naturæ vnitate perſonarum pluralitas aſſerenda.

Ad argumenta, S. Doctor ex eiſdem capitibus, quibus pro veritate pugnauit, ad eandem expugnandam conflat argumenta, vt eorum ſolutione euidentior appareat veritas.

Et primò ex ſumma Dei beatitudine. Deus eſt ſummè, & per eſſentiam ex ſe beatus: ergo ſibi ſufficiens: ergo ſuperfluè, & ſuperuacaneè addenda dicitur pluralitas perſonarum ad ſummam in Deo conſtituendam beatitudinem.

Secundò ex ſumma perfectione eodem argumenti robore. Deus per eſſentiam eſt ſummè perfectus; ſed in vna perſona ſola tota eſſentia inuenitur: ergo & tota perfectio; ergo ſi plures addantur perſonæ; id fruſtra, & extra rem videtur. Vtriuſque argumenti maior ſupponitur certa, & euidens: ſi etenim aliunde Deo, & non ex ſe veniret beatitudo; iam neque primum ens, neque ſummè beatus, neque per conſequens Deus eſſet: quod tamen iam, & ſupponitur notum, & ſuo ſuperiori loco, vt res poſtulabat, probatum. Minor quoque ſecundi argumenti eadem certitudine concedenda eſt ex vnitate, & ipſius Diuinæ eſſentiæ ſimplicitate. Conſequentia pariter primæ argumentationis negari non poſſe, non eſt ambigendum ex terminis: eo enim quo ex ſe beatus, eſt pariter & ſibi ſufficiens.

Tertiò ex Diuina ſimplicitate. Duo oppoſita non poſſunt eſſe circa idem; ſed ſimplicitas, & pluralitas opponuntur: ergo circa idem eſſe non poſſunt: ergo Diuinæ eſſentiæ ſummè ſimplici perſonarum pluralitas repugnat. Maior & lumine naturæ, & philoſophi teſtimonio eſt nota. Minor itidem ex terminis conſtat; præſertim ſi vt in Deo inuenitur, ſumatur.

Quartò denique ex primitate. Vbi ſimpliciter primitas, ibi vnitas, & iam aliàs probatum eſt ea potiſsimum ratione, quia ſi eſſent plura prima, nullum eſſet ſimpliciter primum; ſed in Deo eſt hac ratione primitas: ergo & vnitas; ſed vnitati repugnat pluralitas, quia in vnitate eſt ſtatus: ergo.

Ad primũ tamẽ negat S. D. ſecũdã conſequentiã cõceſſo antecedenti, & primę conſequẽtię & negationis conſpicuã reddit rationem: non ideo in Deo multiplicari perſonas, vt ex vnius perſonæ productione efferatur beatitudo, quaſi ea ſine illa perſona careret Deus, neq; beatus eſſet; ſed vt ad inuicẽ beatitudo communicetur, & ſimul eadem potiantur: ita vt ex pluribus perſonis potius in Deo origo ſummæ beatitudinis, & ratio ex ſumma bonitate communicanda, imò ab æterno communicata infinitè, quàm emendicatio, & indigentia fæliciter demonſtretur: vbi obſeruandum quàm lepidè argumenti diſſicultati occurrat, ex fine communicationis, plurificationis perſonarum.

Ad ſecundum, conceſſa maiori, & minori, ad conſequentiam reſpondet. Primò. In vna perſona ſicuti tota eſſentia, ita tota eſt eſſentialis perfectio; ſed non perſonalis. Secundò, eſt quidem tota, ſed non cognoſcitur plena, & tota: quod aliàs dixit, tota certè eſt, ſed non omni modo, & omni genere communicationis. Tertiò. Adeo inquam tota, vt inde tamen redundet in alias perſonas redundantia perfectionis. Huic eidem argumẽto reſpondet S. Thomas in 1. ſent. loco ſuperius indicato. Diuinam eſſentiam pluribus communicari, non propter aliquem (ita poſtulabat argumenti forma) ſed propter ſe, quia talis intrinſecè eſt Diuina natura, vt communicetur, & in tribus ſubſiſtat. Pro qua reſponſione egregiè ſpectat, quod ex D. Athanaſio obſeruant Valentia ad quartum, & Caietanus, ſed infra. Riccardus verò eleganter eidem ita facit ſatis rationi, licet in pluribus non ſit maior perfectio quàm in vna ſolum perſona; negatur tamen conſequentia, abſolutè eſſe otioſum eſſe in pluribus, quando ſcilicet bonitas eſt ratio eſſendi in pluribus, ſicut in Deo, cuius plenitudo facit eſſentiam eſſe in pluribus: quod idem eſt cum eo, quod ſecundo loco reſpondet S. Doctor, bonitatem ſcilicet Diuinam eſſe, quæ ex vna perſona redundat in aliam.

Ad tertium diſtinguenda eſt minor, aut pluralitas in minori aſſumpta, & ſimpliciſsimę vnitati oppoſita: cum enim bifariam pluralitas accipi poſsit, aut abſolutorum, aut relatiuorum, quod idem alijs verbis, aut per additionem, aut per originem docuit: ſi per additionem abſolutorum, vera eſt minor: ſi per relatiua, & per originem, falſa; eo quia, vt in tota quæſtione demonſtratum eſt, vnitati ſimpliciſsimæ Diuinæ abſolutè non opponitur, nec repugnat relatiua ſuppoſitorum pluralitas; imò mirificè congruit.

S. Thomas hic in ſumma art. 1. ad 3. eandem prorſus adhibet ſolutionem. Relatiua ſcilicet non officere ſimplicitati, nec vllo modo componere, hac ratione, quam aliàs toties adhibuit S. Bonauentura, quia non prędicatur relatiuum niſi vt ad alterum, vt docuit etiam Boetius libro de Trinitate ante medium; quod alijs verbis alij explicare conſueuere, quia neque ex his, neque cum his, ſed ad eſſe: quam quidem reſponſionem omnes ex D. Gregorio Nazzianzeno ad Euagrium Monacum ſumpſerunt; quia cum obieciſſet: ſi ex tribus ſuppoſitis conſtaret Diuina eſſentia, cõpoſita

eſſet

eſſet. Reſpondet nullam inde oriri compoſitionem.

Aliud ex eadem ſimplicitate conflatum argumentum diluit idem Sanctus Thomas; non facere partes in Deo, & totum pluralitatis numerum, nec ſubinde ſimplicitati derogare, quocumque modo ſumatur numerus, vel abſolutè, & abſtractè, & vt numerans eſt: hic namque numerus eſt dumtaxat in numerante, & nihil in re ponit vel pro re numerata; nam eadem ratione eſsentia vna numero tota, & tanta eſt in vno ſuppoſito, quanta in tribus. Huic Sancti Thomæ reſponſioni opponunt, Vaſquez hic, & Suarez lib. 1. de Trinitate cap. 10. & alia reſponſione argumentum diluunt ex Gabriele: ſed recentiores Thomiſtę apprimè Sancti Thomæ reſponſionem tuentur: ipſi legantur. Alexander recenſito loco, eadem ſolutione ſimile argumentum ex Boetij, & Riccardi de Sancto Victore auctoritate repellit, explicata trina differentia, ſubſtantiæ, accidentis, & originis; ex pluralitate ſuppoſitorum admitti ſolam originis differentiam in Deo, quæ nullam implicat compoſitionem, nullaque ratione ſimplicitatem tangit. Riccardus eadem quæſtione ad ſimile ex eodem principio argumentum reſpondet. Ex Diuina ſimplicitate, idem prorſus eſt eſsentia, & perſona: ergo multiplicata perſona, & eſsentia vt multiplicetur neceſse erit; quod tamen ſicut contradictionem inuoluit de eſsentia, conſimili ratione & de perſona. Reſpondet, & negat antecedens abſolutè: non enim ſecundum omnem modum idem quælibet perſona eſt cum Diuina eſſentia, licet idem ſecundum rem; quod ſufficit, vt falſa ſit conſequentia. At verò modi plures Diuinæ eſſentiæ cum ſint relationes oppoſitæ; hinc conſpicuum hanc reſponſionem eſſe eandem cum illa Sancti Bonauenturæ, & communem. Alia Riccardi argumenta, & eandem habent vim, & ſolutione tolluntur, præſertim primum, ſecundum, & quintum.

Ad quartum, facillimo negotio ſe expedit S. Doctor: lubenti animo ſi quidem, in primo aſcendendo eſſe ſtatum concedit, vt ſupra primum non aliud prius exiſtat: ſed ita eſſe ſtatum, vt deſcendendo à primò non poſſint alia, & plura progredi, & produci, non ſit negandum: itaque ita in prima perſona eſt ſtatus, vt vlterius, & prior non concedatur: tunc enim non eſſet prima: ſed ita non eſt ſtatus, vt à prima non aliæ poſſint procedere: hoc enim primitati fæcunditatis contradiceret: & hoc eſt myſterium de quo agimus; eſt prima perſona Patris, vt illa alia non ſit prior; ſunt tamen aliæ perſonæ, quæ non derogantes illi primitati ab illa procedunt, & originem ducunt, quæ eo verè nō ſunt primæ, quia vna ſecunda, & altera tertia &c.

SEXTA DISPVTATIO.
& quarta de Perſonis.
De Pluralitate Perſonarum in hæc capita.

Primum. De ſtatu quæſtionis.
Secundum. Quibus ſcripturis probari poſſit.
Tertium. Quibus rationibus, & quanti roboris.
Quartum. Quid proſint rationes in hoc Myſterio.
Quintum. In quo ſoluuntur argumenta oppoſita.

CAPVT I.
Diſputationis ſtatus.

HIC Primò maximè proprius locus captiuandi in obſequium fidei intellectum noſtrum, & ad Seraphinorum inſtar Iſa. 6. dum ter Sanctum Deum clamitabant, oculos obuelandi, dum vnica numero ſeruata Diuina eſſentia; aſſerere tamen perſonarum Trinitatem vt præcipit fides, obſeruat Magiſter diſt. 33. *Horum doctrinis nouis, & humanis commentis*, & ad rem hoc indiuiduam teſtandam, admirandam, & fide tenendam S. Hilarij verba, alio loco etiam memorata. *Immenſum eſt quod exigitur, & incomprehenſibile: extra ſignificantiam eſt ſermonis: extra ſenſus intentionem: non enunciatur, non tenetur, non attingitur: ſignificantiam rei ipſius natura conſumit: ſenſus contemplationem: imperſpicabile lumen obcæcat, intelligentiæ capacitatem, quod ſine nullo continetur excedit &c.* Commento illuſtrat S. Doctor ibidem dub. 1. litt. *Quæſtio incomprehenſibilis ſecundum ſtatum viæ: quoniam ſi per omnimodam identitatem prædicatur eſſentia de proprietatibus, & è conuerſo, hæc diſtinguitur, & illa non, & hoc eſt nobis incomprehenſibile.* & eam refert, ac reddit rationem alijs Theologis communem, & aliàs relatam: Nulla enim ſimilis res inter creata reperitur, ex qua in hanc celtiſsimæ veritatis cognitionem conſcendere poſsimus.

Mox multiplici ex capite auguſtiſsimæ huius veritatis de Diuinarum perſonarum pluralitate, quam enucleandam, & comprobandā proponimus, ſtatum coniectare, & colligere nobis eſt facultas: ſi enim primò è fidei capite auſpicamur, hic erit huius dogmatis ſtatus: vt tanta ſit ipſius certitudo, & firmitas, quanta fidei à ſolo Deo reuelatæ, qui nec mentiri, nec decipere poteſt; quantaque ipſius Dei exiſtentis: etenim fidei noſtræ, & primum, & maximum, & (liceat loqui) adæquatiſſimum obiectum, omnibus ferè Diuinorum oraculorum angulis reuelatum, & repoſitum perpræcipua articulorum, & Symbolorum, æcumenicæ fidei decreta teſtatum, per innumera catholica, & orthodoxa Concilia decretum, & iuratum: quod omnes vnanimi conſenſu Sancti Patres ſuis immenſis voluminibus exagitarunt, explicarunt, ab aduerſarijs protexerunt, & ſupplices à Deo in vniuerſo mundi theatro, toto orbe terrarum circumſpiciente glorioſè obtentam victoriam de hæreticis, & infidelibus reportarunt: Quod Apoſtoli: quod deinde Martyres innumeri, ore, morum ſanctitate, miraculis, baptiſmi Sacramento, & deniq; ſanguine; omnibus nedum propoſuerunt, ſed adeo perſuaſerunt, vt alta in mente, & in fronte, & ore impræſſerint, vt & ipſi pueri hac emi-

nen-

Digitized by Google

ſapientiſſima callerent Theologia, quam ſe crucis ſigno munientes profitentur. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.

Et Deo ipſi adeo intrinſecum ſit eſſe trinum, & pluribus ſuppoſitis communicari, & in ipſis ſubſiſtere; vt nec rectè, nec adæquatè concipi poſsit, non ipſis quoque perſonis ſimul conceptis, ea ratione, qua de ratione formali Diuini eſſe ſint, & relationes, & perſonæ plures; quod egregiè Angelicus Thomas in 1. ſent. diſt. 2. art. 4. ad tertium his verbis propalam fecit. *Pluralitas ſuppoſitorum in Diuina eſſentia non eſt per aliquem finem: imò per ſe ipſam eſt neceſſaria, cum ipſe Deus ſit finis omnium*: dum enim in eſſentia per ſe ipſam eſſe neceſſariam perſonarum pluralitatem aſſerit; quis inficias ibit, ibi ad eſſentiæ rationem perſonarum multitudinem ſpectare? quod longe multa ante tempora grauiori auctoritate nobis reſtatum reliquit S. Athanaſius orat. contra Gregales Sabellij. *Vniuerſa* inquit, *plenitudo, & integritas Deitatis eſt Pater vt Pater, & Filius vt Filius &c.* & infra, idem de Spiritu Sancto eſt exiſtimandum, & ſerm. 4. contra Arrianos. Ipſam proprietatem Patris eſsentiam Filij conſtituere. Iam verò ſi Diuina eſsentia eſt Pater, & Filius, & Spiritum Sanctum eſse de ratione eſsentiæ Diuinæ, & eadem ratione patens; ſi relatio paternitatis conſtituit eſsentiam communem, quæ eſt in Filio; non poſse negari quod ad ipſius rationem ſpectet. D. quoque Greg. Nazzianzenus orat. in Sancta lumina. *Vnam*, inquit, *in tribus Diuinitas eſt, & tria vnum &c. & vt magis loquar propriè, tria ſunt ea, quæ ipſa Diuinitas eſt*. De qua re quid clarius? denique id indicant, & aſtruunt omnes reliqui Patres, dum Deum vnum, & eſsentiam vnam eſse tres perſonas docent: dubio enim procul eſsentialiter eſse tres perſonas, quod intellexerint interpretandi ſunt, & ſubinde quod hic prætendimus, Diuinæ eſsentiæ adeo idem eſse plures perſonas, vt de ipſius ratione exiſtant, vt inde tam certo Dei plures eſse perſonas, quàm Deum ipſum eſse fatendum ſit.

Si verò aduerſariorum, & oppugnantium ex capite eundem huius veritatis ſtatum expendere nobis ſit animus; illud tutè, & abſque mendacij ſcrupulo de hoc myſterio aſſeuerare poſſumus, quod de populo Dei 1. Machab. 5. aſſeritur. *Vt audierunt gentes in circuitu, quia ædificatum eſt altare, & Sanctuarium ſicut prius, iratæ ſunt valde, & cogitabant tollere genus Iacob*; conſimili enim modo, vt audierunt ex Euangelijs, & Apoſtolorum ore, Gentes, Iudei, Infideles, & Hæretici Deum vnum nedum, ſed in perſonis Trinum; irati ſunt, & diris, & truculentis perſecutionibus, & armis, & illuſorijs paralogiſmis, captioſis, & Sophiſticis argumentationibus tollere fidelium genus, & ex eorum cordibus Sanctiſſimæ Triadis fidem delere, & radicitus euellere conati ſunt: adeo hæc Diuina veritas his exotericis inuiſa, adeo aduerſus eam efferbuerunt, inſeuierunt, inſanierunt.

Porrò primo loco philoſophi, & gentes infideles Deum vnum naturæ lumine colentes, ad perſonarum veritatem cæcutierunt, & quod de foris de hac veritate audierunt, tum ſomnia, tum impoſsibilia cenſentes, argumentis conati ſunt euertere, Deumque, aut vnam ſolam perſonam, aut plures ſimul naturas, & eſſentias ſtatuere, ac ſibi perſuaſere. Inter quos impius ſemper Auerroes, huius ſummi myſterij fidem ſic contemnit, ſubſannat, ac deridet, vt 12. Methaph. omnes nos Chriſti fideles ita incuſet, & aduerſus oblatret, & obgruniat; vt non vereatur dicere: ſi eſſent in vna natura plures perſonæ, conuenirent in ea tamquam in aliquo genere, & vniuerſali ſua inferiora, & ſic eſſent tamen plura ſocietate, & aggregatione in vna ſpecie, & genere. Secundò, Impoſsbilia, monſtruoſa, abſurda, infelix contendit inde educere; tres res eſſe vnam, vnamque tres, plura ad inuicem tunc differre, & diſtingui, itidem conuenire: vnde Deus compoſitus, nequaquam ſimplex reperiretur.

Inde ſecundò loco circunſtant nos, & aperto Marte pugnant, vt expugnent; licet eis non accidat res ex ſententia: imò reluctentur, proſternantur, ac turpiter reuicti, ac confoſsi cedant, velint, nolint; Iudæi, inquam, veteres ideo inexcuſabiliores, quo per fidem ſupernaturalem ex lege, & Patribus ſuis, & ex Prophetis vnius Dei veram Diuinitatem agnouerunt; Trinitatis tamen fidem noluerunt agnoſcere; vnde filios infideles genuerunt, adeo etiam noſtra tempeſtate cæteris infidelibus infideliores, omnibus hæreticis in hoc errore magis obfirmati, & obſtinati inueniantur vt potius ad Rabbinorum fabulas, & deliria confugiant, ijs promptiorem adhibeant fidem, & credulitatem.

Verum ab Aquilone, à quo omne panditur malum, hæreticorum infenſior, acrior, & numeroſior exercitus comparatus, nos vndique vrget; quorum caſtra luſtrat, copias enumerat, inſidias detegit, latebras aperit, ac in ſuas claſſes redigit, machinas indicat, tela retorquet, argumenta denique frangit, & faciliſſimo negotio ſoluit egregiè inter recentiores Illuſtriſsimus Bellarminus, lib. de Chriſto præcipuè; & cæteri Theologi luculenter. Et quidem (proh dolor) quis, aut ex priſcis hæreticis, aut ex recentioribus de hac Sacroſancta Trinitatis fide ſceleſtiſsimè non blaſphemet? Praxeas apud Tertullianum lib. contra eum. Noetus apud Epiphanium. Hæreſi 57. Hermogenes apud D. Auguſtinum hæreſi 45. Sabellius vnicam perſonam pluribus tantum nominibus diſtinctam concedens. Arrius, Filij, & Spiritus ſancti Diuinitatem negans, ſubinde Diuinam Trinitatem euertens. Noſtro verò tempore hanc hæreſim quis ex recenſioribus hæreticis ab Orco non reuocauit? quàm turpem blaſphemiam de hac fide non effutiuit? In quod baratrum in præceps non eſt lapſus? Lutherus? Caluinus? Michael Seruetus? Gregorius Blandrata? Paulus Alciatus Lelius Socinus? Franciſcus Dauid? et innumeri alij? eo Tranſiluani nuncupati, quo in Tranſiluania erroris ſui ſedem conſtituunt? Valentinus Gentilis, et plerique alij, qui contra almum Trini-

tatis

tatis arcanum, Arrianiſmum pene iam extinctum, iterum ab vitam reuocare, & extollere, & propagare, & auſi, & enixi ſunt. Atque hoc inimicorum huius fidei triplex genus, triplex Cerberus, & tricorporis Gerion, vel vt verius dicam, beſtia illa, quam aſcendentē de mari vidit Daniel cap. 7. vrſo ſimilem in parte ſtantem: *& tres ordines erant in ore, & in dentibus eius, & ſic dicebant ei: ſurge, comede, manduca carnes plurimas.* tripliciſ dentium ordine omnes deuorarēt hoc Diuiniſſimum Myſterium, informes, ac difformes, Vrſi voraces, monſtruoſi, ſi eis liceret.

Verùm enimuerò horum omnium errorum radicē, ſcaturiginem, & fundamentum eleganter explicauit Tertullianus contra Praxeam his diſertiſſimis verbis: *Variè Diabolus æmulatus eſt veritatem, affectauit illam aliquando defendendo concutere, vnicum Dominum vendicare omnipotentem mundi conditorem: vt de vnico hæreſim faciat: vnicam Dei eſſentiam ideo mordicus conantur tueri, vt inde, & vnicam perſonam inducentes, Trinitatem funditus euertant.*

Sed & aliunde huius diſputandæ veritatis ſtatus animaduertendus; vt quibus armis cum inimicis congrediendum, & ineundum bellum, & qua diſputandi arte, & quo argumentorum genere cum illis procedendum: neq; enim, Dei benignitate, in myſtica Dauidis turre deſunt arma, & gladij, & ſcuta, & globi ignei, tum ad arcendos, tum ad proſternendos aduerſarios: neque milites tenentes gladios ad bellum aſſueti, qui circumſtent, & tueantur lectulum Salomonis: & militare præceptum eſt, alio, & alio modo cum alijs, & alijs inimicis agendum; vel primo impetu aggrediendo, vel longa abſidione cunctando, vel fugam, Tartarorum, & Parthorum more fingendo: eadem propemodum ratione perattentè obſeruandum in litteraria cum inimicis conflictatione, & in agenda lite, & protegenda fide, alio, certiſsimum eſt, arguendi & diſputandi genere vtendum cum Paganis, & Infidelibus, qui nec Diuinis litteris, nec Patribus, nec Doctoribus noſtris vllam fidem, ac credulitatem præſtant: alio quoque cum Iudæis, qui Textus Sacros quidem admittunt; ſed non omnes, veteris ſcilicet teſtamenti, nequaquam tamen noui: alio denique cum hæreticis, qui tum vtraque bibliorum partem, tum & multos Patres, aut recipiunt, aut ſaltem recipere fingunt. Hic igitur eſt ſtatus, quo hæc veritas manet, & quo à tot aduerſarijs impetitur, & vexatur, cuique tot hominum, ne dicam ferarum, vel verius dæmonum contradicunt, & quo denique nobis verſanda, ac tuenda.

CAPVT II.

Quibus Scripturis hoc Myſterium probari poſſit.

QVibus Scripturis probari poſsit ex Diuinis litteris adducendis, vertitur Cardo huius veritatis: fidei enim ſoli, & ſolidæ reuelationi in- Sanctis Scripturis inhæret, ac nititur: cęteræ namque rationes, quæ pro hac veritate conſtrui, & in medium afferri poſſunt, potius ad veritatem receptam nutriendam, quàm ad eam, vt aiunt, neruosè demonſtrandam proſunt, eſt inquam omnis huius cōcertationis in hoc ſita vis, vt fidem hanc, & veritatem potiſsimum Sanctarum Scripturarum teſtimonijs oſtendamus, & confirmemus: & eo præclarius tunc de ea meriti erimus, quo explicatiora, & aperciora; & aut Concilijs, aut plurimorum Sanctorum Patrum commentatione, quibus nullus adſit gloſſandi, vel extorquendi aditus. Porrò ſufficeret omni prorſus dubitatione ſemota, pro ſexcentis locis, quæ recenſeri legitima poſſent, ille vnus D. Matthæi vltimo. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sācti*, & 1. Io. 5. *Tres ſunt qui teſtimoniū dant in Cælo, Pater, Verbum. & Spiritus Sanctus, & hi tres vnum ſunt:* Et quemadmodū Spiritus S. plurimis alijs locis eandē veritatem teſtatus eſt, eandem & nos ex alijs locis confirmare tenemur, ſequuti præſertim reliquos de hac veritate laborantes Theologos.

Si primò obſeruemus non æquè clara, & aperta eſſe loca, quæ huc coaceruari ſolent à Doctoribus: *licet enim omnis Scriptura*, inquit S. Auguſtinus ſer. 38. de tempore. *veteris, ac noui teſtamenti, ſi catholicè intelligatur, hoc inſinuet, quod Pater, & Filius, & Spiritus ſāctus vnus ſit* Deus, *eiuſdem ſubſtantia. vniuſque eſſentia, atque inſeparabilis in* Diuinitate *vnitatis &c.* interpretādus tamen] eſt cum hoc diſcrimine; vt de Sanctiſſima Trinitate clariora ſint loca noui teſtamenti, obſcuriora verò veteris, veluti quæ nebulis inuoluta, et in prouerbijs indicata; ſic requirente illorum hominum fidelium ſtatu, donec Sol Iuſtitiæ per Euangelium, et illuſtratione Spiritus Sancti, tenebras, et nebulas diſcuteret, et apertam veritatem illuſtraret. Quo factum eſt admodum ad rem, tempore mortis dixiſſe Chriſtum Io: 16. *Hæc in prouerbijs locutus ſum vobis: venit hora cum iam non in prouerbijs loquar vobis, ſed palam de Patre meo annunciabo vobis.* Quæ nimirum verba interprete D. Auguſtino tract. 102. in Ioan. et Beda in eundem locum, indicant tempus poſt reſurectionem Chriſti, et aduentum Spiritus Sancti, quo apertiſsima Trinitatis fides prædicanda erat; quemadmodum et D. Cyrillus lib. 11. in Io: cap. 8. et D. Chryſoſt. hom. 78. in Ioannem, et alij veriſsimè obſeruarunt. Cui veritati confirmandæ addenda illa verba Ioan. 17. *Manifeſtaui nomen tuum hominibus*, hoc eſt, antea quidem erat notus Deus Iudæis ſub ratione Dei, quia tamen ignotus ſub ratione Patris, et Filij, et Spiritus Sancti, manifeſtauit Filius nomen Patris etc. hoc ſenſu, vt inter alios exponunt, D. Auguſtinus tract. 106. in Ioan. D. Chryſoſt. hom. 80. D. Cyrillus indicato loco cap. 18. Confirmant Patres hanc eandem doctrinam. D. Gregorius Nazianzenus ſimul reddens rationem huius Diuinæ prouidentiæ, quæ ab oſcurioribus ad clariora procedere debebat, docuit: vetus teſtamentum Patrem apertè prædicaſſe, Filium obſcurius: no-

uum autem nobis Filium perſpicuè oſtendit, & Spiritus Diuinitatem ſubobſcurè quodammodo indicauit. Nunc verò Spiritus ipſe nobiſcum verſatur, ſeſeque nobis apertius declarat: neque enim tutum erat Patris Diuinitate non dum confeſſa, Filium apertè prædicari, nec Filij Diuinitate nondum admiſſa, Spiritum Sanctum, velut grauiorem quandam (ſi ita loqui fas eſt) ſarcinam nobis ingeri: ne alioqui veluti cibis vltra vires grauati, ac ſolis radijs hebetes oculos obijcientes, iis quoque quibus præditi eramus viribus periclitaremur. Dicit autem hic Sanctus Pater, Patrem apertè prædicatum: intelligendus eſt ſub ratione vnius Dei, non ſub ratione Patris: neque enim poſsibile eſt Patrem ſine Filio intelligere. Eandem veritatem, & prouidentiam grauiter quoque explicat Theodoretus lib. 2. ad Græcos de Principijs. D. Auguſtinus in quæſtionibus noui teſtam. quæſt. 87. & quæſtionibus veteris teſtam. quæſt. 9. & D. Greg. Magnus lib. 2. in Ezechielem hom. 16. & alij &c.

Hic itidem obſeruare debemus pro ditiori, & vberiori Scripturarum promptuario, quod ſolerter dub. 8. diſt. 2. diſertiſsimis verbis litteris mandauit S. Bonauentura, quod poſtea retulit, & exſcripſit & Riccardus hic quæſtione vltima. Octo modis innuitur nobis perſonarum pluralitas in Scriptura.

Primò ſignificatione, cum apertis nominibus proprietas perſonas Diuinas numerat, & nomenclat, vt Matth. vlt. *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.*

Secundò conſignificatione, vtpote cum communitate Diuina numerum quendam plurium conſignificamus: Geneſ. 1. *In principio creauit Deus &c.* vbi hebræa Eloim, plurale nomen, ideſt Dij: quo loco quàm efficaciter Trinitas Sancta teſtata ſit, alibi ſatis expenſum exiſtimo.

Tertiò ſuppoſitione, vt ſi diceretur Deus genuit Deum: Deus enim, primò loco ſupponit pro Patre, ſecundò vero loco pro Filio; & neceſſariò indicatur ſuppoſitorum pluralitas: nemo enim generare poteſt ſeipſum, cum inter gignentem, & genitum intercedere diſtinctionem realem ſit neceſſe: de qua re vberius infra. Ex Prouerb. 8. refert elegantiſsimum locum, *Ante omnes colles ego parturiebar*, quem exponit, *Generauit me Dominus*, & optimè quidem: nam ante ipſum, illum locum totum de æterna ſapientiæ generatione interpretati ſunt, D. Chryſoſt. & D. Ambr. & poſt ipſos D. Thomas 4. contra gentes cap. 8. & quoniam in illo integro loco vnum interſeritur verbum, quod æternitate generationis videtur repugnare, *Dominus creauit me*. Reſpondeo primò, vulgatam noſtram editionem, non *creauit*, ſed *poſſedit me* habere: ſecundò, indicato loco S. Thomas generationem æternam nomine creationis ſolere ſignificari notat; non quia ex nihilo ſit, ſed ad ſignificandum eſſe ſine vlla mutatione producentis, & producti; quia generatio illa æterna non ſatis generationis humanæ voce explicatur, vt in vſu eſt hominum: plures enim inuoluit imperfectiones, & ad eas omnes excludendas loco *generationis*, *creationis* voce vtitur aliquando Spiritus Sanctus: & refert D. Hylarius lib. de Synodis ita in quadam Synodo Orientali explicatum eſſe.

Quartò appropriatione, multis ſcilicet locis, quibus communia attributa, vel æterna, vel ex tempore ſingulis perſonis adduntur: affert locum Geneſ. 1. *In principio creauit Deus cælum, & terram*, hoc eſt in Filio, cui appropriat quod commune tribus, ſcilicet principium: Deus, ideſt Pater, qui de Deo abſolutè ſumpto dicitur. Qui locus pro hoc myſterio erit integer, ſi conſequentibus verbis aſſumatur: *Spiritus autem Domini ferebatur ſuper aquas*: quibus ex multis viris, & priſcis, & recentioribus tertia perſona rectè deſignatur. Sed hæc regula, & locus tunc euadet probatior, ſi quanta veritate ad propoſitum collineat, ſcilicet ad veritatem confirmandam, demonſtretur ex Patrum teſtimonijs. Origenes igitur primò loco conſtituatur qui in hæc verba hæc diſerta verba ad D. Bonauenturę ſententiam litteris mandauit, *In principio creauit Deus cælum, & terram. Quod eſt omnium principium, niſi Dominus noſter, & Saluator omnium Chriſtus Ieſus, primogenitus omnis creaturæ? In hoc ergo principio, hoc eſt in Verbo ſuo Deus cælum, & terram fecit: ſicut & Euangeliſta Ioannes in initio Euangelij ſui ait, dicens. In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipſum facta ſunt: & ſine ipſo factum eſt nihil.* Non ergo hic temporale aliquod principium dicit, ſed in principio, ideſt in Saluatore factum eſſe cælum, & terram, & omnia quæ facta ſunt, quo loco vtuntur plurimi, vt vindicent Origenē, quod non negauerit æternitatem, & Diuinitatē Filij Dei. Tertull. deinde contra Praxeam, & D Hilarius in expoſitione cuiuſdā pſalmi, vt refert etiam S. Hieronymus, teſtantur in hebræo haberi, *In Filio fecit Deus cælum, & terram.* Quam expoſitionem licet primo aſpectu D. Hieronymus recenſito loco, ſcilicet quæſtionibus in Geneſim conuellere videatur; eam tamen tandem apprimè confirmat & auctoritate ſua, quæ magna admodum apud omnes eſt, his clariſsimis verbis. *Quod falſum (in hebræo ſcilicet legi in Filio) ipſius rei veritas comprobat: nam & 70. interpretes, & Symmacus, & Theodotio, In principio, tranſtulerunt. Et in hebræo ſcriptū eſt Bereſith, quod Aquila interpretatus eſt in Capitulo, & non Heben, quod interpretatur in Filio. Magis itaque ſecundum ſenſum, quàm ſecundum tranſlationem verbi de Chriſto accipi poteſt: qui tàm in ipſa fronte Geneſis, quæ caput omnium librorum eſt, quàm etiam in principio Ioannis Euangeliſtæ, cæli, & terræ conditor approbatur. Vnde & in pſalterio de ſeipſo ait. In capite libri, ideſt in principio Geneſis ſcriptum eſt de me, & in Euangelio. Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil.* D. quoque Auguſtinus his omnino conſona prodidit lib. de Geneſi ad litteram imperfecto, cap. 1. Rupertus Abbas in hæc eadem verba. Imò etiam inter vetuſtiſsimos Babbinos Rabbi Eleazar, quem refert

Mar-

Marſilius Ficinus lib. de Religione cap. 131. interpretatus eſt eum locum his verbis. *Non eſt creatus mundus niſi per Verbum, vel cum Verbo*; ſicut habetur in pſalmo 32. *Verbo Domini cæli firmati ſunt*. Neque valde premunt, aut vrgent, quæ aduerſus hanc expoſitionem coacernat Vaſquez diſputat. 108. cap. 2. in prim. par. Sancti Thomæ: quod enim contra ſenſum S. Hieronymi inſurgit; primò, quid culex contra Elephantem? ſecundò, quod alios alia ratione exponentes recolat, non contraria, & huic repugnati expoſitione, ſed diuerſa tantum; quid tandem? nam idem locus plures etiam litterales ſenſus, quemlibet tamen verum, certo Patrum multorum aſſerto recipit, iuxta illud Pſal. 61. *Semel locutus eſt Deus, duo hæc audiui*; & illud Oſe. 12. *In manibus Prophetarū aſſimilatus ſum*; vt etiam S. Thomas hunc locum obſeruauit 1. par. quæſt. 1. & iam D. Auguſtinus 12. confeſſ. cap. 30. & 31. ſic diſertè, vbi de loco, quem nunc verſamus teſtatur: Moyſi in mentem veniſſe, non ſolum quidquid veri ad explicationem eorum verborum. *In principio creauit Deus cælum, & terram*, hominum ingenia inuentura erant, ſed multa etiam alia, quæ numquam erant excogitanda, excogitari tamen poterant, cum pietate, & veritate minimè pugnantia. Et addit ibidem, idem de cæteris ſacris Scripturis aſſerendum. Idem S. Hieronymus Epiſt. 103. circa finem ad Paulinum de Apoc. ita ſcribit. *Ioannes tot habet Sacramenta, quot verba: Parum dixi: Pro merito voluminis laus omnis inferior eſt. In verbis ſingulis multiplices latent intelligentiæ*. Idem S. Pater in illa verba Dan. 12. *Claude ſermones, & ſigna librum*, ſic eloquentiſſimè, pariter & veriſſimè ſcribit: *Præcipit, vt inuoluat ſermones, ſignet librum, vt legant plurimi, & quærant hiſtoriæ veritatem, & propter obſcuritatis magnitudinem diuerſa opinentur*. Tandem S. Thomas quæſt. 1. art. 10. 1. par. De eiuſdem loci plurimis ſenſibus litteralibus apertiſſimè aſſeruit, cui poſtea nullus corde ſenſatus contradicere eſt auſus; his verbis. *Quia verò ſenſus litteralis eſt, quem auctor intendit: auctor autem ſacræ Scripturæ Deus eſt, quia omnia ſimul ſuo intellectu comprehendit: non eſt inconueniens, vt dicit Aug. 12. Confeſſ. ſi etiam ſecundum ſenſum litteralem in vna littera plures ſint ſenſus*. Quid? Aquila, teſte D. Hieronymo demonſtrato loco nuper in Geneſim, vertit illam vocem Bereſit, *In capitulo*, nec reprobatur. Quot verò locis, tum diuinæ Scripturæ, tum Patres Chriſtum caput nuncupant, cuius diminutiuum eſt Capitulum? ad Epheſi. 1. *In diſpenſatione plenitudinis temporum inſtaurare omnia in Chriſto*; vbi ex Græco legit D. Hieron. Recapitulare, & Recapitulationem, Anacephaleoſis, quod eſt ad ſummam redigere, & coniungere omnia membra cum Chriſto capite. Oratores, inquit D. Hieron. perorare in fine orationis, & ad capita reducere, quæ fusè dixerunt, recapitulare dicuntur. Hinc omnium operum Dei, viſibilium, & inuiſibilium, caput, & ſumma dicitur Chriſtus. Inde, *In capite libri ſcriptum eſt de me*, ſcilicet totius libri Bibliorum ſumma, & compendium Chriſtus eſt, & caput: in principij voce, intelligere Dei Filium, qui & principium & caput, ſicuti verè eſt, ſic appellari poteſt. Maneat igitur Sanctum Bonauenturam rectiſſimè ad hanc veritatem aſtruendam retuliſſe locum hunc. Hanc ego quoque hoc loco amplector expoſitionem, licet aliàs aliorum expoſitionem ſequutus, non ita tenuerim.

Quintò iteratione. Omnibus illis locis ſcilicet quibus ter Dei nomen repetitur: reuerentiſſimus enim Diuinis oraculis S. Doctor nulla ratione ſibi perſuadere poteſt, has repetitiones ſine myſterio fieri: neque vllum myſterium aptius, quàm Sanctiſſimæ Trinitatis ſignificari poſſe: & eo tunc potiſsimè, ſi loco *Dei* hebraico nomine, aut Iehoua, aut Eloim legatur, ex cuius vtriuſque dictione myſterium hoc optimè colligitur. Recolit exempli gratia duo inſignia loca, alterum Iſa. 6. *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus &c.* de quo ſupra ſatis mea ſententia abundè ad hanc eandem rem: alterum Pſal. 62. *Benedicat nos Deus, Deus noſter, benedicat nos Deus*. In quem apprimè pro re propoſita S. Hieronymus hoc modo ſcribit. *Deus Pater, Deus noſter Filius: ipſe enim Deus noſter: & vocabis nomen eius Emanuel, ideſt nobiſcum Deus. Benedicat nos Deus Spiritus ſanctus. Videte myſterium Trinitatis in vno verſiculo comprehenſum.* Grauiorem etiam eiuſdem loci ſubtexamus expoſitionem. Alexandri primi epiſtola ad omnes Chriſti fideles. *Si Trinitas non eſt, quare Dauid ter dixit Benedicat nos Deus, Deus noſter, benedicat nos Deus? Si vnitas non eſt, quare cum ter nominaſſet Deum, benedicat dixit, & non benedicant adiunxit?* Hebræa verò habent Eloim, ſcilicet Dij, additum verbum ſingulare *benedicat*, ex communi Theologorum ſchola, & ex multis Patribus idem myſterium indicans. Quando verò loco Eloim eſt Iehoua, efficacius, & religioſius eiuſdem arcani memoria recolitur, præcipuè ex Rabbinorum ſententia, quos multos refert Petrus Galatinus de hoc ſenſu lib. 2. cap. 6. primò ex ipſis litteris, quibus hoc ineffabile nomen conſtat, vt ex prima, Iod, ideſt principium, quod congruit Patri, totius Diuinitatis, ideſt omnium perſonarum fontale principium: & ſicuti Iod videtur principium, à quo cæteræ litteræ hebraicæ originem trahunt, ita Pater, à quo reliquæ perſonæ &c. He, ideſt vita, qua Filius per vitalem actum intellectus producitur; vnde D. Petrus Chriſto, *Tu es Chriſtus Filius Dei viui*. Viuere enim Dei eſt intelligere. Vau, non ex ſignificatione, ſed ex munere Spiritum ſanctum notat: cum enim littera copulatiua ſit, & nectens, Spiritum ſanctum egregiè ſignat, nexum amoris Patris, & Filij. He, repetita in eodem nomine, eandem ſecundam perſonam ex duplici relatione, ad Patrem altera, ad Spiritum ſanctum altera: ita Galatinus probabiliter quidem, ſed profectò non omnia ad mentem D. Hieronymi: aliter enim Epiſt. ad Paulam interpretatur alphabetum hebræum, præter primam litteram, quam eodem modo pro principio exponit, ſecundam verò, non vitam, ſed *iſtam* interpreta-

Digitized by Google

tur, tertiam autem exponit, quod littera quidem copulatiua ſit, & ad propoſitum optimè: at verò neque difficilè & ſecunda ad rem accipi poteſt quam tractamus: licet enim ſumatur pro *iſta*; ſecundam tamen perſonam indicat: quia ex humanitate aſſumpta digito indicari poteſt. Secundò, ex expoſitione huius nominis, & combinatione ſuarum litterarum, vt primò ad duodecim litteras reducatur, & hic ſenſus prodeat, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus. Tertiò, vſque ad 42. quibus noſtra lingua hæc progignitur veritas, Pater Deus, Filius Deus, Spiritus ſanctus Deus, Trinitas in vnitate, & vnitas in Trinitate, vt luculenter idem Galatinus indicato libro cap. 10. ex Rabbi Haccados colligit. Quartò, apud Chaldeos conſtat, ita hoc nomen ſcripſiſſe ad idem auguſtiſsimum fidei noſtræ myſterium recenſendũ, tribus ſcilicet Iod, & vno Camez, ייי vt quemadmodum Iod in *principium* noſtro Idiomate vertitur, ita tres Diuinas perſonas in vna eſſentia identificatas, eſſe rerum omnium principium, tribus Iod in vno Camez, teſtatum poſteritati relinqueretur.

Sextò ex ordine verborum ijs locis Diuinarum Scripturarum, quibus Dei nomen pluries repetitur: cum enim in Diuinis Scripturis omnia, etiam iota, voculæ minimæ à Spiritu ſancto ſcribenti reuelentur; vt hoc inter verba Conciliorum, & ſacrarum Litterarum intercedat diſcrimen, vt illorum ſenſus, canones, & decreta reuelet, verba verò omnia non ſit neceſſe: illarum verò, & res, & verba omnia, & ſingula prorſus; non graui abſque ſecreto hoc etiam, vel illo loco poni, & ordinari verba Diuina aſſerendũ omnino eſt. Horũ verò verborum ordo hoc propoſito verſiculo, quo nã præſeferat modo Trinitatẽ Sanctiſſimã, ſupra indicarunt quæ recoluimus verba S. Hieronymi; vt ſecundo loco Deus noſter relatus ſit ad inſinuandam, nedum ſecundam perſonam, ſed ſimul ipſam carne humana tunc induendam, nunc indutam. Similia loca ex Diuinis litteris huc adiungi poſſent, quæ ex propoſito, ne longiori ſermone lectorem onerem, ſilentio prætereo, ſi hunc vnum adhibeam, ex pſal. 49. *Deus Deorum Dominus locutus eſt*. Vbi hebræa, El, Eloim, Ieoua, Dibber. Deus, Deus, Deus locutus eſt: locutus enim, verbum ſingulare vnitatem eſſentiæ; trina repetitione idem nomen Deus, Trinitatem perſonarum amplectitur.

Septimò, vbicumque diuinarum perſonarum ad nos vlla recolitur miſsio, quæ præcipuè, tum in veteri, tum in nouo teſtamento admodum frequens eſt; Sancto Doctori inter ſexcenta vnus locus ſuffecit ex epiſt. ad Galat. 4. *Miſit Deus Filium ſuum*. Hoc tanquam vberrimum argumentum exactè, tum Patres, tum Theologi Scholaſtici verſarunt, vt ex diſt. 15. primi ſent. conſtare liquidò poteſt: inter etenim explicandam miſsionum perſonarum Theologiam ſæpiſsimè interponunt, & neceſſariò quidem, earundem perſonarum diſtinctionem, originem, & emanationem æternam; ita vt hac ratione miſsionem definiant; Miſsio Diuinæ perſonæ eſt emanatio cum connotatione effectus temporalis; de qua re vberius diſputat. de Miſsione. vbi D. Thomas ea diſtinct. quæſt. 3. art. 1. 2. & 3. *quoties in Diuina Scriptura alicuius Diuinæ perſonæ auditur miſſio, toties ſimul plurium perſonarum arguitur tum origo, tum numerus*. D. Bonauentura ibidem quæſt. 3. *Miſſio, ſicut patet ex ratione D. Auguſt. ſemper duo habet ex ſuo intellectu, ſcilicet emanationem, & manifeſtationem*: quo fit, vt prima perſona non poſsit mitti, quia ab alia non emanat.

Ante verò hos Doctores D. Auguſtin. lib. 3. contra Maximinum cap. 14. *Miſſio non eſt inæqualitas ſubſtantiæ, ſed ordo naturæ, ideſt naturalis originis*. 4. de Trinitate cap. 2 *Filius mittitur, non quia minor, ſed quia emanatio quædam claritatis Dei ſincera*. Itidem S. Hilarius 8. de Trinitate. *Spiritum ſanctum mitti à Filio nihil aliud eſt, quàm & ab illo accipere*. Conformia vndequaque S. Cyrillus lib. 12. Theſauri cap. 5. *Miſſum ſe Filius à Patre dicit, non mutatione, ſed ſicut calorem ab igne, vel ſplendorem à lumine*. Expreſſiſsimè idem S. Gregorius hom. 26. in Euang. Beda lib. 2 homiliarum hom. 2. et ratio in promptu eſt, quia, vt ex his Patribus clariſsimè colligitur, Miſsio includit egreſsionem miſsi à mittente: ſed inter Diuinas perſonas non eſt egreſsio, niſi ſecundum proceſsionem: ergo optima ratiocinatione ex miſsione perſonarum multitudo reuincitur: hæc verò omnia loca, quibus miſsionis Diuinæ fit mentio, congerere, opus tum graue, tum otioſum cenſerem, eo præſertim, quo ad hoc idem caput, omnia, quæ in vtroque teſtamento loca de Diuinitate, aduentu, miraculis, præſtantiſsimiſque cæteris tum patrandis, tum patratis operibus à Meſsia, ſpectant: agitur enim his omnibus locis de perſonarum diſtinctione, ac ſubinde pluralitas earundem cõmonſtratur, eadem prorſus ratione quæ ſupra relata eſt. Meſsias præterea eſt Deus neque tamẽ Pater, aut Spiritus ſanctus: ergo Filius, et Verbum: Verbum enim caro factum eſt, et miſsit Deus filium ſuum: ergo cum Meſsiam recolimus, et vnam perſonam intelligimus, et duas alias indicamus, nimirum Patrem Filij, et vtriuſque amorem Spiritum ſanctum.

Etiam Meſsiæ nominibus luculenter hanc veritatem confirmare, facile negotium erit. His pręſertim, videlicet Ieoua, El, & Sadai. Ex nomine Ieoua, quod multis locis Meſsiæ tribuitur: maximè verò Ierem. 23. *Et ſuſcitabo Dauid germen iuſtum, & hoc eſt nomen, quod vocabunt eum, Dominus iuſtus noſter*; quem locum ad litteram de Meſsia vnanimes interpretantur Doctores: at verò hebraicè vbi nos *Dominus*, Ieoua legitur: hoc autem nomen Diuinarum perſonarum myſterium continere, nuperrimè recenſitum eſt; quibus hebræorum traditio ſuffragatur, quam Iacobus de Valentia in pſal. 8. verſ. *Domine Dominus noſter, quàm admirabile eſt nomen tuum*, teſtatam relinquit, dum hanc aſsignat rationem, quare apud hebræos hoc nomen ineffabile haberetur; nimirum ob altiſsimum Trinitatis myſterium, ac Filij Dei Incarnationem, quæ nomen illud complectebatur: quæ Patribus eo vſque incognita

erant

erant; iuxta illud Exod. 6. *Et magnum nomen meum Adbnai non indicaui eis*, vel vt habet lectio hebræa; & in nomine meo Ieoua non ſum cognitus eis. Vbi idem auctor tria addit: & hoc nomine Meſsiam vocandum fore, & huius nominis vim, ac maieſtatem terrarum orbi Meſsiam declaraturam; vnde tàm enixè Meſsiæ aduentum deprecabantur Iſa.64. *Vtinam diſrumperes cælos, & deſcenderes, vt nomen tuum notum fieret*; denique ſolum Meſsiam hoc nomine vocari debere, & induere huius nominis ſubſtantiam, cum Meſſias nihil eſſe deberet, niſi ipſum nomen Dei: vnde Iſai.30. *Ecce nomen Domini venit de longinquo.*

Aliud nomen Mеſsiæ eſt El, Iſai 9. *Et vocabitur nomen eius admirabilis conſiliarius, Deus*: vbi Hebræa habent, El: quod ſi Deus, eum tamen Deus miſſus: ergo indicat Deum mittentem: Deus de Deo, Deus verus de Deo vero.

Nomen quoque Meſsiæ diximus eſſe Sadai, quod ſibi ſufficiens, & omnipotens vertitur: hoc verò Meſsias nomine vocari teſtis Iob. c. 33. *Spiritus Dei fecit me, & ſpiraculum omnipotentis viuificauit me*. Vbi Hebræa: Sadai, ſpiraculum, & animam viuificatricem fore Meſsiam quis non ex effectu approbat, & teſtem ſeſe affert, et experimento non teſtatur? ſpiritum, & animam, & ſanguine, & carne aſſumpta viuificauit, & nouum ſpiritum redemptione ſua attulit. *auferam cor lapidum de carne veſtra, & dabo cor carneum*: ſed ſpiritus ab alio exit: ergo ſi Meſsias quoquomodo anima & ſpiritus, erit Spiritus Patris &c.

Denique omnibus illis locis, quibus textu noſtro latino, Filius, Verbum, genitus, proles, germen, flos, lux, ſapientia, imago, &c. nominatur; perpetuò originem vnde exeat, & per conſequens pluralitatem intrinſecè connotari, omnino neceſſe eſt.

Ex apparitionibus in Scripturis aſſertis, qui quidem quoque locus fæcundiſsimus mehercle eſt, & plurima continet, quibus eadem excelſiſsima veritas, ac fides aſtruatur, illuſtretur, ac perſuadeatur: ac vt prętermittamus quę luce meridiana clariora in Euangelio ſunt, apparitionem nimirum Verbi in carne noſtra in vnione hypoſtatica, de qua D. Paulus *cum benignitas, & humanitas apparuit Saluatoris noſtri Dei*: Ad Titum 3. & Spiritus Sancti in columbę ſpecie, & igneis linguis die ſacerrimo Pentecoſtes: eam quam exempli gratia S. Bon. recolit Abrahæ factam Gen. 18. breui noſtra commentatione perpendamus.

His verbis citato loco facti refertur hiſtoria: celebris certe, & multis obſignata, & Illuſtrata myſterijs. *Apparuit* (Abrahæ) *Dominus in conualle Mambre, ſedenti in oſtio tabernaculi ſui, in ipſo feruore diei, cumque eleuaſſet oculos, apparuerunt ei tres viri, ſtantes prope eum: quos cum vidiſſet, cucurrit in occurſum eorum, de oſtio tabernaculi ſui, & adorauit in terram, & dixit, Domine, ſi inueni gratiam in oculis tuis, ne tranſeas ſeruum tuum; ſed afferam paxillum aquæ, & lauate pedes veſtros, & requieſcite ſub arbore, ponamque buccellam panis, & confortate cor veſtrum, & poſtea tranſibitis*. Vbi multa, eademque ſpectanda, expoſitores animaduertunt adumbrari. Primum autem, quod hic S. Doctor prodit, in vnitate eſſentiæ tres perſonas repræſentari; ſed & celebris, vulgata, & trita ſententia percrebuit ex communi Patrum ſuper hanc viſionem obſeruatione; vt hinc ortum ſit illud huius actionis Abrahæ; tres vidit, & vnum adorauit; quo ideo & Sancta Eccleſia vtitur in ſuis Diuinis officijs, in Quinquageſima pręſertim: neque enim alio modo, hoc Diuinum Myſterium illis temporibus, & apertius palam fieri, & clarius vulgari conueniebat: idque inter alios colligit Rupertus Abbas lib. 5. in Gen. c. vlt. his verbis, *notandum* inquit, *in hac lectione, verba ſecundum numeros variari, & alia ſingulariter dici, alia pluraliter: cuius veritatis hac eſt ratio: vbi dicuntur, vel aguntur quæ ad Deum pertinent, omnia dicuntur ſingulariter: cum enim adorat Abraham, ſingulariter dicit: Domine ſi inueni gratiam in oculis tuis, quia videlicet vnus in tribus perſonis: vbi vero offert Abraham quod non eſt Dei proprium, ſed hoſpitum commune; hoſpitalis dico humanitatis munera, & officia; loquitur pluraliter: lauentur pedes veſtri: requieſcite ſub arbore: confortetur cor veſtrum: vbi bene refecti, & iucundi de Sara interogant, ſcriptum eſt pluraliter: dixerunt, vbi eſt Sara vxor tua? vbi vero mox promittitur, quod dare, vel facere ſolius Dei eſt, ſingulariter ita ſcriptum: reuertens veniam ad te, & habebit Sara filium*. Hæc Rupertus; qui quidem, quo ad ea quæ primo loco ediſſerit de vnitate, & Dei maieſtate repreſentata, didicit ex D. Auguſt. lib. 16. de Ciuit. Dei c. 29. & profectò quo ad myſterium vera: quę vero ſecundo loco, nimis certè cortici litterę adhærentia: ſed verius, ſi ex communi fidelium ſenſu à S. Doctore recenſito, ad in vno Deo tres perſonas recolendas, earumque arcanam veritatem quoquomodo aperiendam. Verum quidem omni proculdubio hos tres viros tres fuiſſe Angelos: id enim apertè docet Moyſis hiſtoria, narrantis hoc cap. eos petijſſe Sodomam, & initio ſequentis cap. eos appellantis Angelos. *venerunt* inquit, *duo Angeli Sodomam veſpere*. Eſſe autem duos ex illis tribus compertiſſimum eſt. Docet idem D. Paulus ad Hebr. 13. illis diſertiſsimis verbis. *Hoſpitalitatem nolite obliuiſci: per hanc enim quidam latuerunt, Angelis hoſpitio receptis*; ad mentem profecto reducens hiſtoriam Lot, & Abraham, Angelos ſub humana ſpecie hoſpitantium: at vero hos Angelos, tres Angelos à Deo miſſos, ad hoc Diuinum ſecretum Diuinarum perſonarum, vt illa temporum ratio requirebat, figurandum; obſeruarunt inter alios S. Aug. 3. de Trinitate in hac apparitione Deum vnum, & Trinum S. Greg. in Io: cap. 8. in illa verba *Abraham exultauit vt videret*, ait, tunc vidiſſe diem, cum in figura Trinitatis tres Angelos recepit hoſpitio: ita quoque Beda, tum ad Diuinæ Incarnationis opus annunciandum, & ferè initiandum in conceptione Iſaac, in quo benedicendæ erant omnes gentes, veluti à quo Chriſti caro tandem oriunda erat; nemo piè ex communi fidelium

Digitized by Google

pietate, & Patrum expoſitione, & traditione negare debet. Et iure quidem merito vtrumque nectitur Sacramentum, & idem ſimul Angeli, & innuunt, & factis produnt: in nullo enim alio fidei myſterio, & Dei veritas, & Trinitatis arcanum æquè elucet, & claret, quàm in Incarnationis opere almo, quod & ſola vnius Dei veri omnipotentia potuit efficere, & in quo & Pater mittens, & Filius miſſus, & Spiritus ſanctus ab vtroque pariter miſſus, & ab ipſo ſolo Filio homine præelbus, & meritis obtentus; & ſubinde totum Trinitatis myſterium, maximè, & peroptimè innotuit; vt ipſi pueruli perdiſcerent apertiſsimè in crucis ſigno proferre, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.

Secundum, quod erga hunc locum omni fere myſterio redundantem vetuſtiſsimi Patres animaduertunt: & eſt, quod vſque ad tempora Philonis, ipſe Philo ſuauiſsima quidem, & vt ſic loquar, exultanti oratione, & conſimili pietate, idem Abrahæ factum, quod tres viderit, & vnum adorauerit, ſibi ob oculos mentis obiectum, perpulchrè ad triplicem Diuinæ naturæ cognitionem, & cultum, accomodauit. prima namque, eademque quæ in Diuinis poſsit inueniri perfectio, qua Deus vt in ſe infinitè bonus, ſapiens, potenſque Deus, infinitèque inde amabilis, & honorabilis, nulla etiam ſi extaret creatura, ſub illa prorſus independenti ratione, qua in Diuinis litteris ſolet appellari à ſe ipſo; ſecūda verò, qua *Qui eſt* vt rerū omnium effector, & creator, & earundem conſeruator, ac præſertim vt hominum conſeruator, & propter beneficia recepta cognoſcitur, & colitur à rationali creatura. Vnde Deus à prouidendo nuncupatur: cultus quidem Dei; tamen adeo inferior ab eo, qui primo loco recenſitus eſt, vt mercenarius potius quàm ingenuus dicere libeat: tertia denique ratio, qua Diuinæ ſeueritatis timore, ſuppliciorumque in delinquentibus vindicta Deus cognoſcitur, ac timetur: quæ verò colendi Deum ratio ita à ſuperioribus decreſcit, vt prima verè filiorum ſincero amore amantium: ſecunda, mercenaria dilectione diligentium: tertia, ſeruorum formidine pœnæ ſeruiētium: vt in prima; Deus quia bonus in ſe: in ſecunda, quia in nos beneficus; in tertia, quia in nos vindex, et iudex colatur.

Tertiū deniq; quod ad mores noſtros, & Patriarchæ Abrahæ commendationem maximè facit: ad hoſpitalitatem hoc eſt huius præclariſsimi viri dignoſcendam, & obſeruandam, & pro virili imitandam, quare de hac S. Paulus ad Hebræos indicato loco, *Hoſpitalitatem nolite obliuiſci: per hanc enim latuerunt quidam, Angelis hoſpitio receptis.* Hic eſt primus diuinarum Litterarum locus, quo hoſpitalitatis virtus commendatur, vt exquiſitæ hoſpitalitatis exemplum, ne dicam exemplar, primo loco erat reponendum; quod quàm verè aſſeratur, ex his colligere conſueuere ſancti Patres, & primò S. Ambroſius lib. 1. de Abraham cap. 5. ex his quę in textu aſſerūtur, Abraham ſediſſe in oſtio tabernaculi ſui, *talis eſt* inquit *hoſpitalitas, vt preſto ſit aduenientibus, & occurrat obuiam, & exploret itinera, & adſit non quærentibus, ſed vt rapiat prætergredientes, ſedebat ante oſtiū tabernaculi ſui in meridie, videlicet quando alij requieſcebant, ille hoſpitium explorabat aduentus: merito illi Deus apparuit ad quercum Mambre, qui fructum hoſpitalitatis ſtudioſiſſimè requirebat*: ſecundò, ex illis verbis *cucurrit in occurſum eorū de oſtio tabernaculi.* Idem S. Ambroſius declarans propenſiſſimam Abrahæ voluntatem, & flagrantiſsimum hoſpitandi deſiderium, inquit. *Non otioſus ſedit in oſtio tabernaculi, ſed longe aſpicit, nec aſpexiſſe contentus, cucurrit obuiam, feſtinauit occurrere; quia non eſt ſatis rectè facere, niſi etiam matures quod facias: diſce ergo quàm impiger eſſe debeas, vt poſſis præuenire hoſpitem, ne quis te præueniat, & te boni muneris defraudet.* tertiò, *adorauit in terram.* vbi, quod non ſolum beneuolus, & affabilis erga peregrinos, ſed etiam reuerens, & venerabundus fuit: ſic verè eum hoſpitibus agendum, in quibus hoſpitatur Chriſtus Dominus; *hoſpes eram, & collegiſtis me.* quartò, *Domine, ſi inueni gratiam in oculis tuis, ne tranſeas ſeruum tuum* D. Chryſoſtomus in Catena Lipomani, *quis pro dignitate laudauerit hunc virum, vel quo pacto eum quis etiam innumeris labijs prædicet? dicere enim (Domine) eſt captantium beneuolentiam: dicere autem ſi inueni gratiam, hoc eſt admirabile, beneficium* inquit, *das, non accipis: vere enim huiuſmodi res eſt hoſpitalitas, quæ magis accipit quàm dat, qui illam promptè, & alacriter exercet*; hæc ille. eadem catena ipſe Lipomanus. *Non poterat ardentius inuitare, loco beneficij magni habiturus, ſi ad eum declinauerint: non dixit ſi laſſi eſtis, ſi pecuniam numerabitis, ſi vultis &c. ſed ſi gratiam veſtram promereri poſſum, ad me declinate.* erat in valle Mambre. S. Auguſtinus ſermone 68. *offert peregrinis hoſpitium, qui non habet tectum, & iam omni hoſpitio viduatus, domicilium, quale neceſſitas procurabat, exhibuit tranſeuntibus.* quintò, *feſtinauit in tabernaculum ad Saram, dixitque accelera, tria ſata ſimilæ commiſce: cucurrit ad armentum, tulit inde optimum vitulum: non ſola facilitas hoſpitij, ſed ſedulitas hoſpitantis requiritur: ſedulus Abraham, ſedula Sara, ſeduli ſerui: ſed qui obtulit panem, obtulit vitulum optimum, & butyrum, & panes, & placentas ex candidiore farina coctas. vbi meliora quæ in domo ſunt, hoſpitibus & pauperibus, veluti Domino tribuenda.* Obtulit quidem panem, tum ex linguæ Hebreæ fraſi, vbi voce panis omne commeſtibile comprehenditur; tum vrbanitatis gratia, pauca & neceſſaria obtulit, ne ad nutriendam carnem, & ventrem implendum eos inuitando, voracitatis nota macularet: charitatis autem, & liberalitatis cauſa eos lautè, & opiparè hoſpitari, & conuiuio conuenire debuit: at hoſpitij mercedem ſtatim, quam differre non paſſus hoſpitalitatis amator Dominus, *Habebit filium Sara vxor tua.* Filium incarnandum, fidei Sanctiſſimæ Trinitatis hoſpitanti arcana pandit Deus.

Hanc vnicam ex multis apparitionem recoluit

S. Doctor

Digitized by Google

S. Doctor ad pluralitatem perſonarum teſtandam: poterat namq; præſertim ex eadem ſacra Geneſi, & illam proponere ac referre, qua vir ille luctabatur cum Iacob tota nocte vſque ad auroræ aſcenſum.

Poterat & illam, qua Geneſis principio apparuit Dominus Adæ deambulans ad meridiem: de prima enim non deſunt grauiſſimi Patres, inter quos S. Hilarius lib. de Synodis, vbi refert canonem 13. Concilij Syrmienſis, & illum virum cum Iacob luctantem fuiſſe Filium Dei aſtruit, de quo nos alio loco, imò ex illis verbis ipſius Iacob Gen. 32. *Vidi Deum facie ad faciem, & ſalua facta eſt anima mea*, idem docent, & teſtantur D. Clemens Romanus lib. 5. Apoſtolic. Conſtitut. cap. 21. Clemens Alex. lib. 1. Pedagog. cap. 7. D. Athanaſius Orat. contra Arianos. D. Cyrillus Alex. lib. 3. Theſauri cap. 1. Euſebius lib. 1. cap. 5. Demonſtrat. Euang. D. Baſilius lib. 2. contra Eunomium. Theodoretus in Gen. quæſt. 90. Tertullianus lib. contra Praxeam c. 14. D. Cyprianus lib 2. contra Iudæos cap. 5. D. Iuſtinus Martyr in Dialogo cum Triphone. D. Ambr. in pſal. 43. & in 1. caput ad Coloſſ. D. Leo primus Epiſt. 3. ad Pulcheriam: de ſecunda autem, idem innuit S. Hilarius 12. de Trinit. illis verbis. *Putaſne deambulantis inceſſum niſi in ſpecie aſſumptæ creationis?* mox poſt pauca intermiſcens alias apparitiones Dei plurimis factas, addit. *Nũquid ſecundum hominem in creationis iſtius habitu Chriſtus talis aſtitit, qualis & Deus eſt?* idem ferè intulit S. Aug. 11. ſuper Geneſim ad litteram: *Nunc tamen* inquit, *qui audierunt vocem Dei deambulantis in Paradiſo ad veſperam, non niſi per creaturam viſibiliter factum eſt, ne ſubſtantia illa inuiſibilis, et vbique tota, quæ eſt Pater, Filius, et Spiritus Sanctus, corporalibus ſenſibus, locali, et corporali motu apparuiſſe credatur.*

Poterat & illam referre Geneſ. 19. vbi duo illi, qui vocantur Angeli, dixerunt, *eo quod increuerit clamor eorum coram Domino, qui miſit nos, vt perdamus illos*, vbi per illam vocem *miſit*, & per inferiora verba in illo cap. 1. verſ. 24. *Dominus pluit ſuper Sodomam, et Gomorrham ſulphur, et ignem à Domino de cælo.* inter multos Patres D. Aug. lib 2. de Trinit. cap. 12. dicit, forte congruentius eſſe, intelligere illos duos viros fuiſſe perſonas Filij, & Spiritus Sancti: miſſos enim inquit, ſe dixerunt, quod de Filio, & Spiritu Sancto dicimus; nam Patrem miſſum nuſquam Scripturarum nobis notitia occurrit.

Poterat & illam proponere, qua Exod. 3. Dominus apparuit Moyſi. *Apparuitque ei Dominus in flamma ignis de medio rubi*; vel vt Pago. legit. *et conſpectus eſt Angelus Domini ei in flamma ignis è medio rubi*, & licet hic nominetur Angelus, qui apparuit; Deum tamen Filium fuiſſe docent, Clemens Romanus indicato loco ſupra. Tertull. lib. contra Iudæos cap. 9. Iuſtinus in eodem Dialogo cum Triphone, & Apolog. 2. pro Chriſtianis. Baſilius lib. 2. contra Eunomium. Hilarius lib. 4. de Trinitate. Euſebius lib. 5. Demonſtrat. Euangel. cap. 11. Chryſoſt. hom. 16. in Acta Apoſt,

Poterat & illam recenſere Daniel. 3. quando deſcendit in fornacem ſimilis Filio Dei, & quando apparuit Nabuc. quod idem eſt, ibi enim apparuiſſe ſecundam perſonam tradiderunt D. Iſidorus lib. 5. contra Iudæos. Tertull. lib: 4. contra Marcionem. D. Ambr. lib. 1. de fide cap. 5. D. Aug. in concion. ad Cathecom. contra Paganos, & alij: & plures aliàs: placuit tamen illam vnicam referre, veluti ſolemniorem, fæcundiorem pro pluribus: neque enim deſunt, qui quoties ſub quacumque ſpecie antiquis temporibus, aut viſus, aut auditus fuerit Dominus, Angelus vocatos ratione officij, & miſſionis, intelligatur Filius, vt obſeruat inter alios idem D. Iſidorus lib. 1. ſententiarum de ſummo bono cap. 10. *Vbicumque in Scripturis pro Deo Angelus ponitur, non Pater, non Spiritus Sanctus, ſed pro Incarnationis diſpenſatione ſolus Filius intelligitur*, & lib. 1. contra Iudæos cap. 1. *Chriſtus in eo quod à Patre genitus eſt, Filius Dei vocatur; in eo quod ſæpè à Patre miſſus ad annuntiandum Patribus legitur, Angelus nominatur?* Atque hæc ferè nouem capita, quot quot innumera loca, quæ pro hac fide vera adduci, & referri poſſent, ſano iudicio exiſtimo fatendum ſufficere; quæ nobis quoque ſufficere debent, ne plura inquirendo, ac conglomerando, dumtaxat implere folia, & opus augere affectare videamur; vt commentatio Diui Doctoris hoc loco ſubſiſtat, nobis inquam vice locorum, quæ in initio capitis colligere promiſeramus. Quæ verò Sanctæ Matris Eccleſiæ dogmata, & in Concilijs plurima decreta; Sanctorum omnium Patrum pro vnanimi fidei huius conſenſu innumera dicta ſolent ex magna peritia à Theologis in medium, & adduci, & propalam fieri. de induſtria ſilentio præmam, cum apud ipſos, eoſdemque permultos facili intuitu perſpici ab vnoquoque poſsit.

CAPVT III.

Quibus rationibus, & quanti roboris hæc fides probetur.

HVius almi, ac Excellentiſſimi dogmatis de ſanctiſsima Trinitate, ſola fide percepti, & Diuina reuelatione traditi, velle rationes quærere, & in eis inquirendis inſudare, iiſque fideles indigere, aut ad acquirendam fidem, aut ad eandem ſtabiliendam, & roborandam; nedum videtur rem improbabilem experiri, ſed eos, qui id conantur, peccatum temeritatis perpetrare, ac contra ſanctorum Patrum præſertim aſſerta, ac inſtituta perfricata fronte ire, ac Diuina floccipẽdentes, eadem lance, tum Diuina, tum phyſica, ac infirma ratione materiata ponderare: Diuus enim Anſelmus lib. de Incarnat. cap. 2. in principio; *Qui nefanda temeritate audent diſputare contra aliquid eorum, quæ fides Chriſtiana confitetur, quoniam et intellectu capere nequeunt, et in ſequenti ſuperbia nullatenus poſſe eſſe quod intelligere*

gere

Digitized by Google

gere nequeunt, quàm humili ſapientia fateantur eſſe multa, quæ ipſi non valeant comprehendere. vbi is piiſsimus, idemque doctiſsimus Pater acerrimis verbis videtur in rebus fidei prohibere rationes; quinimo D. Ambr. tract. in Symbolum Apoſtol. cap. 10. pàucis quidem, ſed ſapientiſsimis verbis quærere rationes in rebus fidei, iiſdem in hæreſi præcipitium fore: *fides* inquit, *non ſit in hominum ſapientia, et non erit hæreſis.* Quod idem fuſiori ſermone eodem zelo magnus Athanaſ. Orat. quod vnus eſt Chriſtus; *dum rationibus* inquit, *humanis, contentionibuſque, ac philoſophia ethnica, magna, & incomprehenſibilia apprehendere conantur; iſtiuſmodi diſputationibus ad infidelitatem abrupti ſunt*: Idem de Incarnat. Verbi contra Paulum Samoſatenum, de eadem re grauiùs agens, quod inde fieri ſolet, vt hi, quibus tenues vires in cognoſcendo ſunt, in ruinam trahantur, niſi perſuaſum ſit, vt in fide permaneant, & curioſas quæſtiones auerſentur. Quid igitur pro fide tenenda, vel tuenda quærere rationes, ſi quærentem amittendæ fidei certo exponunt periculo? Idipſum inſinuat ſolius rectæ rationis dictamen, vt ipſe Plato in Timæo elegatiſsimè de ſimili themate ſic diſſeruerit. *De Dijs, mundique generatione, quamuis rationes probatiſsimæ exactiſsimaque haberi non poſsint; æquum tamen eſt meminiſſe nos homines eſſe, vt ſi probabilia dicantur, nihil vlterius ſit requirendum; cum de his loqui maius ſit opus, quàm ferre noſtrum valeat ingenium; ac proinde priſcis viris hac in re credendum; fidemque eorum auctoritati præſtandam.* Quid clarius? quid elegantius? quid pro re, de qua dubitamus, videtur rationabilius aſſertum? vnde mirè ex his Theodoretus lib. 1. de Græcanicis affectionibus curandis, arguit: *Si Plato nugacibus Poetis obſcenitatum fabulas effingentibus iubet haberi fidem, nullamque ab eis exigi probationem; multo Sanctius eſt, ac iuſtius Diuinis Apoſtolis, ac prophetis credere qui nihil turpe, nihil fabuloſum, nihil incredibile afferunt, ſed quæ digna Deo, quæ ſalutaria ſunt tradunt.* Quid? nonne D. Paulus hortatur 1. Corinth. 2. vt fides noſtra, non in ſapientia hominum, ſed in virtute Dei ſit? vt quid ergo de fide noſtra conamur quærere rationes? cum, tum fidei officere, tum fidem dictantis auctoritati derogare videantur: idque præſertim in Sanctiſsimæ Trinitatis myſterio; quod præ cæteris omnem humanum captum ſuperuolat, obſeruandum videtur.

At verò, tota ergo Theologorum cohors non tantum, ſed etiam Patrum, à certa ſemper ratione aberrauit? & inofficioſa fidei præſtitit obſequia? & inutiliter, ac incaſſum laborauit tot fidei noſtræ colligere rationes? & per tot conatus, vt quàm rationi conformis ſit, præclariſsimi, iidemque Sanctiſsimi viri plurimum deſudarunt fruſtra? nequaquam mehercle. Quod eo euidentius erit conſpicuum, ſi pro fide noſtra Doctores ad quem finem afferant rationes, eaſque tanta ſedulitate, & ſolertia multiplicent, animaduertamus.

D. Pater Aug. lib. 1. de Trinit. cap. 1. *Suſcipimus* inquit, *& eam ipſam, quam flagitant hæretici, reddere rationem, quod Trinitas ſit vnus Deus, & ſolus, & quàm rectè Pater, & Filius, & ſpiritus Sanctus vnius, eiuſdemque ſubſtantiæ vel eſſentiæ, dicatur, credatur, intelligatur.* Quod ergo ſuſcipit tanta pietate, & pollicetur præſtare, præſtandi ius honeſtiſsimum eſſe, non eſſe debet ambigendi vllus relictus locus.

Angelicus S. Thomas aurea illa ſumma contra gentes lib. 1. cap. 2. hæc Dei auxilio fretus pro catholica fide, in cuius ſolius tuitionem magnum illud eſt molitus, & conſtruxit opus, ſeſe offert potiſsimum diſtinctè exequi, ac proponit. *Noſtræ* inquit, *intentionis propoſitum, veritatem, quam fides Catholica profitetur, pro modulo noſtro manifeſtare, errores eliminando contrarios.* mox, *quia quidam aduerſariorum, vt Maumetiſtæ, et Pagani, non conueniunt nobiſcum in auctoritate alicuius Scripturæ, per quam poſsint conuinci etc. neceſſe eſt ad rationem naturalem recurrere, cui omnes aſſentire coguntur; quæ tamen in rebus Diuinis deficiens eſt. Simul autem veritatem aliquam inueſtigantes, oſtendemus, qui errores per eam excludantur, et quomodo demonſtratiua veritas fidei Chriſtianæ Religioni concordet.* Ergo S. Thomas ſpondet pro fide ita arguere, vt & repellat errores oppoſitos, & vt quàm rectæ rationi arrideat, & conſona ſit noſtra Religio conſtet. Omnes denique Theologi Magiſtrum ſequuti vniuerſæ Theologiæ, Deum, Deique res reuelatas, tamen per rationes intelligibiles, conſtituunt ſubiectum. Incumbit ergo omnibus Theologis pro Dei fide arguere. Vtilis igitur, honeſta, ac perneceſſaria eſt res in Eccleſia, de fide quærere, reddere rationes, pro fidei veritate Syllogizare, fidei aduerſariorum machinamenta, technas, ſtrophos, ac captioſas argumentationes labefactare, & in nihilum ſoluere; ita ab initio fidei Euangelij ſtatuente Beatiſsimo Chriſti Vicario, totiuſque Catholici gregis Paſtore Petro epiſt. 1. cap. 3. *Parati ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti vos rationem de ea, quæ in vobis eſt ſpe.* Et certe valde rationi conſonum: omnis enim humana lex, ceu pro anima rationem habet, vnde amplectenda, & obſeruanda cenſeatur; quo canonicum, & legale ortum prouerbium tritum; *Cum ratio ſit anima legis.* Eatenus ſiquidem omnium Doctorũ conſenſu lex dirigendi, & coercendi vim obtinet, quatenus rationi æquitatis conſentanea eſt. Lex verò quæ inter, & ſupra omnes humanas præſtantiſsima longe eſt, ſcilicet Diuina, ſuis carebit rationibus, nullæque extabunt, quibus perſuaderi, mulcerique poterit ſuſceptiua hominis mens, cui proprium eſt rationibus duci? ergo ſi lex Euangelij rationabilis eſt, rationibus perſuadenda, & ſuſtinenda.

Noſtri verò muneris in præſentiarum eſt, cuius vis & ponderis rationes, & quotuplicis rationis tum ſint, tum eſſe poſſint, quæ à Theologo pro Theologia, ac præſertim pro ſumma totius Theologiæ re Sanctiſsimæ Trinitatis demonſtrare: quod vt recta ratione, & conſentaneè faciam; non teneor (mea quidem ſententia) hic illam ſol-

uere

Digitized by Google

nere dubitationem; an de eodem obiecto ſimul repugnet concedere fidem, & ſcientiam; tum quia hic ad vniuerſam Theologiam non præludo; tum quia illius diſputationis non eſt hic ſenſus: nam ſuppoſita fide, quæro, deturne locus rationi ad eam perſuadendam, vel nutriendam; tum quia ſupra diſputat. 1. de re hac ſufficientia tradidi; tum denique, quia ad propoſitum noſtrum indiuiduum inutile eſſet: certo enim certius communi ſententia eſt de Sanctiſſima Trinitate non eſſe ſcientiam: omnem ſiquidem captum creatum effugit hæc eminentiſſima veritas; vt eam nemo nouerit, aut noſſe poſſit, niſi cui voluerit filius reuelare.

Hinc obſeruandum, quod nulla confici, aut in medium proferri poteſt ratio, quæ demonſtrandi vim habeat, in vna numero eſſentia plures numero perſonas exiſtere: Omnium Theologorum vnanime aſſertum eſt, quod S. Thomas 1. par. quæſt. 32. & contra gentes hic capitibus commemoratis. D. Bonauentura diſt. 3. quæſt. 4. & reliqui in Magiſtrum poſuere, quod quæſt. 1. ſatis luculenter cenſeo quæſitum, & expoſitum: & probatur.

Primò, omnis ratio, quæ poſſet hic efformari, aut à priori, aut à poſteriori efformanda eſſet neceſſariò: quod verò neutro modo fieri poſſit, ſic oſtenditur. Non quidem à priori, vtpote per cauſam; quia Sanctiſſimæ Trinitatis, cum omnium ſit cauſa, nulla poteſt concedi cauſa: & quamuis Diuina eſſentia pullulet, vt aiunt, relationes, & ſuo modo ſit Diuinarum emanationum principium quo: ex eo tamen lumen naturale non poteſt demonſtrare perſonarum pluralitatem: quia id niſi per fidem nobis conſtat: & hinc ſecundò, Principia demonſtrationis ſunt euidentia, principium verò huius cognitionis de Sanctiſſima Trinitate eſt ineuidens, & creditum: ergo.

Neque à poſteriori: non enim in rebus creatis vllum ſimile inuenitur, quod in vna numero natura plura ſint realiter diſtincta ſuppoſita: neque omnia creata, niſi vnum Deum vt vnum, vnicam habentem ad extra principiandi præſeferunt notionem, & vim, & repræſentant. Sic D. Thomas. *Deus* inquit, *in ſe ipſo, et per propriam ſpeciem à nobis naturaliter cognoſci non poteſt: quare ſi cognoſci debet, naturaliter id ſiet ex effectibus, et creaturis, vt habet S. Paulus ad Roman. 1. Inuiſibilia Dei, à creatura mundi per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur.* Sed per effectus creatos non ducimur in cognitionem Dei, vt trinus eſt: ergo à poſteriori non poteſt demonſtrari de Deo Trinitas; ratio eſt, quia effectus creati non proueniunt à Deo formaliter vt trinus, ſed vt vnus. Idem S. Bonauentura, & reliqui Theologi.

Quod ſi quis opponat. In omnibus rebus, teſte D. Aug. 7. de Trinit. cap. 10. eſt veſtigium Sanctiſsimæ Trinitatis; deinde in homine, non ſolum veſtigium, ſed imago eiuſdem Trinitatis. Gen. 1. *faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram*: ergo ex cognitione creaturarum, & præſertim ex homine, ducimur in cognitionem Sanctiſsimæ Trinitatis: veſtigium enim, & multo melius imago, dirigunt in id, cuius ſunt veſtigium, & imago.

Reſp. In rebus creatis nullum huiuſmodi veſtigium Trinitatis inuenitur vnde poſsit Trinitas cognoſci, niſi per reuelationem prius cognita ſit; ſed dicitur eſſe veſtigium Trinitatis, quod in eis reluceant maximè tria attributa, Potentia, Sapientia, & Bonitas; attributa quidem, tamen eſſentialia, non proprietates perſonales: licet poſtea per reuelationem huius myſterij aptata ſint tribus perſonis, nimirum Potentia Patri, Sapientia Filio, Bonitas Spiritui ſancto; illis rationibus ſuo loco relatis. Idem multo magis reſpondendum eſt de imagine in creatura rationali, vt inter alios S. Bonauentura, Riccardus, & Scotus teſtantur: eadem enim fide reuelatũ eſt nobis, animam eſſe ad imaginem Sanctiſsimæ Trinitatis, qua Trinitatem exiſtere, & reuelatum indicato loco Geneſ. 1. Neque deinde in homine eſt adeo expreſſa imago Trinitatis, vt ſola ſufficiat deducere intellectum in cognitionem ſufficientem ipſius Trinitatis; id egregiè D. Aug. lib. 5. de Trinit. cap. 6. in fine, reddens ex multiplici differentia imaginis noſtræ ad veram Sanctiſsimam Trinitatẽ egregias rationes. Quare vox hebræa Imaginis ſignificat vmbram tenuem ex illo loco pſal. 38. *In imagine pertranſit homo*. Neque omnes ſancti Patres eodem modo explicant hanc imaginis Dei in homine rationem: D. enim Damaſc. lib. 2. de fide cap. 12. vult hominem eſſe imaginem Dei ratione liberi arbitrij: alij ratione intellectus: alij ratione immortalitatis &c. quæ non poſſunt deducere in cognitionem Trinitatis perſonarum, ſed potius vnius naturæ Diuinæ. Qui verò hominem eſſe imaginem Trinitatis aſſerunt, id aſſerere non poſſunt, vt ea perfectione imago hæc inueniatur, vt deſeruire ſufficienter poſsit ad inueſtigandam Trinitatem, ſed ad eam per fidem prius cognitam, quoquomodo duntaxat apprehendendam, & explicandam.

Præterea, aliam ad idem conſtruo argumentationem. Euidens, & ineuidens ſunt ex ſua propria formali ratione oppoſita, & proinde ſimul incompoſsibilia; ſed Sanctiſsimæ Trinitatis cognitio ineuidens eſt, & fidei, quæ eſt argumentũ non apparentium: ſcibile verò per demonſtrationem omnino eſt euidens, ex Ariſt. 2. Poſt. & ex definitione ſcientiæ propriè ſumptæ: ergo de ſanctiſsima Trinitate, non poteſt ratio demonſtratiua haberi in hoc viatorum ſtatu.

Secundò tamen obſeruandum. Quamuis quæ hic adducuntur rationes, non euidenter demonſtrent; poſſunt tamen vehementer vrgere, & ſuo modo neceſſariæ nuncupari, idque hiſce rationibus. Prima, quia de obiecto omnino ſimpliciter, & omni ex capite longe ſuper omne aliud ens neceſſario, de Diuino ſcilicet; deque Diuinis ad intra emanationibus, adeo Deo intrinſecis, vt ſine illis non eſſet Deus: Secunda ex lumine quo nobis innoteſcunt hæc Diuina aſſerta, nimirum Diuino, & fidei; quo ideo euidentiam, & proinde rigoroſam ſcientiæ rationem non obtinent, eo prorſus vlla abſque dubitatione certiora, & ex fi-

dei

dei principijs ſtabiliora, quàm ſi ex lumine rationis euidentia, vt nemini liceat dubitare: cum præſertim euidentia concluſioni certitudinem non augeat, ſed potius certitudinis ſit ſignum: fides verò quo ineuidentior, eo certior, & ex ineuidentia certitudo augetur, & omnis allucinationis intellectus creati ex natura mendacis, ſcilicet deceptibilis, periculum præcluditur. Et præterea fidei lumen ſuperioris ordinis, & ſubinde excellentioris perfectionis, ac inde in intellectus illuſtratione efficacius. Ac denique ſi Theologica principia euidentia carent; euidenter tamen credibilia ſunt ex his omnibus, quibus noſtra fides orta, aucta, & confirmata fuit: vnde apprimè Dauid pſal. 92. *Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis*. Ex Deo reuelante, cui mentiri, ac decipere repugnat; & inde ex fidei ratione, cui ſubeſse falſum contradicit. Ex antiquitate, & longe, lateque diffuſa per orbem terrarum vniuerſum, vnanimique conſenſu ab omnibus, diuturnis, perpetuiſque nulla interpoſita intercapedine, recepta veritate; vnde rectiſſimè catholica nuncupatur. Ex intrinſeca ipſius fidei, ac doctrinæ reuelatæ rectitudine, vnde orthodoxæ glorioſum refert nomen. Ex Magiſtrorum probitate, ac Sanctitate. Ex effuſi ſanguinis innumerabilium Martyrum magnitudine immenſa. Ex prodigioſis poſtremo, ac præcellentiſsimis, omnem creatam vim excedentibus, innumeris miraculis. Ex exterorum, ac aduerſariorum certis, & toties repetitis confeſsionibus, ipſis dæmonibus clamantibus &c. Quare non abſonè Illuſtris nominis Doctores nonnulli multas Theologicas rationes ex hoc capite dixerunt neceſſarias; licet ex alio capite in ratione inferendi, nec neceſſariæ, neque aliquando admodum perſuadentes, in rebus maximè abſconditis creatam capacitatem ſupergredientibus, vt infra.

Tertium obſeruandum. Non cuilibet hominum ſectæ eadem, & docendi, & perſuadendi ſanctiſsimæ Trinitatis fidem, ac credulitatem, adhibenda eſt ratio, & rationis ſpecies. Eſt omnium, quibus hoc in mentem venerit, Theologorum aſſertum: & tradit S. Thomas cap. 3. indicato ſupra primi contra gentes, & teſtatur rei, tum euentus, tum recta & meditata ratio, & gentium conditio, neceſsitas, & ſtatus; & probatur. Homines omnes, qui audire, & percipere poſsint hoc Trinitatis dogma, in geminum ſtatum neceſſariò diuidendi ſunt; vt alij quidem iam fidem baptiſmo infuſam receperint; rationem tamen, aut inſtructionem ſanctæ fidei non audierint adhuc, aut per oppoſitam hæreſim amiſerint: alij verò, nec fidem habuerint, nec audierint; vel, ſi audierint, ſemper reluctati ſint, & reſtiterint, & aures obſtructas, & cor clauſum, ac conſtipatum, ſemper dictante peruerſiſsimo dæmone, cuſtodierint; vt quidam negatiuè, quidam priuatiuè, ac prauè diſpoſiti erga fidem hanc ſe habuerint. Hi verò, aut omnino Ethnici, ac infideles idololatræ gentes, quæ, nec vllas audierunt ex noſtris Scripturas, nec ſubinde vllis adhæreſcunt, vllamque adhibent fidem, & in craſſiſsima quadam prodigioſæ infidelitatis obſcuritate verſantur ſine Deo: aut hebræi, qui dumtaxat veteris teſtamenti codicibus obligati, tenacique glutino glutinati, ipſiuſque tantum cortici, ac Rabbinorum mendacijs, & delirijs decepti, & obcæcati, nullam proinde noui teſtamenti admittunt, aut audire dignantur veritatem; ſed imò ſubſannant, derident, ac deteſtantur: aut denique hæretici, qui ſemel ebibitam fidem euomerunt, ac peſtilens erroris venenum exhaurientes, torpidi, ac tumefacti, à fidei retinaculis apoſtatantes, contra fidem debacchantes; tamen fidei ſcripturam omnem retinere profeſsi ſunt. Quo circa, quemadmodum diuerſis morbis ex medicorum decretis diuerſæ medicinæ exhibendæ, & varijs egeſtatibus preſsi varijs ſuffragijs ſubleuandi; conſimili ratione, qui diuerſis, & varijs erroribus detinentur, & varijs principijs innituntur, aut prolapſi ſunt; ijs diuerſimodè occurrendum, & ſuccurrendum, & ijſdem tantum principijs, quibus conuenimus commiſerando vtendum; & res tanti ponderis agenda, vt penes ipſorum captum ſit procedendum.

Quare cum infidelibus triplici via gradiendum. Prima ex D. Thomæ indicato loco, vt nihil continere fidem noſtram, nedum contra rationem rectam, ſed quod non ſit ei conforme, & valde conſonum; licet eius capacitatem excedat, oſtendatur; hac potiſsimum ratione, quæ eſt Sancti Thomæ cap. 7. recenſiti libri contra gentes, quam contra Robertum Olchot etiam ſupra indicauimus. Ea, quæ rationi ſunt inſita, neceſſariò ſunt vera, adeò vt impoſsibile ſit eſſe falſa: & ea pariformiter, quæ Diuinitus fide reuelantur, ita vera ſunt, vt quemadmodum Deum mentiri poſſe, reclamat omnis ratio; ſic quoque fidei ab eo reuelatæ ſubeſſe falſum; ſed verum vero contradicere non poteſt, imò mirè conſentaneum perpetuò eſt: ergo quæ docet fides, non ſunt rectæ rationi contraria. Idque multis alijs rationibus confirmat, quibus deducit, ex nullo principio ab aduerſario fiere poteſt argumentum, quod neque vllam demonſtrationis ſpeciem habeat contra fidem, quodque facili negocio ſolui non poſsit. Quare Sanctiſsimæ Trinitatis veritas, quamuis lumine tantum naturali menti humanæ non fulgeat, neque innoteſcat; neque tamen, aut contraria ratio deuincit, aut impoſsibilem eſſe hanc veritatem demonſtrare poteſt: vnde Theologus cum infideli, hoc myſterium non eſſe impoſsibile argumentis poteſt demonſtrare; quod in hac, quam verſamus quæſt. egregiè Sanctum Bonauenturam præſtitiſſe obſeruauimus, & quod Scotus diſt. 2. quæſt. 4. pro virili conatur.

Primò. Quando aliquid de ſua ratione formali eſt principium productiuum ſufficiens, in quocumque reperitur, dummodo non ſit ibidem cum imperfectione, nec ibi ab alio communicatum, ſed ſit in eo à ſe; in eo eſt principium productiuum; ſed intellectus habens obiectum actu intelligibile ſibi præſens, ex ſua ratione formali eſt principium productiuum notitiæ genitæ: ergo in quocumque ente reperitur intellectus à ſe, & ſine imperfectione, habens obiectum actu intelligibile,

erit

erit principium productiuum notitiæ genitæ ſecundum ſuæ virtutis proportionem: ſed in Deo eſt intellectus hoc præciſo modo perfectiſsimè: ergo eſt ibi principium producens ſecundum omnem ſuam virtutem: ergo ibi productio, ac perſonalitas realis. Plura verò circa hanc rationem congerit Scotus; & opponit, vt eam magis probet, ac confirmet.

Secundò. Obiectum præſens intellectui, ſcilicet memoriæ, gignit ſeipſum, vt experientia in nobis, nobis conſtat; idque eò modo, quo ibi adeſt, vt ſi perfectè, perfectè quoque gignat, ſi imperfectè, imperfectè pariter producat: ſed Diuina eſſentia perfectiſsima perfectiſsimo modo eſt præſens, intimaque, actu intelligibilis, intellectui & memoriæ Patris: ergo ibi perfectiſsimam gignit notitiam; ergo &c.

Tertiò. Omne perfectè producens, eſt neceſſariò producens; ſed Deus eſt perfectiſsimum producens: ergo neceſſariò; non ad extra, vt patet: ergo ad intra. Maior eſt certa, quia perfectius eſt agens, quod ex intrinſeca, & ſibi natiua perfectione agit, quàm quod alio modo. Minor eſt euidens. Concluſio quoque probatur, tum ex illatione, tum, cum Deus ſit primum agens, ei competit prima ratio agendi, quæ eſt naturalis.

Quartò. Relationes oppoſitæ, quæ ſunt de ſecundo modo relatiuorum, poſſunt competere eidem naturæ limitatæ: & probatur. Motiuum, & mobile ſunt iſtius ordinis relatiuorum, & inueniuntur in anima; quatenus enim ſeipſam mouet, & motiuum, & mobile ſimul complectitur, & ipſi verè competit; ſed producens, & productum, generans, & genitum, & vt clarius loquar, Pater, & Filius ſunt eiuſdem ordinis ſecundi: ergo competere poterunt multo magis naturæ illimitatæ, in eaque erunt compoſsibiles. Minor eſt apertiſsima Ariſt. 5. Methaph. cap. de Ad aliquid: quippequi ſecundi huius modi relatiuorum amplioris explicationis gratia exempla tradens, Patris, & Filij exemplum proponit.

Neque labefactare quod aſſeritur poteſt; hæc magis in eadem natura repugnare, ſcilicet Patrem, & Filium, quàm motiuum, & mobile; obuia namque adeſt reſponſio, eademque triplex: altera, licet per aliquem gradum euadat difficilior; eandem tamen non egreditur ſpeciem: altera, ex tali natura, in qua infinita ſcilicet ſimpliciſsima, infiniteque vndequaque perfecta: tertia denique, quia huiuſmodi relatiuorum oppoſitio nullam inuoluit contradictionem in eadem natura: quemadmodum enim motiuum, & mobile, experientia conuincente, abſque repugnantia in vna reperiuntur anima; eadem ratione, & iſthæc reperiri poterunt, cum eadem omnium conſimilium relatiuorum æqualis ſit oppoſitio.

Sed hinc non aſpernanda exoritur dubitatio. Si his, ac conſimilibus argumentationibus demonſtrare myſterium hoc non eſſe impoſsibile, poteſtas erit; quare hucuſque per vllum quem ſciam Doctorem, adhuc non eſt demonſtratum, inuentumque demonſtrandi medium? Item ſi demonſtrari poteſt non eſſe impoſsibile, ſimul poſsibile eſſe demõſtrabitur; ſed cum ex Ariſt. idem ſit poſſe eſſe, & actu eſſe in ſempiternis, qui demonſtraret huius myſterij poſsibilitatem, eodem & exiſtentiam demõſtraret; quod tamen fieri non poſſe certiſsimum apud omnes eſt, & ſupra pluribus locis aſſertum, & explicatum. Reſpondendum, & erit

Secunda ex tribus vijs, quibus pugnandum de re hac cum infideli, negatiuè ſcilicet; ſoluendo rationes omnes, quæ contra fieri, ac effingi à quocumque aduerſario poſſunt; quod cap. 2. ſpondet S. Thomas, ſe contra omnem fidei impugnationem omni labore poſthabito præſtiturum, quodque & capite 7. pluribus confirmauit, & à nobis nuperrimè deductum, non difficili negocio præſtari poteſt; nullamque demonſtrationem contra hanc veritatem poſſibilem eſſe, nec conſequenter inſolubilem: idque ex gemino capite inter plurima alia perſuaderi poteſt, hac neceſſariò data hypoteſi: naturam ſcilicet Diuinam eſſe infinitam; quam ideo quomodo in ſe ſit, nullus creatus intellectus ſua cognitione aſſequi poteſt: quare omnis difficultas, omneque impedimentum, quod ad hoc myſterium apprahendendum inſurgere poſſit, cum à creatura neceſſariò oriatur, quod in ea ſcilicet huiuſmodi non inueniatur, imò oppoſitum reperiatur; vbicumque enim ſuppoſitorum pluralitas inuenitur, naturæ quoque, & eſſentiæ eadem pluralitas reperitur; ſed hanc non eſſe rationi conſonam conſecutionem: in creaturis non inuenitur in vna numero natura multiplex ſuppoſitum: ergo neque in Diuinis, cum inter naturam infinitam, & finitam nulla ſit proportio, cumque infinita ſit Diuina natura, vt aſſeritur; ſicut eam comprehendere non poſſit, non poterit neque negare, quod hoc, vel alio modo exiſtat. Deinde cum itidem ſit omnino infinita, non poteſt ei negare aliquam ineſſe fœcunditatem, & potentiam ad aliquid in ſe infinitum producendum; eo præſertim, quo in vnaquaque creatura, præcipuè rationali, ſit ſua, ac ſibi decens producendi, ſeſeque communicandi vis: quod ſi non omnino ſimilis in ſe inuenitur, neque tantæ perfectionis; id faceſſere negocium nullatenus debet in Deo, propter infinitam ſuam perfectionem, vt in præſentiarum dicebatur.

Sed ad formam dubitationis obiectæ diſtinctè occurrendum, & ad primam partem, negandum, naturali ratione, excluſa fide, oſtendi poſſe hoc myſterium non eſſe impoſsibile, ac verè demonſtrari; licet enim hoc myſterium non ſit contra rationem naturalem; eſt tamen ſupra rationem: vnde fit, vt naturali ratione non poſsit oſtendi demonſtratiuè, eſſe poſsibile, vel impoſsibile. Non poſsibile, quidem, quia ſuperat rationem naturalem. Non impoſsibile, quia ſicuti non eſt impoſsibile, ità demonſtrari non poteſt: quod enim non eſt, demonſtrabile non eſt. Proinde ad ſecundam partem iterum reſpondetur eadem reſponſione, probari non poſſe, eſſe poſsibile, vel impoſsibile, quia ſupra rationem, & præcipuè non impoſsibile; nam cum verum vero repugnare non poſsit, ſicuti à parte rei ſupra rationem verum ſit hoc myſterium; nulla ratione eius oppoſitum verum eſt, quod non ſit, vel impoſsibibile ſic eſſe.

Quod

Quod ſi opponas. Si ſoluere poſſumus omnia argumenta, quæ fiunt in contrarium: ergo poſſumus oſtendere non eſſe impoſsibile, neque contradictionem inuoluere. Reſpon. Argumentum aliquod duplici via poſſe ſolui: prima, oſtendendo principium aliquod in ipſo aſſumptum eſſe manifeſtè falſum: ſecunda, non ſatis illud principium probari: prima via ſola ratione naturali non poteſt omne argumentum ſolui, ratione ſupra indicata: ſicuti enim non poteſt ſola ratione naturali veritas, & poſsibilitas huius myſterij demonſtrari; ita neque eius impoſsibilitas, aut falſitas principiorum illi repugnantium: ſolui tamen poteſt negatiuè, negando ſcilicet principia huic myſterio oppoſita, quæ nunquam ſufficienter probantur, aut demonſtrantur: ſunt enim falſa, & contraria myſterio vero: ſic ſoluuntur omnia argumenta contra myſteria fidei ſupernaturalia, & ſic ſufficit, non quidem ad euidenter demonſtrandum eſſe poſsibilia, & vera, ſed ad defendendum &c.

Tertia denique via. Oſtendendum infideli fidem noſtram eſſe adeo veram, ac certam, adeo piam, & omni ratione conſentaneam, eamque ſolidis fundamentis niti, totque ſignis, ac prodigijs firmatam, ac roboratam; vt facta ſit omni ex capite euidenter credibilis, & ſecundum prudentem rationem credenda: quod enim docuit, nobiſque non dedignatus eſt reuelare ille Deus, qui ſecundum omnem hominum ſenſum, qui rationem naturalem complectuntur, eſt infinitè perfectus, ac verax, vt mentiri, aut decipere non poſsit: quare ergo non credendum ei, & libenti animo non amplectendum? quod omnes prudentes, ac omni ſapientia imbuti viri, quod vniuerſus amplexatus eſt hominum cætus, quod iuſtorum hominum teſtantur innumera dicta ac teſtimonia, quod ſapientiſsimi Doctores innumeris, immenſiſque voluminibus tradiderunt, explicarunt, & ſuſtinuerunt, quod generoſi, ac maxima virtute, ac fortitudine præditi viri coram Regibus, & Imperatoribus toties infinito apertis, & Theatris, & Amphitheatris ſpectante populo, vſque ad ſanguinis acerbiſſimam effuſionem, corporum dilaniationem, capitum obtruncationem, prædicarunt, & docuerunt; Quod tandem tot miraculis obſignatum, quod nullo ex capite rationi rectæ repugnat, quod illa continetur; ac præcipitur lege, quæ omnia reliqua. quæ tradit, præcipit, & profitetur, recta, honeſta, & vtilia, & omni iuri, & rationi conſentanea.

Quod ſi ideo quis hanc non ſe recipere fidem dicat, quia eam non capit, nec aſſequitur; credendum Deo reuelanti optimo maximo, tot Sanctiſsimis viris teſtantibus: ſi turpiſsimis viris, fabuloſis Poetis tot edita mendacia, ab huius ſæculi philoſophis tot peruerſa dogmata recepta ſunt, ac typis obſignata marmoreis, æneiſque tabulis ſculpta; cur hæc fides à Deo tradita non erit recipienda? ſi omnem ſuperuolat captum humanum hoc Diuinum dogma: quid igitur audes impugnare quod non capis? quodnam vllius efficacitatis argumentum effici poterit, ſi neque ab effectu, neque à cauſa, quæ ignoratur, medium illud inueniri poteſt? ab effectu ſi quidem, tum quia nulla inter ipſum, & Deum proportio, tum quia potius inde oppoſitum coniectare licet, cum in homine ſit aliqua imago Sanctiſsimæ Trinitatis, quam Theologus infideli explicare potetit: à cauſa vero, ſi myſterium ignoratur, non poterit vllum argumentum deduci huic veritati contrarium &c. quod ſi ſuperat omnem captum; capi tamen quoquomodo, & intelligi poteſt contradictionem non inuoluere, eo modo, quo ſupra explicatum eſt.

Aut enim ſi vlla repugnantia oriri poſſet, orir etur, vel ratione generationis, qua communicatur natura, vel ratione naturæ, quæ communicatur, vel ratione modi, quo communicatur, vel denique ratione perſonæ, cui communicatur; ſed nullis ex his capitibus oriri poteſt: & probatur.

Primò, hoc fundamento poſito à Lateranenſi Concilio definito. Multa quidem eſſe in noſtra fide, ſupra, nihil tamen contra naturam: ſequitur enim nihil repugnare: deinde diſtinctè, & ad primum, ratione generationis nihil poteſt eſſe contradictorium: licet enim in ijs inferioribus generationibus multa imperfecta inuoluantur, quæ Diuinæ perfectioni repugnant, vt ſuo loco deductum eſt; neque tamen hoc impedit generationem in Deo, tum quia ibi ponitur ſecluſa omni imperfectione, tum quia de ratione generationis eſt ſecundum proprium conceptum, vt ſit ortus, ſeu egreſſus vnius ab altero ſecundum naturæ communicationem, ac proinde ſecundum ſe abſtrahit ab omni mutatione.

Neque ratione naturæ poteſt vlla reperiri contradictio: ſi enim vlla eſſet, hæc foret, quod vna numero natura non videtur eſſe poſſe in pluribus ſuppoſitis; ſed hæc nulla eſt: quod enim in humanis, & creatis ſit, vt natura indiuidua alteri communicari non poſsit; id accidit, non quia indiuidua; ſed quia limitata, & finita eſt: natura enim ſpecifica ideo communicabilis eſt multis, quia vt ſic eſt ſuo modo infinita: ergo Diuina eſſentia, cum ſit, & indiuidua, & illimitata, & infinita, non repugnat vt communicetur alteri, non communicato ſuppoſito incommunicabili eam habente.

Neque tertiò ratione modi, quo communicatur hæc natura, ſcilicet per actus immanentes intellectus, & voluntatis, vllum impedimentum fingi poteſt: licet enim in humanis actio immanens ſit ſterilis, ſola verò tranſiens productiua, & idem cum termino; id non impedit in Diuinis, vt ſuo loco ſatis oſtenſum eſt: ſicut enim Diuina eſſentia vna æquiualet tamen rebus omnibus creatis, & cõtinet omnium perfectiones, ſic vnica Dei actio immanens: quo fit, quia actio Dei Patris generantis Diuina eſt, erit idem cum natura; quia immanens, idem cum ſuo principio; quia perfectiſſima, erit producens ſuum terminum, & ille terminus erit idem cum producente in natura: ergo eadem natura erit in Patre, qui eſt principium generationis, cum natura Filij, qui eſt terminus eiuſdẽ: & idem aſſerẽdum eſt de ſpiratione Spiritus Sãcti.

Neque

Neque denique ratione ſuppoſitorum, quibus hæc natura communicatur, interuenire poteſt vlla contradictio: ſi enim vlla adeſſet, aut quia aſſeritur multiplicari ſuppoſita non multiplicata natura, aut quia communicatur natura non communicato ſuppoſito; eo præſertim, quia ſuppoſitum neque formaliter differt à natura, aut denique quia non videtur intelligibile, perſonas idem cum natura omnino; quomodo tamen ad inuicem realiter diſtinguantur: ſed neque hæc obſtant. Non primum: natura enim Diuina, licet communicabilis, non tamen multiplicabilis, vt docebat D.Bonauentura, quia infinita, & infinitè ſimplex: & videtur idem apparere in natura ſpecifica creata, in qua ipſa non multiplicata, multiplicantur indiuidua ipſius: cur ergo & in natura Diuina repugnabit multiplicari ſuppoſita, permanente eadem vna? cum præſertim multiplicentur non per abſoluta, ſed per relatiua. Non ſecundum: diuerſa enim ratione accipitur natura, & ſuppoſitum; natura, vt communicabilis; ſuppoſitum, vt incommunicabile: hoc ſuo loco fuſo ſermone diſcuſſum eſt. Non tertium, ſicuti pariter cum expenderetur illud Ariſtotelicum axioma. *Quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem, & inter ſe*, abundè explicatum eſt ex illo non impediri hoc myſterium: diuerſa ratione idem ſunt cum eſſentia, & ad inuicem differunt: & omnium ratio eſt Diuina relatio, quæ cum ſit Diuina, hoc eſt non accidentalis, ſed ſubſtantialis, in ordine ad eſſentiam cum ea identificatur; in ordine verò ad terminum, cui opponitur, retinens propriam rationem relationis ab eo realiter diſtinguitur: quæ hoc loco omnia ſufficit indicare, cum proprijs locis ſufficienter tradita ſint.

Verum, ſi de hac fide cum Iudæis agendum erit, diuerſa, eademque efficaciora media erunt ad manum, quibus & ipſis teſtantibus, refragari piaculum erit. Diuina ſcilicet veteris teſtamenti oracula, quibus ipſi Iudæi omnem adhibere fidem profitentur, & ex quibus, vt ſupra indicatum eſt, hoc Diuiniſſimum Sanctiſſimæ Trinitatis myſterium deducitur, clareſcit, & demonſtratur: quibus tamen quàm cum gentibus difficilior initur pugna, eo quia ea ſe tuentur religione, quæ Diuinis olim oraculis celebrata, tot ſæculis verum Dei cultum obtinuit: nunc verò lege, ſacerdorio, prophetis, fide, ac veritate deſtituta, & infedelitate diſperſa, & perfidiæ tempeſtate conuulſa, omnique cuiuſcumque cæleſtis doni virore exiccato, difficiliorem ſeſe vt ad meliorem frugem reducatur, præbet, obſtinatiorique corde veram, auitamque fidem reluctatur: firmiſsima tamen in promptu erunt præſidia, quibus certiſſima fides illis poterit miniſtrari, & ſuaderi; Diuina ſcilicet quæ nunc recenſebam, antiquorum oracula, quidus vt dicebam, adhuc profitentur præſtare fidem: & eo præſertim facilius ad finem opus perduci poterit, ſi hanc etiam hebræorum fuiſſe perpetuam ſententiam, id gloſſemata Rabbinorum teſtari, hanc Synagogarum extitiſſe nũquam interceptam traditionem, vt expolita, docta, & ſolerti relatione tradit poſt multos, aduerſus hebræos de hoc myſterio, tum de Meſſiæ Diuinitate, cap. 9. & cap. 15. noſter P. Zacharias Bouerius.

Aduerſus verò hæreticos, qui omni conatu inſtructa phalange contra hanc ſacerrimam fidem garrientes, & obſtrepentes enituntur, ex integra, tum veteris, tum noui teſtamenti ſerie, magnum argumentorum promptuarium aperitur: omnem enim Diuinæ Scripturæ textum, aut admittunt, aut fingunt admittere: multa Concilia quoque, omnium Patrum conformis ſententia, quippe quorum auctoritatem nequaquam ipſi audent negare, vehementer vrgent. Quod munus ex hoc vnico diuinarum ſcripturarum capite contra priſcos hæreticos glorioſè Sancti Patres obierunt, & præſtiterunt, victoriamque reportarunt, vt ferè (Deo immortali, qui victoriam largitus eſt, immortales laudes) iam profligati, ac extincti ſunt, præcipuè Arriani, quanto quantò à multis præpotentibus Principibus præſidio ſuffulti, ac obtecti fuiſſent: niſi noſtris infauſtis temporibus noui Trinitarij, ac Arriani iterum ab Orco reuocati eſſent: quos tamen præclari Sanctæ Eccleſiæ doces, ac contra hæreticos formidoloſi proceres, obmuteſcere fecerunt: ac eiſdem ex eadem pharetra telis, & ſagittis confoſſos, ac ſagittatos interfecerunt; vt in vniuerſæ Eccleſiæ Romanæ anguſis ac foribus credant in pace, tutè confiteantur; ac profiteantur fideles Sanctiſſimæ Trinitatis fidem: quinimo hæretici ferè omnes, dum ideo verum ſuis filijs baptiſmum conferunt, quia in Sanctiſsimæ Trinitatis fide miniſtrant, in Patris, & Filij, & Spiritus Sancti nomine; huius myſterij veritatem profiteri videntur.

Sed argumenta, ac rationes, quibus res nobiſcum ad nutriendam, confirmandamque fidem agitur, & facilioris negocij quidem ſunt, & certioris vtilitatis: vix enim exprimi poterit, quàm conferat cuiuſcumque probabilitatis allata fidelibus, & credentibus ratio, vt infra fuſius colligetur. Neque hoc nimis fruſtra erit enitendum coaceruare Phyſicas, aut exiſtimatas demonſtrationes: non enim eas, vt credamus, ſed vt creditam fidem, tum quoquomodo intelligamus, tum credentes, quàm rationabilia ſunt quæ credimus, exquiramus, & lætemur: quo tamen viuaciores, & efficaciores erunt rationes, eo vberiori, ac ſuauiori lætitia perfundemur, experientes quàm rationis conſentanea ſunt quæ credimus.

Porro innumeræ ſunt, quas meditati ſunt Theologi de hac fide rationes, pro ſua quiſque in hanc Theologiam contemplatione, ac pietate; qua quoad fieri poterit, id facilius ab omnibus credenda credantur: quas itidem omnes huc referre, & quanti ponderis iudicium ferre, nec mei muneris, nec mearum virium opus, mea certa cenſet opinio.

Optimas verò rationes, quas excogitauit cum cõmuni Theologorum cætu, vt iam obſeruauimus, S.Bonauent. inter reliquas impugnare vlla abſque neceſſitate, ne dicam vrbanitate, quaſdam tentauit Scotus. Quocirca liceat iterum tantiſper immorari circa eas; eo vel præſertim, quod has rationes ſuo modo neceſſarias exiſtimem; quod vt pa-

pateat, ſic de hac re philoſophari auſpicor, & hanc vnam rationem propono tueri.

Principium productiuum de ſe dicit perfectionem, nullamque ex ſe inuoluit imperfectionem: quare & philoſophi poſuerunt Deum primam cauſam, exiſtimantes ad primi entis perfectionem ſpectare habere vim producendi, & actu producere. Imò eatenus S.Bonauentura omnem fœcunditatem Deo tribuit, quia primum ens: quo enim primum, eo perfectiſsimum, & conſequenter maximè communicabile, & fœcundum vt ſic. Verum quoniam admodum difficilis dubitatio oriebatur: an infinitum producibile eſſet; inde ſupplet, ac ſuggerit fides, dum in Diuinis aſſerit, & confitetur Filium omnino Patri æqualem in eadem numero natura, ea conuincente ratione, quod natura infinita vt ſic non poteſt multiplicari. Rurſus Deum eſſe optimum maximum, infinitum, & infinitè bonum. Deum omnino, & ſimpliciter primum ens. Denique ex intrinſeca ſui eſſe ratione beatiſsimi: ex his conficere decet huiuſmodi ratiocinationem. Principium productiuum ponendum in Diuina natura, & ad rationem perfectionis naturæ. Probatur manifeſtè. Primò, ratione naturæ ſimpliciter, quæ philoſopho 2. Phyſ. & lumine rationis naturalis teſte, vbique eſt principium motus, ideſt in primis ſubſtantialis productionis, & communicationis. Secundò, quia principium productiuum de ſe dicit perfectionem ſimpliciter: quod enim in creaturis annexæ inueniantur imperfectiones; id per accidens eis obuenit, ex imperfectione tranſmutabilis, & corruptibilis finitæ entitatis, & naturæ cuiuſcumque creati. Tertiò, ex bonitate ipſius naturæ ponenda ratio communicandi. Quartò, conſequenter naturalis, & intrinſeca eidem naturæ vis conſona: experientia enim ob oculos obiecta vbique teſtatur, ſingulas naturas iuxta ſibi intrinſeca eſſe principium &c.

Probatur ſecunda pars. Natura Diuina eſt infinita, & infinitè bona, & ſimpliciter prima: ergo vis producendi in ea eſt infinita: ergo productum infinitum: hoc non poteſt eſſe quidquid ſit in mundo, nec ad extra; nam quidquid primò demonſtrabitur, id erit inadæquatum, & omni ex capite finitum, & temporaneum. Secundò, quia liberè, & contingenter productum: ergo dandum quod ab æterno; quemadmodum, & natura Diuina, & perfectio naturæ productiua æterna, ſic productum, & intimum, & naturæ ſimillimum in eadem natura: id verò non poteſt eſſe ipſa natura Diuina, neque producens, neque productum: primò, quia actus producendi eſt neceſſariò ſuppoſiti, & habentis quam communicat naturam. ſecundò, quia natura Diuina eo quia infinita plurificari non poteſt: quare tota Philoſophia de vnico Deo, ac primò ente teſtatur, tum partiri non poſſe, tum ſubinde paradoxum ſequi: tunc enim ſuppoſita fœcunditate ſeipſum produceret, & à ſeipſo realiter differret, quemadmodum producens, & productum: ergo perſona eandem omnino numericam naturam habens producenda erit neceſſariò.

At verò quoniã huiuſmodi argumentatio dumtaxat de vi, ac virtute, & aptitudine videtur concludere; ſubſumendum: & actu ab æterno euenire, quod ſuapte natura erat aptum, principium ſcilicet ab ęterno in natura Diuina productiuum verè producere. Probandum hoc gemino medio. Primò. In æternis idem eſt poſſe, & eſſe. Secundò, quod eſt Scoti primum argumentum ſupra relatum. Eſt in Deo principium ſufficiens in actu primo ad producendum: ergo ab æterno, quod potuit producere, produxit, ne aliàs à potentia tranſiſſet ad actum ad intra, & ne infinita, quæ Deo ab ęterno debetur actualitas negetur &c. ſed quod ab æterno per productionem intrinſecam infinitam, cum non poſſit eſſe creatura: ei enim tum ęternitas, tum infinitas repugnat: erit ergo increatum ex ſufficientiſsima, & immediata diuiſione entis in increatum, & creatum: ergo Deus non alius in diuerſitate naturæ, vt probatum eſt: ergo in diuerſitate ſuppoſiti: ſed principium productiuum in Deo primum non poteſt eſſe niſi intellectus, vt ſupra multis locis: ergo terminus productionis eſt notitia: ſed intellectus eſt potentia naturalis: ergo notitia eſt genita: ergo Filius; ſed in illo principio intellectus non omnis modus producendi includitur: ergo dandum aliud principium productiuum, nimirum voluntas: ergo & alius terminus: ergo in Deo plura ſuppoſita, pluresque perſonæ. Et ecce vis argumentationis. Ibi eſt natura communicabilis, quia bona: infinitè, quia infinita: eſt vis, & principium productiuum infinitè perfectum ab æterno in actu, quia vtrumque æternum, & multiplex principium: ergo ab æterno multiplex in eadem natura terminus productus. Vnico medio, & verbo totum hoc confirmatur. Diuinæ naturæ debetur adęquata communicatio. S. Thom. Plures ſunt in Deo relationes ſubſiſtentes: ergo plures perſonę. Conſequentia certa ex definitione perſonæ Diuinæ, & ex integro tractatu de relationibus. Poſſet & aliarum rationum hic augeri numerus, & hinc ex diuerſis Theologis hæc quæſtio cumulari; ſed hìc alienis diuitijs nolumus ditari. Hæc igitur ſufficiant.

Addenda tamen ad idem propoſitum quædam Sanctorum Patrum exempla, de Sanctiſsima inquam Trinitate, quę ideo cariora, & applauſibiliora fore exiſtimamus, quo ferè quodammodo rem ſub oculis deſcribent. Primò enim D. Athanaſ. orat. contra Arrianos, & Lactant. lib. 9. c. 21. compararunt Trinitatem fonti, & fluuio, in quibus eſt eadem aquæ natura, ſed differunt ſitu, & modo. Idem Athanaſ. Orat. 4. contra Arrianos, & Chryſoſt. hom. de Trinit. ſoli, luci, & ſplendori ipſius, quarum trium rerum eadem eſt natura, ſed diuerſa ſuppoſita. Idem Athanaſ. orat. Quod Deus de Deo ſit Verbum. Aug. in Dialogo contra Lucianum Arrianum, ſimilem dixerunt Trinitatem igni, calori, & vapori, aut ſplendori. D. Nazianz. orat. 5. de Theologia exemplum ſumpſit de tribus ſolibus, aut tribus lucernis, quę in eodem lumine inter ſeipſas differunt. D. Baſilius epiſtola 43. docuit myſterium hoc exemplo catenę, quę vna conſtet ex tribus annulis diſtinctis; tum ſimilitudine Iridis, in qua vnum, & idem lumen, variè tribus

in locis repercuſſus tres reddit colores. Dionyſ. Alexandrinus, vt refert Athanaſius de ſententijs illius, dicebat Trinitatem eſſe ſimilem arbori, in qua eadem, radix, truncus, & rami differunt. D. Aug. infinitis locis Sanctiſsimæ Trinitatis ſumpſit imaginem, & ſimilitudinem ex intellectu, voluntate, & memoria eiuſdem animæ. Alij ex triangulo, in cuius medio ſicut punctum ab omnibus angulis æquè participatur, ſic Diuina natura à tribus perſonis. Alij alijs exemplis; de quibus tamen omnibus obſeruandum, quod ijdem Sancti Patres tradiderunt. Nazianz. orat. 5. Aug. lib. 1. de Symbolo ad Catechumenos, & alibi, & Damaſc. 1. de fide cap. 9. hæc exempla plurimum diſtare, & admodum imperfectè Diuinum myſterium repræſentare; ideo tamen adinuenta, & obſeruata, vt accomodaretur ad humani ingenij infirmitatem.

Sed quid in recenſendis Sanctorum Patrum obſeruatis exemplis, & huius Diuini myſterij Symbolis, ac ſimilitudinibus, cum in omni creatura impreſſum Sanctiſsimæ Trinitatia Sacramentum legatur apertiſsimè, immoramur? Teſtantur omnes. D. Aug. lib. 6. de Trinit. cap. 10. & lib. de vera Relig. cap. 7. & 15. Magiſter 1. ſent. diſt. 3. cap. Nunc reſtat. S. Bonauentura ibidem dub. 6. litt. S. Thom. ibidem quæſt. 2. art. 2. & 1. par. quæſt. 93. art. 6. Riccar. eadem diſt. 1. par. art. 3. quæſt. 1. Durand. quæſt. 4. Denique cæteri omnes ibidem, & conſtat ratione, ſi primo obſeruetur. Veſtigium eſſe imperfectam ſimilitudinem, quam omnis creatura per propriam ſubſtantiam, virtutem, & operationem Deum repræſentat; non quoad abſolutè communiſsima, neque ſtrictè propria, ſed vt aiunt, appropriata diſtinctis perſonis, vt proprijs ſimilia; & inde vt in Diuinarum perſonarum proprietatum cognitionem inducunt: ratione inquam conſtat: in quacumq; enim re creata aliqua reperitur Trinitas creata, increatam præſeferens, modi, ſpeciei, & ordinis, à D. Aug. relata de natura boni cap. 2. & 23. In modo Deus Pater principium ſignificatur, in ſpecie Verbum; in ordine Spiritus Sanctus: creatura enim vt ſic, diſtincta, limitata, & modificata indicat aliquod eſſe principium, à quo proceſſerit. Species Verbum refert, ſicut forma domus conceptum, & ideam artificis. Ordo Spiritum Sanctum, cuius bonitate omnis creatura ad bonum finem ordinata eſt. Origo, pulchritudo, & delectatio, ex D. Aug. 6. de Trinit. cap. 10. Omnis creatura à Deo procedit per potentiam Patri tributam, per ſapientiam Filio, per bonitatem Spiritui Sancto. Sapien. 11. *Omnia in numero, pondere, & menſura diſpoſuiſti*. In numero inquam, hoc eſt limitatè; quare ab aliquo principio, quod de Patre dicitur. In pondere, nimirum inclinatione ad aliquem bonum finem: & ecce Spiritus Sanctus. Et menſura, proportione aliqua ſcilicet, & ſpecie, quæ Filium repreſentat. Vnum, Verum, & Bonum de quacumque creatura dicitur: ergo Deum Patrem, vnum, & primum principium imitatur: Filium, qui eſt veritas: Spiritum Sanctum, cui tribuitur bonitas; & ſexcenta id genus.

CAPVT IV.

Ad quid proſint pro hoc fidei myſterio, proque cæteris, quæ afferuntur rationes.

QVamuis quod hoc capite explicandum proponitur, ſuperiori quoque præcipuè capite intactum prætermiſſum non ſit: vt vberius tamen, & eodem loco tota res habeatur, hoc caput inſtituendum eſt. D. autem Aug. eſt, qui 14. de Trinit. cap. 1. quaſi propoſitæ petitioni ſic reſpondet, illud tantummodo humanæ ſcientiæ tribuens, *quo fides ſaluberrima, quæ ad beatitudinem ducit, gignitur, nutritur, defenditur, roboratur; qua ſcientia non pollent fideles plurimi, quamuis polleant fide plurimum: aliud enim eſt ſcire tantummodo quid homo credere debeat propter adipiſcendam vitam beatam, quæ non niſi æterna eſt: aliud autem ſcire, quomodo hoc ipſum, & pijs opituletur, & contra impios defendatur, quam proprio appellare vocabulo ſcientiam videtur Apoſtolus.* Quibus verbis hic maximus Doctor, ac Theologiæ Pater plurima, eademque egregia ad hoc præcipuè propoſitum huius capitis finem attinentia, profert.

Primum autem, vt à poſtremo incipiamus, teſte D. Paulo, hunc habitum ad fidem, & pro fide arguendi, proprio poſſe vocabulo vocari ſcientiam obſeruo: quod tamen permulti recentis temporis Theologi, neſcio qua ratione, aut non obſeruauerint, aut non tanti fecerint, quanti dicentium Sanctorum Pauli, & Auguſtini maxima poſtulabat auctoritas.

Secundum; Habitum hunc eundem, vt plurimi deinde Doctores ſedulò notarunt, ad fidem ſingulis non eſſe neceſſarium, vt egregiè ab experientia probat, quia plurimi fideles hac non pollent ſcientia, & plurimum tamen fide pollent: quare nedum ad ſingulos non pertinet, fidei quam profitentur, rationes reddere, ac pro fide aduerſus hæreticos, & infideles diſputationem ſubire, ſed iuribus, & pænis vetitum grauiter eſſe, ijs ſcilicet, quibus nec ſcientiæ vires, nec animi ſufficiunt, nec ad id difficillimum munus idonei inueniuntur: neque enim ad bellum armorum accedit niſi temerariè miles, niſi armatus, ac militari peritia imbutus, alias inutiliter amittendæ vitæ patenti periculo ſe exponit. Idem periculoſius perdendi fidem, qui imparatus, & inexpers, & ignarus ad fidei bellum auderet accedere. In caſu quidem neceſsitatis, ſanguine ſinguli ita tenentur ſuſtinere fidem, vt nunquam pro tuenda vita liceat eam negare. Sed hic eſt alius caſus: dabitur enim illis in illa hora ex Diuino pacto quid loquantur. Quare cum D. Petrus prima ſua can. Epiſtola cap. 3. doceat, debere eſſe paratos ad reddendam rationem &c. primò arcet imparatos, deinde id ſingulis indiſcriminatim non imponit, ſed populi ſenioribus, ac capitibus, qui ideo Paſtores, & Doctores in D. Paulo conſtituuntur: idque eo euidentius

confirmatur, quo impudentiſſimè hæretici ruſtici, & fæmellæ audent id in fidei contemptum, ac detrimentum maximum exercere; & ideo ad prauos, & impios ſenſus, & propriam fidei, & animæ perditionem Diuinas Scripturas detorquent. Tertium quod præcisè hic proſequimur, laborare, & eniti pro inueniendis, & fidei indagandis rationibus plurimis, plurimum vtilitatis afferre: gignit namque in multis fidem, & multos item ad fidem diſponit, vt plenam in ipſis fidem acquiſitam introducat, habitum verò Deus infundat tunc. Ea de cauſa D. Paulus quos ad fidē ſua prædicatione perduxerat, & Filios nūcupabat, & ſe eos parturijſſe gloriabatur, & ſimul cum D. Petro ſe nutritium dicebat, qui fidei lac, & potum miniſtrabat.

Neque hic dictis, & aſſertis rectè obijci poteſt, quod eo non gignat fidem ratio, quo rationi non nititur, ſed auctoritati fides Theologica: reſpon. enim id ex dictis nulla ratione ſequi, aut inferri poſſe. Nō enim qui credit nititur rationi, ſed ratione ducitur, vt Deo primæ veritati, qui fidē reuelat, credat, aſſenſumque adhibeat; & idcirco dicatur quod ratio gignat fidem, quia ad fidem ſuſcipiendam diſponat, eadem ratione, qua & pater dicitur filium generare, licet non generet formam, animam, quæ de nihilo creatur, ſed materiam, quam informat anima; ita Doctor generare fidem aſſeritur, quia moraliter rationes fidei reddit, infidelique, Deo credendum perſuadet, & quàm rationi conſonum ſit Deo credere, rationibus demonſtrat. Secundò, ſubinde nutrit inditam, & fidelibus acquiſitam fidem; dum quàm rationabilia, & credibilia ſunt, quæ credenda proponuntur, rationibus, exemplis, ac Diuinæ, quod primum eſt, Scripturæ locis, Sanctorum Patrum perpetuis, ſingulíſque temporibus, ac mundi ætatibus, repetitis aſſertis ſæpe numero diſcurrit. Hoc enim, quod D. Paulus docebat, & D. Gregorius Magnus commentationibus illuſtrabat; nouas fidelium plantas irrigandas, donec ad perfectum fidei ſtatum ſuccreſcant: licet enim S. Gregorius imprimis de miraculis ad nouitios in fide roborandos ſermonem inſtituerit; cum eadem ratio ſit de reliquis fidei confirmandæ modis, ac rationibus, & ipſæ rectè ſubintelligendæ æquo iudicio videntur.

D. Bonauentura quæſt. 2. prologi in duas acies fideles diſtribuit: in prima adhuc debiles, ac infirmos in fide locat: in ſecunda recenſet iam roboratos, radicatos, ac pene firmatos: de primis ſic pijſſimè loquitur: ſicut enim Dominus charitatem infirmorum per temporalia beneficia fouet; ſic infirmorum fidem per argumenta probabilia: & huius muneris pietatis reddens rationem, ſubinfert: ſi enim infirmi, viderent rationes ad fidei probabilitatem deficere, & ad oppoſitum abundare; nullus in fide perſiſteret: quemadmodum enim, inquit S. Chryſoſtomus, lampas quæ iam incepit extingui, infuſo oleo reuiuiſcit: quod præceperat Dominus de igne ſuper altari Leuit. 6. *ignis in altari meo ſemper ardebit, quem nutriet Sacerdos per ſingulos dies etc.* ita Dominus Optimus maximus Sacerdotibus, Doctoribus, ac magiſtris Theologis præcepit, vt ne igne fidei lampades nuperrimè accenſæ deficiant, aut ne quidem deficiendi periculo exponantur, numquam hoc oleo, ac confirmandi eos munere deſint: imò veluti matres, ac nutrices hoc eis lac in potum continuè ſubminiſtrent, donec coaleſcant.

Secundæ verò aciei fideles, mirum eſt quàm adhuc rationibus de fide, quam ſuſceperunt, oblectentur, ac ſuauiter gaudeant: *nihil enim dicebat* S. Bernardus 5. de conſiderat. poſt initium, *libentius intelligimus, quàm quod iam fide credimus.*

Quartum tandem emolumentum, quod ex fidei noſtræ rationibus magna vbertate colligitur, quod his quibuſdam veluti ſcutis, ac propugnaculis aduerſus fidei rebelles, ac procaces aduerſarios fides ipſa ſuſtinetur, ac vt veriſsima protegitur; & maxima quidem ratione: ſi enim reliquæ veritates impugnatæ defenduntur; quare non æquè, imò multo magis non aderit, qui hanc defendat? & ſi ab initio fides eadem noſtra falſis Magorum miraculis impetebatur, veris Sanctorum itidem miraculis protegebatur: cur ſi falſis, & captioſis nunc argumentis hæretici aggrediuntur, & obſidere, & peditare contēdunt; veris Catholici eos arcere, & fidē fouere, & præmunire non conabuntur? Ita S. Aug. nedum ſuperiori loco cōmemorato, ſed pluribus alijs, & præſertim primo de Trinit. c. 2. his diſertis verbis. *Aduerſus garrulos ratiocinatores, elatiores magis quàm capaciores, rationibus*, addit S. Bon. q. 2. prol. *catholicis, & ſimilitudinibus congruis ad defenſionem, & aſſertionem fidei vtendū eſt.* Et poſt ipſum Riccardus de S. Victore lib. 1. de Trinit. c. 4. *Credo ſine dubio ad quorumlibet explanationem, quæ neceſſe eſt eſſe, non modo probabilia, ſed etiam neceſſaria argumenta non deeſſe, licet contingat noſtram induſtriam latere.* Quo verò ſenſu non ſine ratione argumenta neceſſaria Riccardus potuerit aſſerere ferè ſolus, niſi eum alio loco ſecutus eſſet S. Doctor, vbi reliqua Theologorum familia dumtaxat probabilia admittit, ſupra paucis, ſatis tamen factum eſt. Poſt ipſos D. Thomas præcipuè aurea ſumma contra gentes, præclariſſimè rem totam abſoluit, ac cumulatiſſimè illuſtrauit: & quid pro fide contra infideles ab eruditiſſimo ac Sanctiſſimo viro, quibuſque modis præſtandum ſit, magis quàm aut cogitari, aut dici poſſit, præſtitum ſit, luce meridiana clarius etiam cæcutientibus patet.

Quod ſi omnibus, quæ hucuſque de rationibus pro fide indicata ſunt, his cauillis obſtare quis auderet: primò, rationes humanæ non ſolum aut ad fidem non promouent, aut fidem non nutriunt; ſed ipſam euacuant, teſte D. Greg. hom. 20. in Euang. *fides non habet meritum vbi humana ratio præbet experimentum*: ac ſubinde prohibente D. Hieronymo ad Paulinum de Diuina hiſtoria cap. 7. *Tolle argumenta cum de fide agitur: paſtoribus, & piſcatoribus creditur, non dialecticis.* ſecundò, omni ratione certior eſt fides, & Diuina auctoritas: ergo inutiliter, & incaſſum humanæ rationes adduntur.

Reſpondet elegantiſsimè primò Alexander 1. par. quæſt. 2. memb. 3. art. 4. humana ratio præbet experimentum ei, qui innitur ſoli rationi, vt ſci-

ſcilicet credat ipſam veritatem propter rationem, & illi euacuatur fides: ei verò, qui non innititur rationi, imò acquieſcit ipſi veritati per teſtimonium primæ veritatis, humana ratio non præbet experimentum; quia quamuis habeat rationem credendorum, non tamen ei innititur. Colligitur ex D. Ioanne, dum cap. 4. refert, quod dixerunt Samaritani mulieri illi, quæ audito Domino ad puteum præclara de illo ipſis retulerat. *Iam non propter tuam loquelam credimus*.

Secundò reſp. quod eleganter quidam dixerunt: aliter nimirum ſe habet ratio in logicis, aliter in Theologicis ad fidem: in logicis ratio creat fidem; vnde argumentum eſt ratio rei dubiæ faciens fidem: in Theologicis verò econuerſo, quia fides creat rationem: vnde fides, teſte D. Paulo, eſt argumentum, faciens rationem ſcilicet: fides enim qua creditur, eſt lumen animarum, quo quanto quis magis illuſtratur, tanto magis eſt perſpicax ad inueniendas rationes, quibus quæ creduntur, probantur.

Ad rationem autem reſpondet, certitudinem eſſe duplicem: aliam ſecundum intellectus ſpeculationem, quæ eſt per modum viſus: aliam ſecundum ſenſum affectus, quæ eſt per modum adhærentiæ voluntatis, vel amoris: & hoc ſecundo modo nihil eſt certius homini, ideſt carius ſua fide.

Tertiò tradit, quod rationes humanæ probant fidem à poſteriori: probant tamen teſte D. Paulo. *Inuiſibilia enim ipſius &c. per ea quæ facta ſunt intellecta, conſpiciuntur*: vt hinc ex Alexandro tria ad hanc rem in primis memoriæ commendanda: primum, his rationibus, de quibus hic, fidem non inniti, ſed primæ veritati: ſecundum, has rationes à fide dictari, & creari: tertium, eas eſſe à poſteriori.

Idem protſus, licet non eiſdem verbis S. Bonauentura: ex his enim conficit, & reddit rationem, quomodo humana, & inferior ratio attingere poſſit, ac probare quæ fidei ſunt, & credibilia, quæ omnem rationis creatæ ſupergrediuntur facultatem: etenim fides eſt, quæ dictat has rationes, vt dicebat Alex. quare diſtinguit, gemino ſtatu intellectum creatum poſſe perpendi; aut vt ſolis habitibus ſcientiæ naturalis acquiſitis imbutus eſt, fideique habitu deſtitutus; aut vt etiam ſimul fidei habitu ornatus: prima ratione exiſtens, non poteſt ſuis rationibus veritates fidei perſuadere ac probare: ſecunda verò ratione ſumptus, & eleuatus, poteſt.

Sed hæc omnia & facilius expediuntur, & ſuum ſortiuntur effectum, ſi obſeruetur, rationis humanæ quamuis fidei veritas capacitatem excedat, vt luculenter S. Thomas 1. contra gentes cap. 2. ſicut ſupra indicatum eſt: nequaquam tamen contraria eſt ijs, quæ naturaliter cognoſcit, & indita habet: ipſius enim auctor eſt Deus, & tantummodo falſum eſt contrarium vero; nequaquam tamen verum vero. Idcirco D. Aug. lib. 2. de Geneſi ad litt. cap. 18. *Illud* inquit, *quod veritas patefacit, libris Sanctis, ſiue veteris, ſiue noui teſtamenti, nullo modo poteſt eſſe aduerſum*. Imò teſte Herueo Quodlib. 5. quæſt. 9. Non ſolum ad inuicem non eſt aduerſa ratio naturalis veritati Diuinæ, ſed ei maximè opitulatur: agit enim & mirè cooperatur ad actum fidei, vt cauſa tamen minus principalis; dum facit cognoſcere quodquid nominis de ijs, quæ ſupernaturaliter cognoſcuntur; & quantum ad complexionem, quod neceſſariò præexigitur: nihil enim creditur, quod prius iſto modo non præcognoſcatur, vt tradunt etiam S. Bonauentura 3. ſent. diſt. 24. dub. 3. litt. & Riccardus ibid. dub. litt. aliàs inquit Scotus, non poſſent conuenire fideles & infideles ad diſputandum, niſi ſaltem in terminis, & terminorum conceptibus conuenirent. Secundò. Ratio naturalis dictat ea credenda, quæ proponit fides: nunquam enim crederentur, niſi etiam ratio ſaltem in genere, aut propter ſigna, & miracula, aut propter aliud, id eſſe credendum rationale proponeret, teſte Sancto Thoma 2. 2. quæſt. 1. art. 4. ad 2. credere enim inquit etiam Durandus. 3. ſent. diſt. 24. quæſt. 3. num. 8. eſt quoddam aſſentire: aſſentire autem nullus vnquam poterit, niſi ei id cui aſſentit, appareat in ſe, & ſecundum ſe verum. Quare Saluator noſter, dum prædicando credenda proponebat, rationem quoque addebat, vt præſertim Ioann. 10. proponebat, *Ego, & Pater vnum ſumus*, vt hoc crederent, reddebat hanc rationem, *Si non facio opera Patris mei, nolite credere: ſi autem facio: & ſi mihi non vultis credere, operibus credite, vt cognoſcatis, & credatis, quia Pater in me eſt, & ego in Patre*. Et hac potiſſimum ratione tot miraculis confirmabat fidem, vt fideles rationem credendi haberent. Huc ſpectat quod omnes Theologi præſtant, dum credibilia docent per rationes. Præterea ratio humana ſimilitudines, exempla, rationes adinuenit, quæ ſi non perducunt, mouent tamen facilius ad fidem: quod quoque innuit S. Hilarius lib. 2. de Trinit. *Incipe, procurre, inſiſte, etſi non peruenturum ſciam: gratulor tamen, quia profecturum: qui enim piè infinita proſequitur, etſi non contingat aliquando, tamen proficit procedendo*. Quare & Sanctus Thomas de veritate quæſt. 14. art. 2. ad 9. *licet* inquit, *ſupra rationem fides dicatur, non ita tamen eſt intelligendum, vt nullus in fide actus rationis inueniatur, ſed quia ratio ad videndum ea quæ fidei ſunt, perducere nequit*: & S. Bon. 3. ſent. d. 4. aliqua ratione de eadem re & fidem, & ſcientiam compoſſibiles eſſe docuit: ex hoc non difficili negocio, lumen naturale medium eſſe inter lumen gloriæ, & fidei, ſuſtinere conabatur Hẽricus in ſumma art. 7. q. 2. & quolib. 8. q. 14. & quolib. 12. quæſt. 2. ſcilicet dari habitum medium, quo declarantur, perſuadentur, & defenduntur credibilia &c.

CAPVT V.

Quo quædam oppoſita argumenta ſoluuntur.

INutile, ac difficile opus procul dubio eſſet hic colligere, ac innumeras tot argumentorum hæ-

hæreticorum ſolutiones referre: Quod enim à diuerſis egregijs viris, licet diuerſis locis ad diuerſos fines honorificè actum eſt, quid iterum agere? quædam tamen pauca explicationis potius, & exempli, quàm contentionis, ac digladiationis gratia proponere, vt hinc quanta, & qualis, & quàm exilis huic Sanctiſſimæ fidei cęterorum argumentorum vis conijciatur, rationi, & operi conſentaneum duxi. Et primò, ad ea quæ initio capitis tertij propoſita fuere, nimirum ad loca ſanctorum Patrum, quæ rationum, ac probationum rerum fidei vſum è medio ſuſtuliſſe viſa ſunt, ac grauiter temeritatis pœna prohibuiſſe. Quibus, ac ſimilibus locis illi abutuntur hæretici, quibus diſputandi ſtudium, ac Theologiæ ſcholaſticæ ad defendenda fidei dogmata, & Diuina myſteria iuxta Chriſti Domini præceptum ſcrutanda, & intelligenda, exercitium inuiſum eſt; & qui ægerrimè, ac moleſtiſsimè ferunt nobis argumentorum ac locorum copiam, & artem non deeſſe, quibus eorum verſutiam deludamus, captioſas argumentationes diluamus, laqueos ſoluamus, ac fidem ab eorum morſibus, ac manibus, & peſtiferis venenis, & nefarijs mendacijs ſynceram, & intactam tueamur, ac protegamus. Ergo illi ſancti Patres, qui adeo de fide, præſertim ſanctiſsimæ Trinitatis ſtrenuè laborarunt, & meriti ſunt, vt multi ex illis pro eadem Trinitate, integra, & plurima contra aduerſarios volumnia innumeris argumentis redundantia, nulla ratione id quod ipſi enixè præſtiterunt, alijs poſtea quod prohibuerint exiſtimandum eſt. Quid ergo? quod in calce ſuperioris capitis ex Alexandro, & D. Bonauentura obſeruatum eſt, adamulsim tollit hanc apparentem contradictionem, aut prohibitionem; agere ſcilicet illos Patres aduerſus eos, qui quærunt non fidei, ſed contra fidem rationes, vt fidei principia aſſerta, & decreta ſcindere, & iugulare poſsint; aut Diuinæ auctoritati primò inhærere dedignantes, quibus innitantur ac præcipue moti credant, rationes quæritare; vt non propter Deum dicentem, fidei dogmatibus ament aſſenſum fidei præbere, ſed propter rationes, quod fidei repugnat, conuincantur & cogantur credere: omnino ſi quidem, vt capite præcedenti demonſtratum eſt, diuerſa, ac oppoſita ratio eſt, quærere rationes ad perſuadendam à Deo fidem reuelatam, & quanta honeſtate, ac ratione ei credendum; qui nec mentiri poteſt, & accenſiſsima charitate nos illuminare cupit, & ad eãdem fidem intelligendam, quod facit catholicus Theologus; ac eaſdem quærere ad fidei credulitatem minuendam, & fidem ſeu impugnandam, aut labefactandam; & Dei reuelantis primæ auctoritati derogandum, quod Patres ſancti ita deteſtantur.

Rabbi Ioſeph in lib. quem de Articulis legis Moſaicæ inſcripſit, orat. 3. cap. 25. ita contra hanc ſacerrimam veritatem inſurgit, & erumpit; vt non ſolum à fide, verum & ab ipſa ratione abhorrere cenſeat hanc diuinam veritatem, vt manifeſtam, ac realem (inquit impius ille) inuoluat contradictionem, neque in fide poſſit ſubſiſtere: tria enim realiter diſtincta, eſſe vnum numero, & vnum realiter numero eſſe tria, hanc apertam contradictionem implicat: hoc enim idem, ac ſi vnum non eſt vnum dicatur, & Trinum non eſt trinum, & idem de ſe ipſo negetur: ergo vnum Deum, quod docet, ac profitetur fides. *Audi Iſrael Dominus Deus tuus Deus vnus eſt*, eſſe Trinum adeo falſum eſt, vt certam contradictionem ponat.

Idem myſterium deridens Auerroes, ita 12. Metaph. de eo blaſphemat. Primò, idem cum Iudęo repetens impium aſſumptum. Impoſſibile eſt quod aliqua ſit vna, & plures res: ergo impoſſibile eſt quod vnus ſit Deus, & plures perſonæ. Secundò, ſi in eadem natura plura eſſent ſuppoſita, per aliud quodlibet conueniret cum alio, & ab eo per aliud diſtingueretur; ſed hoc repugnat Diuinæ ſimplicitati, & Deitati: ergo. Tertiò, ſi plura ſuppoſita eſſent in eadem Diuina natura, cum ea conuenire non poſſent niſi ſecundum intentionem vniuerſalis, & generis; ſed hoc repugnat eidem Diuinæ naturæ: ergo. Minor patens eſt: natura enim Diuina tunc ſic eſſet in potentia ad Diuinas perſonas, & ad ipſas per differentias contraheretur, & indiuiduæ illæ perſonæ ad inuicem, nullam niſi ordinis, vel aggregationis vnitatem haberent.

Sed delirant primò, & neſandè blaſphemant vterque iſte impius: vbi enim ipſi in Diuina Trinitate repugnantiam, ac mendacium locant; ipſa ſumma concordia, ſumma veritas, ſummaque fides eſt: ſed deliramenti fomentum eſt hæc, aut inſulſa, aut aſtuta inſcitia: dum enim vnum Deum trinum aſſerimus, non eadem ratione vnum & trinum affirmamus; cum namque vnum, naturæ vnitatem dicimus, cum trinum, in eadem natura perſonarum pluralitatem, & Trinitatem confitemur. Quare luce meridiana clarius, nos ita de eodem non negare quod aſſerimus: quãdo enim de Deo prædicamus Trinitatem, non negamus naturæ vnitatem; & quando vnitatem, haud quaquam Trinitatem inficiamur. Hinc tres perſonas Diuinas, ac ſingulas verum Deum docet Sancta fides catholica, neque tres Deos tamen: nam ex infinita perfectione, & ſimplicitate, & fœcunditate Diuinæ naturæ, multiplicatis perſonis non neceſſariò multiplicatur natura; imò neceſſariò ſequi oppoſitum, ſupra ſuppoſita fide demonſtratum eſt: quod quidem pariter multis exemplis quoquomodo, etiam niſi obſtinatè, & voluntariè cæcutienti commonſtrare, & confirmare non erit oneroſum, aut difficile; quod cum ſupra multis Sanctorum Patrum exemplis præſtitum ſit, & ſequenti quæſt. diligenti indagine ſit præſtandum, non eſt cur hic, ne idem ſine ratione bis fiat, præſtetur. Ad formam argumenti. Deus eſt vnus: ergo non eſt Trinus, quia vnum non eſt plura; neganda eſt ſemper conſequentia, etiam in ratione, & regulis illationis: non enim valet conſequentia quando ratio terminorum, & ſuppoſitio variatur; hic verò intolerabiliter variatur: alia namque ratione eſt vnus, alia trinus: fit enim tranſitus ab abſolutis ad relatiua; quo fit, vt pluralitas hæc vnitati nulla ratione opponatur; imò adeo conuenit, vt hæc ſit efficax conſequentia; eſt vnus: ergo trinus. Secundò etiam in antecedenti

ab-

Google

abutuntur termino illo vnus, & non adæquatè, vt in Diuinis ponitur, aſſumunt, vt omnem gradum entitatis, & abſolutæ, & relatiuę vnicè continet.

Ad ſecundum, negatur toto cælo pluralitatem ſuppoſitorum repugnare ſimplicitati Diuinæ: imò eam egregiè dico demonſtrare; quod enim vna, eademque natura in pluribus inueniatur, infinitæ ſimplicitatis eſt: Quod ſi in vno illa ſuppoſita conueniant, in altero differant, neque vllo modo adhuc læditur eadem ſimplicitas; nam conuenientia eſt identitatis naturæ, differentia originis, & oppoſitæ relationis, quæ millies aſſerit inter reliquos S. Doctor, & docet non componere, ſed diſtinguere dumtaxat. Neque ſuffragatur Auerroi, quod hæc Diuina ignorauerit: nam cur negare auſus eſt quæ ignorabat? poterit & cæcus negare ſolem eſſe, vt ſimile quid obijcit Sanctus Aug. 1. de Trinit. & ſi hæc Chriſtianorum religionis eſſe dogmata audiuit; quare priuſquàm ea contemneret, earum diſciplinam, ac fundamenta non peruestigauit?

Ad tertium, quia falſiſſima maior, ideo negatur eadem qua ſupra prorſus ratione: nam plura illa ſuppoſita cum vnitate eſſentiæ ita conueniunt, vt ſint idem formaliter cum ea, nedum ab ea realiter differant.

Non admodum diſſimile argumento tum Auerrois, tum Rabbi Ioſeph commemorato conſtruxit Franciſcus Dauid hæreticus. Vbique teſtatur Diuina Scriptura Deum verum eſſe ſolum: ergo non eſt plures: ergo in eo plures perſonæ non ſunt concedēdæ. facillimo negocio hoc ſophiſma eadem diſtinctione tollitur: ſolus enim Deus verus, quidem per vnam eſſentiam, neq; tamen ſequitur, vt ſit ſolus in perſonis: non enim ita ſolus, vt ſit Solitarius, ac in vna eſſentia vna ſola ſit perſona, vt vberius, infra in tractatu de his verbis, Solus &c. ergo ſolus eſt, & vnus propter vnam eſſentiam, & Diuinitatem; plures verò propter pluralitatem perſonarum, quibus eadem eſſentia communicatur non plurificata.

Contra. Si ideo Deus vnus & ſolus poteſt eſſe plures, quia vnus, & plures non opponuntur, & alia ratio, qua vnus, & alia, qua plures: ergo vnitas eſſentiæ eſt diuerſa ab vnitatibus perſonarum: ergo in Deo quaternitas: & probatur ita eſſe à parte rei: nam eſt vnitas, & pluralitas, & eſſentia, & perſonæ non ſunt Synonima. Secundò, quia multa eſſentiæ conueniunt, quæ nequaquam perſonis; eſſentia enim, neç generat, neç generatur: aliqua vero perſona generat, aliqua generatur &c.

Confirmari poteſt idipſum argumento Theologico. Primò, ſi plures perſonę darentur in Deo, ſequeretur, aut nullam ex illis eſſe infinitam ſimpliciter, aut vnam tantum; ſed hæc intolerabilia, & impoſſibilia videntur abſurda: ergo nunquam in Deo admittēda pluralitas. Probatur vtraque maioris ſequela. prima, nam ſi plures ſunt perſonæ, certo certius vnam excludi, & diſtingui ab alia: ergo non eſt ſimpliciter, & in omni latitudine infinita: non enim illa alia perſona, à qua differt. ſecunda verò, ſi vna erit ſimpliciter infinita: ergo nulla alia ſic infinita erit. Probatur conſequentia: quemadmodum enim ex vera Dei infinitate conueniunt Theologi non poſſe eſſe niſi vnum Deum, eadem certè ratione, ex vnius perſonæ infinitate ſimpliciter plures conuincitur non poſſe eſſe perſonas. Confirmatur. Vera Dei eſſentia eſt infinita ſimpliciter: ergo ſuperfluum, & impoſſibile quodcumque aliud infinitum, etiam perſonarum: patet conſequentia ex notione termini *Infiniti*. Minor quoque probatur, imò ex ſe iam facta euidens videtur. Si perſona primò in Deo non eſt infinita: ergo neque Diuina erit: omne enim Diuinum ſicut ipſa Diuinitas debet eſſe infinitum. ſecundò, ſi vna ſola perſona infinita eſt: ergo reliquæ perſonæ minores: ergo non æquales: ergo non Diuinæ: ergo creaturæ, quod prætendebat Arrius: & vltima conſequentia videtur conſtare ex immediata, & neceſſaria entis diuiſione in Deum, & creaturam.

Vehementius ex Sanctis Patribus hæc eadem Diuina Trinitas in vnitate numerica eſſentiæ videtur impugnari. Aliqui enim indicare viſi ſunt tres perſonas eſſe vnum Deum ſecundum œconomiam, aut imperium, hoc eſt quia omnes tres perſonæ eandem auctoritatem habent, & adminiſtrationē, ſic Tertullianus libro contra Praxeam non vno loco. Sic D. Epiphanius in Anchorato ait, vnum eſſe Deum propter Monarchiam, ideſt quia tres perſonæ habent idem imperium. Sic D. Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi 11. quia non habent Regnum diuiſum, ſicut habebant Dauid, & Abſalon, ſed quibus imperat Pater, ijs etiam Filius, & Spiritus Sanctus. Alij videntur dicere, tres perſonas habere ſimilem naturam, quaſi non ſint vnus Deus numero, ſed ſpecie. Sic D. Athanaſius Dialogo primo de Trinitate, vt explicet quomodo tres perſonæ ſint vnus Deus, affert exemplum trium hominum, quod idem exemplum aſſumunt. D. Baſilius lib. 2. & 4. contra Eunomium, & D. Cyrillus Alexandrinus lib. 2. theſauri cap. 1. & D. Ambroſius lib. 5. de fide cap. 2. *hoc tamen excepto*, inquit hic poſtremus Pater, *quod inter homines eſt ſemper aliqua differentia, aut temporis aut loci; inter autem Diuinas perſonas nequaquam*. Quo poſtea exemplo impiè vſi ſunt Porphirius, & Ioannes Grammaticus. Alij denique ita viſi ſunt vti ſimilitudine naturæ, vt nomen vnitatis vitarent. Sic D. Hilarius lib. 11. de Trinitate, & libro de Synodis. *Pater* inquit, *& Filius ſunt vnus Deus, non ex ſolitudine, ſed ex ſimilitudine*. Ita D. Ambroſius lib. 1. de fide cap. 3. D. Aug. lib. 1. de Trinit. cap. 4. D. Epiphanius lib. contra hæreſes, hæreſi 15. vbi affert, ita Patrem, & Filium eſſe vnum, ſicut Rex, & imago Regis: alia autem eſt natura imaginis, alia Regis.

Ad primum negatur vtraque conſequentia; nam plures vnitates perſonarum nō ſunt plures in ordine ad eſſentiam: ſed ad inuicem: imo vnica vnitas. Ad rationem primam reſp. ad tollendum Synonimitatis vitium ſufficit rationis diſtinctio. Ad ſecūdam plura infra: interim ſatisfacit eadem reſponſio. Ad rationem & argumentum Theologicum, dicendum, nequaquam ſimpliciter vnam perſonam carere perfectione alterius perſonæ: cum enim ad

ra-

rationem perſonæ Diuinæ duo neceſſariò requirantur, & quod ſcilicet oppoſitè diſtinguatur vna ab alia, & quod ita ab eſſentia abſorbeatur (fas ſit ita loqui) vt prorſus in eam tranſeat, ac identificetur, licet qua parte opponitur vna alteri, vna alteram non contineat; qua tamen parte idem ſunt cum eſſentia, vna eſt formaliſſimè idem cum altera, & eadem perfectio prorſus ſunt, & vnaquæque hoc ſenſu ſimpliciter erit infinita eadem infinitate, quia vnaquæque eſſentiam Diuinam infinitè perfectam habet, quod Diuina Scriptura dilucidis verbis teſtatur, *& hi tres vnum ſunt*, Ioannis Epiſtola 1. cap. 5. & Ioannis 10. *Ego, & Pater vnum ſumus*. Confirmatur ſecundò. Perſonæ, quæ ponuntur in Deo, idem prorſus ſunt cum Diuina eſſentia etiam vt oppoſitæ: nam primò quidquid eſt in Deo neceſſariò eſt ipſe Deus, aliâs cum Gilberto, & cum Abbate Ioachimo diſtinctæ, & affixæ, & aſſiſtentes ponerentur: ergo aut ipſis multiplicatis multiplicaretur & eſſentia, aut ſaltem componeretur ex ipſis oppoſitis, aut ſi id repugnat, non ponendæ, & multiplicandæ forent.

Ad alterius verò ſequelæ rationem, aut neganda conſequentia, aut ſimilitudo, quod in idem recidit: eo enim infinitas vnius veri Dei eſſentiæ, tollit Deorum pluralitatem, quo in nulla re conuenire poſſunt plures Dij, ſed vnumquemque & ſuam diſtinctam eſſentiam, & ſuppoſitum habere neceſſe eſt: vnde, tum omnes erunt finitæ entitatis, & perfectionis: tum ſi vnus erit infinitæ, reliquis alijs participata dumtaxat, & limitata entitas, & perfectio relinquetur, & ſubinde repugnabit ipſis eſſe Deum, de cuius ratione eſt ipſum eſſe illimitatum, & infinitum: eſt etenim Deus verus, *qui eſt*, nimirum ſimpliciter, & abſolutè. At verò perſonarum longe diuerſa ratio: in eadem enim eſſentia conueniunt prorſus, ita vt in omnibus, & ſingulis perſonis eadem numero non multiplicata, infinitè perfecta ſit, & ſingulæ earum eam perfectiſsimè totam impartibilem habeant: quare quantumuis multiplicentur; vnaquęque erit ſemper tamen infinita, infinitæ eſſentiæ communicatę ratione. An verò etiam vt opponuntur, ſingulæ perſonæ infinitæ ſint nuncupandæ, id tum ſolutum eſt dum de relationum perfectione erat ſermo; tum vno verbo adhuc hoc loco ſoluitur; & v.g. Patrem, & ſimili ratione reliquas perſonas in ratione Paternitatis eſſe ſimpliciter infinitum, ceù in quo omnis Paternitatis infinitè continetur ratio, quia eſt Pater Diuinus: & licet ipſe non ſit Filius, non ideo negandus infinitus, ſed tantum dicendum non omni modo eſse infinitum: eſſe tamen rem ſimpliciter infinitam, quod nullam abſurditatem inuoluit: ſicuti enim nedum abſurdum, ſed Diuinam perfectionem decet plures in vnica Deitate eſſe relationes; ita nulla ratione abſonum quamdam diuerſam infinitatis rationem ibidem admittere. Vaſquez, & Ruiz, ex D. Anſelmi perfectionis definitione, hanc eſſe quoque perfectionem ſimpliciter tuentur: eſt enim melior, quàm eius incompoſsibilis.

Hinc ſecundò eidem argumento ita occurrere licet, & neganda minor. Quid namque dedecet, relationes & perſonas, vt opponuntur, & plurificantur, non eſſe infinitas ſimpliciter, hoc eſt in ea prorſus ratione, qua eſſentia, abſolutè ſcilicet, ſed relatiuè? ita plurimi Theologi. Tertiò. Perilluſtris, & pereruditа Scotiſtarum ſchola, idque non ſine probabili ratione, perſonas vt ſic, & vt plures, non eſſe nec finitas, nec infinitas aſſeuerat.

Ad confirmationem reſpondetur. Deum quidem eſſe vnicam rem Diuinam ſimpliciſsimam, vt quidquid in ipſo ſit, omnino ipſe ſolus Deus aſſerendum neceſſariò ſit; hac tamen ſuppoſita & adhibita veritate, eſſe ita Deum vnicam rem formaliter eminentiſſimam, vt tamen in ſe tum abſoluti, tum relatiui rationes virtute diſtinctas complectentem; aliàs non inibi omnis entitatis gradus eſſet: & inde relatio in Deo vt oppoſita, eſt quidem Deus, tamen in ratione relatiui: quare neganda eſt conſequentia, idque triplici ratione. Prima quidem: infinitas perſonalis non eſt altera ſimpliciter ab infinitate eſſentiæ, vt nuperrimè dicebatur. Altera verò; nam licet alia eſſentialis infinitas eſſet, tum omnino ſuperflua, tum impoſsibilis: alia tamen relatiua, & perſonalis in eadem eſſentia non ita: quinimò, & tertia ſit ratio iam iam indicata. Ipſamet Diuina eſſentia haud ſimpliciter & omni ex capite infinita eſſet, ſi etiam omnem perſonalitatis rationem non complecteretur: neque enim eſſentia Diuina præciſè vt vna, niſi etiam vt plures perſonæ, eſt omnimodè infinita, neque Deus.

Ad ſecundam confirmationem, facillimo negocio ex his, quę ſupra multis locis explicata ſunt, oppoſitum quod deducitur, inferri monſtratur; & negatur proinde euenire, & conſequi illud abſurdum, quod nimia vi contendebatur; Diuinæ ſcilicet ſimplicitatis læſionem, aut compoſitionem: idque adminus gemina ratione. Prima. Perſonæ Diuinæ etiam vt plures, & oppoſitæ ideo non componunt, quia ea eſt relationis & originis oppoſitio, quæ teſte in primis ſancto Doctore innumeris ferè locis, non componit, ſed eas inter ſe facit referre, non autem ab eſſentia diſtinguit. Secunda. Perſonæ ita plures Diuinæ eſſentiæ ſunt intrinſecę, & vice verſa, eſſentia ipſis intima eſt, vt ad inuicem perſona de eſſentiæ, & eſſentia de perſonæ ratione intrinſeca ſint: ergo nulla inde conſequentia aut quod ex illa pluralitate Diuina eſſentia non ſit omnino ſimplex, aut quod perſonæ Diuinę eſſentiæ, vel aſſiſtentes ſint, & affixæ, aut inter ſe aggregatæ, ſicut plures homines.

Ad illa ſanctorum Patrum dicta Reſp. duriuſculè quidem quàm rigoroſè ſcholaſtici termini expoſtulant locutos, & exemplum de tribus hominibus aſſumptum non eſſe in ſe abſolutè vſquequaque proprium, vt obſeruat S. Auguſt. pſal. 68. vbi propoſito illo exemplo in illa verba, *infixus ſum in limo profundi, & non eſt ſubſtantia. Intereſt* docuit, *inter* tres homines, & tres perſonas Trinitatis; quod ſinguli ſint homines, & ſimul ſumpti ſint tres homines: at ſingulæ tres perſonæ Trinitatis ſunt quidem Deus; non ſunt tamen tres Dij: tamen & piam admittunt explicationem, & aliquo ſenſu ſunt omnia vera, præſertim ſi tempo-

ra,

ra, & propoſita, & finis, quibus tum vixerunt, tum loquebantur illi Patres, animaduertantur: argumentum enim primò ex æquali, & eodem imperio, eademque œconomia deſumptum ſic idoneè exponitur, & ſuſtinetur, primò quia videtur mutuatum à Verbis Chriſti Domini Io: 10. vt obſeruauit etiam S. Ambroſius lib. 1. de fide cap. 2. *Ego in Patre, & Pater in me eſt*; vt id probaret, ſcilicet ſe eſſe æqualem Patri, & idem cum ipſo, hanc aſſumpſit rationem. *Si non facio opera Patris mei nolite credere mihi: ſi autem facio; & ſi mihi non vultis credere, operibus credite, vt cognoſcatis, & credatis quia Pater in me eſt, ego in Patre*; his enim verbis probat ab eadē poteſtate, eodēq; imperio ſe eſſe æqualem, & idem cum Patre. Et eſt argumentum Theologis familiare: Vna, & æqualis eſt perſonarum omnipotentia: ergo vna, & æqualis natura. Quod ſecundo loco dicebant, perſonarum naturam eſſe ſimilem, hunc idoneum admittit ſenſum de ſimilitudine identitatis. Quod D. Hilarius. *Pater, & Filius ſunt vnus Deus, non ex ſolitudine, ſed ex ſimilitudine*: neceſſariā doctrinam tradit, nimirum ita ſunt vnus Deus, vt tamen non ſint vna perſona, & non ſit Deus ſolitarius, ſed plures perſonæ: ita quidem ad inuicem ſimiles propter eandem naturam; diſtinctæ tamen propter pluralitatem perſonarum. Quod D. Epiphanius: ſicut Rex & imago non ſunt duo Reges, ſed vnus, ita &c. quid abſurditatis continet vt exemplum? nonne Pater, & Filius, qui eſt imago Patris ſunt vnus Deus? quod ſi in Rege imago eſt alterius naturæ à Rege, id accidit ex imperfectione creaturæ, quæ non transfertur ad Deum in quo accidens eſt ſubſtantia: neque neceſſe eſt exemplum eſſe omnino ſimile: tunc enim eſſet idem, ſufficit vt deſeruiat ad id, ad quod aſſumitur. Præterea, tempore quo vixerunt iſti Patres non erat admodum agitata hæc quæſtio de vnitate numerica Diuinę naturæ: non eſt ergo mirum, quod eam omni circumſpectione ſingulis verbis non indicarent; ſufficiebat illis æqualitatem perſonarum tueri, præſertim contra Arrianos, qui in eo vexabant catholicos, vt efficerent Filium non eſſe Diuinitate æqualem Patri: deſeruiebat ergo illis exemplum de tribus hominibus, qui inter ſe ſunt æquales & ſimiles: cum enim probabant Filium eſſe æqualem, & ſimilem Patri, iam exploſa erat hæreſis Arrij, qui negabat æqualitatem Filij cum Patre, ipſumque inde dicebat eſſe creaturam: inde enim conſequebatur optimè. Filius eſt æqualis Patri: ergo Deus cum Patre; ſed Deus vnus eſt: ergo eadem natura cum Patre. Denique Sabellianorum hæreſis erat antiquior Arrianiſmo, vt igitur catholici ab Arrianis non repellerentur tanquam Sabelliani, ſedulo inculcabant diſtinctionem perſonarum contra Sabellium: atque hinc D. Epiphanius, & aliqui alij in Trinitate non vnitatem, ſed ſimilitudinem ponebant, vt dicebam etiam ſupra, ſola vnitate aſſerta, ne viderentur confundere, aut negare diſtinctionem perſonarum; aſſerebant autem ſimilitudinem, veluti in qua tum eadem natura, tum diuerſitas perſonarum ſignificabatur.

Plura, & innumera alia argumenta, tum ſolutiones poſſent hinc inde colligi, vt noſtris temporibus poſt alios collegit Hieronymus Florauantius à ſacris confeſſionibus Vrbani Octaui ſummi Pontificis lib. 3. de Trinitate cap. 3. tertia parte. Sed hæc ſufficiant. Maneat ergo hęc intacta, & intemerata Sanctiſsimæ Trinitatis veritas perſuadenda gentibus, vt non impoſsibilis, imò valde rationi conſona, ſoluendo omnes oppoſitas rationes, omnia eis recolendo, quę fidē hanc credibilem reddunt: proponenda Iudęis ex Diuinis veteris legis oraculis, & antiquitatis eorundem traditione: comprobanda hæreticis ex vtriuſque ſacræ paginę infinitis locis: nutrienda fidelibus, miraculis, rationibus, exemplis, qualia qualia in re tanta inueniri poſſunt: infidelibus ſoluendo eorum rationes.

ARTICVLVS IV.

An ita plures ſint Diuinæ perſonæ, vt neque plures, neq; pauciores quàm tres; & tandem quot ſint. D. Bon. ead. diſt. quæſt. 3. & 4. D. Th. eadem quæſt. art. 2.

Explicata, ac pro tenui noſtra virili corroborata perſonarum diuinarum pluralitate ex his, quibus ſua dogmata Theologorum Schola roborare, & confirmare conſueuit capitibus; rectè è veſtigio ſequitur, vt quo numero contineantur, & quot præciſè ſint, perueſtigemus, & qua methodo, & eruditione, & ratione multiplici, & efficaci hanc S. Doctor verſet quæſtionem, & ſoluat, referamus, & noſtris commentationibus enucleemus à textu de more auſpicantes.

PARAPHRASIS.

PRIMA igitur propoſitio. *Perſonarū Diuinarū numerus adeo neceſſariò eſt finitus, vt ipſum infinitum conſtituere multas repugnantias gignat, & inuoluat: & probatur primò. Illa tantummodo, quæ dicunt perfectionem in Deo ſunt ponenda: ſed ponere numerum infinitum perſonarum non dicit perfectionem, imò maximam implicat imperfectionem: ergo in Deo non eſt aſſerendus, nec admittendus. Maior ex ſe ſupponitur certa, & euidens ex ijs, quæ de perfectionibus Diuinis ſuo loco traduntur. Minor verò probatur. Primò, vbi aſſeritur infinitus numerus, ibi neceſſaria confuſio: ergo in Diuinis non eſt dicendus, imò à Diuinis perſonis excludendus. Secundò, vbi neceſſariò requiritur ordo, ibi non poteſt eſſe infinitas numeri: ſed in Diuinis perſonis eſt intrinſecè ordo: ergo non eſt ibi infinitas. Probatur maior ex ratione, & definitione ordinis: ordo enim dicit termi-*

minationem ad ea, inter quæ eſt ordo, & mediationem, per quam ett, ordo: infinitas verò negat primum, medium, & vltimum, & conſequenter ponit confuſionem. Probatur minor ex corpore quæſtionis, quia eius oppoſitum ſcilicet confuſio, & infinitas repugnat perfectioni Diuinæ. Secundò, quia in Diuinis perſonæ ſunt per originem: ergo per ordinem ab vno ad vnum. Tertia ratio. Vbi ponitur ſumma connexio, & germanitas inter perſonas, neceſſe eſt quod omnis perſona ab vna procedat: ſed in Diuinis eſt huiuſmodi connexio: ergo & huiuſmodi proceſſio. Probatur minor; nam ſi vna perſona eſſet ab alia, & alia ab alia &c. conſequenter inter primam, & vltimam eſſet maxima diſtantia; ſed ſi perſonæ ab vna procedunt, aut vno modo, aut pluribus: non vno, nam tunc nulla eſſet diſtinctio: ergo pluribus; ſed plures iſti modi non poſſunt eſſe infiniti: ergo neque perſonæ procedentes. Quarta. Si perſonæ Diuinæ eſſent infinitæ, alterum è duobus abſurdis impoſſibilibus, & paradoxis neceſſariò ſequeretur, aut quod anima videns Deum non eſſet plenè beata, aut quod eadem anima virtutis creatæ, & finitæ, cognoſceret tamen, & videret infinitas perſonas; quod tamen repugnat, tum in ſe, tum Diuinæ Scripturæ: & probatur. Cognitio, & viſio omnium Diuinarum perſonarum eſt de ſubſtantia beatitudinis, ſed ſi infinitæ eſſent diſtinctæ perſonæ, repugnaret quod eas ſimul omnes videret intellectus creatus: ergo non poſſet eſſe beatus: aut ſi videret omnes, veluti comprehenderet quod impoſſibile eſt, infinitum ſcilicet numerum. Probatur maior. Obiectum ſubſtantiale beatificum eſt tota Diuina bonitas; ſed ea eſt per communicationem, & per identitatem in ſingulis perſonis: ergo qui eam in ſingulis perſonis non videret, plenè non videret, neque conſequenter eſſet plenè beatus.

Secunda Propoſitio ex reſponſione ad argumenta. Licet quidquid eſt in Deo ſit infinitum neceſſariò, & natura, & virtus, & potentia multiplicandi, & producendi perſonas; non poteſt tamen perſonarum numerus eſſe infinitus. Probatur primò, quia vt ſupra dictum eſt, infinitus numerus imperfectionem dicit: quare eius productio nulli virtuti, aut potentiæ poteſt competere. Secundò, quia omnis communicandi virtus, & potentia in duabus ſolis perſonis producendis adæquatè oſtenditur, & perficitur, vt infra ſtatim propoſitione ſequenti.

Tertia Propoſitio ex quæſt. 4. Diuinarum perſonarum numerus non poteſt eſſe niſi ternarius, vt repugnet ſimpliciter eſſe perſonas plures, aut pauciores quàm tres. Probatur triplici rationum genere. Primum genus, quod inter omnia potiſſimum eſt, ſumitur ex fide: ita enim Catholica fides vbique docet, & multis locis teſtatur, vt infra.

Secundum genus rationes neceſſarias complectitur. Tertium congruentes, eaſdem tamen elegantiſſimas continet. ſecundi generis rationes ſunt illæ ipſæ quatuor, quibus ſupra in genere; in Deo plures perſonas dandas probatum eſt. Prima. Summa ex charitate ponebatur ſupra perſonarum pluralitas, nunc ex eadem dumtaxat Trinitas: vbicumque enim ſumma beatitudo, & germanitas, ibi quoque ſumma Charitas; ſed ſi eſſent plures quàm tres, ibi non eſſet ſumma germanitas: ſi pauciores, non eſſet ſumma Charitas: ergo tantum tres. Probatur minor, primò quo ad germanitatem. Si daretur v. g. quarta perſona: aut ab vna, aut à duabus, aut à tribus perſonis produceretur: ſi ab vna, vel duabus, non autem à tribus; non æquè cum omnibus conueniret: ſi à tribus, mediæ duæ perſonæ magis inter ſe, quàm prima & quarta adhuc conuenirent: ergo inter omnes non eſſet æqua germanitas. Probatur ſequela; quia prima tantum produceret: vltima tantum produceretur, mediæ verò tum producerent, tum producerentur. Probatur quo ad charitatem. Non poteſt perfecta charitas inueniri, niſi in tribus: ergo vt inter Diuinas perſonas intercedat, debent eſſe tantum tres. Antecedens probatur. Perfecta charitas eſt & liberalis, & ad alterum, & communis, vt ſcilicet & alius ab alio diligatur, vnde adſit & dilectio, & condilectio; ſed ad hoc præſtandum, vt patet, triplex poſtulatur ſuppoſitum: ergo.

Secundò ex ſumma in Deo perfectione ſic neceſſariò ternarius perſonarum numerus colligitur. Summa perfectio perfectam producendi rationem, & quo ad eſſe productum, & quo ad modum requirit: ſed modus producendi perfectus eſt tantum duplex, naturæ, & voluntatis, teſte etiam Ariſt. 2. Phyſ. tex. 49. & res producta eſt perfectiſſima, & infinita ex quolibet illorum modorum; ergo tantum tres perſonæ, prima producens ſimpliciter, ſecunda producta per modum naturæ, tertia per modum voluntatis. Probo conſequentiam, nam ſingula per ſuum proprium modum producta, cum ſint infinita, & contineant omnem rationem perfectionis ſui modi, multiplicari, & prorſus ſuperfluum eſt, & repugnat.

Tertiò ex ſumma ſimplicitate. Summa Diuinæ ſimplicitatis ratio poſtulat, vt nulla in ea admittatur diſtinctio, niſi iuxta illos duos modos emanandi, ſuperiori ratione recenſitos. Probatur. Alterutro tantum modo perſonarum ſumere diſtinctionem licet, aut nimirum naturæ, aut emanationis: non primo, nam natura eiuſdem ſimplicitas vetat: vt enim omnino impartibilis, totam vnicuilibet perſonæ Pater dat: ergo tantummodo emanationis: ſed gemina dumtaxat emanatio: ergo vna perſona procedens, & vna producens: ergo neceſſariò tres.

Quartò ex principio illo aureo primitatis. Omne producens neceſſariò aliqua ratione eſt produ-

ctio

Digitized by Google

ctio prius; ſed duæ perſonæ productæ in eadem ratione producendi, non poſſent eſſe vna altera prior: ergo nulla altera producibilis. Probatur maior: nam omnis productio præſupponit fœcunditatem in producente, & fœcunditas primitatem, vt à qua. Minor quoque probatur. Primò, ex infinita perfectione perſonæ productæ: ideo enim alia perſona comproduci repugnat, vt Filius alius cum Filio, & aliam ab ea produci, vt Filius alium Filium. Secundò, ex ſufficientiſſimo emanationum numero, vltra quem omnis alius impoſſibilis eſt: nam adæquatè Diuina fœcunditas communicata eſt per illos duos modos: nam per artem productio ex reſponſione ad vltimum, tum ad modum per naturam reducitur, tũ in Diuina *natura eam admittere repugnat.*

Quintò ex reſponſione ad argumenta: vt ad intus adæquatè fiat communicatio in Deo requiritur, non ſolum vt communicetur tota eſſentia, ſed etiam vt omni modo: atqui dum Pater communicat per generationem Filio naturam ſuam, non communicat omni modo: non enim per voluntatem: ergo danda alia perſona, cui alio modo eadem natura communicetur: ſed in tertia perſona iam omni modo communicata eſt: ergo impoſſibile eſt vt aliam perſonam ipſa producat. Confirmatur, quia neutro modo eſt prima; eſt enim, & poſt generationem, & poſt ſpirationem.

Tertium rationum genus in duo capita ſeiungitur, quorum ſingulum geminam rationem comprehendit. Alterum à ſufficientia combinationum. Alterum à perfectione numeri ternarij rationes congruas ad hoc myſterium trium perſonarum deducit. A' combinationibus ſic. Primò, triplex amor, gratuitus, debitus, & ex vtroque mixtus: ergo triplex quoque perſona; grauitus, eius perſonæ, quæ tantum dat, ſcilicet Patris: debitus, eius quæ tãtum accipit, ideſt Spiritus S. medius, qui tum accipit, ſcilicet à Patre, tum dat Spiritui Sancto, ideſt Filij. Secundò, omnis perſona neceſſariò ex ſufficientiſſima diuiſione, aut dumtaxat principians, vt Pater: aut principiata tantum, vt Spiritus Sanctus: aut tum principiata, tum diuerſa ratione etiam principians, vt Filius ex Patre, & cum Patre Spiritus Sancti etiam principium. A perfectione verò ternarij numeri, hac vtique ratione. Numerus, qui Deo tribuendus eſt, debet eſſe perfectus, vt vbique apud omnes inconfeſſo eſt; huiuſmodi eſt ternarius, & probatur. Numero ternario, ſiuè in ſe, ſiue in quantitate continua, ſiue denique in creatura, in qua inuenitur, ineſt prima, & ſumma numeri perfectio: ergo. Probatur; nam in ſe tum conſtat ex omnibus partibus aliquotis, tum ex reflexa vnitate in ſe ipſam ter ad numerum quadratum, & ſolidum, & cubum reducitur: ſi in quantitate continua, habet primam perfectionem, ſcilicet principium, medium, & finem: habet ſummam, quia omnem quantitatis dimenſionem complectitur. In creatura tandem habet primam, ſcilicet veſtigij perfectionem: habet ſummam in anima rationali, imaginis, ſcilicet Deiformem reformationem per beatitudinem.

COMMENTARIVM.

EVIDENS eſt his duabus quæſt. tum quid quæritur, tum quid denique ſtatuitur: quæritur enim quot numero ſint illæ perſonæ in Deo: ſupra multis quod ſint, & quod plures, nunc conſentaneè de numero inſtituitur dubitatio: & primò, cũ & in Deo ſint, & ipſe Deus vndequaque infinitus: ſoluitur, licet perſonæ ſint eſſentia & perfectione infinitæ; nequaquam tamen numero, ſed finitę primo, deinde & ſecundo loco, tres.

Et quo ad primum. Omnium rationum S. Bonauenturæ, cardo, robur, & conatus in hoc conſiſtit, hucque vrget, & quidem vehementer: quod ideo neganda perſonarum infinitas in Deo, quia abſolutè repugnat: neque id illa ſola ratione communi: cum in æternis ſit idem eſſe & poſſe, Deique natura, exiſtentia, quidditas hæc ſit, vt vna eſſentia infinita ſit in tribus dumtaxat perſonis.

Hinc intrinſecè ita eſſe, vt oppoſitum ſit euidens contradictio: ſed diſtinctas recenſet, & enumerat plures contradictiones, & inde proſilientes repugnãtias, adeo vt ſic omnis perſonarum origo, diſtinctio, ordo, productio funditus tolleretur: quare ex eſſerta perſonarũ infinitudine, perit quælibet perſonarum productio perfecta, ac Deum decens: paradoxon enim apertè redolet, producere perſonas, & negare primam producentem, & ordinem inter producentem & productã, & conuenientiam, germanitatem, & cõnexionem, quod ferè idem eſt: idque ex ordinis definitione, ex ratione, & modo producendi in Deo elegantiſſimè, & cumulatiſſimè commonſtrat, vt in paraphaſi textus conſtat: ordo eſt terminata habitudo multorum ad vnum: ex quibus ſic. Modus producendi in Deo debet eſse ita perfectus, vt infinitè tum in perſona producta, tum in modo producendi, vt adſit realis diſtinctio inter producentem & productum, tum ordo, & relatio, & ſit per omnẽ modum, nimirum naturæ, & voluntatis: ergo finitus, & terminatus debet eſse numerus: aliàs enim tum modi producẽdi augerentur, tum infinitum eiuſdem ſpeciei, hoceſt paternitatis, filiationis &c. multiplicaretur? quod inintelligibile eſt: confirmari eadem res poteſt ijſdem principijs, quibus quæſt. 2. tum pluralitas tum bonitas demonſtrata eſt: hæc enim tria ſe ita conſequenter habent, vt inde ſimul perſpicuiſſimè eluceſcant.

Et vt vehementius præmat, & hanc infinitatem ſic omnino iuguler, & quàm Diuinæ fœcunditati, & communicabilitati aduerſa, & inuiſa clarius patefaciat; poſtremo loco aliam indicat, & monſtruoſam prodit repugnantiam: nedum vlla adintus conceditur fœcunditas, ac perſonæ productio ſi aſtruantur infinitæ perſonæ, vt etiam omnis ad

extra

extra tolleretur beatitudinis communicatio, hoc pene modo. De ratione obiecti adæquati beatifici eſt vt beatus Deum videat, Deoque fruatur, & vt vnus, & vt Trinus; eſſentia ſcilicet Diuina vt infinitè bona, ab æterno intrinſecè communicabilis, iiſq; communicata perſonis, & in eis exiſtens: ſed ſi cõmunicaretur infinitis perſonis, ſicut perſonæ numerari non poſſent, ita neque videri, atque eadem ratione ea in ipſis non poſſet perfectè frui: ergo: ſed repugnat eſſe beatum, & non eſſe perfectè beatum: ergo pariter Diuinam bonitatem eſſe infinitis ſuppoſitis communicatam repugnat in ratione obiecti beatifici. Minor ex termino, & infiniti notione ex ſe nota, ac conſpicua eſt. Maior item: nam ſi eam non in omnibus ſuppoſitis videret, perfectè vtique non videret, eaque ſicut beatitatis expoſtulat ratio non potiretur, ac frueretur: hanc tamen maiorem negat Scotus; ſi tamen in ea ſumatur latitudine, vt in ordine ad quãcumque potentiam, tum ordinatam, tum abſolutam cenſeatur vera: conceſſa enim huius propoſitionis veritate de facto, ceu à fide teſtata pluribus locis, ſed pręſertim Io. 4. *Qui videt me, videt & Patrem meum*: de poſſibili nulla ratione aſſerit ſe videre quare oppoſitum contradictionem inuoluat, vt non poſſet Deus, liberrimè ſi vellet, edito miraculo, ſuam eſſentiam reuelare non reuelatis perſonis, vel ex illis vnam, aliquis nequaquam: quolibet verò modo beatitudinem perfectam, & quam vellet, conferre: idque perſpicuè docet 1. ſent. diſt. 1. quæſt. 2. §. quantum ad tertium: his præiactis, ac præcognitis. Primo, non poſſe propria virtute creaturam, Diuinam eſſentiam videre, quin & perſonas videat; neque voluntatem crearam ita frui eſſentia, quin ſimul & perſonis fruatur, & probat de vtraque potentia: de intellectu primò, nam cum ſit potentia, naturaliter non poteſt non ferri in ſuum obiectum Diuinæ eſſentiæ cum perſonis oſtenſum: de voluntate: tametſi ſit potentia libera, & fruendi, & diligendi Deum, & ſit ea facultas, ac poteſtas etiam in patria, vt præcipuè quæſt. 2. elegāter oſtendit: ſi vult tamen frui oblato obiecto, non poteſt, niſi ea ratione qua obijcitur: quare ſi Trinus & vnus obijcitur, eo & non alio modo non poteſt non frui. Secundò, poſſe Deum, non tamen ſine miraculo, de potentia ſua abſoluta, quia oppoſitum nullam implicat contradictionem, perfectiſsimè beare oſtenſa ſola ſua eſſentia, perſonis non oſtenſis; & perſonas aliquas, non tamen ſimul omnes, vt beati videant efficere; ſi tamen perſonæ vt quidem diſtinctæ, nõ tamen vt actu ad inuicem referuntur, ſumantur: vt enim ſic referuntur, repugnat, ſicuti natura ſimul ſunt, ita non ſimul cognoſci, ac videri.

Hoc ſic dilucidè aſſertum, ac diſtinctè, Primò probare aggreditur. Pater prius origine quàm generet Filium intelligitur beatus: ergo in illo ſigno eſt quoque perfectè beatificans; ſed in illo priori non videtur habere eſſentiam communicatam tribus, ſed ad ſummum vni tantum perſonæ: ergo ſola eſſentia, vel cum vna perſona ſola non alijs viſis, videri poteſt. Probatur maior; nam alias Patria beatitudo non à ſe, ſed à Filio penderet: & probatur; nam non alia ratione Pater eſſet beatus, niſi vt principium ex communicata beatitudine tribus: ergo in beatitudine penderet ab alijs perſonis.

Secundò. Quando duo obiecta adſunt ea connexione adinuicem, vt alterum ſit primarium, alterum verò ſecundarium; non implicat potentiam ad illa obiecta terminari ad primum ſine ſecundario: at verò Diuina eſſentia intellectus creati in cælo eſt primarium beatificans obiectum, perſonæ verò ſecundarium: ergo nulla repugnantia tollit, quin ad primum dumtaxat terminetur.

Tertiò. Poteſt Deus actiuè concurrere cum intellectu ad eſſentiam videndam, non ad perſonas.

Quartò. Poteſt Deus operari, vt viſo fundamento relationes non videantur, vna viſa idea, altera non videatur; vt vnum attributum clarè perſpiciatur alio non perſpecto: ergo eadem ratione de perſonis idem omnipotens Deus, & liberrimum obiectum, ac omnino voluntarium, efficere poteſt.

Quintò. Perſonæ, & relationes ex natura rei, & formaliter ab eſſentia diſtinguuntur: ergo vnum ſine altero non repugnat intueri. Denique, vt anima beabilis in cælo actu beetur plenè, non videtur vlla ratione neceſſarium, vt omni modo quo viſibilis Deus, ipſum videat, ſed ſufficit vt eum in eſſentia videat abſoluta: aliàs oporteret quemlibet beatum etiam infinitas creaturas videre poſſibiles in Deo; nã & ipſæ creaturæ ſic in Deo relucēt infinitę in infinita Diuinę eſſentię virtute productiua: quod tamē adeo abſurdum cenſetur, vt ſic vnaquęq. creatura videns Deum eum cõprehenderet, ſicut ſeipſum ipſe Deus ſeſe vidēs cõprehendit.

Sextò. Poteſt Deus Pater communicare Filio eſſentiam, non communicata propria paternitatis relatione: ergo eadem ratione poterit reuelare eſſentiam, perſona, ac relatione non reuelata.

Hæc ferè ſunt Scoticæ ſententiæ fundamenta, & argumenta, quæ licet de ſolis perſonis litem agere videantur; eadem tamen cum ſit ratio & de attributis, vt argumento 4. indicatum eſt, ad ea quoque extendenda ſunt, vt verè quidam Scotiſtæ de facto extendunt; eo præſertim, quo & Riccard. in 3. ſent. diſt. 14. art. 1. quæſt. 4. ad vlt. viſus eſt & huic ſententiæ adhæſiſſe: & ante ipſum S. Bonau. quæſt. 2. art. 2. his ferè verbis, beatos aliquid latere de profunditate Dei.

In oppoſitum ferè communis reliquorum Theologorum ſtat ſententia. S. Thomas prima par. quæſt. 12. art. 7. ad 2. & 3. abſolutè de facto Deum ab omnibus videri totum aſseuerat: clarius 3. par. quæſt. 3. art. 3. vbi de eo qui cognoſcit Deum ſi. cut eſt, teſtatur non poſſe circumſcribi aliquid à Deo, & loquitur de abſtractione eſſentiæ à perſonis: clarius adhuc 2. 2 quæſt. 2. art. 8. ad. 3. non poſſe eſſentiam ſine perſonis videri aſſerit: idem in 1. Sent. vbi addit aliam rationem. Ad beatitudinem ſpectat vt ex viſione originem ducat; ergo vt perfecta ſit beatitudo, debet eſſe ex perfecta viſione; ergo non ſolum abſoluta, ſed etiam

pro-

proprietates videndæ, quæ cum ſint relatiuæ, non poterit vna ſine alia videri. Hoc loco S. Bonau. Alb. Magn. 1. ſent. diſt. 1. Riccar. & Aegidius, dum vnica, & eadem fruitione beatos Diuina eſſentia frui, & in ſe, & vt in tribus, produnt: nam eadem eſt, neque alio modo de ſua ratione exiſtit. Henricus quolib. 4. quæſt. 27. Gabr. in 1. diſt. 1. vbi reliquos affert nominales. Reliqui Thomiſtæ, inter quos Caiet. cumulatè contra Scotum in D. Thom. vt indicato loco. Sotus in 4. diſt. 49. ar. 3. concl. 2. vbi ad hanc rem enucleandam hac vtitur diſtinctione: geminam poſſe obſeruari in beatorum mentibus notitiam de Deo, alteram appreheuſiuam, intuitiuam alteram, ſcilicet iudicatiuam, quam non viſiouem, ſed in viſione cognitionem, quam de Deo clarè viſo habet, ſicut habebat & in via: tunc. Notitia intuitiua non poteſt Deus cognoſci, nec videri non viſis etiam perſonis; ſecus de iudicatiua: poteſt enim apprehendere, & cogitare, & de eſſentia conceptum gignere à perſonarum conceptu diſtinctum precisè, & oppoſito modo.

Poſſumus (quis fortaſsè diceret) D. Bonauenturam ab hac lite non difficili negocio excludere, & non arduo molimine in vtramque partem interpretari, & conciliare: ſi enim S. Doctor ideo prodit omnes perſonas ad perfectum beatitudinis obiectum pertinere, eatenus probat, quatenus tota Diuina bonitas, quæ eſt obiectum ipſum, non habetur niſi vt in tribus, tribus perſonis communicata. Quid tamen inde contra Scotum vrget? nonne arridenti, & conſona acceptione poteſt de beatitudine, qua de facto cælites ſunt beati, accipi D. Bon. agere? licet enim hoc eſſe de obiecti beatifici ratione aſſeueret, vt videatur Deus vbicumque ſit, nimirum & in Patre, & in Filio, & in Spiritu Sancto, & in ſe; neque tamen negat aliter rem ſe habere poſſe per Diuinum miraculum, quod & Scotus vtraque manu libentiſſimè conceſſit; nec adhuc S. Doctori vllum verbum de neceſſitate abſoluta elapſum audiuimus: eo præſertim hoc fidentius dicendum de hoc Seraphico Doctore, quo ex ſui ipſius percelebri humilitate erat ei hoc proloquium familiare. Plura Deus poteſt facere, quàm nos intelligere, vt perraro, ac ne difficilè ad hoc induceretur, aliquo effectu Diuinam poſſe potentiam ſic terminari, vt aliter haud per Diuinam, & abſolutam vim fieri poſſe concederet, niſi id ex Diuinis litteris, aut aliunde apertè neceſſariò colligeretur. Ac ſubinde quis audebit Deo omnipotenti, alio nobis abſcondito modo poſſe ſe conſtituere obiectum beatificum quàm conſtituerit, negare? Neque eodem ſenſu interpretari, ac D. Thomam quoque explicare, onerosum ac difficile exiſtimo: neque enim recenſitis locis Angelicum Doctorem de potentia abſoluta loquutum, vlla ex parte colligitur ſatis, ipſis Thomiſtis teſtibus; ac multis locis interpretibus: vbi eum quando rem aliquam ita eſſe, aut non eſſe, aut eſſe non poſſe, vel fieri ſæpenumero teſtatur, de potentia ordinaria, non abſoluta interpretantur.

Verumenimuerò cum in oppoſitam ſententiam ferè vniuerſa Theologorum familia, ac ſchola S. Thomam conducant, ac exponant, & S. Bonauenturę verba eandem vehementer indicēt. Primò. Ad rationem obiecti beatifici ſpectat non ſolum vt eſſentia, ſed vt perſonæ etiam videantur. Secundò. Si per impoſſibile perſonæ Diuinæ eſſent infinitæ, non poſſet quis Deum videns eſſe plenè beatus, quia infinitas numero perſonas videre non poſſet: quibus ſatis explicatè ſe non de facto tantum, ſed de potentia Diuina etiam loquutum patefacit. Placet, neque rudi, ni fallor iudicio, ac penſitatione in hanc partem ipſum enodare; eo etiam libentius, quo Scotus pro ſua congenita modeſtia non prorſus negat hac ſententiam, ſed dumtaxat ſe non videre contradictionem fatetur. Suppono igitur non de facto inſtitui dubitationem; nam Sancta fides præcipuè in Conc. Florent. in litteris vnionis, cogit omnes ità credere, beatos nimirum viſione beatifica intueri Deum vnum, & trinum: quod tum ex Diuinis oraculis, tum ex Patrum Sanctorum aſſertis, dictante Spiritu Sancto collegiſſe illa oecumenica Synodus exiſtimanda eſt. Sed factum ſicuti eſt, ſic aſſeritur ità neceſſariò eſſe, vt alio modo fieri non poſſet. Et his ratiocinationibus cogor confirmare.

Primò. Vnica auctoritate, quam plurimi faciunt Theologi, quam agnoſcit etiam, & timet Scotus ipſe, & quantum poteſt gloſſat, quamque ad hanc quæſtionem pertractandam aſſumunt omnes. Ioan. 14. *Tanto tempore vobiſcum ſum, & non cognouiſtis me? Philippe, qui videt me, videt & Patrem. Quomodo tu dicis: oſtende nobis Patrem? Non creditis quia ego in Patre, & Pater in me eſt?* quibus verbis Chriſtum Dominum loqui de clara viſione intellectuali ſecundum Diuinitatem, interpretes ſunt Sancti Hilar. lib. 7. de Trinit. Athanaſ. in confeſſione fidei ad Epictetum. Greg. Nazian. Orat. 36. vbi dicit, Filium Dei ideo dici logon, quod ſit veluti Patris definitio, qua cognita Pater ipſe cognoſcatur. Auguſt. lib. 1. de Trin. cap. 8. & alibi: & ijs verbis perſonarum æqualitatem probari docent S. Athan. Tertull. Cyrillus, & Chriſoſt. Quod verò Philippus non viſionem hanc beatam Diuinitatis poſtulaſſet; nihil id quod prætendimus impedit: ad quamcumque enim ipſius petitionem, ac cuiuſcumque etiam corporeæ viſionis potuit Chriſtus Dominus ex abundanti reſpondere, vt ſæpenumero mos ipſius. (& exempla ex Euãgelijs poſſent referri de Samaritano in illis verbis. Luc. 10. *Quis eſt meus proximus?* de Magdalena cum ad Simonem hoſpitem loqueretur) de omni perfecta, & diſtincta cognitione perſonarum, ſiue per fidem, ſiue per quamcumque Deo poſſibilem ſpeciem, ſiue per lumen gloriæ, vt inter alios in hunc locum obſeruauit etiam Maldonatus. Hinc hæc argumentatio conflanda eſt: Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus ſunt eiuſdem naturæ, & ſubſtantiæ: ergo vna perſona ſine alia videri non poteſt: ergo hic locus non infert tantum de facto, ſed de omni neceſſitate ex identitate naturæ perſonarum. Probatur ex illis huius loci verbis; *quia ego in Patre, et Pater in me eſt.* Neque argumentationis robur minuitur, quod limitatè ex hoc loco coactus concedit Scotus;

Ideo non poſſe Patrem ſine Filio, neque Filium ſine Patre videri, propter mutuam correlationem: non ſequitur tamen omnes tres perſonas ſimul neceſſariò videri; nam Spiritus Sanctus non mutuo refertur ad Patrem, & Filium vt ſic, & argumentationis ex hoc loco deſumptæ hęc non eſt vis; ſed inde omnes ſimul perſonas videri viſa eſſentia; quia omnium vna eſſentia eſt.

Nec iterum eadẽ ratio ſuo ſubmouetur loco, ſi à quibuſdam obijciatur: hic ex S. Io: ſent. ad ſummum colligi, ex identitate eſſentiæ cum perſonis ea viſa neceſſariò quoq; ſimul eas videri; neq; tamẽ nvt adinuicẽ diſtinctas: alia ſiquidẽ ratione cum eſſentia ſunt idem, alia mutuo, & abinuicem diſtinctæ, vt ex ſuo loco enarratis conſtat; quandoquidem ex eiſdem verbis tum Chriſtus Dominus, tum Sancti Patres, & identitatem, & diſtinctionem perſonarum colligunt: & ratio ſubeſt: nam ex eadem ſubſtantia videndus eſt Pater, dum videtur & Filius, & Spiritus Sanctus: Pater tamen vt ſic, ſcilicet vt Filij Pater, & Filio oppoſitus, & diſtinctus paternitate: atqui hunc Deum, hancque eſſentiam in ſe exiſtentem non viſis proprietatibus relatiuis videns, non videret Patrem, neque Filium reuera conſtitutum ſic ſuis proprietatibus. Quanta ergo neceſsitas eſt, vt Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus ſint idem in eadem eſſentia, & adinuicem diſtincti; tanta quoq; vt videantur ſimul vt ſic ab intellectu beato, ex hoc oraculo.

Secundò. Vnica ratione quoque eandem veritatem, pobare aſſumo: neque enim hic longam attexere diſputationem meus eſt animus, tum ne ab alijs vberrimè acta agam, tum quia vnius rationis S. Doctoris in re non maximi momenti hoc loco non pugnacem digladiatorem, ſed ſincerum commentatorem ago. Hanc verò triplici ex capite ſumo, & conſtruo; animæ nimirum videntis, viſionis, & Dei viſi, & à primo capite ſic exordior.

Anima rationalis Gen. 2. ad imaginem, & ſimilitudinem Sanctiſſimæ Trinitatis producta, & ex nihilo creata eſt: dixit enim Dominus *faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram*. Diuinas autem perſonas hoc loco non ad Angelos, ſed adinuicem locutas, orthodoxa, & communis, & neceſſaria eſt ab omnibus amplexata expoſitio, & Patres hoc loco, & Theologi de Diuinarum perſonarum pluralitate vehementer vrgent hebræos: & animam, tum vnitate eſſentiæ, tum & potentiarum trinitate, & ordine, & operatione, Sanctiſſimæ Trinitatis imaginem præſeferre, pluribus Patres, ac præſertim Aug. perſępè libris de Trin. ac præcipuè lib. 7. (quæ S. Aug. doctrina placuit, & probata fuit in Conc. Lateran. ſub Martino) & ſecum Magiſter ſent. in 1. diſt. 16. cum vniuerſa Theologorum Schola, proſequuntur. Denique quemadmodum D. Baſil. hom. 10. in Gen. verbum aliquid in Scripturis Sãctis eſſe otioſum, ſuperuacaneum, & ſine myſterio aſſerere, eſſe blaſphemiam docuit; illa vocula *Ad* non erit floccifacienda, ſed arcano plena, & ad aliquid nobis innuendum cælitus propoſita; ad in nobis ſcilicet alta mente reponendum, ad Deum ipſum Opt. Max. eſſe creatos, vt ad Deum tendentes, in Deo tandem quieſcamus: vt quemadmodum lapis ſua grauitate, flamma ſua leuitate ad centrum proprium peruenire anhelant, quia in ipſo dumtaxat ſuam perfectam conſequi poſſunt requiem; ita propemodum rationalis creatura in Deum ex ſuæ intrinſeca naturæ conditione ſic propendet, & nedum progredi, ſed concitata voluntate euolare contendit, vt in eo ſolo perfectam, abſolutamque quietem, & felicitatem adinuenire, eaque inuenta, & obtenta perpetuò frui poſſit: ita eruditè, & eleganter ex praxi S. Aug. *Feciſti me Domine Deus meus ad te, & inquietum eſt cor meum donec requieſcat in te*, & alibi ſæpe alijs verbis: ſed eandem ſententiam repetit, efficacius tamen & verius Dominus noſter Matth. cap. 11. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos*. idque totum hac ſolida, potiſſimaque ratione. A ſolo Deo per creationis exitum omnes egredimur: ergo in ſolum Deum nobis tendendum, ac terminandum, à ſoloque Deo, eius quod accepimus eſſe, perfectio, & finis, & quies eſt obtinenda, ex vulgato, tritoque etiam Philoſophorum proloquio: efficiens, & finis ſunt eiuſdem ordinis, & iam fide firmato. Apoc. 1. *α. & ω. ego ſum principium, et finis*. His ſic conſtitutis, huiuſmodi argumento vtor. Omnis creatura rationalis creata eſt, vt non extra Deum, ſed in ſolo Deo quieſcere, & beari poſſit: ſed creata eſt ſimilis, & ad imaginem Sanctiſsimæ Trinitatis: ergo non niſi in vnum, & trinum Deum vadit, & niſi in Deo etiam trino perfectam, & vt S. Doctor quietantem felicitatem obtinere poterit: ergo in ſola eſſentia, aut cum vna, aut altera perſona ſola perfici non poterit. Probatur: nam ex hypoteſi, ſicut ea non eſt natura, & origo animæ, vt ſoli eſſentiæ per imaginem ſit ſimilis, ſed etiam perſonis, perſonarumque origini, & ordini; ita non poteſt eſſe eius finis perficiens, niſi Deus vnus, & trinus. Maior, ac minor argumenti, præiacta ante fundamenta animaduertenti, ac rectè perpendenti, non adeo vacillant, vt probationibus indigeant fulciri: confirmari tamen poſſet ex alia hypotheſi hæc veritas, ex lumine nimirum gloriæ in intellectu beato. Lumen gloriæ, vt omnes ſupponunt Theologi, inditum eſt in intellectu, vt eum diſponat ad Deum videndum ſicuti eſt, & non cadit ſub voluntatis poteſtate eius vſus, vt ſuo modo & libito vtatur, ſicuti reliquis habitibus; ſed neceſſariò ad eum finem, ad quem infunditur, eo vtitur mens beata: ergo eo videbit neceſſariò Deum, non tantum vnum, ſed etiam trinum: nam ſic hic eſt Deus vnus, & trinus.

Ratione verò, & ex viſceribus viſionis intuitiuæ rectè perceptæ, ſic ad eandem veritatem infero. Hæc eſt ratio: intrinſeca perfectio intrinſicæ beatorum viſionis, de qua in præſentiarum, eſt vt ſit diſtincta, & intuens cognitio eſſentiæ Diuinæ clarè, & perfectè; alias non eſſet perfecta, quam in beatis præſupponimus: ſed de eſſentia Dei eſt vt ſit in tribus perſonis, & æquè intrinſecum Deo, vt ſit Trinus, ſicut & vnus: ergo ad

hanc

hanc rationem videndi Deum ſpectat ſic eum videre. Minor, tum ſupra ſatis longa ratiocinatione probata, tum paucis etiam infra iterum ſumetur: concluſio quoq; eſt euidens: ſic enim videre eſt effectus ſuus formalis. Confirmatur, vt doctè hìc Caietanus, ſed ex D. Bonauentura; nam ſi hunc gradum, & modum Diuini eſſe non videret, non quieſceret donec ad hunc perueniret, atque ita non eſſet perfectè beatus; quod tamen tanquam certum in maiori præſumebatur.

Hinc ad rationem ex obiecto deſumptam pergo: ſed prius ob oculos poſita, & perattentè propoſita eſſe volo hęc. Primum. Ad Diuinam ſimplicitatem ſanctius colendam, vt non minus piè, quàm eruditè S. Doctor loqui conſueuerat, Sanctorum Theologorum ſupra eſſe relatam, ac confirmatam ſententiam, inter eſſentiam, & Diuina attributa, & relationes, ac perſonas, non eſſe nedum vllam actualem diſtinctionem, ſed vnum de ratione intrinſeca alterius, v. g. eſſentiam de ratione relationis. Secundum. Relationes Diuinas, etiam vt oppoſitas, ſuam habere perfectionem ſingulas, & ſuo modo infinitam. Tertium. Diuinam eſſentiam non ſubſiſtere, niſi in tribus perſonis, quæ omnia ſuis locis ſatis pro tenuitate noſtra roborata, ac confirmata exiſtimo.

His obſeruatis, hanc conficio rationem. Vnica, & formalis ratio eſt eſſentiæ, & relationis, & perſonæ: ergo repugnat, quin viſa vna videantur & reliquæ. Antecedens primò cõfirmatur: ſicut de ratione eſſentiæ eſt, quod exiſtat, ita de eadem ratione, quod exiſtat ei competenti modo, nimirũ in tribus. Secũdò, ſicut exiſtere nõ poteſt, niſi ſuo modo: ſic videri nõ poteſt, niſi ſub eodem modo; ſed intrinſecus modus vt in tribus exiſtat: ergo & non niſi ſic neceſſariò videri poteſt. Probatur minor: ſi enim non eſſet Trinus, non eſſet quem adoramus, Deus. Tertiò. Non videtur tota Diuinæ ſimplicitatis ratio, ac perfectio, niſi vt Diuina eſſentia tribus communicata, neque tamen multiplicata. Quartò. Diuina eſſentia vt ſubſiſtens, oportet vt ſit obiectum beatificum, quia hic eſt nobiliſſimus ſe habendi, & exiſtẽdi modus: ſed non ſic ſubſiſtit, niſi in tribus ſuppoſitis: ergo neq; obiectum beatificũ, niſi vt ſic: quare ruere incipiũt ferè ſe ipſis aduerſum nos iam fabrefactæ, & contortæ rationes; Diuinam ſcilicet eſſentiam eſſe obiectum primarium; perſonas verò Diuinas ſecundarium noſtræ beatitudinis: negandum enim ex aſſertis omnino; nam vnicum, & primarium eſſe eſſentiam in perſonis iam aſſeruimus.

Neq; quicquam contra hoc aſſertũ obtinent, quæ à Suarecio lib. 2. de Deo vno, c. 23. obijciebantur, vt ſuæ rationi, quã ædificabat, ad eandem rem eleuatiorem locum pararet. Primum nempe, tametſi videatur Diuina eſſentia, vt idem cum perſonis; non eſt tamen neceſſarium, vt omnibus ſuis modis videatur. Secundum, nam eſſentia videtur ſine perſonis; non tamen neceſſariò ſequitur, eam videri vt diſtinctam, ſed præſcindendo eam à perſonis: ſed hæc inquam nihil præſtant, & conſtat ex aſſerto antecedente: ſi enim omnino idem, & formaliter ſunt eſſentia, & perſonæ, non poteſt nec diſtinguendo, nec præſcindendo, vnum ſine altero videri. Præterea, vt infra ad argumenta, quicquid ſit de his, non erit ſufficiens conſtitutum beatificum obiectum, niſi cum his omnibus: hæc enim erat vis meditationis, ac ratiocinationis D. Bonauenturæ, quam ſupra contra Scoti ſententiam, Scoto antiquiorem; eſſentiam ſine perſonis non eſſe adæquatum obiectum; nam Diuina bonitas non eſt vt ſic ſub omni ratione perfectiſſimæ bonitatis: quod adhuc ſic poſſet confirmari. Primaria bonitatis perfectæ ratio eſt, vt ita ſit integra, vt ei nihil omnino deſit: ſed ſi ſine perſonis Diuina ſumatur bonitas, ei perfectiſſimus modus in perſonis ſubſiſtendi deeſt, ac adæquata cõmunicatio tribus: ergo ſic non erit adæquatum obiectum beatificans. Confirmatur: nam & perſonæ vt ſic diſtinctæ, ſunt infinitè, ac ſummè bonæ, & perfectæ: ergo ad integrum obiectum beatificum ſpectant. Didicit hæc & Bannes, & ex his ſimilem hoc loco pro eadem veritate confecit argumentationem.

Hæc verò dixerim, non vt Dei omnipotentis vim pręcluderem, eique terminum pręfigerem; ſed potius quo peruenire fas ſit meæ tenui, ac ferè cæcutienti intellectioni aperirem, vt verius aſſerta hoc loco contradictio, ſit mei intellectus, quàm Diuinæ virtutis terminus: Deum namque glorioſum innumera plura poſſe ſua infinita, incircumſcriptaque virtute, quàm omnem, nedum meum, intellectum creatum percipere fateor: dumque huius vitæ vſura fruar, libentiſſimè fatebor: & qua mente, ac animi moderatione Scotus, ſe non videre contradictionem teſtatus eſt; eadem & ego cum magni nominis viris, ac Theologis contradictionem viſus ſum videre, vt quam verborum S. Bonauenturæ ſubiectam ſententiam mihi perſuaſi, ſcripſis teſtatam deponerem.

Ad argumenta verò oppoſitæ ſententiæ, tametſi ferè ſatis omnibus factum iam ſit; adhuc tamen diſtinctius, ac dilucidius ad ſingula ſingulas reſponſiones adhibeamus. Sed primò quaſi in genere ad omnia, vel ſaltem plura ſimul. Quicquid ſit de primario, vel ſecundario obiecto, ac itidem quicquid de differentia inter eſſentiam, & perſonas formali aſſeueretur &c. nihil adhuc ad eã quam profitentur ſententiam, obſequuntur: primarium enim eſſentiæ Diuinæ, & ſecundarium relationum obiectum; poſſunt tamen ad inuicem adeo eſſe connexa, vt ſine altero, vnum videre repugnet: eademque ratione, quantumuis differant, quid ſubinde conſtat, quin impoſſibile ſit alterum clarè intueri, alterum nequaquam? De vtroque in promptu adeſt exemplum: dum verſatur intellectus circa contemplandas relationes oppoſitas; tunc relatio eſt obiectum primarium, relationum terminus, ſecundarium: neque tamen vnum percipere, aut intueri ſine altero licet; idque ingenuè concedit ipſe Scotus: Perſona Patris realiter differt à Filio, Spiritus Sanctus à ſpiratoribus, Patre, & Filio: nulla tamen ratione fieri poteſt, teſte eodem Scoto, vt Pater ſine Filio, ac correlatiuo termino apprehendatur, ac videatur: quare ſola formalis diſtinctio inter primarium, &

ſecundarium obiectum, non ſufficit, neque ſatis pro dignitate tuetur oppoſitam ſententiam: ſecundò.

Ad primum negatur maior: nam tum verè diſtinctiones, ac intellectiones illæ in primo ſigno ſunt mentis noſtræ conceptus, non à parte rei: tum Pater non poteſt intelligi, ſicut neque eſſe, niſi ſimul natura cum Filio, vt terminus eſt, ac patri correlatiua perſona. Ad probationem neganda conſequentia: non enim, etiam conceſſo, quod negatum eſt antecedenti, adhuc penderet, aut à Filio reciperet beatitudinem Pater; ſed Diuina eſſentia eadem numero, etiam ad Filium quaſi extenſa, ac verè communicata, ſub omni ratione, ac modo frueretur.

Ad ſecundum poſſet negari abſolutè maior, vt nuperrimè indicatum eſt; ſed negatur minor ex ſatis cumulata quæſtione ſupra, diſputatione de Identitate formali eſſentiæ, ac relationum.

Ad tertium negatur aſſumptum. Repugnat ex parte effectus formalis viſionis beatificæ: hoc enim, vt iam præoſtenſum eſt, ratio perfecta viſionis, vt Dei quidditatem intueatur ſicuti eſt, expoſtulat. Formaliſſimæ vnitati aduerſatur. Animæ ad imaginem Sanctiſſimæ Trinitatis creatæ obſtat, adeo vt innoluere contradictionem cenſeamus.

Ad quartum, iterum in Deo negatur aſſumptum, eadem ratione qua ad ſecundum. Ad primam inſtantiam ex attributis, eadem protſus reſponſione. Ad ſecundam, poſt eandem repetitam ſolutionem addo: ad ſubſtantiale beatitudinis obiectum, creaturas in Deo à beatis videri, non intrinſecè requiritur, vt ex vi viſionis nihil præter Deum trinum & vnum videndum ſit. Secundò, quo ad poſſibilia, quæ præcipuè per ideas repreſentantur, vnica eſt idea formaliter, diſtincta rationis relatione ad creaturas, quæ eſt ipſamet Diuina eſſentia, vt communicabilis, & ſuo modo imitabilis.

Hanc de creaturarum in Deo beatarũ viſione ſententiam tradunt conſtanter S. Bonauentura 3. ſent. d. 14. art. 2. quæſt. 3. in fine, Scotus ibidem quæſt. 2. §. *ſed ſi iſta*. Gabriel quæſt. 1. art. 1. notab. 3. Maior. quæſt. 3. & in 4. diſt. 45. quæſt. 16. Marſilius in 3. quæſt. 10. 3. parte ſatis poſt medium, & alij: imò S. Thom. 1. par. quæſt. 57. art. 5. vt attentè intuenti patebit, vbi aſſerit: Angelos in Deo res videre ſecundum quod Deus reuelat: ergo non ex vi viſionis.

Ad quintum: Non eſt certa, ac firma conſequentia, vt iam exemplo oppoſitum eſt, etiam antecedenti conceſſo: ſed poſtquam negatum eſt antecedens, iterum concedere non decet, vt ad primum, 2. 4. & 5. vnica ſufficiat reſponſio, vel vt vetius loquar, negatio.

Ad ſextum. Vnica eſſentia Diuina vt in tribus ſubſiſtit, in quibus ſi non ſubſiſteret, non ea eſſet quæ eſt, obiectum, tum Deo, tum multo magis creatis mentibus, ſufficientiſſimum: quod verò creaturas videant beati, & quot, nec ſic diſtinctè, vt antea ad ſecundum, ad beatitudinis eſſentiam non ſpectat. Quod eſſentiam ſummè ſimplicem, quæ ſit quoque ſpeculum, & idea; nulla ratione negocium faceſſit: nam cum vtrumque ab eſſentia dumtaxat ratione differat, ſub vnica ratione formali, pro ſua meritorum capacitate quis eam videns, clarè intuetur ſimul & creaturas; neque vnquam commemorato loco S. Bonauentura 3. ſent. in oppoſitum quicquam ſuſpicatus eſt; ſed dumtaxat illis verbis eruditiſſimè, beatos non Diuinam eſſentiam comprehendere quemadmodum Deus, neceſſariò animaduertit.

Ad ſeptimum neganda conſequentia, primò eadem ratione communi: inter eſſentiæ, & relationis diſtinctionem remanet identitas formalis à parte rei: quare non poteſt videri, & non videri eadem vna res ſub eadem ratione formali; & ſi inter dantem eſſentiam, & recipientem diſtinctio realis interuenit; non poteſt tamen niſi ſimul videri, vt iam nuper. Secundò, quidquid ſit de modo ſe habendi obiecti, expoſtulat id ratio, tum videndi, tum potentiæ ad Trinitatis imaginem.

Scio quoſdam inter Scotiſtas has ſoluere ſolutiones: ſed ſoluant: non difficili negocio has iteratas ego quoque ſoluerem, vt datas tuerer; abſtineo autem: neque enim tantum in re probabili, & quæ admodum non refert, enitendum. Ad argumenta ergo S. Doctoris expendenda, & paucis ſoluenda deueniamus: nihil enim difficultatis continent.

Ad primum ergo ſic efformatum. Quicquid eſt in Deo verè infinito, infinitum neceſſariò eſt: ſed perſonæ ſunt in Deo: ergo infinitæ. Maiorem probat argumento deſumpto ab oppoſitis, vt in textu: vbi obſeruandũ, hoc argumenti genus potius rhetoricum, quàm verè vim habens ad vrgendum, exiſtimandum, multaſq. patitur exceptiones, multis locis ab ipſo S. Doctore traditas: ſed ſolidiori maior nititur fundamento, quod ſupponit tanquam certũ, Diuinæ ſcilicet ſimplicitati, qua quicquid in Deo, Deus ipſe eſt. Minor quoque ſupponitur ſic certa, vt de fide, ex his quæ ſuo loco hac de re traduntur: ſed ad argumentum reſpondetur, & conceditur totum; ſi tamen formaliter loquamur, eo ſcilicet modo dumtaxat perſonas eſſe infinitas, quo infinita eſt & eſſentia, in qua ſunt, entitate, immenſitate, perfectione &c. Quare ſi extendatur conſecutio etiam ad numeri infinitatẽ de perſonis aſſerendam; omnino neganda: ſi enim, vt petit argumentũ, ſortitur perſona infinitatem ab eſſentia in qua eſt; eſſentia cum numero non ſit infinita, neque eadem ratione poterunt eſſe perſonæ infinitæ: eo præſertim, quo iam in quæſtione demonſtratum eſt, hanc numeri infinitatem repugnare perfectioni Diuinæ.

Secundum. Infinitum numero, etiam virtute eſt infinitum: ergo aut ponenda in Deo hæc infinitas numeri, aut Deus non erit ſimpliciter, & vndequaque infinitus.

Reſp. eadem reſponſione. Infinitatem ſcilicet numeri, nedum non dicere perfectionem, ſed repugnare: quare neque de perſonis aſſerenda; ratio allata iam eſt: nam eadem infinitate, qua eſſentia in qua conueniunt, perſonæ infinitæ ſunt, & ideo non multiplicabiles, ſicut nec eſſentia: quare D. Athanaſius in Symbolo *Immenſus Pater* (æquè ac ſi dixiſſet infinitus) *immenſus Filius, immen-*

ſus

ſus Spiritus Sanctus, neque tamen tres immenſi, ſed vnus immenſus. Ad argumentum ergo omnino neganda conſequentia.

Tertium. Infinita virtus emanans, & producens ſecundum omnem ſuam, & totam virtutem; ſicuti poteſt, ita debet ſecundum omnem infinitatis rationem: ergo non ſolum virtute, & intentione, ſed etiam numero, & extenſione: ſed virtus producendi exiens à Patre hac ratione, & plenitudine, & infinitate ea eſt: ergo. Probatur minor, nam Pater ſecundum omnem ſuam poteſtatem, ac vim producit, & communicat omnibus modis infinitam eſſentiam.

Reſpondetur eadem ſemper reſponſione; Patrem ſcilicet ſecundum omnem virtutem infinitam producere, quæ producta dicant perfectionem; vnde non debet ſecundum infinitatem numeri &c. quare ad argumentum negatur ſequela maioris.

Quartum. Multiplicatio perſonarum in Deo, aut perfectionem præſefert, aut non præſefert: ſi non: ergo non ponenda in Deo: ſi ſic: ergo à proportione maior multiplicatio maiorem virtutem, ac perfectionem; ſumma, & infinita, infinitam quoque indicabit: ergo infinitas perſonarum in Deo aſſerenda propter infinitam virtutem &c.

Reſpondeo eadem iterum reſponſione. Soluit, ac ſufficit ſumenda in Deo multiplicatio à perfectione, ſubiecto competenti, in quo eſt, ſcilicet Deo; Deo autem aliqua multiplicatio, ſed non quælibet, & omnis conuenit, & perfectionis, & virtutis eſt: imò excedens ternarium, imperfectionem, & repugnantiam inuoluit, multo magis infinita: ad argumentum ergo, antecedenti concesſo conſequentia negatur, tum quia formaliter implicat contradictionem concedere numerum actu infinitum, tum quia in Deo ex rationibus in quæſtione, repugnat Diuinæ eſſentiæ vni intenſiuè, & ordini perſonarũ numeri infinitas &c.

ARTICVLVS II.

Perſonę Diuinę ſunt tres.

Quo verò ad ſequentem quæſtionẽ de numero terminato trium Perſonarum, quid quærat S. Doctor, ſicut nuper in initio commentarij adnotauimus, conſpicuum eſt: totus enim eſt in perſuadenda Sanctiſsimæ Trinitatis reali veritate, ſuppoſita fide, ac in diluendis aduerſariorum argumentationibus. Trifarium verò eſt argumentorum genus, quibus pro hac veritate pugnat. Primum ex Diuinis litteris deſumptum. Alterum, quod neceſſarium nuncupat, non ex euidentia, quæ in abditiſsimæ fidei veritate, nec haberi, nec expectari licet à viatore, ſed ex tum neceſſaria re de qua, tum ex infallibilis veritatis certitudine. Tertium congruum ac probabile, quo non vrget. Secundi autem generis argumenta ex Dei primitate, perfectione, charitate, felicitate ſumma, ſummaque ſimplicitate conſtruit. Ad quæ in præſentiarum explicanda, & commentarijs illuſtranda, non eſt cur diu immoremur, aut inſudemus: quandoquidem ea, quæ tum in paraphraſi textus, tum ſuperiori diſputatione de perſonarum pluralitate præſtitimus, videntur ſufficere: ſunt enim eadem rationum fundamenta.

Tantum adnotandum cenſeo, gratis à Scoto impugnari rationem S. Bon. ex bonitate, & perfectione deducta: nam ipſe quoque ex eadem perfectione ſumma, arguit pluralitatem, vt intuenti conſtat; habuit autem S. Doctor fundamentum etiam in Ariſt. in prohœmio metheoræ, & ibidem textu 54. vbi perfectum eſſe docuit, quod ſimile ſibi producere poteſt. Mairo quoque conatur impugnare, quæ ex prima, & ſecunda ſuppoſitione deducuntur, ſed laborat, ac in paleſtra deſudat otioſè: ea enim ad hoc tantummodo ſoluit, quia demõſtrandi rigoroſè vim non habent, quod vltro, ac libenti animo damus: neque hoc S. Doctor vnquam præſtare ſuis rationibus in rebus fidei ſibi perſuaſit. Quod ſi eas neceſſarias rationes nuncupauerit, id iam animaduerſum eſt, non ex euidentia, ſed rei certitudine aſſeueratum.

Supereſt igitur antequam ad tertij generis deſcendamus rationes, primò, vt Sancti commilitonis Thomæ rationem annectamus, eiuſque robur animaduertamus. Arguit, et ex præmiſſa de Diuinis relationibus Doctrina, præfixoque earum numero, ſtatutaque diſtinctione, ac ratione, mirè ſic infert perſonarum numerum. Ex quatuor relationibus, quæ ſunt in Deo, tres ſunt tantum, quæ ad perſonas diſtinctas ſpectant, ſcilicet paternitas, filiatio, & proceſsio: vna verò, ſcilicet ſpiratio, quæ duabus perſonis competit: ergo tantum ſunt tres perſonæ. Antecedens probatur. Primò quo ad paternitatem, & filiationem. Relationes oppoſitæ neceſſariò ad duas diſtinctas perſonas pertinent; ſed hæ duæ ſunt oppoſitę: ergo ad duas perſonas, vt earum conſtitutiuæ: ergo paternitas eſt perſona Patris, filiatio perſona Filij. Probatur, nam plures perſonæ ſunt plures relationes ſubſiſtentes, realiter diſtinctæ: ſed diſtinctio realis inter Diuinas relationes non intercedit, niſi ratione oppoſitionis; ergo duæ relationes oppoſitæ ſubſiſtentes, neceſſariò ſunt duæ perſonæ realiter diſtinctæ.

Secundò. Quo ad ſpirationem, & proceſſionem, oportet, vt ex his duabus relationibus, vel vna earum conueniat vtrique perſonæ, Patri ſcilicet, & Filio, vel vna vni, altera alteri: ſed non poteſt eſſe quod proceſſio conueniat Patri, & Filio, vel alteri eorum: ergo ſpiratio conueniet Patri, & Filio, & per conſequens proceſſio alteri perſonæ, quæ dicitur Spiritus Sanctus, quæ per modum amoris procedit. Probatur minor quo ad primam partem. Spiratio, & proceſsio ſibi inuicem opponuntur: ergo impoſsibile eas vni perſonæ conuenire: ergo oportet, vt vel vni, vel vtrique conueniat &c. Quo ad ſecundam verò partem adhuc probatur, nam ſequeretur, quod proceſsio per intellectum, quæ eſt generatio in Diuinis, ſecundum quam accipitur Paternitas, & Filiatio prodiret ex proceſſione amoris, ſecundum quam accipitur ſpiratio, & proceſsio ſi perſona generans, & genita proce-

dicret à ſpirante. Probatur conſequentia, quia ſpiratio nullam habet oppoſitionem ad paternitatem, aut filiationem.

Caietanus ſic rationes Sancti Thomæ in hanc formam tradit. Plures perſonæ in Diuinis ſunt plures relationes ſubſiſtentes, ad inuicem realiter diſtinctæ, ſola relatione oppoſita reali: ergo omnes relationes oppoſitæ ad diſtinctas perſonas, non oppoſitæ ad eandem perſonam pertinent: ergo Paternitas, & Filiatio ad diſtinctas perſonas ſpectant, & ſic Paternitas eſt perſona Patris, Filiatio perſona Filij; tunc vltra: ergo aliæ duæ relationes, ſpiratio, & proceſsio ſibi oppoſitæ, ad vnam perſonam ambæ non ſpectant: ergo vel vna earum cõuenit vtrique dictarum perſonarum, vel vna vni, alia aliæ. Sed proceſsio non poteſt competere vtrique, quia tunc proceſsio per intellectum prodiret ex proceſsione amoris: ergo ſpiratio conuenit vtrique, vtpote nulli earum oppoſita: ergo proceſſio conuenit alię perſonæ: ergo tantũ tres perſonę. Vim, & ſufficientiam huius rationis ſuſtinet optimè, & oppoſitiones ſoluit ipſe Caietanus, & quæ aduerſus Caietanum recentes Theologi obijciũt, à recentioribus, & poſterioribus Thomiſtis tolluntur.

Vtriuſque Sancti Doctoris argumenta Theologica optimè hanc abditiſsimam veritatem commonſtrant, ſed hac differentia, quod S. Thomas ex oppoſitione ad inuicem, & ſubſiſtentia egregiè numerum perſonarum colligit: D. verò Bonauentura, quaſi magis philoſophicè, & magis à priori, ex perfectione, fœcũditate &c. Diuinæ eſſentię, quæ cum ſubinde debeat communicari, non poteſt niſi duobus modis &c. vnde fit, non poſſe eſſe niſi tres perſonas. Verum Diui Bonauenturæ rationes ſunt etiam Alexandri Alenſis, & Riccardi, inter quas ille vnicam mutuat, & digerit illam, vtique ex gemino tantum productionis principio: quia vtrumque principium æquat omnem virtutem producendi. Idem Altiſidorenſis prima parte ſuæ ſummæ, ſed præſertim arguit ex ſumma germanitate, exquiſitè debita inter Diuinas perſonas; Eodem argumentorum genere vtitur Petrus Aliacenſis; magis tamen ex Diuinæ fœcunditatis, & ſummæ dilectionis ratione; & denique ex eo, quod huius ſacerrimi Myſterij videtur Salomonis claritas; ex bino ſcilicet communicandi modo. Quare, & Henr. quolib. 6. vnicum hoc duarum emanationum, duorumq; fœcunditatis principiorum argumentum ad hanc maximam veritatem probandam amplexus eſt, ex his colligens: ergo tantum tres perſonæ; vna Deus nõ de Deo, ſcilicet improducta, reliquæ duæ Deus de Deo, hoc eſt productæ: rationis vim cum reliquis Theologis ex infinita, ſummaque ſingularium emanationum perfectione ſuſtinet; quibus cum Filius genitus ſit infinitè perfectus, omnemque filiationis rationem, & perfectionem complectens, plures Filij non poſſunt vllo modo gigni; nec eadem ratione plures Spiritus Sancti ſpirari. Quid? Sanctus ipſe Thomas 4. contra gentes, hac eadem ratione hoc Diuinum Myſterium ſuſtinere confiſus eſt: & in ſumma hoc idem iecit fundamentum queſt. 27. Impoſsibile multiplicare, & adinuenire plura principia fœcunditatis, quàm intellectus, & voluntatis in natura rationali, & exinde etiam in Deo. In ſcripto denique eandem accipit, ac mirè explicat rationem, tametſi & aliam ex relationibus, quam hoc loco in ſumma egregiè verſat; quibus tamen vtroque loco nihil vlla efficacitate concluderet, niſi tum ſupponeret, tum coaſſumeret hanc geminam producendi rationem.

At verò vt res, quæ hucuſque Theologorum argumentis expreſſa, & confirmata eſt, expreſsior percipiatur, & preſsius perſtingatur; proponenda, & quædam oppoſita argumenta ſoluenda.

Primò. Natura eſt prius, & ex ſe determinatum principium ad agendum, quàm intellectus: & probatur primò, nam Ariſt. 2. phyſicorum diſtinguit naturam, & intellectum 10. dua principia actiua. Idem 9. Methaph. videtur expreſsè aſſerere, intellectum eſſe potentiam ad oppoſita, naturam verò principium determinatum. Secundò. Natura, & eſſentia eſt radix, & fundamentum intellectus, & cuiuſcumque ſuæ potentiæ.

Secundò. Actus diſtinguunt potentias. 2. de Anima text. 33. ergo eidem potentiæ non poſſunt competere plures actus: ſed actus intelligendi eſſentialis competit intellectui: ergo ei competere non poteſt notionalis; dicere ſcilicet, & producere. Quod idem erga voluntatem, eadem ratione de dilectione eſſentiali, & notionali. Probatur conſequentia; nam quilibet ex his actibus; tum ad inuicem differt, tum infinitus, & adæquatus.

Tertiò. Principium contingens ad neceſſarium ex omnium confeſſo reducitur: ergo & liberum ad naturale, & voluntatis ad intellectum. Conſequentia videtur conſpicua; nam & naturæ, & intellectus præcedit voluntatem, & voluntas vt libera, ad ſpeciem contingentis videtur reducenda.

Quartò. Vnius naturæ vnicus eſt modus communicandi; ſed Diuina natura eſt vna: ergo vnico modo communicabilis: ergo vnica in Deo productio. Probatur maior, etiam de natura Diuina: licet enim natura eadem poſsit communicari vniuocè, & æquiuocè: non tamen à ſuppoſito eiuſdem ſpeciei, ſed à natura ſuperiori; ſed natura Diuina communicatur à ſuppoſito eiuſdem naturæ, ſcilicet à Patre: ergo vnico modo dumtaxat.

Quintò. Voluntas Diuina eſt libera, & poteſt producere, & non producere: ergo non determinatur ad vnum: ergo aut plures amores poteſt producere, aut tantum ad extra producit vnum, & eius oppoſitum, ex quibus omnibus: ergo non ſunt tres Diuinæ perſonæ terminatæ.

Ad primum facili negocio reſpondetur, eſſentiam quidem, nõ quidem ſe ſola, ſed cum intellectu eſſe principium productiuum: ſi enim hæc eſſentia non eſſet qua conſtitueretur principium, Verbum non eſſet genitum, neque Verbum eſſet eſſentia: eſſentia ergo, & intellectus non ſunt duo principia diſtincta, ſed ex his vnum quaſi coaleſcit, & conſtituitur principium. Ad loca Ariſt. ſupponendum. Primò, vt plurimum Ariſt. ſumere potentiam naturalem, & intellectum ſimul, & ex his conſtituere vnum principium: & perrarò, & admo-

modũ paucis locis ſeiunctim de ſola voluntate, vt ab intellectu diſtincta, verba fecit: nunc ad loca: quando intellectum à naturæ ſeiungit, tunc eum ſimul cum voluntate accipit, & ſic rerum artificialium cõſtituit principium: quando verò ſeiunctim, tunc naturale principium, naturalem potentiam nuncupare conſueuit, quod facit ſecundo phyſicorum. At verò quando intellectus ad plura, vt oppoſita, intelligenda dicitur aptus, tunc id fit ab adueniente voluntate: non enim tunc terminatur ad vnum, ſed ad oppoſita exit ſimul cum voluntate, & ex his duabus potentijs fit vnum principium diſtinctum à principio naturali præciſè ſumpto: & notandum, ſimul Ariſtotelem illis locis de intellectu creato, & humano neceſſariò loqui.

Ad ſecundum. Plura hic congerit Scotus, quæ ad breuem argumenti ſolutionem non ſunt neceſſariò referenda; eo vel maximè, quod infra ſuo loco diuerſa de hac re ab ipſo tradimus. Breuibus duo reſpondemus; alterum Scotus: Cum actus ſcilicet ſunt eiuſdem rationis, quemadmodum hic intelligere, & dicere; non diuerſam conſtituunt potentiam: alterum nos, qui vt conſequenter ad ea quæ diuerſis locis prodidimus, loquamur; hos non eſſe duos actus formaliter differentes, ſed ſola ad inuicem ratione, aſſerimus: quemadmodum neque relatio, ac perſona ab eſſentia niſi ratione, vt multis iam proſecuti ſumus, differt.

Ad tertium. Negatur conſequentia, ex diuerſa contingentis, & liberi ratione: eatenus enim contingens ad neceſſarium reducitur, quatenus imperfectum, vt in principio perfecto compleatur, & perficiatur: liberum autem, cum perfectionem dicat propriam, ad naturale vt perficiatur; non eſt quod reducatur. Conſequentiæ probationem nego. Natura enim creata ideo vnico modo communicatur, quia vnicum modum habet: Diuina verò duos; nam intellectum, & voluntatem habet, quibus bina communicatione ſe adæquarè communicat; quæ licet & in natura humana inueniantur, diuerſo tamen admodum modo, ſcilicet accidentariè operantur, & per eas potentias natura humana verè non ſe communicat.

Ad quartum. Negatur maior. Ad ea quæ pro maiori ipſe Scotus adducit, ipſe quoque reſpondet, & ſoluit: philoſophicè de natura Diuina diſſerit non eſſe intelligenda. Ad confirmationem neganda eſt conſequentia ex infinita Diuinæ naturæ perfectione; ideo competit nedum infinitè communicari, ſed omni modo, aliàs ſimpliciter infinitè non communicaretur: nec quicquam quod de ſuppoſito eiuſdem naturæ opponit, à quo natura Diuina communicatur, impedit: nam imò quia ſuppoſitum eiuſdem naturæ cum eſſentia, habens in ſe naturam gemina communicatione communicabilem, ad duas perſonas communicat.

Ad quintum reſp. voluntatem quidem eſſe liberam ad extraneas creaturas producendas, ſed prius ad perſonam ad intra Spiritus Sancti producendam, non eſſe eodem modo liberam, vt poſſit non producere: ex ſua enim perfectione non poteſt non producere; & tunc ea ratione libera eſt, qua non ex natura, & intellectu, vt infra ſuo loco, non qua poſſit non producere, vt ad extra. Voluntatis humanæ non ſunt operationes determinatæ ad vnam, quia ſunt accidentariæ &c.

S. Thomas in ſcripto ſic pro Sanctiſſima Trinitate conatur. In Diuinis non poteſt eſſe multiplicatio niſi ſecundum relationem originis, non quocumque modo, ſed determinata, ac propria, & oppoſita, & ad dignitatem pertinens: ex ea namque conſtruenda eſt perſona, ex Boetio, ad dignitatem pertinens: ſed duæ tantum poſſunt eſſe origines oppoſitæ; actiua, à qua alia; & paſſiua, quæ ab alijs; intellectus ſcilicet, à quo Filius, & voluntatis, à qua amor: ergò tantum duæ productæ perſonæ. Imitatus autem eſt Albertum Magnum doctiſſimum magiſtrum diſt. 2. à quo nedum argumentum, ſed etiam ferè formalia verba mutuauit. Idem 4. contra gentes. Omnis modus proceſſionis eſt, aut omnino non procedens, & eſt Pater, aut à non procedente, & eſt Filius, aut à procedente, & eſt Spiritus Sanctus.

D. Bonauentura in breuiloquio cap. 3. Omne ſimpliciter primum eſt ſimpliciſſimum, & ſubindè ſummè perfectum: ergo in ſe immultiplicabile, & indiuiſibile primò: ergo ſecundò communicabile, & ſummè: ſed omnis multiplicandi vis ad duos tantum reducitur modos, naturæ, & voluntatis: ergo tantum duę perſonæ infinitæ productæ, & vna tantum improducta. Confirmatur: nam ſi prima non daretur, eſſet in infinitum abire, & conſequenter omnem perſonarum productionem tollere, vt quæſt. præcedenti demonſtratum eſt.

Scotus eadem diſt. eodem vertitur cardine ad eandem veritatem explicandam, & confirmandam; quare ſic arguit. Duæ tantum ſunt, & poſſunt eſſe perſonæ productæ, & vna improducta: ergo tantum tres, vt profitetur fides. Conſequentia eſt euidens. Antecedens quo ad vtramque partem ſic demonſtratur. Et primò quo ad primam partem. Vna eſt perſona producta per intellectum, & naturam, quod idem eſt, & eſt Filius, & Verbum: alia per voluntatem, & eſt Spiritus Sanctus, vt infra, cum de ſingulis perſonis, & ſupra, cum de principijs productiuis; & ſunt ad inuicem diſtinctæ: & probatur. Nulla perſona poteſt produci duabus productionibus totalibus ſufficientibus; ſed vnaquæque iſtarum eſt totalis, & ſufficiens, & diſtincta ab alia: ergo vna perſona producta vna productione, non poteſt alia produci productione. Maior probatur: nam ſi ab vna ſufficienter producitur, circumſcribitur alia, & ab alia non poteſt produci. Minor eò probata relinquitur, quo probatum eſt ſupra, & omnes teſtantur, duo tantum eſſe principia productiua diſtincta, adeo vt nullum ad aliud poſſit reduci.

Secunda pars probatur. Primò. Quando aliquid ſecundum propriam quidditatem poteſt eſſe in pluribus, neque ab aliquo extrinſeco ad certum numerum poteſt determinari; illud poterit eſſe ſecundum ſe in infinitis: & ſi poterit, de facto erit in Deo: in ſempiternis enim idem eſt poſſe, & eſſe: ergo ſi ingenitum, & innaſcibile, & improductum poterit eſſe in pluribus, erit in infinitis; nam cum

ſit

Digitized by Google

ſit primum, aliunde non poterit impediri; ſed hoc eſt impoſsibile: ergo ſtandum in primo: ergo perſona improducta non poteſt eſſe niſi vna. Secundò. Vna perſona improducta ſufficit; ergo ſuperfluum eam multiplicare. Conſequentia conſtat. Antecedens quoq; nam illa poteſt intelligere, & amare fœcundè: aliàs redibit ſimilis ſermo, cum de innaſcibilitate.

Modo ad congruas rationes animaduertendas deſcendamus: ſed ex ijs duas operæpretium ducimus expendere, alteram à ternarij perfectione ductam, alteram à creaturarum veſtigio, reliquæ ſua facilitate manebunt. De prima ergo, mittens quæ egregia, ac vberrima de ternario eloquentia tradit doctiſſimus Bungus noſter aureo ſuo de myſticis numeris libro; Seraphici Doctoris argumentationem ſuſcipio enucleare. Multigeno ex capite colligit ternarij perfectionem, & ideò merè Deo competentem, & primam, ac ſummam numeri perfectionem continere demonſtrat; primam quidem, quia eſt primus numerus, qui conſtet ex omnibus ſuis partibus, nimirum ex 1. & 2. quæ tria componunt: ſummam verò, quia ſimilis numero quadrato cubo, quod hac ratione explicat: ſed explicatio remotius ſumenda, & hæc præſumenda.

Primus numerus eſt, qui nullas partes habet aliquotas præter ipſam vnitatem: exempli gratia, Vnitas duplicata facit 2. ſi coniungantur iſta duo 1. & 2. faciunt 3. & hic eſt primus numerus, cuius ſola vnitas eſt pars aliquota 2. nequaquam; nam multiplicata non facit 3. ſed 4. aut 6. aut 8. tunc ſi ducas extremum eorum ex his, qui eſt 3. habes numerum ſenarium, qui eſt primus numerus perfectus; bis tria facit ſex, qui numerus perfectus ſic definitur, qui reſultat ſcilicet ex omnibus partibus aliquotis ſimul ſumptis: partes autem aliquotæ ſunt, quæ aliquoties ſimul ſumptæ ſuum numerum reddunt: exemplo in numero ſenario; prima pars eſt vnitas, quæ ſexies ſumpta facit ſex; ſecunda pars eſt 2. quæ ter ducta refert eundem numerum ſex; tertia pars eſt 3. quæ bis accepta itidem gignit ſex; quarta autem pars, quæ eſt 4. non eſt pars aliquota: nam ſi bis ſumatur, non ſex, ſed octo producit: citra autem numerum 100. non inuenitur alius numerus perfectus ſic, niſi 28.

Verum ad inueniendum numerum perfectum hæc ſolet aſsignari regula. Cum continuati fuerint numeri ab vnitate continuè dupli, qui cõiuncti faciunt primum numerum, extremus eorum in aggregatum ex his ductus facit numerum perfectum; ſic autem demonſtratur. 1. & 2. aggregatum ex his eſt 3. hic bis ſumptus producit numerum perfectum primum, ſcilicet ſex.

De num. 2. perfecto 1. & 2. & 4. aggregatum ex ijs facit 7. aggregatum 7. quater fit 28.

Secundus numerus perfectus quadratus eſt, qui prouenit ex ductu alicuius numeri in ſeipſum, vt bis duo reddit quatuor; ergo quatuor eſt numerus quadratus.

Quadratus verò ſolidus eſt, qui ex ductu bis alicuius numeri in ſe ipſum reſultat, vt bis duo bis facit 8. ergo 8. eſt numerus quadratus ſolidus, qui etiam dicitur cubicus à corpore cubo, quod eſt illud, quod habet ſex ſuperficies, octo angulos, & duodecim latera, vt taxillus: fit ergo ſolidus cum in ſe ipſum reduplicatur bis, cum verò ſemel, quadratus.

Sit aliud exemplum. Primus numerus ternarius, ſi repetatur ter, fit 9. ſi iterum ter, fit 27. ergo 27. eſt ſolidus numerus ternarij; & hæc dicitur ſumma perfectio. Aduerte tamen, reduplicationem vnitatis in ſeipſam non eſſe verè numerum ſolidum, & cubicum, quia vnitas non eſt numerus; ſed ideo tamen numerus ternarius hac perfectione aſſeritur conſtare, quia cũ dicitur ſemel vnum ſemel facit tria, ſimili modo ſumitur, & ducitur vnitas ad ternarium, ſicut 2. ad 8. vt bis duo bis, ita ſemel vnum ſemel: erit igitur ternarius cubicus, & quadratus per ſimilitudinem, & hac ratione ſacerrimum Trinitatis myſterium præſefert. Statuatur vnitas, & reflectatur ſuper ſe, dicendo vnum ſemel, id quod ex hac reflexione reſultat, eſt vnum; nam ſemel vnum facit vnum. Fiat alia reflexio ſuper hoc, ſecundum vnum reſultat ex prima reflexione, dicendo iterum vnum ſemel; hinc adhuc vnum reſultabit, & ecce tria vnum: nempe vnum, quod dicitur A. quando primò ſtatuitur vnitas; ecce ſecundum, quod dicitur B. in prima reflexione dicitur ſemel vnum facit vnum: ecce denique tertium, quod C. nuncupatur per reflexionem primi vnius ſuper ſecundum, quę quadrata, & ſolida ab omnibus aſſeri conſueuit; & ecce A. B. C. in quibus ratio diuerſa inuenitur: nam in A. eſt prima vnitas, & radix aliarum. In B. prima reſultatio, & quaſi proceſsio: procedit enim ex A. reduplicato ſupra ſe. In C. eſt ſecunda reſultatio, ſeu quaſi proceſsio: quando A. cadens ſuper B. per reduplicationem concipitur. Vnum ergo triplici modo ſumitur. Quo circa primum conſtituitur tanquam radix: ſecundum vt reſultans ex prima reflexione, tertium ex ſecunda, vt tandem ſit vna, eademq. vnitas triplici ratione ſumpta. Et ecce vt adeſt ſanctiſsima Trinitas perſonarum in vna, eademq. eſſentia, quæ eadem numero prorſus in tribus perſonis tribus diuerſis rationibus, inuenitur: in prima perſona enim tanquam in vna vnitate primò ſimpliciter poſita: in ſecunda ex reflexione primæ in ſeipſam, hoc eſt conuerſione Diuini intellectus Patris in ſe ipſum: in tertia ex ſecunda reflexione ſupra duas præcedentes, ſcilicet Spiritus ſancti perſona ex amore mutuo ad inuicem Patris, & Filij. Vnitas ergo vna ſub triplici ratione in ternario, ad imitationem numeri quadrati ſummè perfecti. Hoc modo Diuinæ Trinitatis ſecretum mirum in modum perſpicitur. Aduertit tamen ſolerter, hanc intercedere differentiam, in hocq. deficere exemplum: nam inter Diuinas perſonas eſt differentia rationum, & rerum: ſunt enim tres res. (Perpende à ſancto Doctore tres perſonas poſſe dici tres res) inter verò reflexiones eiuſdem vnitatis in ternario, non rerum, ſed dumtaxat rationum obſeruari differentias; quod proculdubio veriſsimum eſt. Reliquas ternarij in quantitate continua perfectiones, prætermitto explicare, cũ ex ſe perſpicuas,

cuas, nullaque commentatione indigentes.

Quo verò ad illam rationem ex veſtigio in creaturis impreſſo deſumptam, ad terminum quoque ſpectare liquido conſtat: tripartita enim fuit ternarij ratio à Sancto Bonauentura, & perfectio, & ſumma perfectio: vt prima fuerit ternarij in ſe, de qua hactenus. Secunda eiuſdem in quantitate continua, in qua ſi in quantitate principium, medium, & finis perpendatur, prima ternarij perfectio erit: ſi trina dimenſio, longitudinis, latitudinis, & profunditatis, ſumma: ergo in vnaquaque quantitate Trinitatis veſtigium. Tertia verò in creatura prima perfectio, quia nulla quantumuis pauca inueniri, aut ſpectari poteſt, cui hoc veſtigij decus non ſplendeat: ſumma denique in ſubſtantia rationali, ad imaginem Sanctiſsimæ Trinitatis ex inſtituto condita: hoc verò loco ſufficit quædam enumerare veſtigia, neque de his altius philoſophandum.

Et primò ſi à ſole auſpicandũ, quo exẽplo vtitur Tertull. in ſuo Apologetico c. 21. Sol eſt in radio, & radius à Solis natura nõ diſcedit, licet ad plura extendatur, ſed ſplendor à ſole, & radio progreditur, neque tamen ſibi aliam ſubſtantiam tribuit qua ſuſtineatur, quàm ipſam Solis. Tria igitur, Sol, radius, & ſplendor, numero diſtincta: trium tamen vna eademque ſubſtantia: quare verè tria, & vnum ad inuicem eſſe diuerſa ratione dicere oportet. Idem eleuatiori tamen ratione de Sanctiſsima Trinitate ſentiendum, Sancta fides præcipit: ex Patre ſiquidem, veluti ſolis ſubſtantia, emanat quaſi radius Filius, ac lumen de lumine generatur: neque tamen ita Patris egreditur naturam, vt non ſit eiuſdem omnino: eadem enim generatione Patris naturam accipit. Ex vtroque Spiritus Sanctus vt ſplendor erumpit, ab eis non natura; ſed dumtaxat perſona diſtinctus: atque ita fit, vt cum ſint tres perſonæ diſtinctæ inter ſe, vna tamen ſit natura, ac ſubſtantia in tribus, eademque Diuinitas.

Ignis quoque, tametſi non tanto ſplendore, non minori tamen decore idem myſterium explicat: quare D. Auguſtinus de fide ad catechumentos, & D. Nyſſenus de fide ad Simplicium: ignem, vt Trinitatem ſub oculos hominum ſubijciant, vt ſenſibile ſymbolum aſſumunt. Ignis in inſtanti quo eſt, & ſplendorem, & calorem emittit, vt ignis non ſit ante ſplendorem, neque ſplendor ante ignem, ſed eodem ſimul puncto, ſimul ignis, & ſplendor producant calorem, & ignis, & ſplendoris, & caloris eadem ſit natura, ac indiuidua ſubſtantia: ergo in igne Sanctiſſimæ Triadis egregium veſtigium: en etenim tres diſtinctæ hypoſtaſes, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus; vna tamen ſubſtantia trium: en ſplendor, ſcilicet Filius ex ſubſtantia Patris: en calor, Spiritus Sanctus ex vtroque.

Ex Mathematicis aliud eiuſdem myſterij ſingulare veſtigium, triangulum nimirum, de quo etiam paucis ſupra. A primo puncto ducitur recta linea ad ſecundum punctum, & quaſi à primo ſecundum gignitur punctum, eo vnico motu, vnicaque linea duo puncta. Mox ex his duobus punctis, duabuſque ductis æqualibus lineis tertium producitur; vnicus tamen trium punctorum extat triangulus. Ex prima pariter perſona Patris, ceu primo puncto, ducitur linea generationis ad Filium; quaſi ſecundum punctum. Inde ex vtroque tertium, Spiritus Sanctus ſcilicet; vnica tamen trium natura, vnuſque perſonarum triangulus. Quàm bellè lumine fidei licet Diuiniſsimæ Triadis in creaturis vultum intueri?

At quænam minima creatura, aut Dei, & naturæ perexiguũ opus inueniri, vel contemplari conceditur, quod hac Diuinæ Trinitatis decora veſtigij luce non ſit inſignitum? Arbuſculę omnes nonne radice, trũco, & ramuſculis cõſtant? In aqua nonne ſcaturigo, latex, & amnis, quæ eandem fluminis naturam conſtituunt? Nunquid viuentia, eſſe, viuere, & moueri non exiſtunt? Rationalis autem creatura, vt ad ſummam perfectionem ternarij tranſeamus, memoria, intellectu, & voluntate coaleſcit. Chriſtianam quoque animam tres virtutes Theologicæ decorant. Tempus ex tribus, præterito, præſenti, futuro. Motus ex duplici termino, à quo, & ad quem, & fluxu. Locus ex trina poſitione. Corpus trina pariter dimenſione. Natura denique omnis ex principijs tribus, materia, forma, & priuatione, ex comparatione triplici ad ſuum principium, ac finem, modo, ſpecie, & ordine. Numquam finem contemplatores huiuſce Sacramenti inueniunt: vbique enim creaturarum huius Sanctiſsimæ cognitionis odoratiſsimum oleum effuſum fragrantiſſimum emittit odorem, in quem adoleſcentularum numerus currit.

At fragrantior ex Diuinis oraculis efflat, quibus locis Deum tribus digitis in vnica manu cæli molem ſuſtinere. Ezechielis tẽplum trina menſura dimẽſum. Tres lapides Iacob capiti dum Eſau fugeret ſuppoſiti, in vnum poſtea coaleſcentes inuenti, ex hebræorum traditione. Tres vnius vitis propagines ſuper caput Pincernæ Regis oſtenſi &c.

Argumenta poſtremo loco à Sancto Doctore propoſita, ſic quoque ab eodem perſcitè ſoluuntur. Primum. Pater totum quod habet dat Filio: ergo nihil ei remanet dandum alteri perſonæ. Antecedens patet; nam eum omnino ſibi æqualem producit. Conſequentia quoque conſtat; nam producens perſona, ei quam producit, totam quam habet naturam, & bonitatem communicat.

Reſp. neganda eſt conſequentia, veluti quæ accidentis fallacia laborat: nam à re ad modum rei contra Dialecticas ſanctiones tranſit: & etiam quo ad materiam argumenti falſum eo ſupponit, quod in vtriuſque perſonæ productione aliud in vna detur, quod in alia pariter non detur: quod ſi verum eſſet, perſonæ Diuinæ natura, & ſubſtantia differrent, vt Arriani blaſphemant. Poteſt ergo tertia perſona produci, quamuis eadem prorſus natura communicetur: nam diuerſa communicandi, ac producendi, voluntatis ſcilicet, & amoris fœcunditate producitur.

Secundum. Pater generando Filium perfectiſsimè ſeipſum dicit, exprimit, & declarat: ergo ſuperflua videtur quælibet alia perſonæ productio. Antecedens ex perfectione Verbi perſpicuum eſt.

Con-

Conſequentia prӕterea liquere videtur: nam eatenus perſonӕ producuntur, quatenus producentis vis explicanda, ac exprimenda.

Reſp. ſicut eadem argumentarionis cum ſuperiori vis, eadem itidem ſufficit reſponſio: nam eadem fallacia decipere conatur; poſſet tamen negari etiam antecedens: quamuis enim per Verbum ſuum naturam perfectiſsimè exprimat; eam tamen quӕ naturӕ, & intellectus non eſt, ſed voluntatis, non exprimit; neceſſaria idcirco eſt Spiritus Sancti proceſsio.

Tertium ad alterum extremum permeat: duabus enim prӕcedentibus inſtantijs conatus eſt ſufficere duas perſonas perſuadere: ijs verò poſterioribus quatuor, eſſe neceſſarias periculum facit oſtendere, & hӕc argumento ſtructura. Eo quia Filius genitus eſt, & non ſpiratus, fœcundus eſt ad ſpirandum Spiritum Sanctum: ergo & Spiritus Sanctus quia ſpiratus, & non genitus, erit ad generandum fœcundus, & idoneus. Antecedens omnes rectè de Diuinis emanationibus ſentientes neceſſariò fatentur, vt illud negare ſit nefas. Conſequentia quoque videtur non reijcienda, nam eadem ratio apparet.

Reſp. tamen, & neganda eſt conſequentia, ea in primis ratione, quia toto cӕlo diuerſa eſt ratio in antecedente, & in conſequentia, & declarar egregiè ex illo ſuo nunquam ſatis repetito principio primitatis: non enim ideo Filius tantum ſpirat, quia non ſpiratus; ſed quia prӕcedit, & primus ad ſpirandum, ac ſubinde fœcundus: eapropter Spiritus Sanctus licet non genitus, non poteſt tamen generare, quia non prӕcedit, ſed ſubſequitur generationem, & à Filio genito procedit. Quod vnico verbo concludit S. Doctor, quia non eſt innaſcibilis: quid verò innaſcibilitas dicat, infra ſuis locis abundè. Nunc ex dub. 7. litt. diſt. 31. ſufficiat, eſſe innaſcibilem ſicut eſt Patris proprietas, ita à nullo eſſe: vnde ſolius Patris ſit generare, quia prima perſona, & à nullo. Radix verò, ac ratio hӕc ſola eſt, quia generatio eſt prima communicatio: neceſſariò enim ſequitur: ergo à ſola prima perſona, nam primitas eſt fœcunditatis ratio: ergo Spiritus Sanctus non generat adӕquatè, quia non eſt innaſcibilis, ſcilicet primus, & ideo neque Filius eadem ratione generat &c.

Quartò. Ad eandem perſonarum quaternitatem (fictè tamen) perſuadendam, ſic argumentatur. Prӕter illum geminum producendi modum, naturӕ nimirum, & voluntatis, vnde Filius, & Spiritus Sanctus procedentes habentur, dandus alius modus per artem, ſicut etiam in creaturis, ex quo alia, quӕ erit quarta perſona emanet.

Reſpondetur argumentum hoc nullius eſſe momenti; proponi tamen à Sancto Doctore, tum ne vllus lapis immotus, ac intentatus maneat pro hac veritate tuenda, nullaque neque leuis nubecula non diſſoluta, ac diſiecta, quӕ hanc Diuinam Sanctiſſimӕ Triadis fidem offuſcare, neque leniſſimè poſsit: tum propter inſignem doctrinam, quam reſpondendo prodit: bina igitur reſponſione elidit, ac propoſitam oppoſitionem eliminat. Prima, etiam ſi poſſibile foret, ac reuera non repugnaret hunc emanationis modum in Deo admittere; adhuc ſuperuacaneè admitteretur: nam ad modum naturӕ reducitur: quemadmodum enim ſibi ſimile natura producit; pariformiter & ars, quӕ naturam imitatur: aut ad voluntatis modum: nam & artifex, & voluntate, & libertate operatur. Secundò, & eſt potior argumenti enodatio: repugnat hic modus identitati, & ſimplicitati Diuinӕ eſſentiӕ: in Deo namque tametſi diuerſa producantur ſuppoſita; in eadem tamen eſſentia numero producuntur: vnde ſimilia, & ӕqualia verè ſunt, & nuncupantur inter ſe. At verò artifex licet ſimile exemplari nitatur producere, & efficere; in alia tamen, & omnino diuerſa ſubſtantia id, vt patens eſt, producit, & inde multiplicantur eſſentiӕ.

Scotus ſimili paucis ab hinc ante dictis vſus eſt argumento, alio tamen aſſumpto medio. Emanatio à natura differt ab ea, quӕ eſt ab intellectu, & voluntate: ergo triplex modus emanationis: ergo quatuor perſonӕ: ſed ei negato aſſumpto, ipſe ſolutionem adhibuit, vt tandem determinato trium perſonarum numero omnis veritas ſuffragetur. Diuinorum oraculorum, Sanctӕ Eccleſiӕ, & Conciliorum, Sanctionum, omnium Sanctorum Patrum, omnium denique Theologorum rationum, quӕ tamen magis minuſue efficaces, & congruӕ, à varijs varia ratione compoſitӕ afferuntur.

QVAE-

QVAESTIO QVINTA
DE RATIONE NVMERI IN DIVINIS.

DVM Doctores plures perſonas in Deo, ac denique tres, his capitibus, quæ axiomati huic congruant, demonſtrare hucuſque conati ſunt; numerum ibi inueniri, aſſeriq. tum neceſſariò ſupponunt, tum imò actu implicito verè affirmant: ſi enim plures, easq. diſtinctas perſonas ſtatuunt, ac certo tres aſſeuerant, eas numero comprehendunt, numerum de Deo affirmare conuincuntur. At verò cum numerum, multorum aggregationem dicere, ac ad quantitatem pertinere, & omnia hæc diuinam perfectionem reſpuere compertiſſimum ſit: quomodo ſe habeat in Diuinis, quidque dicat, æquum eſt nunc, & opportunus locus demonſtrare, ac determinare: ea propter hanc optimam ſequutus methodum S. Thomas in ſumma, explicato perſonarum numero, ipſum numerum in Deo, more facili, & felici, ac mirè perſpicaci tractatione ediſſerit. Diuus verò Bonauentura non minori felicitate Magiſtrum ſequutus d. 24. per duas quæſt. luculenti eruditione, & vbertate: ita vt iam de perſonis numeratis, nunc de numero in ſe inſtituant diſquiſitionem.

Quæſtio Prima.

Quomodo in Diuinis ſe habeat numerus, poſitiuè ſcilicet, an priuatiuè.
D. Bonau. diſt. 24. quæſt. 1.
D. Thom. loco ſupra citato art. 3.

PARAPHRASIS.

PRIMA igitur propoſitio. Quicquid Magiſter in oppoſitum de vnitate, & numero in Deo tentauerit, non ſine tamen ſua probabilitate, perſuadere; ſtat verior, ac communior opinio; vnitatem in Deo non priuationem, ſed poſitionem veram, ac realem dicere. Probatur.

Primò. A quo res eſt, & vna eſt; ſed per ens eſt: ergo & vna eſt; ſed ens poſitiuum eſt: ergo & vnum: ergo ſi Diuinum eſſe poſitiuum eſt, erit & eodem modo vnum.

Secundò. Omne quod perfectionem dicit, pari ratione & poſitionem; ſed vnum dicit perfectionem, & in Deo maximam: ergo & poſitionem. Maior ex ſe manifeſta. Probatur minor. Res quanto magis perfecta, tanto magis vna, vt conſtat in ordine entium, & confirmatur ex reſponſione ad 3. 4. 5. & 6. argumentum. Quanto magis res eſt in ſe indiuiſa, tanto magis in ſe perfecta, & actu completa; Deus idcirco maximè vnus quia maximè perfectus: ergo vnitas perfectio, ac poſitio eſt.

Tertiò. Omni priuatiuo prius eſt poſitiuum; ſed vnum eſt ante omnem multitudinem: ergo poſitiuum. Minor probatur: nam vnitatis priuatio eſt multitudo.

Quartò. Vnitas conſtituit multitudinem, & in illa ſaluatur: ergo habitus, & poſitio. Antecedens euidens: nam multitudo conſtat ex vnitatibus. Conſequentia quoque certa: nam nulla priuatio ponit habitum, aut conſtituit quicquam in eſſe.

Secunda propoſitio. Adeo verum eſt, vnum in Deo poſitionem, ac perfectionem dicere, vt in Deo ſolo ita ſe ſe habeat, vt ſolius Dei ſit proprium ex infinita perfectione eſſe vnum. Probatur. In re creata geminum reſpectum habet vnum; ad materiam nimirum, & ad formam: nomine materia, dicitur res priuatiuè indiuiſa, quauis potentia diuiſibilis: nomine & ratione forma, poſitiuè: ſicut enim forma dat eſſe, ſic & diſtinctum eſſe: ſed in Deo eſt ſola forma, ac eſſentia infinitè perfecta: ergo in Deo ſolo dicit perfectionem, nullamq. priuationem.

Tertia propoſitio. Licet quæcumque natura, ſi in ſe ſpectetur, habeat poſitiuè quo vna eſt ab eo, à quo eſt: ſubſtantia enim habet identitatem, quantitas habet æqualitatem, qualitas ſimilitudinem: ſi tamen in ordine ad intellectum attendatur, priuatiua intellectioni obijcitur; à poſteriori ſub ratione priuatiua percipitur: cuius quidem rei hæc propria aſſignanda eſt ratio, ex intrinſeco modo intelligendi hominis, & Ariſt. & experientia teſtibus: à notioribus nobis, hoc eſt poſterioribus, priora ſecundum ſe notiora intelligimus: ſed multitudo poſterior, prius vnum: ergo à multitudine, & vnius priuatione, nobis ad vnum philoſophandum: ergo vnum nobis innoteſcit per multitudinem hanc poſteriorem: quare per indiuiſionem in ſe, & ab alijs diuiſionem definitur.

Quarta propoſitio ex reſponſione ad argumenta. In Deo vnum non poteſt, niſi admodum impropriè, ex imperfecto noſtro intelligendi modo eſſe principium numeri. Probatur: ſicuti enim in Deo vnum, quo magis actu, & potentia indiuiſum, eo magis intus perfectum, ac

ſummum, ac omnem perfectionem continens; ita non poteſt cum alijs numerari, eſſet enim tunc perfectionis pars, non tota, nec vnicè omnis perfectio.

Quinta propoſitio corollaria. Vnum in omni re rationabiliter per priuationem diuiſionis ita definitur, non ſolum ratione ante dicta, quia poſteriora notiora: ſed etiam intrinſeca ratione materiæ, qua conſtat: per eam enim cum ſit diuiſibile, rectè per diuiſionis priuationem explicatur: & Ariſt. & Commentator ſic rectè explicarunt, & principium; & pars numeri eſſe poteſt; & de facto eſt.

COMMENTARIVM.

EXPLICATISSIME ex titulo quæſt. S. Doctor de vnitate agens, tum vt Deo, tum vt creaturis competit, vnitatem ſumit, & quid, & quomodo, tum in Deo, tum in creaturis ſignificet, & ſe habeat, prodit, & quid alij de eadem vnitate, ac quo fundamento in oppoſitum opinati ſunt, fideliſsimè, ingenuè, & omni eis exhibita reuerentia refert: quare Methaphiſicum, & Hiſtoricum, & Theologum præclarè ſimul agit: ac denique meliorem ſeligit opinionem, eamque, oppoſitis eliſis, ac euulſis fundamentis, egregiè tuetur.

Quo ad primum: Magiſter ſent. ſecutus D. Ambroſium lib. 1. cap. 2. de Spiritu Sancto, & lib. 3. cap. 14 ſic eloquentem. Cum vnum dicimus Deum, vnitas excludit numerum Deorum: nec quantitatem in Deo ponit, quia nec numerus, nec quantitas ibi eſt; & D. Hilar. lib. 4. de Trin. vt in textu, circa illa verba Gen. 1. *faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram*, hanc rem ſimilibus verbis explanantem: *faciamus*, & *noſtram*. pluraliter vtrumque dicitur: ſed hac profeſsione pluralitatis, non diuerſitatem, nec multitudinem poſuit; ſed ſolitudinem, ac ſingularitatem negauit. Hos inquam ſecutus Magiſter, vel potius ad ſui placitum interpretatus, vnum in Deo, & numerum ex vnitate repetita collectum, ſcilicet duo, vel tres, relatiuè ſumptum, negatiuè ita ſumi ſtatuit, vt nullam perfectionem attribuat Deo, aut de Deo prædicet, hac inter alias ratione: ne quantitatem in Deo ponat, quem poſtea S. Thomas quoque cum quibuſdam alijs ſuis imitari viſus eſt. 1. par. quæſt. 10. art. 1. & quæſt. 30. art. 3. adhibita enim prius diſtinctione de vnitate, & pluralitate tranſcendenti, & quantitatis, aſſeuerat primò, vnum ex ſua definitione, ab Ariſt. 7. Metha. ſumpta, vt tranſcendens, & vt in Deo etiam, competere dumtaxat negatiuè dici, & diuiſionem negare: ſecundò verò vt quantitatis eſt, oppoſito ſe habere modo, & addere aliquid creaturæ, & quandam menſuræ rationem dicere, vt ſuo loco vberius. Quam quidem ſententiam S. Bonauentura licet cum ſua probabilitate, potius dicentium grauitate, quàm vlla ſufficienti ratione relinquat; eam tamen, tum vt communiori ſententiæ oppoſitam, tum multis, iiſque efficacioribus rationibus hinc inde petitis refutat: & tandem (quod tanti Doctoris ſolet eſſe admodum frequens) multa cum dexteritate hac adhibita diſtinctione conciliat. Si ſpectetur vnitatis res in ente, ac præcipuè in Deo, & vt aiunt, à priori; neceſſariò aliquid ponit, formam nempe, & eſſentiam, qua illud completum, & diſtinctum eſſe habet, & eſt, præſertim ens Diuinum: quod quidem eſſe, quo longius propellit, & tollit, ac priuat omnem diuiſionem, ac multitudinem; eo completius, ac perfectius rem eſſe, & conſiſtere aſſeuerat: ſi verò modum, quo nos à poſteriori, ac magis noto, & confuſo modo intelligendo vtimur, ſpectemus; vnum dicere priuationem, vel vt verius loquar, per priuationẽ innoteſcere prius, ac facilius nobis, libentiſsimè concedit: atque ita vnico fere verbo tria nobis egregia feliciter patefacit; rei perfectionem, quæ vnitate continetur; modum, quo eam iuxta congenitam, & ab Ariſt. traditam intelligendi rationem percipimus; denique quomodo duæ oppoſitæ ſententiæ in vnam coire amicè, & doctè poſsint.

Verum, quoniam huic de vno methaphiſicæ reclamare videntur tum Ariſt. tum eius inſignis commentator, quorum eſt hic ſumma auctoritate ſententiam ferre, quibuſq; omni ſemota appellatione ſtandum. Hinc S. Doctor miro acumine, miraque dexteritate vtrumque interpretatur, ac eandem, quam ipſe profeſſus eſt methaphyſicam, eos quoque docuiſſe peracutè prodit: Ariſt. n. 10. Methaph. c. 5, tex. 4. vnum per id quod non *diuiditur*, definit: ergo quidditas, & ratio formalis vnius ab Ariſt. definita, eſt negatio: ergo vnum ſuper ens nihil aliud addit, quàm diuiſionis, ac multitudinis negationem. Secundò explicatè dicit eo loco, quorum alius ſecundum priuationem dicitur: vbi Comment. vnum, priuationem, multitudinem, habitum dicere, expreſſo ſermone prodit; ſed Ariſt. optimè definiſſe verum; neque tamen contrarium quicquam ſuæ ſententię docuiſſe: explanat S. Doctor Commentatorem aliquo ſenſu non eſſe mentitum, neque huic entis vnitatis perfectioni offeciſſe: Ariſt enim id quod primum eſt, per priora poſitiuè nobis definire, aut notum facere non potuit; ſed per id, quod conſequitur nobis, & ex perfectione entis vnius reſultat, nimirum per priuationem, quod iam in corpore luculenter notauerat. Quod verò omnia ibidem oppoſitionum genera enumerans, etiam priuatiuæ meminerit; nihil noſtræ opinioni negocij faceſsit: nam etiam contrariæ, idque ſerius, & clarius, vnum, & multitudinem opponere teſtatus eſt, ac ſubinde vnum enti addere clariſsimè docuit.

Quod ſi Comment. eam aſſumpſit partem, qua priuatiuè opponi porditum eſt: eſto. nos vtramq; & hanc, & aliam contrarietatis oppoſitionem ſuſcipimus: quinimo vt cuilibet ſententiæ ſuus tribuatur locus, & omni opinanti fiat ſatis, S. Doctor omnem inter vnum, & multa intercedere oppoſitionem commemorat: priuationis (quæ eſt omnis diuiſionis, & multitudinis ſcaturigo) ſi in creaturis ad materiam, qua omnes componuntur, habeatur ratio; contrarietatis, ſi ad formam: tunc

tunc enim vnum, & multitudo opponuntur formaliter: ſi ad actum conſequentem ait, quo vnum dicitur menſura reliquorum, eſſet relationis: non tamen cuiuſcumque, ſed eius generis, in quo vnum non pendet ab alio, ſicut ſcientia, & ſcibile, vbi relatio non eſt mutua, neque hinc inde æqua &c. ad quod perſuadendum, & probandum, omnis S. Bonauenturæ, & reliquorum huius ſententiæ Theologorum viget conatus, & ſolertia.

Inter autem S. Doctoris argumenta illud videtur elegantiſſimum, & ad hominem valde efficax infra q. 1. ar. 2. in corpore. Magiſter aſſerit, numerum in Deo priuatiuè ſumendum, quatenus ſcilicet tollit ſolitudinem: ita enim ſunt plures perſonæ, quia non vna: vnum quoque priuatiuè, quo tollitur pluralitas: tunc ſic argumentationem conſtruit. Vnitas, & pluralitas opponuntur, non contrariè: ergo priuatiuè: ſed ſi ex vtraque parte priuatiuè: ergo tunc datur priuatio priuationis, & vt ait Sanctus Doctor, circulatio, contra Ariſt. ergo quod magis eſt, non priuatiuè; nam nihil priuatur, cum ex nulla parte habitus, qui priuetur, concedatur: quod ſi non priuatio: ergo poſitio; repugnat enim priuare, & nihil eſſe quod priuetur.

Neque eneruat argumentum, quod ſoluendo opponit S. Thom. ad ſcilicet vnum non opponi multitudini, ſed diuiſioni, diuiſionemq; ſecundum rationem præcedere multitudinem: reſpõdetur enim primo Ariſt. 10. Methaph. vnum, & multa opponi dicere: ergo per ſe opponitur multitudini, & probauit S. Bonauentura vnum præcedere diuiſionem, & multitudinem, & verum eſt etiam transcendenter, & vt principium numeri.

Neque ſecundò obſtat, quod diuerſa ratione vnum, & plura in Deo ponuntur, nam plura de ſuppoſitis, vnum de eſſentia aſſeruntur: vnde ad inuicem, neque opponuntur, neque conſequenter ad inuicem ſe tollant. nõ primum, quia vnus etiam relatiuè, & perſonaliter ſumitur, vt 1. quæſt. non ſecundum, quia vnum præſcinditur à quocumque, & in vniuerſum ſumitur, & quomodocumque accipiatur, verum eſt de eo, quod ſit indiuiſum, & diuiſionem multitudinemque tollat.

Secundum argumentum pariter ex conceſsis peracutè collectum hac quæſt. 1. Vnum dicit indiuiſionem, & negationem diuiſionis, & multitudinis ex Ariſtotelæ definitione, & ex Magiſtro: tunc ſic. Res quia indiuiſa, eſt vna, & quanto magis indiuiſa, & à diuiſione remota, tanto magis vna, & completa, & perfecta; ſed in Deo eſt perfectiſſima priuatio diuiſionis: ergo perfectiſsima vnitas. Maior probatur, quia priuatio diuiſionis eſt ſimplicitas: quamuis enim per nomen indiuiſionis videatur importari priuatio; dicit enim indiuiſum, quod non eſt diuiſum, & per conſequens quod non habet multitudinem in ſe aliquam; verè tamen ponit rem, eamque efficaciter commoſtrat, naturam nimirum omnino ſimplicem; cui ſubinde diuidi, & multiplicari repugnat. Quare tum quo vnus, eo ſimplex, tum quam perfectionem ſimplicitas aſſerit, eandem, & vnitas. Minor itidem probatur, quia neque actu, neque potentia habet Deus multitudinem, nec eius pars eſt neque per continui diuiſionem, neque per aggregationem, vt in reſponſione ad argumenta.

Tertium ex corpore quæſt. adhuc eodem robore. Vnum in creaturis dicit poſitionem: ergo multo magis in Deo. Conſequentia præter illam communem rationem, qua tantum quæ ſunt perfectionis à creaturis ad Deum tribuuntur, probatur primò, quia quæ ad aliud tanquam prius, & primum reducuntur, oportet illud primum eſſe poſitiuum: & conſtat; nam naturaliter habitus præcedit priuationem: ergo Deus, ad quem creaturæ referuntur, quæ ſunt multæ, eſt vnus poſitiuè. Secundò. Deus eſt, & eſt vnum per ſuam infinitè perfectam eſſentiam, & creatura per ſuam formam, ſed illa infinita eſt magis perfecta quàm hæc: ergo Deus magis poſitiuè vnus quàm creatura. Antecedens quoque eodem loco probatur, & ferè iam dictum eſt. Quælibet creatura eſt vna, & indiuiſa, & indiuiſibilis ſicuti dſt, per ſuam formam; ſed forma ponit: ergo &c. Tertiò. Si vnũ etiam in creatura eſt priuatio, non poteſt eſſe niſi multitudinis, ſed illam non priuat: nam non antecudit, imò naturaliter ad illam præcedit vnum: & colligitur ex Auicenna 3. Methap. cap. 6. Quartò. Nulla priuatio ſaluatur in habitu; ſed vnum ſaluatur in numero, & multitudine, cum ex vnitatibus conſtet: ergo vnitas &c.

Quartum argumentum, ex reſponſione ad vlt. Quod magis eſt ab aliis diſtinctum, magis eſt vnum: Deus eſt huiuſmodi; ergo. Probatur maior, nam ſi ratio vnius eſt ab alio diſtinctio; illud neceſſariò magis erit vnum, cui ratio, & quidditas vnitatis magis congruit. Minor conſtat ex antedictis; nam Deus eſt infinitè perfectus, & ſummè ſimplex.

Quo circa apprimè animaduertendum, vt poſtremo argèmento in reſpõnſione ad vlt. docebat S. Doctor: Deum cum creaturis non componere neque verè numerum facere, itaut Deus, & Petrus, Deus, & mundus, non poſſint rectè, nec propriè dici duo, vel plures; quod primo elegantibus, & perſpicuis verbis ita enucleat. Deus eſt ſummè, & infinitè vnus, itaut vnitas in ipſo dicat infinitam, actualiſsimam perfectionem. Secundò. Numerari cum alio eſt primo ad illum numerum eſſe in potentia. Tertiò Illius numeri fieri partẽ. Poteſt addi quartum, Vnitas creata habet perfectæ vnitatis parum, aut ferè nihil: omne enim vnum creatum, vt aſſerit Albertus Magnus hac diſt. ex Auicebron lib. de fonte vitæ & ex communi peritorum dicto &. Omne infra Deũ eſt hoc, & hoc, & cõpoſitum ex eſſe imperfecto, recepto, & participato, & actu, & potentia: tunc elicit. Deus infinita perfectione vnitatis diſtat à creatura, & creatura imperfectiſsimè eſt vna: ergo non poteſt fieri pars, & numeraricum ea: eſſet enim tunc pars numeri, & coæquaretur communitati creaturæ, & aſſeretur aliqua perfectio in creatura, quæ non eſſet in Deo, & conſequẽter Dei perfectio finita, & limitata crederetur, & ordinem diceret ad reliquas creaturas, cum quibus numeraretur: de ratione enim numeri eſt ordo, & aliquid maius eſſet cum mundo,

quàm ipſe ſolus. Probatur ex definitione numeri, quàm ipſe ſupra diſt. 19. par. 2. quæſt. 4. art. 1. Numerus eſt aggregatio multitudinis, in qua plus eſt in toto, quàm in ſingulis partibus; quod omnino falſum, & Deo Optimo Maximo abſonum, ac indignum. Secundò vnitas principium numeri, & numerum componens, eſt ad quantitatem ſpectans, quæ reſtibus omnibus conuenire Deo nequaquam poſſunt.

Hæc verò deducta, & obſeruata doctrina, eſt etiam S. Thomæ, & neceſſariò communis. Addidi verò: ſi quandoque aut ſimilis hominum phraſis inueniretur, aut numeraret homo ſimili ratione, & ſua phantaſia ſic Deum, & homines aggregaret; quo ad rem erraret, & prorſus deciperetur; aut ad minus impropriè loqueretur, & eſſet ibi dumtaxat numerus numerans; ſed infra exactus.

Tertiò, & poſtremo loco colligit, tanta pollere hanc Theologiam de Dei vnitate, firmitudine, vt in ſolo Deo ſolam, maximamque perfectionem vnitam aſtruat, eamque qua ſicuti ſolus Deus eſt, & maximè eſt; ita ſolius Dei ſit eſſe vnum; ac maximè vnum: vt eſſe vnum in Deo ſit intimus modus, quo infinitè perfectum ens eſt, infinitam hanc indicans, & continens, & explicans perfectionem; quam tamen niſi per hanc rerum diuiſionem, & multitudinem in Deo negatam, non licet nobis à longe proſpicere, & quaqua cognitione attingere.

Ad argumenta S. Doctoris nihil reliquum eſt obſeruare: inter explicandum namque Doctorem ſingula obſeruata, & expoſita ſunt. Verum, quoniam vnica ferè reſponſione omnia argumenta ſoluit; in gratiam adoleſcentium, quibus has noſtras dilucubrationes dirigo, diſtinctè ea ſoluere volui.

Argumentum igitur primum à definitione vnius tradita ab Ariſt. 10. methaph. cap. 3. text. 10. Vnum eſt, quod non diuiditur: ergo formaliter priuatiuè ſumendum. Antecedens conceditur Ariſt. conſequentia patet; nam in recta definitione quidditas, & ratio formalis ſolet explicari.

Reſpoſio S. Doctoris, quàm ab Alexandro ſumpſit, & neceſſariò eſt omnium huius ſententiæ Doctorum, quam ferè toto quæſt. corpore enodauit, eſt. Definitiones tradi iuxta rei definibilis naturam; quare ſi limitatione carebit, ſi extra genus erit res hæc definienda; neque per genus, neque per differentiam poterit definiri: ſi pariter erit quid primum, per prius eadem ratione definitione non poterit explicari, ſed per poſterius. Itaque vnum hic Ariſt. à poſteriori per notiora nobis, hoc eſt per negationem definiuit: ita quoque Riccardus. Quare ad formam argumenti neganda eſt conſequentia ex iam dictis, & explicatione definitionis, qualis qualis ſit.

Secundus ex eodem Ariſt. libro, & capite, vnum, & multa priuatiuè opponantur: & ex Comment. multa ſicut habitus, vnum ſicut priuatio: ergo vnum enti, vel Diuino, vel creato nihil addit, niſi negationem.

Elegantiſſimè & in corpore, & in reſponſione argumentum ſoluit; diuerſa ratione, & priuatiuè & contrariè, & relatiuè, vnum & multa opponi. Vnum in creatura ratione materiæ, quâ conſtat, & componitur; priuatiuè ſumitur: priuat namque diuiſionem, & multitudinem, ad quam ratione materiæ aptitudo eſt; ratione formæ poſitiuè, & contrariè neceſſariò ſumendum, de cuius ratione, tum eſſe, tum vnum eſſe conferre, formale eſt. In Deo verò cum ibi ſumma actualitas, ſummaque ſimplicitas adſit, omnis materiæ ratio cum adeo procul abſit, vt pluſquam diei poſſit in eſſe repugnet; ibi dumtaxat poſitiuè vnum ſumitur; ſummam enim ſimplicitatem ponit, & modum entis Diuini perfectiſsimum. Ad argumentum ergo: de Deo primum Ariſtotilem non locutum; de creaturis autem non ſecundum omnem modum: non enim ſolum priuatiuè, ſed etiam contrariè opponuntur vnum & multa: quod ſi priuatiuè; ita tamen, vt ideo vnum dicat multitudinis priuationem ex perfectione entitatis ſuæ; neganda ergo conſequentia.

Tertium. Vnum opponitur multis; non contradictoriè, vt patet; non relatiuè, nam relatiua ſunt ſimul natura, & mutuo adinuicem pendent: vnum autem cum præcedat multitudinem, vtique ab ipſa pendere non poteſt; non contrariè, primò, nam vnum contrariorum non poteſt eſſe alterius principium; ſed vnum eſt multitudinis principium: ergo non ei opponitur contrariè: ergo à ſufficienti enumeratione, priuatiuè: ſed multitudo dicit vnitatum poſitionem: ergo vnum priuationem. Secundò præſertim idem aſſeueratur de *Deo*. Vnum priuatiuè ſumptum dicit principium numeri, & multitudinis quantitatis diſcretæ, quæ repugnat Deo: ergo. Tertiò ſi poſitiuè Deus eſt vnus ergo numerum cum creatura ingreditur, numerique pars conſtituitur, quod abſurdum eſt, & nimis dedecet Deum, vt ſatis iam diſt. 19. quæſt. 4. art. vnico demonſtratum eſt. Conſequentia verò probatur; nam ſi Deus eſt vnus, & Petrus quoque eſt vnus, neque tamen Deus: ergo Deus, & Petrus ſunt duo. Antecedens huius argumenti tum ex ſe conſtat, tum Ariſt. eſt, indicato loco.

Reſp. conceſſo antecedenti, & primo membro diſtinctionis negatur de reliquis; nam relatiuè, & contrariè opponitur, vt in reſponſione ad 2. & ad rationem relatiui, tum de relatiuo imperfecto, & ſecundum dici: huiuſmodi enim relatiua, nec ſunt ſimul, nec vnum ab alio dependet, ſicut ſcibile: tum enim præcedit, tum independens eſt à ſcientia ſuo correlatiuo; tum formaliter, præciſè, & in ratione communi relatiui vnum & multa, & opponuntur, & ſunt ſimul natura. Ad rationem contrarij facilis ſolutio, eademque gemina. Prima formaliter quidem, vt opponuntur, vnum non eſt multorum principium: quod verò alia ratione, & quaſi per accidens, & impropriè; tranſeat: neque enim realiter, & efficienter in ratione numeri vnum producit multa, ſed in numero conſtituitur pars multitudinis: ſed vt producit, non eſt ei contrarium, ſed multitudinis iam productæ quidem eſt contrarium. Secunda, Hic vnitas non ſumitur vt principium numeri,

sed

ſed tranſcendenter, in quo ſenſu poſita in Deo, tantum abeſt vt producat numerum, vt infinitè diſtet ab eo, & ei repugnet: quare negatur conſequentia illa: ergo priuatiuè, & negatur illa ſequi abſurda. Non enim primum, nam vnum tranſcendentale non eſt principium numeri. Non ſecundum, nam eadem ratione neque pars numeri. Quibus fit, Deum vnum per eminentiſsimam rationem, & omne genus tranſcendentem, non eſſe quantum, nec cum creatura numerari, vt patuit &c.

Hæc tamen vt euidentius pateant, iterum aſſumenda ſunt, & inſtituenda quadruplex dubitatio.

Prima. Quomodo tum verè, tum concors cum Sancto Thoma ſit Sancti Bonauenturæ opinio.
Secunda. Diſtinctè de opinione Sancti Thomæ.
Tertia. Quædam obſeruanda ad quæſtionis ſolutionem.
Quarta. Qua Sancti Bonauenturæ, ac communior ſententia defenditur.

PRIMA IGITVR DVBITATIO, & primum Caput.

MAGNVM ſane de Deo optimo maximo prædicatum, eſt vnum: magna, ac non ſatis admiranda Diuini eſſe explicata perfectio, quam priſca ſapientum ætas tanti fecit, vt quis ſi quemquam ex Pythagoricis, aut Academicis percunctatus fuiſſet: quid eſt Deus? reſpondiſſet, non ſolum à ſe ſibi dici non potuiſſe quid ſit; ſed neque à ſe hoc inte vllo quæri, cum de illo hæc ſit indigna quæſtio, qui ſuper omnem eſſentiam, ſuperque omne intelligibile eſt: hoc à ſe dumtaxat poſſe ſtrennè aſtrui, eſſentialiter, & ſimpliciter eſſe vnum, à quo, & per quod, & in quo, & ad quod omnia ſunt, & ordinantur, permanent, continentur, implentur, & conuertuntur; & eſſe primum vnum ens; & cum vnus Deus dicitur, non numeri, ſed vniuerſitatis nomine nuncupatur; & licet non quid ſit Deus dicitur, tamen quomodo ſit clariſsimè enunciatur. Sane Zenophanes Parmenidis præceptor, & Pythagoræ coæuus, viſus eſt nobis peroptimè vt vnum eſſet explicare; cum de rerum principiis eloqueretur: dixit enim vnum eſſe Deum: & infinitum; & vnum, & numerum eſſe rerum omnium principium. Quemadmodum igitur ab vnitate omnis numerus, ita ab vno Deo omne quod eſt, promanauit; vt hac voce, vnus, & quanta in ſe perfectione Deus eſſet, quanta in producendo vis: & ſicuti vnitas in ſe ipſa ducta ſeipſam producit; in aliam vero ducta numerum ipſum in ſuo ſtatu conſeruat; ita Deus optimus maximus ſemper ipſe ſit idem, veluti in circulo centrum: quemadmodum enim circulus circa centrum mouetur; ita Diuina virtute immota manente, ab ipſa omnia, quæ viuunt, fiunt, manent, & conſeruantur. Et ſi

Diuinæ vnitatis emanationes intra ſe manentes, extra tamen lucent iuxta ſuſcipientium naturam, nihil in ſe tamen ſuſcipientes mutationis.

Porrò Hermes Trimegiſtus eloquentiſsimè, ac ſapientiſsimè vnitate ſic Diuinum eſſe ob oculos nobis ponit in ſuo Primandro: Vnitas omnium principium, radix, atque origo. Abſque principio nihil. Initium autem eſt non principij; ſed alterius. Vnitas ergo eſt rerum omnium principium, omnemque continet numerum, à nullo comprætenſa, omnem gignit numerum ex nullo genita numero. Quidquid vtique genitum, imperfectum, diuiduum, creſcens, atque decreſcens; ei verò quod perfectum, nihil horum accidit. Id ſane quod augeſcit, virtute augetur vnitatis: euaneſcit autem imbecillitate propria, cum alterius vnitatem capere nequeat. Hæc tibi pro viribus imago Dei ſubſcripta ſit; quam ſi diligenter conſideraueris, oculiſque internis prænoneris (crede mihi) aſcenſum ad excelſa comperies. Denique vnitas eſt Trigonus, Tetragonus, Pentagonus, radix, pyramis, cubus, circulus, & ſi quid artificioſum, & notatu dignum in numero: omne illud vnitas eſt, & ab vnitate progreditur, veluti quæ omnem numeri ſpeciem gignit, & conſtituit excellentius, quàm fari liceat. De Deo eadem hæc verius aſſeruntur: eſt enim ſapiens, bonus, verus, & ipſa ſapientia, bonitas, & veritas, & quæcumque habent creaturæ eius virtutis, ac perfectionis, quaſi per partes; habet ipſe altiori quodam modo, & creaturæ habent, quia ille tribuit. Vide quàm egregiè in Deo vnitas ſignificet. Et quid primò excellentius dici, aut excogitari de vnitatis præſtantia poteſt? Secundò. En quomodo perfectè, & exquiſitè Dei ipſius virtus, ac excellentia nobis ante oculos, veluti vnitatis pictura ponitur. Quàm ſua vi nedum, ſed efficacitate, vnitatis cognitione in Dei contemplationem rapimur, extollimur, vehimur?

Solus Ariſt. ſi ſolam, ac nudam ipſius verborum corticem ſpectemus, tum antiquitati contradicere, tum vnitatis dignitati derogare viſus eſt, dum 10. Metaph. commemorato loco, ac textu, vnitatem definiens, eius quidditatem, ac rationem formalem in quadam negatione conſtituit &c. Quo auctore, & cuius auctoritate proceriores, ac percelebres etiam Theologi idipſum de Dei vnitate aſſerere, ac pugnaci contentione ſuſtinere, ac tueri non dubitarunt: omnis etenim Theologorum Schola in duas contrarias acies ſeiuncta videtur, quarum in altera, ac primo loco locandi ſunt S. Thomas multis locis, ac præſertim hic, & ſupra quæſt. 11. & ibi omnes ferè eius aſſeclæ; & Durandus 1. ſent. diſt. 24. quæſt. 1. num. 9. & quæſt. 2. num. 11. Capreolus quæſt. 1. art. 1. concl. 3. Gabriel quæſt. 1. art. 3. dub. 3. Ariminenſis quæſt. 1. art. 1. & concl. 3. Gandauenſis quolib. 1. quæſt. 1. litt. A. & inter poſteriores, Soncinas, Fonſeca, Suarez &c. qui omnes vnanimi conſenſu aſſerunt vnitatem enti nihil addere, ſed ſolam negationem diuiſionis dicere; ita vt idem formaliter ſit vnum, & indiuiſum: ac eo vltra videntur procedere, vt vnitati nihil, neque materialiter à parte rei reſpon-

ſpondeat, in quo ratio formalis vnitatis ſubſiſtat, quemadmodum incorruptibile &c. licet negatiuè prolatum; in re tamen habet aliquid poſitiuum, ratione cuius ei corruptio non competat, ſed negetur.

Probat autem S. Thomas. Primò ex D. Dionyſio: argumento *ſed contra*, poſita tamen, & præhabita diſtinctione de vnitate quantitatis, quę ſit principium numeri, & de ea, quæ entitatiua eſt, & cum ente conuertitur, de qua dumtaxat negat addere enti; de alia enim concedit addere rationem menſuræ. Secundò probat. Vnum niſi indiuiſum eſſe de ente dicit: ergo nihil poſitiuè addit enti. Antecedens probatur. Vnum conuertitur cum ente: omne enim quod eſt, aut eſt ſimplex, aut compoſitum: ſimplex eo ſimplex, quo actu, & potentia indiuiſum; eo compoſitum, quo partes eius vnitæ ſunt: ergo nihil addit enti, niſi indiuiſionem. Art. 3. concludit, Deum eſſe maximè vnum, quia maximè indiuiſus eſt.

In oppoſita autem acie, & ſententia eſt Alexander 1. par. quæſt. 13. memb. 1. & 2. S. Bonauentura, qui illo tempore fuiſſe communem opinionem teſtatur. Riccardus eadem diſt. & quæſt. art. 1. vbi licet verſet quæſtionem problematicè, quemadmodum & alibi ſæpenumero; in ſolutione tamen arg. 1. ſecundæ partis addit vnum: non nudam indiuiſionem in Deo ſignificare, ſed ſimul eſſentiam vt indiuiſam, quod ſufficit ad hanc opinionem. Scotus 4. Methaph. quæſt. 2. & 10. Methaph. text. 9. cum ſuis ſectatoribus, & inter recentiores etiam Gabriel Vaſquez in D. Thomam, & ante omnes Auicennas 3. Methaph. cap. 3. vbi expreſsè. Vnitatem non dici de ſubſtātijs ſicut genus, vel ſicut differentia vllo modo, ſed ſicut quoddam comitans ſubſtantiam: non enim dicitur de eis ſicut genus, vel ſicut differentia, ſed ſicut accidens: vnde vnum eſt ſubſtantia, vnitas verò eſt intentio, quæ eſt accidens &c. idem ferè alijs verbis ſæpe repetit. Petrus de Aliaco ad phraſim omnino, & ad eundem dicendi modum Sancti Bonauenturæ de re hac loquitur. Porrò Alexander ſuam his perſpicuis verbis in quæſtione promit ſententiam in reſponſione ad primum. An vnum addat ſecundum differentiam ad ens, dico quod ſic, & hæc additio eſt determinatio eſſe rei, vt abſolutè ſe habet, & vt in conformitate ad primum efficiens, & ordinabile in memoria, quod non importatur per intentionem entis, ſed exprimitur per intentionem vnius: & multis deinceps eleganter oſtendit, quomodo vnum additum enti, quod eſt primum prædicatum coartat ens, ſolum in ratione intelligendi.

ARTICVLVS II.

Diſtinctius de opinione S. Thomæ.

PRima facie non ſibi conſtare videtur S. Thomas, nec conſequenter loqui: nam de veritate, quæſt. 1. art. 1. oppoſitum ijs, quæ capite præcedenti adduximus, videtur docuiſſe; & clarius de Potentia quæſt. 9. art. 7. his verbis. Vnum, quod conuertitur cum ente, non addit ſupra ens niſi negationem diuiſionis; non quod ſignificet ipſam negationem, ſed ſubſtantiam cum ipſa: eſt enim vnum, idem quod ens indiuiſum: & 1. ſent. diſt. 19. quæſt. 4. art. 1. & 2. Cum vnum ſit id, quod eſt indiuiſum in ſe, & diuiſum ab alijs. Cum vnumquodque autem creatum per eſſentiam ſuam diſtinguatur ab alijs, ipſa eſſentia creata ſecundum quod eſt indiuiſa in ſe, & diſtincta ab alijs, eſt vnitas eius, & 10. Methaph. lect. 4. ſententiam illam philoſophi exprimens, qua aſſerit, vnum, & multa contrariè opponi, prodit. Oppoſitio, quæ eſt ſecundum priuationem, & habitum, eſt principium oppoſitionis, quæ eſt ſecundum contrarietatem: alterum enim contrariorum ſemper eſt priuatio, ſed non priuatio pura, ita vt non participet naturam generis: contraria enim ſunt in eodem genere: oportet igitur, quod vtrumque contrariorum ſit natura quædam, licet alterum participet naturam generis, ſed cum aliquo defectu, ſicuti nigrum ſe habet ad album: quia igitur vnum non ſignificat priuationem puram: non enim ſignificat ipſam indiuiſionem, ſed ipſum ens indiuiſum; manifeſtum eſt, quod vnum, & multa non opponuntur ſecundum puram priuationem, & habitum, ſed ſunt contraria: ergo his locis S. Thomas, vnum non puram negationem enti addere, ſed etiam aliquam quoque poſitionem, aſſeuerat.

Quod ſi alijs ſupra indicatis locis oppoſitum videtur inſinuaſſe; tantum abeſt, vt tantus *Doctor* oppoſita docuerit, vt primo ex vtriſque locis integra ſententia, ac doctrina colligenda ſit; vt primis locis, in ſumma ſcilicet, non præciſè, & formaliter de re ſignificata ſit locutus, ſed iuxta id quod conſequitur, quo nobis à notioribus, & diuiſione, & multitudine negata vnum patefaceret, quemadmodum inter alios Alexander, & S. Bon. Secundis verò locis de re, quę vna dicitur.

Quod ſi vrges, Clariſsimè, & conſtanter hic vnum nihil addere enti poſitiuè profert S. Thomas: veriſsimè quidem: nullam enim diſtinctam entitatem addit ab ente, ſed modum dumtaxat ipſius entis intrinſecum, ac perfectionem nouo conceptu exprimit. Adſunt multi Thomiſtæ, ita Sanctum Thomam interpretantes. Capreolus in 1. ſent. diſt. 24. quæſt. 1. adducens etiam Auicennam 3. Methaph. cap. 2. dicentem: vnitas eſt eſſe, quod non diuiditur. Idem aſſerit Soncinas quæſt. 20. ac 22. Iauellus in 4. Methaph. quæſt. 2. & 8. Flandria quæſt. 3. art. 8. Iandunus quoque quæſt. 4. Significat Soto in Logica cap. de proprio quæſt. 2. ad ſecundum. Qui dum conſpirant in hanc vnitatis explicationem, non ſolam negationem, ſed entitatem ipſam cum negatione dicere vnum; in hanc quam tuemur ſententiam tanquam communiorem, etiam Sanctum Thomam ducunt: apertè enim poſitionem entitatis cum negatione diuiſionis fatentur de vno, maximè in Deo. Quam ſententiam tandem fuſo diſcurſu ac ſermone etiam Suarez diſp. 4. ſect. 2. in Methaph. profitetur. Quid? etiam in ſumma ipſe S. Thomas in art. 3. ad tertium his verbis videtur

idem-

idem aſſerere: licet in Deo non ſit aliqua priuatio, tamen ſecundum modum noſtræ apprehenſionis, non cognoſcitur à nobis niſi per modum priuationis, & remotionis; & ſic nihil prohibet priuatiuè de Deo prædicari. Et quid aliud S. Bonauentura? ergo in eandem ſententiam cum ipſo, & Alexandro, & Scoto non inuitus fertur, quo verius communior, vt dicebat S. Bonauentura, hæc opinio nuncupanda erit.

Hinc primò occurrit obſeruãdum, vt ſæpe etiam ſupra in certiorẽ rei huius, ac clariorem perceptionem S. Tho. non omnem rationẽ formalem vnius in indiuiſione conſtituere: hęc enim reſultat, & ſignum eſt perfectionis vnitatis, verum in entitate, actualitate, & ſimplicitate entis, ac rei: eo enim indiuiſum, & indiuiſibile, quo actu perfecto eſt, & vnum: & eo maximè vnus Deus, quia ipſum ens maximè actu, maximèq; ſimplex. Cõfirmatur primò ex vnanimi eorum priſcorum ſapientum conſenſu, quos multos refert Steucus lib. 3. perenni philoſophiæ c. 7. qui idcirco Deum, ipſum vnum, ipſamque vnitatem nuncupabant. Denique à creaturis, à quibus Deo tribuitur vnitas augeri roborarique adhuc poteſt res hæc. Omnis creatura eatenus perfectior conſpicitur, quatenus actualior, ac ſimplicior, ac magis vna: vnde illud Adagium. Virtus vnita fortior, hoc eſt perfectior; Deus vero eſt infinitè actus, ac ſimpliciſsimus: quare infinitè vnus, & maximè vnus, & poſitionè vnus.

Secundò obſeruandum inde vnitatem de qua hic ſermo, non eſſe eam, quam vocant vnitatem quidem indiuiſionis; tamen ſimul & diſtinctionis; & euidens eſt: nos enim in primis de vnitate diuina loquimur, & eo Deum Opt. Max. vnum eſſe aſſerimus, & immultiplicabilem, quo actu purum, acomnino ſimplicẽ dicimus; & eo ſummè vnum, quo ſummè ſimplex, & ipſe actus primus, independens, & illimitatus. Vnitas verò diſtinctionis eſt multorum vnum componentium, compoſitione ſiue methaphiſica, ſiue phiſica, ſiue reali, ſiue accidentali, ſiue logica: & licet inter has compoſitiones, quas, & plures alias S. Doctor refert diſt. 8. p. 2. art. 2. hæc intercedat differentia, vt vna magis vel minus componat, quàm alia: in hoc tamen omnes conueniunt, quod vnum componunt; vel ſit ex genere, & differentia; vel actu, & potentia; vel materia, & forma, vel ſubiecto, & accidente; vel ſuppoſito, & eſſentia; vel eſſentia, & exiſtentia; vel ſubſtantia, & virtute &c. certo tamen certius Diuinæ ſimplicitati, ac vnitati hæ compoſitiones repugnant: & ſupponitur loco indicato, ac communi Theologorum aſſenſu, ea diſput. de Diuina ſimplicitate.

Neque hæc eadem Diuina vnitas, numerica vlla ratione appellari poteſt: ſi tamen primò hanc numericam vnitatem geminam eſſe animaduertamus: altera enim eſt, quæ numeri principium, ſeu pars: altera verò, quæ eſt indiuidualis, & ſingularis vniuſcuiuſque entis exiſtentis, quatenus diſtinguitur contra genericum, & ſpecificum: & hoc loco primam, nequaquam ſecundam excludi, hac præcipua ratione. Vnitas hæc numerica, ſiue tranſcendenter, ſiue ſecũdum quantitatem vſurpetur; erit inter vnitatem & vnitatem, tum differentia eſſentialis, quia eſſentiæ variæ numerantur, & variæ per varias vnitates conſtituuntur; tum conſequenter; nam ſic vnitas vnitati addita facie aggregationem, & maius, ac perfectius: quod tamen à Deo catholica fides explodit: eſt enim vna numero eſſentia in tribus perſonis, & ipſæ perſonæ licet ad inuicem numero diſtinguantur; non tamen eſſentia, ſed ſola relatio numeratur, quæ non auget eſſentialem perfectionem etiam multiplicata, quia eadem prorſus in tribus, æque ac in vna, & in vna ſicut in tribus: vnde nihil maius, aut minus: & eædem perſonæ ſummè ad inuicem æquales, ac ſimiles prædicantur: *æqualis Pater, æqualis Filius, æqualis Spiritus Sanctus*.

Quod ſi ſecundum quantitatem numerica vnitas accipiatur; conſpirant omnes Theologi, hanc à Deo profligandam, quemadmodum ipſam quantitatem: quare nec numerari Deum cum creaturis, neque partem conſtitui numeri, deducunt, & omni aſſeueratione ſtatuunt: vt vnum Deum, & vnum Angelum non eſſe duos, grauiter cum alijs Theologis docuerit S. Doctor, ſi tamen propriè loquendum ſit; cum hæ numeri partes, ac vnitates, quantitatis partes ſint.

Quod ſi vrgeas. Vnitas, quæ ſit numeri principium, nulla ratione ad Deum ſpectabit? vel vnitas, quæ eſt in Deo, nulla prorſus ratione poterit eſſe numeri principium? ſoluit Riccardus adhibita diſtinctione: vnitas ad numerum comparari poteſt, vt ſit principium, aut efficiendi, aut numerum initiandi vt ipſius prima pars: quo ad efficientiam, ſicuti à Deo vno omnia prodeunt, & producuntur; ita vnitas Dei (dicam clarius) vnus Deus ſua cunctipotenti virtute eſt principium producens omnem numerum, omnem ſcilicet creaturarum multitudinem, ſiue in cælo, ſiue in terra, ſiue ſub terra, & in aquis: in principio enim creauit Deus cælum, & terram. Quo autem ad numerum, iam nedum dictum, ſed iam pluries repetitum, vnitatem Diuinam ſic non eſſe, neque poſſe eſſe numeri principium, aut partem.

Verumenimuero hic ſcitu neceſſarium videtur. Si altera vnitas, nimirum eſſentialis, ita perfectè congruit Deo: altera vero tanto rigore incongruit; quanta inter illas, & quæ intercedet differentia, hic breuibus, ac paucis erit enucleandum. Dicendum igitur.

Vnitas, vt conuertitur cũm ente, ab ea quæ ſit numeri principium, differt ſicut ſuperius, & inferius: prima enim competit enti vt ens eſt: ſecunda vero enti determinato, quanto: ſed vtrique conuenit in ratione, & modo entis, & indiuiſionis; animaduerſa tamen hac diſtinctione: vnum quantum, licet actu indiuiſum, potentia tamen diuiſibile: vnum vero entis vt ens, ita intrinſecè vnum, ſicut ens, cum quo conuertitur: ita vt quantum extrinſecè vnum denominetur ratione quantitatis, vnum vero vt ens, intrinſecè omnino.

CAPVT III.

Quædam alia obſeruanda ad quæſtionis ſolutionem.

IN huius dubitationis luculentiorem, ac patentiorem ſolutionem quædam adhuc prius obſeruanda duxi: ac

Primò, quemadmodum bonitas, ac veritas bifariam accipi ac ſumi poſſunt, primò abſolutè, & in ſe, ac continent, & indicant rei eam integritatem, ac perfectionem, quæ requiritur, & neceſſaria eſt, vt in ſuo eſſe ita conſtituatur, vt nihil ei deſit ad ſuum verum ac perfectum eſſe. Secundò in eſſe relato, & obiectiuo ad potentiam ſuam, quam moueat, ac terminet, ac perficiat; quippe cui ſit bonum, iucundum, ac honeſtum; quod ſane inter alios docuit, & obſeruauit S. Bonauentura in 1. ſent. d. 31. 2. par. art. 2. quæſt. 3. ad 2. de pulchritudine imaginis agens, ac ſi de pulchro, vt idem cum bono, ac perfecto ageret: aſſerit enim geminam eſſe pulchritudinis quaſi ſpeciem; alia, qua in ſe pulchra, & perfecta imago: alia, qua refertur ad prototypum, & ipſum exactè refert: hanc verò traditam diſtinctionẽ hac ratione probat: vna enim ſine alia aliquando inuenitur, nam poteſt in ſe eſſe exacta imago; neque tamen prototypum imitari: & ita videtur neceſſariò aſſerendum: nam bonum, & pulchrum, ad inuicem ratione dumtaxat diſtinctum, videtur appetibile, quia prius in ſe ita perfectum eſt abſolutè, vt conuertitur cum ente.

Ita propemodum de vno dijudicandum eſt, & ex Henrico Gandau. in ſumma quæſt. 1. art. 25. triſariam perpendendum: primò abſolutè, & vt conuertitur cum ente, & eſt prima paſſio entis, & vt ait Alex. 1. pat. q. 13. impreſsio, & modus entis, à quo niſi ratione ratiocinata differt. Secundò, vt relatè ad multitudinem, cui vt entis paſsio opponitur. Tertiò, vt ratione menſuræ ſumitur, in qua etiam eſt principium numeri. Hoc loco prima perpenſione ſumendum: quæritur enim quid in ente dicat, quidque de ente enunciet, quid denique enti ſua ſignificatione addat: quare qui negatione vnitatis rationem venantur, potius quid poſterius, & conſectarium, quàm quid formale eſt, quærunt.

Secundò valde ad rem, ac quæſtionem ſoluendam ſolerter obſeruandum, ex Commentatore 7. Metha. priuationem duplicem inueniri, & obſeruari: altera eſt, quæ ſimplex, ac pura priuatio nuncupari mos eſt, quę quia oppoſitum tollit habitum, tum aptum, tum debitum ineſſe ſubiecto; & quo priuat ſubiectum debita perfectione, eo neceſſariò imperfectionem implicat: altera verò habitum quidem tollens, non tamen debitum, imò magis ſubiecto repugnantem, quam Auerroes abſolutam ante priuationem, inſeparabiliter tamen ſubiectum conſequentem: quippe cui repugnat non perpetuò eſſe priuatum propter oppoſitam, inhærentem, & amouibilem perfectionem.

Quare, quamuis in ſua formali ratione, vt præciſè priuatiua, perfectionem indicare non valeat; indicat tamen, vel potius ſupponit eam, propter quam contradicit ineſſe oppoſitam formam. Exemplum eſſet congruum incorruptibilitas in cælo, quæ eſt negatio corruptionis, quæ quidem priuatio perpetuò corruptibilitatem, ac corruptionem excludit, propter perfectionem tamen naturæ cæleſtis intrinſecam: ſed hæc priuatio congruentius negatio nomenclanda.

Hinc ex Scoto 2. ſent. d. 3. quæſt. 2. ſed prius ex D. Bonauentura hic ad penult. ob oculos ponendum, & ſedulò animaduertendum: nihil vnquam enti repugnare ex ſola priuatione, ſed per aliquod poſitiuum: licet enim negatio tollat potentiam ad id quod negat; non tollit tamen repugnantiam, niſi exiſtente poſitiuo: exempli gratia. Indiuiſibile quidem priuat diuiſionem, ac diuiſibilitatem, ac inde quantitatem, quæ ſola eſt omnis partibilitatis, & diuiſibilitatis ratio; ſed repugnantia pendet ex perfectione talis naturæ, cui ſubinde repugnat quantitatem recipere.

Sed quod tertio loco obſeruandum occurrit, magis operæpretium, ex S. Bonauentura hic ad penult. ex S. Thom. q. 11. art. 4. & ſupra etiam indicatum. Deum nedum eſſe vnum, ſed maximè vnum, vnitatemque in eo eſſe perfectiſsimam; quod ante Scholaſticos Theologos perſpicuis verbis S. Bernardus de Conſiderat. ad Eugenium lib. 5. teſtatus eſt. ***Inter omnia, quæ rectè dicuntur vnum, arcem tenet vnitas Trinitatis.*** Porro iſthæc Diuina vnitas hinc maxima, quia Trinitatis: quemadmodum enim ſupra S. Doctor ex Alex. Magiſtro multis locis, præſertim hic, ſummam Diuinæ eſſentiæ ſimplicitatem inde demonſtrabat, quia vna eadem numero natura immultiplicata inuenitur in tribus perſonis; ita eadem prorſus oſtenſione in deductione. Diuina eſſentia eſt in pluribus ſuppoſitis: ergo maximè vna. Mira Theologia; vera tamen, ac vera verior: alijs in naturis, ac rerum generibus pluralitas opponitur vnitati, eamque omnino deſtruit: hic verò in Deo pluralitas perſonarum relatione ſubſiſtentium, arguit, aſtruit, & ſumma vi demonſtrat Diuinæ naturæ perfectiſsimam vnitatem.

Porro S. Doctor noſter hoc commemorato loco pro maxima hac vnitate ſic enititur. Quò res completior, perfectior, & actualior; eo magis vna: ſed Deus eſt perfectiſsimus, ipſe actus puriſsimus: ergo maximè vnus. Maior poteſt ex eo probari, quod vnitas eſt modus entis, & conuertitur cum ente: ergo maximè vnus, & ipſa vnitas. S. verò Thom. eo quem retulimus art. ad hanc maximam vnitatem perſuadendam, hanc quam ſupra innuimus conſtruit argumentationem. Deus eſt maximè ens, & maximè indiuiſum: ergo maximè vnus: neque indiuiſio hoc loco ſumenda vt tollit quantum, & opponitur pluralitati, & conſtituit vnum numero; nam vt etiam ſupra, non de vnitate numeri, & quantitatis, ſed tranſcendentali hic eſt ſermo: illa enim enti eſſet inadæquata, hæc vero ita adæquata, vt conuertatur cum ente; nam omne ens quatenus ens, ſingula-

re

re eſt: quare vnum numero vt opponitur ſpeciei, & communi, nou vt principium, aut pars numeri.

Multum autem ad inuicem differunt præter quę ſupra diximus. Primò: ergo vnitas numerica quãtitatis differt realiter à ſubiecto de quo: quicquid Nominales, inter quos Gregorius 1. ſent. d. 24. q. 1. & 2. nam aliàs vnitas numeri conuerteretur eum vnitate entis, & ſubſtantia, & accidentibus materialibus; vnitas verò entis ita cum ente conuertitur. vt vix ratione, ac modi differentiæ differat. Præterea vnitas quantitatis dicit quidem actu indiuiſionem; diuiſibilitatem tamen ponit ex intrinſeca ratione quantitatis: vnitas autem tranſcendens, ac præſertim Diuina, adeo indiuiſa, vt etiam omuem tollat ad diuiſionem potentiam: eſt enim puriſſimus actus. Denique vnitas quantitatis in re materia conſtante inueniri poteſt, quæ quanto Deus purus, ac Spiritus, tauto ei repugnat. Aliam addit S. Thom. differentiam: nam vnitas quantitatis enti quanto addit rationem menſuræ: tranſcendens autem, Deo niſi negationem diuiſionis, eo tamen ſenſu, quo interpretati ſumus.

C A P V T IV.

Quo S. Bonauenturæ, & communior ſententia defenditur.

TAndem confirmare S. Bonauenturæ de Diuina præcipuè vnitate ſententiam, operæpretium impræſentiarum eſt, ac primò dicendum. Vnum trauſcendenter ſumptum, quod conuertitur cum ente, & eſt eius propria, & adæquata paſſio, affirmatiuè, & poſitiuè ita ſumitur, vt aliquid primò de ente nobis ſignificet, quod nomine ſolo entis nou ſignificabatur. Probatur primò ex Ariſt. 10. Met. text. 9. ſatis perſpicuis his verbis. *Opponuntur autem vnum, & multa, multis modis, quorum vno vnum, & multitudo, vt indiuiſibile, & diuiſibile: quod enim aut diuiſum, aut diuiſibile eſt, multitudo quadam dicitur: quod verò indiuiſibile, aut non diuiſum, vnum: Cum autem oppoſitiones quatuor ſint modis: quorum alius ſecundum priuationem dicatur, contraria erunt profecto, & neque vt contradictio, neque vt ea, quæ ad aliquid dicuntur.* Vbi enumeratis quatuor oppoſitionum generibus; contradictionis dumtaxat, & relationis genera excipit: ergo contrarium, & priuatiuum includit, ex illa axiomate. *Exceptio firmat regulam.* Ergo qui tantum priuatiuè opponi aſſerunt, aut negant, aut non mediocrem verbis Ariſt. vim inſeruut. Ita hunc locum nedum auctores huius ſententiæ, ſed etiam S. Thom. interpretatur, ibi Ariſtotelem explicatè Vnum, & mulra contrariè opponi; licet etiam priuatiuè, ea ratione, quam recenſuimus cap. 2. quia ſcilicet priuatio eſt ratio contrarietatis, ita vt priuationem ibi ex S. Thoma non recoluerit Ariſt. ad vnum, & multa priuatiuè opponi aſſerendum, ſed potius ad aperiendum, quare opponantur contrariè.

Quo poſtea ſatis conformiter, & acutè deduxit Gab. Vaſquez cap. 2. Diſputationis 119. aliam conſimilem expoſitionem Ariſtotelis: ſcilicet non ideo ibi priuationis meminiſſe, vt ita opponi vnum & multa aſſeueraret; ſed vt omnia oppoſitionum genera colligeret; ac hoc recenſendo, tanquam inconueniens poſthabitum, ſtatim verum, ac proprium, nimirum coutrarium adiungeret.

Sed (quod poſtea perattentè tum Alex. tum Seraphicus Doctor, & animaduerterunt, & inde de negatione, & indiuiſione ſententiam collegerunt, ac ſtabilierunt) liquidò ex ſeqnentibus Ariſt. verbis deducitnr, ac confirmatur. *Dicitur autem ex contrario ipſum vnum, & ſignificatur ex diuiſibili indiuiſibile, eo quod magis multitudo, & diuiſibile, ſenſibile eſt:* vt apertè nobis vellet innuere; ſignificari quidem nobis vnius rationem per diuiſibilitatis negationẽ; non tamen vt ibi in negatione ſuam eſſe vnius rationẽ indicaret; ſed vt inde facilius, ceu à notiori nobis, & ſenſibiliori, quid vnum poneret formaliter nos edoceret: quare oppoſitione priuatiua Ariſt. non vt formali, ſed reſultante, ac conſequente, & vt faciliorem modum cognoſcendi traderet, vſus eſt. Eodem loco Vaſquez proponit, ac eleganrer tollit oppoſitionem quandam, quæ idoneam hanc, ac congruam verborum Ariſt. interpretationem obſcurare videbatur.

Secundò igitur probatur eadem ſententia ex illa peruetuſta ſapientum ante Ariſt. Academià, ita de vnitate vnanimi conſenſu philoſophante, vt iam bis indicauimus: & ex ferè totius ſcholæ Thologorum conſenſu: Alex. enim. S. Bonauentura. Scotus cum ſuis omnibus. Riccardus. S. Thomas cum pene innumeris diſcipulis, fere ad vnguem, vt iam ſupra ſatis: licet hic pe negationem rationem vnius contendere videatur explicandam; tamen & alijs locis quàm dilucidè docuit: & negationem ad noſtræ cognitionis commodum etiam ex Ariſt. adhibuiſse, non inuita vt aiunt Minerua, interpretari poſſumus.

Tertiò, ratione Alexandri ſupra recenſito loco. Sicuti ſe habet ens, & ad finem, vnde contrahit rationem boni, & ad principium exemplare, vnde verum verè conſtituitur: ita ſe habere debet ad efficiens, à quo vnum eſſe adipiſcitur: ſed bonum, & verum poſitiuè ſumuntur: ergo & vnum. Minor probatur, primò à S. Thoma 1. par. quæſt. 5. art. 3. diffusè, & ar. 4. quatenus entis bonitatem eſſe actu ens, & perſectionem, & finem, ideo appetibile conſtituit. De veritate, ac vero reali idem omnino affirmandum: eatenus enim ens verum aſſeritur, quatenus & requiſita ad ſuam rationem exemplarem, & perſectam naturam, & vt diſtinguitur ab ente ficto & rationis, habet: quæ omnia poſitionem, nequaquam vero negationem præſeferunt. Maior verò, imò à fortiori amplexanda: Si enim eo vnum, quo ab vno efficiente: ergo vnum efficitur vt vnum, & vnum eſt aliquid poſitiuum.

Præterea ex Scoto 4. Methaph. Ratio vnius vt præſcindit ab ente, eſt extra nihil: ergo eſt aliquid. Antecedens probatur. Primò prædicatur de ente

in

In ſecundo modo dicendi per ſe : ergo. Secundò, vt præſcindit ab ente, habet rationem menſuræ: ergo. Quæ vero ſolent opponi, non tanti ponderis ſunt, vt longa redargutione indigant.

Quartò ex S Bonauenturæ fundamento. Omnis negatio, quæ eſt in ſubiecto, neceſſariò oritur ex aliquo fundamento poſitiuo, ratione cuius non conuenit ei quod negatur, vt cap. ſuperiori obſeruatum eſt: ergo illud, ad quod ſequitur negatio diuiſionis, eſt poſitiua ratio formalis vnitatis, explicata à nobis per negationem illam. Probatur. Ens vt ens abſtrahit ab vno, & à pluribus: ergo vt ei competat negatio diuiſionis, debet habere aliquid aliud ratione entis, per quod non congruat diuidi; ſed hoc eſt vnum: ergo vnum ante negationem diuiſionis eſt aliquid poſitiuum. Confirmatur. Vnum primò abſolutè debet ſumi, antequam referatur per diſtinctionem, & negationem: & primò vt paſſio entis, & cum ente identificatur, antequam ab alio diſtinguatur, & indiuiſum ſit: ergo prius poſitionem dicit, quàm negationem. Confirmatur ſecundò. Ens eſt prius negatione diuiſionis: ergo & vnum. Probatur conſequentia. Ab eo, à quo res habet eſſe, habet & vnum eſſe; habet eſſe ab ente: ergo & vnum eſſe; ſed eſſe eſt poſitiuum: ergo & vnum.

Quintò ex eodem. Vnum dicit perfectionem: ergo & poſitionem. Conſequentia conſtat: probandū ergo antecedens. Res ratione formæ vna eſt, & ab alijs diſtinguitur: ſed forma dicit actum, & perfectionem: ergo & vnum. Confirmatur. Res quanto magis vna, tanto magis actu, & completa. Patet inductione in omni ente, ac tandem in Deo, qui ideo maximè vnus, quia maximè eſt; vnde Dionyſius Areopagita ſecundò de Diu. nom. Eſt vnus inquit, quia vnicè continet omnia: ergo poſitionem dicit. Iterum confirmatur. Primò. Perfectio definitur, melius eſt ipſum, quàm non ipſum, & melius eſt vnum eſſe, quàm non vnum: ergo vnum, & perfectionem, & poſitionem, & perfectionem ſimpliciter in Deo dicit. Deinde quia ad ſummè vnum ita reducitur, ſicut bonum ad ſummè bonum. Denique modus entis intrinſecus eſt quid poſitiuum: ſed vnum eſt modus entis conſtituens formaliter in actu, ipſumque cuſtodiens, vt ait S. Thom. in fine ar. ergo.

Sextò ex eodem. Vnum antecedit multa: ergo poſitiuè ſumendum: ergo ei repugnat priuationis, & negationis ratio. Antecedens conſtat. Primò, quia vnitas eſt principium multitudinis, quoquo modo ſumatur multitudo, vel quantitatiuè, vel tranſcendenter, & ex multis vnitatibus conſtituitur. Secundò, quia diuiſibile eſt prius diuiſo, & indiuiſibile negatione diuiſi. Conſequentia quoque patet, nam primò, affirmatio & habitus eſt prior priuatione, & negatione. Secundò, multitudo opponitur vnitati, eamque per diuiſionem tollit, aut eſt ei contraria per Ariſt. ſuperiori loco relatum: ergo vnitas, quæ tollitur, & itidem contraria, poſitiua eſt.

Neque quidquam prodeſt aduerſarijs quod ab eis ſolet obijci. Primò. Vnitatem formaliter non negare multitudinem formaliter, ſed multitudinis fundamentum, nimirum hanc, & hanc entitatem. Reſpondetur enim primò, hanc gloſſam non pati verba Ariſt. 10. Metaph. Nam ipſe formaliter dixit, vnum, & multa eſſe contraria. Secundò. Si vnitas hanc, & hanc entitatem tollit: ergo vnitas, quæ eſt in Petro, tolleret entitatem Petri, & quæ eſt in Paulo, entitatem Pauli. Quod ſi dicas, non tollere entitatem ſecundum rationem entis, ſed ſecundum rationem huius, & illius ſimul: hoc nihil aliud eſt, quam ſupponere quod per rationes negatum eſt prius: vnitatem ſcilicet tollere hanc, & hanc entitatem, vt diuiſa in plures, & ſic multitudinem priorem eſſe, ac præcedere vnitatem. Neque obeſt aſſerere, diuiſionem ratione multitudinem præcedere: falſum enim eſt, nam ſunt idem formaliter.

Secundò dicendum ſingulari, & efficaciori ratione. Vnitatem in Deo dicere poſitionem, aſſerendum omnino videtur. Probatur primò ex D. Dionyſio nuperrimè recēſito. Deum eſſe vnum, quia vnicè omnia continet. Secundò. Deus eſt magis vnus quam creatura vlla, imo maximè vnus: ergo poſitiuè. Conſequentia eſt nota, nam negatio non ſuſcipit magis, & minus, niſi ratione alicuius perfectionis, vt ſupra. Tertiò. Seipſo vnus: ergo ab ipſis diſtinctus per aliquid. Quo magis ab alijs diſtinguitur, eo Deus eſt magis vnus: ergo infinitè diſtat, quia maximè vnus: ſed infinitè diſtare eſt eſſe infinitè magis perfectum: ergo eſſe maximè vnum, maximam dicit poſitionem, & perfectionem. Quartò. In creatura dicit poſitionem ratione formæ: ergo multo magis in Deo, ratione Diuinæ eſſentiæ ſine vlla materia, aut materiæ poſſibilitate. Hinc quintò ex ſumma ſimplicitate, ex diſt. 8. quæſt. 1. arg. 4. & quæſt. 2. ad primum. Deus eo ſimplex, quo vnus, & eo ſummè ſimplex, quo ſummè vnus: in reſponſione ad primum. Eſt enim in Deo ſimplicitas modus vnicatis, & conditio nobiliſsimi entis ſic: ſed Dei ſimplicitas eſt ſumma poſitio, & perfectio: ergo & vnitas.

Minor probatur. Primò ex S. Thoma 1. contra gentes c. 18. & ex S. Bonauentura citata quæſt. In vnoquoque genere illud eſt nobilius, quod eſt ſimplicius; ita eſt vnum in Deo: ergo nobilitatem, & perfectionem dicit. Secundò. Eſſe actualiſsimum dicit perfectionem: ergo & eſſe ſimpliciſsimum. Antecedens, continet omnem perfectionem. Conſequentia quoque conſtat. Actualitas ita eſt ratio ſimplicitatis, vt vna ſine alia intelligi non poſſit: eo enim res magis ſimplex, quo omnem potentialitatem excludit, & eo actu, quo præcipuè opponitur eſſe in potentia &c. Tertiò ex S. Bonauentura, & Scoto diſt. 8. quæſt. 1. ad primum, & quolib. 5. Simplicitas tollit compoſitionem, quæ eſt imperfectio: ergo ipſa eſt perfectio: ſi enim purus actus dicit perfectionem, & compoſitio imperfectionem; ſimplicitas quæ eſt actus ſic, perfectionem ponet.

Neque materia, quæ eſt ſimplex, tamen vllam perfectionem inuoluit: relationes Diuinæ quamuis ſimpliciſsimæ, neque tamen perfectæ, aut imperfectæ; vlla ratione aſſertæ veritati obſtant. Nam

ma-

materia non vtique ſimplex eſt: eſt enim pars compoſiti, & componibilis cum forma: & licet non compoſita ex his, tamen cum his, vt obſeruat etiam Alex. 1. par. quæſt. 5. m. 3. Simplicitas dicens perfectionem eſt conditio nobiliſſimi entis, ex S. Bonauentura ſupra; materia verò aut imperfectiſsimum, aut nullum ens: Diuinas autem relationes, etiam vt ſic eſſe perfectiſsimas, pro virili ſuo loco ſuſtinuimus. Sextò. Deus omnipotens agit, vt vnus: ergo vnitas in Deo poſita eſt ratio, qua Deus agit. Septimò. Omnis ratio, qua ſuo loco Theologi, & etiam philoſophi probāt Deum eſſe vnum, includit perfectionem: ergo Deus eo vnus, & maximè vnus, & ſolus, quo entitatiuè infinitè perfectus. S. Bonauentura d. 3. S. Thomas 1. contra gentes c. 42. & 1. par. q. 11. art. 3. & alij: eſt enim ideo vnus, quia infinitè ſimplex, quia ſummus, quia cunctipotens, quia verus: Deitas enim eo immultiplicabilis, quia vera: itidem eo Deus vnus, quo primum ens, ſuum eſſe, & ipſum eſſe, & vltimus finis: ergo vnitas in Deo has omnes (ſimplicius loquar) hanc infinitam perfectionem, multis conceptibus explicatam, reuera includit, & ponit.

Tertiò moraliter dicendum, Id, quo rationalis creatura cum omnibus ſuæ ſpeciei, & cum Deo Opt. Maximo eſt vna, eſt quid poſitiuum, valde excellens, & inſigni præconio dignum. Hoc vnitatis Euangelicæ, & dignum aſſertum, & egregium elogium ſane eſt: præter enim conformitatem in natura inter omnes homines, adeſt voluntatum, & operationum, & legis eiuſdem obſeruantiæ, vnitas virtutis, & charitatis, vnde Chriſtus Dominus Io. 17. *Rogo vt omnes vnum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipſi in nobis vnū ſint.* 1. Corint. 3. *qui plantat, & qui rigat vnum ſunt.* 1. Corint. 9. *omnes quidem currunt: ſed vnus accipit brauium. Vides* inquit Origenes; *qui omnes iuſti, vnus eſt iuſtus, qui accipit palmam*; ſed vt attentius audiamur, grauiſſimos Patres hac de re audiamus, Clementem Alexand. 1. lib. Stromatum, ſtromate 5. *Deus eſt impaſſibilis, iraque expers, & cupiditatis, & metus, non per eam declinat ea, quæ ſunt moleſta, & grauia; ſed neque eſt temperans, aut imperans cupiditatibus: neque in graue aliquod moleſtum incidit Dei natura: neque fugit Deus timorem, ſicut nec concupiſcit. Quoniam verò qui Deo adhæret, vnus ſpiritus efficitur cum illo, myſticè apud nos dictum eſt illud Pythagoricum. Oportet hominem fieri vnum.* Hæc ille.

At fuſiori ſermone hom. vnica in 1. lib. Reg. c. 1. Origenes in illa verba, *erat vir vnus. Vide ſi non hoc ipſum ad laudem pertinet iuſti, quod dicitur de Elcana, erat vir vnus: nos, qui adhuc ſumus peccatores, non poſſumus iſtum titulum laudis acquirere, quia vnuſquiſque noſtrum non eſt vnus, ſed multi: intuere namque illius vultum nunc irati, nunc iterum triſtis, paulo poſt rurſum gaudentis, & iterum turbati, rurſus lenis &c. vide quomodo qui putatur vnus, verè non eſt vnus: ſed tot in eo videntur perſonæ, quot mores conſpiciuntur: quia & ſecundum Scripturas inſipiens vt luna mutatur: vnde & luna, cum vna videatur eſſe per ſubſtantia immutationem; tamen à ſeipſa ſemper ipſa eſt alia, ſemperque diuerſa; vt ſic etiam in ipſa conſtet, quod vnum multa ſint: & ſic & nos, qui adhuc inſipientes, & imperfecti ſumus; quia ſemper mutamus ſententias, ſemper diuerſa cupimus, & ſentimus, & quod diceret Ieremias, de malo ad malum egredimur, de cogitatione in cogitationem, de deſiderio in deſiderium, de peccato in peccatum; vnus dici non poſſumus: de iuſtis autem non ſolum per ſingulos vnus dicitur; verum etiam conuenienter vnus nominantur: cur enim omnes non dicantur vnus, quorum cor, & anima vna eſſe deſcribitur, Act. 4. vnam ſapientiam omnes meditantur: vnum ſapiunt: vnum ſentiunt: vnum Deum venerantur, ac colunt: vnum Ieſum Chriſtum confitentur: vno ſpiritu Dei replentur: vnde meritò & ipſi omnes, non ſolum vnum, ſed vnus dicuntur; ſicut & Apoſtolus diſignat dicens, omnes quidem currunt, ſed vnus accipit palmam: verè imitatur iuſtus qui talis eſt, vnum Deum: nam vt ergo arbitror, cum per prophetam dicitur, audi Iſrael, Dominus Deus tuus vnus eſt Deus, non tantum numero vnus deſignatur, vtique qui ſupra omnem numerum eſſe credendus eſt; ſed per hoc magis vnus dici intelligendus, qui nunquam à ſemetipſo alter efficitur, hoc eſt numquam mutatur, nunquam in aliud vertitur, ſicut de ipſo teſtatur Dauid dicens: Tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient. pſ. 101. Sed et illud in hunc ſenſum reſpicit: Ego ſum Deus veſter, & non mutor. Immutabilis igitur eſt Deus, & per hoc vnus dicitur, quod non mutatur: ſic ergo & imitator Dei iuſtus, qui ad imaginem Dei conditus eſt, vnus etiā ipſe cum ad perfectum venerit, appellatur; quia & ipſe cum in virtutis ſummo conſiſterit, non mutatur, ſed vnus permanet ſemper: nam dum in ſceleribus verſatur, vnuſquiſque per multa diuiditur, & in diuerſa diſpergitur, et dum in multis eſt vitiorum generibus; dici non poteſt vnus. Igitur, quia ſecundum hanc mirabilem vnitatem vnus eſt iuſtus, imo et plures iuſti vnus ſunt; ideo & Sanctus Apoſtolus omnem cohortatur Eccleſiam, vt idem dicatis omnis, & non ſint in vobis ſchiſmata &c.* Hæc præclarè. Origenes.

Sed quod hæc chriſtiana, & euangelica vnitas fecit per poſitam, & infuſam charitatem in hominum ſingulorum cordibus, quis inficiari poteſt? *Charitas enim diffuſa eſt in cordibus veſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt vobis.* Huc ſpectant Conciliorum dogmata ac decreta, quibus hominem iuſtum per aliquid in anima poſitum decernitur: ergo id, quo vnus tum ſinguli iuſti, tum omnium iuſtorum cętus vnus formaliter conſtituitur, & denominatur, non eſt negatio diuiſionis, & multitudinis, ſed quid prius reale in anima, quo ad ſuperius aſſertum arguere licet. Nos ad Dei vnitatis imitationem vnus, & vnum conſtituimur: rogat enim Chriſtus Dominus vt vnum ſimus, ſicut

cut & ipſe cum Patre & Spiritu Sancto vnum eſt: ſed nos per formam poſitam vnum ſumus; ergo, & Deus non per negationem, ſed per ſuum, quaſi formam, eſſentiam vnus eſt, & D. Paulus per ſimilitudinem vnitatis membrorum in corpore humano, Eccleſiæ fidelium vnitatem feliciter deſcribit. Sed hæc poſitiua eſt; ergo & corporis, & reliquarum naturarum.

Non eſt opus diſtinctius aliud ſubire onus, ſcilicet ad oppoſita argumenta reſpondere: tum enim partim inter dicendum ad potiora reſponſum eſt; tum ex aſſertis patent.

ARTICVLVS II.

An vnus in Diuinis dicatur ſecundum ſubſtantiam, vel ſecundum relationem. S. Bonau. quæſt. 2. S. Thom. q. 30. ar. 3. ad primum.

PARAPHRASIS.

PRIMA propoſitio. Neceſſariò in Diuinis ponenda vnitas, tum eſſentialis, tum perſonalis. Probatur primò ratione communi. Ratio vnitatis eſt diſtinctio cum indiuiſione: ſed in Diuinis eſt diſtinctio eſſentiæ Diuinæ ab alijs eſſentijs creatis per ſe ipſam, & perſonæ à perſona, & eſſentia eſt vna, & perſona qualibet eſt vna: ergo vnitas, tum de eſſentia, tum de perſonis dicitur. Secundò de perſonis diſtinctè.

Primò. Id quod in Diuinis multiplicatur, non ad eſſentiam, ſed ad perſonas pertinet, & referendum eſt; ſed vnus multiplicatur: ergo ad perſonas, & relatiuè, rectè, ac neceſſariò etiam ſumitur. Maior tanta certitudine conſtat, quanta quod Deus eſt vnus. Minor verò probatur. Pater eſt vnus, & Filius ita alia vnitate vnus, & conſimiliter Spiritus Sanctus, vt ſint tres, hac ſcilicet ratione, quia ſingulæ perſonæ diſtinctam vnitatem habent.

Secundò. Idem eſt eſſe vnum, & eſſe diſtinctum: ſed Pater eſt diſtinctus à Filio, non ratione eſſentiæ, ſed proprietatis: ergo, etiã vnus ab ipſo Filio, & Spiritu Sancto. Maior patet ex definitione vnius, quod eſt in ſe indiuiſum, & ab alijs diſtinctum. Minor quoque ex certa, & communi, & neceſſaria Theologia, & ex D. Boetij axiomate lib. de Trinitate. Subſtantia continet vnitatem, relatio multiplicat Trinitatem.

Tertiò. In Diuinis de quo, & quo modo dicitur alius, dicitur & vnus: ſed de Diuinis alius dicitur relatiuè: ergo & vnus. Minor ex D. Athanaſio, & infra etiam ex D. Tho. alia eſt perſona Patris, alia Filij, alia Spiritus Sancti. Maior quoque conſtat: eo enim quo per ſuam proprietatem eſt vna; eſt etiam alia ab oppoſita, & diſtincta perſona.

Secunda propoſitio. Vnitas eſſentiæ, & vnitas perſonæ non ſunt duæ diſtinctæ vnitates reales, ſed tantum ea ratione, quæ ſupra explicatum eſt, diſtinguuntur. Probatur ea ſolida, & conſtanti ratione. Quomodo ſe habet perſona ad eſſentiam, ita ſe habet vnitas perſonæ ad vnitatem eſſentiæ: ſed perſona eſt idem cum eſſentia: ergo & eius vnitas cum eſſentiæ vnitate erit eadem.

Tertia propoſitio. Vnitas in Diuinis, ſi adiectiuè ſumatur, ſignificat id, cui adijcitur; vt ſi dicatur, eſſentia vna, perſona vna, de ipſis dicitur, & illas ſignificat: ſi verò ſubſtantiuè vſurpetur, in neutro genere, eſſentiam, in maſculino, perſonam ſignificat. Prima pars probatur: nam vnus in ſe indifferentiam dicit, tum ad eſſentiam, tum ad perſonam: ergo vt determinetur, indiget adiungi, vel eſſentiæ, vel perſonæ. Secunda pars: nam ſi ſubſtantiuè, & in abſtracto accipiatur, in neutro genere, attributum, quod conuertitur cum ente importat: ergo enti in ſe illimitatè: maſculinè verò certum ſuppoſitum, & rationem producendi: ergo perſonæ competit.

COMMENTARIVM.

NON longa, neque breui commendatione eget hic S. Bonauentura; etenim quæ hic docet, & certiſſima vndique ſunt, & omni Theologorum placito probata, & clariſſimè tradita, & enucleata: poſtquam enim ſupra, & Deum eſſe vnum, & quomodo, & quid vnitas præſeferat ex intrinſeca ratione vnitatis; cum in Deo non ſolum eſſentia, ſed etiam pluralitas perſonarum inueniatur; neceſſariò poſtquam an, & quomodo ad eſſentiam ſe habeat vnitas demonſtrauit; quomodo itidem ad perſonas ſpectet, demonſtrandum erat, quod hac quæſt. enucleatiſsimè præſtat, atque hac ratione, & methodo. Poteſt vnitas vel abſtractè, vel concretè, vel quod idem penè eſt, ſubſtantiuè, vel adiectiuè vſurpari: ſi adiectiuè, in ſe indifferens eſt, apta nata tum eſſentiæ, tum perſonæ adiungi, idque multis rationibus probat: ſi ſubſtantiuè, in neutro genere, ens, & eſſentiam includit, in maſculino, perſonam: ex quibus omnibus neceſſariò colligitur, vnitatem in Diuinis ex ſe, neque relationis rationem, neque abſoluti dicere, ſed indifferentem exiſtentem, rationem ſumere ab eo cui adiungitur: ſi enim eſſentiæ, inde abſoluta conſtituitur: ſi perſonæ, relatiuæ; idque valde rationi congruum: quemadmodum enim & bonum, & ens, &c. indifferens in ſe eſt, & ad eſſentiam, & ad perſonam, & cui additur, inde vel abſoluti, vel relatiui rationem deſumit; ita & vnum, quod conuertitur cum eo, cuius eſt vnum, & eſt prima paſſio, & primus modus entis: an verò ſicuti relatiuè ſumpta vnitas multiplicatur, ita & entitas, & bonitas; tum alibi dictum, tum infra dicendum; quare hic de re hac nihil addendum.

Hanc de gemina vnitate in Diuinis aſſertionem,

nem, & docet etiam S. Tho. & eadem Methodo indicato loco, vnum nimirum, & eſſentiæ, & perſonæ competere, quia tranſcendens, & communis eſt, & ſumere ſignificationem ſecundum quod conuenit illi, cui adiungitur: & primo ſent. d. 24. art. 4. idem perſpicuis verbis. Sicut ens communiter ſe habet ad abſoluta, & relatiua; ſimiliter diſtinctio, & indiſtinctio, quæ ſecundum rationem adduntur; ita & vnum, & multa, quæ diuidunt ens commune: & ideo ſecundum quod diuerſis adiunguntur, ſignificant eſſentiam, vel notionem: vnitas enim eſſentialis, eſt ipſamet eſſentia Diuina: ſecundum quod indiuiſa, etiam vnitas perſonalis Patris eſt vnitas proprietatis ſecundum quod non eſt diuiſa.

Riccardus quoque eadem diſt. quæſt. 3. art. 1. & eandem ſententiam, & eadem ferè verba profert, quæ ſubinde non iuuat tranſcribere tantumodo probat primo ex D. Ioanne 1. Epiſtola can. c. 5. ſicut enim *tres ſunt in Cælo, qui teſtamentum dant Pater, Verbum, & Spiritus Sãctus*: ita oportet plures vnitates perſonales ponere in Deo. Secundò. Pater eſt vnus per ſuam paternitatem: ſed ipſa Paternitas eſt proprietas perſonalis, ita vt non ſit Filij &c. ergo Pater eſt vnus, & alius à Filio per ſuam proprietatem, & addit, ex S. Bonauetura ſicut perſona non ponit in numero, cum eſſentia; ſic neque vnitas perſonalis cum eſſentiali: ſicut enim eſſentia prædicatur de perſona; ſic vnitas eſſentialis prædicatur de vnitate perſonali: & ſicut de ratione perſonæ eſt eſſentia; ſic de ratione vnitatis perſonalis eſt vnitas eſſentialis.

Sed de more ſoluenda argumenta ex S. Doctore, & argumentorum ſolutiones explicandæ.

Primò ergo loco, in oppoſitum ſic arguit. Eo modo quo ſe habet ens, ita & vnum: ſed ens ſe habet abſolutè, et ſecundum ſuaſtantiam: ergo et vnum. Probatur maior: nam teſte philoſopho ens et vnum conuertuntur.

Reſpondet, et negat maiorem, quatenus abſolutè aſſerit vnum cum ente conuerti: non enim maſculinè ſumptum vnum, et vt adiungitur perſonis, conuertitur cum ente abſolutè; ſed aut limitate cum ente relatiuo, aut, quod ferè idem eſt, cum diſtinctione proprietatis, & modo producendi. v. g. ſi dicitur Filius eſt vna perſona; tunc (vna) explicat diſtinctam illam perſonam, vt à Patre procedentem, vt ex corpore quæſt. perſpicuum eſt. Eadem reſponſio S. Thomæ ad quartum his verbis. Vnum in maſculino genere non ſignificat vnitatem abſolutè, ſed ponit vnitatem circa terminum cui adiungitur, quia adiectiuum eſt, et vnitatem termino conuenientem: quare ſi adiungitur Patri, vnitatem perſonalem ad relationem pertinentem, quæ facit perſonatum numerum. Alexander Aleuſis 1. par. quæſt. 65 memb. 2. art. 1. idem vberius quàm alius quiſquam Idem Riccardus ad tertium. Vnum neutrum alio modo ſignificare, quàm vnum maſculinum: illud enim indiſtinctè, hoc diſtinctè, quam diuerſitatem, terminì quibus aſſociantur, requirunt: ſi enim vnus dicitur. Deus, vnitatem Deitatis; ſi vnum Verbum, vnitatem perſonæ demonſtrat. Sic denique omnes, qui conſonam veritati reſponſionem adhibere profitentur.

Secundò. Quidquid dicitur de tribus perſonis, ſubſtantiuè dicitur: ſed vnus de tribus dicitur: ergo ſubſtantiuè, non relatiuè. Probatur minor: nam certa, vera, ac trita eſt hæc affirmatio. Tres perſonæ ſunt vnus Deus: vbi certum eſt, ibi vnus quod ſignificet vnam eſſentiam in tribus: neque ſoluit ſi dicat ibi vnus ſumitur, tum maſculinè, tum adiectiuè, vnde non ſubſtantiam, ſed perſonas demonſtrat: nam primò, eadem eſt ſignificatio, quam tenet maſculinè, & neutrè, quia eadem ad ſignificandum impoſitio. Secundò. Eternus dicitur maſculinè de Patre, Filio, & ſpiritu Sancto ex Symbolo D. Athanaſij. *Eternus Pater &c. & tamen non tres æterni, ſed vnus æternus.*

Reſp. ex corpore quæſt. & negatur maior abſolutè, & in omni latitudine, ſed reſtringenda eſt, vt tunc ſit vera, quando quod dicitur de tribus, dicitur vt conueniunt in vno, quod non ſit præſertim, dum de perſonis prædicatur vnitas: & patet de conſimili, de ſingulis perſonis prædicatur perſona: Pater enim eſt perſona, & Filius, & Spiritus Sanctus; neque tamen eſſentialiter. Sed minorem dico veram eſſe in ſenſu quo probatur ibi vnum teneri ſubſtantiuè; ex termino tamen Deus, cui ſociatur; ſed non hac ratione ſemper prædicatur: prædicatur namque, & Pater eſt vnus, & Filius eſt vnus &c. ergo indifferentia termini (vnus) vt ad diuerſa applicari poteſt, & varia ſignificatio, quàm ex applicatione ſortitur ſoluit argumentum: ſubinde ad primam iſtantiam, negatur eandem tenere ſignificationem maſculinè, & neutre, adiectiuè, & ſubſtantiuè ex vſu terminorum, & ex his, quibus affiguntur. Ad ſecundam, binam adhibet reſponſionem: primam non eſſe ſimilem terminum, æternus, & vnus: nam ille ſolam eſſentialem ſignificationem poteſt habere, hic verò, & perſonalem: ſecundam, vnum, eſſe ſingulare nomen partitiuum.

Alexander eodem modo ſoluit, ac diluit argumentum, & gloſſat maiorem his verbis: licet quod dicitur de tribus, dicatur ſecundum ſubſtantiam, quia de tribus ſingulariter, & vnum ſunt, hoc eſt vt in vno conueniunt: ſed de ſingulis vt faciunt numerum, non ita dicitur.

S. Thomas ad quartam eandem diſtinctionem, & interpræţationem vſurpat: vnum ſcilicet ſumere ſignificationem ab eo cui affigitur; ſubſtantialem ſi ſubſtantiæ, perſonalem ſi perſonæ addatur: quare maior gloſſanda, ac limitanda.

Riccardus ad ſecundum, eo quia aliquid commune de tribus perſonis dicitur; inde rectè non colligitur, quod ſubſtantiuè dicatur: aliquid enim de perſonis biſariam dicere ſolent Theologi, vel determinatè, vt de vna Paternitas, de alia Filiatio &c. vel indeterminatè, vt ſi nominentur perſonæ: perſona enim ſingulis conuenit, neque de vna ſola aſſeritur: vtroque modo de perſonis habeatur ſermo, nihil ſubſtantiale, ſed perſonale ſignificatur. Itaque ſi ſic de tribus perſonis aſſeratur vnitas, ſubſtantiam non ſignificat, niſi iungatur termino ſubſtantiali; vt vno verbo, quæ & alij

alij Doctores ad hoc argumentum docent, compræhendamus.

Tertiò. Pater habet duas notiones, vt conſtat; itidem, & Filius: ergo neque Pater, neque Filius eſt vnus.

Reſp. & negatur conſequentia: licet enim plures notiones habeat aliqua perſona; eſt tamen vna, quia vnicam rationem perſonalem habet, quæ perſonam tum conſtituit, tum diſtinguit. Poſſet reſponderi, & alio modo: binas illas notiones non impedire vnitatem perſonæ, nam ad inuicem non differunt niſi ratione &c.

Quartò. Notio, & proprietas non prædicatur de qualibet perſona, ſicut prædicator vnitas: ſingulæ enim perſonæ ſunt vnæ: ergo vnitas ad notionem, aut relationem non ſpectat.

Facilis, & communis reſp. relationem nimirum, & proprietatem per vnitatem non nomine proprio, ſicuti ſi diceretur Paternitas, ſed communi ſignificare: cum enim perſona nominatur vna, indicatur proprietas illa, qua vna conſtituitur, & ab alia diſtinguitur: negatur ergo argumenti conſequentia: licet namque de ſingulis prædicetur vnitas, quia tamen prædicatur nomine communi, ſicut & perſona; non ſequitur quin poſſit ſignificare, & relationem, & relatiuè ſumi. Hoc idem docuit Alexander commemorato loco, his mutatis verbis: poſſe ſcilicet relationem bifariam dici. Primò aut propriè ſigniacare ſicut dixit S. Bonauentura aut importari nomine nimirum communi, veluti perſona vna &c.

ARTICVLVS III.

An nomina numeralia in Deo dicant poſitionem, vel priuationem.

S. Bonau. vbi ſupra art. 2. quæſt. 1. S. Thomas vbi ſupra.

PARAPHRASIS.

PRIMA Propoſitio. Sententia, quam de numero, & nominibus numeralibus docuit Magiſter ſententiarum, ſicuti ab vniuerſitatd Pariſienſi communi voto reÿciebatur, & reprobabatur; ita noſtris quoque temporibus videtur reÿcienda. Probatur. Docuit Magiſter, & conatus eſt perſuadere numerũ in Deo nullo modo ponendum, hac ratione, quia in Deo, nec diuiſio, nec ſeparatio inueniri poteſt; conſimili ratione, nec aggregatio, ideſt numerus; ac ſubinde nomina ad numerum ſpectantia, quæ inueniuntur quocumque loco de Deo prædicata, nihil in Deo ponere; ſed potius priuare, maiorem ſcilicet vel minorem numerum; ita vt v. g. cum Trinitas de Deo aſſeritur; tantum non eſſe plures, aut pauciores perſonas, præterea nihil aliud ſignificare. Sed hæc opinio, & contradictionem inuoluit, & ſeipſam interimit, & nulla conſentanea ratione ſubſiſtit: ergo. Probanda minor, primò ad hominem. Vnum ex Magiſtro priuatiuè ſumitur, & pluralitas oppoſita vni priuatiuè quoque: ergo datur priuatio priuationis, quod implicat: priuat enim, & non priuat, & circulationem in notificando concedit. ſi priuatio; optima conſequentia eſt: ergo oppoſitus habitus: ſi non eſt habitus: ergo priuatio non eſt priuatio. Secundò, quia Deo non congruit aggregatio, nec quantitas; nulla ſufficient ratio quare omnis numerus omnino penes omnem rationem à Deo ſit prohibendus, ac profligandus; nam penes diſtinctionem neceſſario in Deo confitendam, neceſaria ratione Deo congruit numerus.

Secunda igitur propoſitio. Numerus, ac ad numerum ſpectantia nomina, verè à parte rei in Deo aliquid ſignificant, & ponunt, vt Saniores Theologi tuentur. Primò auctoritate vniuerſitatis Pariſienſis, quæ contra Magiſtrum hanc profitetur ſententiam. Secundò ex D. Bernardo. Vna ſi eſt eſſentia, & tres perſonæ, quis numerum neget? Tertiò ratione, & prima. Datur in Deo poſitiuè duratio, quaſi continua quædam quantitas; ergo multo magis danda diſcreta, & numerus. Antecedens conſtat: nam Deus eſt poſitiuè, & verè æternus per quamdam realem poſitiuam interminatam durationem. Conſequentia quoque videtur certa; nam maioris abſtractionis eſt numerus, & quantitas diſcreta, quam æternitas, ac continua: ergo facilius in Deo veluti commodior concedenda. Secundò. In Deo de fide eſt Trinitas, ex omnibus illis locis Diuinæ Scripturæ, & Conciliorum quibus hoc aſtruitur myſterium: ergo, & pluralitas. Conceſſo antecedente, facillimo negotio conſequentia euadit confirmata: valet enim à ſpecie ad genus; ergo ſi in Deo ſpecies numeri, ſcilicet ternarÿ, dandum, & genus, hoc eſt numerus: quid enim aliud ſpecies, quam genus per differentiam contractum? Denique ſi numerus ternarius in Deo nihil aliud faceret, quam negare vnum, vel duo, vel quatuor: ergo tum verè à parte rei non eſſet determinata Trinitas, tum æquè poſſet dici Chimeræ ſunt tres, quia neque vna, neque duæ ſunt.

Tertia Propoſitio, qua quoad fieri poteſt in gratiam, ac reuerentiam Magiſtri conciliantur ſententia, & ea quæ fuit ipſius Magiſtri, piè & beneuolè gloſſatur, & ſuſtinetur. Numerus qua parte includit diuiſionem, & aggregationem ſubſtantialem, omnino à Diuinis excludendus, veluti Diuinæ identitati, & ſummæ ſimplicitati aduerſus: patet primis rationibus, & auctoritatibus, tum Boetÿ lib. de Trinitate, tum D. Iſidori 3. etymologiarum, tum denique philoſophi 3. Methaph. cap. 16. qua verò parte dumtaxat diſtinctionem, & perſonarum origenem explicat, tam probatum eſt in Deo collocandum.

Propoſitio corollaria. Numerus Trinitatis in Deo de rigore non eſt ſpecies numeri. Probatur. Species numeri eſt ſpecies quantitatis diſcreta: ſed nulla quantitas eſt in Deo verè: ergo nec vllus numerus quantitatis, & prædicamenti. Confirmatur ex reſponſione ad vltimum; ſicut æternitas in Deo eſt vera duratio, neque tamen quantitatis: ita neque diſtinctio perſonarum Diuinarum erit numerus verè quantitatis diſcreta.

COMMENTARIVM.

QVEMADMODVM ad vnitatem ſequitur multitudo, ita fermè ad vnitatis tractationem, & contemplationem recto veſtigio conſequi debet multitudinis contemplatio, ac peruestigatio: ergo optima methodo ex vno S. Doctor tranſit ad multa, & ex claro quæſt. titulo præſtituto, quid ſibi hic velit, non graui negocio conſtabit: quærit enim an, & ad quid numeri, vnus, duo, & tres &c. in Diuinis admittantur: an ſcilicet ſicuti cùm dicimus Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, pariter cùm Deum ſapientem, potentem &c. nominamus, aliquid in Deo poſitiuum prædicamus; ita cùm dicimus, vnam, vel duas, vel tres perſonas, pariformi ratione, aliquid de Diuinis perſonis affirmemus, an verò negemus. Quod totum vt commodius, & dilucidius præſtet S. Doctor, primò refert Magiſtri ſententiam, & eius rationem, ac fundamentum. Secundò eam refutat, fundamentum conuellit, ac rationem diluit. Tertiò, denique eamdem methodum ſecutus, ac eadem fundamenta amplexus, quæ ſupra cùm de vnitate, ſeligit, ac ſtatuit oppoſitam Magiſtro ſententiam, præſertim vniuerſitatis Pariſienſis voto commotus. Numerum, ac numeralia nomina in Diuinis ponenda, ibique aliquid verè ſignificare, tum auctoritatibus, tum rationibus probat. Quartò denique beneuolè, & amicè (ea eſt Sancti Doctoris modeſtia, eaque quæ debetur magiſtro reuerentia) ad bonam frugem reducere Magiſtrum, & quoquomodo, cum communi opinione conciliare enititur.

Porrò, vt quid hic controuertitur clarius perſpiciatur, animaduertendum, vnum omnino eſſe extra controuerſiam: alterum verò ſatis grauiter controuerti, & hinc inde agitari. Extra controuerſiam eſt, id quod his numeris numeratur, dari ſcilicet entitates illas numeratas perſonas Patris, Filij, & Spiritus Sancti ad inuicem realiter proprietate, non eſſentia diſtinctas, eaſque nec plures, nec pauciores, quàm Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus; Quemadmodum tot locis teſtantur, & docent Diuinæ præcipuè noui teſtamenti litteræ: neq; de re hac dubitare licet ſine veræ fidei detrimento. Quod verò in litem, & quæſtionem vocatur, eſt, quid formaliter ijs numeris, & numeri nominibus, & quid numeris his Diuinis perſonis. negauit Magiſter numerum vllum concedi, aut in ipſis inueniri. Quòd ſi in D. Ioanne legatur: *Tres ſunt qui teſtimonium dant &c.* negatiuè interpretabatur. Tres idest non plures, nec pauciores; ad non concedendam quantitatem in Deo.

S. Thomas multis, tum hic in ſumma, tum in 1. diſt. 24. pluribus relatis, atque obſeruatis, dandum numerum, ſed tranſcendentalem in Diuinis, qui tamen numeratis perſonis nihil addat, niſi duplicem negationem, indiuiſionis in ſe, & diuiſionis ab alijs docet; in quem ſenſum trahit, & interpretatur, & ſuſtinet Magiſtri opinionem: eatenus ſcilicet amplexandam, numerumque in Diuinis non concedendum, quatenus nihil niſi negationem addit, & ponit.

S. verò Bonauentura primò, explicatè Magiſtrum non teneri ab vniuerſitate Pariſienſi, neque tenendum aſſeuerat. Secundò. Si quoquomodo tolerandus, hac interpretatione tolerandus, quia negat non quemlibet numerum, ſed quantitatis, & aggregationis, non diſtinctionis; quæ tamen diſtinctio ponit originem, & modum intrinſecum, quo quælibet perſona vna eſt, & ab alia diſtincta, proprietatem nempe perſonæ conſtitutiuam, & hanc eſſe communem ſui temporis ſententiam: & denique modum dicendi Magiſtri, nulli erudito vniuerſitatis placere, aut ſatisfacere: quò verò ad vim rationum, quibus Sanctus Doctor aſſertum Magiſtri conatur euellere; ſic euertere S. Thomas periculum facit, ad 3. art. 3. Hic non committi circulationem, nec ad inuicem ſe tollere, ac priuare vnum, & multa, nec conſequenter intellectum confundi, potius quàm inſtrui: ratio eſt, quia vnum, & multa, non ſunt ad inuicem formaliter oppoſita, ſed vnum, & diuiſum; & ſic vnum non tollit multitudinem, ſed diuiſionem, & multitudo, non vnitatem, ſed diuiſionem circa vnumquodque eorum, ex quibus conſtat multitudo: Quod idem repetit quæſt. 11. art. 1. in corpore, & ad 4.

Sed, ſicuti adhuc ſupra, per hæc non eneruatur Sancti Bonauenturæ impugnatio, nec euitatur, aut frangitur obiecta circulatio. Primò, quia oppoſitum viſus eſt Ariſt. recenſito loco docuiſſe, dum vnum, & multa oppoſita eſſe, aut priuatiuè, aut contrariè, aut vtroque modo, vt omnium more loquar, aſſeuerauit. Secundò. Diuiſio, & multitudo ſunt idem formaliter: ergo quod de vno dicitur, de alio quoque dici neceſſe eſt: ergo ſi vnum tollit diuiſionem, tollit multitudinem, & è contrario ſi diuiſio tollit vnitatem, tollit & multitudo.

Neque obſtat, quòd per noſtram apprehenſionem diuidamus, & conſequenter multitudinem non opponi vni, ſed conſequi: ideo enim colligimus multitudinem, quia ſingulis diuiſis attribuimus vnitatem: ſupponit multitudo diuiſionum, vt primò concipiatur ens: ſecundò diuiſio entis ab alio ente: Tertiò vnitas ſingulorum diuiſorum: Quartò harum vnitatum aggregatio; neque hoc inquam negotium noſtrum faceſſit: primò, quia nos non quærimus quomodo intelligamus, aut apprehendamus; ſed rem ipſam in Deo cupimus diſcere, præſertim quomodo numerus ſe habeat in ſe, & in ordine ad vnum, præſcindendo ab eo, de quo aſſeritur, vel negatur, ſed in ſe formaliter po-

ſtendo. Debet, inquit Alexander quæſt. 65. intellectus eſſe ſimilis rebus in intelligendo: nam veritas eſt adæquatio rei, & intellectus; neque conſequentia eſt ab ente rationis ad ens reale, Tertiò, quia denique incidit in ſimile abſurdum; adhuc enim vnum priuat diuiſionem, & diuiſio vnitatem; & ſic ad inuicem ſe tollunt; vnum etenim definitur per priuationem, & negationem multitudinis, & multitudo per priuationem vnitatis; ergo adhuc circulus: ergo ſeipſam adhuc deſtruit ſententia Magiſtri. Quartò, probatur ex verbis Ariſt. & cõfirmatur 10. Methaph. c. 1. text. 9. Primò, vnum, & multa opponuntur ſicut diuiſum, & indiuiſum, Secundò, ibidem quod diuiſum multitudo quędam dicitur. ita Alex. 1. par. quęſt. 13. memb. 1. in corpore. Sed infra in diſputatione plura; nihil verò remanet obſeruandum hic circa ſolutionem argumentorum Sancti Doctoris: ad diſputationem ergo deſcendamus.

DISPVTATIO de numero in duo capita.

CAPVT I.

De numero in communi.

PLura de numero infra dum de perſonarum æqualitate diſſeretur; ideo hoc loco breuioribus dumtaxat, quid ſit, & an in Deo, vt expoſtulat difficultas præſens, ponat, ac ſignificet aliquid poſitiuum. De primò, mira quidem; eademque præclara, quæ vetuſta ſapientum ætas de numeris effata eſt, et ad poſteros litteris commiſit; quæque mira ſedulitate, ac eruditione poſt alios collegit doctiſſimus Bongus noſter præfatione ad ſuum aureum librum de myſticis numeris: ac inprimis de numeris, ſcientiam adeò eſſe excellentem teſtati ſunt, et tot ac tantis laudibus dignam; vt ipſa ſola coronet animam, vt referente Ariſt. Neocli interoganti, quare homo ſit animal ſapientiſſimum, ac propè diuinum, et quare idem potius quàm cæteris animantibus credendum ſit; reſponderit quondam Plato, quia numeros nouerit: quòd ſi ab hominis natura remoueres, etiam ratio perpetuò peribit. Et multa ante tempora Pytagoras, omnem veritatis inquiſitionem in numeris conſtituens, et Deum, et animas, et cætera quæ in mundo inueniuntur, numeris conſtare percelebri in Academia docuit: et ſubinde Arithmeticam, numerorum ſcilicet ſcientiam matrem ſcientiarum, ſinè qua nihil ferè ſciri poſſe, profitebatur.

Quod quidem Axioma auidè amplexatus Plato; poſtea ita excoluit; vt ſuo nomine celebrius, & certius reddiderit; ea tamen affectata difficultate, & obſcuritate, vt veluti ſacra numerorum myſteria volucris inuoluta, ne margaritas canibus obijceret, plurimis celauerit, quàm paucis verò hanc remotiorem ſcientiam concesserit attingere. Vnde Adagium illud, dum rem obſcuriſſimam breuibus teſtari prætendimus; numeris Platonicis obſcuriorem eſſe dicere ſolemus. In Epinomide tamen Plato ipſe adeò apertè de numero eſt philoſopharus, vt mundum vtrumque conſtare numeris docuerit, circa quos mundos tota verſatur philoſophia; & Boetius, Neminem Diuinorum ſcientiam vnquam aſſecuturum ſine numerorum cognitione; teſtatus eſt his verbis; *Qui ſpernit Mathematicas ſcientias, ei denuncio haud recta philoſophandum.*

D. Aug. In mundo condendo præcipuum exemplar in conditoris mente fuiſſe numerum. Idem libro de Muſica, Numero ſeptenario æternitatem indagari ediſſerit, Idem 11. de Ciuit. Dei, ſic in numerorum commendationem præclarè ſcribit: Numeri ratio condemnanda nequaquam eſt, quia in multis ſacrarum litterarum locis, quàm magni ſit æſtimanda; claret intuentibus diligenter. Nec fruſtra in Dei laudem iam dictum eſt omnia in menſura, & numero, & pondere diſpoſuiſti: & lib. 2. de Doctrina Chriſtiana; non minus grauiter. ac ſcitè, Numerorum imperitia, multa facit non intelligi, translatè ac myſticè poſita in ſcripturis; vbi multa de numeris Diuinarum litterarum exempla refert, quæ ſinè numerorum peritia nequeunt intelligi. Ad eandem rem, ac rei contẽplationem magnifaciendam, plura pariter lib. 1. quæſt. in Geneſim cumulatè, ac luculenter in medium affert.

Sed an numerorum ſcientia, & contemplatio, & ratio ſit ſacra, ac Diuina, D. Ioannis Apoſtoli verbis denique teſtemur, prioris Epiſtolæ cap. 5. *Quoniam tres ſunt, qui teſtimonium dant in cælo: Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus. & hi tres vnum ſunt. & tres ſunt, qui teſtimonium dant in terra: Spiritus, aqua, & ſanguis, & hi tres vnum ſunt:* ergo numeros in ſe pluſimi æſtimarunt ſemper antiqui, tum prophani, tum Sacri Auctores, plurimum numerorum ſcientiam ad totius entitatis, tum increatæ, tum creatæ capeſſendam philoſophiam deſeruire, elaboratè ſcriptis tradiderunt. Numeros in omnibus, in Deo denique ipſo inueniri, religioſè idcirco colendos, ac profitendos.

Verum more Scholaſtico, quid numerus, quamque entitatem habeat, diligenter hic etiam indagandum cenſeo: licet, & commemorato loco adhuc indagare nobis ſit animus. Albertus igitur ille ſemper Magnus compendio ſuæ philoſophiæ tergeminum numerum animaduertit: numerum primò numeratum, qui res ipſa eſt, quæ numero comprehenditur; de quo 4. Phyſic. in definitione motus. *Tempus eſt numerus motus ſecundum prius, & poſterius.* Vbi numerus pro re numerata certò accipiendus eſt. Numerum ſecundò numerantem indicat, qui non videtur poſſe niſi anima rationalis diſcurrens, ac intelligens interpretari: de qua propterea Plato. *Anima eſt numerus ſeipſum mouens.* Tertium denique docet, quo res diſtinguimus, ordinamus, & numeramus, qui Aritmeticus vocitatur. Sed primus numerus conſueuit à viris doctis *traſcendentalis, & eſſentialis*, nuncupari, qui & in quolibet ente inueniri poteſt, & cum ente conuertitur; eſt enim quodlibet

bet ens, circa quod intellectu verſamur, & numero colligimus. Tertius verò (ſecundum enim ipſammet animam actu numerantem eſſe, nemo ibit inficias) *accidentalis*, *ac prædicamentalis*; itaut primi numeri entitas, & quidditas ſint ipſæ rerum eſſentiæ, quas Ariſt. quoque ad inuicem ſicut numeros, differre prodidit: ſecundi verò ſit quantitas, & quantitatis diſcretæ, ſpecies, & in quantitatis determinato prædicamento locetur. Quemadmodum primus, per omnia vagatur prædicamenta, ſicut, & res numerata, & à numero ipſa numerata non differat, imo ipſa ſit; neque ex diuiſione continui gignitur ſicuti tertius, qui quo accidens quantitatis eſt, neceſſariò eo à quacumque entitate alia, realiter differt, ac ſecernitur. Ita proceriores viri, ac inter Theologos primarij S. Bonauentura, & S. Thomas, Scotus &c. Quare ſi duplex numerus ita adinuicem diſtat, ac differt, non mirum ſi diſtincta quoque definitione, definitus inuenitur: quantitatis enim numerus, qui teſte Ariſt. 2. de Anima ſub ſenſu cadit, à doctiſſimo Boetio ſic definitus reperitur: *eſt multitudo ex vnitatibus aggregata*. Antiquius ab Ariſt. 10. Methaph. *Eſt multitudo menſuratorum per vnum*. Entitatum verò numerus numeratus ſcilicet, teſte D. Damaſceno. *eſt eorum, quæ definitione, ideſt eſſentia differunt*: licet non negem; & hanc definitionem ad numerum aritmeticum pertinere poſſe.

Ea propter numerus quoquomodo ſumatur, ſuam propriam entitatem euidenter habet: primus enim eſt quodlibet ens numeratum. Secundus diſtinctum ens, quod eſt quantitas ſenſibilis, de quo ſingularis, ac vera ſcientia inuenitur. Quod ſi Ariſt. numerum non eſſe ſine numero numerante, nimirum extra intellectum, aliquando, & alicubi docuerit; veritatem, ac realitatem numeri non negaſſe reſpondemus; ſed dumtaxat numerum non percipi, neque exerceri, niſi ab anima rationis compote: vt tum res, tum vnitates à parte quidem rei in rerum natura ſint; non numerentur tamen actu, niſi ab ea facultate, quæ collatiuam, ac diſcurrendi vim habeat.

Sed ſolerti animaduerſione perpendendum in numerandi artem, elogium: ſi eam non ita ſtrictè ad mercatoriam, & ita dicam mechanicam artem coartes, ſed ad omnem philoſophandi, ac contemplandi rationem, quam ſubhac translata, ac forſaſſe magis propria, vetuſtiores ſapientes præcellenter exercuerunt, extendas. Egregiè Plato in Epinom. his verbis extollit: *Opus eſt numeris, non his, qui corpus habent, ſed qui omnem paris, impariſque generationem, atque virtutem, ad perficiendam, cognoſcendamque rerum naturam conferunt &c.* hi namque numeri memoriam confirmant; animam ad omnem ſpeculationem, actionemque promptiſsimam reddunt: eorumque conſideratione feratur in Diuinorum contemplationem, ne dicam rapiatur, ac multorum elegantiſsimas reddat cauſas &c. Vberius de hac re infra.

CAPVT II.

De numero Diuino. An in Deo aſſertus negatiuè, vel affirmatiuè ſumendus.

QVod in Diuinam prædicationem transferatur numerus, & qualis, & quibus imperfectionibus numeri creati deſæcatus recenſito infra loco, ſatis abundè traditur: ideo vnica propoſita dubitatio ſoluenda, nobis obijcitur hoc loco, quæ ſi amicè, ac beneuole, & æqua lance, recta denique ratione verſanda, & ponderanda eſt, ex antedictis; haud hoc loco videtur neganda hæc conſequẽtia: ergo numerus imperfectionibus, Deum indecentibus ſeiunctus, in Diuinam prædicationẽ aſſũptus, in Deo aliquid verè ponit, ac ſignificat &c.

Si enim primò ex Ariſt. vnum, & multa contrariè opponuntur: ergo vtrumque oppoſitum poſitiuè ex natura contrariorum ſumendũ eſt: ergo ſicut vnum, ita multa in Deo aliquid ponunt, & addunt; licet non diſtinctum; niſi eo modo, quo loco ſuo.

Secundò. Si vnitas vbicumque ponatur; & in Deo ſiuè abſolutè, ſiue relatiuè vſurpetur, dicit, & explicat modum, quo intrinſecè res eſt, tum in ſe, tum comparata ad aliam, à qua diſtinguitur: ergo, & multę vnitates collectæ, vel quaſi collectæ: ergo & numerus: quid enim eſt numerus niſi multarũ vnitatum ordinata collectio? ita vt apprimè conueniant huc, & ſatis demonſtrent de numero, ac numeratis vnitatibus, quæ nuper adducta ſunt pro vnitate, quæ non ſit accidens, nec ad quantitatem vlla ratione ſpectet, ſed conuertatur cum ente, & ſit ipſius entis modus.

Tertiò, cũ omnibus votis pręſertim Vniuerſitatis Pariſienſis, Magiſteri ſententiarũ opinio eijcitur, & exploditur, cur non ab omnibus oppoſita amplexãda eſt? vel pręſertim, quo quaſi in D. Ioannis verborum commentationem. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant &c.* à multis Sãctis Patribus videtur perſuaderi, à D. Baſilio, lib. 1. de Spiritu Sancto cap. 47. D. Iuſtino Martire, dialogo contra Triphonẽ; D. Cyrillo lib. 1. Theſauri, ratione hac conuincente: quia in Deo ita tres ſunt perſonæ ad inuicem realiter diſtinctæ, vt de fide, nec plures, nec pauciores dici poſſint; verus numerus, qui non ſit quantitatis, ſed dumtaxat diſtinctionem & originem certam ſuppoſitorum dicat, aſſerendus.

Quid quæſo tanta, tamque graui auctoritate in Diuinam prædicationem numerũ aſſumere, & poſtea nullam in Deo perfectionem, aut rem, aut rei modum; nihil denique prædicare? eo vel maximè, quod & Concilium Toletanum 11. in Confeſſione fidei his verbis loquatur de Deo. *Nec recedit à numero, nec comprehenditur numero*: in relatione enim perſonarũ numerus cernitur; in vnitate autẽ eſſentiæ, quid innumeratum ſit non comprehenditur.

Idem quod multi Patres quaſi conciliari auctoritate aſſeruerunt, præſertim D. Bernardus lib. 5. de Conſiderat: In Deo eundem numerum aſtruens, tamen contra Gilbertum, contẽdens perſonam cum eſſentia, à qua non differt, non conſtituere numerũ:

Digitized by Google

ſic ſua congenita eloquentia eloquitur: poſtquam enim illud Boetij adduxerit . *Hic verò vnum , in quo nullus eſt numerus, ita Trinitas eſt ,* tamen Deus : quid ergo? deſtruimus quod dictum eſt de vnitate, *quia inducimus Trinitatem? non, ſed ſtatuimus vnitatem*:& infra; *quid ſibi vult, vt ita loquar , abſque numero numerus? ſi tria, quomodo non numerus? ſi vnum, quomodo numerus? ſi vnũ vbi numerus? ſed habeo, & inquis, & quod numerem, & quod non numerem ; ſubſtantia vna eſt, perſonæ tres ſunt* . & adducti à Magiſtro , & pro Magiſtro Patres . Denique quod priſca ſapientum ætas tanta religione de numero ratiocinabatur , Deoque tot penſitatis myſterijs tribuebat ; id totum quaſi otiosè, & per nugas prudenti viro factũ videbitur , ſi de Deo per numerum nihil affirmabatur , ſed dumtaxat negabatur .

Nec quicquam roboris erit, quod fortaſſe obijcietur , multa ex Sanctis Scripturis à doctis viris, & peritis Theologis, Diuina colligi attributa; eadem tamen de Deo negatiua, ceu dum immortalis infinitus, incorruptibilis, immenſus &c. nuncupatur Deus noſter Optimus Maximus , quæ imò ex D. Dionyſij regula eò perfectiora, ac eminentiora, quò negant , ac omnem à Deo remouent , quæ ipſi repugnat, imperfectionem : ſed hoc inquam nihil ponderis habet, in nulloque faceſsit negocium noſtrum : hæc enim ac conſimilia , tum aliquam aſtruunt perfectionem, ac interminabilem, illimitatamque poſitiuè naturam Diuinam prædicant , & affirmant , tum aliqua alia perdoctè , ac mitè enumerant , ac commoſtrant , ratione cuius, tum immortalis, tum incoruptibilis &c. glorioſus Deus prædicetur, ac colendus proponatur: quemadmodum ſupra multis locis inter alios, & ante multos eleganter docuit S.Bonauentura. Præterquam quòd fortaſſe erit altera ratio de abſolutis , ex quibus ſunt propoſita exempla, alia de relatiuis, quæ certum eſt ex S. Doctore , numero de quo impræſentiarum, numerantur relatiua etenim tum verè, ac formaliter in Deo, & ſunt , & numerantur , tum explicantur, nominantur , & affirmantur .

Neque exemplum *innaſcibilis* ſi opponatur, obſtabit, vt ſuo loco ex ipſomet S. Doctore, & ex nobiliori Theologia conſtabit .

Attamen non deſunt , quibus, & hæ conſequentiæ , & quod difficilius videtur , & antecedentia vnde colliguntur, diſplicent, dum tam vnum, quàm multa priuatiuè , & negatiuè opponi , enituntur tueri . Quibus ſi omnia illa abſurda , impoſſibilia, & paradoxa , quæ pereruditè , & ſolerter deducit Sanctus Bonauentura obijcias ; vnico verbo omnia arbitrantur reijcere , ſi vnum , & multa non opponi formaliter , & directè , ſed vnum , & diuiſa reſpondent . Sanctus namque Thomas , vt ſupra in commentario, quem ſequuntur Capreolus, & Caietanus loco iam indicato cum multis alis : multitudinem in Deo præcipuè præter vnitates perſonarum nihil formaliter addere , ac ſignificare , niſi ſolam diuiſionis negationem circa vnamquamque vnitatem , docuit : quemadmodum , & ipſa vnitas tantummodo de ente , ac Deo diuiſionem negat, & eſſentiam cum ea negatione planè, ac plenè ſignificat . Idque primò Sanctorum Hilarij , & Ambroſij auctoritate argumento *ſed contra* . Secundò , non alia ratione primò , quàm tum quorundam argumentorum ſolutione, tum ex reſponſione ad ſecundum ; ac ideo res corporeæ multæ ſunt in prædicamento quantitatis, quia præter earum ſubſtantiam , & vnitatem, quantitatem etiam ſignificat: & ideo res ſpirituales non ſunt in prædicamento , quia non ſunt quantæ : ergo ſi in Diuinis quoque multitudo , & numerus inuenitur; præter perſonarum vnitates aliquid adderet , ac ſignificaret, eſſent in prædicamento collocandæ.

Sed tamen ceu verior , & rationabilior eſt Sancti Bonauenturæ & Alex. & aliorum , quatenus aſſerit , vnum , & multa opponi contrariè , amplectenda , & tuenda ſententia ; eo præcipuè , quod à S. Thoma , aut in nullo , aut ferè in nullo differre patebit .

S. Doctor hiſce argumentis conatur probare , & ſuſtinere ſuam ſententiam . Primò auctoritate totius vniuerſitatis Pariſienſis contra Magiſtrum , & Sancti Bernardi , & Euſebij , vt in textu : deinde rationibus. prima, numerus in Diuinis, vt tum ex ſcriptura , tũ ex Concilijs, & Patribus apertè colligitur , numerat relatiua , origines, perſonas, proprietates &c. ſed iſtæ poſitiuè tum conſtituunt, tum diſtinguunt , & faciunt plures perſonas inter ſe differentes , & diuinæ eſſentiæ varios ſe habendi modos verè : ergo illam pluralitatem dum exprimit numerus, quid poſitiuum ſignificat . Secunda, & confirmatur. in Deo de fide eſt Trinitas *perſonarum* , non autem quaternitas &c. ex omnibus illis locis , tum ſcripturæ tum Conciliorum , quibus hæc Diuina veritas aſtruitur : ergo & numerus, licet non quantitatis: Trinitas enim eſt numerus ; aliàs ſi non concederetur hic numerus poſitiuè , æquè ad tollendam ſolitudinem , liceret dicere quaternitatem , dualitatem &c. quod tamen plusquam falſum eſt: ſed tres ſunt perſonæ propter poſitas origines : ergo poſitiuè . Confirmatur . Numerus ſignificat ordinem vnitatum ad inuicem ; ſed inter Diuinas perſonas eſt verus ordo : Pater enim eſt prima perſona , à qua ſecunda, quæ eſt Filius , & tertio loco tertia Spiritus Sanctus: ergo id quod addit , & præſefert numerus , & quid poſitiuum , neque ſola negatio diuiſionis : licet in ratione numeri abſolutè ſumpti , non includatur ille realis perſonarum Diuinarum ordo : ſed dumtaxat numerus habet eſſe completum per intellectum , & æquè quoad numerum poteſt quis incipere , & numerare perſonas à tertia, ſicut à prima. Non licet tamen ſic immutare ordinem, ratione ordinis relatiui, inter ipſas perſonas. Tertiò, verè, & poſitiuè à parte rei eſt vera , & continua duratio , licet accidentaria quantitas non ſit : ergo & vera erit diſcreta pluralitas perſonarum , ac realis , ac per rationem poſitiuam formalem .

Sed, vt indicabam , non longè abeſt S. Thomas, quamuis vbiq; locorum rationem tum vnius, tum plurium vnitatum, negationem diuiſionis videatur aſſerere, & hãc primæuam vnitatis, & multitudinis rationẽ aſtruere: Primò enim quod S. Thom. apertè in Deo numerum non eſſe prædicamentalem , ſed

tran-

tranſcendentalem prodit; idem quoque S. Bonauentura dum numerum Diuinum non eſſe ſpeciem numeri quantitatis profert: ſi enim non eſt quantitatis: ergo tranſcendens. Secundò, S. Thomas. Vnum, & plura vna, entitatem, & entitates illas ſignificari per vnum, & pluralitatem docet: hoc omnino, & S. Bonauentura. Tertiò, entitatibus vnum, & numerum addere negationem diuiſionis in ſe, & indiuiſionis ab alio, autumat S. Thomas: hoc neque S. Bonauentura negat, neque negare poteſt: eſt enim Ariſtotelis, ſed ſi differunt, in hoc ſita huius differentiæ omnis, & tota ratio: nam S. Thomas vnitatis, & pluralitatis rationem nihil addere enti; ſed ens fieri vnum, & plura formaliter per negationem videtur profeſſus: Sanctus verò Bonauentura ad conſtitutionem vnius, & plurium, conſequi negationem, quemadmodum ſuperiori ſuo loco ad conſtitutam perſonam eſſe incommunicabilem conſequebatur, explicatè tradit; definiri autem, & cognoſci tum vnum, tum plura per hanc rationem negatiuam, vel priuatiuam, veluti quaſi per effectum, & per quid nobis notius: ſed nihil repugnabit, ſi & Sanctum Thomam in S. Bonauenturæ ſententiam deducamus; nec vllum Verbum opponitur in S. Thoma, quin ipſum de vno, & numero quemadmodum ab ipſo cognoſcebatur, locutum aſſeratur, & non de re abſolutè, ſed de modo eam cognoſcendi ſuam protulerit ſententiam; præcipuè animaduerſo, quod ſupra retulimus cùm de opinione S. Thomæ circa vnum loquebamur: vbi explicatè, licet in Deo non ſit aliqua priuatio, tamen ſecundum modum noſtræ apprehenſionis non cognoſcitur à nobis, niſi per modum priuationis, & negationis, & ſic nihil prohibet aliquid priuatiuè de Deo prædicari.

Quòd ſi quis mordicus, eum locutum formaliter, & de re in ſe, ſuſtinere ſtatuerit; adhuc quemadmodum & ſupra de vno, non difficili negotio interpretamur: vnum enti, ac præcipuè Diuino, nihil poſitiuum addere, diſtinctum ſcilicet reale, & actuale; virtute tamen, ac conceptione, ſicuti & de attributis ipſe Angelicus loqui conſueuit: & eo conuenientius hic adhibemus hanc gloſſulam, quò numeri formalis ratio, non exiſtit actu completè, niſi numerante, & operante intellectu; & omnibus obiectionibus, quæ fieri poſſunt, vnico verbo ſit ſatis; nec in Deo componere rationem numeri: tum quia actu ab eſſentia, & perſona non differt, ſed dumtaxat virtute: neque eſſe aut in Deo, aut in quacumque alia re quid fictitium: tum ex multiplici, ac noti textus Ariſtotelis explicatione: tum quia verè fundamento, & virtute eſt, licet non diſtincta, niſi addita intellectus numerantis operatione: & dum de numero inter perſonas nihil ibi poni, quod dedeceat, niſi diſtinctionem perſonarum &c. per origines, & proprietates poſitiuas, quod orthodoxa Theologia docet. Quòd ſi denique aliquid vrgerent loca D. Thomæ diſtincta, ſatis ei factum exiſtimo in Commentario.

Poſtremò, ſi loca Sanctorum Patrum à Magiſtro Sententiarum relata, addere probabilitatem oppoſitæ ſententiæ videntur: Diuus enim Aug. lib. 7. de Trinit. cap. 4. *Quibus nominibus* inquit (ſcilicet perſonarum) *non diuerſitatem intelligi voluit, ſed ſingularitatem noluit; vt non ſolum ibi vnitas intelligatur ex eo, quòd dicitur vna eſſentia, ſed & Trinitas, ex eo quòd dicuntur tres ſubſtantiæ, vel perſonæ*. D. Ambr. lib. 1. de fide cap. 2. *Vnitas*, inquit, *poteſtatis excludit numeri quantitatem, quia vnitas numerus non eſt; ſed hæc omnium ipſa principium eſt*. D. Hilarius lib. 4. de Trinit. ante medium. *Suſtulit, ait, ſingularis profeſſione conſortij*. & lib. 7. *Vterque non vnus eſt*. & paucis infra. *Fides, neque vnum Deum ſic eſt prædicatura, quaſi ſolum, nec quaſi non vnum eſt confeſſura, ne ſolum &c.* interpretamur D. Auguſtinum ſolummodo voluiſſe, trium perſonarum numero non ſignificari diuerſitatem eſſentiæ Diuinæ; ſolitudinem autem vnius perſonæ negari: Vnum autem aliquid poſitiuum ſignificaret necne non docuit ibi D. Aug. D. Ambr. ibi tantum obſeruamus, ſolum negare numerum Deitatum, & eſſentiarum, non verò numerum perſonarum. De D. Hilario, D. Bonauentura quæſt. 1. diſt. 24. obſeruat, nihil expreſsè locutum de hac altercatione, niſi quod horum nominum vſus inuentus eſt magis cauſa priuandi, quàm aliquid ponendi. Hoc idem clariùs explicare poſſumus, quod D. Hilarius prædictis locis aſſeruit verum eſt illa nomina, ſcilicet ad numerum ſpectantia, ad excludendam ſingularitatem, & ſolitudinem poſita; verum non plenam, & adæquatam doctrinam tradidit: prætermiſit enim rationem poſitiuam, veluti illi propoſito, non neceſſariam, ſicuti & de D. Auguſtino animaduerſum eſt.

ARTICVLVS IV.

De eodem numero. An in Deo numerus, vel nomina numeralia dicantur ſubſtantiuè, vel relatiuè. D. Bonauentura eadem diſt. quæſt. 1. art. 2. D. Thomas quæſt. 13. art. 2. & de Potentia quæſt. 7. art. 4. & 5.

PARAPHRASIS.

PRIMA propoſitio. Numerum, ac numeralia nomina Diuinas perſonas dicere, ſed & nihil aliud niſi ipſas perſonas plurali numero prolatas; vt cùm hæc propoſitio pronuntiatur Perſonæ ſunt tres, idem omnino ſit, quod prædicatur, & ſubijcitur; non rationabilis, nec tenenda opinio eſt. Probatur: nam tum, cùm perſonæ ſunt tres, enuntiaretur; æquè eſſet ac ſi perſonæ ſunt perſonæ diceretur; ſed hoc eſt Theologicis phraſibus indignum: ergo ab eo abſtinendum. Probatur minor; nam hoc eſſet indignè nugare in maximis fidei rebus, & eò minus ferendum, quò & in ipſius Diuinæ Scripturæ indignitatem cederet, quæ tres eſſe, qui teſtimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus legi-

tur, & eo acerbius percelleret, quo ferè Diuinarum perſonarum aſſertus numerus periret; ſi ſcilicet his verbis nugæ dumtaxat recitarentur.

Secunda ergo Propoſitio, meliorem ſententiam complectens eſt. Numerus, ac numerales dictiones in Diuinis dicuntur ſecundum relationes, & important notiones. Probatur prima pars. Numeralia nomina v. g. tres dicunt in Deo diſtinctionem: ſed diſtinctio non eſt niſi per proprietates, & relationes, vt conſtat: ergo numerus dicit relationem, non eſſentiam, aut ſubſtantiam. Secunda pars de notionibus pariter probatur. Notio bifariam poteſt ſumi, & vt conuenit vni ſoli, & vt ab alio diſtinguit: ſed primo modo idem eſt quod proprietas, & relatio conſtituens: ſecundo modo idem quod vnitas per diſtinctionem orta: ergo à numerali nomine importatur. Probatur ſecundò vtraque pars. Omne nomen ad ſubſtantiam Diuinam ſpectans, non pluraliter, ſed tantum ſingulari numero dicitur: ſed tres v. g. pluraliter dicitur: ergo non ad ſubſtantiam, ſed ad relationem ſignificandam. Conſequentia euidens eſt à ſufficienti enumeratione: abſoluta namque dumtaxat, & relatiua in Deo inueniuntur. Maior quoque eo ſupponitur certa, ac manifeſta, quo Diuina ſubſtantia vna eſt, & plurificari paradoxum inuoluit. Minor denique ex ſe patentiſſima eſt. Tertiò nomen ſubſtantiale de quacumque perſona prædicatur: Pater enim eſt Deus, ſubſtantia increata &c. eadem ratione, & identitate Filius, & Spiritus ſanctus; ſed tres de nulla ſingulari perſona dicitur: non enim poteſt dici Pater eſt tres, nec Filius, nec Spiritus ſanctus: ergo tres de pluribus: ergo relatiuè. Quartò, ſi tres ſubſtantiuè ſumitur, & dicitur in Deo; ergo tres Dij, ac tres ſubſtantiæ Diuinæ. Conſequentia eſt nota, & tamen apertiſſimè contra fidem: ergo negandum antecedens.

Tertia Propoſitio. Quoquomodo variari huius numeralis nominis tres, ſignificatio videtur, cùm tres perſonæ dicuntur; ab eo cùm tres notiones pronunciantur: ex fine corporis articuli; Declaratur. Cùm tres perſonas dico, & ipſas perſonas, & proprietates, quibus diſtinguuntur, & origines dico: cùm verò tres notiones, ſolas notiones explico, quia ſe ipſis diſtinguentur proprietates.

Quarta Propoſitio ex reſponſione ad quartum. Quando tres nomen numerale, dicitur importare notiones, non eo dicitur, quo quinque eſſe notiones Diuinas negetur: hoc enim eſſet negare, quod ab omnibus Theologis aſſeritur; ſed quo per illud nomen tres tantummodo notiones perſonales, quibus conſtituuntur, & diſtinguuntur, & conſequenter cognoſcuntur perſonæ.

Quinta Propoſitio ex reſponſione ad primum, in qua exactè inter numerum in creaturis, & in Deo differentia explicatur: Numerus in creatura, eſt quantitas diſcreta, & diuiſa; in Deo verò dicit relationem: & probatur. In creatura diſtinctio fit per proprietatis, vel qualitatis appoſitionem, & ita per additionem, limitationem, diuiſionem, multorum diuerſorum aggregationem, menſuram, & conſequenter per quantitatem: quare numerus eſt modus eſſendi, conſequens materiam, & formam. Probatur ſecunda pars. Diſtinctio in Diuinis fit per originem: Non ergo per additionem: ergo ibi non eſt limitatio, nec menſuratio, nec aggregatio, nec quantitas. Antecedens alibi multis locis patet: nam multæ in Diuinis ſunt perſonæ, quia vna ab alia per productionem, & emanationem. Conſequentia eſt certa: ſed vbi origo ibi neceſſariò eſt relatio: ergo numerus in Diuinis non quantitatem, ſed relationem dicit, & præciſè oppoſitam, quæ vt ſic, & vt opponitur, non tranſit in ſubſtantiam, ſed remanet multiplicata, & numerabilis, & numerata.

COMMENTARIVM.

RECTE, & appoſitè, quemadmodum præteritis articulis cum de vno diſputationem texebat S. Doctor: Quomodo primò in Deo ſumeretur, priuatiuè ſcilicet an poſitiuè. ſecundò an ſecundum ſubſtantiam, vel relationem, diſcuſſit: ita de numero, ac multitudine faciendum duxit, & denique cum hac differentia ſoluit. Vnum namque tum ſecundum ſubſtantiam, tum ſecundum relationem ſumi: numerum verò dumtaxat ſecundum relationem: & hoc eſt quod clariſsimè ex titulo in præſenti quæſt. quærit. An ſcilicet nomina numeralia, ſecundum ſuam formalem ſignificationem dicant ſubſtantiam: non vt condiſtinguitur contra accidens, quod in Deo repugnat inueniri, ſed contra relationem: ita vt an ſubſtantiam, vel relationem ſignificet, & eſt adæquata, & immediata diſtinctio: omnè enim quod in Deo eſt, aut ſubſtantia, aut relatio eſt, vt etiam in textu indicatur. Et primò refert opinionem quandam de numero, quem exagitat in Diuinis, non indicato Auctore, vt alibi etiam ſæpenumero facere conſueuit, & fortaſſe hac ratione, aut quia ignorabatur, aut ne cuiquam de hoc errore maculam inferret. ſecundò ea reiecta, aliam rationabiliorem profert, & efficaciter tuetur. tertiò docta, fœcunda, & notanda doctrina oppoſita diluit argumenta.

Primò quoad opinionem quam refert, obſeruandus eſt in primis modus dicendi S. Doctoris quàm cautus, & moderatus: non enim abſolutè de ideis & formis ſeparatis fuiſſe Platonis ſententiam aſtruit ſed quæ Platoni imponitur, & meritò quidem: nam non deſunt egregij, ac perſpicaciſsimi tum Philoſophi, tum Theologi, ac Patres, inter quos multis locis S. Pater Auguſt. ac præſertim 7. confeſs. qui ceu à calumnia, ac impoſtura ab hac opinione Platonem ſolertiſsimè, & acerrimè tuentur, & quoties viſus à rebus poſuiſſe ſeparatas

ideas;

Digitized by Google

ideas; non niſi tamen in mente primi, ac ſupremi artificis, quibus ipſe agens per intellectum tanquam exemplari eorum, quæ facere vellet, & principio cognoſcendi, ea quæ extra ſe cognoſcibilia forent, vteretur; quæ denique nihil aliud ſunt, quàm ipſa Diuina eſſentia, vt ſic in ordine ad cognoſcibilia, & operabilia extra, ne diuina mens aliàs vileſceret, dum extra ſe, forma, aut obiecto, quod intueretur, indigeret. Verba D. Auguſtini indicato loco elegantiſsima ſunt hæc. *Formaſti mihi Domine quoſdam Platonicorum libros ex Græca lingua in Latinam verſa vbi legi, non ijſdem verbis, ſed ijsdem ſententijs, quòd in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum:* vbi per verbum in Platone, certum eſt D. Auguſtinum accipere ideam.

Quod ſi Ariſtoteles Platoni, hoc imponere conatur, non deſunt primo, qui id Ariſtotelem affectaſſe aſtruant, hoc monſtrum opinionis prodidiſſe Platonem, vt ex recta, ac rationali tanti Philoſophi redargutione inſignius ſibi nomen celebrioremq. gloriam aucuparet. ſecundò ex hypotheſi iugulaſſe, ac è medio hoc erroneum aſſertum de ideis ſeparatis extuliſſe, cuiuſcumque eſſet, etiam ſi fortaſſe præſtantiſsimi Magiſtri Platonis: ſunt qui ſic interpretantur locutum Ariſtotelem: nam licet amicus obſequendus in primis Magiſter Plato; magis tamen amica, & obſequenda veritas. certum eſt autem Seraphicum Doctorem ex his ſtare, qui hunc intolerabilem errorem de ideis ſeparatis non fuiſſe à Platone, aliàs optimè de vera philoſophia merito.

Quo verò ad ipſam opinionem, quam hic refert, ac reijcit S. Doctor, hæc eſſe videtur, fuiſſe quoſdam, qui nomina quidem numeralia relationes dicere; ita tamen, vt nihil niſi ſolum nomen adderetur: dicere enim tres & nomina numeralia aliquid diſtinctum ab ipſis perſonis Diuinis, & æternis, eſt duplicem in errorem incidere, alterum opinionis Platoni impoſitam. tunc enim horum numerorum darentur æternæ formæ determinatæ ſubſiſtentes. Alterum numerare perſonas, non eſſet eis vlla proprietas, aut paſsio ceù inhærens, ac competens; ſubſiſteret etenim numerus: ergo ne his accedamus, & periclitemur erroribus, dicamus tutius numeros intrinſecos perſonis, vt nihil omnino addant niſi ſolum nomen.

S. verò Bonauentura ſupponens opinionem iniquè Platoni aſcriptam de ideis ſeparatis à rebus, & Diuina mente, ſua abſurditate reuinci, ea relicta ac contempta ad eos Theologos, qui adeò hunc fictum errorem timent, vt in alium extremum labantur, Battologiæ, ſcilicet & nugationis in re maximi momenti, contra & omnes Theologos, & ipſam Diuinam Scripturam teſtantem, & edocentem numerum de Diuinis perſonis, *tres ſunt qui teſtimonium dant in cælo &c. & hi tres vnum ſunt*; ſe conuertit, & ex his has argumentationes cõtorquet. Primo, timor de opinione philoſophantium de ideis ſeparatis nullus eſſe poteſt: ergo abſque ratione, vt hunc effugerent in oppoſitum incidunt; ſed hæc ratio potius ſupponitur quàm explicata hoc modo legatur. ſecundò. Nugari verbis in rebus Diuinis aſſerendis, & explicandis, eſt error: ſed hi dum tres perſonas aſſerimus, nihil aliud quã perſonas eſſe perſonas nos aſſerere cõtendunt, nos nugari aſſerunt: ergo errant. hoc autem argumentationis genus in ſimili occaſione oblata, omnibus Theologis familiare eſt; vt etiam quidam Scotiſtę, dum contra negantes inter diuina attributa, diſtinctionem formalem impugnant, ac inſiliunt, hanc eis ſubinde nugacitatis notam, & erroris impingunt, vt plura attributa hoc ſenſu nihil aliud ſint, quàm plura ſynonima nugacitate repetita. Ergo ad meliorem, & rationabiliorem opinionem confugiens, eam ſic ſeligit, proponit, ac probat; numerus v. g. tres dicit, & numerat non eſſentiam, aut ſubſtantiam Diuinam, ſed perſonas, relationes, & notiones perſonales, itaut pluralitas vnitatum numero nonnihil addat perſonis numeratis, vt differat à prima reiecta ſententia ſcilicet modum, quo ſingulæ perſonæ conſtituantur, & diſtinguantur, origines nimirum, oppoſitiones, relationes &c. quod idem dicendum de notionibus diſtinctè in fine corporis articuli docet: licet enim ſeipſis diſtinguantur: illum tamen modum quo ſic diſtinguuntur, ſaltem noſtra intellectione diſtinctum, ſignificant, & addunt; quo loco notiones vocat proprietates, quia de notionibus perſonalibus tantum loquitur, quæ exquiſitè ſunt proprietates nuncupatæ, ideò notiones, quia his noſcuntur perſonæ; hoc verò totum, doctè, & appoſitè probat, vt in paraphraſi textus.

Sanctus verò Thom. in ſcripto eadem diſt. art. 4. eandem ſententiam in genere probat, & primò eodem argumento S. Bonauenturæ. Quidquid eſſentialiter dicitur, de perſonis ſingulis prædicatur, ſed termini numerales, non prædicantur de Patre v. g. non enim dicitur Pater eſt duo, vel tres: ergo iſti termini non eſſentiam, & abſoluta, ſed relatiua, & perſonas ſignificant. In corpore verò quæſtionis, idem his verbis deducit. Pluralitas, & multitudo perſonarum ſunt ipſæ perſonę ſecundum quod diſtinctæ: & quia non eſt ibi aliqua diſtinctio eſſentiæ, ideo neque aliqua pluralitas eſſentialis. Eandem concluſionem, aut explicatè, aut ſaltem virtute neceſſariò ſemper repetit vbi vlla ſeſe obtulerit occaſio.

Riccardus quæſt. 3. hoc idem repetit argumentum primum, & addit, terminus numeralis nunquam poteſt addi termino ſubſtantiali: ergo nunquam ſignificabit ſubſtantiam. Sed piget in re omni luce clariori Theologorum coacernare, & conglomerare teſtimonia, eſt enim dogma ad fidem ſpectans, numerum relatiua ſignificare; omnibus illis locis, quibus in Diuinis Litteris, & Deum eſſe vnum, & perſonas plures toties repetitur.

Tantummodo ergo obſeruanda doctrina, & phraſis dicendi S. Doctoris, primo in fine corporis quæſt. vbi notiones perſonales ſe ipſis diſtingui aſſeuerat; hoc enim vt ſemper ſibi conſtans, & conſequenter loquatur, eſt, quod ſupra ſolerter, & peracutè cum multis alijs, emanationes ſe ipſis diſtingui, docuit, vt ſuppoſitis, quæ ibi dicta ſunt, nihil hic in loculentiorem explicationem ſit addendum, ſecundò in reſponſione ad primum quanta

vber-

Digitized by Google

adhuc notio competit, & prædicatur, tum communis, tum propria de ſua, quam conſtituit, & diſtinguit perſona.

Quatto. De hoc termino tres: notiones Diuinæ non poſſunt ſignificari per hunc terminum tres: ergo ſi in Diuinam aſſumatur prædicationem ad eſſentiam prædicandam, vt aſſumatur neceſſe erit, Conſequentia iam aliàs inconfeſſo poſita eſt, dum hæc duo dumtaxat in Deo prædicanda inueniuntur eſſentia, & notiones. Antecedens autem probatur: Ex certa Theologorum aſſertione de notionum numero: ſunt enim quinque.

Reſp. & facili, & ſolida dilutione diluit argumentum: eſſe quidem Diuinarum perſonatum notiones qninque, innaſcibilitatem, ſpitationem actiuam, Paternitatem, filiationem, & ſpirationem paſſiuam: inter eas tamen hanc inueniri, & ab omnibus Theologis differẽtiam obſeruari, vt priores duæ perſonarum quidem ſint notiones: ad Patrem namque ptima: ad Patrem verò, & Filium, ſecunda ſpectat; neque tamen perſonales: non enim perſonam conſtituunt ſaltem completè (hoc dixerim de innaſcibilitate, propter S. Bonauenturæ opinionem, de qua ſuo loco) reliquæ verò tres poſteriores perſonales, ſcilicet perſonas conſtituentes, ac diſtinguentes: eſt enim Paternitas, qua prima accipit formaliter eſſe perſonæ; filiatio qua ſecunda; ſpiratio denique paſſiua, qua tertia, quaſi ex forma ponitur in eſſe; hæc inquam omnino certa. At verò vox *tres*, cum de Deo aſſeritur haud ad omnes quinque, ſed tantum ad tres poſteriores prædicandas notiones aſſumitur: nam perſonæ, quæ tres numerantur hac trioa notione, quaſi trifaria forma ſunt. poſſet addi etiam quinque, terminnm tres complecti: nam tres recenſet, tres quidem perſonas, neque tamen, vt ita loquar, omninò nudas, ſed cum notionibus duabus, non conſtituentibus, quidem perſonas, ſed ſuis conſtitutis adiacentibus tamen ad Pattem, & Filium, vt iam patet ſpectantibus &c.

Hinc non contemnendum dubiolum ſoluitur, cur Pater, cùm tres habeat notiones, non dicatur tamen trinus, aut tres, neque Filius duo, cùm ipſe quoque duas habeat. Ratio enim eſt hæc, quia his ferè additis notionibus, non multiplicantur perſonæ, neque conſtituitur diſtinctio vera, ac realis, quæ vocibus illis numerabiles ſint, numerantur autem ſuppoſita, & perſonæ.

ARTICVLVS V.

An hæc nomina numeralia, ita diſtinctionem importent, vt ſimul etiam aliquam vnitatem. D. Bonauentura quæſt. 5. & 6. eiuſdem diſtinctionis. D. Thom. quæſt. 1. art. 5. ibidem.

PARAPHRASIS.

PRIMA Propoſitio. Neceſſariò danda videntur in Deo, & ad Diuinam prædicationem quædam nomina numeralia aſſumenda, quæ non ſolum ſuppoſitorum, ac relationum pluralitatem, ſed etiam eorundem vnitatem ſignificent, & præſeferant. Probatur vera, ac ſolida ratione in corpore. A parte rei in Deo ſingulari modo eſt perſonarum diſtinctio, & earundem vnitas in eſſentia. Ergo danda nomina, quæ diſtinctionem, & vnitatem nos doceant. Antecedens eſt de fide, tota conclamante Scriptura, & fide. Conſequentia eſt vrgens ex fine, quo, & inuenta, & reuelata ſunt nomina ad explicanda ſcilicet ea, ad quæ ſunt impoſita.

Secunda Propoſitio. Hoc nomen Trinitas, & trinus eſt ex ijs quæ hanc tum pluralitatem, tum vnitatem complectitur ac ediſſerit. Probatur primò ex vſu orthodoxo, & catholico. ſecundò, ideo Trinitas, & non trinarius, aut triplex de Deo dicitur, quia hæc cum pluralitate, vnitatem non exponunt: illud verò exponit. Probatur antecedens, tum ex vſu, & aſſenſu omnium, tum præſertim ex pluribus à Magiſtro in littera relatis. tertiò, ex eodem Magiſtro. Trinitatis nomen eſt aliquo modo collectiuum: ergo, & vnitatem quandam, & pluralitatem explicat. Confirmatur, quia Trinitas, eſt trium vnitas.

Tertia Propoſitio. Trinitas hic terminus in Deo non eſt ſimpliciter aſſerendus collectiuus, ſeu addenda limitatio, quaſi collectiuus, ex ſine corporis quæſtionis. Primò, auctoritate Magiſtri. Secundò, hac ratione, & obſeruatione. Vnitas à collectiuo nomine ſignificata eſt vnitas aggregationis, quæ conſequitur pluralitatem: ſed hæc non poteſt competere pluribus Diuinis perſonis, quæ plures quidem ſunt in vna eademq. tamen eſſentia numero: ergo Trinitas, non erit ſimpliciter nomen collectiuum. Probatur: nam vnitas eſſentiæ, & formæ Diuinarum perſonarum non conſequitur perſonas, ſed potius quoquomodo antecedit, quo Theologicè ſecundum rationem abſoluta relatiua præcedunt. ſecundò, vnitas collectiua eſt aggregationis, Diuinarum verò perſonarum vnitas non eſt aggregationis, ſed formæ, & eſſentiæ: ergo.

Quarta Propoſitio corollaria. Hæc nomina trinarius, & triplex, non poſſunt competere Deo ex

ex ſecundo, & tertio argumento affirmatiuo. Probatur primo; quia ita docet D. Ambr. lib. 1. de fide, & refert Magiſter in fine diſt. 23. eſt in Patre, & Filio non diſcrepans, ſed vna diuinitas: nec confuſum; quod vnum eſt, nec multiplex eſſe poteſt, quod indifferens eſt. Multiplex itaque non eſt Deus: ergo neque triplex: eſt enim ſpecies multiplicitatis, triplex. ſecundò trinarius, & triplex diuerſitatem, & multitudinem ſine vnitate dicunt: ergo Deo non conueniunt.

Quinta Propoſitio ex quæſtione ſequenti. Non ad rem quam tractamus, hoc eſt ad Deum vera, neque conueniens huius termini Trinitatis etymologia; Trinitas eſt ter vnitas, ad tres ſimpliciter perſonas ſignificandas, ita vt vnitas non ſubſtantialis, ſed perſonalis dumtaxat exprimatur. Probatur: eadem eſt ſignificatio Trini, & Trinitatis: ſed non poteſt dici Deus trinus hoc ſenſu, ideſt ter vnus: ergo neque Trinitas, hoc eſt relatiuè tantum, ter vnitas. ſecundo hoc nomen trinus, & Trinitas, eam vnitatem importabit, de quo poterit rectè dici: ſed de perſona, neutrum poteſt dici: ergo vnitatem perſonalem non importabit. Probatur minor: nam nulla ratione hac affirmatio concedi poteſt Perſona eſt trina, aut Trinitas.

Sexta Propoſitio. Ad almæ Trinitatis myſterium explicandum valde appoſitè, & verè adhibetur trinus, & Trinitas, ſi trium vnitas, ita vt trium perſonarum vnam numero eſſentiam dicat, & conſequenter eſſentialiter ſumatur, explicabitur. Probatur primò ex primæ etymologiæ confutatione. ſecundò, quod dicitur de tribus perſonis ſimul in ſingulari pertinet ad vnitatem eſſentialem; ita dicitur Trinitas: Deus enim eſt Trinitas, rectè affirmatur: ergo ad vnitatem eſſentialem dicitur: ergo Trinitas eſt trium vnitas eſſentialis. tertiò, nulla vnitas eſt trium vnitas, niſi eſſentia Diuina: ſed Trinitas, eſt trium vnitas: ergo vnitatem eſſentialem ſignificat.

Septima Propoſitio. Huiuſmodi nomina Trinus, & Trinitas habent quodammodo termini ſubſtantialis naturam, quatenus de tribus dicuntur in ſingulari, & formam trium præſeferunt; & termini numeralis, qui ita plures complectuntur, vt de nullo ex illis tribus per ſe dicantur: neque enim per ſe Pater dicitur Trinus, aut Trinitas, neque Filius, neque Spiritus ſanctus.

Octaua Propoſitio ex reſponſione ad tertium. Ideo rectè dicitur Deus Trinus, & non trina Deitas, quia Deus ſupponit perſonas, & Deitas, eſſentiam.

COMMENTARIVM.

CERTVM quidem eſt hæc, quæ his duabus quæſtionibus poſtremis à S. Doctore, ac cæteris Theologis, eodem loco traduntur, tanquam ad propriam ſedem, ad extremum de modis dicendi tractatum, congrua ratione eſſe remittenda: ibi namque quibus verbis conſentaneè loquendum, & quibus phraſibus vtendum, & verborum quænam ſit vera, & idonea vis, ac ſignificatio pro virili ſolerter excutiendum. Quia tamen ſi hæc eadem hoc loco prætermitterentur, proculdubio de numero Diuino diſputationi aliquid deeſſet: ea propter vtrique loco eadem committere diuerſa ratione, congruè cenſui.

Ergo his duabus quæſtionibus, tum quoſdam proprios terminos numerales vetuſtiſſimorum Patrum, & Theologorum, & totius Eccleſiæ, ac Conciliorum vſu de Deo diuiniſq. perſonis aſſertos itidem rem ab ipſis ſignificatam S. Doctor ſedulo, omni ex capite expendit, & expedit, nullumq. lapidem immotum relinquit, vt quam legitimè in Diuinam aſſumpti ſint prædicationem patefaciat. Sunt autem Trinitas, & Trinus.

Hęc autem, quæ animaduertit prius, ſunt primò, oſtenſa harum idonearum vocum neceſſitate ad hoc dignè explicandum fidei myſterium, Trinitatis nominis non eſſe etymologiam, ter vnitas, ſed trium vnitas, profert; & rationem tum Magiſtri auctoritate deſumit, tum ita conſtruit. Diuinæ perſonæ, ita adinuicem ſunt diſtinctæ, vt tamen ſint idem omninò, cum vna Diuina eſſentia: ergo, & nomen Trinitatis præcipuum, & antiquitate omnium aſſertione, in primis venerandum, debet vtrumque indicare, tum ſcilicet pluralitatem perſonarum, tum pluralitatis in eſſentia vnitatem, ergo non ter vnitas: tunc enim dumtaxat perſonales vnitates complecteretur; ſed trium vnitas in eſſentia, interpretandum. ſecundò hinc idem confirmans, licet hoc nomen *Trinitas* ſit quodammodò collectiuum; colligit enim tres vnitates perſonarum, non tamen ſimpliciter collectiuum aſſerendum, idque hac notanda ratione; vnitas hæc exquiſitè collectiua inuoluit vnitatum ſolum aggregationem, quæ conſequitur pluralitatem; ita vt illa plura, hac vna ratione dicantur vna, quia numero aggregata, ſed vnitas perſonarum, non conſequitur perſonas, ſed potius ſecundum quandam rationem antecedit: ex Diuina enim eſſentia pullulant, vt eis communicata: ergo *Trinitas* non ter vnitas, ſed trium vnitas erit. tertiò *Trinitas*, & *Trinus*, ex retrodictis, cum nedum perſonas adinnicem diſtinctas, ſed earundem eandem eſſentiam præſeferant, poterunt nomina; tum ſubſtantialia, tum numeralia rectè nuncupari: ergo tum eſſentiam, tum perſonas tres ſignificant, & numerant: ergo trium vnitas. quartò Deus hoc nomen eſt eiuſdem naturæ, & naturalis ſignificationis, vt perſonam Diuinam ſupponat, & probatur; nam ideo Deus Trinus, & non trina Deitas, rectè dicitur, quia Deitas pro eſſentia, quæ non poteſt eſſe trina, Deus verò, quia perſonas ſupponit, trinus dicitur: Diuina enim natura in tribus inuenitur. Quod valde obſeruandum, & memoriæ mandandum ad S. Doctoris exquiſitam opinionem, ac tuendam de ſubſiſtentia: quod enim Deus, non debeat dici ſecundum ſubſtantiam, & abſolutè ſubſiſtere, eſt nouus locus iſte, & eo magis premit, quo addit tale eſt hoc nomen Deus, ideſt vis, & vſus.

5 Ex horum vocum tradita explicatione excludit alias quaſdam voces, nimirum triplex trinarius, multiplex, & ſimilia: & non poteſt eſſe præter earum non vſum in rebus Diuinis explicandis, & præſertim in hac maximi faciendum, niſi hæc eadem prædicta præcipua ratio, quia verè vnam eamdemque Diuinam eſſentiam cum perſonarum pluralitate non ſignificant; ſicuti Trinitas, & trinus, ſed magis oppoſito modo tantummodo veritatem, multitudinem, ac plurium quaſi confuſionem.

Has eaſdem voces triplicis, & triplicitatis &c. à Sancto Doctore exploſas, explodit etiam S. Thomas quæſt. 31. art. 1. ad tertium et alij, et ante ipſos S. Aug. lib. 6. de Trinitate cap. 6. et 7. et lib. 15. cap. 3. quorum ratio eſt, quia triplicitas ſignificat multitudinem cum proportione inæqualitatis: quæ tamen de fide à Diuinis remouenda eſt; *æqualis enim Pater, æqualis Filius, æqualis Spiritus Sanctus*, teſte in Symbolo D. Athanaſio. Quæ quidem ratio veluti tantorum virorum æſtimanda profectò: ſupplenda tamen ex ſupra relata ratione; quia eamdem naturam cum pluralitate perſonarum non complectitur, imò negat; idcirco non poteſt dici Deus triplex, ſicut dicitur Deus trinus. Eadem ratione multiplicitas, & multiplex reijcienda, quemadmodum S. Nazzianzenus orat. 35. S. Ambroſius lib. 1. de fide cap. 1. & 2. S. Bernardus lib. 5. de conſideratione. Hac elegantiſsima, & facillima ratione reddita. Deus non poteſt dici multiplex, quia eſt ſimplex, & non compoſitus ex multis: quare, neque vlla perſona poterit dici aut multiplex, aut triplex, aut duplex, quia ſcilicet omnino ſimplex, & vna.

Hæc de rigore vera ſunt ſi Deo triplex, aut multiplex addatur: ſi enim relatiuis adderetur, fortaſſe nulla ſequeretur abſurditas, aut errandi periculum: D. enim Thomas 1. quæſt. 10. de potentia art. 2. concedit in Deo duplicem proceſſionem, eadem ratione duplicem perſonam procedentem, triplicem relationem perſonalem, multiplicem notionem, de quibus infra vberius.

Cauendum ex omnibus denique in genere, ne in hoc explicando myſterio vtamur vocibus ad indicandam perſonarum diſtinctionem, quæ quoquomodo, aut etiam Diuinæ naturæ diſtinctionem non ſubindicent, aut identitatem non explicent, vel ſaltem ſubinferant propter Arrij errorem. Sicuti ex oppoſito perattentè incumbendum, ne dum vnitatem in natura perſonarum proferre, & verbis profiteri volumus, aſſumamus verba quæ confundant, aut non exprimant earundem diſtinctionem, propter Sabellianam hæreſim vitandam: tutiſsima ergo Trinitatis vox, & fidelis, & catholica, vt nuper S. Doctor indicabat, ea adhibita etymologia: & in vſu eccleſiæ rectiſsimè, in Symbolo D. Athanaſij. *Trinitas in vnitate, & vnitas in trinitate veneranda ſit*. In concilio Lateranenſi cap. Damnamus. *In Deo eſt Trinitas, non quaternitas*, & ſæpiſsimè in innumeris alijs locis. In vſu denique & religioſo ritu in hac celebranda, & inuocanda celſiſsima, & millies glorioſiſsima Trinitate. *S. Trinitas vnus Deus &c.* neq; aut reclamat, aut reclamare poteſt Concilium Toletanū Prouinciale 11. in confeſsione fidei illis verbis. *Nec rectè dici poteſt, in vno Deo eſt Trinitas*: vult enim dumtaxat docere, ne in vna Diuina natura credatur Trinitas: nam non eſt naturæ, ſed perſonarum Trinitas, quare ſtatim addit, *ſed vnus Deus Trinitas, perſonarum ſcilicet*.

At verò hic non diſſimulanda duplex dubitatio, quæ hinc emergit S. Bonau. & Thomæ ſuſtinenda vis, ac explicatio Trinitatis, vt ſit trium vnitas: D. namque Athanaſius in Symbolo decernit hoc modo, *Trinitas in vnitate, & vnitas in Trinitate veneranda eſt*. Et quod adhuc auget difficultatem, Eccleſia Romana in Præfatio Miſſæ de Sanctiſsima Trinitate, *Qui cum Filio, & Spiritu Sancto vnus es Deus; vnus es Dominus, non in vnius ſingularitate perſonæ, ſed in vnius Trinitate ſubſtantiæ*: ex primò enim loco videtur eadem parte, & ratione, qua trinus eſt Deus, eſſe etiam vnus, & viceuerſa, qua vnus eſt, Trinus quoque. Quare nedum perſonæ plures ſint, ſed etiam naturæ; nam in vnitate veneranda eſt Trinitas; cuius oppoſitum viſum eſt docuiſſe Toletanum concil. in confeſſione fidei, nuperrimè relatum.

Ex ſecundo vero loco, ſi in Trinitate vnius ſubſtantiæ &c. ergo Trinitas ex ſe, & ſuo formali, non vnitatem trium, ſed Trinitatem ſignificat, & poſtea ſubindicat vnitatem, vt melius explicetur, ſi eandem dicatur ter vnitas, quàm trium vnitas, quod vterque S. Doctor negauit, & cum ipſis Riccardus art. 3. quæſt. 1. & Alexander 1. par. quæſt. membro 1. art. 1. & ante ipſos omnes S. Iſidorus lib. Etymologiarum cap. 4. eſt enim ipſe qui dixit, Trinitas eſt trium vnitas, & trium vnitatum perſonalium ad inuicem diſtinctarum, vna vnitas eſſentialis.

Denique ergo dubitationi, vt occurreret Alexander, duas huic dicto adhibuit expoſitiones; altera autem iſthæc eſt: Vnitas eſt in Trinitate ſicuti natura in ſuppoſito, & quaſi forma velut in ſubiecto. Trinitas verò in vnitate, quaſi ſuppoſitum in natura. Altera verò quidam emphaticus modus dicendi, & explicandi, vt Trinitas dicatur in vnitate in Deo, qui eſt ipſa Trinitas, vnde ibi Deus ſupponit pro perſonis.

S. Thomas indicato art. 1. ad quartum, idem quod Alexander in prima expoſitione, quibuſdam tamen varijs verbis: non enim ait ponimus numerum in vnitate eſſentiæ, vt dicamus eſſentiam ter vnam in hac voce Trinitatis, ſed perſonas numeratas eſſe in vnitate Diuina, ſicut ſuppoſita in natura.

D. Bonauentura diſt. 31. art. 1. quæſt. 2. quærens an in Diuinis natura prædicetur de perſona, & viciſſim perſona de natura; Reſp. etiam in Deo prædicationem eſſe in duplici genere, vt aliud genus per identitatem nuncupetur, aliud verò per inhærentiam, illudque propriiſsimum eſſe genus prædicationis; hoc autem non ita, ſed vt ipſe loquitur, propter intellectus noſtri defectibilitatem &c. In reſponſione verò ad argumenta, rem naturæ, ideſt perſonam, prædicari de natura, & vice verſa, primò per identitatem, quia ipſiſsima res ſunt.

ſunt, Secundò, etiam per inhærentiam, non veram, & realem, quaſi in materia, & ſubiecto; ſed iuxta noſtri intellectus imbecillitatem, non niſi hoc modo ex humanis myſterium hoc percipientis. Ergo ex S. Doctore trinam huius propoſitionis, Trinitas eſt in vnitate, colligimus rationem, & explicationem, prima autem eſt, quam docuit Alexander per inhærentiam illis verbis; quaſi per ſubiectionem. ſecunda autem per rem; ſcilicet perſonam in natura, quæ fuit S. Thomæ. tertia deniq; per identitatem, quæ exquiſitum, & omnino dicendi modum proprium ex Diuina ſimplicitate decernit.

Maneat itaque obiecta dubitatio ſoluta, quæ nulla ratione negocium faceſsit: imò vtraque ſimul propoſita tollitur ex horum Theologorum dictis; & intemerata eſſentiæ vnitas manens in ipſa adoratur Trinitas; propter ſcilicet præcipuè identitatem, & quaſi inhæſionem perſonæ in natura, & naturæ in ſuppoſito &c. Contra Arrium rabidè Patris, & Filij diuidentem ſubſtantiam. Identitatem hanc D. Athan. voluiſſe aſſerere, liquidò ex contextu Symboli cōſequitur: dixerat enim prius. *Alia eſt perſona Patris &c. ſed Patris, & Filij, & Spiritus Sancti vna eſt Diuinitas &c.* & multa id genus: immenſus, æternus, omnipotens &c. Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, tamen vnus æternus &c. & quia ſicut ſingillatim vnamquamque perſonam Deum, ac Dominum &c. denique Catholicè concludit. *Ita vt per omnia ſicut iam ſupra dictum eſt, & vnitas in Trinitate, & trinitas in vnitate veneranda ſit.* Vbi ſatis dilucidè pro Diuina inter eſſentiam, & perſonas ſimplicitate, & identitate, decreuiſſe apparet. Quibus ſi addideris eam, ac tantam eſſe, vt ad inuicem vnum ſit de alterius ratione, eamque his dicendi modis indicari; rem admodum rationi conſentaneam teſtatam relinques.

Quòd ſi hoc Toletanum negauerit Concilium, id quidem optimè, ad id, quod nos quoq; tollimus, tollendum negauit, tempore illo fortaſſe id poſtulante, ne ſcilicet inde, aut negandi realem perſonarum Trinitatē, aut vnicam eſſentiam multiplicādi, occaſio arriperetur: ergo optima vocis Trinitatis interpretatio tradita, nō ter vnitas, ſed triū vnitas: qua, & inter ſe differre perſonas, & cum eſſentia ita cōuenire vt cum ea idem prorſus ſit, explicatur, tū cōtra Arrianos, tum contra Iudæos, & Sabellianos.

Quibus tamen in calce adiungas: Trinitatem hanc vetuſtiſsimam, & Eccleſiaſticam, & Conciliarem vocem, vtraque quidem ſignificatione ſua comprehendere, tamen quaſi formaliter tres perſonas, & ſimul indicare perſonarum vnitatem; gloſſulam admodum cōſentaneam adiunges Theologorum, præſertim S. Thomæ ad primum, & Riccardi in corpore quæſt. 1. art. 3. licet ex vi nominis prius vnitatem, & in recto præſeferre, quàm pluralitatem, eſt enim vnitas trium; tamen inquit S. Thomas ex proprietate nominis, ex fine ad quem impoſitum nomen, inquit Riccardus, magis ac potius numerum, quàm vnitatem ſignificatione teſtatur: quod nullibi, quod viderim, negat, neque Sanctus Bonauentura. Quod ſi quis fortaſſe negare contenderet, nulla poterit eſſe controuerſia: his enim ex Etymone vocis, alij oppoſitum ex fine, & eiuſdem vocis proprietate.

Negamit tandem dicendum eſſe. S. Doctor Deum trinarium, ad imitationem trini, & in reſponſione ad vltimum, trinam Trinitatem; & vtrumque admodum appoſitè, & ſcitè: nam de primò, Trinus non differt à Trinitate, niſi ſicut concretum, & abſtractum: abſtracta verò, & concreta in Deo, quo ad rem, propter ſummam ſimplicitatem idem omnino ſunt. Quò circa quo probata vox Trinitas, eo & trinus: nam etiam quo ad vocem, eadem ſignificatio. Secundò, Trinus eſt terminus vetuſtate, & antiquitate receptus, & in vſu: Trinarius verò numquam auditus; qui vt reijciatur prorſus hoc abundè ſufficit. De ſecundò verò, quemadmodum non rectè dicitur Deitas trina; ita neque Trinitas trina: admodum verò rectè Deus trinus: huius ratio eſt, quia Deus in concreto ſupponit pro perſonis; trinus verò addit pro quot perſonis. Illius verò ſimilis ratio, quia ſicuti ideo non dicitur Deitas trina, quia Deitas non perſonas ſupponit, ſed eſſentiam, quæ vna eſt; ita nec Trinitas poterit trina prædicari eadem ratione: quæ quidem ratio ita explicanda, & moderanda videtur: non quaſi dixerit Trinitatem non ſupponere pro perſonis, quia dicat eſſentiam in abſtracto, ſed vt reſpondeat obiectioni formaliter non poſſe admitti hanc prædicationem, Trinitas eſt trina, quia abſtractum non ſupponit perſonas.

Sanctus verò Thomas, & ante ipſum Alex. reddunt faciliorem, & fortaſſe realiorem rationem: Si Trinitas diceretur trina, nouem eſſe perſonas Diuinas admitteretur: ter enim tres, & trina Trinitas reddit nouem. Et quemadmodum Deus trinus in tribus ſuppoſitis, eſſe Deitatem prædicamus; ita Trinitas trina in tribus ſuppoſitis ſingulas Trinitates aſſereremus, quod hæreticum & paradoxon eſſet. Quæ ratio, re & materia ſumpta eſt, ſicut illa Sancti Bonauenturæ, à forma ſcilicet abſtractionis. Neque faceſsit negocium, quod Sancta Eccleſia canit in officio Sanctiſsimi Corporis Chriſti ex D. Thoma: *Te trina Deitas, vnaque poſcimus*; nec enim ideo concedendam, licere ita reliqua abſtracta prædicari, & conſequenter trina Deitas: Nam ibi illo cantu, ratione metri admittitur ſemel ille dicendi modus, quia compertiſsimum eſt ibi poſitum eſſe abſtractum pro concreto, Deitatem pro Deo, idque non ad modum dicēdi habita ratione, ſed ad omnimodam rei ſimplicitatem teſtandam: & eo præſertim ille vnicus locus admittitur, quia ſtatim moderatio, & explicatio ſubiungitur. *Te trina Deitas, vnaque poſcimus*, quo magis reuincitur, illam vocem Deitatem pro concreto vſurpari.

De termino hoc Deus, quod non ſupponat niſi pro perſonis ex vi ſua, hic non eſt plura addendi locus, ſed alijs locis proprijs vberius tum dictum, tum dicendum. Reliquum igitur eſt, vt argumenta oppoſita diluantur.

Primum ergo Sancti Doctoris argumentum primæ quæſtionis. Si aliquam vnitatem importaret nomen numerale; id magis deberet fieri in rebus creatis, quàm in Deo; ſed nullam

lam

iam in creatis, ſimile nomen importat vnitatem: ergo multo minus in Deo. Probatur maior: ex pluribus enim collectis vnitatibus, reſultat ille ordo, & vnio numerica. Probatur minor: nam numerus v. g. binarius, vel trinarius ita importat numerum, quod nullam vnitatem.

Reſp. ad argumentum. In Deo idem nomen tum vnitatem, tum Trinitatem ratione talis naturæ, & quaſi ſubiecti, dicere: nam talis eſt natura Diuina, vt vna manens communicetur multis ſuppoſitis: quod idem poſſet etiam in creaturis fieri, ſi ſimilis inueniretur natura. Ad formam verò argumenti neganda eſſet primò maior, tum propter diſsimilem naturam, tum propter diſsimilem vnitatem, vt in corpore quæſt. creaturarum enim vnitas eſt aggrrgationis, & conſequens: Dei verò eſt eſſentialis, & aliqua ratione antecedens, vt ibidem. Secundò neganda eſt minor: nam binarius, & ternarius &c. vnitatem aliqualem aggregationis, & collectionis, & ordinis numerici &c. dicit.

Secundum. nullum idem nomen poteſt eſſe ſimul diſtinctionis, & indiſtinctionis, vt patet: ſed ſi Trinitas diceret vnitatem, & pluralitatem ſimul, vtrumque hoc præſtaret: ergo hanc eſſe huius vocis vim, non eſt concedendum.

Facillima ſolutione ſolnit, non ſub vnica ratione idem nomen tum diſtincta, tum indiſtincta ſignificare; ſed ratione formæ & eſſentiæ, indiſtincta; ratione ſuppoſitorum, diſtincta, & plura. Quare ad formam argumenti neganda eſt maior; nam idem nomen, plures poteſt ſignificandi rationes habere: & ex hoc, neque minor cnncedenda: Trinitas enim eſt diſtincta inter ſe propter relationem oppoſitam, perſonas in eadem Diuina eſſentia ſignificans.

Tertium. Si Trinitas, & trinus dicunt plnralitatem ſimul, & vnitatem: ergo Eccleſia dum canendo dicit, trinus, & vnns; nugas de Deo canit, & nugationis leuitatem committie. Probatur conſequentia. ſi trinus etiam vnitatem complectitur, vanè, & nugatoriè additur vnus.

Soluit S. Doctor, & enthymematis cnnſequentiam negat, bino adhibito exemplo, huius vocis (cede) & in relatinis, de Patre: nam quemadmodum (cede) bifariam ſumitur, & pro cedendo loco, & pro dando in ſe, ſed ſi addatur aut locus, aut alia res, ceu bona, vt dicatur, cedo locum, vel cedo bona; contrahitur ad vnam ſignificationem, quàm requirit addita res: ita Trinus, licet in ſe, & vnitatem, & pluralitatem notet; ſi tamen additur & vnus, tunc trinus ex addito coarctatur ad pluralitatem dumtaxat explicandam: quare nngstione non peccatur, ſi trinus, & vnus ab Eccleſia canitur. Ad hoc idem argumentum reſp. etiam Riccardus quæſt. 1. art. 3. ad primum eadem reſponſione, alio exemplo de naſo ſimo, vt in eius textu compertum.

Quartum. Quod eſt primum art. 2. Hæc vox Trinitas, ſi cum pluralitate ſimul vnitatem ſignificat; non poterit eſſe niſi perſonalis: nam Trinitas vnitatem, & pluralitatem exprimit: ergo plures vnitates; non poteſt niſi perſonalis vnitas in Deo multiplicari: ergo ea, Trinitate connotatur.

Reſpondetur, nullam eſſe conſequentiam: non enim plures vnitates; ſed plurium ſuppoſitorum vnicam vnitatem eſſentiæ ſignificat Ttinitas: quod & explicatio vocis enucleatè aperit: Trinitas enim eſt trium in obliquo vnitas.

Quinctum. Vnitas eſſentiæ dicitur de Patre: Pater enim eſt eſſentia Diuina; ſed de eodem Patre non poteſt dici Trinus, nec Trinitas: manifeſtum namque eſt Patrem non eſſe Trinum, aut Trinitatem, ſed Trinitatis vnam perſonam: ergo vnitas Trinitatis dicitur de Patre: ergn perſonalis eſt.

Reſp. & negatur conſequentia: nam alia ratione vnitas eſt in Patre perſonalis, alia eſſentialis: vnitas eſſentialis eſt in Patte, vt communis tribus & eſt abſoluta: perſonalis verò, vt diſtincta per proptietatem relatinam oppoſitam. Nulla verò conſequentia ab abſolutis ad relatiua: tunc enim ſi admitteretur, omnis tolleretur Sanctiſsimæ Trinitatis veritas, & rediret deteſtanda ſabellij iam confoſſa, & interempta hęreſis.

Sextum. Licet iam in Commentario expeditum & enodatum ſit; hic tamen non pigeat argumenti formam aperire, quo eius claudicatio patentior fiat. Ita igitur, & eadem vi, qua & ſuperinr nunc expedita argumentatio, arguitur, eſſentia dicitur vna, nequaquam verò trina: ergo vnitas per Trinitatem indicata non eſt eſſentialis, ſed perſonalis.

Reſp. & eadem ratione neganda conſequentia: vbi poſtea abundè expendit quare concedatur. Deus eſt trinus, non autem Deitas eſt trina, vel Trinitas trina, vt iam ſupra; & nos in eadem verba expendimus: & in ratione arguendi ideo, & conſequentia neganda. Deus eſt trinus: ergo, & Deitas trina, ex varia terminorum ſuppoſitione Deus enim in concreto perſonas ſupponit: Deitas verò in abſtracto eſſentiam. Quapropter licet Deus, & Deitas ſint ipſiſsima res: diuerſa tamen concretorum, et abſtractorum ſignificandi ratio. Et hæc breuibus pro vocum ad numerum ſpectantium explicatione interponenda erant.

ARTICVLVS VI.

An nomen perſonæ ſit commune perſonis increatis. S. Bonauentura dist. 25. quæſt. 1. art. 2. S. Th. quæſt. 30. art. 4.

PARAPHRASIS.

P*RIMA Propoſitio. Perſona eſt quid commune tribus Diuinis perſonis. Probatur primò ex D. Aug. 7. de Trinit. cap. 4. his verbis. Ideo dicuntur perſonæ tres, quia commune eſt eis quod eſt perſona. Secundò ratione. Omne diſtributiuum in plura, habet in ſe communitatem ad ea, in qua diſtri-*

ſtribuitur: ſed perſona nomen diſtribuitur in tres; nam Pater eſt perſona, Filius eſt perſona, Spiritus Sanctus eſt perſona: ergo eſt ad illas commune, Tertiò. Quod ſecundum idem, & eandem rationem, nomen dicitur de pluribus, eſt eis commune: perſona Diuina eſt huiuſmodi: ergo communis. Maior eſt certa. Minor ex corpore quæſt. pateſcit, tum quo ad nomen, tum quo ad rem, & rationem perſonæ: æquè enim ſingulæ perſonæ Diuinæ habent veram, & conſimilem perſonæ rationem, Quartò. Perſona prædicatur de Patre, aut tanquam accidens de ea, aut tanquam ens intrinſecum, & de ratione ipſius: non primum, ratione illa communi; quod accidens eſſe in Deo, & perſonis Diuinis repugnat, vt iam ſuis locis ſatis explicatum, & confirmatum eſt: ergo ſecundum. Et confirmatur ex iam adductis rationibus. Quod ſi de ratione Patris: aut ergo totum, & ſolum quod eſt Pater, aut in plus: non primum; nam tunc ſicut ſolus eſt Pater, ita ſolus Pater eſſet perſona, quod omnino falſum; nam æquè Filius eſt perſona æquè Spiritus Sanctus: ſunt enim tres perſonæ: ergo ſecundum: ergo dicitur in plures perſonas: ergo et commune.

Secunda Propoſitio. Ex corpore quæſt. Hæc communitas perſonæ, de qua hic propoſita eſt dubitatio, non debet, nec poteſt dici ſicut communitas eſſentiæ eiſdem tribus perſonis. Et probatur primò à ſigno; nam plurificantur perſonæ, non autem eſſentia: ergo alia communitatis ratio. Secundò alia communitas ſecundum vnitatem abſolutæ naturæ, aliaque per conſimilem, & comparatam quandam rationem analogiæ æqualis: ſed prima eſt, quæ competit eſſentiæ Diuinæ, ſecunda, quæ perſonæ: ergo vtriuſque diuerſa ratio. Maior ex communi conſenſu eſt certa. Minor verò ex ratione, & definitione perſonæ Diuinæ conſtat.

Tertia Propoſitio. Licet à quibuſdam ſatis conſentaneè Diuinæ perſonæ communitatem ad tres perſonas eſſe priuationem, & negationem quandam, aſſeratur; magis tamen conſentaneum, & probabilius, poſitiuam, & affirmatiuam dicere cenſetur. Declaratur. Duplex enim hæc communitas, quod exemplo conſtat: animal enim v. g. affirmatiuè ad hominem, & Leonem commune eſt: non animal, ad lignum, & lapidem negatiuè pariter commune: patet. Hac ratione, perſona poterit dici commune quid, quia de ratione perſonæ eſt incommunicabile; ita etiam qualibet perſona ſit incommunicabilis, ratio communitatis erit priuatio, & negatio communicabilitatis: Probatur tamen in fine corporis, præter ea, quæ aliàs dicta, & deducta ſunt ad eandem rem: nam priuatio illa incommunicabilitatis, aut poſitio eſt, aut poſitionem ponit, & ſupponit, & ex illa conſurgit: ideo enim communicabilis amplius non eſt, quia conſiſtit in vltimo actu. Deinde. Perſonæ ſignificatio in re aliquid, quod eſt in Deo, explicat reale, & verum: ergo quid commune poſitiuum &c.

Quarta Propoſitio. Neque admodum probabile cenſemus hanc communitatem eſſe rei præciſæ, aut rationis dumtaxat, & ſecundæ intentionis. Declaratur communitas rei eſt ſicut vniuerſale, v. g. animal, ad ſingularia: rationis ſicut genus, aut ſpecies, aut indiuiduum. Deinde probatur primò. Non poteſt eſſe rei; nam vniuerſalis ratio, cuius eſt multiplicari per additionem, & compoſitionem aliquam, Diuinis repugnat. Secundò. Hæc rei communitas potius competit eſſentiæ, quàm perſonæ: non rationis de rigore: nam licet in definitione perſonæ à Boetio confecta, ponatur perſona, & ſubſtantia indiuidua; indiuiduaque vox ſit rationis, quæ de ſingularibus prædicatur, cum tamen hæc indiuidui ratio fundamentum habeat in re; non rectè dici poterit purè rationis ens, & figmentum.

Quinta. Ergo rationabilior Propoſitio ex corpore quæſt. & ex reſponſione ad vltimum. Perſonæ communitas in tres Diuinas perſonas; eſt nominis quidem, quia ſingulæ nuncupantur perſonæ; eſt rationis, quia indiuidua: tamen rei poſitiuæ non abſolutè, ſed per conſimilem rationem, & analogiæ æqualis: nam ratio perſonæ, quæ eſt eſſe proprietate conſtituta, & diſtincta, æquè eſt in ſingulis perſonis, & ſimilis: ſicut enim Pater Paternitate, ita Filius filiatione, ita Spiritus Sanctus ſpiratione paſſiua conſtituitur in eſſe perſonæ, & ab alia diſtinguitur.

COMMENTARIVM.

NON poterat præteriri, nec hoc loco diſſimulari huius dubitationis diſcuſſio; ſi enim ſuis locis ſupra luculentes Sanctus Doctor, quomodo ſe habent quid ſignificent, nedum res, ſed voces, ac termini, quibus nominantur, et numerantur perſonæ, docuit; eadem ratione, idem præſtandum erat de hoc nomine perſonæ, quo ſingula Diuina ſuppoſita vniuerſo Doctorum Eccleſiæ cætu teſtante, nuncupantur, et numerantur, et plures dicuntur perſonæ: *alia eſt enim perſona Patris, alia Filij, alia Spiritus Sancti*. Quomodo igitur diſtribuat pro ſingulis perſonis, qua communitate conueniat illis, hoc loco ſimul cum S. Th. & reliquis Scholaſticis ſoluendum. Propoſitam autem quæſtionem hac methodo ſoluit, vt primò quid alij Doctores de hac dubitatione ſentiant, quamque ſolutionem adhibeant, idque de more pro ſua congenita modeſtia honorificè præſtat: ſingulis enim debitum de propria ipſorum opinione defert honorem, et probabilem, et rationi conſentaneam fatetur. Secundò probabiliorem ſeligit, rationibus roborat, ac firmat.

Et quo ad primum iuxta titulum quæſt. propoſitę, ſic diuerſimode opinantes Theologos recenſet, et ſupponit primò quàm quærimus communi-

Digitized by Google

nitatem non eſſe ſimilem ei, quàm habet eſſentia, alias aut nulla, aut vna tamen eſſet perſona. Secundò, in reſponſ. ad vlt. vt poſtea etiam obſeruauit Riccardus quæſt. 2. art. 2. diſt. 25. & omnes neceſſariò ſupponunt: hanc communitatem maiorem eſſe, quàm æquiuocationis, & ſolius vocis; aliàs nulla eſſet verè perſona, niſi nomenclatura: & tamen ſupra, rationem, ac definitionem perſonæ verè ſingulis perſonis Diuinis conuenire, abunde demonſtratum eſt. Tertiò hanc quæſt. ſolutionem omnino, & abſolutè ab alia iam antea ſoluta pendere, de ratione formali perſonæ: quæ enim ratio formalis erit communitas trium perſonarum, in illa perſonæ ratione inuenietur, & id clariſſimè in recolendis opinionibus indicat. Deinde hoc conſtituto, aggreditur eorum ſententiam, qui perſonas Diuinas in perſona conuenire ſecundum rationem priuationis, incommunicabilitatis ſcilicet: omnes enim perſonæ Diuinæ, ſunt perſonæ, quia ſunt incommunicabiles, quia perſonæ ratio formalis eſt incommunicabilem eſſe.

hanc verò poſterioribus temporibus amplexatus eſt Scotus in 1. ſent. diſt. 23. quæſt. 1. §. *item arguo*, & diſt. 25. licet ei non adeo firma adhæſione adhæreat, vt non & oppoſitam ſententiam probabilem afferat. Quod ſi multi recentiores Scotiſtæ animaduertiſſent, non tanta acrimonia, & vehementia in oppoſita reſtanda; ne dicam deridenda ſententia deſudaſſent. Secutus eſt Scotum præcipuè Gabriel ibidem quæſt. vnica dub. 1. Dicit ergo Scotus: rationem & perſonæ, & communitatis tribus perſonis eſſe negationem communicabilitatis, & vt quo, & vt quod, & negationem trinam communicationis, actu, aptitudine & potentia, etiam logica: licet in perſona creata duas ſolas priores negatiores, actus, & aptitudinis includat: & hoc eſt, inquiunt, quod perſona complectitr commune tribus, quo ſcilicet quælibet ex Diuinis perſonis eadem ratione eſt formaliter incommunicabilis, & oppoſitum abſolutè repugnat.

Huius Scoticæ ſententiæ probabiles quidem rationes non cenſeo hìc oportunè referendas, ne otioſè acta agam: ſupra enim quæſt. de ratione formali perſonæ tum relatæ, tum excuſſę, & æqua lance ni fallor, ponderatæ, & quanti ponderis ſint expenſæ. Nituntur præſertim definitioni, Riccardi 4. de Trinit. de perſona, quæ erat exiſtentia ſubſtantiæ incommunicabilis, & Boetij, qua perſonam eſſe ſubſtantiam indiuiduam dicebat: indiuiduum enim ex Ariſt. eſt negatio diuiſionis in ſe, & indiuiſionis ab alio: ſed & ad hæc ſatis, eodem loco.

Secundò loco in hac difficultate quorundam refert fuiſſe ſententiam: rationem quidem perſonæ, in qua tres conueniunt, eſſe poſitiuam, non tamen realem, ſed rationis: perſona enim definitur, eſt ſubſtantia indiuidua: indiuiduum autem eſt quoddam prædicabile &c. Quo ergo de ſingula hypoſtaſi Diuina prædicatur perſona, eſt indiuiduum, in quo conueniunt omnes perſonæ. In quam ſententiam deinde Durandds diſt. 23. quæſt. 1. & 25. viſus eſt deſcendiſſe, dum vocabulum hoc, *perſona* in concreto de formali ſignificare quandam intentionem, & ſupponere pro indiuiduis conſtitutis ex proprietatibus perſonalibus. Tribuitur quoque, Henrico quolib. 5. quæſt. 6. Vbi aſſerit perſonam intentionem ſignificare: neque tamen quàm intentionem, primam, an ſecundam explicat, & obſcuriſsimè loquitur. Inter recentiores eandem ſuſcipit, & affirmat hoc loco Torres.

Pro ſuſtinenda hac opinione, vti poſſunt fundamento, quod indicauit etiam S. Bonauentura. Perſona indicat aliquem conceptum intellectus obiectiuum communem tribus perſonis, qui non poteſt eſſe priuatiuus, vt contra Scotiſtas nituntur, & contendunt reliqui: ergo poſitiuus: non realis fundamento Scoti: ab vltimis enim terminis, & conſtitutiuis non poteſt abſtrahi conceptus communis, aliàs daretur proceſſus in infinitum, & ex multis alijs difficultatibus, quibus primi hæc ſententia videtur: ergo poſitiuus rationis: quare perſona dicitur indiuiduum, quod de ſingulis tribus prædicatur.

Occaſione huius ſententiæ, quid ſit ens rationis, & ſecunda intentio, ſatis eruditè his verbis enucleat S. Doctor. Comunitas rationis eſt intentio accepta ab anima ſecundum conſimilem modum accipiendi, & ſic indiuiduum eſt commune ſecundum rationem ad Petrum, & Paulum. Quibus, ens rationis fieri, vel inſurgere ab intellectus operatione, qua plura conuentre in vno dum contemplatur inſurgit, & obſeruat idem intellectus: & illud idem de illis multis prædicatur, aut ſicut genus, aut ſpecies, aut indiuiduum: & hæc eſt ratio; qua dicitur conſimile, nimirum inquam ratione, vel generis &c.

Probabilem hanc, veramque ſententiam exiſtimat S. Doctor, & tutè amplecti poſſe concedit: probabiliorem tamen longè aliam tertiam proponit, ac eleganter, & ſedulò ediſſerit, & probat, quàm grauiorum Theologorum opinor communem.

Perſonæ inquit, nomen dicit quoddam commune in tres, non tanummodo rationis ſed etiam rei, non quidem abſolutæ, ſed relatæ, & comparatæ: etenim continet ſua ſignificatione, & indicat ſuppoſitum proprietate conſtitutum, & diſtinctum; & conſimilem modum, quo quolibet ſuppoſitum ſua perſonali proprietate conſtituitur in eſſe diſtincto, & indiuiduo: & licet diſtinctæ ſint illæ proprietates: alia enim Paternitas, alia Filiatio, alia ſpiratio paſſiua; tamen omnes ſunt proprietates relatiuæ, non formæ abſolutæ; & eadem, ac ſimili ratione relatiua conſtituuntur perſonæ in eſſe perſonali: & hoc eſt illud commune tribus, quod ſignificat perſona, indiſtinctè poſita, vel prolata.

Hanc dicebam inter proceriores Theologos communem: nam in primis, & priori loco S. Thomas in 1. ſent. diſt. 25. art. 3. poteſt relatas, & reiectas eas omnes ſententias, quas

& hic S. Bonauentura ſtatuit, quod dicit commune tribus, perſona, eſt non communitas rationis tantum, quia communitas rationis non eſt niſi communis ad proprium, vel è contrario Proprij ad commune: & non ſufficit, quia perſona non dicit tantum intellectum, aut proportionem, & habitudinem alicuius ſubſiſtentis ad naturam communem, ſed magis illam rem, cui accidit talis intentio. Vnde communitas perſonæ in Diuinis non poteſt eſſe ſecundum communitatem talis habitudinis, vel intentionis; ſed eſt communitas, qua hoc nomen ſuppoſitum, commune eſt in Diuinis, tribus perſonis. Eſt ergo communitas quidem rationis, & proportionis, fundata tamen in re.

Exemplum ſit. Ratio animalis communis in homine, & Leone, fundata in re eſt duplex, alia animalis, quæ eſt communis, alia propria, quæ eſt hominis: ita in Diuinis perſonis cum in re ſit ibi relatio; ratio communis indicata à perſona in ſingulis, eſt relatio; quæ habeat poſtea in ſingulis propriam rationem. In Patre enim eſt relatio Paternitatis propria, in Filio Filiationis: nec inde ſequitur quod illud commune ſit vniuerſale ad Paternitatem, Filiationem, & ſpirationem paſſiuam; quia de vniuerſalis ratione eſt, quod ſit in ſuis inferioribus ſecundum aliud, & aliud eſſe: in Diuinis autem non eſt niſi vnum eſſe; & perſona ſignificat non diuerſum eſſe, ſed communem diſtinctam rationem ſubſiſtendi in eadem numero natura: ita vt non ſit communis perſona ſecundum rem, quaſi ſit vna perſona ſola in Diuinis, ſed ſecundum rationem communem ſubſiſtendi, rationibus diſtinctis.

Quod idem S. Doctor, licet non tam longo verborum ambitu, nec tam effuſa vocum circumlocutione: primò enim in reſponſione ad primum. dicit hanc communitatem perſonæ ad tres, licet ſit pluſquam per rationem ſolam; non poſſe tamen dici vniuerſale, quia vniuerſale in ſingularibus multiplicatur, & verè numeratur propter veram additionem, qua ad varia eſſe, & diuerſa indiuidua contrahitur. Diuinis autem perſonis non conuenit variari, & fieri diuerſas per additionem: non enim diſtinguuntur, aut conſtituuntur, niſi per origines &c. quo circa non ſunt indiuidua vniuerſalis. Secundò in corpore quæſt. explicatis verbis aſſerit primò, non ſolam rationis communitatem ſignificare perſonam; nam illa ratio, & intentio eſt fundata in re. Secundò communitatem illam non eſſe rei abſolutæ, ſed relatæ. Tertiò. Non præcisè ſolam habitudinem, ſed ipſas proprietates per conſimilem rationem ad inuicem comparatas; ergo ex Sancto Doctore. Perſona ſignificat relationes in ſingulis perſonis, quibus conſtituuntur in eſſe, vt ſicut Pater paternitate ſubſiſtit; ita Filius filiatione, Spiritus Sanctus ſpiratione; ita diſtinctarum relationum communitatem, & habitudinem, & ſimilitudines.

In ſumma autem art. recenſito idem Sanctus Thomas paucis mutatis primò, & recolit, & explodit eaſdem ſententias: nomen perſonæ ſcilicet non eſt nomen communitatis, negationis, nec rationis; ſed rei: eſt enim commune tribus perſonis, non ſicut genus, nec ſicut ſpecies, ſed ſicut indiuiduum vagum; quod ſic declarat ex differentia ſignificandi horum nominum, generici, ſpecifici, & indiuidui vagi: & rurſus ex differentia diuerſorum nominum indiuidui vagi: Animal enim, & homo ſignificant ipſam naturam communem: aliquis homo eandem naturam cum determinato modo eſſendi: ſed inter has voces, aliquis homo, & perſona, hæc intercedit ſignificandi ratio diuerſa: nam aliquis homo naturam ſic exiſtentem; perſona verò, modum exiſtendi naturæ eiuſdem nobilem. Deinde probat. Modus ſubſiſtendi, & eſſe ſubſiſtens diſtinctum ab alijs, eſt commune tribus perſonis in Diuinis: ergo nomen perſonæ ſignificans hunc exiſtendi modum communem, eſt commune tribus.

At verò S. Bonauentura hunc modum communem per conſimilem, & comparatam rationem ſubſiſtendi perſonarum explicat: ergo eadem vera, germanaque ſententia vtruſque Sancti Doctoris.

In reſponſione verò ad tertium S. Thomas tum compendio refert, tum ratum habet, quod fusè in primò ſententiarum prodidit, communitatem ſcilicet hanc, non poſſe habere rationem vniuerſalis &c. idem S. Bonauentura in reſponſione ad primum vt intuenti patet.

Alexander verò Alenſis quæſt. 56. membro 4. art. 2. ne dum re, ſed verbis quoque cum ſeraphico diſcipulo conuenit; his enim fere verbis, de communitate perſonæ in Diuinis ſuam profet ſententiam. Pater eſt Deus, Filius eſt Deus, Spirtius Sanctus eſt Deus, tres habitudines habent in vnum in hoc quod Pater eſt ſuppoſitum D. eſſentiæ vt Filius, & Spiritus Sanctus, & idem deſignatur per ſuppoſitum, & hypoſtaſim; hypoſtaſis enim dicit idem quod ſtans ſub. vnde quia idem eſt ſecundum rem vna eſt ratio communis, quæ deſignatur per hypoſtaſim. Idem deſignatur per hoc nomen (Perſona) per hoc quod dicitur hypoſtaſis proprietate diſtincta. Cum ergo iſta duo ſimilem habeant modum communitatis, & hoc nomen hypoſtaſis eſt commune ſecundum rationem idest ſecundum conſimilem modum habendi tria ad vnum erit ſignatum per hoc nomen perſonæ commune ſecundum rationem ab eadem habitudine, quid conformius in eadem ſententia poteſt affirmari? tandem concludit ipſe quoque communitatem hanc non eſſe vniuerſale nuncupandam.

Riccardus itidem eadem diſt. quæſt. 2. art. 2. hac de re ſic ratiocinatur. Perſona dicit rem communem tribus perſonis ad ſimilitudinem illius communitatis, qua ſingulare vagum; vt aliquis homo commune ſingularibus ſignificatis, vt Petro, & Paulo: ſicut enim aliquis homo dicit ſuppoſitum naturæ humanæ indeterminatè ſignificatum; ſic perſona Diuina

dicit

dicit ſuppoſitum naturæ Diuinæ, indeterminatum. Quod totum ſic eruditè probat. Hæc communitas eſt certo pluſquam æquiuoca: nam æquiuoca eſt ſolius nominis: hæc vero cum communitate vocis dicit conſimilem (verba S. Bonauenturæ) habitudinem ſuppoſiti ad naturam: non eſt ſpeciei, aut generis communitas; tum quia, nec Deus, nec perſona Diuina poteſt eſſe in genere, ex diſt. 8.: tum quia nihil intellectu cogitante in ſingulis perſonis diſtinctis, eſt aliquid verè in quo conueniunt, perſonalitatis ſimilis relatio, & habitudo &c., neq; poteſt rectè analogiæ communitas completè appellari: æquè enim perfectè perſonalitatis ratio conuenit ſingulis perſonis.

Quod ſi D. Bonauentura eadem diſt. quæſt. 2. admiſit hanc analogiæ vocem illis verbis, quia dicitur ſecundum comparationem rerum eiuſdem naturæ, ideò analogicè, & æqualiter, & ideò quodammodo vniuocè. Reſpondendum primò de vera analogia, quæ eſt inter æquiuocationem, & vniuocationem, & quæ dicit prius, & poſterius perfectionis, non agere ſanctum Doctorem, addidit enim analogicè æqualiter: an verò omnino vniuocè, dubitatur: dixit enim aliquo modo vniuocè; vbi videtur non abſolutè concedere vniuocationem perfectam, inter Diuinas perſonas in ratione perſonæ. Sed audiendus Riccardus inſignis, & valde celebrandus Theologus eruditè diſſerens, & verba S. Bonauenturæ ingenuè explanans eadem quæſt. 2. Hæc perſonæ communitas, non plenè attingit ad communitatem vniuocam: quia illud, quod plenè vniuocè conuenit illis ſecundum eandem rationem in numero; ſi non multiplicatur in ſuppoſitis: & hoc dixi propter communitatem Diuinæ eſſentiæ. Si autem multiplicatur in ſuppoſitis, non dicitur de illis ſecundum eandem rationem in numero, nec ſecundum aliam, & aliam rationem in numero, ſiue determinatè, ſiue indeterminatè ſignificatam; ſed ſecundum rationem abſtractam ab vnitate numerali, ſiue ſignificata, ſiue non ſignificata à multitudine numerali: ſicut enim homo in quantum prædicatur de Socrate, & Platone abſtrahitur ab vnitate, & multitudine numerali: ſic ratio ſecundum quam dicitur de illis, hoc eſt animal rationale mortale, abſtrahitur ab vnitate numerali, & multitudine, ſiue ſignificata, ſiue indeterminatè ſignificata. vnde Auicenna 5. Metaph. cap. 1. dicitur Socrates eſt homo, Plato eſt homo, non prædicatur vnus homo numero, nec plures numero, ſed homo tantum abſtractus per intellectum ab vnitate, & multitudine numerali: cum verò dicitur Petrus eſt aliquis homo, Paulus eſt aliquis homo, prædicantur duo aliqui homines ſingulares indeterminatè ſignificati, quia ſingularitas realiter includitur in nomine ſuppoſiti, cum dicitur Socrates eſt aliquis homo, prædicatur ſingulare vagum de ſe ipſo. Aliquis ergo homo, conuenit Petro, & Paulo ſecundum aliam, & aliam rationem in numero indeterminato modo ſignificatam. A ſimili aliqualiter dico de perſona Diuina in reſpectu Patris, Filij, & Spiritus ſancti: hæc Riccardus; quod clarius enodat in reſponſione ad tertium, ideò inquit, ſecundum omnem rationem vniuocam, licet prorſus æqualiter non conuenire ſingulis perſonis Diuinis, quia de ipſis non prædicatur, niſi ad indiuidui vagi rationem, in qua non vnica ratio, quæ ad exquiſitam vniuocationem requiritur, ſed alia, & alia continetur, & hanc eſſe integram vniuocationis rationem, docuit Ariſt. in vniuoci definitione *vniuoca ſunt quorum nomen eſt commune, & ſecundum illud ratio eſt eadem*. Verum cum, nec hoc tollat plenè rationem vniuoci, dixit eruditè S. Doctor aliquo modo vniuocè. Vniuocè ergo: quia quodlibet ſuppoſitum Diuinum habet æqualiter perfectè rationem perſonæ, non vniuocè adamuſſim: quia ratio hæc non eſt vna numero, ſed multiplicatur in ſingulis perſonis, quemadmodum, & in Analogia.

Scotus ipſe denique hanc eandem partem tanquam ſibi valde arridentem ſic verſat, ac probat ferè, ſicut alij iam hucuſque recenſiti Theologi, in calce, ſcilicet diſt. 25. vbi decernit, id quod commune ſignificat perſona in Diuinis, eſt ceu commune proprium, ſicut riſibile in homine, eſt commune ſingulis hominibus, quod tamen eſt proprium homini, & cuiquam homini: eadem conſimili ratione perſona Diuina, dicit quid commune ſingulis proprium, rationem ſcilicet ſubſiſtentiæ, ſingulis enim perſonis Diuinis perfectiſſimæ ſubſiſtentiæ, & perſonalitatis ratio competit, & conſimili modo, vt iam ſæpè teſtatum reliquimus: quælibet namque perſona Diuina per propriam relationem ſubſiſtit, & perſona verè eſt.

Quod ſi ibi ſubdat hoc commune perſonæ non eſſe formaliter, nec abſolutum, nec reſpectiuum, ſed quid ad vtrumque indifferens; ex conſequenti autem relationes, & origines perſonarum connotare, & tertio loco eſſentiam: hæc hoc loco non curamus: ſufficit enim in re nobis conuenire, eo præſertim, quo & ipſe hanc communitatem non eſſe generis &c. demonſtrat.

Arguitur ergo pro S. Bonauenturæ ſententia hac magni ponderis ratione primo loco, quia eſt reliquorum Theologorum placitis comprobata. ſecundo ex aliarum opinionum redargutione. Verū à redarguendis primo loco relatis opinionibus rectè hic abſtinendum puto, perſonæ ſcilicet rationem formalem, & communitatem non rectè dici negationem communicabilitatis: tum quia id ſatis ſupra ſuo loco actum eſt: tum quia, neque Scotus, neque S. Bonauentura admodum in re hac vrgent, ac premunt: tum denique non negandum, ad rationem perſonæ conuenire incommunicabilitatem tanquam quid conſequens tamen, & ſignum.

Arguo ergo contra ſecundam rationem, & communitatem perſonæ non eſſe ſecundam intentionem, & ens rationis dumtaxat, primò. Id in quo ſuppoſita Diuina conueniunt, & rectè perſonæ nuncupantur, eſt reale, & poſitiuum; & probatur: nam eſt ratio ſubſiſtendi relatiuè: nullo enim cogitante intellectu vnaquæque perſona Diuina per propriam relationem ſubſiſtit, & eſt perſona diſtincta, tamen omnino ſimilis alijs; quia in ſingulis eſt relatio: ergo non eſt pura ſecunda intentio.

Secundò ex D. Auguſt. 7. de Trinitate cap. 4.

ideo dicuntur tres perſonæ, quia commune eis eſt quod eſt perſona: ſed id quod eſt perſona, non eſt rationis, ſed realis ratio perſonalitatis Diuinæ: ergo.

Hinc tertiò. Quod eſt pluribus commune ſecundum nomen, & rationem, non eſt ens rationis: ſed perſona tribus ſuppoſitis eſt commune ſecundum nomen: dicuntur enim tres perſonæ, & ſecundum rem: ſunt enim veræ tres perſonæ: ergo ratio communis perſonæ, non eſt rationis ens.

Quartò denique, cùm dico, Pater eſt perſona, aut dico quod eſt accidens Patri, aut quòd eſt de ratione ipſius: dicere primum, eſt Patri per ſe verã rationẽ ſubſiſtendi negare, & improprias reddere, & de rigore falſas tum conciliorum, tum Symboli D. Athanaſij, tum Patrum, ac Theologorum phraſes ac propoſitiones. Quod male oleret, & abhorreret aures piorum, qui vbique perſonam Patris, & Filij, & Spiritus Sancti perſonam aſſerunt, & teſtantur, & repetunt; *alia enim eſt perſona Patris, alia Filij &c.* ergo dicendum ſecundum: ergo quid reale: ſed quia illud reale eſt tribus commune &c. ergo perſona ex ſe, quid reale commune & dicit, & eſt.

Alij, & alijs rationibus contra eandem ſententiã pugnant, & ferè ſic in abſurda conducunt: ſi enim primò fundandi perſonã in Diuinis ratio ab intellectu noſtro pendet, & eſt ens creatæ rationis: ergo à parte rei in Deo ſine noſtro intellectu Diuinarũ perſonarum myſterium non poneretur; & conſtat, quia eſt ens rationis noſtræ. Quo quid horribilius, audiri, aut dici vnquã poterit: ergo à parte rei perſonę ratio, ac definitio Boetij ab omnibus Theologis aſſerta, & recepta non competit. Deinde, ſi de formali ratione perſonæ, eſt ſecunda intentio: ergo formaliter perſona Diuina refertur ad extra, & ſuum correlatiuum ad extra habet. Probatur vtrumque. Primum, nam ens rationis eſt relatio. Secundum; nam referri debet ad eum à quo originem ducit, nimirum ad intellectum creatum.

Hanc veritatem, perſonam ſcilicet Diuinam formaliter eſſe quid reale, Franciſcus Suarez exiſtimat certam de fide: nam eſſe Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum in Deo non eſt ens rationis: neque natura humana aſſumpta eſt ad ens rationis in incarnatione: eſſet autem vtique aſſumpta, ſi ſecunda perſona, ſicut & cæteræ, eſſet ens rationis.

Neq; vllo modo obſtat, quod perſona in communi à nobis concepta, ſit nõ ad diſtinctum cuiuſlibet perſonæ modum ac rationem realem, ſed conceptum communem per intellectum abſtractum, ac ſubinde dicat ens rationis; nam licet intellectus noſter, confuſo quodam modo concipiat perſonam quando hoc nomen imponit; nihil tamen à ſe fictum, quod in re non exiſtat, intendit per illam vocem ſignificare, ſed illum realem exiſtendi modum in ſingulis perſonis: quare, vt antea indicatum eſt, hæc eſt propoſitio realis, & vera, Pater eſt perſona, quemadmodum, & Filius, & Spiritus Sanctus.

Eſt ergo vera, quam huc vſque declarauimus ſententia hæc, & communis Sancti Bonauenturæ cum præclarioribus Theologis commemoratis, quibus addo, & Capreolum diſt. 25. quæſt. 1. art. 1. & Marſilium, & recentiores multos, perſonam ſignificare conceptum communem realem, poſitiuum, obiectiuum, quo Diuinæ perſonæ ſingulæ vniformiter ſubſiſtunt, & ad Diuinam eſſentiam ſe habent; licet non negandum quoquomodo interuenire, & opus intellectus noſtri, dum aſtrahimus, & vt communem intelligimus, illum conceptum obiectiuum; eſt enim inquit Riccardus, res realis à nobis intellecta, quod totum his corollarijs conclusionibus perſtringi poteſt.

Prima. Perſona non eſt æquiuoca ad tres Diuinas ſubſiſtentias, ita ut tantum nomine conueniat, patuit.

Secunda. Perſonam neque dumtaxat communitatem quandam rationis, & ſecundæ intentionis ſignificare, fas eſt dicere. Ex dictis conſtat.

Tertia. Perſona non ſolam negationem communicabilitatis tribus communem complectitur, ſed etiam realitatem communem poſitiuam.

Quarta. Hoc quod commune præſefert perſonæ nomen, eſt conſimilis modus ſe habendi, & ſubſiſtendi relatiuè perſonarum.

Sed ferè omnes in eandem ſentiam non difficili negotio reduci poſſunt, ſi animaduertamus ſingulos Doctores in hac opinione veritatem aliquam aſſeruiſſe, ſed non omnem, & adæquatè: omnibus tamen mea ſententia ſeraphicum Doctorem vberius: negationem namque ſignificare perſonam communicabilitatis, nemo eſt qui conſentan eſſe neget. Controuerſia eſt, an formaliter, vel conſequenter. In eius recta notione implicari quoquomodo ens rationis, omnis ſi rectè noris, affirmabis; abſtrahere namque, vt nuperrimè indicabam à ſingularibus conceptum communem perſonæ ad intellectus ſ[illegible]tum ſpectare fateri coguntur omnes, à parte rei per perſonæ ſignificationem explicari realem relationem perſonarum diſtinctam conſimilem, hoc omnibus certius, & ſingularum perſonarum proprietatem, quòd ferè idem eſt per nomen perſonæ per ſe indicari licet ſub quadam communitate, hoc quoque inconfeſſo eſſe debet, ergo huius adæquatæ veritatis, omnes aliquam partem confitentur & tradunt.

Verum S. Bonauentura, qui omnes opiniones has probabiles admittit, ac concedit, licet ex his vnam probabiliorem ſeligat; verè videtur hanc intuitus concordiam, vt omnes diuerſa, non autem contraria, & aduerſa ratione, aliquam veritatem ſectati, & conſecuti fuerint: atque eo præſertim, quo, ſi horum Theologorum ſi quis quemlibet percunctaretur; ſi dum v. g. qui aſſerit perſonæ rationem in negatione ſitam, alter in ſecunda intentione &c. an, & omnem realem, & poſitiuam rationem, perſonæ tribuendam negaret; non negaret, & proculdubio aſſerendam, licet ſub alia, & diuerſa ratione reſponderet. Quare ab omni oppoſitis argumentis reſpondendi onere hac potiſſimum ratione exonerari poſſumus, aliquam enim veritatem concludere videtur; tamen vt rationabiliorem, & communiorem, ac completiorem opinionem, quam ab initio accepimus tueri, adhuc conamur argumenta diluere, ſi quæ ſunt, accepta.

præcipuè quæ ad oppoſitam partem opponit S. Doctor, ſtatuimus.

Ad primum ergo pro opinione probabili Scoti, pro negationis ratione formali ſumptum ab auctoritate Riccardi de S. Victore, præter ea quæ in quæſtione de perſonæ definitione ſuperiori loco attulimus, Reſpondeo primò, nos ſecutos eſſe per grauiores Theologos Boetij definitionem, ſecundò, ex ipſomet Riccardo, qui eandem, perſonam, alia definitione definiuit; ſic etenim; perſona eſt exiſtens perſe iuxta ſingularem quendam rationalis exiſtentiæ modum. Vnde ex Riccardo non poteſt colligi certo, firmum incommunicabilitatis rationi ipſum inhæſiſſe. Tertiò, quemadmodum cum ſupra (*vnius*) Ariſt. definitionem diſcutiebamus, ex grauiſſimis Theologis datam fuiſſe per id quòd nobis erat notum, non autem per formale; obſeruauimus: ſic eadem penè ratione hìc à Riccardo definitam perſonam per incommunicabilitatem, non tamen quaſi per ſuum formale, aut cauſam, quàm cum ſit prima; non habet, ſed ceu per effectum quendam reſultantem aſſerimus. Quod alijs verbis apprime S. Bonauentura inter alios, perſonæ poſitam, & affirmantem rationem per negationem veluti notiorem nobis explicare, ſtatuit. Verum quia pro ſua eadem aſtruenda opinione aſſumebant, & Boetij definitionem, & particulam illam, qua perſonam eſſe ſubſtantiam indiuiduam dicebat: indiuiduum enim negatiuam rationem indiuiſionis &c. complectitur huic reſpondendo nihil reſpondendum: ſatis enim ſunt, quæ cum de ratione vnius agebatur, dicta ſunt.

Ad aliam rationem quam pro ſecunda opinione etiam attulimus, reſpondeo primò, ipſum Scotum cum oppoſitam ſententiam etiam probaret ab ipſis vltimis indiuiduis perſonis abſtraxiſſe tamen qualem qualem conceptum communem, proprium vt ipſe loquebatur, ſufficientem ad eam opinionem tuendam, & ad rationem communem perſonarum poſitiuam conſtituendam, eſt enim commune quidem, quia communis vox perſonæ id ſignificat; proprium tamen, quia immediatè in proprias ſingularum perſonarum rationes fertur: quam quidem rem realiter concedimus, formalem tamen negamus: dicimus enim perſonam ſua ſignificatione communi primò, & immediatè in quendam conceptum communem, quodammodo confuſum non diſtinctè, diſtinctas ſingularum perſonarum rationes, ſed conuenientiam quam inter ſe conſimilem habent repræſentatem vnica vnicæ rationis formali obiectiua; quod ante docuit, & Alexander loco recenſito.

Secundò. Inter recentiores, reſp. Suarez lib. 1. de Trinitate cap. 3. bifariam primò, perſonam Diuinam non dicere rationem communem abſtractam à tribus perſonis, vt perſonæ ſunt, ſed communem dumtaxat conceptum perſonæ, vt determinatum per habitudinem, & modum ſe habendi ad Diuinam naturam, vt Diuinæ perſonæ in hoc conueniant, & commune hoc habeant, quod eandem numero naturam habent. Quæ conuenientia non ſumitur ab intrinſeca ratione perſonali, ſed quaſi denominatiuè ab eadem natura Diuina quàm terminat; & hoc certum patet oſtenſione ſingularum naturarum rationalium; natura enim Angelica, & humana non addit ſupra rationem perſonæ Angelicæ, vel humanæ, niſi denominationem ab ea natura.

Hanc tamen reſponſionem reijcit, tamquam difficultatis non ſatisfacientem: ſed ni fallor immeritò: eſt enim primò antiquorum multorum, & grauiſſimorum Theologorum. Secundò hæc eſt intrinſeca perſonæ Diuinæ ratio vt ſic ſe habeat ad Diuinam eandem naturam, & ſic in ea eſſentia ſubſiſtat. Tertiò. Quod etiam aliqua ratione perſonali conueniant perſonæ, iſque ſit ſingulis, modus intrinſecus: ille tamen modus eſt adhuc modus in ordine ad Diuinam eſſentiam, quæ hoc diſtincto modo ſubſiſtit, & communicatur: non erat ergo fortaſſe neceſſaria alia reſponſio ex vbertate tamen ſui ingenij, & intellectus fæcunditate poſt ſuſum & peracutum diſcurſum, aliam adhibet ſolutionem. Eſt autem in hoc ſita, vt Scoto neget aſſumptum, quod non poſſit ſcilicet ab vltimis terminis abſtrahi conceptus communis in alio genere. Quemadmodum albedo conſtituit album tamquàm propria, & vltima forma eius, & tamen ipſa quoque conſtituitur in eſſe albedinis per proprias differentias contrahentes ex genere ad ſpeciem. Eodem propemodum modo terminus conſtituens vltimo perſonam; qua ratione ipſam conſtituit non poſſit fieri communis: ille idem tamen terminus poteſt conſtitui in alio genere; vt hic terminus Paternitatis, poteſt fieri communis in genere ſimilitudinis, cum termino filiationis relatiuæ, ipſa quoque conſtituente relatiuè. Quod dicebat S. Bonauentura per conſimilem rationem, & S. Thomas per communem rationem relationis quàm non admiſit in ſingularibus relationibus: ſicut, nec natura generis admittitur in ſpecie, nec ſpecies in indiuiduo. Neque ex hac ſic.

Ad illud explicata ſolutione non ſequitur dari proceſſum in infinitum, nam hic conceptus communis eo modo abſtractus, non alter, ac diſtinctus conceptus à proprio indiuiduæ perſonæ, ſed v. g. Paternitatis conceptus eſt idem quàm perſonæ, ſed ſolum magis ſimplex, & magis expreſſus.

Ad illud pro alia opinione de ente rationis, iam perſpicuè ſolutum eſt: concedimus enim interuenire conceptum rationis, dum abſtrahimus à tribus, & conferimus; tunc enim inſurgit communitas quædam tribus quàm, & perſona ſignificat: ſed dicimus hoc ſolum non eſſe rationem adæquatam formalem perſonæ, ſed eſſe in re fundamentum reale huius obiectiuæ communitatis, relationem ſcilicet in tribus; & modum ſe habendi, & conſtituendi, & diſtinguendi conſimilem, vt vnico verbo docuit S. Doctor.

Ad argumenta verò Sancti Doctoris. Huiuſce formæ ac ponderis ſunt. Si perſona quod commune ad tres perſonas ſignificat: ergo ad ipſas eſt quid vniuerſale: ſed hoc abſurdum, non eſt dicendum: ergo nec id vnde ſequitur. Probatur maior ex D. Auguſtino vt ſupra diſt. 18. commemoratum eſt: ideo enim dicebat eſſentia Diuina, non eſt vniuerſale ad tres perſonas quia in ipſis nõ numeratur;

fatur ; ergo ab oppoſito perſonas per illam communitatem erit vniuerſale, quia in ipſis numeratur, & plurificatur. Probatur minor per eundem D. Auguſtinum 7. de Trinit. cap. 6. In Deo, nec vniuerſale, nec particulare concedentem. hoc idem argumentum eſt Sancti Thomæ & Alexandri & Riccardi.

Conceſſa minori reſpondet S. Doctor, & negat conſequentiam ex maiori, & ad probationem ex D. Auguſtino, reſpondet nihil inde probari, idque ex pluribus requiſitis, vt commune ad plura poſſit vniuerſale nuncupari, quàm inueniantur in communitate perſonæ; & ex admodum diuerſa ratione, qua vniuerſale in ſuis inferioribus multiplicatur, & perſona in tribus; nam quo ad primum, vt commune dicatur vniuerſale poſitiuè realiter, & vnitatem naturæ requirit: ſed perſona non dicit hanc naturæ vnitatem ſed communem rationem relationis ſe habendi &c. quo ad ſecundum, vniuerſale multiplicatur in indiuiduis per compoſitionem; & additionem: ratio verò perſonæ in Diuinis per originem, nihil prorſus addendo Diuinæ eſſentiæ, D. ergo Aug. optimè in Deo negat vniuerſale, optimè pariformiter, dum hac ratione eſſentiam non eſſe vniuerſale aſſerit: quia non multiplicatur, neq; tamen docet rationem multiplicandi ſufficere ad rationem vniuerſalis: quare illa ab oppoſito conſequentia inſufficiens eſt.

S. Thomas. Sicuti quoquo modo diuerſo, argumentum proponit, ita tantiſper diuerſa, vera tamen ſolutione, ſoluit: negat ipſe quoque conſequentiam, tum ex ratione perſonæ vbicumque inueniatur: nam neque in humanis, communitas perſonæ, eſt generis communitas, tum ex vnitate naturæ perſonarum, quæ tollit rationem vniuerſalis, cuius eſt multiplicari in indiuiduis. Quod tamen idem ſupponit, & indicat S. Bonauentura.

Alexander, eadem omnino reſponſione, qua & S. Bonauentura reſpondet. Riccardus negat ipſe quoque conſequentiam ſed vera ratione ſupra expenſa hoc eodem commentario dum quæreretur de vniuocatione, vel analogia æquali Diuinarum perſonarum.

Secundum Argumentum. Nihil eſt commune, quod ex ſua ratione opponitur communitati, & communicabilitati: ſed perſona eſt incommunicabilis, ergo non eſt multis, ac tribus communis. Eſt argumentum etiam S. Thomæ, & Riccardi.

Reſp. S. Doctor, & conceſſa maiori, negat minorem; & ad probationem, negat conſequentiam hanc; eſt incommunicabilis: ergo ſimpliciter non communis; nam non qua ratione incommunicabilis, ſed alia ratione, eſt incommunicabilis re, ſed ratione, & per intellectus aliquam abſtractionem concipitur communis, & non vt hæc, vel illa, vt velit dicere cum perſonæ rationem aſſero communem, non ita aſſero quaſi ea ſit perſona natura vt alteri poſſit communicari: hoc enim ei repugnat: ſed ita vt ratio, ac definitio perſonæ ſingulis tribus perſonis conueniat: vnaquæque enim relatiuè, & incommunicabiliter ſubſiſtit &c. quia hæc eſt perſonæ Diuinæ ratio, & communitas per intellectum ſumpta habens tamen fundamentum in re. Ita prorſus & S. Thomas. Quo quippe vnaqueque perſona eſt incommunicabilis, eo ſimul conueniunt. Riccardus idem, & ipſe licet diuerſis verbis. Incommunicabilitas ſecundum quod accipitur in rationo perſonæ non negat niſi quod communitatis eiuſdem rei, & numero, & communitatem plenè vniuocè; hoc eſt quòd S. Bonauentura non communicatur realiter eadem realitas numero: non negatur tamen alia ratione communitas conſimilitudinis incommunicabilitatis, communis ergo, & facilis ſolutio.

Tertium argumentum. Omne quòd dicitur ſecundum ſubſtantiam, & eſt commune, dicitur ſecundum ſubſtantiam communem: ſed nihil ſimile in Deo plurificatur: ergo, aut perſona, non plurificatur contra fidem, aut ſi plurificatur id ſecundum ſubſtantiam communem, & naturam Diuinam ſit, quod itidem contra catholicam fidem de vnitate Diuinæ ſubſtantiæ in tribus.

Reſp. Ad maiorem implicantem certam falla ciam variæ ſuppoſitionis huius termini, commune, & tanquam falſam negat, & nullam prorſus eſſe conſequentiam aſſerit hanc, eſt ſecundum ſubſtantiam, & commune: ergo ſecundum ſubſtantiam cõmunem; quæmadmodum, & hæc, eſt Monachus, & albus: ergo Monachus albus: ratio eſt quia commune in antecedenti ſumitur vna ratione; in conſequenti verò, alia: & ad rem perſona, & dicitur ſecundum ſubſtantiam, & eſt communis: ergo dicitur ſecundum ſubſtantiam communem: erronea inquam conſequentia: nam primò ſumitur commune relatiuè, ſecundò verò loco, & in conſequentia, abſolutè, & eſſentialiter. Quare ſit tranſitus à relatiuo ad abſolutum: perſona autem multiplicatur, ſecundum relationem, & communis tribus quia vnaquæque ſic multiplicatur. Contigit ſupra multis locis de hac fallacia mentionem feciſſe: ergo, & perſonam multiplicari, neque tamen ſubſtantiam communem, concedimus, & negamus communitatem Diuinæ perſonæ vt perſona eſt eſſe communitatem naturæ, ſed relationis ſecundum rationem, & ſimilitudinem vt iam pluries.

Quartum argumentum. Iam ſolutum eſt: petit namque quòd datum, & reſponſum eſt ſcilicet quot modis perſona tribus ſit communis, & nomine, ratione, & re, aſſeritur communis, non tamen re, & realitate naturæ, ſed relationis. Quæ omnia tanquam corollaria conſpicuè conſequuntur, & colliguntur, vt nullus dubitandi locus relinquatur.

QVAE-

QVAESTIO SEXTA
DE DIVINIS PERSONIS SINGILLATIM.

HVCVSQVE Iſagogiam quandam contexuimus, ac veluti quædam præludia ſtatuimus, quibus tandem quo fas eſt viatori ad Diuinas immediatè perſonas intuendas theologicè quaſi manu deduceremur. huc etenim quæ de cognitione ſanctiſſimæ Triadis, de miſſionibus, & emanationibus, de relationibus, ac perſonarum diſtinctionibus, ac numero diximus, ſpectabant: vt ijs vniuerſalioribus inſtructi ad has ſingulares perſonas Diuinas quaſi ijs conſtitutas, vtilius, tutius, ac clarius accederemus. De Patre: ergo, vt ordine prima Perſona, deinde de reliquis duabus perſonis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, explicare, & diſceptare, quæ ſunt propria aggrediamur.

Quæſtio Prima.

Et primo an Pater ſit ingenitus. D. Bonauentura diſt. 28. art. 1. q. 5. D. Th. q. 34. art. 4.

PARAPHRASIS.

PRIMA *Propoſitio. Eorum ſententiam qui ingenitum in perſona Patris, tum ſolam relationis negationem dicere, tum id vt conſtituatur notio ſufficere aſſeruerunt, nos falſam eſſe aſſeueramus. Probatur primo de primo. Nam pura negatio, nec diſtinguitur; nam eſſentia dicitur ingenita, quæ tamen non diſtinguitur; nec diſtinguit. Non enim eſt relatio, ſed eius priuatio; nec dignitatem dicit, quia priuatio eſt: ergo nec erit notio; notionis namque proprium eſt hæc in Diuinis præſtare.*

Secunda Propoſitio. Eorum quoque opinioni non adhærendum dicimus, qui hac ratione ingenitum, relationem poſitiuam dicere, & perſuadere profeſſi ſunt: quod priuando vnam ponat aliam oppoſitam relationem. Dum enim ingenitum ad genitorem referri non poteſt: ad oppoſitum, ſcilicet ad non genitorem referretur: exemplo inæqualis, quod exploſa ad æquale relatione ad inæquale ponitur. Non adhærendum inquam: nam ſi non genitus, vel ingenitus referatur neceſſario: aut ad principium, aut ad principiatum: ſed non ad principium: quia tunc Patrem habere principium ſequeretur, quod tamen repugnantiam inuoluit, & non generare eſſe principium: non ad principiatum: nam tunc non eſſet ingenitus, ſed genitus, & principiatus, & conſequenter ad principium ſicut & genitus referretur.

Ergo tertia Propoſitio vera erit. Ingenitus, vt eſt proprietas Patris ſanctiſſimæ Trinitatis prima perſona, priuationem quidem relationis ex ſe, ſed ex conſequenti poſitiuam relationem dicit. Declaratur primo ſuppoſito ex D. Aug. 5. de Trinit. cap. 6. 7. & 9. idem eſſe ingenitum, & non genitum eſſe. Quemadmodum non album poteſt trifariam vſurpari. primò, vt ſit negatio extra genus, vt non album neget, & colorem, & qualitatem, & illud non ſit album cum non eſt, nec coloratum, nec quale. ſecundò in genere; tunc enim negat in genere colorem album ponit tamen oppoſitum, ſcilicet nigrum. tertiò partim in genere, partim extra genus; in genere autem remoto, & extra genus proximum ſic non album negat in genere proximo album, & colorem ponit tamen qualitatem genus remotum. Ita propemodum ingenitus, & non genitus extra genus dicit ſolam priuationem, nec conſequenter ſubſtantiam, aut relationem: negat enim omnem generationem, & relationem, & conuenit etiam eſſentia Diuina; ingenitus in genere: negat quidem generationem, ordinationem ad principium, per aliam relationem quam ſupponis. Et ſic conuenit etiam Spiritui ſancto in quo tamen nec nobilitatem dicit, nec notio eſt. Ingenitus vero partim extra genus partim in genere conuenit ſoli Patri, & eſt notio, & ex conſequenti relatio poſitiua nobilis; negat enim extra genus, quia tum generari, tum accipi per generationem, tum conſequi ad generationem negat: Pater enim nec generatur, ſicut Filius: nec accipit eſſe per generationem, ſicut eſſentia, quæ accipitur in Filio per generationem, nec conſequitur ad generationem ſicuti Spiritus ſanctus, qui producitur etiam à Filio genito. Negat in genere, quia licet non generetur Pater habet tamen ordinationem ſicut principium ad principiatum. Ergo in Patre ingenitus dicit relationem priuatiuè, quia à nullo eſt, & conſequenter poſitiuè, quia prima perſona. Probatur primo ex iam iam enarratis, ingenitus, vt competit Patri negat, & genitum eſſe ab alio, & per generationem accepiſſe eſſe, & poſt generationem vllo modo produci: ſed hoc ita eſſe, ſic negat ab vllo pendere, vt conſequenter ſit primus à quo omnis alia perſona, ecce à fonte totius Diuinitatis: ergo ingenitus, & priuat vna ratione, & ponit

Digitized by Google

nit alia, relationem: ergo eſt notio propria Patris. Hinc ſecundò, & ſit confirmatio. Omne quo differt perſona à perſona eſt relatio, & notio: ſed per ingenitum ſic aſſumptum, Pater differt à Filio, & Spiritu ſancto: ergo. Maior certa eſt ex his, quæ ſupra de relationibus, & notionibus in genere. Minor quoque ex nuperrimè data ingeniti explicatione. Denique genitus dicit relationem: ergo, & ingenitus. Antecedens eſt S. Auguſt. in Veſtibulo quæſt. locis ibi indicatis: conſequentia probatur: nam negatio addita termino non variat modum ſignificandi: ergo ſi genito competit relatio; non ab eo auferatur, licet addatur negatio, & dicatur ingenitus.

Quarta Propoſitio. Ingenitum eſſe, & innaſcibilem hoc modo explicatum, ſicuti eſt ſolius Patris notio, & proprietas; ita dicit nobilitatem, & dignitatem maximam: Probari iiſdem rationibus poteſt: complectitur enim & ſignificat à ſe eſſe, & primum eſſe, & fœcundum, à quo omnis perſonarum origo, & habet rationem completi eſſe à ſe.

Quinta Propoſitio. In Diuinis perſonis non eſt prius, & poſterius; probatur: nam ſunt ſimul natura, vt relatiua, & correlatiua. Quare licet à Patre originetur Filius: non tamen Pater eſt prior Filio. Quod ſi aliquando aſſeratur, eſt ad noſtrum intelligendi modum explicandum, & Filium non eſſe Patris, ſed Patrem Filij originem teſtandam.

COMMENTARIVM.

INDAGAT, & quærit ad modum ſedulo ac ſolerter propoſitæ dubitationis ſolutionem S. Doctor, & meo iudicio ſolertius quam multi alij, qui vnico articulo, aut quæſtione colligunt, & ſoluunt omnia, quæ ad hanc rem ſpectare exiſtimant ſicuti S. Th. art. 4. ipſe enim quatuor ſatis diffuſis quæſtionibus, & ſingulis diſtinctas premens, ac verſans difficultates. Atque ſicut in quarta, an ſit notio Patris, ingenitum, & innaſcibile. In tertia qualis notio ſit, ſcilicet an perſonalis. In ſecunda quomodo ſe habeat ad paternitatem. Ita in prima, quid ſit, hoc eſt an ſubſtantia, vel relatio; præter ea, quæ carptim diuerſis locis tangit, & optima methodo; vt primo quid ſit in genere. ſecundo demonſtrato eſſe relationem: quæ nam ſit ideſt paternitas necne. tertio qualis ſcilicet an conſtitutiua perſonæ. quarto cuius perſonæ, an Patris.

In proponenda autem hac quæſtione ſectatus eſt præcipuè Alexandrum, qui & ipſe ſub hoc formali titulo eandem inſtituit diſputationem. Riccardus poſt eum, eandem quidem: ſub alijs tamen verbis reſtrictioribus: an ſit relatio realis, quod poſtea expendit, & Scotus.

Id quod autem, ad hanc quæſtionem impulit S. Doctorem, ni fallor, fuit; ab omnibus Theologis vbique hoc attributum negatiuum ingenitum, tribuitur & Diuinæ eſſentiæ: nam & ipſa vbique aſſeritur ingenita, & improducta: & cogit fides; quod idem cum dicatur & de Patre: profectò neceſſariò diſcentiendum ei viſum eſt. quid ergo eſſet, an ſcilicet ſubſtantia, vel relatio.

In rebus creatis, vt obſeruat Alex. hic memb. 1. in corpore quæſt. 69. ex D. Aug. 5. de Trinit. c. 3. & 5. qui arguens contra Arrium eiusq. cauillum ſoluens, an immediata propoſita diuiſio, ingenitum eſt ſubſtantia, vel accidens: & in Deo, negat: nam inuenitur medium; poteſt enim non eſſe ſubſtantia, hoc eſt abſolutè dicta: ſed neque accidens; cum repugnet id concedere in Deo: ſed medium, ſcilicet relatio. In creatis autem ſufficit: quia, & relatio eſt accidens. ergo S. Doctor ex titulo ſic explicato hæc præcipuè præſtat; primò enim recenſet duas antiquas, & iam antiquatas opiniones, recenſitasq. peracutè, & admodum ſcitè refellit, ſecundò. Saniorem, & veriorem proponit, clariſſimè explicat, & grauiter ac validis argumentis confirmat. tertiò ſimul hanc ingeniti relationem ſuo modo explicatam eſſe propriam Patris, & dicere nobilem dignitatem. quartò indicat, quomodo in Diuinis perſonis admittatur, vel non admittatur prius, & poſterius. Denique ſoluit oppoſita argumenta. Nos recolitis, ac relictis illis in atrio quæſt. obſoletis opinionibus: tantiſper circa ſecundum immoremur. In quo, duo in primis perpendenda videntur primum, ſenſus huius termini, ingenitus: quem primò eſſe negatiuum, & priuatiuum, & quid neget, & quid ſupponat; conſequenter eſſe poſitiuum, & quid ponat. ſecundum modus quo indagat negationem hanc.

Et primò ſcrupulum creat ingenitum dicere priuationem in Patre: huiuſce enim priuatio imperfectionem aſſerere videtur: nam id affirmatur priuatum, quod deberet ineſſe, neque tamen ineſt; quo videtur ſequi: ergo aliquid deeſt Diuinæ perſonæ. ſecundò, ſi aliquid poteſt Deo Diuinæq. perſonæ ineſſe, & non ineſt: ergo Diuina natura, & perſona apta nata eſt ſuſcipere aliquid: ergo Diuinum eſſe, non eſt inuariabile, & immutabile, & maximè neceſſarium, vt omnis fatetur, tum Metaphyſica, tum Theologia.

Huic dubitationi mirè ſatis S. Tho. art. 4. ad ſecundum facit, & in 1. Sent. diſt. 28. quæſt. 1. *Hic* enim in ſumma, inquit, poteſt ingenitum ſumi ſimpliciter negatiuè, hoc eſt non genitum, quod de Spiritu ſancto certum eſt, non enim nec genitus, nec factus, ſed procedens: ergo ingenitus. poteſt quoque vllo abſque erroris periculo, & cautè vſurpari priuatiuè, ſine vlla imperfectionis ſuſpitione: ſed trifariam accipi priuationem animaduertendum in primis. primò, quando aliquid non habet, quod tamen ab aliquo alio natum eſt haberi: quo ſenſu dicitur lapis priuatus vita, quatenus ab aliqua natura vita haberi poteſt. ſecũdò id pariter nuncupabitur priuatum, quod non habet, quod tamen poteſt non à ſe quidem, ſed ab aliquo ſui generis haberi, exemplo talpæ, quæ ideò rectè dicitur cæca, & viſione priuata, quia aliud eiuſdem generis animal, aptum ſuſcipere videndi facultatem. tertiò denique preſſius dicetur id priuatum,

quod

quod ipſum indiuiduum caret ea perfectione, quàm poſſet habere. modo, ingenitum de Patre aſſeritur priuatiuè non tertiò modo: tunc enim imperfectionem inuolueret: ſed ſecundò modo; non dicit priuationem, & carentiam alicuius poſitiui, quod deberet ineſſe Patri, vt Pater eſt, ſed quod poſſet illi conuenire quatenus aliqua perſòna Diuina eſt: idque conſtat: nam genitum eſſe, quod priuat ingenitum, inuenitur in alia eiuſdem Sanctiſſime Trinitatis perſona, in Filio ſcilicet: eſt enim non factus, nec creatus, ſed genitus. quàm quidem priuationem in 1. ſent. recenſito loco idem S. Thom. non negationem abſolutam nominat, ſed aliquo modo priuationem: omnis enim negatio, quæ eſt in aliquo ſubiecto determinato, poteſt dici priuatio; vnde philoſophus 8. Meth. tex. 27. Priuatio eſt negatio in ſubiecto vel ſubſtantia: priuatio quidem in ſubiecto in ſpecie, vel in genere; non autem in indiuiduo: igitur ingenitum in Patre eſt pura negatio, ratione tamen Filij eſt priuatio. Poſſet ſecundò facilius tolli propoſita dubitatio, ſi priuationem confundi cum negatione reſponderetur. Quibus tactis, & animaduerſis, omnis euaneſcit oppoſita dubitatio, & argumentatio, & quàm rectè, & appoſite, modo negationem, modo priuationem, ingenitum eſſe, & innaſcibilitatem Patris S. Doctor dixerit, negat enim abſolutè de Patre eſſe ab alio: quocumque modo, & vt ait, extra genus; neque enim per generationem ſicuti Filius; neque per proceſſionem, quemadmodum Spiritus Sanctus; neque per acceptionem eſſe ab alio, quomodo eſſentia accipitur per generationem à Filio, & per proceſsionem à Spiritu Sancto; ſed abſolutè ingenitus, innatus, & innaſcibilis; per hanc negationem egregiè noſcitur Pater, vt tradit S. Thom. in corpore artt. his verbis. Inuenitur principium de non principio; quod eſt Pater, & principium à principio, quod eſt Filius; & quibuſdam interpoſitis, de rebus creatis, addit. Pater innoteſcit Paternitate, & communi ſpiratione per reſpectum ad perſonas ab eo procedentes; in quantum eſt autem principium de non principio, innoteſcit per hoc. quod non eſt ab alio, quod pertinet ad proprietatem innaſcibilitatis, quàm ſignificat hoc nomen, ingenitus.

Hanc autem ſignificationem negatiuam, precipuam eſſe *ingeniti*, omnes cum S. Doctore reliqui Theologi tenent. S. Tho. hic art. 4. ad primum, & indicato loco in 1. ſent. Scotus quæſt. 2. eadem diſt. Capreolus, quæſt. 1. art. 1. Caiet. & Reliqui. Alexander memb. 1. diffuſe ex D. Aug. imo Conc. Tolet. 11. his verbis. *Si modum quo Pater cõſiſtit, queras, cum eum à nullo alio ortum habeat, ingenitum appellabes*. Porro quàm appoſitè, hac negatione vtatur Sanctus Doctor, colligitur & ex alij locis, præſertim ſupra, cum de vnitate quærebat veram ſignificationem, vbi referens & Ariſt. in deffinitione ſubſtantiæ, & Boetium de duabus naturis in Chriſto, & D. Damaſcenum primo de fide cap. 4. docuit à negatione tanquam à notiori indagandum poſitiuum; idque apprime deſeruire rationi noſtræ intelligendi: ergo ex negatiua ſignificatione ingeniti arguit hoc poſitiuum in Patre, eſſe primum principium, & habere omnem fœcunditatem, ac omnium reliquarum perſonarum conſtitui originem; propterea ex D. Aug. lib. 4. de Trinit. cap. 20. nuncupari Patrem principium totius Diuinitatis; Ex D. Dyoniſio 2. de Diuinis nominibus, fontanam Diuinitatis: non quidem quaſi generet, aut ſpiret deitatem, ſed duas reliquas perſonas, quibus, omnibus modis, bina ſcilicet communicatione, & naturæ, & voluntatis, Deitas communicatur.

At verò vt luculentiorem rei quàm quærimus cognitionem conſequamur, de priuatiua ſignificatione, adhuc obſeruandum. Dixerat S. Doctor ingenitum eſſe, quæ ſit notio Patris, ita eſſe priuatiuum, vt tamen inferat imò ſupponat aliquod poſitiuum, & ideo non eſſe negationem ſimpliciter, & extra genus, ſed aliquo modo in genere, & ſupponere aliquid; iam verò hoc aſſertum omnino verum, ac neceſſarium eſt non tamen quia ingenitum, in Patre negat actum, & capacitatem originis ab alia perſona; ſed quia intrinſece ſupponit ſubiectum, cui tum hic actus, tum hæc capacitas conuenit: quod quidem verum eſt etiam in genere: omnis enim negatio ſupponit, & affirmationem, & perfectionem cui repugnat illa quæ de illo negatur imperfectio. Ea propter quando Sanctus Doctor ex conſequenti aſſeruit inferri poſitiuum, & primitatem: res oppoſito ſe ſe modo habet; eſt enim ordine naturę primò id quod eſt ſcilicet primum ſimpliciter; inde enim infertur à nullo eſſe; vnde licet colligere. Pater eſt prima perſona: ergo à nulla alia: ergo ingenita: ſed modum cognoſcendi ſectatus eſt S. Doctor noſter: intelligendi enim à negatiuis veluti à certioribus, & notioribus initium in cognoſcendo auſpicatur.

Sed tamen adhuc expendendum eſt, & enucleatius diſquirendum, quid præcisè ſit fundamentum, & poſitiuum hoc, quod ſupponit ingenitum. Quod S. Doctor in corpore art. explicat, dum ordinem ingeniti ad principium contemplatur: dicit enim hoc, primum ſimpliciter dicere principium actiuum reliquarum perſonarum, nobilitatem, & maximam dignitatem præſeferens. Confirmari poteſt ex Patribus, qui ingenitum, eſſe modum exiſtendi primæ perſonæ, aſſeruerunt. D. Baſilius 4. contra Eunomium c. 2. D. Nazzianzenus orat. 23. D. Damaſc. lib. 1. de fide cap. 9. D. Cyrillus lib. 1. theſauri cap. 4. Non enim poteſt eſſe niſi poſitiuus & conſequenter ad dignitatem ſpectans, non ſolum quia ſic conſtituit perſonam, ſed primam.

Attamen alibi S. Doctor aliquid aliud ſi non contrarium ſaltem diuerſum viſus eſt tradidiſſe: per innaſcibilitatem enim, & ingenitum eſſe, quaſi initiatiue conſtitui, vel potius ſupponi perſonam primam docuit, ex illo loco D. Auguſtini quem adducit Alexander memb. 5. etiam ſi Pater non genuiſſet Filium, adhuc innaſcibilis eſſet: quo deinde generare primam Perſonam Filium, non quia Pater ſit ſed quia innaſcibilis, ita vt non generet quia Pater, ſed quia generat, Pater ſit: quæ omnia quam vera ſint, & quam inania, quę opponuntur, ſuis certis locis vbetius, & explicatius conſtabit: hic verò abſolute, perſonam primam aſſeris con-

Digitized by Google

conſtitui per affirmatiuum ingeniti, ab ingenitoq; ſuppoſitum, ſed ſibi conſtare S. Doctor, ac conſequenter loqui, ſic liquido colligitur: hic enim adæquate quod poſitiuum eſt, concipit, & prodit: alijs verò locis per quandam rationis noſtræ diſtinctionem, & inadæquate rem ſumit, propoſita ibi occaſione, hanc ſubtiliorem indagationem poſtulante, ad quam luculentior huius rei dilucidatio remittatur. Reliquum igitur eſt dumtaxat, vt circa modum, quo veritatem hanc ingeniti verſat, ac enucleat, vt notio eſt Patris, parumper perpẽdamus. Res ergo explicata eſt ſolum Patrem eſſe ingenitum; quia ſolus, nec genitus nec procedens, nec per generationem accipiens eſſe; & eſt adeo omnium Theologorum certa, & communis ſententia, vt ferè inueniatur in D. Athanaſij Simbolo; *Pater à nullo eſt factus, nec creatus, nec genitus*; illa enim vox, nec genitus, ſic accipienda eſt, vt etiam proceſſionem excludat: quippeque, paucis interpoſitis, Spiritui Sancto ſicuti propria emanato tribuitur; *Spiritus Sanctus non factus, nec creatus, nec genitus ſed procedens*: alias non Patris propria notio foret, ſicuti tamen omnis Theologorum, & Patrum ſententia certa eſt, S. Hilarij 4. & 9. de Trinit. S. Baſilij 2. contra Eunomium, S. Greg. Nazianz. orat. 23. S. Aug. 5. de Trinit. cap. 6. & 7. & 15. cap. 6. S. Fulgentij ad ſeptimam obiectionem Arrianorum; vbi ſtrenuè, & clariſsime hoc ſecundum fidem negari non poſſe prodit. At non eſſet Patris propria notio, niſi hoc modo explicata: ergo videtur catthólica expoſitio; & ideo etiam concilij Toletani 6. & 11. Vormacenſis in confeſſione fidei, S. Th. quæſt. 1. art. 2. diſt. 28. in 1. ait innaſcibilitatem, & ingenitum eſſe, quandam neceſſariam conditionẽ ad generationem dicere. Verba verò quæ S. Doctor hic ad indagandam, & explicandam expoſitionem hanc adhibet, ſunt, in genere, & extra genus: & quidem admodum ad artem, & eruditè; Indicat enim & ſupponit primo ens in communi ſumptum vt abſtrahit ab omni genere, & limitatione. deinde ipſum in decem genera, & prædicamenta diſtinctum, mox in ordinem generum, & ſpecierum in ſingulis prædicamentis diſtributum; niſi enim his ſuppoſitis; nec negare, nec affirmare, in genere propinquo, & remoto, & extra genus vllo modo intelligi poſſet; neque quis ſine his ſic diſpoſitis, negationibus aut affirmationibus vti poſſet; prædicamenta enim ſunt veluti promptuaria quædam vnde propoſitiones affirmatiuas, & negatiuas componendas quaſcumque ſuſcipimus. quem poſtea Scotus, & alij in his terminis imitati ſunt; negatio in genere, priuatio alicuius prædicati &c. Alij, aptum natum, competere ſecundum aliquod genus, vel remotum, vel propinquum; negatio extra genus, eſt quæ negat non ſolum aliquod prædicatum determinati generis, ſed abſolutè tollit omne genus ſecundum quodcumque prædicatum, & eſt extremum contradictionis, & opponitur affirmationi ſimpliciter, quaſi eſt, & non eſt.

Animaduertendum denique eſt, has priuationes in genere rectè nuncupari; nequaquam abſolutè; nam abſolutè priuatio, imperfectionem dicit: nam tollit eam perfectionem, quæ ſimpliciter ſubiecto competere poteſt. In genere vero non ita: nam ſpeciem, aut indiuiduum carere eo quod ſibi ſpectat ſecundum genus, non dicit imperfectionem, vt hominem rugitu, vel latratu, quæ conuenire ei poſſent ſecundum rationem, & genus animalis: in homine imò perfectionem dicit: ideo enim non eſt leo nec canis, nec poteſt eſſe, quia ſpecificæ differentiæ repugnat.

Poſtremo obſeruandum, cum auditur genus, aut negatio ſecundum genus dum de Deo fiat mentio: hinc idonee non colligitur; genus aut ſpeciem ad Deum pertinere in ipſiſque locari: hoc enim vbiq; negant Theologi: ratio eſt, quia genus & ſpecies hoc loco vt rectè indicauit Scotus diſt. 28. non propriè ſed latè pro communitate quadam ſumitur.

Accedamus ad poſtremum, ſcilicet ad argumentorum ſolutiones Sancti doctoris.

Primum, omnis relatio in Deo, aliquid ponit: ſed ingenitum nihil ponit: ergo non eſt relatio, maior patet ex relationum Diuinarum numero, & conditione: minor quoque probatur: nam ingenitus, non ſumitur niſi priuatiuè: ſed ſi ſic: ergo aliquid quod ponit, erit aptitudo aliqua: ergo Pater, ſi non genitus, aptus tamen erit generari, ergo cum hoc ſit abſurdum, nec priuatiuè, nec poſitiuè erit relatio.

Reſpondet S. Doctor, & negat minorem: nam ingenitus negatiuè ſumitur, & negat eum eſſe ab alio; ſupponit eſſe à ſe, & primum eſſe; ratio eſt, quia non eſt negatio ſimpliciter, ſed in genere, vt ſupra in corpore quæſt. Ad confirmationem patet reſponſio ex D. Th. non enim dicit vt priuatiuum, aptitudinem in indiuiduo Patris, ſed in alia perſona, ſcilicet in Filio; ita tamen vt aptitudinem coniunctam cum actu notet; Filius enim ita aptus eſt generari, vt in æternum actu generetur.

Secundum omnis relatio diſtinguit in Diuinis in concreto; ſed ingenitus non diſtinguit: ergo non eſt relatio. Probatur maior enumeratione, Pater paternitate diſtinguitur à Filio; Filius filiatione à Patre Spiritus Sanctus ſpiratione paſſiua à Patre, & Filio &c. Secundò; nam ideo de eſſentia non dicuntur relationes; quia indiſtinguibilis, & immultiplicabilis eſt ex ſimplicitate, & infinitate. probatur minor; nam ingenitus dicitur de eſſentia; eſt enim ingenita; quia non eſt genita,

Reſpondetur, neganda eſt minor; & ad rationem facillima reſponſio, ex nuperrime tradita explicatione: non enim vt eſt notio Patris dicitur de eſſentia; nam de ea, vt opponitur generationi præciſe, quia non generatur aſſeritur: vt verò de Patre, vt negat quamcumque originem, & modum ab alio.

S. Th. eidem arg. 1. reſpondet ingenitum formaliter ſumptum nihil ponere, ſed ex vi ſua negationem dumtaxat originis ab alio: nec eſſe diſtinctam notionem à Paternitate, niſi vt negat. qua reſponſione nihil contradicit S. Bonauenturæ: licet enim ipſe aſſerat ingenitum, fontalitatem, & primitatem ponere &c. id tamen ex ſua formali ratione, & negatione non aſſerit ſed ex eo quod ſuppo-

nit,

Digitized by Google

nit, & ex conſequenti, vt eius verbis vtar, quod neque negat, neque negare poteſt etiam S. Th. vt conſtat. Imò hoc clariſsimè in primo diſt. 28, vt ſupra ad ſecundum, ponit ingenitum ponere in Deo, ſed non ex intellectu ingeniti, quod alij ex ſua formali ſignificatione, imò ipſemet hoc loco, & ipſe S. Doctor quæſt. 2. ideo probat innaſcibilitatem differre à Paternitate &c.

Tertium. Ingenitus non eſt relatus: ergo in Deo non dicit relationem: ergo aut tantum ſubſtantiam, aut abſolutè non dicitur. Secunda conſequentia videtur nota ex retro obſeruata diſtinctione: nam in Deo omne quod dicitur, aut ſecundum ſubſtantiam, aut ſecundum relationem &c. Prima verò probatur. Omnis negatio opponitur affirmationi: ergo & ingenitus opponitur genito: ſed genitus eſt minus quàm relatus: ſunt enim & aliæ relationes præter generationem: ergo ingenitus oppoſitus, erit in plus, quàm non relatus, ratione oppoſitionis. Ille in minus: ergo hic in plus.

Facillimè, & veriſsimè ſoluit vnica recenſita diſtinctione negationis, in corpore quæſt. explicata: biſariam ſcilicet vſurpari, & binam eſſe negationem, in genere alteram, alteram extra genus: de ſecunda autem currere argumentum, nequaquam de prima, & hic nos de negatione in genere agi iam demonſtrauimus: quare ad formam argumenti negatur antecedens: ad rationem probationis conceſſa maiori, & minori negatur conſequentia: non enim ſequitur: genitus eſt minus quàm relatus: ergo ingenitus eſt plus quàm non relatus; quia ſicut non eſt abſoluta negatio, ſed in genere; ita non eſt abſoluta oppoſitio, ſed in genere. Quocirca ingenitus non eſt pluſquam relatus.

Quartum. Ingenitus, ſi ad relationem ſpectabit, erit aut reſpectu principij, aut reſpectu principiati: ſed neutro modo: ergo. Probatur maior: nam ſic eſt omnis relatio in Diuinis. Probatur minor: non enim reſpectu principij, quia tunc Pater haberet principium, quod repugnat primæ perſonæ; non reſpectu principiati, patet ex oppoſitione, quam habet ingenitus ad genitum: genitus dicitur reſpectu principij, à quo habet eſſe: ergo & ingenitus debet dici reſpectu principij, à quo non habet eſſe; alias falſum eſſet illud axioma; *Negatio eſt eiuſdem rei cuius, eſt affirmatio.*

Reſpondetur, & negatur minor: dicitur enim ingenitus ratione principij priuatiui ex D. Auguſtino, aſſerente ingenitum ad non genitorem dici, idque formaliter: ratione verò poſitiui, & quaſi materialiter, & ratione principiati dicitur: nam conſtituitur, & explicatur prima perſona, à qua cæteræ perſonæ &c.

ARTICVLVS II.

An innaſcibilitas ſit eadem relatio cum Paternitate. Sanctus Bonauentura q. 2. Sanctus Thomas art. 4.

PARAPHRASIS.

PRIMA *Propoſitio. Innaſcibilitas, ſiue formaliter, & quo ad principale ſignificatum, ſiue quaſi materialiter, & quo ad conſequens ſumatur; ſemper vtroque modo diſtincta notio à Paternitate, & diuerſa inuenietur. Vtraque pars diſtinctè probatur. Prima primò ex D. Aug. lib. 5. de Trinit. cap. 6. Aliud eſt eſſe Patrem dicere, aliud innaſcibilem.*

Secundò. Non repugnat eſſe ingenitum, & non eſſe Patrem, vt patet in Adam, qui ingenitus erat, & in aliquo tempore non fuit Pater: neque etiam repugnat eundem eſſe Patrem, & genitum: ergo relatio innaſcibilitatis non eſt de ratione Paternitatis: ergo diuerſa vtriuſque ratio.

Tertiò. Diuerſificatur relatio diuerſis poſitis terminis: ſed alius eſt terminus innaſcibilitatis, id eſt non genitor, alius paternitatis, ſcilicet genitus: ergo.

Quartò. Plus differt generatio, & ingeneratio, quàm generatio, & proceſsio: ſed hæ differunt ex communi, & certo omnium Theologorum conſenſu: ergo multo magis illa. Maior patet: nam inter primas eſt oppoſitio; inter ſecundas verò dumtaxat diſpar ratio.

Quintò. Quia innaſcibilitas per priuationem, paternitas per poſitionem ſumuntur, quæ ſunt diuerſæ rationes: ergo.

Probatur ſecunda pars. Innaſcibile ponit vniuerſam fontalem fœcunditatem ad omnes reliquas perſonas producendas: paternitas verò vnam dumtaxat, nimirum producendæ perſonæ Filij: ergo. Antecedens patet: nam ingenitus Pater eſt, quia nulla ratione ab alio eſt: ergo omnis alia perſona ab eo eſt.

Secunda Propoſitio ex reſponſione ad argumenta, corollaria. In Diuinis duplex relationis ratio inuenitur: altera, quæ ponit, & ad perſonam dicit reſpectum: altera, quæ priuat, & non reſpicit perſonam: illa perſonalis eſt; iſta perſona, ſcilicet illa perſonam conſtituit; hæc veluti ſupponit, & indicat.

Tertia Propoſitio ex reſponſione ad vltimum. Primum in Diuinis, biſariam ſumitur. Primò negatiuè per negationem prioris, quia non ab alio. Secundò poſitiuè, à quo alij, quo ſenſu primum, & principium idem ſunt.

COMMENTARIVM.

RECTE admodum, & congruè ad plenam de eo quod quæritur, capeſſendam cognitionem, S. Doctor oſtēſa ſuperiori quæſt. ſeu circumſcripta innaſcibilitatis, & ingeniti quidditate, ac proprietate; quia doctrinæ plenioris ratio poſtulabat, vt ad reliquas Patris notiones, quomodo ſe haberet, ac ab ipſis diſtingueretur demonſtraret, ac diſtinctam eſſe notionem patefaceret; ad eas tranſit, & hac quæſt. multis rationibus optimè confirmat, & duo tantum agit. Primò enim concluſionem hanc affirmantem, innaſcibilitatem ſcilicet eſſe diſtinctam à Paternitate, tùm auctoritatibus, tum rationibus ſatis efficacibus ſuſtinet, ac tuetur. Secundò obiectis argumentis ſatis eruditè facit.

Quoad primum, quadrifaria diſtinctione innaſcibilitatem à Paternitate diſtinguit. Prima per negationem: nam negat Patrem ad aliud principium referri, aut ab alio eſſe. Secunda verè ac poſitiuè ad Filium habitudinem habere probat, & deſumit ex terminis diuerſis: nam innaſcibilitas ad non genitorem; paternitas verò ad genitum ſe habet. Tertiam ex ordinatione ad inuicem ſecundum ordinem intelligendi vtriuſque colligit: prius enim concipitur primam perſonam non eſſe ab alio, quàm eſſe ad alium; aut quaſi ex rei natura prior videtur in Patre primitas, à qua aliæ perſonæ: ex hoc enim non eſſe ab alio competit ei, & inſurgit. Quartam denique, ſi poſitiuè vſurpetur innaſcibilitas, vt primitatem indicat, adhuc deducit, & aſſumit ex terminis: nam innaſcibilitas ad duos terminos, Filium ſcilicet, & Spiritum Sãctum; Paternitas autem ad vnicum Filium refertur.

Quo vero ſpectat ad rationes animaduertendum. Primam à Sancto Doctore conſtructam rationem inhærere, vimque haurire ex egregio loco S. Aug. etiam ſi Pater per impoſſibile non genuiſſet Filium, nihilominus eſſet ingenitus. Secundo omnes fere rationes in hanc coire, ac in ea contineri: Innaſcibilitas, ſiue negatiuè, vt primò ſumitur, accipiatur; ſiue affirmatiuè, ſemper clariſsimè eluceſcit, ac diſtinguitur à Paternitate. Probatur. Vbicumque diuerſitas rationis quaſi formalis, ac terminorum, & ordo inuenitur, ibi pluralitatem ac diſtinctionem inueniri neceſſe eſt: ſed hęc inter Paternitatem, & Innaſcibilitatem liquido inueniũtur: ergo ad inuicem differunt. Maior ac cõſequentia patet. Minor verò probatur. Nam innaſcibilitas eſt negatio, Paternitas affirmatio. Illa quadam ratione prior, hæc poſterior. Illius terminus non genitor: huius, genitus. Illius affirmatiuè ſumptæ Filius, & Spiritus Sanctus: huius, Filius tantumodo: ergo.

Qualis verò, ac quanta ſit hæc diſtinctio, potius ſupponit, quàm hic doceat S. Doctor: non autem realem eſſe non ideo eruditè ediſſerit; quia ſuperius cum in genere de Diuinarum perſonarum ſimplicitate ſedulo ageret, id multis locis demonſtrauit, præſertim diſt. 33. q. 1. vt ſcilicet ſunt perſona, & imperſona, & in hac diſtinctione dubio primo litterali: Ingenitum, & Paternitatem eſſe aliam, & aliam rationem innoteſcendi primam perſonã.

Quod idem egregiè S. Th. art. 4. Patrem ſcilicet duobus modis innoteſcere. Primò ex perſonis, ad quas refertur. Secũdò ex negatione principij, à quo eſt. Alex. memb. 4. hanc vtramq; notionem idem eſſe perſona, ſed non notione: & addit. Sicut ſimplicitas eſſentiæ non tollit relationem; conſimili ratione, nec ſimplicitas perſonæ tollit variam relationem, & habitudinem. Riccardus mira perſpicuitate diuerſam eſſe rationem vtriuſq; notionis innoteſcendi, hac præcipua ratione; quia vna negat princium, altera affirmat: idq; ex iam commemorato D. Aug. loco: ſi verò vt ingenitũ, & innaſcibilitas infert primitatem, ait eſſe idem cum vtraq; productione, tum generationis actiuæ, tum ſpirationis (dixi cũ vtraq; nam ſi tantum Paternitatis, vt dicebat S. Doctor, quoquo modo differt: nam diminutè Paternitas adæquat primitatem) Plura hic addit, inferiori, & aptiori loco fortaſſe recenſenda: ita ergo ad inuicem differunt ſua ratione, vt non poſsint in abſtracto ad inuicem prædicari, licet bene in concreto, quia eadem eſt perſona, quæ ingenita, & prima, & Pater eſt. At verò ex parte innaſcibilitatis negantis principium, non poteſt eſſe differentia niſi rationis. Cum enim negatio nullam entitatem, aut rationẽ poſitiuam aſſerat, ſed potius neget, & dũtaxat quod poſitiuum eſt Patris cum illa negatione aſſumatur, non poteſt nec diſtingui, nec diſtinctionis vllius eſſe ratio, niſi rationis, & apprehẽſionis.

Hinc Albertus Magnus eadem diſt. hanc innaſcibilitatis notionem Paternitati non poſſe opponi aliquo oppoſitionis genere, vt conſtat, propter diuerſam rationẽ non oppoſitã, qua vtraque eidem perſonæ competit, ſed magis erunt aſtruendæ diſparatæ. Binarium enim ex Scoto in 1. diſt. 11. quæſt. 2. relationum genus in Deo. Alterum earum, quæ oppoſitæ nuncupantur, quarum fundamẽta ad inuicem habent mutuam habitudinem, vt Pater, & Filius, & eo ad inuicem referuntur mutuo, quo Paternitas, & Filiatio earum fundamenta ſunt ita mutuæ ad inuicem relationes. Alterum earum, quæ diſparatæ dicuntur, quæ hanc ad inuicem non habent mutuam relationem: quæ ſunt adhuc in duplici differentia. Quædam compoſſibiles, vt hic innaſcibilitas, & Paternitas: quædam incompoſsibiles in eadem perſona, vt generatio paſſiua, & ſpiratio paſsiua: Nõ enim eadem perſona poteſt eſſe Filius & Spiritus ſanctus, ex infinita perfectione ſingulæ, & vtriuſquæ emanationis. Neq; contradicit quod S. Bon. & S. Th. & cęteri dixerunt, Innaſcibilitatem dicere relationem: nam hæc relatio non eſt ad Paternitatem, nec relatiuè opponitur, ſed alium terminum habet, ſcilicet non genitorem, & eſt relatio negatiua.

Sed hic non diffitenda, nec diſsimulanda ſuboritur dubitatio. An alterutra ex his notionibus ſine alia poſsit cognoſci. Peperit hanc dubitationem tum locus D. Aug. etiam ſi Filium non genuiſſet Pater, nihil prohiberet dicere Patrem eſſe ingenitum; tum S. Doct. hinc efformata ratio, ſecunda in ordinatione quæſt. tum deniq; notionis huius ratio: cum enim ſit diſpar, non mutuã, videtur vna ſine alia poſſe intelligi, hanc ſicuti propoſuerit, ita optimè ex-

excuſſerũt.Alexander memb.4.quæſt.69.& S.Doct. dubio 1. litterali diſt.28. ille etenim in D.Aug.explanationem animaduertit, illo loco, illiſque verbis D.Aug. non tam eſſendi naturam,quàm intelligendi attendiſſe: concedit enim quod Pater, ſi non genuiſſet, non eſſet:ſed intellectu eum non genuiſſe,bene poſſe intelligi ingenitum, & innaſcibilem eſſe; nam innaſcibilitate cognita, Paternitas non cognoſcitur ſaltim diſtinctè. Rem eandem memb.5. præſsius vrgens,ſub quaſi alio titulo: an ſcilicet remota per intellectum Paternitate,poſſit intelligi Pater in proprietate innaſcibilitatis.

Soluit ratione primò habita ad naturam rerum Diuinarum. Vnde ſi poteſt generare Pater,generat, ſi non generat,non poteſt generare,quia hæc eſt illius perſonæ quidditas formalis, qua intrinſecè eſt,& non poteſt nõ eſſe:habita vero ratione ad intellectum fide illuminatum,adhuc non poteſt intelligi locus S.Aug.verus,nec veritati collineans:credit enim quod credendum,Patrem ſi poteſt generare,actu generare,ac ideo vt ſi non generararet non eſſet neq; conſequenter vt ingenitus: ſi verò intellectus noſter ex natura ſua ſumatur, vt ſcilicet ad rerum humanarũ modum,& Diuina meditatur,ac intelligit (quem ibi Alexander intellectum methaphoricum nuncupat, quo res Diuinas humanitus intelligit,quaſi translatè, & per methaphoras, ac ſimilitudines longe à creaturis petitas) tunc vltro concedit,& vera D.Aug.docuiſſe,& verè nos vnum ingenitum apprehendere poſſe,Paternitate non apprehenſa: ſicuti & Adam, etiam ſi nullũ Filium genuiſſet, adhuc tamen ingenitus fuiſſet.

S. autem Doct. indicato loco,& hic q.3.ad ſecundum, gemina præmiſſa diſt.in eundem ferè modum dubitationẽ admodum dilucidè tollit. Primò enim inquit, Innaſcibilitas, & Paternitas ſumi poſſunt abſtrahendo à quocumq; ſuppoſito,ſed vt in ſe. Secundò verò vt in perſona Diuina inexiſtentes. Deinde intellectum creatum, & humanum,vnum ſine altero intelligere,multifariã contingere poteſt:aut ſcilicet dumtaxat apprehendendo, aut reſoluendo: idq;adhuc, aut plenè, aut ſemiplenè. Primo modo non poteſt,neq;ſola apprehenſione intelligere rem vllam ſine eo,quod eſt ei intelligẽdi ratio,quemadmodum Deum ſine Deitate,quia eſt ei omnis ratio intelligendi;& hominem eadẽ ratione ſine humanitate:poterit tamen effectum ſine cauſa, inferius ſine ſuperiori apprehendere. Secundo modo poterit ſubiectum ſine propria paſſione percipere,veluti ſit quodammodo eſſentiæ ſubiecti extranea: aliquod ens primo ente non animaduerſo. Tertio vero modo,ac perfecto non effectum ſine cauſa,non ens indiuiduum, aut ſpecificũ ſine primo ente vlla ratione poterit intellectione conſequi.

His animaduerſis, ac preuiè intellectis,rẽ diſtinctiſsimè ſoluit. Si enim aſſumatur in abſtracto Paternitas, ſine innaſcibilitate poteſt cognoſci, quia & ſeparabiles ſũt,& in aliquibus ſuppoſitis ſeparatæ inueniũtur,& vna non eſt de ratione alterius;ſic pariformiter vt in perſona Diuina, cũ ſint diuerſæ notiones,& diſtinctę rationes Diuinã perſonã cognoſcẽdi,ac manifeſtãdi. Hoc ita tamen fiet,non intellectu plene reſoluente,& perfecto:qui enim Ingenitũ,tantum vt negationem dicit, contẽplatur,non perfectè cõſequenter quid ſit,niſi vt & Paternitatẽ ſimul infert: ſed ſemiplenè,& ſola quadã apprehenſione, & imperfectè vnã notionẽ ſine alia percipere poteſt. Egregiè vterq;& Magiſter,& Diſcipulus, & concinnè, & admodũ conſonè. Quod enim intellectu metaphorico ait Alex. intellectu humano more ratiocinante, apprehendente, ac imperfectè reſoluente,aſſerit S. Bonauentura. Quæ omnia ad vnicum verbum rediguntur: imperfecta cognitione vnã ſine alia poſſe cognitione attingi, perfecta nequaquam: & ita interpretandus D. Aug. & rationes in oppoſitum relatæ ſoluendæ. Perfectè enim comprehenſa Innaſcibilitas ponit & primitatem, & perfectiſsimè conſtituit primam perſonã. Quemadmodũ ſi incompletè oppoſito modo, & vt negat principium;incoat,vt ita dicam,perſonam,Paternitas verò perficit. Idem S.Bon.dubio 3.litterali his verbis. Referri ad aliquem poteſt aut fieri ſecundũ exiſtendi,aut ſecundum intelligendi modũ. Primo modo ita referetur relatio realis poſitiua, quæ duo extrema realia poſitiua habet. Secundo modo ita referetur relatio priuatiua,quę nõ intelligitur niſi per intellectum aſſumentẽ duo extrema negata. Quibus optimè deducitur:ergo tãtum differunt ratione,& intellectione,& iterum: ergo vna ſine alia verè percipi non poteſt. Sed hic non eſt diutius immorandum:ferè enim eadẽ alio loco meditata,& diſcuſſa ſunt,diſt.27. q.3.& in S.Th.q.40. art.3. Reliqua,quę quis fortaſſe cõtra S.Doctorem obijciet, in hac quæſt. in diſputatione reijcientur.

Ad argumenta igitur. Omnis relatio in Diuinis eſt à perſona ad perſonam:ſed Ingenitus,aut ad Filium,aut ad nullam aliam perſonam: ergo aut Paternitas, aut nulla relatio: ſed ex ſuperiori quæſt. cõſtat eſſe relationem:ergo &c. Probatur maior ex ſingularum relationum inſpectione: Paternitas namq;à Patre ad Filiũ: Filiatio à Filio ad Patrem; Spiratio actiua, à Patre, & Filio ad Spiritũ Sanctũ: paſsiua à Spiritu Sancto ad Patrem,& Filium. Probatur quoq;minor:nam innaſcibilitas, vt priuationem dicit,non ad Filium, ſed ad non genitorem ſe habet,non ad Spiritum ſanctum,vt conſtat,non ad vtramq;perſonam,quia non eſt communis relatio, vt ſpiratio: ergo ad Filium,vt importans Paternitatem: ergo non eſt diſtincta relatio.

Primò reſp.& neganda maior. Si de quacumq; relatione fiat ſermo:nam vera dumtaxat de poſitiuis relationibus: de negatiua verò nequaquam,ſicuti eſt ingenitus,ſiue innaſcibilitas.

Reſp.ſecundò,neganda eſt minor,ſi innaſcibilitas pro illata primitate omnimoda vſurpetur: tunc enim & ad Filium habitudinem dicit: & licet nõ ſit formalis cõmunis relatio, vt ſpiratio actiua; poteſt tamẽ dici cõmunis, vt in hac primitate vtraq;emanatio, & vtriuſq; perſonæ productionis fæcunditas cõtinetur. Hic S.D. ſupponit,& vbiq;quod infra ei negabunt Scotus& alij. Ingenitũ de ſui ſaltẽ materiali ratione inferre principiũ,& nos ſuſtinebimus.

Secundum argumentum. Relationes in Diuinis non poſſunt accidere perſonis,ſed eas conſtituunt: ſed innaſcibilitas vt diſtincta non conſtituit perſonam: ergo aut accidit, aut idem cum pater-

nitate primam perſonam conſtituente. Maioris prima pars dogma conſtantiſſimum eſt, ſupra ſuis locis millies confirmatum: accidens ſcilicet repugnare Diuinis. Minor quoque ea certitudine conſtabit, qua paternitatem eſſe relationem primam perſonam conſtituentem, omnium Theologorum votis probabitur.

Reſpondeo. Neganda eſt ea maioris pars, quæ omnes relationes eſſe perſonarum conſtitutiuas aſſeritur: illas enim eſſe conſtitutiuas, omnes Theologi tradunt, quas vocant perſonales. Quare ſpirationem actiuam omnes nuncupant relationem; neque tamen conſtitutiuam. Poſſet quis quoque ex eodem Sancto Doctore ad minorem reſpondere: innaſcibilitatem, non quidem perſonam conſtituere completè, inchoare tamen, & initiare, vt ipſe in fine primi dubij litteralis teſtatur, & diſt. 27. quæſt. 2. ad primum, ſecundum noſtram intelligendi rationem. Quod ſi obijcias. Vnius perſonæ vna eſt relatio conſtituens. Reſpondendum. Verum eſſe completè, & realiter: quaſi autem initiatiuè, & ſecundum rationem; negandum, & non repugnare. Reſpondet Riccardus, & ipſe quoque negat innaſcibilitatem conſtituere, tum quia non eſt relatio realis, ſed potius realis relationis negatio, neque vt infert poſitiuam primitatem, quia primitas non actu, ſed aptitudine refertur ad Filium, & Spiritum Sanctum, quod non ſufficit ad actualem conſtitutionem: ſed hoc non repugnat ſecundæ reſponſioni Sancti Bonauenturæ: nam Riccardus in prima parte ſui aſſerti loquitur de plena, ac perfecta conſtitutione: S. Bonauentura de ſemiplena, & quaſi initiata ſecundum rationem. Quod verò in ſecunda parte addit, & primitatem non conſtituere, ad quod & aliam rationem ſubdit, quia ſcilicet ſupponit primitas perſonam conſtitutam; primitas enim includitur in potentia generandi, potentia verò hæc ſupponit perſonam iam aptam generari; nos negamus, & infra ſuo loco impugnabimus ex ipſo Sancto Doctore.

Tertium. In Filio eadem eſt relatio Naſcibilitas, & Filiatio: ergo & in Patre eadem erit relatio Innaſcibilitas, & Paternitas. Antecedens eſt certum ex numero notionum, & relationum. Conſequentia verò probatur: quia ſicut ſe habent in Filio naſcibilitas, & filiatio; ita ſe habere debet in Patre innaſcibilitas, & Paternitas.

Reſpond. Conceſſo antecedenti neganda eſt conſequentia. Diuerſa enim ratione Paternitas, & Filiatio opponuntur, quam naſcibilitas, & innaſcibilitas: illæ enim relatiuè: hæ verò contrariè, aut contradictoriè. Propterea negatur quod aſſumitur ad confirmandum aſſumptum. Aliam reſponſionem adhibet Riccardus, & aliam rationem reddit, quare non ſit ſimilis ratio, & ideo neganda conſequentia: quia nimirum innaſcibilitas eſt priuatiua, naſcibilitas poſitiua. Sed hoc nihil noui affert ad doctrinam S. Bonauenturæ: hac enim diſtinctione ſuppoſita ſuam docuit reſponſionem, imò clarè tradidit, dum contrariè opponi innaſcibilitatem, & naſcibilitatem aſſeruit: idem enim eſt, ac illam eſſe negatiuam, hanc affirmatiuam.

Alex. & ipſe negat conſequentiam, ſed hac ratione. Verum quidem in Filio, ſolo nomine differre naſci, & generari, & dicere vnicam notionem; non quia ab alio, ſed quia per generationem naſcitur: in Patre autem oppoſita ratione, innaſcibilitas, quia dicit non eſſe ab alio, eſt notio, & dignitas. Eſſe autem Patrem, à quo alius, eſt alia notio. Quod totum tamen oritur ab eo, quod dixit S. Doctor, ſcilicet ab oppoſitione contraria, naſcibilitatis, & innaſcibilitatis.

Quartum. Primum, & principium idem ſunt ex Ariſt. 1. Poſter: ſed innaſcibilitas eſt primum, & paternitas eſt principium: ergo idem ſunt.

Reſpond. Diſtinguenda eſt maior, & interpretandus Ariſt. de principio poſitiuo. Tunc enim verum proculdubio eſt eſſe idem primum, & principium; non verò de principio negatiuo, quod eſt ab alio non eſſe. Et inde neganda minor: neque enim innaſcibilitas eſt illud primum, & eiuſdem rationis, quod idem eſt cum paternitate, quæ eſt principium: eſt enim illud negatiuum, hoc affirmatiuum. Hanc eandem reſponſionem amplectitur Riccardus.

ARTICVLVS III.

An Paternitas ſit Relatio, & notio Patris. S. Bonau. quæſt. 3. S. Thom. art. 2. quæſt. 33.

PARAPHRASIS.

PRIMA Propoſitio. Innaſcibilitas, licet ſit Patris propria notio, vt iam demonſtratum eſt; non eſt tamen, nec poteſt eſſe notio, ac relatio Patrem in eſſe perſona conſtituens. Probatur primò. Vt in Diuinis poſsit dici relatio conſtituens, ac perſonalis, neceſſario indiget, vt dicat primam, & propriam, & completam, & poſitiuam rationem perſonæ illius, quam conſtituere aſſeritur: ſed innaſcibilitas hæc nullo modo dicit: ergo. Maior poteſt probari quatuor primis rationibus in veſtibulo quæſtionis poſitis. Minor quoque probatur quocumque modo ſumatur innaſcibilitas: nam ſi formaliter, & ex eo, quod primo, & per ſe ſignificat; eſt negatio: ſi quaſi materialiter, & vt ſupponit, & affirmat; non diſtinctam, ac propriam, & perfectam rationem relationis dicit, ſed communem quandam primitatem, & fontalem plenitudinem ad duas perſonas: ergo non poteſt eſſe propria, ac perſonalis. Secundò poteſt ex alijs locis probari. Innaſcibilitas inchoat perſonam, & non complet: ergo non eſt perſonalis.

Secunda Propoſitio. Spiratio actiua non poteſt eſſe conſtitutiua Patris. Probatur eadem ratione, quia non eſt propria Patris, ſed ei cum Filio communis; nec diſtinguit eum à Filio, ſed potius vnit, ac nectit.

Tertia Propoſitio, conſectaria. Paternitas eſt illa

illa ſola maximè propria, quæ poſitiuè conſtituit, complet, ac diſtinguit primam perſonam ab alijs. Probatur primò ex D. Hilario 12. de Trinit. poſt medium: ex D. Aug. 3. de Trinit. cap. 6. & de fide ad Petrum cap. 2. & ex Magiſtro. Secundò ex communi omnium opinione. Tertiò rationibus. Prima. Illa eſt perſonalis proprietas, per quam ab omnibus alijs illa perſona diſtinguitur: ſed per Paternitatem prima perſona diſtinguitur à reliquis perſonis: ergo. Secunda. Illa dicitur proprietas perſonalis, qua illa perſona propriiſſimè nominatur: ſed nomine Patris propriiſſimè omnium conſenſu, etiam ex multis locis Diuinarum litterarum, prima perſona nominatur: ergo. Tertia. Filiatio omnium aſſenſu eſt proprietas perſonalis Filij, vt infra: Ergo & Paternitas, Patris. Probatur conſequentia, nam eadem eſt ratio. Quarta. Perſona formaliter, & poſitiuè eſt prima perſona: Ergo per relationem poſitiuam propriam. Quinta ex reſponſione ad argumenta. Illa eſt proprietas perſonalis, quæ dat eſſe diſtinctum, & completum perſonæ, licet non comprehendat reliquas non perſonales habitudines: huiuſmodi eſt Paternitas: ergo. Quamuis enim nec innaſcibilitatem, nec ſpirationem actiuam complectatur; tamen perſonam primam ſicut diſtinguit à ſecunda, ita conſtituit in ordinatione ad ipſam. Sexta. Illa denique aſſeritur proprietas perſonalis, qua intellecta, ipſa perſona intelligitur, & non intellecta, neque perſona poteſt intelligi: ſic eſt Paternitas: ergo. Minor probatur: nam intellecta ſub mera, & formali ratione priuationis innaſcibilitatis, nihil circa perſonam apprehenditur, quod etiam circa eſſentiam non apprehendatur: cum & ipſa ſit innaſcibilis: intellecta verò Paternitate, plena, & rationabili intellectione intelligitur, & cognoſcitur Pater.

COMMENTARIVM.

SIBI aſſueta methodo, & optima S. Doctor hìc ad indagandam, & colligendam proprietatem primæ perſonę conſtitutiuam, vtitur, dum à negatione auſpicatur: ſic enim ab eo, quod certius, & notius eſt: ſcilicet quæ nam non ſit iſthæc proprietas exorditur. Vnicam ergo rem ex titulo quæſt. licet gemina videatur, proponit diſcutiendam. Paternitatem dumtaxat conſtituere, ac completè formare, ac perficere primam perſonam: quod vt præſtet, incipit reliquas Patris excludere relationes, ſpirationem nempe, ac præſertim innaſcibilitatem, ac ita tripartitò videtur quæſtio, & prima, quæ nam non ſit hæc conſtituens relatio. Secundò, quæ nam ſit. Tertiò, propoſitas obiectiones diluit.

Porrò animaduertendum primò circa hanc vocem (proprietas perſonalis) & animaduertunt omnes. In triplici genere inueniri proprietates Diuinas: alind namque earum eſt, quæ quidem ad ſingulares perſonas referuntur, ac ſpectant; eas tamen non conſtituunt, neque conſequenter ab inuicem diſtingunt: ſunt antem in Patre innaſcibilitas, & ſi qua alia inueniretur negatiua, vt iam demonſtratum eſt. Secundum, ſpiratio actiua, quæ cum ad eas iam conſtitutas, ac diſtinctas habeatur perſonas, certum eſt illas non diſtinguere, ſed magis nectere, & vnire, ſicuti Imago, & Verbum in Filio; donum &c. in Spiritu S. quas quidem perſonarum proprietates, & relationes, nuncupare conſueuerunt Theologi notiones: quippe quibus ipſæ perſonæ innoteſcunt, & quæ ad ipſas ſpectāt, & intrinſecè requiruntur. Tertium verò genus, quæ perſonales vocari ab omnibus ſolent, ſcilicet quia perſonas conſtituunt, eiſque conferunt formaliter eſſe perſonæ; vnde perſonales.

Animaduertendum ſecundò has perſonales in ſingulis perſonis vnicam requiri, ac inueniri; In Spiritu enim Sancto, ſola ſpiratio paſsiua; in Filio, filiatio; In Patre Paternitas: hac vnica, eademque efficaci ratione, quia hæ ſolæ relatiuè opponuntur: & vbi in Diuinis non eſt oppoſitio, nulla neq; perſonarum multiplicatio: teſtantur nedum Theologi, ſed maximi, ac vetuſti Patres: in primis S. Anſelmus lib. de proceſsione Spiritus Sancti, ferè in principio. Quare S. Bonauentura diſt. 27. q. 1. quàm ſolers eſt, vt generationem actiuam non differre à Paternitate, ſed vnicam proprietatem eſſe, demonſtrare. Quamuis enim in ratione ſignificandi aliquam, ſcilicet trinam differentiam præſeferant: primam, Paternitatem preſſius, ſtrictius, & diſtinctius quàm faciat generatio, perſonam exprimere, teſte enim D. Aug. de cognit. veræ vitæ cap: 3. ad eſſe Patrem ſequitur generare: ſed ad generare non ſequitur eſſe Patrem: multa enim generantur, quæ Filij nomen non merentur, nec eorum genitor idoneè Pater nuncupari poteſt, vt vulgatum, & tritum apud omnes: alteram, paternitatem includere neceſſariò hypoſtaſim; quia non ſolum eſt nomen proprietatis, ſed ipſius perſonæ, quam formaliter conſtituit: generationem verò proprietatis quidem nomen; ſupponere tamen perſonam, etiam ab extrinſeco generantem, vt & Magiſter luculenter docet, & ipſe S. Doctor etiam in dubio tertio litterali. Tertia deniq; eſt, Paternitatē relationem, & habitudinem dicere; generationem verò emanationem. Riccardus dicit egreſſionem à perſona: licet inquam diuerſam, & & variam intelligendi rationem indicet; verè tamen ad inuicem adeo ſunt vna res, vt veriſsima ſit hæc prædicatio in abſtracto, Paternitas eſt generatio. Præterea hæc ratio rem hanc enixe perſuadet, quam in hac animaduerſione notamus. Sicuti ſcilicet vnius rei vna forma conſtituens, ac diſtinguens eſt: ita vnius Diuinæ perſonæ vnica proprietas perſonalis: ſed generatione, & paternitate diſtinguitur prima perſona à ſecunda &c. ergo vnica proprietas paternitas, & generatio. Tandem ſi notiones diſtinctæ eſſent Paternitas, & generatio, pluſquam quinque eſſent, quod & abſurdum, & negatum ab omnibus Theologis eſt. Quo circa hæc erit admodum efficax conſecutio: Paternitas

nitas eſt proprietas perſonalis : ergo ipſa ſola.

Tertiò animaduertendum ex D. Th. art.2. & 3. vbi perpulchrè, & luculenter, & facillimè explicat rem. Primò enim docet hoc nomen Patris in Diuinis biſariam vſurpari, primò propriè, & notionaliter, ſecundò tranſlatè, & ſecundum eſſentiam. priori modo. eſt proprium eius perſonæ à quo Filius : nam ſignificat id quo illa perſona, ab omnibus alijs diſtinguitur. poſteriori modo, commune eſt toti Trinitati reſpectu creaturarum. ſecundò in art.2. eadem facilitate, & fælicitate, per prius ait, & principalius hoc nomen conuenit perſonæ quam eſſentiæ ; & egregiè probat. De eo principalius aliquod nomen dicitur, in quo perfectè inuenitur nominis ratio : ſed in Patre prima perſona perfectiſſimè in ordine ad Filium ſuum, huiuſmodi ratio inuenitur ; in tota autem ſanctiſſima Trinitate, in ordine ad creaturas, niſi quadam imitatione, & ſimilitudine, & metaphora : ergo. Quare vt in reſponſione ad quartum, generatio æterna Filij eſt vniuoca, & perfectiſsima generatio ; quia habet, tum diſtinctionem generantis à genito, tum nedum ſimilitudinem, ſed omnimodam identitatem naturæ. Qua verò ad productionem creaturarum, quia non producit eas, vt Pater : non enim communicat ipſi ſuam naturam, non inde propriè poteſt aſſeri Pater. His animaduerſis, & obſeruatis. omni perſpicuitate conſequitur, Paternitatem eſſe in prima perſona notionem, & proprietatem vnicam perſonalem, perſonam perfectè conſtituentem, ac diſtinguentem, ac propterea Diuina Scriptura eam hoc nomine explicat, & proponit credendam, & intelligendam fidelibus vbique locorũ quo occurrit opportuna occaſio, & vnigenitus eius Filius in ſuauiſsimo ore ſuo frequentius habere voluit, & hoc eſſe ei nomen proprium, edocuit Matt. vlt. *Euntes baptizate in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S. Pater manifeſtaui nomen tuũ*, ſcilicet Patris. Ad Epheſ. 3. *Flecto genua mea ad Patrem nomini mei.* Vbi Paternitatẽ Alex. interpretatur perſonaliter : nam ſi omnis Paternitas in cœlo, & in terra : ergo quod in cœlo, & Filius, & Spiritus ſanctus dicuntur, debet dici & Pater eodem modo à quo habet eſſe : ergo prius concipitur Paternitas propria in Patre, quam eſſentialis in Filio, & Spiritu ſancto, & multò magis quam in creaturis ; ex quo omnis Paternitas in cœlo, & in terra. Hinc confirmatur Pater eſt propriſſimum nomen primæ perſonæ : ergo Paternitas eſt propriſsima relatio : ergo conſtituens. Antecedens omnium Theologorum eſt, & ex Diuina Scriptura colligitur. nam, & doctrinam, & fidem ſanctiſsimæ Trinitatis his nominibus Patris, Filij, & Spiritus ſancti proponit : ergo aſſerenda propria ; conſequentia conſtat, & confirmatur. Conſtituitur prima perſona in eſſe perſonæ, aut ex innaſcibilitate, aut ſpiratione actiua, aut Paternitate : hæ namque ſunt præciſè, ac numero decretæ perſonæ huius, habitudines : ſed non prima, quia negatiua eſt, non ſecunda, quia communis, non prima, neque ſecunda, quia vtraque ſupponit perſonam iam conſtitutam, innaſcibilitas enim ſupponit primitatem ; ſpiratio Patrem, & Filium ad inuicem amantes : ergo tertia ſcilicet Paternitate. Confirmatur, quia remota Paternitate non remanet perſona : ergo poſita Paternitate, ponitur perſona. Conſequẽtia certa : nam id quo poſito res eſt, & remoto, perit, id forma illius dicitur. Antecedẽs quoque certum. Nam ſi aliquid videretur obſtare eſſet, quod refert Magiſter, & docuit D. Aug. 5. de Trinit. *Etiam ſi Pater non genuiſſet Filium, nihil prohiberet quo diceretur ingenitus* : ſed hoc non obſtat ex his, quæ ſupra explicata ſunt : ergo Deinde ingenitum aut negatiuè, aut poſitiuè ſumitur ; ſi primò modo, non conſtituit perſonam : ſi ſecundò modo, includit ipſam paternitatem : Paternitas, ergo eſt relatio perſonalis &c. nec quicquam obtinent omnes quæ contra hanc veritatem afferri poſſunt, rationes.

Nam ſi primò obijciatur. Omnis relatio eo perſonalis, quo dat eſſe perſonæ : ſed Paternitas non poteſt dare eſſe Perſonæ : ergo non eſt relatio perſonalis. Maior conceſſa eſt ab omnibus ſupra. minor probatur, Pater, eo Pater quo generat, & dat eſſe Filio : ſed nihil eo habet eſſe, & recipit quo alteri dat : ergo.

Reſpondeo ; maiori conceſſa, neganda eſt minor. ad probationem adhuc negatur minor ; ratio vero eſt ; hic eſt ſermo de eſſe perſonali, & relatiuo : nequaquam de eſſentiali, & abſoluto. Certum autem eſt nullusq. dubitationi relictus locus, relationis totum eſſe proprium, eſſe ad terminum ; certum itidem eſt, ea ratione qua eſt, eadem dare eſſe relatiuum, & perſonale : quare quod Pater, eo ſit Pater quo generat Filium, veriſſimum eſt : quia ſic entitas relatiui eſſe poſtulat ; non ideo ; quia præciſè generat Filium, ſed quia ex genito Filio inſurgit relatio Paternitatis. Hæc docuit S. Doctor, & alijs locis præſertim clariſſimè ſupra diſt. 27. quæſt. 2. toto, & ad vltimum. An vero det eſſe, vt relatio, vel vt proprietas : ſi enim vt proprietas, vt oſtendit S. Thom. quæſt. 4. art. 4. non vt relatio conſtituit perſonam : non idoneè ſoluiſſe obiectam rationem videretur S. Doctor. In qua re interpretanda multa hinc inde congerunt Thomiſtæ. Nunc ſuſtinenda reſponſio S. Doctoris. ſi enim præciſè, vt dicit Ad, Paternitas non conſtituit perſonam quaſi per vltimam differentiam non manet, neç forma, nec perſona relatiua ; neque conceptus ſimul formæ. ratio eſt, quia formale relationis eſt eſſe Ad. Infra ſuo loco huic obiectioni ſi qua eſt, ſatis diligentius fiet.

Secundum. Non intellecta proprietate perſonali, impoſsibile eſt intelligere perſonam : ſed non intellecta Paternitate in Deo intelligitur perſona habens diuinitatem, ergo. Maior conſtat, quia perſonalis proprietas eſt tota ratio perſonæ. minor probatur : nam per ſolam innaſcibilitatem intelligitur non eſſe ab alio, vllo modo.

Reſpondetur. Reſponſum eſſe abundè ſupra ; tamen ad formam argumenti negatur minor ; nihil enim diſtinctè de perſona Patris per innaſcibilitatem, vt priuatio eſt, poteſt percipi, aut intelligi, quod etiam de eſſentia non intelligatur : nam etiam eſſentia eſt ingenita, innata, & innaſcibilis, & æquè naturæ, ac perſonæ proprietas

Quod ſi vrgeas, innaſcibilitas eſt proprietas Patris. Reſpondet primò hic S. Doctor non eſſe proprietatem perſonæ, niſi vt includit primitatem, & alias relationes. ſecundò poteſt reſponderi eſſe quidem proprietatem perſonæ, non tamen perſonalem: & requiri quidem, vt conſtituatur prima perſona, neque tamen ipſam per ſe conſtituere.

Tertium. Perſonalis proprietas dicit totum eſſe perſonæ: ſed paternitas hoc non dicit: ergo; minor patet: nam potius innaſcibilitas dicit omnem fontalem plenitudinem &c.

Reſpond. & interpretanda eſt maior: nam perſonalem proprietatem totum eſſe perſonæ complecti: bifariam poteſt accipi. primo, vt totum perſonæ oſtendat proprium, & formale eſſe perſonæ completum. ſecundò vt omnis ad aliam perſonam notio explicetur. tunc ad argumentum ſi maior primo ſenſu ſumatur, conceditur, ſed neganda minor: ſicuti enim paternitas, eſt perſonalis, & conſtitutiua perſonæ proprietas: ita omne proprium perſonale indicat. Si ſecundo ſenſu: neganda maior veluti falſa, vt conſtat. Quod verò additur innaſcibilitatem dicere omnem fontalem &c. Reſpondetur primò dicere etiam fœcunditatem Spiritus ſancti, ſed neutram diſtinctè, & actu, quod tamen requiritur ad actualem conſtitutionem, & diſtinctionem perſonæ.

Quartum. D. Damaſceni dictum obijcitur primò de Orthodoxa fide. In Diuinis omnia ſunt vnum præter generationem ingenerationem, & proceſſionem; hic enumerat proprietates perſonales: ergo ingeneratio eſt proprietas perſonalis Patris: ergo non eſt Paternitas.

Facili interpretatione ſoluitur obiectio, ſcilicet ſub ingenerationis nomine innaſcibilitatem quidem compræhendere, neque tamen vt proprietatem perſonalem, patet in textu.

DISPVTATIO PRIMA.

De innaſcibilitate Patris æterni.

EXquiſitam Theologi diligentiam expoſtulat diſputatio præſens: cum propter inſignem, ne dum inter Theologos: ſed etiam inter ipſos ſanctiſſimos, ac vetuſtiſſimos Patres ſaltem apparentem altercationem: tum propter quaſdam ferè impoſturas, quæ à quibuſdam neſcio qua, aut mente, aut pietate, aut eruditione Seraphico Doctori imponuntur: tum denique in primis ob quam in ſe implicat difficultatem; ea propter vt lites, & altercationes eruamus, & comprimamus: & quam diuerſa tamen vera mente philoſophati ſunt Patres præſertim explicemus, & quàm verè locutus eſt S. Doctor tueamur: per hæc capita in primis rem totam pro tenui virili noſtra excutere, & enucleare ſtatuimus.

Caput igitur primum de multiplici ingeniti, & innaſcibilis ſignificatione.

Secundum. Quam certa veritas de Patris innaſcibilitate.

Tertium. De ſignificatione poſitiua.

Quartum. An, & qua ratione dignitatem dicat.

Quintum. An, & quam relationem præſeferat.

Sextum. Quare per impoſſibile ſi duo forent innaſcibiles duas naturas, & eſſentias ponerent nequaquam autem ſi duo filij.

CAPVT I.

De multiplici ſignificatione.

AB hoc primo loco diſputationis de Patre negatiua notione auſpicandum erat initium, ea quam ſæpè numero recenſuimus ratione, vt à notioribus rem aggrederemur. Quod enim non eſt Deus, nec Pater, faciliori negotio quam, quid ſit percipimus: & quod à nullo ſit à quo omnis alia perſona prius neceſſariò ſupponitur, aut potius intelligitur. De hac ergo neganti notione Patris, primò hoc capite quot modis; tum vſurpari; tum vſurpata ſit à ſanctis Patribus indagandum eſt. Quod quidem, vt rectè obtineatur ob oculos ponenda eſt illa regula quam Ariſt. tradidit 5. Metaph. cap. de potentia, vbi impotentiam diſtinguit, & multiplicat ad diſtinctionem, & multiplicationem potentiæ oppoſitæ. Qua regula, ergo quot modis dicetur genitum, tot quoque, & ingenitum. Et vt ipſemet Ariſt. eod. lib. cap. de priuatione, & 10. Metaph. tex. 19. Quotuplex erit priuatio, totuplex erit ingenitum, & innaſcibile. Quemadmodum igitur genitum pro eo, quod per generationem productum eſt; ita ingenitum rectè omne illud, quod hac ratione non eſt productum. Itaque nedum Pater, ſed & Diuina eſſentia, & Spiritus ſanctus erit ingenitus. Quod apertè, & D. Aug. 5. de Trinit. cap. 6. & 7. & 15. cap. 26. docuit; & D. Hieronymus in reg. fidei contra Hæreticos quem S. Thom. hic ad ſecundum refert. & D. Greg. Nazianz. ſerm. de Epiph. Vbi Spiritum ſanctum ingenitum nuncupat. Quem tamen dicendi modum, licet alias in hoc ſenſu verum; propter Sabellij vitandam hæreſim Diuinas perſonas, tum negantem, tum confundentem, recuſauit admittere, & ſolum Patrem vocari ingenitum voluit.

Secundò. Generaliori quadam acceptione ſolet genitum id nominari, quod aliqua ratione factum, aut creatum eſt: & ab oppoſito ingenitum, quod non factum, nec creatum; hanc geniti, & ingeniti acceptionẽ obſeruauit, & docuit S. Athanaſius orat. 2. contra Arrianos, & epiſt. de Synodis Arimini, & Seleuciæ, & ſubinde tradit in hac ſententia æquè Filium, & Patrem verè eſſe ingenitum, non factum, neque creatum, ita S. Ignatius in epiſt. quadam à S. Athanaſio relatus Chriſtum ho-

Digitized by Google

hominem genitum, & factũ; Chriſtum verò Deum ingenitum. Sequutus D. Athanaſium. D. Io. Damaſc. lib. 1. de fide cap. 9. Noſce, inquit, ingenitum, homonymum, ideſt æquiuocum eſſe, & nunc non factum ſignificare, nunc verò non genitum. & tres perſonas addit, vno ſenſu eſſe ingenitas, altero verò, ſolum Patrem. D. Epiphanius lib. 3. aduerſus hæreſes hæreſi 76. Filium, & Spiritum ſanctum appellat ingenitos. S. Hieronymus, vt notat Magiſter 1. Sent. diſt. 13. & S. Tho. hic art. 3. ad ſecundum. & D. Aug. 5. de Trinit. cap. 6. aliquando Ingenitum idem eſſe dicit, quod non Filius. S. Athanaſ. in Symbolo vocat Spiritum ſanctum non genitum. Idem obſeruat quoque D. Bonau. diſt. 13. quæſt. 4.

Impij Arriani peruersè hac acceptione vtebantur, Ingenito, ſcilicet non facto, & ſolum Patrem ideò fatebantur, & proclamabant ingenitum; vt inde Filium genitum, hoc eſt factum, & creaturam deducerent. Teſtatur S. Athanaſius epiſtola de Decretis Synodi Nicænæ, his verbis. *Arrianos cum à Nicæna Synodo fuiſſent damnati, malitioſè vſos fuiſſe vocabulo, ingenitum*: vt ſignificet idem quod non factum, nec creatum: mutuatoſq; fuiſſe vocabulum ab Ethnicis, & philoſophis, qui Deum in ea vocabuli ſignificatione ingenitum eſſe docebant. Hinc orta huius vocis Ingeniti à S. Patribus profligatio, ne vtiq; Arrianorum hæreſi aſſentiri viderentur. Quare S. Baſilius lib. 1. contra Eunomiũ. *Ego autem*, dicebat, *ingeniti, ſiue innaſcibilis nomẽ, quamuis ſummopere cogitationibus noſtris congruat; tamen quoniã nullo loco in Scriptura inuenio, & quoniam primum elementum eſt blaſphemiæ iſtorum, ſilentio tradendum merito dixerim.* Idem S. Ambr. vt refert etiam Magiſter, eandem renuit vocem, & ob eandem cauſam, quam reddit S. Baſilius, quia ſcilicet in Scriptura non inuenit. Eandem renuit S. Cyrillus lib. 1. Theſauri cap. 2. & lib. 11. cap. 2. & Dialogo 2. de Trinitate. D. Aug. 5. de Trinit. cap. 3. refert, ac ſoluit Arrianorum argumentum, quod ex hac ingeniti ſignificatione contra Filij Diuinitatem, & conſubſtantialem contorquebant, his verbis: *quidquid de Deo dicitur, vel intelligitur; non ſecundum accidens, ſed ſecundum ſubſtantiam dicitur. Quapropter ingenitum eſſe, Patri ſecundum ſubſtantiam eſt; & genitum eſſe, Filio ſecundum ſubſtantiam eſt: diuerſum eſt autem ingenitum eſſe, & genitum eſſe: diuerſa eſt ergo ſubſtantia Patris, & Filij. Quibus reſpondemus. Quidquid de Deo dicitur, ſecundum ſubſtantiam dicitur: ergo quod dictum eſt: Ego, & Pater vnum ſumus, ſecundum ſubſtantiam dictum eſt. vna eſt ergo ſubſtantia Patris, & Filij. Aut ſi hoc non ſecundum ſubſtãtiam eſt: dicitur ergo aliquid de Deo non ſecundum ſubſtantiam: & ideo non cogimur ſecundum ſubſtantiam intelligere genitum, & ingenitum.* Hucuſque S. Aug. Quare conſequenter eodem libro cap. 7. arguit, & probat Ingenitum de Patre, & genitum de Filio aſſeri, nec ſecundum ſubſtantiã, nec ſecundum accidens, ſed ſecundum relationem.

Sed quemadmodum ex ſpuria, & hæretica Arrianorum vſurpatione vocis, *Ingenitum*, interciſus in Eccleſia ingeniti vſus fuit: ita prius ad Montaniſtarum, & Cathafrigum hæreſim profligandam, ac deteſtandam, ex qua alia Sabellianorum orta eſt hæreſis, ab Eccleſia adinuentus: iſtis enim perditiſsimis omnibus, Patrem ex Virgine natum aſſeuerare non erubeſcentibus; Patri decreta eſt vox, & veritas ingeniti, & innaſcibilis. Quod totum grauiſsimè refert magnus Athanaſius diſputatione habita Laodiceæ cum Arrio.

Tertiò modo ſumitur Ingenitus, vt ſit idem, quod ens nulla ratione ab alio: neque per generationem proprie acceptam: neque per ſpirationem, aut quamcumque aliam, aut creatam, aut increatam productionem: neque alicui communicatum. Quo ſolo ſenſu omnes hic Theologi vnanimi conſenſu, tamquam propriam notionem, ſoli Patri, primæ perſonæ Ingenitum tribuunt, vt neq; Spiritus Sanctus, neq; Diuina eſſentia poſſint Ingeniti nuncupari: propriam inquam notionem, nedũ affirmatiuè ſumptam, ſed etiam negatiuè, de qua in hoc capite, vt ſit principiũ de nõ principio.

Neque Aureoli argumentum in oppoſitum vrget. Ingenitum negatiuè ſumptum conuenit & rebus fictis, & impoſsibilibus: neque enim & huiuſmodi ab vllo principio ſunt: ergo non ſoli Patri conuenit. Reſpondetur primo. Ingenitum hoc, quod negat principium à quo, aſſeritur de ente reali, perſonæque exiſtenti verè ceu inhæret: eſt enim perſona ingenita. At vero ficta, & impoſſibilia non ſunt omnino. Atque eo magis, quia non eſt mera negatio, ſed in genere; vnde potius priuatio quædam. Secundò, dato quod quoquomodo fortaſſe ratione negationis, poſſet conuenire & fictis: connotati tamen ratione; nullo modo poteſt: connotat enim infinitam, & immutabilem perſonam. Egregiè rem hanc S. Aug. lib. 5. de Trinitate cap. 7. pro dignitate ediſſerit. Cum Ingenitus dicitur Pater, non quid ſit, ſed quid non ſit dicitur; cum autem relatiuum negetur, non ſecundum ſubſtantiam negatur, quia ipſum relatiuum non ſecũdum ſubſtantiam. Negatiua porro illa particula non efficit, vt illud quod ſine illa dicitur, eadem præpoſita ſubſtantialiter dicatur; ſed id tantum negatur, quod ſine illa aiebatur, ſicut in cæteris prædicamentis, veluti cum dicimus homo eſt, ſubſtantiam deſignamus, & qui dicit non homo eſt, non aliud genus prædicamenti enuntiat, ſed tantũ illud negat &c. & infra. Sicut ergo ſecundum ſubſtantiã dico, cũ dico homo eſt: ſic ſecundũ ſubſtantiam, cum dico homo non eſt: & ſic in cæteris prædicamentis. Quæ cum ita ſint, quia relatiuè aio, cum dico, homo Filius eſt; relatiuè nego, cum dico, homo non eſt Filius. At ſi valet quod dicitur Filius, tantum valet quod dicitur genitus: tantum ergo valet qui dicitur non genitus, quantum qui dicitur non Filius. Relatiuè autem negamus dicendo non Filius: ergo negamus non genitus. Porrò Ingenitus quid eſt, niſi non genitus? non ergo receditur à relatiuo prædicamento cum Ingenitus dicitur. Sicut enim genitus non ad ſeipſum dicitur, ſed quod ex genitore ſit; ita cum dicitur Ingenitus, non ad ſeipſum dicitur, ſed quod ex genitore non ſit, oſtenditur: in eodem tamen

præ-

Digitized by Google

prædicamento, quod relatiuum vocatur, vtraque ſignificatio vertitur, & eodem lib. & cap. infra. Quod autem relatiuè pronuntiatur, non indicat ſubſtantiam. Quamuis ergo diuerſum ſit genitus, & ingenitus; non tamen indicat diuerſam ſubſtantiam, quia ſicut Filius ad Patrem, & non Filius ad non Patrem refertur; ita genitus ad genitorem, & non genitus ad non genitorem referatur neceſſe eſt. Hæc glorioſus Aug. quibus, & ingenitum dicere negationem, & relationem, ſcilicet non ſubſtãtiam, reddens, ac demonſtrans hanc rationẽ. Sicuti genitus non ſecundum ſubſtantiam dicitur; ita neceſſariò ingenitum & innatum, & innaſcibilem non dicere diuerſitatem ſubſtantiæ, ſed relationis.

Addit tamen Alexander memb. 1. hac ſententia, & ſignificatione perſonas eatenus poſſe dici differre ſubſtãtia ratione relationum, quatenus relationes ſunt ipſa perſona. Paternitas enim eſt ipſe Pater &c. & differre perſona eſt differre ſubſtantia, quia perſona eſt hypoſtaſis, ideſt ſubſtantia; non tamen ſubſtantia, quæ ſit, & dicat eſſentiã, ſed eo modo, quo ſupra cũ de perſona, & hac voce hypoſtaſis,

CAPVT II.

Quali veritate conſtet Patrem eſſe ingenitum, & innaſcibilem.

Reſpond. breuibus, præter ea quæ in Commentario diximus: ea certitudine conſtare, qua conſtat eſſe primam perſonam in Diuinis, certitudine ſcilicet fidei. Nec refert quod hæc vox, aut notio non reperiatur in Diuinis litteris: nam primò ex alio etiam capite poteſt quid conſtare de fide, quàm ex Diuinis litteris, vt patentiſsimum eſt, & luculentiſsimè agitur contra hæreticos à Controuerſiſtis. Deinde efficaciſsimè etiam Diuinarum Scripturarum ijs locis, quibus Patrem eſſe primam perſonam aſſeritur. Si enim prima credenda proponitur, & refertur: ergo à nulla alia eſſe quàm conſtantiſsimè euincitur: ita vt licet vox non legatur, res tamen illa voce ſignificata ſæpenumero multis locis legitur. D. Greg. Nazianz. orat. 5. de Theologia, ex Diuinis litteris conatur deducere Deum eſſe ingenitum, ideſt increatum, & non effectum ex Iſaiæ cap. 41. *ego Dominus primus, & nouiſsimus ego ſum*, & Iſaiæ 43. *Ante me non eſt formatus Deus, & poſt me non erit*, eo namque quod dicitur: Ante illum nihil eſt, & ipſum non habere cauſam antiquiorem; Deus eſſe Anarcus, inquit, & ingenitus ſignificatur. Quo verò ingenitus eſt proprietas Patris, his locis indicatis, quibus aſſeritur prima perſona, vt dicebam, ſatis apertè colligitur. Communiri poteſt, tum dicto S. Baſilij primo contra Eunomium. *Ingeniti ſignificatio hæc eſt, non habere aliunde principium*: ergo quanto certum eſt Patrem non habere principium, ſed aliarum perſonarum eſſe principium, tanto quoque certum eſt eſſe ingenitum.

Neque itidem obeſſe poteſt, quod aliquo tempore Patris hanc negatiuam notionem reiecerint, vel ſaltem ab ea abſtinuerint Patres, vt ſuperiori cap. recenſitum eſt: neque enim tamen à re, hac voce indicata, & ſignificata, aut receſſerunt, aut recedere potuerunt, à fide ſcilicet, ac fidei confeſſione primæ perſonæ, neque vetuſtiorem illo tempore in Eccleſia huius vocis vſum receptum damnauerunt, aut deteſtati ſunt: ſed iuſtiſsima de cauſa ad tollendum Arrianis ſuæ hæreſis præcipuum elementum, vt teſtabatur S. Baſilius: tamen adhuc illis Sanctis Patribus vox Ingeniti placebat, & arridebat, vt idem S. Baſilius, & eodem loco aſſerebat, ſed neceſſitate coacti ad tollendum ſcandalum hæreticis per aliquod tempus prætermiſerunt innaſcibilitatis, ac ingeniti vocem, iterum eam recedente illa hæreticorum tempeſtate reaſſumpturi, ſicuti in re nunquam poſtea depoſituri reſumpſerunt, vſumque repetierunt.

Probatur ergo primò ex ſacerrima Synodo Nicæna, vt S. Athanaſ. Epiſtola ad Serapionem his verbis teſtatur. *Spiritus Sanctus non eſt ingenitus, quia principiatum eſſe habet: & ingenitum ſoli Deo Patri Eccleſia congregata apud Nicæam rectè, & fideliter attribuit, & de ſolo Patre hoc eſſe credendum, & prædicandum, toti mundo ſub Anathemate mandauit*. Secundò in Concilijs Toletanis primo, & ſecundo, in profeſsione fidei, vbi primo Patrem non eſſe genitum, nec creatum, ſed ingenitum eſſe decernitur. Deinde de proceſsione Spiritus Sancti Patres ibi congregati profitentur. *Spiritus Sanctus nec genitus, nec ingenitus creditur, ne aut ſi ingenitum dixerimus, duos Patres credamus, aut ſi genitum, duos Filios prædicare monſtremus*. Tertiò in Symbolo fidei D. Damaſi Papæ, vt in 4. tomo operum S. Hieronimi legitur, expreſsiſsimè decernitur. Quartò Eccleſia Romana in officio Sanctiſſimæ Trinitatis. *Te Deum Patrem ingenitum, te Filium vnigenitum, te Spiritum Sanctum Paraclitum toto corde, & ore confitemur*. Conc. Tolet. 6. cap. 1. Enariſtus Papa Epiſtola ptima decretali ad omnes Epiſcopos Aphricanos. Sixtus primus Epiſtola prima ad omnes Chriſti fideles. *Deum Patrem ingenitum*, perpetuò conſtanterq; docent. Deoique Sancti Patres vbique. D. Iuſtinus Martyr in expoſitione fidei. Pater eſt ingenitus, à quo Filius generatus eſt, & profectus Spiritus Sanctus. Et infra multis, & verbis, & locis. D. Greg. Nazianzenus De modeſtia in diſputationibus obſeruanda. *Spiritum Sanctum cognoſcamus ſubſtantiam ex Deo habentem. Patri quidem quod ſit ingenitus, Filio verò quod genitus ſit*. & oratione 23. Ingenitum vocat proprietatem Patris Characteriſticam. D. Hilarius 4. de Trinitate, & 9. vbi vtitur hac voce innaſcibilis. D. Baſilius primò, & ſecundo contra Eunomium, quibus locis & ipſe repetit innaſcibilem. D. Aug. 15. de Trinit. cap. 26. Pater ſolus non eſt ab alio, ideo ſolus ingenitus appellatur, non quidem in ſcripturis, ſed in conſuetudine diſputantium. D. Fulgentius ad ſeptimam obiectionem Arrianorum, aſſerit ſecundum fidem hoc negari non poſſe. Idacus Clarus contra Vadimandum. Patrem eſſe ingenitum, nec prodi, nec probari, ſcilicet ex Sanctis Scripturis, ſed quia idipſum fides exigit Chriſtiana, abſque vlla dubitatione

tione ingenitus credatur, & innumeri alij; quos referũt alij recentiores; ſufficiat D. Athanaſ. in Symbolo fidei. *Pater à nullo eſt factus, nec creatus, nec genitus.* vbi ſtatuit Patrem à nullo eſſe vlla ratione, nec enim factione, nec creatione, nec generatione.

Quod ergo in ſuis officijs profitetur Sancta Eccleſia, quod tot Patres, inter quos quidam, & ad fidem ſpectare aſſeruerunt, quod tot Concilia, quod tandem quo ad rem explicatiſsimum in Diuinis litteris eſt, quod denique vniuerſa Theologorum Schola complectitur; idem nos fide certum confiteri cogimur: Patrem ſcilicet adeo eſſe ingenitum, & innaſcibilem, vt ipſe ſolus, ceu à nullo, hac notione deſignetur, & ſuo modo diſtinguatur: vt & res, & vox dogmate ſit ſtatuta, quippequa in re explicanda tum Concilia, tum Patres, tum omnes Scholaſtici vtuntur, ita definit præcipue Conc. Tolet. 11. his verbis. *Si modum, quo Pater conſiſtit, quæras, cum eum à nullo alio videas, ingenitum appellabis.*

Inter alias autem rationes hæc ſolet referri, vt ideo aſſeratur ingenitus, nequis incautè in Diuinis perſonis dandum proceſſum infinitum ex infinita Diuina fæcunditate deceptus, ſibi perſuaderet. S. Th. hanc adhibet rationem. Ingenitum eſt principium de non principio, Deo conueniens: neque enim creaturis conuenire poteſt: ſunt enim omnes à Deo producta; ſed non poteſt conuenire neque eſſentiæ, neque Filio, neq; Spiritui Sancto: ergo ſoli Patri. Minor probatur. Diuina enim eſſentia vt in Filio, eſt à Patre, vt in Spiritu Sancto, eſt à Patre, & Filio. S. Bonauentura quæſt. 1. eſſe ingenitum dicit primò eſſe à nullo, ſecundò fontalem plenitudinem: ergo conuenit ſoli Patri: non enim Filio, qui à Patre eſt: non Spiritui Sancto, qui nullam producit perſonam: ergo ſoli Patri, qui prima eſt, & à qua reliquæ duæ. Prima pars antecedentis eſt inconfeſſo apud omnes, & eſt præcipuè D. Baſilij primò contra Eunomium. Secunda quoque pars; nam conſtantiſsima veritas, eſt Filium, & Spiritum Sanctum eſſe à Patre. Confirmatur primò, quia Pater, vt ingenitus differt à genito, & qui à nullo eſt, ab eo qui à duobus eſt, ſcilicet à Spiritu Sancto: ergo propria notio. Confirmatur ſecundò: nam optimè primo principio, ac primæ perſonæ per negationem non eſſe ab alio, mirificè conuenit declarari. Confirmatur tertiò: nam & negans proprietas mitè conducit ad æterni Patris excellentiam promouendam, & tuendam, ne ſicut cæteri Patres in inferioribus, licet Patres ſint, ab alijs tamen ſunt ipſi quoque geniti, & producti; ſic quoque quis exiſtimaret de æterno Patre: ſed quemadmodum docet D. Paulus ad Epheſ. 3. *ex quo omnis Paternitas in cælo, & in terra nominatur*; ita per hanc ingeniti, & innaſcibilis negationem maximè primus Pater encomiatur. Quę omnia ferè ex D. Auguſtino 1. de Trinitate cap. 8.

CAPVT III.

De ſignificatione affirmatiua ingeniti, & innaſcibilis.

INgenitum, vt proprium Patri, & innatum, ac ſubinde innaſcibile, conſignificare conſequenter aliquid affirmatiuum, aut ſupponere, & indicare, nemo eſt mea ſententia, qui id rectè, & congruè negare poſſit. Ante omnes enim Theologos indicauit S. Io: Damaſcenus, imò ante ipſum D. Auguſtinus 4. de Trinit. cap. 2. imò D. Dionyſ. Areop. de Diuin. nominibus cap. 3. ſicuti antea deduximus: primitatem ſcilicet primæ perſonę dicere fontalem totius Diuinitatis originem: eo autem cognoſcitur prima per hanc negationem, quia non ab alia. Alexand. Alenſis ægregiè quęſt. 69. art. 2. vbi per innaſcibilitatem, Patrem non ſolum non eſſe ab alio, ſed eſſe à ſe apertè fatetur, & addit: ſi concedere aliquam diuerſam perfectionem in eadem perſona ex proprietate ſermonis, permitteret ipſius perſonæ ſumma ſimplicitas; maiorem perfectionem diceret eſſe innaſcibilem, quàm eſſe Patrem.

Cuius aſſerti hanc rationem reddit: nam per Paternitatem virtus productiua explicatur; per innaſcibilitatem verò perſonam eſſe à ſe, & non ab alio. Eandem prodit, quam cæteri, ſententiam, ac tuetur Riccard. diſt. 28. quæſt. 1. art. 2. ſed D. Tho. licet hoc art. 4. ad ſecundum hanc eandem indicauerit ſententiam, dum priuatiuè ſumi ingenitum docuit: priuatio enim aliquid ſupponit affirmatiuè; in reſponſione tamen ad primum viſus eſt oppoſitum docuiſſe, & auctoritate D. Aug. 5. de Trinitate confirmaſſe: ingenitum ſcilicet negationem generationis importare, diceréq; tantum ingenitum valere, quantum valet dicitur non Filius quod quod idem in corpore art. & 1. ſent. diſt. 28. art. 1. quæſt. 1. ad primum, quem inter alios Thomiſtas ſecuti ſunt Turianus hoc art. & Caiet. & alij. Idq; ex aperto loco S. Aug. 5. de Trinit. cap. 6. *Cum ingenitus dicitur, non quid ſit, ſed quid non ſit oſtenditur.*

Scotus apertiori Marte, & lætante Minerua diſt. 28. S. Bonauenturæ præcipuè doctrinam, & ſententiam ſuſcipit proſternere, ac profligare: In quo tamen neque vnum verbum infra apparebit contrarium communi, quam quærimus opinioni. Hæc tamen fabrefacit arma, & argumentationum tela contorquet. Primò quærit, quid ſit illud poſitiuum, quod inuoluere ingenitũ ponunt in Patre. Dices fontalis totius Diuinitatis plenitudo: ſi enim primo pro omnium ad extra creaturarum productione, id non eſt ad rem: nam communis eſt tribus perſonis, nec vlla ratione propria Patri: ſi pro fæcunditate ad generandum, & ſpirandum, hæc non eſt vna in Patre, ſed duæ relationes, altera ad Filium, altera ad Spiritum Sanctum, & probatur: nam ſi eſſet vnum diſtinctum in Patre, in eo eſſent tres relationes poſitiuæ, quod omnes reliqui Theologi negant. Secundò ex D. Aug. 5. de Trinit. cap. 6. etiam ſi Pater non genuiſſet Filium,

nihil

nihil prohiberet ipſum dici ingenitum : ergo ingenitum ex ſe, & neceſſariò non connotat fœcunditatem. Tertiò. Si ideò negationi innaſcibilitatis annectenda aliqua affirmatio, vt poſſit dicere dignitatem innaſcibilitas in Patre; id incaſſum ſit, & aer verberatur: nam relatiua in Deo, nec dignitatem, aut perfectionem dicunt, nec dicere poſſunt: aliàs inæqualitatem in Diuinis perſonis inducerent, vt conſtat ex tractatu de hac re ſuo loco. Quartò. Si fortaſſe ab alijs aſſereretur, id poſitiuum, quod ſignificat ingenitum, non eſſe quidem fœcunditatem illam geminam ad Filium, & ad Spiritum ſanctum, ſed ad primam perſonam; ita non eſſe ab alio, vt ſit intrinſeca conſequentia à ſe, vt ab eo poſtea reliquæ ſint. Sed contra. Illud poſitiuum, aut erit abſolutum, aut relatiuum. Si primum, non poteſt eſſe proprium Patris, ſed tribus commune. Si ſecundum, ſcilicet relatiuum, vel referretur ad poſterius, vel ad prius: ſi primum, aut ad Filium, & ſic erit idem, quod Paternitas: aut ad Spiritum ſanctum, & ſic idem, quod ſpiratio actiua: ſi ſecundum, impoſſibile eſt: nam nihil prius reale, ad quod referatur, aliàs perſona innata, & ingenita non eſſet prima.

Sed hæc aut nihil neceſſaria efficacitate probant: aut quod probant, à nullo quem ſciam, negatur: vrgent enim hæc Scoti argumenta. Ingenitum in ſua formali ſignificatione, & primaria, vt ingenitum, & negans non, affirmare: quod omnes concordi aſſenſu aſtruunt, & concedunt, & oppoſitum redolere paradoxon videtur, & aperta calumnia eſt, quam Philippus Faber impingit ſancto Doctori, quod ſcilicet innaſcibilitatem de ſuo formali poſitiuam fontalem plenitudinem complecti dixerit. Ipſius enim erant partes locum, in quo id tradiderit, in medium afferre: neque enim id vllo loco, neque ſomniauit, ſed oppoſitum conſtanter ſemper indicauit, diſt. enim 28. quæſt. 2. in corp. dicit, innaſcibilem ex principali dicere negationem, ex conſequenti poſitionem. quæſt. 3. in corpore. Innaſcibilitas quantum ad primum intellectum non dicit poſitionem: quantum verò ad conſequentem non dicit ſpecialem relationem, ſed fontalem plenitudinem q. 1. Ingenitus ſecundum quod conuenit Patri, propriè dicit relationem priuatiuè, ſed ex hoc ipſo ex conſequenti dicit relationem poſitiuè: neque oppoſitum, aut innuit, aut explicat diſt. 27. quæſt. 2. ad tertium illis verbis: Innaſcibilitas eſt priuatio, quæ ſecundum rem eſt perfecta poſitio, quod diffuſiſſimè nouem rationibus tuetur, & confirmat: hoc enim neceſſariò interpretandum, vt non formaliter loquatur, ſed & materialiter, vt innaſcibilitatis formale ſit priuatio, materiale verò, vel quaſi materiale, poſitio: & conſequenter ſicuti poſtea tribus relatis quæſt. ſe ipſum explicat; ita vt eſſe principium à ſe primum, fœcundum ad reliquas perſonas, ſit materiale, & conſequatur, aut ſupponatur ad priuationem innaſcibilitatis, & ingeniti.

Quare, & Vaſquez in hunc art. D. Tho. & Suarez lib. 8. de Trinit. cap. 2. ab hac calumnia vindicant S. Bonauenturam, ac cum reliquis Theologis locutum interpretantur, & pro fundamento, & quaſi materia poſitionem dicere innaſcibilem, & ingenitum affirmant, & inter alios Thomiſtas Franciſcus Zumel à contrarietate tuetur S. Tho. vt in reſponſione ad primum locutus ſit formaliter, ad ſecundum verò materialiter, & Io. Paulus Nazarius oſtendit ſe, aut neſcijſſe, aut noluiſſe legere text. S. Bonauenturæ.

Ergo ſtatuenda eſt prima Concluſio. Formalis ratio, & ſignificatio ingeniti, & innaſcibilis eſt negatiua, & eo modo, quo ſupra Doctores, priuatiua, vt ſcilicet non ſit ex ijs priuationibus, quæ dicunt imperfectionem. Probata eſt abundè ex integro ſecundo huius diſputationis capite.

Secunda Concluſio. Quod ſupponitur, & connotatur, & in quo inhæret hæc, vt ita dicam, priuatio, omnino affirmatiuum eſt. Primò, communis eſt Theologorum ſententia, & ſuo tempore S. Bonauentura diſt. 27. q. 3. ad tertium teſtatur fuiſſe magnorum Doctorum ſententiam. Neque Scotus ipſe poteſt contradicere: etenim quod prætendit, affirmationem non eſſe de ratione formali ingeniti, vltro fatemur, & ſponte concedimus. Secundò. S. Bonauenturæ nihil tam fixum hæret cordi, quàm huius concluſionis veritas, & vt eam probet, nihil frequentius aſſumit, et in nulla alia re confirmanda, ita argumentis abundat. diſt. 2. enim quæſt. 4. ex primitate huius perſonæ arguit binam emanationem, & ſubinde perſonarum Trinitatem: idque alibi hac eadem ratione ſæpiſſimè. diſtin. 13. ad duas emanationes indagandas eandem rationem, ſcilicet primitatem, & ſupponit ſemper, & adhibet, & infra diſt. 29. & ſecundo dubio litterali, & q. 1. vbi Patrem eſſe principium, & quomodo reliquarum perſonarum, fæliciter verſat, enucleat, & tuetur: at nullibi ſolertius, nec vberius, quàm diſt. 27. quæſt. 2. ad tertium. Mirum quàm hic Seraphicus Doctor exardeſcat ad hanc ſuſtinendam affirmatiuam vim innaſcibilitatis: quot adinuenit media, quot argumentorum ſedes, ac fundamenta perueſtigee.

Principio. Pater, quo innaſcibilis, & à nullo ſimpliciter, eo euidenter primus, & quo primus, eo principium: non ad extra: ergo ad intra: & quo ſimpliciter primus, eo ſimpliciter principium omnium emanationum. Prima conſequentia, vt dicebam, eſt euidens: aliàs ſi non eſſet per innaſcibilitatem primus, non eſſet primus: qui enim eſt ab alio, non eſt primus: ergo ratio quare ſit primus, eſt quia non eſt ab alio. Secundam verò conſequentiam probat ex Ariſt. lib. de cauſis. Vbi *principia*, inquit, *quanto ſunt priora, tanto potentiora*. Et quod prima cauſa plus influit: & quæ eſt ſimpliciter prima, ſummè habet influere ſecundum omnem modum, & 1. Poſteriorum text. 13. *Idem eſt primum, & principium*: ergo eo quia non ab alio Pater ſimpliciter eſt primus, & ſimpliciter ad intra, & maximè principium. Quod quidem Ariſt. aſſertum, & hinc reuincitur verum, quod in rerum generibus ita inuenitur, prima eſſe etiam fœcunda, & quæ prima ſimpliciter, fœcundiora: ita vt in ipſis ſit ſtatus, & habeant quodammodo producendi infinitam fœcunditatem: ita enim punctum, infinitam in longitudine lineam producit;

cit: vnitas ſui multiplicatione infinitum numerum. Ita Diuina eſſentia multo magis, quia omnipotens, infinitas creaturas producere valet: ergo & Pater æternus, quia innaſcibilis, & prima perſona, eſt infinitè fœcunda: non quidem ad infinitas perſonas producendas, quia aliunde repugnat, ſed ad omnes perſonas producibiles infinitè perfectas ſcilicet Filium, & Spiritum Sanctum. Confirmatur. Innaſcibilem eſſe eſt notio Patri maximè propria, non quidem vt pura negatio eſt: ſic enim & eſſentia, & Spiritus Sanctus: ergo, vt dicit, & habet aliquam annexam poſitionem, non autem abſolutam, vt conſtat: tunc enim non erit perſonæ proprietas: ergo relatiuam, aut ratione producentis, aut ratione producti, aut ratione vtriuſq; virtutis ſcilicet in Patre producente, & in perſonis productis. Tertiò. Sicut non repugnat intelligere primam, & ſecundam perſonam non intellecta tertia Spiritus Sancti; ita non repugnat intelligere primam non intellecta ſecunda: eſt enim eadem ratio: ſed non ſic intelligetur ſub ratione Paternitatis: tunc enim ſine Filio non poſſet intelligi: ergo ſub ratione innaſcibilitatis: ergo aliquid ibi poſitiuum neceſſariò ſupponitur.

Hęc ſententia, quam ſic exquiſitè diſcutit S. D. eſt valde arridens, & conformis S. Patribus: nam S. Baſilius 2. contra Eunomium cap. 2. S. Nazianz. orat. 23. S. Damaſc. 1. de fide cap. 9. S. Cyrillus 1. Theſauri c. 4. omnes fatentur, *Ingenitum* modum exiſtendi primæ perſonæ ſignificare, at vero modum hunc poſitionem dicere, quis rectè negabit?

Ad argumenta in oppoſitum obiecta. Primo, nulla opus eſt dilucidatione, ſi formaliter ſumatur ingenitum: concedit enim libentiſsimo animo S. Doctor nihil ponere, vt iam obſeruatum eſt. Secundò, ad locum S. Th. negat S. Bonauentura innaſcibilitatem poſitiuè ſumptam, eſſe omni ratione idem cum paternitate, ſed quaſi initium, & originem, & fontem communem vtriuſque emanationis vt ſic, neque magis ad vnam, quàm ad aliam perſonam dicere relationem, & potius actum primum, quàm ſecundum, quæ ſufficiunt ad aliquam diſtinctionem, quam minimam requirit S. D. dicit enim poſitiuè ſumptam innaſcibilitatem non tantū differre à paternitate, quantum negatiuè acceptam

Ad primum Scoti, & ad id quod petit, quid ſit illa plenitudo fontalis: dico primò, quidquid ſit, concedenda eſt ex D. Dionyſio, & D. Aug. locis citatis, & D. Athanaſ. contra Gregales Sabellij: imò ex Conc. Tolet. 11. in confeſſione fidei, & ex Conc. Florentino ſeſſ. 24. in litteris vnionis: omnes enim aſſerunt Patrem eſſe fontem cæleſtis Diuinitatis, & originem totius Deitatis. Secundò, non eſſe relationem, ſed initium, & fœcunditatem. Quare ad id quod deducit: ergo tres relationes in Patre, contra communem Theologorum ſententiam; negatur conſequentia.

Ad ſecundum, præter ea quæ iam relata in interpretatione illius dicti S. Aug. reſpondetur primò. In D. Aug. ibi vſurpari *ingenitum*, non vt formaliter opponitur ſoli genito, ita vt ingenitus ſit ad non genitus, & non Filius; ſed cuicumque productioni, vt ſit ingenitus, quia nullo modo productus. Secundò, ibi ingenitus aſſumitur formaliter vt negationem dicit; nos autem vt poſitionem, & fœcunditatē cōnotat. Addo, ſi etiam per impoſsibile nō produceretur ſecūda perſona, eſſet ingenitus.

Ad tertium. Vberrimè ſupra iam reſponſum eſt, rationes relatiuas, & proprias perſonarum dicere perfectionem perſonalem, & negata eſt conſequentia de inæqualitate perſonarum, ibi multis rationibus. Secundò, nedum ad aſtruendam dignitatem hanc in Patre, ſed ad naturam innaſcibilitatis in genere explicandam: nam quid ſi diceretur, etiam à nullo eſſe, & à nullo regi, formaliter ad dignitatem ſpectare?

Ad quartum. Eadem fermè reſponſio, quæ iam ſupra. Connotatum ſcilicet ingeniti eſſe quidem poſitiuè relatiuum, neque tamen omni prorſus ratione paternitatē, aut ſpirationem actiuam, & omni actu completè, ſed quaſi actum primum, & vim, & initium, vnde & Paternitas, & ſpiratio actiua.

Quid verò ſit id præciſè, quod ab ingenito, & innaſcibilitate connotatur, ſolertius hoc loco perueſtigandum, & non eſt omnino extra controuerſiam, vt iam indicatum eſt ex D. Th. ad primum, & ex Scoto &c. Sed præſertim Franciſcus Suarez recenſito cap. 2. lib. 8. refert, & reprobare conatur S. Doctoris de hac re opinionem, eamque & opponit, & poſtponit S. Th. ſententiæ. Hanc verò eſſe ſeraphicam ſententiam, poſitiuam ſcilicet rationem principij, ac fontalis plenitudinis totius Deitatis; hac negatione circumſcriptam; & explicatam tradit, & concedimus: quod totum ſic impugnare periculum facit. Primo. In Patre nihil poſitiuum eſt, niſi eſſentia, & relatio: ergo fundamentum innaſcibilitatis erit aut eſſentia, aut relatio: non primum, ſed ſecundum: ergo innaſcibilitas ex ſe neutrum erit ergo priuatio. Probatur minor: Non enim ingenitum vt ſic, fundatur in ſola eſſentia, quæ communis eſt, & in qua ſola non intelligitur innaſcibilitas vt priuatio eſt: ergo erit relatio. Secundò. Paternitas ex ſe habet quod ſit ante omnem originem, quia conſtituit principium primæ originis, ante quam non poteſt eſſe origo: ergo habet conſtituere perſonam ſine origine ab alia: hoc autem eſt eſſe fundamentum innaſcibilitatis. Tertiò contra fundamentum oppoſitæ ſententiæ. Illud poſitiuum, quod aduerſarii aſſerunt includi in innaſcibilitate, non poteſt eſſe niſi ratio principij, & ratio primi: ſed illud non explicatur nomine ingeniti, nam S. Aug. etiam ſi inquit, perſona prima non eſſet genitrix, poterit eſſe ingenita: ergo. Quartò ex S. Th. illa principij ratio non eſt à ratione Paternitatis diſtincta, neque poteſt eſſe aliud: ſi enim ſumatur confusè, abſtrahēdo ab vtraque emanatione, tunc non pertinet ad notiones. Denique, ſi quod includitur eſt ratio primi, aut dicit habitudinem ad ſecundum, & hoc nihil aliud eſt quàm eſſe Patrem, ſi verò ad priorem, ſic non dicit poſitiuum quid, ſed negationem prioris: ergo nihil poſitiuum relinquitur ratione diſtinctum à Paternitate, quod ſignificari poſſit pro illo fundamento.

Sed hoc meo iudicio eſt oleum & operam perdere: primò enim id quod ſupponitur hoc loco ab

hoc

hoc alioqui doctiſſimo viro, in via S.Bonauenturæ falſum eſt: Paternitatem ſcilicet eſſe fundamentum immediatum, primum, ac præciſum ingenitæ innaſcibilitatis, ſed primum eſſe: ſed neque hoc eſſe omnem, & ſolam rationem paternitatis, vt ſatis longa ratiocinatione probat q. 2. vbi quoque quàm clariſſimè innaſcibile ſtatuit ex ſe dicere priuationem. Secundò, neque Paternitatem, vt formaliter relatio eſt, concedit ante omnem originem diſt. 27. quæſt. 2. ad tertium. Ideo ad argumenta vnica ſolutione poſſem ſoluere omnia; nihil probari contra principia S. Bonauenturæ. In gratiam tamen tanti viri, quem ſemper plurimi faciendum duximus, Ad primum dicimus, Ingenitum ſupponere, non dicere formaliter primitatem fœcundam, quaſi in actu primo, non actu ſecundo relatam, hancque eſſe initium non completum notionis: non poſſe eſſe paternitatem, quia hæc non eſt ante omnem originem: non enim generat quia Pater, ſed oppoſito modo ideo Pater quia generat. Concipitur ergo prius ratione abſtrahendo à generatione, & ſpiratione, quaſi in actu primo, vt omni primitate primus, & in hac primitate in communi fœcundus ad omnem emanationem (in habitu inquit Riccardus in fine corp. quæſt.) hoc eſt connotatum, & præciſè poſitiuum ingeniti.

Nec oppoſitum docuit Sanctus Doctor diſt. 27. quæſt. 2. ad tertium ratione prima, illis verbis. Nec ideo quia producit Spiritum Sanctũ: hoc enim conuenit, & Filio (addenda illa particula (Et) quę deeſt in textu) Ergo fontalis plenitudo in Patre ponit generationem in eodem Patre: non enim negat innaſcibilitatem dicere omnem fœcunditatem ad omnem productionem, ſed dumtaxat vt reſpõdeat propoſito argumento, quod erat: aut generat quia Pater, aut quia Deus generans, aut quia Deus innaſcibilis: non ſecundum, quia generaret & Filius: non tertium quia innaſcibilitas dicit tantum priuationẽ: ergo quia Pater. Reſpõdet: Generat quia innaſcibilis, vt poſitionem dicit, & poſitionem dicere multis demonſtrat argumentis. Sumit ergo ibi innaſcibilitatem, vt in ſolo Patre in ordine ad generationem, quippe quod id tantum diſputandi neceſſitas poſtulabat. Non autem hinc colligenda tota, & omnis, & integra ratio innaſcibilitatis, quæ ad vtramq; emanationem initium eſt, ideo in ſolo Patre eſt Hanc eandem, & totam rationẽ profitentur illi omnes neceſſario, qui ſupra hoc eodẽ capitis initio recoliti ſunt, & in Patre ideo toties eſſe totius Diuinitatis fontale principiũ ediderũt.

Ad ſecundum negandum eſt antecedens: & generationem ratione præcedere Paternitatem, & generationis rationem, eſſe primũ, eſſe aſſerendũ.

Ad tertium. Et primum, & principium in habitu quaſi ſupponi, non formaliter inuolui, & ſic ratione differre à Paternitate, idque ſufficere: primò, quia innaſcibile non eſt diſtincta notio, & ratio cognoſcendi vt priuatiua: ſecundò, quia in Patre generatio, & ſpiratio actiua differunt, non realitate vlla, nec reali, nec formali, & tamen duæ emanationes ſunt, & reales, licet non realiter differant, ſed ratione dumtaxat in Patre.

Sed ad huiuſce difficultatis pleniorem explicationem, & expeditionem, modus hic dicendi, Pater eſt totius Deitatis fontale principium, diſcutiemus. Dura enim, difficilis, abſurda, & falſa loquendi phraſis videtur. Si enim Pater totius Diuinitatis eſt principium: ergo & ſui ipſius, quod tamen paradoxon innoluit: ergo & Diuinæ eſſentiæ, cui tamen vt primo, & maximo enti repugnat. Et videtur id probare Concilium Lateranenſe cap. Damnamus, vbi decernit, eſſentiam Diuinam nec generari, nec generare. Tamen admittendum, tum ex Patribus ſupra relatis, Diuo Dionyſio, Diuo Auguſtino, D. Athanaſio, tum ex Concilijs Tolet. 11. Florent. ſeſſ. 24. in litteris vnionis, tùm denique ex Theologis, S. Thoma, & D.Bonauentura diſt. 29. dub. primo litterali &c. vbi egregiè omnia ſoluit, omnem tollit difficultatem, idque paucis verbis. Pater enim (inquit) eſt totius Diuinitatis principium fontale, ſcilicet omnium emanationum, & omnium producibilium perſonarum in Deitate, quam Deitatem, & eſſentiam eis, generando Filium, ſpirando Spiritum Sanctum, communicat: de quo quoniam infra tractatu de modis dicendi neceſſarius redibit ſermo, ne iterum eadem repetantur, hic ſuperſedendum.

Adhuc. Si Pater à nullo omnino eſt, & conſequenter primus, idque ratione eſſentiæ: hoc enim ab eſſentia pullulat: nam vnaquæque ſubſtantia eſt ſufficiens fundamentum ſuæ perſonalitatis.. Quare eadem eſſentia in Filio, & Spiritu Sancto non eſt à ſe, ideoque prima, & illa vtraq; perſona? Reſpondeo, id facili negocio ſolui. Nam in Filio, & Spiritu Sancto eſſentia eſt alio modo quàm in Patre. In illis namque inuenitur vt communicata, & in Filio per generationem accepta, in Spiritu Sancto per ſpirationem paſſiuam. Quare Filius, & Spiritus Sanctus pendent etc. ſecundum eſſentiam, quatenus eam à Patre Filius accipit, Spiritus Sanctus ab vtroque.

Modus ergo diuerſus ſe habendi Diuinæ eſſentię in diuerſis perſonis, facit perſonas aliam ab alia pendere, aliam eſſe primam, cæteras nequaquam. In quem tamen modum dicendi, licet aliquando à quibuſdam Patribus aſſertum, veluti à D. Nyſſen. lib. de different. eſſentiæ, & perſonæ. à Cyril. lib. 13. Theſa. cap. 2. & ab alijs. & à Theologis. Alb. Mag. 1. par. quæſt. 39. mem. 1. Alex. 4. par. q. 91. mem. 1. ad 2. Nimirum vnam perſonam pendere ab alia. Animaduertendum, propriè, & in rigore ſcholaſtico non eſſe verum: nam dependentia in ſe inuoluit diuerſitatem eſſentiæ, indigentiã in dependente &c. quod repugnat Diuinis perſonis. Ita D.Bon. 1. diſt. 26. art. 1. quæſt. 2. D. Thom. 4. contra gentes cap. 14. ad 9. Scotus 1. diſt. 2. par. 2. paulo ante quæſt. 4. & alij. Quòd ſi aliqui Patres, & Theologi dependentiam admiſerint; id ad naturam relationis explicandam, & ad intrinſecè neceſſariam coexigentiam vnius relationis cum altera in eadem eſſentia indicandam admiſerunt: vt contradicat dari Filiationem v. g. ſine Paternitate, & vnam perſonam ſine alia.

CAPVT IV.

An Innaſcibilitas dicat dignitatem, & qua ratione.

LEuamur hic ferè omni labore in hac innaſcibilitatis dignitate, & nobilitate perſuadenda. Pendet enim ex ſuperiori: ſi enim innaſcibilitati poſitio adeſt, proculdubio & dignitas; probata igitur poſitio, proindè probat dignitatem. Et quod ſupra cum de relationibus in genere contra multos multis rationibus, pro relationum Diuinarum perfectione pugnauimus; apprimè pro innaſcibilitatis perfectione congruit mirè, & conducit, & vehementer vrget, & videtur ſufficere. Si namque omnis Diuinarum perſonarum, vt ſic, proprietas ſuam neceſſariam perfectionem præfert, & ſibi aſciſcit: ergo & innaſcibilitas, cum & ipſa imò ſit prima notio, & proprietas. Sufficit hic ergo addere quæ propria, & pro ſola innaſcibilitatis dignitate conſtructa, præcipuè à S. Doct. afferri ſolent, vbi clarius, & expreſſius, & vrgentius loquitur, quàm de reliquis relationibus.

Et primo ſic, Innaſcibilitas ex conſequenti dicit poſitionem, & primitatem: ſed primitas eſt nobilis poſitio: ergo. Quis enim aut non videt, aut negare poteſt, eſſe fontale, fœcundiſſimumque principium, à quo omnis perſonarum productio, ac emanatio, infinitam perfectionem aſſerere? Et ſi in creaturis hoc tam ſolerter attenditur, & tàm excelsè commendatur, cur non multo magis in Deo? Quodſi ad extra Deo, quo omnium creaturarum ſcaturigo, ac omnipotens principium, tanta laus, tantuſque honor tantæ communicationis omni ex capite, vbique clamante, ac Sancta Scriptura præcipiente, atque ab omni creatura ſuapte natura, defertur; quæ cauſa erit, qua idem honor, & excelſior ad intra Deo Patri, Filium gignenti, primoque ad omnem internam æternamque emanationem, impediatur, vt ideo ex hoc nulla inſurgat Patris primitati dignitas, ac nobilitas? Quod verò dicat, ac connotet, coarguatque poſitionem; præterito capite ſatis demonſtratum eſt. Secundò. Sicuti ad completiſsimam perfectionem ſpectat, quod omnis perſona ad vnam referatur, ita & eadem ratione, quod omnes relationes perſonæ ad vnam, hoc eſt in Patere, ad innaſcibilitatem. Tertiò ex aduerſariorum ſententia: Ideo enim negant relationes dicere perfectionem, quia relationes: ergo innaſcibilitas certius perfectionẽ dicet, quippe quæ magis relationis initium, quàm relationẽ ſignificat. Quartò. Fœcunditas, & vis communicandi, quanto maior, tanto excellentiorem perfectionem dicit: at verò in Patre eſt maxima, & omni ratione prima: ergo. Eſt enim bonitatis inſigne, & egregium inditium fœcunditas communicandi, communicatioque: teſtatur omnis philoſophia, omniſque veritas.

Hæc S. Doct. ſententia admodum congrua, & rationi conſona eſt, & eo congruentior, quò communis ferè ſententia eſt: D. enim Thomas primo prima parte quæſt. 32. art. 3. ad 4. his verbis. Cum perſona importet dignitatem, non poteſt accipi notio aliqua Spiritus Sancti ex hoc, cum nulla perſona ſit ab ipſo: hoc enim non pertinet ad dignitatem ipſius, ſicut pertinet ad auctoritatem Patris, quod ſit à nullo. Vbi non ſolum quod aſſerimus videtur concedere, innaſcibilitatem ratione poſitiui, primitatis ſcilicet, dicere dignitatem, & auctoritatem, ſed etiam ratione priuatiui, quod à nullo eſt: quod eſt valde obſeruandum & in D. Bonauentura, quia alij diſt. 28. art. 1. id ipſum aſſeuerauerunt, quod vrgeret eos, qui poſitionem Ingeniti negauerunt, & ideo etiam dignitatem. Eſſe enim omnino à nullo, & ratione principij connotati, & ratione etiam negationis, & dignitatẽ dicere, & graues ita Doctores locuti ſunt.

Hoc idem Alexander infra citandus non reijcit, ſumendo non ſolitariè negationem, ſed affirmationi coniunctam, his verbis. Eſſe non ab alio dignitatis eſt, ſicut Filium eſſe ab alio non dignitatis eſt. Idem Alexander 1. par. quæſt. 69. art. 2. his verbis. Innaſcibilis ergo cum dicitur notio Patris, non denotat defectum, ſed potius perfectionem, quæ ſignatur, cum dicitur Pater à ſe: ſed quia hoc non poſſumus intelligere, quomodo aliquid eſt à ſe, negatione determinamus. Si autem quæreretur, quæ eſſet perfectior ſecundum rationem intelligentiæ notio Patris, innaſcibilitas, an Paternitas. Dicendum, quod innaſcibilitas, quantum eſt ex parte rei: Paternitas verò, quantum eſt ex parte noſtræ intelligentiæ: hoc enim eſt quærere, Cum Deus ſit ens perfectiſsimum, vtrum magis ei attribui debeat perfectio, quod nõ eſt ab alio, vel quod eſt principium, & cauſa aliorũ & fortè ſecundum vtrumque determinatur ſumma perfectio in eo, ſed differenter, per vnum quantum ad ſubſtãtiam, per alterum quantum ad virtutem, ſiuè potentiam: vbi hic Irrefragabilis Doctor hæc mirificè aſſerit. Primum. Innaſcibilitatem dignitatem complecti. Secundum. Saltem ſecundum noſtrã intelligendi rationem excellentius quàm faciat Paternitas. Tertiũ, quod iam iam quærebamus. Nedum affirmando, ſed etiam negando. Neque officit quod communiter ſolet opponi, negationem puram non dicere dignitatem. Reſp. enim primò, excipi de negatione in ſimpliciter primo, in quo prorſus à nullo eſſe, dignum valdè eſt. Secundò, non eſſe negationem ſolitariè ſumptam, ſed affirmationi annexam, licet etiam vt negatio vt ſic, annexam præſeſere dignitatem. Eandem doctrinam tradidiſſe Ricardum diſt. 28. art. 2. quæſt. 2. facilè colligitur ex eo, quod toties repetit innaſcibilitatẽ, primitatem, & fœcunditatem cõſignificare.

Quæ ſolet huic dignitati obijcere Scotus cum ſuis, iam reiecta, & ſublata ſunt cum de perfectione relationum in genere; & in primis ſufficere in Diuinis non adeſſe imperfectionem, neque neceſſariò ineſſe perfectionem in relatiuis, iam ante dictum fuit multis, at præcipuè quia perfecti & imperfecti immediata diſtinctio: quo ſequitur iam imperfectio abeſt: ergo adeſt perfectio, & econtra, ſi remouetur perfectio: ergo ſtatim imperfectio.

CAPVT V.

An, & quam relationem ſignificet.

LVculenter hanc agit, & perſoluit dubitationem Sanctus Doctor quæſt. 1. 2. & 3. his fermè aſſertis.

Primum aſſertum. Innaſcibilitas neceſſariò, & certo, non ad abſoluta, ſed ad relatiua Dei pertinet. Quod manifeſtè probatur ex D. Auguſtino. Non receditur à relatiuo prædicamento cum dicitur ingenitus: ergo etiamſi priuatiuè ſumatur, ad relationem reducitur: quod S. Thom. quæſt. 33. art. 4. ad tertium, eo modo docet ad relationem reduci, quo negationes ad affirmationes. Quemadmodum non homo ad genus ſubſtantiæ, & non album ad genus qualitatis. Secundò eodem ex loco, non genitus ad non genitorem, ſicut genitus ad genitorem; ſed hoc ad relationem: ergo & illud. Præterea ratione. Prima. Innaſcibilitas eſt proprietas Patris de fide: ergo relatiua. Secunda. Pater innaſcibilitate, & ingenito, differt à Filio: ergo relatiua eſt: Diuinæ enim perſonæ abſolutis conueniunt, relatiuis differunt, vt celebratum decretum omnium Patrum, & Thelogorum eſt. Quæ tamen S. Doctoris ratio quoád antecedens hoc indiget commentario, quod adhibet ſibi mirificum q. 3. & Ricard. quæſt. 2. quippequod non differt Pater à Filio innaſcibilitate, quaſi relatione conſtituente, & actu diſtinguente: non enim eſt proprietas, ac notio, quæ actu conſtituat, & diſtinguat, neque actu referatur: negatiuè enim aſſumpta dumtaxat negat, nihilque addit, quo perſona ita ſit, vt diſtinguatur, & referatur ad aliam. Si verò poſitiuè accipiatur, ſolam primitatem, & fœcunditatem, & noſtro modo intelligendi aptitudinem, & potentiam actiuam ad producendum, non actu, vt optimè eodem loco Ricard. & quaſi initiatiuè S. Bonauentura: ergo per eam Patrem differre à Filio, ita accipiendum eſt, vt ex Ricardo cognoſcatur differre, aut ex S. Bonauentura incipiat ſicuti conſtitui, ita referri.

Addit Alex. dubitationẽ. An ſecundum ſubſtantiã ingenitus, & genitus poſsint dici differre. Reſp. in ſenſu affirmatiuo, ſi ſubſtãtia pro hypoſtaſi, ac perſona ſumatur, concedit poſſe dici, ſed admodum cautè, ac limitatè ita loquendum. Tertiò, quomodocumq; innaſcibile vſurpetur, vel primò, & priuatiuè, vel ſecundariò, & poſitiuè; in Patre relationem redolet. Probatur: priuatiuè enim à nullo eſt, & ad non genitorem refertur. Poſitiuè verò primitatem, & habitualem fœcunditatem ad omnem producendam perſonam producibilem: ergo.

Secundum aſſertum. Innaſcibilitas formalis, & vt ſic priuatiuè ſumpta, ratio relationis non eſt, neque eſſe poteſt realis, ſed rationis: tantum enim abeſt, vt realiter referatur, vt realem relationem neget, & omnino tollat. Eo enim quo à nullo eſt Pater, conſequenter neceſſariò ad nullum refertur: ergo ad nullum relatio. Confirmatur primo, quia vbi nullus terminus realis rationis ibi nulla realis relatio; ſed hìc potius negatur terminus, quã ponatur: à nullo enim eſſe dicitur: ergo. Secundò. Negationes, quas cum affirmationibus aſſumimus, cum nihil vt ſic ſint, niſi ratione apprehendimus: ergo in Patre innaſcibilitatem vt à nullo, tantum ratione conſerimus, & perpendimus, nullam relationem realem indicamus, aut indicare poſſumus. Tertiò. Negatio rei non eſt res quæ negatur, nec negatio ſubſtantiæ eſt ſubſtantia: ergo neque innaſcibilitas, quæ eſt negatio emanationis, & relationis ab vllo alio, erit relatio. Multa loca S. Aug. hìc apponit Ricardus, quæ egregiè enucleant, & affirmant aſſertum hoc, eadem diſtinctione.

Tertium aſſertum. In via admodum rationi conſentanea, innaſcibilitas, quæ pro re affirmata, & connotata aſſumitur, nullam actualem, ac completam relationem aſtruit. Quod ſi aliquam, non diſtinctam tamen reali diſtinctione à Paternitate &c. Aſſerti prima pars conſtat ex S. Doctore diſt. 27. quæſt. 2. ad primum, & alijs ſupra notatis locis, quibus innaſcibilitatem eſſe initium perſonæ Patris aſſeueratum eſt. Et ex Ricardo quæſt. 2. ad tertium, vbi ſecundum noſtram intelligendi rationem, primitas, inquit, per innaſcibilitatem importata, non importat relationem realem, & actualem, neque ad Filium, neque ad Spiritum Sanctum, ſed tantum aptitudinalem: ergo licet Patris notio ſit, non eſt tamen relatio realis. Secunda quoque pars vltrò ad communiorem opinionem conceſſa, conſtanter, & eruditè probat, & ſuſtinet S. Thomas, & Ricard. & communis ſententia, & Alexander memb. 4. Et idem S. Bonauentura: licet enim q. 2. videatur dilucidè demonſtrare, innaſcibilitatem non eſſe eandem relationem, ac notionem cum paternitate, vt ibi conſtat; admittit tamen dicere paternitatem, ſed non adequatè, nec conuertibiliter: comprehendit enim & ſpirationem actiuam.

Quartum aſſertum euidenti conſecutione exoriens. Innaſcibilitas non eſt, licet perſonæ, tamen perſonalis, ac conſtituens proprietas. Conſtabit primò infra, cum de paternitate. Secundò id q. 3. cum communi ſententia ſuis locis ſic demonſtrat. Primò. Paternitas ſecundum omnes Patres, ac Theologos eſt relatio conſtituens primam perſonam: ergo non eſt innaſcibilitas, quia vnius perſonæ vna eſt perſonalis proprietas. Secundò. Illa eſt proprietas perſonalis, ac relatio conſtituens, quæ poſitionem, & actualem, & ſpecialem, & completam rationem perſonæ continet: ſed hæc non poteſt eſſe innaſcibilitas: ergo. Nam eſt communis ad vtramque perſonam producendam, nec completa, ſed inchoans, nec actu, ſed habitu conſtans, vt patuit: ergo. Tertiò ex alijs. Primitas ex innaſcibilitate dicit potentiam ad generandum &c. Sed poſse generare ſupponit perſonam conſtitutam: ergo non conſtituit. Quartò oppoſito modo ex S. Doct. licet iam ferè ſit dictum. Primitas præſupponitur ad Paternitatem: ergo non conſtituit perſonam. Conſequentia eſt omnium Theologorum. Eſt euidens aſſertum, nec alia roboratione indigens.

CAPVT VI.

Quare ſi duo darentur innaſcibiles, duæ eſſent naturæ; nequaquam tamen ſi duo Filij.

QVanto certum repugnare duos concedere innaſcibiles, tantò itidem certum vnam dandam perſonam innaſcibilem. Et vtrumque paucis comprobandum de fide; alterum tamen ex altero. Probatur verò tanquam de fide auctoritate illa, qua datur perſona de facto prima innaſcibilis, & neceſſariò danda. Primò enim habetur in Concilio Nicæno. Conc. Tolet. 6. & 11. in confeſsionibus fidei, in Symbolo D. Athanaſij, *Pater à nullo eſt factus, nec creatus, nec genitus*. Tradunt omnes Patres. Idem D. Athanaſius epiſt. de Synodo Antiochena circa finem, & oratione ſecunda contra Arrian. D. Greg. Nazian. orat. 29. D. Baſilius lib. 1. contra Eunomium. D. Hilarius 4. de Trinit. D. Aug. 5. de Trinit. cap. 6. & 7. & lib. 15. cap. 26. D. Damaſc. lib. 1. de fide cap. 9. Imò Diuina Scriptura omnibus ijs locis, quibus enumerans Diuinas perſonas, primo loco conſtituit Patrem; ſi enim primam fatetur, conſequenter innatam, & innaſcibilem. & ijs deinde locis, quibus Filius ſuum Patrem nominat, eiq; acceptũ refert omne quod habet. Io. 10. *Quod dedit mihi Pater maius omnibus eſt* & Io. 7. *Mea doctrina non eſt mea, ſed eius, qui miſit me Patris &c.* Et ijs deniq; locis, quibus ſecunda perſona, Verbum, Filius, Imago Patris aſſeritur. Præterea ratione. Vel aliqua Perſona producta eſt, vel non producta. Si non producta: ergo habetur intentum. Si producta: ergo & vna improducta, nam in productione apud omnes in infinitum procedere, intollerandum abſurdum eſt: quare in vna ſiſtendum.

S. Bon. d. 2. q. 3. quadruplici ratione hãc abſurditatẽ in Deo infinitatis perſonarum commonſtrat. Si enim infinitę emanarent, & producerẽtur perſonæ, in ijs nulla diſtinctio, nullus ordo, nulla connexio, nulla denique foret complexio. In infinito nanq; numero neque ordo vllus, neque diſtinctio inueniri poſsibile eſt; nam nullum primum, nullum medium, nullum vltimum, nulla denique connexio, quia infinita infinitè diſtarent. Nulla complexio: nulla enim creatura in Deo rationalis poſſet beari; neque enim perſonarum numerum infinitum comprehendere poſſet; & tamen de ratione beatitudinis, vt ſuo loco demonſtratur, eſt omnibus perſonis frui: in ſingulis enim perſonis eſt idem totum obiectũ, diuerſo modo ſe habens, beatificans Diuina eſſentia: ergo Diuinarũ perſonarum terminãdus eſt numerus in aliqua perſona improducta.

Quod confirmari poteſt repetendo primum argumentum. Omnes perſonæ Diuinæ, aut omnes productæ eſſent, aut aliqua non producta. Si ſecundum, hoc eſt quod quæritur. Si primum, probo omnino repugnare: Nam illa, à qua omnes productæ, vel eſt perſona Diuina, vel non. Si ſecundum: ergo Deus à non Deo: ergo non Deus. Si primum: ergo non omnes productæ. Hac eadem ratione vtitur S. Thom. hoc art. 4. ad tertium, non procedendum in infinitum, ſed in aliqua improducta ſtatuendus finis. Quod verò hæc improducta perſona non poſſit eſſe niſi vna, quod erat alterum propoſitum vt probaretur; vt clarius, & lucidius euadat demonſtratum, tria breuibus ſupponenda.

Primum ſupra iam, cum à S. Bonauentura; tum à reliquis Theologis ex Patribus obſeruatum. Ingenitum ſcilicet, & innatum, & innaſcibile, non quocumque modo licet vſurpare, ſed eo, quo ſolo Patri proprium eſt. Non vtique vt opponitur creato, aut propriè genito, ſed vt omnem productionem paſsiuam, & communicationem excludit, & omni modo improducta, & improducibilis ſit illa perſona, de qua nunc.

Secundum. Ex D. Bonauentura diſt. 27. q. 2. ad tertium alta mente reponendum, his verbis. Paternitatis, & generationis proprietas, quantum eſt de generali ſua ſignificatione, communicabilis eſt, vt patet in creaturis, quia genitus generat, & Filius eſt alterius Filij Pater, Cum autem in Diuinis Paternitas ſit incommunicabilis, non erit ratione ipſius præciſè, ſed ratione alterius adiuncti, ſcilicet primitatis, & innaſcibilitatis, quia primum non poteſt alij primitatem cõferre, & innaſcibilis non poteſt innaſcibilem producere. Quibus videtur generare, quia innaſcibilis. Sed quod apprimè ad rem confert, eſt, innaſcibilitatem, etiam poſitiuè ſumptam, radicem eſſe, & rationem proprietatis incommunicabilis,

Tertium. Dubitatio hæc mouetur in gratiam, & reuerentiam, & commentationem quorundam verborum D. Hilarij lib. de Synodis. *Si quis*, inquit, *innaſcibilem, & ſine initio dicat Filium. Quod duo ſint principia, & duo innaſcibilia, & duo innata dicit, duos faciens Deos, anathema ſit*. Illa enim verba, duo innaſcibilia duos facit Deos, vrgent ad rationem inueniendam, quare duo innaſcibiles duos faciat Deos; non autem duo Filij ad idem abſurdum ducerent, ſi per impoſſibile concederentur. Primus, quem viderim ego inter Theologos, qui his verbis explicationem addiderit, rationemue reddiderit, fuit Alex. Alenſ. in fine quæſt. 69. Qui enim, inquit ille, duos innaſcibiles ponit, priuat ordinem in Diuinis: ſignificat enim, quod duo ſunt, quorum vterque eſt Deus, & neuter ab alio. Qui verò duos Filios ponit, vt ſi diceretur, Spiritus S. eſt Filius Filij; non remouet ordinem, nec ſubindè remouet vnitatem ſubſtãtiæ.

Sed ſtabilienda altius veritas hæc, indagandaque profundius. Eſt ergo aſſertio de fide, inter Diuinas perſonas vnam tantum eſſe improductam, oppoſitumque nedum falſum, ſed repugnare. Primò, citato loco S. Hilarij lib. de Synodis explicat. 4. confeſſionis fidei. Secundò ex Conc. Florent. Tertiò ex iiſdem locis Diuinæ Scripturæ ſupra indicatis. Quartò ex Patribus. D. Athan. orat. contra Greg. Sabel. & in Symb. iam antea commemoratis. Clarius ex D. Fulgentio ad ſextam obiectionem Arrianorum. Ex Ricardo de

S. Vi-

Victore lib. 5. de Trinit. cap. 3. & 4. Ex Scholaſticis Alex. vbi ſupra, S. Thoma hic ad quartum, S. Bonauentura eodem indicato loco diſt. 2. q. 3. Henrico quodl. 6. quæſt. 1. & in Summa art. 54. quæſt. 2. Scoto in 1. diſt. 2. quæſt. 5. Ratio autem potior, quam ex D. Hilario collegerunt Alex. & S. Thom. imò ex D. Athanaſio, & D. Fulgentio hæc eſt. Si eſſent duæ improductæ perſonæ, eſſent duo Dij; nam neceſſariò different cum eſſent duo: non relatione, cum eſſent improductæ: ergo natura, & ſubſtantia, quam eandem rationem longa ratiocinatione deducit Henricus. Quæ ratio ſi non placuit Scoto, quia S. Thomæ debuerat ei placere, quia tot S.S. Patrum, poteſtq; ſic probari.

Duæ perſonæ improductæ eſſe non poſſunt, niſi aut ambæ abſolutæ, aut ambæ relatiuæ, aut altera abſoluta, & altera relatiua: ſed nullo iſtorum modorum poſſunt eſſe: ergo. Non primo modo, quia repugnat perſonas conſtitui proprietatibus abſolutis, proprietatemque eſſe abſolutam: Primò namque eſſet communicabilis pluribus ſuppoſitis, atque ita non propria, ſed communis. Deindè in Deo proprietas abſoluta dicit perfectionem ſimpliciter infinitam: ergo repugnat multiplicari, & alteram excludere, & ab ea diſtingui. Tertiò, ſi per proprietates abſolutas differunt: ergo per ſubſtantiam quoque, & naturam. Non ſecundo modo, quia in Deo non poſſunt eſſe niſi relationes originis producti, & producentis: aliæ enim relationes, vnitatis, & menſuræ, nequaquam in Deo locum habere poſſunt, vt conſtat, ptopter tum omnimodam identitatem, tum immenſitatem: ſed in perſonis improductis non poteſt inueniri ratio producti, vt conſtat: ergo tantum improducti. Sed neque hoc, quia ſi eſſent duæ perſonæ improductæ, eſſent neceſſariò ſimul in Deo, & nullum inter ſe haberent ordinem: nec rei, quia nulla origo: nec rationis, quia nullum fundamentum talis ordinis. Et conſequenter quidquid produceret vna, ptoduceret & alia: eandem enim & primitatem, & fœcunditatem, & potentiam producendi haberent, quia & eandem naturam. Patet exemplo de facto, quia idem Spiritus Sanctus numero procedit à Patre, & Filio, propter eandem facultatem in Patre, & Filio.

Nec valet refugium ad relationes diſparatas. Primò, nã in Diuinis de facto per illas non diſtinguũtur: ergo neq; de poſsibili. Secũdò, nam adhuc neq; ab Ariſt. neq; ab alio Philoſopho excogitata eſt iſthęc relatio. Neq; deniq; tertio modo, eadẽ rationũ vi cũ proportione probatur; Nã perſona diſtincta per abſoluta non poteſt eſſe, ratione iam indicata: abſolutum enim commune eſt, & communicabile, & idcirco non diſtinguit. Relatiuum quoq; improducti producentis non diſtinguit, eadem iam ratione expoſita: eſſent enim ſimul in eadem natura, & quod vna produceret, altera quoque: ergo illa relatio non diſtingueret, ſed communicaret.

Tertiò arguit S. Bon. in 1. diſt. 2. Si non eſt deuenire ad vnum primum, nullus eſt ordo in Diuinis: ergo dãda vna perſona improducta. Quod ſi dicas, deuenire ſufficit ad duo prima. Hinc ſecundò diſt 8. q. 1. ex ſumma Dei ſimplicitate dandum vnũ maximè primum, nam vnum omne maximè primum eſt ſimplicisſimum, & conera. At verò duo prima, & improducta, non eſſent ſimpliciſſima, quia nec ſimpliciter prima; alterum enim æquè ac alterum eſſet primum. Scotus, primò. Si non eſt deuenire ad primam perſonam, dandæ ſunt infinitæ, quod deteſtandum abſurdum eſt; nam non eſt maior ratio de vna, quàm de altera. Secundò. Natura Diuina non dicit immediatum ordinem ad duas perſonalitates, ſed ad vnam primò, & per ipſam ad alias: aliàs enim non eſſet ratio diſtinctionis, & multiplicationis perſonalitatum: ergo ratione ordinis, & diſtinctionis, vt primo docebat S. Doctor, danda eſt vna prima. Poſtremo Ricard. de S. Victore loco poſito cap. 3. Ad perſonam productam Diuinam ſpectat producere omne diſtinctum à ſe: ergo non admittit aliam imptoductam. Conſequentia eſt nota ſi probetur antecedens, quod quidem ſic. Quia improducta perſona potens eſt in omni genere & ordine per ſe ipſam, & plenitudine producere quodcumque producibile: ergo concedere aliam improductam repugnat vi productiuæ &c.

Redeamus ad quæſtionis propoſitum. Duæ perſonæ innaſcibiles duos facerent Deos: eſſent enim duo prima (inquit S. Bonauentura) & ſic partirent ſummam ſimplicitatem, Diuinamque naturam, diſtinguerent abſoluta &c. Quod verò addebatur in Deo duos dicete Filios, non inde ſequi vt inde tollatur Diuinæ naturæ vnitas, licet aliunde & hoc quoque repugnet, vt ſæpè indicatum eſt: ſufficit ad rem propoſitam diuerſam eſſe prorſus vtriuſque thematis rationem &c.

DISPVTATIO SECVNDA.

De Paternitate in duo capita diſtributa.

Primum. De origine Paternitatis.
Secundum. An Paternitas ſit conſtitiua Perſona.

CAPVT I.

De origine quaſi paſsiua Paternitatis.

NOn de origine actiua paternitatis hic inſtituitur dubitatio: eſt enim omnino alia, ac diuerſa ratio, aliumque locum expoſtulat, quo de generatione Filij actiua: ſed de origine quaſi paſſiua, non quia producatur Paternitas: primitati enim huius perſonæ repugnat, & fidei: ſed Paternitatis quodnam ſit fundamentum, ſeù radix huius proprietatis in Deo ipſo, quemadmodum dicimos, vnum attributum eſſe alterius rationem.

Scotus ergo in 1. diſt. 28. quæſt. 3. refert quendam modum dicendi, ne dicam producendi primam perſonam. Deus enim (inquit) eſſentialitet ſubſiſtens, prius ſecundum rationem quàm prima perſona producat, ſe determinat ad eſſe primæ perſonæ, & ſeſe illi communicat:

nicat:

nicat: Quod poteſt facere, quia eſt ens per ſe, & in virtute continet quidquid eſt in prima perſona. Ad quam productionem ſufficit diſtinctio formalis, & ex natura rei, quæ eſt inter hunc Deum vt ſic, & primam perſonam, ſeu proprietatem conſtitutiuam primæ perſonæ. Neque inconuenit, Deum hunc producere conſtitutum ex ſeipſo, & prima perſonalitate. Quod ſi ei opponatur, hunc dicendi de Patre modum videri tollere improductionem primæ perſonæ, & aperto ore Sanctis Patribus, & Concilijs reclamare, aſſerentibus vbiq; primam perſonam eſſe improductam, & totius Diuinitatis principium, modo ſupra explicato: Reſpondit, iſtam productionem fieri immediatè per eſſentiam, & communicando totam naturam, & ideo eſſe quamdam generationem: & quando Sancti, ac Concilia, Patri ineſſe improductam perſonam aſſerunt; loquuntur de prodnctione ſuppoſiti à ſuppoſito, non de illa, quæ eſt habens eſſe per ſe, non à ſuppoſito. Et tandem concludit: Deitas, & hic Deus eſt de ſe communis tribus perſonalitatibus, quas non includit in ſuo conceptu, imò ab eis differt ex natura rei. Inueſtigandum ergo eſt per quid Deus determinetur ad eſſe Patrem, & primam perſonam: non enim eſt alius, à quo determinetur: neque per ſe formaliter: Nam tunc includeret in ſuo conceptu formali eſſentiæ illam primam perſonalitatem: ergo per quandam productionem, qua reſultat prima perſonalitas, & prima perſona producitur.

Sed hæc ſentētia potius relata eſt à Scoto, quàm ſit ipſius Scoti: in fine enim ſe ipſum colligit ad ea, quæ comuniter aſſeruntur, ac ſtatuit: Eſſentiam Diuinam ſeipſa ſimpliciter, & neceſſariò ad primam ſubſiſtentiam, quæ à nulla alia originem ducat, & aliarum in Trinitate ſit origo, determinari &c.

Hic tamen modus dicendi Scoti, quidquid ſit de ipſius mente, valde abhorret à communi dicendi modo, tum Patrum, tum omnium Theologorum, & acri redargutione à recentioribus, præſertim quibuſdam valde peritis Theologis redarguitur 1. par. nimirum à Franciſco Zumel in D. Thom. quæſt. 33. art. 4. & à Franc. Suarez lib. 8. de Trinit. ſect. 1.

S. Bonauentura in 1. ſent. diſt. 26. q. 3. & diſt. 27. q. 2. fundamentum, & radicem Paternitatis eſſe generationem, generationis verò innaſcibilitatem ait, quod admodum eruditè, ac eleganter digerit, ac dilucidat, primò in genere diſt. 26. Tria poſſunt animaduerti, & ratione diſtingui in perſona Diuina conſtituenda, vel conſtituta diſtinguenda, vel diſtincta. Primum, oriri. Secundum, eſſe. Tertium, referri ad perſonam vnde habet originem. Et generatio propriè & ſtrictè ſumpta, dicit originem: Paternitas verò relationem; Communiter autem accepta ſingula vox vtrumque ſignificat, ſcilicet & originem, & relationem. Hinc relatio propriè vſurpata dumtaxat eſt innoteſcendi, & manifeſtandi ratio: communiter verò, etiam conſtituendi, & diſtinguendi. Et probat S. Doctor tum ex Boetio lib. 1. de Trinit. *Relatio multiplicat Trinitatem.* Si enim multiplicat: ergo & conſtituit. & diſtinguit perſonas. Tum ex Ricardo de S. Victore 4. de Trinit. cap. 3. & c. 15. *Perſona diſtinguitur proprietate originis*, & huc poſſent addi illi SS. Patres, quos refert Suarez lib. 7. cap. 1. 5. & 6. de Trinitate, licet non prorſus ad hoc idem propoſitum. Tum ratione. Prima. Perſonæ non poſſunt diſtingui per abſolutum, vt conſtat: ergo per reſpectiuum. Secundò. Relatio non accidit perſonæ, vt patentiſsimum eſt, ſed ei conſubſtantialis, & intrinſeca, & connaturalis: ergo Perſonæ non eſt accidentalis, nec conſequenter: ergo formaliter non tantum oſtendit, & manifeſtat, ſed etiam diſtinguit, & conſtituit: & hoc quaſi primum aſſertum ſit.

Secundum aſſertum verò. Relatio, non vt relatio præcipuè, ſed vt originis, eſt ratio conſtituendi, & diſtinguendi perſonam. Probatur primò. Abſtractis per intellectum relationibus originis, nulla prorſus remanet diſtinctio in Diuinis: ſed abſtractis relationibus vt relationibus, adhuc remanet diſtinctio perſonæ, licet incompletæ, & per originem initiatæ: ergo non relatio vt ſic, ſed vt origo eſt ratio diſtinguendi perſonam: per eam enim preciſè adhuc intelligitur qui ab alio, & à quo alius. Diſt. verò 27. quæſt. 2. propius ad rem accedens, Paternitatis originem realem rationem prodit eſſe generationem, cum quo graditur & Ricardus, qua parte hac in re problematicus eſt. Et probat primò auctoritate Magiſtri. Semper eſt Filius, quia ſemper eſt genitus: ergo genitum eſſe eſt ratio filiationis: ergo pari ratione generatio actiua eſt ratio paternitatis. Probatur. Nam ſecundum noſtri intelligendi modi rationem prius eſt generari, quàm eſſe, & eſſe, quàm referri: ergo prius generatur Filius, quàm referatur: ergo prius prima perſona generat, quàm referatur relatione Paternitatis: ſicut enim ſe habet generatio paſsiua ad Filium, ita actiua ad Patrem. Secundò. Pater eſt, aut quia Deus, aut quia Deus generans. Non primum quia tunc quælibet perſona Deus generaret: ergo quia Deus generans.

Quod ſi opponas. Actus generationis eſt actus perſonæ diſtinctæ: ergo prima perſona antequā generet, præſupponitur conſtituta: ergo per Paternitatem primam proprietatem: ergo generat quia Pater. Reſpondet S. Doctor, eſſe conſtitutam perſonam primam initiatiuè poſitiuè per primitatem. Secundò, Præſupponi diſtinctam per noſtrum intellectum, ſed non actu, ſed completa diſtinctione per ipſam generationem. Huic opinioni ita adhæret S. Doctor, vt oppoſitæ tamen magnam referat probabilitatem; & hac ratione adhæret, quia facilior quæ intelligatur ei videtur; Si tamen in propria, & rigoroſa ſignificatione aſſumatur Paternitas, ſcilicet vt relatio, & ſimul natura cum filiatione, à qua per nullum intellectum abſtrahi poteſt quin ſit relatio: tunc multo minus poteſt præſupponi ad generationem, quia potius ad eam conſequitur. Ergo S. Doctoris ſententia eſt, Relationem Paternitatis diſtinguere, & conſtituere, non preciſè vt ſola relatio eſt; ſed vt relatio originis (Attentè audiendus, non dicit originem diſtinguere, ſed inchoare diſtinctionem, neq; ſolam originem, ſed relationem cum origine).

Et poteſt iterum confirmari. Primò ex

Diuo

Digitized by Google

Diuo Fulgentio de Fide ad Petrum cap. 1. *Quid aliud eſt genuiſſe, quàm natum eſſe? quid aliud eſt natum eſſe, quàm proceſſiſſe? ideo manifeſtum eſt, quod alius eſt Pater, alius Filius*. Rurſus ex D. Damaſc. 2. de fide cap. 2. *In Diuinis omnia ſunt communia, præter ingenerationem, generationem, & proceſſionem*. Quibus proprietatum diſtinctionem ex originibus initiari clariſsimè commonſtratur. Deinde iterum rationibus. Primò. Si relatio vt relatio diſtinguit, ex illo axiomate. *Vnde res habet eſſe, etiam diſtinctum eſſe habet*. Quia ens & vnum conuertuntur: ergo etiam ſpiratio actiua conſtituit perſonam, quod tamen falſiſsimum eſt. Præterea Relatio in creatura non diſtinguit: Ergo non eſt de ratione relationis præcisè diſtinguere. Ad huc. Relatio vt oppoſita & diſtinguit etiam ſecundum S. Thomam: ſed non eſt oppoſita, niſi per originem: ergo non diſtinguit niſi etiam per originem. Mox, Ratio quæ affertur, quare Pater realiter diſtinguatur à Filio, eſt origo, quia Pater non poteſt generare ſe ipſum, ſed Filium: ergo origo: ergo Paternitatis ratio eſt generatio, & generationis innaſcibilitas, & primitas, & in primo ſtandum. Confirmatur tandem. Repugnare videtur, eſſe, vel intelligi prius Patrem, quàm genetet, & habeat Filium, & denominari Patrē niſi à correlatiuo Filio.

Henric. Gand. art. 58. quæſt. 4 Hæc quatuor animaduertit, generatiuum, potens generare, generans, & Pater. Et quia generatiuum, conſtituit in perſona, reliqua tria quaſi aduenire conſtitutæ perſonæ. Quod ferè idem, & Bacconius diſt. 22. art. 2. quſt. 2. & 3. quæ admodum D. Bonauenturæ ſententiæ fauent.

S. Thom. de Pot. quæſt. 8. art. 3. ad ſeptimum Diuinas perſonas tradit conſtitui in quantum ſunt eſſentia, quæ eas faciat ſubſiſtentes: relatio enim vt ſic, non habet quod ſubſiſtat. Subſiſtit ergo vt idem cum eſſentia. Secundò 1. par. quæſt. 40. art. 2. Et de Pot. quæſt. 8. art. 2. & 1. ſent. diſt. 26. quæſt. 2. art. 2. cum quo ſunt, & Aegidius, & Argent. edifferit, Diuinas perſonas diſtingui quidem origine, ſed non ſola, ſed etiam relatione. Ratio eius eſt, Quod conſtituitur, & diſtinguitur, debet per aliquid ſibi intrinſecum diſtingui: ſed origo actiua, vel paſsiua, vt via eſt, non ſignificatur vt aliquid intrinſecum, ſed vt via, & quaſi fluxus ad id quod diſtinguitur. Art. verò 4. eiuſdem quæſt. 40. id quod quæritur, immediatè tangit, & aperto ore, originem paſsiuam præcedere actum notionalem, vt viam ad ipſam originem. vt ad eſſe Filium, generari: Ad actiuam verò in Patre, præſupponi relationem Paternitatis, vt conſtitutiuam perſonæ ad actum notionalem generationis actiuæ, eo quia perſona agens præintelligitur actioni. Vt vero relatio vt ſic, ad ipſam præintelligitur actus notionalis, veluti ſuper quo fūdatur.

Qui quidem modus dicendi de relatione, vt relatio, & vt conſtituens, mirum eſt quàm ab exotericis impugnetur, & quā exercuerit ipſorum S. Thomæ diſcipulorum ingenia, & in quot partes diuiſerit. Reuera admodum difficilis, vt inter alios recentiores teſtantur, & vrgent, Ludouic. Mol. in D. Thom. in quæſt. 40. art. 2. diſp. 2. membi 2. Et Franc. Zumel in eadem quæſt. diſp. 2. Conſtantiſsimum enim iuxta Patres & Concilia, perſonas Diuinas conſtitui, & diſtingui formaliter per relationes actu, vt opponuntur, aliàs non eſſent relatiuæ. Et impoſsibile eſt concipere Patrem vt Pater eſt formaliter, non ſimul concepto Filio eius termino: ſunt enim ſimul natura. Ergo videtur repugnare præconcipere Paternitatem vllo modo ad actum generationis Filij: ſunt enim ſimul natura, & conſequenter etiam cognitione. Confirmatur. Impoſsibile vt in aliquo ſigno concipiatur paternitas vt afficiens ſubiectum, & conſtituens, & non conſtituat relatiuum; nam tota entitas, & ratio relatiui eſt, in Patris conſtitutione, ſicuti impoſsibile eſt intelligere albedinem, vt afficientem parietem, quod non conſtituat album. Ergo vt conſtituens dicit actum relationis; nam hoc ad plenam rationem relationis requiritur: effectus namque formalis inſeparabilis eſt, etiam per intellectum à forma informante. Ergo ſi perſona præintelligitur generationi, vt conſtituta per relationem, præintelligitur vt relatiua, & vt Pater: ergo vt Pater ante Filium, quod repugnat naturæ relatiuorum. Confirmatur ſecundò. Relatio vt relatio conſtituit, aliàs perſona conſtituta nō eſſet formaliter relatiua: ergo nō poteſt Pater cōcipi, niſi vt refertur: ergo nō præintelligi ad generationē.

Scio ex Caiet. ſequacibus ſolui hæc omnia, & ſimilia argumenta hac diſtinctione. Concedo de relatione in actu exercito, nego in actu ſignato. Sed ad hæc poteſt fieri inſtantia. De ratione intrinſeca, & formali relationis eſt, vt actu referatur: tota enim entitas relationis eſt eſſe *ad*, teſte Ariſt. ergo quod de actu ſignato proponitur, figmentum eſt; & in actu exercito, ſicut tota ſpecifica relationis vis ſita eſt, ſic debet ſumi.

Dices hæc repugnare S. Bonauenturæ. Si enim per ipſum relatio in rigore ſumpta non conſtituit: ergo perſona non eſt relatiua. Secundò: ergo conſequenter per abſoluta conſtituitur, quod iam à quibuſdam viſum eſt imponi D. Bonauenturę; ſed ab hac impoſtura egregiè eum tuetur Caiet: Reſp. primò, hanc eſſe diſtinctionē rationis de qua hic controuertitur, vt omnes fatentur. Secundò, adæquatam rationem relationis Diuinæ comprehendere etiam origines, & actus notionales: ſunt enim & ipſi relatiui. Tertiò. Imò oppoſitum docet S. Doctor, dum relationis rigoroſum minus eſſe referre aſtruit. Ad argumentum ergo. Per abſoluta conſtituuntur perſonæ. Negatur toto Cælo conſequentia: Nam per origines, quæ & ipſæ ſunt relatiuæ, & relationes originis appellantur. Ad potiſsimas rationes S. Thomæ. Id quod conſtituit, & diſtinguit, debet habere eſſe fixum, non in via, vt origines. Reſpond. 1. verum eſſe de eo, quod conſtituitur formaliter, & completè; non autem de eo, quod quaſi inchoat conſtitutionem, ſicuti origo. Secundò. Perſonas Diuinas ſimul formaliter & oriri, & ortas eſſe, & in æternum oriri, & ortas eſſe, *Ego hodie genui te:* & nos aliter concipiendo, inadequatè, & conciſè, & imperfectiſsimè concipere. Tertiò ſubinde.

Eſſe

Eſſe permanens, & fixum formaliter perſonarum eſt referri relatione oppoſita ad ſuum terminum: ergo ex vi originis. Secundum argumentum eſt. Actus ſupponit perſonam agentem: ergo actio generationis ſupponit Patrem conſtitutam perſonam. Iam reſpondit S. Doctor, ſed in gratiam repetamus reſponſionem. Reſp. ergo. Quod non oportet eam ſupponere actu diſtinctam, nam actu ipſo generationis conſtituitur in eſſe completo ſuppoſiti; ita vt perſonæ gemina ratione poſsit concipi: primò ſub ratione formali, & completa, vt prima perſona ſub ratione Patris: Secundò ſub ratione quaſi materialis, ſcilicet ſubſiſtentis incommunicabilis in Deitate, ſicuti Pater ſub ratione primi, innaſcibilis, quę quidem ratio relatiua certè eſt, ſaltē habitu, ſed nō ſub ea ratione formali aſſumitur; atq; ita Pater ſupponitur generationi.

Reſponſionem hanc S. Bonauenturæ ſuſcepit, licet alijs verbis Scotus quæſt. 4. quodlibetali, ſic ferè. Actio, quæ non eſt prima entitas incommunicabilis, præſupponit agens, ſicut accidit in creaturis; Generatio verò Diuina eſt prima entitas incommunicabilis: quare non ſupponit conſtitutū ſuppoſitum, ſed ipſum ſubconſtituit. Franc. Suarez lib. 7. cap. 6. non alia ratione impugnat S. Bonauenturam, quàm ratione S. Thomæ, quam iam interpretati ſumus, & diluimus. Secundò. Origo perſonarum præcedit perſonas: ergo non conſtituit. Reſp. non conſtituit formaliter, & completè, ſed initiatiuè. Lib. verò 8. cap. 1. ſic primò. Si ratione alterius proprietatis primę perſonæ conuenit eſſe Patrem, iam paternitas non eſſet prima proprietas. Secundò, interrogat Sanctum Doctorem, vnde Patri conueniat generare: Non ratione nudæ eſſentiæ, vt conſtat: ergo vel ratione paternitatis, vel aſſignanda noua proprietas, & inaudita. Reſp. ad primum. Generationem actiuam à parte rei eſſe eandem proprietatem cum Paternitate, ſed illam eſſe rationem huius, ſicuti fit in attributis: quare negatur conſequentia, ſcilicet paternitatem non eſſe primam proprietatem conſtitutiuam, ſed aſſeritur rationem conſtitutiuę proprietatis primæ eſſe innaſcibilitatem, & ingenitum eſſe, & actum notionalem generationis actiuæ. Ita pręcipuè S. Doctor diſt. 27. quæſt. 1. & ad mentem Scoti quæſt. 4. quodlib. &c. Ad ſecundum. Hoc ſolemne argumentum eſt D. Bonauenturæ, quod diffuſiſſimè ſoluit eadem diſt. quæſt. 2. & eſt tertium, quam ſolutionem nouem rationibus communit, ac roborat. Generat Pater, quia innaſcibilis Deus, quia perſona fœcundiſſima.

Sed longius quàm fortaſſe par erat, à ſcopo viſi ſumus aberaſſe, & digreſsi: nobis enim vnum hoc propoſitum erat, quærere rationem, quare primæ perſonæ competat paternitas: reſpondit S. Bonauentura, rationem eſſe actum generationis, hunc vero congruere, quia eſt perſona prima. Conceſsit S. Thom. etiam, quatenus paternitas eſt pura relatio; ſed in Filio, & in Spiritu Sancto ſimpliciter admiſit actum notionalem nimirum eſſe rationem Filiationis, & ſpirationis paſsiuæ. Vt in Patre verò, quatenus paternitas conſtituit, non poteſt habere pro ratione actum generationis.

Non erat fortaſſe nobis opus reſpondere, quia nec S. Bonauentura in re forſan aliud quærebat: tandem reſpondimus contra difficillimam S. Thomæ diſtinctionem. Non difficili tamen negocio Sanctiſſimi, ac maximi Theologi hi ad inuicem maxima charitate coniuncti, vniformi ferè ſemper doctrina incedentes; conciliari poſſent. Vt primò, hæc tota altercatio fit de mero ente rationis: à parte enim rei eadem res formaliſſimè eſt, actus generationis, & paternitas, vt in re omnino conueniant. Secundò, diuerſa, non contraria docent; imò conſequentia: D. enim Thomas loquitur de conſtitutione formali, & completa, vt ipſe fatetur, de potentia quæſt. 8. art. 3. D. vero Bonauentura de inchoata, & initiata. Tertiò, S. Bonauentura non aſſerit omnino originem conſtituere, ſed relationem ratione originis. Quartò. Ricard. diſt. 26. quæſt. 2. art. 4. & poſt ipſum Dionyſius Carthuſ. ſub duplici, inquit, ratione poteſt aſſumi principium, vel quaſi effectiuum, vel quaſi formale: origines, & actus notionales ſunt principium ſub ratione prima: relationes verò ſub ſecunda. De prima S. Bonauentura, de ſecunda S. Thomas: ita vt ferè nulla, vel certè minima, & inente rationis videatur relicta controuerſia, potius nullius ferè momenti diuerſitas.

Ad Scotum nihil remanet dicendum, quia exiſtimamus alterius, & communis fuiſſe ſententiæ, niſi hæc pauca. Primum ab ipſo differimus in ratione ſubſiſtentiæ abſolutę: eam enim non poſuimus in via D. Bonauenturæ. Deinde in diſtinctione perſonæ ex natura rei à Diuina eſſentia: ſuo enim loco docuimus, perſonam idem eſſe formaliſſimè cum Diuina eſſentia, itant ſit de conceptu huius Deitatis, & Diuinæ eſſentiæ perſonalitas, & in ea ſubſiſtere. Hinc dicimus Diuinam eſſentiam determinari ad primam perſonam per omnimodam identitatem, non ſolum realem, ſed etiam formalem Diuinæ eſſentiæ cum perſona: quod explicatioribus verbis diceretur, quia hæc intrinſeca ratio, & modus ſe habendi Diuinę eſſentiæ, quam cum perfectè concipimus, non niſi vt ſubſiſtentem ſic concipere poſſumus. Ita tamen eſt ad primam perſonam determinata, vt in ea ſola ſit inadequatè, & non conuertibiliter; nam & in alijs duabus perſonis apta nata eſt ſubſiſtere, actuque ſubſiſtit, quibus perfectiſsimè Diuina adęquatur fœcunditas: hac tamen differentia, vt in prima perſona ſubſiſtat immediatè per ſe, in ſecunda verò, & tertia medijs proceſſionibus Diuinis.

Quam rem exemplis conantur Theologi declarare, ſcilicet Diuina eſſentia illimitata eſt ex ſe, & limitatur adæquatè ad tres perſonalitates, ita tamen vt immediatè, & primò ad primam: quemadmodum Sol aptus natus illuminare omne medium adequatè; quia tamen partes medij ordinem quendam habent, vt vna pars ſit vicinior Soli quàm altera, primò & immediatè illam illuminat, potens tamen ad omnes alias. Et ſicuti anima rationalis eſt forma illimitata ad informandas omnes partes corporis organici adæquatè; cor tamen eſt prima pars, deinde alię, quas informat,

& ani-

& animat: Sic fermè Diuina eſſentia eſt illimitata ad infinitè ſubſiſtendum in tribus perſonis; quia tamen inter illas eſt ordo originis, hoc ordine dumtaxat primò limitatur, & per ſe immediatè determinatur ad primam perſonam improductam. Hinc per productiones, & communicationes ordine originis in reliquis, eodem ſimul inſtanti æternitatis; ſed hæc non contradicunt explicatæ ſententiæ D. Bonauenturæ, imò ſupponuntur. Nam dum quærit, quare primæ perſonę conueniat paternitas, & reſpondet, quia generat; ſupponit per modum noſtrum intelligendi, iam per innaſcibilitatem, & primitatem,& fœcunditatem in actu primo, iam eſſe determinatam eſſentiam ad perſonam.

Sed huc loco ſoluenda eſt inſtantia, quæ oritur ex aſſerta illa ſententia, de ratione eſſentiæ ſcilicet eſſe primam perſonam &c. Videtur enim ſequi: ergo vbicumque erit eſſentia, erit & Paternitas; ſed eſſentia eſt in Filio: ergo & Paternitas. Negatur enim conſequentia. Nam primò non eſt adæquatè in Patre, ſed requiruntur & reliquæ perſonæ, in quibus diuerſa ratione eſt, & ordine quodam originis. Deinde oppoſitio relationum inter Patrem, & Filium &c. impedit conſequentiam iam indicatam, ne ſcilicet paternitas ſit in filiatione, quia ad inuicem opponuntur &c. Sed de hac argumentatione alias vberius.

CAPVT II.

De effectu formali Paternitatis, ſcilicet An, & qua ratione Paternitas conſtituat primam perſonam.

SVpponuntur hic quæ egregiè S. Thom. art. 2. & 3. tradit, ac clariſsimè docet, & ſolidiſsimè. Primum, Patris nomen eſſe maximè proprium primæ perſonæ, Tum ex Diuinis litteris, pſal 2. *Ipſe inuocabit me, Pater meus es tu*. Matth. vlt. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti &c.* & innumeris alijs locis. Tum ex eo quod illud verè alicuius proprium eſt nomen, per quod ab alijs verè diſtinguitur: ſed nomen Patris verè diſtinguit primam perſonam à Filio, & à Spiritu Sancto: ergo.

Secũdum quod ſupponitur hic, eſt, Nomen Patris per prius, & perfectius dicitur de Deo ſecundũ rem ratione Filij æterni, deindè, & poſterius ratione creaturarum, quatenus in tempore, quia eas creauit, & tuetur, ac conſeruat, denominatur Pater, hac gemina ratione. Altera, quia ſicut æternum prius temporaneo; ita prius Pater Filij ab æterno eſt, quàm in tempore, creaturarum. Altera, quia tota ratio paternitatis, & perfectio inuenitur in paternitate notionali ad Filium æternum; nequaquam autem in paternitate ad creaturas: ergo per prius, & excellentius. Probatur, quia de creatura quaſi æquiuocè, & per ſimilitudinem dicitur Pater.

Quæ omnia patent in littera. Et indè liquido deducitur, quod ad Epheſios 3. prodidit D. Paulus. *Flecto genua mea ad Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, ex quo omnis Paternitas in Cælo, & in terra nominatur*. Deus enim tum eminenter omnium creaturarum perfectiones continet, tum creaturæ omnis perfectio eſt quædam remota ſimilitudo, & vmbra, & imitatio perfectionis Diuinæ. Vnde ex earum cognitione in Dei cognitionem, D. eodem Paulo atteſtante, manuducimur: quo fit ex creaturis imperfectiſſimè, vt ita dicam, Deum denominari Patrem, propterea quia imperfectiſsimè imitantur, & aſſequuntur rationem veram paternitatis æternam.

His verò animaduerſis, & ante poſitis, S. Doctor noſter, quod apud omnes veriſsimum eſt, ſuſcipit multis probare Paternitatem eſſe perſonalem proprietatem, ac ideo conſtituere, & diſtinguere primam perſonam ab alijs. Primò. Illa eſt proprietas conſtitutiua, per quam perſona ab alijs diſtinguitur, & proprijſsimè nominatur, & perfectionem dicit: huiuſmodi eſt paternitas: ergo. Probatur, nam tum à Filio &c. differt paternitate prima perſona: ei enim opponitur oppoſitione relatiua: tum ſic Diuina Scriptura, quæ proprijſsimè loquitur, primam perſonam nuncupat Patrem, omnibus illis locis, quibus Filius loquitur ad Patrem ſuum &c. Matthei vlt. *Baptizantes in nomine Patris &c.* Ioannis Ep. 1. c. 5. *Tres ſunt qui dant teſtimonium in Cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus &c.* Tum denique vt luce clarius; nam paternitas relationem, & habitudinem ad Filium dicit. Secundò. Quemadmodum filiatio conſtituit Filium, ita & paternitas Patrem. Tertiò. Tres in Patre notiones inueniuntur, innaſcibilitas, ſpiratio actiua, & paternitas: non conſtituitur in eſſe perſonæ per innaſcibilitatem, iam probatum eſt, quia formaliter negatiua, neque vllam diſtinctam relationem complectitur. Non per ſpirationem, quia communis eſt, & Filio: ergo aut per nullam, aut per paternitatem.

Ita SS. Patres, D. Hilarius 12. de Trin. poſt princip. *Si Patri ſemper proprium eſt; quod ſemper Pater eſt: vbi enim ſemper Pater eſt, ſemper Filius eſt.* D. Fulgentius de fide ad Petrum. *Aliud eſt genuiſſe quàm natum eſſe, manifeſtum eſt, quod alius eſt Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus, & eſt proprium ſolius Patris, non quia non eſt natus ipſe, ſed quia vnum Filium genuit: & proprium eſt vnius Filij, non quia ipſe non genuit, ſed quia de Patris eſſentia natus eſt: & proprium Spiritus Sancti, non quia nec natus eſt ipſe, nec genuit, ſed quia ſolus de Patre, & Filio proceſſit.* D. Damaſc. lib. 3. de fide cap. 5. *Differentiam hypoſtaſeon in tribus proprietatibus, paternali, filiali, & proceſsibili recognoſcimus.* D. Auguſtinus lib. 5. de Trinit. cap. 6. & alibi. Nec oppoſitum docuit S. Doctor diſt. 27. quæſt. 2. Vbi per innaſcibilitatem primam perſonam conſtitutam aſſeruit; nam ibi initiatiuè, hic formaliter, & completè loquitur: Ibi de conſtitutione vt poſsit perſona generare, ad quod ſufficit ſuppoſitum incommunicabile: hic de perfecta conſtitutione, & diſtinctione à Filio.

De-

Digitized by Google

Denique nulla poteſt oboriri opppoſitio, quia innaſcibilitas, de qua illo loco, poſitiuè ſumpta, & paternitatem complectitur. Quod verò & paternitas perſectionem dicat, & ſupponitur demonſtratum, dum hæc quæſtio verſabatur ſuo loco de relationibus Diuinis in communi, & poteſt confirmari. Si creaturarum in tempore productio Dei teſtatur perfectionem, & bonitatem; cur non multò magis Paternitas, quæ per generationem ab æterno totam Diuinam eſſentiam communicat? Sic D. Paulus ad hanc Diuinam perſectionem adorandam, ad Epheſ. 3. Flectebat genua ad Patrem. Sic obiecto hoc Diuino Patris, tamquam optimo, mouebatur Apoſtolus, excitabatur charitate pectore Apoſtolico ad amandum &c.

Hinc gemina inſurgit dubitatio diſſoluenda. Altera, quomodo conſtituatur in eſſe perſonæ prima perſona per relationem: An ſcilicet (vt S. Bonauenturæ terminis vtar) communiter ſumpta: an vt propriè, & ſpecificè: an vt eſt relatio ſubſiſtens: vel vt actu refertur. Diceret Caiet. an in actu ſignato, vel exercito: Denique vt ſubſiſtit, aut vt refertur. Altera verò, quomodo prima perſona recipit perſonale eſſe Patris, dum confert eſſe Filio. Difficile enim captu videtur quo fieri modo poſsit, alteri dare eſſe, & ſic dando, eſſe recipere; quod tamen veriſsimum eſt: eo enim quo generat Pater, & dat eſſe Filio, conſtituitur in eſſe Patris. Hanc difficultatem S. Doct: proponit diſt. 28. quæſt. 3. argum. 1. ad oppoſ. cuius ſolutionem paucis ab hinc ſupra iterum notauimus.

De prima dubitatione, quam initio capitis promiſimus diſcutere, in primis obſeruandum, hic non agi de figmentis, ac noſtræ mentis conceptibus; ſed de actuali, & reali Diuinæ perſonæ conſtitutione, ac integra, & completa, & perſectiſſima diſtinctione. Deinde illas diſtinctiones relationis Diuinæ in actu ſignato, & exercito, vt conſtituunt, & referuntur &c. certum eſt eſſe noſtræ rationis: à parte enim rei idem prorſus ſunt. Denique de relatione illa diſtinctio, vt habet eſſe in, vel ad, hìc non poteſt habere locum; tum quia hæc diſtinctio eſt accidentium, quæ ſunt communia, & ſpecifica; tum quia, vt commune non eſt relatio; tum denique quia in ordine ad Diuinam eſſentiam relatio in ipſam tranſit, & vt ſic non conſtituit perſonam, ſed vt opponitur, & refertur ad terminum: eſt ergo ſermo de relatione formali.

Eſt ergo D. Bonauenturæ ſententia diſt. 26. quæſt. 3. Præmiſſa hac diſtinctione in Diuinis perſonis, poſſumus concipere originem, & relationem. Origo ſecundum rationem intelligendi præcedit perſonam emanantem, relatio verò conſequitur. Hinc proprietas perſonalis, ſi precisè ſumatur, vt condiſtincta ab origine, non diſtinguit perſonas, quod tamen facit origo; ſed diſtinctas oſtendit: Si verò accipiatur vt vtrumque importat, & habitudinem, & originem comprehendit; & diſtinctas oſtendit, & etiam diſtinguit. Quam quidem ſententiam eam ſic, tum ipſe S. Doct. tum Ricard. art. 3. quæſt. 2. tum Scotus ibidem, & diſt. 28. quæſt. 3. qui illam ex inſtituto declarat, & amplectitur, interpretantur. Duobus modis intelligi poteſt aliquid conſtituere, & diſtinguere: vno modo principiatiuè, & quaſi effectiuè: alio modo completè, & formaliter. Primò quidem modo, vt via quædam ad rem conſtitutam, & diſtinctam, veluti generatio via dicitur ad rem genitam. Alio modo formaliter, & completè, vt forma propria ipſius conſtituti. Itaque perſonas Diuinas ex his Doctoribus inchoatiuè, & quaſi effectiuè per originem conſtitui, & diſtingui dicere poſſumus; quatenus generare, & generari ſunt rationes diſtinctionis inter Patrem, & Filium &c. Paternitas, & Filiatio ſunt rationes formales, & formæ completæ conſtituentes, & diſtinguentes.

Quem eundem modum dicendi, & complectitur, & tuetur D. Thom. de potentia quæſt. 8. art. 3. his ferè verbis. Diſtinctiuum, & conſtitutiuum perſonæ poteſt intelligi dupliciter: vno modo, quo diſtinguitur, & conſtituitur formaliter, ſicut homo humanitate: alio modo quaſi via ad diſtinctionem, & conſtitutionem, ſicuti ſi diceremus, Socrates eſt homo ſua generatione, quæ eſt via ad formam: & paucis interpoſitis. Oportet, quod filiatio ſit formaliter conſtituens, & diſtinguens perſonam Filij, non autem origo, neque relatio intellecta in origine; ſicut & ipſa origo, non ſignificat aliquid ſubſiſtens in natura, ſed in naturam tendens. Et prima parte quæſt. 40. art. 2. Melius (inquit) dicitur, quod perſonæ diſtinguantur relationibus, quàm per originem: licet enim diſtinguantur vtroque modo; prius tamen, & principalius ſecundum noſtrum modum intelligendi, per relationes. Vide quàm mirè conueniant ibi SS. DD. Sumit verò relationem vt abſtrahit à relatione creata, & increata, vt velit dicere, relationem vt relationem non conſtituere, nam tunc & relatio creata conſtitueret, quod tamen pluſquam falſum eſt: ſed vt relatio Diuina, quæ non eſt accidens, ſed ſubſtantia.

Ex his ſic arguitur. Per idem res diſtinguitur, per quod conſtituitur, nam dare eſſe, & dare eſſe vnum, eſt idem: ſed perſona Diuina conſtituitur in eſſe per relationem: ergo & in eſſe diſtincto: ſed eſſe diſtinctum in Deo eſt eſſe oppoſitum: ergo per relationem, vt opponitur: ergo vt refertur. Confirmatur ex vtroque S. Doctore. Si Spiritus Sanctus non procederet à Filio, ab eo non diſtingueretur, hac ratione communi omnium Theologorum; nam in Diuinis non eſt diſtinctio, niſi vbi obuiat relationis oppoſitio: ergo in Diuinis relationis effectus formalis eſt, vt ad terminum referatur. Præterea, Perſonæ conſtitutæ ſunt reales: ergo per actum realem: ergo vt actu referuntur. Mox, Patres, Concilia, & Diuinæ litteræ inſtruunt nos de fide Diuinarum perſonarum per terminos relationem actualem præſeferentes, ſcilicet Patris, Filij, & Spiritus Sancti: eſt enim Pater in ordine ad Filium &c. & Filius ad Patrem &c. & hi termini ſunt dicentes relationem actu ad oppoſitum terminum: ergo ita ſentiendum, quia ita reuera eſt. Iterum, Relationes abſolutè ſumptę, præſcindendo

dendo à relatione ad terminum, ſi ſic conſtituunt perſonas: ergo perſonę ſic conſtitutæ non eſſent formaliter relatiuæ, quod nulla ratione, & pietate poteſt dici.

Poſtremo. Relatio, qua & conſtituuntur, & diſtinguuntur perſonę, vna, & eadem omnino eſt, & ſi ſub varijs conceptibus multiplicatur, & eius munera plura numerantur, figmenta ſunt noſtri intellectus, ita vt non multiplicetur relatio, ſed entia rationis; & eadem relatio eſt ſimpliciſsima, & infinitæ virtutis, ſicuti & perſona conſtituta: ergo qua ratione conſtituunt, eadem & diſtigunt, & referuntur, & opponuntur: ergo ſi vt actu referuntur ad terminum ſunt diſtinctiuæ; & conſtitutiuæ. Pręterquamquod ſumere relationem vt ſubſiſtens, eſt confuſo, & indiſtincto, & non proprio modo ſumere, ac formali, & non vt relationes ſunt: ergo non ſic conſtituunt perſonas: nam tunc non eſſent formaliter relatiuæ. Confirmatur tandem ex D. Bonauentura efficaciſsimè. Relationis in Diuinis nihil remanet diſtinctum, niſi vt refertur ad terminum: ergo non poteſt diſtinctam perſonam conſtituere, niſi vt ſic, nimirum vt refertur: quod enim reliquum de relatione ſubſiſtente percipitur, eſſentiale, & abſolutum, & idem cum eſſentia eſt.

Ad ſecundam dubitationem paucis reſpondendum: ſupra enim nuper tacta, & ſoluta eſt: repetam ferè idem, quia hic eſt proprius locus, & conſequitur ad iam ſolutam: videtur enim difficilè, quod Pater conſtituatur in eſſe Patris in ordine ad Filium, & Filio dum dat eſſe, inde recipiat eſſe Patris. Reſpond. S. Doctor, & ad reſponſionem ſtatuit hoc fundamentum. Eſſe perſonale non eſt eſſe ſimpliciter, & omnimodum, ſed diſtinctum, perſonale, & relatiuum; & conſequenter dando eſſe Filio, indè non recipere eſſe quaſi efficienter, ſed reſpectiuum, diſtinctum ex oppoſitione termini Filij geniti, ex natura relationis, quæ ex producto termino oppoſito neceſſariò euadit, & cognoſcitur diſtincta. Sed radix & vis huius diſtinctionis, quaſi ſupponitur ex actu generationis: nihil enim ſe ipſum poteſt producere. Difficultas ergo eſſet de acquiſitione reali eſſe abſoluti, non autem de relatiuo, quod non fit, ſed potius quaſi reſultat. Alij reſponderent, ac ſoluerent; iam Patrem ſupponi conſtitutum dum generat Filium, ita vt non inde Pater, quia generat, ſed inde generat, quia Pater. Sed aſſertioni huic vbique S. Doctor contradicit, & ſatis ſupra res impugnata eſt; ita tamen, vt non ſolum conſtituatur in eſſe perſonali Patris formaliter per ſolam originem, vt iam dictum eſt, ſed per relationem Paternitatis, vt actu refertur, ex entitate relationis, cuius eſt referri.

Scotus nuperrimè commemorato loco, quaſi aliam dubitationem inſtituens, hanc, de qua in præſentiarum, ferè & proponit, & peracutè ſoluit. Quomodo ſcilicet ita conſtituatur Pater in eſſe perſonali ex generatione Filj, vt ſine ipſo eſſe non poſſit, cum tamen ipſo Filio origine ſit prior. Reſpondet primò, repugnare relatiua mutua eſſe vnum ſine alio ad inuicem. Ratio potiſsima, quia nullum relatiuum poteſt eſſe ſine ſuo termino reſpondente, aliàs non eſſet ad aliud, ſed ad ſe, & relatiui totam ammitteret rationem: quo ſenſu contradicit Patrem eſſe Patrem ſine Filio, quia ſunt ad inuicem mutuo relatiuæ perſonæ. Et quamuis ex Ariſt. 5. Met. cap. de Priori. Id quod prius, non poſſit ſine contradictione eſſe ſine poſteriori. Id tamen, quamuis poſsit Pater prior Filio ſic nuncupari, haud vllo modo obeſt; quia abſolutè verum, quod nunc aſſertum eſt, idque ſic tum declaratur, tum perſuadetur.

Si Socrates eſſet v.g. Platonis Pater, eſſent quidem ſimul natura, ratione relatiuorum; & tamen Socrates eſſet origo, & ſic prior Platone. Secundò, priora quædam dicuntur priora ſecundum perfectionem: priora enim perfectiora 9. Met. tex. 7. & tex. 15. nec tamen ſimultati relatiuorum contradicit: Nam ſi genus relationis diuidatur per proprias differentias oppoſitas, ſicut alia genera; vna differentia diuiſiua erit dignior, indignior altera: duæ namque ſpecies non ſunt æquales 4. Met. tex. 10. Et per conſequens ſpecies conſtituta minus nobili differentia, erit minus nobilis, & tamen duæ ſpecies conſtitutæ à duabus oppoſitis differentijs, poſſunt eſſe ſibi inuicem ſimul: omnis enim relatio diſquiparantiæ eſt ad aliquid alterius ſpeciei: ergo relatiuorum ſe correſpondentium vna ſpecies poteſt altera prior eſſe, & perfectior, & tamen ſimul natura: ergo multo magis illa relatiua, quæ omnino perfectione æqualia ſunt, nec vnum excedit alterum, ſicuti Pater æternus, & Filius.

Confirmatur auctoritate D. Auguſtini De quantitate Animę cap. 7. qui æqualitatem inæqualitati iure præponit, & loquitur non ratione fundamenti, quia ex nobilitate æqualitatis concludit fundamentum eſſe nobilius cui conuenit, quàm illud cui non conuenit: patet de circulo, & de alijs figuris. Igitur relatio habet propriam nobilitatem in ſuo genere, & ſubinde vna nobilior altera, & ſic etiam in correlatiuis aliquando relatio diſquiparantiæ, & tamen ex relatiuorum natura eſt ſimultas. Ad idem confirmandum refert etiam Auicennam 7. ſuæ Met. cap. 2. dum docere videtur, Cauſam vt ſic, eſſe priorem cauſato, & tamen ad inuicem ſimul natura ſimultate correlatiua. Hæc quidem ſubtili indagine Scotus, & eruditè: & quamuis ex illis aliqua fortaſſe diſplicerent Sancto Doctori; tamen ſimul quæſitum propoſitum enucleant mirificè: eo enim dando, & producendo Pater Filium, conſtituitur Pater formaliter, & hoc eſſe relatiuum accipit, & acquirit, quo relatiua verè mutua non poteſt vnum eſſe ſine altero, ſiquidem iſthæc eorum quidditas & natura: neque eorum origo vnius ab alio impedit, quin relatiua ſint.

QVAE-

QVAESTIO SEPTIMA
DE EADEM PATRIS PERSONA
QVATENVS PRINCIPIVM EST.

IN qua quidem diſputatione, grauiſſimæ, & maximi momenti occurrunt difficultates, ac certè in re in primis; tamen & in modo dicendi, admodum inter Patres Latinos controuerſo, & Græcos. Quo circa oculatiſſimè, ac pedetentim incedendum eſſet, & multum temporis, & operis impendendum, niſi iam Theologi, & vetuſtiores, & recentiores perfeciſſent opus, & extremam manum adhibuiſſent. Quare id nobis potius hac in re, & antiquius, Sanctum Doctorem explicare, & quàm Theologicè, & ad veritatem circumſpectè locutus ſit, obſeruare.

Diuus Bonau. diſt. 29. & D. Thom. quæſt. eadem art. 1. & 1. par. quæſt. 33. art. 1.

P A R A P H R A S I S.

PRIMA Propoſitio ex quæſt. 2. Nomen principij in Diuinis multiplicem neceſſariò habet ſignificationem, & diuerſo admodum modo ſumitur. Probatur primò ex Magiſtro in textu. Secundò. Nam aliquando pro eſſentia, cum Deus creaturæ principium, & Creator appellatur; Deus namque vt vnus in eſſentia creat. Aliquando pro perſona ſupponit, cum ſcilicet Deus generare dicitur. Tertiò ratione rei ſignificatæ. Nam modò eſſentiam, modò perſonam ſignificat: eſſentiam, cum creaturam: perſonam, cum perſonam Diuinam producit. Quartò ratione connotati. Nam principium, ſi ſecundum eſſentiam vſurpetur, effectum creatum, & temporaneum ad extra connotat: Si penes perſonam, perſonam vtique æternam ad intra productam conſignificat: ergo variam habet ſignificationem. Quintò. Actus creandi in tempore, & generandi, itidem ſpirandi ab æterno; ita ab inuicem differunt, vt in vnam non poſſint conuenire rationem. Patet, & ex gemina emanandi ratione in Diuinis, binaque emanatione, & ex illo axiomate: Deus vt vnus, & penes eſſentiam creat: ſed hi enumarati actus ad principium referuntur: ergo principium ad ipſos multiplici ratione ſe habere neceſſe eſt.

Secunda Propoſitio: Hæc varia, multiplexque principij ſumptio, ac ſignificatio, licet ratione ſignificati poſſit æquiuoca nominari; ratione tamen actus producendi non æquiuoca, ſed analogica interpretanda, & nomenclanda eſt. Probatur primò. Aequiuocum eſt, quod per plures inſtitutiones ad plura ſignificanda inuentum, & inſtitutum eſt, quemadmodum Canis, & ad cæleſtem, & terreſtrem, & marinum Canem ſignificandos &c. Analogum verò, quod ad multa quidem, tamen cum proportione ad vnum, & ordine, inſtitutum eſt: at verò principium adinuentum eſt ad actum producendi ſignificandum, cum ordine tamen, & proportione, vt quod nobilius, & prius producitur, ſcilicet Filium, & Spiritum Sanctum; deindè quod poſterius, & ignobilius, nimirum creaturas: ergo analogicè. Probatur minor: Nam Filius, & Spiritus Sanctus eſt æternus, & infinitus Deus; creatura verò temporanea &c.

Tertia Propoſitio ex reſponſione ad argumenta. Hæc principij Analogia, tum in modo ſignificandi, tum in re ſignificata ſita eſt.

Quarta Propoſitio ex quæſt. 1. Verè, germanè, ac propriè principium competit ad intra, & notionaliter ſumitur. Probatur primò ex D. Aug. 5. de Trinit. cap. 16. Pater ad Filium principium eſt, quia genuit Filium. Secundò ratione. Vbicumque eſt vera, & completiſſima emanatio per originem, ibi eſt vera ratio principij: ſed in Diuinis de fide eſt huiuſce relationis origo: ergo & propria ratio, & ſignificatio principij. Probatur minor: Nam in Diuina natura producitur perſona, & per generationem, ſcilicet Filius à Patre, & per ſpirationem Spiritus Sanctus à Patre, & Filio: ergo Pater eſt principium: ab eo enim oritur Filius, & Spiritus Sanctus.

Quinta Propoſitio ex dubio primo litt. corolaria. Pater eo dicitur totius Diuinitatis principium, non quo eam Diuinitatem, quam ipſe habet, producat; ſed quo omnium perſonarum, quæ in Diuinitate producuntur, ipſe eſt origo, & principium.

Sexta Propoſitio ex reſponſione ad primum. Licet propriè Pater dicatur principium, quia origo fœcunda, & producens; magis tamen propriè, ac propriiſſimè, quia vt prima Perſona non habet priorem, & anteriorem. Ratio huius eſt: Nam vt origo dicens prioritatem, non habet perſona originata rationem poſterioris, neque omnem rationem ordinis, quia non habet ordinem ad poſterius; quæ tamen videntur ad exactam principij rationem

per-

pertinere. At veroipſe Pater à nullo ſecundum omnem rationem rectiſſimè principium aſſeritur. Hinc.

Septima Propoſitio ex reſponſione ad reliqua argumenta. Licet Pater ſit Filij, & Spiritus Sancti verè principium; neque tamen cauſa, aut finis rectè appellandus, neque ſubinde Filius, & Spiritus Sanctus poſſunt dici perſona principiata, aut initiata, aut poſteriores, aut effectus. Ratio eſt: nam in Diuinis ſumitur dumtaxat ad originem perſonarum abſque vlla imperfectione, imo cum omni, ac completiſſima perfectione ſignificandam: Initiatum verò, & principiatum eſſe, & poſterius in perſona producta imperfectionem inuoluunt, multo clarius effectum eſſe: nam dependentiam, & diuerſitatem in natura apertè demonſtrant: ergo huiuſmodi appellationes explodenda. Ratio verò priorum: Nam cauſa ex intrinſeca ratione præſefert rationem, & facultatem extra ſe producendi effectum, ex reſponſione ad quartum. Finis verò maiorem perfectionem continet, & bonitatem, quàm ea qua ſunt ad finem. Quare ſi Pater producens perſonarum productarum diceretur finis, contra dogma de perſonarum æqualitate decantaretur perfectior.

Octaua propoſitio ex quæſt. 3. Simul cum Patre Filius verè & eſt, & dicitur principium Spiritus Sancti, & vnum principium, non ratione perſonarum producentium: ſunt enim dua. Neque præcisè ratione eſſentiæ: non enim ipſa producit, ſed vnius notionis, & vnius virtutis ſpiratiuæ ratione, ex vnitate natura, vt tamen in ipſis duabus perſonis habentibus voluntatem fæcundam, & primam ad hanc Spiritus Sancti productionem. Neque plura ex hac quæſtione excerpenda: nam iterum reſumenda, cum de Spiritu Sancto. Et hac quatenus principij notionem, & rationem quærimus, excepimus.

COMMENTARIVM.

In quæſt. primo loco poſitam.

EXPEDITIS, quæ ad innaſcibilitatis, & Paternitatis rationem ſpectabant primæ perſonæ, accedit cum reliquis Scholaſticis S. D. ad aliud Patris ſubinde ex enarratis ortum attributum proprium, hoc eſt ad principium: ex hoc enim quia prima perſona tum ingenita, tum Pater eſt; orthodoxè, & rectiſsimè principium nuncupatur; & ita omnis, & Patrum, & Theologorum cohors deducit, & communi placito decernit. Si enim innata eſt prima perſona: ergo pariſormiter principium: à nullo enim alio eſt. Deinde ſi Pater eſt: ergo Filij principium. Denique, vt infra ſuo loco luculentiſsima erit diſputatio, & Spiritum Sanctum cum Filio producit, & ipſius profecto Spiritus Sancti erit quoque principium. Quocirca gemina, ac omni ratione Patri eſſe principium, ac dici congruit.

Luculentius verò, vberius, & fuſius quàm S. Thom. hic in Summa, S. D. hanc de principio pertractat, & verſat quæſtionem. Primò enim quaſi ex Ariſt. præcepto, nominis tollens æquiuocationem, quot modis in Deo ſumatur, quotuplicique ei ratione conueniat, & eſſentiæ, & perſonæ: & vt aiunt, & eſſentialiter, & notionaliter vſurpari docet. Præterea, vt in propoſito ſe contineat, ſcilicet de perſona Patris, Patris eſſe notionem, non tamen perſonalem, expleatè tradit Poſtremo, non ita tamen propria Patris notio, vt ſub vtraque ratione non pertineat aliqua ratione & alijs perſonis, mirè enucleat. Quippequod, vt notio eſt, in Spiritu Sancto ſpirando, & Filius quoque eſt principium: vt verò eſſentiale, & Spiritui Sancto, omnibuſque ſimul perſonis; vt vna eſſentia, & idem ſunt, omni procul dubio commune eſt.

At verò in hac quæſt. 1. & ordine propoſito hæc explicari, & expediri videntur. Primum. Principij nomen multiplici, ac terna ſignificatione pollet, & tum eſſentiam, tum notionem, tum denique perſonam primam ſignificat: Primò enim modo, eſt perſona Patris ſola à nullo, & ſola tum generans, tum ſpirans: Secundò modo eſt notio communis, qua Pater, & Filius producunt Spiritum Sanctum: Tertiò denique modo, quo Deus vt vnus eſt creans, & creaturarum principium. Idque probat S. D. primò ex Magiſtro, deinde his rationibus. Dicitur Deus principium, quia creat, quia à nullo, quia generat, quia ſpirat: ergo multis modis. Conſequentia conſtat: Nam creare, generare, & ſpirare &c. ſunt plura, quæ in vna ratione non conueniunt: ergo tum penes perſonam, tum penes rationem communem, tum tandem penes eſſentiam. Præterea, Id quod ex ſe oppoſita ſignificat, variè aſſumitur: ita principium: ergo. Maior eſt Ariſt. 1. Topic. Minor probatur: Nam quod à Deo Patre generando, & Deo Patre & Filio ſpirando producitur, æternum eſt, & oppoſitum ei, quod ab ipſo Deo, vno per eſſentiam, in tempore creatur, alterum verò increatum, & æternum, alterum creatum, & temporaneum: quæſtio non vna, ſed pluri ac multiplici ſignificatione conſtat.

Secundum verò, quod hic diſcutitur, eſt, hanc variam, ac multorum ſignificationem, tum æquiuocam, tum præcipuè analogam eſſe appellandam. Quod quidem vt lucidius, & ſolidius expromat, ex proprijs locis petita, & de æquiuoci, & de analogi ratione, in medium, ac lucem quædam affert. Quę vberius hic, nec res quæ agitur, nec Theologi munus poſtulat exagerare; ſufficietque ſi de æquiuocis obſeruetur primò, vt illud verè ſit æquiuocum nomen, requiritur, vt ad multa ſignificanda diſtincta inſtitutione poſitum ſit. Secundò, æquiuoci ratio nedum in re diuerſa explicanda; ſed etiam in eadem re, ſub diſtincta tamen, & diuerſa ratione ſignificanda exiſtit. Analogiæ verò (quod omni abſq; dubitatione apud omnes verũ, ac rece-

ptum eſt, ratio, inter purum æquiuocum conſtituitur, vt dicat quidem multa, ſicut æquiuocum; tamen in ordine, & ea proportione ad vnum, vt prius quod præcipuum, & excellentius eſt, deinde reliqua in ordine, & dependentia, & imitatione ad illud: vt eo ſit æquiuocum, quia plura, eo analogum, quia propter vnum illa plura. Ergo principium primò hac ratione erit ęquiuocũ, quia tum eſſentiam, tum perſonam, tum notionem, tum deniq; innaſcibilitatem ſignificatione cõplectitur.

Quę quidem omnia, licet à parte rei ex ſumma ſimplicitate ſint vnica, ipſiſsimaque res; ſignificatio tamen, & ſignificandi ratio, quæ eſt vera forma, & vocum anima (ad ſignificandum enim adinuentę, & inſtitutæ ſunt) eſt varia, & omnino diuerſa: eſſentia enim, vt abſoluta, perſona, vt relata &c. ſignificatione indicatur: ergo. Probatur. Vbicumque in vna voce plura ſignificantur, ita diuersè, & variè illa plura ita ſignificantur, vt inter ea nullus intercedat ordo, & vnitas, ibi eſt æquiuocatio formaliter: ſed principium ita eſſentiam, & perſonam &c. ergo æquiuocè. Maior ex æquiuoci difinitione conſtat. Minor itidem: nam eſſentia vt ſic ſignificata, & perſona vt ſic, formaliter nullam ad inuicem proportionem, & omnem diuerſitatem conceptus, nullumq; ordinem habent, licet quaſi materialiter omnimodam identitatem. Idem docet Gabr. diſt. 29. art. 2.

Analogiam quoq; hac conſtructa argumentatione, ſic demonſtrare conatur. Principiũ impoſitum, & ad Deum translatum eſt ab actu producendi, eundemq; actum ſignificandum in Deo; ſed producere, de productione perſonæ, & creaturæ, non æquiuocè, aut vniuoce, ſed analogicè dicitur: ergo principium abſolutè, & relatiuè ſumptum, analogicè dicitur. Maior ex Etymone nominis euidens videtur; à principiando enim principium denominatur. Minor verò probatur. Non vniuocè, quia ibi varia producendi ratio inter perſonam & creaturam. Non æquiuocè, quia vtraque productio in productione conuenit: ergo analogicè. Probatur & ex ſofficienti enumeratione, & quia perfectior eſt, tum perſona producta Diuina, tum producendi ratio, tum vetuſtior: eſt enim æterna; creatura verò temporanea, vt patentiſsimum eſt.

Neque ſibi S. Doctor aduerſatur, quod ſupra arguendo, ęternum & temporale aſſeruerit eſſe oppoſita, ac ſubinde ex Ariſt. dici multipliciter, ac ideo æquiuocè. Reſpond. enim non æquiuocè, ſed multimodè dici confeſſum fuiſſe; ita tamen, vt illa multiplicitas non abſoluta, & formalis, ſed quaſi materialis: formaliter enim ad aliquod vnum referebatur. Neq; res producta, ſcilicet perſona, & creatura aſſumitur vt æterna, aut tẽporalis, ſed in ratione producti formaliter, quaſi verò materialiter, vt æterna, & temporanea. Quare oppoſitio ibi potius penes materiã, quàm penes formã ſe tenet.

Hanc analogiam Albertus quoque Magnus admittit eadem diſt. his verbis. Principium à communi ratione accipiendi ab alio, conuenit principio æterno, & temporali. per prius, & poſterius, ſcilicet principium de Deo æterno, principio ad intra, & de Deo in tempore, creaturæ principio.

Eandem Alex. 1. par. quæſt. 76. memb. 1. amplexatus ſic probat. Alia ratio principiandi, & originandi alium ex propria ſubſtantia, alia non de ſua ac propria: ſed ab æterno Patrem producere perſonam, eſt ex propria ſubſtantia: nam Filius eſt Deus de Deo conſubſtantialis, & per creationem creaturas producere, non eſt de propria ſubſtantia, ſed ex nihilo: ergo principium relatiuè, & abſolutè ſumptum, analogicè dicitur, ſaltem ſecundum rationem intelligendi.

Idem, vniformiſque conſenſus S. Th. in 1. eadem diſt. Communis, inquit, ratio principij, quia tum perſona, tum creatura producitur, diſtinctè tamen: alia enim perſonæ producendæ ratio, alia creaturæ: communitas ergo hæc non vniuocationis, ſed analogiæ. Eandem ingreſſus viam Riccardus q. 2. hac munit ratione. Vtraq; ſcilicet perſona, & creatura producitur: ſed non eadem ratio productionis vtrobiq; nam creatura quaſi exemplatum producitur, perſona verò &c. Rurſus Aegidius Romanus, Perſonas, & creaturas conuenire in productione, differre in ratione producendi, ipſe quoque profitetur: nam productio perſonarum eſt ratio creaturarum productionis: actus enim intelligendi ſe, & actus volendi eſt ratio intelligendi, & volendi, intelligendo verò Filium producit, & volendo Spiritum Sanctum, deinde creaturas itidem intelligẽdo, & volendo: itaque Analogicè per prius de perſonis, poſterius de creaturis. Aſſentit deniq; Durandus, & reiecta primò quadam de vniuocatione opinione, Analogiam hac præcipuè perſuadet ratione. Quemadmodum differt potentia generandi, & creandi, aliàs potẽtia generandi ſub omni potẽtia caderet, quod perabſurdum ipſe exiſtimat; ita principium perſonæ & creaturæ: eadẽ enim eſt omnino ratio.

Scotus verò eadem diſt. duabus poſitis aſſertionibus S. Doct. videtur aduerſari. Nam de Principio ad intra vniuocum vocat, & aſſerit dici de generatione Filij, & ſpiratione Spiritus Sancti, ea ratione, qua & relatio vniuocè prædicatur de generatione, & ſpiratione. Si verò principium ad extra conferatur ad intra, in oppoſitum extremum tranſiens, æquiuocè affirmari docet: nam ſecundum plurimos Scotiſtas ens tradit prædicari æquiuocè de ente reali, & rationis; idem verò videtur inferendum de principio ad intra, realem relationem dicente, & ad extra relationem rationis tantummodo ad creaturas indicante. Sed quod magis faceſſit negocium, Vniuocè potius principium conuenire ad intra, & ad extra, aſſeueraſſe ipſe Scotus viſus eſt: tum quia quodlib. 3. ens vniuocè prædicari de ente reali, & rationis docuit: tum quia diſt. 26. conceptum communẽ poſſe abſtrahi à Paternitate increata, & creata voluit: tum denique, quia ens creatũ cum increato cõuenire in ente vniuocè, multis locis profeſſus eſt.

Reſp. quoad primum, facillimam conciliationem inueniſſe, ac docuiſſe Alb. Mag. his ferè verbis. Hoc commune vniuocum eſt ad generationem, & ſpirationem, ideſt vniuocè competit Patri reſpectu productionis Filij, & Spiritus Sancti, vniuocatione non generis, vel ſpeciei, quoniam in Diuinis non eſt ratio vniuerſalitatis, ſed proportionis, quæ proportio fundatur ſuper hoc commune, quod ſicut

li-

Digitized by Google

Filins non à ſe, ſed ab alio habet eſſentiam, ita & Spiritus Sanctus. Si antem ratio principij à ſpeciali modo accipiendi, videlicet per generationem, aut ſpirationem, vel creationem ſumatur; tunc triplici ratione diceretur de tribus. Quibus verbis generationem, & ſpiratinnem vniuocè conuenire in relatione reali, & in habendo eſſe ab alio, differre verò in ratione propria generationis, & ſpirationis, in quo nulla ratione repugnat S. Doct. non enim de prima, ſed de ſecunda ratione, quandam Analogiæ differentiam in Diuinis emanationibus agnouit. Eadem Scotus in reſponſione ad argumenta.

Quo verò ad ſecnndum. Primò Scotus hac quęſt. & diſt. nunquam dixit æquiuocè, ſed non vniuocè, principium de petſona, & creatura dici. Quare ad æquiuocam aſſertionem fortaſſe innitus hac interpretatione trahitur. Secundò. Ad hanc quæſt. reſpondet Iacobinns Malfoſsius Bargius, dnctiſsimus Scotiſta, perpetuum problema eſſe in Scoto: An ens prædicetur de ente reali, & rationis æquiuocè, vel vniuoce, & variè in vtramque partem locutus eſt. Quare in illo quolib. 3. ſub dubio locutus, aue in alterius partis gratiam, aut denique reſpectiuè locutus, interpretandus. Erat enim ibi ſermo, nedum de ente reali, & rationis, ſed de ente fictitio etiam, & reſpectu ad hoc illo loco poſitum ens, ſcilicet fictitium, poſſe congruè de reali, & rationis, vniuocè ſcilicet, verius prædicari.

Id verò qnod ex 28. diſt. allatum eſt, in nullo prorſus obeſſe: nam diuerſa ratin omnino erat: tūc enim de paternitate quidem creata, tamen reali, & increata, diſputatio: hic verò de relatione rationis principij Diuini ad creaturam. Quare ſi ab illo abſtrahatur conceptus communis; negatur ab ente reali; & rationis poſſe abſtrahi. Quod verò vniuocè tenuerit Scotus, ens de creatura, & Deo increato dici; & alia res eſt, & alterius loci contemplatio, & aut conſtanter vbique à Sancto Doctore negatur, aut conciliatur Scotus, vt etiam ſupra, quod in tanta latitudine ſuæ vninocationis analogiam admittat. Sed hæc omnia quid ad Sanctum Doctorem? Non quærit hic qnomodo conueniant perſona producta, & creatura, ſed aliàs ſatis dictum ſupponit: nec de relatione reali Diuina, ac rationis ad creaturas, ſed totus eſt in actu producendi, & ipſum prius, & perfectius de perſona, quàm de creatura prædicari ponit, quod à nemine negari rectè poteſt, neqne negatur. Et hæc quidem à Scoto, & Scntiſtis afferuntur, vt conſequentia, & connotata, & quaſi materialia ſunt, quæ ad Sancti Doct. propoſitum per ſe, nec formaliter ſpectant, aut reclamant.

Sed hic multiplex inſurgit dubitatio. Prima. An aliquem, & quem ordinem habent adinuicem principium relatum, & abſolutum, ideſt eſſentiale & perſonale, ac notionale: videtur enim ſaltem ratione, abſolutum, & eſſentiale præcedere; ea ratione, qua axioma Theologicum notum eſt: Abſoluta, & communia in Deo antecedere relatiua: & in oppoſitum, Deus in tempore eſt creaturę principium. *In principio enim creauit cælum, & terram*. Gen. 1. perſonarum verò ab æterno, vbi æternum, temporaneum anteire, quis non videt?

Reſpondet S. Doctor dubio 4. litt. elegantiſsimè. Dinerſa comparatione vtrumqne verum, nimirum, & præcedere, et ſubſequi ad inuicem principſum abſolntum, et relatum: ſi enim in ordine ad eſſentiam, et veluti ad ſubiectum perpendatur; tunc ſicut ratione intellectns eſſentia, & voluntas præcedit intellectnm, et voluntatem notionalem, ac perſonalem; ita pariter principium abſolntum principio relatiuo prius intelligitur. Ita Aegidius, & Riccardus ratione huius abſolntè concedunt, perſonarum principium præcedere creaturarum: ſi verò ad terminum comparetur, cum hoc gemina comparatione fieri poſsit, vel actu, vel habitu: ſi actu, ſicut ab æterno eſt Pater principium Filij &c. creaturæ verò in tempore; ita verè principium relatum æternitate præcedere abſolutum orthodoxa confeſsio eſt: ſi verò in habitu, adhuc bina diſtinctione indigemus, vt voluntas, & potentia, creandi principium, aut vt attributum abſolutum, aut cum aliqua ratione, vel relatione, etiam in habitn ad creationem. Si primo modo, præcedit ad relationem ratione nuperrimè poſita, vt eſſentiale, & abſolutum: ſi autem ſecundo modo, poſt (intellectione noſtra) ſequitur, quo Dininarum perſonarum productio, ac vis productiua &c. ad productionem creaturarum; ita etiam D.Thom. in ſcriptn, & Albertus ibidem. Alexander, Duplex eſt ordo intelligendi noſtri, alter ſecnndum apprehenſionis naturalis ratinnis, alter ſecundum fidei apprehenſionem. Primo modo ratio principij eſſentialis prius intelligitur. Secnndo modo ratio productionis perſonæ: dictat enim fides perſonam prius eſſe principium, quàm Deum creaturæ. Elegantiſsimè, & magis ad rem hæc omnia complectitur tradita à S.Doctore diſtinctio, vt virtus creandi eſt in Deo, omnino abſolutè ſumitur, & tollitur omnis relationis ad creaturas ratio, & actualis, & habitualis, & etiam ad perſonas, præcedit &c.

Secunda dubitatio. Quomodo principium ſit proprium Patri; & quid diſtinctum dicat in Patre. Reſpondet S. Doct. Primò ſupra. Principium negatiuè, vt à nullo eſt, maximè proprinm Patri, poſitiuè verò non vſque adeo, nec tanta proprietate: hic verò dub. 2. litt. Principium ex ſe in communi ſumptum, ex æquo ſe habet ad vtramque productionem, tum perſonæ, tum creaturæ: ſi verò coarctetnr, & ſit per additionem notionis, & productionis Filij; & Spiritus Sancti, proprium, & commune: ſi verò addatur ingenitus, & innaſcibilis, ſit ſolius Patris proprium negatiuè. Quare qnoquomodo videtur poſitiuè ſumptum magis appropriatum, quàm proprium: nam & ex ſui impoſitione magis ad Patrem, quàm ad reliquas perſonas non ſpectat. Et ſumitur ex Cap. Firmiter. & ex Diuo Anguſtino 15. de Trinitate, & ex communitate cnm Filio: nam Filius, non ſolus Pater eſt Spiritus Sancti principinm: magis tamen ac plenius Patri, quàm Filio conuenit: nam Filius ſolius Spiritus Sancti, Pater

verò, & Filij, & Spiritus Sancti, & Filius non ex ſe, ſed ex Patre: vnde principium de principio, ſicut Deus de Deo nuncupatur; Pater verò ex ſe: quare fontem Diuinæ bonitatis, originem totius Deitatis, principium totius Trinitatis, radicem Diuini fructus, fontalem plenitudinem totius Diuinitatis ſolent SS. Patres nominare Patrem. D. Dionyſ. 3. de Diuinis nominibus. D. Athanaſ. contra gregales Sabellij. D. Aug. 4. de Trinit. cap. 2. D. Chryſoſt. orat. 9. in fine. D. Bonauentura locis, quibus ſupra. Eo tamen ſenſu, quo ſupra, quatenus per omnem modum communicat Deitatem dum perſonas producit, & Trinitatem includendo etiam ſe, facit.

Ad ſecundam partem dubitationis reſp. Non ſignificari per principium nouam, ac diſtinctam notionem in Patre: nam ſi negatiuè vſurpetur, idem eſt quod innaſcibilitas: ſi verò poſitiuè, ac in communi pro omni primitate, ac fœcunditate ad Filium, & Spiritum Sanctum, non poteſt eſſe notio diſtincta Patris: nam vt ſic non eſt eius proprietas, & non eſt diſtincta ratio à primitate. Si denique pro diſtincta actiua productione, erit aut paternitas, aut ſpiratio actiua. Niſi velimus illas diſtinctas rationes iterum ex Seraphico Doctore obſeruare, vt origo ſcilicet eſt Filij, per principium originem oſtendi, per paternitatem id quod conſequitur, relationem ſcilicet ad Filium &c. Sed hoc quoque nihil noui: nam adhuc principium erit idem qund origo. Addit Alexander, Principium in Patre ſignificat originem indiſtinctè, paternitas verò diſtinctam originem Filij, ſicut ſpiratio actiua, Spiritus Sancti.

Tertia ergo dubitatio, quid hìc à S. Doctore quæratur. An proprietas vocis principij, an res per vocem ſignificata. Reſpondetur vtrauis res indagetur, in idem neceſſariò recidit. Siquidem, An in Deo ſit entitas, ac proprietas, quæ principij nomine rectè explicari, ac patefieri poſſit: Vel, an ea huius vocis ſit in ſignificando vis, & aptitudo, vt Deo tum ad intra producenti, tum ad extra creanti, adaptari propriè poſsit: eandem enimuerò tangit metam, niſi velimus hac vti diſtinctione: Vt ſi nominis vis perpendatur, ad modum dicendi in *Diuinis* id pertinet: Si res, quæ nomine explicatur, inquiratur, res non vox Theolngica agitur. At verò ſicuti vnum ab alio diſiungi nequaquam poteſt: non enim intus ſibi S. Doctor meditatur Theologiam, ſed dum in humanis erat ex ſuggeſto alijs expromebat, & nobis inſtruendis ſcriptis reliquit; ita vtrumque ſimul immediatè, & quærat, & præſtet liquido colligitur ex textus expoſitione, ex dub. 2. litt. magis tamen in proprietatis voce perſcrutanda verſat, & vrget, & in corpore diſcurſus, tum 1. tum 2. quæſt. & ex præſcripto titulo, ſed alterum non derelinquit, ſed ad inuicem vtriuſque, rei ſcilicet & vocis nota eſt dependentia, vt otioſa foret hac in re diuturnior commoratio.

Ad argumentorum ergo ſolutionem accedendum, ac primò contra aſſertam analogiam hanc ſatis apparentem ædificat argumentationem ex his S. Baſilij verbis. *Accipere cum omni creatura commune eſt Filio, habere autem per naturam, eius eſt, qui ſolus ex natura eſt Patris.* Si Filij, & creaturæ eſt accipere: ergo etiam communi, & vniuoca ratione Pater dat eſſe Filio per fœcunditatem perſoualem, & creaturæ per potentiam eſſentialem: ergo principium vniuocè de vtroque dicitur.

Reſp. Huius argumentationis dilutio ex D. Baſilij congrua interpretatione pendet illius vocis *commune* concedunt quidem communitatem hanc, non tamen vniuocam omninò, ſed analogam; quod ſufficit etiam ad rignrnſam vocis proprietatem ſuſtinendam: analogum enim non ſolom voce, ſed re ſuo modo ex multis commune. Ad formam ergo argumenti negatur conſequentia. Ita cum S. Doctore etiam Albertus in corp. quæſt.

Secundò. Eodem modo ſe habere debet ad inuicem Sapientia ſimpliciter ſumpta, & Sapientia genita, quo principium abſolutè, & relatiuè ad intra: ſed Sapientia ſic comparata non dicitur æquiuocè: ergo neque principium.

Reſpondere pnſſet S. Doct. & concedere totum: Nemo enim hominum hac in re, de qua eſt controuerſia, concedit, aut admittit æquiuocum, ſed aliquam multiplicem rationem; non eam tamen, quæ attingat veram æquiuoci naturam. Reſpndet tamen, & negat argumenti maiorem; quod quam congruè id faciat, conſtat ex interpretatione, quam ad eam adhibet. Non enim inqnit eadem eſt ratio, & comparatio inter Sapientiam, & Sapientiam genitam: nam ibi ad inuicem conferuntur eſſentia & perſona, vel perſona, & perſona: hic perſona producta, & creatura principiata, & connotata per rationem principij creantis. Et obſeruandus terminus (connotata) non dicit ſignificata, ſed connotata, vt ſibi conſtet cum his, quæ in veſtibulo corporis quæſt. tradidit, terminum aliquem in Diuinis trifariam vſurpari poſſe. Primò pro ſuppoſito, vt principium *Filij* pro Patre ſupponit. Secundò pro re ſignificata, & ſic idem terminus principium, modò eſſentiam, modo perſonam ſignificat. Tertiò pro re connotata, & hoc modo aliquando perſonam, aliquando creaturam; et in re ſignificata non poteſt eſſe æquiuocatio, in connotata fortaſſe. Secundò in tota reſponſione animaduertendum, non concedere æquiuocationem, ſed quandam multiplicitatem oppoſitam. Sed potior erit animaduerſio ſi dicatur, hac reſponſione nihil aliud fieri, quàm argumentum oppoſitum non rectè collegiſſe, nec congruè intuliſſe, oſtendere.

Tertiò. Eo quod vnum de pluribus dicatur quàm aliud, pluréſque complectatur ſignificationes, multiplex æquiuocum dici non poteſt: ſed hæc ſola differentia inter principium eſſentiale, & perſonale, & notionale inuenitur: ergo multiplex æquiuocum dici non debet. Probatur minor. Nam eo principium eſſentiale nuncupatur, quo eſſentiæ, vt in tribus eſt, & tribus perſonis conuenit: perſonale verò, quia non omnibus, ſed alicui perſonæ dum-

taxat

G

taxat. Maior quoque probatur. Nam alias genus, & ſpecies vniuocè non conuenirent, eo quia de pluribus genus quàm ſpecies prædicetur.

Reſp. eadem duplici, qua ad præcedens argumentum reſponſione, ſic ſolutione. Prima. Totum admitti poſſet: nemo enim æquiuocè ſumi principium hoc in propoſito aſſerit. Secunda non explicata à S. Doct. ſed in præcedenti implicata, ſcilicet ſitam eſſe difficultatem non in re ſignificata, ſed connotata. Non enim quia principium eſſentiale eſſentiam, & perſonam præſeferat, & perſonale quia perſonam; inde oritur multiplicitas, ſed tum quia ratio ſignificandi eſt diuerſa, tum quia connotatur creatura per eſſentiale, nequaquam per perſonale. Quare ad formam argumenti conceſſa maiori neganda eſt minor: Nam principium eſſentiale, & eſſentiam dicit, & connotat effectus ad creaturas. Neque tamen hæc multiplicitas eſt æquiuoca, ſed analoga. Vbi obſeruandum, horum argumentorum ſumptam eſſe occaſionem ex Ariſt. 1. Top. loco, vbi dici multipliciter, eſt dici æquiuocè. Quare explicato loco Ariſt: Non omnem multiplicitatem eſſe æquiuocam, ſed admitti ſimul & analogam; facilè cedunt & ruunt id genus argumenta.

Quartò denique immediatius. Aliquo modo principium de eſſentiali, & de notionali dicitur. Omnes PP. & Theologi ita aſſerunt, immò Diuina Scriptura teſtatur. Io. 8. Ad Coleſſ. 1. ad Heb. 1. Apoc. 1. & 3. & 21. Sed non analogicè; neque æquiuocè: ergo vniuocè. Conſequentia eſt certa ex ſufficienti modorum dicẽdi enumeratione. Probatur minor. Non analogicè: Nam prius & poſterius, eſſentiale analogiæ, repugnat Diuinis, teſte D. Athanaſ. *Nihil prius, aut poſterius.* Non æquiuocè: Nam vbi eſt æquiuocatio, ibi diuerſitas rei ſignificatæ: ſed perſona & eſſentia ſignificata per principium, non ſunt diuerſa: ergo.

Reſp. eadem ferè reſponſione. Quoad analogiã, Non quoad rem ſignificatam, ſed quoad connotatum effectum conuenit ratio prioris, & poſterioris: poſterior enim, & imperfectior eſt effectus creaturæ, quàm Diuina perſona producta. Quoad æquiuocationem ſufficere diuerſitatem in ratione ſignificandi, quæ patentiſsima eſt in ſignificanda eſſentia & perſona: eſſentia enim, vt abſtracta, & abſoluta; perſona vt concreta, & relata &c. ſignificatur, vt paucis antea dictis notauimus. Ergo ad formam argumenti negatur minor. Ad probationem vtramque iam dictum ſatis, diuerſitatem in modo ſignificandi prioritatem, & poſterioritatem in effectu comparato ad perſonam, eſſe æquiuocationem. De induſtria hic dixi æquiuocationem: nam S. D. hic eam admittit, non ſolum vt ſoluat argumenta; ſed vt doceat æquiuocationem conſiſtere in diuerſa ſignificandi ratione; non tamen hoc loco completam, ſed quæ de analogia participet.

Ad argumenta quoque, quæ affirmando protulerat, aliquam, quam ſupra obſeruauimus, adhibet modificationem, nunc nunc indicatam, ſcilicet non ita multiplicitatem inculcari, vt æquiuocationem ſimpliciter concludat, ſed analogiam.

COMMENTARIVM

In ſecundam quæſtionem.

NON otioſè, aut inutiliter iterum ſumit S. Doctor, & repetit quod præterita quæſtione ſumpſit, & excuſsit. Nam vtraque quæſtione diuerſus eſt finis; & ſcopus: in ea enim & multiplicem principij notionem, & notionum ordinem quærens; & relatiuè ad intra pro perſona accipi docuit quidem, ſed quaſi per traſennam enumerando; non tamen vt loci Theologica difficultas exigebat, præſtiterit, aut tum auctoritatibus, tum rationibus confirmauit: in hac verò ex propoſito id egregiè præſtat: hæc enim duo ſedulo enucleat de hoc principij termino. Primum. Optimè alcui Diuinæ perſonæ principij nomen congruit, ſcilicet Patri, tum negatiuè, tum poſitiuè, duarum perſonarum productarum ratione. Alterum. Quomodo, & qua ſignificatione, ac limitatione congruat; exquiſitè demonſtrat, remotis, ac præciſis omnibus imperfectionibus, quæ in creaturis ad principij rationem conſequi ſolent: à creaturis enim, quemadmodum & reliqua attributa, eiſdem regulis ad Deum translatum eſt. Vtrumque verò vnica ratione vehementer perſuadet, & eadem eſt cum ratione Sancti Thom. art. 1. tamen vberior, & adæquatior.

Vbicumque inuenitur res per aliquod nomen ſignificata, ibi congruè & id nomen, & nominis ratio adaptabitur, & qua perfectione res inuenitur, eo nominum vſu, eaque circumſpectione, & reſtrictione indigebit, rem eandem pro dignitate exprimentium: ſed in Deu perfectiſsimè inuenitur res per principium ſignificata: ergo optimè, & principij nomen ad eam exprimendam aſſumitur. Minor probanda, Maior namque ſupponitur, alias & otioſa eſſet vocum inuentio, & quilibet vocum improprius vſus licitus eſſet. In Deo eſt vera, & perfectiſsima, & completiſsima emanatio, & origo vnius perſonæ ab alia: ergo ratio principij: ergo principij nomine congruentiſsimè explicatur. Antecedens patet. Nam eſt ibi, vt aptiſsimè docet fides, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus: ergo vna perſona alterius origo: Pater, Filij, & Pater, & Filius, Spiritus Sancti in eadem numero natura Diuina: ergo ſecundum omnem æqualitatem, perfectionem infinitam, & vnitatem: ergo optimè principij nomenclatura: ergo præſcindenda, & excludenda à principij ſignificatione, ea, quæ ad principij rationem in humanis imperfectionem inuoluunt: ergo principij ſignificatione non comprehenditur, perſonam productam poſſe appellari poſteriorem, initiatam, effectam, minorem, ſicut nec producentem, initium, cauſam, maiorem &c. hæc enim grauiſsimè æqualitati, vnitati, ac Diuinæ Diuinarum perſonarum perfectioni detrahunt, vt in reſponſione ad argumenta vberrimè explicatur. Principium ergo dumtaxat vt originem actiuam in perſona Diuina al-

terius ſimillimæ perſonæ in eadem identitate naturæ exprimit, admittendum. Maiorem huius argumenti omnia, quæ tum Theologi, tum Patres, & obſeruarunt, & ex Concilijs, & Diuinis litteris collegerunt, de modis hoc Diuinum myſterium explicandi; probant. Minor autem Diuinarum perſonarum omnimodam æqualitatem, propter eandem numero immultiplicatam naturam, & eſſentiam, continet.

Animaduertendum primò, quod S. Doctor admittit perſonam productam vllo abſque periculo principiatam nuncupari poſſe; quod tamen S. Th. ad 2. negat hac ſola ratione motus, quia non eſt in vſu Doctorum Latinorum; quandam enim minoritatem, vt ſic loquar, & ſubiectionem videtur præſeferre; quo circa ad omne erroris periculum euitandum non admittenda hæc vox principiata. Confirmari poteſt ex ipſomet Sancto Bonauentura ad ſecundum; vbi initiatum prohibet poſſe dici in Diuinis, niſi ad ſolam originis initiationem coarctetur; eadem enim ratione idem de principiato aſſerendum. Reſp. tamen, non de re, in qua omnino conueniunt, & conuenire præcipit fides, ſed de ſignificatione, & huius vocis vſu altercatio eſt; à ſimili tamen in aliquo vſu eſſe, poſſet pro S. Doct. probari.

Initio enim vtitur S. Hilarius, vt eſſendi perſonalia dicit tantum originem, non durandi; quo confirmatur, & principiati vſus. Secundò in ordine, & relatione ad principium, vt ſolam originem actiuam profert; videtur ſine errore poſſe vſurpari: nam tunc ſolam originem paſſiuam exprimit, neque inde vllam, aut dependentiam, aut poſterioritatem &c. explicabit principiatum. Præterea hac limitatione addita procul omne errandi periculum aberit. Rurſus ſicuti Filius principium de principio vlla abſque formidine in ore omnium verſatur, & principiatum eadem ratione poſſe verſari non admodum dubito: principium namque de principio principiatum exprimere videtur. Sed hæc non multi ſunt ponderis, habita dicentis & intentione, & adhibita reſtrictione.

Animaduertendum ſecundò, Cum inter Diuinas perſonas ordinem vſque adeo propriè non intercedere aſſeueret S. Doctor, non ideo excludere diſtinctionem originum, neque perſonarum ordinem confundere, aut inuertere: ſed quia ab ordine enumeratorum prius, & poſterius, & in ſubſtantia diſtinctio ægrè, & admodum difficile præſcinditur: hæc enim ferè ordini intrinſeca videntur; idcirco aliqua improprietate ordinem in Diuinis vſurpari, præſupponit S. Doctor, eo modo, quo & numerum, de quo ſuo loco fusè.

Tertiò animaduertendum. Id quod Aureolus obijcit Sancti Thom. reſp. ad primum, obijcitur & Sancto Bonauenturæ ad 3. quod refert, & rectè reijcit ibidem in Comment. Caiet.

Cæterum communis, & congrua ſententia Sancti Doct. eſt cum reliquis Theologis. Sed Alexander fuſior videtur in obſeruanda principij, tum phraſi, tum ſignificatione: dicit enim principium in Patre abſolutè prolatum, omnem explicare fœcunditatem, & relationem Patris ad alias perſonas, & negatiuè innaſcibilitatem ab alio. De Filio verò, quoniam dicitur principium de principio, duas Filij notiones complecti, tum paſsiuam, filiationis ad Patrem, tum actiuam, ad Spiritum Sanctum. Cum denique de Spiritu Sancto prædicatur principium, ſi nihil addatur, penes eſſentiam debere accipi, qua ex tempore cum Patre, & Filio eſt omnium creaturarum principium efficiens: ſi verò (de vtroque) adiungitur; tunc pro perſona Spiritus Sancti ſupponi, quæ ab vtraque perſona Patris, & Filij originem ducit.

D. verò Thom. in Scripto eadem diſt. totus ferè eſt in reddenda ratione, quare Patres Latini contra Græcos, communiter licet Patrem admittant congruè dici principium, nolunt tamen ideo poſſe congruè appellari cauſam. In ſumma verò art. 1. vna cum Sancto Bonauentura hoc in primis tradit. Propriè in Diuinis ad intra à Theologis nomen principij vſurpari; ſiquidem vera principij ratio inuenitur, origo ſcilicet vnius ab alio. In reſp. verò ad primum, ideo principium, non cauſam admittit in Deo ad intra, quia communius aſſumitur principium quàm cauſa; nam cauſa effectum ſemper dicit, & influentiam, & diuerſitatem in ſubſtantia; principium verò ſolum ordinem aliquando; atque ita punctum principium lineæ dicitur, prima pars in toto totius principium nuncupatur &c. Et quæ ex creaturis deſumpta Deo tribuuntur, ſi in communiori ratione aſſumantur, rectius Deo congruunt, quàm ſi in ſtrictiori, ac ſpecialiori: hoc enim poſteriori modo multis defectibus contracta, multiſque implicatis imperfectionibus, creaturis ſunt propria; & ſic communis tum Theologorum, tum Patrum Latinorum ſententia rectiſsimum in Deo principij vſum decernit, & cauſæ prohibet.

Ad argumenta breuius hic me expediam, quàm rerum, quæ in reſponſione argumentorum tanguntur, videatur expoſtulare grauitas: nam in diſputationibus ſuis locis vberius, ac fuſius, quàm commentarij ratio ſuſtineat, verſanda, & exagitanda ſunt.

Primum argumentum, Vbicumque eſt ratio principij, ibi & primi, & vbi primi, ibi neceſſe eſt vt & prioris, & poſterioris ratio admittatur: ſed in Diuinis poſterioris inter Diuinas perſonas ratio exploditur: ergo & prioris, & primi, & principij.

S. Doctor maiorem argumenti negat: excipit enim, In Diuinis admittitur principium, neque tamen omnino propriè prius: propriè ibi eſt origo, minus tamen propriè ordo, conſequenter minus propriè prius. Potuiſſet adducere D. Athanaſium, in Diuinis perſonis aſſerentem nihil prius, aut poſterius. Quàm inuitè S. Doctor trahitur ad vllo modo concedere etiam ratione originis prius in Diuinis: & eſſe ab alio non libenter explicat per prius: ſed quidquid ſit de termino (Prius) abſolutè negat, vbi prius, ſequi poſterius, & id probat à ſimili per D. Hilarium: licet enim ponatur Pater maior Filio origine, quia ex eo Filius; negandum tamen, minorem ſequi eſſe Filium, ratione

ne

Digitized by Google

ne identitatis naturæ, & perſonarum æqualitatis, ad euitandum, & deteſtandum Arrij errorem. Ita eadem prorſus ratione, Pater licet concedatur prior origine, negandum tamen, Filium ex eo poſteriorem eſſe: nam poſterius dependentiam, ſubiectionem, et inæqualitatem aſſert. Eo ergo quo principium ad ſolam originem teſtandam in Diuinis aſſeritur, et congruè aſſeritur, inde negatur ſequi productam perſonam dici poſteriorem, nedum natura, ſed neque origine congruentius, & magis propriè, ſi non ad originem explicandam, ſed ad anteriorem negandum dirigatur, aſſumitur principium, vt eo ſolus Pater dicatur principium, quia non ab alio. Ad idem argumentum eadem eſt S. Thom. reſp. ad vltimum, his tamen tantiſper diuerſis verbis. Licet principium, quantum ad id, à quo imponitur ad ſignificandum, videatur à prioritate ſumptum; non tamen ſignificat prioritatem, ſed originem: non enim idem eſt, quod ſignificat nomen, et à quo nomen imponitur: ec communis cæterorum hæc eſt neceſſariò reſponſio.

Secundum Argumentum. Vbi inconuenit initium, inconuenit et principium: in Dininis inconuenit initium: ergo et principium. Maior patet ex Philoſopho aſſerente, idem eſſe principium, et initium. Minor conſtat: nam omnes perſonæ ſunt ſine initio.

Reſp. S. Doctor, & declarat maiorem, et aſſertum S. Hilarij lib. 4. de Trinit. de hac dicendi locutione confitetur Eccleſia Patrem Filij originem ab initio, & concludit: ſi aſſumatur initium vt commune ad eſſe, & durare, & non ſolum initium durationis, ſed eſſe ſignificat, admitti in Diuinis, ſi diſtinctè, vt præciſè durationis initium, negandam maiorem, & de Diuinis perſonis non aſſerendum. Tutius tamen eſt tueri, & ſequi communem dicendi Doctorum vſum, ſcilicet abſolutè negare, Patrem poſſe dici initium Filij, tum quia negat & ipſe D. Hilarius eodem loco, negant Concilia, Tolet. 11. & Zormatienſe, Filium ſine initio natum, tum quia hoc vocabulum initium, inchoationem eſſendi, & durandi ex ſe videtur denotare.

Tertium arg. commune vtriuſq; S. Doct. & omnium Patrum Latinorum, vbi quæritur, an, & quare in Diuinis non admittitur, vnam perſonam poſſe dici alterius perſonæ cauſam, hoc modo. Cauſa non poteſt perſona Diuina in ordine ad alteram dici: ergo neque principium. Conſequentia eſt Ariſt. 4. Metaph. tex. 3. *Cauſa, & principium idem ſunt*. Antecedens probatur. Nam ſi vna perſona eſſet alterius cauſa, ſequeretur abſurdiſſimum, alteram ſcilicet eſſe effectum, & conſequenter minoris virtutis, ac perfectionis, & alterius, & diſtinctæ ſubſtantiæ, quæ omnia contradicunt identitati eſſentiæ, & æqualitati Diuinarum perſonarum, & Arrianiſmum implicant.

Reſp. S. Doctor, & interpretatur, dictum Ariſt. veritatem dumtaxat in creaturis habere, hac ratione, quia omne productum à quocumque principio creato, eſt & diſtinctæ ſubſtantiæ, & inferioris perfectionis: in Diuinis verò quia ſubſtantia producens, & producta eſt prorſus eadem numero, & conſequenter eiuſdem infinitæ perfectionis, Ariſtotelis propoſitio, nec vera, nec congrua eſſe poteſt. Eadem in re S. Thom. reſp. non ad inuicem ſecundum omnem rationem, neque adequatè eſſe idem, aut pro eodem ſemper vſurpari, & vbicumque principium, & cauſam: tollenda tamen apparens contradictio in Ariſt. nam 5. Metaph. ſtatim à principio diſtinctionē inter cauſam, & principium, tanquam inter magis, & minus conſtituit. 4. verò Metaph. tex. 3. quem locum hic referunt Theologi, aſſerit: Sicut ens, & vnum conuertuntur; ita cauſa, & principium. & Reſp. poſtremò loco Ariſt. fortaſſe ex aliorum ſententia, non ex ſua locutum: aut ſicuti exempli gratia retulit cauſam, & principium ad explicandum ens, & vnum; ita non requirenda neceſſariò omnis veritas in exemplis. Tertiò, ſaltem cauſa limitanda in creaturis tantummodo, vt facit S. Bonauentura, principium verò ſumendum, vt primo loco adducto Ariſt.

Hinc omnis controuerſia inter Patres Græcos, & Latinos hac in re: Græci enim inuertunt argumentum. In Diuinis admittitur, & ratio, & nomen principij: ergo & cauſæ: nam idem ſunt. Latini verò. Varia, & diuerſa eſt in tota latitudine principij, et cauſæ ſignificatio: ergo admiſſo principio, non conceditur admittenda cauſa: et ad Ariſt. ſufficit gloſa S. Bon. et S. Thom.

Porro obſeruandum, tum Græcos, tum Latinos conuenire in re ſignificata, perſonam ſcilicet productam non differre ſubſtantia; aut perfectione à producente, ſed omnem litem verſari circa vocem, ac ſignificationem (*cauſa*) Græci etenim pro eodem prorſus ſignificando, et cauſa, et principio indiſcriminatim vtuntur, atque quemadmodum ad ſolam originem explicandam aſſumunt principium, ita et cauſam, vt cauſæ nomine tantummodo originem et relationem exprimere intendant. Latini verò propter Arrij errorem, et erroris periculum et ſuſpicionem, ex admodum diuerſa ratione ſignificandi, et imperfectione cauſæ; totis neruis contendunt, ne admittatur inter Diuinas perſonas cauſa, vt cuius ratio repugnans, ac contradicens. Quod ſi ea voce vetuſtiſſimi, ac Sanctiſsimi Patres Græci vſi ſunt, abijt nunc ille vſus. Legendus eſt hic S. Thom. opuſc. de erroribus Græcorum.

Quartum Argumentum. Si repugnat perſonæ Diuinæ vt ſit alterius perſonę finis, repugnabit etiam, vt ſit principium: ſed repugnat primum: ergo et ſecundum. Maior confirmatur ex illis verbis Apoc. 1. nam ibi Chriſtus Deus Alfa, et Omega, principium, et finis nuncupatur. Minor quoq; probatur. De ratione finis eſt, vt bonitate, et perfectione, ea quę ſunt ad finem excedat, vt in eo quieſcant, ac perficiantur: hac enim ratione ad finem anhelant, finem adeo vehementer appetunt. Quod Diuinarum perſonarum æqualitate toto cælo contradicit.

Reſp. et neganda maior in Diuinis ad intra, et locus Apoc. interpretandus de Deo eſſentialiter, et in ordine ad creaturas, quas ſicuti ipſe ſolus Deus creat; ita propter ſe, ad ſuamque gloriam

ſolam

ſolam creando dirigit. Hunc verò illorum verborum Apoc. eſſe legitimum ſenſum, quem diximus, ex verborum contextu reuincitur, nec ex propoſito illius loci colligere licet, agi de Diuinarum perſonarum productione. Deinde, Chriſtus ſecunda perſona non eſt principium ſimpliciter ad intra, ſed principium de principio. Rurſus ex Græcorum phraſi, principium, & finis eſt elogium quoddam ad hominem, de quo ſit ſermo, maximum teſtandum. Denique ex Areta, eſſe principium, & finem Chriſtum Deum, eſt carere principio, & fine. Tandem eſt Filius principium cum Patre, mundi, & Iudex conſtitutus ad judicandum mundum.

Sed hoc loco non eſt diſſimulanda dubitatio, quam in primis ingerit Aureolus diſt. 29. vt ibid. etiam Capreolus refert. Pater ex multis hucuſq; dictis, ideo principium Filij eſt, quia Filium generat. Contra. Primo. Nulla ratio principij ex ijs, quæ Ariſt. 5. Metaph. commemorat, in Patre dum Filium generat inuenitur: ergo non idoneè nuncupatur principium. Secundò. Si ideo perſona prima dicitur principium, quia ſecundam producit: ergo eam Pater producit, aut per eſſentiam, aut per paternitatis relationem: ſed nullum eorum videtur poſſe eſſe: nam eſſentia neque generat, neque generatur, per omnium Theologorum aſſertum, & Eccleſiæ decretum; adeo vt hęretica eſſet propoſitio &c. neque relatio in Patre eſt forma actiua producendi, neque in Filio producta, teſte etiam Ariſt. in Phyſicis, dum ad relationem per ſe non eſſe motum docet.

Ad primum reſp. falſum omnino in ratione principij, quatenus Patri in Diuinis tribuitur, ex his quæ Ariſt. 5. Metaph. nihil inueniri: nam expręſsè ibi dicitur, communiſſimam rationem principij, ex quo eſt, & cognoſcitur aliquid, inueniri conſtat in Patre: nam Filius ex Patre eſt, & ex Patre cognoſcitur iuxta illud. *Ex Patre natus ante omnia ſæcula.* Ad ſecundum, neque generat, neque generatur eſſentia. Conceditur: communicatur tamen per generationem, & ſpirationem, neque generat relatio, ſed vis fœcunda generandi, quæ eſt eſſentia in Patre adhuc non communicata, quam S. *Doctor* primitatem, Scotus memoriam fœcundam, Alij eſſentiam cum relatione aſtruunt. Neque generatur filiatio, niſi quaſi materialiter, ſed perſona Filij ſubſiſtentis: ſubſiſtentium enim eſt generatio, ita vt filiatio per modum proprietatis, licet non generetur; generatur tamen per modum ſubſiſtentis, & perſonæ. Ad locum Ariſt. vno verbo reſpondendum: Ariſt. de relationibus creatis loqui: nam relationes Diuinæ cum ſint ſubſiſtentes, ad ipſas eſt motus, & productio.

In tertiam quęſt. & eius explicationem nihil nunc addendum: neceſſariò enim ſuo loco infra cum de Spiritu Sancto, iterum ſumenda, & ſolerter explicanda.

DISPVTATIO ERGO TERTIA

De principio, ac principij ratione in Diuinis, & præſertim in Patre, in quatuor capita diſtincta.

Caput primum. De multiplici principij ratione ac ſignificatione in Diuinis.

Caput ſecundum. Qua certitudine conſtent quæ de principij ratione aſſeruntur in Deo.

Caput tertium. De vera interpretatione illorum verborum. Ego principium, qui & loquor vobis.

Caput quartum. De recta illorum verborum ſententia. Pater maior me eſt.

CAPVT I.

DE Deo principium ſub biffida ratione dici, omnes aſſerunt Theologi, relatiuè nimirum; & abſolutè, aut quod idem eſt, ad intra, & extra: ſed vt plenior, & abſolutior ſit diſtinctio, trinam conſtituendam, & ad tria capita Theologi rectè exiſtimant redigendam: vt primum ſit perſonæ, ſecundum notionis, tertium eſſentiæ; quippe aut Pater
4 eſt Filij per generationem principium: vis voluntatis ſpirantis in Patre, & Filio eadem notio, principium Spiritus Sancti: eſſentia vna, et hic Deus, totius vniuerſi ad extra principium: ad inuicem partim per eam vniuocationis, partim per eam analogiæ conuenientiam, quam in commentario ex communi Theologorum ſententia collegimus.

Verumenimuerò, vt hæc dilucidius, et expreſſius internoſcantur; quod ait Scotus diſt. 29. in lucem adducendum. Quamlibet horum principij rationem ſub hac gemina diſtinctione vſurpari, vt attendatur, quod alia ratio ſit principij quod, alia quo, et quod, illud ſit quod agit, et producit; quo vero, illud quo, et virtute cuius agit. Rurſus, vt hæc quàm pateant latius perdiſcatur, ſolerter animaduertendum: trifariam accipi principium: primo enim modo, vt quod, ſecundo modo vt quo, tamen virtute, et fundamento, quod aiunt fundamentaliter, tertio modo, vt quo formaliter. Iterum principium quod, aſſumitur ſub triplici ratione, quarum prima penes perſonam eſt, atque ita Pater eſt principium quod Filij, ſecunda verò iuxta notionem, quare Pater, et Filius, ſiue hoc quod dicitur ſpirator, eſt principium quod Spiritus Sancti, tertia denique prope eſſentiam, vnde hic Deus eſt creaturarum principium quod.

Eadem proportione et ratione, principium quo; virtute, et fundamento: primò enim modo de perſona, et ſic primitas, et fœcunditas eſt qua perſona producit, deinde in notione, nam voluntas in Patre, et Filio eſt principium quo Spiritus Sanctus ſpiratur, denique et in eſſentia principium

quo

quo eſt virtus, et omnipotentia. Principium quo formaliter præſtat trina ſimili ratione. Prima in perſona, relatio realis inter Patrem, & Filium eſt principium quo formaliter Pater generat Filium. Secunda in notione, relatio realis inter Patrem, & Filium ſpirantes Spiritum Sanctum, eſt principium quo formaliter ipſe Spiritus Sanctus ſpiratur. Tertia tandem in eſſentia, relatio rationis Dei ad creaturas eſt principium &c. ergo principium quod, tribus modis dicitur, perſona, notio, eſſentia. Principium quo, duobus modis, fundamentaliter tribus modis, perſonaliter, notionaliter, ac formaliter.

Sed in hac multifaria principij ratione enumeranda, Dei ſumma ſimplicitas alta mente tenenda, ac ita piè tuenda, vt nulla hic à parte rei diſtinctio admittenda ſit inter eſſentiale abſolutum, & relatiuum, niſi quam ſupra ſuis locis &c. propoſuimus: inter verò principium perſonale producens, & perſonam productam ea neceſsitate cogimur diſtinctionem realem fateri, ratione oppoſitæ originis, qua perſonas verè diſtinctas, ac plures tenemur profiteri. Inter eſſentiam, & creaturam denique, & realem, & eſſentialem diſtinctionem euidentia reuincimur intercedere.

Quid verò propriè, ac diſtinctè, præſertim ad intra, principium ſignificet, non adhuc videtur ſatis manifeſtum, ex duplici capite: primo enim non videtur vſque adeo verum, quod tertio quoq; verbo Theologi noſtri aſtruunt ex omnibus Patribus Latinis, principij rationem cauſæ vim, & rationem non attingere, vt ſummo conatu reſiſtendum, ne cauſæ vox inter Diuinas perſonas loco principij admittatur, propter periculum erroris Arrij euitandum: nam D. Hilarius 4. de Trinit. Patri auctoris nomen tribuit: at auctor non minus quam cauſa videtur ſignificare. Præterea D. Hieronymus illa D. Pauli verba ad Epheſ. 3. explicans, *ex quo omnis Paternitas &c. Pater*, inquit, *eſt ſui origo, ſua cauſa ſapientiæ*. Rurſus D. Aug. lib. 7. de Trinit. cap. 4. & lib. 83. quæſtionum quæſt. 16. Pater eſt cauſa ſuæ ſapientiæ illis verbis: *Quod ei cauſa eſt vt ſit, eſt ei quoque cauſa vt ſapiens ſit*. Si ergo ibi tres grauiſsimi Patres inter Latinos, qui pro centum æſtimari poſſunt, cauſæ nomine vtuntur ad ea quæ intra Deum ſunt exprimenda, cauſæ vſus videtur concedendus & inter Latinos, quibus ſi addantur & ex Græcis optimè de Diuinis litteris meriti, D. Nazianz. lib. 3. ſuæ Theologiæ ſtatim à principio, & D. Damaſcenus lib. 1. cap. 8. & innumeri alij; quid videtur impedire, quin tutus, & orthodoxus ſit in Scholis huius vocis cauſæ ad Diuinas emanationes vſus?

Quod ſi ferè ſolus D. Aug. fecit probabilem illam de creatione rerum ſimul, adeo ſingularem opinionẽ: ſi propter ferè vnicum Nazianzenum de Angelorum creatione, diu ante cæteras res corporeas celebrata, ſententia tantum obtinuit, vt S. Th. propter illum vnicum Patrem hæc opinio nõ ſit contemnenda, dixerit, ſed ei potius debitus honor deferendus: cum fere innumeri ſint vetuſtiſsimi, ac grauiſſimi Patres, qui cauſæ vſum admiſerint; quid igitur nos adhuc dubitamus? quam quidem reuerentiam à Sancto Thoma adhibitam Sanctiſsimo Nazianzeno, plurimi ex recentioribus noſtris ſi animaduertiſſent; ex communi Angelico Magiſtro hanc fortaſſe didiciſſent modeſtiam, vt Sanctos Patres vltra citraque non ita facili negocio derelinquerent, reijcerent, ac paruipenderent, vt etiam præfatione noſtra notauimus.

Si denique illius vocis hypoſtaſis, tandem receptus in vniuerſa Eccleſia vſus, licet ab initio adeo eandem vexauerit, vt teſte eodem Nazianz. (quod ſuo loco retulimus) tota in maximo labendi periculo viſa ſit conſtituta; quid erit quod huius voculæ, *cauſa*, tot tantorumque Patrum auctoritate vſus induci non potuerit? Quod confirmari poteſt tum ex latitudine ſignificationis: non enim dumtaxat cauſa productionem, more creaturæ extra propriam producentis ſubſtantiam, ſignificat, ſed cuiuſcumque rei quocumque modo productionem, vt & apud profanos auctores legere, & obſeruare licet; tum ex Theologorum vſu, qui Sacramenta nouæ legis, licet efficere dumtaxat moraliter plurimi gratiam exiſtiment, tamen cauſam vllo abſque ſcrupulo gratiæ vbicumque occaſio ſeſe offerat, nuncupant; tum ex Ariſt. adducto loco ſupra 4. Meth. tex. 3. *cauſa, & principium ſunt idem*.

Confirmatur ſecundo, quia non eſt neceſſe, licet Pater dicatur principium, & cauſa Filij, Filium aſſerere cauſatum, & effectum: neque enim licet ab omnibus idem Pater admittatur principium Filij, Filius tamen dicitur principiatus; quemadmodum, etſi ex quibuſdam Patribus ratione originis Pater recenſeatur maior Filio, neque tamen admittitur Filius minor Patre, vt inter alios D. Hilarius egregiè notauit. Neque ſimilis poteſt obijci res de alia voce pariter controuerſa inter Græcos et Latinos Patres, ſcilicet productionis Spiritus Sancti, quam Græci, qui à Patre per Filium procedit: Latini verò, qui à Patre, Filioque, explicabant: neque enim Eccleſia Latina à ſuo vſu recedere debuit, ac voluit, etiam Græcorum optima intentione explicata, vt refert Eugenius quartus in vnionis Bulla: Grauioris enim momenti erat hæc controuerſia, & iam interpoſita erat Sanctæ Eccleſiæ auctoritas in Symbolo, et Concilio Niceno, et agebatur de vocibus ex Diuina Scriptura, et Sacris Euangelijs collectis etc.

Reſp. tamen, ac perſiſtendum in ea, quam tenentur Latini opinione, ac dicendi ratione: et licet fortaſſe illius vocis vſus admitti potuiſſet; adhuc tamen non eſt admiſſus, neque vllo loco receptus. Neque vrget, quod apud aliquos Patres Latinos ſemel, aut iterum vox hæc, *cauſa*, in propoſito de quo agimus, legatur. Primò enim vt reſpondet Caiet. vnus aut alter locus non facit illum, de quo diſputamus, vſum. Secundò, loca SS. Hieronymi, et Auguſtini hæc ſpectare non poſſunt: nam ibi tum cauſam latiſſimè pro quacumque ratione ſumunt: tum de eſſentialibus attributis, non de ad intra relationibus loquuntur, quò ſcilicet ſecundum noſtram intelligendi rationem vnum attributum alterius cauſam, id eſt rationem, aſſerere conſueuit Theologorum Schola: tum denique negatiuè

Digitized by Google

gatiuè facillimò negocio ea loca interpretari licet, vt eo Pater ſui dicatur cauſa, quia à nullo eſt, nullamque habet, aut habere poteſt cauſam, aut principium.

Ad locum autem D. Hilarij, non admittimus, hanc vocem *auctorem* ęquipollere cauſę, ſed principio, vt Patrem eſſe Filij auctorem æque ſit, ac eſſe principium, et hoc vnum addere, ita auctorem eſſe, vt non ſit ab alio. Quare S. Thom. in 1. diſt. 29. quęſt. 1. art. 1. Filium ideo auctorem non eſſe Spiritus Sancti, quia ipſe non à ſe, ſed à Patre eſt, deduxit. Quod quia in Summa vltimo ſuo teſtamento non cõfirmauit; non erit graue ſi oppoſitum dicatur in D. Hilarij gratiã, qui 2. de Trinit. Patrẽ, et Filium Spiritus Sancti auctores nominat.

Ratio autem potiſsima, quare non à Latinis cauſæ nomen ſimul cum principio admittatur, neque ad Diuinas actinas origines explicandas aſſumatur, eſt quam adducunt vterque S. Doctor, quia aperta differunt ſignificatione, et purior, ac cõmunior principij notio, et vſus, et ſubinde congruit magis Diuinis perſonis: expendit S. Thom. et probat ex Ariſt. 5. Metaph. vt ſupra. Cauſæ verò ex vſu ſignificatio recepta, et in hominum mente impreſſa, concretior, et impurior, et materialium tantum cauſis, diſtinctam ſubſtantiam producentibus, propria: in quo ſenſu Ariſt. locutum 4. Metaph. neceſſariò interpretatur S. Bonau.

Ad reliqua, quæ opponebantur, aut nulla, aut leui indigent reſponſione, hac præcipua ratione, quia vſus cauſæ negat: non enim apud nos admittitur, vtantur Græci, quia apud ipſos vſus inoleuit. An poſſit hic vſus incipere, hic non diſputatur. Non eſſe tantorum Patrum contemnendam auctoritatem; non contemnimus, imò ex corde veneramur; ſed vſui non minoris numeri, nec inferioris nominis Sanctorum Patrum Latinorum, et totius Scholæ adhęremus: et propter Arrium hac nobis vtenda cautela, et ne puſillis ſcandalum ex trita, et vulgata cauſæ ſignificatione exhibeamus, nobis ab hac voce, qua nec indigemus, abſtinendum. Quod ſi fortaſſe apud profanos auctores in hac ſententia hæc vox producta legatur, quod adhuc nobis non conſtat, neque vllum legimus; nihil prodeſt: nam ad hoc myſterium explicandum, nec translata, nec transferenda eſt.

Cæterum vt creaturarum principium rectè, ac idoneè quoque cauſa nuncupari poſſit, nullum exiſtimo impedire, aut obſtare periculum, imò ad hoc aſſerendum vrgere patentem veritatem: tum ijſdem SS. DD. rationibus, quibus ſupra contra vſum cauſę nitebantur: ſi enim hac potiſſimum ratione contendebant, principium Diuinæ perſonę non dicendum cauſam, quia cauſa extra propriam ſubſtantiam producit effectum; eadem ratione Deus principium, et creaturę creator dicendus eſt cauſa: mundum enim creauit non ex propria ſubſtantia, ſed alterius ſubſtantiæ extra ſe de nihilo. Omnes idem tum recentiores, tum vetuſtiſſimi Philoſophi confirmant, dum Deum primam cauſam, primumque aſtruunt motorem, reliqua agentia inferiora in ordine ad primam, ſecundas cauſas.

Denique omnes Theologi in 2. ſent. de Deo creatore tractatus inſtituunt, & abſoluunt, & Deum mundi cauſam demonſtrant, idemmet S. Thom. prima parte quæſt. 44. ac præſertim art. 1. vbi tum ex Ariſt. 2. Metaph. & ex Platone, Id quod vnum eſt, & quod per ſe maximè ens eſt, neceſſariò eſſe cauſam omnis veri, & entis, & eſſe ante omnem multitudinem, & omne per participationem, ad id quod per ſe eſt, neceſſe eſt referri, & pendere, & ab eo produci. Poſtremo ex D. Paulo Rom. 11. *Ex ipſo, per ipſum, & in ipſo ſunt omnia*. Geneſis 1. *In principio creauit Deus cælum, & terram &c.* Ergo Deus, ea veritate conſtat, quod ſit cauſa mundi, qua quod ſit creator, & principium: ergo principium ad intra originem, & perſonam dicit, ad extra productionem, & creaturarum cauſam.

CAPVT II.

Qua certitudine conſtent quæ de principij ratione aſſeruntur in Deo.

QVærimus & nomen, & rem principij hoc capite, qua ſcilicet certitudine, tum relatiuè, tum abſolutè ſumpta, Deo tribuantur, competantque. Quo autem ad rem, ſicuti certiſſima res eſt de fide, Filium à Patre generari, Spiritum Sanctum à Patre, & Filio ſpirari, & omnem à Deo in tempore creaturam creatam, omnibus illis locis, & Scripturæ, & Conciliorum, & Patrum, & Theolog. quibus hæ aſſeruntur veritates Io: 15. *Cum venerit Paraclitus, quem ergo mittam vobis, qui à Patre procedit*. In Symbolo Nicæno, *Ex Patre natum ante omnia ſæcula, & qui à Patre Filioque procedit*, & multis alijs conſimilibus locis. Gen. 1. *In principio creauit Deus cælum, & terram &c.* Quibus, quo Filium à Patre, & Spiritum Sanctum à Patre, & Filio aſſeritur, & eo ita Patrem eſſe Filij principium, & Patrem, & Filium Spiritus Sancti aſtruitur, & quo omnem creaturam eſſe à Deo creatam; eo itidem creaturæ omnis eſſe principium, plus certo aſſeueratur. Principij enim ratio quid aliud, quàm perſonæ originem, cuius eſt principium, & creaturæ, cuius eſt cauſa producens, dicit?

Quo verò etiam ad nomen, multis locis adhuc deducitur clariſsimè. In Concilio Sirmienſi, qua parte fuit Catholicum c. 32. vbi quemadmodum damnat Filium eſſe ſine principio, ita neceſſariò aſtruit Patrem eſſe Filij principium, ac ſtatuit. Ibidem caput Chriſti Deus ex D. Paulo decernitur, neque caput dumtaxat Chriſti hominis, ſed etiam Chriſti Dei, origo nempe.

De Filio diſtinctè Gen. 1. *In principio creauit Deus cælum, & terram*. Ideſt in Filio, per multos Patres. Io: 8. *Ego principium, qui & loquor vobis*, per plurimos Patres, & communiorem, & certiorem expoſitionem, Filium eſſe principium aſſeritur.

Iterum de Patre Io: 1. *In principio*, ideſt in Patre, *erat verbum*. Origenes hom. 2. in diuerſos. D. Cyrillus lib. 1. in Io: cap. 1. D. Aug. lib. 6. de

Tri-

Digitized by Google

Trinitate cap. 2. pſal. 109. *Tecum principium,* ideſt Pater. D. Aug. in illamet verba.

De vtroque, cap. Vnico de Summa Trinit. in 6. quod deſumitur ex Conc. Lugdunenſi cap. Fideli, vbi definitur Patrem, & Filium eſſe vnicum principium Spiritus Sancti.

Quod denique abſolutè ſumptum principium ad Deum creantem attinet, quo ad vocem adeſt Lateranenſis Conc. decretum cap. Firmiter de Summa Trinit. & Fide Catholica: *Vnum vniuerſorum principium, creator omnium, inuiſibilium, & viſibilium, ſpiritualium, & corporalium, qui ſua omnipotenti virtute ſimul ab initio temporis vtramque condidit creaturam, ſpiritualem, & corporalem &c.* Et cap. Damnamus. De eſſentia Diuina dicitur, *quæ ſola eſt vniuerſorum principium, præter quod aliud inueniri non poterit.*

Quo vero ad rem Gen. 1. *In principio creauit Deus cælum, & terram.* Io: 1. *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil.* Ad Rom. 11. *Ex ipſo, per ipſum, & in ipſo ſunt omnia.* In Symbolo Niceno, *Factorem cæli, & terræ, viſibilium, & inuiſibilium.* Qualis ergo ſit hæc propoſitio: Deus eſt principium, tum ad intra, tum ad extra; orthodoxa ſcilicet, & catholica, & quo ad formam, & quo ad materiam; hoc eſt rem, & verba, iam liquido conſtare, nullus dubitandi relictus eſt locus. Huius autem aſſerti nulla alia reddenda eſt ratio, quàm quæ ex Diuinis litteris, & Concilijs reddita eſt: ex his enim locis oriuntur, & deſumuntur propoſitiones catholicæ.

CAPVT III.

Quæ nam vera ſententia horum verborum: ego principium, qui & loquor vobis Io: 8.

CONducit apprimè ad quam verſamus hic diſputationem, & vehementer perſuadet, ac confirmat veram quam indagamus, & propriam principij rationem, nomenclationem, & attributionem Diuinis perſonis, ex Sanctis Patribus horum verborum eruere veram, certamque explicationem. In quo illud faceſſit negocium, quod noſtra Latina editio non videtur admodum congruere Græco textui; vnde factum eſt, vt multiplex, multumque varia orta ſit expoſitio, quæ obſcuriorem, difficilioremque reddidit locum; tantum abeſt, vt faciliorem, clarioremque. In Græco namque textu, principium primò in accuſandi caſu poſitum eſt, deinde ex vocula Græca reddendum eſſet (quod) neutri generis, noſter autem textus, & in nominandi caſu, & relatiua eſt vox (qui) *Principium, qui & loquor vobis.*

Porrò duo in primis ad horum verborum cognitionem conſequendam certiorem, refert obſeruanda. Alterum, auctoritatem Latinæ verſionis, qua nos vtimur, eſſe maximam: eſt enim vetuſtiſſima, quam per tot ſæcula amplexata eſt Eccleſia, vt ex D. Ambr. & ex D. Aug. ſatis conſtat, & quam Conc. Trident. cæteris verſionibus antepoſuit, ac confirmauit, & quam D. Hieronymus, cui tantum contulit Sancta Eccleſia, vt eius correctionem, ac verſionem cæteris prætulerit; diligentiſsimè correxit, & emendauit, vt ipſe apertè in proemio In Euangelia teſtatur; hunc tamen locum intactum reliquit: quibus conſpicuè conſequitur hunc textum latinum, vt latinum eſt, ſufficere ad quamcumque veritatem, aut dogma aſſerendum, ac teſtandum, neque nos admodum indigere recurrere ad textum græcum, neque officere in accuſandi caſu eſſe *principium* &c. apud Græcos: codex enim noſter, cum ſit omnis auctoritatis, ſufficit nobis, & rectiſsimè dicit in nominandi caſu. Editio namque etiam latina, ex Spiritu Sancto orta eſt, vt doctiſſimus Titelmanus in Apologia pro editione vulgata, inter alios teſtatur, & itidem doctiſsimus Cano de locis Theologicis; eo textum græcum, aut hebræum nobis fidem facere, quo textui latino deſeruit, aſſeuerat.

Alterum ſedulo animaduertendum, eſt verborum contextus: ex contextu enim, & conſequentibus, & antecedentibus verbis, verborum verus colligendus eſt ſenſus, vt doctiſsimè D. Aug. contra Aduerſarium legis cap. 24. docuit illis verbis, dum *literones, non literatos, perditos, non peritos eos vocat, qui vnum locum carpunt, neque eum alijs locis conferunt, & hos ſibi potius eruere, quàm gignere eruditionem.* Optima enim interpretandi ratio eſt, locum loco exponere, vt his verbis iterum in noſtra Præfatione notauimus. Ergo ex ſequentibus verbis, ijs præſertim Io: 8. *Et non cognouerunt, quia Patrem eius dicebat Deum.* Et deinde ad illos conuertens ſermonem, *Ego ex Deo proceſsi, & veni:* quibus non ſolum ſe Deum, ſed Dei Filium, à Patreque procedere liquido colligitur, & hanc vocem *principium,* nedum ad Deum vnum eſſentia, ſed ad Deum perſonam ſpectare: Ego enim, qui me Filium Patris Dei dico, ſum principium, qui loquor vobis. Idem ex antecedentibus verbis eadem certitudine conijcitur, vbi ſemper ſe vt Deum Iudæis indicaret Dei Filium, Deum Patrem ſuum vbique appellat.

His animaduerſis, licet multæ circumferantur Doctorum ſententiæ, & expoſitiones; certior tamen, & congruentior, & textui Latino verè adæquata, quam communiter Patres tradunt: quidam enim textui Græco magis inhærentes Græci auctores, illud *principium* vt aduerbium interpretantur, vt valeat idem quod ſanè, omnino, & ſit ſenſus, conciſus tamen, ac deficiens: vos interogaris, tu quis es, nihil reſpondeo: ſane enim indigni eſtis, qui reſpondeam vobis, meamque de me doctrinam tradam: quam expoſitionem nemo non videt quàm dura ſit, quamque inuertat, & poſitionem, & proprietatem verborum latinorum noſtræ editionis.

Fere ſimilem expoſitionem afferunt alij, qua eandem vim noſtro textui inferunt, & intolerabilem verborum tranſpoſitionem, & inſuetam omnino

no

no adhibent. Principium enim idem quod prius, & à principio, & ab initio valere, docentes hanc in his verbis fuiſſe Chriſti Domini mentem, ac ſententiam. Vos quis ſim ſcire auetis, non eſt opus vobis hoc dicere: iam enim aliàs ab initio meæ prædicationis, quis ſim apertè manifeſtaui. Conantur confirmare ex voce Græca Arcon, quam ſeptuaginta interpretes Gen.13.& Gen.43. verterunt, prius: ſed hi Græci ſunt, & voci græcæ totam vim tribuunt, & eſt difficilis, & nulla ratione neceſſaria conſequentia, quod eadem vox, ſi aliquo loco vnam vim habet, eandem omni loco debeat habere. Quod argumentum eo diligentius nobis vitandum, quo ſæpe eo hæretici vtuntur. Præterquàquod noſter optimus interpres Latinus, non ita interpretatur, neque inter Latinos auctores vſus congruus eſt, vt principium pro principio aduerbium, aut pro prius ſumatur. Prætermitto alias acceptiones, ne extorſiones dicam, huius loci, quas inuenire facile erit, præcipuè apud recentiores, Toletum, Maldonatum, Barradum, Ianſenium &c.

Congrua ergo, & amplexanda illa ſententia, quam ferè vbique tradit D. Ambr. lib.3. de fide cap. 8. *Ego ſum principium, quod & loquor vobis.* lib. 1. Exam. cap. 2. & 4. *Initium, quod & loquor vobis.* lib. de Tobia cap. 19. quibus locis hunc perpetuum ſenſum expromit: *Ego ſum omnium rerum principium, quia Deus ſum; loquor tamen vobis, quia & homo ſum.* Eandem tenet ſemper, ac conſtans tradit D. Aug. lib. 10. de Ciuit. Dei cap.24. lib.11. cap. 32.lib.5. de Trinit. cap. 13. lib. 1. contra aduerſarium legis cap. 3. & tract. 34. in Io. & alibi, quibus ſemper aſſerit, Chriſtum interrogatum quis eſſet, reſpondiſſe ſe eſſe principium. Deinde Beda, Rup. Abbas, D. Bern. 5. de conſideratione, D. Bonauentura dub. 5. litterali, & communiter.

Confirmatur hæc explicatio ex prælactis fundamentis. Primò ex verſione noſtra latina, quæ ea auctoritate pollet, vt ad fidei dogmata ſufficiat abunde. Secundò ex Sanctorum Patrum regulis ad rectè Diuinam Scripturam interpretandam, inter quas vna hæc, ne vis vlla inferatur verbis, niſi ad aliquod inde proficiſcens abſurdum euitandum, quod hic nullum intelligenti apparet. Omnis alia autem quæ inuenitur expoſitio, è ſuo ſubmouet ſenſu verba iſta, & vehementer extorquet, vt nuperrimè obſeruatum eſt. Tertiò ex ſecundo fundamento, ex contextu ſcilicet verborum, & propoſito: iam enim ſupra declarauerat Chriſtus Dominus ſe eſſe Deum, cum ex actione remittendi adulteræ peccata, quod ſolius Dei proprium eſt: *Quis enim peccata dimittit, niſi ſolus Deus?* & Iſa.43. *ego ſum qui deleo iniquitates propter me.* tum ex illis verbis: *Ego ſum lux mundi, & ſi iudico ego, iudicium meum verum eſt, quia ego ſolus non ſum, ſed ego, & qui miſit me Pater.* & totus ferè contextus verborum huc tendit, vt Chriſti Diuinitas inſinuetur: ergo & hæc verba, quæ explicamus, huc ſpectare debent: at ſi ſumantur, vt præſeferunt, ſcilicet Deum efficientem, & Deum cum Patre ſpirantem; cum ſic intrinſecè ſint Deo propria; mirè diſcurſus Chriſti metam tangunt: ergo ſic ſumenda. Quartò. Poſtulatio Iudæorum hoc valde exigit *tu quis es? quis* enim, de perſona Diuina interrogat, vt ſupra tract. de perſona: ergo Chriſti reſponſio, *Ego principum*, ad perſonam pertinebit. Quintò. Hæc explicatiſsimè omnia concludit Euang. *Et non cognouerunt quia Patrem eius dicebat Deum*: ergo & illis verbis Patrem ſuum, & ſe dicebat Deum. Verum interpretari principium, vt dicat omnino, ſane, prius, ab initio, certè ſic non ſe dicit Deum.

Denique, quia quę huic obijciuntur interpretationi, nullius videntur ponderis, vt hucuſque partim indicarum eſt: quod enim aſſeritur textum Græcum habere *principium* in accuſandi caſu, iam primo dixi, hoc eſſe nimis tum pēdere à textu Græco, tum velle Catholicam Latinam verſionē corrigere. Secundò reſpondet D. Aug. lib. 1. contra aduerſariū legis c. 3. in quoquo caſu legatur, eundem tamen parere ſenſum: ſic enim verba connectit. *Dixerat ſupra Chriſtus Dominus, niſi credideritis quod ego ſum, moriemini. Reſpondet interrogationi tacitæ huic, quem te eſſe credemus? reſponſio eſt, principium, ideſt credite me eſſe principium.*

Quod ſecundò opponitur de vocula (qui) deberet enim congruere verbo *principio*, & legi, *quod*, ideſt principium quod; nihil eſt: nam eadem veritas, & res explicata, vel legatur quod, vel qui: *qui* enim, ad Chriſtum dicentem ſe principium refertur, *quod* vero, verbo *principium* congruit. Ergo, vt reuertamur vnde huius loci ſumpſimus occaſionem explicandi, ex his verbis appoſitè, quod in diſputatione propoſita prætenditur, Deo tum abſolutè, tum relatiuè competere, & rem, & nomen principij demonſtratur.

CAPVT IV.

De vera illorum verborum ſententia, Pater maior me eſt Io: 14.

NE cum Pater aſſeritur principium Filij, & Pater, & Filius, Spiritus Sancti, inde cuiquam ſuboriatur ſuſpicio de ęqualitate Diuinarum perſonarum; vt nimirum Pater principium, & origo Filij, Filio originato exiſtimetur maior &c. & confirmetur his verbis propoſitis D. Io: opportunum locum duxi huc referre, & eadem verba explicare, præſertim D. Magiſtrum ſecutus, qui eundem locum hoc loco ſibi opponit, & interpretatur. *Vado ad Patrem, quia Pater maior me eſt.* Quæ quidem verba quàm ſubtili indagine agitarint Arriani contra Chriſti Diuinitatem, & ęqualitatem cum Patre, teſtes grauiſsimi ſunt. DD. Athanaſ. orat. 2. contra Arrianos, & lib. de Synodis Ariminenſi, & Seleucienſi. Epiphanius hæreſi 69. Baſil. lib. 4. contra Eunomium, & Epiſt. 141. Greg. Nazianz. orat.4. & 5. de Theologia, & Niſſenus orat. ad Simplicianum, & permulti alij, qui contra multum inſudarunt, diuque diſputarunt,

Hunc

Hunc tamen locum nihil prorſus prodeſſe Arrianis, nihilque fauere eorum errori, trina grauiſſimorum Patrum expoſitio vehementer demonſtrat: quocumque enim modo intelligatur, ex Diuinis Patribus ſemper horum hæreticorum deliramenta, ac lætifera ſomnia euaneſcunt, nullamq; ne vmbram quidem eorum peſtilenti ſententiæ afferre poſſe illa verba, perſpicuiſsimum fit. Sed primò hunc locum à contradictione vindicat D. Nazianz. recenſita orat. 4. ab alio ipſius D. Io: loco, & alio D. Pauli: D. enim Paulus ad Philip. 2. *Filius*, inquit, ***non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo***. D. verò Io: cap. 5. pluribus verbis eandem Filij æqualitatem cum Patre teſtatur. *Vt omnes honorificent Filium, ſicut honorificant Patrem: ſicut Pater ſuſcitat mortuos, & viuificat, ſic & Filius quos vult viuificat. Quæcumque fecerit ille*, ſcilicet Pater, *hæc & Filius ſimiliter facit.* Certum verò eſt, Spiritum Sāctum, qui per vtrumque Apoſtolum loquebatur, neque mentitum, neque contrariè locutum.

Reſp. igitur, Vbi Chriſtus maiorem ſe Patrem dicit, non negat quod alibi ſe eſſe æqualem per dictos Apoſtolos docuerit: imò hinc quærenda horum verborum recta interpretatio, vt tollatur omnis apparens contradictio, nullaque ratione Diuinę Filij ęqualitati derogetur. D. igitur Chryſt. Theophilactus, Euthimius, & Leontius hæc verba ſic interpretantur, Chriſtum hæc verba non ex veritate, ſed ex diſcipulorum opinione protuliſſe, accomodaſſeque ad eorum mentem ſermonem, ipſi namq; ſuo Patre minorem Chriſtum autumabant: vt verò eos de ſuo diſceſſu triſtes conſolaretur; ab eorum de ſe opinione hoc deſumpſit argumentum. Si mihi timetis, quod me defendere non poſſim, neque ſperatis poſt mortem meam me vos reuiſurum; dum tamen auditis me ad Patrem me maiorem iturum ex veſtra opinione; lætandum potius vobis, quàm dolendum, ſi me amatis, quia vado ad eum, qui liberare, exonerare, exaltare, & vobis reſtituere me poterit. Quam expoſitionem agnouit etiam S. Aug. lib. 1. de Trinit. cap. 9. quæ licet ſanè non admodum litteræ congruat; non flocci tamen facienda: eſt enim grauiſsimorum Patrum, & elegans, acutum, & accomodatum continet argumentum ad diſcipulorum dolorem liniendum, & leuandum. Qua occaſione omnis argumenti ratio, dum qui contenditur finem attingat, admittitur opportuna: qualis qualis tamen ſit, luce meridiana clarius non cæcutienti, non officere æqualitati Filij pro Arrianis.

Plures verò, ijdemque grauiſſimi, ac doctiſsimi Patres ſecundo loco; locutum Chriſtum de ſe, vt Dei Filio naturali, & Patrem ſe ipſo maiorem, etiam in eadem natura cum Patre aſſeueraſſe, ex Græcis DD. Athanaſius, Epiph. Nazianz. Nyſſ. Chryſoſt. Cyrillus, Damaſcenus, & Euthimius: Ex Latinis in primis D. Hilarius. Quos omnes eo carpit Maldonatus, quo nimis conceſſiſſe Arrianis videantur: ſed poterat modeſtius cum Sanctiſsimis Magiſtris agere: nihil enim omni proculdubio hac expoſitione largitum Arrianis, quod eorum errori ſuffragari poſsit: nam ex his alij, maiorem à Filio vocari quidem Patrem; non tamen inde ſequi minorem eſſe Filium, ſed id opinione quadam humana, qua Pater quadam auctoritate maior ſolet Filio exiſtimari, obſeruarunt.

Alij, maiorem non natura, aut dignitate, ſed dumtaxat origine nuncupari. Alij, quod in idem recidit, quia auctor Pater, & principium Filij, inde ipſum maiorem nominari; non tamen meliorem. Denique D. Cyrillus lib. 10. cap. 9. Chriſtum Patrem appellare maiorem ratione maieſtatis, & gloriæ collatę exinanitioni ſuę, & humilitati: Filius enim ſumpta carne humiliauit ſe: vadit autē nunc ad mortem, poſtea exaltandus, & glorificandus in hac natura ſuſcepta. En quàm cautè, ne Arrio indulgeant, loquuntur. Tuta igitur hæc expoſitio, ac pluri pendenda, quia tot, tantorumque Patrum præſertim.

Longe tamen melior, ac ad litteram mirè congrua, quæ communior videtur, horum verborum explanatio, qua Chriſtum ſe minorem Patre ſecundum humanitatem dixiſſe, aſſeritur. Ita S. Aug. tract. 78. in Io: Ita D. Leo ſer. 3. de Pent. D. Athanaſ. diſp. cum Arrianis in Conc. Nic. & diſp. contra eundem coram Probo. Deinde D. Cyrillus lib. 10. cap. 9. licet tantiſper diuerſa in quibuſdam, vt nuperrimè retuli. Rurſus ex contextu verborum: non enim abſolutè Chriſtus dicit, *Pater maior me eſt*, ſed his præmiſſis, additiſque verbis, *quia vado ad Patrem*. Sicut enim non Diuinitate, ſed humanitate ibat ad Patrem; ita de ſe homine, non de ſe Deo locutum, conſpicuè conſequitur: ibat enim vbi non erat: ergo vt homo: Diuinitate enim vbique erat. Eandem expoſitionem D. Athanaſ. diſput. habita Laodiceæ coram Probo. D. Ambr. lib. 2. de fide cap. 4. & alibi. D. Hilarius lib. 9. de Trinit. D. Baſilius indicata Epiſtola 141. complexati ſunt, & communiſſima eſt.

Nicetas lib. 1. ſuæ hiſt. refert, tempore Emanuelis Imperatoris congregatum fuiſſe Conc. ad hæc verba interpretanda, & quatuor expoſitiones in medium ab illis Patribus allatas. Primam, Pater maior eſt Filio, quia Filium generat. Secundā, quia Pater non eſt incarnatus, ſicut Filius. Tertiam, quod ibi loquatur Chriſtus in perſona Eccleſiæ, & ipſa dicat, Pater, ideſt Chriſtus, maior me eſt. Quartam, Chriſtum ſe minorē Patre ratione humanitatis nuncupaſſe: & hanc refert Nicetas eſſe determinatam; merito quidem: præter enim dicta, videtur hic vſitatior Chriſti ſermo: ſi enim teſte D. Paulo, Chriſtus homo ab Angelis diminutus erat: ſi Dauid nomine Chriſti: *Ego vermis*, dicebat, *& non homo, opprobrium hominum, & abiecto plebis &c.* quid mirum, ſi ſe Patre minorem dicebat? quæ hac veritate verior? vel vt verius loquar, quàm verior hæc veritas quacumque alia ſimili? Denique nihil euidentius obſtruit os Arrij, certiuſque eius redarguit inſcitiam, quàm hic locus ſic interpretatus. Nihil minus quàm hæc verba confert ad Chriſti Diuinitatem negandam: non enim de Diuinitate, ſed de humanitate manifeſtus, & apertus eſt ſermo.

Eſt verò leue, futile, ac vaniloquũ, quod huic certæ, ac veræ doctrinæ obijciebat Arrianus Eunomius, *Pater maior me eſt.* Comparatio non fit inter ea, quæ eiuſdem generis ſunt: non enim dicitur homo maior homine eſt, nec aſinus aſino: ergo ſi Pater maior Filio eſt, diuerſi generis eſt, alteriuſque ſubſtantiæ. Refert D. Cyrillus Alexandrinus lib. 2. theſauri cap. 3. hanc obiectionem Arrij, & Eunomij, eademque deridetur, & diſſoluitur hac communiſsima noſtra expoſitione vltimo loco poſita, ſcilicet fieri hic comparationem non in eadem Diuina ſubſtantia, ſed inter Dininam, & humanam Chriſti, qua Pater maior eſt, Filius verò minor. Eandem ideo opinionem, & Seraphicus Pater, & expoſitionem inter reliquas prũdentiſsimè ſelegit, veluti quæ textui congruentior, quaque facilius, & tutius deluditur Eunomij cauillus, & qua tandem excutitur timor, ne hoc loco vlla inſurgat inæqalitatis vmbra inter Diuĩnas perſonas ratione principij, & originum.

Idem D. Cyrillus lib. 10. in Io: cap. 9. aliam Arrianorum refert arrogantiam, ac dementiam, ex eiſdem D. Io: verbis hucuſque explicatis; non fieri comparationem niſi in eodem genere: non enim recte quis dicet hominem prudentiorem iumento, neque equum velociorem teſtudine, ſed hominem homini, & equum equo conferunt omnes: ergo deducunt, Filium fateri Patrem maiorem ſe Deitate: ergo falſa expoſitio, quam nos vltimo loco communiſsimam, & optimam poſuimus. Sed idem D. Cyrillus, & D. Baſilius capiunt iſtum nebulonem in laqueo, quem fecit: ſi enim comparatio non fit niſi inter ea, quæ ſunt eiuſdem generis, & tamen per D. Io: ad inuicem Pater, & Filius conferuntur: ergo & Chriſtus eſt Deus, & eiuſdem generis, & ſubſtantiæ cum Patre.

DISPVTATIO QVARTA, de Patre.

An improceſsibilitas ſit noua, & diſtincta Patris proprietas.

D. Bon. diſt. 28. quæſt. 4. Alexander quæſt. 64. membro 4.

POſſet alium poſtulare locum hæc poſita dubitatio; ſed neq; hic incongruus: explicatis enim quæ ad Patris perſonam pertinent, non abs re hoc loco dubitatur. An improceſſibilem eſſe, tum ad Patrem, tum vt diſtincta notio ab innaſcibilitate ſpectet: à qua re bino ex capite breuibus expediẽdum, ac penè abſtinendum: Supra enim dum notionum numerus quinarius probaretur, hęc tum excluſa, tum explicata eſt, deinde de eadem re infra, cum de Spiritu Sancto, redibit ſermo; quare poſito hic S. Bon. & propoſitionibus diſtincto textu, non erit opus plura congerere, aut conſarcinare.

PARAPHRASIS.

PRIMA igitur propoſitio. Non poteſt rectè conſtitui Patris tamquam diſtincta notio improceſsibilitas. Probatur primò ex cõmuni recepta Theologorum ſententia, qua quinque dumtaxat aſtruit eſſe notiones. Secundò. Ad hoc vt in Diuinis congruè ponatur notio, tria in primis requiruntur, primum, vt poſitionem dicat, aut per ſe primo, aut ex conſequenti, ſecundò, nobilitatem, ac dignitatem, vt ſupra probatum eſt, dum de ingenito, ac innaſcibilitate agebatur: nullam verò purè negatiuum poteſt rationem vllam nobilitatis habere, tertium, vt diſtinctionem ratione ab alijs dicat: ſed improceſsibilitas nullam vt ſic diſtinctam ponit rationẽ ab innaſcibilitate &c. ergo. Probatur primò. Improceſſibilitas negat omnem emanationem, tum generationis, tum ſpirationis, & ſic competit ſoli Patri, & ponit primitatem, & omnem fontalem plenitudinem. Deinde in Filio negat tantummodo ſpirationem, & ita etiam illi congruit: eſt enim primus in ſpirando, vnde per ſe eſt inſpirabilis: ſed hoc totum dicit innaſcibilitas, & primitas, & in Filio ſpiratio actiua: ergo improceſsibilitas non eſt ponenda diſtincta notio. Secũdò, & confirmatur. Eſſe improceſsibile, & ſimpliciter non procedere, competit etiam eſſentia abſoluta: ergo. Tertiò. Si ad conſtituendam notionem, & relationem, pura ſufficeret priuatio, aut negatio; eſſentia competeret notio: non enim producitur, inſuper & Spiritui Sancto non producere eſſet propria notio.

Secunda Propoſitio ex reſponſione ad argumenta. Licet Pater Filio cõmunicet inſpirabilitatem; non communicat tamen, neq; communicare poteſt innaſcibilitatem. Probatur: etenim repugnat perſonam productam non eſſe ab alio: ſed ſi eſſet ab alio, & tamen innaſcibilis, & innata, eſſet & producta, & non producta, ab alio, & non ab alio: ergo Filio, qui genitus eſt, repugnat innaſcibilẽ eſſe.

Tertia Propoſitio. Licet non procedere poſſit eſſe notio, quia poſitiuam dignitatem, & primitatem aliquam dicit; non producere tamen non eſt dicenda notio, tum ne indiſcretè augeatur notionum à Theologis decretus numerus tum quia nullũ poſitiuum reſpectum dicit, & conſequenter nec dignitatem, nec fœcunditatem, aut primitatem. Quod ſi quis ideo dicere dignitatem opponeret, quia dicit ſtatum, ac terminum emanationum, ac inde perfectionem. Reſp. Id non per ſe primò, ſed ex conſequenti, & alia ratione, quod non ſufficit ad notionem: tum tertiò, quia ſic & eſſentia congruit.

Notationes breuiſsimæ.

Hic nihil pro commentario, aut diſputatione videtur addendum, quod indicatum non ſit in paraphraſi propoſitionum, & quod inter Theologos controuerſum ſit: omnes namque vnanimi cõſenſu ideo improceſsibilitatem, & inſpirabilitatem non eſſe notionem aſtruũt; tum quia tantum quinq; eſſe notiones, & ſufficere, omnis antiquitas docuit, tum quia in his deſunt ad notionem conſtituendã requiſita; tum deniq; quia omnibus quæ obijci poſſunt difficultatibus, vberrimè ſatis Seraphicus Doctor

Digitized by Google

ctor fecit, ac præſertim, quæ ex conceſſa, & poſita in Patre innaſcibilitate ſuboriri poſſent, vt ex argumentorum ſolutione conſtabit.

Quod ſi Scotus in primo diſt. 28. quoad tertium hæſitauit, & tentauit ſextam notionem addere, inſpirabilitatem ſcilicet, quam hic Sanctus Doctor improceſsibilitatem appellat, ac inde quaſdam rationes poſsibiles addidit; tandem ſe Theologorum communitati adiungit, timens, inquit Caiet. ſe omnium Doctorum torrenti opponere. Qui tamen præter ea, quæ nos quoque ſupra notauimus, vberiorem de re hac tractationem appeteret, apud ſingulos recentiores legere poterit, præſertim apud Zumel.

Neque hic S. Doctor indiget à contradictione vindicari, quod alibi Filium alium Filium non poſſe generare, Spiritum Sanctum alium Spiritum Sanctum, nedum non dicere imperfectionem, ſed infinitam perfectionem, aſſeruerit: hic verò oppoſitum viſus ſit dixiſſe, dum in reſp. ad vlt. non producere non dicere perfectionem, notatum reliquit. Reſpondeo enim, vt intuenti conſtat. Id hic abſolutè non negare, ſed in formali termini vi, non producere, non includi, ſed ex conſequenti indicari: quare addit, hanc non eſſe ſufficientem rationem ad negandum improceſsibilitatem eſſe notionem, vnde ad aliam confugit. Quo circa hac explicatione, quam hic S. Doctor adhibet, animaduerſa, potius egregiè quæ aliàs docuerat, enucleat, ac commentatione illuſtrat, tantum abeſt vt neget, aut contrarium dicat.

Ad argumenta ergo accedendum. Primum autem hac conſtructione conſtructum eſt, & eſt potiſsimũ quod Scoto faceſſebat negocium, teſte etiã Ludouico Molina. Sicuti Pater differt à Filio per innaſcibilitatem, ita à Spiritu Sancto per improceſsibilitatem: ergo ſicut illa notio eſt, ita & hæc debet eſſe. Antecedens quoad primam partem notum eſt: quo verò ad ſecundam videtur itidem notum: nam quia Pater non procedit, differt, & opponitur Spiritui Sancto, qui ab ipſo procedit. Conſequentia quoque conſtat, quia vtriuſque eadem oppoſitionis ratio.

Reſp. Improceſsibile poſſe biſariam vſurpari, aut abſolutè, vt omnem tollit modum emanandi, & procedendi, aut diſtinctè, ac ad ſolam proceſſionem per modum amoris, & voluntatis, quæ dicitur ſpiratio, reſtrictum. Rurſus eadem improceſsibilitas, aut vt quid diſtinctum dicat ab innaſcibilitate, aut vt idem per diuerſum, tantum terminum explicatum: tunc ad argumentũ. Primo modo concedo totum argumentum, veriſſimum enim eſt vtroque modo ſumptam improceſsibilitatem opponi tum Filio, tum Spiritui Sancto. Secundo modo ſoli Spiritui Sancto; quod tamen infertur: ergo notio, adhuc concedo: quod deinde: ergo diſtincta notio Patris, omnino negatur: nam abſolutè accepta, eſt ipſa innaſcibilitas, reſtrictè vero ipſa ſpiratio actiua in Patre, & Filio, in ſolo Filio, vt ſola in ipſo genito ſpiratio. Deinde eadem res alio modo poſſet explicari, & dilui inſtantia, quod in idem tamen recidit, & negari antecedens: nam Pater per innaſcibilitatem non ſolum à Filio, ſed etiam à Spiritu Sancto differt, eiq; opponitur: Innaſcibilem enim eſſe Patrem, vt ſupra fuſo ſermone explicatum, eſt ita à nullo eſſe, vt omnis alia perſona ſit ab ipſo.

Quibus poſitis, multa PP. loca, ac ſententiæ conciliantur mirificè: dum enim D. Nazianz. ſer. Epiph. & D. Athanaſ. Dialogo de Trinit. Spiritum Sanctum vocant ingenitum, non vocandum vero tradunt D. Hilarius lib. 4. de Trinit. D. Cyrillus lib. 1. Theſauri cap. 1. 2. 3. & 4. D. Aug. 5. de Trinit. cap. 6. & 7. D. Damaſc. lib. 1. de fide cap. 9. id ex varia ingeniti acceptione ortum eſt, vt de ſolo nomine fuerit altercatio: ſi enim vt tantum generationem negat, ſumatur; verum dicunt primo loco poſiti Patres: ſi verò vt omnem emanationem tollit, accipiatur, vt communiter, ſicuti inter Patres clariſsimè D. Baſilius lib. 1. contra Eunomium; eſt ingeniti ſignificatio, non habere aliunde principium vt ſit: verum ſecundo loco poſiti aſſerunt.

Secundum argumentum. Dignitatem ponit in Patre æquè non ſpirari, ac non generari: ſed non generari nobilem ponit notionem innaſcibilitatis: ergo & non ſpirari debet improceſsibilitatem einſdem nobilitatis ponere. Conſequentia conſtat ex eadem vtriuſque ratione. Minor certa eſt, & ſupra admodum diffusè dum de innaſcibilitate, confirmata. Maior ergo probatur: nam ſi ratio nobilitatis innaſcibilitatis eſt, quia & ab alio non eſt, & ideo alium ab eo; eadem ratio eſt de non ſpirari: non enim ab alio ſpiratur, & alium ſpirat.

Reſp. eadem qua ad primum reſponſione: non ſpirari ſcilicet, dicere quidem dignitatem, & conſequenter fœcunditatem; quia tamen non diſtinctam ab innaſcibilitate in Patre abſolute ſumptam, neque ideo diſtinctam dicere notionem: quare ad formam argumenti conceditur totum, ſi de non diſtincta notione ſumatur: ſi vero de diſtincta, neganda eſt maior &c.

Tertium argumentum. Conuenit Patri generare, quia innaſcibilis, & ſpirare, quia inſpirabilis: ergo ſicut innaſcibilis, non ſolum per priuationem, ſed multo magis per poſitionem eſt notio Patris; ita & improceſſibilis &c. Neque ſoluit, quod in Patre innaſcibilitas implicat improceſsibilitatem, nihilque ab illa diſtinctum ponit: nam ſaltem in Filio, qui non eſt innaſcibilis, erit notio inſpirabilis, & improceſsibilis.

Reſp. eadem prorſus reſponſione, & ad inſtantiam reſp. Spiratio actiua in Filio includit inſpirabilitatem: ideo enim inſpirabilis, quia ſpirat. Quod ſi iterum occurris. Sicut in Patre præter generationem, & ſpirationem actiuam, adhuc tamen Innaſcibilitas diſtincta notio additur: ergo eadem ratione videtur inſpirabilitas addenda Filio. Facili negocio & hoc diluitur, licet negatio ex ſe notio non ſit, innaſcibilitas tamen ſingularibus rationibus ſuo loco diſcuſſis, ac præſertim quia ſolus Pater eſt primum principium, cui ſoli ideo competit vt per negationem innoteſcat; à Theologis conſtituta eſt: quæ quia in inſpirabilitate in Filio non inueniuntur, ideo neque nuncupanda diſtincta notio. Atque hæc de perſona Patris.

QVAESTIO OCTAVA ET PRIMA DE PERSONA FILII.

EXPLICATISSIMA hic eſt ordinis ratio, quare poſt Patris tractationem inſtituatur, illa, quæ ad Filium pertinet, vt neque tantiſper in illa, aut meditanda, aut aperienda immorari opus ſit; ita enim ipſe perſonarum ordo imitandus, vt quicumque alius poneretur, eſſet inuerſus: inter ea autem quæ ſecundæ perſonæ ſunt propria, ſuppoſitis ijs, quæ in communi ſupra poſita ſunt; à Verbo ideo primò exordiendum erat, quia & ipſe D. Io. in ſuo ſupercæleſtiſsimo Euangelio ſic à Verbo auſpicatus eſt, vt hæc prima fuerint ipſius verba. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Præterea, vt infra patebit, hac ratione ſecunda perſona concepta, & genita, & Filius, & imago intrinſecè nuncupabitur, quia intrinſecè eſt Verbum: ergo à Verbo tractatus ſecundæ perſonæ initium.

Neque à Filio auſpicandum: cum enim Filij ratio teſte D. Th. à Patris ratione ſumatur, ſuperuacaneum, & otioſum fuiſſet, cognito Patre, ſtatim de Filio ſub Filij ratione inſtituere tractatum; neque aperiendus Arrianis locus in initio, quo obſcœna obijcerent de materiali generatione Filij. Neque ab imagine, veluti quæ communiorem habeat quàm Verbum rationem: omnis enim imago non eſt Verbum, licet omne Verbum ſit imago, & à communioribus Ariſt. præceptione incipiendum ſit: idem enim Ariſt. 5. Metaph. cap. de Principio. Illud eſſe doctrinæ principium, & inde ſumendum ordinem, vnde quis opportunè diſcat: ergo non ab imagine, ſed à Verbo exordiendum, ſine quo nec eſſe imaginem, nec eſſe Filium, idonee percipere licet, vt latè inde ſuis locis conſtabit: De Verbo ergo primò, deinde de imagine.

ARTICVLVS I.

An Verbum in Diuinis tantummodo vt notio propria ſumatur. D. Bon. diſt. 27. part. 2. art. 1. q. 1. D. Thom. q. 34. art. 1.

PARAPHRASIS.

PRIMA Propoſitio. *Quidquid alij falſò, & contra certam veritatem, in Deo concedendum quidem trifariam vſurpari, dicere, ſed ſub dumtaxat vna ratione correſpondere Verbum, aut Verbum aliud quidem eſſentiale, aliud verò perſonale, opinati ſunt; hæc vna tenenda, ac aſſerenda veritas, quam præſertim tradiderunt Sancti Aug. 7. de Trinit. cap. 2. & 3. & Anſelmus in Monologio: Verbum in Diuinis tantummodo ſecundum notionem, & perſonam poſſe ſumi. Declaratur, & probatur prima pars. Primò dicere in Deo ſumi primò præciſe pro ſolo intelligere, deinde pro errare, denique pro generare; ita vt primo, & ſecundo modo ſit dicere ſine verbo, tertium dumtaxat cum verbo: aut ſi Verbum aliud præter genitum admittatur, id eſſe eſſentiale, vtroque modo dictum falſum eſſe probatur, ac primò: Dicere idem eſt quod loqui: ſed ita inintelligibile eſt, & adeo abhorret, & à ratione loquendi, & intelligendi, vt implicare videatur repugnantiam, vt ſicuti quis generare non poteſt dici ſine genito, nec noſſe ſine notitia; ita poſſit loqui ſine verbo.*

Secundò. *Dum tres loquantur perſonæ aut vnus Deus, admittere quod loquantur Verbum eſſentiale, eſt contra Sanctos Patres, præcipuè Aug. & Anſel. deinde contra verbi definitionem: eſt enim verbum, quod emanat ab alio per modum conceptionis, quod idem eſt, ac ſi per modum generationis mentis: ergo verbum eſt productum, & genitum: ergo perſonale: ergo repugnat eſſe eſſentiale. Quare probatur ſecunda pars, primò ex illis verbis Io. 1.* Verbum caro factum eſt. *Vnio incarnationis facta eſt in ſecunda perſona, vt fides, & omnis Diuina pagina teſtatur: ergo Verbum eſt ſecunda perſona: Verbum enim caro factum eſt: ergo eſſentialiter non ſumendum. Secundò. D. Aug. 15. de Trinit. cap. 11.* In Trinitate non dicitur Verbum, niſi Filius; neque donum, niſi Spiritus Sanctus. *D. Anſelmus in Monologio.* Apertiſſimum eſt quia nec ille, cuius eſt Verbum, poteſt eſſe Verbum ſuum, nec Verbum poteſt eſſe ille, cuius eſt Verbum: *Ergo Verbum perſonale.*

Tertiò, *his ſuppoſitis. Loqui ad ſe, & apud ſe eſt mente intelligendo ſe concipere, & concipiendo omnino ſimile ſibi producere, ideſt verbum. Deinde, Verbum emanat, & procedit per perfectiſſimam expreſſionem obiecti, cuius eſt verbum: ergo Verbum producitur: ergo Verbum idem quod imago; ſed imago eſt propria Filij, non eſſentia: ergo & Verbum: ergo non eſſentiale. Denique, Omne verbum dicit relationem ad dicentem: ſed dicens eſt perſona:*

na: ergo dicit relationem ad perſonam: ſed relatiuum, & ad perſonam, notionale eſt: ergo & Verbum. Maior ſupponitur certa ex definitione verbi tradita. Minor quoque ex antedictis, dum de relationibus ad intra.

Secunda Propoſitio. Sicuti loqui bifariam vſurpatur, & eſt aut apud ſe, & ad ſe, aut ad alterum: ad ſe quidem, dum mente intelligendo Pater ſe concipit, ac concipiendo omnino ſimile ſibi producit, quod eſt Verbum: ad alium verò, dum Verbum intus conceptum, alij per extrinſecum, vel verbum, vel factum profertur, & exprimitur; & dicitur extrinſecum verbum; ita propemodum quoque Deus: nam intus Deus Pater intelligit ſe, intelligendo concipit, ac producit prolem ſibi ſimillimam, & Verbum, adæquatiſſimè exprimens ſe ipſum, quod dicitur Verbum æternum, natum, terminus dicendi, ac concipiendi. Dum verò ad alium in tempore loquitur, ſe tunc creatura per creaturam, tum realem, tum verbalem explicat, ac exprimit, & tunc illud verbum eſt quidem verbum, tamen extra, & infra Deum, & in tempore; quod ideo nec eſt, nec poteſt eſſe Deus; quodque tandem hac ratione poteſt nuncupari eſſentiale, qua reſpicit creaturam, quæ non ab vna perſona diſtincta, ſed ab vno Deo progreditur.

Tertia Propoſitio corollaria. Verbum eſt per expreſſionem, & expreſſam ſimilitudinem, & ſpeciem eius, cuius eſt verbum.

Quarta Propoſitio itidem corollaria. Aeternum Verbum eſt quidem Deus, tamen eius, cuius eſt dicere, ac concipere. Probatur: nam eſt terminus non ſolius nudæ intelligentiæ, ſed intelligentiæ dicentis, & concipientis: ex fine corporis, & reſp. ad 1.

Quinta Propoſitio ex reſp. ad 2. adhuc corollaria. Filius, & Spiritus Sanctus licet ſe intelligant, ac intueantur, eorum tamen intellectio non eſt dictio, nec conceptio: ratio eſt, quia in ipſis non eſt fœcunditas ad generandum, quia ad hoc non eſt primitas, ſed tantum in Patre, qui generando fœcunditatem terminauit in vnico Filio: quare in Deo non omnis intelligentia eſt genita, ſicut in nobis.

Sexta Propoſitio ex reſp. ad 4. Dicere in Deo, & generare Verbum æternum, & temporale ad extra, includit, & ſupponit actum abſolutum, quem vocant reflexum, quatenus ad ſe conuerſus intelligit ſe; & dicit relatiuum quatenus concipit, & gignit, & refertur ad genitum: & ad extra dum intuetur ſe, vt abſolutum, & explicat ſe creaturis, & hoc quoquomodo relatiuum: nam ad dicentem eſt abſolutum, ad dictum, ſcilicet creaturam, eſt relatiuum.

Septima Propoſitio ex reſp. ad 5. Verbum eſt medium inter Patrem, & creaturas, non quidem eſſendi, ſed intelligendi, quia per Verbum omnia fecit: dixit enim primo Gen. interprete D. Aug: ideſt genuit Filium, quo omnia diſpoſuit.

Octaua Propoſitio ex dub. 2. litt. Hac differentia inuenitur inter imaginem, & Filium, & Verbum: licet enim ſint vna tantum proprietas, & notio; eadem tamen hac ratione dicitur imago, qua importat ſimilitudinem vt conformem, Filius, vt connaturalem, Verbum, vt mentalem, & ſpiritualem.

COMMENTARIVM.

MIRVM quidem quàm fœcundè, ac cumulatè hac quæſt. de Verbo S. Doctor incipiat tractatum: primò enim quid ſit, deinde quomodo, & quem ordinem habeat ad abſolutam cognitionem, mox ex qua cognitione producatur, tandem quomodo ab humanis ad Diuina translatum ſit, & quam ſimilitudinem cum verbo creato habeat. Obſeruandum tamen in titulo huius diſtinctæ quæſt. illud à Sancto Doctore non quæri laxiori ſenſu, veluti an Verbum poſsit pro perſona ſupponere, vel aliquo accomodato ſenſu ſit perſona; ſed ſtrictè, formaliter, & proprie ex ſua ſignificatione ſit perſonale, aut eſſentiale: alterum enim eorum erit immediatè, & hæc in Deo eſt immediata, & adæquata diſtinctio, vt aliàs ex Alex. notauimus, & ipſe ex D. Aug. In tota vero quæſt. hæc quatuor S. Doctor præſtat vberrimè: primo enim duas varias ſententias proponit circa dicere, & Verbum in Deo: ſecundò, eas refutat, ac explodit: tertiò, ſimul hinc ſtatuit quod ex titulo quærit, vnica ratione dici in Deo Verbum, ſcilicet relatiuè, ac notionaliter: quartò omnes ſoluit, ac clariſsimè diluit obiectiones.

Prima autem ſententia, quam primo loco refert, eſt, & verſatur circa quid ſit dicere, ſecunda, quid & quotuplex verbum mentale, ac dicere quidem non omne eſſe fœcundum, aut verbum producere: nam etiam præciſum, ac nudum intelligere, eſt dicere, ſine tamen verbo. Denique in tempore creare eſt itidem dicere abſque vllo verbo: quam quidem ſententiam gemino argumentorum genere coarguit, ac reijcit, altero Sanctorum Patrum teſtimonijs, altero ex dicere definitione petita, vt in textu: ſecundam verò ſententiam recenſitam, duplex ſcilicet eſſe verbum, eſſentiale, & perſonale, eadem methodo commonſtrat, ac reuincit eſſe falſam, & tum ex Patribus, tum ex Verbi definitione deſumpta argumentatione, vnicum in Deo æterno eſſe Verbum, ſcilicet perſonale.

Ita ergo ſe habet primò ad dicere. Dicere eſt loqui: ergo ſicut repugnat loqui ſine verbo, ita dicere: ergo dicere aut pro termino habebit verbum, aut non erit dicere, ſed ſimplex intelligere.

Quod ſi creare eſt dicere, dixit enim, & facta ſunt, eius Verbum erit res creata. Ad verbum verò contra ſecundam ſententiam. Verbum eſt quod ab alio emanat per modum conceptionis, & cognitionis mentalis: ergo dicere Verbum eſſentiale, eſt repugnantia aſſerere: nam eſſentia tunc emanabit, & producetur: quod eo implicat,

quo & nihil ſe ipſum producere poteſt, & eſſentia abſolutum quid, erit relatiuum: aut ſi non emanabit eſſentia, erit idem aſſerere, & negare ſimul: ſuppoſita enim tradita verbi definitione, dicere verbum eſſentiale, eſt dicere verbum non eſt verbum: ſi enim verbum: ergo non eſt eſſentiale: nam verbum emanat, & producitur; ſi eſſentiale: ergo non verbum: nam eſſentia improducta, & improducibilis, & abſoluta.

Subinde aggreditur, tum ex Diuina Scriptura Io: 1. tum ex Sanctis Patribus, Aug. & Anſelmo præſertim, tum alijs, rationibus, Verbum eſſe perſonæ veram, & realem proprietatem, ac notionem demonſtrare. *Verbum caro factum eſt*, ſed non eſſentia: ergo perſona incarnata eſt: ergo Verbum eſt perſona, ac ſecunda quidem perſona. Rurſus, Verbum, & imago idem prorſus ſunt; ſed imago eſt propria Filio: ergo & verbum. Maior ex verbi definitione. Eſt expreſsiſsima ſimilitudo obiecti, cuius eſt verbum: ergo eſt imago. Minor quoque ex multis certa eſt, infra diſt. 3. cum de Imagine, imò ex Diuina Scriptura. Præterea, Verbum intrinſecè dicit relationem: ergo non eſſentiale: ergo perſonale. Probatur prima conſequentia: nam eſſentiale abſolutum eſt, & opponitur relatiuo. Probatur, & confirmatur ex immediata diſtinctione perſonæ, & eſſentiæ in Diuinis: quidquid enim eſt in Deo, aut abſolutum, aut relatiuum. Antecedens probatur. Verbum emanat à dicente per generationem, ac conceptionem: ergo ad ipſum refertur, à quo emanat: ſed is à quo emanat, eſt perſona: ergo ad perſonam, non ad eſſentiam refertur: ergo quia ſimilitudo, quia imago, quia relatio, proprijſsimè ac formaliter Verbum eſt perſonale.

Hæc verò argumenta quanti ſint ponderis, quantaque efficacitate probent, in diſputatione expendetur. Interea ſedulo animaduertendum, quàm ſeipſum enucleatè explicet S. Doctor de ſententia Verbi, quàmque vniformis cum Angelico Doctore, ac cum communiori, ac certa reliquorum Theologorum ſententia commeat: & quàm ab ea tum Scotus, tum Durandus, & Aureolus, & alij diſcedant, dum verbum non eſſe actum intelligendi, vt Durandus, neque rem obiectiuam, vt Aureolus, ſed terminum intelligendi; non tamen cuiuſcumque, ſed illius quod eſt dicere, & conceptum, & obiecti expreſſam ſpeciem, ac ſimilitudinem. Quod idem S. Thom. & quæſt. 27. art. 1. & hic quæſt. 34. art. 1. explicatiſsimè tradit, vt fuſius ſuo loco infra: quid ſit verbum, quod ſcilicet expreſsiſsima ſit rei intellectæ ab intellectu dicente concepta ſimilitudo: quomodo ſe habeat intelligere ſimpliciter ad intelligere fœcundum, quod eſt dicere, ac loqui, nempe ſicut reliqua relatiua, ab abſoluta eſſentia Diuina, non re, aut actu, ſed dumtaxat virtute, ac fundamento diſtincta; ac ita interpretandus neceſſariò, vt ſibi conſtet, ac conſequenter cum ea, quæ de Diuina perſona ad eſſentiam comparata, diſt. 23. differit, loquitur, & ſatis apertis verbis hic ad 4. dum Verbum abſolutum, & reflexum, & relatiuum intelligendi ad inuicem confert, & dum intelligit ſe, dici reflexum ſupra ſe, & abſolutum, dum intelligendo producit Verbum, relatiuum.

Quare differentiæ, quas inter intelligere ſimpliciter, & dicere conſtituit, ac potius enumerat, vt primum, abſolutum, ſecundum, relatiuum, primum, ad intelligentem, ſecundum, ad terminum, ideſt ad perſonam Verbi productam, primum reflexum, ad eſſentiam, ſecundum, ad terminum relatum, primum tandem ſterile, ſecundum fœcundum; non accipiendæ quidem actuales diſtinctæ, ſed virtute, & ratione dumtaxat. Secundò intelligere Patris, ac Filij, & Spiritus Sancti, vt Patris ſit fœcundum, Filij autem, & Spiritus Sancti nequaquam; hac potiſsimum ratione, quia in Patre eſt fœcunditas ex primitate, in Filio vero, ac Spiritu Sancto non item: iam enim in Filio generando omnis fœcunditas terminata eſt, quia Filius genitus infinitus omnem filiationis gradum, & communicationis per modum naturæ complectitur: ita vt intelligere Filij, & Spiritus Sancti, cum non ſit dicere, ac loqui, neceſſariò ſit abſolutum.

Hinc tertiò. Intelligere ad verbum creatum ſi comparetur, ita ſe habet: omnis enim creata intellectio eſt genita, & producta, increatum verò intelligere, illud tantum eſt verbum, quod eſt relatiuum; quod vero abſolutum, nullo modo: ita vt intelligere Dei, & trium perſonarum ſimul, non ſit intelligere productum, aut relatiuum, ſed tantum intelligere Patris; intelligere vero creatum omne productum, & genitum. Quapropter nihil hic de Verbo differendum S. Doctor prætermiſit: Quid enim primo in ſe, ſecundo, à qua intellectione producatur, quomodo ſe habeat & intelligere Diuinum abſolutum, tum in vno Deo, tum in perſonis Filij, & Spiritus Sancti, quomodo cum Filio, & imagine, quomodo tandem cum intelligere creato, vberrimè explicauit.

Poſſet dubitari, & expoſtulari ratio de differentia inter intelligere increatum, & creatum: quare creatum ſit ſemper fœcundum, Diuinum nequaquam, ſcilicet abſolutum. Reſponderi poſſet ſufficere auctoritatem D. Aug. lib. 15. de Trinit. cap. 12. id aſſerentis ex facto: in Diuinis enim omnes perſonæ intelligunt, & vna tantum, ſcilicet prima producit: ergo datur aliquod intelligere, quod non eſt productum, nec fœcundum, idq; ex perfectione fœcunditatis primæ perſonæ: in intellectu vero creato, quia per nullum actum intellectionis perfectiſsimè intelligit, vt intellectione producta, & verbo terminata ſit omnis vis intelligendi; oritur iterum poſſe intelligere, & ſemper nouum producere verbum, & quotieſcumq; intelligit, ſemper intelligentiam gignit, idque oppoſita ratione, vt conſtat, ex imperfectione intelligentis.

Ad quartam partem tranſeamus, & quàm ſcitè, & adæquatè obiecta argumenta diſiciat, ac diluat, animaduertamus. Primò igitur ex Patrum auctoritate, Verbum in Diuinis non relatiuè, ac perſonaliter, ſed abſolutè, & penes eſſentiam ſumendum videtur: D. enim Aug. 9. de Trinit. cap. 10. *Verbum*, inquit, *eſt cum amore notitia*; ſed notitia eſt quid eſſentiale: ergo & Verbum. D. Anſel-

mus

mus in Monologio cap. 28. *Vnaquaq; perſona in Trinitate ſe dicit:* ergo Verbum eſt trium: ergo eſſentiale. Idem D. Anſelmus eodem loco cap. 60. *Dicere nihil aliud eſt quàm cogitando intueri:* ſed hoc eſt eſſentiale: ergo & Verbum.

Secundò. Sicut Pater eſt intelligens, & Filius eſt intelligens, & Spiritus Sanctus eſt intelligens; ita Pater eſt dicens, Filius dicens, Spiritus Sanctus dicens: ergo Verbum eſſentialiter dicitur: nam à qualibet perſona dicitur. Argumentum eſt D. Anſelmi eodem libro cap. 28.

Itidem ex Origene, vt refert S. Thom arg. 1. art. 1. Verbum in Diuinis Metaphoricè ſumitur: ergo non eſt perſonale, & proprium.

Reſpondetur interpretando SS. loca & auctoritates, quibus argumentum fulcitum videbatur; & primò S. Aug. dictum, ſcilicet Verbum eſſe notitiam cum amore; interponit S. Doctor gloſſam, D. Aug. non de quacumque notitia loqui, neque quamcumque notitiam eſſe verbum, ſed eam tantum, quæ concepta eſt: vnde idem S. Aug. lib. 7. de Trinit. cap. 2. non longe à principio. *Verbum,* inquit, *eſt ſapientia genita,* quod idem ac notitia genita: quare, vt rectiſsimè S. Thom. ad idem argumentum, hic intellectus notitiæ non pro ſpecie, aut habitu, nec pro actu intellectus, ſed pro eo quod concipit intellectus cognoſcendo. Ad formam ergo argumenti neganda eſt minor: non enim illa notitia, quæ concepta eſt, quæ dicitur verbum, ad eſſentiam ſpectat. Secundum verò locum S. Anſelmi 3. argumento relatum, ita ingenuè, ac eruditè enucleat, ac eodem modo, quo ſupra lectum locum S. Aug. Vnaquæque enim, inquit, perſona dicit quidem, ſed non verbum perſonale, ſed rem creatam, dum Deus per Verbum quodcumque creandum noſcit, ac producit: omnia enim per Verbum facta ſunt, & rem ipſam factam, ac creatam, multis locis lato quodam dicendi ſermone conſueuerunt Sacræ litteræ verbum appellare: quare D. Anſelmus, dum vnamquamque perſonam dicere aſſerit, dicere illud non vt productionem Verbi ad intra, ſed vt ad extra effectionem rei intelligendo, vſurpauit.

Idem, fuſius tamen S. Thom. ad 3. dicere enim inquit, æquè perſonale ac Verbum in Diuinis: nihil enim inquit, aliud eſt quàm Verbum proferre &c. dicere quoque res Verbo, & efficere ad extra, ad omnes perſonas pertinet, ſed dicere Verbum, ſolius eſt Patris: ergo tres perſonæ dicunt, non Verbum, ſed Verbo, ideſt intelligendo creant; ita vt ex D. Thom S. Anſelmus vſus ſit dicere pro intelligere: Pater dicit Verbum. Secundò. Omnes perſonæ dicunt Verbum creatum, ideſt res quas efficiunt, ſolus Pater increatum. Ad ſecundum locum einſdem D. Anſelmi vterque S. Doctor eandem gloſam adhibet; dicere eſt cogitando intueri. Primò, verbum illud *cogitando* ſatis impropriè, inquit S. Thom. de Deo dicitur, teſte D. Aug. 15. de Trinit. Secundò, inquit S. Bonau. accipiendum illud *intueri* in Patre, vt non ſit ſine conceptu, & tunc intueri idem eſt ac intelligendo dicere verbũ. Ad illud Origenis aſſertum reſpondet breuibus, ſed grauiſſimè S. Thom. eſſe totum Arrianum illud aſſertum, quorum fons Origenes inuenitur: quare nulla interpretatione dignum, ſed prorſus explodendum, ac anathemate percellendum.

His explicatis Patribus, nulla ferè remanet cæterorum in oppoſitum argumentorum S. Doctoris vis: omnia enim ſuper illis auctoritatibus conſtructa erant; tamen ne morem noſtrum intermittamus, ea diſtinctè propoſita ſoluamus.

Eſt igitur ſecundum Argumentum. Verbum eſt quo res manifeſtatur, & exprimitur: ſed manifeſtatio eſt cuiuslibet perſonæ: ergo verbum eſt cuiuslibet perſonæ, & conſequenter ad eſſentiam pertinens. Probatur minor Io: 16. de Spiritu Sancto. *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet.* Vbi Spiritus Sanctus manifeſtaturus Filium aſſeritur. Idem ferè S. Thom. in primo eadem diſt. quæſt. 2. art. 2.

Reſp. & neganda eſt maior abſolutè, tamquam non ſufficienter totam verbi rationem complectens: de verbi enim ratione non eſt dumtaxat manifeſtare, & exprimere, ſed per conceptionem, vt intrinſecè dicat relationem ad dicentem, & dicentis ad verbum dictum, & productum. Quare ad minorem, & ad locum D. Io: dicimus, manifeſtationem, quam aſſeritur Spiritus Sanctus facturus, non eſſe manifeſtationem quæ fit per Verbum æternum, ſed quæ per prædicationem Apoſtolicam, per miracula Apoſtolorum de Chriſto incarnato, ac denique per Euangelium fienda erat.

Tertium. Verbum dicitur: ſed æquè Filius dicit, æque Spiritus Sanctus, ac Pater: ergo eſſentialiter dicitur. Maior eſt certa, & communis. Minor D. Anſelmi 28. Monolog. *Vnaquæque perſona in Trinitate ſe dicit:* ergo. Idem S. Thom. tum hic, tum in primo citata diſt. art. 2.

Reſp. Sufficit allata ſupra D. Anſelmi interpretatio ad ſolutionem huius argumenti.

Quartum. Ex definitione dicendi. Dicere nihil aliud eſt, quàm cogitando ſe intueri; ſed hoc eſt eſſentiale: ergo & dicere. Maior eſt D Anſelmi in eodem Monologio ſupra recenſito. Minor probatur: nam Deus vt vnus, & quælibet perſona ſe ipſam intuetur. Secũdò. Omnis actus in Deo reflexus eſt eſſentialis; ſed Pater dum generat Verbum, intuendo ſeipſum ſupra ſe reflectit, ex eodem D. Anſelmo eodem libro cap. 31. ergo.

Reſp. Multa eruditè docet S. Doctor, ſed tota ferè res eſt intelligere, ac interpretari, in Deo quid ſit actus reflexus; quod vt rectè fiat, obſeruandum primò, quod ſæpe aliàs obſeruauimus; actum intelligendi in Deo eſſentialem, & relatiuum, eſſe idem formaliſsimè, neque differre niſi ratione: ille enim idem actus in ſe intelligendi abſolutè ſumptus, vt in Patre eſt relatiuus, & fœcundus; vt relatiuum eſſe nihil addat ad abſolutum, niſi modum perſonæ Patris &c.

Secundò obſeruandum. Deus dum intelligit res ad extra, non exit ad extra, neque obiectum, quod extra intelligit, ad extra quærit: Aliàs enim penderet ab extra, quod abſurdum de Deo nimis inſolens, & indecens eſſet, & clamat validè omnis Theologia: ſed comprehenſiuè intelligendo ſeipſum, intelligit & ea, quæ ab ipſo fieri poſſunt, &

fiunt:

Digitized by Google

ſiunt: ergo ſi numquam exit intelligendo à ſeipſo, neque redire indiget ad ſe ipſum, neque ſupra ſe ipſum reflectere. Ergo non propriè, ſed ſimilitudine quadam actuum noſtrorum, qui directè ad obiectum propoſitum intelligendum diriguntur, inde redeunt, & reflectũtur ad ſe, & animam intelligentem intelligendam; dicitur Deus intelligere actu reflexo, quia ad ſe quaſi ab obiecto externo redeat, intelligit. At nõ verè, tum quia Deus intelligens, Deus intelligibilis, actus intelligendi, obiectum intellectus, ſcilicet Diuina eſſentia formaliſſimè eſt vna, & eadem res, tum quia nihil intelligit Deus niſi ſe ipſum, & in ſe ipſo, & ſub ſuæ Diuinæ naturæ ratione, vt horrendum ſit Deum extra ſe exire ad quicquam intelligendum: quatenus verò refertur ad rem dictam, & productam; intelligere Dei relatiuum eſt, ac proprie dicere.

Quo fit, vt ad plura ſe extendat intelligere præciſè, quàm dicere: omne enim dicere, eſt etiam intelligere, non è contra, omne intelligere præciſè, eſt dicere, niſi in Patre prima perſona. Ex his argumentum obiectum ſoluit, & conceſſa maiori argumenti propoſitione, ad minorem dicit: in generatione quidem Verbi interuenire, & includi, & ſupponi actum intelligendi eſſentialem, ac quaſi reflexum, ſed neque hoc ſufficere, neque in hoc præciſè ſitam eſſe Verbi rationem: quare diminutæ argumentationi, quæ fieret. Intelligere ſe eſt actus abſolutus, quia reflexus: ergo Verbum eſt abſolutum; neganda eſſet conſequentia: non enim ſolum abſolutum, ſed formaliter relatiuum eſt vt Verbi ratio poſtulat; & in huiuſmodi conſecutionibus euidens eſt fallacia: fit enim tranſitus quaſi à parte ad totum, & ab abſoluto ad relatiuum. Deinde, quod ferè in idem recidit, & quod ferè vno verbo complexus eſt S. Doctor, Dicere eſt cogitando intueri ſe, abſolutè non eſt verum, ſed in Patre: Pater enim intuendo ſe, vt perſona prima Diuina, eſſentia communicabili fœcunda dicit, ac producit Verbum.

Quintum. Omne quod ſe habet vt medium inter Deum, & creaturam, eſſentiale eſt: ſed Verbum ita ſe habet: ergo eſſentiale. Probatur maior: nam notionale, & perſonale, quod eſt ad intra, eſt inter Diuinas perſonas tantum, neque habitudinem habet ad extra. Minor quoque probatur Io: 1. de Verbo: *Omnia per ipſum facta ſunt*, ideſt medio Verbo.

Reſp. Huius oppoſiti argumenti ſolutio ex gemino capite pendet, & colligenda: tum enim ex vera illorum verborum D. Io: *Omnia per ipſum facta ſunt*, & idonea explicatione, tum ex pluribus infra dicendis. Quo igitur ad verba D. Io: ex quibus argumenti vis deſumpta eſt, poſthabitis erroribus, & hæreſibus, quas inde hæretici exhaurierunt, Macedonius, deinde Valentinus, vel eius familiaris Eracleon, & Manichæi, & Arriani: horum verborũ vera ac certa D. Pauli ad Coloſſ. 1. expoſitio, vbi de Verbo loquens ſic inquit. *Quoniã in ipſo*, ſcilicet Verbo, *condita ſunt vniuerſa in cælis, & in terra, viſibilia, & inuiſibilia, ſiue Throni, ſiue Dominationes, ſiue Principatus, ſiue Poteſtates, omnia per ipſum, & in ipſo creata ſunt, & ipſe eſt ante omnes, & omnia in ipſo conſtant*, & ad Heb. 1. *Per quem fecit & ſæcula*.

Quibus verbis & locis, Catholici, & erudiriſſimi expoſitores primò circa illam vocem (omnia) obſeruãt: Quidquid extra Deum eſt, non eſt Deus, & per Verbum facta ſunt omnia, quæ non ſunt Deus: quare neque inde Spiritus Sanctus eſt factus: non enim extra Deum, ſed Deus ipſe, neq; Verbum, quia & ipſe Deus, & eſt per quod omnia facta ſunt.

Deinde illa particula (Per) non eſt ibi poſita ad Verbum aſſerendum inſtrumentum, ac inde creaturam Dei Patris, vt impiè, ac turpiter blaſphemus Arrius aſſerere non erubuit, vt contra ipſum clamant fides, Diuinæ litteræ, ac omnes Sancti Patres, inter quos D. Baſilius lib. de Spiritu Sancto cap. 5. D. Cyrillus lib. 1. in Io: cap. 5. D. Chryſoſt. hom. 4. D. Ambr. lib. 4. de fide cap. 6. & contra Macedonium de Diuinitate Spiritus Sancti, idem Ambr. lib. 1. de Spiritu Sancto cap. 2. D. Nazianz. orat. 5. Theologiæ.

Sed præſertim per ipſum addita eſt illa vox (Per) Primò vt non excludatur Pater, dum omnia per ipſum facta eſſe aſſeritur, vt præcipuè S. Cyrillus commemorato lib. cap. 10. his verbis. *Cum per Filium mundum factum eſſe affirmat, ad Patris nos memoriam facile reducit: cum enim per quem dicitur, ex quo etiã eſt, intelligitur: vniuerſa enim ex Patre per Filium in Spiritu Sancto.* Deinde vt perſpicuè inde colligatur quomodo, & qua ratione Filius ſimul cum Patre mundum creauerit: vnica enim certè actione Pater & Filius, & Spiritus Sanctus crearunt mundum, cum vnica ſit virtus, & eſſentia in omnibus Diuinis perſonis: ſed hæc neceſſariò obſeruanda differentia, vt Pater à ſe, Filius autem à Patre, ſicut eſſentiam, ita creandi vim eſſentialem accipiat: creare ergo Patrem per Filium, eſt ſimul cum Filio creare, communicando ei eandem numero eſſentiam, & vim, & potentiam creandi. Quod mire D. Euang. hac phraſi *per ipſum* voluit indicare.

Ita prorſus D. Baſilius lib. de Spiritu Sancto cap. 8. *Omnia, inquit, per ipſum facta ſunt, non quod inſtrumentali, ac ſeruili quodam miniſterio fungatur, ſed quod tanquam conditor Paternam impleat voluntatem*. Hinc S. Doctor, hoc quem verſamus loco rectiſſimè aſſerit per hæc verba, *Omnia per ipſum facta ſunt*, non conſtitui, aut affirmari Verbum eſſe medium inter creantem, & creatum, ſed extremum creantem: eſt enim eadem eſſentia, & virtus, qua per ipſum Verbum omnia fecit Pater: eſt tamẽ medium quodammodo Patris intelligendo, quatenus teſte D. Aug. lib. 11. Confeſſ. cap. 7. his verbis: *Verbo tibi coæterno dicis, quæcumque dicis, & fit quidquid dicis:* ergo ad argumentum ſuppoſita diſtinctione medij reſpondetur: Verbum eſt medium intelligentiæ, neque tamen inſtrumentale; & ſic maior eſt concedenda, minor vero neganda: eſt enim Verbum medium, quo Pater intelligit, quatenus dic e Verbo. Ad probationem ex D. Io: tradita explicatione, dicendum, illis verbis non aſſeri Ver-

bum

bum eſſe medium, niſi eo modo, quo aſſerit S. Doctor; vel neganda eſt maior: nam ſicuti Verbum eſt media, ideſt ſecunda perſona; ita poteſt dici medium, & hoc ſenſu concedenda eſt minor. Sed poſtea ad rem non facit locus citatus S. Io: 1. vt patuit ex explicatione.

Poteſt ſecundò reſponderi ex reſponſione ad 5. ſequentis quęſt. Notionale poteſt etiam ad creaturas referri, ſed minus principaliter, ratione ſcilicet naturæ, & eſſentiæ, vt in perſona incluſæ, vt explicat S. Th. hic art. 3. Quare neganda maior, & ad rationem reſpondendum: notionale quidem per ſe, & principaliter eſt ad intra; non repugnat tamen ei dicere etiam relationem ad extra, ratione indicata. Sed ſi inſtas. Nullo modo medium poteſt eſſe Verbum: nam non æquè diſtat ab vtroque extremo, vt eſt de ratione medij. Reſp. Concedendum de medio vero, ſcilicet eſſenciali; non autem de quo loquimur: quare quæſt. ſequenti Verbum non vocatur medium, ſed quaſi medium.

ARTICVLVS II.

De eodem Verbo.

An, & quomodo Verbum dicat reſpectum ad creaturas. D. Bon. q. 2. D. Thom. art. 3.

PARAPHRASIS.

P*RIMA Propoſitio. Verbum in Diuinis vnicum, ad Patrem quidem dicentem dicit reſpectum, eumque principalem, ac realem; ad creaturas tamen aliquem quoque reſpectum pariter dicit, magis tamen diminutè &c. Probatur primò ex multis Sanctorum Patrum ſententijs, ſed primò ex illo Dauid dicto.* Dixit, & facta ſunt: *ergo dicere, quod eſt verbum proferre, dicit relationem ad facere: ergo Verbum dictum, & prolatum, & genitum, ad factum, & creaturam, aliquem reſpectum dicit. Secundò ex D. Aug. 11. Confeſſ. cap. 7.* Verbo tibi coæterno dicis quęcumque dicis, & fit quidquid dicis vt fiat, nec aliter quàm dicendo facis. *Ergo Verbum æternum ad factum habitudinem habet, ex eodem D. Aug. lib 83. quæſt. quæſt. 63. circa illa verba.* In principio erat Verbum, *Io: 1. bis loquitur verbis.* Melius in loco hoc Verbum interpretamur, vt ſignetur non tantum ad Patrem reſpectus, ſed etiam ad ea quæ facta ſunt, operatiua potentia: *ergo teſtè D. Aug. Verbum æternum dicit reſp. &c. Idem in pſalmum 61.* Semel locutus eſt Deus, ideſt Filium genuit, in quo omnia diſpoſuit: *ergo & generationem, & reſpectum ad Patrem, & ad creaturas diſpoſitas includit. Denique D. Anſelmus in Monolog. cap. 3.* Cum ſummus Spiritus ſeipſum dicit, dicit omnia, quæ facta ſunt: *ergo eodē Verbo dicit ſe, & creaturas: ergo & ad creaturas reſpectum.*

Secundò, idem colligitur ex corpore quæſt. ex modo quo, generatur Verbum, & quaſi ex ipſius Verbi geniti definitione. Verbum, auctore D. Aug. 15. de Trinit. cap. 10. & 11. tunc generatur quando ſimilitudo, & imago alicuius cognoſcibilis concipitur, & verbum illud reſpicit, quod reſpicit ſimilitudo illa concepta, imò verbum eſt illa concepta ſimilitudo exprimens, & relata ad rem cognitam, & conceptam: tunc huiuſmodi argumentatio conſtruitur. In Patre eſt vnica vis infinita concipiendi ſe, tum ſimpliciter, tum vt principium omnipotens ad omnia poſſibilia producenda: ergo Verbum inde productum, & conceptum, erit ſimilitudo adæquata, et infinitè perfecta, tum Patris, tum cuiuſcumque rei producibilis: ergo ad ipſas referetur. Conſequentia conſtat ex iam generandi Verbum ratione, et expoſita definitione D. Aug. et confirmatur. Ideo nos plura verba ex diuerſis rebus cognitis ſucceſſiuè producimus, quia finitam, ac terminatam vim concipiendi habemus: ergo ab oppoſito, Verbum vnicum, quod producit Pater ex infinita vi intelligendi, et producendi, eſt Verbum, et ſimilitudo cuiuſcumque rei cognitæ: ergo nedum Patris, ſed cuiuſcumque rei creabilis, et producibilis.

Secunda Propoſitio. Verbum vt Patris eſt, dicitur ſimilitudo imitatiua, vt rerum producibilium, exemplatiua, & operatiua. Prima pars conſtat, & probabitur cum de Imagine, vt de proprietate Filij. Secunda pars ex D. Anſelmi loco recenſito, & ex locis D. Aug. ſupra, & ex definitione tradita, quæ eſt ſimilitudo &c. ſi enim Verbum ſimile: ergo imitatur Patrem, vt in prima parte propoſitionis, & creaturas exemplariter. Secundò. Verbum eſt quaſi medium ad intellectum pertinens, quo Deus operatur foris: ergo eſt rerum exemplar, & virtus &c. Tertiò. Ex Diuinis litteris tribuitur Filio, quod ſit Dei virtus, & ſapientia: ergo Verbum, quod eſt Filius, erit & exemplar, & operatiuum appellandum.

Tertia Propoſitio. Verbum vt exemplar &c. refertur quidem ad creaturas; non tamen actu, ſed tantum habitu, & potentia. Probatur primò. Verbum refertur ad creaturas, vt exemplar, & ratio diſponendi, & vis producendi ad extra: ſed hæc tantum habitum ad potentiam dicunt: ergo. Secundò, auctore D. Aug nuperrimè citato 11. Confeſſ. Verbo tibi coæterno dicis quæcumque dicis: *ſed æternum non poteſt actu referri ad temporale, quod ab æterno non eſt: ergo dumtaxat habitu. Tertiò ex reſponſione ad 3. Verbum eſt exemplar, non ſolum futurorum actu; ſed etiam poſſibilium, quæ nunquam erunt: ergo potentia, & habitu. Quartò denique à ſimili, deſumpto à Spiritus Sancti proprietate, quæ eſt donum. Sicuti Spiritus Sanctus vt donum, ab æterno refertur nobis vt donabile; ita Verbum, vt exemplar, & potens per ipſum Pater producere mundum, & quodcumque poſſibile.*

Quarta

Quarta Propoſitio ex reſponſione ad 4. Licet Verbum etiam ad creaturam reſpectum dicat; creaturæ tamen verbum dicere non licet. Probatur primò ex Monologio D. Anſelmi cap. 30. Verbum, quo creaturam dicit, nequaquam tamen creaturæ Verbum eſt. Secundò. Denominatio à principaliori deducitur: ergo Verbum, quod principalius ad Patrem dicentem, minus verò ad creaturam refertur; Verbum Patris, non creaturæ, rectiſſimè dicetur.

COMMENTARIVM.

I INTER has duas quæſt. S. Thom. alium art. interponit, non nouam, ac diſtinctam doctrinam, & veritatem complectentem, ſed in 1. art. aſſertam, vberius, & diſtinctius enucleantem: poſtquam enim Verbum in Diuinis relatiuè ſumi demonſtrauit, ac penes perſonam, hoc art. 2. de qua perſona propriè dicatur demonſtrandum aſſumit: idque eadem ſibi perpetua felicitate præſtat: tum enim ex auctoritate S. Aug. lib. 6. de Trinit. cap. 2. Verbum ſolus Filius accipitur: tum ratione ex modo emanandi Verbi: ſi enim Verbum per modum intellectus, & naturæ emanat, cum eodem prorſus modo emanet Filius, vt iam ante multis probatum eſt quæſt. 27. art. 1. & 2. proculdubio conſequitur Verbum eſſe Filium, ac Filij proprium, quare D. Aug. *eo dicitur Verbum, quo Filius.*

Sanctus vero Doctor noſter, non neceſſarium inſtituere de hac re diſtinctam dubitationem duxit, ſed vna cum ſuperiori ſatis & huic abundè fecit, pręſertim prima & ſecunda ratione, in corpore, eo ſemper quo Patrem dicere, concipere, ac generare Verbum aſſerit: ſi enim Verbum generatur: ergo maximè propriè eſt Filius; ſi Verbum concipit: ergo ad intellectum ſpectat; ſi intellectus in Deo pro natura ſumitur: ergo quod emanat per modum intellectus, Filius eſt. Denique ex auctoritatibus in principio quæſt. allatis, præſertim S. Aug. 15. de Trinit. cap. 11. *In Trinitate non dicitur Verbum, niſi Filius, neque donum, niſi Spiritus Sanctus.* Poſtquam igitur Verbum eſſe notionem, & ſecundæ perſonæ notionem, ac proprietatem conſtituentem, ac diſtinguentem, præterita quæſt. pro dignitate à S. Doctore explicatum eſt; de eodem Verbo nunc, & cuius rei ſit Verbum, & quam relationem dicat, aggreditur aperire, & patefacere. Et quo ad titulum quęſt. præſenti præpoſitum; an ſcilicet Verbum formaliter ſub ratione Verbi, non ſolum ad Patrem dicentem, ſed etiam ad creaturam, aut dictam, aut dicendam, aut denique dicibilem, reſpectum dicat; accipiendum ſit. Reſpondet. Sic accipiendum, & infra demonſtratur: & ſex præſtat. Primum, vt viam ad quod præcipue quæritur, ſternat, quid ſit verbum. Secundum; Quando Verbum in genere concipitur, ac generatur. Tertium, cuius rei cognitione concipiatur. Quartum, quare vnicum ſit in Deo Verbum, in nobis verò plura. Quintum denique, propoſitum quæſitum adæquate ſoluit; dicere ſcilicet Verbum relationem, & quam, & ſub qua ratione ad creaturas. Sextum poſtremo, tollit omnem circa rem hanc, quæ poſſit oriri dubitationem. Quatuor verò priora conciſè, ac Laconicè; reliqua verò poſtrema, quæ ſunt hic potiora, vberrimè, & exactiſsimè.

Quo enim ad primum ſpectat, Verbum, inquit, eſt cōcepta, & genita ſimilitudo in mente intelligentis rei cognitæ: idq; ex D. Aug. 15. de Trinit. c. 10. & 11. & quo perfectius rei quam meditatur aſſequitur cognitionem, eo quoque perfectius concipitur, & dicitur Verbum, & ratio elicitur, quaſi ferè euidēs: ſi enim rei quæ cognoſcitur, in intellectu cognoſcente debet hinc oriri, & remanere ſimilitudo imitans, repræſentans, ac exprimens rem ipſam, cum ex trita Philoſophorum ſententia, intelligens intelligendo rei intellectæ aſſimiletur; eo ſimilior euadet, quo perfectius, & intimius rem cognoſcet, & perfectiorem rei producet ſimilitudinem.

Quoad ſecundum ex eodem Sancto Aug. vt in veſtibulo quæſt. conſtat, tunc oriri aſſeritur Verbum, quando rei quæ cognoſcitur, concipitur ſimilitudo, idque ex identitate verbi, & ſimilitudinis: eſt enim verbum formaliter ipſa ſimilitudo.

Quoad tertium. Iam cum niſi alicuius entis non poſsit eſſe cognitio, niſi conſequenter alicuius entis cogniti, non poteſt eſſe actuale Verbum, & ſimilitudo; cur autem, & vnde ſit in Patre æterno, quod vnicum gignatur Verbum æternum, explicatiſſime S. Doctor docet his verbis. Summus Spiritus Diuinus, ſcilicet Pater, ſe & omnia vno aſpectu, & eodem cognoſcit &c. vt ſtatim infra, & ipſa vis conceptiua concipit ſimilitudinem omnia circumplectentem ſub intuitu vno, ſiue aſpectu, concipit, & generat vnum Verbum, quod eſt ſimilitudo Patris imitatiua, rerum exemplatiua, & operatiua; atque ita poſtea addit, Verbum eſſe ſimilitudinem exemplarem, & operatiuam, in habitu tamen: quibus ita videtur argumentari. Obiectum adęquatum Diuinę virtutis infinitę concipiendi, & cognoſcendi, eſt tum Diuina eſſentia, tum quidquid in ea cognoſcibile eſt, & ipſius ratione cognoſcibile: ergo Verbum inde conceptum, eſt tum Diuinæ eſſentiæ, tum cuiuſcumque rei cognoſcibilis in ipſa: ergo & creaturæ: ergo Verbum producitur etiam ex creaturarum cognitione. Confirmatur. Verbum Dei eſt circumplectens, & comprehenſiuum: ergo comprehendit quodcumque cognoſcibile. Secundò. Prędicatum eſſentiale Diuinæ eſſentiæ, eſt quod ſit omnipotens, & ab ipſa non differt niſi noſtra ratione, vt ſuis locis explicatè docuit S. Doctor: ergo de ratione comprehenſiuę cognitionis Diuinæ eſſentiæ, eſt vt cognoſcatur & omnipotentia eius, tum ad producendum, tum & res omnis producibilis. Tertiò. De ratione Diuinæ eſſentiæ, eſt vt ſit optima, & inde cōmunicabilis pluribus: ergo eidem eſſentiæ, vt ſic pluribus cōmunicabili, producetur ſimile Verbum.

An verò Verbum, ſcilicet vt Verbum formaliter, hunc reſpectum inde naſcentem ad creaturas dicat, & ita ex earum cognitione producatur; miror quendam recentiſsimum gloſſematorem, & vt ipſe

Digitized by Google

ipſe ait; notatorem, vel notationum coacernatorem, in dubitationem vocare; imò aſſeueranter negare, S. Doctorem formaliter locutum, Verbum ſcilicet vt Verbum generari ex cognitione etiam creaturarum: nam nihil aliud ad hunc ſenſum aſtruendum in hac quęſt. videtur facere, vt nihil aliud deſit, quàm hæc vox formaliter, quæ non facile poterit inueniri, cum huius ſe profiteatur inuentorem in Diuinis, & indagatorem Scotus. Cæterum quærit hic, & diſputat de Verbo formaliter ſub ratione Verbi, vt tum ex quæſtionum titulis, tum ex propoſito diſtinctionis; tum ex tota, & quæſt. materia, & agendi, & ratiocinandi ratione patentiſsimum eſt, tum præſertim ex verbis iam recenſitis: nimirum in Patre ſummus Spiritus ſe, & omnia vno & eodem aſpectu, vno & eodem intuitu circumplectens cognoſcit, & inde gignit Verbum, ſibi & omnibus ſimillimum: ſi enim omnibus ſimile: ergo ex omnium cognitione genitum: nam cognitio eſt ratio ſimilitudinis, ad quid illæ repetitæ voces, vno intuitu, eodem aſpectu? quid inquam indicant, quàm nedum eſſe eodem actu rem, ſed etiam eandem rationem formalem, qua & eſſentia, & res poſſibiles cognoſcuntur, & Verbum concipitur, & ex ea quam aſſerit concipiendi ratione, vt ſcilicet ſit comprehenſiua, & circumplectens; quid aliud ex illa deduci poteſt, quàm idem Verbum inde genitum, eadem perfectione, & ratione eſſe comprehenſiuum?

Petit vero hic Neotericus, aliàs omni eruditione ornatus vir, Vbi S. Bonauentura dicit Verbum generari ex cognitione creaturarum. Reſp. hoc patentiſsimo loco, & his formaliſsimis verbis: In Patre eſt Spiritus ſummus ſe & omnia intelligens &c. illa enim verba, ſe & omnia, quid nam ſunt? Deinde vis conceptiua concipit ſimilitudinem omnia circumplectentem ſub vno intuitu, quid aliud ad producendam ſimilitudinem, & Verbum, tum Deum, tum creaturas circumplectens, præcedere ſuo modo cognitionem, tum Diuinæ eſſentiæ, tum Diuinarum perſonarum, tum creaturarum in eſſe poſsibili, deduci poteſt, quàm, ergo Verbum ex horum omnium cognitione exoritur? Tandem, Verbum vt Verbum, eſt Patrem imitans, & creaturas exemplans: ergo ex Patris, & creaturarum cognitione concipitur: quare neſcio qua ratione poſsint hæc negari in D. Bonauentura: aut enim neceſſariò vis Sancti Doct. argumentationum non animaduertitur: aut adhuc quid ſit Verbum ignoratur. Si enim eſt ſimilitudo concepta rei cognitæ, ſi rerum eſt exemplar: ergo vt millies repetam, ex earum cognitione producitur.

Confirmat idem auctor eandem ſuam opinionem ex D. Thom. quæſt. 4. de Veritate art. 3. Sed quid non retulit vltimam Sancti Thom. voluntatem, ac ſententiam ex art. 3. in Summa? Deinde, quid hoc ad D. Bonauenturam? Sed hæc ſatis hoc loco videntur: eſt ergo certa, ac euidens ſententia, & Sancti Bonauenturæ, & S. Thom. & diſcipulorum eius, in productione Verbi præſupponi nedum eſſentiæ, ac perſonarum, ſed etiam creaturarum vt poſsibilium cognitionem, & confirmatur ex his, quę in reſponſione ad tertium notata leguntur.

Quo vero ad quartum, duo diſtincta docet: alterum, nos plura verba ideo concipere, quia limirata, ac terminata, & imperfecta noſtra vis in intelligendo eſt, vt inde, quod vna productione non produximus, productiones mentis repetamus: neque tamen hinc colligi recta ratione poteſt, quæ nam ſit Sancti Doctoris mens de illa phyſica quæſtione. An plura ſimul, & vnico intuitu poſſit quis concipere, & intelligere, ſed aliunde huius quæſiti ſolutio petenda eſt: hæc enim in nobis verborum pluris productio ſucceſsiua eſt. Neque deinde de cognitione ſpeculari, præſertim Angelorum, ei eſt animus vllum hic verbum edere, quomodo ſcilicet ſe intuendo alia cognoſcant; ſed dũtaxat reddere rationem, cur homo dum ſe, dum alia in ſe cognoſcens plura gignat, pluribuſque indigeat verbis. Summus autem Spiritus in Patre ab oppoſito, ideo vnicum Verbum gignat cuiuſcumque rei cognoſcibilis, quia in intelligendo ſummam, & infinitam vim habet, vt ſubinde Verbum productum ſit infinitum, & circumplectens, & comprehenſiuum.

Et quidem hæc arguendi ratio in propria re mirificè vrget: deſumitur enim tamquam à priori, à vi intelligendi, & à ratione obiecti. Vnica vis infinita, inuariabilis, & irrepetibilis, vnicum obiectum, vnicaque obiecti ratio omnia intelligendi ſub Diuinæ eſſentiæ perfectè cognitæ ratione: ergo vnicum Verbum comprehenſiuum gignitur; & ad propoſitam dubitationem: ergo etiam ex creaturarum cognitione, & eſt admodum frequens, ac Sancto Doctori familiaris ſimilis ratiocinatio: ita enim præſertim antea, cum de certa, ac infallibili rerum futurarum pręſcientia Diuina, ratiocinatus eſt. Habet infinitam vim in intelligendo Deus: ergo omnia etiam futura certò, & infallibiliter intelligit.

Hinc ad id quod potius, ac præcipuum in hac quæſtione eſt, ſcilicet ad quintum tranſit, & præiactam doctrinam aſſumit ad hoc confirmandum, & ſuppoſitis locis, & auctoritatibus ad hoc relatis, hanc nuper confeciſſe argumentationem animaduertimus. Vnica cognitione Pater cognoſcit ſe, & omnia alia cognoſcibilia: ergo Verbum inde genitum erit ſimile, & dicet reſpectum, tum ad dicentem Patrem, tum ad dicibiles creaturas. Antecedens patet ex infinita in intelligendo vi, & inde ex vnico Verbo comprehenſiuo, & circumplectente omne cognoſcibile. Conſequentia itidem conſtat ex definitione verbi à D. Aug. tradita, & à Sancto Doctore relata,

Eo verò efficaciorem duco hanc argumentationem, quo eadem quoque expreſsiſsima, nedum vſus eſt & S. Thom. art. recenſito, ſed etiam ferè verbis iiſdem: aſſertam enim hanc propoſitionem, Verbum importat reſpectum ad creaturas, hac fermè ratione comprobat. Deus cognoſcendo ſe cognoſcit omnem creaturam: ergo Verbum inde conceptum in mente, eſt repreſentatiuum omnis eius, quod actu intelligitur. Probat antecedens,

tum

Digitized by Google

tum ex parte Diuinæ eſſentiæ, quæ intellectui Patris eſt ratio, ac quaſi ſpecies cognoſcendi omne cognoſcibile, vt iam ſuis locis, & illis vocibus huiuſce probationis vis comprehenditur, cognoſcendo ſe, cognoſcit omnem creaturam: eſt enim eſſentia idea rerum, & omnipotens producere; & eſt communicabilis, & ex infinita vi intelligentiæ Diuinę Deus vnico actu ſe & omnia cognoſcit: vnicum ergo Verbum eſt expreſsiuum, non ſolum Patris, ſed etiam creaturarum; & denique ex natura Verbi, cuius eſt repreſentare omne quod actu intelligitur: quod probat interprete Caietano, ex modo noſtro intelligendi. Ideo in nobis ſunt diuerſa verba, quia diuerſæ res intellectæ: ergo ab oppoſito, in Deo vnum Verbum expreſſiuum cuiuſcumque cognoſcibilis, quia vna res, vel vna ratio intelligendi &c. Hanc eandem ad idem probandum, veluti inter omnes validiorem rationem, aſſumpſit Riccardus diſt. 27. art. 2. quæſt. 3. eſtque communis, & vera.

Quam verò, ac qualem relationem ad creaturas Verbum dicat, certa, perfacili, ac communi methodo, ac ratione S. Doctor demonſtrat, & primò, diuerſum habere reſpectum ad creaturas, à reſpectu ad Patrem, certum eſt: hic enim actualis, principalis, ac realis; ille vero habitualis, minus principalis, & quaſi conſequens, ac rationis neceſſariò erit: præterea ex illo reſpectu reali Verbum dicitur Patris, ex hoc vero nequaquam dici poteſt creaturæ. Singula erudita explicatione illuſtrat: nam quoad id, in quo conueniunt, in reſponſione ad 1. & 2. valde Theologicè. Reſpectus, inquit, quem dicit Verbum ad creaturam, ex cuius cognitione generatur, eſt æternus, quia percipitur vt ab æterno poſſibilis; eſt ſubinde neceſſarius; eadem enim ratione, vt producibilis, non poteſt non cognoſci, nec non eſſe poſſibilis produci, quemadmodum non poteſt non eſſe Diuina potentia, ac ſcientia, ac Diuina bonitas, communicabilis.

Quod idem innuit, & ſupponit S. Thom. ad 2. dum reſpectum hunc, de quo in præſentiarum, aſſerit æternum, ceu conſequentem ab actione immanente æternæ cognitionis, & pluries alijs locis. De prima autem differentia. Si actu Verbum ab æterno producitur, & formaliter eſt relatiuum, erit actualis reſpectus ad Patrem, quo tum actu conſtituitur, tum actu realiter diſtinguitur ſecunda perſona; creatura vero cum ab æterno non habeat niſi eſſe poſsibile, non erit hic reſpectus niſi poſsibilis, & in habitu, quo poſsit creatura produci, & inde inſurgere reſpectum: quod hac ratione confirmatur. Verbum ratione ad creaturas dicitur exemplaritatis, qua ſcilicet complectitur rationem, & modum, quo creatura poteſt produci, & virtutis, qua Deus poteſt creare, & producere: ſed hæc dicunt quidem actum perfectionis in Deo, habitum tamen, & facultatem diſponendi, & creandi, in ordine ad futuram actualem productionem: ergo & reſpectus inde inſurgens erit habitualis. Quod autem principalius ad Patrem, ad creaturas autem minus admodum principalius, vt in reſponſione ad 5. ratio eſt euidens: eo enim principalior, quo Pater creaturis cunctis infinitè præſtat, & quo Verbi Diuina ratio tota relatiua eſt à Patre dicente, & concipiente: ergo quoque de ſui ratione tota ad Patrem. Sicuti verò etiam creaturæ, vt quaſi poſt Diuinam eſſentiam poſsibiles cognoſcuntur, inde ex conditione earum minor inſurgit reſpectus; & adeo minor, vt merè rationis, nedum vt in habitu, ſed etiam vt in actu producta creatura, ratione communi, eademque certa ab omnibus ferè Theologis aſſerta: licet enim actu exiſtens creatura, reſpectu, & relatione realis dependentiæ ad Deum referatur, Deus tamen, ac Verbum quocumque modo, non niſi ratione, & per apprehenſionem noſtri intellectus poteſt ad creaturas referri; multo certius ad creaturam poſsibilem: vt ſic enim neque in ſe vllum eſſe habet, niſi rationis, neque ab eſſentia Diuina niſi ratione diſtinguitur. Quod ſi opponatur, Scientia ad ſcibile verè, teſte Ariſt. refertur. Reſp. negatiuè in Deo, in quo neque obiectum diſtinguitur ab intellectu Diuino.

Quod denique non creaturæ, ſed dumtaxat Patris Verbum æque appelletur, ac verè ſit, tum conſpicuè aſſeritur in reſponſione ad 4. tum ſolida redditur ratio ex Verbi etymone, hac ratione. Eo Verbum, quo conceptum, ac genitum dicente Patre, Verbum ſolius Patris eſt, quia à Patre dicitur, neque eſſentiæ præcisè ſumptæ, quia ab ipſa non dicitur: ergo neque creaturæ, licet cognitæ, poterit rectè dici Verbum, eadem ratione, quia ab ipſa non dicitur: poteſt quidem dici, auctore Alex. Verbum, quo creatura fit; non tamen creaturæ Verbum, Quod ſi obijciatur. Spiritus Sanctus dicitur creaturæ ſpiritus: nam & Eliæ, & Eliſei &c. Spiritus aſſeritur: ergo & Verbum creaturæ poterit rectè dici.

Reſpondet. Spiritum Sanctum biſariam ſumi, primò ab actu notionali ſpirandi, ſecundò ab actu eſſentiali, ac communi inſpirandi: hoc ſecundo modo, & Eliæ, & aliorum conſonè ſæpe legitur dictus, eo quia Eliam fouet, ac protegit, primo verò modo non Eliæ, ſed Patris & Filij, à quibus ſpiratur. Si enim & Verbum, & Spiritus Sanctus hac ratione totum eſſe habent à producente perſona, quare illius ſolius perſonæ dici non debent? & ſi inter ipſas perſonas, & creaturas ſub hac ratione non niſi reſpectus rationis intercedit, qua etiam apparente ratione, creaturæ aut eſſe, aut dici poteſt? Negatur ergo conſequentia.

Quibus omnibus poſitis, & obſeruatis, deducitur aperta veritas, & ratio. Verbum vt Patris eſt, quare ſit imitatiuum, & expreſsiuum, vt verò creaturæ, exemplar: non enim ſe ipſum Pater dicit, niſi vt ſeipſum adæquatè exprimat, & ſui omnino ſimilem imaginem producat, ſcilicet Verbum; cum autem ſe ipſum Pater repugnet producere, ſui ipſius non poteſt eſſe exemplar: creaturarum verò poteſt eſſe Verbum, cum ſcientiam, ac vim ad eas perfectiſsimè producendas habeat, ſitque ratio, & modus, quo Pater producit &c.

Sed ſoluendæ iam ſunt obiectiones, vel potius animaduertendę, ac addiſcendæ à Sancto Doct. traditæ, ac perdoctè à ſe propoſitarum obiectio-

num

num dilutiones. Primò igitur S. Doctor ſic traditæ Theologicæ veritati obijcit, ac aduerſatur.

Quod connotat creatum, ac temporale, neceſſariò temporale dicendum: ſed Verbum, de quo nunc diſceptatur, æternum eſt: ergo nec connotare, nec vllum ad temporale reſpectum dicere poteſt. Maior perſuaderi poteſt: nam ab eo quod connotat, cum ei ſic iungatur, denominationem aliquam ſumit. Minor autem & multis capitibus, & fide conſtans eſt. Primò enim Io: 1. *In principio erat Verbum*, ſcilicet ante mundi conſtitutionem, & ab æterno: nihil enim niſi æternum præcedit mundum. Et eodem cap. *mundus per verbum factus eſt, omnia enim per ipſum facta ſunt*: ergo anteceſsit mundum, vt etiam S. Aug. ibi obſeruat. Secundò. Omne creatum incipit eſſe in tempore: ergo ab æterno ad æternũ nullum poteſt habere reſpectum. Conſequentia hęc probatur. Si vllum reſpectum dicet Verbum æternum ab æterno, aut erit actualis, aut habitualis, & in potentia: actualis hic non poteſt eſſe: nam creatura eſt temporalis: neque habitualis, nam etiam ſi mundus nullo modo eſſet futurus; tamen Pater ab æterno concepiſſet Verbum, nullo reſpectu habito ad illum mundum numquam futurum: ergo.

Vt primum ſoluat argumentum hęc duo prænotanda ſtatuit. Alterum, aliud valde eſſe connotare effectum, aliud dicere reſpectum: connotare enim dicit actu effectum, aut tunc exiſtentem, aut futuro exiſtendum: dicere vero reſpectum, poteſt eſſe etiam ad id, quod nunquam erit, tamen poſſibile eſt. Alterum, ſubinde differre admodum creaturam eſſe, aut futuram, & creaturam poſsibilem eſſe: primo enim modo licet tunc actu non exiſtat, certo tamen futura eſt: ſecundo vero modo nulla ratione creatura, ſcilicet vt poſsibilis, claudit in ſe, aut reſpicit futuram actu exiſtentiam; ſed tantum non repugnantiam; intrinſecam tamen rationem neceſsitatis potentiæ Diuinæ operandi, & cognoſcendi omne poſſibile, & poſsibilitatis rei complectitur: vt quemadmodum rem nunc exiſtere, aut futuram eſſe, omnino accidentarium; ita vice verſa, & oppoſita, poſsibilem, adeo neceſſarium, vt ab æterno non potuerit non eſſe poſsibilis: ſicut omnipotens Deus non potuit non habere vim ad eam producendam, vt etiam S. Doctor in reſponſione ad 2. liquido teſtatur.

Ad formam ergo argum. totum nunc conceditur, quatenus Verbum in ſui ęterna productione aſſerit, ac probat non connotare actu exiſtentem, ac futuram creaturam: dicimus enim reſpicere eandem vt poſſibilem, ſub qua ratione non accidentarium eſt, ſed intrinſecum Verbi conceptioni: non enim adæquatę concipitur eſſentia Diuina, niſi concipiatur etiam vt omnipotens &c. & ſic complectitur etiam quodcumq; poſsibile: quare ad illam inſtantiam, aut connotat actu, aut habitu. Reſp. nullo modo cõnotare, ſed reſpectum dicere, habitu quidem; non tamen ad creaturam, niſi vt poſſibilem.

S. Thom. ad ſecundum argumentum eiuſdem ponderis negat maiorem argumenti, & aſſerit, eas relationes, quæ in Deo conſequuntur actiones immanentes, tangere creaturas futuras temporales, etiam ab æterno. Riccardus quoque ſub qua ratione creatura habet eſſe poſſibile, & cognitum æternum, & etiam vt futura eſt ab æterno, poteſt Verbum reſpectu ipſam ab æterno tangere. Quælibet reſponſio probabilis, & vera; illa tamen D. Bonauenturæ doctior eſt, & magis vrget oppoſitum argumentum: oſtendit enim non ſolum quomodo poſſit intelligi reſpectus æternus ad creaturam, ſed reddit rationem neceſſariam ipſius reſpectus.

Secundum Argumentum. Nullum neceſſarium claudit in ſe contingens: ſed Verbum neceſſariò producitur, creatura vero vndequaque contingens: ergo Verbum creaturam nullam tangit, aut vllo modo reſpicit. Maior hinc conſtare poteſt, quia ad inuicem ſeſe excludunt, & opponuntur, neceſſarium, & contingens. Minor verò quoad perſonam ſatis diſt. 27. demonſtratum eſt, Verbum neceſsitate naturæ, & perfectionis produci; creatura verò eo contingens, quo dum producitur, poteſt non produci, & liberè producitur &c.

Ad ſecundum ferè ſufficit eadem reſp. quæ ad primum: non enim claudit accidentariam exiſtentiam rei, ſed tum cognitionem neceſſariam cuiuſcumque cognoſcibilis, tum non repugnantiam rei poſsibilis: qua ratione S. Thom. ad 3. docet, etiam ex cognitione nõ entium neceſſariò generari Verbum, & ad non entia referri, quatenus etiam non ens Dei ſcientia complectitur. Quare ad formam argumenti neganda illa minoris pars, qua voluntaria contingens creatura ad rationem Verbi non ſpectare aſſeritur: non enim creatura, ſed creaturæ cognitio, non vt contingenter actu producta, aut producenda, ſed vt neceſſariò producibilis perpenditur, & ad Verbi productionem pertinere aſſeueratur. Riccardus quoque ad idem argumentum totum concedit de relatione actuali, ac reali, non autem de habituali, ac rationis. Iterum aſſumetur hoc argumentũ, & etiam ex creaturæ exiſtẽtis cognitione Verbum produci, non abſurdum dicet.

Tertium Argumentum. Verbum, & creatura diſtantia infinita diſtant: ergo in nullo conuenire, aut communicare poſſunt: ergo à Patre cum dicitur Verbum, creatura ſimul dici non poteſt: ergo Verbum dictum ad creaturam nullum reſpectum habere poteſt.

Reſpond. Antecedenti conceſſo, neganda eſt prima conſequentia: licet enim per tantam diſtãtiam in eſſentia, nec prædicatione conuenire poſſint; in reſpectu tamen poſſunt, vt ad idẽ aliquo modo referãtur: quare & reliquę conſequentiæ negãtur: idẽ enim Verbum refertur ad Patrem, tãquam ad principium, & ad creaturas, tanquam ad effectum, & Pater, & effectus ad Verbũ, licet diuerſa relatione.

Quartum. Ab abſurdis, quæ inde conſequuntur dato Verbi ad creaturam reſpectu. Primo. Si Verbum in ſui productione creaturam reſpicit, neceſſariò etiam creaturæ verbum nuncupabitur: ſed hoc tamquam abſurdum omnino ſupra exploſum eſt ex D. Anſelmi pręcepto: ergo. Probatur maioris ſequela. Spiritus Sanctus refertur quidẽ ad Patrem, & ad Filiũ ſpirantes, tamen quia reſpicit, & tangit & fouet creaturas; creaturarũ etiã dicitur. Dan. 13. *Suſcitauit Dominus Spiritum S. pueri iunioris.*

Quintum Argumentũ. Si Verbum ad creaturas refertur: ergo non perſonale, ſed eſſentiale eſt, con-

tra tum afferta ſupra, tum omnem veritatem, ac fidem. Conſeq. conſtat. Omnis ratio emanationũ Diuinarum ad intra eſt, & è contra, omnis ad extra comparatio indiuiſa eſt, & communi- ribus, & colligitur ex D. Aug. 1. de Trinit. c. 4. 3. *Sicut Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus inſeparabiles ſunt, ita inſeparabiliter operantur.*

Reſpond. Neganda eſt maior, & ad confirmationem neganda conſequentia, & ſimilitudo: diuerſa namque, & admodum alia eſt ratio, qua Spiritus Sanctus dicitur creaturæ, & qua eiuſdem creaturæ diceretur Verbum: non enim Spiritus Sanctus ſic dicitur à ſpiratione vt creaturæ eſt, quia ſcilicet à Patre, & Filio ſpiretur, fortaſſe ex amore creaturarum poſsibilium, ſed ab effectu tribus communi, inſpirandi, & ſanctificandi, & poſſidendi, Moyſen, Eliam &c. eadem ratione, qua dicitur etiam Deus Eliæ &c. Quare hoc argumentum peccat, & tranſit à relatiuo ad abſolutum, imò retorqueri poteſt hac ratione. Quemadmodum Spiritus Sanctus vt perſona, & relatiuè ſumptus, v. g. ſub ratione doni, licet ratione ad creaturas referatur, creaturæ tamen donum nequaquam rectè diceretur; eadem profectò ratione Verbum, quamuis ad creaturam ſimili relatione referatur, creaturæ Verbum nuncupari non poteſt: ratio communis Theologorum, quam hic tangit S. Doctor, eſt, Verbum, & quodlibet aliud, ab eo à quo principalius eſt, denominatur: ergo cum reuera à Patre ſit, nequaquam autem ab eſſentia Diuina vt cognita, nec à creatura itidem cognita; Patris dumtaxat, non eſſentiæ, aut creaturæ dicetur: Verbum enim eo eſt, quo dicitur: dicitur autem à Patre etiam ex cognitione creaturarum: ergo ad Patrem, & Patris Verbum dicitur.

Sed ad loca, præſertim Danielis 13. hoc argumento recenſita ex Diuinis Literis, animaduertendum primò ex D. Hieron. *His verbis*, inquit, *oſtenditur, non tunc primum intraſſe in Danielem Spiritum Sanctum, ſed eum, qui iam erat in illo, & quieſcebat propter ætatis infirmitatem, nec ſua poterat opera demonſtrare, data occaſione pro Sancta fœmina à Domino ſuſcitatum eſſe*. Circa quæ S. Hieron. verba ſecundò animaduertendum, primò, dum Dei Spiritus alicui aſſeritur eſſe, tunc Deum in eo plenè dominari, & quieſcere, vt non quacunque motione, & quocumque effectu in voluntate rationali illius dicatur Spiritus Diuinus; ſed cum plenè, ac firmè eam poſsidet, penes illa verba Io: 14. *Ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus*, vbi de plenitudine Spiritus Sancti, qua tempore Pentecoſt. diſcipuli Chriſti firmiter replendi erant. Secundò, Spiritũ Sanctum informantem, ac poſsidentem, non ſufficere ad quæcumque opera perpetranda, ſed noua Dei motione, nouoque auxilio indigere: ſic enim Spiritus Dei in Daniele, quieſcens tamen, ſuſcitatus eſt à Deo. Tertiò, de Spiritu Sanctificante veriſsimum ſemper eſt, quod ait S. Hieron. eſſe ſpiritum manentem: & adeo certa res hæc eſt, quo certum eſt gratiam per modum habitus infundi in anima. De ſpiritu verò prophetiæ, de quo vlla abſque dubitatione hic ſermo eſt, non eſt ſimpliciter, & in vniuerſum verum: non enim Spiritus Prophetiæ datur ad modum cuiuſdam qualitatis animis inhærentis, neq; quaſi habitus permanens, ſed ad modum cuiuſdam motionis, & afflatus; quod ſatis manifeſtè his dicendi modis indicatur: *Factum eſt Verbum Domini ad Iſaiam, Hieremiam Zacchariam &c. Irruit Spiritus Domini in Eliſeum.*

Qua verò ætate eſſet tunc Daniel, quando ſuſcitauit Dominus ſpiritum in eo, cum contextus vocet puerum iuniorem, poſſet exeitari quæſtio, ſed cum à propoſito noſtro valde aliena ſit, eam ſponte prætermitto; lectores ad Commentatores, præcipuè recentiores remmittens, qui communi ſententia aſſerunt, circa duodecim annos ætatis tunc fuiſſe Danielem. Singulare tamen, nec diſsimulandum, quod ad hæc eadem verba oculatiſsimè notat S. Bonauentura. Aliquando enim, inquit, in Diuinis Litteris Spiritus alicuius creaturæ ſimpliciter dicitur, aliquando additur Sanctus, ſicuti hic in Daniele: *Deus ſuſcitauit Spiritum Sanctum*; frequentius tamen primo, quàm ſecundo modo: tunc verò Spiritus hominis dicitur, quando homini inſpirat, Sanctus vero Spiritus, quando Sancta inſpirat, & ideo in Daniele hoc loco Spiritus Sanctus non ad prædicanda futura, ſed ad Sanctè iniquum iudicium retractandum. At verò quoniam pro ſua animi moderatione, cum addat, *fortaſſe*, relinquitur nobis locus vtrumque aſſerendi, & propheta ſſe quidem Danielem, non futura, ſed iam facta ſed tamen occultè, reuelaſſe, & impium illud contra innocentem Suſannam retractaſſe iudicium.

Hoc ſpectat, & ille locus à S. Doctore indicatus, 4. Reg. 2. de ſpiritu Eliæ, vbi Eliſeus rogat, vt fiat in ſe duplex ſpiritus Eliæ, quod ita factum eſt; nam ſpiritus Eliæ requieuit ſuper Eliſeum: quare & illum locum breuibus explicare, nemo exiſtimet à commentatore S. Doctoris alienum opus ſuſcipi, aut pertentari: & difficilior res eſt, quomodo, Eliſeus & petierit, & obtinuerit duplicem ſpiritum Eliæ, & gemina probabilis ſententia circumfertur: vt inde aſſeratur, Eliſeum & expoſtulaſſe, & obtinuiſſe duplicem ſpiritum Eliæ: aut primò prophetandi, & miracula faciendi, quemadmodum erat in Elia: aut duplo maiorem quàm fuerit in Elia, vt docuit etiam Rup. Abbas. Plora enim multo, præſertim miracula, edidit Eliſeus, quàm Elias: duos mortuos Eliſeus, vnum ſuſcitauit Elias: & in miraculis perpetrandis felicius, & facilius Eliſeus, quàm Elias euadebat: difficilius exaudiebat Dominus Eliam: lib. enim 3. Reg. cap. 17. non Filium Sareptanæ mulieris à morte ſuſcitauit, niſi poſt multos ſuper eum incubitus, & eodem lib. cap. 18. neque pluuiam à Domino populo obtinet, niſi poſt ſeptenam orationem. Magis tamen priori loco relata ſententia Diuinæ Scripturæ conformior, ac arridentior videtur, auctore etiam doctiſsimo Toſtato: hoc enim eodem capite Filij prophetarum teſtantur, qui erant in Ierico. Requieuit Spiritus, non duplo maior, ſed ſpiritus Eliæ, ſcilicet qui erat in Elia, ſuper Eliſeum. Deinde Eccl. cap. 48. *Elias quidem in turbine tectus eſt, & in Eliſeo completus eſt*: ergo non duplo maior.

Et

Et ſupra eodem cap. *Amplificatus eſt Elias in mirabilibus ſuis, & quis poterit ſimiliter ſic gloriari tibi?* quaſi liceat inferre, nullus; hic vero eſt Spiritus Eliæ, & hac præclariſsima Spiritus vbertate dicitur Eliæ.

Moyſis vero locus erit inter alia Numer. 11. dum loquens Dominus ad Moyſen ait. *Auferam de Spiritu tuo, tradamque eis, vt ſuſtentent tecum onus populi.* Quo itidem loco quàm patentiſſimum eſt, Spiritum dici Moyſis ex inſigni vbertate, quæ erat in eo: ea etenim erat, quę partiri, ac communicari etiam ad alios ſufficeret. Et licet in Moyſe non ſit diminutus ſpiritus prophetiæ, ac prudentiæ, vt multis doctiſsimè demonſtrat Toſtatus quæſt. 40. hic tamen dicendi modus quandam in Moyſe ſpiritus vbertatem, ac plenitudinem, quæ eſſe poſſet quaſi exemplar ſeptuaginta ſenibus, qui cum Moyſe conſtituendi erant Iudices &c.

Ad quintum. Antecedenti conceſſo neganda eſt conſequentia, & ad comprobationem iterum neganda. Non enim omnis ad extra reſpectus eſt ad eſſentialia ſpectans, ſed ille ſolus, qui aut totus ad extra, nullo modo ad intra, aut Verbum, licet quoquo modo ratione ad extra referatur, quia tamen præcipua, qua refertur relatio, eſt ad Patrem ad intra, inde etiam eo modo diminuto, ac rationis, ad creaturas relatum, tamen verè proprium, ac perſonale eſt. Hanc eandem reſponſionem ſuſcipiens tradidit Riccardus ad primum, quam nec S. Thom. negat, nec poſſet rectè negare, aliam licet adhibeat etiam ipſe ad primum. Verbum, non ſuæ proprietatis ratione, ſed in perſona ratione naturæ incluſæ, ad creaturas referri, quod ferè idem eſt: qua enim relatione refertur ad Patrem, non refertur ad creaturas, ſed illa cum ſit proprietas perſonæ, hæc vtique non erit perſonæ; perſona tamen cum conſtet ex relatione, & natura, vt ſic vtriuſque relatio erit perſonæ.

ARTICVLVS III.

An ſecundum rationem intelligendi noſtram ſecunda perſona prius ſit Verbum, quàm notitia, ac ſapientia. D. Bon. q. 3. D. Thom. q. 34. art. 2.

PARAPHRASIS.

PRIMA *Propoſitio. Licet à parte rei omnimoda identitas inter notitiam, ſapientiam, & Verbum in Filio inueniatur; ſecundum tamen noſtri intelligendi rationem imperfectam, prius concipitur notitia, deinde Verbum. Prima pars propoſitionis, tum ex ſumma Dei, & perſonarum ſimplicitate, tum ex perpetua, ac conſtanti in hoc Sancti Doct. ſententia vbique. Secunda vero pars declaratur.* In *verbo, vt apertè colligitur ex D. Anſelmo in Monologio, tria neceſſariò interueniunt: intelligens cognitio, ſimilitudinis conceptio, & alienius expreſſio: cum enim intellectus quiſque intelligit, ac intuetur tum ſe, tum quidquid aliud, de hoc elicit, format, ac concipit ſimilitudinem, & imaginem ſui, & rei cuiuſcumque intellectæ, omnino expreſſam, & exprimentem, quæ eſt verbum: vt primò ſupponatur cognitio, deinde rei cognitæ concepta ſimilitudo; præterea expreſſa ratio manifeſtandi, & exprimendi.*

Hinc probatur primò ex illis verbis S. Aug. 9. de Trinit. cap. 10. Verbum eſt cum amore notitia. *Quod ſe habet per additionem ad aliud, illud præſupponit: ſed verbum addit notitiæ: ergo illam præſupponit. Minor iam conſtat: emanatio enim conceptus, ſimilitudo, & expreſſio, notitiæ addit.* Confirmatur. *Cognitio, & intellectus verbi præſupponit cognitionem, ac notitiam, generationem, imaginem: his enim omnibus addit verbum rationem exprimendi, & manifeſtandi: ergo ex verbi ratione, ac intellectione, per cognitionem noſtram præcedit notitia.*

Secundò. Notitia eſt quid eſſentiale, & abſolutum, & commune tribus; Verbum verò perſonale, proprium, ac relatiuum: ſed omne eſſentiale prius intelligitur relatiuo: ergo. Maior iam per multa conſtat. Minor quoque tamquam Theologicum prouerbium tritum, patens eſt: & etiam ex Ariſt. colligi poteſt, dum commune, & vniuerſale prius ſingulari diſcitur.

Secunda Propoſitio corollaria. Verbum non eſt aliud quàm ſimilitudo expreſſa, & expreſſiua, concepta vi Spiritus intelligentis, ſecundum quod ſe, vel aliud intuetur. Declaratur ex aperta ſimilitudine D. Anſelmi in corp. quæſt. Cum cogito hominem abſentem, format acies cognitionis in ſe talem imaginem eius, qualem illam per viſum oculorum attraxi in memoriam: *hæc enim eſt imago, & Verbum, de quo hic.*

Tertia Propoſitio itidem corollaria. Inter hæc Filij æterni nomina, ac prædicata. Sapientia, Filius, Imago, Verbum, hic cognitionis ordo obſeruandus, & animaduertendus, vt primò Sapientia, non tamen propriè, ſed appropriatè, veluti abſoluta, dicatur. Deinde Filius, qui gignitur, & ipſam emanationem comprehendit. Præterea Imago, *quæ modum perfectum, & omnino ſimilem emanandi præfert. Poſtremo Verbum hæc omnia complectens, & addens rationem exprimendi, & manifeſtandi. Declaratur hoc vberius dub. 2. litt. Tria hæc important ſimilitudinem alterius, ſed Filius ſimilitudinem illam naturaliter emanantem, imago, vt expreſſè imitantem, Verbum, vt alijs exprimentem &c.*

COMMENTARIVM.

CERTVM eſt primò ex tit.quæſt. pręfixo, de nulla rei pręter intellectus operationē diſtinctione hoc loco agi: ſed quo ordine rem eandē difficillimam captu, & explicatione ineffabilem multis vocibus & nominibus, perciperes & explicare nobis liceat: explicatiſsimè enim his verbis quæſtionem proponit; An prius ſit, ſecundum rationem intelligendi noſtram ſcilicet, ſapientia, & notita, an verbum. Mens igitur S.Doct. in hac quæſt. methodum, & modum, & ordinem, quo Diuini Verbi cognitionem aſſequi poſſumus, & multa nomina de Verbo propria, qua diſtincta vi, & ſignificatione rem eandem ſine battologiæ, & Synonimitatis vitio ſignificent, & exprimant, nobis explicare: vt in eadem ipſiſsima re, tutè diſcurrere, & cognitione proficere liceat, menti noſtræ pedagogiam quandam præſtat, Diuinarum vocum, exactè, & eruditè proprietates in ſignificando enucleans, in mediumque placidè proferens, ac vnum quærens, quatuor hac quæſt. docet. Primum, quæ requirantur, & inueniantur obſeruandæ conditiones in Verbi generatione. Secundum, quid ſit Verbum. Tertium, ſapientia, licet de Verbo dicatur, non tamen propriè ſicut imago, & Filius, ſed appropriatè. Quartum, inde ſolnit quod præſertim quærebat, dubium nimirum: Cum Verbum nominetur etiam ſapientiam Corinth. 1. *Prædicamus Chriſtum, Dei virtutem, & Dei ſapientiam*; qua diuerſa ratione tum Verbum, tum ſapientia nominetur, & quodnam ex his duobus, prius recta ratione percipiendum nobis ſit.

De primo autem, propoſita, & in medium allata S. Anſelmi auctoritate, ex ea colligit, tres conditiones in Verbi conceptione. Prima eſt, & ante reliquas, actualis intelligentis cognitio. Secunda, ſimilitudinis rei cognitæ conceptio, & mentalis generatio. Tertia, alicuius expreſsio, ita vt verbum quaſi præſupponat cognitionem à qua oriatur, & producatur, vt ſimile obiecto intellecto, & propriiſsimè vt exprimens, id quod intellexit, & manifeſtans; has vero in verbo requiri, & inueniri conditiones, quàm manifeſte S. Anſelmi verba teſtantur, ac præſeferunt, vt in textu patentiſsimum: *Cum cogito*, inquit, *notum hominem abſentem, format acies cognitionis talem imaginem eius, qualem illam per viſum oculorum in memoriam attraxi, quæ imago in cogitatione verbum eſt eiuſdem hominis, quem cogitando dico. Habet igitur mens rationalis cum cogitando ſe intelligit, ſecum ſuam imaginem ex ſe natam, ideſt cogitationem ſui ad ſui ſimilitudinem, quaſi ſua impreſsione formatam, quæ imago eius verbum eſt. Hoc itaque modo quis negat, ſummam ſapientiam, cum ſe dicendo intelligit, gignere conſubſtantialem ſibi ſimilitudinem, hoc eſt verbum ſuum?*

Porro idem quod D. Anſelmus, prius docuit etiam S. Pater Aug. pluribus locis: lib. enim 15. de Trinitare cap. 10. & 15. & 24. *Formata quippe* inquit, *cogitatio ab ea re, quam ſcimus, verbum eſt, à cognoſcendo ſiquidem, & cognito pariter notitia*: cogitatiò quippè noſtra perueniens ad illud, ſcimus, atq; inde formata, Verbum noſtrum eſt. Id verò in nobis cum poſsit fieri bifariam, perfectè ſcilicet, & imperfectè, imperfectè quidē, cum ex imperfecta cognitione; perfectè, cum ex perfecta. Hinc colligit Scotus duplex verbum, aliud, quod imperfectum eſt, & notitia quædam confuſa, aliud perfectum, notitia ſcilicet diſtincta.

Ergo Verbum, vt ad ſecundum in quæſt. propoſitum deueniamus, eſt ſimilitudo expreſſa, & exprimens rei obiectæ, mente prolata, ac concepta, dum ſe, & alia intuetur, ſi tamen de verbo perfecto loquamur: qua poſita definitione, primò quid non ſit verbum, deinde quid formaliter ſit, manifeſtè colligitur. Non enim primò eſt ſpecies intelligibilis, repreſentans obiectum, qua imbutus intellectus fertur in obiectum cognoſcendum: nam illa ſpecies eſt acquiſita ex obiecto, immiſſa per ſenſus, & per intellectum agētem elaborata, & impreſſa &c. verbum verò eſt ab eodem intellectu genitum, in cuius generatione præſupponitur illa ſpecies &c. Secundò. Verbum non eſt ipſum obiectum, ac res intellecta: nam à parte rei præexiſtit, & præſupponitur nedum ad verbi generationem, ſed ad quemcumque actum intelligendi &c. Tertiò. Non eſt ipſe actus intelligendi, aut dicendi: non enim terminus alicuius actionis poteſt eſſe ipſamet actio: ſed eſt quædam perfecta obiecti, quod intuetur mens, imago, ipſum imitans, & exprimens, ac repreſentans ſibi, genita ab ipſomet intellectu per actum vitalem, hac præcipua neceſsitate, & ratione cogente.

Sicut enim neceſſaria eſt ſpecies impreſſa ad cognoſcendum, vt determinetur potentia de ſe indifferens ad quodcumque intelligibile, ad hoc, vel illud determinatè intelligendum, de quo habebit impreſſam, ac receptam ipſam ſpeciem; ſic ſpecies expreſſa, quæ eſt verbum, omnino intellectui neceſſaria, tum, vt aſſerunt multi, vt mens ferè eadem ratione qua impreſſa, habeat præſens obiectum, vel in ſe, vel in ſui imagine perfecta, & obiectiuè terminet actum cognoſcendi, & ſit prima res cognita, & ratio cognoſcendi ipſum obiectum, cuius eſt imago expreſſa, ac intelligendi exprimens, in quo poſtremo ſita eſt vltima verbi differentia; tum quia cognoſcere, cum nihil aliud ſit, quàm potiſsimam cognoſcentem exprimere in ſe ipſa vitaliter imaginem rei cognitæ, neceſſariò verbum ex his aſſertis erit imago, & ſimilitudò rei conceptæ: de quibus infra vberius.

De eo verò, quod tertio loco explicandum poſitum erat, euidens eſt: nam ſapientia, & notitia in præciſa ratione noſcendi, & intelligendi, non incluſa fœcunditate, competit tribus ex intrinſeca Dei perfectione: æquè enim Filius, ac Spiritus Sanctus ſicut Pater intelligit, ſicuti æquè Deus, ac idem numero infinitè in intelligendo perfectè Deus; ac ſubinde abſoluta eſt, & nullam actualem relationem dicere poteſt; ac ideo non poteſt eſſe magis propria Filio, quàm Patri, & Spiritui Sancto

cto

Digitized by Google

cto. De qua re gemina inſurgere poteſt dubitatio. Altera, quid ſit proprium, quidque appropriatum. Altera, an ſicuti Diuinum, ſic creatum verbum ſit ſola, ac pura relatio. Prima nullo fere negocio ſoluitur: proprium enim, quod vni ſoli conuenit, teſte etiam Porphirio, & communi philoſophantium conſenſu, & ſumitur tum pro principio conſtituente in eſſe, tum pro fluente inde proprietate, vt in homine, rationale, & inde riſibile; & ad rem, de qua hic, proprium erit in Patre generare, in Filio generari, & in Spiritu Sancto ſpirari: his enim conſtituuntur in eſſe diſtincto perſonæ. Appropriatum vero eſt, quod teſte præcipuè Scoto q. 8. quodlib. ſed vberius, & clarius Sancto Bonauentura diſt. 34. quæſt. 3. Quodquidem commune multis, tamen ratione propriæ productionis alicui perſonæ appropriatur, ſi perſona ſit producta: quare Spiritui Sancto, quæ amoris, & voluntatis ſunt, ſolent in Diuinis litteris attribui, quia per voluntatem, & amorem producitur: itidem Filio, quia per intellectum generatur, quæ ad intellectum, & cognitionem ſpectant, appropriantur: itaque dicitur ſapientia, notitia &c.

Secunda verò dubitatio. An Verbum quodcumque ſit ſola, ac pura relatio. De Verbo increato res quidem omnino certa eſt: Verbum enim propriè, & formaliter ſumptum, totum in relatione ad Patrem exprimendum ſitum eſt, hac ratione, tum quia Filio proprium: ergo relatiuum, tum quia inter Diuinas perſonas, cum non ſit neque actio, neque paſsio, eo quod in his quæ ſunt formaliter in Deo, nihil ſit quod habeat rationem cauſæ, aut effectus reſpectu alterius: hinc fit, vt ſola ſtatuenda ſit habitudo vnius ad alterum, aut tamquam vnius, quæ eſt ab alia, aut tamquam à qua eſt alia, ſicuti Filij ad Patrem, à quo eſt, Patris ad Filium, qui eſt ab illo &c. ita tamen, vt Verbum v.g. non accipiendum ſit quaſi vacuum, & inane; ſed ea eſſentia, quæ in generatione ſui eſt ei communicata, plenum, ac ſubſiſtens: vt enim Filius, & Verbum, Deus genitus, quamuis non Deus generans, licet non diſtinguatur à Patre vt Deus; diſtinguitur tamen vt Deus genitus: quare Verbum conſtat ex abſoluto, & relatiuo, ſimplicisſimè tamen, & diſtinguitur quidem à Patre, non tamen à Patris Deitate.

De verbo tamen creato non eſt vſque adeo certa res, imò grauiter inter Theologos controuertitur: nam Torres diſputat. 2. ad art. 1. quæſt. 27. Sancti Thom. conſtanter affirmat, Verbum creatum eſſe de genere relatiuorum ſecundum eſſe, & de formali dicere relationem realem ad dicentem, veluti effectus ad cauſam: dicens enim, & verbum dictum ad inuicem formaliter referuntur; licet præterea verbum includat relationem rationis ad rem per verbum dictam. Hoc verò his locis exiſtimat probare ex Sancto Thom. quæſt. 34. art. 1. ad 3. & ibidem Caiet. & S. Aug. 7. de Trinit. cap. 2. & poſſet confirmari etiam ex S. Bon. auctoritate, qui de Verbo nihil aliud ſæpius aſſerere videtur, quàm eſſe ſimilitudinem, imaginem &c.

Facilius tamen, & probabilius cũ alijs exiſtimo dicendum, verbum quidem dicere relationem ſignificantis ad rem ſignificatam, tamen eſſe aliquid abſolutum, productum per actionem dicendi à dicente, ſcilicet conceptum realem ſignificantem, includentem productionem, qua producitur, & relationem ad rem intellectam; quia ſic poſſet definiri. Eſt conceptus, & imago expreſſa, & expreſsè exprimens, mente prolata; & poteſt probari. Dicere ſignificat actionẽ: ergo & dici, paſsionem: ergo non formaliter, & per ſe primò relationem. Patet conſequentia; Antecedens vero probatur, ſed infra in diſputatione.

Sed ad quod vnicum, idemque potiſsimum, quod in hac quæſt. indagamus, accedamus, quinam ſcilicet ordo, non quidem in re, ſed in noſtro intelligendi modo, dum verbum ſcilicet ſub communi, tamen appropriato attributo, notitia, & ſapientia, contemplamur: nimirum quid prius intelligimus, propriumne, vel appropriatum. Reſpondet verò, ac ſatis efficacibus rationibus probat, prius appropriatum, deinde proprium: ab vniuerſalioribus, & communioribus doctore Ariſt. incipit noſtra cognitio: ergo ab appropriatis circa intelligendi Diuinum Verbum initium ſumet noſtra contemplatio. Conſequentia eſt nota: nam appropriata ſunt commũnia: ſunt enim abſoluta. Hinc confirmatur. Verbum dicit relationem, ſed abſoluta ſunt priora relatiuis: ergo ab ipſis incipiendum. Quod verò relatiua abſoluta conſequantur, inde conſtat, quod ſunt eorum fundamenta.

Hoc Sancti Doct. argumentum, eo neceſſariò omnibus Theologis commune, & placitum, quo eorundem omnium trito prouerbio nititur, etiam in Diuinis abſoluta ſunt priora relatiuis noſtra cognitione, quemadmodum perſonæ ſupponunt Diuinam eſſentiam infinitè bonam, ac inde ad intra infinitè communicabilem, ac ſimul communicatam ipſis perſonis; alij quidem per generationem; alij vero per ſpirationem amoris mutui: quare ex ea dicuntur pullulare, & ſubſiſtere; ita propemodum de relationibus aſſerendum, quippe ſunt ipſiſsimæ perſonæ ſubſiſtentes.

Neque quod vltimo loco præſtandum relinquitur, oppoſita ſcilicet argumenta vllius ponderis ſunt.

Quod enim primo loco ponitur ex lib. Eccli. *Fons ſapientiæ Verbum Dei in excelſis*. Quod habet rationem principij alterius, vllo dubio procul ſecundum rationem intelligendi prius eſt: ſed Verbum, de quo nunc eſt ſermo, eſt principium ſapientiæ, ex recenſita ſententia Eccleſiaſt. ergo illud prius intelligitur, deinde ſapientia.

Reſp. & interpretamur locum Eccleſiaſt. Sapientiam illam, de qua aſſeritur Verbum fons, & principium, non eſſe Dei attributum abſolutum, ſed donum creatum: quare rectè hoc loco non adducitur locus ille, & ad argumentum neganda eſt minor. Eſt autem eius ſententiæ arridens ſenſus. Verbum, quod in excelſis locutum eſt, per quod ſcilicet omnia facta ſunt, tum iam facta ſubſiſtunt; eſt fons eius ſapientiæ, quæ in creaturis relucet, & oſtenditur, & ingreſſus illius mandata æterna, rationibus ſcilicet, & modis, quibus vtitur Diuina ſapientia in rebus moderandis creatis, ſunt ſi-

ta, & perpetua, Dei ordinatione conſtituta; ſtatuit enim ea in æternum, & in ſæculum ſæculi præceptum poſuit, & non præteribit; ita quoque Alexand. 1. par. quæſt. 62. memb. 1. art. 2.

Secundum. Potentia eſt prior ſapientia ſecundum noſtram intelligendi rationem: ſed Verbum eſt quodammodo potentia: ergo prior ſapientia. Maior eſt Riccardi de S. Victore, Minor eſt S. Aug. lib. 83. quæſt. quæſt. 63. dum Verbum operatiuam potentiam dicere aſtruit.

Reſp. tota vis ſolutionis huius argumenti in hoc ſita eſt, vt quanam ratione dixerit S. Aug. Verbum dicere operatiuam potentiam, interpretemur. S. autem Doct. hoc fermè modo. Primò. Verbum de ſe formaliter, licet ſimul cum Patre ſit omnipotens, vt vtriuſque vna ſit potentia, vt Verbum tamen non dicit potentiam, ſed præcisè conceptam ſimilitudinem expreſſiuam, vt iam ſupra. Secundò. Eatenus licet aſſerere, Verbum Diuinum operatiuam potentiam dicere, quatenus dicit ad operandum diſpoſitionem, ſcilicet ſapientiam, ſcilicet genitam: eſt enim Verbum ſapientia genita: ſed ſicut diſpoſitio eſt prior eo, ad quod diſpoſitio eſt; ita ſapientia hoc modo eſt prior potentia. Ad argumentum ergo, ad maiorem, Si ſit ſermo abſolutè, concedimus potentiam creatam præcedere ad habitum ſapientiæ, ſed non ad rem; aut ſi de potentia Diuina, vt dicat aptitudinem, & virtutem ad eſſe ſapientem, adhuc concedimus: erit enim ſenſus, Deus eſt ad actus ſapientiæ potens: eſt enim ſapientiſsimus. Sed neque hoc modo noſtrum faceſsit negocium: poteſt enim tertiò dici, potentia eſt prior ſapientia, quatenus hæc Filio, illa Patri appropriatur, vt S. Bonauentura diſt. 34. quæſt. 3. in fine corporis. Ad minorem, interpretor D. Aug. dicere propriè non operatiuam potentiam, ſed ad ipſam diſpoſitionem, ſcilicet ſapientiam, qua rectè quidquid facit operatur, quo ſenſu falſa eſt maior. Quod ſi inſtas. Non eſt adhuc ſolutum argumentum, ſed dumtaxat dictum, ſapientiæ conceptum præcedere potentiam operatiuam, ſed an præcedat Verbi conceptuoi, adhuc hic neque tactum. Reſp. id quidem in tota quæſt. ſolutum, ac probatum, hic verò ſufficit diluiſſe quod petebat inſtantia.

Tertium. Verbum eſt concepta ſimilitudo interior; ſapientia verò eſt habilitas, & habitus ad intelligendum, ſed conceptum illius ſimilitudinis præcedit habitus, ſicut & ſpecies illum habitum, qui ex illis ſit, præcedit: ergo & Verbum præcedit ſapientiam.

Reſp. Facillima & certa ſolutione ſolui. Omnia hæc in aſſumpta argumentatione aſſerta, ſunt quidem vera, dum de accidentario, & acquiſito ſapientiæ habitu fiat ſermo, vt in creaturis: tunc enim & ſimilitudo quoquo modo in animo poſita præcedit ſapientiæ, quæ inde acquiritur, habitum, & teſtantur omnes. Vbi obſeruandum quomodo fiant, & acquirantur habitus, præſertim intellectuales. At verò in Diuinis omnino oppoſito modo res ſe ſe habet, vbi ſapientia ſubſtantialis, & æterna eſt: eo enim quo Pater ſummè ſapiens eſt, intuens ſeipſum concipit, & producit ſui ſimilitudinem, imaginem, & Verbum: quare ad argumentum falſa eſt maior in Diuinis: non enim ſapientia eſt habitus acquiſitus, vel accidentarius. Itidem falſa eſt minor: ſicuti enim non eſt habitus, qui acquiratur, ita ipſum non præcedit ſimilitudo.

Ad omnia vero reliqua, quæ in poſtremo argumento petuntur ſoluenda, Reſp. S. Doctor, ſuis locis iam ſoluta eſſe, nunc nobis ſufficit indicare loca. diſt. 28. dubio 4. diſt. 32. multis verbis, ſed præcipuè dubio 2. & dubio 1. litt. diſt. 27. parte 2. art. 1. quæſt. 1. Sapientia Diuina dicitur media, quia tum ad eſſentiam, tum ad perſonam, veluti ſi dicatur, Sapientia genita, & nata; tamen de ſe, & ratione ſuæ ſignificationis abſolutè ſumitur, & ad eſſentiam ſpectat: quare de ſe non eſt hac ratione proprium, ſed appropriatum; Verbum vero verè proprium. Denique Imaginem, Filium, & Verbum non eſſe Synonima, multis locis conſtat, & paucis ab hinc indicauimus, hac diſt. dubio 2. litt. & diſt. 31. & alibi ſupra diſt. 3.

ARTICVLVS IV.

An nomen Verbi rectè translatum ſit ad Diuina. S. Bon. hic quæſt. 4. S.Th. quæſt. 33. art. 2, ad 4.

PARAPHRASIS.

PRIMA Propoſitio. Licet ratio, & perfectio verbi verius ſit, & nobilius, & prius in Deo, quàm in nobis, quemadmodum & cæterorum attributorum; attamen rectè quoque à nobis in Deum translatum aſſeueratur. Prima pars ex ſe conſtat. Verbum enim Diuinum eſt & æternum, ſicuti reliqua Dei intrinſeca prædicata. Secunda pars ſic perſuadetur. Primò. verbum creatum; non ſenſibile, aut medium, ſed intelligibile, quod in rei cognitione conſiſtit, eſt, vt & increatum expreſſa ſimilitudo: ergo rectè ad Diuina transfertur. Conſequentia probatur: nam hac gemina ratione præſertim, creata ad increata tranſmittuntur, & idoneè transferuntur; quia & ſimilia inueniuntur, & nos ſic in Diuinorum cognitionem manuducunt, & inſtruunt, cum noſtra intelligendi ratio intelligendo, maxime à rebus creatis ſenſui ſubiectis pendeat; indiget erudiri, & ſine errore ad Diuina eleuari. Antecedens ergo probatur auctoritate, & ratione.

S. *Aug. 15. de Trinit. cap. 11. Verbum Diuinum procedit per modum naturæ quoad originem, vnde dicitur Filius. Secundò, vt architectus, & ars plena omnium rationum. Tertiò, noſtris temporibus vt vnitum carni, qua vnione neque receſſit à Patre, neque in carnem tranſit. Verbum quoque noſtrum, primò, per modum naturæ, & fœcunditatem naturalem intellectus noſtri, omnino ſimile ei, à quo procedit. Secundò, procedit vt ſimilitudo, in qua quid-*

quid

quid homo cogitando operari praconcipit, repreſentatur. Tertiò, vnitur voci vt innoteſcat, neque tamen in vocem tranſit, ſed integrum manet in mente: ergo noſtrum verbum Verbo aterno ſimile: ergo ritè, & rectè ad illud transfertur.

Poteſt ſecundò confirmari à fortiori per D. Baſilium 2. contra Eunomium. Filio Dei attribuitur verbum, quo annuntiatur, ideſt verbum vocis, propter aliquam ſimilitudinem: *ergo multo magis, ac rationabilius Verbum internum, & intelligibile. Confirmatur ſecundò. Ad Diuinam generationem Filij teſtandam, ſpiritualem, non carnalem ex mente Paterna; mirificè confert, & eſt admodum ſimile verbum humana mentis, verbique productio: ergo vehementer rationi conſonum eſt, vt ad Diuina transferatur.*

Secunda Propoſitio. Licet verbum noſtrum ita ſit ſimile, vt Dei Verbo tribuatur, non abſolutè tamen transferendum: nam aliunde permultas diſsimiles habet rationes, & oppoſitas, qua manifeſtas continent imperfectiones, ſed pracisè iuxta dumtaxat tres ex D. Aug. explicatas conditiones, originis, diſpoſitionis, & vnionis. Probatur: nam vt idem obſeruat S. Aug. Verbum Diuinum eſt ſemper veriſſimum, placentiſſimum, omnipotentiſſimum; noſtrum vero ſape fallax: nam ſape qua neſcimus cogitamus; ſape fere inuiſum, & diſplicens, dum frequenter qua non volumus mente diſcurrimus: denique non raro impotens; nam qua non poſſumus tum cogitamus, tum vellemus.

Tertia Propoſitio corollaria. Verbum noſtrum ſimile Verbo Diuino eſt, quod eſt certa notitia, complacentia, & potentia, habens ſcilicet coniunctam affectionem, & operandi vim. Patet ex D. Aug. 9. de Trinit. cap. 10. Verbum cum amore, notitia.

Quarta Propoſitio itidem corollaria. Diuiniſſimus Io: Euangeliſta in ſuo Euangelio optima ratione in aterni Filij generatione vſus eſt magis quàm Filij, Verbi nomine. Patet ex iam ante dictis.

COMMENTARIVM.

I N veſtibulo huius quæſt. duo primo loco non minimi ponderis æqua lance libranda, & in primis animaduertenda. Alterum circa titulum quæſt. circa ordinem ac rei propoſitum, alterum. Inſcriptio, & quæſtionis titulus eſt, An nomen Verbi rectè ab humanis ad Diuina translatum ſit. Vbi primò obſeruandum. Eandem prorſus rem, alijs tamen verbis Alexandrum quæſt. 62. memb. 1. art. 1. proponere, nimirum: An Verbum creatum dicatur ſimile Verbo Diuino: eo enim transferri dicitur verbum noſtrum ad Diuinum, quo ſimile eſt: & huius translationis hanc ferè vnicam ſimilitudinis rationem refert S. Bonauentura noſter, & idem Alexander in ſolutione, & corp. quæſt. Eandem ferè ad iota doctrinam Riccardus quoq; eadem diſt. art. 1. quæſt. 2. quærens, An verè Verbum ſit in Diuinis, dum ex proprietate Verbi creati id perſuadet: ſicut enim eadem eſt quæſtionis doctrina, ac ſolutio; erit pariter idem propoſitum in quæſtionis titulo: ergo idem erit probare, Verbum Diuinum vere verbum, ex conditionibus verbi creati, ac & Verbum Diuinum verbo noſtro ſimile, & ideo quia ſimile, idoneè verbum creatum ad increatum transferri: eo tamen quo S. Doctor ſub doctiori titulo, & ad rem quæ verſatur, congruentiori, eruditiorem etiam quæſtionem, ac plura ſcitu digna, vt intuenti patet, nobis reliquit.

Obſeruandum ſecundò, quid ſit, quod ſub translationis voce, diſcutiendum promittit. Translatio nominum eſt, quam ipſe diſtinctè, & eruditè tradit hoc lib. diſt. 22. quæſt. 3. concordat S. Th. 1. parte quæſt. 13. art. 6. bifariam ſumi, & fieri poſſe. Primò, quædam ſunt nomina, quæ ſignificant quidem rem veram in Deo, in creaturis verò eiuſdem rei ſimilitudinem, vt ſapientia, bonitas &c. quæ verè in Deo ſolo ſunt, earum autem quędam ſimilitudo, vmbra, & participatio in creatura. Hæc non dicuntur transferri quo ad rem: ſunt enim prius in Deo; ſed quo ad impoſitionem: prius enim rebus impoſita, deinde ad Deum translata, ſic nos, ſicut didicimus, ex creatis Diuina ita nominamus: *inuiſibilia enim Dei per ea qua facta ſunt intellecta conſpiciuntur*. Ita etiam D. Thom. ad litteram recenſito loco; ſed hæc non eſt vera, & rigoroſa, quam aiunt, translatio. Quædam igitur alia, cuius quidem veritas eſt in creaturis, ſed conſimilis proprietas in Deo, vt dicitur Deus leo, Agnus, petra &c. verè enim creatura eſt leo &c. fortitudo tamen, innocentia, ſtabilitas, petrę, Agni, & leonis in Deo eſt. Hęc vera, ac metaphorica nominum translatio: ergo transferre eſt tranſumere vnam vocem, rem vnam propriè ſignificantem, ad aliud ſimul per ſimilitudinem in ipſis rebus ſignificandum &c. ergo S. Doctor in hac quæſt. neque ſtrictè, ac rigoroſè, & propriè, ſed latè translationis nomen vſurpat: non enim de ſecunda, ſed de prima vocum translatione agit.

Alterum verò quod hic dixeram ob oculos ponendum, eſt, quem locum habeat, & quem ordinem, & quomodo Verbi æterni tractationi deſeruiat, hic de translatione, ac ſimilitudine Verbi creati ad increatum inſtituere quæſtionem & Reſpondeo primò. Ad exactam Verbi, quę haberi poſsit cognitionem ſpectare, an aliquem, & quem ordinem, tum relationis, vel ſimilitudinis, tum diſſimilitudinis habeat cum verbo creato: ita enim iam ſupra, an ad creaturam relationem aliquam dicat, & an ex creaturarum etiam cognitione producatur, vtiliter & conſentaneè quæſitum eſt. Secundò. Quo ſimile in aliquo inuenitur Verbum Diuinum verbo creato, eo ad difficillimam Diuini Verbi cognitionem attingendam facilius manuducemur, & veluti in ſpeculo tantum lumen tutius intuebimur: quo autem diſsimile, eo per negationem quandam, & per oppoſitam viam aſcendendo,

quo

Digitized by Google

quo cœcutienti licuerit, ad Diuini Verbi percipiendi excellentiam, ac maieſtatem eleuabimur.

Quo igitur ad rem, quæ hac quæſt. ſpectatur etiam ex titulo, eſt, quare ex verbo noſtro ſumpta comparatione, & quo myſterio, Diuinæ mentis Patris prolem nominauerit Verbum Diuina Scriptura; neque alio nomine: & quare fætus mentis creatæ nomen, ſcilicet verbum, ad Diuinę mentis fœtum tranſtulerit. Et ad hanc obiectam, & propoſitam dubitationem ſoluendam duas affert S. Doctor elegantes, ſolidaſque rationes: alteram ex vtriuſque fœtus ſimilitudine deſumptam; alteram vero ex indigentia intellectus noſtri, adinuentam ne circa Diuina percipiẽda dedecoroſè erret.

Quoad primam, vt quæ intercedit, ſimilitudinem inueniat, de verbo creato inquirit, & quotuplex ſit animaduertit, quemadmodum & S. Th. 1. parte quæſt. 34. art. 1. & 1. ſent. diſt. 27. quæſt. 2. art. 1. & Alex. 1. par. quæſt. 62. memb. 1. art. 1. & Riccardus art. 2. quæſt. 1. & alij: & omnes tum ex D. Aug. 15. de Trinit. tum ex D. Damaſc. 1. de fide cap. penult. tum denique ex D. Anſelmo in Monologio cap. 8. & triplex Verbum creatum aſſerit. Primum, intelligibile, cum ſcilicet intellectus de re cogitat, remque intelligit, quod quidem quaſi definitur, ſi de re cogitatio appelletur, quod recenſito loco S. Anſelmus his verbis imaginem nomenclat. *Dum mens rationalis, ſeipſam cogitando aliquid intelligit, ipſa ſui cogitatio eſt ſua imago, ideſt verbum*: & ante ipſum D. Aug. ſer. de Natiuit. S. Io: *Vox eſt ſonus, & index cogitationis, verbum verò ipſa cogitatio*, & alio loco 4. de Trinit. definitionem rei intelligibilem, verbum nuncupat. Secundum Verbum, imaginabile, quando conceptum verbum imaginatur, & cogitat communicare, & extrinſecus pronunciare, & concipit nomen pronunciandi conceptum cordis ſui, & alijs enunciandi. Tertium, ſenſibile verbum, ipſa ſcilicet vox, qua enunciatur verbum intus intellectus; quod tamen potius verbi vox, quàm verbum, rationabilius nuncupabitur.

Et hunc verè ordinem inter hæc tria intercedere, & à formante verbum obſeruari, rectè docet S. Bon. nam primò cogitat homo de re aliquid, deinde quomodo cogitatum, & efformatum verbum enunciet, denique in medium affert, & quid cogitauerit extra profert. Licet alium ordinem in his recenſendis videatur S. Thom. art. 1. ſeruare, non impedit tamen quin hic ſit naturalis ordo. Explicato verò verbi creati triplici genere: in quo horum trium ſimilitudinis ratio cum Verbo Diuino inueniatur, aggreditur enucleare. Principio igitur, non in verbo vocis, aut imaginationis, ſed cordis, & intellectus, ſtat ſimilitudo cum verbo Diuino: quo fit, vt vtrique verbo competat rectiſsimè nomen, & vt in textu ex S. Aug. tergemina ſimilitudo, in origine, in diſpoſitione, & vnione obſeruetur.

Sed ſolerter tria in primis perpendenda. Primum. S. Doct. ſermonem comparatum, non abſolutum ſumendum eſſe: non enim vllam omnino ſimilitudinem inueniri in verbo vocis, &c. negat, ſed tantum non eam, eaque perfectionis ratione, quę in cordis verbo, imò idipſum ſatis aperte tangit, vt penè noſtra cõmentatione non egeat, in reſponſione ad vltimum, vbi elegantem reddit rationem, imitatus D. Aug. qui potiſſimum cordis verbum cum Diuino confert. *Quiſquis*, inquit 15. de Trinit. cap. 10. *poteſt intelligere verbum, non ſolum antequam ſonet, verum etiam antequam ſonorum eius imagines cogitatione voluantur* (*hoc enim eſt, quod ad nullam pertinet linguam &c.*) & paucis interpoſitis: *iam poteſt videre per hoc ſpeculum, atque in hoc ænigmate, aliquam illius Verbi ſimilitudinem, de quo dictum eſt, in principio erat verbum &c. neceſſe eſt enim cum verbum loquimur, ideſt quod ſcimus loquimur, ex ipſa ſcientia, quam memoria tenemus, naſcatur verbum, quod eiuſmodi ſit omnino, cuiuſmodi eſt illa ſcientia, de qua naſcitur &c.*

Etenim imò non deſunt, quin inter vetuſtiores Patres non defuerunt, qui multas collegerint ſimilitudines inter verbum vocis, & Dei. D. enim Epiphanius hæreſi 73. *Filius*, inquit, *Verbum nominatur; quoniam interpres eſt voluntatis Dei &c.* Sicuti namque verbo oris prolato, animi occulta pandimus; ſic Deus Pater Verbo ſuo incarnato occulta cordis ſui humano generi reuelauit: Deinde D. ipſe Aug. lib. de fide & Symbolo cap. 3. Verbum, aſſerit, Patris dictum eſt, quia per ipſum innoteſcit Pater, tum D. Ignatius ipſis antiquor, Epiſt. ad Magneſianos; *Deus manifeſtauit ſeipſum per Chriſtum, quod eſt Verbum ipſius.* Rurſus D. Nazianz. Orat. 4. de Theologia. *Verbum dicitur Filius, quia ita ſe habet ad Patrem, ſicut ſermo ad mentem, non modo propter generationem, paſſionis omnis expertem, verum propter coniunctam ipſius cum Patre vim enunciatiuam*: & hæc ex D. Pa: ad Hebræos 1. *Nouiſſime diebus iſtis locutus eſt nobis in Filio*, ſcilicet per Filium, qui eſt ipſius Verbum.

D. Baſilius hom. in principio Euang. D. Io: duas alias affert ſimilitudines. Altera eſt, Verbum noſtrum vocale ex corde promanat, *quæ enim*, inquit, *ſecundum cor nouimus, hæc verbo proferimus*, & Dominus Lucę 6. *ex abundantia cordis os loquitur*: eadem propemodum ratione procedit, & emanat ex mente Patris Verbum Diuinum. Altera verò, quod verbum oris noſtri ex corde procedens, cordis cogitationis refert imaginem, & exemplar exiſtit; *æquè, & multo magis procul dubio*, inquit D. Baſilius, *quod procedit ex mente Diuina, oſtendit quomodo imago ſui genitoris eſt*.

Secunda animaduertenda res: Inter Verbum Diuinum, & cordis noſtri, plures inueniuntur ſimilitudines, quàm S. Doctor ex D. Aug. recenſuerit: Prima enim, ſicuti nos intellectu, & mente noſtra verbum noſtrum parimus; ita Pater ſua infinitè perfecta intellectione ſe ipſum comprehendens, Verbum ſuum parit, ac gignit.

Secunda. Sicuti verbi noſtri productio immaterialis; longe immaterialior qua ſuum Pater producit.

Tertia. Noſtrum ſine locali motu exit, ita vt

vt non à mente diſcedat, ita D. Fulgentius ad Monimum lib. 3. *Mens cogitando, Verbum intra ſe generat*: multo minus Verbum Diuinum à corde, & ſinu Patris recedit. *Ego enim in Patre. & Pater in me eſt*. Et *Vnigenitus, qui eſt in ſinu Patris*.

Quarta. Verbum, quod nos concipimus, eſt rei conceptæ perfecta imago: at verò infinitè perfectior Verbum à Patre productum, eſt ipſius Patris æterna imago.

Quinta. Sicuti à verbo noſtro initium ſumit opus externum, vt nunquam ſine interiori, ac præcedenti verbo quicquam efficiamus; conſimili, & nobiliori modo, Verbum Diuinum eſt quo Pater facit quidquid facit: *Omnia enim per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil*.

Sexta. Carne aſſumpta, Patris verbum humanæ geniti reuelatum eſt, quemadmodum & nos exteriori voce cordis noſtri verbum explicamus; ita tamen, vt ſicuti nos voci iungimus verbum, neq; tamen à mente recedit, aut in vocem tranſit; ſic fermè Verbum Diuinum in carne aſſumpta, nec à Patre receſsie, nec in carnem mutatum, ſed diſtinctiſsimæ remanſerunt duæ naturæ, contra vetuſtiores hæreticos, ex Symbolo D. Athanaſij, *Non conuerſione Diuinitatis in carnem, ſed aſſumptione humanitatis in Deum*.

Septima. Eo modo quò ad opus externum, in corde verbum noſtrum præcedit, vt non ſit neceſſe opus ſequi, vt non poſsit quidem ſine verbo exire opus; non ſit tamen neceſſe ad omne verbum conſequi externum opus: eo inquam, ſed nobiliori, & certiori modo, opus externum Dei non eſt de ratione æterni Verbi: quamuis enim non ſit in tempore res à Deo, quin ſit ab eius quoque Verbo, neque tamen ab æterno aut verbo coextitit, aut coexiſtere neceſſe fuit, aut potuit: præceſsit enim æternitate mundum creatum, Verbum Diuinum, & potuit non producere mundum, ſicuti libere quando voluit, in principio temporis creauit Deus cælum, & terram.

Octaua denique. Sicuti adeo ab intellectione verbum noſtrum pendet, ac gignitur, vt tum ſit naturale, & ideo, imago rectiſsimè nuncupetur, vt citato loco S. Aug. potiſsimum tradidit, tum eo tempore duret, & permaneat, quo ipſamet intellectio durat; ſic certiori veritate, Verbum Diuinum per modum naturæ, & generationis, de fide procedit, vt verè ſit imago, & Filius naturalis, & perſeuerante Patris intellectione, perſeueret & verbum.

At verò quoniam Patris non poteſt non eſſe in ſempiterno actu intellectio, aliàs mutaretur, & tranſiret de actu in potentiam &c. & intelligere deſiſteret; neceſſariò conſequitur, Verbum eſſe æternum, & in generatione æterna: quo circa Dauid pſ. 2. ad explicandum hoc. *Ego hodie genui te*; protulerit. *Genui*, ad perfectiſsimam Verbi generationem teſtandam: *hodie*, ad eius æternam ab intellectionem emanationem aſſerendam, & Micheę 5. *Egreſſus eius ab initio, à diebus æternitatis*, ideſt æternus. Quod ſi hebræa plurium nomine egreſſiones eius habent; non inde tamen plura Verba credenda, ſed id ita aſſertum, non ad plura, ſed ad vnum Verbum, omnium poſsibilium verborum perfectiones complectens, ac ſi eſſent plura.

Sed hinc, quod tertio loco dixeram non prætereundum, ſed perattentè, & oculatè conſpiciendum, ſicuti etiam S. Bonauentura in quæſt. hac cœperat obſeruare, & ex Sanctis Patribus cæteri doctores per multa capita obſeruant; ſcilicet nedum à nobis ad Diuina Verbum rectè tranſlatum aſſeneramus, cum ſuis intrinſecis imperfectionibus nos tranſtuliſſe exiſtimemur, ac Diuini Verbi inde temerarij, ac ſacrilegi blaſphemi redarguamur: ac præterea ne Diuina nos adæquatè noſtris attributis, & tranſlatis ſimilitudinibus explicare pręſumpſiſſe dijudicemur, cum ineffabilia, & inexplicabilia omnino ſint, ac ſilentio, & fide potius, ac tutius veneranda, & credenda, illud ſæpe Iſa. 53. repetentes. *Generationem eius quis enarrabit?* quemadmodum inter vocis, & cordis verba quædam ex Patribus retulimus ſimilitudines, ita inter vtrumque diſsimilitudines referre cogimur.

Principio igitur, quemadmodum nos S. Doctor ex D. Aug. in tribus noſtrum verbum cum Diuino conuenire docuerat, ſic in tribus pariter ex eodem Sancto Patre non conuenire, imò vehementer differre, diſtinctè ac dilucidè prodit. Dei ſiquidem Patris Verbum ęternum, primò, ſemper eſt veriſsimum, imò ipſa veritas, quo eſt ex infinitè perfecta, & infiniti luminis Dei Patris intelligentia. Secundò. Verbum Diuinum eſt placentiſsimum ſemper, non quidem ex voluntate eliciente, ſed comprobante, & complacente, vt inter alios ipſe S. Doctor diſt. 6. quęſt. 2. per totam. Tertiò. Dei Verbum eſt cunctipotens. *Omnipotens ſermo tuus de regalibus ſedibus venit*, & Io: 1. *Omnia per ipſum facta ſunt*. Sed Verbum noſtrum ſæpenumero adiunctam habet fallaciam, cum etiam quæ neſcimus cogitemus, & etiam quæ aliquando nolumus, per improbos, aut intus à ſenſitiua, corruptaque inferiori hominis parte, aut deforis ex oblatis, & apprehenſis obiectis impetus, ex quo diſplicentia verbi connexa exiſtit pluries. Denique quę nobis impoſsibilia omnino ſunt, ſæpe mente voluimus, ac chimæras concipimus, vnde verbum impotens, diſplicens, & fallax.

His ſeiunctis, ac ſemotis, verbum cordis noſtri erit ęterni Patris Verbo ſimile; quamquam non diffitendum, plures, & alias adeſſe diſsimilitudines, diuerſiſque non adhuc recenſitis, commaculari verbum noſtrum imperfectionibus, ex auctoribus colligi poteſt, & operepretium erit, quemadmodum, & nuper cum de ſimilitudinibus ageretur, ſine Sancti Doctoris præiudicio actum eſt, vt plures quàm ipſe notauerit referrentur ſimilitudines; ſic nunc, imò in elucidatiorem rei cognitionem alię ab ipſo haud tactę, animaduertantur diſsimilitudines.

Inter quas hęc ſit prima. Vt differat duratione; Verbum ſiquidem noſtrum, ſicuti cum illud intellectu efformamus, incipit eſſe; ita initium temporis habere neceſſarium ſit: Diuinũ verò ęternum, vllo abſque durationis initio: hinc mens noſtra

verbi

verbi productrix, verbũ tempore præcedit, Diuinum verò æternum, quemadmodum & Pater. *Aeternus Pater, Aeternus Filius*, inquit magnus Athanaſ.

Secunda differentia eſt, eſſentia, & virtute: nam creatum Verbum ſubſtantia, & eſſentia differt à producente, ſicut accidens à ſubiecto; æternum verò & ſubſtantia eſt eadem numero cum ſubſtantia Patris: Verbum noſtrum neque viuit, neque ad quicquam operandum efficax eſt; quod tamen ita declarandum, vt non contradicat S. Doctor, quem magiſtrum colimus, & commentatione noſtra tuemur: præciſè enim, & ſolitariè ſumptum verbum, vt accidens, aſſerimus inane, & inefficax; vt vero hominis ratione vtentis, quaſi diſpoſitiuè, vt voluntati coniunctum, non negamus efficientiam, & eo modo, quo ei concedit S. Doctor ex D. Aug. in corp. quæſt. Dei tamen Patris Verbum abſolutè dicendum vita, & omnipotens vita: *omnia enim per ipſum facta ſunt, & in ipſo vita erat* Io: 1. Quod mirè Diuina Sapiētia amplificat; *quando præparabat cælos aderam, quando certa lege, & gyro vallabat abyſſos, quādo æthera firmabat ſurſum, & librabat fontes aquarum: quando circundabat mari terminum ſuum, & legem ponebat aquis*. Quando nimirum, & creabat, & creata connectebat, & ordine miro expoliebat, aderat omnipotens, & viuificans Verbum. Quod totum quàm facili negocio, & quàm vllo abſque prorſus labore faceret, protinus addit. *Delectabar per ſingulos dies* (creationis) *ludens in orbe terrarum*.

Tertia differentia eſt. Verbum humanum decidit, refluit, accedit, recedit, præſertim voci adiunctum; Verbum autem Dei manet in æternum.

Quarta, numero differt. Etenim verbum noſtrum multiplex admodum eſt: multas enim conceptiones mente parimus, multa verbà proferimus, quibus varias, ac diſtinctas res tum intellectionibus his aſſequamur, tum alijs aſſecutas communicemus: idque tum ex finita, tum exili, ac tenui intellectus noſtri vi, cogimur pluribus efficere. Deus verò quia infinita, ac interminabili virtute conſtat, vnico actu tum ſe, tum reliqua omnia adæquatè dicit, vnde vnum Verbum producit. Propterea Dauid pſ. 61. cæleſti lumine repletus cecinit. *Semel locutus eſt Deus:* hunc enim locum de Verbi æterni perſona elegantiſsimè exponit D. Aug. his verbis. *Apud ſe ſemel locutus eſt Deus, hic inter homines ſæpe multis modis Patribus per multiformem creaturam locutus eſt. Itidem ſemel locutus eſt Deus, toties locutus per Prophetas, toties per Apoſtolos, hodie per Sanctos ſuos loquitur, & vnde ſemel locutus, niſi per Verbum ſuum?*

Eaſdem, quæ hucuſque diſſentias S. Athanaſ. Ser. 3. contra Arrianos retulit, imò & multas alias egregiè colligit, quare & de verbo noſtro, cæteriſque noſtris ad Diuina comparatis, quàm piè, & quàm verè tum D. Baſilius, tum D. Aug. teſtati ſunt, ex iam enarratis liquido conſtat: ille enim, ſecundo contra Eunomium. *Non eſt poſsibile parua, & vilia, Diuinis, atque æternis ad vnguem accomodare*. hic verò Ser. 19. de Tempore. *Deus cum æſtimatur, non poteſt æſtimari, cum comparatur, non poteſt comparari*, æquali ſcilicet comparatione. His obſeruatis, ad argumenta non difficili negocio S. Doctor reſpondet, eaque funditus conuellit.

Quod enim primò obijcit. Omnis tranſlatio à creatura ad Deum fit ſecundum ſimilitudinem: ſed inter Verbum noſtrum, & Diuinum nulla poteſt intercedere ſimilitudo: ergo. Probatur minor: nam verbo noſtro nihil vanius, nihilque inſtabilius, dum fit tranſit, & non eſt; Verbum autem Domini manet in æternum.

Reſp. & conceſſa maiori negat minorem, & ad rationem dicit in fine corp. In his quæ referuntur ad Deum, non penes illud, in quo diſſimilia ſunt, ſed in quo ſimilia, transferuntur; Verbum autem penes illa tria, quæ ex D. Aug. aſſignata ſunt, tribuitur Deo, Deique Verbo, quod ſufficit ad veritatem huius tranſlationis, nec pluribus hoc argumentum indiget.

Quod ſecundò obijcebatur. Omne verbum noſtrum ſenſibile, & intelligibile eſt; ſed neutrum horum ad Diuina referri poteſt: ergo nullum. Maior ex communi conceſſu certa eſt: minor verò hac ratiocinatione probatur. Nō enim primum. Primò ex Sancto Aug. 15. de Trinit. cap. 11. *quia non eſt verbum, ſed verbi ſignum*. Secundò. Plurimum differt, tantum abeſt vt ſit ſimile: exit enim à dicente, & recedit; Verbum verò Diuinum ſemper in dicente. *Ego enim in Patre &c.* Non ſecundum, eadem ratione, quia diſsimile admodum eſt: eſt enim verbum noſtrum volubile, teſte D. Aug. 15. de Trinit. cap. 16. in Deo autem nihil volubile: eſt, timidum, & incertum Sap. 9. *Cogitationes mortalium timidæ ſunt &c.* Denique eſt violentum, dum ſæpenumero quæ nolumus cogitamus.

Reſp. Conceditur maior, ſuppoſita in corp. quæſt. declaratione. Non enim duo, ſed tria verborum genera aſſeruntur, quæ tamen cum ſint aut exteriora, aut interiora, conceditur. Sed reiecta minori, ad rationem, per quam probabatur, integra totius quæſt. declaratione ſatis iam factum eſt. Secundò ipſe ex dictis eruditè, & vberrimè reſpondet. Primò, non aſſumi in ſimilitudinem Verbi Diuini, neque ad ipſum transferri verbum humanum ſenſibile: licet enim aliqualem habeat cum eo ſimilitudinem; non eam tamen quæ congruè, & digne, & ſufficienter Verbum Diuinum exprimat. Secundò, aſſumi quidem verbum mentis noſtræ, neque tamen omnino quaſi æquale, ac ſimile: in pluribus enim infinitè diſtat, ac verè deficit à Verbo Patris æterni infinitè perfecto, ſed dumtaxat vt his tribus ſimile à Sancto Auguſtino collectis.

DI-

DISPVTATIO QVINTA.

De Verbo.

Hic multa, quæ diſtulimus, de Verbo in communi congerere, ac explicare neceſſe eſt, tum ne quid pro tenui noſtra ratiocinatione intactum, ac indiſcuſſum prætermittamus, tum quia hæc vſque in locum hunc tranſtulimus, ne varijs de eadem re locis ageremus, & ne de Verbo materiam diſiectam, & in diuerſas partes diuiſam cum tædio ob oculos legentium poneremus.

Caput igitur primum. De huius vocis Verbi multiplici ſignificatione.

Caput ſecundum. De Verbo creato.

Caput tertium. Qua ratione ad Diuina transferatur.

Caput quartum. Quot modis in Deo aſſumatur Verbum.

Caput quintum. De vera illorum verborum ſententia. In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum.

Caput ſextum. An Verbum cognoſcibile ſit cognitione naturali.

Caput ſeptimum. Quomodo, & ex qua cognitione producatur.

Caput octauum. Quem reſpectum dicat, tum ad dicentem, tum ad creaturas.

CAPVT I.

De ſignificatione huius vocis Verbum.

SI nobis cum Grammaticis agendum eſſet, ab ipſorum principio exordiri oporteret, & primo loco á Verbi etymone aſſerendum, Verbum pro quocumque quod dicitur, & pro qualibet orationis parte vſurpari, & hanc vocem quaſi aeris verberatu efformari, aut (vt tradit Varro) á veritate deduci, quod verum nos ſemper loqui oporteat. Verum cum Theologis, quia circa ſummam rem verſamur, Diuinam ſcilicet perſonam ſecundam, aliunde, & altius nobis initium ducendum.

Certum eſt primo loco Verbi vocem plura ſignificare, eaque non tantum quæ hac quæſt. enumerant, enucleantque S. Doctor, & S. Thom. art. 1. ex D. Aug. 15. de Trinit. cap. 10. & ex D. Damaſceno lib. 1. cap. 17. ſed quædam alia: conceptum namq; mentis vocis imaginatione, qua cõceptus proferatur, ipſamque exteriorem vocem, quæ iuncta conceptui ipſum foris exprimat, ac cæteris vulget; non tantum verbum ſignificat, & rem ipſam tàm mente conceptam, quàm voce explicatam, & vſus huiuſmodi dicendi frequens eſt in Diuinis litteris. Exodi 9. *Cras faciet Dominus verbum iſtud*, rem hanc ſcilicet. 1. Reg. 3. *Ecce ego facio verbum*, hoc eſt rem, *quod quicumque audierit tinnient ambæ aures eius*. Matt. 4. *Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei*: Lucæ 2. *Tranſeamus vſque Bethlehem, & videamus hoc verbum, quod factum eſt*. Multiſque præterea alijs locis. Sed rei totum negocium eſt, totaque inter Theologos non contemnenda concertatio; quodnam verbum in ſe ſumptum, primò, ac per ſe, & formaliter ex quatuor enumeratis ſignificet, quoq; ordine: quid enim vt in Deo ſumitur, indicet, habet infra ſuũ locum.

De ordine Caiet. in hunc aticulum, quaſi admirans á S. Thom. ordinem illum aſſumptum, ait bifariam ordinem accipi, dupliciſque generis exiſtere: aut ergo eſt ordo quo ad nos, quo vox eſt primo loco ſignificata á verbo, & poſtremo ſimplex mentis conceptus: aut ſecundum ſe, ſiue quo ad naturam; tunc oppoſito modo res ſe habet: ſicuti enim primo loco effingitur conceptus de re; ſecundò cogitatur de eo exprimendo: tertiò additur vox ipſa; ita primo loco conceptus &c. quem ordinem, quia non eſt amplexus S. Thom. ſed verbum primò conceptum, ſecundò vocem, tertiò vocis imaginationem aſſeruit præſeferre.

Ideo Caiet. plura conatur congerere vt huius dicendi ordinis S. Thom. congruam reddat rationem: duos enim primo ad hanc rem tradit canones. Primum. Omne nomen per prius dicitur formaliter, quàm ſecundum denominationem extrinſecam. Secundum. Omne nomen de pluribus formaliter dictum, prius dicitur de eo, á quo dependet, quàm de dependente ab eo: ex his deducit S. Thom. ſecutum ordinem naturæ in enarrandis verbi ſignificatis: primò enim verbum dicitur de conceptu mentis, quàm de voce ſignificatiua; ratio eſt ex canone 2. licet de voce ſignificatiua dicatur formaliter; dicitur tamen cum dependentia ab eo, ſcilicet cordis conceptu: cogitatiuæ verò verbum vltimo loco rectè collocandum ex primo canone: nam non formaliter, ſed dumtaxat, vt aiunt, cauſaliter eſt verbum. Neque mirum, producens eſſe minus propriè dici ſecundum cauſandi virtutem, quàm res producta: calor enim v. g. formaliter de re calefacta dicitur; non tamen de ſole calefaciente: ergo verbum propriiſſimè, ac formaliſſimè de mentis conceptu; de voce vero exteriori formaliter quidem, ſecundo tamen loco; de cogitatione autem non niſi denominatione quaſi extrinſeca.

Hæc Caiet. peracutè quidem, an verò veridicè vndequaque, non aſſerunt omnes: nam inter recentiores, Vaſquez in art. commentatione reſpondet. Primò hanc expoſitionem S. Thom. contradicere, qui his tribus modis aſſerit verbum propriè vſurpari, quarto tantum modo impropriè. Secundò, Verbum imaginationis propriè eſſe verbum, & eſſe ex ſua ſententia qualitatem expreſſam, qua interius rem aliquam cogitamus: nam participatione intellectus imaginatio hominis interius dicitur loqui, eo ipſo quo cogitat, & non ſolum dicitur verbum vocis apprehendere, ſed etiam intus ſecum loqui. Quod idem aſſerit Suarez lib. 9. de Trinit. cap. 2. Tertiò, in hoc decipi Caiet. quod

exi-

exiſtimat vocem exteriorem ideo verè dici Verbum, quia natura ſua ſine libera hominis impoſitione ſit verbum, ſed verè hoc nunquam dixit Caiet.

Molina itidem quæſt. 27. art. 1. diſputat. 6. negat quod alij dicunt, verbum ſcilicet quod primo inter nos impoſitum ſit ad ſignificandum verbum vocale, deinde vſu frequenti extenſum ſit, vt & mentis verbo accomodaretur. Si enim primò res ita ſe haberet, concedendum eſſet fuiſſe quondam tempus, in quo verbum propriè de voce diceretur, nequaquam autem de Filio Dei. Secundò, nunc quoque ſequeretur magis propriè dici de voce, quàm de interiori verbo: quod tamen pugnat cum D. Aug. lib. 15. de Trinit. cap. 11. vbi ait: *Verbum, quod foris ſonat, ſignum eſt verbi, quod intus lucet, cui magis verbi competit nomen: nam illud quod profertur carnis ore, vox verbi eſt, verbumque & ipſum dicit propter illud, à quo vt foris appareret aſſumptum eſt.* ...

Conatur hæc ſoluere Io: Paulus Nazzarius in hunc art. & beneuolè laborat pro Caiet. ſed nec, meo iudicio, verè pro dignitate ſoluit, neque hæc ſunt tanti momenti, vt nos ad alia properantes, hic diutius immoremur.

Sed peratentè incumbendum, ne Eraſmo vlla ratione concedatur, quod ei inurit Cornelius Ianſenius cap. 1. ſuæ Concordiæ. Verbum enim dixerat, Filium Dei dici, non quidem ad verbi mentalis ſimilitudinem, ſed quia vocali verbo ſimilis, quatenus ſcilicet Pater per eum res annunciat; propterea potius cenſuit appellandum Patris ſermonem, quàm verbum: hoc enim primò pugnat cum eo, quod nupertimè aſſeruit S. Aug. cæteriq; Patres auguſtiſsimè, vt infra cap. 4. referemus, qui hac ratione vniformiter conueniunt omnes, Filium Dei dici, & eſſe Verbum, qua verbum mentis dicitur verbum: hoc deinde vniuerſa Theologorum communitas: hæc communis Eccleſiæ confeſsio; itaut hoc Eraſmi aſſertum ſit in fide parum tutum: ſi enim non propriè mentis verbum dicitur verbum, neque conſequenter Filius Dei, neque per propriè D. Io: locutus erit, ſed impropriè, & abuſiuè, ac Metaphoricè in Euang. cap. præſertim primo, vbi de Filio Dei toties repetit verbum. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum &c. & Verbum caro factum eſt.*

S. Bonauentura egregiè, rectiſsimoque ordine huius verbi intentiones in medium confert, ſecutus Alexandrum art. 1. membro 1. quæſt. 62. his verbis. Vnum verbum ſenſibile, aliud verbum intelligibile, tertium verbum medium: quibus videtur ordinem quo ad nos, & à notioribus initio amplexus; & poſtremo loco verbum medium poſuerit, ſicut & S. Thom. hac ratione, primò referenda erant extrema, deinde medium, vt quorum extremorum eſſe medium perciperetur. Secundò, dum reddit horum verborum ordinis rationem; alio ordine enumerat, & naturæ ordinationem ſecutus eſt: primò enim cogitat aliquid homo quid ſit, ſecundò, quomodo debeat cogitatum pronunciare, tertiò pronunciat. Denique addit. Quemadmodum in verbo ſolo mentis eſt expreſſa ſimilitudo, ita in illo ſolo eſt perfectiſsima ratio verbi. Tandem in alijs duobus quidem verbis eſt, inquit, ratio verbi, ſed perfectiſsimè in primo, ſcilicet mentis, & ratio potiſsimum communis iam indicata eſt. Vbi magis, vel minus ratio exprimendi, & manifeſtandi, & perfectior, vel imperfectior ſimilitudo; ibi potior, vel minus potior verbi ratio, ex definitione ipſa verbi tradita: eſt enim concepta, & genita ſimilitudo in mente intelligentis rei intellectæ. Quare D. Thom. in nullo ferè differt: primò enim conſentit in ordine naturali horum verborum, quem ſequitur S. Bonauentura; eo liquido conijcitur, quo S. Doct. D. Damaſcenum hoc ordine locutum refert. Secundò, in hoc apertiſsimè conuenit, vt verbum mentis ſit perfectimè, & primò verbum. Tertiò, quod hæc omnia tria verè ac propriè verbum ſint. Quod verò verbum cogitationis poſtponat verbo vocis S. Th. itidem primo facit idem & S. Doctor: deinde alia non contraria ratione id facit, & non eſt multum curandum quem ordinem tenuerit.

Hinc placet quod ex communi Theologorum ſententia mirè arridens prædictæ S. Bonauenturæ Theologiæ deducit Molina; verbum eſſe analogum quoddam, & magis propriè de verbo mentis, quàm de verbo cogitationis, aut vocis affirmari, tametſi de quolibet horum propriè dicatur: analogicè quidem, ſed totum quibus in mente reſpondet vnus conceptus formalis, & vnius definitionis, & qui propriè de omnibus analogatis dicatur; ita tamen vt prius, & in ſua latitudine perfectius de vno, quàm de altero, in qua latitudine analogiæ continetur Scoti vniuocatio: rem verò voce prolatam, ac verbo mentis expreſſam, ideo impropriè verbum nuncupari dignoſcitur, quia nec intellectu genita eſt, nec vim exprimendi habet: dicitur ergo quadam extrinſeca denominatione, & impropriè verbum, vt verbi obiectum, verboq; concepta.

CAPVT II.

De Verbo creato, ac præcipuè de eius neceſsitate.

Mirificè refert, ac plurimum confert ad æterni Verbi tractationem, addere & de Verbo creato diſputationem: eſt enim Verbum creatum, teſte Scoto, quædam imago Trinitatis, ipſa ſcilicet mens, & verbum eſt actus intelligentiæ productus à memoria perfecta, non habens eſſe ſine actuali intellectione, repreſentans Verbum Diuinum, & propter illud D. Aug. inquiſiuit de Verbo noſtro: ergo ex D. Aug. & Scoto de Verbo creato agendum eſt, quia Verbum æternum repreſentat, & inde apprimè facit ad ipſius cognitionem. Plura verò de Verbo creato hoc cap. complecti eſt in animo; ſed in primis, & primo loco ipſius Verbi neceſſitatem; idque eo libentius, quo id Ariſt. præcipit, incipiendum nimirum à quæſt. an ſit. Eſt autem idem quærere an ſit, & neceſſitatem exiſtentiæ demonſtrare.

Hanc

Hanc quæſtionem licet apertam non propoſuerit S. Doctor, neceſſariò tamen ſuppoſuit, & recta definitionis, quam de Verbo quæſt. 1. & 3. diſt. 27. tradidit, intelligentia neceſſario exigit.

Statuendum ergo primo loco quid de Verbo creato ſenſerit S. Doctor, vt inde eius dubitationis, quam verſamus, ſolutionem eruamus: ergo quæſt. 1. Verbum, inquit, eſt alicuius actus intellectus terminus; non tamen cuiuſcumque actus, ſed tantum illius, qui eſt dicere, quo non præcisè intelligit, ſed quo intelligendo dicit, & loquitur, & explicat: & quæſt. 4. Verbum ſupponit notitiam non ſolum, ſed generationem, qua ſe dicit intellectus: igitur Verbum eſt terminus intrinſecus perfectæ intellectionis, qua intellectus exprimit, & explicat omne obiectum intelligibile; hanc ſupponens inter intelligere differentiam, & dicere, quam explicatiſsime tradit Sanctus Thomas quæſt. 34. art. 1. ad 3. & quæſt. 4. de Veritate art. 2. ad 5. Primo loco, vt ſcilicet intelligere dicat ſolum habitudinem intelligentis ad rem intellectam, quæ habitudo nullam importat realem originem, ſed quandam ſolum informationem in intellectu noſtro, quatenus fit in actu per formam rei intellectæ: dicere vero in primis dicit, & primo habitudinem ad Verbum conceptum: dicere enim eſt verbum proferre rei intellectæ: quare medio illo verbo refertur etiam intellectus ad rem verbo expreſſam; quemadmodum & verbum vocale dicere ad verbum ipſum relationem dicit, ſed ſimul quoque ad rem, quæ verbo explicatur.

Vnde fit, Verbum dicere quod includat intelligere, non tamen è contra: nam datur aliquod intelligere, ſine dicere, vt in Diuinis in Filio, & Spiritu Sancto: intelligunt enim & non dicunt. Quod diſertiſsime ſecundo indicato loco S. Thom. his verbis enucleat. In nobis dicere non ſolum ſignificat intelligere; ſed intelligere cum hoc, quod eſt ex ſe exprimere aliquam conceptionem; nec aliter poſſumus intelligere, niſi huiuſmodi conceptionem exprimendo, & ideo omne intelligere propriè loquendo, in nobis eſt dicere: ſed Deus poteſt intelligere ſine hoc quod aliquid ex ſe ipſo procedat ſecundum rem, quia in eo idem eſt intellectus, & intellectum, & intelligere, quod in nobis non accidit, & ideo non omne intelligere, propriè loquendo in Deo eſt dicere. Hoc idem prorſus S. Bonauentura quæſt. 1. ex D. Aug. 15. de Trinit. aſſerit nos ſemper intelligere intelligentia genita, nequaquam verò Deum: nam intelligere abſolutum in Deo non eſt dicere, cuius rationem reddit, quam ſupra indicauimus, & infra iterum.

Hinc duabus rationibus cenſeo verbi neceſsitatem oſtendi, & prima ac potiſsima eſt ex intrinſeca conditione, & quidditatiua noſtri cognoſcendi, & cognitionis ratione: quid enim eſt cognoſcere, quàm cognoſcentem potentiam producere in ſe, & exprimere per actum vitalem imaginem rei cognitæ? quod primò ex eo confirmatur, quo perfectius quis cognoſcere rem dicatur, dū diſtinctius verbum, ac conceptum magis exprimentem rem, producit. Ergo ex illa maxima, Sicut ſe habet res ad eſſe ſimpliciter, ita ad magis eſſe: ſicut facit ad perfectiorem cognitionem perfectior conceptus, perfectiuſque verbum; ita ad ſimpliciter intelligere facit, & requiritur verbum. Confirmatur ex veritatis definitione: eſt enim adæquatio rei ad intellectum: ergo tunc rei veritatem intellectus perfectè aſſequitur, cum rem ſicuti eſt intelligit, ac ſua conceptione exprimit. Tertiò. Sicut calefacere non eſt aliud quàm calorem producere: & albefacere non eſt aliud quàm colorem, & albedinem inducere; ita cognoſcere aliud non videtur eſſe, quàm intellectum per actum vitalem, & per actionem, ſcilicet efficientem ab anima, vt eſt principium vitæ, imaginem rei quæ cognoſcitur in ſe exprimere. Et quemadmodum implicat, eſſe calefactionem, & nō produci calorem: nam calefactio eſt caloris productio; eadem ratione propemodum dicimus implicare, cognoſcere, & non exprimere notitiam, & imaginem rei cognitæ: nam cognitio nihil aliud eſt, quàm animæ cognoſcentis vitalis actio, qua rei cognitæ exprimitur imago. Hanc rationem attigiſſe vterque S. Doctor videtur, dum nos ſine notitia genita, & niſi exprimendo non poſſe intelligere vniformiter aſſerunt: quid enim aliud innuere videntur, quàm expreſſionem, & verbum eſſe de de ratione intrinſeca noſtræ intellectionis?

Verum, quoniam hæc expreſſio, & verbum dicitur ſpecies expreſſa, ad pleniorem huius quæ diſcutitur difficultatis perceptionem, obſeruanda ſolerter differentia inter ſpeciem expreſſam, & impreſſam, & vtriuſque neceſsitatis ratio diuerſa explicanda. Vtraque quidem eſt ſpecies rei intellectæ; tres tamen inter vtramque differentiæ inueniuntur, ac communiter obſeruantur.

Prima. Nam per ſpeciem impreſſam conſtituitur in actu primo intellectus, & per animæ applicationem tranſit ad actum ſecundum, & operationem: ſpecies vero expreſſa non conſtituit in actu primo intellectum, ſed ad quandam actus ſecundi perfectionem ſpectat.

Secunda. Species impreſſa eſt principium, & partiale, & quo, intellectionis; expreſſa verò eſt terminus: per concurſum enim obiecti, & ſpeciei ipſius, & influxum, actuatur, & determinatur intellectus ad illam rem obiectam intelligendam, ac ipſius intellectionis productionem, quod eſt Verbum. Et vt tradit S. Thom. 1. contra gentes cap. 53. ex hoc quod ab obiecto recipit ſpeciem, & intellectus fit obiecto ſimilis, oritur vt producat intellectionem ſimilem obiecto, ideſt verbum: vnumquodque enim agit ſicuti eſt: ergo ſimile obiecto ſimilem producit ſpeciem, & verbum.

Tertia. Ceſſante intellectione, quæ eſt via ad verbum, & ſpeciem expreſſam, ceſſat & verbum: eſt enim ipſius terminus intrinſecus; impreſſa verò cum ſit forma, & habitus conſtituens tantum in actu primo intellectum, non neceſſariò ceſſat, aut recedit ceſſante intellectione.

Secunda verò ratio ſumitur ab ipſo obiecto intellectus in ratione ſormali obiecti ſūpto:ita Caiet.hoc loco. Ferrarienſis 1. contra gentes c.53. & 4.cap.13.& ante ipſos Capreolus diſt.27. quæſt.2. Torres hoc loco diſput. 3. & 5. cum alijs multis, Huius rationis ſormam priuſquam componamus obſeruandum primò. De ratione cuiuſcumque actionis necrſſario eſt in aliquod obiectum terminari: aliàs enim res nulla obiectum rectè denominarrtur: eatenus enim obiectum eſt, quatenus terminus alicnius operationis, & eo modo, quo operationis ratio expoſtulat: verum hoc munus exercere nulla ratione vnquam poterit, niſi ſit debita proportione præſens, & ſub ea ratione, quam actionis, & potentiæ natura in ipſum tendens requirit, ſine ſecundum eſſe locale, & naturale, ſiue ſecundum eſſe obiectiuum, vt imaginationis,& intellectus obiectum: non enim imaginatio, aut intellectus requirir ſui obiecti realem, & naturalem præſentiam: nam imaginatur, & intelligit tam rem abſentem, quàm præſentem, ſecundum eſſe naturale, & reale, & locale, quod habet.

Secundum quod inde obſeruandum de ſola intellectus facultate, cui imò neceſſarium eſt ſuum obiectum habere, non in eſſe naturali, ſed obiectiuo præſens, quo ſit intellectionis actu terminus: etenim entitas realis, ac materialis ſecundum eſſe quod habet in natura, non poreſt vlla ratione eſſe intellectionis terminus immediatus,& inde colligitur: nam cum actio intelligendi ſit penitus immaterialis, & ratio obiectiua, in quam terminare debet, oportet vt ſit eiuſdem rationis, immaterialis nimirum, vt inter potentiam, actum,& obiectum adſit proportio neceſſario requiſita. Quare accidentarium eſt intellectui, quod eius obiectum ſecundum ſuam entitatem ſit præſens: at in eſſe immateriali, & abſtracto, non poteſt eſſe, niſi per intellectionis actum præſens: ergo intellectus in eſſe intelligibili ſua intellectione facit ſibi præſens obiectum.

Huius rei ratio neceſſaria ex ipſomet Ariſt. deſumpta eſt ex ſecundo de anima tex. 59. & 60. vbi intellectus obiectum aſſerit neceſſariò eſſe in intellectu, vnde intellectus, & res intellecta fiunt vnum, vt in ſe, non extra intelligat intellectus. Cum ergo res ſecundum eſſe naturale, quo in eſſe ſuo extra cauſas conſtituitur, & in ſuo gradu entis non poſsit ita intellectum ingredi, eique vniri; dandum per intellectum ipſum ei aliud eſſe, quo accedere, & fieri intus præſens, & inhærere poſſit, ita vt intelligibile ſit.

Tertiò denique obſeruandum. Hac inter alias ratione intellectus noſter non poteſt niſi intelligentia genita intelligere quacunque intellectione naturali, ſiue de obiecto naturaliter cognoſcibili, ſiue de modo ſecundum ſpecies à rebus acceptas, vt ex D. Aug. S. Doctor docuit: & hac ratiocinatione demonſtratur. Intellectus noſter non poteſt ſuum obiectum intelligere, niſi fiat ei præſens: ſed non poteſt fieri præſens niſi per verbum genitum: ergo non poteſt intelligere, niſi notitia genita. Maior iam conſtat ex Ariſt. Minor verò probatur. Non poteſt obiectum fieri intelligibile, ac præſens intus intellectui, niſi per aliquam ſpeciem intelligibilem, & abſtrahentem ab eſſe indiuiduo, ac reali: ergo aut per impreſſam, aut per expreſſam: ſufficiens enim, & exacta eſt ſpecierum diuiſio hæc. Non verò per impreſſam: nam per eam conſtiruitur obiectum præſens intellectui, non vt obiectum, ſed vt principium actuans, & diſponens intellectum,& in ipſum influens ad intelligendum actu: ergo per expreſſam, quæ eſt verbum, quod productum vt imago perfecta obiecti intellecti in actu exercito, intellectui & repreſentat rem intellectam, & ſimul ducit perfectè in ipſius cognitionem, cum ex Ariſt. lib. de reminiſcent. & mem. cap. 1. idem ſit motus & in imaginem, & in id, cuius eſt imago.

His obſeruatis, & ob oculos poſitis, facillimo negocio pro re, quam indagamus, ſic effingi, & formari poteſt ratio. Niſi cum notitia genita poteſt intellectus noſter intelligere vllum obiectum: ergo verbum requiritur, & neceſſarium eſt, etiam ex parte obiecti. Antecedens paruit, tum tot Procerum auctoritate, addito etiam D. Thom. vt ſupra notauimus, tum ratione iam iam conſtructa. Conſequentia vero probatur. Nam obiectum non ſit præſens obiectiuè, nec conſequenter intelligibile, niſi per vrrbum, vt nuperrime demonſtratum eſt, & adhuc poteſt confirmari.

Obiectum proportionatum noſtri intellectus non eſt rei quidditas niſi abſtracta: ſed non poteſt ita abſtrahi, & conſtitui, niſi per verbum: ergo verbum eſt intrinſecè neceſſarium &c. Maior probatur. Nam vt quidditas realis, & ſingularis, & extra intellectum non eſt immediatè obiectum intellectus. Minor iam probata eſt: ergo verbum ratione obiecti neceſſarium.

Secundò. Producit verbum intellectus ſimile obiecto, hac ratione, tum quia potentia in agendo indiget, & pendet ab obiecto, tum quia per ſpecies ab obiecto impreſſas ſimilis eſt obiecto: ergo in productione verbi ab obiecto pendet: ergo in ratione vrrbi includitur obiectum. Probatur, quia de ratione verbi eſt eſſe ſimile, & exprimere obiectum: ergo tum ex parte potentiæ cognitiuæ, tum ex parte obiecti neceſſarium eſt verbum.

Aliquos ſcio huic poſtremæ rationi reclamare; ſed intuenti attentè tum ſerè ſolutæ ſunt rationes, tum facili negocio ſolui poſſunt, Et in hanc rationem venire etiam Sanctos noſtros Doctores Bonauenturam, & Thomam, ex eodem in prima ratione indicato loco cenſeo libenter: in ratione enim completa verbi productionis, et vis producendi, & obiectum ſicuti requiruntur, ita ex vtroque ſumenda neceſsitas: & confirmatur ex Sancto Thom. Si enim eo non ſemper Deus intelligendo producit Verbum, quo idem omnino intellectus, & res intellecta: ergo ab oppoſito, creatus intellectus ſemper indigebit verbo, quia res intellecta,

& alia

& alia res eſt, & extra, & abſens, vt res. Poteſt confirmari ex D. Bonauentura. Ideo indiget verbo, verbumque producit intellectus noſter ſemper, quia intelligit diminutè, & imperfectè: ergo de ratione intellectionis humanę imperfectæ eſt verbum.

Licet vero vt exiſtentiam, & neceſsitatem, verbi creati aſſequeremur, quidditatem ipſius ſuppoſuerimus, ex ipſaque ſuppoſita neceſsitatem collegerimus; hoc loco tamen diſtinctius, & preſſius pro ea laborandum ducimus, & quid ſit verbum, ex his tribus obſeruatis, ac declaratis deducere conamur. Primum, an Verbum ſit quid relatiuum, aut abſolutum. Alterum, à quo intellectus actu producatur. Tertium denique, an, & qua differentia differat ab actu intelligendi: his etenim rectè expenſis, ac enucleatis, non erit operoſum de Verbo idoneam colligere definitionem.

Si de æterno ac increato Verbo eſſet hic propoſita dubitatio, facillima, ac certiſsima eſſet in promptu ſolutio: Verbum etenim, ſicut cætera in Diuinis propria non modo dicit, ſed eſt vera relatio; tamen ſubſiſtens. D. enim Aug. 7. de Trinit. cap. 2. *Sicut*, inquit, *Filius ad Patrem, ita & Verbum ad eum, cuius eſt Verbum, refertur cum dicitur Verbum, & propterea non eo Verbum, quo ſapientia dicitur, quia Verbum non ad ſe dicitur, ſed tantum relatiuè ad eum, cuius eſt Verbum*; & probatur. Patentiſsimum eſt Filium relatiuè dici: ergo & Verbum. Probatur. Eo eſt Filius, quo Verbum, & eo Verbum, quo Filius, & D. Anſelmus in Monolog. *Apertiſsimum eſt quod Verbum non eſt ille, cuius eſt verbum &c.* quod ſi verbum eſſet abſolutum, nõ eſſet proprium. Docet autem fides Io: 1. Verbum eſſe propriè ſecundam perſonam.

At vero quoniam de verbo creato inſtituta eſt dubitatio, non ita certa reſpõſio. Non enim deſunt, qui verbũ etiam creatum eſſe de genere eorũ relatiuorum, quæ ſecundum eſſe nuncupantur, aſſeuerant, inter quos eſt Torres diſputat. 2. ad art. 1. Sancti Thom. quæſt. 27. & de ratione ſua formali relationem ad dicentem realem dicere, quæ nihil eſt aliud, quàm relatio effectus ad cauſam, & dicti ad dicentem: totum enim verbum ſecundum ſuum eſſe formale dicitur: ergo totum refertur; & addunt præter explicatam relationem realem includi etiam rationis relationem ad rem dictam, & conantur probare ex D. Th. quæſt. 34. art. 1. ad 3. & art. 3. & ex D. Aug. 7. de Trinit. cap. 2. ſed nihil efficiunt: nam ibi loquuntur & S. Aug. & S. Thom. de Verbo increato. Oppoſita ſententia, quæ vera, & communis eſt, ſtat in duobus aſſertis, quorum

Primum eſt, Verbum creatum ſecundum ſuum eſſe, quid abſolutum, & in genere qualitatis ſpiritualis in intellectu eſt. Probatur 1. ex D. Bonauentura quæſt. 3. definiens verbum, vt etiam diximus in Commentario. Verbum eſt ſimilitudo expreſſa, & expreſsiua à dicente (quaſi per effectum formalem) concepta ab intelligente ſecundum quod ſe, vel aliud intuetur. Si enim primò eſt ſimilitudo: ergo qualitas ſimilis, & probatur: nam, vt ibi paucis verbis ſupra ait, quod mens rationalis, cum cogitando intelligit, habet imaginem ſecum ex ſe natam, ideſt cogitationem ſui ad ſui ſimilitudinem, quaſi ſua impreſsione formatam: ſi natam, ſi formatam: ergo quid abſolutum: relatiua enim non fiunt, ſed inſurgunt.

Secundò. Si ad ſimilitudinem intelligentis naſcitur verbum: ergo ſimilitudo non eſt tota res, ſed addita & inſurgens. Secundò probatur. Eo modo quo ſe habet calefactio ad calorem, ita verbum ad productionem & generationem: ſed calefactio, nec actiuè, nec paſsiuè ſumpta, eſt relatio, ſed actio, vel paſsio: ergo neque verbum, terminus generationis & intellectionis, eſt relatio, ſed actio, vel paſſio.

Tertiò. Nec poteſt dici eſſe relationem effectus ad cauſam: nam effectus ad cauſam non pura, & ſola relatio: nã relatio effectus ad cauſam conſurgit, & cõſequitur aliquam actionem, & productionem, & rem productam, quæ ipſam relationem fundet.

Denique ſicut generatio non eſt ſola relatio; ſed actio ſubſtantialis, attingens ſubſtantiam filij, ad quam relatio filiationis inſurgit; ita & in generatione verbi: ſicut enim ſe habent pater in generando, ita mens in concipiendo: vnde in Diuinis eo Verbum, quo Filius.

Eadem prorſus ſententia D. Thom. multis locis, ſed præcipuè 1. ſent. diſt. 27. quæſt. 2. art. 2. q. 1. his verbis. Hoc nomen verbum non ſignificat tantum relationem, ſicut hoc nomen pater, vel filius, ſed imponitur ad ſignificandam rem aliquam abſolutam ſimul cum reſpectu, ſicut hoc nomen ſciẽtia; ſed in hoc differt, quia relatio, quæ importatur hoc nomine ſcientia, non eſt relatio originis, ſecundum quam referatur ſcientia ad illud à quo eſt, ſed eſt relatio, ſecundum quam refertur ad illud ad quod eſt, ſcilicet ad ſcibile: ſe hoc nomen verbum importat relationem, ſecundum quam refertur ad illud, à quo eſt, ſcilicet ad dicentem. Eadem Scotus, dum verbum actum intelligendi aſſerit, ſiue actualem notitiam, notitiamque genitam ſub illo intellectus actu contineri, qui eſt de genere qualitatis, & qualitatem formaliter eſſe, & ſub qualitatis genere comprehendi 1. ſent. diſt. 3. quæſt. 6. & diſt. 27. quæſt. 1. & quolibet. quæſt. 13. art. 1. ad 3.

Corollarium, quo in Diuinis ad intra non actio, aut paſsio, aut cauſa, & effectus, ſed ſola habitudo, & relatio vnius perſonæ ad alteram. & eo Verbum, & perſona producta non formaliter eſt quid abſolutum, vt iam iam dicebamus, ſed dumtaxat relatiuè dicitur.

Secundum aſſertum neceſſario ex definitione D. Bon. inſurgens. Verbum creatum ſimul cum abſoluto adiunctam ſecundum dici relationem ſignificationis ad rem quam exprimit, & ſignificat, & ad mentem concipientem, & exprimentem habet: & ferè ex ſe conſtat, & facili negocio perſuadetur. Sicuti vox prolata, quæ eſt verbum oris, eſt rei ſignificatiua, & ſignificationis relationem, & ordinem dicit; ita propemodum verbum cordis. & mentis, cum ſit ad exprimendum aliquid, expreſsionis ordinẽ, & relationẽ præfefert. Secundò, &

Digitized by Google

confitmatur. Vrrbum dicit ſimilitudinem rei, quam exprimit: ergo relationem. Tertiò. Verbum eſt mentis concipientis, & producentis: ergo ad mentem refertur. Quartò. Verbum noſtrum eſt ad imaginem Verbi Diuini & æterni: ſed Verbum Diuinum includit abſolutum aliquid formaliter, ſcilicet intelligere, commune tribus, & eſt proptium relatiuum: ergo & noſtrum verbum, & erit quid abſolutum, & relationem aliquam dicet: Quintò denique. Verbum Diuinum ad dicentem dicit relationem realem, ad dicta vero, rationis: ergo & verbum creatum ſuo modo ad mentem dicentem, & ad rem dictam habebit annexam aliquam relationem.

De ſecundo verò in initio propoſito, à quo nimirum intellectus actu procedat, & producatur verbum; ſi ſoli D. Bonauenturæ ſtandum eſſet, in promptu explicatiſsima iam haberetur ſolutio: clariſsimis enim verbis quæſt. 1. primo loco reijcit quod aliqui aſſerebant, dicere idem eſſe ſimpliciter, quod intelligere. Secundò in reſp. ad argumenta, vbi. Filius, & Spiritus Sanctus intelligunt; neque tamen Verbum producunt, quia non dicunt: repugnat enim dicere, & loqui ſine verbo, & quæſt. 3. Intellectus verbi præſupponit notitiam (ideſt eſſentialem) & ſapientiam: ergo ab illa præciſè non eſt. Secundò præſupponit generationem, à qua eſt. Tertiò, imaginem ſecundum expreſſum modum emanandi. Denique dicit viam, & rationem exprimendi: quibus, & tota illa quæſt. manifeſta deductione, Verbum, neque ab intelligere ſimpliciter, ſed ab intelligere, quod eſt *dicere*; emanare elucet.

At inquies, Aerem verberas, nihil probas, & inutilem quæſtionem verſas: hæc enim loca primò de Verbo increato, non autem creato probant: deinde, quid, quonam actu intellectus producatur verbum quęris, ſi adhuc, an produtatur, non eſt demonſtratum? & cum vnicus ſit intellectus creati actus, dicere ſcilicet, vt iam ex vtroque Sancto Doct. patuit.

Reſp. Nos nec aerem verberare, nec incaſſum laborare: tum quia ſi ex actu dicendi verbum emanare indicabo, à quo actu procedat indicatum erit, ac ſi plures in ipſo eſſent actus &c. tum, dum à quo actu originem ducit oſtendo, ſimul itidem originari demonſtro, tum denique modo de verbo creato loca propria in medium afferam, licet & allata ſuo modo deſeruiant, vt infra: quæſt. n. 4. vbi de verbo creato certò loquitur Sanctus Doctor, qua ratione ad Diuina ſcilicet translatum ſit quærens, ex D. Aug. 15. de Trinit. cap. 11. & deinceps, his deſertiſsimis verbis idem quod prætendimus, de verbo creato teſtatur. *Sicut Filius,* inquit, *procedit per modum naturæ, per omnia Patri ſimilis, ſic verbum intellectus à mente procedit per modum naturæ* (ex fœcunditate, ac neceſsitate naturali ſic mentis rationalis) *per omnia ei ſimile, & æquale, vnde dicitur mentis conceptus*: ergo ſicut Verbum increatum ex intelligere dicere, ita & verbum creatum.

Præterquamquod de intellectus noſtri actione quæri poteſt, an per eandem intellectionem, qua res cognoſcitur, an per diuerſam producatur verbum. Neque enim deſunt qui conantur ſuſtinere, & perſuadere, per aliam, & primò. Verbum eſt prius natura ſua intellectione, qua cognoſcitur res: ergo nō producitur per intellectionem, qua res cognoſcitur. Antecedens probatur primò. Intellectus cognoſcit rem in verbo: ergo præſupponit verbum vt rem intelligat: ſecundò, Verbum habet rationem obiecti, & menſuræ in ordine ad intellectionem: ergo prius eſt ipſa potentia menſurata, & ſpecificata ab ipſo. Secūdò. Si per intellectionem vt ſic, producitur verbum: ergo & Angelus dum ſe intelligit, & beati dum vident Deum, producunt Verbum, quod tamen à communi Theologorum ſchola reijcitur. Probatur conſequentia: nam intelligunt. Tertiò denique. Si per intellectionem vt ſic, producitur Vrrbum: ergo in Deo per actum eſſentialem, & communē tribus producetur Verbum: nam & Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, vt vnus Deus intelligunt; quod tamen de fide falſiſsimum eſt: ſolus enim Pater intelligendo producit Verbum Filium. Quare conſtat, & conſentaneam rationi, & neceſſariam eſſe hanc quæſtionem.

S. Thom quæſt. 34. art. 1. ad 3. Sicut intellectus hominis verbo, quod concipit intelligendo lapidem, dicit: & paucis interpoſitis verbis ibidem. Nihil eſt aliud dicere, quàm proferre verbum, & quæſt. 4. de veritate art. 2. ad 5. In nobis dicere, non ſolum ſignificat intelligere, ſed intelligere cum hoc, quod eſt ex ſe exprimere aliquam conceptionem, nec aliter poſſumus intelligere, niſi huiuſmodi conceptionem exprimendo; & ideo omne intelligere in nobis propriè loquendo, eſt *di*cere: ſed Deus poteſt intelligere ſine hoc, quod aliquid ex ipſo procedat ſecundum rem: quare in eo idem eſt eſſe intellectus, & intellectum, & intelligere, quod in nobis non accidit, & ideo non omne intelligere in Deo propriè loquendo, eſt dicere: & quæſt. 8. de potentia art. 1. Conceptio intellectus, & verbū diſtinguitur ab actu intelligēdi, quia conceptio conſideratur vt terminus actionis; actus verò intelligendi, vt actio, quæ ad conceptionem terminatur: quibus duobus locis aſſerit, & verbum eſſe ab intellectione, quæ eſt dicere; & tanquam terminum ab eo diſtingui. Idem *multis* alijs locis, quos refert Capreolus diſt. 27. quæſt. 2. art. 1.

Scotus in 1. ſent. diſt. 2. in ſolutione quęſt. 7. & diſt. 27. quæſt. 1. & in quolib. quæſt. 1. aſſerit in intellectu duplicem actum, alterum qui operatio nuncupatur, alterum, qui productio, ad inuicem formaliter, & ex natura rei diſtinctos, vt alter alterum non includat: per actum, quem vocat operatiuum, qui eſt ſimpliciter intelligere, nihil producitur: per actum verò, quem dicit productiuum, exiſtimat produci verbum, & diuerſo ordine ſe habere in nobis, & in Deo: in nobis enim præcedit dicere, ipſum intelligere, ſicut actio præcedit terminum: nam ſicut calor eſt calefactionis terminus, ita intelligere, ſiue intellectio, quæ eſt verbum ipſum, eſt dictionis terminus: in perſona verò Patris, dicere, & intelligere, quo eſt formaliter

ter

Digitized by Google

tet intelligens; ſe habent ſicut duo ſubordinati effectus, ab eadem cauſa dimanantes, cum vterque ſit actus ſecundus Diuini intellectus: ſed actus intelligendi, quo formaliter eſt operans, & ſeipſum intelligens, eſt prior actu dicendi, quo gignitur, & producitur Verbum, hac ratione, quia intelligens operatiuum, cum ſit eſſentiale, productiuum verò notionale, eſſentialia notionalia præcedunt; ita explicant Scotum, Rada, & Molina.

Sed attentè in Scoto animaduertendum primò, Verbum re ipſa non eſſe aliud ſua formali ratione, quàm intelligere; dicere verò eſſe actionem diſtinctam ab intellectione, per quam intellectio ipſa, ac verbum producitur. Primam partem probat, primò. Hoc eſt diſcrimen inter actionem immanẽtem, & tranſeuntem, quod per hanc aliquid aliud producitur, per illam verò nihil, cum ipſa ſit vltimum productum: ſed intellectio eſt actio immanens: ergo per ipſam nihil ab ipſa diſtinctum producitur, quod poſsit vocari verbum, ſed eſt ipſummet Verbum. Maior eſt Ariſt. 9. Met. tex. 16. & 1. Eth. cap. 1. Minor, & conſequentia eſt certa. Alia argumenta cum ſuis reſponſionibus multiplicata, ac confirmata apud Capreolum, & Caiet. & apud Radam, & multos alios recentiores vtriuſque ſcholæ.

Secundam verò partem ſic conatur ſuſtinere, fundamento poſito 1. ſent. diſt. 3. quæſt. 6. vbi ſentire, intelligere, & velle, docet non eſſe actiones propriè loquendo, non ſolum quia non ſunt à contrario in contrarium, ſed quia non habent terminũ productionis vllum: quod ſi vocantur actiones, id ſimilitudine aliqua fit, quam cum actionibus veris habent. Verba Scoti. Tres ſunt proprietates actionis propriè dictę, Prima, vt quamdiu eſt, pendeat ab agente, eo modo, quo lumen quamdiu durat, dependentiam habet à corpore lucido, à quo procedit. Secunda, vt ſit tanquam in ſubiecto in re aliqua, in qua ſuſcipiatur. Tertia, vt ſit alicuius termini, qui per eam producatur, & accipiat eſſe. Hinc ergo actio immanens ſecundum tertiam conditionem non eſt actio, & ita nihil producit; dicitur tamen diminutè actio, ſecundum reliquas duas priores conditiones.

Hinc infert denique. Cum intelligere non ſit propriè actio, & tamen intellectus dum intelligit, aliter ſe habeat, quàm habebat antequam intelligeret; concedendam eſſe aliquam actionem propriam, per quam dicatur mutari, ac verè mutatur, & per quam Verbum, ac intelligere, verè eſſe accipiat, & producatur. Hæc (Verba Scoti) non eſt alia, quàm dicere, ſeu producere intellectionem, & verbum; cum verò dicere mente nihil aliud ſit, quàm dicere, & producere Verbum; fit, vt dicere non ſit intelligere, ſed elicere intellectionem; quæ actu diſtinguitur ab intellectione, ſiquidem eſt ipſa intellectionis, verbique productio.

Durandus diſt. 27. aſſerit, verbum non eſſe aliud quàm ipſum actum intelligendi, & mente dicere nullam ſignificare actionem, qua verbum producatur, & nihil aliud eſſe, quàm habere verbum in ſe, & intelligere: nam ex ipſa fœcunditate naturæ oritur.

Thomiſtæ omnes pene inhærentes D. Thom. ad tria, quæ hac in re ſentiunt, reducunt. Primum, productio verbi intellectualis eſt intellectualiter dicere. Secundum, dicere verbum, in ſua ratione claudit intelligere: nam dicere eſt intelligere exprimendo verbum, vel exprimere intelligendo. Tertium, dicere tamen, & intelligere quoquomodo diſtinguuntur.

S. Bonauentura cum D. Thom. omnino progreditur, vt ſcilicet per actionem intellectiuam producatur verbum, ita vt dicere claudat intelligere, cum ſit verè intelligere: quare hæc dicta ſtatuimus.

Primum dictum. Verbum producitur per actionem intellectiuam, quæ eſt dicere. Probatur primò auctoritate tantorum Theologorum. Secundò. D. Aug. 15. de Trinit. cap. 9. *Formata quippe cogitatio de re, quam ſcimus, verbum eſt, quod in corde dicimus*, quod nec græcum eſt, nec Latinum, nec linguæ alicuius alterius, & cap. 15. *Cum verbum noſtrum noſtra cognitione dicatur*, & paucis interpoſitis: *Verbum noſtrum, verum, intimum, niſi noſtra cognitione non dicitur*. Et ſi verba non ſonant, in corde ſuo vtique dicit qui cogitat; quod ſi dicit: ergo loquitur verbum, vt exprimat quod cogitat: non enim poteſt dici niſi verbo. Tertiò ex D. Anſelmo in Monolog. cap. 31. in fine. *Dum cogito notum hominem abſentem, format acies cogitationis in ſe talem imaginem eius, quale illum per viſum oculorum in memoriam contraxi, quæ imago in cognitione verbum eſt eiuſdem hominis, quem cogitando dico*: Ergo per D. Anſel. dicere cogitando producitur verbum. Probatur ratione. Prima. Non poteſt homo ad extra loqui, quin dicat verbum: ergo neque mens hominis ad ſe poteſt loqui ſine verbo. Antecedens eſt certum. Conſequentia probatur: nam loqui eſt dicere, & explicare quod intelligit. Hoc argumentum eſt quidem Caiet. ſed per multos annos ante D. Bonauenturæ quæſt. 1. diſt. 27. in corpore. Secunda. Intelligere eſt vera actio, & conſtat per Ariſt. 9. Met. & alibi ſæpe. Neque admittenda gloſſula, quæ circumfertur, non aſſeri ab Ariſt. tanquam veram actionem, ſed potius quaſi per ſimile, ceu duabus primis actionis conditionibus dependentia, ſcilicet ab agente, & receptionis in ſubiecto; non admittenda inquam, tum quia ex 10. Eth. cap. 3. idem clariſsime affirmat: neque enim operationes virtutis ſunt qualitates, neque felicitas ipſa ſimiliter eſt qualitas; tum quia ſequeretur, omnia reliqua accidentia, & lumen, & paſsio, quod eſſent actiones, quod tamen negatur ab omnibus, & probatur conſequentia: nam & recipiuntur in ſubiecto, & dependent ab agente.

Quo apertè deducitur non ſuffeciſſe Ariſt. 1. vt rectè his duabus conditionibus dumtaxar intelligere vocaret actionem immanentem: ſi enim eſt vera actio: ergo aliquem terminũ producit: ergo verbum, quod eſt expreſsè imago. Conſequentia prima probatur per grauiſsimos Doctores, inter quos eſt Doctiſsimus Scotus. De ratione

actionis eſt quod producat terminum, & aliter intelligi non poteſt. Secunda quoque conſequentia probatur: nam ſi agens agit ſecundum quod eſt: ergo & intellectus: ergo producet intellectionem: ergo verbum.

Confirmatur. Elicere (inquiunt Scotus, & alij) intellectionem, per quam producitur verbum, eſt dicere: ergo per dicere producitur verbum. Tertiò. Actus intelligendi vel eſt actio, vel non eſt actio. Si primum: ergo aliquid producitur: ergo verbum, vt petebat præcedens argumentum. Si ſecundum. Ille actus intelligendi productus eſt, aut comproductus: incœpit enim realiter eſſe: ergo per aliquam actionem: oppoſitum enim contradicit: ergo actio, per quam intellectio producitur, erit generatio verbi, quod eſt, dicere. Quartò. Id quod primò intelligitur, dicitur: ſed Verbum per ſe primò intelligitur: ergo pariter dicitur. Probatur maior: nam tum verbum eſt terminus per ſe intrinſecus intellectionis, & obiectum: ergo per ſe intelligitur: tum eſt ratio, qua res in ipſa repreſentatur, & cognoſcitur, ita vt res non primo eſſe intellectus, ſed eſſe propriam materiã intellectionis.

Neque rectè opponeretur, verbum hinc ſequi non eſſe quod cognoſcitur recta cognitione, & intellectione, ſi eſt ratio intelligendi: reſpondetur enim, practicè non vt quo tantum, ſed vt quod terminare intellectionem: conſtituitur enim obiectum quod in ſuo eſſe integro, in ſuo formali, quod eſt verbum, & materiali, quod eſt res, quemadmodum dum videtur Rex veſtitus, eſt vna res viſa, vtque veſtis, & Rex, ita res veſtita, & repreſentata verbo, eſt vna res, quæ intelligitur. Si obijcias, verbum intellectione ſupponitur: ergo non producitur. Nunc ſoluendum cum reliquis arg.

Ad primum, vt rectè ſoluatur, prænotandum primò, intellectionem noſtram bifariam ſumi poſſe, primò, vt completa, & formata ſuo obiecto, & ipſo perfecta, ſecundò, vt actio exiens à ſuo agente, & via tendens in ſuum obiectum; primo modo eſt prius productio verbi, & verbum ipſum productum, quàm intellectio formata, veluti quo formatur, & perficitur, & prius eſt in genere cauſæ formalis. Secundo modo, intellectio ordine naturæ præcedit verbum eo modo, quo cauſa effectum, via terminum, & fieri factum eſſe. Secundò prænotandum, intelligere ſpecificari poſſe, primò vt actio, & hoc à ſuo principio: eſt enim intellectio, quia ab intellectu, ſecundò vt tendit in ſuum obiectum, & in ipſo formatur, & perficitur: tunc ad formam argumenti negatur antecedens. Ad primam probationem, conceſſo antecedenti, concedo conſequentiam de intellectione formata, nego de intellectione vt in via, de qua controuertitur: agitur enim de productione verbi. Ad ſecundam verò probationem concedo antecedens; ſed eadem ratione, qua in ſuperiori reſponſione, nego conſequentiam. Nam intellectio non menſuratur, neq; ſpeciem deſumit ab obiecto, niſi vt formata, & vt tendens in ipſum; neque ex hoc ſequitur, Verbum præcedere in genere cauſæ efficientis, de quo nunc eſt lis, & controuerſia. Quare licet intellectio ſupponat obiectum, & verbum, vt in ipſum tendat, in genere cauſæ formalis; neque tamen in efficiendo, vt rectè præcedere ad Verbum tanquam efficiens, & producens, intellectio non debeat.

Ad ſecundum duplici via. Primò ad antecedens reſpondeo. Intellectio vt ſic in homine viatore ſi ſumatur, negatur conſequentia. Secundò intellectio vt ſic naturalis in ordine ad viſionem beatificam, negatur conſequentia. De Angelis vero quid abſurditatis, aut incommodi continet, quod Angelus in ſui intellectione producat verbum? Tertiò. Quod ſi & de cognitione beatifica, & ſupernaturali concederetur verbum produci, non deſunt qui concedunt, & aſſentiuntur.

Ad tertium negatur toto cœlo conſequentia: neque enim eſt hic ſermo, aut contentio de verbo niſi creato, & in Diuinis eſt omnino diuerſa ratio; & licet intellectio fœcunda, & Patris, non differat niſi ratione ab ea, quæ eſt communis; oſtenſa tamen ſupra eſt ratio, quare non producat verbum, niſi vt in Patre.

Ad aliud in opinione Scoti propoſitum arg. famoſum, & tritum apud ferè omnes auctores, variæ, & plures reſponſiones facile inueniri poſſunt: breuibus nunc, ſuppoſita quam iam retulimus reſponſione. Nihil per actionem immanentem producitur: negatur penitus, & reddita eſt ratio; quia actio immanens eſt vera actio per ipſummet Ariſt. Ad Ariſt. locum, per actionem immanentem nihil produci dicitur eodem modo, quo per actionem tranſeuntem: eſt enim ſermo hic cum analogia immanentis actionis ad tranſeuntem; ita vt quod per illam producitur, ad ipſam non dirigatur, tamquam ad ſuum finem perficientem, ſicuti dirigitur, & perficitur actio tranſiens, ſed potius oppoſito modo: non ideo enim intelligitur, vt producatur verbum, ſed ideo producitur verbum, vt perfecta fiat intellectio. Scio aliam eſſe reſponſionem Caiet. aliam Capræoli, aliam aliorum, & memini alio loco me verſaſſe hoc argumentum.

Secundum dictum. Intelligere clauditur verè; ac realiter in dicere, vt eadem ac vnica ſit actio, qua tum res intelligitur, tum verbum dicitur. Primò, eſt manifeſta Sancti Bonauenturæ ſententia diſt. 27. q. 1. & quæſt: 3. & vbique, dum de re hac verba facit: dicere, inquit, eſt idem quod intelligere, art. 1. & paucis infra. Mens concipit intelligendo &c. Deinde probat ratione illa iam relata, quam poſtea aſſumpſit & Caiet. Secundò, eſt S. Thom. apertiſsima ſententia quæſt. 4. de Veritate art. 2. his verbis. Verbum eſt effectus actus intelligendi, & in reſponſione ad 5. Dicere non ſolum ſignificat intelligere, ſed intelligere cum modo, quo eſt exprimere aliquam conceptionem. Denique prima parte quæſt. 34. art. 1. ad 3. & art. 3. vbi Pater, aſſerit, in Diuinis ex intellectione ſui, & Filij, & Spiritus Sancti, & omnium rerum poſsibilium, producit Verbum: modo facillimè probatur. Primò. Si dicere, & intelligere diſtinguuntur realiter: ergo intellectus quotieſcumque operatur, duos ſemper actus producit, quorum alter ſit intelligere, & non dicere, alter dicere, & nõ intelligere: quod primò videtur incredibile; deinde contra D. Aug. ſupra aſſerentem,

omnem

omnem noſtram intellectionem eſſe genitam: præterea contra omnes eos Theologos, & Patres aſſerentes, per intellectum dicentem produci Verbum. Secundò ex nuperrimè aſſertis. De ratione intrinſeca intellectionis eſt producere, & exprimere ſe, & quæcumque alia intelligit: ergo dicere eſt intelligere. Tertiò. Intellectus eſſentialiter eſt potentia intellectiua: ergo omnis actus realis ab eo elicitus, eſt intellectio, quemadmodum & omnis actus potentiæ viſiuæ eſt viſio &c. ſed dicere eſt actus ab intellectu elicitus: ergo eſt intellectio.

Tertium dictum. Neque formalis, neque ex natura rei concedenda diſtinctio, ita vt vnũ non ſit de ratione alterius, inter dicere, & intelligere, ſed rationis tantum, rei fundamento non repugnante. Prima pars iam ferè probata, confirmari poteſt. Si dicere non eſt formaliter intelligere: ergo non eſt actio formalis intellectus vt intellectus eſt: ergo neque in Diuinis Verbum procedit per intellectum, prout exercet actum intelligendi: ergo non eſt ſapientia, ac verbum Patris ex vi ſuæ proceſsionis, quod eſt contra communem Sanctorum doctrinam, ac in primis S. Athanaſij Orat. contra Gregales Sabelij, & Sancti Aug. 6. de Trinit. cap. 1. & 2. Quod ſi Pater per intellectum non producit Filium, & Verbum, aut nullum Verbum, aut vna tantum proceſsio voluntatis, & vna perſona producta. Probo conſequentiam à verbo creato ad increatum: nam verbum creatum, in origine præſertim, eſt ad imaginem increati Verbi, & inde verbi facta ad Diuina translatio.

Argumenta vero tum Scoti, tum ſequacium, ac præſertim Radæ, quæ & fiunt, & fieri poſſunt, à recentiſsimis adhuc inter nos degentibus ſolertiſſimè ſoluta ſunt. Secunda vero pars eſt primo Sancti Bonauenturæ quæſt. 3. his verbis arg. 1. ex D. Aug. lib. 9. de Trinit. cap. 10. Verbum ſecundum rationem intelligendi addit ſupra notitiam, ideſt ſupra ſimplex intelligere. Confirmat idem 2. arg. & in fine corp. quæſt. Sapientiam, vel notitiam dicit primum in intelligendo, deinde Filium, qui dicit emanationem, ſiue conceptionem: ſecundò propriè imaginem: tertiò Verbum. Quod ſi hæc in Diuinis, vbi ſumma ſimplicitas: ergo multo magis in humanis. Secundò probant Scotiſtarum argumento, in hoc ſenſu ſumpta diſtinctione. Tertiò confirmari poſſet exemplo generis, & differentiæ. Sicuti enim homo conſtitutus ex animali & rationali, ita differt animalitatis ratio à rationalitate, vt non includat formaliter rationalitatem; tamen oppoſita ratione rationalis contrahit, & includit animal, vt non ſit homo ſine vtroque; ita propemodum dicere includit formaliter intelligere, neque tamen in Deo poteſt intelligi, quin virtute, & ratione detur intelligere, quod non eſt dicere: nequaquam verò in nobis, in quibus vnicus intelligendi modus conceditur, dicendi ſcilicet: quare non eſt omnino conforme propoſitum exemplum. Quartò. Intelligere, vt eſt informare intellectum, & recipere ſpeciem, & vt dicit productionem, & conceptionem, dicunt diuerſam rationem: ergo pluſquam ratione ratiocinante videntur diſtingui. Quintò. Dicere in nobis, vt eſt via ad perfectum verbum intellectionis producendum; quoquomodo præcedit intelligere perfectum, ſicut via terminum: & intelligere prout exit ab intellectiua potentia, cum magis habeat rationem intelligendi, quàm dicendi, antecedit: ergo ratione non contradicente fundamento diſtinguuntur.

Sed non eſt diſſimulanda, nec prætereunda poſtremo loco propoſita, ac promiſſa dubitationis ſolutio: qua diſtinctione diſtinguatur, & quanta, verbum vt terminus ab actione intellectus producentis verbum. In humanis pendet huius quæſiti ſolutio ab illa phyſica contemplatione, An, & quomodo motus à ſuo termino diſtinguatur: intellectio enim vt via ad terminum, eſt quędam motio ad Verbum; & partim ab ijs, quæ de verbo dicta ſunt, quatenus verbum eſt non ſolum terminus, ſed etiam obiectum. Sed obſeruandum in primis, diuerſam, ac diſtinctam rationem dubitandi eſſe hanc à ſuperiori: ſuperior enim erat, quomodo ſe habeant, ac differant dicere, & intelligere inter ſe; hæc vero, quomodo verbum productum ab intellectu dicente, & producente.

Mira inter Doctores hic inuenitur varietas: nam Scotus loco ſupra commemorato, intelligere, inquit, eſt qualitas primæ ſpeciei, & non actio, ſed actionis terminus, & idem quod verbum. Idem Durandus indicato iam loco. Ab oppoſito Capreolus 1. ſent. diſt. 27. quæſt. 2. de mente D.Th. Caiet. Bannes, Ferrarienſis, primo contra gentes cap. 53. & alij. Verbum ab intellectione realiter diſtingui, tamquam obiectum intellectum ab intellectiua virtute. Scotus in 4. diſt. 49. quæſt. 2. art. 3. Verbum cum ſit terminus intellectionis, ab ea tantum formaliter differt. Idem Molina diſputat. 8. membr. 2. Vaſquez quæſt. 34. Victoria ab omnibus relatus. Bannes quoque, Torres, Suarez lib. 1. de Trinit. cap. 6. & lib. 9. cap. 2. hanc exiſtimant probabilem. S. Bonauent. in 4. ſent. diſt. 48. art. 2. quæſt. 2. aſſerit, finem motus geminum eſſe, alterum intrinſecum, extrinſecum alterum, qui eſt intentionis, ſicuti primus rei; quibus deducitur: ſicuti terminus intellectus eſt verbum, ita erit intrinſecus.

Exiſtimo vtramque ſententiam probabilem. Seligo illam, quæ admittit diſtinctionem formalem, primò ex Sancto Thoma de potentia q. 8. art. 1. his verbis, verbum noſtri intellectus non eſt extrinſecum ab ipſo intelligere intellectus noſtri, cum ipſum intelligere non poſſit compleri ſine verbo prædicto, quidquid quidam Thomiſtæ conentur his verbis vim inferre, & in alium detorquere ſenſum: & probatur primò ex aſſerta definitione intellectionis: eſt enim intellectum cognoſcentem per actum vitalem, ideſt cogitationis, exprimere, & producere imaginem rei, quæ cognoſcitur: ergo cognitio perfecta eſt imago, & verbum. Secundò, Terminus motus non diſtinguitur realiter à motu, ex communiori, & certiori philoſophia: motus enim eſt ipſe terminus in fieri: ergo & intellectio, quæ eſt ad verbum tamquam ad terminum, erit re ipſa verbum. Conſequentia

con-

conſtat: nam & intelligere eſt actio vera immanens, de qua ſi dixit Ariſt. differre à tranſeunte in hoc, quod hæc effectum producit, illa verò non, vt conſentaneè rationi locutus, ſi explicetur, non producit quicquam à ſe, re diſtinctum, ſicut illa facit; quo ſenſu rationem iam confectam non labefactat. Confirmatur; quia eſſe terminum intrinſecum rei, non eſt aliud, quàm ipſa res terminata, & perfecta.

Triplex obiectio, quæ ab aduerſarijs obijcitur: prima enim S. Thom. quæſt. 4. de veritate art. 2. Ipſa conceptio eſt effectus actus intellectus: ergo vt iſti colligunt, ab ipſo differt realiter. Secunda. Verbum non eſt tãtum terminus intellectionis, ſed obiectum: obiectum autem non poteſt non diſtingui ab eo, cuius eſt obiectum. Tertia. Actus intellectionis eſt actus perfectus: ergo non eſt ſicut motus, qui, eo quod eſt actus imperfectus, & in potentia ad acquirendum terminum, non ei repugnat idem eſſe cum eo quod acquiritur: vnde non eſt ſimile de verbo, quod non requiritur vt perfectio actus, ſed vt vicem gerens obiecti, quod non poteſt idem re cum actu.

Sed ad primam reſpondeo, phraſi illa S. Thom. noluiſſe aſſerere, verbum eſſe verum effectum, ſicuti reliqui in ordine ad cauſam phyſicam, ſed effectum, ideſt productum, ſicuti terminum, quod tunc nihil contra nos.

Ad ſecundam. Obiectum reale, & materiale, re quidem neceſſariò differre à potentia, & actu præcedere, & ſupponi: ac verò obiectum formale, quo præſertim materiale apprehenditur, ſe tenens ex parte intellectus, non eſt neceſſe quod à cognitione diſtinguatur re: eſt enim ipſamet cognitio, vt perfecta; differt quidem realiter ab intellectu vt in actu primo, nequaquam tamen vt in actu ſecundo.

Ad tertiam reſp. non impedire quin noſtra conſequentia ſit probabilis: nam non ſolum motus, ſed etiam inſtantaneæ mutationes, vt illuminatio, ſunt idem cum termino. Et quod huic ſolutioni obijcit quidam recens Thomiſta, nihil noui eſt, quod iam non ſit ſoluta obiectio: dicit enim Verbum, non ſolum eſt terminus, ſed etiam obiectum: iam enim ad hoc diſtinctum eſt ſatis. Sed hoc cõuerti ad hominem poſſet aſſertum. Verbum non ſolum eſt obiectum, ſed etiam terminus intrinſecus intellectioni: ergo ratione termini ſaltem eſt idem re. Quod ſi ſemel idem: ergo quacumque adiecta conſideratione, non poterit idem non eſſe. Tertiò. Productio verbi vt actio, non differt realiter ab eodem vt eſt paſsio; ſed vt eſt paſſio non differt à verbo producto: ergo neque vt eſt actio: ergo intellectio actio, idem cum verbo producto. Maior philoſophorum communis. Minor Theologorum quoque communis, dum creationem paſsiuam eſſe idem cum re creata, vbique aſtruunt. Confirmatur ex ſolutione ſolutionum huius argumenti, ex iam dictis collecta: non enim aliud obijciunt, quàm intellectionem non eſſe motum, & verbum eſſe obiectum.

His animaduerſis, quid ſit verbum creatum, idoneè, & affabrè colligitur. Verbum, non eſt nec ſpecies intelligibilis, ſcilicet impreſſa, nec ipſum materiale obiectum, vt etiam apparet in anima, ſed ſpecies, & ſimilitudo expreſſa, & expreſsima rei intellectæ in intellectione dicentis concepta, & ab ipſo intellectu vt patet, realiter, ab intellectione verò formaliter, tamquam terminus diſtincta.

Ad luculentiorem huius traditæ definitionis intelligentiam, poſtremo loco ex D. Thom. obſeruandum, non vno nomine, ſed pluribus, verbum nuncupari: aliquando enim conceptionem intellectus appellat; prima parte quæſt. 27. art. 1. interdum interius intellectum dicit; De veritate quæſt. 4. art. 1. nonnumquam operationem intelligentis, aliquando intellectionem intellectam, aliàs ſpeciem intellectam, notitiam expreſſam, ſimilitudinem, & imaginem rei intellectæ denominat; idque admodum rationi conſentaneè: conceptio enim, & operatio intellectus, quatenus eſt ipſemet terminus productus, & qualitas, qua perficitur intelligens: interius intellectum, quo per hoc res ipſa intellectui obiecta, nouum aliquod eſſe in ipſo intellectu per actum ipſius ſortita eſt, diſtinctum, ab eſſe reali, & materiali in rerum natura habet, & ab eſſe, quod in ſpecie intelligibili, qua repreſentatur ante actum intelligendi: ſpecies verò intellecta, quatenus eſt ſimilitudo, & imago ipſius obiecti, quod Verbum præſefert: itidem ſpecies intellecta, vt ab intelligibili ſecernatur; iterum intellecta, non eo actu quo producitur directo, ſed quo reflexe productam intuetur; expreſſa deniq; ſicuti ſupra notatũ eſt, vt ab impreſſa diſtinguatur; cui ſi addatur, ideo dici expreſſam, vt complete ipſius verbi natura declaretur, congruũ erit: in eo enim potiſsimè cõſiſtit verbum, vt obiectum intellectui perfectè actu exprimat, & repreſentet.

CAPVT III.

Qua ratione ad Diuina transferatur Verbum.

PAucis hoc caput expediendum: multa enim & in commentario coniecimus, & in cap. de verbo creato; hanc vnam dubitationẽ tollere, ſufficere hoc loco exiſtimamus. Eſt autem, quemadmodum ſupra de perſona in genere inſtituta fuit quæſtio, quid prius, ac potius perſonæ nomen, & res diceret, relationem, aut abſolutum, aut relationem formaliter, abſolutum materialiter, vel oppoſito modo; eodem veſtigio nunc de verbo dubitatur, & quæritur, quid primò, ac primariè in Diuinis, relationem, an eſſentiam dicat. Ratio dubitandi colligitur ex tit. propoſito hoc cap. An, & quomodo idoneè Verbum ab humanis ad Diuina translatum ſit: cum enim in humanis abſolutam qualitatem dicat primò & abſolutè; ſi recta ratione ad Diuina deportatur, videtur eadem ratione accipiendum, vt primò ac inprimis abſolutam rem, & eſſentiam, deinde relationem connotet. Quare S. Thom. quæſt. 4. de veritate art. 5. & in 1. diſt. 27. quæſt. 2. art. 2. quem ſequitur Ferrarienſis 4. contra gentes cap. 14. affirmat,

mat, verbum in Diuinis primò ac directè eſſentiam, deinde relationem connotare, hac præcipua ratione, quia ita & in humanis, vnde ad Diuina translatum eſt.

Sed Caiet. in art. 3. quem nunc præ manibus habemus, ad quartum, illa expendens verba. Verbum principaliter impoſitum eſt ad ſignificandam relationem ad dicentem; arbitratur Sanctum Thom. retractaſſe hic quæ iam recenſitis locis docuerat, ac expreſſe docuiſſe, primò verbum relationem dicere, præterea eſſentiam indicare, quem Vaſquez, Ripa, & tandem Suarez lib. 9. de Trinit. cap. 3. ſequuntur: licet enim primò, parum ad rem referre, an Verbum materialiter, an formaliter dicat relationem, aſtruat; tandem addit, ex vſu vocis includi relationem in ratione formali Verbi: eſt enim originis ſicut genitum, ac prolatum. Capreolus verò, ac Ferrarienſis indicatis locis in oppoſitum trahunt Sanctum Thom. ſed addunt, quoquomodo verbum relationem ſignificet, ſufficere, vt eſſe nomen perſonale ſuſtineatur.

S. verò Bonauentura de perſona, loco antea relato, ſcilicet diſt. 33. quæſt. 4. id apertiſsimè docuit: in Diuinis perſonam primò & in primis relationem ſignificare, licet communiter ſumpta oppoſito modo ſe habeat: deinde ſtrictius de verbo agens quæſt. 4. primo loco hac potiſsima ratione ad Diuina translatum verbum, ad Diuinam emanationem ſcilicet ſignificandam: ergo in primis relationem præſeferre vult verbum S. Doctor. Præterea q. 1. ex D. Aug. lib. 7. de Trinit. cap. 2. Verbum, inquit, eo ipſo quod Verbum dicitur ad alterum: quibus quid aliud quæſo, quàm Verbum formaliter dicitur ad alterum; formaliter dicere relationem indicare voluit? Deinde in rationibus affirmatinis: verbum eſt quod emanat à mente per modum conceptionis: verbum eſt quod emanat per modum expreſsionis; quibus locis mea ſententia apertiſsime quod quærebamus inuenimus; D. Bonauenturæ ſcilicet hanc eſſe de verbo mentem, vt primò, ac formaliter verbum relationem dicat, vt in alium ſenſum ipſum retorquere, ſit ei aperto Marte vim inferre.

Neque nobis negocium faceſsit illa à communi verbi ratione deducta ratiocinatio: multis enim in locis eam gloſſare, ac interpretari accidit, vt ea quę ab humanis ad Diuina transferuntur, ita exuantur, & expoliantur ſuis creatis proprietatibus, vt quæ Diuina tantum decent, in Diuinis maneant, ac luceant: ſicut enim & Diuina & infinita ſiunt, & accidentaria ſubſtantiaria, quæ ex creaturis Deo tribuuntur; ita & quæ abſoluta, non mirandum ſi neceſſariò aliquando euadant relatiua, vt nunc de verbo aſſerendum: quod cum ſumendum ſit, vt competit Deo, & vt ſumunt tum Diuinæ litteræ, tum Patres omnes, propriè ſcilicet; niſi vt dicit relationem per ſe, ac formaliter, non rectè ſumeretur.

Quare huius argumentationis, Verbi ratio dicit quid abſolutum primò: ergo & in Deo; negandum eſt aut antecedens, ſi vbicumque inuenitur, abſolutè accipiatur, aut ſi reſtrictè, vt in humanis, quod conſequitur: ergo & in Diuinis itidem negandum, ſimili ratione, qua dum tueremur Diuinam ſimplicitatem, illius argumentationis conſecutionem negauimus. Sapientia in ſe, & in humanis, & bonitas differunt: ergo & in Deo, vbi Diuinitaeis, & infinitatis rationem acquirunt. Quod amplius probat S. Doctor ex D. Aug. 15. de Trinit. cap. 11. *Non dicitur Verbum niſi Filius*, quo ſic deducere licet. Non minus verbo explicatur relatio dicti, quàm Filio relatio geniti: ſed nomen Filij relationem producti per generationem explicat: ergo & verbum relationem producti per dictionem. Maior nota, quia æquè propriè, ac relatiuè in Diuinis dicitur verbum, & Filius; imò licet ad inuicem non ſint ſynonima Verbum, & Filius, eandem tamen relationem dicunt, D. Bonauentura diſt. 27. dub. 9. litt. ergo Verbum primò relationem dicere, connotare verò eſſentiam, probabili iudicio ſtatuimus.

Cepulius adhibere conatur conciliationem ex varia verbi acceptione, vt vnaquæque opinio verum perſiteatur, ac doceat in diuerſa verbi aſſumptione, ſed nihil obtinet; nam in hoc vrgent alij D. Thom. interpretes, & in Diuinis Verbum, vt ratio Verbi communiter ſumpti poſtulat, abſtrahendo à creato, & increato ſumunt, alij vt in humanis, vnde ad Diuina transfertur.

CAPVT IV.

Quot modis in Deo detur Verbum.

Eadem eſt ſententia quæſitæ dubitationis hoc capite, ac ſi explicaretur, an Verbum Diuinum ſit tantum perſonæ, vel etiam eſſentiæ, vel quod alij dicunt, an dumtaxat de ſecunda perſona dicatur propriè: & bipartita eſt dubitatio. Altera, vt cœpimus dicere, an Verbum ſit perſonæ, ſcilicet ſecundæ, an etiam eſſentiæ. Altera, an ſi perſonæ, poſsit dici tertiæ etiam, vt & Spiritus Sanctus rectè, ac propriè enuncupari verbum, & aliquando ſit nuncupatum: & à prima initium ſumens, primo loco quid de hac re S. Doctor ſenſerit explicatè ſtatuendum, tamen breuibus: ſupponimus enim quæ in Commentario deduximus.

Igitur S. Doctor diſt. 27. quæſt. 4. apertiſsimo ore fatetur, ac ſuſtinet, Verbum in Diuinis tantum de ſecunda perſona dici, ac optimè probat: In: 1. *Verbum caro factum eſt*: ſed ex omnium Euangeliorum contextu, perſona, quæ eſt incarnata, eſt ſecunda: ergo ſecunda eſt Verbum. Deinde ex Patribus, S. Aug. 15. de Trinit. S. Anſel. in Monologio &c. Tertiò ex conditionibus verbi propriè ſumpti, & ex ratione eſſentialis cognitionis probat repugnare, admittere ei dicere & verbum. Quod ſi biſariam ſumi verbum conceſſerit, vno modo quando interius loquitur Deus ad ſe, & hoc modo ſumi propriè, & notionaliter, altero modo cum loquitur ad alios, idest ad extra creaturas producit, & tunc Verbum eſſentialiter vſurpari; addit tamen apertiſſimè in fine corp. quæſt. Verbum hoc non eſſe, nec in Deo, nec Deum, ſed ipſam creaturam in tempore productam, verbum ſci-

ſcilicet creatum, ac temporaneum: quo quid magis impropriè poteſt appellari Verbum in ordine ad quod hìc quæritur? Non ergo nobis inſudandum pro Sancti Doctoris indaganda ſententia, ſed potius quàm veritati conſentaneè locutus ſit.

S. Thom. hic in ſumma, tanquam in vltimo teſtamento, neque per latum vnguem diſcedit, aut differt à Sancto Doctore, propriè ſcilicet loquendo vt præſertim ad 3. Verbum in Deo non poſſe dici niſi de perſona, ac de perſona ſecunda, vbi tacitè quod in 1. ſent. diſt. 27. quæſt. 2. art. 1. teſte etiam Caiet. cum multis alijs Thomiſtis, retractauit. Suarez lib. 9. cap. 3. de Trinit. Vaſquez, Zumel, & Ripa in hunc articulum; & Caiet. obſeruat Sanctum Thom. in hanc ſententiam pedetentim perueniſſe, ac eam, quam diſt. 27. amplexatus erat, reliquiſſe; Nam eo loco ſequebatur eorum ſententiã, qui verbi nomen, ſicut amoris contemplantes, quandoque eſſentiale, quandoque perſonale dixerunt, hac ratione, quia non eſt de ratione verbi in ſe realiter procedere, ſed ſufficit ſi modo noſtro intelligendi concipiatur per modum emanandi: ſed quoniam etiam verè procedit, & emanat; hinc & eſſentiale, & notionale verbum poſuerunt, ſicuti & amorem: ſed in quæſt. 4. de veritate cœpit dubitare, & in alteram partem inclinare, ſed non adhuc reſolutè; quod tandem in hoc art. omnibus votis egregiè præſtitit.

Quod ſi primo contra gentes cap. 53. Diuinam eſſentiam, vt omnium intelligibilium obiectiuam ſimilitudinem, nuncupat Verbum, ac ſubinde penes eſſentiam aſſumit; ibi verbum diminutè, ac non omnino propriè vſurpat. Nec mirum in tanta dicendi farragine vnum verbum non vſque adeo proprium, præſertim cum rem illam ex proprio loco non pertractaret, ex ore elapſum. Quod tamen vt limatius omnia concluderet, & hoc in hoc art. pręſenti reiecit, & Verbum in Diuinis dumtaxat de perſona dici, non de eſſentia ſtatuit: & omnia quæ in oppoſitum adduci poſſent, proponuntur, & ſolertiſsime ab vtroque Sancto Doctore ſoluuntur.

Neq; negandum in Diuina Scriptura ſæpe vſurpari Verbum vt vni Deo competit: nec diſsimulandum, in eadem Scriptura pro re producta extra Deum ſæpius legi; quod tamen negocium noſtrum nequaquam faceſſit. Hæc omnia hac limitatione dixerim, vt ſi cui liberet in via S. Thom. ſuſtinere cum Capteolo diſt. 27. quæſt. 2. concluſ. 4. & Ferrar. 4. contra gentes cap. 17. Verbum ſcilicet communiter acceptum ſumi etiam eſſentialiter; id citra periculum erroris præſtare poſſe, eo maximè, quo teſte D. Thom. citata diſt. 27. de ſolo nomine, quid ſcilicet ſignificet verbum, eſt diſceptatio. Ita tamen, vt id de Durando nulla ratione concedatur.

Durandus enim diſt. indicata quæſt. 3. non ſolum cum Sancto Thom. eodem loco, Verbum etiam ſecundum eſſentiam poſse ſumi, ac verè præſumit, ſed nunquam propriè, ac notionaliter, & perſonaliter dicit, ita vt Filius Dei non verè dicatur Verbum, ſed per quandam ſimilitudinem: nam licet non procedat per intellectum, ſed per naturam fœcundam, eius tamen productio, cum ſit prior origine, aſſimilatur proceſsioni per intellectum, quia per voluntatem proceſsione eſt prior. Cui ſi opponas, à S. Io: cap. 1. præſertim, toties clariſſimè vocari Verbum, vt longa Patrum expoſitione cap. ſequenti videbimus; non erubeſcit reſpondere, ibi D. Io: non propriè locutum, ſed per quandam ſimilitudinem, & ſicuti tertia perſona nomine quodam communi nuncupatur ſpiritus, ſic ſecunda Verbum.

Probat verò ſuam ſententiam, ac perſuadere conatur primò, quia in Deo Verbum eſt ipſe actus intelligendi, ſicut in quocumque alio intellectu creato; ſed actus intelligendi eſt communis, & eſſentialis: ergo & Verbum. Secundò. In omni intellectione perfecta ſemper eſt Verbum: ſed intelligere eſſentiale in Deo perfectiſsimum eſt: ergo in eo Verbum. Tertiò. Actus notionalis non tranſit, nec refertur ad creaturas, nec reflectitur ſupra perſonam producentem: ſed Pater dicit creaturas ac ſeipſum, neque tamen creaturam ac ſeipſum generat: ergo actus dicendi non eſt actus notionalis, nec generandi: ergo non generatur verbum ab intellectu Patris. Quartò. Filius procedit à Patre, nõ per actum intellectus, ſed per naturam fœcundam: ergo non procedit vt Verbum. Conſequentia patet: nam Verbi ratio omnis eſt ad intellectum. Poſſet confirmari locis D. Aug. 9. de Trinit. cap. 10. & D. Anſelmi in Monologio; ſed non eſt cur immoremur: ea enim vterque S. Doctor, & expendit, & egregiè interpretatur, ac ſoluit.

Sed Durandus, qua parte verbum propriè non competere Filio, ſed per ſimilitudinem, non timuit aſſerere; de temerario, ac erroneo dicto ab omnibus redarguitur, tum propter rem, quam contra omnes ſic audenter prodit, tum propter vim irreligioſam, ac impudentem, quam contra omnium Patrum expoſitionem, vno excepto Origene, D. Io: verbis turpiter infert.

Altera dubitationis pars erat, quam art. 2. S. Thom. & S. Bonauentura verſant: an ita perſonale ſit Verbum, vt vni ſoli, Filio ſcilicet, nequaquam vero Spiritui Sancto neceſſariò tribuendum.

Certa veritas eſt ſolum Filium eſſe Verbum, teſte D. Aug. 6. de Trinit. cap 7. & alibi. *Eo dicitur verbum, quo Filius, & Verbum ſolus Filius accipitur*: ratio in primis eſt ex S. Bonauentura, quia Pater intelligendo ſolus dicit, & ex Sancto Thom. quia Verbum dicit emanationem intellectus; ſed ſolus Filius emanat per intellectum: ergo ſolus Filius eſt Verbum.

Sed Magnus ille Pater S. Baſilius videtur hic negocium faceſſere: lib. enim 5. contra Eunomium cap. 11. & Spiritum Sanctum appellauit Filij verbum, ea ratione, qua ſicut Filius Patris interpres, ita Filij Spiritus Sanctus. vnde idoneè Verbum videtur nuncupari, eo preſertim, quod apud D. Pau: inueniri exiſtimat. Ad Eph. n. 6. *Et gladium ſpiritus, quod eſt Verbum Dei*. & ad Hebr. 1. *Portans omnia verbo virtutis ſuæ*, vbi D. Paulus verbum virtutis Filij Spiritum Sanctum appellaſſe viſus eſt. Quemadmodum enim Pater per Filium

nobis

nobis ſuam manifeſtauit voluntatem, ita Filius per Spiritum Sanctum. Ille enim Io: 14. *Docebit vos omnia, & ſuggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis*. Neque de hac mutuata proprietatis ratione mirandum: ſicut enim licet eſſe Paraclitum ſit Spiritus Sancti proprium, & ipſe tamen Filius Paraclitus dicitur, conſimili modo & Spiritus Sanctus poterit dici verbum, quamuis hoc ſit Filij proprium.

Ad hæc S. Thom. ad 3. reſpondet, & figuratè verbum pro virtute & effectu verbi, & ex Gloſſa pro imperio Verbi, & iuſſu, quo omnia in eſſe conſeruantur, ſumi: & conſequenter figuratè, & impropriè D. Baſilium pro Verbo Spiritum Sanctum interpretatum, ſola ratione manifeſtationis, vt eatenus dicatur Filij Verbum Spiritus Sanctus, quatenus Filium manifeſtauit. Sed obſeruãdum hic in Græco textu pro verbo non legi Logos, λόγος quod vertitur Verbum, ſed rima, ideſt iuſſio. Erit ergo Verborum D. Pau. ſenſus: ſicut Filius cum Patre vnica iuſſione, ac verbo omnia ex nihilo creauit, ita vnica eadem iuſſione, & virtute ſuſtinet, portat, & tuetur. De qua eodem nomine Dauid pſ. 18. *In æternum Domine Verbum tuum permanet in cælo*. Aut, quod in idem recidit, portat omnia verbo virtutis ſuæ, nimirum verbo ſuo potens, per quem omnia facta ſunt. Ita egregiè S. Chryſoſt. hom. 2. in Epiſtolam ad Hebr. his verbis. *Cum ſupra dixiſſet, quia per ipſum omnia fecit, hic ei nunc ſummam auctoritatis tribuit: nam vide quid ſubnectit, feratque omnia verbo ſuæ potentiæ*. Eodem modo Theodoretus, Theophilactus &c. Quod infinitam Filij cum Patre, & Spiritu Sancto virtutem, quæ vllo abſque labore, & fecit, & agat, & ſuſtineat, & regat vniuerſa, perſuadeat Hebræis S. Paulus.

De loco vero ad Epheſ. 6. à Sancto Baſilio commemorato, eadem methodo interpretandus. *Gladium Spiritus, quod eſt Verbum Dei*. Nulla ibi fit diſtincta mentio de Spiritus Sancti perſona; ſed hebraica phraſi Verbum hic doctrinam Spiritus, ſpiritualem ſcilicet, non carnalem. Gladium ſpiritus, ideſt quo Spiritus maligni proſternuntur, ac veluti confondiuntur, & iugulantur, non qualis ille, quo inter homines bella geruntur, ſed ſpiritualis &c. Idem D. Chryſoſt. hom. 24. ad Epheſ. *Gladium ſpiritus ait, ſpiritum, aut ſpiritualem gladium, quod eſt Verbum Dei, per illum namque omnia ſcinduntur, omnia amputantur*. Et infra, *quod eſt Verbum Dei, vel mandatum hic Verbum vocat, vel admonitionem, aut illud præcisè. In nomine Domini noſtri* Ieſu *Chriſti &c.* Quod ſi vltro concederemus Verbum de Spiritu Sancto dici; non propriè tamen, vt D. Bonauentura in reſponſione ad primum, ſed appropriatè; quia ad rationem Verbi non ſufficit eſſe interpretem, & in tempore, ſed producendum ab æterno ſub ratione completa Verbi per intellectum.

Verum tribus aſſertis definiamus caput hoc.

Primum. Verbum in Deo propriè loquendo nunquam eſſentialiter ſumitur. Probatur. Præter nuper hoc capite ad hoc confirmandum adducta ex Diuinis litteris, & primò negatiuè: numquam enim Verbum interius eſſentialiter dictum apud ipſas inueniri poterit. Secundò. Vbicumque legitur, perſonæ alicui ſemper proprium reperietur, vt infra in ſecundo aſſerto. Tertiò ex Patribus, vt infra eodem aſſerto. Quartò ratione. Verbum de ſui ratione emanationem interiorem dicit: ergo eſſentiæ non poteſt conuenire. Antecedens præter omnes Theologos, eſt etiam Sancti Baſilij hom. in illa verba. *In principio erat Verbum, vt Verbum quod procedit ex mente oſtendatur*. Sancti Athanaſij Epiſtola de ſententia Dionyſii contra Arrianos. *Verbum promanationem mentis nominare conuenit*. Et Epiſtola de Decretis Nicænæ Synodi loquens de Filio. *Siue eum rationem, ſiue Verbum cogites*. D. Anſelmi in Monologio cap. 31.

Secundum aſſertum. Verbum eodem modo in Deo ſumptum, ſemper perſonaliter vſurpatur. Primò ex Diuina Scriptura Io: 1. & 1. Io: 5. Apoc. 19. *Et nomen eius Verbum*. Vbi de Filio Dei agi conſentiunt omnes, adeo vt hoc loco Alogiani Hæretici ideo negarẽt librum Apoc. teſte D. Epiphanio. Secundò ex Patribus. D. Aug. 5. de Trinit. cap. 13. *Relatiuè dicitur Filius, relatiuè dicitur Verbum*, & 6. cap. 2. *Verbum ſolus Filius accipitur, non ſimul Pater, & Filius; ſic enim verbum quomodo imago, non autem Pater, & Filius ſimul ambo imago, ſed Filius ſolus imago Patris, quemadmodum & Filius: non enim ambo ſimul Filius*. & 7. cap. 2. *Pater, & Filius ſimul vna eſſentia, & vna ſapientia; ſed non Pater, & Filius ſimul ambo vnum Verbum, quia non ſimul ambo vnus Filius: ſicut enim Filius ad Patrem refertur, non ad ſe dicitur, ita & Verbum ad eum cuius eſt Verbum refertur, cum dicitur Verbum: eo quippe Filius, quo* Verbum, *& eo Verbum, quo Filius*. D. Cyrillus lib. 7. Theſa. & reliqui innumeri Patres, quos futuro cap. in exponendis verbis D. Io: *In principio erat Verbum*, referam. Ratio eadem, quę ſupra ſuperiori aſſerto poſita eſt.

Tertium confectarium aſſertum. Ita propriè de ſecunda perſona dicitur Verbum, vt non niſi figuratè appropriatè, & impropriè Spiritui Sancto vnquam tribuatur, ſicut & S. Doctor in genere conceſſit: ex interpretatione locorum, quæ in contrarium adducebantur, probatum remanet aſſertum.

Ad argumenta Durandi, licet iam ſupra cum de ſecunda emanatione ageretur, & propoſita, & ſoluta ſint; vnicum & hoc loco tamen addendum verbum: & ad primum negatur toto cælo maior. Ad ſecundum eadem aſſeueratione negatur maior. Ad quartum itidem maior negatur. Ad tertium plurimis ſupra, plurimis quoque hic recentiores, ſed breuibus S. Bonauentura, & alij cum eo, & poſt eum. In actu dicendi, & reflexo, & actu notionali duo ſemper attendenda: alterum, quod abſolutum, & dumtaxat rationem intuendi, & intelligendi dicit: alterum, quod pręcisè notionale, & relatiuum eſt; ratione primi intelligit, & reflectitur, vel vt ſupra docuimus, quaſi reflectitur: intelligit enim Pater, & dicit ſe, & tranſit ad creaturas,

turas, quas & cognoſcit, & producit: ratione ſecundi nec tranſit, nec reflectitur ſupra ſe, ſed ſolum ad dicentem, & producentem refertur. Quare ad formam argumenti conceditur maior, formaliter & præcisè ſumpta, ſed negatur minor: nam producere creaturas non eſt verum dicere, nec intueri, & cognoſcere ſeipſum præcisè: De ratione namque ſui *dicere* dicit productionem conceptus, & verbi rei intellectæ, vt dum dicit ſe, ſui conceptum ſimilem producat, dum rem alienam, rei illius itidem ſimilem conceptum &c. vt contradictionem inuoluat dicere ſine verbo, ſicuti & loqui impoſſibile eſt ſine verbo: ac inde negatur denique conſequentia: nam dicere, quod in minori aſſumitur, non eſt notionale, ſed eſſentiale, ac impropriè, imò nulla ratione dicere, quatenus ad extra tranſit.

Quod ſi S. Anſelmus dixerit, Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum dicere, reſpondetur, & iam reſponſum eſt, ibi dicere ſumi eſſentialiter, vt tantum intelligentiam, & cognitionem, non fœcunditatem naturæ, & intellectus, & productionem præſefert, quod ſolum eſt verum dicere, & ſolius Patris proprium, ſicuti primo modo trium perſonarum commune, & impropriè dicere teſte D. Tho. ad 3. Quod ſi iterum idem Anſelmus, dicere nihil aliud dixerit, reſpondit iam S. Bonau. primò intueri pro ſimplici intelligere vſurpari: ſecundò idem intueri includere conceptionem, & Verbi generationem, & tunc veriſsimum eſt dictum D. Anſelmi, dicere eſſe intueri, quemadmodum & verbum eſt idem cum notitia, ſcilicet genita.

CAPVT V.

De vera illorum verborum ſententia. In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum &c. in ipſo vita erat &c.

VEra, certa, genuina, & germana horum verborum explicatio quanti æſtimanda ſit hoc loco, ac diſputationi quam nunc verſamus, quantum luminis, ac certitudinis allatura ſit; nemo eſt, niſi ſponte cæcutiens, qui non animaduertat. Ad hoc enim caput S. Io: veluti ad fontem, & ad turrim omnes tum Sancti Patres, tum cæteri Theologi vnanimes confugiunt, Filium Dei Patris, dum aut contra Arrium, Deum tuentur, aut contra quemcumque oblatrantem, & in eum ſæuientem, verè ac maximè propriè, & relatiuè, & perſonaliter Verbum accipi, pugnaci conatu ſuſtinent. Solerti ergo & perſedula indagine, quæ hoc loco S. Io: imò Spiritus ſancti fuerit ſententia, per Sanctos Patres diſcutiendum.

Sed priuſquam ad hanc explanationem accedamus, trinam operepretium eſt ſupponere veritatem, quarum hæc ſit

Prima. Reliqui Euangeliſtæ, eo ſic diſponente Spiritu ſancto, non vſquequaque adæquatè Filij Dei Diuinitatem explicarunt, quo id oneris D. Io. relinquentes, vberius, & ſatius eandem nobis ipſe tum teſtatam relinqueret, vt Euſebius lib. 9. cap. 4. D. Baſilius lib. 2. contra Eunomium, præſertim notarunt; tum contra Ebionem, & Cherintum eam impiè negantes, & ante Mariam nullo modo extitiſſe Filium, iniurios, ac blaſphemos aſſerentes, firmaret, ac tueretur: ſub fine Imperij Domitiani Imperatoris, hoc eſt anno eius 14. ab eo relegatus in Patmos, ex D. Hier. De viris Illuſtribus in Ioanne, & ex Euſebio lib. 8. Eccleſiaſticæ hiſtoriæ cap. 18. ſuum ſcripſit Euangelium. Id teſtantur vetuſtiſſimi Patres vnanimes, ac inter alios præſertim D. Irenæus lib. 3. c. 11. D. Epiphanius hæreſi 51. D. Hier. loco citato. D. Chryſoſt. prologo in explicationem Euangelij. Beda eodem loco.

Addunt alij non incongruè, nedum ad euellendas iam obortas de Diuinitate Chriſti hæreſes, ſed ad oboriendas, quas ſpiritu Prophetico præuiderat, proſternendas, vt Catholici haberent, quibus verbi gratia Pauli Samoſateni hæreſim futuram refutarent, & Antimonis, qui venientibus temporibus Chriſtum purum hominem blaſphematurus erat, vt refert Theodoretus lib. 2. de hæreticorum fabulis cap. de Antimone, & de Paulo Samoſateno; Euangelium ſcripſiſſe D. Io. Ita D. Chryſoſt. hom. 3. in Io. Theophilactus in præfat. in Io. ergo ex Patribus præcipuè commemoratis, & rationibus ab ipſis telatis, finis ſcribendi Euangelij Io. & vt aiunt in ſchola, ſubiectum, fuit de Diuinitate Chriſti, & hoc optima methodo initio primi capitis propoſuit, & cœpit demonſtrare. *In principio erat Verbum, & Deus erat Verbum.*

Secunda Veritas. Verbum, de quo præſertim hoc cap. diſſeritur, eſt ipſiſſimus Dei Patris Filius; quod adeo conſtat, & apertum, & certum eſt, vt ipſi Arriani, licet audaces, & frontis perfricatæ, non potuerint negare: viderunt enim toto capite eandem perſonam, Filium, Vnigenitum, & Verbum appellari, & eodem ſtylo idem repeti prima epiſtola cap. 1. & cap. 5. & in Apoc. c. 19. vt hac textuum perpetua euidentia id neceſſariò coacti conceſſerint, quod poſtea ex omnium Patrum certis placitis omnis Theologorum ſchola, imò omnis ſuſcepit, & amplexata eſt Eccleſia.

Tertia Veritas. Licet omnino ſit eadem perſona Filius, & Verbum; optimis tamen, ac Diuinis rationibus D. Io. hoc loco non Filij, ſed Verbi nomine vſus eſt: quemadmodum exquiſitè obſeruarunt, ac nobis grauiſsimi Patres perpetuis temporibus tradiderunt, & hac prima ratione, quam D. Chryſoſt. hom. 2. Theophilactus, & Eutymius attigerunt: ne ſi Filium vocaſſet, aliquid fortaſſe carnale, ac paſſibile lector ſuſpicaretur: hoc enim poſtea accidit Arrianis, quorum adeo obtuſus, ac ſenſibus obrutus intellectus fuit, vt non valuerint Filium ſine fœmina intelligere, ac ſine carnali, ac turpi deciſione &c. ſi enim Filius (obſceniſsime effutiebant) neceſſe eſt, vt & fœmina ſit, & colloquium ſermonis, & coniunctio coniugalis, verbi & blandimentum &c. ita enim Filij Dei generationem irriſiſſe Arrianos, docent D. Hilarius lib. contra Conſtantium. D. Cyrillus lib. 1. Theſauri c. 2.

Se-

Digitized by Google

Secunda vero ratio plurimi quoque facienda, quod id nomen Verbi magis notum, magiſque accomodatum erat ad id, quod paucis interpoſitis verbis dicturus erat Euangeliſta. Conſtat hoc quidem primò, quia Philo Iudæus, qui nunquam Filium, ſed ſæpe logon, ideſt Verbum appellat lib. de Opificio mundi, & lib. quod deterius melioribus inſidietur. Prætcrea teſtantur Euſebius lib. 7. præparationis Euangelicę cap. 5. & S. Cyrillus lib. 8. contra Iulianum, Mercurium Trimegiſtum, & alios eiuſdem, & etiam antiquioris temporis, ac poſterioris, ſæpiſſimè Verbi nomine de Deo loquentes vſos; quos certum eſt ab Hebræis ſententiam, & vocabulum accepiſſe. Addendum quod commune eſt, & hic aſtruunt Theologi, quia ex noſtri Verbi creati cognitione faciliori negocio in æterni Verbi cognitionem manduceremur: rectè ergo vſus eſt D. Io: Verbi voce, & ſic locutus, vt facilius, & gratius, & accomodatius, & vt ſic loquar, honeſtius loqueretur.

Tertia ratio. Erat Deus Filius carnem ſumpturus humanam, ſed quia Deus eſt, & Deus Filius, cuius officium fuit quaſi legatum Patris ad nos mitti, & pro eo nobis loqui: mirè ergo & plurimum concinnè, & Verbum ante carnem aſſumptam, vt Verbum à carne ſeiũgeret, & fuiſſe Deum ante carnem deuinceret, & Patris Verbum veniſſe in carne nobis Verbi officio fungi, & quæ Patris ſunt nobis reuelare; D. Io: Filium dixit Verbum. Ita ferè vbique locorum Euangeliorum, & Prophetarum, venturum Filium Dei vt doctorem miſſum; vt lucem ac Diuinæ doctrinæ magiſtrum à Patre nobis eſſe mandatum, nobis Patrem per ipſum eſſe locutum aſſeritur: *Multifariam, multiſque modis &c. nouiſſimè nobis locutus eſt in Filio*, hoc eſt in Verbo: hæc enim præcipua Verbi vis eſt; quod vt patentius indicaret, non de quocumque verbo locutus eſt, ſed de illo, addito articulo Emphaſin dicente τὸν λόγον hoc eſt illud Verbum, ſcilicet Diuinum, quemadmodum D. Chryſoſt. hom. 2. & Theophylactus obſeruarunt.

Sed melior, & ad rem, ad quam hic feſtinamus, accomodatior, & ab omnibus magis teſtata ratio eſt, quod hic Filius Verbum dicatur, quia Patris notitia, & notitia genita eſt, vt ſic Filium eſſe æternum, ac diſtinctum, & conſubſtantialem, & qua ratione genitum, ac Filium, toti mundo pateſieret, mente ſcilicet, & intellectu, non carne, vt ſupra nimis obſcœnè nos irridentes delirarunt Arriani: ſic ferme Dionyſ. Romanus apud D. Athanaſium in Epiſtola de ſententia ipſius: ſic ipſe D. Athanaſius lib. de definition. Euſebius lib. 7. de præparat. Euang. cap. 4. lib. 5. de Demonſtratione Euang. cap. 5. D. Hilarius 1. de Trinit. D. Aug. tract. 1. & 14. in Io: & lib. 5. de Trinit. cap. 5. & deinceps. D. Fulgentius lib. 3. ad Monimum. D. Cyrillus lib. 1. Theſauri cap. 7. & lib. 4. cap. 3. & lib. 6. cap. 1. & lib. 10. cap. 4. & lib. 13. cap. 3. & lib. 2. de Trinitate. D. Damaſcen. lib. 1. de fide cap. 6. & D. Anſelmus in Monologio cap. 19. & Rupertus Abb. in hunc locum. Quam rationem tanta auctoritate teſtatam, tanto conſenſu ſuſcepit vniuerſa Theologorum Schola, vt ab ipſa recedere ſine temeritatis labe non liceret.

Quare S. Doctor noſter quæſt. 1. ne vnquam neque per latum vnguem à communi Sanctorum Patrum ſententia diſcedat, hanc Verbi rationem reddidit; eo ſcilicet ab Euangeliſta Filium dictum Verbum, vt inde quomodo ſit Filius colligeretur, per interiorem nimirum mentis conceptionem. Hanc eandem S. Thom. ideo dici Verbum, quia proceſsionem, & emanationẽ in ſui ſignificatione includit. Ergo meditato, ac intimo, & optimo conſilio, & myſterio, non Filij hic, aut ex alijs quę habet nominibus, D. Io: aſſumpſit nomen, ſed Verbi. His prætactis veritatibus, quibus, ad quid ſuum ſcripſerit Euangelium S. Io: & quàm verè eadem perſona ſit Filius, & Verbum, & quàm rationi conſentaneè eundem Filium tamen dixerit Verbum, non Filium; ad textum, & verba interpretanda accedamus.

In principio. Non flocci quidem facienda, ſed veneranda illorum Patrum interpretatio, qua *in principio*, Patrem interpretantur, vt *in principio*, ideſt in Patre *erat Verbum*. Eſt etenim Clementis Alex: in Orat. horatoria ad gentes. Origenis tract. 1. in Io: D. Cyrilli lib. 1. in Io: cap. 1. D. Greg. Nyſſeni Orat. ad Simplicium. D. Aug. lib. 6. de Trinit. cap. 2. & aliorum, & quidem vera: eſt enim Filius in Patre, & Pater Filij principium, vt ſatis ſuo loco ſupra, cum de Patre loquuntur Theologi, & D. Cyrillus illo præcipuo loco: *Tecum principium*, ideſt Pater, *in die virtutis tuæ*: ſed fortaſſe non admodum ad locum quem verſamus D. Io. Eodem pondere ponderanda, multum ſcilicet, & æſtimanda ex expoſitorum qualitate, quæ principium pro æternitate exponit, quæ omnium rerum, etiam cogitationum eſt principium: eſt enim S. Greg. Nyſſ. Orat. 2. de Filio. S. Ambroſij lib. de Incarnationis Sacramento cap. 3. S. Baſilij hom. in hunc locum. S. Chryſ. hom. 2. in Io: & aliorum. Verum ſanè, vt dicebam, non videtur, quamquam in ſe veriſsima, hunc locum interpretari.

Magis inuſitata, & violenta, quam ſcriptam reliquit Origenes tomo 1. in Io: & hom. 1. in Geneſim, vt *in principio* ideſt in Filio, dicat, Verbum erat in ſe ipſo, hoc eſt Verbum erat ipſum principium: cum fidem Eccleſiæ de Verbo aſtruat D. Io: contra hæreticos, non debet obſcuritatem affectare, ſed clariſsimè loqui. Præterquamquod infra dum paucis interiectis verbis diſtinctè Verbum ſimul cum Patre fuiſſe omnium rerum principium teſtetur. *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil*, fuerat dicturus: nõ erat cur primo Euangelij verbo idem adeo obſcurè inuolueret.

Vera igitur, & loco conſentanea, & legitima illa interpretatio eſt, quam SS. Baſilius in hæc verba, Chryſoſt. in eadem verba. Athanas Orat. contra Arrianos, Aug. 6. de Trinit. cap. 2. Ambr. 1. de fide cap. 5. & Thomas in hęc verba. Quæ in principio, generale principium, non quaſi rerum factarum principium, ideſt primum quod inter

multa ſit, vt principium domus,ſcilicet fundamenta iacta: Tunc enim Verbum eſſet principium, ideſt primo loco factum,quod ambiunt hęretici de æternitate Verbi blaſphemi, ſed exiſtentiæ rerum quando cœperunt eſſe, quæ factæ ſunt, ante quod nihil factum ſit, vt ſit ſenſus. In principio,quando cœpit eſſe quod factum eſt, erat Verbum, vt inter ea non potuerit eſſe factum, cum preexiſteret, & conſequenter ſit æternum, & rerum factarum omnium potius principium efficiens: vt ad illud aliud principium viſus ſit S. Io: alluſiſſe. *In principio creauit Deus cælum, & terram*: in illo ſcilicet principio quando creatum eſt cælum, & terra, erat Verbum creans:erat enim ille Deus de Deo.

Erat,nō fuit: hęc enim temporis differentia rem iam præterijſſe, & iam fuiſſe,& deſijſſe videtur ſignificare, quemadmodum Sancti Patres Chryſoſt. loco citato,Baſilius in hæc verba.Cyrillus lib. 1. in Io: peracutè obſeruarunt.Erat inquam ab æterno, quare nunc quoque eſſe,ſemperq; futurum neceſſarium eſt; ita vt *erat* firmitatem, perennitatemq; præſeferat: tritum enim illud. *Fuimus Troes*.Omnia ſcilicet nunc in cinerem verſa, ac ſolo æquata. *Fuit* præterea exiſtentiæ initium videtur indicare: *erat* verò initium negans,in initio rerum iam erat Verbum;ſicut cum diceremus,fuit in principio cælum, quod idem ac cœpit eſſe cælum.

Verbum.Seiungamus primò certa,ac perſpecta ab incertis,& implicatis: certum enim primo loco eſt, cum duplex præcipuè ſit Verbum, vt ſupra in Commentario, aliud vocale, & externum, interius aliud,& mentis;Verbum de quo hic,non poteſt eſſe vocis,aut ſenſus:eſſet enim aperta hæreſis,Verbum ſcilicet Filium Dei æternum eſſe ſenſibilem hanc vocem,quam auribus percipimus:quam tamen effutire non erubuerunt quidam hæretici; Verbum Dei Patris eſſe ſcilicet verbum prolatum; contra quos S.Hilar. lib. de Synodis profert anathema. Si quis inſitum, & prolatum Verbum dicat. Anathema. Verbum igitur hoc non eſt quod ad nos, & ad Angelos tum in corde loquitur Dominus,tum medio quodam modo etiam aliquādo,vt ſenſu audiatur,& percipiatur, vt conſtat multis ſcripturarum locis, ſed quod ad intra, & ad ſe loquitur Pater ab æterno.

Secundum certum. Quomodocumque ex Græca voce λόγος, in Latinum verterint alij rationem, alij ſermonem,definitionem,formam,orationē &c. ex multiplici Græcæ vocis ſententia; verſionem quam amplexata eſt Eccleſia Latina Verbum ,ſcilicet, ac in editione vulgata poſt omnes editiones, quam propoſuit fidelibus Eccleſia in Conc. Trid. ac retinendam præcepit, certam eſſe, ac omnibus anteponendam.

Quod vero controuerſum, ac perobſcurum, eſt adinuenire rationem, quare tum, & quomodo varia nomina conuenire ſecundæ perſonæ, & æſtimauerint grauiſsimi ac vetuſtiſsimi Patres, tum inter ea longe conſentaneum, & optimum ſit Verbum: qui enim primò *rationem* interpretati ſunt, hac perſuaſione moti fortaſſe ſunt,vt quemadmodū ex animo noſtro abſq;vlla corruptione procedit ratio;ita,& ineffabiliter melius,Filium ex Patre æterno vlla abſque paſſione aut alteratione gigni, ita inter alios D. Nazi. orat. 4. de Theolog. D. Baſil. in hæc verba, & alij.

Alij eiuſdem rationis aliam reddiderunt rationem;ſicuti menti intima eſt ratio, ita cum Patri Filius conſubſtantialis,intimuſque ſit,conſentaneū erit ei hoc nomen. Itidem nuper citati Patres ab effectu, quia nos rationi obſequentes faciat,tollēs omne quod rationi contrarium eſt. Orig. lib. 1. in Io:Alij ideo definitionem,ac formam nuncuparunt, quod quaſi definitio naturam Patris exprimat; vnde à D. Paulo Hebr.1.*Qui cum ſit ſplendor gloriæ, ac figura*, ideſt forma, *ſubſtantiæ eius*:eodem loco D.Nazian.& Euthym.Alij definitio,quaſi definitione ſua omnia complectatur; Victorinus lib.contra Arrianos.Alij deniq;ſermonem,ceu quo ſe mundo explicauit,iuxta illud. *Omnipotens ſermo tuus de regalibus ſedibus venit*. Omnia quidem admittenda, vt tamen tanquam præſtantius quid præponatur Verbum, quod vt dicebam, omnis recipit Eccleſia.

Mirè,ac ſcitè prodit S.Aug. lib. 83. quæſt. q. 63. *Ratio enim*,inquit,*licet intima ſit mēti,originem tamen, nec proceſsionem,nec emanationem,quam verè indicat Verbum, non dicit*. Verbi enim proprium omni ex parte eſt procedere:eſt enim alicuius,quod vniuerſa ſchola teſtatur,& complectitur. Eadem eſt ratio de forma,de definitione &c. Rurſus ratio reperitur in eo, qui adhuc non ſit in actu intelligendi;at verò Verbum repugnat eſſe, niſi in actu intelligentis, quod maximè competit Deo. Præterea ſermo imperfectam implicat compoſitionem, & partes; verbum vero minimè: ſimplex etenim,& vnicum verbum poteſt integram,& perfectam complecti ſententiam. Denique verbum ex ſua intima quidditate, cum ſit mētis conceptus, & rei intellectæ expreſſa ſimilitudo, Verbo Diuino mirifice congruit: Patris enim perfectiſsima imago eſt. Poſtremo verbum omnem vim ſermonis complectitur, non autem econtra, vt conſtat. Quod verò additur, quàm perfectè collineet cum dictis, clariſsimè colligitur. Iam dixerat, Verbum, de quo inſtituit Euangelium, in principio fuiſſe, ante omnem ſcilicet rerum productionem, & ab æterno.

Nunc verò poterat quis, & non incongruè interrogare, vbi hoc Verbum ſit, quomodo ſe habeat, an ſit ſolitarium, an ad Patrem cuius eſt Verbum referatur, an in Patre ſit ſola identitate eſſentiæ, an etiam perſonæ, vel diſtincta in ſe, ac propria hypoſtaſi ſubſiſtat. Quibus omnibus paucißimis his verbis D.Io: adamuſſim, atque exquiſitè ſatisfacit, & hac breuiſsima ſententia hęc omnia complexus eſt. Verbum hoc, de quo ad vos per me Spiritus Sanctus, eſt apud Deum, ita tamen, vt non ſit ſolitarium, ſed diſtinctum à Deo, ideſt Patris perſona, ſubſiſtat, ad Deum Patrem, cuius eſt Verbum, referatur: apud Deum, non extra ſcilicet Dei Patris eſſentiam, ac ſubinde ita apud Deum Patrem, vt ſit illi prorſus æqualis: ita vnanimi com-

commentario Sancti Patres, quamuis non hęc omnino ſinguli, ſed alia alij.

SS. Chryſoſt. hom. 2. Hilarius lib. 2. de Trinit. hæc addieciſſe verba D. Io: hac in primis ratione autumant, ne (inquiunt) Verbum, quod erat in principio, eſſe ſine generationis principio à Patre, & à Patre extra (vt ſic dicam) Patris domum ſeparatnm crederetur; protinus addita ſunt ad hoc aſſerendnm, *& Verbum erat apud Deum.* Eodem loco diſtinctè S. Hilarius, Verbum his verbis apud Deum ſemper eſſe, ac permanere innui. D. Epiphanius hæreſi 93. *Verbum ideo apud Deum reuelat Euangeliſta, ne quis deceptus crederet eſſe Verbum creatum, quod in tempore Deus ad Prophetas locutus, audite inquiens Verbum Dei: eſt enim ſicut æternum, ita apud Deum Patrem, vt ſit internum in ipſo, nec ab ipſo aut eſſentia ſeparatum, aut diſtinctum; ne,* inquit, *in prolatione, ſed in ſubſtantia ſolida paſsionis experte, Deum Verbum ex Patre intelligamus, dicitur erat apud Deum.*

D. Baſilius in hæc verba, *Admirare,* inquit, *cuiuslibet vocis virtutem: non enim in Deo Verbum erat, ſed apud Deum, vt hypoſtaſeos proprietas conſiſtat: non enim dixit in Deo, ne auferendæ hypoſtaſeos occaſionem daret.* Tertullianus aduerſus Praxeam. *Sermo* (legit iſte ſermo, loco verbi) *In principio apud Patrem, non Pater apud ſermonem: nam etſi Deus ſermo; tamen apud Deum, quia ex Deo Deus, quia cum Patre apud Patrem, quod noſtrates Theologi dicerent, eſt Filius & Verbum à Patre, non Pater à Verbo.* D. Greg. Nyſſ. hom. de fide. *Apud Deum ſignificat quod nihil deſit Filio in comparatione Patris; cum toto namque Deo totum ſimul conſideratur Verbum.*

Sed vt res hæc maximi momenti penitius introſpiciatur; illæ duæ voces *Apud*, & *Deum* exactius expendenæ. *Deum*, ſecundo loco poſitam dictionem communi, ac certa expoſitione Sancti Patres interpretantur Patrem. Chryſoſt. hom. 2. Baſil. in hæc verba. Hilarius 2. de Trinit. Athanaſ. Oratio ne quod Deus de Deo ſit Verbum. Beda Theophylactus, Euthymius &c. ſolus D. Aug. 6. de Trinit. cap. 2. Deum vt communem tribus vſurpat, inuſitata, & ferè violenta expoſitione: quare à prima non eſt diſcedendum. Quod ſi quęras, quare ergo non dixit D. Io: apud Patrem? quia Verbum adhucnon dixerat Filium. Circa *Apud* verò, quod Gręci πρὸς τὸν θεὸν, in duas Claſſes ſecti ſunt SS. Patres DD. Ireneus lib. 3. cap. 8. Athanaſ. loco iam recenſito. Aug 6. de Trinit. cap. 2. Fulgentius lib. 3. ad Monim. idem opinantur eſſe apud Deum, & in Deo. *Apud* enim & *In* in Diuinis litteris adinuicem confundi docent. Quod D. Fulgentius eo loco probat, hic Filius & Verbum ita eſt apud Deum, vt de ſe loquitur idem Verbum, *Ego in Patre, & Pater in me eſt.*

Verum ij Patres, qui ſupra *Apud* indicare diſtinctionem dixerunt, oppoſitum ſentiunt, nimirum Chryſoſt. Cyrillus, & Theophilactus: & aliud eſſe *Apud*, aliud *In* conſentaneè volunt: *In* enim accidentium eſt, vt non rectè diceretur, color eſt apud me, rectius verò in me. *Apud* vero ſubſtantiæ; atque perſonæ magis proprium. Deinde Io: 14. *Qui videt me, videt & Patrem meum, quia ego in Patre, & Pater in me eſt,* interpretantur Patres, quos refert Magiſter ſent. in primo diſt. 19. & ſeqnnntur Scholaſtici, Chriſtum Dominum his verbis ſe Denm eſſe & eiuſdem naturæ, ac Dininitatis cum Patre. D. enim Fulgentius lib. de fide ad Petrum. *Propter naturalem vnitatem,* inquit, *totus Pater in Filio, & Spiritu Sancto, totus quoque Spiritus Sanctus in Patre, & Filio, Nullus horum extra quemlibet ipſorum eſt, propter naturæ Diuinæ vnitatem &c.* D. Hilarius 3. de Trinit. poſt multa, *Patrem ergo in Filio, & Filium in Patre eſſe, plenitudo Diuinitatis in vtroque perfecta eſt.* Et lib. 7. Eadem verba longa ſuauique verborum connexione ad idem prorſus interpretatur.

Clarius D. Ambroſius in 2. Epiſtolam ad Corinth. 5. *Per hoc enim,* ait, *intelligitur Pater eſſe in Filio, & Filius in Patre, quia eſt eorum ſubſtantia: ibi enim eſt vnitas vbi nulla diuerſitas eſt*: ergo ex his Patribus *In* magis ad vnum & idem indicandum ponitur in Deo, quàm ad diſtinctionem perſonarum innuendam; ad quam *Apud* hoc loco poſitum eſſe, concordem Patrum commentationem audiuimus. Rurſus D. Io: Verbum Patri conſubſtantialem, eiuſdemque naturæ, ſequentibus verbis vt conſtabit, traditurus eſt, *& Deus erat Verbum*: ergo hoc loco per particulam *Apud*, potius diſtinctionem perſonarum, quàm naturæ identitatem conſentaneum eſt quod voluerit indicare. Ad quod præſtandum magis idonea, & ex vſu conſueta particula *Apud*, quàm *In*. Caiet. vocem Græcam πρὸς rectiſſimè obſeruauit æque poſſe verti *Ad* ac *Apud*: at verò *Ad* dicit apertam diſtinctionem, & relationem: ergo & *Apud*.

Miratur tamen hic alioquin vir valde Doctus, & moratus, fuiſſe quoſdam, qui *Apud* dicere Verbi ad Patrem relationem interpretati ſunt, & hac ratione miratur. Nollem aſſueſcere lectorem iſtis ſubtilitatibus, quas raro admittit Diuinæ Scripturæ grauitas, & qui eas ſectantur, in pueriles ſæpe errores incurrunt. Ego verò valde miror ipſum mirari, & horum expoſitorum ita ſententiam deridere, cum quod fidei dogma eſt his verbis produnt. Theologorum namque ſolidum, ſtabilitumque theorema eſt, Perſonas Dininas diſtingui, conſtituique relationibus, adeo vt oppoſitum, aut Arrianiſmum, aut Sabellianiſmum redoleat. Si enim abſolutis diſtinguuntur: ergo differunt ſubſtantia. Quod ſi ita apertè falſum: ergo aut nulla diſtinctione diſtinguuntur, quod impiò Sabellius digrunniebat, aut relationibus diſtinguuntur. Quod vero puerile ſit hoc edocere, non video. Quod ſi diſtingui, & referri in Dininis res eadem prorſus ſit, velimus, nolimus, Patres dictionem *Apud*, qui ſcriptis nobis reliquerunt indicare diſtinctionem, indicare & relationem pariformiter conſenſerunt.

Ex his ita explicatis duabus particulis euiden-

tior tum verbotum ſententia, tnm de Verbi Diuini diſtincta à Patre perſona, origo, relatio, & æqualitas, & quã contra hæreticos tradebat S. Io: veritas conſtat: ſed præſſius ſequentibus verbis Verbi Diuinitatem vrget Enangeliſta.

Et Deus erat Verbum. Ita conſtruenda, ac ordinanda verba. *Verbum erat Deus*: vt eruditè, ac verè D. Baſilius in hæc verba, & D. Hilarius 7. de Ttinit. docnerunt; & tatio eſt aperta, quam Sancti Io: ſententia poſtulat. Non enim de Deo ſimpliciter, ſed de Verbo inſtitutum eſt caput, et iam *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum*, cœperat dicere; rationi conſentaneum eſt, vt & *Verbum erat Deus* ad ſuam proſequendam ſententiam dicat. Quibus vetbis contra omnes hæreticos Verbi Diuinitatem negantes apertiſsima veritate fidei veritatem ſtatuit, *Verbum erat Deus*: Innuens ſimul primò, Verbum, cum ſit Deus, neceſſariò eiuſdem naturæ cum Patre, ex Moyſis doctrina, qui vnum eſſe Deum reuelauit, ac Iſraelem docuit. Si namque Pater eſt Deus, vt iam dixerat, & itidem ſi Verbum eſt Deus, cum Deus vnus ſit: ergo Pater, & Verbum vnus Deus. Secundò. Si eiuſdem ſubſtantiæ, attamen diſtinctæ perſonæ, neceſſarium eſt Verbum à Patre procedete. Ad quam originē innuendam affabrè quidem obſeruarnnt, ad vocem *Deum* ſupra, *Et Verbum erat apud Deum*, annexum articulum Græcum Ton Teon, ideſt Deum illum: ad vocem verò eandem hoc loco, *& Verbum erat Deus*, non eſſe adiunctam, hac ſcilicet ratione, non ad inæqualitatem perſonarum indicandam, quod blaſphemi detorſerunt Arriani; ſed vt originem hanc Verbi à Patre, non è contra inſinuarent, præter alias rationes, quas contra eoſdem Arrianos ex Patribus colligunt tecentiores.

Tres igitur veritates hucuſque de Verbo tradidit S. Io: Primam, eius æternitatem, *In principio erat*. Secundam, condiſtiuctam perſonam, ne Vetbum accidentarium, & menti inhærens exiſtimaretur ſicut noſtrum, *& Verbum erat apud Deum*. Tertiam denique, eiuſdem vnicam cum Patre Deitatem, vt eadem Deitate ſit cum Patre vnns Deus, ne aut plures Deos, aut diuerſæ naturæ Filium à Patre, ac ſubinde non Deum eſſe, quis deceptus ſibi perſuaderet, *& Verbum erat Deus*.

Sed addit quartam nobis hoc loco pro noſtro propoſito poſtremã. *Hoc erat in principio apud Deum. Hoc*, primo loco referri ad Verbum, quod vltimo loco protulerat, & omnes obſeruant, & ratio vocis ex Grammatices vi poſtnlat, vt quod propinquius eſt demonſtret, ſicuti oppoſitum præſtat hæc vox *Illud*, & D. Io: ſcopus, & intentio de Verbo ſcilicet in primis contra hæreticos decernere. Quę vero ſit his verbis ſubiecta ſententia, & quorſum eadem repetierit ſerè verba D. Io: cum iam nuperrimè dixerit, *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum*, diſquirendum. *Facit*, inquit D. Baſilius, *hoc loco praecellentiſsima Theologiæ, quam de Diuino Verbo tradidit, ſummã: & perpulchre vna ſententia*, ait Rupertus, *cõprehendit, quæ iam tribus propoſitionibus expreſſit*. Quod ſi duas dumtaxat viſus ſit repetijſſe, tertiã prætermiſſa, *Deus ſcilicet erat Verbum*, reſpondet S. Th. includi illa particula *Hoc*, hoc ſcilicet Verbum, quod erat Deus.

Qua verò ratione hac repetitione & ſumma opus erat? Primò, vt omnes excluderet cauillationes, ne quis ante relatas de Verbo veritates ſingillatim quidem eſſe veras, Verboq; competere, ſimul verò nequaquam, tergiuerſaret. Contra Cherintum & Ebionem Diuini Verbi ęternitatē negantes, ſed ab vtero Mariæ abſolutè incœpiſſe hæretici grunnientes, non ſatis dixit Sanctus Euangeliſta cõtra, & Verbũ diſtinctè ſuiſſe in principio, deinde apud Deum, tum Deum eſſe protuliſſe: ſed omnia colligens in vnum, vehementius voluit hoc Verbũ, idem quod etat apud Deum, & erat Deus, & erat in principio ante incarnationem ab æterno, neq; in principio habuiſſe carnem, ſed eo tempore quo teſtatur Euangelica hiſtoria aſſirmare: contta enim iſtos verſipeles, & tortuoſos hæreticos nunquam videtur ſatis clarè, ac dilucidè dictum, & tepetitũ.

Rurſus ne ertaremus, intelligendo Verbum quidem ſuiſſe in ptincipio, ſed non fuiſſe in principio apud Deum Patrem, ſed potius aliquando ei fuiſſe contrarium, ſicut de Dijs ſuis ſolent gētes fabulari: Ita Tophilactus. Præterea, aliud Verbum eſſe quod erat in principio, aliud quod erat Deus: non enim defuturi erant hæretici, quos ſpiritu, vt iam obſeruatum eſt, pręuiſerat prophetico Euãgeliſta, Eunomiani ſcilicet, qui vt refert S. Cyril. aliud eſſe Verbum interius, & inſitũ naturaliter Deo, aliud quod in Diuinis Scripturis Filius Dei dicitur, per quod omnia facta ſunt; idem eſſe teſtandum erat, ac *his* vetbis teſtatur hic Spiritus Sanctus.

Iterum nequis, teſte S. Chryſoſt. hom. 3. Patrem Verbo eſſe ſeniorem, licet iam apud ipſum fuiſſe aſſertũ ſit. S. Th. aliam elegantem, atq; ad tē facientē binã eſſe rationem in dictione illa *hoc*, & hanc vim obſeruat, vt primò voluerit S. Io: dicere, Iã Verbum fuiſſe à principio, ſatis iam effatum eſt: at ne quis fortaſſe deluſus, ſimul cum Verbo aliud quoq; ſcilicet mundũ fuiſſe in ptincipio, & ab æterno ſibi perſuaderet; repetit *Hoc* ſcilicet verbum, ita ſuit in principio, vt ipſum ſolum fuerit ante omnem creaturã. Emphatica ergo eſt vox illa *hoc*. Secundò. Hac collecta repetitione teſtatã nobis Vetbi cum Patre coæternitatem reliquit, ita ſecnti S. Th. quoq; Liranus, & Cartuſianus: ſed omnes ex D. Baſilio: hom. enim ſæpè in hæc verba citata, his vetbis Verbum ſemper cum Patte, & apud Patrē fuiſſe ſeliciter expoſuit. Ex quo & D. Ambr. lib. 1. de fide cap. 5. Quod etat in principio apud Patrem, ſempitetnæ Diuinitatis Patri & Filius inſeparabilis vnitus edocet ur.

Sed mira quæ excellenti zelo veritatis ducti dequatet repetito paucis verbis, *erat*, prodiderunt. Quare, inquit venerabilis Beda, quater dicit euang. etat, erat, erat, erat? vt intelligeres omnia tempora præuenire Verbum coætetnum Patri. erat (ante Bedam D. Ambr. lib. 1. de fide ad Gratianum cap. 5.) erat erat erat, quater erat. Vbi impius hæreticus inuenit vbi non erat? eandem veritatem his quatuot erat S. Baſilius vehementer teſtatus eſt his vetbis. Quornm hic erat in hæreti-

reticorum blaſphemiam confutabis, qui dicũt non erat. Denique in hoc verbo *erat*, indeterminate prolato, magnam agnoſcunt probandæ æternitatis vim, & confitentur SS. Patres. Quid eſt iſtud in principio erat? S. Hilarius 2. de Trinit. *tranſeunt tempora, tranſcendunt ſecula, tolluntur ætates.* quod alijs verbis & D. Cyrillus c. 1. in Io: D. Ambr. loco citato. D. Baſil. 2. contra Eunomium, comprobant &c. quibus quaſi noua ratione tantorum Patrum nomine ſuffulta, quàm ſcitè hanc quartam propoſitionem, qua reliquas tres collegit, addiderit S. Io: perſpicuè emergit.

Ergo hoc Euangelij initio in medium prolato, ac Sanctis Patribus enucleato, perfectiſſima de Diuino Verbo Theologia aperta eſt, æternitas ſcilicet. *In principio erat Verbum*, perſonalis à Patre, ac realis diſtinctio, & origo: *& Verbum erat apud Deum*, eadem cum Patre Diuina, ac conſubſtantialis natura: *& Deus erat Verbum*, Verbum vnicum ſemper conforme Patri, eique propria ſoli cum Patre, & Spiritu Sancto æternitas, vt reliquum omne aliud, cunctaque, quæ cælorum ac terræ ambitu continentur, creata, producta que in tempore ſint. Et hinc ipſius Verbi cum Patre omnipotentia: omnia enim per ipſum facta ſunt: & hinc omnis profligata hæreſis, fundituſque euerſa contra Verbi Diuinitatem, & Aebionis impij, Dominum Ieſum Chriſtum ex Ioſeph, & Maria eſſe natum, qui homo quidem erat, ſed virtute, vitæque innocentia, & integritate alijs antecellebat, Verbum tamen erat, & Verbum Diuinum. *In principio erat Verbum, & Deus erat Verbum*. Et Cherinthi idem inter alia monſtra hæreſis effutientis ijſdem verbis, & Antemonis, & Pauli Samoſateni Artemonis aſſeclæ, & Arrij, & Eunomij, Verbum creaturam blaſphemantium, & Sabellij Diuinas perſonas confundentis, & inter eas omnem veram, ac realem diſtinctionem negantis: Verbum enim erat Deus, & Verbum erat apud Deum, & hoc erat in principio &c.

Scio quoſdam vafros, & impudentiſſimos hæreticos ex Sacerrima verba expungere, corrũpere, & in prauos ſenſus detorquere ad ſuam hæreticam ſententiam tuendam: ſed hæc omnia abſoluerunt, & iam per omnia ſæcula omnes eorum fraudes detectæ, expunctæ, & deſtructæ ſunt, & veritas etiam vberrimo Martyrum ſanguine firmata.

Verum ad Verbi Diuinitatem demonſtrandam, mira efficacitate ex eius omnipotentia in creando omnium creaturarum mundo deſeruit confirmare, & interpretari per ſequentia verba Io: *Omnia per ipſum facta ſunt*; ita vt ſine ipſo prorſus factum nihil ſit ex his quæ facta ſunt. *Omnia* aliquando in Diuina Scriptura dicit quidem multitudinem; admittit tamen ſimul alicuius excluſionem, vt non omnes partes multitudinis complectatur. ad Philip. 2. *Omnes quæ ſua ſunt quærunt.* 1. Cor. 9. *Omnis qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet*: ſunt enim aliqui, qui non quæ ſua ſunt quærunt; neque neceſſe eſt omnes in agone contendentes ab omnibus ſe abſtinere. pſal. 13. *Non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum*, & plurima id genus loca. Ne ergo quis & hunc locum, hancque vocem *Omnia* hoc loco ſimili gloſſa poſſe gloſſare exiſtimaret; vt aliquid poſſit dici factum, neque tamen à Verbo Diuino, addidit negationẽ, *Sine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt*. vt confirmaret omnia adeo Verbum feciſſe, vt ne vna quidẽ res ſine ipſo facta ſit.

Sed ſingula verba ſeiunctim æqua, & rigoroſa lance libranda, ſi prius tamen animaduerſum fuerit quàm varia inter Patres ſit horum verborum lectio. Ne tamen debito, ac propoſito huius loci prolixior ſim, inter multas, quæ apud præcipuos D. Io: expoſitores recentiores collectæ legi poſſunt, lubet excipere illam, & amplecti, quam ſecuti ſunt D. Iren. lib. 3. contra hæreſ. cap. 11. D. Chryſ. hom. 4. D. Hieron. in Amos. cap. 6. D. Greg. Nazian. Orat. 5. Theol. & paſſim hanc lectionem ſequuntur Catholici Scriptores ſoluentes hæreticorum argumenta contra Spiritum Sanctum, qui & ipſum eſſe factum tanto auſu aſſerebant, quia omnia per Verbum facta ſunt. Ergo & Spiritus Sãctus hac lectione reſpondebant, ita omnia facta ſunt, quæ facta ſunt: ſine enim ipſo factum eſt nihil quod factum eſt, ideſt ex his quæ facta ſunt. Ergo

Obſeruanda illa vox prima. *Omnia*, quod primò S. Io: hac vnica voce comprehendit, quæ longo diſcurſu recenſuit, & diſtinxit ſuo Cronico Geneſ. ac creationis mundi Moyſes. *In principio creauit Deus cælum & terram*; & hac ratione fuſius Moyſes, quia populo carnali ſolum materialem mundi creationem ſuſceperat referre; breuius verò, ac conciſius S. Io: quia ad difficiliora properabat, & altioris ordinis, Incarnationem ſcilicet Verbi, & mundi redemptionem.

Eadem quæ hoc vnico verbo *Omnia* complectitur Euangeliſta, præclarè Prou. 8. Salomon digeſſit, ac diuina elocutus eſt eloquentia. *Dominus poſſedit me* (loquitur Verbum, & Diuina Sapientia) *in initio viarum ſuarum*, & poſſediſſe interpretatur D. Hier. Epiſt. ad Cyprian. quia Filius eſt in Patre. Itidem quia Filius eſt Sapientia Patris, quam veluti opulentiſsimum theſaurum poſſidet Pater in initio viarum ſuarum, ideſt in principio operationum ſuarum, antequam quicquam faceret à principio. Quod Io: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum &c.*

Quod ait, *Omnia per ipſum facta ſunt*. Salomon. *Quando præparabat cælos, aderam &c. cum eo cuncta componens &c.* D. Paulus ad Coloſ. 1. de Verbo verba faciens, *Quoniam in ipſo condita ſunt vniuerſa in cælis, & in terra, viſibilia, & inuiſibilia, ſiue Troni, ſiuè Dominationes, ſiuè Principatus, ſiuè Poteſtates, omnia per ipſum, & in ipſo creata ſunt, & ipſe eſt ante omnes, & omnia in ipſo conſtant.* & ad Hebr. 1. *Per quem fecit & ſæcula.* Ergo Manichęi hic inſulſè, & turpiter, & hæreticè aſſeruerunt, Deum dumtaxat ſpiritualia creaſſe; ſenſibilia vero, ac corporea nequaquam. Quorum meminerunt S. Iren. lib. 3. contra hæreſes cap. 11. & S. Aug. lib. de hæreſib. Conſimili hæreſi infectus Heracleon, vt refert Orig. in Io. dum Verbum ſenſibilia, non autem ſpiritualia creaſſe autumabat cõtra hanc aſſertam fidem: *Omnia per ipſum facta ſunt.*

Ijſdem verbis interimitur & alia turpior, & ſceleratior hęreſis Macedonij, *in* Spiritus Sancti Diuinitatem blaſphemãtis, vt paucis ſupra cœpimus indicare; Spiritum enim Sanctum creaturam, ſactam per Verbum, quia *omnia per ipſum facta ſunt*, inſuetiſsimè, & hæreticè blaterabat. Quam hęreſim boc loco deteſtati ſunt S. Ambr. lib. de Spirito Sancto cap. 2. S. Nazian. Orat. 2. Cyril. lib. *1*. in Io. S. Chriſoſt. hom. 4. & dæmoniacam argumentationem diluerunt. Non omnia, vt dicebamus ſupra, per Vebum facta ſunt, aliàs & ipſe Pater factus fuiſſet, ſed illa, quæ facta ſunt, per Verbum, & Patrem, & Spiritum Sanctum facta ſunt: opera enim ad extra Sanctiſsimæ Trinitatis communia ſunt, & indiuiſa*:* & Diuina Scriptura multis locis Spiritum Sanctum factorem mundi teſtatur, & doctiſsimè proſequitur S. Ambr. lib. 2. de Spiritu Sancto.

Secunda vox *Per*: omnia enim per ipſum facta ſunt. Mentiti ſunt in animam ſuam hoc loco Arriani, cum hanc vocem *Per* interpretati cauſam inſtrumentalem, Filium minorem Patre, ac ſubinde creaturam hæreticè crediderunt, vt S. Cyril. lib. 1. in Io: S. Baſil. lib. de Spiritu Sancto. S. Chryſoſ. hom. 4. S. Ambr. lib. 4. de fide cap. 4. ſolertiſsimè obſeruarunt. Sed quid ſtultius? quid inſulſius? hoc enim modo & Pater eſſet inſtrumentum: nam 1. Cor. 1. D. Paulus. *Fidelis Deus, per quem vocati eſtis in ſocietatem Filij eius*. ad Galat. 4. *Si Filius, & hæres per Deum*. Prou. 8. *Per me Reges regnant, per me Principes imperant*. Ergo *Per* hic dicit cauſam efficientem, primam, & principalem, per quam Verbum cum Patre, & Spiritu Sancto fecit omnia: neque enim cum vna perſona aſſeritur, in ijs quæ ad efficientiam ſpectant, & ad eſſentialia, excluditur altera. Neque ergo hoc loco, cum Pater per Filium fecit omnia, *Vniuerſa enim*, inquit S. Cyril. vbi ſupra, *ex Patre per Filium in Spiritu Sancto facta ſunt*. Conſubſtantialitatem, ac conſubſtantialem virtutem Filij cum Patre hæc vocula *Per* mirificè aſtruit.

Licet non negandum, imò ſerio aſſerendum, ita hic per Filium Patrem feciſſe mundum, vt non Filius per Patrem, ſapientiſsimè aſſertum ſit ad hanc inſinuandam veritatem; quod Filius cum Patre creauerit, & potuerit creare mundum, boc à Patre per æternam generationem habuit: quemadmodum enim ab ipſo eſſentiam accepit, accepit pariter & potentiam, & creandi vim. Illud ergo *Per* æqualitatem quidem, & identitatem in eſſentia affirmat, ſed pariformiter perſonalem à Patre originem; & ſic vnitatem, & diſtinctionem. Quod ſi communicauit eſſentialem entitatem: ergo Verbum non eſt inſtrumentum. Tota vero Schola clamat, inſtrumentum haud aſſumi poſſe ad creandum.

Non deeſſent & alia hac notula abſcondita myſteria, quæ ſi hoc loco recenſere cuncta vellem, nimis lectorem onerarem: vnum non prætermittam; quod dixerit Io. omnia per Verbum facta, vt Verbum eſſe omnium quæ fiunt, fierique poſſunt, idæam, & exemplarem cauſam, quemadmodum omnes fatentur, & tradunt Theologi, quod expreſsiſsimè hic commentauit S. Aug. his verbis. *Priuſquam aliquam machinam conſtruas, conſilium præcedit: attendunt homines mirabilem fabricam, & mirantur conſilium fabricantis: Conſilium Dei Verbum Dei eſt; attende fabricam iſtam mundi, vides quæ facta ſunt, & Verbum cognoſces quale ſit*.

Facta. Verbum *facere* hoc loco eſt idem ac ex nihilo creare. *In principio creauit Deus cælum, & terram*, & pſal. 123. *Qui fecit cælum & terram*. Si omnia per ipſum facta ſunt: ergo facere eſt creare. Secundò. Cum alia de rigore, ac formaliter creata ſint, vt ſpiritualia, materia &c. alia ſucceſsiuè ex iam creata materia facta; vt vtraque, & vtrumque modum producendi complecteretur, dixit *facta*, & non creata.

Et ſine ipſo factum eſt nihil quod factum eſt. Iam quod ſupra dictum, & obſeruatum eſt, veriſſimum eſt*:* voluit enim D. Io. hic primò quod affirmando dixerat; *Omnia per ipſum facta ſunt*, non negando magis affirmare, ac confirmare; ita vt ſic omnia ſint facta, vt nihil eorum, quæ facta ſunt, ſit, quod non fecerit Verbum. Secundò. Ita excludit hæreſim Macedonij de Spiritu Sancto.

Quare *Nihil* perperam hæretici Manichæi, vt refert S. Aug. de natura boni. cap. 22. ſumendo propoſitionem hanc affirmatiuam: *Nihil*, ideſt mundum corporeum, ac ſenſibilem, ſine Verbo, ſed à dæmone factum, interpretati ſunt. Neq; quidam Catholici, quos D. Hieron. Michęę 2. recenſet, admodum eruditè, ſed quandam vim Sacræ Scripturę inferentes, *Nihil*, ideſt diabolum ſine Verbo factum eſſe aſſeruerunt, quoad morem ſcilicet, ac malitiam: ſi enim quoad ſubſtantiam, manifeſtum errorem protuliſſent. Et Orig. hom. 2. in diuerſ. *Nihil*, ideſt peccatum, quod non eſt ens, innui voluit. Quod licet in ſe veriſsimum ſit*:* ſine Deo enim fit; ad hunc tamen locum, quem nunc exponimus, nulla recta ratione attinet*:* ſic enim tollit Scripturæ ſimplicitatem, & conſuetum dicendi modum inuertit, & dictum negatiuum in affirmatiuum conuertit. Communi ergo expoſitioni iam ſupra indicatæ ſtandum.

Sine ipſo, hoc eſt extra ipſum: nihil enim factum eſt; quod & per ipſum non ſit factum, *& in* ipſo non fuerit, ac ſit, iuxta illud D. Pau. ad Coloſ. 1. *Omnia per ipſum, & in ipſo creata ſunt*. quibus Verbum non ſolum factorem, ſed etiam conſeruatorem fatemur: omnia enim ſine ipſo conſeruatore ad nihilum redigerentur. *Auertente te faciem turbabuntur*, ait Dauid.

Iterum *ſine*, teſte D. Hilar. 2. de Trinit. Societatem cum reliquis Diuinis perſonis in mundo creando aſſerit, vt Pater ſine Filio nihil fecerit, ſed omnia cum Filio, ac Spiritu Sancto, quemadmodum ſupra, *Omnia per ipſum*, ideſt cum ipſo ſimul, quia ad creandum vnica Diuinarum perſonarum natura, & virtus. Ergo his omnibus verbis, hocque contextu S. Io. & naturam Verbi, quod incarnatum eſt, ſcilicet Diuinam cum Patre eandem, & originem à Patre, & cum eodem Patre virtutem, ac potentiam mirificè pateſactam eſſe, conſpicuè conſtat.

CA-

CAPVT VI.

An Verbum cognoſcibile ſit cognitione naturali, & quid vetuſtiſſimi Philoſophi de eo cognouerint, & aſſeruerint.

NOn acta agere nos hìc, ex propoſitæ dubitationis formula præmonſtratur: licet enim quæſt. 1. Sanctiſſimæ Trinitatis myſterium ſolo lumine naturæ, abſque Dei reuelatione ab homine attingi non poſſe expenſum, diſcuſsum, ac de fide eſſe ſtabilitum ſit; non otioſa tamen, nec inutilis eſt hic aſſumpta dubitatio: non enim eſt eadem, nec ad idem: quærebatur ibi præſsè, an homo cognitione naturali poſſet aſſequi &c. hìc latius, an aliqua alia cognitione antiquitas Philoſophorum eouſque deuenerit, vt inter perſonas Diuinas præſertim Verbum cognouerit. Dixi Verbi nomen, ſæpè enim numero inuenitur, legitur, & ſermo habetur apud vetuſtiores Philoſophos de Verbo.

Bipartita verò eſt propoſita dubitatio, & prima pars eſt, an quicquam cognouerint de Verbo: ſecunda verò quid.

Sed priuſquam ſuſcipiam breuibus vtramque diſcutere, cenſeo ſeiungere Sibyllas, quas Clemens Alexandr. 1. Stromatum teſtatur D. Paul. Apoſt. ſuaſiſſe legendas. *Libros Græcos*, inquit, *ſumite, agnoſcite Sibyllam quomodo vnum Deum ſignificet, & ea quæ futura ſunt*. & D. Hieron. lib. 1. contra Iouinianum. *Sibyllarum* ait *inſigne virginitatis præmium diuinatio*: & eod. Clemente citato loco, *quidam homo Hyſtapſis dictus, quem his verbis legendum S. Paulus hortabatur: Hyſtapſeon legite, & inuenietis Dei Filium*: ita vt, qui fuere inter hebræos Prophetæ, inter gentes fuerint Sibyllæ, eodem ſancto Spiritu Diuiniſsimo, ac reuelatione afflatæ Chriſti venturi myſteria reuelantes.

D. Iuſtinus Martyr in 2. Apolog. pro Chriſtianis ad Antoninum Imperatorem teſtatur à Tyrannis gentium opera dæmonum ſub pœna mortis cautum fuiſſe ne legerentur Hyſtapſis, Sibyllarum, ac Prophetarum vaticinia, his verbis. *Opera malorum geniorum mors conſtituta, & definita eſt in eos, qui Hyſtapſis, vel Sibyllæ, vel Prophetarum vatuumq. libros legunt, vt metu homines qui legunt abducant ab eo, ne bonarum rerum cognitionem accipiant, ſibi autem ſeruos eos detineant: quod quidem tādem minimè perficere potuerunt*. & Nicephorus lib. 8. Hiſtoriæ Eccleſiaſt. cap. 25. docet à Græcis, ideſt Sibyllis, Diuinas res eſſe prædictas, ita vt qui omnia dicta, vel potiora ordine colligeret, & locaret, totam Chriſti vitam, myſteriaq. inſigniora Euangelij ob oculos poſita, fidei oculo quiſquis poſſet intueri. Has ergo non complectitur, quin potius excludit noſtra propoſita dubitatio: certum eſt enim Diuina reuelatione eas didiciſſe quæ dixerunt.

Primam dubitationis partem affirmantem ſuſcipio, eamque ex vetuſtiſsimis Patribus confirmo. Primò enim Lactantius lib. 4. Sap. cap. 9. his verbis diſertè fatetur. *Hunc ſermonem*, ideſt Verbum Diuinum, *nec Philoſophi quidem ignorarūt; ſiquidem Zeno naturæ diſpoſitorem, atque opificem vniuerſitatis Logon prædicat, quem & fatum, & neceſſitatem rerum, & Deū, & animum Iouis nuncupat. Nam Trimegiſtus, qui veritatem penè vniuerſam neſcio quomodo inueſtigauit, virtutem, maieſtatemq. Verbi ſæpè deſcripſit*. & eod. lib. cap. 27. Trimegiſtus ait de Deo Patre omnia. Theodoretus, *Plotinus*, inquit, *ac Numenius explicantes Platonis mentem, tria aiunt poſita eſſe à Platone æterna, ipſum nimirum bonum, mentemque, & huius vniuerſi animam: vocat enim bonum, quod nos Patrem dicimus, mentem verò, ſeu intellectum, quem nos Filium, Verbumq. appellamus; potentiam verò quæ animet omnia, & viuificet, animam vocat eam, quam ſacræ Litteræ Spiritum ſanctum appellant*. Atque hæc ipſa, vt ſæpè dixi ex hebræorum ſapientia, & Theologia ſubducta ſunt.

Clemens Alexandr. lib. 5. Strom. Plato, inquit, apertè in epiſtola ad Heraſtum, & Coriſcum, videtur neſcio quo modo oſtendere Patrem, & Filium ex ſcripturis Hebraicis, cum ita eos hortatur, Iurantes ſtudio adhibito à Muſis non alieno, & ſtudij ſorore diſciplina, Deum ipſum, rerum omnium cauſam, & Principis, & cauſæ Patrem, Dominum iuretis, quem ſi rectè philoſophati fueritis, intelligetis. Et quæ eſt in Timæo Concio, Patrem vocat Opificem, ſic dicens. Dei Deorum, quorum ego ſum Pater, & Opifex operum. Quare quando etiam dicit: Circa omnium Regem ſunt omnia, & illius cauſa omnia, illum quoque omnium cauſam appellans, ſecundum autem circa ſecunda, & tertium circa tertia, Non aliter ego exaudio, quàm Sanctam ſignificari Trinitatem. Nam tertium quidem eſſe Spiritum ſanctum, Filium autem ſecundum, per quem facta ſunt omnia ex voluntate Patris. Ita Clemens refert.

D. Cyrillus lib. 8. contra Iulianum aſſerit, Philoſophos affirmaſſe eſſentiam Dei vſque ad tres ſubſiſtentias attingere, interdum & nomen Trinitatis ponentes his verbis. *Primum auctorem ſummum conſtituunt, ſtantem, immobilem, beneficum per omnia, & illum eſſe dicunt Bonum: ex ipſo autem factam eſſe mentem, quam ſecundum nominant Deum, & præſidentem mundo opificem. Præterea & tertium narrant mundi Animam &c.* adducitq. eodem libro Porphirium referentem Platonis hanc ſententiam. Diuinam eſſentiam ad tres attingere ſubſiſtentias.

D. autem Auguſt. cæteris planius, & vberius: nam lib. 7. Confeſſ. cap. 9. quaſi Deo gratias ex corde agens, *Procuraſti mihi*, inquit, *per quendam hominem immaniſſimo typho turgidum, quoſdam Platonicorum libros ex Græca lingua in Latinam verſos: & ibi legi, non quidem his verbis, ſed hoc idem omnino multis & multiplicibus perſuaderi rationibus, quod in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil; quod factum eſt in eo*

eo vita erat, & vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt &c. Ibi non legi: Et Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis. Addit vero mira alia, quæ de Filio Dei inuenit: ſequitur enim. *Iudagaui quippe in illis litteris variè dictum, & multis modis, quod ſit Filius in forma Patris, non rapinam arbitratus eſſe æqualis* Deo, *quia naturaliter idipſum eſt &c.* & quæſt. 32. in Exod. difficilè reſtatur eſſe explicatu, cur in tertia plaga Magi Pharaonis defecerint, dixerintque. *Digitus Dei eſt hic &c.* Digitum autem Dei eſſe Spiritum Sanctum docet. Deinde. *Commendatur fortaſſe Trinitas, & quod verum eſt, Philoſophi gentium quantum in eorum litteris indagatur, ſine Spiritu Sancto Philoſophati ſunt, quamuis de Patre, & Filio nou tacuerint &c.* & lib. de quinq; hæreſibus cap. 3. loquens de Mercurio. *Scripſit*, inquit, *Mercurius librum, qui* λόγος τέλος Logos Telos, *ideſt perfectum Verbum. Magnum nomen libri huius, quia magnus eſt, de quo ſcriptus eſt liber: quid enim perfectius Verbo, qui ſolus eſt inter mortuos liber?* Audiamus quid loquatur Mercurius de Verbo perfecto. *Dominus*, inquit, *& omnium factor* Deorum *ſecundum fecit* Dominum *&c. quoniam ergo hunc fecit primum & ſolum, & vnum, bonus autem ei viſus eſt, & pleniſsimus omnium bonorum, lætatus eſt, & valde dilexit, tamquam vnigenitum ſuum.* Præterea alio loco. *Filius benedicti* Dei, *atque bonæ voluntatis, cuius nomen non poteſt humano ore narrari.* Ita Mercurius antiquitate, & eruditione mirandus apud D. Aug. commemorato loco, qui hæc de Verbo interpretatur. Idem Mercurius in Pimandro. *Mens*, inquit, *Deus vtriuſque ſexus fœcunditate pleniſsimus, vita, & lux, cum Verbo ſuo mentem alteram opificem peperit, qui quidem* Deus *ignis, atque Spiritui nomen.* eodem libro. *Mens* Deus *tuus, mentis vero germen verbum, lucens Dei Filius*. Quid clarius ad Ethnico de Diuinis perſonis audiri poteſt?

Sed hæc, & multo plura, quæ poſſent colligi, & coaceruari huius generis; vnde ſine fide diſcere, audire, legere potuerunt? certo enim certius, vt ſupra ſuo loco patuit, ratione naturali homines illos attingere non potuiſſe, teſtante Euangelio. *Nemo nouit Patrem niſi Filius, & cui voluerit Filius reuelare*, neque fidem habuiſſe, ab omnibus hoc loco ſupponitur.

D. Bonauentura indicato loco diſt. 3. quæſt. 4. his verbis ferè ſoluit. Philoſophi nunquam cognouerunt per rationem perſonarum Trinitatem, nec pluralitatem, niſi habuerint aliquem habitum fidei (non dicit habitum fidei abſolutè, ſed aliquem, quem verò? ſicut habent hæretici, materialem ſcilicet & humanum) vnde qui dixerunt hanc Trinitatem, aut locuti ſunt non intelligentes, aut fidei radio illuſtrati. Eſt alia Trinitas appropriatorum, ſcilicet veritas, vnitas, & bonitas, & hanc cognouerunt, quia habet ſimile, ſcilicet in creaturis, quibus Seraphicus Doctor hæc diſtinctè fatetur. Primò. Trinitatem in Deo concedere licet geminam, aliam propriarum perſonarum, aliam appropriatorum attributorum: lumine naturæ Philoſophi cognouerunt ſecundam, quia ex creaturarum cognitione, in quibus ſimile inuenitur, eam aſſequi potuerunt; ſecundam verò ſine aliqua alia deſuper quoquomodo receptа cognitione, eis inuenire non licuit. Secundò. Si verò neque hac imbuti cognitione de prima ac vera perſonarum Diuinarum Trinitate aliquid inueniuntur dixiſſe, hoc non intelligentes quid dicerent, ab alijs qui hæc ſcirent audiſſe, aut apud aliquos legiſſe, quæ poſtea ſcriptis nobis reliquerunt, omnino neceſſe eſt. Tertiò. Homines ita de Deo trino locutos, potuiſſe eſſe ſpeciali lumine illuſtratos.

D. Aug. lib. 8. de Ciuitate Dei cap. 23. aſſerens, dæmones indicare Mercurio futura tempora productionis ſuæ, videtur concedere hæc quoque potuiſſe, quæ de perſonis Diuinis viſus eſt dixiſſe, à dæmonibus diſcere: certum nunc eſt harum cognitiones dæmones callere: legendus Eugubinus lib 3. de perenni Philoſ. cap. 4. & ſequentibus de dæmonum oraculis. Theodoretus loco ſupra recenſito, ex Hebreorum Theologia Platonis opinionem ſubductam eſſe refert, vbi Diuinos noſtros textus Platonem legiſſe; videtur non obſcurè teſtari, quod clarius antiquiores aſſerunt: D. enim Iuſtinus Martyr Philoſophus, & eruditiſsimus Theologus fuſa oratione illa Parænetica ad Gentes, pluribus reſtatur, Platonem Moyſis, & Prophetarum legiſſe libros. *Vnde enim Plato*, inquit, *currum volantem agere Iouem in cælo didicit, niſi ex Prophetarum hiſtorijs, quas euoluit? intellexit enim ex Prophetæ verbis, quæ de Cherubim ita ſcripta ſunt: & Diuini gloria ex domo exiuit in Cherubim, ſumpſeruntque Cherubim pennas ſuas, & rotæ eorum cohærebant, dominique Dei Iſrael in eis in cælo inſedebat gloria. Hic profeſſus Plato clamat his verbis: Magnus in cælo Iupiter, currum volantem incitans &c.* ibi alia multa, ſicuti & in Apologia ſecunda pro Chriſtianis ad Antoninum Imperatorem.

Clemens Alexandrinus lib. 1. ſtromatum Platonem appellat Philoſophum ex hebræis, & de cæteris Philoſophis eod. lib. *Philoſophi*, ait, *ante Domini aduentum à Prophetis hebræis partes veritatis, id minime agnoſcentes ſumpſerunt, ſed ſibi tamquam propria dogmata attribuerunt, & alia quidem adulterauerunt, & alia quadam ſuperuacanea diligentia inducti, tamquam ſapientes pronuntiauerunt, alia autem etiam inuenerunt*. Et in Orat. exhoratoria ad gentes. *Legi* inquit, *quæcumque vera ſunt, & de Deo optimo, ſuppeditata tibi ſunt à Platone ab Hebræis.* Hinc idem Clemens lib. 5. Stromatum poſtquam gentium libros legiſſet, quos ferè omnes ſumma dexteritate, & breuitate in illis celeberrimis libris de Stromatibus inſeruit; inſurgit in Catholicos Scriptores, qui ſuis ſcriptis miſcent ſacra prophanis, & ex gentium auctoribus plurima ad ſua confarcinant, cum hæc omnia, ſi quid boni, ac veri continent, ex Diuinis litteris ab ipſis ſuffurata ſint, vt potius ad prophanos auctores intelligendos Diuinis libris egeamus, à quibus hæc deſum-

pta

pta ſunt, quàm è contra: Vetuſtiſsimus enim omnium auctorum fuit Moyſes, vt ante ſeptem ſapientes Graeciæ, & Homerum, imò & Linum, & Orpheum, & Muſæum extiterit.

Qua eadem ratione & B. Anaſtaſius Epiſcopus Nicænus lib. 99. in Scripturam, non ſolum cenſet inutile auctores prophanos inducere, ac eorum incumbere doctrinis, ſed & valde deteſtandum, vtpotè conſtitutionibus Apoſtolicis vetitum, & ipſam Apoſtolorum conſtitutionem adducit lib. 11. Conſtitut. Apoſtolicarum cap. 7. in qua conſtitutione eadem ratio aſtruitur; omnia ſcilicet excellentius, & certius, & vberius, quæ ex his libris emendicantur, in Diuinis reperiri; eſt autem conſtitutio. *Ab Ethnicis libris omnibus te abſtine: quid enim rei tibi eſt cum libris alienis, aut pſeudoprophetis, qui etiam leuiores auertunt à fide? quid enim tibi deeſt in lege Dei, vt ad illas gentium fabulas te conferas? nam ſiue velis proſequi hiſtorias, libros habes Regum: ſiue ſophiſticum, habes Prophetas, Iob, & Prouerb. ſcripturam, in quibus maiorem inuenies ſubtilitatem, ſolertiam, & acumen, quàm cuiuſuis Poeſis, & Sophiſtica; quoniam Domini, qui ſolus eſt Sapiens, ſunt effata: ſiue deſideres Cantica, habes pſalmos: ſi antiquitatem, habes Geneſim: ſiue legitima præcepta, habes glorioſam Dei legem: ab omnibus ergo alienis, & diabolicis fortiter abſtine.*

Idem Clemens lib. 2. Stromatum. aſtruens Græcos Sacra Biblia legiſſe, ſuſcipit demonſtrandum extitiſſe fures barbaræ Philoſophiæ, ideſt ſacræ Scripturæ (ſic enim eam vocabant, tanquam Hebræorum) Tertull. in Apologia aduerſus gentes. *Quis*, inquit, *Poetarum, quis ſophiſta, qui non omnia de Prophetarum fonte potauit?* & antiquior illo, Philo lib. de Vita Moyſis, diſertiſſimis verbis aſſeruit contra Ethnicos agens, quod omnia quæ ab illis benè, ac ſapienter dicta ſunt, ex ſacris Scripturis ſuffurati ſunt.

Euſebius lib. 9. de præparat. Euang. c. 3. & lib. 13. c. 7. Numenium Philoſophum Pythagoricũ introducit in Platonis laudes proſilientem, ſolitum dicere. *Quid eſt Plato, niſi Moyſes Attica lingua loquens?* Idem Greg. Nazianz. Orat. 1. contra Iulianum. Chryſoſt. hom. de Aſcenſ. Eliæ. D. Hieron. epiſtola ad Magnum. Vbi multos Philoſophos ſupponit ad Salomonem audiendum acceſsiſſe, & tempore quo narrat Diuina Scriptura omnem terram ad ipſum confluxiſſe. D. Baſil. hom. 3. in illud Moyſis, *Attende tibi*, contendit illud toties decantatum per gentilium ora: *Noſce te ipſum*, ex Moyſe fuiſſe extractum. D. Ambr. innumeris locis, præſertim de Bono mortis cap. 5. vbi Platonem ſibi compoſuiſſe illum, quem modo Iouis, modo mentis hortum appellauit, ex Cantic. Salom. libro. D. denique Auguſt. lib. 8. de Ciuit. Dei. conſtanter aſſerit, Platonem quidquid præclarè, quidquid eleganter, ac ſapienter dixerit, ex Diuina hauſiſſe Scriptura.

Quod ſi quis opponat, horum Philoſophorum tempore ſacros Codices lingua Hebræa exaratos, adhuc non fuiſſe in Græcam verſos, vt certum eſt, per ſeptuaginta duos interpretes. Quomodo ergo Græci, hebraici idiomatis ignari, potuerunt legere? facilis, & in promptu eſt reſponſio, eaque duplex. Altera, & eſt D. Auguſt. lib. 8. cap. 11. de Ciuit. Dei. Potuerunt Philoſophi, & Plato per interpretes in Ægypto, vbi peregrinati ſunt, ab Ægyptijs diſcere diuinarũ Scripturarum oracula, quæ ipſi à Ioſeph didicerunt, & ab hebræis. *Conſtituit* enim Pharao Ioſeph *Dominum domus ſuæ, & principem omnis poſſeſſionis ſuæ, vt erudiret Principes eius ſicut ſemetipſum, & ſenes eius prudentiam doceret* Pſ. 104.

Altera verò, quam ex Ariſtobolo quodam hebræo refert Euſebius lib. 9. de Præparat. Euangelica c. 3. Legem noſtram, dicebat Ariſtobolus, in multis ſecutus eſt Plato, apertè namque in multis diligenter examinaſſe ſingula videtur: Moſaica enim volumina ante Alexandrum & ante Perſarum Imperium traducta fuerunt, vnde plurima, ſicut & Philoſophus ille Pythagoras, accepit &c. Idem ſupponit S. Hieron. in 3. caput Eccleſ. in illa verba. *Tempus tacendi, tempus loquendi*, his verbis. *Pythagoricos reor, quorum diſciplina eſt tacere per quinquennium, & poſt, eruditos loqui; hinc originem ſui traxiſſe decreti.* Idem cæteri Patres ſupra relati neceſſariò ſupponunt: non enim poterant libros ſacros legere Græci, niſi græce ſcriptos: ergo ante ſolemnem ſeptuaginta verſionem priuatæ verſiones circumferebantur: ergo priſci Philoſophi aliquid de Verbo Diuino hinc aut cognouerunt, aut cognoſcere potuerunt. Quid verò? hæc eſt

Secunda pars dubitationis propoſitæ. Philo hebræus de Opificio mũdi, in initio. Macrobius lib. 1. de ſomnio Scipionis cap. 2. & quod pluris faciendum, ipſe S. Tho. 1. par. quæſt. 32. art. 1. ad primum, interpretantur, Verbum à tot Philoſophis aſſertum, non ſecundum quod (verba S. Th.) Verbum ſignificat Diuinam perſonam genitam, ſed ſecundum quod Verbum dicitur ratio idealis, per quam Deus omnia condidit. Quod non negauit S. Bonauentura, neque nos negamus; imò id ex creaturis rationis naturalis vi eſt, quod attingere potuerunt: neque tamen præcipuè S. Th. negat, quod tot Patres aſſeruerunt, Philoſophos ſcilicet diuinos legiſſe libros, & ex his aliquam potuiſſe haurire de Verbo perſona cognitionem. Confirmatur ex tot recenſitis Patribus, è Diuina Scriptura quam legerunt, de Verbo quæ exceperunt, ad Diuinam Trinitatem ſpectare: ita præſertim S. Aug. ergo Verbum, & perſonam acceperunt. Quomodo verò ſine fide? iam redimus ad prima: imperfectiſsimè enim; neque quod legerant ſatis intelligentes, quod inter cæteros egregiè notauit Cardinalis Beſſarion lib. 2. cap. 4. niſi aliquo modo alio Diuinitus illuſtrati fuiſſent, quod innuit ſuis verbis S. Bonauentura.

CA-

CAPVT VII.

Ex quarum rerum cognitione producatur Verbum.

HAec propoſita dubitatio quemadmodum aliam neceſſariò gignit, ſic fermè genita gignentem præſupponit: tunc enim Verbum ad creaturas referetur, ſi ex creaturarum cognitione etiam producatur, & hæc eſt potiſsima ratio huius relationis: ergo prius ex quarum rerum cognitione dicatur, quàm ad quæ, & quam relationem dicat recto ordine ſtatuendum.

Vt huius quæſiti abſolutior colligatur ſolutio, quid quæratur primo animaduertendum, & diſtinctè proponendum; deinde rei difficultate præſsi Theologi, in quot partes, & quàm varias ſeceſſerint ſententias, ob oculos ponendum.

Non quærimus hic, an vnica cognitione Pater, tum ſe, tum reliquas perſonas &c. tum denique omnes creaturas poſsibiles cognoſcat; ac inde Verbum producat: certa enim ac inconcuſſa manet neceſſaria reſponſio; vnica re ſicut in Deo eſt cognitio, ita vnica Patrem cognitione omnia cognoſcere, & Verbum dicere: ſed difficultatis nodus in hoc poſitus eſt, an formaliter, & qua cognoſcuntur creaturæ vt ſic, & Diuinæ perſonæ, cognitione, etiam Verbum producatur, vt ad adæquatam conceptionem Verbi requiratur horum omnium, nedum eſſentiæ, ſed perſonarum, & creaturarum pariter cognitio. Nec deinde hic indagamus, an Verbum, tum eſſentiam, tum perſonas &c. repræſentet: hoc namque conſtanter aſſerendum, & ea ratione, qua Verbum includit intelligere eſſentiale: ſi enim includit, vt negari non poteſt, & ratione illius repræſentare, & exprimere quidquid per intelligere eſſentiale cognoſcitur, neceſſe eſt.

Sed quod in quæſtionem hic vocatur, eſt, an ſupponatur Pater intelligere eſſentiam non ſolum, ſed etiam perſonas, & creaturas, ita vt intelligendi modo ſit prius Patrem intelligere, & eſſentiam, & perſonas, & creaturas, quàm ſit, & quàm dicat Verbum: an oppoſito modo, ſit prius Verbum, quàm perſonarum, ac creaturarum cognitio, quippequod præciſè ex ſola Patris cognitione Diuinæ eſſentiæ producatur; poſterius verò ad perſonas, & creaturas cognoſcendas terminetur Verbum; ac repræſentet per incluſam, & contentam eſſentialem cognitionem, vt tandem perſonarum, & creaturarum cognitio concomitans, ac ferè accidentaria ſit.

Eſt autem hac de re ſic opinatus Scotus, quem omnis eius ſchola imitatur, & tuetur: nam primò vt interpretatur Caiet. in Comment. huius art. & alij Thomiſtæ, & latè refert, & explicat Rada Controu. 11. Nec Spiritum ſanctum ex amore creaturarum, nec Verbum generari ex earundem cognitione aſſerit tanquam ex principio, ſed tantum ex ſcientia, & amore ſolius eſſentiæ; perſonas autem cadere quidem ſub eadem ſcientia, tamen concomitanter; creaturas verò & concomitanter, & contingenter: idque colligit Caiet. ex 1. Sent. diſt. 32. quæſt. 1. §. *Ad primum dico* in ſolutione primi, vbi tamen loquitur de ſola Spiritus Sancti proceſsione. Idem teſtatur eadem diſt. q. 2. ad vltimum; Quod multò magis de Verbo fateri ceuetur: alijs verò locis diſt. 5. quæſt. 1. 2. ſentent. §. *quantum ad primum.* & §. *quantum in hoc igitur*, & Quolib. quæſt. 14. §. *Hic intelligendum eſt.* Vbi quærit, an ex cognitione etiam creaturarum, an ſolius eſſentiæ; id tantummodo aſſerit, Verbum ſcilicet ex cognitione obiecti primarij, hoc eſt ſolius eſſentiæ, non autem ſecundarij, creaturarum ſcilicet, nulla de perſonis facta mentione, procedere.

Id tamen de perſonis etiam opinatum fuiſſe certo colligitur ex primo diſt. 2. quæſt. 7. §. *Obijcitur contra*, circa finem, & alijs locis, vbi affirmat Verbum non procedere per actum ſcientiæ, & cognitionis, ſed per actum dicendi, quem exiſtimat ſequi ex actu intelligentiæ, eoq. eſſe poſteriorem: vnde fit, non poſſe Verbi, antequam ipſum producat, habere cognitionem; imò neque paternitatis: nam in illo priori rationis, antequam dicar Verbum, non poteſt habere rationem Patris. Quod ſi Filius, neque ex cognitione filiationis, neque Paternitatis gignitur, multo minus eadem ratione ex notitia Spiritus ſancti. An verò ex notitia attributorum? Licet Scotus id explicatè non inueniatur aſſeruiſſe; facili tamen negocio coniectatur exiſtimaſſe: quamuis enim ab eſſentia attributa formaliter diſtingui voluerit, ad ipſius tamen eſſentiæ perfectionem pertinere, liquido conceſsit. Quare ex ſolius quidem eſſentiæ notitia Verbum procedere dixit, eſſentiæ tamen cum ſuis perfectionibus ſumptæ, dicere interpretandus eſt.

Sententia autem hæc Scoti quatuor potiſsimè propoſitionibus comprehendi, & explicari commodè, & conſentaneè poteſt: quarum

Prima. Verbum non producitur de cognitione eſſentiæ, nec vt principio quo, nec vt productione, ſed immediatè à memoria fœcunda Patris per actum dicendi, nulla cognitione concurrente, eſſentiæ tamen cognitione ſuppoſita.

Secunda Propoſitio. Cognitio Diuinæ eſſentiæ præſupponitur generationi Verbi, non tamen creaturarum; imò vtriuſque perſonæ productionem conſequitur: nam Diuina eſſentia vt obiectum mouet primò Diuinum intellectum ad cognitionem eſſentialem, ſecundò ad dilectionem infinitam, tertiò ad productionem Verbi, quartò ad productionem Spiritus ſancti, quintò ad creaturarum tum cognitionem, tum productionem.

Tertia Propoſitio. Eſſe obiectiuum creaturæ in Deo non præcedit Diuinam cognitionem, ſed per eam producitur, quòd eſſe obiectiuum habet eſſe, diminutum, & rationis.

Quarta Propoſitio. Cognitio intuitiua Diuinarum perſonarum ad proprias earum perſonarum ſubſiſtentias terminata, non præſupponitur ad Verbi generationem.

Hanc verò ſententiam in communi his rationibus fulcire, ac roborare Scotiſtæ conſueuerunt. Primò. Spiritus ſanctus non producitur ex amore etiam creaturarum: ergo neque Filius ex earumdem

dem

dem cognitione. Conſequentia probatur: nam ſicuti Pater, & Filius amando producunt Spiritum Sanctum; ita Pater intelligendo generat Filium. Antecedens verò probatur: nam Deus creaturas liberè amat, ac producit; Spiritum verò Sanctum naturaliter, & neceſſariò: nam eſt de perfectione naturali Diuina vt ſic communicetur: liberrimum verò Deo producere, & non producere, velle, & non velle creaturas: ergo. Secundò. Cognitio, qua primo Deus cognoſcit ſuam Diuinam eſſentiam tanquam primarium obiectum, nulla in ea, aut cum ea creatura cognita, perfectiſſima eſt: ergo per ipſam generat Verbum. Antecedens patet: nam eſt infinita. Conſequentia quoque: nam perfectiſſima cognitio ſufficit ad hanc Verbi productionem.

Confirmatur primò. Infinitum intelligere intenſiuè cum intellectu infinito. poteſt ſecluſis omnibus alijs obiectis infinitam gignere notitiam; ſed Diuina eſſentia, etiamſi in quocumque eſſe, eſſet impoſſibilis omnis creatura, eſſet infinita: ergo. Confirmatur ſecundò. Ita addere Diuinæ eſſentiæ cognitioni neceſſariam creaturarum cognitionem, videtur defectum conſtituere in Diuina eſſentia: ergo id non aſſerendum. Tertiò, ſi Verbum ex cognitione etiam creaturarum produceretur, ſequerentur multa intolerabilia abſurda.

Primum. Verbum ad creaturas referri relatione reali; & conſtat: nam ad id, ex quo generatur Verbum realiter, referri quoque realiter neceſſe eſt. Secundum. Creaturas ſaltem in eſſe rationis eſſe priores Verbo in re, & eſſe reali, quod perabſurdum eſt, & probatur. Nam ſicut creaturarum cognitio præſupponitur ad eſſe Verbi, ita propemodum eadem creatura in eſſe cognito debet præſupponi. Tertium eiuſdem rationis. Si non reali relatione, tamen rationis refertur Verbum ad eas creaturas, ex quarum cognitione producitur: ergo relatio rationis præceſſit æternitate Verbum; quod tamen ea abſurditatis macula afficitur, qua repugnat ęternitatis rationi. Quartũ. Si Verbum ex ſui etiam cognitione procedit: ergo ex ſe pariter procedit, quod Paradoxon redolet: ergo non à Patre ſolo, quod tamen docet fides.

Quartò. De Spiritu Sancto diſtinctè, quod eſt quintum abſurdum. Si Verbum ex cognitione Spiritus Sancti procederet, Verbum eſſet Spiritus Sancti imago. Conſequentiæ ratio aperta eſt: nam Verbum eſt ſimilitudo, & imago eius, à quo eſt; ſed ſic eſſet à Spiritu Sancto tanquam ab obiecto, & ſufficit ad rationem imaginis, vt ſit dumtaxat per eſſe intelligibile ab eo, cuius eſt imago: nam & picta imago hominis eſt hominis imago, & tamen eſſe ſolum habet ab homine, tanquam ab obiecto in eſſe intelligibili. Secundò. Illud dicitur per ſe principium alicuius operationis, vel intellectionis, quo poſito ponitur, & quo ablato aufertur in intellectione noſtra: ſed ablato, ideſt non conſiderato Spiritu Sancto, ac eius proceſſione, intelligimus integrè Verbum Diuinũ productum à Patris intellectu: ergo Spiritus Sãctus non requiritur per ſe, vt cognoſcatur ad productionem Verbi. Minor facillimè probatur: nam generatio vt generatio intelligitur à nobis per ſe ſolum in quarto modo dicendi ad filiationem, & relationem Verbi in Diuina eſſentia terminari; rationem verò ſpirationis conſequenter in illo intelligimus: ergo. Quare Græci cum negent ipſum eſſe ſpiratorem; concedunt tamen ipſum eſſe Verbum Patris cum ſua integra natura Deitatis, & ſola relatione Filij.

Oppoſitam prorſus antiquiores, & grauiores Theologi ſententiam profeſsi ſunt: nam S. Thom. hic 1. par. quæſt. 34. art. 3. in corp. Quia vnico actu, inquit, & ſe & omnia intelligit, vnicum eius eſt Verbum expreſsiuũ non ſolum Patris, ſed etiam creaturarum, & art. 1. ad tertium expreſsius. Pater enim, ait, intelligendo ſe, & Spiritum Sanctum, & omnia alia, quæ eius ſcientia continentur, concipit Verbum, vt ſic tota Trinitas Verbo dicatur, & etiam creatura. Quem communiter vniuerſa ferè Thomiſtarum ſchola ſequitur. Ægidius quoque Romanus diſt. 27. quæſt. 4. Gabriel quæſt. 3. Riccard. art. 2. quæſt 3. apertiſsimè. Indicat Alex. 1. par. q. 62. art. 4. Sanctus verò Bonauentura, quod neque per latum vnguem à S. Thoma diſcedat, intuenti ita patet, vt otioſum eſſet id tentare demonſtrare, cum & verba ipſa eadem viſi ſint adinuicem mutuaſſe. Quem ita imitatus, & interpretatus eſt Riccardus, vt neque argumenta, Patrum loca, verba ipſa, voluerit mutare; ſed in ſuam tranſcripſerit quæſtionem.

Quare non poſſum ſatis mirari de Longo noſtro à Coriliano, qui in ſententiam Scoti nitatur trahere Sanctum Doctorem hac ſola ratione, quia nuſquam legitur S. Doctore dixiſſe Verbum Diuinum produci per cognitionem creaturarum. At verò primò, vbi dixit non produci? Deinde, quid ſibi illa verba volunt, Summus Spiritus in Patre, ideſt infinita, & comprehenſiua vis concipiendi, alias enim non eſſet formaliter infinita, nec Deo Patre digna, ſe, & omnia alia vno, & eodem aſpectu cognoſcit &c.? & ferè ſtatim, & quia in ipſo vis conceptiua concipit ſimilitudinem omnia circumplectentem ſub intuitu vno, concipit, & generat Verbum vnum, quod eſt ſimilitudo Patris, & rerum, licet aliam deinde ſortiatur denominationem ex alia ratione, in ratione tamen Verbi, & ſimilitudinis eſt vna.

Præterea, ſi ſunt eadem verba ferè cum S. Tho. vnde neceſſariò S. Th. interpretes ſunt & S. Bonauenturæ; quare conſtituto S. Th. aduerſario Scoto non conſtituit & S. Bonauenturam, ſed aliò omni illicita vi trahit? ſed aerem verberat. Cephlius quoque commentatorem agens D. Bonauenturæ ad Scotum tranſit, neque S. Bonauenturæ ſalue dicto, neque vlla reddita huius diuortij, ac diſceſſus ratione, neque vlla ſaltem tentata conciliatione.

Inter has extremas ſententias ex recentioribus quidam quodammodo mediam aſſerere pręſumũt: nam alij, Verbum procedere quidem ex cognitione abſolutæ eſſentiæ, abſolutorumq; attributorum, ac ſimul relatiuorum, Patris, & Filij non tamen Spiritus Sancti, neque creaturarum, rationibus ſupra in oppoſitum recẽſitis, ac paulò poſt diluendis,

dis, aſſeruerunt. Alij verò, tum perſonarum, tum creaturarum cognitionem hanc eſſe non modo ſimplicis intelligentiæ & obiectiuè, ſed etiam viſionis, & exiſtentiæ, ſibi perſuaſerunt. Alij oppoſito modo.

Antequam ad tollendam hanc controuerſiam ſtatuantur rationes, ac certæ concluſiones, quædam breuibus ad facilius tum hoc præſtandum, tum argumenta oppoſita ſolnenda, ex S. Bonauentura præſertim in reſponſ. ad 1. & 2. attentè animaduertenda, & primum, ac præcipuum. Creaturas, ex quarum cognitione dicimus Verbum procedere; bifariam accipi poſſe, in eſſe ſcilicet reali, ac producto, vel in eſſe poſsibili, ac producibili, quod quidem eſſe geminum admodum adinuicem differt: primum enim eſt contingens, ſecundum verò neceſſarium, ac ſubinde primum ſcientia libera complectitur, ſecundum autem neceſſaria & naturalis. Intrinſecum enim, ac penitus naturaliſsimum Deo ex infinita vi cognoſcendi omne poſsibile, ac cognoſcibile, cognoſcere, & producibile poſſe producere, & hoc certum apud omnes Theologos eſt ex illa nota in Deo non neganda, ſed vbique confitenda theſi, *eſſe infinitæ virtutis, tum in intelligendo, tum in operando*.

Secundum verò non minori animaduerſione recolendum. Perſonas duplici conſideratione poſſe apprehendi, tum in eſſe reali, & producto, tum in eſſe obiectiuo, & producibili, quod quidem eſse obiectiuum, licet nec præcedat, nec re præcedere poſsit; non repugnat tamen ita ratione noſtra præcedere, vt ſcilicet prius ita ſit cognitum, quàm Verbum re productum.

Tertium denique eodem ponderandum pondere. Amor Diuinus erga creaturas duplex eſt, Amor complacentiæ alter, alter vt aiunt cauſalitatis. Ille neceſsarius: eſt enim de creatura producibili, & ſimul de Diuina bonitate communicabili; hic verò contingens, vel vt magis propriè loquar, liber: etenim de creatura, aut producta, aut producenda liberè. His indicatis, ſit

Prima Concluſio. Verbum procedit ex tum eſſentiæ Diuinæ, attributorum, tum relatiuorum, ac perſonarum, Patris, & Filij, & Spiritus ſancti cognitione. Probatur verò primò locis ſanctorum Patrum, deinde rationibus. D. enim Aug. vniuerſim agens hac de re 15. de Trinit. cap. 13. & 14. *Verbum Diuinum*, inquit, *eſt de omnibus, quæ ſunt in ſcientia Dei*; & probat: nam ſi aliquid minus eſſet in Verbo, quàm in ſcientia; Verbum non eſſet adæquatum. Idem D. Aug. lib. 11. Confeſſ. cap. 7. *Verbum ſempiternè dicitur, & eo ſempiternè dicuntur omnia*. Idem 7. de Trinit. cap. 1. & 3. D. Athanaſ. de Decretis Nicænæ Synodi, & inde vnitatem Verbi probat. D. Anſel. in Monologio cap. 28. & cap. 44. Deum vnico Verbo dicere omnia; quem locum ſuſtinet, & tuetur Suarez cap. 6. lib. 9. contra quoſdam in aliam ſententiam auertere cõnantes: quæ loca licet magis ad teſtandum, Verbum ex creaturarum cognitione oriri, idonea ab omnibus communiter exiſtimentur: cum tamen generalibus conſtent verbis, de omni, & quacumque cognitione, etiam perſonarum, commodè interpretari nihil vetat, & ad eam etiam comprobandam conſentanea.

Ratio verò, qua id potiſsimum perſuadetur, quemadmodum apud Theologos communis, ſic fermè efficaciſsima, ac in primis vrgens. Cognitio, qua Pater generat Verbum, & eſt, & neceſſariò debet eſſe perfectiſsima, ac cõſequenter comprehenſiua Diuinæ eſſentiæ, quam ideo hic S. Bonauentura vocat ſummam in intelligendo vim, & omnia circumplectentem, & alibi, dum qua ratione futura contingentia certo cognoſcit Deus quærit, aſſumit, & reſpondet, quia infinitam in cognoſcendo habet Diuinus intellectus vim, & quicquam ignorare ei proinde repugnat, & hæc vna in Deo inuenitur, & neceſſariò: omnis enim alia eſſet imperfecta, neque Verbum inde genitum eſſet infinitè perfectum, & comprehenſiuum, vt optimè ſupra deducebar S. Aug. ſed Diuinæ eſſentiæ, & Deitatis perfectio Diuinas etiam perſonas comprehendit: ergo ex cognitione etiam earum Verbum progignitur. Maior ſatis ſuperq. demonſtrata eſt, ac per ſe conſtat ex definitione cognitionis comprehenſiuæ. Minor verò hiſce rationibus probatur. Prima, quia Diuina eſſentia omne intelligibile comprehendit formaliter, & obiectiuè. Secunda, cõprehendit Verbum ſuam eſſentiã: ergo & ſuam eſſentialem fœcunditatem: ergo & perſonas, quibus actu communicatur. Non enim aut eſſe, aut cognoſci perfectè poteſt iſthæc fœcunditas, niſi videantur perſonę: ergo non tantum ſe, ſed & Verbum, & Spiritum Sanctum, ad quos producendos habet fœcunditatem, Pater generando Verbum cognoſcit. Confirmatur. Pater cognoſcit ſe genitorem, & ſpiratorem: ergo ex hac cognitione generat Filium. Tertia ex iam multo ante dictis. De ratione eſſe Diuini eſt & communicabilitas, & communicatio, & relatio, & perſona, ita vt eſſe Diuinum ſit vna res formaliſsima, & ſimpliciſsima, & abſoluta, & relatiua: tunc hanc argumentationem conficio. Cognitio comprehendens rem, eam ſub omni ratione, actualitate, modo, & ratione formali attingit; ſed ad rationem Diuinæ eſsentiæ, relationes &c. ſic ſpectant: ergo. Minor ſuo loco iam ſupra ſatis confirmata relinquitur.

Secunda Concluſio. Idem Verbum nedum ex Diuinæ eſsentiæ, Diuinarum perſonarũ, ſed etiam creaturarum omnium, ſaltem in eſse obiectiuo, & poſsibili, cognitione exoritur. Probatur primò iiſdem SS. PP. locis pro prima concluſione relatis, & addo D. Anſelmum in Monologio cap. 3. *Cum ſummus Spiritus dicit ſeipſum, dicit omnia quæ facta ſunt, & quæ habet*. S. Thom. art. 3. ſcilicet. D. Aug. lib. 83. quæſt. 63. in illa verba Pſ. 148. *Dixit, & facta ſunt*. In nomine ſcilicet Verbi ſignificari non ſolum reſpectũ ad Patrem, ſed etiam ad illa, quæ per Verbum facta ſunt operatiua potentia. Præterea rationibus. Prima, quæ eſt ipſius S. Bonauenturæ. Verbum dicit aliquem ad creaturas reſpectũ, ab æterno habitum, in tẽpore actu: ergo ex cognitione etiam creaturarum conſtat, & oritur. Antecedens cap. ſequenti vberius conſtabit. Conſequentia patet ex relato S. Anſelmo.

ſecundò.

Digitized by Google

Secundò. Verbum ad id tantum refertur, ex cuius cognitione producitur,& cuius eſt Verbũ. Tertiò probatur iiſdem rationibus, quibus probata eſt prima quoque concluſio, ex infinita ſcilicet,& cõprehẽſiua Patris cognitione. Inde quartò ex Theologorum communi ſentẽtia & neceſſaria. Pater intuendo ſe, intuetur etiam vt omnipotentem,& cauſam omnium creaturarum, aliàs neq; ſe ipſum cõprehenderet, neque Diuinæ eſſentiæ perfectiones eſſentiales: nam omnipotentiam, ac virtutẽ ſuam eſſentialem nõ cognoſceret, neq; eã, niſi quas creaturas poteſt producere, attingeret: neq; enim quęcumque alia potentia diſtinctè cognoſcitur, niſi ſimul & obiectum, ad quod ſuapte natura eſt, pręſertim cognitione abſoluta, & omni ratione perfecta.

Supponitur verò tanquam commune Theologorum aſſertum, Diuinam eſſentiam eſſe obiectum adæquatum, & primarium, in quo creaturæ intrinſecè videntur, & repreſentantur, ipſæ vero creaturę obiectum ſecundarium nuncupantur, vt in Deo tãquam in primario viſæ: nullo tamen ibi interpoſito ordine, vt veluti prius eſſentia, deinde creaturæ, ſcilicet aut diuerſo actu, aut diuerſa ratione cognoſcendi, ſed vnico actu comprehẽſiuo. Hinc fit argumentatio. Si eſſentia Diuina, vt etiam creaturarum idea, & ſpeculum, & obiectũ in quo, non cognoſcitur à Patre, non comprehenditur: ſed niſi comprehendendo non cognoſcitur: ergo niſi etiã vt idea.

Sed aduerſarij opponunt, tum primæ, tum ſecundæ concluſioni: primæ quidem. Verbum certè produci ex cognitione diffinitiua, & comprehenſiua, ſcilicet eodem actu, nõ tamen inde ſequi, ad cognitionem, qua Pater præciſè generat Filium, ſpectare per ſe, ac formaliter cognitionem etiam Spiritus Sancti, ſed dumtaxat eam, qua Filium vt Filiũ producit, ſed hæc cognitio vt ſic nullum ordinem ad Spiritum Sanctum habet, ſed potius cõcomitanter conſequitur. Secundæ verò, Patris cognitionẽ non ideo eſſe comprehenſiuam, quia ſimul cognoſcit etiam creaturas, aliàs deberet eas etiam ſub eſſe actuali, & cõtingenti cognitione etiam libera cognoſcere, & ſubinde ex cognitione etiam libera producere Verbum, quod tamen perabſurdum, nedum falſum, communi ſenſu præſumitur, ſed hac ratione comprehenſiuam, quia Diuinam eſſentiam cõprehendit: vnde habet vt & creaturas poſsibiles cognoſcere poſsit, alio tamen gradu neceſsitatis, & ordinis, ſcilicet ſecundario,& conſequenti. Præterea Diuinam quidem potentiam, à nobis quidem relatam ad poſsibiles creaturas, attingi non poſſe in ſe, tamen quiddam in Deo abſolutum eſſe, quod obiectum ex Vaſquez tranſcendit: in quam ſententiam euidentiori vi Longus noſter conatur trahere, & detorquere S. Bonauenturam.

Sed ferè nullum erit negocium has obiectiones diluere: & primam quidem primò. Nam hoc modo accepta, ac Diuinitate comprehenſa, non eſt verè comprehenſa: nam ſicuti Spiritus Sancti productio per ſe attinet ad perfectam Diuinitatis perfectionem,& Diuinitatem; ita fermè & eius cognitio ad per ſe comprehenſiuam ipſius Diuinitatis cognitionem, ex qua Verbum neceſſariò gignitur: Diuinitas enim hæc, quam adoramus, formaliſsimè conſtat ex eſſentia, & perſonis, ex relatiuis, & abſolutis; & niſi vt ſic non poteſt verè dici comprehendi. Hinc quoq; quod communiter huic veritati ſolet obijci, quàm euidẽter ſoluitur. Si per impoſſibile Spiritus Sanctus, neque eſſet, neq; cognoſceretur, adhuc Verbum eſſet: nã Verbum prior origine non pendet, aut pendere poteſt à Spiritu Sancto origine poſteriori. Reſpondetur enim, ſic Verbum, aut non produceretur cognitione comprehenſiua, quemadmodum modo fit, aut non ei communicaretur Diuinitas cõmunicanda Spiritui Sancto, vt nunc communicatur: vnde nõ eſſet illud Verbum quod eſt, quod contradictionem inuoluit: quare hoc aſſumptum, aut comprehenſione cognitionis, aut Diuinitatis fœcunditati repugnat.

Secundò reſpondetur ead. ratione, Verbum non produci per ſe ex cognitione Patris, & ipſius Verbi, ſed tantum Diuini eſſe, Diuinorumq; attributorũ, & oſtenditur: nam ead. omnino connexio cum Diuina eſſentia Spiritus Sancti, ac Patris, & Filij, & in genere entis, & in ratione obiecti: ergo Patris intellectio aut omnes perſonas æquè reſpicit, aut nullam: ergo aut etiam Spiritum Sanctum cognoſcit eadem ratione, aut neque ſe ipſum, & Filium, cognoſcendo ſcilicet eſſentiam.

Tertiò ſupponunt quod negamus, inter Diuinas ſcilicet perſonas prioritatem originum intercedere: vnam namq; ab alia emanare, nullam verò priorem, aut poſteriorem concedimus. Quod ſi vltro adhuc admitteremus, quid inde? adhuc enim quod prætendimus negamus. Licet enim vna prior origine alia in productione eſſet; ſimul tamen neceſſariò cognitione, & vt aſſerebatur, in ratione obiecti eſt: in ratione enim obiecti hęc omnia ſimul per ſe cognoſci, ac comprehendi neceſſe eſt.

Secundæ quoque obiectioni ſatis ead. facilitate ſuperq; fit. Negatur enim & antecedens, & conſequentia. Antecedens quidem, quia ideo cõprehenſiua eſt Patris cognitio, quatenus eſſentiam ſuam adæquatè cognoſcit etiam vt in ſe eſt, tanquã primariũ obiectũ, cum iis quę in ea ſunt, ac relucent, tanquam ſecundariò; ſi autẽ vnico per ſe actu non intueretur ſub omni ratione, non comprehẽderet: & quãuis in eſſe rei prius eſſentia ſit cauſa, quàm & poſsibiles ſint creaturæ, & cognoſcibiles, & cognoſcantur, & immediatè Diuinum intellectũ terminent; in eſſe tñ obiectiuo, & cognoſcibili, ſimul neceſſariò vtrumq; cognoſcit: aliàs, vt millies repetam, non cõprehenderet. Deinde, eſſentia Diuina vt ſic, eſſentialem ſuam virtutẽ, ac omnipotentiam dicit: quare & vt ſic comprehenſa cognoſcitur.

Conſequentia quoque hac ratione negata eſt. Licet futura, vt liberè ab æterno decreta, & ſub illa ratione formali liberè cognoſcantur, quatenus ſcilicet liberè decreta ſunt; quatenus tamen cognoſcibilia ſunt, naturali cognitione cognoſcuntur; ſiquidẽ ex infinita ſua perfectione naturali, vt S. Bonauentura docebat, nihil quocumque modo cognoſcibile intellectus Diuinus ignorare poteſt: ſicut enim idem intellectus Diuinus ſuam Diuinam voluntatem comprehendit; omne quoque decretum, quod aut fecerit, aut facere potuerit, aut voluerit, eadem cognitione comprehendit.

Digitized by Google

Verbum ergo procedit etiam ex cognitione creaturarum futurarum, ac actu nunc exiſtentium, vt eas tamen cognitione naturali, qua nihil ignorat, omniaq; imò comprehendit: ſub ratione verò libera, non faciunt ad Dei comprehenſionem: ſub hac enim ratione ſunt ſicut liberè volita, ita obiectiua denominatione liberè cognita, ac Deo extrinſeca.

Ad id verò quod addebatur. Omnipotentia Diuina in ſe quid abſolutum eſt, licet à nobis, niſi in relatione ad obiectum non percipiatur. Reſpondetur vnico verbo, ſubtiliorem huius aſſerti diſceptationem ad ſuum locum remittendo; Licet Diuinæ eſſentiæ perfectio omnipotentia abſoluta ſit, vt tamen in Deo eminenter poſsibiles creaturę ſunt, impoſsibile prorſus eſſe aſſero, hanc perfectionem ſine creaturis vt ſic comprehendi.

Tertia Concluſio. Notitia, quam habet Pater in producēdo Verbo, de Verbo ipſo, & Spiritu ſancto, eſt intuitiua, & viſionis. Declaratur. Licet enim illa notitia non habeat quod ſit viſionis ex eo capite, quod noſtra intelligendi ratione cum fundamento in re nondum Verbum intelligatur exiſtere; in eſſentia tamen habet ex eo capite, quòd Verbum æternum eſt, atque inde ſimul duratione cum illo priori in eſſe obiectiuo, & cognito, quod ſatis eſt ad notitiā viſionis. Probatur verò vnica ratione. Sicuti Pater completo conceptu non poteſt intelligi ſine Filio &c. neque exiſtere ſine Filio; ita non poteſt producere Verbū ex ſua ſola, ſine Filij quoque cognitione; & ſicut idem eſt formaliter relatio cum eſſentia, ita intuendo eſſentiam, intuetur & relationes, & perſonas, & intuendo ſe, intuetur & Filium &c. ergo ex cognitione intuitiua perſonarum.

Quarta Concluſio. Verbum producitur quidem ex ſcientia comprehenſiua, neceſſaria tamen, ac conſequēter ex creaturarum cognitione ſimplicis intelligentiæ, non viſionis, ac liberæ, nec deniq; earum vt exiſtentium. Prima pars iam ſupra oſtenſa, & confirmata eſt: ſecundam vero pro nunc aggredior demonſtrare. Primò ex communi Theologorū tum veterum, tum recentiorū ſententia, quidquid pauci quidam huius temporis aſſertores in oppoſitum aſtruant: primò enim eſt apertiſsima ſententia D. Bonauenturę in corpore quæſt. vbi Verbum ad creaturas aſſeuerat dicere reſpectum per modum exemplantis, & habitus; reſpectus autē per modū habitus qualis ſit, explicatè declarat: ſicuti exemplar dicit reſpectum in habitu, & potentiam ſimiliter, quia multa ſcit, & poteſt facere, quæ non facit; ſic & Verbum æternum. Quibus Verbum etiam poſsibilium actuali cognitione produci ſatis oſtendit.

Quod ſi argumento ſecundo in oppoſitam partem hæc ex D. Aug. addat verba: Non ſolum Verbum dicit reſpectum ad Patrem, ſed etiam ad ea quæ facta ſunt operatiua potentia &c. Reſp. Nihil impedit, vt ipſemet in corp. gloſſat, & interpretatur, ad ea quæ facta ſunt, habitu ſcilicet ab æterno, & potentia operatiua quidem actu in tempore, potenti tamen ad operandū ab æterno, vt ad creaturas vt poſsibiles per potentiā infinitam referatur. Idem S.Th. vt eū interpretantur Thomiſtæ, & inter eos Caiet. dum Scoto reſpondens inferenti tanquam abſurdum ſequi ex opinione noſtra, Verbum generari ex cognitione intuitiua, & libera, & contingenti creaturarum; concedit fore quidem abſurdum, ſed negat inde ſequi: quare & ipſe Scotus hanc, quam nunc negamus, tanquam abſurdam ſententiam reijcit.

Quod ſi hic S.Th. indiſtinctè loquitur, de ſimplici tamen cognitione loqui interpretandus eſt: nam in reſponſione ad vlt. & in fine corp. art. Verbum procedere tradit, vt expreſsiuum, & factiuū, factiuum verò certum eſt dicere tantum vim faciendi, & potentiam actiuam, ſicut iam iam in S. Bonau. potētiam operatiuam accepimus. Ead. S.Th. mens ex q.37. art.3. liquido colligitur, vbi ſimilem ad inuicem in hoc proceſsionem Verbi, & amorē Spiritus Sancti docet. At verò ſicuti certum, Spiritum Sanctum ex amore libero creaturarum nō ſpirari, eadem ratione ex S. Tho. erit certum, ex cognitione creaturarum libera, & intuitiua non produci Verbum. Eod. modo q.3. accipiendus, & interpretandus Riccard. Probatur vero ratione.

Prima. Verbum tantummodo procedit ex cognitione neceſſaria in Deo, & naturali; ſed huiuſmodi cognitio eſt ſimplicis intelligentiæ dūtaxat: ergo, Maior ideo ex ſe certa, ac probata, quia Verbi generatio naturaliſsima eſt. Minor verò hac ratione conſtat: Nam ſcientia viſionis ſupponit, & pendet ex decreto liberę voluntatis producendi res in eſſe reali, ſi loquamur formaliter de ſciētia libera, ſcilicet quatenus ab obiecto libero pendet: ab eo enim hanc deſumit denominationē, & in hac acceptione & cōtingens, & libera, vt poſsit non eſſe &c. Secunda. Naturalia iuxta noſtram intelligendi rationem antecedunt in Deo quæ libera ſunt; ſed Verbi generatio naturaliſsima eſt, actus vero ad creaturas, aut actu exiſtētes, aut futuras, voluntatis liber eſt: ergo generatio Verbi præcedit &c. Confirmatur. Secundum eundem noſtrum intelligendi modum prior eſt cognitio, quàm amor, & rei amatæ notitia, quæ ex amore ſuboritur: eo enim futuras creaturas nouit, quo prius voluntate voluit eſſe: ergo eadem ratione prius eſt Verbum, quàm amor, aut notitia amatæ, & volitæ creaturæ: ergo ex hac notitia non progignitur Verbum. Denique Pater per Verbum omnia tum producit, tum producere decernit. Io: 1. *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil &c.* & ad Hebr. 1. *per quem fecit & ſecula.* Ergo Verbum ſupponitur ad voluntatem creandi, & creatarum rerum notitiam.

Quinta Concluſio. Licet quoquo modo cognitionem creaturarum, etiam poſsibilium, eſſe in Deo concomitatem, & ſecundariam, concedi, admittique poſsit; non ideo tamen vllo prætextu ad generationem Verbi per ſe, ac formaliter non ſpectare fatendum. Sola expoſitione confirmata exiſtet. In ratione obiecti quemadmodum primò, & per ſe, & adæquatè intellectus Diuinus Diuinam eſſentiam attingit vt in ſe, & vt in Diuinis perſonis exiſtentem, deinde vt in ipſa creaturæ repreſentantur; quod explicari poteſt ſecundario & concomitanter, quatenus eſſentia eſt ratio, & exemplar

crea-

Digitized by Google

creaturas cognoſcendi: in ratione tamē actus cognoſcendi, & quatenus intellectus eſt Diuinus infinitè perfectus, & comprehenſiuus, quo producitur Verbum, æquè & cognoſcuntur etiam creaturæ, & ex earum cognitione naſcitur, rationibus ſupra iam recenſitis: quare huius admiſſæ concomitantiæ, & poſterioritatis ratio, ſolum in ordine ad eſſe quod dicit in ſe, non in ratione obiecti cogniti per ſe, ac formaliter, conceditur.

Ad argumenta. Ad primum primo aſpectu poſſet totum concedi ſine vllo præiudicio: ſi enim in eo, vt videtur, fiat mentio de ſolo creaturarum amore libero, ac de creaturarum cognitione viſionis; vtrumque verum eſt, & vtrumq; gratis conceditur: neque enim Spiritus Sanctus ex amore libero creaturarum ſpiratur, neque Verbum ex illa creaturarum cognitione producitur, vt nuperrimè dicebatur. Si vero argumentum ſic accipiatur. Si Verbum producitur ex cognitione creaturarum ſimplici, & neceſſaria; & vt poſsibiles ſunt: ergo etiam Spiritus ſanctus ſpiratur ex amore libero ad creaturas; nulla prorſus eſt conſequentia, quare abſolutè negatur. Ratio potiſsima eſt, quia amor liber non eſt neceſſariò coniunctus cum amore naturali, quo Pater, & Filius producunt Spiritum Sanctum: ſicuti enim potuit Deus non creare mundum, potuit quoque non velle creare.

Quod ſi inſtetur illo aduerſariorum aſſerto: Si creaturæ non eſſent poſsibiles; adhuc Verbū eſſet; quia non tāta neceſsitate creaturę ſunt poſsibiles, quanta Deus eſt, & quanta Verbum producitur? Reſpondetur ſuppoſita Caiet. reſp. Data ſcilicet illa conditionali, ſi creaturæ non eſſent poſsibiles; non ſequi de facto Verbum non procedere ex cognitione creaturarū, ſicuti ſi quis diceret, ſi non eſſet Verbum, non producibiles eſſent creaturę, quia non pendent à Verbo vt Verbum eſt, non tamen ſequitur: ergo de facto creaturæ non producuntur per Verbum. Dico, & nego dictum illud, & reddo rationem: ſi enim non eſſent creaturæ poſsibiles; non eſſet Deus omnipotens, & ſi non cognoſceretur vt ſic, non eſſet cognitio comprehenſiua, neque infinitè perfecta: & ſicut repugnat non eſſe omnipotentem, ita non eſſe omniſcientem; licet creaturæ in ratione ſuę eſſentiæ non ſint æquè neceſſariæ ſicut Verbum, in ratione tamen cognitionis, & in ratione Diuinæ potentiæ, æquè repugnat non cognoſci à Diuino intellectu, & non eſſe producibiles à Diuina virtute, ac non eſſe Verbum: & vt deducebat D. Aug. non eſſet Verbum perfectū ſicuti nunc eſt, nec adæquatum. Eadem ergo animaduerſione, vt dicebam, ad rationem nego non eſſe æque neceſſariam cognitionem comprehenſiuam, & repreſentantem creaturas poſsibiles, ſicuti neceſſarius eſt Deus &c.

Ad ſecundum negatur antecedens. Non enim vt ſic cognita Diuina eſſentia comprehenditur, nec conſequenter cognoſcitur, ſicuti ad Verbū producendum neceſſariò requiritur: nam eius attributum eſſentiale, quod eſt infinita virtus, ac potentia, qua infinitas creaturas producere poteſt, non cognoſcitur, & licet Diuina eſſentia entitatiuè ſit infinita, non tamē omni modo quo infinita eſt, concipitur vt nuda. Quod ſi inſtes, Si per impoſſibile nuda eſſentia intueretur Pater, produceret Verbū: ergo Verbū non producitur ex cognitione creaturarū. Molina negat conſequentiam, quia ſicut repugnat eſſentiam non cognoſci à Patre, vt creaturas etiam repreſentantem, quia Pater nullā aliam quàm comprehenſiuam habet cognitionem, ita ead. ratione repugnat ex ea cognitione Verbum non generari. Ego vero ead. ratione nego etiam antecedens; quia aut non produceretur Verbum, quod producitur, aut nullum produceretur, cum vt iam aſſertum eſt, repugnet alia quàm cōprehenſiua cognitione produci. Ad primam confirmationem negatur minor: non enim eſſet infinita intenſiuè eſſentia Diuina, quia non eſſet omnipotens. Ad ſecundam ead. ratione negatur ſequela; imò oppoſitum colligendum videtur: ideo enim tum creaturæ poſſibiles, tum earum cognitio in Deo neceſſariò admittenda, quo aliàs nec eſſentia eſſet intenſiuè infinita, vt nunc dicebamus, nec pro dignitate, ac comprehenſiuè ſe ipſum Deus cognoſceret.

Ad tertium, & ad primum abſurdum, nulla videtur conſequentia: nam neque ad Diuinā eſſentiam relatione reali refertur Verbum, licet ex eius cognitione primariò producatur. Vt autē intercedat realis relatio ſupponitur realis diſtinctio, quæ in Deo ex infinita ſimplicitate eſſe non poteſt, niſi inter perſonam dicentem, & ſpirantem, & Verbum dictum, & Spiritum Sanctum ſpiratum, nequaquam autem inter potentiam, & obiectum.

Ad ſecundum abſurdum neganda abſurditas hęc: quid enim abſurdi, & qua ratione abſurdum, reſpectum rationis in operatione immanente Dei, ac naturali, noſtra intelligendi ratione præcedere Verbi productionem?

Ad tertium ead. reſp. ſufficiat, cum hæc præceſſio, & ſit entis rationis, & habitu ex S. Bon. & niſi noſtra intelligendi ratione præcedat, quod verè æternitati minimè, vt patentiſſimum eſt, derogat.

Ad quartum omninò neganda conſequentia his potiſſimū rationibus. Prima. Nam licet ex cognitione eſſentiæ producatur Verbum; tamen ab eſſentia procedere ſi quis diceret, rem damnatam à Concilijs diceret. Secunda, quia perſona Verbi non ex obiecto cognito per eam notitiam, ſed ex perſona Patris cognoſcente obiectum eſſentiæ, perſonarum, & creaturarum, procedit: neque eſſentia Diuina niſi in ratione ſpeciei intelligibilis, & obiecti ſe habet.

Ad quintum. Nulla inde recta conſequentia. Ad probationem negatur totum quod aſſumitur: non enim Verbum, de quo diſputamus, eſt imago ſui obiecti, ſed ſui Patris producentis, quia tota ac vera imaginis realis ratio in dicentis imitatione ſita eſt; vnde Filius Patris dicitur imago, quia Pater ſibi Filium ſimilē genuit, & in eo ſe ipſum expreſſit. Vnde ſicuti Filius in Diuinæ eſſentiæ cognitione producitur, neq; tamen eſſentiæ, ſed Patris imago, & Filius dicitur, ita licet ex Spiritus Sancti cognitione obiectiua amatus, non inde ſequitur, quod Spiritus Sancti ſit nuncupandus imago. Ad confirmationem de imagine picta, negandum, tum eſſe eandem rationem de imagine viua, & picta, tum

imaginem eſſe obiecti ſimpliciter, ſed vt in mente pingentis; vnde primò & immediatè eſt imago ideæ in mente pictoris, deinde obiecti, ex quo collecta eſt idea.

Ad poſtremam rationem negatur minor. Ad cõfirmationem totum aſſumptũ negatur. Nam Filius ex vi perfectiſsimæ generationis conſtituitur ſpirator Spiritus Sancti, ac ei per ſuam generationem communicatur natura Diuina hac perfectione formali, vt communicabilis Spiritui Sancto per ſpirationem actiuam. Quod ſi inſtes. Ergo generatio paſsiua opponitur ſpirationi paſsiuæ, vel Filius Spiritui Sancto. Reſponderet Scotus, opponitur diſparatè. Reſpondemus nos affirmando, ſumpta generatione paſsiua in tota latitudine ſuæ perfectionis, in qua ſpiratio actiua includitur. Multiplicat Rada Scoti argumenta, ſed poſt ipſum recentiores facili negocio ſoluunt. Videndus Nazarius, & alij.

Ad eam, quam capite præcedenti confirmauimus ſententiam, de neceſſaria cognitione creaturarum, etiam ex qua producitur Verbum, quemadmodum deſeruire videntur illa verba D. Io. c. 1. *In ipſo vita erat*. ea ſtatui breuibus ex Patribus explicare. D. igitur Chryſoſt. hom. 4. Vitam hanc exponit ipſam virtutem Verbi, quæ non per compoſitionem ipſi ineſt, ſed per ſimplicitatem eſt ipſum Verbum, qua virtute cuncta creat, conſeruat, & gubernat. D. Cyrillus lib. 1. cap. 6. ferè eandem ſententiam ſecutus, vitam hanc rerum omnium creatarum durationem, & permanentiam docet; quæ ab ipſo Verbo eſt; ita vt hanc ſententiam interpretetur in ſenſu cauſali, vt ſit vita, ideſt cauſa hominum vitæ. Diuus Ambroſius lib. 3. de fide cap. 3. & Diuus Athanaſius pro vita ſpirituali interpretantur, quæ per gratiam collata eſt homini. Clemens Alexandrinus in exhortatione ad Gentes, de doctrina Euangelij, quam Verbum in carne docturum erat Gentes, interpretatur, vt ideo dicatur in Verbo vita, quia verba vitæ docturus erat: quare ipſe D. Io: 1. epiſtola cap. 5. *Vitam æternam dedit nobis Deus, & hæc vita in Filio eius eſt*. Actor. 3. D. Petrus Chriſtum auctorem vitæ, & Io: in ead: epiſtola cap. 1. Filium Dei Verbum vitæ appellauerunt. Idem Io: in Euang. cap. 3. 4. 5. & 6. & ferè in toto, idem centies repetit.

Sed quod ad rem noſtram facit, eſt D. Aug. qui tract. 1. in Io: Vitam hanc exponit ipſammet Verbi ſubſtantiam, quæ eſt vita: omnium enim creaturarum idea eſt ipſa eſſentia, & omnia creata ſunt vita in Deo, quia ratione ideæ dicuntur eſſe in Deo, & idea eſſentia eſt: & eleganter addit; *Sapientia Dei ſecundum artem continet omnia; terram vides, cælum, ſolem, lunam, ſunt iſta in arte, ſed foris corpora ſunt, in arte vita ſunt*. Idem in lib. 83. quæſt. quæſt. 26. *Quod factum eſt*, inquit, *in ipſo vita erat, omnia quæ facta ſunt, & vitam non habent, in ipſo Verbo Dei vita ſunt, in ſeipſis vita non ſunt*. Idem lib. 10. De Ciuit. Dei cap. 10. *Iſte mundus*, inquit, *niſi notus eſſet, eſſe non poſſet*, & lib. 5. de Geneſi ad litt. cap. 13. *quis*, inquit, *tam ſit demens, vt dicat non ea Deum feciſſe, quæ nouerat?* & cap. 15. *Manet iſta ſententia, vt id quod per ipſum factum eſt, vitam eſſe in illo intelligatur, in qua vita vidit omnia quando fecit, & ſicut vidit, ita & fecit, non præter ſeipſum videns, ſed in ſe ipſo*. Ead. auctor homil. 2. in diuerſ. inter opera Origenis tom. 3. Idem Beda in Io: Ex quibus deducitur, Verbum eſſe ideam, & rationem cognoſcendi, tum creanda, tum creabilia, & ita creaturas in eſſe cognito viuere in Deo, & hoc eſſe dici vitam, quia cognitio Diuina in primis eſt ſumma lux, & actus vitalis: ergo Verbum eſt ſpeculum, exemplar, & idea rerum cognoſcibilium: ergo ex hac cognitione productum eſt, quia productum tale eſt &c.

CAPVT VIII.

An, & quam rationem, & relationem Verbum dicat ad creaturas.

VErbum Diuinum, ac æternum Patris, aliquem ad creaturas reſpectum dicere, & ſolerter probauit in quæſt. S. Doctor, & communis Doctorum conſenſus eſt, & hunc quidem adeo diminutum, vt ſit rationis: eadem communitate complectuntur omnes. Nullus namq; inuenitur Doctor prudens, quem legerim, qui conſentaneè Verbum Diuinum ſub vlla ratione relatione reali ad creaturas auſus ſit affirmare referri, & probatur diffusè à Theologis ſuis locis, cum de Dei abſolutis tractatus conficiunt. Illud vbique compertiſsimum aſſerentes, repugnare Deo, primo, neceſſario, & infinito enti deforis pendere, ad exterosq; realiter referri. Sed quod hic in primis faceſsit negocium, ac ſubinde præſertim quæritur, eſt, qua ratione Verbum ad creaturas hunc reſpectum rationis dicat, an ſcilicet ſolius eſſentiæ, an ſolius proprietatis, an vtriuſque ſimul ratione.

D. Bonauentura hoc loco. Pater, inquit, concipit vnum Verbum, quod (Verbum, ac perſonam conceptam, & emanantem indicat) eſt ſimilitudo Patris imitatiua, & ſimilitudo rerum exemplatiua, & ſimilitudo operatiua. S. Th. hic mutat vocem *imitatiua* in expreſsiuam Patris, quod idem conſequenter eſt: eo enim quo Patrem imitatur, vel quo Patris imago perfectiſsima eſt, eo Patrem exprimit. Idem Riccardus, & omnium videtur eadem ratio. Cum enim Verbum, vt ſuperiori cap. aſſertum eſt, non ſolum ex Diuinæ eſſentiæ in Patre, & ex Diuinarum perſonarum, ſed etiam ex creaturarum poſsibilium producatur cognitione, non ſolum Patrem, ſed etiam creaturas refert, & exprimit; & non ſolum ad Patrem, ſed etiam ad creaturas refertur: hac tamen certa differentia, quod ad Patrem relatione reali, qua conſtituitur formaliter in eſſe perſonæ, quia non ſolum ad Patrem vt cognitum, ſed vt dicentem refertur: ad creaturas verò dumtaxat vt cognitas in eſſe poſsibili, relatione rationis, & eadem relatione creaturas ad Verbum, quia vt ſic non habent in ſe niſi eſſe rationis.

Addit S. Bonauentura. Verbum eſſe ſimilitudinem exemplarem, non præciſè tantū, vt creaturarū vt cognitę ſunt, ac ideo in Verbo relucentes, ſed vt creabiles, & producibiles: vnde dicitur Pater per Verbum operari, & ipſi Verbo attribuitur (notanda vox attribuitur) quod ſi Patris virtus, & Dei ſapientia. Addit S. Th. ibidem ad primum. Cum in perſona includatur & natura: in nomine igitur perſonæ quantum ad relationem non importatur relatio ad creaturas, ſed importatur in eo quod pertinet ad naturam: ita tamen includitur eſſentia in perſona, vt ſit æquè proprium quod ſit genitus Deus ſecundæ perſonæ, quàm quod ſit Filius; & ſic in nomine Verbi importatur relatio ad creaturas. In 1. verò ſentent. diſt. 27. quæſt. 2. art. 3. teſte Capreolo, viſus eſt oppoſitam ſecutus ſententiam, dum Verbum primariè ad Patrem dicentem referri, ad creaturas verò tanquam ad obiectum ſecundarium aſſeruit. & de Veritate quæſt. 4. art. 3. Verbum ad creaturas ex conſequenti, & quaſi per accidens referri, ſcriptis reliquit, hac ratione, quia Pater primò dicit ſe generando Verbum, deinde creaturas, quaſi ad ſe non ſpectantes. Ita ſit, primò ad Patrem, deinde ad creaturas Patris rationi extrinſecas referri. Scotus ead. diſt. q. 1. & quolib. quæſt. 8. art. 3. duo tradit, quorum primum. In proprietate conſtituente perſonam Verbi, nullus includitur reſpectus per ſe ad creaturas. Secundum. Verbum primò reſpectum ad Patrē dicit, ſecundò connotat reſpectum declarantis ad declaratum, quod fortaſſe erit illud expreſſiuum S. Th. & exemplare S. Bonauenturæ.

Dicendum ergo primò. Verbum primò, ac præcipuè dicit reſpectum ad Patrem, deinde ad creaturas: ad Patrem quidem, vt ad principium, ad creaturas, vt ad effectum, ad Patrem, vt ad producentem; ad creaturas, vt ad producibiles. Hoc dictum apertiſsimum eſt in S. Bonauentura, præſertim ex reſp. ad arg. ita rationi conſentaneum, ac veritati, vt nec oppugnare, nec negare alicui liceat.

Dicendum ſecūdò. Reſpectus hic omnia ad creaturas neceſſariò rationis tantum eſt, tum ratione communi apud omnes Theologos, Deum repugnare realiter à creatura pendere, ac ſubinde ad eam referri: tum ratione creaturæ, vt obiectum eſt, ex quo cognito producitur Verbum: quemadmodum enim creaturæ vt ſic non differunt à Diuina eſſentia, niſi ratione, vt in tractatu de Ideis ſupponitur, & Verbum ipſum ab eſſentia non niſi ratione differt, vt ſupra ſuo loco ſatis demonſtratum eſt; ad ipſas quoque non niſi ratione referri poteſt, ſicut & ad eſſentiam; quo ſenſu ad Patrem etiam relatione rationis, ſcilicet vt ex ſui cognitione genitus, & vt cui res dictas repreſentat. Eſt S. Thom. art. 1. ad 3. Tum vt creaturæ ſunt poſſibilis creationis terminus. Si etenim vt ſic non habent eſſe diſtinctum niſi rationis, neque niſi relationis rationem poſſunt terminare: tum denique quia Verbum hoc reſpectu eſt ſui declarantium: ergo rationis: nam à ſe ipſo non niſi ratione differre poteſt: ergo neque referri ad ſe ipſum.

Dicendum tertiò. Admodum rationi, & veritati conſonè S. Doctor relationem hanc per aptitudinem, & habitum explicuit; ratio in promptu adeſt. Nam ſicut res non niſi eſſe aptitudinis, & non repugnantię ex vtroque termino habet: poteſt enim eas Verbum producere, & ab eo produci poſſunt; conſequenter non niſi relatio aptitudinis intercedere poteſt. Realis quidem ratione fundamenti, & virtutis abſolutæ, qua poteſt Verbum producere, & creare; rationis tamen formaliter, cum nullus, vt aſſeritur, ſit terminus realis: quare relatio hæc rationis, mutua, & reciproca eſt. Conſectarium etiam, ſicuti Spiritus Sanctus eſſet donum, etiam ſi in tempore non donatum; ita Verbum, etiam ſi non creaſſet creaturas, haberet hunc reſpectum, hancq; eandem habitudinem.

Dicendum quartò. Vt Verbum ex creaturarum cognitione genitum relationem ad creaturas includit, in proprietate perſonali Verbi, hoc eſt ratione proprietatis, refertur. Probatur, quia Verbum propriè ſumptum producitur etiam ex creaturarum cognitione: ergo ad creaturas refertur propriè vt Verbum. Confirmatur argumento Aureoli. Hæc relatio tribuitur perſonæ ſecundæ, & non primæ, aut tertiæ: ergo ratione proprietatis. Hoc non debent negare reliqui Doctores, qui concedunt ex creaturarum cognitione generari Verbum.

Dicendum quintò. Si creaturæ vt terminus Diuinæ virtutis ſumuntur, & vt creabiles accipiuntur, certum eſt quod ad eas ratione eſſentiæ, & virtutis abſolutè refertur Verbum: ſicuti enim creantur virtute abſoluta, & à tribus perſonis; ita pariter creabiles. Eſt veriſsimum dictum, communne idcò Doctoribus, & S. Bonauenturæ, cum attribui Verbo quod ſit Patris virtus, tradit; ſi enim attribuitur, & appropriatur, non eſt proprium. S. Tho. ad primum. Scot. ſupra recenſitis locis &c.

Dicendum denique ſextò Corollariè. Abſolutè loquendo ſicut reliqui Doctores, neque ratione ſolius proprietatis, neq; ſolius eſſentiæ, ſed vtriuſque, relatio hæc rationis competit Verbo. Iam conſtat ex dictis. Si reſpectus hic eſt Verbi, non Patris &c. ergo ratione proprietatis. Si deinde ad creaturas vt creabiles, certum eſt ratione eſſentiæ. Ad totam ergo, vt ſic loquar, perſonam, tum eſſentia, tum relatione conſtitutam, vt eſt Deus genitus: ſecundò vt refertur ad Patrem, dicit ſolam relationem realem: ergo vt refertur ad creaturas aliquid amplius dicit, ſcilicet eſſentiam, & huius relationis ratio eſt veluti in qua relucent, & cognoſcuntur, & manifeſtantur creaturæ. Neque S. Th. hoc negat, ſi attentè, ac primum legantur illa verba: Nihil tamen prohibet in quantum includitur &c.

QVAESTIO DECIMA ET SECVNDA DE FILIO.

IDEST DE IMAGINE.

NON erat prætereunda à Theologis in ſchola de æterna Filij Dei imagine diſceptatio, nec alio loco quàm eo, vbi de Verbo, locanda: eſt enim adeo frequens huius Dei Filij notionis apud Sanctos Patres nomen, & in Diuinis litteris tot in locis inuenitur reuelatum, & ſic Verbo annexum, vt idem etiam formaliſſimè cum ipſo ſit, vt non niſi magni momenti, & Myſterij ſit eius contemplatio: & non erit adæquatè de ſecunda perſona, ac Verbo excuſſa diſputatio, niſi & ſub imaginis ratione excutiatur. Cum Magiſtro ergo, & cum omnibus Theologis diſt. 31. eruditas quæſtiones proponit S. Bonauentura.

ARTICVLVS I.

An Imago abſolutum quid, vel relatiuum in Deo dicat. D. Bonauent. diſt. 31. par. 2. q. 1. D. Tho. 1. par. q. 35. art. 1.

PARAPHRASIS.

PRIMA Propoſitio. Imago, ſi non abuſiuè, ſed propriè in Diuinis, nonniſi ſecundum notionem, & relatiuè ſumenda eſt. Probatur primò ex S. Aug. 15. de Trinit. cap. 3. Quid abſurdius, quàm imaginem dici ad ſe? *ex S. Hilario 4. de Trinit. Imago non eſt ſola: ſi enim non ſola: ergo cum alio, & relatiuè. Secundò ex definitione imaginis: eſt enim rei ad rem coæquatio; ſed hæc eſt perſona: ergo relatiuè, & propriè ſumitur. Maior eſt S. Hilarij. Minor probatur: perſona enim in Diuinis præſertim, eſt res naturæ ad rem. Conſequentia probatur: quia plures res ponit: ergo relationem: non enim abſoluta, ſed tantum relatiua multiplicantur. Tertiò Imago dicit emanationem, & originem vnius ab altero in identitate naturæ: ergo perſonam, & relationem. Probatur antecedens: nam imago expreſſionem omnimodam in eadem natura dicit; ergo emanationem. Conſequentia patet: nam perſonæ in Diuinis emanant, ac procedunt. Denique ex etymologia nominis: Imago enim eſt quaſi Imitago; ſed eſſentiam non imitatur, ſed perſonam: ergo.*

Secunda Propoſitio. Si imago abuſiuè, & impropriè accipiatur, poteſt creatura aliqua Diuinæ Trinitatis imago nuncupari. Probatur, & ſimul declaratur. Sicut enim contingit exemplar accipi, pro eo ſcilicet, ad cuius imitationem aliquid fit, propriè, & impropriè pro exemplato; ita accidit imagini, vt oppoſito modo, propriè, quod ad alterius imitationem producitur, impropriè, dum productum ad alterius imaginem, imago tamen pro imaginato profertur.

Tertia Propoſitio. Si imago abuſiuè vſurpetur, Deo abſolutè competere poteſt. Probatur: ſic enim tota Trinitas Sanctiſſima hominis imago aliquando dicitur: ad Sanctiſſimæ enim Trinitatis expreſſionem creatus eſt homo, iuxta illud, Faciamus hominem ad imaginem &c.

Quarta Propoſitio. Siue propriè, ſiue impropriè perpendatur imago, nunquam ſine relatione, ac diſtinctione fieri, aut concipi poteſt: ſi enim propriè in eadem natura, vel ſpecificè, vel indiuiduè, ſcilicet ad intra perſona ad perſonam, realis intercedit, & diſtinctio, & relatio: ſi propriè, & ad extra, eſt rationis relatio in Deo, & realis diſtinctio Dei Trini ad hominem creatum.

COMMENTARIVM.

ITA dilucidè, ac diſtinctè hac quæſt. S. Doctor, quid ad imaginem, & imaginis rationem, & definitionem ſpectat, enucleat, vt nulla commentatione videatur indigere. Cum de perſona ſecunda Diuina ſuſcepit tractationem, Verbi ratione, & proprietate explicata, recto veſtigio ad alteram, ſcilicet imaginis proprietatem deuenire operæpretium duxit idem S. Doctor, quemadmodum reliqui omnes Doctores: & licet vnicam rem hoc loco de imagine præſtare ſufficeret, eſſe Filij Dei nimirum proprietatem demonſtrare; quia tamen id commodè fieri non poterat, niſi prius quid ſit imago præſupponeretur; hanc quæſt. ad ſequentem præmittere neceſſe fuit, vt ſic etiam ex Ariſt. inſtitutis ab vniuerſalioribus, ſcilicet à definitione inſtitueretur imaginis pertractatio. Ergo hac quæſt. explicatiſſimè S. Doctor imaginem definit, & hinc relatiuè dici commonſtrat. Quare ad aliquam perſonam diſtinctè conuenire patefacit, & proprietatem aliquam eſſe perſonæ, licet non ab alijs hucuſque explicatis diſtinctam. Quod vt diſtinctius, & luculentius conſequatur,

etiam Ariſt. preceptis inherens omnẽ tollit ęquiuocationem, quotque modis ſumatur imago, propriè ſcilicet, & impropriè, ad intra, & ad extra, in eadem, & diuerſa natura; & quid ipſum imaginis nomen, nominisq; etymologiam prius ſolerter refert, & obſeruat. Deinde his præiactis, imaginis proprijſsimè ſumptæ, vt in Deo ad intra inuenitur, definitionem indagat, ac conſtruit; qua conſtructa, quod in titulo ante præmiſerat, ac promiſerat, egregiè præſtat; imaginem nimirum non ſubſtantiuè, ſed relatiuè neceſſariò accipi.

In hac tamen explicatiſsimè tradita imaginis definitione non ab re, nec otioſè licet animaduertere in ipſius definitionis exactiorem cognitionẽ, ac primò. Multis locis S. Doctor de imagine egit, 1. ſent. diſt. 3. par. 2. & in 2. diſt. 16. & hoc loco, hac tamen diſtinctione, quod ibi de imagine creata, hic de increata. Ex omnibus tamen locis tria ad perfectam imaginis rationem pertinere licet colligere.

Primum, quod totum, ad cuius imaginem dicitur, repreſentet: in quo à veſtigio differt, cuius non eſt totum, ſed partem repreſentare: quare veſtigium pedis, pedis imago haud rectè diceretur.

Secundum. Imitationem alterius neceſſariò dicit: ſic enim S. Doctor imaginem, quaſi imitaginem, ſcilicet imitationem agentem interpretatus eſt: vnde fit, vt ad imaginis rationem non ſufficiat ſimilitudo, ſi deſit imitatio: licet enim imago dicatur ſimilitudo, dicitur tamen qua ratione perfectè imitatur: quapropter S. Aug. lib. 83. quæſt. quæſt. 73. & 74. Ouum ouo quod poſsit eſſe ſimile, non tamen vnum alterius imago, hac potiſsimum ratione, quod ad eius imitationem non ſit productum, & de ipſo non expreſſum.

Tertium denique. Quod imago ad imaginatum referatur, ac ſic Ieſu Chriſti Domini noſtri imago picta nuncupabitur, tum quia totum Chriſtum repræſentat, tum quia ex eo excepta eſt, & expreſſa: vnde D. Damaſc. ad Prototypum referri conſtanter docebat. Quod hoc ita accipiendum eſt, vt imago imitetur, & referatur ad imaginatum, vt ab ipſo quod imitatur, ſimileq; ei eſt, expreſſum, productumq; ſit ad ſui imitationem: vnde vt iam dicebam; ad ipſum tanquam ad exemplar, & prototypum referatur.

Verum quoniam poteſt imitari, & repreſentare, vel in forma naturali, vel in figura duntaxat exteriori, & in forma, aut eiuſdem naturæ numero, aut ſpecie, aut omnino diuerſa; hinc oriuntur imaginum differentiæ, & variæ perfectiones, vt ſi in ipſiſsima natura eadem numero fuerit imago infinitè perfecta; erit Diuina, ſcilicet de qua hoc loco; eo enim quia eadem infinita natura Diuina in eſſentia, & ſimplicitate, tota per Patris actiuam generationem communicatur Filio, ideo Filius eſt perfectiſsima Patris imago, & per omnimodam expreſsionem, vt ait S. Doctor.

Si in diuerſa omnino natura, tunc à prototypo in infinitum cadit: ita enim creatura rationalis, licet à Deo ad ipſius Dei producta ſit imaginem; in infinitum tamen diſtat: quare Geneſ. 1. ad hoc conteſtandum de homine aſſeritur. *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram.* neque enim dixit, faciamus imaginem, ſed ad imaginem, vt hanc ſcilicet maximam differentiam notaret, ac nobis pateſaceret.

Si autem in eadem natura, ac forma in ſpecie, vt dum homo hominem, ac Filium generat; tunc in ſuo genere non repugnat eſſe omnino æqualem, ac ſimilẽ in perfectione: imò quatenus eadem eſt ſpecies, neceſſariò ſemper erit eadem ſpeciei in vtroque perfectio.

Sed itidem inter imaginem in eadem natura, & in omnino diuerſa, ſcilicet Dei, & hominis, præter infinitæ perfectionis differentiã obſeruat ſanctus Doctor, quod illa, ſcilicet Dei, eſt perſonæ ad perſonam, hæc vero, creaturæ ad eſſentiam: illam enim Pater, vt diſtincta perſona imaginem ſui producit, hanc verò Deus vt vnus in tribus: quare non *faciam*, ſed *faciamus hominem ad imaginem noſtram*, dixit Dominus Deus.

Si denique in tanta diuerſitate naturæ, vt non ſit in forma aliqua naturali, ſed in aliquo ſigno formæ; erit omnium imperfectiſsima imago, aut Dei, aut hominis, vel in nummo impreſſa, vel in tabula picta; quamuis & hæc ſuum habeat modum perfectionis, vel imperfectionis, quatenus nimirum figuram, & colores, magis, vel minus exprimit.

S. Thom. hoc art. hanc eandem doctrinam, quamuis quibuſdam alijs verbis, tradit: imaginem enim intrinſecè eſſe ſimilitudinem aſſerit, non quamcumque, ſed eam quæ eſt ſpeciei, & naturæ, & formæ, vel ſaltem ſigni formæ, & ſpeciei: ſed neque & hoc, inquit, ſufficit, ſed adhuc, quod eſt vltima differentia, requiritur, ſcilicet origo. Erit ergo imago, quod procedit ab alio ſimile in ſpecie, vel ſaltem in ſigno ſpeciei, ſcilicet figura &c. quod S. Bonauentura idem ijs verbis expreſsit. Imago eſt quod alterum exprimit per originem ab ea, vel in eadem natura numero, vel ſpecie, vel in diuerſa omnino natura: quare imaginis ratio, præſertim ſtrictè ſumpta, duo in primis ſibi poſtulat, & ſimilitudinem per identitatem aliquam in natura, vel numero, vel ſpecie, ſimul diuerſitatem aliquam realem, & quo maior eſt identitas, eo & ſimilitudo, & perfectior imago: ita Diuina eſt perfectiſſima, quia omnino ſimilis, & eadem prorſus natura: ſecundo loco quæ ſimilis eſt per eandem ſpeciei naturam: poſtremo verò loco, quæ in diuerſa natura, ſimili tamen & in ſigno naturæ. Diuerſitatem vero hac inprimis ratione requirit.

Cum enim expreſsionem vnius ab altero dicat, & relationem ſimilitudinis, & repugnet non differre realiter producens, & productum, & reali relatione nihil ad ſe ipſum referatur; neceſſariò inde colligitur, inter imaginem, & imaginatum intercedere realem diſtinctionem. Quocirca in Diuinis, inter relationes æqualitatis, & ſimilitudinis non eſt ratio imaginis, non eo ſolum, quo vna non eſt ab alia, ſed quo inter ipſas non eſt relatio, niſi rationis; & hac ratione inuenitur perfecta imaginis res, ac ratio, quod licet omnino eadem numero ſit forma, & eſſentia, eſt tamen

realis

Digitized by Google

realis diſtinctio inter perſonas, inter quas inuenitur.

Porro attente animaduertendum, quod de imagine aſſertum eſt ſupra, ſcilicet eſſe intrinſecam expreſſionem eius, cuius eſt imago, ita accipiendum, vt non à quocumque, ſed ab eo cuius eſt imago, fiat huiuſmodi expreſsio; ſed cum hac differentia, vt ſe ipſum quis exprimat productione, velut agens, & immediatum principium productiuum, veluti Pater generatione producens Filium ſibi ſimilem, ſuique imaginem; vel vt agens, ex præconcepto exemplari per intellectum, ſicut omnis artifex per apprehenſum exemplar operatur, & imitatur ipſum exemplar in ſua impreſſum mente; ita vt exemplar hoc non agat, ſed vt obiectum apprehenſum moueat artificem ad agendum. Hinc res per artem producta rectè hac ratione appellatur imago, non quidem exemplaris abſolutè, ſed per intellectum apprehenſi: neque hinc tamen aſſerere licet hominem eſſe Dei imaginem artificiatam, quia æternam Dei ideam imitetur Diuina voluntate decretam: imitatur enim & ipſum Deum æternum exemplar.

Corollarium, quod Suarez lib. 9. cap. 8. de Trinitate deduxit. Triplex erit ſpecies imaginis, naturalis, artificialis, & intellectualis, & hæc naturalis. Artificiata verò, licet & ipſa per potentiam naturalem intellectus producatur ad imitationem obiecti, quia tamen in extrinſeca materia efficitur, vt imago picturæ &c. dicitur artis. Quę fortaſſe videntur deeſſe in hoc commentario, in diſputatione addentur: quare ad argumenta Sancti Doctoris reſpondemus.

Primum conficitur ex diuerſis Sanctorum Patrum locis. D. Hilarij 4. de Trinit. Venerabilis Bedæ in illa verba: *Faciamus hominem ad imaginem &c.* Et D. Fulgentij, (ex D. Thom.) lib. de fide ad Petrum, hoc ferè modo. Quod de Deo dicitur ſecundum tres perſonas, abſolutè dicitur: ſed imago ita dicitur: ergo non ad vnam perſonam, ſed ad omnes, & ſubinde abſolutè. Maior eſt nota. Minor probatur per tot Sanctos Patres; imò per Diuinam Scripturam: *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram.*

Reſp. vterque S. Doctor eadem reſponſione ad minorem, ſcilicet Sanctos Patres non vſque adeo propriè ſumpſiſſe vocem, & rem imaginis, ſed cum quadam latitudine, & impropríetate. Improprietas autem in hoc ſita eſt; ſicut aliquando exemplar pro exemplato vſurpatur, ſic imago imitans pro re imitata, hoc loco. Secundò S. Doctor in corp. quæſt. D. Hilarium, & Bedam de imagine creata hominis, ſcilicet in ordine ad Deum, interpretatur: Ad locum vero Geneſ. 3. *Faciamus hominem &c.* dicendum; Imaginem, non ex parte Dei, ſed hominis ſe tenere; vt ſit ſenſus, faciamus hominem, qui ſit imago aliqua noſtra, & quoquomodo nos imitetur, licet longe diſtans.

Secundum argumentum. Quod actiuè dicitur exemplar, paſſiuè dicitur imago: ſed exemplar ſecundum ſubſtantiam in Diuinis dicitur: ergo & imago: ergo non relatiuè, ſed abſolutè.

Reſp. & negatur maior. Licet enim exemplar, & imago ſint idem in eſſentia; longe tamen diuerſa, & oppoſita ratione: nam exemplar dicit rationem principij ad extra, quare toti competit Trinitati: vnde, *facimus hominem &c.* imago verò rationem producti, & principiati; quapropter non omni perſonæ, ſed alicui ex productis perſonis neceſſe eſt conuenire, ac ita relatiuè, ſicut illud ſubſtantiuè ſumendum. Secundò ex corp. quæſt. ad eamdem maiorem reſpondetur. Si pro eodem aliquo loco vtrumque acceptum inueniatur, tunc aut vtrumque, aut eorum alterum impropriè, & vt ait S. Doctor, abuſiuè vſurpabitur: quare nihil inde tunc ad id quod prætenditur, rectè colligitur. Tertiò poſſet ex eadem maiori ad hominem cunſtrui, & deduci argumentum, hac addita minori: ſed aliquando, ſaltem in Diuinis, exemplar relatiuè ſumitur, ſcilicet pro Patre, vt Filij principium eſt, & ad ſui imitationem producit Filium: ergo & imago dicetur relatiuè de Filio, vt ad Patris imitationem producto.

Tertium argumentum. Imaginis ratio conſiſtit in repreſentando, non ſolum vnitatem rei ſubſtantialis, ſed etiam diſtinctionem, & ordinem, ſed ordo, & diſtinctio non poteſt in vna perſona inueniri: ergo neque de vna perſona prædicari. Maior eſt in corp. quæſt. nota ex imaginis definitione: eſt enim in Deo, quod alterum exprimit in eadem natura numero. Minor vero ex eo notior, & patentior, quo vni perſonæ repugnat in ſe diſtingui: ergo potius eſſentiæ in tribus, quàm alicui ex tribus perſonis imaginis ratio videtur adſcribenda.

Reſp. gemina reſponſione ad maiorem. Sed primò ſupponitur, aliam eſſe rationem imaginis in ſe, aliam rei cuius eſt imago: imago enim dicit ordinem, & diſtinctionem inter imaginem, & imaginatum, ac exemplar; res verò imaginis aliquando quidem admittit diſtinctionem, vt in homine multis partibus compoſito, ſed in perſona non poteſt concedi: quare vt res pręſens poſtulat, abſolutè negatur maior: non enim ſemper eſt vera de re, cuius eſt imago; neque in Deo vera, cum ſimpliciſsima, & vniſſima res ſit perſona; ſed neque neceſſe eſt, ſi formaliter loquamur; non enim ad rei imaginis rationem, ſed imaginis requiritur diſtinctio ab eo, à quo producta eſt imago; non in eo in quo producta eſt: & hæc eſt prima reſponſio.

Secunda verò ad eandem maiorem. Non de quacumque imagine, inquit, veram concedimus, ſed dumtaxat de ea, quæ in diuerſa natura impreſſa eſt: tunc enim & diſtinctionem, & ordinem, & imitationem præſefert imago, vt Filij ad Patrem in humanis, à quo numero ſubſtantialiter differt, ſed in Diuinis negatur, vbi eadem & ipſiſſima numero eſſentia eſt, & ſubſtantia Patris, & Filij. Sed melior meo iudicio, & rationabilior, & ad traditas de vera, ac naturali imagine definitiones, & Patrum aſſerta magis conformis, ac conſequens erit primo loco poſita reſponſio, licet ex ingenij vbertate & ſecundam addiderit S. Doctor.

Poteſt ex eodem Sancto Doctore addi, & hoc quar-

quartum argumentum: Verbum & imago in Deo, nec ſubſtantia, nec relatione differunt: ſed Verbum ad creaturas refertur ratione eſſentiæ ſaltem: ergo & imago ratione eiuſdem eſſentiæ ad creaturas referetur.

Reſp. ex eodem S. Doct. dub. litt. 7. ad maiorem. Licet ſit eadem proprietas Verbum, & Imago, & Filius; diuerſa tamen eſt eorum ratio, vt non ſint Synonima: nam imago eandem importat proprietatem, vt expreſsè imitans, Verbum, vt alijs exprimens: quo ſuppoſito negatur conſequentia ex diuerſa ratione in eadem proprietate. Deinde conceſſa minori negatur ſecunda conſequentia. Tamen dicitur, & conceditur, & imaginem eatenus dici ratione eſſentiæ, quatenus vnitatem eſſentiæ in vtroque, imagine ſcilicet, & imaginato aſſerit; non tamen hoc ſolum, ſed etiam diſtinctionem inter perſonas, vt nuper demonſtratum eſt; neque tamen eodem modo, quo Verbum in ordine ad creaturas, ad quas imago nullum habet reſpectum formaliter, vt expreſsius ſequenti articulo.

ARTICVLVS II.

Vtrum imago in Diuinis propriè dicatur de Filio. S. Bonau. quæſt. 2. S. Thom. art. 2.

PARAPHRASIS.

PRIMA Propoſitio. *Imago, quam præcedenti quæſt. diximus propriè, ac relatiuè de aliqua perſona affirmari, nunc de ſolo Filio dici aſſerimus, & primò ex Sancto Hilario 8. de Trinit. ſub fine.* Æternitas in Patre, ſpecies in imagine, vſus in munere; *ubi expreſsè ſecundo loco vocat ſecundam perſonam imaginem. Deinde ex S. Aug. 6. de Trinit. cap. 2.* Solus Filius eſt imago Patris, & eo expreſsius Filius, quo imago, & Verbum. *Ergo ſi Filius dicit relationem ſecunda perſona, dicet & imago. Tertiò ratione. De ratione imaginis Diuinæ eſt quod expreſsionem in ſummo dicat perſona, quam imitatur, & cuius eſt imago: ergo ſoli Filio competit. Declaratur antecedens. Expreſsio in ſummo duo complectitur, primum, quod ſit vnius ad vnum: nam vnum ſummè, vt ſic non poteſt exprimere plura: hoc enim ſummæ, ſimpliciſſimæque vnitati repugnat, nec eadem ratione vnum vt ſic ſummum poteſt exprimi à pluribus vt plures ſunt: ſic enim eſſent differentes, neque in exprimenda vnitate conuenirent. Secundum verò, quod eandem expreſsionem per omnem modum dicat: aliàs enim ſummè non exprimeret.*

Tunc probatur conſequentia. Primò, quia inter Diuinas perſonas ſolus ab vno, ſcilicet à Patre procedit Filius. Secundò, Nam per omnem modum imitatur, & exprimit perſonam Patris, & vt eſt ipſe à Patre, & vt ab ipſo cum Patre Spiritus Sanctus, etenim ex vi naturæ productionis, quæ eſt per modum generationis naturalis, exit vt ſimilis; & hæc eſt potiſsima ratio quare ab ipſo Spiritus S. procedat: nam eodem modo, & eadem fœcunditate à Patre genitus eſt, vt cum Patre & ipſe ſpiret Spiritum Sanctum, aliàs non ei eſſet omnino ſimilis.

Secunda ergo Propoſitio. Imago nulla ratione poteſt propriè dici de Spiritu Sancto. Probatur primò ex ea quæ ante poſita eſt propoſitione. Secundò ex deducta ratione: nam Spiritus Sanctus non procedit vnus ab vno, ſed à duobus, neque ex vi ſuæ productionis vt ſimilis: per voluntatem enim & amorem procedit, & ſpiratur, vt infra ſuo loco, nec ideo in ſua productione ſimilis, nec fœcundus, quia ipſe eſt tertia, & vltima perſona.

Tertia conſequenter Propoſitio ex 4. arg. Ita propria Filio imago eſt, vt eo ſenſu neque creaturæ conuenire poſſit. Probatur. De ratione imaginis eſt, quemadmodum oriri à perſona, ita imitari, & exprimere perſonam à qua oritur: ſed creaturæ ab eſſentia Diuina vt vnus Deus eſt, per actum creationis oriuntur: ergo imitantur eſſentiam, & eſſentiæ imagines ſunt: non ergo perſonæ: ergo ſoli Filio ratio imaginis conuenit.

Quarta Propoſitio ex dubio 7. litt. Tria hæc nomina ſecundæ perſonæ propria, Filius, Verbum, & Imago, eandem quidem notionem, ac proprietatem dicunt, cum hac tamen diuerſa ratione, vt quia Filius, tantum ad Patrem refertur; quia Verbum, in primis quidem, & realiter ad Patrem, ſecundario tamen, & ratione etiam ad creaturas; quia denique imago, ad eundem Patrem, ſub ratione exprimendi, & imitandi præſertim, conſequenter tamen & ad Spiritum Sanctum, vt in eo ſpirando conuenit cum Patre, eique ſimilis.

COMMENTARIVM.

QVID ſibi in hac quæſt. S. Doctor velit, quidque doceat, ita dilucidè tradit, vt non ſit opus diuinatione; ita fusè, vt fundi, ac dilatari multum per commentationem non indigeat: explicatiſsimè enim ſicut ſuperiori quæſt. imaginem in Diuinis relatiuè, ac propriè ſumi demonſtrauit; ſic hac conſequenti quæſt. indicat, ac docet perſonam, cuius ſit propriè, Filium ſcilicet, ac omni ex capite, quo vna Theologica propoſitio ferè probari conſueuit: ab auctoritate Sanctorum Patrum, & ab intrinſecis rei, hoc eſt à definitione imaginis, Diuinæ præſertim: à ſufficientiſsima enumeratione eorum, quibus competere imaginem, fortaſſe oriri poſſet dubitatio: denique ab oppoſitarum rationum ſolutione. Supponit autem multis locis in Diuinis litteris imaginis nomen de Deo affirmari, vt infra; deinde in eiſdem Diuinis litteris crea-

creaturam rationalem aut imaginem, aut ad imaginem Dei nuncupari.

Hinc conſtituit hanc ferè vnicam, omnia enumerata complectentem argumentationem. Competit Deo Imaginis ratio: aut ergo eſſentiæ, aut perſonæ. Antecedens conſtat, tum ex Patribus, tum præcipuè ex Diuinis litteris, quas hic ſupponit S. Doctor. Sapien. 7. 2. Corinth. 4. Coloſſ. 1. Hebr. 1. Conſequentia patet ex ſufficienti enumeratione: nihil enim aliud in Deo neque eſt, neque excogitari poteſt, præter eſſentiam, & perſonas: non vero competit eſſentiæ, ex antecedentis quæſt. doctrina: ergo perſonæ. Non Patri, ex requiſitis ad imaginis rationem: origo enim dicit originem ab alio; quod repugnat Patri, cum ſit à quo cæteræ perſonæ originem ducunt. Non Spiritui Sancto ex eodem cap. præſertim ex ea originis conditione, qua imitatur ſuum principium, & oritur vt ſimile ei à quo oritur, quod conuenire non poteſt Spiritui Sancto: ergo Filio. Conſequentia eſt euidens, & confirmatur, quia Filius oritur naturaliter, & vt Filius ſimilis Patri. Secundò confirmatur, quia oritur vt comprehenſiuum Verbum: ergo & vt imago.

Neque obſtat, creaturam rationalem aliquando nuncupari imaginem, idque multipliciter capite, ex imperfectione primò, quia potius ad imaginem, quàm imago ideo appellatur, & nimis à longe Deum imitatur, & idcirco non omnimodam expreſſionem in eadem natura numero, ſicuti Filius ſolus facit, non autem homo, aut Angelus. Deinde oritur creatura per voluntatem extrinſecè; Filius verò per intellectum naturaliter. Præterea creatura imitatur eſſentiam vt in tribus, Filius verò perſonam: quare Filio omnibus numeris propria eſt imago.

Quod ſi aliquando Diuina eſſentia viſa ſit nuncupari imago, abuſiuè, & impropriè nuncupata eſt: docuit præcedenti quæſt. S. Doctor, dum exemplar de ſui ratione licet dicatur per modum actionis ad ſui imitationem aliquid producere, vt ſit exemplar exemplans, aliquando tamen & exemplatum, ſcilicet quatenus ab eo res producta ipſum imitatur, ac ſimilis eſt, ac ita appellatur imago.

Secundo loco, quamuis multi Patres Græci Spiritum Sanctum Filij imaginem nominent, inter quos hic refertur S. Damaſcenus, cum quo tamen & plures alij adſunt. Reſpondetur tamen, Græcos latius quàm par ſit vſurpaſſe imaginis nomen, ad explicandam, inquit S. Tho. ad primum, perfectam ſimilitudinem inter Diuinas perſonas, vel hos Patres dum Filij imaginem dicebant Spiritum Sanctum, effectiuè, & in tempore ſumpſiſſe, quo Spiritus Sanctus ſanctificatione homines Filio ſimiles efficit; quod quàm verè dictum ſit, fortaſſe infra diſcutietur: certum eſt à Sancto Doctore piiſsimè dictum ad colendos, & illos Patres excuſandos, vt in aliquem verum, ac congruum ſenſum eos interpretaretur.

Quod ſi tertiò obijciatur. In Diuinis litteris non legitur de Spiritu Sancto negata imago, quocirca neque nos videmur poſſe per Diuinam Scripturam probare, aut ſoli Filio, aut non Spiritui Sancto propriam eſſe imaginis rationem. Reſp. hoc eſſe pro veritate quam indagamus validiſſimum argumentum. Si namque Diuinæ litteræ de Filio, non de Spiritu Sancto aſtruunt imaginem: ergo Latinorum ſententia inhærens Scripturis verior, ac melior, quàm illa Græcorum ſine Scripturis loquens; & præſertim ſi addatur aurea D. Dionyſij ſententia de Diuinis nominibus in principio. *Vniuerſaliter non eſt audendum aliquid dicere, nec cogitare de ſuperſubſtantiali Diuinitate, præter ea, quæ diuinitus nobis ex ſacris eloquijs ſunt expreſſa.* & D. Baſil. in Apologetico contra Eunomium vehementer inſurgit, quod Filium Dei ſine Scriptura auſus fuerit genituram appellare.

Circa rationes, quibus S. Doctor probat quæſt. 2. propriè conuenire Filio imaginem; obſeruandum eſt, quod recta animaduerſione inter eas diſtinguit, vt ſola illa, qua probat ex vi ſuæ proceſsionis non Spiritui Sancto, ſed Filio propriam eſſe imaginem, ſit vera, & efficax ad probandum &c. quæ eſt etiam Sancti Thom. Henrici. Caiet. & communis. Reliquæ vero, quas ex parte accepit ex Ricc. de S. Victore lib. 6. de Trinit. c. 19. 20. & 21. congruæ tantum ſunt, quarum vnam refert etiam S. Th. primo loco dumtaxat congruam, quam ideo ipſe S. Th. non ſufficere docet, quamuis abſolutè non neget. Quare poterat Vaſquez ſeipſum cohibere à tam diffuſa redargutione, ac refutatione, cum eam, vt dicebam, vt congruam tantum propoſuerit: neque quidquid conetur, exuit adhuc eam ſua congruitate; præſertim ex auctoritate dicentium, nimirum SS. DD. Bonauenturæ & Tho. & ante ipſos Riccardi de S. Victore, vt ſæpius in diſputatione. Ad argumenta nihil remanet dicendum præter ea, quæ in diſputatione, præſertim in reſponſione ad 4. referentur.

Quarta Propoſitio non indiget Commentario.

DISPVTATIO

Igitur de Imagine, in quatuor capita.

Primum. Quomodo in Diuinis inueniatur Imago.
Secundum. Cuius ſit verè aſſerenda propria.
Tertium. Quomodo hoc demonſtretur.
Quartum. Sub qua ratione terminetur, ac referatur imago.

CAPVT I.

Quomodo in Diuinis inueniatur Imago.

HOC capite vnum ſupponitur, tria verò quæruntur. Quod ſupponitur eſt, imaginis rationem, & nomen aliquo ſenſu in Deo inueniri. Id enim teſtantur, tum omnes Theologi, tum Patres tam Græci, quàm Latini, tum ipſamet Diuina Scriptura Sap. 7.

Sa-

Sapientia eſt candor lucis æternæ, ſpeculum ſine macula Dei maieſtatis, & imago bonitatis illius. 2. Corinth. 4. *Deus huius ſæculi excæcauit mentes infidelium, vt non fulgeat illis illuminatio Euangelij gloriæ Chriſti, qui eſt imago Dei.* Ad Coloſſ. 1. *Qui eſt imago Dei inuiſibilis.* Ad Hebr. 1. *Qui cum ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius*; vbi Græca, *hypoſtaſis*, ideſt perſonæ, & ſubſiſtentiæ eius. Vox *figura*, ideſt character, & expreſſa imago. Ad Roman 8. *Quos præſciuit, & prædeſtinauit, conformes fieri imaginis Filij ſui, vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus.* Circa quæ loca relata, prius obſeruandum varijs nominibus nuncupari, & explicari Imaginem: ſplendor enim gloriæ, figura ſubſtantiæ, ſpeculum ſine macula, candor lucis æternæ, certò ſignificant eamdem Imaginem: ſed ex diuinis litteris poſſumus addere & alia nomina, quibus eadem Imago nomenclatur, nimirum ſigillum, ſpeciem, faciem &c.

Et vt à poſtremo exordiamur, Sancti Patres illum locum Gen. 32. *Vocauit Iacob nomen loci illius Phanuel, dicens*: Vidi *Dominum facie ad faciem, & ſalua facta eſt anima mea*: grauiſsimè de Imagine Filij Dei interpretantur: Primò enim D. Hieron. Phanuel eſſe idem quod facies, ſiue ſpecies Dei accipit. De Verbo vero æterno Clem. Alex. lib. 1. Pædag. cap. 7. intelligendum probat, & reddit rationem: *Verbum enim* (inquit) *eſt, quo Deus illuminatur, & cognoſcitur.* Idem prorſus D. Cyrill. lib. 3. Theſ. cap. 1. Confirmatur ex omnibus illis Patribus ſupra à nobis relatis, qui vnanimes vbicumque à Diuina Scriptura Deum apparuiſſe refertur, perpetuo fuiſſe ſecundam perſonam docuerunt.

Deinde ex ijs Patribus, qui eodem loco, virum illum illa nocte luctantem cum Iacobo fuiſſe Verbum Diuinum aſſeruerunt &c.

Itidē pſ. 138. *Quò ibo à ſpiritu tuo, & quò à facie tua fugiam?* D. Athanaſ. De vnita ſubſtantia Trinit. lib. 5. D. Cyrill. Alex. Dialog. de Trinit. lib. 5. & alij, faciem illam Filium æternum interpretantur.

Apprimè D. Nyſſen. lib. de Differentia Eſſentiæ & Hypoſtaſeos: *Filij Hypoſtaſis quaſi forma, & facies eſt, qua Pater cognoſcitur.*

Plura loca eiuſdem nominis colligi poſſunt, ſed hęc ſufficiant.

Species quoque ex ſe aptum natum nomen eſt; ex auctoribus etiam Latinis, faciem, & effigiem ſignificare, & Imaginem, quod idem eſt, Obſeruauerunt D. Greg. lib. 5. Mor. cap. 25. Vocat enim ſpeciem, quæ de Patre ſine initio nata eſt. D. Ambr. in Symb. Apoſt. cap. 1. *Aeternitas* (inquit) *eſt in Patre, ſpecies in Imagine, virtus eſt in munere, & hæc tamen tria vnus eſt Deus.* D. Athan. Orat. 4. contra Arrianos. *Pulchrè* (inquit) *Verbum coniunxit formæ, vt palam faceret ſe eſſe Verbum Dei, & Imaginem characterem, & ſpeciem ſui Patris.*

Sed quid? Ipſum Dominum audiamus Io: 5. dicentem. *Qui miſit me Pater, ipſe teſtimonium perhibuit de me, neque vocem eius vnquam audiſtis, nec ſpeciem eius vidiſtis, & verbum eius non habetis in vobis manens, quia quem miſit ille, huic vos non credidiſtis.* Quem locum D. Athan. loco nuperrimè citato, & D. Cyrill. lib. 3. Theſ. cap. 1. in hunc ſenſum accipiunt, & Verbum Dei eſſe ſpeciem Patris ſæpe repetunt.

Denique D. Aug. 6. de Trin. cap. 10. ſecutus Hilarium, ſpeciem nominat Verbum propter pulchritudinem, *Verbi*, inquit, *eſt tanta congruentia, prima æqualitas, & prima ſimilitudo.* Subſeribit Magiſter cum cōmuni Schola in 1. diſt. 31. &c.

Tertio loco, *Speculum*; ex Sap. 7. quod de Filio æterno interpretantur Clem. Rom. ep. 1. ad Iacobum fratrem Domini: & Euariſt. ep. 1. ad omnes Epiſcopos Africanos, & elegantiſsima eſt ratio. In Verbo enim Pater tamquam in lucidiſſimo ſpeculo, ſuam effigiem, & faciem intuetur.

Quarto loco, *Character*: quæ vox apud plures Patres, præcipuè Diuos Baſil. Athan. & Damaſc. notam, & proprietatem, & notionem, per quam vna Perſona dignoſcitur ab alia, idoneè ſignificat; & apud Philoſophos etiam naturales rerum propriæ facultates, & virtutes characteriſticæ nominantur. Hinc D. Greg. Nyſſ. lib. de Trinit. ad Euſtathium. *Nec aliter* (inquit) *videre licet Hypoſtaſim, ſiue Perſonam Patris, niſi quis per characterem in eum intuitus fuerit.* D. Cyrill. lib. 1. de recta fide ad Theodoſ. *Genitoris* (inquit) *Imaginem, & characterem illum appellant Sacræ litteræ.* Sufficit Conc. Epheſin. 1. in Confeſſ. fid. *Imago, & Character &c.*

Quinto loco, *Sigillum*, de quò non plura referenda; nam Character eſt ſigillum imaginem continens, deſtinatam ad cognoſcendum, & diſtinguendum aliquid. Docent Theologi 3. par. quęſt. 63. art. 1. Colligitur ex Io: 3. *Hunc Pater ſignauit Deus.* Vbi Græcum verbum, *ſignare*, ſignificat Sigillum. Tamquam certum ſcribit Cyrill. lib. 3. in Io: cap. 29. *Neminem* (inquit) *eſſe arbitror, qui rebus ipſis compulſus non concedat Characterem ſigillum ſignare, & abſque Charactere ſignare non poſſe. Quoniam igitur Diuina Scriptura teſtatur Characterem Hypoſtaſeos Dei Patris Filium eſſe, quia in ipſa, & ex ipſa eſt naturaliter, quo alio Charactere Pater Filium ſuum ſignauit? aut ipſe Pater quo Charactere ſignatus eſt, vt Filium ſignare poſſit?* Paucis infra: *ſignatur à Patre, quia ex ſubſtantia eius eſt Filius.*

D. Ambr. lib. 2. de fide ad Gratian. in Proœm. egregiam huius nominationis Filij reddit rationem: *Imago*, inquit, *& ſplendor, & character dicitur Dei Filius, quia hæc incomprehenſibilem, inueſtigabilem Paternæ Diuinitatem Maieſtatis in Filio, & expreſſam ſimilitudinem reuelarunt.*

Signaculum nihil noui affert: idem enim omnino ſignificat, quod ſigillum.

Figura igitur alio nomine vocatur Imago Hebr. 1. & à Conc. Niceno, & à pluribus Patribus ſæpe obſeruatum, figuram idem quod forma, & imago ſignificare. D. Bon. 2. ſent. diſt. 16. quæſt. vltima colligit ex hac voce *Figura* rationem diſtinctionis diuerſarum Perſonarum: ſicut enim Figura pluribus conſtat, lineis, angulis, &c. cum pro-

Digitized by Google

proportione &c. ita Imago originem, diſtinctionem, ordinem, ſimilitudinem, æqualitatem Perſonarum &c.

Quod vero candor lucis æternæ, ſplendor gloriæ, lumen de lumine, radius lucis &c. ſignificent imaginem, certum eſt, ſicut & Verbum; ſed hoc ad Diuinum Verbum procedere incorruptibiliter, & in æternum, & exactè repreſentare Diuinam lucem ingenitam ſignificandum.

His ſuppoſitis, eorum trium quæ quæruntur, alterum eſt, An propriè, ita vt non tropicè, neq; metaphoricè tribuatur Deo: alterum, ita propriè, vt relatiuè, non eſſentialiter, aut abſolutè. Tertium, quod ſi propriè & relatiuè, ita tamen propriè, vt non duabus, ſed vni dumtaxat perſonæ conueniat. De primo

Adhuc Durandus more ſuo, alioquin vir valdè eruditus, contradicit. Sicut enim iam negauerat, Verbum verè, ac propriè in Diuinis dici, & ſoli Filio proprium eſſe, & per intellectum produci, quemadmodum & Spiritum Sanctum per voluntatem; ita nunc in 1. ſent. diſt. 28. quæſt. 3. Imaginem ad Deum impropriè tranſlatam, minuſq; propriè de Deo affirmari præſumit, ſed fuſiore quadam ſignificatione vſurpari: idque conſtanter perſuadere conatur bifaria argumentatione, vel potius vnica duobus ex capitibus petita.

Si enim, inquit, verè ac realiter conuenit imaginis ratio Deo, erit, aut ad extra, ratione creaturarum, quæ dicuntur ad eius imaginem productæ, iuxta illud Geneſ. 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram*, aut ad intra, ratione vnius perſonæ ad alteram, quod idem eſt, ac ſi dicatur, aut abſolutè, aut relatiuè: ſed neutro modo. Quod nititur ſic demonſtrare. Non enim primo modo: nam propriè imago eſt quod ad alterius imitationem producitur, non autem id, ad cuius imitationem res producta eſt: potius enim, ac rectius hoc dicitur exemplar, vt docent & reliqui Theologi: quo ſenſu dictum eſt, *faciamus hominem ad imaginem &c.* vbi imago pro exemplari certò aſſumpta eſt. Neque ſecundo modo; nam de ratione imaginis eſt ſimilitudo, vt conſtanter aſtruunt Doctores, præſertim SS. Bon. & Thom. At inter Diuinas perſonas non ſimilitudo niſi rationis; dicuntur enim ſimiles ratione eiuſdem Diuinæ eſſentiæ, à qua non niſi ratione differunt, vt contra Scot. teſtatur communis ſententia: ergo vbi non eſt realis ſimilitudo, neque realis erit, neque vera imaginis ratio.

Vt tamen ſatisfaciat omnibus in oppoſitum aſſerentibus, ipſe quoque concedit in Deo imaginem, neque penes eſſentiam; ipſe enim pariter de ratione imaginis exiſtimat eſſe vt procedat; ſed tamen vtrique perſonę procedenti conuenire aſſerit, quia vtraque perſona procedit, & procedit ſimilis; appropriari tamen Filio, tum quia Filius communi ſermone ſolet dici Patris imago, tum quia per modum naturæ procedit; Spiritus verò Sanctus per modum voluntatis.

De ſecundo verò, quod nimirum ita propriè admittatur imago in Diuinis, vt non eſſentialiter dicatur, ſed relatiuè; nullum præter Durandum inuenio, qui contradicat: neque enim D. Hilar. 5. de Trinit. D. Fulgentius lib. de fide ad Petrum. cap. 1. D. Chryſ. hom 8 in Gen. D. Baſil. hom. 10. in Examer. D. Aug. lib. 7. de Trinit. cap. 6. & lib. 3. in Gen. cap. 19. ſeſe communi aſſerto obijciunt, dum Deum vt vnum in tribus, ex indicato Geneſ. loco, *faciamus hominem ad imaginē noſtram &c.* hominis imaginem appellant: ibi enim vt ſupra obſeruatum communiter à Theologis eſt, imaginem pro exemplari, & ſacer ille textus, & interpretes PP. verè, ac rectè vſurpant: idque ex D. Paulo videtur collucere, qui 1. Cor. 11. ad hunc locum reſpiciens, Vir, inquit, *imago, & gloria Dei eſt*: ſi Dei enim imago eſt vir, ergo Deus viri nō imago.

De tertio tandem, ſunt, & recenſentur plures PP. Græci, qui non ſolum Filio, ſed Spiritui Sancto etiam imaginis nomen tribuunt, idque teſtantur his artic. S. Bon. & Thom. D. enim Baſil. 5. contra Eunomium cap. 12. D. Damaſc. 1. de fide cap. 18. D. Greg. Thaumat. in confeſsione fidei, quæ extat apud D. Greg. Nyſſ. in vita ipſius. D. Ath. Epiſt. ad Serapionem, & communiter ferè Græci: ijdem enim SS. Bon. & Thom. citato loco ad primum, dum PP. locutos vt Græcos referunt, hanc eſſe communem Græcorum ſententiam aſſeuerant; qui non ita propriè imaginis rationem accipiunt. Hos ſecutus eſt & Caiet. illud ad Heb. 1. *Qui cum ſit ſplendor Patris & figura ſubſtantia &c.* interpretans. Qui omnes hac potuerunt ratione perſuadere, quod ſcilicet Spiritus Sanctus & ipſe ſit imago: producitur enim & ipſe, & in eadem natura producitur, & procedit æquè ſimilis Patri, ac Filius: ergo imago. Pro hac eadem opinione argumentatus eſt & Aureol contra rationem S. Thom. Spiritus Sanctus procedit vt Amor Diuinus: ergo vt ſimilis &c. Sit tamen

Primum aſſertum. Imago verè, ac propriè, & quoad rem, & quoad nomen in Deo inuenitur, & oppoſitum dicere eſt, vt minus dicam, valdè proprietati loquendi Sanctæ Scripturæ, ac vehementer detrahere. Probatur autem primò. Quia ita loquitur eadem Sacerrima Scriptura his locis, quibus ſupra, quam locutam propriè interpretati ſunt SS. PP. & ſimul tradiderunt regulas, ac Canones; Non inducendam in Scriptura improprietatem, niſi euidenti neceſſitate ad abſurda euitanda.

Secundò, quia alibi plures SS. PP. eandem obſeruarunt, ac tradiderunt veritatem. D. Athanaſ. ſer. 4. contra Arrianos, & Epiſt. de Deretis Nicænæ Synodi. D. Cyrill. lib. 1. Theſau. cap. 1. in illa verba: *Qui videt me, videt & patrem meum*; Vbi Filium, increatam, & incommunicabilem Patris imaginem, in qua Pater videtur, apellat. D. Amb. lib. 1. de fide cap. 14. in illa verba Sap. 7. *imago bonitatis illius. Speculum*, inquit, *quia in eo videtur Pater, imago, quia in eo eſt plenitudo virtutis*, loquens de Filio. D. Hilar. 7. de Trinit. D. Aug. 7. de Trinit. cap. 4. Riccard. de S. Victore 6. de Trinit. cap. 19. Rup. 4. de Trinit. c. 2. &c. Omnes Theologi, quibus de re hac philoſophari contigit. Ratione verò ex tradita, & expoſita ſupra imaginis definitione, quæ optimè Deo conuenit. Eſt enim ibi in forma, & natura ſimilitudo:

forma,

Digitized by Google

forma, inquam ex D.Paul.Hebr.1.*Figura ſubſtantiæ*: expoſitores enim, præſertim D.Ambr.Figuram vocauit, quam alibi formam. Ad Philip.1. *Qui cum in forma Dei eſſet*: Cum eandem habeat cum Patre eſſentiam, quam ibi D.Paul.vocat formam. Eſt ibi expreſsio, & omnimoda imitatio, diſtinctio, origo, relatio realis, vt ſupra explicatum eſt: ergo imago vera omni ex capite.

Confirmatur per D.Cyrill. Epiſt.10. probata in Conc. Epheſ. his verbis. *Propter eandem, quam cum illo habet eſſentiã, & imago, & character, & ſplendor perſonæ illius eſt*. Idem multis locis ſupra relatis S. Aug. ita vt ex his locis demonſtretur imaginis vera ratio, propter eandem, nedum ſimilem naturam, ſed propter originem naturalẽ. Confirmatur omnibus illis Sacræ Scripturæ locis, ac SS.Patrum aſſertis, quibus in Deo eſſe Verbum, eſſe Filium, verè natum, ac genitum, demonſtratum eſt: Hinc enim conſequentiſsimum eſt: ergo origo: ergo imago.

Ad Durand. ſufficere, imò timorem incutere debuiſſet Diuinarum litterarum modus loquendi, SS.Patrum concors interpretatio, Theologorũ vniformis cõcluſio, & nobis quę iã adduximus aduerſus eum debent ſufficere, dum Verbũ verè, ac propriè in Deo eſſe, & verè per intellectum produci, & Spiritum Sanctum per voluntatem, ex omnium Catholicorum conſenſu ſuſtinuimus. Quia tamẽ Durand. viſus eſt diuerſo vti fundamẽto, ad argumentũ reſpondemus, & negamus primò, in Deo non eſſe ſimilitudinem; imò ſic aſſerimus perfectã, vt ſit identitatis, & à proportione ſumpto argumento, quo perfectiſsima ſimilitudo, eo perfectiſsima erit imago. Quod ſi non eſt in ſimilitudine diſtinctio niſi rationis; ſufficit quod ſit in origine, & inter perſonas, & realis.

Præterquamquod illa identitas naturæ non eſt formalis ſimilitudo, ſed ratio, & fundamentum, quo poſito, inſurgit perfectiſsima ſimilitudo inter duo ſuppoſita Diuina; inter quæ communicata eſt eadẽ natura numero non multiplicata per generationẽ. Ad formam ergo argumenti, negatur minor quoad ſecundam partem, & iam reddita eſt ratio: licet enim non ſit diſtincta ſimilitudo in ordine ad naturã; eſt tamen in ordine ad ſuppoſita: ſunt enim verè duo ſimiles, licet eadem numero natura perſonæ: & licet non ſit diſtincta realiter ſimilitudo à natura; negatur tamen quin ſit realis ſimilitudo.

Secundum aſſertũ. Imago non ſatis certè, neq; admodũ propriè Diuinæ eſſentiæ, ſed perſonæ alicui propriſsimè tribuitur, vt ſit relatio. Huius aſſerti ſic prima pars remiſsè poſita eſt, propter eos PP. ſuperius allatos ad illa verba. *Faciamus hominem ad imaginẽ &c.* qui tribus perſonis Diuinis in vna eſſentia imaginẽ tribuunt: aliàs enim abſolutè negata eſſet. Secunda quoq; pars, ex locis, ac dictis ſuperiori aſſerto egregiè remanet cõfirmata. De Filij enim perſona, tũ ſacræ litterę, tũ SS.PP. illis locis loquebãtur: & imaginis ratio ideo perſonæ cõuenit, quia dicit originẽ, ſubinde diſtinctionem, & relationem realem; ideo Filio, quia dicit originem per modum naturæ: ſoli enim Filio nato, ac Verbo producto hic emanandi modus competit; & eatenus Filius eſt, quia natus per generationẽ à Patre; eatenus Verbum, quia procedit ab intellectu Patris, ſeipſum perfectiſsimè exprimẽtis; eatenus imago, quia perfectiſsimè Patrem imitatur; eatenus ſimilis, quatenus in eadem natura numero. Eſt enim imago ſimilitudo expreſſa per generationem ab eo, cuius eſt imago, generantis ingenitæ.

Tertium aſſertũ. Ita propriè ſoli Filio cõuenit, vt neq; Patri, neq; Spiritui S. vlla ratione cõuenire poſſit. Prima pars iam cõſtat. Secũda verò pars de Patre apertiſsima eſt: neq; enim poteſt ſui eſſe imago, quia à ſe nullo modo diſtinguitur, neq; vlla ratione à ſe ipſo produci poteſt, quare neq; ſimilis, neque æqualis poteſt dici. Non aliarum perſonarum, quia neq; ab illis procedit, neque illas imitatur: neque minus aliarum rerum, eadem nunc recenſita ratione, quia repugnat ab illis procedere.

De Spiritu S. nunc remanet probandũ, & videtur eo ſolertius, ac diligentius præſtandũ, quo tũ ratio, tum auctoritas videntur obſtare. Ratio, quia Spiritus S. recipiẽs à Patre, & Filio eandem omnino naturã cum omnibus abſolutis perfectionibus, ab illis procedit ſimilis, æqualis: ergo imago. Probatur: nã de ratione imaginis eſt ſimilitudo, & Spiritus S. eſt æque ſimilis propter eandem naturam; & Origo, & Spiritus S. ita ſua proceſsione verè procedit, & originatur à Patre, & Filio, ſicut ſua Filius à Patre. Auctoritas, illorum ſcilicet SS.PP. inter Græcos, quos iã retulimus, inter quos pluris æſtimandus videtur S Greg. Thaumat. qui hoc refertur ex Diuina reuelatione in quadam Confeſſione fidei aſſeruiſſe.

Ex Scholaſticis adduntur Durand, Aureol. Caiet. Probatur ergo primò ex Diuina Scriptura, quæ nõ de Spiritu S. ſed de Filio ſolo, ſic exponẽtibus Patribus, affirmat imaginẽ Neq; quicquam audendum in hoc tanto myſterio ſine Scriptura, iã ex D. Dionyſ. & D.Baſil. oſtẽdimus. Quo fit, hoc argumentũ licet ex negatiuis, fieri tamen efficax: ſi enim nõ aſſeruit Scriptura: ergo neq; à nobis aſſerẽdũ in hoc de Deo myſterio: & eo efficacius apparet, quo nõ ſemel, aut iterũ Filius in Diuinis litteris, ſed toties aſſeritur imago; Spiritus verò S. nullibi vnquam. Accedit, & ex Diuina Scriptura ſecundam perſonam eſſe Filiũ cõſtat, & eſſe vnicũ. Io: 1. *Vidimus gloriã eius gloriam quaſi vnigeniti à Patre*. Io: 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret*.

Quod ſi aliquãdo Primogenitus dicatur ad Coloſſ. 1. *Primogenitus omnis creaturæ*. Reſp. S. Amb. 1. de fide c.4. dici primogenitũ ad ęternitatẽ teſtandam. D.Cyrill. Epiſt. ad Io. Antioch. Vocari vnigenitũ, vt Deũ, Primogenitum, vt hominem: et go quoq; affirmatiuè conſtat Spiritũ S. non eſſe Filium: tũc enim eſſent duo ęterni in SS. Trinit. Filij. Quod ſi non Filius affirmatiuè ex Scriptura: ergo quoq; affirmatiuè non imago. Confirmatur in Symbolo D. Athan. *Non factus, nec genitus, ſed procedens*.

Hinc cõfirmatur ex hac maxima difficultate, & abſurdo inde emergente. Si Spiritus S. eſt imago; aut nullo modo, aut vix intelligi poterit, cur Spiritus S. non ſit Filius. D enim Anſel. in Monol. Verbũ, ait eſſe Filiũ, quia ſtatim pręfert rationẽ imaginis; Spiritum S. nõ eſſe Filiũ, quia nõ ita præfert ſimilitudinem. Simili aſſumpta imaginis mentione, ſecundam perſonam eſſe Filium confirmat

proportione &c. ita Imago originem, diſtinctionem, ordinem, ſimilitudinem, æqualitatem Perſonarum &c.

Quod vero candor lucis æternæ, ſplendor gloriæ, lumen de lumine, radius lucis &c. ſignificent imaginem, certum eſt, ſicut & Verbum; ſed hoc ad Diuinum Verbum procedere incorruptibiliter, & in æternum, & exactè repreſentare Diuinam lucem ingenitam ſignificandum.

His ſuppoſitis, eorum trium quæ quæruntur, alterum eſt, An propriè, ita vt non tropicè, neq; metaphoricè tribuatur Deo: alterum, ita propriè, vt relatiuè, non eſſentialiter, aut abſolutè. Tertium, quod ſi propriè & relatiuè, ita tamen propriè, vt non duabus; ſed vni dumtaxat perſonæ conueniat. De primo [illegible]

Adhuc Durandus more ſuo, alioquin vir valdè eruditus, contradicit. Sicut enim iam negauerat, Verbum verè, ac propriè in Diuinis dici, & ſoli Filio proprium eſſe, & per intellectum produci, quemadmodum & Spiritum Sanctum per voluntatem; ita nunc in 1. ſent. diſt. 28. quæſt. 3. Imaginem ad Deum impropriè translatam, minuſq; propriè de Deo affirmari præſumit, ſed fuſiori quadam ſignificatione vſurpari: idque conſtanter perſuadere conatur bifaria argumentatione, vel potius vnica duobus ex capitibus petita.

Si enim, inquit, verè ac realiter conuenit imaginis ratio Deo, erit aut ad extra, ratione creaturarum, quæ dicuntur ad eius imaginem productæ, iuxta illud Geneſ. 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram,* aut ad intra, ratione vnius perſonæ ad alteram, quod idem eſt, ac ſi dicatur, aut abſolutè, aut relatiuè: ſed neutro modo. Quod nititur ſic demonſtrare. Non enim primo modo: nam propriè imago eſt quod ad alterius imitationem producitur, non autem id, ad cuius imitationem res producta eſt: potius enim, ac rectius hoc dicitur exemplar, vt docent & reliqui Theologi: quo ſenſu dictum eſt, *faciamus hominem ad imaginem &c.* vbi imago pro exemplari certò aſſumpta eſt. Neque ſecundo modo: nam de ratione imaginis eſt ſimilitudo, vt conſtanter aſtruunt Doctores, præſertim SS. Bon. & Thom. At inter Diuinas perſonas non ſimilitudo niſi rationis; dicuntur enim ſimiles ratione eiuſdem Diuinæ eſſentiæ, à qua non niſi ratione differunt, vt contra Scot. teſtatur communis ſententia: ergo vbi non eſt realis ſimilitudo, neque realis erit, neque vera imaginis ratio.

Vt tamen ſatisfaciat omnibus in oppoſitum aſſerentibus, ipſe quoque concedit in Deo imaginem, neque penes eſſentiam: ipſe enim pariter de ratione imaginis exiſtimat eſſe vt procedat; ſed tamen vtrique perſonæ procedenti conuenire aſſerit, quia vtraque perſona procedit, & procedit ſimilis; appropriari tamen Filio, tum quia Filius communi ſermone ſolet dici Patris imago, tum quia per modum naturæ procedit; Spiritus verò Sanctus per modum voluntatis.

De ſecundo verò, quod nimirum ita propriè admittatur imago in Diuinis, vt non eſſentialiter dicatur, ſed relatiuè; nullum præter Durandum inuenio, qui contradicat: neque enim D. Hilar. 5. de Trinit. D. Fulgentius lib. de fide ad Petrum cap. 1. D. Chryſ. hom 8 in Gen. D. Baſil. hom. 10. in Examer. D. Aug. lib. 7. de Trinit. cap. 6. & lib. 3. in Gen. cap. 19. ſeſe communi aſſerto obijciunt, dum Deum vt vnum in tribus, ex indicato Geneſ. loco, *faciamus hominem ad imaginē noſtram &c.* hominis imaginem appellant: ibi enim vt ſupra obſeruatum communiter à Theologis eſt, imaginem pro exemplari, & ſacer ille textus, & interpretes PP. verè, ac rectè vſurpant: idque ex D. Paulo videtur collucere, qui 1. Cor. 11. ad hunc locum reſpiciens, *Vir*, inquit, *imago, & gloria Dei eſt*: ſi Dei enim imago eſt vir, ergo Deus viri nō imago.

De tertio tandem, ſunt, & receuſentur plures PP. Græci, qui non ſolum Filio, ſed Spiritui Sancto etiam imaginis nomen tribuunt, idque teſtantur his attic. S. Bon. & Thom. D. enim Baſil. 5. contra Eunomium cap. 12. D. Damaſc. 1. de fide cap. 18. D. Greg. Thaumat. in confeſsione fidei, quæ extat apud D. Greg. Nyſſ. in vita ipſius. D. Ath. Epiſt. ad Serapionem, & communiter ferè Græci: ijdem enim SS. Bon. & Thom. citato loco ad primum, dum PP. locutos vt Græcos referunt, hanc eſſe communem Græcorum ſententiam aſſeuerant; qui non ita propriè imaginis rationem accipiunt. Hos ſecutus eſt & Caiet. illud ad Heb. 1. *Qui cum ſit ſplendor Patris & figura ſubſtantiæ &c.* interpretans. Qui omnes hac potuerunt ratione perſuadere, quod ſcilicet Spiritus Sanctus & ipſe ſit imago: producitur enim & ipſe, & in eadem natura producitur, & procedit æquè ſimilis Patri, ac Filius: ergo imago. Pro hac eadem opinione argumentatus eſt & Aureol contra rationem S. Thom. Spiritus Sanctus procedit vt Amor Diuinus: ergo vt ſimilis &c. Sit tamen

Primum aſſertum. Imago verè, ac propriè, & quoad rem, & quoad nomen in Deo inuenitur, & oppoſitum dicere eſt, vt minus dicam, valdè proprietati loquendi Sanctæ Scripturæ, ac vehementer detrahere. Probatur autem primò. Quia ita loquitur eadem Sacertima Scriptura his locis, quibus ſupra, quam locutam propriè interpretati ſunt SS. PP. & ſimul tradiderunt regulas, ac Canones; Non inducendam in Scriptura improprietatem, niſi euidenti neceſſitate ad abſurda euitanda.

Secundò, quia alibi plures SS. PP. eandem obſeruarunt, ac tradiderunt veritatem. D. Athanaſ. ſer. 4. contra Arrianos, & Epiſt. de Decretis Nicænæ Synodi. D. Cyrill. lib. 1. Theſau. cap. 1. in illa verba: *Qui videt me, videt & patrem meum;* Vbi Filium, increatam, & incommunicabilem Patris imaginem, in qua Pater videtur, apellat. D. Amb. lib. 1. de fide cap. 14. in illa verba Sap. 7. *imago bonitatis illius. Speculum,* inquit, *quia in eo videtur Pater, imago, quia in eo eſt plenitudo virtutis*, loquens de Filio. D. Hilar. 7. de Trinit. D. Aug. 7. de Trinit. cap. 4. Riccard. de S. Victore 6. de Trinit. cap. 19. Rup. 4. de Trinit. c. 2. &c. Omnes Theologi, quibus de re hac philoſophari contigit. Ratione verò ex tradita, & expoſita ſupra imaginis definitione, quæ optimè Deo conuenit. Eſt enim ibi in forma, & natura ſimilitudo:

forma,

Digitized by Google

forma, inquam ex D.Paul.Hebr.1.*Figura ſubſtantia*: expoſitores enim, præſertim D.Ambr.Figuram vocauit, quam alibi ſormam. Ad Philip.1. *Qui cum in forma Dei eſſet*: Cum eandem habeat cum Patre eſſentiam, quam ibi D.Paul. vocat ſormam. Eſt ibi expreſſio, & omnimoda imitatio, diſtinctio, origo, relatio realis, vt ſupra explicatum eſt: ergo imago vera omni ex capite.

Confirmatur per D.Cyrill. Epiſt.10. probata in Conc. Epheſ. his verbis. *Propter eandem, quam cum illo habet eſſentiã, & imago, & character, & ſplendor perſonæ illius eſt*. Idem multis locis ſupra relatis S. Aug. ita vt ex his locis demonſtretur imaginis vera ratio, propter eandem, nedum ſimilem naturam, ſed propter originem naturalẽ. Confirmatur omnibus illis Sacræ Scripturæ locis, ac SS.Patrum aſſertis, quibus in Deo eſſe Verbum, eſſe Filium, verè natum, ac genitum, demonſtratum eſt: Hinc enim conſequentiſſimum eſt: ergo origo: ergo imago.

Ad Durand. ſufficere, imò timorem incutere debuiſſet Diuinarum litterarum modus loquendi, SS. Patrum concors interpretatio, Theologorũ vniformis cõcluſio, & nobis quę iã adduximus aduerſus eum debent ſufficere, dum Verbũ verè, ac propriè in Deo eſſe, & verè per intellectum produci, & Spiritum Sanctum per voluntatem, ex omnium Catholicorum conſenſu ſuſtinuimus. Quia tamẽ Durand. viſus eſt diuerſo vti fundamẽto, ad argumentũ reſpondemus, & negamus primò, in Deo non eſſe ſimilitudinem; imò ſic aſſerimus perfectã, vt ſit identitatis, & à proportione ſumpto argumento, quo perfectiſſima ſimilitudo, eo perfectiſſima erit imago. Quod ſi non eſt in ſimilitudine diſtinctio niſi rationis; ſufficit quod ſit in origine, & inter perſonas, & realis.

Præterquamquod illa identitas naturæ non eſt formalis ſimilitudo, ſed ratio, & fundamentum, quo poſito, inſurgit perfectiſſima ſimilitudo inter duo ſuppoſita Diuina; inter quæ communicata eſt eadẽ natura numero non multiplicata per generationẽ. Ad formam ergo argumenti, negatur minor quoad ſecundam partem, & iam reddita eſt ratio: licet enim non ſit diſtincta ſimilitudo in ordine ad naturã; eſt tamen in ordine ad ſuppoſita: ſunt enim verè duo ſimiles, licet eadem numero natura perſonæ: & licet non ſit diſtincta realiter ſimilitudo à natura; negatur tamen quin ſit realis ſimilitudo.

Secundum aſſertũ. Imago non ſatis certè, neq; admodũ propriè Diuinæ eſſentiæ, ſed perſonæ alicui propriiſſimè tribuitur, vt ſit relatio. Huius aſſerti ſic prima pars remiſsè poſita eſt, propter eos PP. ſuperius allatos ad illa verba. *Faciamus hominem ad imaginẽ &c.* qui tribus perſonis Diuinis in vna eſſentia imaginẽ tribuunt: aliàs enim abſolutè negata eſſet. Secunda quoq; pars, ex locis, ac dictis ſuperiori aſſerto egregiè remanet cõfirmata. De Filij enim perſona, tũ ſacræ litterę, tũ SS.PP. illis locis loquebãtur: & imaginis ratio ideo perſonæ cõuenit, quia dicit originẽ, ſubinde diſtinctionem, & relationem realem; ideo Filio, quia dicit originem per modum naturæ: ſoli enim Filio nato, ac Verbo producto hic emanandi modus competit; & eatenus Filius eſt, quia natus per generationẽ à Patre; eatenus Verbum, quia procedit ab intellectu Patris, ſeipſum perfectiſſimè exprimẽtis; eatenus imago, quia perſectiſſimè Patrem imitatur; eatenus ſimilis, quatenus in eadem natura numero. Eſt enim imago ſimilitudo expreſſa per generationem ab eo, cuius eſt imago, generantis ingenit[illegible]

Tertium aſſertũ. Ita propriè ſoli Filio cõuenit, vt neq; Patri, neq; Spiritui S. vlla ratione cõuenire poſſit. Prima pars iam cõſtat. Secũda verò pars de Patre apertiſſima eſt: neq; enim poteſt ſui eſſe imago, quia à ſe nullo modo diſtinguitur, neq; vlla ratione à ſe ipſo produci poteſt, quare neq; ſimilis, neque æqualis poteſt dici. Non aliarum perſonarum, quia neq; ab illis procedit, neque illas imitatur: neque minus aliarum rerum, eadem nunc recenſita ratione, quia repugnat ab illis procedere.

De Spiritu S. nunc remanet probandũ, & videtur eo ſolertius, ac diligentius præſtandũ, quo tũ ratio, tum auctoritas videntur obſtare. Ratio, quia Spiritus S. recipiẽs à Patre, & Filio eandem omnino naturã cum omnibus abſolutis perſectionibus, ab illis procedit ſimilis, æqualis: ergo imago. Probatur: nã de ratione imaginis eſt ſimilitudo, & Spiritus S. eſt æque ſimilis propter eandem naturam; & Origo, & Spiritus S. ita ſua proceſſione verè procedit, & originatur à Patre, & Filio, ſicut ſua Filius à Patre. Auctoritas, illorum ſcilicet SS.PP. inter Græcos, quos iã retulimus, inter quos pluris æſtimandus videtur S Greg. Thaumat. qui hoc refertur ex Diuina reuelatione in quadam Confeſſione fidei aſſeruiſſe.

Ex Scholaſticis adduntur Durand. Aureol. Caiet. Probatur ergo primò ex Diuina Scriptura, quæ nõ de Spiritu S. ſed de Filio ſolo, ſic exponẽtibus Patribus, affirmat imaginẽ Neq; quicquam audendum in hoc tanto myſterio ſine Scriptura, iã ex D. Dionyſ. & D.Baſil. oſtẽdimus. Quo fit, hoc argumentũ licet ex negatiuis, fieri tamen efficax: ſi enim nõ aſſeruit Scriptura: ergo neq; à nobis aſſerẽdũ in hoc de Deo myſterio: & eo efficacius apparet, quo nõ ſemel, aut iterũ Filius in Diuinis litteris, ſed toties aſſeritur imago; Spiritus verò S. nullibi vnquam. Accedit, & ex Diuina Scriptura ſecundam perſonam eſſe Filiũ cõſtat, & eſſe vnicũ. Io: 1. *Vidimus gloriã eius gloriam quaſi vnigeniti à Patre*. Io: 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret.*

Quod ſi aliquãdo Primogenitus dicatur ad Coloſſ. 1. *Primogenitus omnis creaturæ*. Reſp. S. Amb. 1. de fide c.4. dici primogenitũ ad ęternitatẽ teſtandam. D.Cyrill. Epiſt. ad Io: Antioch. Vocari vnigenitũ, vt Deũ, Primogenitum, vt hominem: ergo quoq; affirmatiuè conſtat Spiritũ S. non eſſe Filium: tũc enim eſſent duo ęterni in SS. Trinit. Filij. Quod ſi non Filius affirmatiuè ex Scriptura: ergo quoq; affirmatiuè non imago. Confirmatur in Symbolo D. Athan. *Non factus, nec genitus, ſed procedens.*

Hinc cõfirmatur ex hac maxima difficultate, & abſurdo inde emergente. Si Spiritus S. eſt imago; aut nullo modo, aut vix intelligi poterit, cur Spiritus S. non ſit Filius. D. enim Anſel. in Monol. Verbũ, ait eſſe Filiũ, quia ſtatim pręſefert rationẽ imaginis; Spiritum S. nõ eſſe Filiũ, quia nõ ita præſefert ſimilitudinem. Simili aſſumpta imaginis mentione, ſecundam perſonam eſſe Filium confirmat

& D.Nazian.orat.36.circa finem.D.Athan.epiſt.de decretis Nicæn. Synodi. D. Aug.lib. vlt, c.vlt. de Trinit.& alij.D.Th. quoq; 4. contra gent, c.11. Filiationem de ſecunda perſona ex imaginis ratione confirmat.

Secundò, ex illis Patribus ſupra relatis res hæc fortius aſtruitur. Tertiò communi Theologorum conſenſu. Quartò, hac præcipua ratione, quæ eſt & S. Thom. & S.Bonau.& communis. Ait S.Thom. ideo Filium eſſe imaginem ex vi ſuæ proceſsionis, quia procedit vt natus,& vt Verbum, & conſequẽter vt ſimilis in eadem natura: idem S. Bonau. teſtatur, dum ait, Filium eſſe imaginem, quia per modum naturæ procedit; hoc enim eſt Natus, Filius, Verbum. Filius ex vi ſuæ proceſsionis procedit vt ſimilis, quia naſcitur, & generatur; Spiritus Sanctus non ita: ergo Filius, non Spiritus Sanctus eſt imago. Antecedens de Filio conſtat tanta certitudine, quanta quod ſit natus. Conſequẽtia verò nota ex definitione de imagine. Quo verò ad Spiritum Sanctũ eadem eſt euidentia, qua non naſci, neq; per intellectum produci, ſed ſpirari per voluntatem, certiſsimũ dogma eſt. Quod verò producatur ipſe quoq; ſimilis, id ferè ei quaſi materialiter, non formaliter obuenit, vt c.3. fuſius.

Quare ad rationẽ Patrum illorum Græcorũ iam reſponſum eſt: Ratione ſcilicet Diuinæ eiuſdem naturæ communicatæ contingere ſimilitudinem Spiritui Sãcto; neq; tamen formaliter ex vi ſuæ productionis, quod verè ad rationẽ imaginis requiritur. Ad illos Patres itidẽ iã reſponſũ eſt, non adeo propriè, ac rigoroſè ſumpſiſſe imaginẽ, ſicuti imaginis ratio exigiſſet, ſed pro perfecta ſimilitudine ex idẽtitate naturæ: Quod aliquando & cæteris Patribus in ſuis magnificis, & grandiloquis exagerationibus & concedendum,& nõ inſuetum,& Græcis quibuſdam, inquit S.Bon. in reſp. ad primum. Neq; eſt mirum ſi diſſentiunt in ratione imaginis de Spiritu Sancto, cum & in alijs quoque, nimirum de origine eiuſdẽ Spiritus ſancti diſſentiant, vt infra ſuo loco. Aliam idem S. Doctor reſponſionẽ ibidem addit.

CAPVT II.

Cuius ſit imago Filius.

AD exactiorẽ imaginis cognitionẽ hoc quoq; quod hoc capite proponitur, congruè diſcutiendũ erat: vt ſi primo cap. Filiũ eſſe imaginẽ expeditũ eſt; hoc cap. ad quem referatur, & cuius ſit imago, expendatur. Si enim Filius eſt imago, ſicut neceſſariò ab aliquo procedit; ita neceſſariò alicuius erit, ſcilicet eius, à quo procedit, & ad quem refertur, quemq; imitatur: & licet hinc magis videatur otioſa longior de hac re diſquiſitio; ſi namq; ex ſolo Patre oritur Filius, vt imago, conſequenter quid diutius immorandum, ac in longius protrahẽda oratio? nonne hoc vno verbo abſoluitur omnis res, omniſque dubitatio tollitur, eſt ſolius Patris imago? Attamen non erit vſqueadeo inutilis huius rei attenta animaduerſio; Si enim Verbum procedit non ſolum ex cognitione Patris, ſed & reliquarum perſonarum, & rerum poſsibilium, vt antea aſſertum eſt; non eſt abs re reddere rationem, quare non tamen niſi Patris ſit imago: Et negetur de Spiritu Sancto, cum ſit Filius omnino Spiritui Sancto ſimilis, ex eodemque procedat, vt ex obiecto cognito; reddenda ratio, quare tamen eius non ſit imago.

Dicendum ergo primò. Verbum non eſt imago creaturarũ, licet ex earum cognitione producatur. Probatur ex requiſitis ad imaginem. Nõ enim primò ab ipſis tanquam ab actiuo principio procedit, aut originem trahit. Secundò, non habet cum ipſis perfectam ſimilitudinem in forma, & eadẽ natura. Tertiò, quia potius ſecundum quãdam appropriationẽ creaturæ ab ipſo Verbo procedunt, quatenus ex vi ſuæ proceſsionis continet in ſe creaturarum ideas. Neq; inde ſequitur, Verbũ debere vocari imaginem creaturarum, quo ſenſu vocatur & Diuinitas, iuxta illa verba, & illos Patres explicantes eadẽ verba: *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram*; tum quia illa non eſt propria locutio; tum quia eſt diuerſa ratio; tum denique quia hic imago eo intellectu non accipitur.

Dicendum ſecundò. Verbum Spiritus Sãcti imago nõ eſt: ratio præcipua, quia Filius à Spiritu Sancto non procedit, quod tamen eſt de intrinſeca ratione imaginis, vt pluries hucuſq; aſſertũ eſt. Neq; enim ſufficit, quod ſit ei ſimilis, neque quod ex ipſo tanquã ex obiecto producatur; ſed neceſſarium eſt, ab ipſo tanquam à principio oriatur, neq; Pater in illo producendo vllam producendi vim à Spiritu Sancto accipit.

Dicendũ tertiò. Neq; ſui, neq; Deitatis, Verbũ nũcupandum imago. Ratio primi videtur eadem, quia neq; ſibi ſimile, neq; à ſe diſtinctum, neq; à ſe productum, neq; deniq; ad ſe refertur Verbũ. Ratio ſecundi eadem, quia Deitas, aut eſſentia, aut Deus vt ſic à perſonalitatibus abſtractus, nõ generat Verbũ, neq; inde Verbum ab eſſentia realiter diſtinguitur, neq; ad ipſam realiter refertur. Neq; oppoſitum. D.Paul. ad Coloſſ. 1. docuit illis verbis: *Chriſtus imago inuiſibilis Dei*. ad Hebr. 1. *imago ſubſtantiæ Dei*. Vtroq; enim loco *Dei* ſtat pro perſona Patris, vt dicatur Chriſtus imago Dei Patris, & liquidò ex contextu verborum illorum locorum colligitur.

Ergo deniq; quartò dicendum. Solius Patris verè, ac perfectiſsimè Verbũ eſt imago; & iam ſatis conſtat ex ante aſſertis dictis: ſi enim eſt imago, & neq; Spiritus Sancti, neq; ſui, neq; eſſentiæ, neq; creaturarum; neceſſariò cõſequitur, ergo ſolius Patris. Confirmatur. Eandem naturam à ſolo Patre per generationem accipit: ergo ſoli Patri eſt ſimilis, & ſolius Patris eſt imago.

Hic duo alia aſſerta videntur addenda. Alterũ ex 4. propoſitione in textu S. Bon. Imaginem ſcilicet quamuis ſua ratione nõ ſit Filius, aut Verbũ, vt ibi, ita vt ad inuicẽ non ſint Synonima, non conſtituere tamen diuerſam proprietatem perſonalẽ, diſtinctã ab enumeratis iam. Non ratione ſimilitudinis, quia ibi tantum ſimilitudo ratione diſtincta; nã non ſufficit ad realem proprietatẽ conſtituendam. Non ratione originis; eadẽ enim realiter, ac verè cũ filiatione origo eſt. Non ratione vtriuſq; ſimul, quia neq; vt ſic, niſi quandam denominationem addit, quæ non ſufficit ad realem, diſtinctamque proprietatem quaſi efficiendam; eſt enim tantum ratione diſtincta imago à Filio, & Verbo.

Alterum ex morali. Hominem fieri eo perfectiorem imaginem Filij Dei hominis, quo perfectius eum moribus imitatur, iuxta illud D. Paul. Rom. 8. *Prædeſtinauit nos conformes fieri imaginis Filij ſui.* Primò enim Chriſti imagines ſumus, quia ab ipſo ſua morte geniti. Deinde in natura aſſumpta ſimiles. Præterea tunc perfectè erimus, quo creaturæ conceditur Chriſtum imitatione aſſequi, ſi didicerimus ab ipſo virtutes ad gradum, quem de Dauid aſſerit Diuina Scriptura: *Inueni Dauid ſecundum cor meum*: ſcilicet omnes perfectiones perfectè poſſidentem, quaſi in mente mea ad viuum perfectum effinxi, ac delineaui. Qua de re legendus Ioan. Pineda de rebus Salom. lib. 1. cap. 2.

CAPVT III.

Quomodo demonſtretur de Filio Imago.

Communis, ac melior ratio, quæ conſtruatur ad demonſtrandum, de Filio, non de Spiritu Sancto dici imaginem, licet illa ſit, quam SS. Bon. & Thom. ediderunt, quamque poſtea ferè reliqua omnis Theologorum familia amplexata eſt, ac omni conatu ſecuta, ac patrocinata. Quia tamen nunquã deſunt, qui contradicendi libidinem contraxerunt, & hanc labefactare tentarunt, & efficaciorem, ſuo ingenio fortaſsè nimis fidentes, fabrefacere conati ſunt: quare hoc cap. de huius rationis pondere agendum, quidq; qui hac reiecta aliã propoſuerunt, obtinuerint, demonſtrandum. Ratio SS. Theologorum erat. Ideo Filius Imago, non Spiritus Sanctus, quia. Filius ex vi ſuæ originis, ac emanationis naſcitur Filius; quare ſimilis Patri, eiuſq; imago: Spiritus Sanctus autem, licet ipſe procedat ſimilis; id tamen cum ei non obueniat ex vi ſuæ proceſsionis, ſed quaſi aliunde id habeat, quia per voluntatem vt Amor, ex hoc dici rectè imago non poteſt.

Ita verò contra hanc rationem argumẽtati ſunt primò Aureol. vt præterito etiam cap. attigi ex tex. S. Th. Spiritus S. procedit vt Diuinus Amor: ergo vt ſimilis. Antecedens eſt S. Th. Conſequentia patet: nam in Diuinitate eadẽ eſt ratio omnimodę ſimilitudinis inter Diuinas perſonas. Gabriel Vaſq. hic diſp. 145. c. 4. primò ſtatuit, eandẽ nõ eſſe rationem S. Bon. & S. Th. nulla tamẽ reddita ratione. Secundò, omnes rationes S. Bon. ſingillatim reijcit. Tertiò, cap. 5. eiuſdem diſp. dicit, ac ſugillat S. Bon. quod immerito dixerit, imaginem, præter reſpectũ ad Patrẽ, connotare etiam reſpectũ ad Spiritũ S. hac ratione: cũ nullo modo Filius à Spiritu S. procedat, nulla etiam relatione ad Spiritum S. poteſt referri.

Contra primam rationẽ ſic ſe habet aduerſariũ: ratio S. Bon. erat. Similitudo, & imago in Diuinis debet eſſe per omnẽ modũ, & in ſummo: ergo ſolus Filius eſt imago; tum quia per omnẽ modum, & in eſſentia, & in fęcunditate Spiritus Sancti ſimilis eſt Patri, tum quia non poteſt quod in ſummo eſt per plura repreſentari: tunc enim in plura eſſet partitum. Contra verò ille ſic. Similitudo in Diuinis non debet attendi iuxta proprietates, ſed iuxta abſoluta, aliàs non eſſet in Diuinis maxima ſimilitudo, cũ diſsimiles, & oppoſitæ inueniantur proprietates, & magis creaturæ ſimiles eſſent Deo, quippe cui non opponuntur, quàm perſonæ inter ſe Diuinæ. Deinde vnde conſtat perfectiſsimam imaginem debere eſſe vnius, ſi duos ita perfectè repreſentat atque quemlibet illorum?

Contra ſecundã rationem, ſcilicet cõmunem: eſt enim præter SS. Bon. & Th. etiam Alex. 1. par. q. 43. memb. 1. circa finem. Riccard. d. 13. art. 3. q. 3. Henrici, & aliorum. Spiritus S. non minus ſuo naturali modo ſibi competenti procedit, ac Filius, etſi non ex vi ſuæ productionis procedit ſimilis, vt Filius: ergo aliunde petenda ratio. Antecedens fatetur ſe probaſſe diſp. 113. c. 4. & 5. Nam Spiritus Sanctus non indifferenter procedit, & liberè, vt poſſit non procedere, ſed determinatè æque ad ſuum modum, ſicut Filius ad ſuum: ergo per modũ naturæ procedit. Deinde c. 5 Filius procedit ſimilis ex vi ſuæ originis, quia per intellectum Diuinum procedit: ergò & Spiritus Sanctus ex volũtate Diuina, qua immutabiliter communicatur ei eadem Diuina natura, procedit, & ſpiratur vt ſimilis.

Addit & alias rationes, quas licet ibi cuicũq; videre. Ibi verò Spiritum S. non generari docet, quia non procedit vt imago, ſicut Filius; hic verò ſuã ſic attingit rationem. Imago eſt ſimilitudo expreſſa ad repreſentandum id, cuius eſt imago: ſed Spiritus S. nullum repreſentat eorum, à quibus procedit: ergo non eſt imago. Maiorẽ, quam ſumpſit ex Canarienſi, ibi probat. Minorẽ verò ſic probat. Si Spiritus S. repreſentat, alicui intelligenti debet repreſentare: non repreſentat autem nec Patri, nec Filio, quia nec Pater, nec Filius ſe intelligunt Spiritu Sancto, neque tamquam termino, neque tanquam obiecto: neque repreſentat ſibi, niſi in eſſentiali cognitione, qua tum ſe, tum reliquas perſonas cognoſcit. Non intellectui creato: non enim viatori, vt patet: nam non videt. Non beato, ac videnti: nam non videt vnam perſonam quia repreſentetur in alia, ſed omnes tres immediatè intuetur: ergo. Torres, qui eſt idem cum Canarienſi, q. 27. art. 2. in 4. par. Comment. conceſsit ipſe quoq; Spiritum Sanctum ex vi ſuę proceſsionis procedere ſimilem, non tamen eſſe Filium, quia non procedit vt imago: non procedit autem vt imago, quia non ad repreſentandum, ſicut Filius, quia procedit vt Verbum.

Ad hæc facilius tũ intelligenda, tum diſſoluenda, animaduertendum primò quod hoc loco docuit S. Bon. Filium eſſe imaginẽ ex eo quod per modum naturę, & intellectus procedit, de cuius formali ratione eſt, vt procedat vt ſimilis in natura. Idẽ ſupra d. 13. q. 2. vbi Spiritum S. non eſſe Filiũ, quia non generatur, ſed per modum voluntatis, & liberalitatis procedit; Verbum verò ideo Filiũ, quia naſcitur, & generatur, docet; quo hæc deducit. Filius eſt imago ex naturali ſua emanatione, quia Filius, & natus, & genitus. Quod iiſdem verbis quoque hic S. Th. Quare abſque vlla ratione, ſed ex ſuo mero placito Vaſquez hos SS. Doctores ſeiunxit.

Animaduertendũ ſecũdò, quid ſibi velit hæc propoſitio: ex vi ſuæ originis procedit ſicut imago, vel nõ vt imago. D. Th. q. 10. de Pot. ar. 2. rectiſsimè docet, diſtinctiones Diuinarum emanationũ non poſſe

Digitized by Google

ſumi ex attributis,& perfectionibus,quę ipſis perſonis communicantur:nam ſicuti abſolutæ ſunt,ita & cõmunes vtriq;perſonæ procedenti:eandẽ enim voluntatem, potentiam,naturam &c. cõmunicat Pater Filio per intellectum,& Spiritui Sancto per voluntatem : ergo ſumendæ, & indagandæ ex modo, & diuerſa ratione formali, qua huiuſmodi communicantur : Quod eò certius nobis conſtabit, ſi idem euenite & in creaturis ferè ſub oculis noſtris obſeruabimus, vt obſeruare docuit D.Bon.diſt.13. q. 2. Nam hominis oatura, quæ ab initio ſuit Adæ à Deo per creationem communicata, eadem ab Adam per generationem naturalem Abel fuit tributa, & eadem per ſucceſſionem cunctis omnibus tribuitur per eandem rationem generationis : vbi ſi quæratur, Adam, & Abel in quo differunt? non quidem in natura, quia in vtroq; eadem eſt, ſed in ratione communicandi : nam Adam fuit creatus, Abel verò genitus;atq;ita ex vi,& modo,& formali ratione vtriuſque productionis, colligitur vtriuſq; differentia.

Sed iterum etiam petenda ratio altius, quare quod per intellectum producitur,oriatur vt ſimile; quod verò per voluntatem, non ita : id enim ex diuerſa ratione, qua ſe habet potentia intellectus cum ſuo obiecto, & voluntas cum ſuo. Et hoc loco neceſſariò animaduertendum : nam potentia cum ſuo obiecto quoddam totale conſtituit principium productiuum : ita enim voluntas cum ſuo obiecto, quod eſt bonum,producit amorem;intellectus verò itidem cum ſuo obiecto intelligibili, quod eſt verum, intellectionem. At verò obiecta ſe habent vt rationes operandi, vnde ſpecificantur operationes ipſæ tanquam à ſuis principijs productiuis. Sed tamen ita diuerſa ratione obiectum intellectus cum intellectu, vt ſit intra, ac in eo ei coniunctiſſimum, vt fiat magis vnum intellectos, & intelligibile, quàm id quod fit ex materia, & forma ; vnde fit,intellectum in ſe intelligere, neque extra egredi ad ſuum obiectum : intra enim ſe habet;hinc fit,intellectionem,& Verbum oriri ex hac coniunctione omnino ſimile, tum intellectui, tum obiecto. Voluntatis autem obiectum,quod ſit ratio mouendi ipſam ad amorem,non eadem ratione in ipſa voluntate poſitum ſit, ſed in intellectu per apprehenſionem,& cognitionem,vt bonum cognitum moueat ipſam voluntatem;ſit vt voluntas non fiat vnum cum ſuo obiecto:neq;enim per ſe;neq;per ſpeciem ſui informat voluntatem, ſed in intellectu remanet vt cognitum; quod verè cauſa eſt, quare voluntas non ex ſua ratione producat ſimile,ſed inclinata ſit,& ferè impellatur ad conſequendum illud bonum, quod apprehenſum ab intellectu ipſam mouet: nam ipſum neq; habet, nec ei vnita eſt.

Ita propemodum in Diuinis Filius à Spiritu Sãcto differt,non in natura,& abſolutis communicatione receptis:ſunt enim idem,imo eadem prorſus, natura, ſed in ratione diuerſa dandi, & communicandi,quia Filio per intellectũ,Spiritui Sancto per voluntatem;vnde Filius oritur ſimilis,Spiritus verò Sanctus non ita : ergo ratio formalis diuerſa communicandi, eſt vnde pendet harum emanationũ,& perſonarum diſtinctio. Licet autẽ & obiectũ Diuinæ voluntatis ſit ei præſentiſſimũ,& coniunctiſſimum,vt nõ indigeat voluntas exire ad ipſum quærendũ vt ſibi ipſi vniat:eſt enim eſſẽtia,booitas &c. intellectui, & voluntati in Deo adeo præſens,vt ſit prorſus idem; hinc tamen non tollitur, quin ex ſua natura vis,& modus procedendi per amorẽ, & voluntatem, ex ſe ſit diſtinctus à modo procedendi per intellectum.

Et quamuis genericè ſumpta Verbi proceſſio,abſtrahẽdo ſcilicet ab hac,vel illa,humana, Angelica, & Diuina,ſemper habeat rationẽ ſimilitudinis; nõ tamen vt ſit generatio,niſi in Deo:nã in Deo & intelligere,& intellectũ,& intelligibile,& intellectio, eſt Diuina eſſentia. Amoris tamen proceſsio quocumq; modo ſumatur, vel genericè, vel vt in Deo, nunquam amittit modum ſuum procedendi, neq; acquirit vt per modum ſimilitudinis oriatur. Quod ſi Spiritus S.qui oritur,ſit ſimilis,non eſt ex ſua ratione procedendi, ſed ex natura Diuina eadem ei per illam rationem procedendi communicata,quæ cum eadem ſit cum ea,quæ eſt in Patre,& Filio, facit Patri, Filioque Spiritum Sanctum ſimilem.

Quod vt adhuc illuſtrius,& clarius percipiatur; mente hic recolẽdum quod ex Ariſt.7.Met.tex.43. & lib.1.de par.animaliũ c.3.vt obſeruat hic Caiet. in art.2. vt Aureoli arg. diluat. Circa differentias, quibus tum diuidi, tũ contrahi, & denominari res poſsit,ſunt in duplici differentia neceſſariò conſtituendæ, vt alia ſit per ſe, alia extranea, & ferè per accidens, & extra latitudinẽ formæ, quæ aut conſtituitur,aut diſtinguitur. Prima, quę diſtinguit,& contrahit formam genericam, ad eam tantũ ſe extendit, ad quæ natura,& vis ipſius formæ:exempli gratia,Ponitur natura generica coloris per differẽtias diſtinguenda, & contrahẽda eſt, in ſuas intrinſecas per ſe ſpecies, vt dicatur, color alius albus, alius niger &c.hæ verò ſunt differentiæ per ſe coloris,quia includunt formã coloris. Quę ſi extendantur ad extranea,fiũt accidẽtales,vt ſi dicatur,alius eſt color accidentalis,alius naturalis: nõ enim facit ad ſpeciem,& naturam coloris, natura, aut ars, ſed ſunt quid extraneum,& accidentarium:ergo illæ ſunt differentiæ per ſe,quę ſunt de ratione formę genericæ: illæ verò extraneæ, quæ aliunde petuntur, vt à ſubiecto, & natura in qua ſunt &c. ſunt enim extra coloris genus.

Ita fermè aſſerendum de amore,quod poſſit cõtrahi, & diſtingui tſi per proprias, tum per alienas differentias:per proprias, vt ſi dicatur,Amor, alius amicitiæ,alius concupiſcentiæ:per extraneas,vt cũ alius amor humanus aſſeritur, alius Aogelicus, alius Diuinus &c.Hic enim nõ amoris ſpecies formales,ſed ſubiectorũ amantium enumerãtur,& diſtinguuntur ſpecies,quas certũ eſt extra quodquid amoris exiſtere : aliud enim eſt de amoris natura, aliud de amãtis quidditate propria quęrere. Quid enim humanæ, aut Angelicæ naturæ cum amore præciſè, & formaliter accepto [illegible]

Porrò ſi attentè intueatis in differentias per ſe amoris, in eis nihil vnquam ad rationem ſimilis ei à quo procedit,inuenies; quod ſi inueneris, erit profecto ratione naturæ, in qua eſt amor, non amoris. Id quod erit in ſpeciebus amoris per ſe

enu-

enumeratis, & conſtitutis, & contractis, erit impulſio ad ſuum præcognitum obiectum bonum, impulſioniſque ratio diuerſa per diuerſas amoris ſpecies diſtincta. Ergo amor Diuinus, vt amor à voluntate eſt, nullam ſimilitudinis rationem dicit. Quòd ſi vt Diuinus ſimilis rationem affirmabit, nõ erit niſi extrinſeca quadam denominatione à natura Diuina. Quare cũ aſſeritur, Amor Diuinus procedit vt ſimilis, ſi formaliter aſſumatur hæc propoſitio, non eſt vera: nam ab amoris natura alienũ eſt ſic procedere. Quod ſi cõnotatiuè etiam ad extranea extendatur; ratione naturæ erit vera; eſt enim Spiritus non amoris, ſed naturæ Diuinæ, quam per ſpiratinnem accipit, ratione ſimilis: ſicuti enim nõ habet vt ſit Deus, ex eo quia Spiritus Sanctus, & amor; ſed ex eo quia Diuinus, ratione ſcilicet naturæ, eadem ratione non habet vt ſit ſimilis, niſi ex amante, & amata natura.

Animaduertendum poſtremo loco, non eſſe verum (Pace quorundam paucorum Theologorum, aliàs valdè eruditorum, ſcilitet Torres, & Vaſquez) quod aiunt, ad rationem imaginis non ſufficere, vt ſit ſimilis, ſed vlterius requiri repreſentationem, & ideo Spiritum Sanctum, licet procedat vt ſimilis, quia tamen non procedit ad repreſentandum, quia non eſt Verbum, non eſſe imaginem. Et in primis probatur: nam inter imaginem, & ſimilitudinem nulla alia inueniri poteſt differentia, niſi quæ inter magis, & minus commune, vel inter genus, & ſpecies intercedit: omnis enim imago eſt ſimilitudo, ſed nõ vice verſa omnis ſimilitudo eſt imago: latius enim patet, & multæ ſunt ſimilitudines, quæ non ſunt, nec dicunt originem, & proceſsionem, ita neque imaginem, vt explicatiſsimè D. Thom. ex D. Aug. exemplo oui, quod licet alterum alteri ouo ſit ſimile; non eſt tamen imago, quià de ipſo non eſt expreſſum.

Ratio horum eſt, quia ſimilitudo tantum conuenientiam in qualitate, etiam pro qualibet eſſentia aſſumpta; imago vero præter cõuenientiam hanc, dicit & diſtinctionem, & originem in eadem ſpecie, & natura, vt ſatis ſupra; Specificè tamen, & in Diuinis ſumpta ſimilitudine, habet omnino eandem rationem, quam habet imago: nam proceſsio viuentis ſecundum perfectam rationem ſimilitudinis eſt idem formaliter, quod ſecundum rationem imaginis, & è contra: nam perfecta ſimilitudo ſic ſpecificè accepta, claudit formaliter omnia ad imaginem requiſita. Idem itaq; in Diuinis eſt procedere vt imaginem, & vt perfectè ſimilem. Quare S. Th. probat Filium procedere vt imaginem, quia omnino vt ſimilis: ſimilis verò, quia per proceſsionem naturalem, & intellectus, dicebat S. Bon. & vt Verbum, vt opponitur voluntati.

Hinc clariſsimum fit, quod SS. PP. Nazian. Athan. Aug. Anſel. & alij de proceſsione Filij aſſeruerunt; Ideo eam differre à proceſsione Spiritus Sãcti, quia procedit vt imago, idem omnino eſt ac ſi dixiſſent, procedit vt ſimilis. Probatur ſecundò. Nam repreſentare nihil aliud eſt, quàm formalis ſimilitudo in imagine: ideo enim perfecta imago, & ſimilitudo, quia perfectiſsimè repreſentat, & probatur. Illa enim repreſentatio, aut eſt quæ formaliter fit per actum intelligendi, aut aliqua alia. Non prima: nam Filius alicuius hominis eſt vera imago eius, à quo procedit hominis, vt fatentur etiam aduerſatij, & negari non poteſt; neq; tamen, vt euidentiſsimum eſt, eſt per modum verbi, & actum intelligendi: ergo hæc non eſt conditio neceſſaria ad naturalem imaginem: ergo & hac ratione Spiritus Sanctus, quia procedit ſimilis, erit quoq; imago naturalis, & probatur: nam Spiritus Sanctus, licet per modum verbi non procedat; habet tamen in ſe omnem rem, quam habet & Verbum, & intellectualem, quia habet idem intelligere cum Patre, & Verbo, & eandem ſubſtantiam, & perfectionem, vt omnino ſimilis: ergo poterit repreſentare.

Secundum ſi dicatur, erit ſufficiens ad repreſentandum in quacumque imagine perfecta, licet non per modum Verbi; nam hæc repreſentatio non poterit eſſe niſi obiectiua, quatenus in vna re cognita cognoſcitur & altera; ſed hoc habet imago naturalis ex vi ſuæ proceſsionis: ergo nihil remanet quod addatur. Probatur minor: nam imago filij hominis repreſentat ſuum patrem, ex quo eſt, eo quia ab ipſo eſt, in ipſoque patre cognoſcitur: ergo Spiritus Sanctus ex vi ſuæ proceſsionis, quia ſimilis, repreſentabit Patrem, & Filium, à quibus tãquam ab vno principio; & principium hoc in Spiritu Sancto cognoſcetur: ſimilitudo enim quo perfectior, eo perfectior repreſentãdi ratio, & in cognitionẽ alterius, cui res illa ſimilis, ducendi aptior. Quod verò Filius in Diuinis procedat per modum Verbi, non autem Spiritus Sanctus, hoc nihil aliud eſt, quàm hanc eſſe ſpecialem perfectionem ad conditionem imaginis Filij, neque tamen tollit, quin adhuc ad perfectam rationem imaginis, & repreſentationis ſufficiat perfecta naturalis ſimilitudo.

Quod ſi opponant. Spiritus Sanctus non repreſentat: ergo hac ratione non eſt imago: Antecedens probabat Vaſquez deducendo per multa, vt ferè in initio huius cap. relatum eſt. Conſequentia iam probata, quia ad rationẽ imaginis attinet repreſentare. Reſp. Ad antecedens iã primo reſpõſum eſt, & negatũ, & probatũ, quia ſi ſimilis erit, eo erit aptus natus ad repreſentandum, & Confirmatur, quia fortaſſe verè obiectiuè repreſentat: ſicut enim dicebat Filius. *Qui videt me, videt & Patrem meum*, vt in Filio repreſentetur Pater; ita poſſit dici, Qui videt Spiritum Sanctum, videt & Filium, nõ ratione termini producti per cognitionem, ſed ratione termini correlatiui, & obiecti omnino ſimilis eiuſdem naturæ communicatę. Secundò. Non eſt de ratione imaginis vt actu repreſentet, ſed ideo repreſentat, quia imago, cuius eſt repreſentare quantum eſt ex ſe, quæ ſi actu non repreſentaret, non tolleret rationem imaginis, quæ non facit vt actu repreſentet, ſed vt ſit repreſentatiua, & apta nata repreſentare.

Ad conſequentiam; iam ex dictis ad antecedens primò negata eſt; tum quia actualis repreſentatio non conſtituit imaginem, ſed potius eſt actus imaginis; tum quia non eſt quid reale additum ad rationem imaginis diſtinctè, ſed eſt ipſamet imago imitans &c. Secundò. Concedo conſequentiam, ſed addo, & reddo aliam rationem, quia ſcilicet

non eſt ex ſua proceſsione ſimilis, nec eadem ratione repreſentat.

Quod ſi ſecundò adhuc reclament. Procedere vt ſimile non ſufficit ad imaginem, quia & ignis producitur ab igne ſimilis, neque tamen ignis eſt ignis imago, quia non eſt ſimilior illi igni, à quo productus, quàm cæteris ignibus. Reſpondetur, illum ignem non eſſe imaginem primò, non quia non ſit ſimilior, ſed quia non eſt ratione imaginis ſimiliorem eſſe: in humanis enim Filius eſt imago Patris, licet aliquando fortaſſe ſit ſimilior fratri. Secundò, dico eſſe ſimiliorem propter originem, quam ad illam tantum repreſentat, ſed rationem eſſe quia tantum in viuentibus à principio coniuncta eſt ratio imaginis.

Ex omnibus his hcuſque deductis ſatis abundè percipitur vis, & pondus rationis SS. Theologorum Bonau. & Thom. & ferè communis ad probandum, quare non Spiritui Sancto, ſed Filio ſit propria imago; quia ſcilicet procedit Filius vt ſimilis ex vi ſuæ proceſsionis, ſcilicet per generationem, vt Filius; Spiritus verò Sanctus, licet ratione naturæ oriatur ſimilis; non tamen ratione voluntatis, & amoris, quod eſt ex vi ſuæ proceſſionis; idcirco ei non conuenit imaginis ratio: & quod obijciebatur reiectum eſt. Sed ad formas argumentorum nunc reſpond. diſtinctè.

Ad argumentum Aureol. quod erat, Spiritus Sanctus procedit vt amor Diuinus: ergo vt ſimilis. Reſp. non ego, ſed Caiet. Si loquendum eſt de amore formaliter, neganda eſt conſequentia: non enim quia amor, ſed quia Diuinus, ſcilicet ex natura Diuina communicata, procedit ſimilis.

Ad Vaſquez, quod primò ſit eadem ratio S Bon. & S. Thom. iam demonſtraui, & multi aſſerunt Theologi, inter quos lubet recenſere doctiſsimum Archangelum Cararienſem, quondam obſeruantiſsimum magiſtrum meum.

Ad Primum verò argum. in primis poſſem me ab hoc onere abſtinere reſpondendi his quæ contra nos obijciuntur, cum argumentum hoc à Sancto Doctore vt probabile dumtaxat propoſitum fuerit, neque admodum in eo adhęſerit; tamen vt ipſe quoque ab his impugnationibus ſuum appetitum cohibere honeſtè potuerit, perſpiciatur. Ad primum, quod contra primam rationem S.Bon. côtorſit, negatur antecedês abſolutè, ſi de quacũq; proprietate accipiatur. Tranſeat enim de proprietatibus vt formaliter opponuntur; ſed de his, in quibus duæ conueniunt perſonæ, ſcilicet in principio Spiritus Sancti producendi, congruè exiſtimo negandum: ſi enim in ipſa proprietate Pater, & Filius conueniunt, quid prohibet dicere, eſſe in ipſo ſimiles? & ſi Filius imitatur Patrem in ſpirando Spiritu Sancto, & hoc quoque ab origine à Patre habet, cur & in hoc non erit nuncupandus imago?

Et ſi denique ex ipſo Vaſquez. Qui imago alterius eſt, debet eſſe ſimilior ſuo principio, quàm reliquis, quibus poſſet comparari; Filius non eſt ſimilior Patri, quàm Spiritui Sancto, niſi denominetur ſimilis & ſpiratione actiua, qua diſtinctione data, ceſſant quæ deducebat abſurda. Ad illud, quod nihil impedit, quin duo perfectiſsima poſsint idem repreſentare; Reſpond. Rationem ſummæ, & omnimodæ expreſsionis impedire, & hoc impedimentum aſſignat S. Doctor, quod potuiſſet legere Vaſquez, ſi dignatus eſſet. Et hæc eſt impedimenti vis. Filius eſt imago Patris: ergo ipſe ſolus. Ratio eſt: nam eſt ſumma, & infinita imago: ergo non poteſt eſſe Spiritus Sancti: ſi enim eſſet, aut eadem ratione exprimeret, aut diuerſa; ſi diuerſa: ergo Filij imago non fuiſſet ſumma, & omnimoda; ſi eadem: ergo & hæc eſſet ſuperflua. Imò ſicut contradicit infinitæ perfectioni communicationis per generationem multiplicari, ita & rationi omnimodæ imaginis.

Ad ſecundum argumentum, primò videtur hoc argumentum S. Th. quæſt. 27. art. 4. primum in part. oppoſitam. Quare ſufficere deberet, & reſponſio, ac ſolutio, quam ipſe adhibet. Reſpondeo tamen quod ad argumentum Aureol. iam reſponſum eſt: ſi enim Spiritus Sanctus procedit vt competit naturæ Diuinæ, nimirum neceſſariò, & inuariabiliter; non id ei obuenit ex ſuæ proceſſionis vi, quæ eſt ex voluntate per modum amoris, & liberalitatis, quæ opponitur modo procedendi per modum intellectus, & naturæ, ſed ex naturæ Diuinæ conditione, in qua eſt. Quare laborat hæc argumentatio omnibus illis fallacijs, & æquiuocis, quibus laboraſſe & Aureoli argumentum ſupra docuit Caiet.

Ad id quod obijciebatur, Spiritum Sanctum ex vi ſuę productionis emanare ſimilem, quia eadem natura communicatur, primò iam reſponſum eſt, & negatum antecedens. Ad confirmationem verò dicitur, ipſum ſuo ſe gladio interimere, & ſua confirmatione confodere, & ſoluere argumentum: ſi enim ratio ſimilitudinis eſt natura communicata, non erit vis emanationis per modum amoris, quod ſolum nos hic prætendimus.

Ad rationem propriam, quam tum ibi, tum hic reiectis omnibus alijs conſtruxit, ſatis ſuperq; in animaduerſione poſtrema huius cap. factum eſt. Primò. Filium procedere vt imaginem, eſſe idem ac procedere vt ſimilem; quare optima erit ratio, qua Filius à Spiritu Sancto differat, quia ex ſua emanatione vt ſimilis emanat, Spiritus verò Sanctus nequaquam. Secundò. Procedere Filium ad repreſentandum, ideo eſſe imaginem, non autem Spiritum Sanctum, ideo non eſſe imaginem, quia non procedit ad repreſentandum; hoc totum negatum eſt, vt ibidem conſtat.

Ad id, quod poſtremo cauillabat Sanctum Doctorem, quod immeritò dixerit, imaginem Filij ſecundarium reſpectum dicere ad Spiritum Sanctum, cum nullo modo ab ipſo procedat; reſpôdeo, Non immerito hoc dixiſſe de reſpectu ſecundario, quo ſupra & ad creaturas poſsibiles obiectiuè diximus referri relatione rationis: non enim Filij imago ad Spiritum Sanctum refertur quia ab ipſo procedit, ſed quia etiam in ſpirando Spiritum Sanctum ſimilis eſt, imagoq; Patris; itaut non quia ab ipſo procedit, ſed potius quodammodo quia Spiritus Sanctus ab ipſo; ſed immediatius, vt dicebam, quia ſimilis in ſpirando eſt Patri.

CA-

Digitized by Google

CAPVT IV.

Sub qua ratione determinetur Imago.

POſtulat exacta , atque exquiſita imaginis Filij Dei cognitio, vt explicata eius tum quidditate , tum proprietate , terminus quoque explicetur . Cum enim ſit perſonæ proprietas , erit neceſſariò è veſtigin pariter relatio. Quod ſi relatio: ergo ad ſuum terminum . Et licet ex antedictis conſtet Filium eſſe ſui Patris imaginem;adhuc tamen non apparet ſub qua ratione : poteſt enim imago ad Patrem referri , ac terminari , aut quia Pater, aut quia Deus : remanet ergo ſolnendum ſub qna harum ratione .

Non videtur autem Filius eſſe imago Patris , quia Pater Deus , tum quia ſic vt imago non diſtingueretnr à Patre , quod tamen neceſſarium eſt, cum originem , & diſtinctum dicat imago , tum quiæper ſe primò tunc & Filius eſſet imago , quia Deus : quare æque Spiritui Sancto conueniret , quia ipſe quoque Deus eſt , imagiuis ratio , quod tamen neceſſariò ſupra negatum eſt . Neque prima facie alterum videtur concedendum , ſcilicet quia Pater , tum quia imagn eſt formalitet ſimilirudo , hæc autem in Deo non attenditur penes relationes , ſicuti neque inæqualitas, neque æqualitas , ſed conſequenter penes abſoluta , vt ex D. Aug. docuit S. Thom. art. 1. queſt. 35. tum quia D. Paul. Hebr. 1. Filium docuit eſſe figuram, ideſt imaginem ſubſtantiæ : non ergo proprietatis .

Quod ſi obijciatur . Filius eſt Verbum Patris vt Pater eſt , quia eum intellectualiter repreſentat non ſolum vt Deum,ſed etiam ſecundum propriam rationem Paternitatis , & procedit à Patre non ſolum vt à principio producente , ſed etiam vt ab obiecto cognito : ergo & imago . Reſpondetur, hæc quidem eſſe vera, ſed non ſufficere ; nam Verbum in Diuinis non tantum eſt intentionale , ſed etiam ſubſtantiale , aliàs Filins non eſſet conſubſtantialis Patri : ergo & de ratione imaginis eſt , quod ſit conſubſtantialis : eſt enim *imago Dei inuiſibilis*. ad Coloſſ. 1.

Dubitatio præſens non difficili negocio enodabitur , ſi prius de primo animaduertatur . Tria in Filio diſtinguuntur . Primum, res quæ eſt imago , ſcilicet ipſa perſona Filij . Secundum , ratio qua dicitur, eſtque imago, quod communi ſermone fundamentum formale relationis, perfectæ ſimilitudinis, & imaginis conſueuit appellari, quod eſt Dinina eſſentia , vna , eademq; numero in tribus . Tertium , conditio neceſſariò in Filio requiſita , vt rectè nuncupetur imago , ſcilicet origo à Patre : non enim poſſet Patris vlla ratione dici imago , niſi ab ipſo genitus eſſet . Neque hoc negat S. Bonau. licet in reſponſione ad 3. & 4. non admittat Filium dici imaginem propter aſſimilationem in ſubſtantia ; interpretandus enim eſt præciſè, ſcilicet pro ſola aſſimilatione in ſubſtantia : requiritur enim & ratio originis , & modus emanationis , quæ ipſemet explicatiſsimè alibi litteris mandauit .

Eadem tria patiformiter in Patre attentè perpendenda . Primum enim erit ipſamet res, & perſona Patris , qui eſt relationis , & perfectæ ſimilitudinis imaginis terminus . Secundum , ratio,ac fundamentum huinſce perfectæ ſimilitudinis , eſſentia ſcilicet , & natura eadem Patris , & Filij . Tertinm, eadem conditio in Patre,vt ſit rectè terminus relationis imaginis , ratio ſcilicet principij , ac originis actiuæ Patris , ac genitoris . His itaque oculatè animaduerſis .

Dicendum primò . Pater, vt Pater dicit conditionem, & modum ſe habendi Diuinæ eſſentiæ, eſt terminus imaginis . Patet , quia vt ſic præſefert diſtinctionem originis , ad rationem imaginis requiſitam .

Dicendum ſecundò . Pater vt Deus eſt terminus fundamentalis relationis imaginis , hoc eſt ratio, quare Filius eſt Patri ſimilis : ratione enim naturæ ad inuicem Diuinæ perſonæ ſunt ſimiles .

Dicendum tertiò . Pater non ſolum vt Pater modificans ſic Diuinam eſſentiam , ſed etiam vt principium Spiritus ſancti cum Filio , eſt terminus &c. Patuit ex S. Bonau.

Dicendum quartò . Pater vt conſtans ex eſſentia, & relatione,eſt terminus adæquatus imaginis Filio . Patet : nam vt ſic totam imaginis rationem complectitur ; ratione eſſentiæ , ſimilitudinem ; ratione proprietatis , diſtinctionem , & originem .

Rationes in oppoſitum contra vtramque partem adductæ , datis his diſtinctionibus conſtant iam ſolutæ . Primæ enim verè pugnabant , ac validè ſi ſumeretur Deus abſque relatione paternitatis, quia ſic nullam imaginis diſtinctionem dicebat, neceſſariò tamen dicendam . Secundæ itidem rectè inſerebant,quia relationem ſine eſſentia ſupponebant : loca verò D. Paul. ibi relata , interpretanda de ſubſtantia inuiſibilis Dei , in hypoſtaſi tamen Patris modificata . D. ergn Bonau. quando in reſp. ad arg. 2. quæſt. 1. dicit , Imaginem non dici ſecundum ſubſtantiam , accipiendus eſt, non eſſe ſecundum ſubſtantiam abſolutam , vt opponitur relatiuo, ac proprio; neque tamen negauit non teferri ad ſubſtantiam, & Deitatem, vt expoſitum eſt : refertur enim Filius vt imago ad Patrem, non ſolùm præciſè vt Patrem,ſed vt Patrem Diuinum . Atque hæc de Imagine, ac de tota Filij Diuina perſona .

QVÆ-

QVAESTIO VNDECIMA ET DISPVTATIO DE IMAGINE CREATA NATVRÆ RATIONALIS,

Quæ in hæc capita diſtribuitur.

Primum. De vera ex Patribus horum verborum; faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, *explicatione*.
Secundum. De Imaginis legitima ratione, ac definitione.
Tertium. De obiecto vltimato, & adæquato.
Quartum. De ſubiecto, ſiue Natura, & potentijs, in quibus reſidet.
Quintum. De infinito diſcrimine, & maxima differentia inter creatam, & increatam Imaginem.
Sextum. De dignitate naturæ ex hac imagine inſignitæ.

CONGRVIT admodũ hoc loco hanc conſtituere,& pertractare diſputationẽ;idq; triplici ratione. Prima,quã doctiſſimè notat, & refert D.Io.Chryſoſt.in 1.c. Ep. ad Hebr.hom.2.& poſt ipsũ S.Th.1.par.q.35.art.2.ad 3.Vt enim Arriani de Filio Dei naturali negarent Imaginẽ propriam, ac perſonalem notionem in eadem natura inferre æqualitatis ſimilitudinẽ; opponebant D.Pauli locum 1.Corint.2. *Vir eſt imago, & gloria Dei* in aliena, & creata natura: ergo eodem modo eſt & Filius Dei, Dei Imago,in aliena tamen,& diſtincta natura à Deo,neq; ipſius ſolius eſt proprietas perſonalis: ſed quàm perperam, & blaſphemè, ex aliqua diſputatione conſtare debebat. Secunda. Præterita diſputatione de Verbo æterno, eo interpoſita, & plurima commixta etiam de Verbo creato, quoquo modo increato ſimili, & in multis pariter diſſimili, quo vt manu contactum eſt, ad difficillimam æterni Verbi capeſſendam cognitionem intellectus noſter manuduceretur, & creatæ Imaginis perpenſio ad increatæ perceptionem introducet: veriſſima namque, & hoc loco D. Pauli ad Rom.8. verba; *Inuiſibilia Dei, per ea quæ facta ſunt,intellecta conſpiciuntur*; *ſempiterna quoque virtus*, hoc eſt Verbum idem quod Imago; exponit ſanctus Athanaſ.vt ſup.q.1. Ergo ex Imaginis noſtræ tradita explicatione eluceſcet quanta diſtantia iaceat inter ipſam, & Diuinam, & quàm propterea inſulsè, & hæreticè negarint Arriani Filio Dei æqualitatis Imaginem in natura Diuina, & quàm iniquè verba D. Pauli detorſerint: & per affirmatiuam, & negatiuam cognitionem quàm commodè; & quanta vtilitate mens humana ex hac in Diuinam Imaginem aſcendet. Tertia: nam S. Doctor quæſtionibus de Imagine æterna, multa interpoſuit & de creata, & hæc explicanda erant.

CAPVT PRIMVM.

De vera ex Patribus expoſitione horum verborum Gen. 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram.*

SVPPONENDA primò, quæ alijs locis de iiſdem verbis ex Patribus digeſsimus, ad fidem Sanctiſsimæ Trinitatis ex veteri teſtamento fundandam, & fouendam, ne otioſè eadem repetamus: licet nec otioſum fuerit fortaſſe, ſi ex eiſdem aliqua iterum ſumeremus, eo præſertim, quo ad ſcopum admodum diuerſum in præſentiarum tendimus hoc loco, & eorundem verborum dirigimus Commentationem: vt enim hic, quàm ſecundæ Diuinæ perſonæ propria ſit notio,eſſe Patris imaginem, & his verbis, hominem ad Dei imaginem creatum teſtetur Moyſes, Deo aſsiſtente, & dictante, ſi quid dixerint SS. PP. in huius loci explicationem, de imagine creata, quam infinitè diſtet à Diuina, in vnum collegerimus, patentius de Diuinæ imaginis proprietate, & præſtantia conſtabit. Sed ita ſic verſanda res, vt ſingula verba oculatè conſpiciamus.

Faciamus. Loqui ad inuicem Diuinas perſonas in productione hominis, & creatione Animæ, adeo certa res eſt, vt oppoſitum audere aſſerere, ſit & ad Hebræorum deliramenta tranſire, & cum Hæreticis loqui, ac ſentire, & contra Orthodoxam SS.Patrum commentationem perfricata fronte extollere caput: De qua re iam ſupra. Repetam hoc loco S. Hilarij (qui ſemper inoffenſo pede, teſte D. Hieronymo, percurritur) Canonem, quem lib. de Synodis.ſelegit ex multis, de hac certa explicatione decernẽtem ex Concilio Syr-

Syrmienſi ſub Liberio Pontifice Anno 356. & ab eo partim confirmato, & in quo Photini hæreſis damnata, quam damnationem omnis Eccleſia probauit, vt refert inter alios Bellarminus Cardinalis de Concilijs, & Eccleſia lib. 1. c. 8. *Si quis, faciamus hominem, &c. non Patrem ad Filium dicere, ſed ipſum ad ſemetipſum Deum locutum, Anathema ſit.* Can. 13. quem librum tanti ſemper idem S. Hieronymus fecit, vt eum manu propria exſcripſerit, & ſecum ſemper ferens, ſine ipſo nec dormire, nec vigilare ferè ſciret.

Addo D. Ambroſium lib. 6. Exam. cap. 9. *Faciamus hominem, &c. Quis*, inquit, *hoc dicit? nonne Deus, qui te fecit? quid eſt Deus? Caro, an Spiritus? Non caro vtique, ſed Spiritus, cuius ſimilis caro eſſe non poteſt, quia ipſe incorporeus, & inuiſibilis eſt: caro autem comprehenditur, & videtur. Cui dicit? non ſibi vtique, quia non dicit, faciam, ſed faciamus. Non Angelis: quia miniſtri ſunt, ſerui autem cum Domino, & opera cum Authore non poſſunt operationis habere conſortium: ſed dicit Filio, & Spiritui Sancto, etiamſi Iudæi nolint, etiamſi Arriani repugnent, ſed & Iudæi conticeſcant, & Arriani cum ſuis paribus obmuteſcant, qui dum vnum à conſortio Diuinæ operationis excludunt, plures inferunt, & prærogatiuam, quam Filio negant, ſeruulis donant. Sed esto, vt adminiculo ſeruorum ad operandum Deus vobis indiguiſſe videatur, ſi operatio communis cum Angelis Deo, & Angelis imago communis, nunquid Angelis diceret, faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram? ſed quis ſit imago Dei? Audi Apoſtolum dicentem*, ad Coloſs. 1. *Qui eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum filij Charitatis ſuæ; in quo habemus redemptionem, & remiſſionem peccatorum, qui eſt imago Dei inuiſibilis, & primogenitus vniuerſæ Terræ*; & infra. *Ille imago Dei ſolus, qui dixit. Ego, & Pater vnum ſumus.* vbi dicit, *faciamus, quomodo inæqualitas? vbi iterum ad ſimilitudinem, vbi diſſimilitudo?* hæc eo loco elegantiſsimè D. Ambroſ.

Sed Verbum hoc, *faciamus*, excellentiam hominis procreandi vehementer indicat, de qua fusè capite poſtremo.

Hominem, non quaſi hominis Ideam, & exemplar, tanquam formam ſingularium hominum, vt ex Platone interpretatur Philo Iudæus: ſed hominem hunc, nimirum Adam. Neque ſecundum Animam præciſè duntaxat, ſed totum hominem Anima, & corpore conſtantem, eum ſcilicet hominem, de quo identicè ſtatim. *Maſculum, & fœminam creauit eos, creſcite, & multiplicamini &c.* huiuſce enim ad totum hominẽ, & integrũ ſpectare, nemo non videt, niſi ſponte cęcutiẽs.

Id verò, quod ſequitur, hoc eſt potiſsimum, quod quæritur, & oculatè obſeruandum: *Ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram.* Sed primo diſtinctè ſingula verba: etenim & prima vocula, (*Ad*) eſt plena myſterio: D. enim Ambroſius in c. 22. D. Lucæ: *Solus Chriſtus*, inquit, *eſt plena imago Dei, propter expreſſam in ſe paternæ claritudinis vnitatem: Iuſtus autem homo ad imaginem Dei eſt, ſi propter imitandam Diuinæ conuerſationis ſimilitudinem, mundum, Dei cognitione contemnat.* D. Auguſtinus lib. 83. qq. q. 51. Hominem, quoniam imperfectè refert ſimilitudinem Dei, ideo non dici imaginem Dei, ſed ad ad imaginem aſſeuerat.

Verum lib. 1. retractat. c. 26. & 7. de Trinit. cap. vlt. Quoniam 1. Corint. cap. 11. vir imago Dei dicitur, & alibi ad imaginem Dei, Chriſtus verò nunquam ad imaginem Dei; *ad imaginem Dei*, inquit, *dicitur homo, quia hominis ad Deum imago imperfecta eſt.*

Hanc explicationem ſequitur, & amplectitur ſchola in 2. ſentent. d. 16. Magiſter c. Quocirca. S. Bonauentura dub. 3. litterali in fine. S. Thom. 1. par. q. 93.

Sed, ni fallor, & hinc hominis dignitas quanti à Deo facta, liquidò colluceſcit, & cap. poſtremo patebit.

Imaginem, & ſimilitudinem noſtram. Pro *imaginem*, Hebraicus textus habet Tſelem, quod vmbram, ſeu adumbrationem rei ſignificat, à radice Tſalal, ideſt adumbrare: ſicuti enim vmbra corporis, ſic imago ſui prototypi quædam adumbratio: Homo ergo, Tſelem, Deo comparatus adeo differt, vt Dei vmbra vix dici poſsit. Solida eſt Dei eſſentia, hominis vmbratica. Quare verè de homine aſſeritur. *Vniuerſa vanitas omnis homo viuens.* & Salomon. Eccleſ. c. 1. & Dauid Pſal. 38. *Verumtamen in imagine pertranſit homo.*

Inde veriùs non eſt Dei imago homo in ijs, quæ Deo maximè propria, vt ſicut Deus infinitus, omnipotens, omniſciens, æternus ex vtroque capite, &c. Ita homo ſimili modo omnipotentiæ, & infinitatis imago, ſed dumtaxat eorum, quæ creaturæ communicari non repugnat, ſit quoquomodo ex illis imago.

Imaginem verò noſtram non ideo dixit Deus, quaſi hominem decreuerit ſimilem, & ad imaginem Filij ſui, qui eſt perſonalis Patris adæquata, & conſubſtantialis imago, & non trium Diuinarum perſonarum: *non enim*, inquit, S. Aug. lib. de Gen. ad litteram imperfecto, *Dixit faciamus hominem ad imaginem tuam, aut ad imaginem meam, ſed pluraliter ait, ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram.* A qua pluralitate ſeparate Spiritum Sanctum quis audebit?

Eodem argumento vtuntur, idem S. Auguſtinus lib. 7. de Trinit. in fin. S. Cyrill. Alexandr. lib. 1. contra Iulianum, & lib. 1. Theſ. cap. 1. D. Hilar. 5. de Trinit. D. Fulgent. lib. de fide ad Petrum c. 1. D. Athanaſ. de vnita Deitate lib. 1. & Dialogo 1. contra Anomæum, & contra Gregales Sabellij, & D. Chryſoſt. ſerm. de Trinit. Quorum grauiſsima auctoritate veriſsimam eſſe hanc ſententiam, Animam ad imaginem totius Sanctiſſimæ Trinitatis creatam, abundè conſtat. Confirmant Scholaſtici cum Magiſtro citata diſtinctione decimaſexta ſecundo Sententiarum, & Diuus Bonauentura præſertim dubio litterali hanc mirè declarat opinionem.

Non

Non poteſt tamen negari, quin hominis imago ſingulari quadā ratione Filij perſonam reſpiciat, ſicut exemplar, & primariam Dei Patris imaginem; quemadmodum & filiatio hominia adoptiua Dei Filij naturalem filiationem, tanquam prototypum æterni Filij Dei. Et poteſt probari: ſicuti enim Filius æterons, eo quia Filius naturalis, in generatione ſua recipit vt ſit omnino ſimilis Patri in eſſentia: conſimili proportione homo recipit ex participata imagine pariter aliquam ſimilitudinem. Et ſicuti ex participatione filiationis Filij, ex gratia conſtituimur filij Dei, & ſic ſimiles, & ad imaginem, &c. In quam ſententiam Clemens Alex. Orat. exhortat. ad Gentes. *Eſt Dei imago Verbum, & Filius, ſic Verbi imago homo.* Diuus Athanaſ. orat. 2. contra Arrianos. *Non enim alterius erat coniungere hominem cum Spiritu Sancto, quam tui ipſius, qui es imago Patris, ad quam ab initio creati ſumus.* Sed excelſiori auctoritate, & mirabiliori efficacitate, & certitudine D. Paulus ad Romanos 8. *Quos præſcinit, & prædeſtinauit, conformes fieri imaginis Filij ſui*, & alibi. Ita S. Cyrillus lib. 1. contra Iulianum. S. Hil. Theodoret. &c. indicat, & S. Bonauentura q. 1. d. 3. in 1. par. 2. ad 5.

Sed hæc nunc de morali, & ſupernaturali gratiæ imagine, vera, & mira quidem, neque tamen vlla ratione contradicunt ijs, quæ de imagine naturali tum Diuinæ eſſentiæ, tum totius Sanctiſſimæ Trinitatis, ab vniuerſa & Sanctorum Patrum, & omnium Theologorum cohorte aſſeruntur, vt ſtatim ex iiſdem Patribus conſtabit, eſtq; id potiſſimum, quod ex hac nunc horum verborum expoſitione ſpectamus.

Sed adhuc tantiſper primo immorandum circa hanc vocem *Imaginem noſtram*, nimirū an Diuina eſſentia etiam in tribus ſubſiſtens, imago animæ, vel anima Dei imago ſit: dubia enim certè res videtur ad horum verborum ſonum, *ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram.* D. Bonauentura ex Magiſtro cap. *Verumtamen.* aſſerente: *Licet quidam dixerint, hominem imaginis Diuinæ imaginem, verumtamen quia de medio Montium, id eſt auctoritatibus Sanctorum non manat, congruentius in ipſo homine imago, & ſimilitudo quærenda eſt, & conſideranda.* D. Bonauentura, inquit, Diuinam eſſentiam imaginem vocari, eſt valdè improprium, & ſatis videtur probabile cum Magiſtro hoc loco Scripturam de Imagine creata, & hominis loqui: Dei enim imago non eſt imago noſtra, & ex D. Paulo. *homo eſt imago Dei.* Idem S. Tho. 1. par. quæſt. 93. art. 1. ad 1. vbi loco exemplaris aſſerit dictum Imago illis verbis, *faciamus hominem ad imaginem noſtram*; quibus voluerit dicere Deus, faciamus hominem, & ſignemus, & eius animam ſic imprimamus, & decoremus, vt ſit nobis ſimilis, & ad imaginem.

Non deſunt tamen quædam loca Patrum, quibus Diuinæ eſſentiæ imaginis titulus tribuitur, relata à Didaco de Montoia diſput. 64. ſect. 5. quibus tamen locis omnibus imago pro exemplari ſumenda eſt, vt in homine creato ad imaginem ſit poſita imago, & imitatio, & ſimilitudo Diuinæ eſſentiæ, Diuinæ Trinitatis exemplaris, & prototypi, atque ita imago vt dicit imitationem, ſi pro prototypo ſumatur, impropriè ſumatur: Etenim & Filius, dum dicitur Imago, ita, quia adæquatè imitatur Patrem dicitur. Vnicum ergo remanet inquirendum, in quo Imaginis ratio in homine ſita ſit.

Non igitur eo ſita eſt imago, vt quidam Hæretici ſomniauerunt, quia Deus corporeus, hominis corporei, Dei conſtitutus ſit imago: deliramentū enim intolerabile, reclamat omnis Scriptura, ſtomachamur reijcere. Neque ſecundo loco, quia Deus in hominis creatione humanam ſumpſerit formam, vti frigidè admodum Steuchus in Coſmopæa, & Oleaſter nullo freti fundamento dicere voluerunt. Neque denique, vt Gloſ. in Catena Lippomani in Geneſim, quia ad imaginem futuræ humanitatis à Verbo aſſumendæ, homo corporeus creatus eſt: *nihil enim in corpore*, ait S. Greg. Nyſſ. orat. in hæc verba, *faciamus hominem &c. quod Dei Imagini congruat. Caro nunquid*, inquit & S. Ambr. lib. 6. Exam. cap. 8. *ad Imaginem Dei eſt? ergo in Deo terra eſt, quia caro terra eſt? ergo corporeus Deus? ergo infirmus Deus vt caro eſt? Non habemus*, docet S. Baſilius homil. 10. in Exam. *in corporis forma id, quod ſecundum imaginem Dei eſt.*

Sed primò, ideò ad imaginem Dei eſt homo; quia ad imitationem Dei præſit animantibus: ſic enim creatis omnibus, dixit Deus, *dominamini piſcibus maris, & volatilibus cœli, & beſtijs vniuerſæ terræ. Propter imperandi facultatem homo eſt imago Dei*, inquit, S. Baſil. citato loco. Eadem S. Chryſoſt. hom. 6. in Gen. S. Cyrill. lib. 1. aduerſus Antropomoniphitas.

Secundò in hac imagine vis intelligendi, & arbitrij libertas ſignificatur: docet S. Damaſc. lib. 2. de fid. c. 12.

Quia omnis boni capax eſt, ideo ad imaginem Dei dicitur homo: eſt S. Gregorij Nyſſ. lib. de opific. hominis: *in omnium enim bonorum*, inquit, *ſocietatem vocata eſt humana natura.*

Quemadmodum vbique Deus, omnia mouens, & viuificans, & gubernans, ita anima in corpore, ibi eſt tota in toto; & tota in qualibet parte, & viuit, & viuificat, & vbicumque Deus viuit, & ſapit, pariter & anima, & vbicumque Deus vnus, ibi Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, conſimili ratione anima in ſe ſemper, & vbique habet tres potentias, memoriam, intellectum, & voluntatem. Sanctus Ambroſius libell. de Dignit. hum. conditionis.

S. Anſel. in Monolog. c. 69. quia ſui memor, & amans, & intelligens eſt, & eſſe poteſt, ad imaginem Dei: Et D. Aug. 9. de Trinit. c. 4. aſſerunt.

S. Auguſt. lib. 12. de Trinit. c. 6. ad ſimilitudinem noſtram; *noſtram*, inquit, *certè quia pluralis eſt numerus, non rectè diceretur, ſi homo ad Perſonæ vnius imaginem fieret, ſed quia fiebat ad imaginem Trinitatis, propterea dictum eſt ad imaginem noſtram.* S. Athan. in Quæſtionibus quarum prima eſt, Quid eſt Deus. quæſt. 4.

Eſt Anima hominis vna quidem, tribus ſubſiſtentijs conſtans. Eſt autem Anima vna ſubſiſtentia, Anima verò generat rationem, & ecce ratio, altera ſubſiſtentia, Anima autem mittit ſpiritum, & ecce ſpiritus tertia ſubſiſtentia; & paulò poſt, *Anima effigies Patris, ratio effigies Filij, ſpiritus autem animæ effigies Spiritus Sancti: quemadmodum enim Anima ingenita, ita & Deus, & Pater eſt ingenitus. Quemadmodum ratio genita ab Anima, ita & ſermo Dei (Verbum) natus à Patre; & ſicut Spiritus procedit ab Anima, & Spiritus Sanctus à Patre* (& Filio.) Hoc eodem exemplo vtitur Dionyſ. Alexandrin. in Epiſt. S. Athanaſij de ſententia Dionyſij. S. Nazianz. orat. 13. quæ eſt ſecunda de Pace. Anima comparatur Patri, à quo procedit Verbum, mens autem Spiritui Sancto. Sic S. Nyſſen. epiſt. contra Apollinar. Alijs modis alij Patres, S. Cyrill. Alex. lib. 2. Dialog. de Trinit. S. Baſil. hom. 16. in illa verba: *In principio erat Verbum*; ſed omnium diffuſiſſimè S. Auguſt. multis locis, ſed in primis 15. de Trinit. c. 6. 11. & 13.

Ergo ex his, Imago Dei eſt homo ſecundum Animam in mente rationali, & penes eſſentiam, vt vnus Deus, & penes Perſonas, vt Trinus.

Verum quoniam ad imaginem, & ſimilitudinem Dei creatum hominem aſſerit, & reuelat Spiritus Sanctus, Indagatores ſolertes, & ſeduli ſe conſtituunt, & Commentatores, & Theologi, & Patres circa illa verba diſtincta, *Imago, & ſimilitudo*, & diu immorantur, an eandem veritatem per illa diſtincta verba Spiritus ſanctus doceat, an diuersã ſi eandẽ. S. Baſil. in primis, Spiritum Sanctum plura referre verba ſine myſterio, & otioſè, aſſerere, ſynonimiæ peccatũ, & blaſphemiam eſſe, opinatur: ſi verò diſtinctam veritatem, quænam ſit: diſtinctè ſignificare, ſimilitudinem ab imagine, grauiſſimè tradiderunt Origen. lib. 3. Periarc. c. 6. S. Baſil. hom. 10. in Exam. S. Ambr. lib. 6. in Exam. c. 7. & 8. S. Nyſſen. hom. de Creat. hominis, Theodoret. q. 2. in Geneſ. Ruper. & alij. Imaginem referri ad naturalia animæ, ſimilitudinem ad gratuita. Quorum Patrum grauiſsimam ſententiam pluris facere potuiſſent multi noſtri temporis recentiores expoſitores, neque tam leuibus rationibus, non qua decet reuerentia, terga vertere his ſanctiſsimis Magiſtris, & ſatiùs fortaſsè egiſſent, ſi eadem loca, quæ obijciunt his Patribus, ante mille annos ipſos non ignoraſſe; ſibi perſuaſiſſent licet aliunde & ſimilitudo ſit ad rationem imaginis ſpectans. Quam rationem S. Aug. lib. de Gen. ad litt. imperf. & D. Cyrill. aduerſ. Antropoph. ſpectarunt, dum, eandem eſſe harum duarum vocum ſententiam, & idem imaginem ſignificare, quod ſimilitudo, & vice verſa. Colligi ex Diuinis litteris exiſtimant, recentiores, Gen. 5. vbi Deus ad Dei ſimilitudinem feciſſe hominem aſſeritur, nulla de imagine facta mentione; quia, inquiunt, eadem vtriuſque vocis ratio. Ibidem *genuit Adam filium ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam*. Neque vero cum gratuitis genuit Adam Filium ſuum, ſed in peccato originali, Eccli. 17. *Secundum imaginem ſuam fecit illum*, nec repetit ſimilitudinem.

Sed ſcholiaſtes, & ſcholaſticos vocemus, fortaſſe enim æqua lance rem pendentes tollent litẽ. S. Tho. q. 93. art. 11. 1. par. ſemper egregiè, Imaginem aſſerit ad inuicem, & ſimilitudinem, ita diſtingui, vt non ſint ſynonima, idq; gemina ſumptione. Primò ſiquidem, ſi ſimilitudo vt præambula ad imaginem ſumatur, extenſiorẽ communitatem indicat, quàm imago; de pluribus enim dicitur ſimilitudo, quàm Imago: neque enim omne quod eſt ſimile eſt etiam imago: nam expreſsiorem repreſentationem requirit imago, & inde Deo ſimilis eſt homo etiam in inferioribus animæ facultatibus, imago verò nõ niſi in mẽte ſuprema; ſicuti omne creatum in ratione veſtigij ſimile eſt Deo; Imagine verò ſola creatura rationalis, & in nobiliori parte: ſi verò vt imaginem ſubſequens, perficit imaginem: eo enim perfecta imago, quò ſimilis exemplari; & omnis Anima tunc ad imaginem Dei perfectè, quo per charitatem ſimilis redditur: repetit idem in reſponſione ad primum; ergo diſtincta ratio imaginis, & ſimilitudinis.

D. Bonau. diſt. 16. in 2. dub. 3. litter. docet. Vt præcedit ſimilitudo imaginem, eſt in gratuitis, imago in naturalibus: vt concomitatur, imago eſt in potentia cognoſcendi, ſimilitudo in potentia diligendi: vt ſubſequitur, ſimilitudo eſt in materia, & imago in forma: ergo quocumq; modo ſumatur, ſimilitudo ſecũ fert diſtinctam rationẽ ab imagine.

Non poſſum mihi perſuadere, eos qui ad idem vtrãque vocem aſſumunt, ita rigoroſè aſſumere, vt nullam prorſus diſtinctionem admittant, vt potius battologiam, & ſynonimitatem permittere velint in Diuinis Litteris; quod D. Baſil. blaſphemiam vocare non timet: nam ſi vſurpemus imaginẽ creationis, & naturæ, ad initiandam quidem, aut ad perficiendam eandem imaginẽ, addi ſimilitudinem docuit vterque S. Doctor. Si vero de Imagine gemina habenda ſit ratio, nimirum creationis, & recreationis; quid noui, ſi ad vtramque ſignificandam diuerſis vocibus vſus ſit Spiritus Sanctus? eo præſertim, quo per dona gratuita, & charitatem perficitur imago, & ſimilior euadit Deo Anima? Apertiſſimum autem eſt, imaginem creationis, & recreationis ad inuicem valde differre: omnia verò hæc, & plura alia inſpiraſſe menti Moſis Spiritum Sanctum dum hæc ſcriberet, teſtatus eſt ſupra S. Auguſt. Sed iterum capite ſequenti.

Quæ opponuntur ex Diuinæ Scripturæ phraſi; fortaſſe non adeo vrgent, vt honeſtè receſſerint quidam recentiores à tot grauiſsimis Patribus. Diuina Scriptura, aiunt, modo vna, modo altera voce, ſimilitudinis, & imaginis vtitur, vt conſtat in recenſitis locis; ergo eadem ſignificatione aſſumuntur. Non timerem negare conſequentiam; non enim neceſſariò omnibus locis eodem ſenſu ſemper vtitur eadem voce Spiritus Sanctus. S. Aug. docet lib. 3. de doctr. Chriſtiana c. 26. vbi ediſſerens difficiliorem Diuinæ Scripturę locum faciliori declarandum, admonet non eodem ſenſu ſemper eadem verba neceſſariò ſumenda; imò maximum Dei beneficium notat; & hanc eſſe Diuinæ Scripturæ vbertatem, vt plura eiſdem vocibus nos edo-

edoceat. Quibus ſequitur, ergo non hæc conſequentia præmit. Aliquò loco imago, & ſimilitudo idem ſonant, ergo vbique; vt aliquando cogat fides inefficacem,& nullā eſſe hanc conſequentiam fateri, exempli gratia contra Sacramentarios, alicubi verbum, *Eſt*, vt habet tantum vim ſignificandi ſumitur: ergo vbique: ergo & in forma conſecrationis Sacramenti Euchariſtiæ, ita vt ibi nihil efficiat, ſed dumtaxat ſignificet? His locis præſertim de Imagine diuerſa ratio eſt: dum enim capite 5. Gen. vbi Adam genuit Seth ad imaginē, & ſimilitudinē ſuam,& vbi c.1.fecit Deus Adam ad imaginem,& ſimilitudinē ſuam,ita vt à Deo producatur Adam,ab Adam generetur Seth,quid mirum, ſi diuerſa ratione producantur; Adam, & Seth, & imago,& ſimilitudo in diuerſam ſentētiam trahatur? eo vel maximè, quia Deus Adam & ad imaginem creationis,& recreationis,ſcilicet in gratia creat,Adam verò niſi in naturali imagine peccato originali infecta generat Seth.Præterquamquod,ſi modo vna vox, modo altera vſurpetur, non erat inde à tot Patribus, & Theologis recedendum: non enim difficili negocio gloſſandus textus, dum primo loco vtraque ſumpta eſt, deinceps quando vna ſine altera aſſeritur, ſubintelligi alteram poterat præſumi. Hæc hoc cap. præmittenda duxi, vt inde reliqua quaſi ex aperto promptuario faciliius deſumerem.

CAPVT II.

De ratione perfecta Imaginis.

PEr quædam aſſerta ex ſuperiori capite excerpta, ſtatui breuibus indagare, & colligere, & conſtruere imaginis definitionem.

Primum igitur aſſertum. Hominem eſſe ad imaginem Dei docet, & certum reddit Catholica fides, & ſola fide percipitur. Huius aſſerti prima pars colligitur apertè ex Diuina Scriptura Gen. 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram*, & paucis infra. *Creauit Deus hominem ad imaginem ſuam, ad imaginem Dei creauit illum, maſculum, & fœminam creauit eos*. Confirmatur ex vnanimi Patrum, & omnium Theologorum conſenſu in hunc locum & in hanc rem;& ex imaginis definitione res eluceſcet,& veritatis ratio.Secundam vero partem aſſerunt inter alios D. Bonauentura in 1. diſt. 3. quæſt. 4. ad 4. illis verbis, Cognoſcere Animam, ſecundum id, quod eſt, & cognitio iſta eſt rationis: vel ſecundum id, quod imago, & cognitio iſta eſt ſolius fidei. Scotus diſt. 3. q. 1. ad primum. Didicerunt ex D. Auguſt. lib. 15. de Trinit. cap. 24. his verbis: *Qui ergo vident ſuam mentem, quomodo videri poteſt, & in ea Trinitatem iſtam, de qua multis modis, vt potui, diſputaui, nec tamen eam credunt, vel intelligunt eſſe imaginem Dei: Speculum quidem vident, ſed vſque adeo non vident per ſpeculum eum, qui eſt per ſpeculum nunc videndus, vt nec ipſum ſpeculum, ideſt imaginem &c.* Ratio potiſsima eſt, quia terminus imaginis eſt Sanctiſsima Dei vnitas, & Trinitas ſola fide perceptibilis, ad quam refertur imago: ergo & ipſa imago, cuius tota vis eſt ad terminum, eadem ſola fide cognoſci poterit: quod in primis verum dignoſcitur de imagine præcisè Trinitatis: quod enim Deo vni ſit ſimilis, non eſt ita abſconditum.

Secundum aſſertum. Non penes corporis naturam, conſtitutionem, elegantiam, vel quacumque alia ratione, ſed penes mentem, & Animæ ſubſtantiam ſpiritualem, & potentias, imaginis ratio indaganda eſt.

Tradunt in primis omnes Theologi, & conſtantiſsimè vetuſtiſsimi Patres: D. enim Baſil. hom. 10. in Exam. *non habemus*, inquit, *in corporis forma id, quod ſecundum imaginem Dei eſt*. D. Greg. Nyſſenus in illa verba: *faciamus hominem, &c. nihil profectò*, dicit, *in forma corporis eſt, quod Dei imagini congruat*. D. Ambr. lib. 6. Examer. cap. 6. *Caro nunquid ad Dei imaginem eſt? ergo corporeus Deus? ergo infirmus vt caro? paſsionibusq; ſubiectus?* denique D. Auguſt. in Pſal. 48. *Imago Dei intus eſt, non eſt in corpore*. Confirmatur infra ferè integro capite de ſubiecto imaginis, & reliqui omnes Patres cap. 1. decernentes imaginis rationem idem aſſerunt.

Ratio potiſsima. Supra iam ab omnibus ad cōſtituendam imaginē, conſubſtantialitas potentiarum cum Anima, & diſtinctio earundem potentiarum, cū gemino modo procedendi, intellectus ſcilicet, & voluntatis liberæ, aſſerta ſunt: ſed ſi etiam in corpore ſentiente eſt imago, ab Anima, & corpore, diuerſæ ſubſtantiæ prodirent actus, & potentiæ, & tolleretur conſubſtantialitas, & omnis modus procedendi eſſet naturalis, determinatus, nulluſque liber, ergo.

Secundum aſſertum. Bis gemina eſt imaginis creaturæ rationalis ratio. Prima Dei vnius. Secunda Dei trini. Tertia ſubſtantialis, & naturalis. Quarta ſimilitudinis, & gratuitę.

Prima verò particula probatur primò ex Patribus 1. cap. recenſitis. D. Baſilius homil. 10. in Exam. D. Chryſoſt. hom. 8. in Gen. D. Cyril. aduerſus Antropopho. Ideo hominem Deo aſsimilari, ad Deiq; imaginem creatum, & nuncupari, quia quemadmodum Deus cunctis creatis præminet, & præeſt, ſic & cunctis irrationabilibus homo: ſic ſinguli hi Patres diſertis verbis de re hac eloquuntur, quorum hic non refero verba, vt prius relata à multis recentioribus, præſertim Pererio lib. 4. in Gen. Quibus Patribus additur & D. Aug. de Gen. contra Manichæos cap. 17. lib. 3. de Gen. ad litteram cap. 20. & ſerm. 27. de verbis Domini, & in Pſal. 29. D. Nyſſen. de Hominis opificio c. 16. eo ad imaginem Dei creatus aſſeritur homo, quo ad Dei, bonorumque ipſius ſocietatem vocatus, & capax in ſui creatione conſtitutus: & ſicuti Deus ipſe arbitrij libertate potitur, pariter & homo: quod poſtremū aſſerunt, & tradunt D. Io. Damaſc. lib. 2. de fide cap. 12. D. Ambr. libello de dignitate humanæ conditionis, & addit. *Sicuti vnus Deus, ſemper vbique totus, omnia viuificans, mouens, & gubernans, ſic anima in corpore vno vna,*

vbique

vbique tota viget, viuificans illud, mouens &c. Denique D. Anſelmus in Monologio c. 69. & ante ipſum D. Aug. lib. 11. de Ciuit. Dei. *Quia ſui memor, & amans, & intelligens eſſe poteſt*: & alij, Sicuti Deus incorporeus. D.Aug. lib. 11. de Ciuit. Dei c. 26. Sicuti Deus immortalis. Origenes, itidem & anima, & Spiritus rationalis, quemadmodum Deus eminentiſsime continet omnia, ad imitationem, & homo, & microcoſmos proinde appellatur. Quo Deus denique omnium finis, eo & homo, licet inferiori admodum ratione, eſt mundi creati finis.

Verum hoc loco probè aduertendum. Recenſitos Patres ad inuicem nõ pugnare, neq; eſſe de hac re contrarios exiſtimãdum; ſed potius diſtinctam, ac diuerſam vnumquemque prodidiſſe rationẽ; aliũ aliam, neque ſingulos omnes huius rationis imaginis perpenſiones eodem loco collegiſſe, ſed varijs locis variam, vt opportuna expoſtulabat occaſio, quod idem & in confirmanda ſecunda particula ob oculos retinendum. Eſt ergo anima ad Dei vnius imaginem.

Secunda nunc particula aſſerti conſimili modo ex SS. Patribus confirmanda, nimirum ad Dei trini pariter eſſe imaginem animam. Primò ex omnibus illis Patribus, quos ſupra in illorũ verborũ: *Faciamus hominem &c.* cõmentationem recoluimus, qui vnanimi conſenſu Diuinas perſonas ad inuicẽ locutas, dũ de homine creando decernebant, teſtati sũt. Secundò, primo loco inter alios recẽſendus D. Aug. pluribus enim locis egregiè rem hanc poſteritatẽ docuit 10. de Trinit. c. 10. lib. 14. c. 11. lib. 15. c. 6. c. 11. c. 13. & lib. 12. c. 6. ex illis verbis etiam ſupra relatis, *ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram. Noſtram certè*, inquit, *quia pluralis eſt numerus, non rectè diceretur, ſi homo ad vnius perſona imaginem fieret: ſed quia fiebat ad imaginem Trinitatis, propterea dictum eſt ad imaginem noſtram.* D. Athanaſius in quæſtionibus, quæſt. 4. *Eſt anima hominis &c.* c. 1. eo exemplo ſupra relato, quo vſus eſt & Dionyſius Alexandrinus Epiſtola D. Athanaſij de ſententia Dionyſij. D. Nazianz. Orat. 13. quæ eſt. 2. de pace. D. Nyſſenus Epiſtola aduerſus Apollinarem. S. Cyrillus lib. 2. dialogorum de Trinit. S. Baſil. hom. 16. in illa verba. *In principio Deus erat verbum.* Omnes ſimul Scholaſtici cum Magiſtro.

Vtraque particula ex illo aſſumpto loco Gen. 1. *Faciamus hominem &c.* compertiſsimè probatur. Prima quidẽ ex additis verbis. *Creauit Deus* (hoc eſt vnus Deus penes eſſentiam) *hominem ad imaginem ſuam, ad imaginẽ* Dei *creauit illũ*. & creãdi actio eſſentiæ, & vnitatis eſt. Secunda vero ex illis: *Faciamus, & ad ſimilitudinem noſtram*, vt nuperrime antea docuit S. Aug. Vtriuſque ratio efficax. Anima eſt ad imaginem Dei: ſed Deus intrinſecè eſt vnus, & trinus, & formaliter: ergo ad imaginem vnitatis, & Trinitatis Diuinæ: ſed Diuinarum perſonarum Trinitas eſt, vt ad inuicem perſonæ ita ſint realiter diſtinctę, vt ſit inter eas ordo, & origo, vt à prima improducta producatur ſecunda, & à prima & ſecunda ſpiretur tertia, & vnitate eſſentiæ ſint conſubſtantiales, & prorſus idẽtificentur: ergo & anima cum tribus potentijs, memoria, intellectu, & voluntate, ſibi conſubſtantialibus, & ſic ad inuicem diſtinctis, vt primo loco, memoria, ſecundo intellectus, tertio voluntas; erit imago, hac in primis ratione: memoria ſiquidem eſt intellectus agens, retinens præſens obiectum, vel eius ſpecies, conſtitutus ſic in actu primo, aptus natus intellectionem producere; quo eſt Patris imago, ſicut prima eſt perſona cum obiecto ſibi intimo intelligibili fœcundiſsima ad producendum. Intellectus, vel intelligentia itidem ſecundæ perſonæ imago, quæ eſt Verbum, à memoria, ideſt Patre, productum, & quaſi intellectus poſsibilis receptus in agente, hoc eſt in Patre. *Ego in Patre*, propter actum vitalem, qui eſt ad intra. Voluntas tertio loco, poſt memoriam, & intellectum, eſt ſacerrimũ ſymbolum, & imago amoris æterni, à Patre, & Filio ſpirati.

Et licet voluntas & amor verè non à memoria, & intellectu producatur, eo quia notitia &c. in nobis eſt accidens, & propterea non poteſt eam, quam Diuinæ perſonę ſubſiſtentes habent, fœcunditatem habere: & inter alias, hęc vna eſt ſingularis imaginis creatæ imperfectio; intercedit tamen quidam verus ordo, vt ſic, & non alio modo poſſint exiſtere diſtinctæ, imò diſpoſitio quædam, quam optimè nobis expoſitam tradidit S. Bonauentura diſt. 3. quæſt. 1. par. 2. art. 1. his diſertis verbis. Retentio ſpeciei eſt diſpoſitio ad intelligendum (intellectus habens præſens obiectum) & intelligentia ad amandum, ſecundum quod intelligitur eſſe bonum. Egregiè docuit D. Aug. 15. de Trinit. cap. 27. *Quam quidem voluntatem de cogitatione procedere (nemo enim vult, quod omnino quid, vel quale ſit neſcit) non tamen eſſe cogitationis imaginem, & ideo quamdam in hac re intelligibili, natiuitatis, & proceſsionis inſinuari diſtantiam: quoniam non hoc eſt cogitatione conſpicere, quod appetere, vel perfrui voluntate, cernat, diſcernat qui poteſt.*

Tertia particula nunc aſſumitur. *Subſtantia naturalis*, non artificialis, neque connaturalis & eiuſdem naturæ cum Deo, cuius eſt imago increata: nam anima vt incorporea, immortalis, libera, Dei capax, mouens, & viuificans corpus cum tribus potentijs ſibi inditis, & conſubſtantialibus, ab initio ſuæ creationis eſt Dei vnius & trini imago, ad repræſentandum, & imitandum id, cuius eſt imago, ab ipſo expreſſa, & producta, vt non ſit anima rationalis niſi quia imago: naturalis inquam, non arte ficta, non accidentaria, vt poſſit abeſſe, & adeſſe abſque ſubiecti corruptione: hæc eſt animæ natura, naturaleque ornamentum, ac in ſubſtantia delineatum, ac ſignatum, non arte ſculpta, aut picta, non intentionalis impreſſa, ſed vt ſic à natura creatore expreſſa &c. & quemadmodum homo viuus eſt per naturam, atque anima per naturam imago.

Neque hanc veritatem labefacis ſi obijcias. Solus Filius æternus eſt naturalis imago: non ergo imago creata hominis: ſoluit enim adæquatè S. Bonauentura in 2. ſent. diſt. 16. art. 1. quæſt. 2. ad 3. Diuerſa nimirum eſt admodum, inquit,

hnius termini, ***Naturalis***,ratio, ſi de Filio Dei dicatur, & ſi de anima rationali creata: eo enim Dei Filius aſſeritur naturalis, & inde naturalis imago, quo & eſt connaturalis, & eiuſdem ſubſtantiæ cum Patre, & à Patre per modum naturæ procedens, genituſque Patri omnino ſimilis;animæ verò rationalis eo nuncupatur naturalis imago, quo ab initio à Deo ſic creata eſt,& eam conſecuta eſt naturam, vt cum ſuis congenitis proprietatibus apta nata ſit ad Deum repreſentãdum: eſt ergo anima ſecundum mentem &c. naturalis Dei imago.

Quarta particula, & *ſimilitudo*, quæ adhuc ſub gemina rarione debet cõſentaneè ſumi. Prima, qua naturalis eſt, & cum ſua imagine intrinſeca: eo enim eſt imago quo ſimilis, & eo exptеſſa imago, quo expreſsè ſimilis. His tamen interim obſeruatis, quæ in 1. csp. ex D. Bonauentura dub. 3. litt. diſt. 16. in 2. ſent. ex Magiſtro. & ex D. Thom. 1. par. quæſt. 93. art. 9.

Sed oculatè obſeruandum quod grauiſsimè admonnit S. P. Auguſtinns quæſt. 74. lib. 83. qq. non quamcumq; ſimilitudinem, etiam perfectam, eſſe de ratione imaginis, ſed eam dumtaxat, quæ eſt expreſſa ad repræſentandum, & ab eo, cuius eſt ſimilitudo. Quo fit (ſuperaddir idem S. Aug.) ouũ alteri ouo,licet adeo ſir ſimile,non eſſe eius imaginẽ,quia ab eo non eſt expreſſum,neq; originẽ ducit.

Secnnda vero ratio,gratuita, ſuperaddita, & ſupernaturalis, quam Theologi *creationis*, *& iuſtificationis* imaginem nuncupare conſneuerunt, qua anima per tres in primis à Deo cælitus receptas Theologicas virtutes, fidem,ſpem, & charitatem, Deo Optimo Max. vni & Trino reddita conformis, Dei ſedes, Dei facta capax. *Anima iuſti Sapientiæ ſedes*. Dei Templum: *Vos eſtis templum viuum SS.* Dei habirario ſtabilis. *Ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus*. Io: 14. Dei filia: *Videte qualem charitatem dedit nobis Deus, vt Filij Dei nominemur, & ſimus*. 1. Io: 3. Dei ſponſa. *Sponſabo te mihi in ſempiternum, ſponſabo te mihi in iuſtitia, & iudicio, in miſericordia, & miſerationibus* Oſe. 2. & fructuum ſanguinis Chriſti Saluatoris noſtri conſtituirur hęres, & Chriſti ipſius cohæres: *Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti* ad Rom. 4. ipſiuſmet Diuinæ cõſors naturæ effecta 2. Petri 1. Quæ omnia hæc ad hanc imaginis tationem ſpectare, apertiſsimè Diuinæ tradiderunt litteræ, ac in primis D. Paulus ad Rom. 8. *Prædeſtinauit nos conformes fieri imaginis Filij ſui*. 1. Corint. 15. *Sicut portauimus imaginem terreni, ſic portemus imaginem cæleſtis*. ad Coloſſ. 3. *Induites nouum, eum qui renouabitur in agnitionem, ſecundum imaginem eius, qui creauit illum*. Quæ poſtrema D. Pauli verba valde alludunt ad ea, quæ Gen. 1. *Creauit Deus hominẽ ad imaginem ſuam*. Robur ad hęc addunr inſigne SS. Patres, maximi ſemper ęſtimãdi. Magnus Gregorius lib. 1. in 1. Regum c. 3. *Imago, & ſimilitudo Dei eſt inclito odio malum odire, & amore perfecto Deum diligere*. D. Ambr. in Epiſt. ad Coloſſ. c. 1. 1. Cor. c. 15. *Ipſe ergo eſt creator hominis, cuius imaginem portare nos vult in ſanctitate, & bonis operibus*.

Quare nulla mihi poſſum ratione perſuadere, & hanc imaginis rationẽ à Spiritu S. illis verbis non fuiſſe comprehenſam. *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*: eo vel maximè ſi addantur tot pręclariſsimi Patres cap. ſuperiori recoliti, hanc commentationem profitentes, Origenes. DD. Baſilius. Ambr. Greg. Nyſſenus, Eucherius, Victorinus, Theodoretus, Rupertus &c. addita ex facto deducta ratione. Creauit Deus hominem ad imaginem nedum naturalem, ſed etiã gratuitã, ab initio, vel ſtatim poſt initium, nimirum in gratia & donis ſupernaturalibus: ergo quando ſtatuit illũ creare, illis verbis: *Faciamus hominem ad imaginem &c.* ſtatuit hoc modo creare, & illis verbis explicuit, quicquid ſit de ratione cõmuni, & ſignificatione in ſe illarum vocum, & ad inuicẽ connexione: quo ſenſu ſupra SS. Aug. & Cyrill. ſumendæ enim ſunt illo loco ad factum explicandum, quod facturus erat Deus omnipotens.

Quartum aſſertũ. Licet de rigoroſa imaginis ratione non ſit vt dicat, ſecumq; ferat æqualitatẽ cũ prototypo; non repugnat tamen, imò aliquando facto inuenitur: quod verum, intrinſecum, & inſeparabile, vt dicat conformitatem, imitationem, ſimilitudinem, & expreſſionem ex eo, & cum eo cuius imago eſt. Declaratur, ſimulque particulæ perſuadentur ſingulæ.

Prima quidem: nam primò non identitatem exigit, & vnitatẽ naturæ. Cõſtar in verbo mẽtis creatæ, quod eſt ſimilitudo, & imago obiecti expreſſa, alterius tamen, & prorſus diuerſæ naturæ ab obiecto. Secundò ex D. Thoma q. 93. ſiquidem in ſpeculo, & in tabula eſt imago, & ſufficit ad repræſentandum. Tertiò ex definitione ſtatim tradenda: eſt enim *ſimilitudo ad repræſentandũ*. Quartò. Animæ rationalis imago, de qua in præſentiarum agitur, & quæritur propria ratio, eſt de fide ad Dei imaginẽ, & tamen à Deo Opt. Max. infinitè diſtat, itidem de fide.

Secũda verò particula. Primò de imagine increata, & æterna, compertiſsimum, ac de fide, & oppoſitum contradictionem inuoluit. Filius enim, qui eſt connaturalis Patris imago, adeo ſimilis, & æqualis, vt eadem omnino & vnica ſir ipſius Patris eſſentia, & identitatis omnimodæ ſimilitudo. Secundò eodẽ D. Thoma teſte, & eodem loco, Filij hominum ſunt ſuorum Patrum expreſſa, & æqualis ſimilitudo.

Tertia autem particula egregie à S. Bon. q. 2. d. 3. in 1. ſent. Imago enim & ſimilitudo, inquit, viſa, debet in imaginati ita cognitionem ducere, vt viſa v.g. Petri imagine ſtatim cognoſcatur Petrus: hoc enim operatur & animæ noſtræ imago fide cognita, vt ſine mora Deum trinum & vnum repræſentet, & ob oculos fidei ponat, & huius rei gratia à Deo ipſo anima hac eſt inſignita imagine.

Quod ſi S. Aug. lib. 9. de Trinit. c. 4. & deinceps, hanc imaginis rationem nobis tradidit, vt ſit mẽs, notitia, & amor ſui, ita vt obiectũ imaginis ſit ipſa anima; & infra erit reſpõſio, & interim nunc quoq; reſpõdetur, hanc nõ eſſe potiſsimã, & principaliorẽ imaginis rationem, qua nimirum ſui parit cognitionem, & amorem, vt ipſemet S. patet admonnit, & SS. Bon. & Th. animaduerterunt: licet enim in ſe Di-

uinam

Digitized by Google

uinā præſeferat Trinitatem; non eſt tamen obiectū quod vltimatum, ſcilicet Deus, ſed quo, nimirum anima vt imago, quæ ducit in Deum triuum, & anima vt ſic cognita, & à ſe dilecta, adhuc eſt Dei capax.

Quarta denique particula iam ſupra explicata eſt.

Quintum aſſertum. Alia ratione ſumitur imago, vt fundamentum, materia, & radix. Alia, vt perfectam, & completam rationem obtinet imaginis. Fundamentum enim & radix eſt ipſa mens, & portio ſuperior ſubſtantialis animæ, nequaquam inferior, & ſenſus, de qua ſupra, & vberius infra. Et tum potentiæ, vt exeunt diſtinctæ, eo ordine quo ſupra, & fuſiori ſermone infra. Quibus poteſt anima Deum cognoſcere, & diligere, Deiq; capax eſſe. Formalis verò, & exactè perfectio eſt, qua ſimul ſub actibus ſuis immediatè erga Deum verſatur; & tunc exactiſſimè additis virtutibus gratuitis Theologicis. Tradunt vnanimi conſenſu omnes Theologi, ſimul cum S. Doctore. Ratio euincit. Deus Pater actu intelligit fœcundè in æternitate: Deus Pater, & Deus Filius actu fœcundè diligunt: ergo tunc anima verè, & perfectè ad imaginem, & ſimilitudinem Dei, quando vna cum potentijs diſtinctè actu de Deo cogitabit, ad Deumque verſa ipſum actu diliget, & quo perfectiori modo, Deo reddetur ſimilior.

Sextum aſſertum. Imago in creatura rationali eſt ſimilitudo naturalis, & ſubſtantialis, & etiam gratuita Dei vnius, & trini, diſtinctè ſecundum proprias, & conſubſtantiales potentias rationales, imitans, & repreſentans, ab ipſo tum in creatione, tum in recreatione expreſſa. Ex ante aſſertis liquidò conſtat, & ſatis perſuadetur.

CAPVT III.

De obiecto, & prototypo Imaginis animæ rationalis, an ſit præcisè Deus.

Explicatè S. Bonauent. in 1. Sentent. diſt. 3. quæſt. 2. par. 2. tradit, & probat eo expreſsè exiſtere hominem ad imaginem Dei, quo ad Deum actu verſus, Deum meditatur, Deum diligit, & tūc perfectiſſimè, cū fidei, ſpei, & charitatis habitibus imbutus Deum memoria tenet, intellectu fideli intuetur, dilectione charitatis ſuper omnia complectitur. Idque ferè ſic probat. Primò ex Diuo Auguſt. lib. 14. de Trinit. cap. 8. Eo eſt anima Dei imago, quo Dei ipſius capax, & particeps eſſe poteſt: ſed hoc tunc rectè fit, & eſt per ſolas ſuperiores animæ potentias, quibus tantum ad Deum aſſurgit, & Deum vtroque, intellectus, & voluntatis brachio complexa tenet: ergo. Deinde. Eo dicitur imago, quo ducitur in prototypum: ergo dumtaxat attenditur Animæ imago, quo ducitur in Deum per potentias Animæ rationales. Præterea. Virtutum fidei, ſpei, & charitatis Theologicarum Deus eſt immediatè obiectum; ſed per eas reperitur reformata, & perfecta imago: ergo & imaginis eſt obiectum. Mox ex quidditate, & ratione imaginis. Imago eſt conformitas ad imaginatum, & exemplar: ſed hoc fieri non poteſt, niſi dum anima per actus intellectus, & voluntatis ad ſeipſam reuerſa in Deum principalius fertur: ergo Deus eſt obiectum.

Superaddit Sanctus Doctor, inuenire quidem licere Trinitatem quandam in Animæ potentijs, etiam portionis inferioris, & ad inferiora conuerſis, nequaquam tamen imaginem, ex imaginis ratione iam indicata, quæ eſt expreſſa conformitas per actualem ad prototypum conuerſionem. Quod didicit ex D. Auguſtino lib. 13. de Trinit. cap. 20. in fine. *Quamuis in inferiori parte rationis Trinitas inueniri poſſit, imago tamen inueniri non poteſt.*

Conſimilia, & eadem S. Th. art. 8. quæſt. 93. Primò ex D. Aug. lib. 14. de Trinit. c. 11. *Non propterea eſt Dei imago in Anima, quia ſui meminit, & diligit, & intelligit ſe, ſed quia poteſt etiam meminiſſe, & intelligere, & amare Deum.* Secundò. Eo eſt Sanctiſsimę Trinitatis imago anima rationalis, quo Diuinas emanationes per notitiam à Patre, & per amorem à Patre, & Filio procedentes repreſentat; ſed Verbum naſcitur per notitiam, quam de ſe ipſo habet Pater, & amor procedit, vt ſe ipſos amant Pater, & Filius: ergo & Anima, vt ſit imago, & imitetur Deum, eique conformis fiat, debet de Deo cogitando Dei notitiam producere, & Deum amando Dei amorem ſpirare. Conſequentia inde conſtat: nam diuerſitas obiectorum diuerſas reddit ſpecies notitiæ, & amoris: ergo vt imago conueniat cum prototypo Deo, debet conuenire in ſpecie, & obiecto amoris, & cognitionis.

Et quod videtur ex D. Aug. opponi lib. 14. de Trinit. c. 8. *Mens dum meminit ſui, intelligit, & diligit ſe. Hoc ſi cernimus, cernimus Trinitatem, ſed nondum Deum, ſed imaginem Dei.* Sed hoc verè non opponitur: nam apertè teſtatur Sanctiſsimus Pater, tunc animam non ferri in Deum, dum ſe ipſam intelligit, & amat, nec adhuc circa proprium obiectū immediatè verſari. Deinde ipſum interpretatur Angelicus Doctor, dum ſe ipſam Anima cognoſcit &c. non eo fertur circa ſuum obiectum, ſed quo ſe ipſam vt Dei imaginem cognoſcit, qua in Deum eleuari apta ſit, ita vt Anima cognita à ſeipſa, & dilecta vt imago Dei, ſit potius obiectū quo fertur in Deum, quàm quod. En quam veram, & conformem tradant de imagine Theologiam vterque S. Doctor.

Sed hæc veritas efficaciùs confirmatur ex lectione ſuppoſita cap. 1. Sanctorum Patrum illorum verborum. *Ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram*, & eorum verborum etiam infra. *Creauit Deus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam.* His enim verbis Deus ſe expoſuit vnum, & trinum in creatione hominis, & conſtituit ſub vtraq; ratione obiectum, & per imaginem hanc ipſum hominem capacem vnitatis, et Tri-

nitatis Diuinæ effecit: ergo imaginis creatæ vnicum, vltimum, & adæquatum obiectum: ergo anima in vnitate eſſentiæ, cum tribus potentijs ad inuicem diſtinctis, eſt ſimul cum actibus ſuis imago, immediatè imitans, & tendens in Deum vnum, & trinum.

Confirmari iterum poteſt ex illo Euangelico præcepto homini impoſito, *de diligendo Deo toto corde, tota mente, & tota Anima*, eo vel maximè, quòd de imagine interpretatur S. Ambroſius cap. 2. libell. de dignitate conditionis humanæ, his verbis. *Licet vnius illa naturæ* (anima) *tres tamen habet in ſe dignitates, intellectum, voluntatem, & memoriam, quod idem, licet alijs verbis, in Euangelio deſignatur. Diliges Dominum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex tota mente tua, ideſt ex toto intellectu tuo, ex tota voluntate tua, & ex tota memoria tua.* Naturalis denique animæ rationalis in Deum tendentia, vt in quo vno quieſcere poteſt, obiectum requirit Deum.

Sed obſeruandum ex D. Bonauentura in fine corporis quæſtionis, & in reſponſione ad argumenta, & ex Diuo Thoma ad ſecundum. Imaginem in ipſa Anima, licet non ad Deum conuerſa, imò ad creaturas auerſa, adhuc inueniri, non tamen actu, ſed potius aptitudine, vt ad Deum reuerti, & conuerti poſſit, & ex D. Auguſtino ibi recenſito, licet Anima Dei imago ſit dum ſe ipſam nouit, & amat, completiſſimam tamen rationem imaginis in eo ſitam, dum Deum nouit memora, & diligit. Vbi ſecundo loco grauiter animaduertunt, per quodcumq; turpiſſimum delictum perpetratum contra Origenem, & Hereticos præcipuè huius ſæculi, non aboleri radicitus, neque tolli, ſed deturpari imaginem naturalem: ratio poteſt reddi duplex, altera, quia dona naturalia per culpam non corrumpuntur, nec tolluntur, quod in primis in materia de Angelis tradunt Theologi, dum Dæmones in naturalibus peccando non eſſe deteriores redditos aſſeuerant. Altera præſertim ex D. Bonauent. in 2. Sentent. Idoneitatem hominis ab bonum eſſe quodammodo infinitam, vt per quodcumque etiam repetitum delictum in hac vita, nunquam extingui poſſit, ſed in eo ſemper remanet ad conuerſionem potentia, & aptitudo: hoc enim eſt eſſe ad imaginem, ſcilicet adhuc Dei capacem; quod idem alibi S. Thomas, dum grauiter docet, hominem in hac vita ſemper poſſe ſalutem conſequi, ad fidem ſpectare. Supernaturalem verò gratiæ, & virtutum imaginem per oppoſita delicta tolli, & abſolutè amitti, vnanimi conſenſu Theologi tradunt.

CAPVT IV.

De ſubiecto eiuſdem imaginis, & natura, in qua inuenitur.

QVærimus hic quibus competat imaginis vera ratio, quod lata voce nominauimus ſubiectum, nimirum præcisè, an homini dumtaxat, & homini viro, aut etiam fortaſſe mulieri, vel ſi vtrique; an ſimul & Angelo. Quod ſi homini, qua tamen hominis parte, in ſolane animæ portione, & ſubſtantia ſuperiori, an forſan etiam in corpore? Et quidem egregiè S. Thomas art. 2. relatæ quæſt. 93. primò ex Diuo Auguſtino 6. ſuper Gen. ad litt. *Hoc excellit in homine, quia Deus ad imaginem ſuam fecit illum propter hoc, quia dedit ei mentem intellectualem, qua præſtat pecudibus*, & lib. 83. qq. quæſt. 51. in medio. *Creaturæ, quæ ſapiunt, ita ſunt Deo ſimilitudine propinquæ, vt in creaturis nihil propinquius*. Hinc ratio deſumenda. Imago eſt quædam in natura rationali ſimilitudo expreſſa ſecundum illam ſpeciem, in qua eſt: ſed nulla creatura irrationalis imitatur Deum ſecundum propriam Dei ſpeciem, & naturam, nimirum intellectum, & voluntatem, ſicuti facit rationalis, intellectiua, & liberæ voluntatis: ergo non illa, ſed iſta eſt imagine Dei inſignita: Anima enim rationalis vt ſic aſſimilatur Deo; tum penes Dei, tum ſui propria, hoc eſt vim intellectiuam.

Artic. autem 3. multo magis, & perfectius in Angelo, quàm in homine, huius imaginis rationem inueniri aſſeuerat. Primò ex homil. 34. D. Greg. qui Angelum, ait, ſignaculum ſimilitudinis ideo dici, quia in eo Diuinæ imaginis ſimilitudo magis inſinuatur expreſſa; & ratio ſuadet: ſi enim penes portionem imaginis, hoc eſt vim intellectiuam verſetur res, certum eſt eo perfectiorem in ſe ferre Dei imaginem Angelum homine, quo nobilioris, & perfectioris naturæ intellectiuæ eſſe compertum eſt.

Et artic. 4. Imaginis dignitatem à Diuina largitate vniuerſæ rationalium ſpeciei elargitam eſſe, luculenter ediſſerit, nimirum omnibus Angelis, & hominibus vtriuſque ſexus, viris, & mulieribus, hac in primis reuincenti ratione: vtraque enim naturæ rationalis ſpecies, & ſingula in his indiuidua conſtant naturali intelligendi, & diligendi Deum facultate, & apta nata ſunt in Deum eleuari, Deum capere, Deo frui, in Deo Optimo Maximo beari; quod de vtroque ſexu humano, Diuinæ reſtantur litteræ. Gen. 1. *Creauit Deum hominem ad imaginem ſuam: ad imaginem Dei creauit illum.* Quis verò ſit hic homo, ſtatim explicat, *Maſculum, & fæminam creauit eos*: ſic hunc locum obſeruant, & probant S. Auguſt. 12. de Trinit. cap. 7. S. Baſil. 10. homil. Examer.

Hanc vocem *Dei*, ſi de imagine naturali præcisè fiat ſermo, Deum vnum & trinum interpretari neceſſariò tenemur, ex primo cap. explicatis: ſi verò de ſupernaturali, & gratiarum donis, quibus ab initio auctus eſt homo, & ideo per multos Patres ad ſimilitudinem creatus præſertim dicitur, *Chriſtum*, qui eſt Deus, admodum idoneè accipimus: hoc enim eſt, quod Romanorum 8. aſſeritur. *Quos præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imaginis Filij ſui*: & ita Sanctus Cyrillus lib. 1. contra Iulianum. Sanctus Hilarius.

Theo-

Digitized by Google

Theodoretus, & hos imitatur Franciſcus Aretinus hic.

Sed circa eadem verba oculatè ſpectandum, dum Deus maſculum, & fœminam creaſſe affirmatur, non propterea quis decipiatur, credens creatos eſſe ſimul, quaſi vera, & orthodoxa non ſit hiſtoria, ſed allegoria, ex prius creato Adamo eductam poſtea fuiſſe Euam, ſicuti explicatiſsimè in diuina enarrat hiſtoria Propheta Moyſes. Eſt certa, & neceſſariò profitenda ſententia, non ſimul, ſed ſucceſsiuè à Deo creatos Adam, & Euam, eo modo, quo Diuinæ teſtantur litteræ, vt Alphonſus de Caſtro contra Hæreſes, verbo *Adam*, oppoſitum ſentire, eſſe hæreſim ſolidè prodiderit.

Illam denique vocem, *Hominem*, creauit hominem, veritate conuicti, non pro idea hominis abſtracti, & vniuerſalis, qui ſit cauſa, & exemplar ſingularium hominum, vt ex Platone voluit Philo, ſed pro Adamo, & Eua, indiuiduis hominibus, & pro ſingulis ab eo naſcendis, quorum animus Diuina imagine ornatus à Deo tunc creatus, & ſingulis diebus creantur, interpretari cogimur.

Hæc eadem, quæ S. Thomas huculque vberrimè, & fortaſſe vberius S. Bonauentura, tum 1. ſentent. diſt. 3. tum 2. ſent. diſt. 16. per eruditiſſimas quæſtiones ſolidè ſcriptis committit: prima enim & 3. quæſt. ſolum hominem Dei expreſſam habere imaginem, nequaquam irrationales creaturas, plurimis quidem locis, & rationibus oſtendit, ſed ea in primis ex D. Auguſt. 14. de Trinit. cap. 8. *Eo eſt anima imago Dei, quo eius capax eſt, & particeps eſſe poteſt.* Propterea enim, deducit S. Bon. Dei, anima eſt capax, quia ex ſui creatione ad Deũ vllo abſque medio interpoſito ordinatur, ac dirigitur, & nata ei configurari, expreſsèq; ſimilem reddi, tum in vnica natura, & ſubſtantia ſpirituali, & immortali, in trinitate potentiarum conſubſtantialium, penes earum ad inuicem ordinem, & originem, tum in ſuperaddita ab initio gratia ſanctificante.

In ſecunda verò diſtinctim præclarè monumentis tradit, animam formam naturalem, per potentias ab anima exeuntes naturales, ex Diuo Damaſceno lib. 1. de fide orthod. cap. 17. referri ad Diuinum prototypum, Deumque, vt vnum, & trinum repræſentare: ad hoc enim à Deo creata eſt, & hoc ornamento inſignita, non ſicuti accidenti, ſed naturali inſeparabili proprietate. Hac tamen grauiſsima addita animaduerſione, mente ſemper meditanda: nam quamuis ſit anima Dei naturalis imago, vt etiam explicatiſsimè in 3. ſentent. diſt. 2. non eſt tamen Deo connaturalis, neque cum Dei natura conuenit, nec conſubſtantialis, ſed imago Dei in anima tanquam in extrinſeca natura, velut in tabula picta.

Articulo verò ſecundo per tres quæſtiones eadem diſtinctione idem S. Doctor exquiſitè, quod abſolutè docuit, incipit ad inuicem comparare, & omni ſolertia indagare; in qua natura ſcilicet viri, & vxoris, & Angeli, excellentius, & perfectius inueniatur imago. Et in homine, qua parte ipſius, nimirum an in tota anima, an dumtaxat in mente rationali, à Deo Optimo Maximo in creatione poſita ſit. Quod ſi in ſola mente, cum inueniantur ibi tres potentiæ, quæ omnes neceſſariò requiruntur ad imaginem veluti componendam, & conſtituendam; in qua potiſsimum ex ijs conſtituta inueniatur.

Ab eo exordiamur, & ſolerter veritatem explicemus, an in ſola anima: non enim primò in ſola mentis portione videtur expreſſa ratio imaginis, ſed & in re corporea reperiri, viſi ſunt docuiſſe Sancti Patres: Diuus enim Iuſtinus in expoſitione fidei de Trinitate: *Sicut Adam, quamuis non eodem, quo ipſius poſteri modo genitus, tamen communem cum eis habet eſſentiam, ſic nulla ratio cur propter ingeniti nomen diuellatur eſſentia communis Patri, Filio, Spirituique Sancto. Itaque voces hæ, ingenitus, genitus, procedens, non eſſentiam, ſed ſubſiſtentias ſignant:* ac ſi dixiſſet. In Adamo ingenito, in filio genito, in Eua, licet non genita, tamen in eadem natura humana procedente, figurantur Pater, Filius, & Spiritus Sanctus in eadem natura Diuina. Vt in Adamo, primo, & ingenito, Pater; in Eua ab vno procedente, Filius; in filio Adæ ab vtroque parente deſcendente, Spiritus Sanctus à Patre, & Filio, non variata natura: ergo in corporalibus Sanctiſsimæ Trinitatis imago. Eadem multa energia exaggerat D. Nazianz. orat. 37. quæ eſt quinta de Theologia, vbi tandem: *Eua, & Seth nonne ex eodem Adamo ſunt? ex quo enim alio? Vtrum autem ambo ex eodem geniti ſunt? minimè: quid ergo? Altera ſegmentum eſt, alter Filius? atqui ambo inter ſe idem ſunt: homines enim: nemo eſt qui inficietur. Deſine igitur aduerſus ſpiritum dimicare, quaſi videlicet aut genitus omnino ſit, aut conſubſtantialis non ſit.* Eadem idem Pater orat. 35. eadem S. Gregorius Nyſſenos epiſtola aduerſus Apollinarem, ex quæſtionibus de imagine; & eodem exemplo illorum trium hominum Sanctiſsimam Trinitatem nobis ob oculos ponit. D. Damaſcenus lib. 1. fidei. c. 9. *Sicut Adam ingenitus eſt: Plaſma enim Dei eſt, Seth genitus: nã Filius Adam, Eua ex coſta Adami procedens: non enim ipſa genita eſt, nec ipſi natura differunt ad inuicem: homines enim ſunt, ſed ſubſtantia modo:* ita Diuinæ perſonæ &c. egregiè idem proferunt D. Athanaſius dialog. 2. de Triuit. contra Anomæum. D. Cyril. lib. 2. theſauri cap. 1. & 2. & lib. 7. D. Anſelmus fuſo ſermone de Incarnatione Verbi cap. 6.

Neque detrahendum eſt huic Sanctorum Patrum trium hominum exemplo, quo tres homines non in eadem natura indiuidua conueniant, ſed dumtaxat in ſpecifica, quaſi faueant Arrio conſtituenti naturam Filij diſtinctam abſolutè à Patre, & neganti Filium Omouſion, ſicuti multis poſt temporibus ad hunc hæreticum ſenſum hoc idem exemplum trium hominum quidam perditiſsimè aſſumpſerunt; ſed non detrahendum inquam: hoc enim vnum ſpectabant illo exemplo Patres, vrgere æqualitatem perſonarum, & realem diſtinctionem, ſicuti tres homines, nihil agentes tunc de identitate naturæ numerica, præſtaturi egtegiè alijs locis opportunè.

In corpore quoque humano Dei imaginem exiſtere,quo eſt erectæ ſtaturæ, ſecundum quam animæ rationali congruit vt in Cælum ſemper erecta ſit, docuir D. Auguſt. lib. 6. de Gen. ad litteram cap. 12. & lib. 1. contra Manichæos cap. 17. Confirmari poteſt primò ex ijs Diuinarum Litterarum locis, quibus Filius Dei brachium dicitur Patris, Spiritus verò Sanctus digitus. D. enim Hieron. in 12. cap. Matth. *Si igitur manus, & brachium eſt Filius &c.* præterea D. Ambr. in Symbolum Apoſtolorum. *Si quatuor ſubſtantiæ, atra bilis, flaua, ſanguis, & flegma, hominem conſtituunt, & his vnus eſt homo, tu in vnitate Trinitatem, & in Trinitate vnitatem, quomodo non intelligis?* Tertiò ex ijs Patribus, qui colligunt imaginem hac ratione. Sicut anima eſt tota in toto, & tota in ſingulis partibus corporis, ita Deus totus in Mundo indiuiſibiliter, & totus in ſingulis creaturis. Denique D. Cyrillus lib. 9. cap.44. in 20.cap. Ioan. in illa verba. *Inſufflauit, & dixit: accipite Spiritum Sanctum. Propterea*, docet, *Chriſtus corporaliter inſufflauit, oſtendens hoc ſigno, quemadmodum corporaliter ab ore hominis procedit flatus, ſic ex Diuina ſubſtantia congruenter Spiritus, qui ab ea eſt, profunditur*, quod eo vehementius videtur perſuaderi, quo SS. Iuſtinus in expoſitione fidei. Nazianz. orat.44. Iren. lib.3. c.19. & alij, verba illa: *Spiritu oris eius omnis virtus eorum*, interpretantur de Spiritu Sancto: ergo non in præciſa mentis, & ſpiritus ratione, ſed etiam in rerum corporearum natura ſubiectatur imago. Non deeſſent alia innumera Sanctorum Patrum ſupra relataq;, de igne, fonte, Sole, &c.

Sed hæc paucis expeditur oppoſita harum ſimilitudinum Sanctorum Patrum dubitatio: laxiori enim voce hęc relata exempla nuncupata ſunt Dei imagines, loco veſtigij, & aliqualis ſimilitudinis: ſi tamen in his inuenitur vllo loco poſita vox *imago*, & conſtat ex tradita ſupra ab omnibus DD. & multis Patribus de imagine Theologia, præſertim cap. 1. & 2. vbi præſertim creaturam rationalem eſſe conſtitutam ad Dei imaginem penes propria, & ſpecifica ſuæ naturæ, non generica, ſcilicet penes mentem rationalem cum reliquis expreſsionis, & originis &c. requiſitis, demonſtratum eſt: ergo in mente, & portione ſuperiori, & incorporea, nequaquam in corporea ineſt imago.

Verum in qua potius rationalium potentiarum; intellectuſne an voluntatis, nunc breuibus diſquirendum, præſertim ex S. Doctore diſt.16. in 2. poſtrema quæſt. qui tandem aſſerit. Sub gemina ratione imago vſurpari poteſt, vel creationis, & naturalis, vel recreationis, et gratuitæ. Si ſub ratione prima, tunc magis expreſsè in intellectu, quàm in voluntate videtur exiſtere; ſub ſecunda ratione, magis in voluntate. Vtraque aſſerti pars perſuadetur à S. Doct. Primæ partis has reddit rationes: primam, locum D. Auguſtini. *Imago eſt in potentia cognoſcendi* (principalius) *ſimilitudo in potentia diligendi* (eodem modo). Secundam. Per prius competit Verbo æterno, quod ad notitiam ſpectat imago: ergo et in creatis in primis ad potentiam cognoſcentem congruit. Tertiam. Tres ſunt animæ potentiæ, memoria, intellectus et voluntas, in quibus expreſſa eſt imago: ſed duæ ex ipſis ad cognoſcentem: memoria enim eſt idem cum intellectu, duas potentias complectente: ergo.

Secundæ verò partis hæc eadem eſt oppoſito modo. Reformatur per tres virtutes Theologicas imago: ſed ſpes, et charitas ad voluntatem, ſola fides ad intellectũ attinet: ergo. Præterea. Gratia, qua anima induit nouum hominem vetere depoſito, nouaque imagine decoratur, et Deo redditur ſimilis: ſed hæc in voluntate reſidet: ergo.

An vero in muliere, et quomodo, maior videtur inſurgete dubitatio propter ſummam D. Pauli auctoritatem 1. Corint. 11. *Vir imago, & gloria Dei eſt; mulier autem gloria viri eſt*. mulier ergo non Dei imago videtur aſſertum. Augent dubitationem verba gloſſæ, quæ ſunt D. Ambroſij in epiſt. 1. Corint. cap. 11. *Vir ad imaginem Dei factus eſt, non mulier*: quod confirmaſſe & Diuus Chryſoſt. hom. 8. in Gen. viſus eſt, & Theodoretus ſupra relatus, aſſerens Scripturam non docere, mulierem eſſe ad imaginem Dei, ſed virum: ſed ſi omnium Theologorum tradita Theologia vera eſt, penes animæ mentem, memoriam, intellectũ, & voluntatem, & Dei capacitatem, imaginis rationem reſidere, hæcq; eadem habere & mulierem, eamque Chriſti ſanguine redemptam, poſſe beatitudinem conſequi; mulieri fideliter imaginis decor, & ſpecies naturalis, & ad ſupernaturalem aptitudo equidem negari non poteſt, ſicuti neque viro.

Imò S. Bonauentura. Beatiſſimam Mariam dominam noſtram magis ad Dei imaginem fuiſſe, quam Angelum vllum, vllumq; virum, viſus tradidiſſe in hac quæſtione.

Neque D. Pauli locus obeſt, neq; gloſſæ Patrum, ex euidentia contextus, & ex ipſorum Sanctorum Patrum interpretationibus. Subdit ſtatim Diuus Paulus: *non enim vir ex muliere, ſed mulier ex viro eſt. Etenim vir non eſt creatus propter mulierem, ſed mulier propter virum*; quibus clariſſimè D. Paulus ſeipſum expoſuit, qua ratione mulier dixerit non eſſe imaginem Dei, ſed virum, hac nimirum in primis, quia vir præſidet mulieri, non mulier viro: mulieris enim caput vir, non vice verſa. Sub hac ergo ratione mulier non imago Dei, ſcilicet non præſidet viro. Eidem D. Paulo inhærentes relati Patres ad phraſim Apoſtolicam locuti ſunt, ſed pariformiter ad ſententiam. Eapropter D. Ambroſij gloſſa ſtatim addit: *vir eſt imago Dei, quia ſicut ex Deo ſunt omnia, ita ex Adam omnes homines. Præterea ſicut Chriſtus præeſt, & regit Eccleſiam, & Eccleſia ſubſeruit ei, ita vir præeſt, & regit mulierem*. Eadem prorſus, & fortaſſe clarius D. Chryſoſt. *Vir imperat, mulier autem ſubiecta eſt. Itaque quoniam iuxta rationem dominij, non forma, ad imaginem factus eſt; ideo vir dominatur omnibus, mulier autem ſubiecta. Quocirca de viro* S. Paulus, *quod imago, & gloria Dei eſt, mulier autem viri, quod ſi de forma, vel figura dixiſſet, non vtique ea dixiſſet*: qua Commen-

men-

Digitized by Google

mentatione, quis vnquam pro hac re expreſſiorem & apertiorem componere potuiſſet?

Eadem in atomo Theodoretus. *Mulier non dominatur, ſed habet virum pro capite, quæ tamen reliqua ſub poteſtate tenet, vir autem non ſubiectus eſt mulieri: unde rectè D. Paulus, ſolum virum eſſe imaginem Dei, & gloriam, mulierem autem gloriam viri*: quos omnes ſequitur D. Thomas in reſp. ad primum. Quod ſi addit Theodoretus, Diuinam Scripturam non teſtari de mulieris imagine; reſpondemus primò, non eſſe conſecutionem efficacem ſæpe ex negatione præcipuè Scripturæ: ſecundò dicimus teſtari Gen. 1. vt hac eadem. quæſt. ex Patrum huius loci commento notamus.

Inde optimè omnes Theologi, quo ad eſſentialia imagini æque mulierem ac virum eſſe ad imaginem; quo vero ad quædam accidentaria, nequaquam. Verborum D. Pauli aliam allegoricam explicationem adhibet D. Aug. quam refert, & ſequitur D. Bon. ad argumenta. De Angelis vero, videtur S. Bon. à communi ſententia & S. Th. diſcedere, ſed verè non diſcedit: hæc enim diſertè ediſſerit.

Primum, Quo ad ordinem in Deum exemplar immediatum, & Dei eſſe capacem, æque Angelus & homo ſunt ad Dei Imaginem, vt ex natura ſua Angelus non immediarius in Deum dirigatur: eodem enim modo & hominis eſt Deus finis primo, ſicut & Angeli: neque hoc ſenſu magis & prius eſt capax Angelus quàm homo. Ad Abraham Deus iam dixit: *ego ero merces tua magna nimis* Gen. 15. De homine explicatè ſancitum eſt: *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram* Gen. 1. Ad diſcipulos ſuos Chriſtus Ieſus dixit. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego* (non alius) *reficiam vos* Matt. 11. Eleuari poſſunt homines ſuper Angelos, & aptitudinem, & capacitatem habent; & de facto certiſſimum eleuatam Sanctiſſimam Matrem: canit enim, & celebrat catholica Eccleſia. *Exaltata eſt Sancta Dei genitrix ſuper choros Angelorum ad cæleſtia regna*. Et ipſe S. Bonauentura, tantam gratiam Angelis ab initio largitam eſſe, quanta eorum fuit capacitas.

Secundum in reſponſione ad vltimum. Latitudinem cordis, & capacitatem Angeli eſſe latiorem, & capaciorem capacitate animæ rationalis; æquari tamen poſſe animam Angelo; eoque vt excedat, per conceſſum à Deo donum gratuitum.

Tertium. Angelum hominem excedere in præſidendi ratione; nam nedum mundo, ſed ipſi homini certò præſidet: hominem vero Angelum anteire in mundo creato ratione finis: magis enim propter hominem, quàm propter Angelum creatum eſſe liquido inde colligitur, homini ſiquidem, non Angelo, creatum mundum elargitus eſt Deus Gen. 1. *Creſcite, & multiplicamini, & replete terram, & ſubijcite eam, & dominamini piſcibus maris, volatilibus cæli, & vniuerſis animantibus, quæ mouentur ſuper terrã: ecce dedi vobis omnem herbam afferentem ſemen ſuper terram, & vniuerſa ligna, quæ habent in ſemetipſis ſementem generis ſui, vt ſint vobis in eſcam*.

Obſeruant Patres, & perpulchra docent etiam ad mores inſtruendos. Primò. Homini donatum mundum, & hominem conſtitutum verticem, finem, & dominum, DD. Ambroſius Epiſtola 34. ad Horont. *Sexta die creauit Deus hominem, & vt principem vt in omni ornatu, ſuppellectili, ſeruitio, inſtructã ornatamq; regiam, introduxit in hunc mundum.* Nazianz. Orat. 43. Nyſſenus lib. de Opificio hominis. Secundò, huius Macrocoſmos, & immenſi regni dominij, & poſſeſſionis, duo ſigna, & argumenta referunt, primum D. Aug. ex elementis, & litteris, quibus componitur, & conſtat nomen *Adam*, tractatu 9. in Io: quatuor enim mundi plagæ per ſui initiales litteras in nomine Adam, Idiomate græco, inquit, continentur: Oriens enim à græcis Anatoli, ecce A. Occidens, Diſis, ecce D. Aquilo, Arctos, ecce A. Meridies, Meſimbria, ecce M. & inde Adam, vt ex Adam naſcituros homines, qui & orbem replerent, & orbis poſſeſsionem acciperent, terramque omnem ſubijcerent, tanquam Adami filios, & hæredes, ſignificaretur.

Secundò. Ideo cuncta animantia per Angelos deducta ad Adami tribunal, vt quaſi eum Dominum agnoſcerent, ei præſtarent obſequium, & ab eo inde nomen proprium acciperent. D. Ambroſius de more elegantiſsimè, & vberi cordis affectu meditatur initio lib. 6. Exameron. *Videbatur Elephante nihil habere natura procerius, atque robuſtius, nihil Leone terribilius, nihil ſæuius Tigride: verum hæc ſeruiunt homini, & naturam ſuam humana inſtitutione deponunt: obliuiſcuntur, quod nata ſunt: induuntur quod iubentur: quid multa? docentur vt paruuli, ſeruiunt vt famuli, adiuuantur vt infirmi, verberantur vt timidi, corriguntur vt ſubditi: in mores tranſeunt noſtros, quoniam motus proprios perdiderunt*.

Tertiò, ex poſtremis verbis communior orta eſt Patrum, & Doctorum ſententia, exceptis paucis quibuſdam recentioribus, Caietano, Victoria, & Soto, quos citat Pererius tom. 2. fol. 322. Homines vſque ad diluium adeo frugales, & abſtinentes in cibis fuiſſe, vt carnibus, & vino nunquam veſcerentur, ſolis herbis, & fructibus ſe ipſos nutrientes, non tantum ob aliquod expreſſum à Deo receptum præceptum, ſed magis ob quandam religionem, qua carnium & vini vſum nunquam admiſerint, quia expreſſam de his conceſsionem non receperint, donec poſt diluuium conceſſerit Dominus Gen. 9. *Omne, quod mouetur, & viuit, erit vobis in cibum, quaſi olera virentia tradidi vobis omnia*. Nimirum, ſicuti initio mundi tradidi vobis olera, nunc eadem libertate concedo, & trado vt paſcamini carnibus, quemadmodum aliàs herbis. Egregiè D. Chryſoſt. & Theodoretus notant, domus, & deſcendentes Seth ante diluuium nunquam comediſſe carnes, non ex præcepto, ſed ex religione, & pia animi deuotione; longiori tamen vixiſſe ætate, vt non carnis abundantia, ſed parſimonia diuturniorem protrahat vitam: canoro, & veridico canit, & modulatur metro Boetius 2. de conſolatione philoſophiæ.

Fe-

Digitized by Google

Felix nimium prior ætas
Contenta fidelibus arvis,
Nec inerti perdita luxu
Facili quæ ſera ſolebat
Pecunia ſoluere glande.

Non negat tamen Sanctus Bonauentura, neque negandum exiſtimo, vt in eadem ſpecie imaginis, quæ æque immediatè ad Deum ordinata, & creata eſt, quin poſsit melius, nobilius, & excellentius Angelus repræſentare Deum, quàm homo, quemadmodum nobilior & natura; ſubtiliori cognitione Diuina introſpicere, efficaciori amore Deo adhęrere: ita gloſſat oppoſita argumenta S. Thomas, ita concedit S. Bonauentura ad argumenta, potentias Angelorum concedit eſſe viuaciores, quàm in homine, magis Deo similẽ Angelum denique admittit, non tamen magis ad imaginem (magis immediatè in Deum tendere): nobilior ergo eadem imago in Angelo.

Sic profectò profitendum: ſic enim vetuſtiſſimi & Sanctiſſimi Patres docuerunt, S. Cyrillus (licet ſub alia ratione) lib. aduerſus Antropophor. *Si ergo ratione figuræ, quam virtutes nobis conciliant, eandem cum Deo formam nacti ſumus; ineſt autem hoc etiam Angelis ſanctis: & quidem ita ineſt, vt nos cum ipſis conferri nequeamus, nequaquam arduum intellectu fuerit, quod etiam omnis creatura intellectu prædita per ſanctificationem, & iuſtitiam, atque adeo per omnem virtutem, eandem cum Deo formam conſequatur: ſi enim nobis, qui humi verſamur, Diuina, & ſupermundana pulchritudo quadrat, quo pacto non potius ſuperis poteſtatibus, in quibus requieſcit Deus?*

Eadem non minori pondere, & auctoritate D. Greg. ſupra relatus lib. 32. Moral. cap. 18. in illa verba, *Tu ſignaculum ſimilitudinis &c. de ſigillo annuli talis ſimilitudo imaginaliter exprimitur, qualis in ſigillo eodẽ eſſentialiter habetur. Et licet homo ad ſimilitudinem Dei creatus ſit, Angelo tamen quaſi maius aliquid tribuens, non eum ad ſimilitudinem Dei conditum, ſed ipſum ſignaculum Dei ſimilitudinis dicit.*

Eadem & nobiliori phraſi D. Dionyſius Areop. cap. 4. de Diuinis nominibus. *Imago Dei eſt Angelus, manifeſtatio inuiſibilis lucis, ſpeculum purum, nitidiſsimum, incoinquinatum, ſuſcipiens in ſe totam (ſi fas eſt dicere) pulchritudinem diuinæ ſpeciei, præclarè &c.* quibus expreſſiorem, pulchrioremq; imaginis rationem videtur perſuadere.

Ergo Angelus & homo in imaginis ratione penes aliquam rationem æque ſplendent imagine naturali, penes aliquas alias magis homo penes alias magis Angelus: hoc ſemper addito, ſicuti nobilior Angeli natura, nobilior quoque Angeli naturalis imago, per potentiarum naturalium, voluntatis, & intellectus nobiliores operationes. Ita communis Theologorum ſententia.

CAPVT V.

De extremo diſcrimine, & maxima differentia inter æternam Filij Dei Patris, & creaturæ rationalis imaginem.

NIhil minus æternæ Filij Dei, maximè propriæ, ſubſtantialis, & adæquatiſsimæ imaginis veritati detrahere poteſt, aut vllius dubitationis vmbram offundere, quàm imago creata, vt ferè pudeat hanc comparationem in medium referre: vt tamen quanta inter vtramque imaginem iaceat diſtantia conſpicuum ſit, & quàm ex Diuino textu ſupra 1. cap. per Patres explicato, vlla abſquè vi deducatur, & quàm impiè Arrius, & inſulsè, Diuinæ imagini blaſphemandæ ſumpſerit occaſionem, vt obſeruauit D. Chryſoſt. hom. 2. in primum cap. Epiſt. ad Hebr. hæc obſeruanda duxi.

Primò ex Diuo Bonauentura 2. ſent. diſt. 16. dub. 5. litterali, vbi cum Sancto Thom. art. 1. ad 3. Imaginem, de increata, & creata analogicè prædicari ſtatuit, & valde nobilius, & prius de æterna, quàm de temporanea; rationem tamen imaginis etiam creatæ conuenire, ex omnib. hucuſque explicatis. Nunc Analogia hæc exponenda, & primò ex iam expenſo oraculo: *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram*, & ferè ſtatim: *Creauit Deus hominem ad imaginem ſuam*. Creata ergo, & facta hominis imago à Deo extra ſe in tempore, vt mera ſit creatura, quemadmodum & homo; Filij verò æterni imago non facta in tempore, & extra in aliena natura, ſed intra in eadem Patris eſſentia nata, & ab æterno genita. *Non factus, nec creatus, ſed genitus*. Quibus conſequitur clariſsimè quod eruditè admodum Sanctus Bonauentura notauit, eſſe quidem animam rationalem ex natura ſua, & ab initio creationis, ad Dei vnius, & Trini imaginem naturalem, neque tamen Deo Patri connaturalem, ſicuti verè Filij Dei imago eſt; ſed ſi connaturalis: ergo & ſubſtantialis, homouſio, coæqualis, coæterna, infinita, comprehenſiua, ſicuti Verbum, hoc eſt adæquatiſsimè expreſsiua Patris ex Patre.

Magiſter ſentent. diſt. 3. in 1. explicata imaginis ſimilitudine cum prototypo, ad quod creata eſt; aggreditur quoquè quàm ſit pariter diſsimilis explicare, præſertim ex Diui Aug. locis. *Caueat*, Inquit, 15. de Triuit. cap. 20. *ne hanc imaginem ab eadem Trinitate factam, ita ei comparet, vt omnino exiſtimet ſimilem, ſed potius in qualicumque iſta ſimilitudine magnam quoque diſsimilitudinem cernat.*

Prima ergo diſsimilitudo ex eodem D. Auguſtini loco cap. 22. Nam hominis imago eſt habens iſta tria, nimirum memoriam, intellectum, & voluntatem, nec eſt memoria, nec intelligentia, nec dilectio, ſed hæc habet. Vnus ergo homo eſt, qui habet hæc, non ipſe eſt hæc tria. In illius ergo ſumma ſimplicitate naturæ, qua Deus eſt, quam-

uis

nis vnus ſit Deus, tamen tres perſonæ ſunt, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus; & hæ tres vnus Deus. Aliud eſt itaque Trinitas, res ipſa, aliud imago Trinitatis in re alia: propter quam imaginem, illud, in quo ſunt hæc tria, imago dicitur, ſcilicet homo; ſicuti & tabula, in qua eſt imago, dicitur imago propter in ea imaginem.

Altera grauis diſſimilitudo eſt, quæ ab eodem Sanctiſſimo Patre cap. 23. in medium affertur, & ab eodem Magiſtro refertur. Homo habens illa tria, vna perſona eſt, illa verò Trinitas non vna perſona eſt, ſed tres perſonæ, Pater Filij, & Filius Patris, & Spiritus Sanctus Patris, & Filij. Itaque in iſta imagine Trinitatis non hæc tria vnus homo, ſed vnius hominis ſunt. In illa verò ſumma Trinitate, cuius hæc imago eſt, non vnius Dei ſunt illa tria, ſed vnus Deus, & illæ tres perſonæ, non vna perſona: illa enim tria non homo ſunt, ſed hominis ſunt, vel in homine ſunt. Sed numquid poſſumus dicere Trinitatem ſic eſſe in Deo, vt aliquid Dei ſit, nec ipſe ſit Deus? abſit, vt hoc credamus, abſit credere, ac dicere in Filio eſſe imaginem ita vt aliquid Filij ſit, non ipſe Filius. Dicamus in mente noſtra imaginem Trinitatis ita, ſed exiguam, & qualemcumquè eſſe, quæ ſummæ Trinitatis ita gerit ſimilitudinem, vt maxima ex parte ſit diſsimilis.

Ergo in ſumma ſimplicitate tum eſſentiæ, tum perſonarum, Imago eſt ipſiſſimus Filius, & Trinitas ipſiſſima eſſentia, ipſiſſimæq; perſonæ, vt lõgè abſit omnis compoſitio: In homine verò vehementer componar, & accidentariè etiam componat: actus namquè notitiæ, & amoris accidunt ſuis potentijs. Potentiæ quoquè cum eſſentia animę, licet in via S. Bonauentura, & Scoti non differant ſecundum ſubſtantiam, differunt tamen plurimum: quibus quàm diſſimilis imago hęc ab illa Diuina, ſatis conſtat.

Annexum verbum in themate propoſito: *Faciamus &c.* hoc idem totum manifeſtè indicat, nimirum *Ad*. Faciamus hominem ad imaginem: hæc vocula *Ad* fœcunda ſignificatione. *Solus Chriſtus plena imago*, vt loquebatur S. Ambroſius ſupra cap. 1. *propter expreſſam in ſe Paternæ claritudinis vnitatem*. Iuſtus autem homo ad imaginem Dei eſt &c. & D. Aug. eodem cap. relatus, hominem, quoniã imperfectè refert ſimilitudinem Dei, ideo non dici imaginem Dei, ſed ad imaginem Dei. Quod ſi ſemel & homo imago Dei nuncupatur, ad imaginem quoque dicitur. Vbique Chriſtus imago, nunquam ad imaginem; vt ſolus Chriſtus Verbum perfectiſsima imago, homo verò imperfectiſsima ſemper. Ergo receſſus, & diſtantia infinita imaginis creatæ ab increata Filij æterni, hoc termino *Ad* liquidò elucet, quod & D. Bonauentura quæſt. 1. diſt. 31. in 1. ſent. pro dignitate explicuit. Et quidem acceſſum quoque ad Deum fatur eadem vox, & eo propinquiorem, quo gratuita, & vberiori gratia imago noſtra exornatur, & Deo ſimilior redditur: non egreditur tamen Filij adoptati creati terminum, vbi Filius æternus per ſuam imaginem naturalem, & connaturalem in eadem natura eſt Patri ſimillimus, prorſus æqualis, & conſubſtantialis: quibus manifeſtè conſtat, falſam, inſulſam, & hęreticam fuiſſe conſecutionem, quam tentauit Arrius aduerſus æqualitem Filij in imagine ad Patrem, eo quia & homo à Diuo Paulo dicebatur imago Dei in aliena tamen natura; conſtat, inquam, ex relata, & manifeſtata vtriuſque imaginis differentia.

Sed non minus ex addita alia voce, *imaginem*, idem quod meditamur, apertè colligitur, ſi præſertim ad Hebræam vocem recurramus, vt eodem cap. 1. Quod nos imaginem, Hæbrei *Tſelem* legunt, quod quidem nomen, vmbram, ſeu adumbrationem, à verbo *Tſalal* adumbrare, ſignificat. Imago ergo hominis Filij imagini comparata ita differt, ſicut vmbra à ſolido corpore, vt vix illius Diuinæ imaginis vmbra hæc appellari fas ſit. Tantum ergo abeſt, vt creata imago poſsit, quin ſic maximè propria Filio Dei perfectiſsimæ imaginis ratio, impedire, vt ex eius vmbra, exilitate, imperfectione, potius vehementer confirmetur.

CAPVT VI.

Quam dignitatem dicat in homine imaginis creatæ ratio.

NOn poteſt vlla ratione negari, quin hæc Dei imago, in homine Dei optimi maximi proprijs manibus impreſſa, qualisqualis ſit, ipſi homini magnum addat decorem, ac inſignem excellentiam conferat. Hanc verò mirum quàm præclarè, & quanta eloquentia, & vbertate extollere, & eloqui aggrediatur D. Ambroſius de dignitate conditionis humanæ libello, ex eodem Themate Gen. 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram. Tanta itaque* (incipit ſic effari) *dignitas humanæ conditionis eſſe dignoſcitur, vt non ſolo iubentis ſermone, ſicut alia ſex dierum opera, ſed conſilio Sanctæ Trinitatis, & opere Maieſtatis ſuæ creatus ſit homo, vt ex primo conditionis honore intelligeret quantum deberet ſuo conditori, dum tantum in conditione mox dignitatis priuilegium præſtitit ei conditor, vt tanto ardentius amaret conditorem, quanto mirabilius ſe ab eo conditum intelligeret. Nec ob hoc ſolum, quod conſilio Sanctæ Trinitatis ſic excellenter à conditore conditus eſt, ſed etiam quod ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam ipſe creator omnium eum creauit, quod nulli alij ex creaturis donauit.* Hæc cap. 1. Duo igitur S. Ambr. hoc loco plurimi facit, quod conſultione Trinitatis conditus ſit homo, quod ad imaginem, & ſimilitudinem Dei conditoris; vtrumque & nos hic grati animi ergo ad D. Ambroſij veſtigia meditemur, ſicuti iam poſt hunc Sanctum Patrem præſtitit egregiè Rupertus Abbas. *Faciamus hominem*. Deus cunctiſciens, cunctique potens, de hominis creatione, tanquam de re magna, conſultationem quaſi, ac deliberationem facit, in qua, inquit Rupertus, Diuinæ perſonæ quaſi ſpondent, ſe in hominis creatione, & protectione, & vſque ad cælos prouectione ſingulas

Digitized by Google

las, ſe omnem ſibi appropriatam, Patrem potentiam, Filium ſapientiam, Spiritum Sanctum bonitatem locataras, donec manibus proprijs eius capiti æternæ beatitatis coronam imponant, nullo vocato; aut admiſſo Angelorum obſequio, nec miniſterio. Nos faciamus hominem.

Ad, qua vocula mirè Diuinæ prouidentię fulget in homine creando gratia: non enim prima manu in adaucto, & ſtatu perfecto voluit hominem collocare, ac veluti coronatum creare, quemadmodum cæteras inferiores creaturas in fine ſuo locarat, ſed *Ad*, initia iecit, vires addidit, & robur ad ſuum eminentiſsimum conſequendum finem, non in eo tamen ſtatuit, ſed ad eum ſic direxit, vt & ipſe homo ad coronam ſuam conſequendam proprias manus adhiberet, decertaret, laboraret, inſudaret, vt in ea aſſequenda laudem mereretur, coronamque; per propria etiam merita gloria coronatus declamaretur, cum D. Apoſtolo Paulo 2. ad Timot. 4. *bonum certamen certaui, curſum cõſumaui, in reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus iuſtus iudex*, & iterum Dominus Matt. 20. *Voca operarios, & redde illis mercedem*. Matt. 25. *Venite benedicti, poſſidete regnum paratum vobis à conſtitutione mundi: eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare*.

Rem ſanè magnam ſe facturum Deum, hæc præcedentia verba *faciamus &c.* mirè pręſeferunt: ac reuera res ita ſe habet: eſt enim homo infinitæ artis, ac ſapiẽtię Diuinæ inſignis effectus, ac quaſi decus, vt de eo poſsit Deus dicere. *Seruus meus es tu, quia in te gloriabor* Iſa. 49. & Gen. 2. Moyſes in ſua Diuina hiſtoria dum Deum omnia creantem refert, tunc iunxit, & addidit *Dominum* in hominis creatione. *Formauit igitur Dominus Deus hominẽ de limo terræ*. Quidni liceat probè aſſerere, hac in primis ratione Deum nuncupauerit *Dominum* tunc, nam Diuini Imperij numen in homine producendo, ac dominando, maximè emicat? Homo eſt, in cuius productione abditiſsimum Sanctiſsimæ Trinitatis panditur myſterium. *Faciamus &c.* loquuntur enim ad inuicem Diuinę diſtinctę tres perſonę. In hominis vultu, & animę cælatura indelibeli ſignatur Dei imago. *Signatum eſt enim ſuper nos lumen vultus tui domine.* Pſal. 4. Creati Mundi finis, Summarium, & Microcoſmos omnium Creaturarum, & teſte Platone Orizon Vniuerſi homo, qui in ſe complectitur, & quaſi vinculo nectit ſuperius Emiſphærium, Angelos nimirum, & Cælos, & inferius, bruta, & elementa, quibus conſtat, quæque ſingulari eminentia complectitur. Præſes, & Imperator totius Orbis terrarum creatus, & conſtitutus, & Dei Opt. Max. Prorex, vt illis pręſit. *Dominamini piſcibus maris, volucribus Cæli, & vniuerſis animantibus, quæ mouentur ſuper terram*. Creatis, & præparatis illi deliciarum hortis, quibus potiretur, ſeſeque recrearet. Prophetiæ dono repletus: *hoc nunc os ex oſſibus meis &c.* Maximus Philoſophus, quare nomina ſingulis in primis propria animantibus impoſuit. *Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus Terræ & vniuerſis volatilibus Cæli, adduxit ea ad Adã, vt videret quid vocaret ea: omne enim quod vocauit Adam Animæ viuentis, ipſum eſt nomen eius. Appellauitque Adam nominibus ſuis cuncta Animantia, & vniuerſa volatilia Cæli, & omnes beſtias Terræ* Gen. 2. Quis vero ignorat, peritiſsimi Philoſophi eſſe, cunctarum rerum intrinſecas rationes intueri, eaſque nominibus proprijs quaſi definitionibus explicare, præſertim ſi Pythagoreorum more loquamur? Homo tunc creatus; futuris temporibus Verbi Diuini Incarnatione Deificandus, & eius carne crucifixa Deo oblata redimendus, poſtremis diebus Reſurrectione renouandus, & ad ęterna regna eleuãdus, cui prima vice corpus immortale donauerat Dominus, ſi diuinis præceptis obaudiſſet: longa enim ætate feliciter tranſacta, viuus ad æternitatem in Cælum, nulla interueniente morte poſtea erat transferendus, quocum Deus dignatus eſt amicè, & familiari colloquio ſe detinere; hic eſt homo, de quo Sanctiſsima Trinitas decernit: *Faciamus hominẽ &c.*

Sed potiſsimum alterum eſt quod additur, *Ad imaginem, & ſimilitudinẽ noſtram*, quaſi diceret, faciamus (quòd veriſsimè fecit) hominem nedum innocentem, & rectitudine naturali rectum, in quo libero imperio mens dominetur ſubiectis inferioris ordinis potentijs, ſed ad ſimilitudinem noſtram, hoc eſt liberalitate nobis propria cumulemus & gratuitis, & repleamus illius Animam gratia ſupernaturali, qua cõſtituatur nobis Filius, Sponſa, Templum, & Amicus, virtutum Theologicarum decoremus ornatu, vt verè ſimilis nobis & dicatur, & exiſtat: Sic enim Deus aut creauit hominem ab initio, aut ſtatim à creatione hæc dona pleniſsimè infudit, vt quod decreuerat, vlla abſque mora opere compleuerit.

Sed Animam imagine Diuina inſigniri, & gemina ratione, tum creationis, tum recreationis, ſcilicet tum naturali, tum ſupernaturali, hoc eſt, quod in Diuinam largitatem mirè contemplantium rapit mentes, pulchritudinem ſui vultus communicare Animæ rationali. Ad quid? niſi vt eo ſibi ſimili reddito, & eius conſuetudine dulciſsimè iteratis vicibus vteretur, adeo vt verè poſsit dici de Deo. *Deliciæ meæ eſſe cum Filijs hominum*. Deinde hoc ſigno hominem ſignauit, vt ſibi ſoli hominis vſum reſeruaret: Homo cum Deo ſolo amicitias contraheret: Cunctę Creaturæ hominem reuererentur, quibus hoc ſigno quaſi homo intimaret, *Nolite me tangere, Dei enim ſum*, ac ſic eſſet timor, & tremor ſuper cuncta animantia terræ. Vniuerſum Mundum creatum homini Deus donauit, ſuo iuri ſeruauit Hominem. Altæ mente reponeret homo, vt ſe Deo, nequaquam creaturę ſubderet. Vt per hominem cuncta aſcenderent in Deum, homo vero non extra, ſed intra ſcalam in Deum aſcendendi in ſe ferret. Nunquam ad ſe mentis oculos conuerteret homo, quin Dei faciem videret, & ſicut in pupilla oculi facies videntis videtur, ſic in anima rationali ſemper dum intueretur homo, Deum videret. Vt crimine læſæ Maieſtatis ſe hominem peccare ſibi perſuaderet, dum aut ſe peccando læderet, aut fratrem,

ac proximum iniuria afficeret: Dei enim imaginem læderet, contemneret, ac conſpurcaret.

Sed quod maximum hac in re, & omnis momenti eſt, eo animam rationalem, quo ad Dei imaginem eſt, Dei capacem eſſe, & ſuo intellectu Deum cognoſcere, memoria reminiſci, volnntate diligere, ac eo peruenire, vt in Deo beari poſsit, eam eſſe animæ capacitatem, & latitudinem, vt in ea Deus vnus, & Trinus, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus inhabitare poſsint. *Ad eum veniemus*: Ioannis 14. *& manſionem apud eum faciemus*, & in vna eſſentia Animæ, & tribus potentijs repræſentari, & verè, vt ita dicam, videri fidei viſione Diuinarum perſonarum Trinitatem in vnica eſſentia identificatam: et eò Anima progredi meritis poſsit, vt iure Deum ſibi mercedem poſſit poſtnlare. *Quam mercedem*, Dominus Ieſus dixit Angelico Thomæ, *recipies? Nō aliam niſi te ipſum*, ille Angelicus vir reſpōdit. *Ego ero merces tua magna nimis*, promiſit Deus Abraham fidelium Patri. Sic deniq; vniri homo Deo potuit, vt ſuis temporibus natura humana aſſumpta ſit in vnionem hypoſtaticam.

Audiendus S. Ambr. cap. 2. cit. lib. quid ſuo lepore, & decore orationis de hac re ediſſerat. Quæ imago diligentius ex interioris hominis nobilitate eſt conſideranda. Primò qnidem, quod ſic Deus vnus vbiqne eſt ſemper totus, omnia viuificans, monens, & gubernans, ſicut Apoſtolus confirmat Act. 17. in quo viuimus, mouemur, & ſumus: ſic Anima in ſno corpore vbique tota viget, viuificans illud, mouens, & gubernans: nec enim in maioribus corporis ſni membris maior, nec in minoribus membris minor, ſed in minimis tota, & in maximis tota: & hæc eſt imago omnipotentis Dei, quam habet in ſe.

Qnæ quoque qnandam S. Trinitatis habet imaginem. Primò in eo; quia ſicut eſt, viuit, & ſapit Deus, ita Anima ſecnndum ſuum modum eſt, viuit, & ſapit. Addit & aliam Sanctiſsimæ eiuſdem Trinitatis imaginis rationem. Sicut illa tres eſt perſonæ, ſit anima vna tres in ſe habet dignitates; intellectnm, voluntatem, & memoriam: nam ſicut ex Patre generatur Filius, & ex Patre Filioq; Spiritus Sanctns procedit: ita ex intellectu generatur volnntas, item ex his ambobus procedit memoria (diſpoſitione, & ordine) Nec anima perfecta poteſt eſſe ſine his tribus, nec horum trinm vnum aliquod ſine alijs duobus integrum conſtat, & ſicut Pater Deus, Filius Deus, Spiritus Sanctus Deus, neque tamen tres Dij, ſed vnus Deus tres habens perſonas; ita & anima intellectus, anima volnntas, anima memoria, non tamen tres animæ in vno corpore, ſed anima vna tres habens dignitates. Et plura id genus addit præclariſsimè hic Sanctiſsimns Orator, & Doctor, quàm ſimilis per imaginem Deo anima condita ſit demonſtrans. Quare quid excelſins de Anima, quid glorioſins excogitari poteſt? Hoc immenſum de Anima rationali præconium: quod Deus adeo egregiam creauerit Animam, adeo ſibi propinquam, & ſimilem, vt imago, & ſimilitudo ipſiuſmet Dei antonomaticè nuncupetur, & verè ſit, & penes naturam, & penes ſuperaddita, gratuita.

DVBITATIO.

An imago, aptitudo, & capacitas Angelica, & humana, naturalis expleta, & repleta ſit in prima ſanctificatione, & ſupernaturalis in glorificatione.

SVpponendum primò, non hic agi, nec in medium vocari hanc dubitationem de potentia Dei abſoluta, quid ſcilicet ſua Deus virtute infinita potuerit, poſsitque in dies, ſed de facto quid fuerit ab initio in Angelorum creatione, quidq; fecerit, & quotidie faciat in humanarum animarum & creatione, & iuſtificatione.

Supponendnm ſecundò, in Diuinis litteris creaturam rationalē à Deo in ordine ad Diuina, & ſupernaturalia gratiæ, & gloriæ munera, *vas* nuncupari: Iſaiæ 45. *Væ qui contradicit fictori ſuo teſta de Samijs terræ: numquid dicit lutum figulo ſuo, quid facis?* Hieremiæ 18. *Deſcende in domum figuli, & ibi audies verba mea, & deſcendi in domum figuli, & ecce ipſe faciebat opus ſuper rotam, & diſsipatum eſt vas, quod ipſe faciebat &c. numquid ſicut figulus iſte, non potero vobis facere domus Irael, ait Dominus?* Sapientiæ 15. *Figulus de eodem luto fingit quæ munda ſunt vaſa, ſimiliter quæ his ſunt contraria*, Actorum 9. Spiritus Sanctus ad Ananiam de Diuo Paulo, *Vade quoniam vas electionis eſt mihi iſte, vt portet nomen meum coram gentibus, & filijs Iſrael*. Ad Romanos 9. *Numquid dicit figmentum ei, qui ſe finxit, quid me feciſti ſic? an non habet poteſtatem figulus luti ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam, &c.*

Inter verò multa, quæ Sancti Patres, & expoſitores circa hanc toties repetitam allegoriam vaſis docent, duo præ cæteris exiſtimo ad hanc rem; quam verſamur, idoneè obſeruanda. Primum, & potiſsimum, libertatem Dei in operando, & merum, & abſolutum imperium ſuper hanc creatam naturam, præcipuè rationalem, dum in primis ei diſtribuit dona: diuidit enim ſingulis prout vult; ita legitima horum locorum ſententia indicat omnibus recenſitis locis, præſertim ad Romanos indicato loco. Alterum, in multitudine, & diuerſa capacitate vaſorum volniſſe Spiritum Sanctum menſuram quandam, quam Diuina Sapientia tenet in diſtributione donorum, & proportionem, quam ex ſuo beneplacito decernit, obſeruare.

Quodſi obijcias, Ioan. 3. *Non enim ad menſuram dat Deus Spiritum*. Interpretatnr S. Cyrill. horum verborum hanc eſſe ſententiam, nimirum non eſſe Dei poteſtatem dandi Spiritum, & gratiam, more; Prophetarum limitatam, ſed ſicuti in ſe habet eſſentialem Spiritum; ita communicare

Spi-

Digitized by Google

Spiritus Sancti dona, & gratiam, maiori, & vberiori abundantia, ſicuti ſibi magis placuerit.

Iiſdem Diuinis litteris legimus,& videmus viros Deo ſeruientes quadam donorum Dei plenitudine abundare, vt ferè inundentur. Ioelis 2. *Ecce ego mittam vobis frumentum, & vinum, & oleum, & replebimini eis*. Et paucis infra, quaſi interpretatus Spiritus Sanctus ſub cortice bonorum temporalium, frumenti, vini, & olei, & illa verba. *Implebuntur area frumento, & redundabunt torcularia vino, & oleo*, & ſtatim: *comedetis veſcentes, & ſaturabimini*. Addit: *& erit poſt hac, effundam Spiritum meum ſuper omnem carnem*, abundantiam nempe gratiæ Euangelij. Malachiæ 3. *Probate me ſuper hoc, dicit Dominus, ſi non aperuero cataractas cœli, & effudero vobis benedictionem vſque ad abundantiam*. Imò vſque ad ebrietatem. Pſal. 22. *Calix meus inebrians quàm præclarus eſt*. Pſal. 35. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ*. Canticor. 5. *Bibite, & inebriamini cariſſimi*. Et in Euangelijs vbique. Matth. 5. *Beati qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur*. Eodem cap. *Gaudete, & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis*. Lucæ 6. *Menſuram bonam, & confertam, & coagitatam, & ſuperfluentem dabunt in ſinum veſtrum*. Lucæ 1. de D. Ioa. Baptiſta: *Spiritu Sancto replebitur adhuc ex vtero matris ſuæ*. Actorum 2. de Apoſtolis, & Diſcipulis Domini: *Repleti ſunt omnes Spiritu Sancto*: De Diuo Stephano. *Stephanus autem plenus gratia &c.*

Quibus, Vaſa rationalium creaturarum ad menſuram impleri, videtur ſatis indicatum, præſertim ſi addatur, omnia Deum facere in pondere, & menſura, & quod D. Paulus ad Roman. 12. *Diuiſit Deus menſuram fidei*; & ad Epheſ. 4. *Vnicuique autem noſtrum data eſt gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti*. Res fortaſſe ſignata, & præuiſa Exodi 16. vbi præcepit Dominus populo, ſuper quem pluit manna de cœlo, vt nutriretur in deſerto: *Colligat vnuſquiſque ex eo quantum ſufficit ad veſcendum, Gomor per ſingula capita*, & ſtatim, *feceruntque ita Filij Iſrael, & collegerunt alius plus, alius minus, & menſi ſunt ad menſuram Gomor*. Vnuſquiſque ergo ſuum vas ad menſuram habebat manna. Quis vero ignorat manna præcellentiſsimum fuiſſe myſterium, & allegoriam diuitiarum Euangelij?

Sacramenta quoque nouæ legis à Theologis vaſa gratiæ nuncupari compertiſsimum eſt, & gemina in primis ratione: Prima. Sicuti appoſito liquore pleno vaſe ad os, ſitiens ſtatim ebibit ad ſitis menſuram, ſic certè applicato Sacramento fideli ſumenti, effunditur in eo abſque mora gratia. Secunda. Nam quodlibet ex ſeptem Sacramentis habet vim diſtinctam, determinatam, & ad menſuram conferendi gratiam, ita vt non minorem ex ſua inſtitutione, remoto obice, maiorem verò ex maiori diſpoſitione ſuſcipientis, adhuc virtute Sacramenti: nam quodlibet agens efficacius in ſubiecto magis diſpoſito operatur, & agit. Singula pariter Sacramenta dicuntur diſtincta, & menſurata vaſa, quo aliam,& alio modo gratiam confert vnum, quàm conferat aliud, vt compertum eſt. His obſeruatis.

De Angelis animaduertendum. Deus omnipotens, in Angelorum creatione eos natura, ac naturali perfectione ita diſtinctos, ac diſtributos creauit, vt inter ſe per plures ordines, pluresque ſpecies plurimum differant, vt inueniatur ſummus & infimus, & plurimi ordine medij inter ſe differentes: docet integro libro D. Dionyſius de Cæleſti hierarch. communis conſenſus Patrum ita Diuinam Scripturam interpretantium, de Angelorum nominibus loquentem: qui varijs nominibus appellantur, Seraphim, Cherubim, Troni &c. non ſolum propter Sanctitatis,miniſteriorū &c.ſed propter naturæ inæqualitatem. In hiſtoria Tobiæ, Raphael aſſeritur vnus ex ſeptem, qui adſtant ante Dominum, & Danielis 10. Michael dicitur vnus ex principibus primis. Et 12. Princeps magnus. Et quod D. Paulus primæ ad Corint. 15. de hominibus docet; de Angelis quoque præclarè aſſerendum, differre ad inuicem ſicut ſtella differt à ſtella in claritate.

Qualis verò diſtincta perfectio naturalis in Angelis, talis imago, & capacitas ad gratiam, & inde ad gloriam, ad quam Deus prædeſtinauit, nimirum in Angelorum creatione, in ea gratia creauit eos Deus, quæ erat eorum naturalis capacitas, vnde ideo in eis varij, & inæquales gradus gratiæ, quia varia,& diſtincta eorum naturalis capacitas.

Hoc explicatè docuerunt Sancti Patres. D. Baſilius lib. de Spiritu Sancto cap. 16. *Calorum virtutes non ſuapte natura Sancta ſunt, ſed iuxta proportionem, qua ſe inuicem ſuperant, à Spiritu habent Sanctificationis menſuram*. D. Damaſc. lib. 2. de fide cap. 3. *Per Verbum omnes Angeli creati ſunt, ac per Sancti Spiritus ſanctificationem omnes perfectionis numeros acceperunt, ita tamen, vt pro ſua quiſque dignitate, & claſſe, luminis, & gratia participes ſint*. D. Areopagita de Cæleſti hierar. cap. 6. *Primam hierarchiam, ait, ſicut eſt perfectior reliquis, ita primoribus Dei ſplendoribus maiori propinquitate eſſe coniunctam*. Profitentur omnes Theologi hanc doctrinam, Magiſter in 1. diſt. 3. & diſt. 9. D. Bon. diſt. 9. quæſt. 2. Primò; Angelorum diſtinctionem in ordines, & hierarchias explicatè docet incepiſſe à naturalibus perfectionibus, completam verò fuiſſe à gratuitis. Et poteſt confirmari primò ex D. Paulo ad Epheſ. 6. vbi dæmones, *Principatus, & Poteſtates* vocat, hoc eſt, Spiritus illos, quibus remanſerunt integra naturalia, adhuc eſſe Principatuum, & Poteſtatum ordinum, quia à natura horum ordinum initia ſumpſerunt. Confirmatur ſecundò ex Parabola talentorū Matth. 25. Vbi diſtributa talenta teſtatur Euangeliſta iuxta propriam recipientis virtutem, nimirum iuxta facultates naturales, interpretatur Sanctus Ambr. Quæ licet parabola ad homines dicta ſit, mirè tamen & Angelis conuenit.

Quæſtione verò tertia idem D. Bon. duo admodum apertè de hac veritate tradit. Primum, capacitatem naturalem fuiſſe congruam diſpoſitionem in

in Angelis ad eam gratiam, quam primo receperunt.

Alterum, ad hanc gratiam toto conatu cooperatos eſſe: ergo ex hoc Seraphico Doctore, & Sanctis Patribus, tantam gratiam receperunt in prima ſanctificatione, quantam capere potuit eorum perfectio naturalis, & tantam gloriam, quantam mereri potuerunt: ergo eorum eſt expleta vtraque capacitas.

Confirmatur. S.Thom. 1. par. quęſt. 108. art. 3. hanc eamdem Theologiā docet, & quæſt. 62. art. 6. Rationabile fuit, inquit, ad capacitatem naturalem conferre Angelis gratiam, duplici ex capite, primo, ex Dei ſapientia, vt ad quot gradus gratiæ produxit Angelorum diſtinctè naturalem perfectionem, tot eis in creatione conferret: ad hunc enim finem ſic illos creauit: & quemadmodum in ædificio periti Architecti expolitiorem lapidem honoratiori loco conſtituunt, conſimili modo in ædificanda cœleſti Ieruſalem, Angelus nobiliori natura, & perfectiori creatur, vberioris gratiæ, & gloriæ donorum eminentiori loco locandus erat: & dum hanc inferiorem, & corpoream molem produceret, ſicut elementis, & corporibus cœleſtibus congrua ornamenta dedit, æquè præſtandum fuit dum Angelum, & hominem creauit, eò vel maximè, ſi ſub alio capite eandem naturam Angelicam expendamus: quo enim Angeli natura perfectiores ſunt, eò vehementius, maiori conatu per gratiam operantur: ergo tanta erat conferenda gratia, quanta etiam virtute naturali poterant cooperari.

Suarez lib. 5. de Angelis cap. 10. teſtatur eſſe cōmunem Theologorum ſententiam, deductam ex Patribus, & licet aduerſus eam quaſdam proponat difficultates, iiſdem tamen ſublatis, ab ea recedendum non eſſe ſtatuit, niſi oppoſita appareret reuelatio.

Neque vllius ponderis, quod quis fortaſſe opponeret, ſapere nimirum quoquomodo Pelagianiſmum, aſſerere deberi perfectioni gratiam, naturam diſponere ad gratiam: nam hoc loco non agitur de diſpoſitione meriti per virtutem alicuius operationis, ex principio naturalis virtutis, ſed de dignitate naturæ, quam ſic placuit Deo ad tantam gratiam recipiendam creare.

De homine verò non ſic, nec cogitandum, nec aſſerendum: nam Deus in homine iuſtificando, neque hominum variam capacitatem intuetur, quam in eis non poſuit: cum enim homines omnes ſint vnius ſpeciei, non poſſunt ad inuicem ſic perfectione naturali differre. Non intuetur ergo variam eorum naturalem capacitatem, quia omnes creauit æquales, ſed vario modo, diuerſiſque innumeris medijs eos vocat, conuertit, ad ſalutem perducit, quemadmodum ſibi ſemper magis placet. Conſtat ab effectibus Diuinæ Prouidentiæ, quibus innumeros homines innumeris modis ad ſalutem reducit; imò eos, qui minus videbantur apti, & idonei, ad altiora munera eleuat, & ditiori gratia cumulat, vt poſſimus dicere. *Quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, vt confundat ſapientes, & infirma mundi, vt confundat fortia, & ignobilia, & contemptibilia, & ea, quæ non ſunt, vt ea quæ ſunt deſtrueret, &c.* Neque homo, cuius Anima cum grauetur corpore, & aduerſus ſpiritum concupiſcat caro, toto ſemper conatu cooperatur, imò permultos deſidiosè conſtet cooperari, vt ad maiorem gratiam ſe diſponere poſſint, & cum recepta ad vberioris augumentum, neque tamen ſe diſponunt, quod indicabat ſui exemplo D. Paulus. *Gratia Dei in me vacua non fuit*, quaſi diceret. Poterat in multis eſſe, ſicut & in me, ſed eò maior in me, quo vacua non fuit, ſed toto corde, & omni gratiæ gradu cooperatus ſum, vt nullus gradus in me remanſerit otioſus: ergo non ea prouidentia, aut incipit, aut producit, aut perficit Deus ſalutem hominum, qua perfecit, & initiauit ſalutem Angelorum: quo ſenſu, capacitatem hominum non ſemper repleri, vt plurimum aſſeuerari poteſt.

Sed ſi quis hoc loco etiam hominū expleri capacitatem, & imaginem aſſereret hoc ſenſu, non eſt amplioris gratiæ capax homo, quàm eius, ad quam prædeſtinatus eſt, neque niſi penes ſuam diſpoſitionem: ergo dum hanc conſequitur, ac recipit, eius impletur capacitas. Id videtur indicare D. Paulus ad Rom. illis verbis. *Quos prædeſtinauit, hos & vocauit, quos vocauit, hos & iuſtificauit, quos iuſtificauit, hos & glorificauit*: tanta ergo gloria confertur, quantum meritum gratiæ pręceſsit, tanta in iuſtificatione gratia infunditur, quanta vocatio, & diſpoſitio, & ea vocatio, quam Diuina voluntas ex ſua miſericordia in prædeſtinatione decreuit: ergo ſi non de capacitate naturali, de capacitate gratuita diſpoſitionis, & meriti affirmari poteſt abſque temeritate, capacitatem expleri. Confirmatur ex allegoria vaſorum, & repletione ipſorum, per Diuinas litteras teſtata in ſecundo ſuppoſito. Vas eſt Anima, liquor in vaſe eſt gratia, determinatæ capacitatis eſt vas: menſurata ergo eſt & gratia: ergo ex his affirmare non repugnat omnem Animam repleri ſua iuſtificatione, & glorificatione, & vberiorem gratiam non conferri, quia capacior non eſt in Anima diſpoſitio. Si diligentius ſe diſpoſuiſſet Anima ad gratiam, ſi efficacius recepta gratia vſa eſſet, maiorem capacitatem habuiſſet ad vberiorem gratiam, & gloriam.

Singularis poſſet eſſe dubitatio de Adamo; quia à Deo innocens, ac rectus creatus, & in illo ſtatu nulla contradicente, aut impediente facultate poterat impediri, quin toto conatu operaretur, & cooperaretur ad gratiam. Quid ſi cum eo ſicuti cum Angelis pro illo tempore actum ſit?

QVAESTIO DVODECIMA ET PRIMA DE SPIRITV SANCTO.

Primò vt Spiritus, deinde vt amor, tertiò vt donum.

ACCEDIT Seraphicus Doctor, & aggreditur ſeraphica innocentia, ſeraphicoque corde, & labio, hac tamen obſeruatione præiacta; vt ſi hucuſque difficillimam Theologiam de Patre, & Filio docuerit: *Generationem enim eius quis enarrabit?* nunc obſcuriorem, ac difficilliorem de Spiritu Sancto conetur: hac enim ratione obſeruarunt Patres, inter quos S. Auguſt. & Magos defeciſſe in tertio ſigno, & ideo Sanctos Theologos difficilliorem experiri laborem, vehementiuſque anhelare, & inſudare in explicanda tertia perſona, quàm in reliquis duabus. Quare tum nos hoc loco humilitate, ac fide, ac intellectus captiuitate magis egere confitendum, ac propterea Seraphicum Doctorem humillimum, ac ardentiſsimum fore aptiorem.

ARTICVLVS I.

An nomen Spiritus ſit tertiæ perſonæ.
D.Bonauentura diſt. 10. quæſt. 3.
D. Th. quæſt. 36. art. 1.

PARAPHRASIS.

PRIMA Propoſitio. A' nomine rei, de qua agendum, auſpicando: diuerſa ratione, tum commune, tum proprium tertiæ perſonæ nomen Spiritus *aſſerendum. Declaratur, & probatur. In quacumque ſubſtantia, ſiuè corporea, & incorporea, & rationali, biſariam inuenitur, & vſurpatur* Spiritus *nomen. Primò à ſpiritualitate, vt corporeitati opponitur. Atque ita corpus ſubtile* Spiritus *conuenit nuncupari. Secundò à ſpiratione, quemadmodum flatus eo quia flatur, & ſpiratur, quo ſenſu apud D. Ioan:* 3. Spiritus vbi vult ſpirat: *& Pſal.* 148. Spiritus procellarum *dicitur. Eadem ratione anima rationalis vt incorporea, dicitur Spiritus; atque ita amor, & affectus à ſpiratione pariter dicitur Spiritus. Ergo eadem ratione aſſumetur & in Deo, & hoc nomen Spiritus primo modo à ſpiritualitate eſt attributum abſolutum: ergo vt ſic commune erit tribus perſonis, & Diuinæ eſſentiæ, qua ſpiritus omnino incorporeus, & immaterialis eſt. Vt à ſpiratione, tertiæ perſonæ proprium, quia procedit vt amor, & ſolus amor ſpiratur in natura ſpirituali. Probatur ſecundò. Quod ſpiratur non conuenit Patri, nec Filio: ergo proprium Spiritui Sancto. Conſequentia eſt euidens. Antecedens patet: nam primò neque eſſentia, neque prima perſona vllo modo procedit. Secundò. Filius generatur, quæ generatio omnino diuerſa eſt à ſpiratione. Tertiò. Conſpiratores multi in malo dicuntur illi, qui illud malum vehementer appetunt, & quorum affectus in illud colligatus eſt: ergo cum ſic Pater, & Filius in Diuinis vniantur in amando; Spiritus Sanctus erit ſpiratus amor; ſed amor ſic proprius eſt tertiæ perſonæ: ergo & ſpirari ſic: ergo & nomen ſpiritus.*

Secunda Propoſitio. Spiratio æterna Diuini amoris rectè Spiritus Sanctus nuncupatur, tum ad diſcernendam eam à proceſsione Filij, quæ cum ſit naturalis, non poteſt dici aut ſancta, aut munda: hæc enim voluntati tantummodo conueniunt; tum ad hunc Diuinum amorem procedentem, ab impuro, prophano, & libidinoſo amore ſeiungendum. Sicuti enim Diuinus, ſic fermè ſanctiſsimè ſpiratur.

Tertia Propoſitio. Hac ratione ex creatura actus ſpirationis ad Diuina transfertur, Deoq; tribuitur, quia eſt actus internus, continuus, viuificus, & à calore egrediens; & amor ab interiori vt actus vitalis, & quodam interiori calore, & continuus, quia ſemper reddendus amor. Quare cum in Diuinis ſit iſthæc æterna egreſsio, rectiſsimè dicenda ſpiratio.

Quarta Propoſitio ex reſponſione ad argumenta. Spirare, vt eſt actus naturalis, & dicit reſpirandi indigentiam, & interioris caloris emittendi, & frigidi aeris reſpirandi, non transfertur ad Deum. Neque vt idem eſt quod inſpirare, eſt tertiæ perſonæ proprium, ſed tribus commune: dicit enim efficientiam effectus ſpiritualis in corda hominum immiſsi.

COMMENTARIVM.

CONSPICVVM cum ſit, ac patentiſsimum, & apud Diuinas litteras, & apud Patres, & ſacros, & prophanos auctores, hoc nomen Spiritus multiplici modo vſurpari, & æquiuoca difficultate laborare; operæpretium fuit in veſtibulo huius difficillimi tractatus de tertia perſona Sanctiſsimæ Trinitatis, ſolerti indagine diſtinguere, & inhærentes etiam Ariſt. præcepto, omnem tollere æquiuoca-

tio-

Digitized by Google

tionem, & quo ſenſu vocem hanc accipere huic propoſito deſeruiat, decernere. Sæpe enim locorum in Diuinis litteris ſumitur impropriè. Primò vt Iſa. 3. *Spiritus eius velut torrens*. vbi Spiritus iram indicat, ideſt ſuperbiam. Iob 6. *Quarum indignatio ebibit Spiritum meum*. Pſal. 141. *In deficiendo ex me Spiritum meum*, Vitam præſefert. Modo Diabolum Luc. 11. *Cum immundus Spiritus exierit*. Aliquando totum hominem Pſal. 47. *Spiritus vadens, & non rediens*. Ipſummet pecudum appetitum Eccleſ. 6. *Spiritus iumentorum deſcendat*. Robur hominis Pſal. 103. *Auferes Spiritum eorum, & deficient*. Ipſamet Scripturarum intelligentiam Ioa. 6. *Spiritus eſt qui viuificat*. Sed ne deficiam in hac pluri, multiplicique Spiritus acceptione recenſenda, ſufficit etiam timorem Domini ſignificare 3. Reg. 14. *Spiritus Domini grandis &c.*

Sed & propriè iiſdem Diuinis litteris ſæpiſsimè accipitur: attamē biſariam. Primò ita propriè, vt opponitur impropriè, commune tamen tribus; ſic Deus Spiritus eſt propriè, ſcilicet incorporeus; omniſque materię expers. Deinde ſic propriè, vt condiſtinguitur à communi, vt inde alicuius perſonæ dicatur proprium nomen, ita vt non alterius, ſicut ſumitur hic, dum An tertiæ perſonæ ſit proprium quæritur, & à ſpiratione deriuetur, & quaſi flatus ab interiori calore emittatur ab ore. Eſt enim tertia perſona flatus, ſcilicet amor vt ſic procedens, ex corde Patris, & Filij exiens, & quaſi mutuam quandam impulſionem voluntatis amantis, amoremque ſpirantis in rem amatam dicens.

Denique hæ duæ voces, *Spiritus*, & *Sanctus*, vt ex D. Doctore in primo diſt. 10, art. 4. & obſeruat hic Caiet. interpretari, & accipi poſſunt adhuc biſariam. Primò, vt ſunt duę diſtinctæ voces, altera ſubſtantiua, vt aiunt Grammatici, *Spiritus*; altera verò adiectiua, ſcilicet ei adiuncta, & coniuncta, *Sanctus*; atque ita erit complexum nomen. Secundò, vt ſit incomplexa, & ex his duabus vocibus nomen vnum, vnaque dictio conſtituatur, & quaſi quadam circũlocutione vna perſona deſcribatur. Ita S. Thom. dum art. titulo inſcribit, Vtrum hoc nomen Spiritus Sanctus &c.

Dum ergo S. Doctor hac prima quęſt. de Spiritu Sancto quærit, An nomen Spiritus ſit proprium tertiæ perſonę, rectiſsimè quærit, vt omnem dubitationem tollat, ambiguitatemque excludat; & vt in corp. quæſt. tandem ſtatuit, Spiritus eſt propriũ quidem Deo, quia non eſt corpus; ita proprium, vt non ſit translatum, & metaphoricum, commune tamen tribus: dum verò amoris proceſſionem, & ſpirationem ſonat, ita tertiæ perſonæ proprium, ſicut ipſa ſola ſit amor ſpiratus, ita ſola ſpiritus nuncupetur. Quod ſi addatur *Sanctus*, & in fine corp. quæſtionis addit, & Spiritus Sanctus nominatur, incomplexè pro vna dictione ſumptum, ex vſu Diuinæ Scripturæ, & SS. Patrum phraſi, adhuc propriè de tertia perſona vſurpatur; & includit relationem formaliter ſpirati ad ſpirantem, vt ad 2. S. Thom. & communis Theologorum reſponſio. Ita enim Alber. Mag. ita Riccard. ita Durand. ita Petrus à Tarantaſio, ita denique S. Thom. diuerſis licet verbis: primò enim ad 2. Tertiam perſonam vt ſpiratam aſſerit propriè ſub hac voce, *Spiratam*, dicere ſuam relationem ad Patrem, & Filium, ſpirantes: ergo Spiritum à ſpiratione deductum ſentit eſſe proprium. Secundò. Dum emanationem per voluntatem proprio carere nomine docet, eademque ratione emanantem perſonam, & vſu Scripturæ, & Patrum, nomine communi, & proceſsionis, & Spiritus Sancti, propriè nominari; reddens horum rationem dicit, quia vt amor procedit: Amor vero cum ad morem flatus, & venti motione in rem amatam, ac impulſu terminetur; conſentaneè & ventus, & flatus, & Spiritus, vt à Patre, & Filio efflatus, & ſpiratus dicitur.

Quare licet hæc nomina *amoris*, & *ſpiritus* ſint communia, & ex vſu facta ſunt propria; ratio tamē cur ita propria facta ſint, eſt, quia amor ſpiratur, & in amatum impellit. Eadem prorſus vtitur ratione S. Bon. Spiratur quia procedit vt amor: & de vocis proceſsione agens, eam reddit rationem, quia in Spiritus Sancti productione inuenitur omne ad proceſsionem requiſitum, ſcilicet terminus à quo, & ad quem. Ergo eadem omnino eſt vtriuſque Sancti ſententia. Ita & Ianell. & Vaſquez inter cæteros interpretantur S. Thom.

Duas ergo conſtantiſsimas veritates S. Doctor hic veriſſimè, & feliciter explicat. Altera eſt, Spiritus Sanctus vt Deus eſt, eſt propriiſsimè Spiritus, & ijs omnibus confirmatur, quibus iam de ſumma Dei ſimplicitate, & incorporeitate actum eſt. Altera verò, vt tertia perſona, & amor productus ſpiratione, propriè admodum, & relatiuè, & notionaliter: & vtramque veritatem hoc loco pro dignitate theologicè probat: Primam quidem Ioa. 4. *Spiritus eſt Deus*: & ad hoc propoſitum hunc locum ita interpretatur D. Athanaſ. lib. de Communi eſſentia Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. *Spiritus enim*, inquit, *hic non certam perſonam, ſed Diuinitatis naturam ſignificat*: qua ratione & adorandus eſt in Spiritu, ſcilicet actione quidem, & oblatione etiam exteriori, vt cor, & caro exultent in Deum, vt totus, & integer homo ſe dedat Deo, ſicuti totus à Deo; ita tamen, vt fiat ex ſpiritu, fide ſcilicet, gratia, & dilectione: Alia enim omnis adoratio & incongrua Deo, et inuiſa, veluti legalis, et Phariſaica.

Vnicus autem hic locus Sancto Doctori potuit ſufficere ad hanc veritatem aſtruendam, præſertim ſic à Sanctis Patribus explicatus, licet & alij non defuiſſent. 2. Corint. 3. *Dominus autem Spiritus eſt &c.* Decreta deinde veritas hæc, ac definita eſt ab Innoc. 3. Conc. Generali cap. firmiter: de Summa Trinitate, et fide Catholica. De hac re videndus Diuus Auguſtinus lib. 3. Confeſſ. de Doctrina Chriſtiana cap. 7. et 8. lib. 6. de Trinit. cap. 6. et 7. lib. 11. de Ciuit. Dei cap. 10.

Pręterea eādem veritatem S. Doct. ratione proſequitur: Deus eſt incorporeus, et immaterialis: ergo Spiritus. Conſequentia certa: nam Spiritus, &

corpus opponuntur. Omnis enim ſubſtantia, alia corporea, alia incorporea. Colligitur ex D. Luc. c. 24. *Spiritus carnem, & oſſa non habet*. Antecedens verò poſſet facillimo negocio pluribus cõfirmari, ſed cum hic non ſit locus, ſufficiat primò. Deus eſt primum ens immobile: ergo non eſt corpus. Secundò. Deus eſt primum ens: ergo actus purus: ergo nõ in potentia. Non ergo corpus, quod eſt in potentia ad diuiſionem in infinitum, quia continuum. Tertiò. Deus eſt nobiliſsimum ens: ergo incorporeum. Conſequentia probatur. Corpus viuũ eſt nobilius non viuo; ſed quod viuit, non viuit vt corpus: nam ſic omne corpus viueret, ſed per animam: ergo anima nobilior corpore: ergo Deus nobiliſſimus Spiritus. Denique, Deus creauit primum materiam: ergo ipſe immaterialis: & prima corpora: ergo ipſe incorporeus. De hac re D. Bon. diſt. 8. 2. par. quæſt. 1. D. Thom. quæſt. 3. art. 1.

Secundam verò veritatem, veluti quam propriè hoc loco intuebatur, vberius probat. Primò ex Diuinis litteris, vbi ſpiritus à ſpirando ſumitur. Ioa. 3. *Spiritus vbi vult ſpirat*. Pſal. 148. *Ignis, grando, nix, glacies, & ſpiritus*, ideſt ventus *procellarum*: quibus ſic confici poteſt argumentum. Tertia perſona eſt Spiritus: ergo non ſolum quia incorporea, ſed quia & ſpirat effectum in nobis, ipſa quaſi ventus ſpiratus poteſt rectè dici.

Deinde, Spiritus Sanctus eſt perſona procedens, non per modum Filij, & generationis: ergo per modum Spiritus; ſed Spiritus ſpiratur: ergo procedit per modum ſpirationis: ergo *Spiritus* ſic eſt proprietas tertiæ perſonæ. Maior argumenti eſt certa, ſicut certum eſt ſecundam perſonam non eſſe tertiam. Prima conſequentia adhuc certa: nam non eſt alius emanandi, quàm aut per intellectum, aut per ſpiritum, & voluntatem, modus. Minor patet. Tertia perſona eſt amor, & procedit per modum amoris: ergo ſpiratur. Antecedens & ſupponitur probatum ſupra, & infra vberius, cum de hac Spiritus Sancti proprietate: probanda ergo conſequentia. Sicut enim ſpiratio illa exterior eſt motus vitalis, à virtute vitali, naturali calore progrediens; ſic amor eſt motus vitalis interior, à virtute vitali ſpiratiua emanans.

Probatur per ſingulas particulas. Spiratio eſt motus vitalis, quia ab intrinſeco principio viuente; eſt continuus, aliàs defineret viuere; eſt à calore ex ignea cordis complexione, quare emittitur ne ſuffocetur, tollatur, & extinguatur vita. Amor eſt à principio intrinſeco, nimirum à voluntate, & inde neceſſariò egreditur ad extra; eſt vitalis: amor enim eſt quadam vita, nam & Vgo in Soliloquio de Arra ſponſæ: *Scio anima mea, quia vita tua eſt dilectio*, imò D. Ioa. *Qui non diligit, manet in morte*. Vbi licet loquatur de amore ſupernaturali, qui animæ dum eam informat, vitam tribuit; de quocumque amore tamen, etiam vt actus animæ, rectè, & conſentaneè vita nuncupari poteſt: eſt continuus, nam ſemper reddendus. *Nemini quicquam debeatis, niſi vt inuicem diligatis*: ita enim perpetuò amandum, vt nunquam amandi debitum extinguatur. Eſt amor quidam animi calor, & ignis, vt amans in amando experitur.

Hanc æſtuationem, & efferueſcentiam ſentit, & loquitur Diuina Scriptura Eccli. 48. de Elia: *Surrexit Elias quaſi ignis, & verbum eius quaſi facula ardebat*. Ier. 20. *Et factus eſt in corde meo quaſi ignis exæſtuans, clauſuſq; in oſsibus meis, & defeci, ferre non ſuſtinens*. Ezech. 1. *Velut aſpectum ignis, & c. 10. ſume ignem de medio rotarum*. Luc. 12. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi vt accendatur*? ad Rom. 12. *Sic enim faciens, carbones ignis congeres ſuper caput eius*. Denique confirmari hæc doctrina poſſet ex Spiritus Sancti Illuſtriſsima in die Pentecoſtes deſcenſione. *Factus eſt repentè de Cœlo ſonus tanquam aduenientis Spiritus &c. & apparuerunt diſpertitæ linguæ tanquam ignis*: Si enim idonea aſſumpta ſunt ſymbola ad Diuinam perſonam tertiam, quæ mittebatur, repreſentandam, nobiſque explicandam, illa verò fuerunt, & ventus, & ignis, ventus verò ſpiratur, & ignis egreditur; omni procul dubio ipſa erunt Spiritus, qui ad modum venti, & ignis communicetur.

Sed parumper hic ſiſtendum, & ad illuſtriorem S. Doctoris commentationem, tria quæ hic attigit, animaduertenda. Primum, locus ille Io. 3. quem adhibuit: *Spiritus vbi vult ſpirat*. Alterum, locus D. Pauli 1. ad Teſſal. 5. *vt integer Spiritus, & anima, & corpus ſine querela in aduentum D. N. I. Chriſti ſeruetur*. Tertium, an ex his verbis, quibus S. Doctor afferit Amorem ſpirari, ſpirationemque ab anima egredi, indicetur quemadmodum intellectus intelligendo quandam qualitatem, quæ eſt terminus ſuæ intellectionis, in ſe producit, qui eſt Verbum ſui, & obiecti cogniti ſimilitudo; ſicne & voluntas dum elicit actum volitionis, & amoris, producat aliquid in ſe, quod ſit ſuæ volitionis terminus. Quartum, quid actus vitalis.

De loco ergo S. Ioa. nihil mirum ſi in diſcuſſionem hoc loco vocemus: non enim quam huius loci adhibuit S. Doctor, explicatio communis eſt, neq; multis, iiſdemque grauiſsimis viris placet. D. quidem Chryſoſt. hom. 25. in Ioa. quem recenſuit, & ſecutus eſt S. Doctor, & D. Cyrill. lib. 2. c. 24. & ante ipſos D. Areopag. de Cœleſt. Hierar. c. 15. Et inter opera D. Aug. Auctor quæſt. noui Teſt. quæſt. 59. & poſt ipſos Theophil. & Euthim. de vento hoc aereo locutum Dominum interpretati ſunt, vt hoc veluti exemplo voluerit Nicodemum illius veritatis inſtruere, quam adeo difficilem, vt ferè paradoxon exiſtimauerit: cum enim ei teſtatus eſſet Dominus, *Niſi quis renatus fuerit denuo, non poteſt videre Regnum Dei*, reſpondit, *quomodo poteſt homo naſci, cum ſit ſenex? nunquid poterit in ventrem matris ſuæ iterum introire, & renaſci*? Tunc Ieſus. *Spiritus vbi vult ſpirat*. *Spiritus hic aereus*, inquit Sanctus Cyrill. *per orbem perflat, & ſolo ſono adeſſe cognoſcitur, nec vllibi cernitur, ſed tenuiſsima aura humana corpora tangens, operationis ſuæ imprimit ſenſum*. Sic igitur à paruis ſpiritualem re-

regenerationem intellige, ſicut in imagine quadam rei ſenſibilis ſimilitudine inſenſibilia collige.

Facilins D.Chryſoſt. primò prænotat hanc valdè obſeruandam rem. *Nihil peius*, inquit, *quàm hominis rationibus ſpiritualia ſubijcere. Hoc Nicodemum impedit, ne quid profundum contempletur: Ideo nos fideles appellamur, vt humanarum cogitationum vtilitate contempta, ad Filij altitudinem euadamus, & quæ nos manent, bonorum cognitionem hauriamus.* Deinde, *ſenſus*, inquit, *horum verborum eſt, quod quemadmodum ventus non videtur, ſentitur tamen; ita ſpiritualis generatio oculis corporeis non comprehenditur.* Et qnaſi à minori ad maius addens Theophil. *Sicut*, inquit, *ventum, qui eſt ſpiritus ſenſibus ſubiectus, ignoras, quomodo & conſpiret: quomodo generationem Diuinam curioſius inquires? Auditur ventus, & eius effectus ſentitur, non videtur tamen. Auditur verbum forma Baptiſmi, ſentit anima in ſe regenerationis effectum, non poteſt tamen videre, nec ratione humana comprehendere.* Atque hæc omnia valdè conſonè, & ad locum, & ad propoſitum cum Chriſti, tum hic Sancti Doctoris.

Verumenimuero hæc, vt iam cœperam dicere, non omnibus reliquis Patribus arrident. D. enim Auguſtinus inter Latinos tract. 10. in D. Io: D. Hieron. Epiſt. ad Hedilbiam quæſt. 9. D. Ambr. lib. 2. de fide. c. 3. & lib. 3. de Spiritu Sancto c. 11. D. Hilar. lib. 2. de Trinit. D. Greg. lib. 27. Moral. c. 13. Et inter Græcos D. Athan. lib. 1. & 5. de vnita Deitate Trinit. D. Nazianz. Orat. 5. de Theologia. D. Baſil. lib. 5. contra Eunomium c. 5. D. Nyſſenus Orat. de Baptiſmo. Hi omnes locum de Spiritu Sancto interpretati ſunt, ac ſi Nicodemo voluiſſet Dominus dicete: Ne mireris ſi rem banc de renaſcentia, de qua iam tibi verba faciebam, cogitatione non aſſequeris: Spiritus enim Sanctus, & omnipotens eſt huius operator, & auditur quidem eius vox cum Euangelia, & Prophetiæ leguntur, cum in compunctione cordis motio ſentitur, & interioris hominis renouationem quaſi expetimur; neſcitur tamen vnde veniat, aut quò vadat: Nam eius conſilia, viæ, & agendi modi, incomprehenſibilia ſunt. *Quàm enim incomprehenſibilia.* Rom. 11. *ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ?* & Sap. 9. *Quis hominum poterit conſilium Dei ſcire? aut quis poterit cogitare quid velit Deus?* Hac ergo metaphorica locutione, *neſcit quò vadat, aut vnde veniat*; huiuſmodi Dei occultiſsimæ viæ aſſeruntur.

Quod verò addit: *ſic eſt omnis, qui natus eſt de Spiritu*; eſt ac ſi quod 1. Cor. 2. docuit D. Paul. *Animalis homo non percipit ea, quæ ſunt Spiritus Dei.* Nam homines huius ſæculi vident qnidem opera iuſtorum, de Spiritu natorum; ſed vias eorum nemo nouit, niſi qui eodem Spiritu agitur, latentque homines carnales, viæ, cogitationes, deſideria, & exercitia iuſtorum &c. Hæc verò expoſitio pluribus qnidem Patribus nititur, omni amphibologia, & æquiuocatione libera, contextuque faciliori procedit: quare videtur ſuperiori anteferenda, hilarioríque vultu, ac tutiori amplexanda: ita tamen vt & illa magna ſuorum auctorum fruatur probabilitate: & fortaſsè inter vtramque non magnum diſſidium intercurret, nec vtriuſque ſenſus diuerſus.

Quod facilius aſſequemur, ſi in tribus præſertim ventum & Spiritum Sanctum eſſe valdè ſimiles, & Spiritus Sancti ventum eſſe ſignum, animaduertemus. Nimirum in motione expedita: quò enim impetus venti impellit, illuc ſine impedimento fertur. In ſono, qui licet inuiſibilis, auditur tamen. Denique in ortu, & termino, qui ignoratur. Quare renatus, & vento, & Spiritui Sancto comparari licitè, & rectè potuit: & non admodnm diuerſa res eſt, loqui de Spiritu Sancto aut in ſe, aut in ſuo ſimili, vento ſcilicet: & vtraque expoſitio S. Doctoris propoſito mirificè deſeruit: nam & ventus, & Spiritus Sanctus ſpirat, Spiritus Sanctus quidem efficienter, dum hominum cordibus inſpirat, & vt perſona dum procedit, ſpiratur qnidem, & procedit; reconditiſsima tamen eius origo vnde venerit, niſi fide manifeſtata.

Secundus verò locus ad Philip. 5. *Vt integer Spiritus &c.* ad hunc finem vtitur hoc loco S. Bon. vt inde probet amorem ſpirari, quia D. Paul. amorem, ac charitatem ſpititum nuncupat, dum ait, *vt integer ſpiritus, & anima, & corpus in aduentum Domini &c. ſeruetur.* Certum enim primò eſt, ſpiritum hoc loco animæ ſubſtantiam non ſignificare: nam deinde addit, *& anima &c.* ergo aliquid præſefert, quo anima, & corpus ſeruatur; quid antem erit quod id poterit præſtare, quàm charitas, & amor gratuitus? Audiendus hic D. Pauli vnicus interpres, & quaſi ipſius à ſecretis D. Ioa: Chryſoſt. hom. 11. in hæc verba, ſic mirificè ſaſſus, *Spiritum, quod hic dicit, charisma, ſeu donum gratuitum: nam ſi receſſerimus ſplendidas habẽtes lampades, ingrediemur in ſponſi thalamum; ſin autem extintas, nequaquam; proptera dicit, integer ſpiritus noſter: illo enim manente integro, & anima, inquit, & corpus manet*, Vbi de amore, ac charitate loqui, & ex loco de lampadibus adducto, liquidò conſtat.

Tertium verò quod diſcutiendum hoc loco propoſui ad Sancti Doctoris pleniorem explicationem, erat. An quemadmodum S. Thom. multis locis, vt eum multi Thomiſtæ grauiſsimè interpretantur, dicit: Sicut in nobis eſt terminus actionis intellectus, qni eſt Verbum; ita debeat eſſe, & actionis, & volitionis voluntatis, qui ſit amor. Et partis affirmantis gemina poteſt afferri ratio. Altera, quia non minus competit volnntati ſua perfectio, ac complementum, quàm intellectui, & intellectioni; ſed ad perfectionem intellectus aſſignatur verbum: ergo & voluntati debet aſſignari amor, qui eſt quædam inclinatio, & impulſio, & tendentia in rem amatam, quam Platonici dixerunt deſiderinm pulchritudinis. Altera, ſicut de intrinſeca ratione ſua actioni competit paſſio, & terminus, vt inter alios apertiſsimè tradit S. Bon. 1. ſent. diſt. 13. art. 1. quæſt. 1. arg. 3. & quæſt. 3. arg. 4. & diſt. 40. quæſt. 1. ad ſecundum.

Digitized by Google

Ita non minus actioni volitionis requiritur terminus ſuus, ac intellectionis actioni, & cuicumque aliæ: eſt enim vera actio. Scio & alias reddi rationes ab alijs. Hæc nunc ſufficiant.

Eandem doctrinam docuiſſe S. Doctorem exiſtimo, ex his quos indicabo locis; ſed hic ſolerter animaduertendum, non ambigi, aut in dubium reuocari de voluntate Diuina: decernit enim Sancta fides, eiuſdem voluntatis tantam eſſe fœcunditatem, vt inde producatur Spiritus Sanctus, & vbique locorum teſtatur, & tuetur S. Doctor, vbi ſe ſe offerat opportuna occaſio. De voluntate ergo creata eius hic indagamus mentem, quam ex his colligimus locis. Primò enim ex hac quam verſamus quæſtione. Amorem teſtatur ſicuti flatum ſpirari, & egredi: ergo ſicuti flatus eſt aliquid, quod egreditur, ita & amor erit aliquid, quod ex voluntate producente per actum vitalem, ad rem amatam propellendo, & inclinando exit. Deinde ſicut flatus exit per actum ſpirationis; ita per actum amoris aliquid diſtinctum egredietur, & producetur. Præterea ſpirare, & ſpirari in Diuinis eſt; vt in principio quæſt. aſſerit, ab humanis, ac creatis attributum: ergo ſupponit aliquid in creaturis ſimile: ergo ſicuti datur in Deo Diuinæ volitionis terminus, ita dandus & in nobis. diſt. 10. dub. 4. litt. dicit: Amor eſt vis vnitiua: ergo voluntas amando efficit vnionem. Indicato loco diſt. 40. Actioni reſpondet paſſio: ergo & actioni volitionis. 2. ſent. diſt. 31. quæſt. 1. Amor facit inhærere, & transformari in rem amatam, ſed hoc non poteſt fieri, niſi per aliquam efficientiam: ergo. Explicatiſſimus locus eſt in 1. diſt. 10. quæſt. 1. art. 1. argum. 2. & ad 2. & quæſt. 2. in corp.

Sed in primis Scotus 1. ſent. diſt. 6. & 7. negat volitioni terminum, quo opinatur volitionem non eſſe actionem, ſed qualitatem; produci tamen per propriam actionem, quam vocat elictionem volitionis, vt potius volitio ſit terminus: ergo S. Doctor, qui oppoſitum docuit cum S. Th. & communi, ſcilicet volitionem, ſicuti intellectionem, eſſe veram actionem, ſi rationi conſentaneè interpretandus, docuit itidem, & voluit & actionis illius terminum; ſi præſertim repetatur indicata ratio, non minus nobilis, nec minus efficax, imò magis, actio voluntatis, quàm intellectus &c.

His dictis, quia non eſt animus, nec opus circa quæſt. hanc nouam inſtituere diſputationem, pauca quædam in expeditiorem cognitionem addenda duxi.

Primum. In tribus proceſſio voluntatis cum intellectus proceſſione conuenit. Primò, vtraque eſt actio, intellectionis, & volitionis, habens relationem ad rem intellectam, & amatam. Secundò, habitudo principij ad id, quod procedit. Tertiò, habitudo rei procedentis ad ſuum principium. In hoc tamen differunt, quod in proceſſione intellectus inueniuntur nomina propria: actio enim ipſa dicitur intellectio; proceſſio actiua nuncupatur dicere; quod procedit, & terminat, appellatur verbum, & quidem propriè. Voluntatis autem, & volitionis, & vis producendi, & ſpirandi, & termini, omnium nomen idem eſt Amor, vt patet in Diuinis: nam volitio eſt amor eſſentialis, & vis ſpirandi in Patre, & Filio, itidem amor; & Spiritus Sanctus ſpiratus eadem voce appellatur Amor, vt hoc art. 1. refert, & teſtatur Sanctus Thom.

Adhuc conueniunt, vtraque actio aliquid producit, verbum ſcilicet, & Amorem, & ſicuti verbum eſt aliquid actuale, ſcilicet expreſſa ſimilitudo; ſic & amor eſt terminus actualis voluntatis, complens actualem inclinationem in rem amatam. Differunt verò primò. Nam verbum ſecundum aliquos eſt etiam obiectum in ipſo intellectu, ſcilicet verum; amor verò non eſt voluntatis obiectum; nam id quod eſt obiectum, eſt extra voluntatem, & amore ad ipſum tendit voluntas. Secundò. Verbum verè eſt terminus, & habens modum termini quod perfectè exprimit obiectum, & eſt imago, & ſimilitudo expreſſa rei, quam intelligimus: Qualitas verò, ſcilicet amor, quam voluntas produxit amando, licet perficiat voluntatis actionem, non eſt tamen rei volitæ, & amatæ imago, ſed propenſio, & inclinatio ad illam, & impulſio. Denique obiectum intellectus per verbum trahitur ad ipſum intellectum, obiectum verò voluntatis cum ſit voluntati extrinſecum, eam ad ſe trahit. Vnde voluntas amando extra ſe ire, & in obiectum transformari, & magis eſſe vbi amat, quàm vbi animat, ſolet prædicari. Quod vt clarius attingatur, in gratiam locorum, quos ex D. Bon. retuli, addendum

Secundum, & quidem dicitur, Res, & obiectum volitum, & amatum eſt in amante, non ad modum obiecti intellectus in intellectu per ſimilitudinem, quia amor non eſt rei amatæ ſimilitudo, ſed per inclinationem in rem amatam, eo modo, quo locus deorſum dicitur eſſe in re graui, quæ tendit deorſum: inclinatio verò illa, ſicuti vis impreſſa in ſagitta ad ſcopum per arcum eiaculantem ipſam ſagittam; ita iſthæc impreſſa vis in voluntate per actum volitionis illius obiecti, deinde per complacentiam, quia in re amata quieſcit: ratione enim illius res in amante dicitur impreſſa. Ad Philip. 1. *Eo quod habeam vos in corde, & in vinculis meis:* tamen non minus rectè amans in re amata dicitur eſſe, quatenus in ipſam tēdit per amorē, ac per vim quandam trahitur. *Trahit ſuam quemque voluptas*. Et D. Auguſt. 13. Confeſſ. cap. 9. *Amor meus pondus meum, eo feror quocumque feror*. Matt. 6. *Vbi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum*.

Tertium, quod totius quæſt. eſt terminus, & quod in primis indagatur. Ex Diuina Scriptura Spiritus Sancti nomen eſt tertiæ perſonæ proprium. Matt. vlt. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*. Ioa: 14. *Paraclitus Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo*. Ioa: 1. cap. 5. *Tres ſunt qui teſtimonium dant in Cœlo. Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus*. Eccleſia in Litanijs. *Spiritus Sancte Deus &c.* Ratio, & iam dicta, & hic quia proprius locus, repetitur. Prima, quia vt à ſpiratione Diuina proprium nomen eſt vt incomplexum. Secunda

da ex D. Aug. lib. 5. de Trinit. cap. 11. & lib. 11. cap. 19. *Congruè illa perſona, quæ à duabus procedit, eo debet nomine vocari, quo vocantur illæ, à quibus procedit: eſt enim Patris, & Filij Spiritus, & ſic quod illis erit commune, illi ſit proprium*. Deinde quia eſt mutuus Patris, & Filij amor, Patris, & Filij dicendus Spiritus. Deníque quia procedit vt amor, & amor impellit in rem amatam, & Spiritus impulſionem quandam præſefert; idoneè, ac ſua proprietate appellatur Amor ad Rom. 8. *Quicumque Spiritu Dei aguntur &c.* Matth. 4. *Ieſus ductus eſt in deſertum à ſpiritu*.

Soluenda oppoſita argumenta. Quorum primum ab auctoritate Io: 4. ductum eſt, vt iterum in corp. quæſt. eſt aſſertum. *Deus eſt Spiritus, & eos qui adorant eum, in Spiritu, & veritate oportet adorare*; ſed tota Trinitas eſt adoranda in Spiritu, & veritate: ergo tota Trinitas eſt Spiritus: ergo eſſe Spiritum non eſt propriè tertiæ perſonæ.

S. Bonau. huic argumento nihil reſpondit; nam in corp. quæſt. vberrimè ſatisfecit, illum D. Ioa: locum interpretans, & diſtinguens de duplici origine huius vocis, *Spiritus*. Ad arg. ergo conceditur totum; nam eo loco non eo modo ſumitur Spiritus, quo nos dum tertiam perſonā Spiritum vocamus. Bifariam enim Spiritus nomen vſurpatur, & deducitur primò à ſpiritualitate, vt corporeitati opponitur; ſecundò vt ſpiratione procedit. Primo ſenſu vtitur argumentum, & eſt tribus commune, & optimè concludit. Secundo verò ſenſu nos, & tunc tertiæ perſonæ proprium. Eſt idem argumentum Riccardi, eademque reſponſio. Eſt idem D. Th. licet alio medio conſtructum. Eſt nomen commune tribus perſonis: ergo nulli ſingulari proprium. Antecedens non probat per D. Ioa. ſed per D. Hilarium 8. de Trinit. & reſpondit: Complexè ſumptum eſt commune, incomplexè fit proprium tertiæ perſonæ.

Secundum argumentum. Spiritus diuiditur contra corpus; quare quod non eſt corpus eſt Spiritus, ſed Spiritus hoc modo ſumptus eſt abſolutus, & tribus perſonis competit: ergo non eſt proprium tertiæ perſonæ. Idem argumentum ſuſcepit & Riccard.

Neq; huic argumento quicquam reſp. S. Doctor, eadem ratione qua ad primum: eadem enim eſt ſolutio, & data diſtinctio ſufficit.

Sed contra datam diſtinctionem arguitur: Aut ſumitur vt opponitur corpori, aut à ſpiratione deducitur. Si primo modo, iam demonſtratum eſt eſſe commune: ſi ſecundo modo, adhuc idem nunc probare contenditur ſic, & primò. Spirare actiuè eſt commune tribus: ergo & paſsiuè. Antecedens conſtat: nam tota Trinitas hominum cordibus inſpirat; cōſequentia probatur, nam effectus debet ſuæ cauſæ attribui. Quare & omnes creaturę, quia ab vno Deo prodeunt, vni Deo acceptæ referūtur. Secūdò. Spirari diſtinctè competit Filio: ergo non propriè Spiritui Sancto. Conſequentia nota; antecedens videtur Iob 32. *Inſpiratio omnipotentis dat intellectum*, ſcilicet Filiū: ergo Pater inſpirando producit Filium. Tertiò ad idem. Spiratio in nobis eſt actus naturalis: ergo & in Deo, quia eſt à nobis tributum: ergo competit Filio, quia procedit naturaliter, & generatur.

Reſp. primò, equiuocum committit, & fallaciam inuoluit, & conſequenter falſum aſſumit. Aliud enim eſt ſpirare, aliud inſpirare; ſpirare eſt ad intus producere; inſpirare verò eſt effectum à tota Trinitate, & in mente noſtra ſpiritualem immittere: Geneſ. 1. *Inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ*, ſcilicet animam creauit. Sap. 15. *Qui inſpirauit illi animam*. Ad Timot. 3. *Scriptura diuinitus inſpirata*. 2. Petri 1. *Spiritu Sancto inſpirati, locuti ſunt Sancti Dei homines*. Ad argumentum ergo primò concedo totum, deinde ſi formaliter, ac vt ſic ſumitur ſpirate, negatur antecedens; ad rationem reſpondetur. Id non eſt ſpirare per originem ad intra, ſed efficere in nobis aliquid ad extra. Ad ſecundum confirmatum ex illo loco Iob, quod competit Filio ſpirati; interpretandus ille locus.

Primò enim textus non dicit, dat intellectum, ſed intelligentiam. Deinde 70. interpretes quaſi interpretantes locum dicunt; docet intelligentiam, vt velit ibi verè Iob dicere. Spiritus eſt in hominibus, & inſpiratio omnipotentis dat intelligentiam. Deus habitat in hominum cordibus, & ſuo conſilio, & ſapientia docet quid intelligendum, quidq; loquendum. Nihil ergo minus in illo loco, quàm quod loquatur Iob de æterni Filij generatione, ſed de effectiua inſpiratione, & mentis illuſtratione, ac ad dicendum, & reſpondendum quibus loquantur, motione.

Ad tertiam confirmationem neganda conſequentia, & hac neceſſaria ratione, quę ſit regula in transferendis à creatura Deo attributis, perpetuò obſeruanda; vt ſcilicet quæ in Deum transferuntur, exuantur ijs imperfectionibus, quæ Deum dedecent, Deoque contradicunt. Ergo ſpirare, in nobis cum dicat neceſſitatem, & indigentiam; ne nimio calore præfocemur; nec transferri poteſt in Deum, nec vlla ratione ſimile, vbi in Deo ſpirare eſt ex liberalitate voluntatis amorem producere. Mox ſi naturale ſumis, vt opponitur contingentię, & mutabilitati, in Deo naturale eſt ſpirare, & de Diuina perfectione intrinſecum. Quod ſi inſtabis; Spirationem in Deo eſſe attributum, idque conceſſum à S. Doctore. Reſp. Id quidem verum, ſed non ſub hac ratione: ſub qua verò, explicatum iam eſt.

ARTICVLVS II.

Vtrum Spiritus Sanctus procedat à Patre, & Filio. D. Bon. diſt. 11. q. 1. D. Th. citata quæſt. art. 2.

PARAPHRASIS.

PRIMA *Propoſitio. De fide Spiritum Sanctum à Patre non ſolum, ſed etiam à Filio procedere, aſſerēdum eſt. Probatur primò ex Diuinis litteris, ad Galat.* 4. Miſit Deus Spiritum Filij ſui, *ex quo ſic arguitur*.

Si

Si mittit Pater Spiritnm Filij ſui: ergo Spiritus miſſus aque eſt Filij, ac Patris: ſed non eſt Patris, niſi quia ab ipſo procedit: ergo eadem ratione, & Pilij, quia ab ipſo. Probatur vltima conſequentia: aliàs enim ſi non ideo diceretur Filij Spiritus Sanctus quia ab ipſo eſt, ſed quia in ipſo; poterit & Filius dici & Spiritus Sancti, quia in ipſo eſt. Ioa. 15. Quem ego mittam vobis Spiritum veritatis. Quo loco ſic mirificè res perſuadetur. Filius mittit Spiritum Sanctum: ergo habet auctoritatem mittendi: ergo aliquid tribuit ei: ergo producit illum: Antecedens eſt S. Ioa. Prima conſequentia probatur. Inintelligibile enim eſt quod enm mittat, & iure non mittat, nec mittere poſsit. Secunda, & tertia conſequentia. Si mittere poteſt, aut ratione eſſentiæ, aut ratione relationis, & originis: non ratione eſſentiæ: vna enim & eadem eſt, & nullam diſtinctionem admittit, vt ſit miſſa, & mittens: ergo ideo poteſt mittere, quia tribuit ei eſſe perſonale, & ipſius eſt origo.

Confirmatur. Non poteſt dici, accipit in tempore eſſe ab ipſo, & in tempore procedit: nam ideo mittit in tempore, quia prius habet auctoritatem mittendi: ergo ab æterno: ergo propter originem ab ipſo. Ioa. 16. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet. Quibus ſic vrgetur. Spiritus aliquid accipit à Filio, vt teſtatur his verbis D. Ieſus: ergo omne quod eſt, & quod habet: ergo ab ipſo procedit. Conſequentia prima ex ſumma Spiritus Sancti impartibiliq; ſimplicitate conſtat. Secunda verò itidem conſtat: nam nulla alia ratione eſſe accipere poteſt, quàm per originem, & proceſsionem. Confirmatur. Nam ſi non ab æterno ſic accipit eſſe, ſed in tempore, tunc mutaretur, & nan eſſet ſummè ſimplex &c.

Secundò ex corp. quæſt. eadem veritas fidei probatur ex ijs Concil. quibus Symbolo addita eſt vox, & particula Filioque procedit: & potuit addi, tum quia ſic fidei Nicænæ non eſt addita noua, aut contraria fides, ſed illa perfecta, completa, & declarata fuit, iuſtis, ac neceſſarijs de cauſis tunc vrgentibus; tum quia Concilium illud ſtatuens ne quicquam adderetur confeſsioni, non potuit præſcribere, aut prohibere futuris æqualibus Concilijs generalibus, ac in primis Eccleſiæ Romanæ, Summoque Pontifici, qui omnem auctoritatem immediatè à Chriſto Domino, independenter à quocumque alio accepit in omnem Eccleſiam.

Tertiò idem roboratur ex omnibus Patribus Latinis, vt ſupponitur: eſt enim hæc controuerſia inter Græcos, & Latinos Patres, & etiam multis ex Græcis ab ipſis aduerſarijs relatis, excepto D. Damaſc. qui & ipſe tamen cautè locutus eſt, & ad bonam frugem reducitur.

Quartò rationibus. Prima. Spiritus Sanctus procedit vt donum: ergo non ſolum à Patre, ſed etiam à Filio. Antecedens conſtat ex multis locis Scripturæ, vt infra ſuo loco, & concedunt ipſi Græci, nedum Latini. Conſequentia probatur: nam donatur etiam à Filio, & non donatur niſi vt ab eo procedit. Secūda. Procedit vt amor: ergo etiam à Filio. Antecedens ſupponitur demonſtrandum ſuo loco. Conſequentia patens: nam æque Filius amans, vt Pater. Tertia. Procedit vt nexus: ergo etiam à Filio. Antecedens adhuc ſupponitur, ſubconſequentia probatur: nam nexus hic neceſſariò erit perfectiſsimus ratione Diuinæ perſonæ procedentis: ergo ab vtroque extremo, & vtraque perſona Patris, & Pilij. Probatur. Nam perfectior nexus qui ab vtroque, quàm qui ab altero dumtaxat extremo eſt: ergo non tantum à Patre, ſed etiam à Pilio. Quarta. Spiritus Sanctus à Filio de fide diſtinguitur: ſunt enim tres perſonæ realiter diſtinctæ: ergo ab ipſo procedit. Probatur. Omnis diſtinctio in Diuinis realis eſt per relationem oppoſitam, & originem: ergo vbi erit diſtinctio, erit & origo: ergo ab oppoſito, vbi nulla origo, nulla diſtinctio. Quinta. Si inter Filium, & Spiritum Sanctum nulla origo, nullaque proceſsio: ergo neque ſumma germanitas, neque ſumma vnitas, neque denique ſumma beatitudo. Probatur conſequentia: nam maior vnio quando vnus ab alio procedit, quàm quando non procedit. Sexta. Si Filius à Patre accipit etiam actum ſpirandi, erit perfectior, & expreſsior imago, quàm ſi non accipit: ergo neceſſariò aſſerendum quod accipit. Antecedens tum videtur notum, tum ſupra aſſertum eſt. Conſequentia vrget ne ſequatur abſurdum hoc, Filium non eſſe perfectiſſimam imaginem. Confirmatur. Non repugnat hic actus Filio ſpirandi: ergo dandus.

Secunda Propoſitio ex reſponſione ad vltimum Corollaria. Græci oppoſitum ad hoc cum pertinacia profitentes, & Schiſmatici, & Hæretici exiſtimandi, & verè ſunt. Primum conſtat: nam ab Eccleſia Romana omnium Eccleſiarum matre receſſerunt. Secundum itidem manifeſtum: nam contra Diuinam Scripturam per Sanctos Patres expoſitam, contra ſanctiones Generalium Conciliorum, contra ſententiam Patrum contumaces obſtinatè ſentiunt: quare rectiſsimè Romana eos damnat Eccleſia.

Tertia Propoſitio. Potuit Eccleſia Romana propter ſummam à Chriſto acceptam poteſtatem, etiam non vocatis Græcis, declarare, docere, & decernere de Spiritus Sancti à Filio proceſſione.

Quarta Propoſitio. Debuit id facere; tum quia vrgebat tunc temporis huius fidei declarandæ neceſsitas, ex tunc de hac re cōtrouerſia oborta, tum quia laborioſum erat tunc Græcos conuocare, tanto itinere diſtantes: infructuoſum erat, ex Sapientia ab ipſi Græcis ferè amiſſa: periculoſum, ne cum ipſis adhuc controuerteretur, & in dubium reuocaretur quod omnino certum, & indubitatum tenendum, & profitendum erat.

Quinta Propoſitio. In ſingulis Concil. etiam Generalibus, non omnia relata, ac conſtituta ſunt,

Digitized by Google

ſunt, quæ ad omnes mores, & ad certam fidem ſpectant. Probatur exemplo: Nam in Symbolo Nicæno nihil dicitur de deſcenſu Christi ad inferos, quod tamen tanquam de fide aſſeritur in Symbolo Apoſtolorum.

Sexta Propoſitio ex reſponſione ad quintum. In ipſamet Scriptura non omnia ſcripta ſunt, quæ ad fidem noſtrã pertinent. Probatur primò. Nam multa Scriptura ſacra ſolet tacere ad inſinuandam humilitatem: ita enim Ioa. 7. Dominus dixit: Mea doctrina non eſt mea, ſed eius &c. *&* Ioa. 15. Spiritus, qui à Patre procedit, *ad humilitatem ſcilicet non addit*, & à me, *licet poſtea addiderit, quod ad plenam veritatem ſuffecit*: Omnia quæ habet Pater, mea ſunt. *Secundò. Ideo ex Diuina Scriptura non valet arguere à negatiuis, quia non omnia dixit.*

Septima Propoſitio. Græci miſerrimè in hanc obſtinatam, ac pertinacem cæcitatem prolapſi ſunt ex ignorantia, quia nec Diuinas Scripturas intellexerunt, nec rationes rectas, aut reuelationem veritatis conſecuti ſunt. Ex ſuperbia, quia non vocati ad illam additionem, ex Filioque procedit, *noluerunt profiteri quod ab ipſis non eſt inuentum, & ſine ipſis decretum. Ex pertinacia: ne enim conuicti diffamarentur, adinuenerunt ſibi falſa, & vt ſibi patrocinarentur, ſuamque ſententiam tuerentur, nedum ab Eccleſia Romana receſſerunt, ſed eam vt curioſam, excommunicatam, & ſchiſmaticam redarguerunt.*

COMMENTARIVM.

PLVRIMA ſub hoc vnico titulo, An Spiritus Sanctus procedat à Patre, & Filio, eaque egregiè docet S. Doctor, & ei multum tribuendum, ac fortaſſe magis, quàm cuique alteri hac in re, quippè qui in Concil. Lugdunenſi Generali, vbi hæc res diſcuſſa eſt, aderat, & vita functus, & defunctus eſt, & ſua doctrina plurimum profuit, vt teſtatur Sixtus V. in Bulla, qua ei doctoris inſignia decreuit. Neque ei vitio dandum, quod in hac quæſt. plura ſint ſcita, quàm quæſita, contra Ariſt. 1. Poſter. vt etiam in hoc art. S. Thom. obſeruat Caiet. Reſpondetur enim, & omnia virtute in illo titulo contineri, & idem eſt quærere, An res ſit, & an ſit aliqua ratio, qua res ſit; exemplo de Lunę ecliſpi, de qua idem eſt, an ſit eclipſis, & an inueniatur de eclipſi ratio.

Primò ergo docet, & apprimè, & optimè probat Spiritum Sanctum à Patre, & Filio procedere, per omnia capita, quibus ferè fidei dogma probari conſueuit, per Diuinam Scripturam, per decreta Conciliorum, per communem Eccleſiæ ſenſum, per Sanctos Patres, per reuelationes, per hiſtorias &c. poſtremo loco per eas rationes, quibus fidei noſtræ poſſunt principia fulciri: & in hoc dogmate ſicut cum Græcis vehementer laborauit, ſic mirificè profecit, & doctrina, ſanctitate, & auctoritate profuit. Secundò, inter rationes annexam quæſt. optimè ſoluit; ſcilicet adeo verum eſſe Spiritum Sanctum etiam à Filio procedere, vt ſi per impoſſibile ab ipſo non procederet, neque diſtingueretur, neque ſubinde eſſet. Tertiò, quaſi hiſtoricum agens, originem huius controuerſiæ, de qua quæſtionem verſat, & incrementum, & conſumationem: in quo nobiſcum conueniunt Græci, in quo differunt: Vnde incepit eorum lapſus, & per quos proceſſus, ne dicam receſſus, ita prolapſi ſunt, vt obſtinati, & in errore obfirmati, vt medicinæ, & veritatis ita incapaces ſe conſtituerint; cumulatiſsimè enarrat. Quartò, acutiſsimè omnia oppoſita argumenta ſoluit.

Inter dicendum autem, dogmata, & circa mores, & Scripturæ, & Eccleſiæ in referendis, & decernẽdis fidei dogmatibus promit. *Primò. Non enim. inquit, S. Scriptura, miris ex cauſis, omnes quæ poſſent referri veritates, refert. Secũdò. Neq; Eccleſia omni tempore ſingulis Concilijs omnes damnat hæreſes, omneſq; decernit fidei articulos; ſed quos illorum temporũ exigit opportunitas, & neceſsitas*; illeq; articulus eo tempore, et eo Cõcilio ſancitur, quo ab hæreticis impugnari, et negari cœptum eſt; idq; longo temporum, ac variorum Conciliorũ progreſſu, et obſeruatione fit manifeſtè proſpicuum. *Tertiò. Eccleſiã Romanam, Romanumq; Pontificẽ præſidere vniuerſi Eccleſiæ. Quartò. A Chriſto Domino immediatè recepiſſe claues, poteſtatem, & Regiam, Monarchicamque auctoritatem in omnes Eccleſias particulares.* Poſſe conſequenter & in Concilijs decernere, remouere, declarare quæ varia afferunt temporum accidentia. *Quintò. & ſine congregatis omnibus in Concilijs, & per ſeipſum ſummum Pontificem fidei dogmata ſancire.* Quare ſine Græcis contra Græcos de Spiritu Sancto à Filio optimè decreuit etc.

Sed explicata nominis *Spiritus* vi propria ac communi, recto ordine primum quod ſeſe primò obijcit diſquirendum, eſt de tertiæ perſonæ principio: verum quoniam ſupponitur tertiam perſonam habere principium: non enim eſt prima; quodnam ſit, an Pater ſolus, vel an ſecum Filius, propter Græcos controuertitur: & cum ſecundum originem quoquo modo ſit prius principium; de eo prius videtur agendum, et quod ſpiratio actiua ſit communis Patri, et Filio, ad perfectam vtriuſq; tractationem congruum eſt ab hoc exordiri: eo præſertim, quo ad ea quæ de Spiritu Sancto dicenda, idoneè introducit. Sed quo ad præcipuum, quod in hac quæſt. agitatur. An ſcilicet Spiritus Sanctus procedat à Patre non ſolum, ſed etiam à Filio; videndum primò, An quæ recenſuit Diuinæ Scripturæ loca pro hac veritate comprobanda, his eo ſenſu vſus ſit, quæ preſsò, ac neceſſariò rem ita credendam probent, præſertim quia in reſponſione ad argumenta videtur concedere, ſufficienter non eſſe locutam Scripturam, dum ſuo argumento Gręcis hoc prætendentibus reſpondet, à negatiuis in Diuina Scriptura non tenere conſequentiam.

Ergo Diuũ Paulum ad Galat. 4. dum Spiritum Sanctum appellat Spiritum Filij ſui, *Miſit Deus Spi-*

Spiritum Filij ſui; interpretatur Epheſinum Conc. in Epiſtola Synodali, quam compoſuit S. Cyrillus illius Concil. Legatus, & Præſidens auctoritate Cæleſtini Papæ, quamque vniuerſa Synodus Generalis recepit, præcepit, ac decreuit, De Spiritus Sancti proceſsione à Filio in ſimili, his verbis. *Spiritus veritatis nominatur, Chriſtus autem veritas eſt, ſed perinde ab illo, atque à Patre procedit, ſi Filij ſui Spiritus eſt*; & ex ſimilibus locis deductum argumentum ſentit Diuus etiam Auguſtinus ſufficere ad hanc proceſsionem probandam. Deinde idem locus à quarta Synodo, actione 5. & à 5. actione vlt. & 6. actione 17. & 7. actione 7. recipitur.

Ille verò locus Ioa. 15. *Quem ego mittam ſpiritum veritatis*, duobus modis vrget vehementer pro hac veritate. Primò, *quem ego mittam*: ſit enim certiſsimum Theologorum, & Sanctorum Patrum argumentũ. Mittitur: ergo procedit. Ita inter alios D. Bonau. diſt. 15. quæſt. 3. & 4. Vbi in Miſsione ſemper ſupponi proceſsionem docet. Scotus diſt. 14. quæſt. 1. §. *licet autem*. Gabriel q. 1. Marſil. quæſt. 10. art. 1. 2. 3. & 4. D. Thom. q. 43. art. 1. dicens, De ratione miſsionis eſt procedere à perſona mittente. Durand. diſt. 15. quæſt. 3. Caiet. in art. 1. S. Thom. citatę quæſtionis. Ferrarienſis quarto contra gentes cap. 23. & communiter; vt nemo inueniatur, qui aut neget, aut negare poſsit: conſtat enim ex Diuinis litteris, perſonas, quæ mittuntur, etiam procedere: Filius enim, & Spiritus Sanctus, & mittuntur, & procedunt, & ab iis mittuntur, à quibus procedunt: nam à Patre mittitur Filius, & à Patre procedit: *Qui miſit me mecum eſt*. & Spiritus Sanctus à Patre & procedit, & mittitur. *Quem mittet Pater in nomine meo*; & à Filio mittitur: ergo & à Filio procedit.

Eſt SS. Patrum præſidio munita hęc argumentatio nam D. Hilar. 9. de Trinit. illa ſcilicet Ioa. c. 16. explicans verba: *Exiui à Patre, & veni in mundum*. ſic loquitur. *A' Patre in hunc mundum venerat, quia à Deo exierat; nam vt natiuitatem ſuam in exitione ſignificaſſe intelligeretur, ſubiecit ſe à Patre veniſſe; & cum ipſe à Patre veniret, quia à Deo exiuit, exitio eius abſoluta natiuitas eſt, quam paterni nominis eſt profeſſio conſecuta*. D. Aug. 4. de Trinit. cap. 20. *Sicuti natum eſſe*, inquit, *eſt Filio à Patre eſſe, ita mitti eſt Filio cognoſci, quod ab illo ſit*. Idem S. Aug. lib. 3. contra Maximinum hæreticum, cap. 14. *Miſſio non eſt inæqualitas ſubſtantiæ, ſed ordo naturæ*. & 4. de Trinit. cap. 20. *Filius mittitur, non quia minor, ſed quia emanatio quædam claritatis Dei ſinceræ*. Et tract. 102. in Ioa. in illa verba: *Exiui à Patre, & veni in mundum. Ille exitus per Diuinam proceſsionem fuit*.

D. Cyrill. lib. 12. Theſau. cap. 5. Miſſum eſſe Filium à Patre dicit, non mutatione locorum, ſed ſicut calorem ab igne, vel ſplendorem à lumine. S. Greg. in illa verba: *Sicut miſit me viuens Pater*. hom. 26. in Euang. explicatiſsimè; quamuis mitti etiam iuxta naturam Diuinitatis poſsit intelligi: eo enim ipſo à Patre mitti dicitur, quo à Patre generatur: nam Spiritũ S. quoq; qui cum ſit æqualis Patri, & Filio, non tamen incarnatus eſt, eundem tamen aſſerit Filius ſe mittere dicens: *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam à Patre*: ſi enim mitti, ſolum incarnari deberet intelligi, Sanctus proculdubio Spiritus nullo modo mitteretur, qui nunquam incarnatus eſt, ſed eius miſſio ipſa proceſsio eſt, cum de Patre procedit, & Filio. Deniq; venerabilis Beda lib. 2. homil. hom. 2. *Cum gratia Spiritus Sancti datur hominibus, profectò mittitur Spiritus Sanctus à Patre, & Filio, quia eius miſsio eſt ipſa proceſſio.*

Confirmatur ratione. Pater, licet quidem in Diuinis Scripturis dicatur venire. Ioa. 14. *Ad eum veniemus*, Pater ſcilicet & ego, vt notauit Sanctus Athanaſ. Epiſt. ad Seraphionem; nunquam tamen legitur mitti, aut miſſus. Ratio primi: nam verbum *venire* non dicit reſpectum, à quo proueniat ille aduentus. Ratio ſecundi, quam reddit S. Aug. 2. de Trinit. cap. 5. quia mitti eſt ab alio oriri: Cum ergo Pater à nullo oriatur, nunquã dicitur in Scriptura mitti. Quod ſi opponatur primò. Iſa. 48. *Dominus miſit me, & ſpiritus eius*. & cap. 61. *Spiritus Domini ſuper me, eo quod vnxerit Dominus me, ad annunciandum miſit me*: vbi Spiritum Sanctũ mittere Filium videtur affirmari: non erit ergo verum, miſsionem perſonæ dicere originem: certum enim eſt Filium à Spiritu Sancto non oriri. Secundò. S. Aug. 2. de Trinit. cap. 1. Vbi Verbum ſe ipſum mittere aſſerit. Quod eo augetur, quo & Conc. Tolet. 11. in confeſſione fidei, & Hyginus Papa Epiſtola prima Decretali, ita loquuntur.

Primum locum Hebræi de ipſomet Profeta Iſa. interpretati ſunt, quia ibi de ſeipſo loquitur Propheta, quos quidam Catholici imitati ſunt: D. verò Cyrill. de Rege Cyro expoſuit. De Chriſto autem cæteri omnes. D. Hieron. in illa verba. D. Ambr. lib. 1. de Spiritu Sancto cap. 1. D. Chryſoſt. hom. de Sancto, & adorando Spiritu. D. Aug. 2. de Trinit. cap. 5. & 15. Euſeb. lib. 5. de demonſtratione Euang. cap. 6. Anaſtaſ. Sinaita lib. de rectis fidei dogmatibus. Concil. Tolet. 11. in Confeſsione fidei. Secundum vero locum Chriſtus ipſe Lucæ 4. de ſeipſo expoſuit.

Eos verò locos de Filio ſub ratione naturæ humanæ interpretandos eſſe, colligitur ex ipſius Prophetę verbis: ſi enim Spiritus Domini vnxit eũ, aut vnctione gratiæ, aut vnctione vnionis hypoſtaticæ certò vnxit. Si ad euãgelizandũ miſit, perſpicuũ de Filij humanitate eſt fieri mentionem. Et S. Hieron. priorem locum ita interpretatus eſt. *Ego*, inquit, *iuxta fragilitatem carnis aſſumptæ dico quod Dominus miſerit me, & ſpiritus eius*; & poſteriorem locum eodem modo idem S. Hieron. S. Athanaſ. Orat. 2. contra Arrianos. S. Cyrill. & eſt communis Patrum expoſitio. Neque enim Spiritus Domini, & vt hebræa habent, *Spiritus Dei*, ſuper Diuinitatem Chriſti, aut Diuinitatem Chriſti mittere intelligi poteſt; etſi S. Bon. diſt. 15. quæſt. 4. ex D. Aug. 2. de Trinit. cap. 5. arguat,

Filium

Filium non mitti à Patre ſine Spiritu Sancto, etiam ſecundum Diuinam naturam; ipſemet in corp. quæſt. explicatè reſpondet, miſſionem perſonæ Diuinæ duo inuoluere, & emanationem, & manifeſtationem; qua parte emanationẽ indicat, Spiritus Sanctus non mittit Filium; qua verò parte manifeſtationem, non repugnat ab eo mitti, ſcilicet manifeſtari,

D. quoque Thom. quæſt. 43. art. 8. eundem D. Aug. enucleans prodit, verbum mittendi biſariam vſurpari, aliquando vt denotet perſonam mittentem vt principium miſſæ, quo ſenſu vetum eſt, nullam perſonam mittere aliam vt Diuinam, niſi illam, quam produeit: aliquando verò vt perſona mittens deſignetur principium illius effectus, ſecundum quem fit miſsio; & hoc modo & tota Trinitas, & perſona ſeipſam mittit, & Spiritus Sanctus Filium aſſeritur mittere.

Hinc ad locum qui opponebatur D. Aug. elucescit explicatio ex vtroque S. Doctore, & conſequenter Conc. Tolet. quod ad Auguſtini Imitationem locutum certum eſt. Hyginum vero Papam illa Decretali ſeipſo parere exiſtimo: loquebatur enim de ſola miſsione Verbi in carne; negat verò veniſſe, aut miſſum eſſe ab aliqua perſona, ita vt illa miſsione inuoluatur miſsionia illa imperfectio, quæ eſt de motione locali, aut mutatione. Vt verò in aſſumpta natura, & ab alio miſſum, & ſeipſum miſiſſe fatetur, ſenſu expoſito. Ergo hæc non obſtant, quin miſsio verè, & completè, & adæquatè ſumpta ſemper includat emanationem, & ſubinde Filius mittens Spiritum Sanctum, ipſe Spiritus Sanctus emanet à Filio mittente.

Alterum verò verbum auctoritatis, quam explicamus ſecundò, magis vrget, ſcilicet *Spiritus veritatis*, nimirum quod ita dicatur, quia à Filio quoque procedat, qui veritas eſt. Eſt enim Concil. Ephiſini expoſitio in Epiſt. Conciliari D. Cyrilli, vt paulò ante retuli, his verbis: *Spiritus nominatur veritatis, Chriſtus autem veritas eſt. Sed ab illo perinde atque à Deo Patre procedit.*

Erat alter locus Ioa. 16. *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet.* Ex quo quàm eleganter, & acutè, & preſsè arguat S. Doctor in textu, ſatis euidens eſt. Quanti verò ponderis ad veritatem hanc aſtruendam æſtimanda ſint verba hæc, quantique fecerint Patres, nunc breuiter diſquirendum. Sed accipienda ſunt & pauca quædam verba, quæ immediatè antecedunt, vt integra ſit ſententia referenda. *Non enim loquetur à ſemetipſo, ſed quæ audiet loquetur, & quæ ventura ſunt annunciabit vobis, ille me clarificabit, quia de meo accipiet.*

Hæc omnia de Spiritus Sancti proceſsione interpretantur Patres hi ex Latinis. D. Hilar. lib. 8. de Trinit. longè à principio, D. Aug. tract. 99. in Ioa. D. Ambr. lib. 2. de Spiritu Sancto cap. 12. vbi explicatiſsimè nihil aliud à Filio audire, quàm naturam accipere, his tradit verbis; *Quodſi quia nouit omnia, vim, & præſcientiam habet omnium Dei Filius futurorum; quæ Filio cognita putas de Filio accipit Spiritus Sanctus? accipit autem per vnitatem ſubſtantiæ, ſicut à Patre accipit Filius.* Et lib. 5. de fide cap. 6. explicat quid ſit Filium accipere à Patre, his verbis: *Plerique doctiores & audire Filium, & dicere aliquid Filio Patrem, accipiunt per vnitatem naturæ.* D. Anſel. lib. de proceſsione Spiritus Sancti cap. 7. Ex Græcis verò D. Nazianz. Orat. de fide. Didymus lib. 2. de Spiritu Sancto apud D. Hieron. exponens illa verba: *Non enim loquetur à ſemetipſo*, ſic effatur. *Quia non eſt ex ſe, ſed ex Patre, & me; hoc enim quod ſubſiſtit, & loquitur, à Patre, & me ille eſt.* D. Cyrill. lib. 1. Theſauri cap. 4.

Quod ſi iſti Patres Græci, cum quibus eſt & S. Chryſoſt. hom. 67. aliam his verbis adhibent explicationem; huic tamen non eſt contraria, hancque non negant, ſed ex vbertate ingenij plurima voluerunt edere, eademque vera: eandem enim conformemque Chriſti doctrinæ doctrinam, ac ſcientiam docturum Eccleſiam Spiritum Sanctum, quod aiunt iſti Patres, & veriſsimum eſt, & non tollit aliam, imò roborat, & firmat: ſi enim eandem doctrinam à Chriſto docturus erat Spiritus Sanctus: ergo eandem & naturam ab eo accepit.

Huic doctrinæ, & expoſitioni de Spiritus Sancti emanatione, Theophilact. acerbus contra hanc veritatem, Græcus, conatur contradicere: ſed Bellarminus Cardinalis & ei obſtruit os, & eius machinationes deſtruit lib. 2. de Chriſto cap. 22. *Ille me clarificabit*, Concil. Epheſ. in illa D. Cyrilli Epiſtola, recepta, & approbata contra hæreticum Neſtorium, ad quem miſſa eſt, ex illis verbis, negantem & Chriſti Diuinitatem, & in eadem natura cum Spiritu S. æqualitatẽ, quia veluti maior Spiritus Sanctus, ac perfectior clarificabat Filium, ſic exponit. *Vnum Chriſtum Dominum, & Filium, non veluti alterius egentem gloria, confitemur à Spiritu Sancto gloriam conſecutum, quia eius Spiritus nec melior, nec ſuperior ipſo eſt; ſed quia humana opera faciens ad demonſtrationem ſuæ Deitatis, virtute propria ſpiritu vtebatur, ab ipſo glorificari dicitur, quod virtus ſua, vel diſciplina qualibet vnumquemque clarificet. Quamuis enim in ſua ſit ſubſtantia Spiritus eius, & intelligatur in perſona proprietas, iuxta id quod ſpiritus eſt; non attamen ab illo alienus natura eſt: nam ſpiritus nominatur veritatis, & Chriſtus veritas eſt; ſed ex ipſo ſimiliter, ſicut ex Deo Patre procedit &c.* Vbi clariſsimis verbis, & maxima auctoritate, Spiritum Sanctum dici clarificare Filium, quia Filij eſt, à Filioque procedit, decernitur.

Quod verò additur: *De meo accipiet*, in futuro tempore, id non fit, quaſi præterito tempore, & ab æterno non acceperit eſſentiam, & ſcientiam, & ſuum eſſe perſonale; ſed imò ad proceſsionia æternitatem conteſtandam, vt egregiè hunc enucleans locum S. Aug. *Quia de meo accipiet, erit ſicut eſt, erit, quia nunquam deerit, fuit, quia nunquam defecit, eſt, quia ſemper eſt &c.* quia omnia tempora æternitate continentur, & omnes propoſitiones de rebus æternis veræ ſunt quocumque

cunque tempore exprimantur, & ex temporis differentia profert, & loquitur Diuina Scriptura, ſicut expoſtulat res, de qua agitur. Tertiò, illa verba: *Qui eſt, miſit me*, multi ex hebræo vertunt, *erit, miſit me*, ſcilicet qui habet eſſe in æternum duraturum, & nunquam deſiturum, qui ſemper erit, miſit me ad vos, hoc eſt Deus verus.

Illum verò locum Ioa. 15. *Omnia, quæ habet Pater, mea ſunt*. Ioa. 17. confirmatum: *omnia tua mea ſunt*; aſſumit S. Doctor in reſponſione ad 5. ad Græcorum calumniam excludendam, quo inter omnia alia loca efficaciſsimè arguit ad hanc Filij ſpirationem actiuam Spiritus Sancti: ita enim ſubſumit. Sed Pater habet vim ſpirandi Spiritum Sanctum: ergo eandem habeo & ego. Non habet tamen paternitatem, quia tunc non eſſet perſona diſtincta, neque Filius, ſed ipſe Pater. *Filius eſſet*, inquit S. Aug. lib. 5. de Trinit. cap. 14. *Omnino quod Pater, non tamen Pater, quia eſt Filius*. Et ex Græcis D. Damaſc. lib. 1. de fide c. 9. *Quo fit, ait, vt omnia quæ Pater habet, Filij ſint, hoc vno excepto, quia ingenitus non eſt*.

Sed ne in enumerandis Sanctorum Patrum huius loci commentationibus conterere tempus videamur; omnes ſimul Patres, tàm Latinos, quàm Græcos in Generali Synodo Florentina ſub Eugenio quarto, præſente etiam Ioanne Paleologo Græcorum Imperatore, & Patriarcha Coſtantinopolitano, ad hunc locum explicandũ alludentes audiamus. *Et quoniam omnia, quæ Patris ſunt, ipſe Pater vnigenito Filio ſuo gignendo dedit, præter eſſe Patrem, hoc ipſum, quod Spiritus Sanctus procedit ex Filio, ipſe Filius à Patre æternaliter habet, à quo æternaliter genitus eſt*. Sed quid? ipſiſsimus locus, quem contra nos pro ſe referunt, & adhibent Græci, mirificè pro nobis eos vrget, Ioa. 15. *Ego mittam vobis à Patre Spiritum veritatis, qui à Patre procedit*. Primò enim S. Doctor gloſſat, negatque conſequentiam, Non eſt in Scriptura: ergo non eſt verum: multa enim in Scriptura Diuina tacentur iuſtis de cauſis, quemadmodum hic Chriſtus Dominus modeſtiæ, humilitatiſque cauſa ſubticuit à ſe etiam Spiritum Sanctum procedere, ſicuti & quando dicebat: *mea doctrina non eſt mea, ſed eius, qui miſit me Patris*. Quam expoſitionem videtur S. Doctor ex D. Aug. 15. de Trinit. cap. 27. & tract. 99. in Ioa. deſumpſiſſe, vbi Filium omnia ſua ſolere Patri accepta referre, à quo quod ſit habet, obſeruat. Secundò, ex additis ſupra locis de hac veritate neceſſariò Græcis negat antecedens, non eſſe ſcilicet in Scriptura, Spiritum Sanctum à Filio procedere: Quare addit, *Omnia quæ habet Pater, mea ſunt*.

Sed ferè ex ſingulis verbis huius loci veritatem hanc confirmare licet. Primò ex illo: *ego mittam*: ſupra enim ex omnibus Theologis, multiſque Patribus, ex miſſione arguta eſt proceſſio, & ipſe S. Doctor: nam ſi Filius mittit: ergo poteſt mittere: ergo mittendi habet auctoritatem: ergo eum ſpirat: nam aliam, nec aliunde habere poteſt auctoritatem. Deinde, *à Patre*. Oſtendit quomodo eum mittat, ſcilicet à Patre accipiens eſſentiam, & communem ſpirandi vim. Præterea, *Spiritum veritatis*. Ex Concil. Epheſ. hoc verbum de proceſsione Spiritus Sancti à Filio, qui eſt veritas, expoſitum eſt. Denique *qui à Patre procedit*: ergo licet non addat, *& à Filio*, neque tamen negat. Ergo temerarij Græci, qui auſi ſunt negare quod Diuinæ litteræ nunquam negarunt. Secundò, ex præcedentibus verbis, quibus ſcilicet Filium mittere, eſſeque ſpiritum veritatis, neceſſariò non excludi Filium colligitur, ſed imò includi: ſi enim eſt ſpiritus veritatis: ergo à Patre non ſolum, ſed à veritate, qui eſt Filius, etiam procedit; & ſi eſt mittens: ergo & ab ipſo, ſicut à Patre ſimul mittente: à Patre enim mittit Filius.

Eſt S. Aug. qui 3. contra Maximinum cap. 14. his verbis docet. *Non excluditur Filius, ſed aſſeritur Pater, tanquam principalis Spiritus Sancti origo: ab ipſo enim habet & Filius vt ſpiret*. Quod veriſsimè dicitur ex conſimilibus locis: nam Matt. 16. dicitur: *Caro, & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus, qui in cœlis eſt*; & tamen quis dubitet, illam reuelationem factam eſſe à tribus perſonis? Ioa: 15. *Ille vos docebit omnia*. Nonne verò & Pater, & Filius docet nos omnia? imò D. Anſel. lib de proceſsione Spiritus Sancti. *Etiam ſi*, inquit, *quia à ſolo Patre procedit, dixiſſet D. Ioa. non adhuc excluſus eſſet Filius*.

Ex conſimili modo dicendi Matt. 11. *Nemo nouit Filium, niſi Pater, neque Patrem quis nouit, niſi Filius*; neque enim à ſui cognitione excluditur Filius, neque Spiritus Sanctus ab vtriuſque cognitione. Tertiò ex cæteris locis, quibus ſupra relatum eſt, Spiritum Sanctum à Filio procedere, arguitur hoc locò non excludi, ne in Diuinis litteris admittatur contradictio. Quartò, *à Patre procedit*, non quidem vt Pater formaliter: aliàs enim Spiritus Sanctus eſſet formaliter Filius: ergo à Patre vt habet communem eſſentiam cum Filio. Denique ex hoc loco poteſt vehementer inferri Filius, hoc ſcilicet modo. Procedit Spiritus Sanctus à Patre: ergo & à Filio. Probatur conſequentia: nam omnia quæ habet Pater, habet & Filius, præter ea, in quibus ei opponitur; ſed in ſpiratione non opponitur Patri Filius: ergo eam cum Patre habet. Hinc ergo conſtat quàm appoſitè, quamque eruditè S. Doctor contra Græcos, pro Spiritus Sancti proceſſione etiam à Filio comprobanda, hæc Diuinarum Scripturarum loca aſſumpſerit.

Ad tertium ergo accedamus, quod ex Concilijs deſumptum argumentum conſtruit. A Concilio legitimè congregato, & auctoritatem habente decretum eſt, Spiritum Sanctum à Patre, & Filio procedere: ergo ita credendum: ergo Græci hoc non credentes, hæretici pertinaces habendi ſunt. Antecedens probatur primò, quia licet nõ vocatis Græcis, & potuit eſſe, & fuit Generale, & legitimum Concilium, Summi Pontificis auctoritate congregatum. Secundò, quia Summus Pontifex ſuper omnem Eccleſiam D. Petro ſuccedens, à Chriſto Domino omnem accepit auctoritatem, vt & ſine Græcis, & ſine Concilio poſsit etiam de

fide

Digitized by Google

fide decernere. Tertiò, quia nec neceſsitas expectandi diſtantiſsimos Græcos permittebat: vrgebat enim tunc opus, vt huius articuli fides explicaretur: nec res apud nos certiſsima committenda erat Græcorũ diſceptationibus, ac pertinacijs: nec deniq; ex eorum congreſſu vllus ſperandus erat fructus: erant enim iam facti tam ſuperbi ſcioli, vt omnem iam tunc amiſerint ſuorum priſcorum Patrũ ſapientiã. Quartò. Nam nihil anathema Epheſinum prohibebat, aut prohibere, ac impedire poterat, tum quia fides contraria non eſt addita; imò quam profeſsi ſunt in Epheſina Synodo, optimè explicata: neque fidei confeſsio Coſtantinopolitana, quæ dumtaxat: *Qui à Patre procedit* profitebatur, obſtabat: nam de Spiritus S. à Filio proceſsione nihil ſtatuit, quia nullus erat qui dubitaret; quod verò à Patre procederet, negabat Eunomius, Spiritum S. à Patre per Filium procedere, vt ipſius creaturam; contra ipſum addidit, *qui à Patre procedit*. Tum quia illius Concilij Patres futuro Concilio Generali eiuſdem auctoritatis, aut Sũmo Pontifici, à quo omnis Concilij auctoritas pendet, præſcribere, aut poteſtatem arctare, vel in vllo præcipere non potuit.

Quo verò tempore, aut, quo loco celebratum fuerit hoc Concilium, ac ſub quo Pontifice explicata hæc fides, & addita particula. *Filioque procedit*, quia non ſatis conſtat, imò controuerſum eſt inter Doctores, neq; S.Doct. hoc vllo verbo tangit. In hoc vnum interim, certiſsimam hãc fidem, ac fidei profeſsionem conſtantiſsimam, ac vetuſtiſsimam in Catholica Romana Eccleſia, vbi nullus poteſt irrepere, aut accidere error, conueniunt omnes. Conſequentiam verò argumenti nec vllo verbo tangit, aut vt probet addit quicquam S.Doct. per ſe enim certa ex ijs, quæ de auctoritate Concilij Generalis, ac Summi Pontificis ſupponuntur, & ex ijs, quæ dum antecedens probaretur, aſſerta ſunt: niſi hoc vnum addere velimus, quod Romana Eccleſia damnat Græcos de hæreſi, qui noluerint hanc amplecti, & profiteri de Spiritu Sancto fidem.

Quo verò ad tertium argumentorum caput ex Sanctorum Patrum aſſertis collectum, magni certè, ac mirifici ponderis eſt. Hos enim ſolent Concilia Generalia magnifacere, ac pro confirmandis dogmatibus referre: ita præcipuè Epheſinum: ita ſcilicet 6. & 7. Concilium. Paucis verò verbis plura innuit, ac indicat Sanctus Doctor: ita enim primò omnes Latinos huius veritatis teſtes vocat, Græcos verò, quos Græci opponunt, omnes interpretatur, vno excepto D.Damaſc. quem tamen cautè locutum conteſtatur. Recentiores verò innumeros nullo negocio, nullaque vi adhibita, ſuauiter in noſtram partem interpretatur. Cardinalis Bellarminus quindecim antiquiſsimos Patres Latinos, quindecim pariter vetuſtiſsimos Græcos, ſapiẽtia, ac ſanctitate valdè conſpicuos ſolertiſsimè recenſet lib.2.c.24. & 25. de Chriſto. explicatiſsimè hanc fidem profitentes, ac ei incredibili veritatis zelo patrocinati, quorum permulti literam, quam nobis concitarunt Græci, præceſſerunt. Quos, ne acta agam, legere apud ipſum eſt.

Vnum certè prætermittere nec debeo, nec volo; quod ſcilicet Gregorius Decimus in Concil. Lugdunenſi de Patribus Latinis, ac Græcis in hac veritate ſtatuerit, & eo libentius, quo interfuit. Greg. igitur cap Fideli. de Summa Trinit. ac fide Cathol. in Concil. Lugdunenſi, quod habetur in lib.6. poſtquam fidem de Spiritu Sancto à Patre, Filioque, tanquam ab vno principio procedente, cum toto Concilio faſſus eſt; addidit hæc verba. *Hoc habet Orthodoxorum Patrum Latinorum, pariter atq; Græcorum incommutabilis, ac vera ſententia.* Vbi omnes fatetur Summus Pontifex Orthodoxos, ac rectè ſentientes Græcos, & Latinos, ſemper vniformiter de hac veritate ſenſiſſe.

Quod ſi (ſequitur Gregorius) *nonnulli propter irrefragabilis præmiſſæ veritatis ignorantiam in varios errores prolapſi ſunt; nos Sacro approbante Concilio damnamus, & reprobamus*. Sed eos Patres Græcos nobiſcum ſenſiſſe, non ſolum qui Spiritum Sanctũ à Patre, & Filio procedere, vel ſimili, ac æquipollenti verbo dixerunt, ſed eos quoq; qui per Filium à Patre emanare tradiderunt: teſtatur S. Thom. art. 3. hac ratione. Quia habet Filius à Patre, quod ab eo procedat Spiritus Sanctus, poteſt dici, Patrem per Filium ſpirate Spiritum Sanctum, aut Spiritum Sanctum procedere à Patre per Filium, quod idem eſt. Quam eandem rationem habet S. Doctor, & concluſionem, & modum dicendi quæſt.6. ſub ijs verbis: Spiritus Sanctus procedit à Patre mediante Filio. Quod poſtea incredibili eloquentia Beſſarion in illa egregia Orat. quam habuit in Concil. Florent. excellentiſsimè docuit, & quo (præmiſſa prius congrua, ac vera vocis *Per* ſignificatione, vt dicat cauſalitatem, & ordinem: per Filium enim Spiritus Sãctus procedit, ita vt Filius producens Spiritum Sanctum, hoc habeat à Patre, à quo habet & eſſe, & Pater ita ſpiret per Filium Spiritum Sanctum, quia ei generando tribuit ſpirandi vim) vehementer aduerſarios Græcos vrget.

Inter rationes verò, quas ad hanc perſuadendã veritatem fabrefecit S. Doct. vnam ſeligã infra explicandã, ac tuendam, quæ eſt 4. & prima S.Th. reliquas verò partim ſequentibus diſputationibus iterũ reſumam, partim ſupra iam tactas, & à S. Doct. non plurimi factas, ſed dũtaxat vt probabiles propoſitas prætermittam. Ad rationes ergo in oppoſitum ſoluendas accedendum, & iuxta eundem ordinem, quo propoſitæ ſunt.

Prima oppoſita ratio. Spiritus emanat, & procedit in Diuinis: ergo ab vno in aliũ: ergo vel à Patre in Filiũ, vel à Filio in Patrem vel in quartam perſonam. Non à Filio in Patrẽ: nam Pater nihil accipit à Filio. Neq; in aliam perſonã; nam de fide non datur quarta perſona: ergo à Patre in Filium: ergo à Filio non procedit. Probatur prima conſequentia: nã proceſſio eſt quidam motus, de cuius intrinſeca ratione eſt, vt ab vno in alium ſit. Eſt idem argumentum S. Thom. quod quarto loco poſuit, dum per quandam legendam S. Andreę, Spiritum Sanctum in Filio requieſcere ait, vnde deducit: ergo non exit ab eo. Idem Alexand. Idem Riccard. eodem loco.

Reſpondet S.Doctor & in corp. & ad argumenta, & primò negat primam conſequentiam, & in tanto Myſterio indignè exiſtimat additam

Digitized by Google

probationem, de motu ſcilicet locali: non enim in Diuinis ſic ſumendæ ſunt emanationes, & ſic de Deo ſentire, eſt nimis craſſum, & nimis inſulſum, ac Deo indignum. Emanationes namque non ſunt locales à termino in terminum, ſed productiuæ vnius ex alio. Secundò reſpõdet. Procedere ab vno in alium, poteſt hunc habere ſenſum, nimirum tanquam in obiectum, vt amor in amatum; qua tamen proceſsione nihil communicatur obiecto, nihilque ab eo recipit obiectum: quare negatur illa conſequentia. Si à Filio in Patrem procederet: ergo Pater aliquid ab ipſo reciperet; & ait ſtultam eſſe hanc conſequentiam. Ergo ad formam argumenti. Primò negat, emanationes Diuinas eſſe ad modum motus localis, ſed productionis, & originis vnius ex altero. Secundò concedit, emanationem Spiritus Sancti eſſe vnius in alterum, ita vt amoris in amatum; ita tamen, vt amatum vt ſic nihil ab amãte recipiat, & ſubinde à Filio in Patrem Spiritus S. neq; quicquã tamẽ Pater à Filio recipit.

Ita Alexan. his verbis. Procedere dupliciter ſumitur; primò vt in motu locali ab aliquo in aliquid; ſecundò in exitu cauſati à cauſa. Primò modo requirit duplicem terminum, à quo ſcilicet, & ad quem. Secundo modo niſi vnum terminum, ſcilicet à quo, requirit. Primo modo ſumpſerunt Græci, & ſic negauerunt Spiritum Sanctum procedere à Filio in Patrem, ne aliquid Pater à Filio recipere videretur. Secundo modo Latini: tunc enim procedere eſt ab aliquo oriri, & ſic Spiritus Sanctus à Patre, & Filio oritur.

S. Thom. Spiritum Sanctum ita quieſcere in Filio, vt tamen ab eo exeat. Primò reſp. Quemadmodum Filius dicitur quieſcere in Patre, & tamen à Patre generatur. Deinde Spiritum Sanctum quieſcere in Filio tanquam in obiecto amato. Tertiò vel tamquam in Chriſto homine, iuxta illud Ioa. 2. *Super quem videris Spiritum Sanctum deſcendentem, & manentem ſuper eum, hic eſt qui baptizat.* Idem Riccar. ad 2. & ad 4. S. verò Bon. id elegantiſsima ſimilitudine declarat in fine reſponſionis argumenti huius. Sicut riuulus à fonte emanans requieſcit in profundo lacu, ſic Spiritus S. ſicuti riuulus à Patre requieſcit in Filio; ita tamen ſubintelligendo vt regrediatur in Patrem &c.

Secunda ratio oppoſita. Sicuti verbum per modum locutionis exit, ita Spiritus per ſpirationem: ſed in humanis videmus exitum locutionis non præcedere ſpirationem: ergo neque in Diuinis erit verbum præcedens, à quo Spiritus Sanctus procedat. Idem argumentum S. Bon. hoc modo conſtructum. Filius procedit vt Verbum; ſed ſpiritus noſter in nobis non videtur procedere à verbo: ergo neque in Diuinis.

Vtriuſq; S. Doct. eadem eſt reſponſio, & ſimilis ſuperiori; in hoc ſcilicet corruiſſe, & deceptos eſſe Græcos, quia nõ ſatis honorificè de Spiritu Sancto ſenſerũt, & verbo, & emanationibus in humanis nimis craſsis, ac materialibus contulerunt, ſcilicet flatui ab ore exeunti, & verbo ab ore cadenti. Nos vero honorificentius, & eleuatius, ſpirituali amori à voluntate procedenti, & conceptui à mente producto. Quare ad argumentum negatur maior, & ſimilitudo illa: non enim eo modo in Diuinis amor, & Verbum procedunt ſicut flatus, & verbum vocale: nam ſunt emanationes ad intra; & ſic negatur conſequentia: reddit rationem S. Th. nam ſi ad modum flatus, & vocis eſſet emanatio Diuina, non vera, ſed metaphorica diceretur emanatio.

Tertia oppoſitio. Ex communi omnium conſenſu, vt infra, Spiritus S. procedit vt nexus: ergo non procedit à Patre, & Filio. Probo cõſequentiam: nam nexus tenet rationem medij: at ſi procederet à Filio, haberet rationem termini, & extremi. Idem S. Th. quæſt. 37. art. 1. arg. 3.

Reſp. & negatur conſequentia. Ad probationem negatur aſſumptum: non enim (quidquid aliqui in Græcorum gratiam erroneè dicant) nexus dicit medium, ſed extremum, & tertium: eſt enim tertia perſona, in qua nectuntur Pater, & Filius, vt ab vtroq; procedit, ſicuti mutuus amor eodem modo, veluti flamma à duobus lignis ardentibus. Ita S. Th. indicato loco his verbis. Secundum igitur origine Spiritus Sanctus non eſt medius, ſed tertia in Trinitate perſona. Quod ſi velis dicere medium, hoc ſenſu concedam, vt ſcilicet ſit medius nexus ab vtraque perſona procedens.

Quarta oppoſitio. Procedit Spiritus S. à Patre plenè, & ſufficienter: ergo ſuperfluum eſt quod à Filio procedat. Antecedens patet: nam ſi non perfectè, & ſufficienter: ergo imperfectè, & inſufficiẽter, quod indigniſsimè de Patre diceretur. Hinc conſequẽtia per ſe patet: & idem eſt S. Th. & Ricc. & ferè commune argumentum.

Eſt communis reſp. & neganda eſt conſequentia: nam Pater, & Filius nõ ſunt duo, ſed vnũ principiũ: ſi enim eſſent duo, valeret cõſequentia. Et qua ratione hęc non tenet cõſequentia: Pater eſt omnipotens ad creandũ: ergo ſuperfluus Filius, quia vnica vtriuſq; virtus: eadẽ ratione hic, quia vnica ſpirationis vis in vtroq; Ideo non dicit imperfectionem in Patre quod ſine Filio non ſpiret, ſed identitatẽ virtutis cum eo, & perfectionem in Filio conſubſtantialitatis cum Patre, & confœcunditatis.

Quinta oppoſitio. Ex Diuinis litteris non poteſt probari hæc proceſsio Spiritus S. à Filio: ergo non eſt aſſerenda. Antecedens conſtat: nã primò, aſſeratur locus, quo Spiritũ S. à Filio procedere aſſeritur: inuenitur verò qui à Patre procedit, nõ autẽ qui à Filio. Probatur conſequentia: nam aliàs D. Script. ſufficiẽter nobis quę credenda ſunt nõ tradidiſſet, quod videtur durum, & confirmatur ex D. Damaſc. lib. 1. de fide c. 2. & ex D. Hier. *Nihil creditur mihi, niſi confirmauero per nouũ, & vetus teſtamentũ*, & à D. Dionyſ. de D. nomin. c. 2. qui pręcepit nõ eſſe audendũ aliquid dicere de ſubſtantiali Diuinitate, præter ea, quæ Diuinitus nobis ex ſacris eloquijs ſunt expreſſa.

Reſp. primò. In Diuinis litteris ſæpe nullam eſſe conſequentiam à negatiuis: multa enim ſunt, quæ vtiliter, & certis de cauſis non ſunt ſcripta: quare negatur conſequentia. Ad rationes autẽ conſequẽtiæ, ad primã tum conceditur, & negatur eſſe durũ ex eadem Script. quæ teſtatur non dicere omnia: tum negatur, nam quod Scriptura tacet, & docet tacere, bene à Sanctiſsimis Patribus expoſita ſufficienter docet. Ad ſecundam, intelligendus eſt S. Dionyſ. quando nec verba, nec res habentur

Digitized by Google

bentur. Secundò vterq; S. Doctor negat antecedens: multis enim locis, vt in 3. arg. demonſtrauit, Diuinæ litteræ, ſi non verba, rem ſaltem, ſufficienter indicant, & aſſerunt, eo præcipuè loco, quò Filius, *Omnia*, inquit, *quæ habet Pater mea ſunt:* ſequitur enim: ergo & ſpiratio Filij eſt, & reliqua, quæ non dicũt oppoſitionem originis. Quare S. Th. ex D. Anſel. ſupra relato, etiam ſi diceret Filius de Spiritu Sancto, *qui à ſolo Patre procedit*, ſeipſum non excluderet, eadem ſcilicet ratione, quia Filius non excluditur à Patre, niſi in oppoſitis origine. Tertiò interpretatur S. Doctor, illum locum, *Qui à Patre procedit*, indicare fontalem originem in Patre.

Sexta oppoſitio. Per quatuor Concilia generalia, quibus tradita eſt, & declarata ſufficienter fides noſtra, nulla de proceſsione Spiritus Sancti à Filio mentio inuenitur facta, tamen aſſertum eſt quod à Patre procedit: ergo non eſt de hac fides: eſt commune, & vetus Græcorum argumentum obſeruatum à Theologis. Quod eo augetur, quo in Epheſina Synodo generali actum eſt ſub anathemate, ne quis audeat addere quicquam Nicænæ, & Conſtantinopolitanæ fidei, in qua nullum erat de Spiritus Sancti à Filio proceſsione verbum.

Licet reſponſum etiam ſit ſupra in argumento affirmatiuo ex Concilij aſſumpto; quia tamen & S. Doct. iterũ reſpondet, nobis quoq; reſpondendũ, vel potius eius reſponſio referenda, ac cumulanda. Reſpond. igitur ad antecedens, & negat cum Sancto Thom. & Riccardo, traditam non eſſe illis Concilijs, & explicatam omnium temporum, & omnium explicabilium, & explicandorum fidem, ſed eam, quam illorum temporum exigebat neceſsitas, & propter quæ præſertim erant illa congregata Concilia, & de quibus agebatur tunc dubitatio.

Nec dicendum, illos Sanctiſsimos Patres hanc ignoraſſe fidem: nam & aderant, & pręceſſerant ex illis grauiſsimi pariter & doctiſsimi, qui eam clariſsimè tradiderant, Aderat D. Cyrillus, cuius Synodalis Epiſtola recepta eſt in Epheſina illa Synodo, & deinde in multis alijs, vt iam ante retulimus. Pręceſſerat verò D. Athanaſij Symbolum, in quo Spiritus Sanctus à Patre, & Filio procedere aſſeritur, de cuius auctoritate legendi Genebrardus lib. 3. de Trinit. & Bellarm. lib. 2. de Chriſto c. 25. Nobis ſufficiat antiquiſsima traditio, & vniuerſalis Eccleſię receptus vſus. Idẽ Epiſt. 1. & 2. ad Serapionem. Didymus lib. 2. de Spiritu Sancto. D. Cyrilli Ieroſolimit. Cathec. 16. D. Baſil. lib. 3. & 5. contra Eunomium. D. Greg. Nazianz. Orat. 2. D. Chryſoſt. hom. 1. & 2. & de Symbolo. D. Epiphan. hæreſi 69. & in Ancorato. Denique D. Greg. Nyſſ. & ante ipſum Taumaturgus, vt in eius vita ipſe refert. Quorum Patrum loca, & verba legenda apud recentiores, præſertim Bellarm. loco iam indicato. De quibus omnibus ſimul Greg. 10. in Conc. Lugdunenſi, vt paucis ante notauimus, teſtatur &c.

Neque alia ratione in illis Conc. de Spiritus Sancti proceſsione à Filio non eſt actum, niſi quia neque opus, neque neceſſitas vlla erat. Confirmat S. Doctor ſimili exemplo. In Symbolo Nicæno nihil de deſcenſu Chriſti ad inferos dicitur, & tamen certiſsima veritas eſt.

Secundò reſpondendum eſt, iterum alia ratione falſum eſſe antecedens, ea parte, qua nihil illis quatuor Concilijs actum de Spiritus S. à Filio proceſsione, aſſumitur. Primò, in Epheſino Conc. vno ex illis quatuor generaliſsimis Concilijs, recepta, & approbata eſt Epiſt. D. Cyrilli, in qua teſtatur Spiritum Sanctũ à Patre, & Filio procedere, & in eodem Conc. in quo ſub Anathemate prohibetur, ne noua, & alia addatur fides.

Deinde S. Thom. 4. contra gentes cap. 24. refert generalis Concilij decretum. *Sequimur per omnia Sanctos Patres, & Doctores Eccleſiæ, Athanaſium, Hilarium, Baſilium, Gregorium Theologum, & Gregorium Nyſſenum, Auguſtinum, Theophilum, Io. Conſtantinopolitanum, Cyrillum, Leonem, & ſuſcipimus omnia, quæ de recta fide, & hæreticorum condemnatione expoſuerunt:* manifeſtum autem eſt (addit S. Th.) ex multis auctoritatibus D. Aug. præſertim lib. de Trinit. & ſuper Io: quod Spiritus Sanctus ſit à Filio, ſicut à Patre &c. ſed videtur addendum, magis manifeſtum, ex D. Athanaſ. & ex D. Cyrillo &c.

Ergo mentiuntur Græci, dum illis vetuſtiſsimis Concilijs, præſertim inter ipſos Græcos celebratis, non erubeſcunt, nihil de Spiritu Sancto à Filio actum, affirmare. Ad confirmationem reſp. S. Doctor, quod omnes ſimul neceſſario reſpondeat. Nihil contra illud anathema actum quando in Symbolo additum eſt: *Filioque procedit*, imò ad vota ipſius Concilij explicata eſt fides, neceſſariò illis tẽporibus explicanda: quod ex eo confirmatur, quo vt nuperrimè dicebamus, eodem Conc. eadem fides aſſerta eſt in Epiſt. recepta S. Cyrilli.

Sed ſemel referamus anathema Epheſinum, vt inde, quàm impertinens ſit Græcorum obiectio, & importuna ſine ratione querela, quamque congruè interpretatus ſit S. Doctor, eluceſcat. *Decreuit Sancta Synodus, alteram fidem nemini licere proferre, aut ſcribere, aut exponere, præter eam, quæ definita fuit à Sanctis Patribus, apud Nicænam vrbem in Spiritu Sancto congregatis; eos autem qui fuerint auſi aliam fidem componere, ſiue porrigere, aut proferre ijs, qui volunt ad veritatis cognitionem conuerti ex gentibus, vel ex Iudæis, vel etiam ex qualibet hæreſi; iſtos, ſi quidem Epiſcopi fuerint, vel Clerici, Epiſcopos quidem ab Epiſcopatu, Clericos à Clericatu alienos; ſi verò fuerint laici, anathematizamus.*

Vbi primò, non in Pontificem Summum, aut Concilia generalia animaduertit, neque animaduertere potuit: haud enim ignorabant illi Sapientiſsimi Patres, ſuo decreto non comprehendere licere æqualia ſibi Concilia, aut Pontificem Maximum, Conciliorum caput: ſed in ſingulos Epiſcopos, aut Clericos, aut Laicos: quare ſi additum eſt, *qui à Filio procedit*, à Concilio generali, vel Summo Pontifice, nihil contra illud decretum actum eſt.

Secundò. In hoc decreto non eſt prohibita

omnis verborum, aut rerum additio: nam abſque vlla inobedientia huius decreti Symbolo Nicæno à Conſtantinopolitano additum eſt: *Qui à Patre procedit*, contra Eunomium, qui vt negaret Spiritus Sancti Diuinitatem, à Patre procedere negabat, ſed à Filio tantum concedebat: ſecundò, in Calcedonenſi Synodo ab Epiſcopis, quorum multi interfuerant & Epheſinæ, conclamatum eſt, vt ad Symbolum adderetur, Sanctam Mariam eſſe Deiparam; neque tamen Patres horum Conciliorum incidiſſe in illud anathema, ex ipſis Græcis vllus eſt anſus dicere: ergo neque illi qui addiderunt, *à Patre, Filioque procedit*. Quæ vero hic obijciunt Græci, futilia ſunt, & facillimo negocio ſoluit Bellarminus cap. 29.

Septima tandem oppoſitio ex Patribus ſapientiſsimis Græcis, qui eandem Scripturam Diuinam, quam Latini legebant, eundem Doctorem, D. Paulum ſcilicet audierunt: nam D. Nazianz. cognomento Theologus, cui de creatione Angelorum, licet alieniſsimam à communi ſententia opinionem tenuerit, non eſt tamen auſus S. Thom. contradicere, & de quo fertur, vt refert Carthuſianus diſt. 11. quæſt. 1. D. Hieronymum quondam ingenuum diſcipulum dixiſſe, Nullum inter homines vnquam in toto terrarum orbe auſum contradicere Nazianzeno. Ipſe verò, *Filius, & Spiritus Sanctus, geminus Patris radius, vſque ad nos emiſerunt claritatem ſuam:* ergo à Patre exit tantum Spiritus Sanctus. Poteſt confirmari ex alio loco, Orat. 5. ad Epiſcopos, qui venerant ex Egypto. *Omnia quæ habet Pater, habet etiam Filius, excepta cauſalitate:* Ergo Filius non habet cauſalitatem, vt aiunt Græci, neque vim vllam Spiritus Sancti producendi.

Secundò. D. Areopagita vetuſtiſsimus inter omnes Patres, D. Pauli diſcipulus, à quo ſuorum librorum doctrinam hauſit, conſequenter Apoſtolicam, & omnino certam; hic autem lib. de Diuinis nominibus. *Ex immateriali, & impartibili bono, ideſt Patre, cardinalia exorta ſunt lumina*, ideſt Filius, & Spiritus Sanctus: ergo. Deinde addunt alij eodem lib. cap. 2. *Pater eſt fons ſuperſubſtantialis Deitatis:* ergo Filius non eſt fons Spiritus Sancti. Tertiò. D. Damaſc. tantæ ſanctitatis, vt ei per miraculum obtruncatam manum reſtituerit Sanctiſsima Mater, lib. 3. de fide cap. 11. *Spiritum Sanctum ex Patre dicimus, & Spiritũ Patris nominamus, Spiritum autem Sanctum ex Filio non dicimus, Spiritum tamen Filij nominamus.* Quo quid expreſsius?

Reſp. S. Bon. & prima loca SS. Dionyſij, & Nazianz. interpretatur. Illa Symbola, illas radiorũ ſimilitudines nõ vſq; adeo conuenire in omnibus perſonarũ emanationi; quod idẽ aſſerit S. Th. illã Theologiam eſſe ſymbolicam, nihilq; ex illa certũ poſſe cõcludi, vt ipſemet Areopagita Epiſt. ad Titũ. *Symbolica Theologia nõ eſt arguitiua:* qua tamen parte radius emanationibus ſimilis (addit S. Bon.) tantũ eo iſti Sanctiſsimi Patres teſtantur in Patre plenitudinẽ fontalẽ vtriuſq; emanationis: ita etiã Alex. reſpondet: ita Petrus de Tarantaſia: ita Ricc. Eadem omnino reſp. ad 2. eiuſdem Patris locum.

Ad D. Nazianz. facilis reſp. negat enim Filium habere cauſalitatem Patris ratione ſui ipſius, nimirum quia ſe ipſum non generat, quod in prouerbiũ Theologi Scholaſtici conuerterũt, & docuit S. Aug. *Omnia habet Filius, quæ habet & Pater, præter ea in quibus ei opponitur*, ſcilicet Paternitatem.

Ad D. Damaſc. concors SS. Bon. & Th. & Ricc. reſp. In hoc non ſtandũ Damaſc. nam inquit S. Th. ſecutus eſt Theodoretũ Neſtorianũ. S. Bon. & Ricc. locutus eſt vt Græcus; mitiorẽ tandem adiũgit reſp. S. Bon. cautè, inquit, locutus eſt: non enim dixit, Spiritus S. non eſt à Filio, ſed nõ dicimus, fortaſſe quia à vel *ex* apud Græcos dicit primã, & fontalem originem, Filius autem, licet ſit origo Spiritus S. non eſt tamen prima, ſed eſt origo de origine, fons de fonte, ſicut Deus de Deo; ideo nõ dicebãt Spiritũ S. à Filio, ſed potius per Filiũ. Ita Beſſarion, & Gennadius. Non ex Filio dixerũt, ad euitandã Macedonij, & Eunomij hæreſim, qui ex Filio, tãquã ex primaria & ſola origine procedere Spiritum S. effutierunt.

Debemus autẽ ſic D. Damaſc. Doctorem de fide optimè meritum, interpretari, præſertim quia alijs locis oppoſitum & indicauit, & docuit, quàm viſus ſit hoc loco negare. Nam eodem lib. c. 10. plane habet, *Spiritus S. ex Patre procedit, & per Filiũ omni creatura impartitur*, & c. 9. *Omnia, quæ habet Pater, habet & Filius, hoc ſolo excepto, quod ingenitus non eſt.* & c. 11. vocat Spiritũ S. Spiritũ Filij, & addit; ſicut ex ſole procedit radius, & ſplendor, ita à Patre procedere Filiũ, & Spiritum S. & c. 18. *Imago*, inquit, *Patris eſt Filius, & Filij Spiritus S.* ſed imago ab exemplari habet eſſe: ergo & Spiritus S. à Filio: & infra. *Deus Spiritus S. medius ingeniti, & geniti, & per Filiũ Patri coniunctus.*

Idem de D. Nazianz. exiſtimandũ, qui Orat. 5. de Theologia, quæ eſt de Spiritu S. quærit primò, quid deſit Spiritui S. quare non ſit Filius, & reſpondet his verbis. *Nihil diximus: neq; enim quicquam Deo deeſt; verum manifeſtationis, vt ita dicã, mutuæq; eorum relationis differentia, diuerſa quoque ipſis nomina procreauit.* Vbi hanc reddit cauſam, quare Spiritus S. non ſit Filius, quia habet diuerſas mutuas, ideſt oppoſitas relationes: ergo ſpirationis actiuæ, & paſsiuæ. Infra eandem rationẽ reddit, quare Filius non ſit Pater, ideſt propter oppoſitam relationem. & Orat. 2. illo loco in oppoſitum relato. *Filius habet omnia quæ habet Pater, excepta cauſalitate*, ſcilicet generationis actiuæ: ergo habet cauſalitatem ſpirationis actiuæ.

DISPVTATIO

Breuis, quæ eſt prima de Spiritu Sancto, ideſt de Proceſsione Spiritus Sancti à Patre, & Filio, in tria capita diſtributa.

Primum. De Schiſmate Græcorum de hac re, quo ſcilicet tempore cœperit, quo conſumatum.

Secundum. Quàm canonica, & orthodoxa, & propriè explicata fuerit fides per illam additionem, Filioque procedit.

Tertium. Quàm efficax ſit illa ratio, qua vtitur S. Bonauentura cum S. Thom.

CA-

CAPVT I.

De Schiſmate Græcorum de hac re, quo ſcilicet tempore cœperit, quo conſumatum.

LICET iam cumulatè à multis, præſertim recentioribns, non mediocrique vbertate, hæc tum cum Græcis, tum alio ex capite inter Theologos controuerſa quæſtio, ſoluta ſit, vt ego hic quidquid egero, quidquid addidero, acta egiſſe videndus ſim, & in Comentario ferè neceſſaria collegerim; non potui tamen propter D. Bonauenturam hæc tria capita prætermittere: in tota enim quæſt. tertio quoque verbo hoc Græcorum Schiſma tangit, refert, & inculcat; idemque de additione ab Eccleſia aduerſus eoſdem Græcos Symbolo fidei Nicænæ facta præſtat, neque tamen quo tempore diſtinguit, & rationem huius quæſt. optimam, quæ à Theologis adduci poſsit, conciſam poſuit. Hæc tria ergo in hac diſputatione mihi præſtanda cenſui.

Principio igitur, & primo capite ſupponendum neceſſariò primò eſt. Ab initio in Eccleſia vera inconfeſſo fuiſſe hanc de Spiritus Sancti à Patre, & Filio fidem: hinc enim quam aperta fuerit Græcorum, manifeſtaque hæreſia, euidentius conſtabit. Patres enim Conc. Lugdunenſis cap. Fideli de Summa Trinit. & fide Cath. in 6. profitentur, hanc fidem fuiſſe ſemper in Eccleſia Romana omnium Eccleſiarum matre, hancque habuiſſe, ac tenuiſſe omnes prædeceſſores Patres orthodoxos, tam Græcos, quam Latinos, his verbis. *Fideli, & deuota profeſsione fatemur, quod Spiritus Sanctus æternaliter ex Patre, & ex Filio, non tamquam ex duobus principijs, ſed tamquam ex vno principio, non duabus inſpirationibus, ſed vna inſpiratione procedit. Hoc profeſſa eſt hactenus, prædicauit, ac docuit Sancta Romana Eccleſia omnium Eccleſiarum mater, & magiſtra: hoc habet orthodoxorum Patrum, atque Doctorum Latinorum, pariter atque Græcorum incommutabilis, ac vera ſententia. Sed quia nonnulli propter ignorantiam irrefragabilis præmiſſa veritatis &c.* Hæc Greg. decimus in illo Concil.

Præterea in Conc. Florent. vbi ex prolixa diſputatione habita, & Beſſarione Orat. dogmatica, & lib. pro vnione, qui habetur poſt Concil. illud, quid antiquiſsimi Patres, præſertim Græci, ſemper de hac veritate tenuerint, eaplicatiſsimè legitur.

Tum in Conc. Alexandrino in Epiſtola 10. Sancti Cyrilli, & totius Concilij ad Neſtorium, vbi aperta eſt de Spiritus Sancti à Filio origine confeſſio. In Conc. Epheſino, & Calcodonenſi, & quinta, & ſeſta, & ſeptima Synodo, vt ſupra etiam retuli, hæc eadem Epiſtola recepta eſt ab omnibus Patribus, ac facta Conciliaris; & conſequenter decreta eſt hæc fides, & ab omnibus approbata: & Epheſina Synodo additum anathema contra audentes diuerſam fidem aſſerere, docere, ac profiteri, ſcilicet contra ipſos Græcos, negantes Spiritum Sanctum procedere à Filio.

Sed ante hæc omnia Concilia fuerunt antiquiores Patres, tam Græci, quam Latini, qui hanc fidem expreſsè prodiderunt, quos in parte iam recenſui in Commentario. Ex Græcis D. Greg. Thaumat. in confeſſione fidei, vt extat apud Nyſſenum, maximus Doctorum, Sanctiſsimuſque Pater, tam inter Græcos, quam inter Latinos. Athanaſ. qui in Symbolo ita apertè: *Spiritus Sanctus à Patre, & Filio; non factus, nec creatus, nec genitus, ſed procedens.*

Nec prodeſt quicquam Græcorum calumnia, Symbolum hoc non eſſe Athanaſij: nam Athanaſij eſſe teſtatur D. Naziana. Orat. de laudibus D. Athanaſij, vbi ipſum perfectiſsimam fidei confeſsionem compoſuiſſe dicit, quam totus & Oriens, & Occidens veneratur. Teſtatur D. Aug. qui in pſ. 120. nominatim citat Symbolum hoc ſub Athanaſij nomine, & integros verſiculos profert lib. 5. de Trinit. cap. 7. Teſtantur ipſimet Græci, dum tunc ebrium fuiſſe, quando hoc edidit Symbolũ aſſerunt: & eſt apertiſsimum mendaciũ à quibuſdam fictum, quod à Latinis addita ſit illa particula: nam in Græcis teſtibus legitur, & in quarta Synodo Toletana cum illa additione recitatur, ante Græcum Schiſma celebratum circa annum 633.

Inter Latinos verò eſt D. Cyprian. ſer. de aduentu Spiritus Sancti. Boetius lib. de Sanctiſsima Trinit. cap. 12. D. Ambr. lib. de Spiritu Sancto. Tertull. lib. aduerſus Praxeam, his verbis: *Spiritum Sanctum per Filium deduco.* Denique S. Thom. 4. contra gentes cap. 24. *Manifeſtum eſt*, inquit, *ex Scripturis, quod Spiritus Sanctus procedit à Filio*: ergo dum ederetur Euangelium edita eſt quoque hæc fides, ac ſubinde vetuſtiſsima eſt, vt nullus de ea ignorantiam excuſantem prætendere iure poſsit.

Secundò, ſupponendum eſt conſequenter, falsò, & iniuria ſemper conqueri Græcos de Latinis. Primò, quod Latini adinuenerint contra Scripturam, contra generalia Concilia, contra denique Eccleſiam, ac Patres Græcos, Spiritum Sanctum à Filio procedere. Nam vt iam patet, Sanctiſsimi, ac vetuſtiſsimi Patres Græci hanc docuerunt fidem, multis Concilijs ſubſcripſerunt, ac præſertim quinque generalibus, vbi ſemper Epiſtolam D. Cyrilli amplexati ſunt, & decreuerunt, & ex Diuina Scriptura hanc ſuſceperunt fidem, vt antea demonſtratum. Secundò, quod Conſtantinopolitana Synodus ſtatuerit anathema contra aliam fidem edentes, ſcilicet contra nos, qui nedum à Patre, ſed etiam à Filio oriri Spiritum Sanctum fatemur.

Nam primò falſum eſt mendacium cuiuſdam Hieremiæ, qui ſe Patriarcham totius Eccleſiæ appellat in cenſura ad confeſsionem Lutheranorum, Synodum illam, Spiritum Sanctum tantum à Patre decreuiſſe, ſed à Patre procedere, vt liquido in Diuina Scriptura conſtat, propter ortam hæreſim

negantium à Patre, ſed dumtaxat à Filio procedere aſſerentium, nulla de Filio facta mentione, quia nulla occaſio, nullaque in illo Conc. de re hac offerebatur neceſſitas.

Secundò. Anathema illud, ſi ad verbum accipiatur, percelluiſſet. ipſam Synodum Conſtantinop. quæ Nicænæ addidit, *qui à Patre procedit*: Calcedonenſem, quæ Mariam eſſe Dei Matrem addidit; cæteraſque Sinodos quinque generales, quæ Epiſtolã Cyrilli ſuſceperunt: quod dicere tamen, tum ridiculum, tum blaſphemum, tum contra ipſos Græcos nimis abſurdum foret. Secundò, nihil additum contra receptam fidem, ſed explicata eſt eadem fidea, quo tempore extremè explicatione illa indigebat. Tertiò, non erat, vt antea viſum, illud Anathema, niſi contra ſingulares Epiſcopos, ac Clericos &c. neque verò contra Conc. generalia, ac ſummos pro tempore Pontifices &c. Quartò, illud idem anathema ipſos ſolos Græcos ferire: nam vt antea dicebam, eadem Synodo recepta eſt de Spiritu Sancto à Filio fides in Epiſtola D. Cyrilli. Ergo feriuntur ipſi Græci, qui contra hanc fidem, Spiritum Sanctum non à Filio procedere credunt, profitentur, docent, ac omni pertinacia recedentes à ſola vera matre Eccleſia Romana, conantur ſuſtinere.

Nos vero decet eis obijcere, eoſque inſimulare de inconſtantia, imò de peruicaci, obfirmata, & obſtinata pertinacia in hoc errore dogmatico, de ficta denique ac ſimulata ſocordia: quot enim vicibus conſentientibus ipſis, decreta, recepta, & iurata hæc fides de Spiritus Sancti à Filio proceſſione? Primò in quinque generalibus Synodis, vt iam indicatum eſt, tertia, quarta, quinta, ſeſta, & ſeptima, vbi recepta Epiſtola Cyrilli, & in hac ſeptima lectum Symbolum Nicænum cum hac additione, *Filioque*.

Deinde tempore Vrbani 2. apud Barum celebratum eſt aliud Conc. vbi interfuerunt Latini, & Græci, teſte D. Anſelmo de proceſsione Spiritus Sãcti c.4. circa annũ 1090. & de fide hac, ipſis Græcis rationibus conuictis decretum eſt dogma: & in Conc. Latranenſi ſub Innocentio tertio cap. 1. hoc idem definitum eſt, præſentibus, & conſentientibus ipſis Græcis, vt ex eiuſdem Conc. cap. 4. conſtat anno 1215. Conc. Lugdunenſe anno 1273. vbi aderant & Græci, & omnibus adhærentibus, ter græcè, ter latinè cantatum eſt: *qui à Patre, Filioque procedit*. Conc. denique Florentinum anno 1438. vbi per longiſsimas diſputationes inter Græcos, & Latinos, grauiſsimis Patribus Græcis cauſæ patrocinantibus; tandem vtraque pars in hac fide libenter, ac ſolemniter conuenit: præter multa Prouincialia Concilia vetuſtiora, & ante Schiſma Græcorum celebrara.

Græcis igitur quid leuius? quid inconſtantius? & vt quod deterius eſt dicam, quid durius, aut pertinacius dici, & fingi poteſt? vt toties victi, toties voto promiſſo, ac Conciliari iuramento ſe ipſos obſtringentes, ad vomitum tamen redierint. Verè de illis, mutata voce vna, illud Propheticum affirmari poteſt. Peccatum, non ſolum Iudæ, ſed etiam Græcorum, ſcriptum eſt ſtylo adamantino, & indelebili; & illud: *Stultus vt luna mutatur*.

Sed cur (petam & ego) per tot annos ſiluerunt Græci poſt factam additionem in Symbolo Nicæno? facta enim eſt, vt infra, circa annum 600. & tamen per 300. annos ſiluerunt: nam interim celebrara ſunt tria Conc. generalia ex ipſorum Græcorum conſenſu, ſextum ſcilicet, ſeptimum, & octauum, neque tamen interim nobis quicquam obiecerunt: poſtea vero nos excommunicatos per Epheſinum Conc. quod fidei addidimus contra illius anathema, diffamarunt. At cur non ante, ſi veritatis zelo receſſerunt? cur tot per ſæcula non inſurgere? cur tam longo, ac turpi obrui, ac obdormire ſilentio? niſi quia nos nihil in illud Conc. peccaſſe non ignorabant? cur poſtea? niſi quia præſertim tempore Conſtantini Imperatoris, qui dicebatur Monomacus, Michael Patriarcha Conſtantinopolitanus, vt ſibi pararet viam ad Patriarchatus Romani ſedem, & totius deinceps orbis, vt Romanum verum Pontificem excluderet, & eijceret, ne ab ipſo repelleretur, ac reprimeretur, cœpit dicere, ipſum, omneſque ſimul Latinos eſſe excommunicatos propter Concil. Epheſinum. Ergo aut veritas eis vim ſilendi inferebat, aut ambitio hanc veritatem tacendi, & diſsimulandi donec oboriretur eis expectata inclamandi, & dominandi occaſio. Hoc igitur eis ſic neceſſarium, ac ſimul ſictum, ac ſimulatum ſilentium obijcimus. His obſeruatis.

Dico primò. Sicut ſemper certa, conſtans, & ad fidem pertinens veritas de Spiritus Sancti à Filio proceſsione, vt primo ſuppoſito patuit, ita eius oppoſitum mendacium pernicioſum, erroneum, ac contra Scripturam, Concilia, & rectè ſentientes Patres, aperta eſt hæreſis, quæ nullo colore negari poteſt, nullaque ratiocinatione indiget, cum hæc potiſsima ſit ratio quare aliquid ſit erroneum, & hæreticum dictum, quia nimirum contra Scripturam, Conc. & Patres.

Dico ſecundò. Non crediderim tamen eos formaliter hæreticos, qui ante ſeptimam Synodum, & ante additionem, *Filioque procedit*, oppoſitum dixerunt, licet grauiſsima, & maximi quidem ponderis, quæ ex Scripturis, & ex Concilijs ante illud tempus aſſerta ſunt, & deducta; nam nec ſufficientem, ac certam fidei definitionem continere videntur, ita vt tamquam hæreticos damnare eos, qui oppoſitum tunc dixerunt, apertè liceat: neque enim in Scripturis ſunt tam aperta de hac re verba, & expreſſa, quemadmodum exigit fidei definitio; neque in Concilijs agebatur per ſe de re hac, ſed de Incarnationis Myſterio contra Neſtorium, contra quem & D. Cyrilli Epiſtola recipiebatur; neque congregata erant ad hoc decernendum, quod in primis in Conc. attendendum eſt. Quare neque Cyrillus Theodoretum, qui inter Græcos exiſtimatur primus, qui huic veritati reſtiterit, damnat quo ad hanc partem tamquam hæreticum, ſed reſpondet, & interpretatur Scripturę locum, quem ille pro ſe afferebat: qui tamen opera D. Leonis reſipuit, & Eccleſiæ reſtitutus, ac reconciliatus, aliàs optimè de Diuinis litteris

teris

teris meritus beato fine quieuit, & in Conc. Calcedon. acclamatur tanquam Catholicus, & honorabile Eccleſiæ membrum.

Dico igitur tertiò. In Conc. generali 7. magna ex parte ex Græcis congregato, lectum eſt Symbolum Nicænæ fidei cum additione, *à Filio procedit*, atque hæc fides definita, vt ſuſtinuerunt contra Græcos Latini in Conc. Florent. ſeſſ. 5. & 7. & oſtenderunt antiquiſsimum exemplar, in quo ita ſcriptum erat, & nullũ corruptionis ſignum apparebat, vt opponebant Græci. Neque vllius ponderis eſt, quod poſſet ab aliquo opponi de D. Io: Damaſceno, qui cum pijſsimus, idemque Sanctiſſimus catholicus eſſet, eoque huius Conc. tempore vixiſſet, ſi in eo Conc. hæc recepta eſſet fides, non auſus eſſet reclamare, atque in ſuis libris oppoſitum docere; nullius inquam momenti: nam neque hoc quod ei imponitur, docuit, vt in commentario oſtendimus, neque certum eſt vixiſſe vſque ad hoc Concilium: nam ipſe florebat tempore Leonis tertij, & hoc Conc. 43. annis poſt obitum Leonis celebratum eſt. Quod ſi tamen vixiſſet ad hoc vſque tempus, iterum certum eſt eo tempore iam ſuos de fide libros euulgatos eſſe, vt conſtat ex actione 6. ſecundi Conc. Niceni. Eadem poſtea fides iterum definita, ac confirmata eſt Concilijs, Lateranenſi ſub Innocentio tertio, & Florentino, vbi, vt antea dicebam, ſemper conuenerunt, & conſenſerunt Græci.

Quo verò tempore appoſita ſit, & addita illa particula, *Filioque*, licet vſque adeo non conſtet inter auctores, quod tamen probabilius diſquirendum, vt inde quoque quo tempore initium ſumpſerit Schiſma Græcorum, colligere liceat. Ante hanc additionem iecisse prima quædam ſemina huius Schiſmatis Theodoretus videtur: nam anno 430. reſtitit, confutauit anathematiſmata D. Cyrilli, aſſeruit, & diſertè dixit, Spiritum Sanctum non eſſe à Filio, neque per Filium, ſed à ſolo Patre; ſed in Conc. Calcedonenſi, vt dicebam, recantauit, & Eccleſiæ ſuæ reſtitutus fuit; vnde alius hic error non videtur radices emiſiſſe; neque Symbolum Neſtorianum, quod inuenitur in Conc. Epheſino cap. 37 vbi Spiritum Sanctum non habere per Filium ſubſiſtentiam, ſed à ſolo Patre legitur, multo vlterius tempore proceſsit: nam & id quaſi per accidens dixerunt Neſtoriani, & nulli inueniuntur qui de hoc errore agant vſque ad annum 777. Hoc enim anno, teſte Adone in Cronico, celebratum eſt Concilium Gentiliaci, & coram pijſsimo Caroli Magni Patre diſputatũ eſt de Sanctiſſima Trinitate inter Græcos, & Latinos, nec vllus articulus de eadem Trinit. videtur potuiſſe eſſe, quàm de tertia perſona, ac Spiritus Sancti proceſsione à Patre, & Filio.

Andreas Epiſcopus Coloſſ. qui in Conc. Florentino Latinorum partes tuebatur, aſſerit, tempore Synodi ſextæ, ſcilicet anno 600. Domini, à Romano Pontifice in Conc. innumerorum Epiſcoporum Latinorum hanc factam fuiſſe additionem propter diſſentiones quaſdam, ortas in Gallia, & in Hiſpania. Et id hoc circa tempus euenisse valde congruè dictum, hinc primò colligitur: nam in Conc. Tolet. 8. recitatur Symbolum cum hac additione anno 652. & ante hoc tempus non inuenitur in præcedentibus Conc. Toletanis vlla huius additionis mentio: hinc quoque conijcitur, quod in ſeptima Synodo generali cantatum Symbolum cum hac additione eſt, & anno 777. tempore Pipini, Caroli Magni Patris, indicato Gentiliacenſi Conc. cœperunt iam Græci conqueri de hac additione.

Dico quartò. Ab hac additione & originem duxit Schiſma, & vires accepiſſe teſtantur Bellarminus, Suarez, & alij, ſed anno circiter 860. auctum fuit nimisnam hoc tempore floruit Theophilactus, & in Io: cap. 3. carpit aperto ore Latinos, quod Spiritum Sanctum à Filio quoque procedere aſſerant. Et Ioannes Diaconus eodem tempore lib. 4. vitæ S. Gregorij Magni cap. 75. refert, Græcos vertiſſe dialogos D. Greg. in linguam Græcam, & abraſiſſe particulam illam: *Filioque procedit*. Denique completum, conſumatumque Schiſma anno 1051. tempore Leonis 9. tunc enim Michael Patriarcha Conſtantinopolitanus, fretus auxilio Conſtantini 10. Imperatoris, vt antea iam dixi, vt ſedem Romani Pontificis conſcenderet, cœpit ipſum Pontificem, cæteroſque Latinos omnes excommunicatos nominare, quod contra Epheſinum anathema addidiſſent fidei Nicænæ, Spiritum Sanctum etiam à Filio procedere: eo enim tempore iubente Imperatore contra Latinos exorta eſt perſecutio; ita teſtantur litteræ Leonis ad ipſum Conſtantinum; ita D. Anſelmus eodem tempore florens; ita D. Antoninus in hiſtoria par. 3. tit. 22. cap. 13. §. 11.

Hæc verò omnia indicabat S. Bonauentura, ſuppreſsis tamen more ſcholaſtico temporibus, tacitiſque auctoribus, & aperto ore hæreticos Græcos appellans obſtinatos, ac pertinaces, contra quos manifeſtum Dei iudicium cœpit, poſtremo mundi tempore conſumandum: nam primò, teſte etiam S. Bonauentura in hac quæſt. dum Græci cœperunt diſcedere ab Eccleſia, & inducere Schiſma, cœpit & inter eos ita deperire Sapientia, vt ſcioli inflati congruè vocitentur ab ipſo S. Doctore, nullum inter eos poſtea celebratum Conc. nullus legatur Sanctus miraculis clarus, pauciſſimi docti, & quod apertius euenit, quod nullus, neque cæcus non poſsit non videre, Græcorum Imperium, Latinorum floreſcente, ad inſolentiſsimi Turcarum Tyranni manus ita perueniſſe, vt penitus inter Græcos perierit, & extinctum ſit, ac omnes Græci ſub hoc Tyranno miſerrimi captiui viuant perpetuo victuri.

Quod verò in Schiſmatis eis euenerit pœnam captiuitas hæc, inde conſtare videtur: nam ſolemnitate Spiritus Sancti, ac die Pentecoſtes, die 28. Maij Turcarum Maumethe Imperatore, oppugnata iam capta eſt Conſtantinopolitana ciuitas, Græcorum Imperator occiſus, glorioſa Græcorum memoria penitus deleta, ſuiſque cineribus in Schiſmatis, & hæreſis de Spiritu Sancto vindictam, tumulata, expectatis à ſumma Dei longanimi patientia ad reſipiſcentiam vſque ad annum 1452. Græcis.

CA-

CAPVT II.

Quàm Canonica, & Orthodoxa, & propriè explicata fuerit fides per illam additionem: Filioq; procedit.

CONſtat iam de additione ad Nicænam Synodum facta, nunc rationi conſonum conſequitur, vt quo conſilio, quaque ratione, & auctoritate, tum facta, tum fieri potuerit, aperiatur: ego verò breuiter quatuor dumtaxat aſſertis rem hanc explicabo, iiſque ceu limitibus concludam, & comprehendam.

Primum igitur aſſertum. Potuit Romanus Pontifex, Paſtor, & totius Eccleſiæ rector, etiam Græcis non vocatis, ſic explicare fidem, hancque Symbolo addere particulam. Probatur primò: nam ideo Pontifex Romanus dicitur totius Eccleſiæ Paſtor, & Doctor, quia eius ſunt partes, omnes oues, & agnos, ſcilicet homines, de fide docere, quippe qui ipſe errare non poſsit, & pro ipſo rogauerit Chriſtus, vt Petri, ſcilicet Pontificis Romani fides non deficeret, & probatur: nam omnis Eccleſia, quæ ipſum ſequi, ipſique credere tenetur, ſi certam fidem non haberet, etiam ſine Concilio; neceſſario erraret.

Confirmat S. Bon. Romanus Pontifex à D. Petro omnem auctoritatis plenitudinem accepit, vel potius à Chriſto: ergo neque augeri, neque fieri maior poteſt, etiam congregato Concilio: neque minui, aut limitari, aut arctari poteſt ab vllo homine, neque ab omnibus ſimul congregatis; quod totum deſumpſit ex D. Anſelmo lib. de Proceſſione Spiritus Sancti. Antecedens probatur primò: nam Romanus Pontifex ſucceſsit Petro Romæ morienti, & morienti quidem iubente Chriſto, vt teſtātur Marcellus Papa Epiſtola ad Antiochenos, S. Ambr. Orat. contra Maſſentium, S. Athanaſ. lib. pro ſua fuga, vt in commentario etiam deduxi: ergo ſucceſsit ei in omni auctoritate. Secundò. Concilium Nicænum primum Can. 39. D. Irenæus lib. 3. cap. 3. D. Hieron. Epiſtola 57. ad Damaſum Papam. D. Aug. Epiſtola 165. Quam ſucceſsionem Petri per Pontifices vſque ad Anaſtaſium longo ordine recenſet D. Athanaſ. Epiſtola ad Marcum Papam, & innumeri alij, quos ſolertiſsimè refert indicato lib. Bellarminus.

Probatur conſequētia: nam primò Matt. 16. promittitur Monarchia totius orbis: *Tibi dabo claues Regni cœlorum, & quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in Cœlis, & quodcumque ſolueris &c.* quem locum pro hac Catholica ſententia ſuſtinet Bellarminus per multa capita lib. 1. de Romano Pontifice, à cap. 10. &c. contra Hæreticos. Præterea Ioan. 21. conceditur quod iam promiſſum fuit, illis verbis: *Paſce oues meas*; ex eod. Bellarmino cap. 14. & deinceps: ſed hanc auctoritatem non accepit Petrus in Cōcilio, ſed ipſe ſolus: *Tibi dabo claues*: *Paſce oues meas*: ergo Romanus Pontifex ipſe ſolus ſuccedens Petro habet omnem auctoritatem: ergo non indiget cōgregare Concilia, neque vocare Græcos: ergo Græci temerarij audent gloſſare, & limitare &c. & ſeipſos ingerere. Probatur denique, ne plura, quam congruat, huc congeram, per integrum librum cumulatiſsimè ab eodem Roberto Bellarmino, qui eſt 4. de Romano Pontifice.

Quod ſi non ad acquirendam quidem auctoritatem quam habet, ſed alio ex quocumque capite, quod poſset fingi, indiguiſſet Pontifex Concilio, aut Conciliarijs, non indiguiſſet tamen omnibus, tum Latinis, tum Græcis: nam non eſt magna multitudo, quæ perficiat opus, ſed præclari quidam, etiam numero pauci. In Ariminenſi namque Concilio plurimi congregati ſunt, turpiter tamen errarunt, & erroneum ab omnibus habitum eſt illud Concilium, quia non placuit Romano Pōtifici. In oppoſitum verò Concilium ſecundum 150. tantum Epiſcoporum Græcorum congregatum optima ſtatuit, placuit omnibus, à Damaſo Papa confirmatum, à quo Ariminenſe reprobatum fuit; neque tamen Latini conqueſti ſunt.

Secundum aſſertum. Pontifex auctoritatem certiſſimè habens, debuit fidei ſymbolo hanc facere additionem, *Filioque procedit*, & probatur. Declarare quid ſit credendum, & non credendum, certè, & infallibiliter, poteſt Summus Pontifex, & debet, quando vrget neceſsitas; ſed tunc, quando addita eſt hæc particula, grauis vrgebat; nam credendum erat Spiritum ſanctum à Patre Filioq; procedere, & non credendum à Filio non procedere, vt docebant Græci: ergo debuit hanc fidem declarare, ac conſtabilire. Maior huius argumenti ſupponitur certa ex primo aſſerto. Minor ergo probatur primò ex multis Sanctorum Patrum dictis, quos refert D. Th. in opuſc. contra Græcos. Vnum, aut alterum D. Athanaſij referam. In Symbolo enim poſtquam explicuerit inter alia, Spiritum Sanctum à Patre, & Filio procedere, tandem de omnibus ſic mirè concluſit: *Hæc eſt fides Catholica, quam niſi quiſque integram, inuiolatamque ſeruauerit, abſque dubio in æternum peribit*. Et Epiſtola ad Serapionem, docet tamquam Hæreticos vitandos omnes, qui Spiritum Sanctum à Filio perſonaliter exiſtentem, negauerit. Præterea Conc. Florent. definitam explicationem verborum illorum, *Filioque*, veritatis declarandæ gratia, & imminente tunc neceſsitate, rationabiliter Symbolo fuiſſe appoſitam docet. Idem Conc. *Definimus, vt hæc fidei veritas ab omnibus Chriſtianis credatur, ac ſuſcipiatur, quia Spiritus Sanctus à Patre, & Filio æternaliter eſt*. Ergo ad fidem ſuſtinendam debuit Pontifex addere particulam illam, illo ſignato tempore quo addita eſt. Non quidem ante: nam nulla aderat neceſsitas: tunc enim ſufficiebat dicere, *qui à Patre procedit*: includebatur enim & à Filio, vt ante expoſitum eſt. Sed quo tempore addita eſt, erat iam quæſtio, & vehemens de hac re altercatio, quam indicat S. Bonauentura illo verbo: *non erat tempus expectandi tam diſtantes Græcos:* Explicat Andreas Epiſcopus in Conc. Florentino, dum teſtatur factam eſſe hanc additionem à Rom.

Pont.

Digitized by Google

Pont. in Conc. ingenti Patrum Latinorum propter diſſentiones ortas in Gallia, & in Hiſpania.

Tertium aſſertum. Addenda erat hæc particula quo ad modum dicendi: licet enim ſi de modo dicendi ſit quæſtio, & non negandum dum Spiritum Sanctum per Filium procedere affirmant Græci, imò neceſſariam huius articuli fidem explicare aſſirmandum: dicere tamen, *qui à Patre, Filioque procedit*, quod dicunt Latini, & ſanior exprimendi modus, & magis conformis rei, de qua ſermo eſt. Huius aſſerti prima pars patet per D.Th. art. 3. & hoc ſenſu habet veritatem: ſi enim ſpectemus Filium à Patre habere quicquid habet, etiam ſpirandi vim, Spiritum Sanctum poteſt concedi Patrem ſpirare etiam per Filium, cui ſpirandi vim communicat. Deinde concedit hunc dicendi modum Conc. Florentinum in litteris Sanctæ vnionis. Eodem dicendi modo vſi ſunt vetuſtiſſimi, ac Sanctiſſimi Patres, multi Græci, & etiam quidam Latini. Secunda tamen pars hinc primò probatur. Spiritus Sanctus à Patre, & Filio eadem Diuinitate, & æquè immediatè tamquam ab vno principio procedit, licet hanc ſpirandi vim Pater habeat à ſe, Filius verò à Patre: ergo rectiſſimè dicitur ſicut à Patre, ita à Filio procedere. Conſequentia probatur: nam idem eſt principium, eademque vis, & idem modus, & verè ſic influit Filius, ac Pater, nam vnica eſt influendi vis. Antecedens probatur primò infra ſuſo ſermone: deinde. Si non eſt eadem, ſed diuerſa vis in Filio à Patre, ſpirandi; aut erit abſoluta, aut reſpectiua; non prima, quia abſoluta ſunt communia tribus; non ſecunda, nam omne reſpectiuum in Filio, eſt etiam in Patre, præter filiationem, ſecundum quam conſtituitur in eſſe Filij, & generatur: ergo eadem: ergo eodem modo de Filio, ſicut de Patre explicanda.

Confirmatur. Sicuti omnia creata immediatè orthodoxè dicuntur ab omnibus tribus perſonis creari, & procedere, quia ab vnica creandi vi producuntur; ita eademque optima dicendi ratione, & Spiritus Sanctus dicendus eſt à Patre Filioque immediate procedere. Antecedens patet Gen. 1. *In principio creauit Deus*. Hebræa. Eloim, ſcilicet Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Ibidem: *Faciamus hominem ad imaginem &c.* In recreatione, ac ſanctificatione hominis: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*. Matt. vlt. vbi expreſsè eodem modo Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus nominantur. Denique poſt innumera loca, quæ poſſent referri, in Conc. Lateranenſi cap. Firmiter. de Summa Trinit. ac fide Cath. *Conſubſtantiales, & coæquales, omnipotentes, vnum vniuerſorum principium, creatorum omnium, inuiſibilium, & viſibilium &c.* aſſeritur. idem cap. Damnamus. *In Deo Trinitas, non quaternitas, quia qualibet perſonarum eſt illa res, videlicet ſubſtantia, & eſſentia, ſiue natura, quæ eſt vniuerſorum principium.* Idem in Epiſtola Agathonis, quæ habetur in 6. Synodo act. 4. Idem Conc. Conſtantinop. 6. cap. 1. vbi Chriſtum Dominum creatorem appellat.

Denique hic dicendi Græcorum modus aperire oſtium videtur aduerſariorum Gloſſematibus aduerſus hanc Diuinam veritatem, ſi ob oculos reuocentur quæ ipſi Græci ad hanc vocem adhibuerunt. Concedunt Græci Spiritum Sanctum emanare à Patre per Filium, ſicuti ſplendor emanat à ſole per radium, ita præſertim D. Damaſc. ſed certum eſt, quod ſplendor eſt pars lucis diſtincta à radio, neque immediatè à ſole, ſed à radio tamquam inſtrumento ſolis emanat: ergo non rectè, nec ritè ſic explicatur principium, & origo Spiritus Sancti: non enim emanat à Filio immediatè, mediatè verò à Patre, ſed ab vtroque immediatè, tamquam ab vno principio: neque à Filio tamquam inſtrumento: hoc enim eſſet Arrianiſmum aſſerere de Filio: ergo appoſitiſſimè addita eſt particula, *Filioque procedit*: ergo perpetuus Script. & Conciliorum mos explicandi ita Sanctam Trinitatem: ergo optimè, & multo melius Latina Eccleſia addidit, *Qui ex Patre, Filioque procedit*. Quod ſi obijcias, Io: 1. dici Patrem per Verbum mundum creaſſe, & omnia per ipſum facta. Reſp. ibi per vocem *per* Filij cum Patre conſubſtantialem naturam, & vim in operando indicari contra Arrianos, vt communis PP. obſeruatio: deinde originem Filij à Patre &c.

Quartum aſſertum in gratiam D. Bonauenturæ. Si ad hanc additionem Græci non ſunt vocati, admodum conſonè ſine ipſis à Summo Pont. addita eſt particula *à Filio*. Primam aſſerti partem ſub dubitatione attuli: nam ſicuti non eſt omni excluſo dubio certum, quo tempore addita ſit; ita neque an ſine Græcis, vt dicitur in Conc. Florent. Secundam verò partem abſque vlla formidine poſui, ac probo primò, quia eorum præſentia, ac conuocatio neceſſaria non erat, non tantum quia ſine ipſis poterat decernere Summus Pōtifex; ſed quia non erat tantæ difficultatis quæſtio ſoluenda hæc, vt vexandi eſſent omnes, ac tam diſtinctæ prouinciæ. Ita quoque reſpondit quondam S. Aug. Pelagianis, ad D. Bonifacium lib. 4. cap. 12. De quæſtione hac patet, nam iam de ea in antiquioribus Conc. ſatis actum erat, vt ferè conſtaret, ac vetuſtiſſimi Patres ſatis apertè eam explicarūt.

Denique, vt antea conſtitit, manifeſtè ferè colligitur ex Diuinis litteris. Ioannis 5. *Quidquid facit Pater, ſimiliter facit & Filius.* Sapientiæ 1. *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum*, ſcilicet creando omnia cum Patre &c. Præterea inutilis erat quo ad Græcos aduocatio, & exitus acta probauit: nam poſtea toties ad Concilia vocati, tamen ſemper, *vt nubes ſine aqua, quæ à vento circumferuntur*, à voto præſtito, fideque data recedentes, ad vomitum redierunt: & quemadmodum Græci tunc amiſerant iam ferè omnem ſcientiam, ita quid vtilitatis ad Conc. vocati allaturi erant? præterquamquod (inquit S. Bon.) ad quid committere periculo veritatem iam certam? & ad illam potius profitendam, quàm decernendam aduocare Græcos, certò impugnaturos, & negaturos? eo præſertim, quo in multis Græcorum Conc. Generalibus eorum Patres doctiſſimi, pariterque pijſſimi, hanc veritatem profeſſi erant, vt iſtis verè ab illis Sanctiſſimis vitis obijcienda illa Chriſti Domini verba. *Generatio*

Digitized by Google

tio praua, & adultera. Tandem ita vrgebat neceſsitas addendi particulam propter iam ortas rixas illis prouincijs ſupra indicatis, vt non permitteret tam exteras, ac remotas gentes expectare.

CAPVT III.

Quàm efficax ſit ad hanc veritatem confirmandam Sancti Bonauenturæ ratio.

SCotus, cui fortaſſe nimis placuit ſenioribus, & Sanctioribus Theologis contradicere, alioquin tamen optimè de Theologia meritus, vt ad impugnandam, & euertendam hanc, quam contra Græcos vterque S. Bonauentura, & Thomas conſtruxerunt rationem, ſibi pararet viam; ſupponit, & conatur probare, vtiles ſæpenumero eſſe huiuſmodi diſputationes ex hypoteſi impoſſibili ſuppſita arguere, vt inde quæ ſit ratio formalis rei, & eiuſdem ab alia diſtinctio perueſtigetur; quando tamen ex illa hypoteſi per locum intrinſecum non ſequitur contradictio: tunc enim ſuperuacanea, & inutilis, & non concedenda iſthæc diſputatio: redargueretur in primis de contradictione: vt ſi ſupponeretur, riſibilis non habet potentiam ad ridendum, ſtatim conuincitur de contradictione per locum intrinſecum, & conſequentiam eſſentialem: rationabilis enim de ratione formali includit potentiam ad ridendum. Vtiliſſima verò eſt præſens diſputatio: non enim eſt (per modum ſaltem noſtræ cogitationis) de ratione Spiritus Sancti quod à Filio procedit, ſed veluti paſsio. Quę omnia, licet multis, ac grauiſſimis Theologis, tum vetuſtis, tum recentibus diſpliceant, Gotifredo, Ariminenſi, Capræolo, Gabrieli, Torres, Molinæ, Suarezio, & partim Valentiæ, præſertim in caſu propoſito; libenter tamen, & facile admitto & ego, ſed quàm appoſitè ad hanc quam verſamus contra Græcos quæſtionem, inde apparebit, ſi quomodo ad Græcos arguat Concilium Florentinum obſeruemus.

Græci credunt, & profitētur tres perſonas Diuinas vnum Deum, & tamē Filiū, nec ſpirare, nec habere vim ſpirandi Spiritū S. nec conſequenter Spiritū S. ab eo ſpirari, nec ſpiratione diſtingui: Conci. verò his verbis. *Credentes Spiritum Sanctum ex Filio nequaquam procedere, neceſſe eſt vt intelligant Spiritum Sanctum à ſolo Patre procedere, & conſequenter non eſſe Filium; qui autem proferunt Spiritum Sanctum ex ſola Patris perſona procedere, hi proculdubio ſubſtantiam ab hypoſtaſi ſeparant, & partitionem nugantur Diuinæ ſubſtantiæ, quod à ratione valde alienum piè creditur*. Eſt autem argumentum. Credere Diuinam Trinitatem, & negare Spiritum Sanctum à Filio procedere, eſt tollere è medio ſecundam perſonam: nam eſt eam facere ſubſtancia differre à Patre, & Patre ipſo minorem conſtituere: nam non habebit Filius voluntatem fecundam, quam habet Pater; & deſtruere eam, quam ſupponunt, & credunt Trinitatem.

Deinde difficile admodum eſt percipere, ſpirari Spiritum Sanctum, à Filio eſſe quaſi alienum, & extrinſecum ab ipſo Spiritu Sancto, cum hæc relatio; ſcilicet ſpiratio paſsiua, ſit conſtitutiua perſonæ Spiritus S. & actiua ſit vnica in Patre, & Filio. Et ſi ſolus Pater ſpiraret, nec eſſet illa perſona, quæ eſt: non enim haberet ſpirationem communem cum Filio, neque Filius eſſet ille, quem adoramus: non enim haberet cum Patre quam habet ſpirandi vim, nec denique Spiritus Sanctus, nec ipſamet ſpiratio eſſet ipſa quæ nunc eſt, & tamen ſupponitur eadem in hac hypoteſi: quare videtur conſequi eſt, & non eſt. Præterquamquod nemo negabit, Filio eſſe eſſentiale, & intrinſecum, eſſe Deum; & Patri æqualem; & tamen teſte Concilio, *in illa* hypoteſi adimere illi vim ſpirandi, eſt ipſum diſtinguere ſubſtantia à Patre, minorem Patre facere, exuere Diuinitate, ipſum interimere.

Igitur Scotus, ijs paratis, ac ſtratis ad quæſt. contra Sanctos Theologos ſic aggreditur Spiritum Sanctum à Filio differre realiter, non ſolum de facto, quia ab ipſo procedit, vt teſtatur Sancta fides, ſed etiam diſparata, & omnino diuerſa emanatione, ita vt ſi per impoſſibile à Filio non procederet, ab eo tamen propria, & diſtincta proceſſione ſe toto differret: & probat his fermè rationibus. Si per impoſſibile Spiritus Sanctus non procederet à Filio, adhuc tamen ab ipſo diſtingueretur: ergo non ſola ratione relationis oppoſitæ, ac ſpirationis paſsiuæ. Probat antecedens: nam diſtingueretur diſparata relatione Filiationis, quia ſcilicet Filiatio non eſt ſpiratio: & probat primò. Quod vnius conſtitutiuum eſt, illius etiam diſtinctiuum à quocumque alio: ſed ſecundæ perſonæ relatio conſtitutiua eſt Filiatio: ergo etiam diſtinctiua à quocumque alio: ergò etiam diſtinctiua à Spiritu Sancto: ergo etiam ſi non procederet ab ipſo, diſtingueretur tamen. Maiorem multis tuetur. Minor eſt conceſſa. Conſequentia videtur patens.

Idem totum confirmari poteſt ex D. Anſelmo lib. de proceſsione Spiritus Sancti cap. 2. ſic. *Hac igitur ſola cauſa pluralitatis in Deo, vt Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus non poſſint dici de inuicem, ſed alij ſint ad inuicem, quia prædictis duobus modis eſt Deus de Deo*, hoc eſt quia Filius, & Spiritus Sanctus diuerſa, & diſparata emanatione à Patre emanant: pergit enim. *Nam quomodo Filius exiſtit naſcendo, Spiritus Sanctus procedendo, ipſa diuerſitate natiuitatis, & proceſsionis referuntur ad inuicem vt diuerſi*. Et in fine capitis hanc ipſe ponit rationem diſtinctionis inter Filium, & Spiritum Sanctum, & idem repetit cap. 4. *Nam ſi per aliud non eſſent plures Filius, & Spiritus Sanctus, per hoc ſolum eſſent diuerſi, ſcilicet quia alter eſſet naſcendo, alter procedendo*. Secundò idem conatur probare.

Id, per quod vnum ab alio diſtinguitur, debet eſſe de ratione illius (ſupponitur probatum in probatione maioris primi argumenti) ſed ſpiratio

actiua

Digitized by Google

actiua non eſt de ratione perſonæ Filij: eſt enim primò conſtituta in eſſe per Filiationem: ergo ſpiratione actiua non diſtinguitur.

Tertiò. Si Spiritus Sanctus non procederet à Patre, ſed à Filio, adhuc tamen diſtingueretur. Probatur antecedens: ſi enim non diſtingueretur à Patre perſonaliter, eſſet eadem perſona cum Patre, & ſic ab ipſo Filius procederet: eſſet enim Spiritus Sanctus Pater. Conſequentia verò conſtat, quia ſcilicet Pater in eſſe perſonæ ſua paternitate conſtituitur, ſicut Filius filiatione.

Quartò denique. Generatio, & ſpiratio formaliter ſumpta, circumſcripta omni alia re, ab hac ratione formali ſaltem, quod ſpiritus non procedat à Filio, differunt ad inuicem formaliter: ergo circumſcripta proceſsione à Filio, Filius differt à Spiritu Sancto. Conſequentia eſt, quia impoſsibile vnam eandemque perſonam produci duabus emanationibus totalibus; vnaquæque vero harum emanationum totalis eſt: ergo vnaquæque perſona per harum emanationum alteram accipit eſſe totale: ergo per ipſam ſufficienter differt ab alia, & realiter. Multa verò huc in explicationem, & confirmationem harum rationum Scoti Scotiſtæ confarcinant, vt ea huc nos transferre oneroſum, & otioſum eſſet, cum pręſertim per multa folia explicata apud ipſos legere liceat.

Ratio verò, eademque optima SS. Bon. & Th. adhuc in ſuo robore durans, duraturaque in omne æuum, hæc fideliter eſt. Omnis diſtinctio in Diuinis realis non eſt niſi per relationes originis & oppoſitas: ergo vbi erit diſtinctio realis, ibi neceſſariò erit oppoſitio originis: ſed Spiritus Sanctus de fide diſtinguitur realiter à Filio: ergo ita per originem, vt ſi ab ipſo non procederet, neque diſtingueretur. Probat S. Thom. maiorem. Primò, Inter Diuinas perſonas diſtinctio non poteſt eſſe per abſoluta: quidquid enim ibi abſolutè dicitur, ad vnitatem eſſentiæ pertinet: non per quamcumque relationem, ſed tantummodo per oppoſitam: nam Pater duas habet relationes, alteram ad Filium, ad Spiritum Sanctum alteram, neque tamen ideo duæ perſonæ eſt Pater, quia ad inuicem non ſunt oppoſitæ: ergo ſi Spiritus Sanctus per ſolam diſparatam, & diuerſam relationem à Filio quà procedit à Patre, neque tamen per oppoſitam perſonaliter; non differret ab eo. Idem alijs rationibus vterque S. Doctor probat, vt in textu.

Sed eadem maior ſolertius probanda, ac in primis auctoritate, quæ magis ſolet vrgere in his fidei abditiſsimis myſterijs, & primò per Patres vetuſtiſsimos, ac Sanctiſsimos, quorum primus ſit S. Athanaſ. in libro qui inſcribitur: *Redargutio hypocriſis Meletij*, circa finem. *Impoſsibile eſt*, inquit, *in Trinitatis gloria Spiritum Sanctum numerari, ſi non manaſſet ex Deo per Filium, ſed per modum creaturæ à Deo factus eſſet, vt putant*. Vbi, licet ibi arguat pro Spiritus Sancti Diuinitate, mirificè pugnat tamen quoque pro veritate, quam hic profitemur tueri, vt nihil expreſsius, aut vrgentius dici, aut addi poſsit. Non eſſet tertia perſona in Diuina Trinitate Spiritus Sanctus, ſi à Deo Patre per Filium, ſcilicet & à Filio non procederet: qua verò ratione, niſi hac quam hic Sancti Theologi tradiderunt, quia in Diuinis non adeſt diſtinctio perſonis niſi per originem? Confirmat idem egregiè Epiſtola ad Serapionem, ac ſæpe repetit. *Talis eſt ordo, & vnio inter Spiritum Sanctum, & Filium, qualis inter Filium, & Patrem*: ſed Filius, qui ex Deo Patre, Deus eſt: ergo & Spiritus Sanctus, qui ex Filio Deo, Deus eſt.

Hinc ſubſumo: ergo ſi Spiritus Sanctus non eſſet ex Filio, non eſſet Deus, quod idem eſt, ac ſi non eſſet: ſupponunt enim Græci Spiritum Sanctum eſſe Deum, & diſtinctam perſonam Diuinam: ergo per D. Athanaſium ideo dumtaxat eſt Spiritus Sanctus perſona Diuina diſtincta, quia à Filio eſt. Ergo ex hypotheſi illa impoſsibili, ſi Spiritus Sanctus non eſſet à Filio &c. videtur contradictio: in hypotheſi enim ſupponitur Spiritus Sanctus diſtincta perſona, & ex illa conſequitur non diſtincta.

Deinde ex D. Greg. Nazianz. non inferioris notæ, neque minoris auctoritatis ab Athanaſio, de quo S. Thom. hoc mirum elogium prodit: nunquam ſcilicet in docendo, aut ſcribendo erraſſe, quem peramanter ſæpe profitetur Magiſtrum D. Hieronimus: hic verò Orat. 5. de Theolog quærit, quid deſit Spiritui Sancto quare non ſit Filius: niſi enim quid deeſſet, Filius eſſet. *Nihil*, reſpondet: *neq; enim Deo quicquam deeſſe poteſt. Verum manifeſtationis, vt ita dicam, mutuæque eorum relationis differentia, diuerſa quoque ipſis nomina procreauit*. Vbi quare Spiritus Sanctus non ſit Filius, hanc vnicam reddit rationem, manifeſtationis, ſcilicet quia ab æterno Filius manifeſtat Spiritum Sanctum, non autem niſi producendo, idemque Spiritus Sanctus Filium dum ab eo ſpiratur, & conſequenter mutuæ relationis: neque verò mutuæ eſſe poſſent, niſi oppoſitæ: oriũtur enim ex manifeſtatione, quia ille ſpirat, hic verò ſpiratur: ergo Spiritus Sanctus non eſt Filius, niſi propter ſolam mutuam relationem: & paucis interpoſitis profert exemplum Adæ, Euæ, & Seth. *Quid erat*, inquit, *Adam? figmentum Dei: quid Eua? figmentum ex figmento: quid Seth? germen ex vtroque*. Quo (vt patitur exemplum, & propoſitum) aſſeritur, ſicut Seth ab vtroque procedit, & ea proceſsione ab vtroque diſtinguitur, ita ab vtraque perſona Spiritum Sanctum procedentem teſtabatur diſtingui.

Præterea D. Greg. Nyſſ. Sancti Baſilij Magni ſanguine, ſanctitate, & ſapientia frater, lib. ad Ablabium, quod non oportet tres Deos dicere, circa finem. Ex vna Diuina, ſimpliciſsimaq; natura, non ideo tamen confundi Diuinas inter ſe perſonas docens, ſed potius hac vna ratione diſtingui, quia vna ſcilicet perſona eſt ab alia, his caſtigatiſsimis verbis. *Per quod ſolum alterum ab altero deprehendimus, nimirum eo quod credimus aliud quidem eſſe cauſam, aliud ex cauſa, & eo quod ex cauſa eſt. Ac rurſum aliam differentiam conſideramus: nam aliud quidem continenter, & ſine medio ex primo; aliud vero per id quod immediatè, & ex continenti eſt.*

Vbi animaduertendum primò eſt. D. Greg. more

re Græcorum loqui, & vocare cauſam, & cauſatum, perſonam producentem, & productam; quod licet phraſis Latina non admittat, ſuſtinet tamen ſine vlla erroris ſuſpicione idioma Græcum. Animaduertenda ſecundò illa vocula (ſolum) per quod ſolum diſcerni alterum ab altero aſſeritur, vbi quod quærimus apertiſſimè indicat, & aſtruit, ſolũ ſcilicet inter ſe perſonas differre, quia vna cauſa, altera cauſata, hoc eſt per oppoſitas dumtaxat relationes originis.

Confirmat veritatem huius ſententiæ Beſſarion doctiſsimus Græcus cap. 6. Orationis, quam habuit in Concil. Florent. pro Vnione. *Eo diſtinguitur*, inquit Nyſſenus, *Spiritus à Filio, quia per ipſum eſt: quaſi diceret, quod cum ambo à primo ſint, non ſufficienter diſtinguerentur, niſi alter per alterum eſſet*. Apertiſsimum quod nos loquimur. Spiritus Sanctus non eſſet, ſi non procederet à Filio. Et magis premit, quia in aperto Conc. Generali hoc docuit.

Tertiò denique animaduertendum quod addit: *& rurſum aliam differentiam conſideramus*, non his verbis proponi aliam differentiam ſpecie diſtinctam à ſuperiori, ſed aliam, hoc eſt eandem alio modo ſumptam: eſt vero hæc, quod Spiritus Sanctus eſt immediatè à Filio, mediatè verò à Patre: non quia etiam immediatè non ſit à Patre, ſed etiam mediatè ratione Filij; à Filio autem tantummodo immediatè. Ac quidem ita neceſſariò interpretandus hic ſanctiſsimus Pater, aliàs ſibi apertè contradiceret: nam nuperrimè hanc eandem ſententiam aſſeruit, Diuinas perſonas ſolum origine diſtingui: quare ſi hic aliam, diuerſamque rationem aſsignaret, ac differentiam, illa ſola non differret.

Propterea non poſſum non vehementer mirari, & ex corde non compati cuidam, alioquin peracuto, ac pereruditо Theologo, quantũ hic pro Scoto impensè laboret, vt hunc S. Nyſſeni locum obſcuret, delumbet, ac eneruet: primò enim inſimulat aduerſarios corruptionis, quod hunc ſcilicet locum corruperint, addiderintq. vocem *ſolum*, quod ab alio nunquam audiui: deinde non multum hunc locum aduerſarios prodeſſe admonet; nam vtramq; rationem profert, & illam SS. Bonauenturæ, & Th. & aliam Scoti, quod vltroneè ipſi concedunt, & cogente fide non ſolum per diſparatam, ſed per oppoſitam originis relationem perſonas diſtingui. Præterea ita interpretandos reliquos auctores, & Patres, & Concilia, quę hanc ſolam originis diſtinguendi rationem videntur aſsignare.

Sed meo iudicio oleum, & operam perdit: primò enim omnes locum hunc ita incorruptum agnoſcunt (magno autem è cauſa excidendi agentes lites periculo laborant, dum ijs hoc vnum remedium relictum eſt gloſſandi, & corrigendi codices decernentes cauſæ iuſtitiam) deinde luce meridiana clarius, additam differentiam non eſſe aliam à prima, niſi eo modo quo obſeruatum eſt. Quod verò referat Beſſarionem, qui apud Græcos inueniri teſtetur explicatiſsimum locum, quo contra Eunomium idem Sanctiſsimus Nyſſenus hanc non ſolum originis, ſed diſparatæ relationis differentiam docuerit; infra erit ſolida, & aperta reſponſio.

Tandem diſtinctè alium Patrem quem nos proferamus non habere, niſi S. Tho. nos perſtringit, qui tamen quolib.4. art.7. docet, Filium filiatione diſtingui à Spiritu Sancto per habere, & non habere, quia ſcilicet eam Spiritus Sanctus non habet: vbi videtur aliam quàm originis diſtinctionem concedere, ſed infra erit S. Thom. ad ſeipſum reſponſio, & hanc indicatam non eſſe realem, ſed tantum rationis diſtinctionem demonſtrabitur. Interim verò exquiramus, an alius Pater pro nobis adſit.

Adeſt Didymus, quem ſibi quoque præceptorem elegerat ſanctus Hieronymus, quemq; ſemper acutiſsimum, ac oculatiſsimum cæcum honoris gratia nuncupare erat ſolitus: is lib. 2. de Spiritu Sancto inter cætera. *Neque alia*, inquit, *eſt ſubſtantia Spiritus Sancti, præter id quod datur ei à Filio*; Quibus ſic rationem ſtruo. Omnem ſubſtantiam habet Spiritus Sanctus à Filio: ergo omnem pariter diſtinctionem: ergo nulla alia ab eo diſtinctione diſtinguitur, quàm quod ab eo ſubſtantiã accipit, ab eoque producitur; ſed hic Didymus non explicatione indiget, quaſi Spiritum Sanctum eſſe à Patre excludat: ſuperioribus enim verbis immediatè poſitis rem totam elegantiſsimè digeſſit. Eodem verborum pondere, & ordine adeſt, & pro nobis loquitur ſanctus Maximus in Zacc. cap. 4. Quem citat Beſſarion cap.6.

Denique D. Anguſt. 7. de Trinit. cap. vlt. & 15. cap. 14. & Boetius, qui tot Patribus non poteſt eſſe diſsimilis, dum 1. de Trinit. cap.12. *ſolam relationem multiplicare Trinitatem aſtruit:* ſola enim, non quælibet, ſed originis relatio, multiplicat Filium à Patre: ergo eadem ratione ſola illa multiplicabit Spiritum Sanctum à Patre, & Filio. D. Baſil. lib. 5. contra Eunomium cap. 11. & lib. de Spiritu Sancto cap. 17. *ſicut ſe habet Filius ad Patrem, ita ſe habet Spiritus Sanctus ad Filium*. Quibus quid ſcilius deducere licet, quàm, ergo & ſicut Filius producitur à Patre, ita Spiritus Sanctus à Filio, & ſicut ſola origine Filius differt à Patre, ita ferme ſola origine, & non alia ratione Spiritus Sanctus à Filio? D. Damaſc. lib. 1. de fide cap. 10. & lib. 3. cap. 1. has dumtaxat relationes enumerat oppoſitas origine, *Paternitatem, Filiationem, & Proceſſionem:* has enim tum ſufficere, tum ſolas eſſe, quæ perſonas & conſtituãt, & diſtinguant, exiſtimauit. Denique Riccar. de S. Vict. lib. 12. de Trinit. *Naſci*, inquit, *diſtinctionem perſonarum ex numero producentium, quia vna perſona producit, & non producitur, alia & producit, & producitur, tertia producitur, & non producit*. ex quibus, etiam ſine Sancto Anſelmo, de cuius ſententia controuertitur inter hos Doctores, ideo infra diſtinctius, ſine, inquam, D. Anſelmo illud proloquium formari, firmarique poteſt. *Omnia in Diuinis ſunt vnum, vbi non obuiat oppoſita relatio*.

Sed ad grauiora teſtimonia, hoc eſt ad Concilia accedendum, ex quibus tamen nullum, aut quæro, aut profiteor poſſe decretum inueniri, quo op-

poſita

poſita Scoti opinio, aut periculi, aut erroris, aut temeritatis notam, & cenſuram ſubeat: hoc enim ingenuè fateor, ſi quidquam ſimile quiſque inuenire, & in medium adducere ſibi perſuaderet, omni proculdubio à veritatis ſcopo aberraret: neque enim hæc ſententia, has, ſimileſque notas promereri vlla ratione poteſt, imò ſua, tum ex dicentium auctoritate, tum ex locis, & rationibus pro ea, quæ referuntur, probabilitate pollet. Quod ſi quidam contra eam quædam Conc. Florentini ſeſſ. vlt. verba, vt periculi, & erroris inſimularent, conati ſunt in medium afferre, peccarunt tum contra eam ſententiam, tum cōtra Scotum alioquin pium, & catholicum, & hac in re non difformiter rationi ratiocinantem, & mendoſum, & corruptum, & non legitimum textum prodiderunt.

Quod igitur hoc loco colligere duxi, eſt, quibus perpetuò verbis vtantur iſthæc Conc. in hoc D. Trinitatis myſterio explicando, vt hinc quam conſtanter ſemper docuerint, ac omnem Eccleſiam inſtruxerint, Diuinas perſonas oppoſita relatione diſtingui; perciperemus, nulla alia vnquam ratione indicata: vno excepto, à quo exordium ſumo, quod quaſi ad verbum SS. Bon. & Thom. ſententia tradit, ac profitetur: eſt autem Toletanum 11. in Confeſsione fidei his verbis. *Hæc eſt Trinitas, quæ vnus, & verus eſt Deus, nec recedit à numero, nec capitur numero. In relatione enim perſonarum numerus cernitur, in Diuinitatis verò ſubſtantia quid annumeratum ſit, non comprehenditur: ergo hoc ſolum numerum inſinuant, quod ad inuicem ſunt, & in hoc numero carent, quod in ſe ſunt.* Vbi ferè poſtremo loco verbis, cui nos patrocinamur, quàm explicatè oſtenditur veritas. Si enim Diuinæ perſonę per hoc dumtaxat plurificantur, quod ad inuicem ſunt; omni proculdubio Filius, & Spiritus Sanctus ſecluſa ſpiratione non ſunt, cum ad inuicem non ſint, neque diſtinguentur, neque plures euadent.

Gloſſula verò, quam ille idem noſter perdoctus Theologus, ac diutinæ, & confirmatæ conſuetudinis glutino ſtrictus valde mihi, his Conc. verbis in Scoti gratiam adhibere conatur, an adhæreat, ac arrideat, aut placidè ſuſtinenda, alij iudicabunt: hoc itaque, inquit, illis verbis ſolum innuiſſe videtur Conc. perſonarum numerum in Diuinis, vbi relationes ſunt, & eſſentialia abſoluta, non per abſoluta, ſed per relationes inſinuari, id quod ex ſequentibus verbis patet cum dicit: *hoc numero carent, cum in ſe ſint &c.* Quod idem eſt, ac ſi otioſè poſita eſſent illa verba, quæ videntur difficultatis punctum præcisè tollere (ergo hoc ſolum numerum inſinuant, quod ad inuicem ſint) aut ac ſi ex textu abraderentur, ſicuti ſupra in textu S. Greg. Nyſſ. vox (*ſolum*) deciſiua dubitationis, ceù ſuperflua, & ibi ex textus corruptione addita, obliterabatur.

Fatentur igitur illi Patres Toletanæ Synodi, non ſolum vnde in Diuinis numerus, ſed vnde tantummodo, ſi verba fideliter referenda ſunt. Conſulerem non ita licere extorquere Patrum, & Conc. loca. In reliquis verò Conc. obſeruemus quod pro noſtra ſententia conſentaneè duximus obſeruandum: etenim perpetuo, & nunquam interrupto ſtylo, ac ſermone, dum de Sanctiſsimæ Trinitatis perſonis verba facere occurrit, illatum ſola nomina perſonarum aſſumunt, ac vſurpant, quibus origo earum, & relatio poſita patefit, Patris ſcilicet, Filij, & Spiritus Sancti.

In Conc. illis quinque Generalibus apud Græcos celebratis, quibus recepta Epiſtola D. Cyrilli, ex Synodo Alexandrina ad Neſtorium ſcripta. In Epheſino act. 5. in 5. act. vlt. in 6. act. 17. in 7. act. 7. Epiſtola verò, Spiritum Sanctum à Patre, & Filio procedere, teſtatur ſemper ſub ijs nominibus. In Symbolo Nicæno, quod profitetur, ac in Miſſa vniuerſa Romana Eccleſia canit. *Et in Spiritum Sanctum &c. qui à Patre, Filioque procedit*, nullamque mentionem facit de hac diſparata diſtinctione.

Præterea in Lateranenſi Conc. cap. Firmiter. ſub Innocent. 3. *Firmiter credimus, & ſimpliciter confitemur, quod vnus ſolus eſt verus Deus, æternus, & immenſus, omnipotens &c. Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, tres quidem perſonæ, ſed vna eſſentia, ſubſtantia, ſeu natura ſimplex omnino. Pater à nullo, Filius autem à ſolo Patre, ac Spiritus Sanctus ab vtroque, pariter abſq; initio ſemper, ac fine; Pater generans, Filius naſcens, Spiritus Sanctus procedens.* Vbi licet & naſcentem Filium, & procedentem Spiritum Sanctum fateatur, ne tamen naſcentia, & proceſſio aliam quàm oppoſitam relationem viderentur innuere, iunxit cum Filio, ac Spiritu Sancto: dixit enim, Filius naſcens ſcilicet à Patre, & Spiritus Sanctus à Patre, & Filio procedens.

Mox in Conc. Lugdunenſi ſub Greg. 10. cap. Fideli. *Fideli, ac deuota profeſsione fatemur, quod Spiritus Sanctus æternaliter ex Patre, & Filio, non tamquam ex duobus principijs, ſed tamquam ex vno principio, non duabus ſpirationibus, ſed vnica ſpiratione procedit.* Denique in Conc. Florent. in litteris vnionis. *In nomine igitur Sanctiſsimæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti &c.* & deinceps. *Sic omnes profiteantur, quia Spiritus Sanctus ex Patre Filioque æternaliter eſt, & eſſentiam ſuam, ſuumque eſſe ſubſiſtens habet ex Patre ſimul & Filio.* & infra. *& quoniam omnia quæ Patris ſunt, ipſe Pater vnigenito Filio ſuo gignendo dedit, præter eſſe Patrem; hoc ipſum quod Spiritus Sanctus procedit ex Filio, ipſe Filius à Patre æternaliter habet, à quo æternaliter eſt genitus.*

Itidem in Symbolo D. Athanaſ. quod vbiq; terrarum ab Eccleſia Catholica canitur, totum Sanctiſſimæ Trinitatis myſterium enodat perpetuò ſub ijſdē *Patris, & Filij, & Spiritus S.* vocibus, vt notiſsimum eſt. Eccleſia in Baptiſmo ſub ijſdē verbis docet profitendam fidem: pariformiter in cōfirmatione; ita vt ſi eadem Trinitatis fides alijs explicaretur verbis, ex certiori Theologia non ſubſiſteret Sacramentum: & quod maximum in hac re teſtimonium eſt, à Spiritu S. ex Diuinis litteris didicit ita loquendū Eccleſia, didiceruntq; Concilia. Matth.

vlt. *Euntes baptizate eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S.* 1.Io:5. *Tres ſunt qui teſtimonium dant in Cælo, Pater, Verbum, & Spiritus S. & hi tres vnum ſunt* (Verbum ęquè relatiuum, ac oppoſitam originem dicens, ac Filius) Io: 17. Filius ad Patrem loquens: *mea omnia tua ſunt*, omnia, inquam, excepta Paternitate, decernit Conc. Florentinum loco nuperrimè commemorato, quod idem eſt, ac ſi diceretur, omnia præter originis relationes: quod idem & Spiritui Sancto competere quis audebit negare? vt ad Filium quaſi loquens dicat: omnia tua mea ſunt, præter ſpirationem actiuam, ac originem perfectè ſumptã?

Ergo ſi tum Patres, tum Eccleſia, ac Sacra Conc. tum denique ipſamet Diuina Scriptura his verbis, *Patris, Filij, ac Spiritus Sancti*, quibus præcisè originis relationes, ac diſtinctiones ingeruntur, fidelibus proponit, ac fidem Trinitatis prædicat; vnde factum eſt, vt quaſi hæc non ſit ſufficiens, & adæquata diſtinctionis ratio, alij aliam ferè ſine Patribus, & ſine Eccleſia &c. voluerint indagare? Nos hanc ſolam ex Diuina Scriptura, ex Eccleſia, ex Sanctis Patribus, Diuiſque Theologis didicimus, hanc ſolam tenemus, profitemur, verſamus, ac docemus. Alij vero hac non facti ſatis, ſub torculari cerebrum comprimentes, alias expromant, ac diſtillare faciant.

Ad rationem optimam, quam nunc tuemur, ne nobis aliæ deeſſe videantur, alias deducamus, ac primò. Ijs ſolis verbis, ac relationibus, explicandum Sanctiſsimę Trinitatis Sacramentum, ac Diuinæ diſtinguendæ perſonæ, quibus tum explicant, tum diſtinguunt Diuinæ litteræ, Patres, ac Sanctiones & Eccleſiaſtica Conc. ſed per ſolas relationes originis, & per verba idem formaliter præſeferentia, ſic explicant: ergo ita nobis dumtaxat hoc myſterium explicandum. Minor huius argumenti conſtat, ex ijs quæ nunc ſupra congeſta ſunt. Maior aliàs adhuc probata ſupra per Diuos Dionyſium, & Baſilium, confirmata, dum non licere de hoc myſterio præcipuè, niſi quæ Diuinæ litteræ, vel formaliter, vel virtute affirmant, aſſerere, tradiderunt.

Secundò, quæcumque alia aſsignetur ratio ad diſtinguendas perſonas, inſufficiens eſt, præter eam, quæ per relationes originis aſsignatur, & probatur (loquor de illa diſtinctione, quam attulit S. Th. quodlib. 4. quæſt. 4. art. 7. quamque intulit ſupra quidam Theologus, vt hinc vtramque viam amplexatum D. Thom. deduceret) Spiritum Sanctum ſcilicet differre à Filio per non habere, quia filiationem Filij non habet. Arguo verò hic, hac vtique ratione ex S. Thom. de potentia quæſt. 10. art. 5. & ex Ferrarienſi 4. contra gentes cap. 24. *§. circa illam* & *§. pro declaratione*. Omnis ſuppoſitio affirmationis & negationis inter duo poſitiua, ad ea diſtinguenda eſt inſufficiens ex ſe, ſed indiget, & ſupponit oppoſitionem per affirmationem, & probatur primò. Omnis affirmatio eſt prior negatione, & omne ens ab alio differt per aliquid ſibi inhærens ſubſtantialiter, vel accidentaliter: ex quo poſtea ſequitur, hoc non eſſe aliud, quia ſcilicet habet aliquid hoc, quod eſt oppoſitum illi quod habet illud: ſicuti dicitur Aethiops differt ab albo per non habere albedinem, ſed quare hoc? ſcilicet propter oppoſitam poſitiuam qualitatem albedini, hoc eſt nigredinem: non eſt enim albus, quia eſt niger: ergo & Spiritus Sanctus inſufficienter diſtinguitur à Filio per non habere filiationis, ſed indiget, & ſupponit affirmatiuam inhærentem oppoſitam quaſi qualitatem: non enim non eſt Filius quia non habet filiationem, ſed per inhærentem oppoſitam originem, quia ſcilicet eſt à Filio: non ergo S. Thom. aliam diſtinctionis perſonarum admittit rationem, quàm originis.

Secundò. Quod ſi vltroneè admitteretur, adhuc non ſufficeret diſparata relatio, & emanatio ad duas conſtituendas realiter diſtinctas perſonas. Probatur primò. Duæ diſparatæ relationes producentes, ſcilicet Paternitas, & ſpiratio actiua in Patre, non conſtituunt duas perſonas, nec in eo caſu quo Spiritus Sanctus non procederet à Filio: & ratio eſt, cum non opponantur, ſunt idem re inter ſe, & ſola ratione differunt: ergo neque duæ diſparatæ relationes producti termini, quales ſunt filiatio, & ſpiratio paſsiua, duas perſonas conſtituent. Probatur conſequentia, quia eadem ratione, cum non ſint ad inuicem oppoſitæ; ſunt idem ſecundum rem: quare ſicut idem ſuppoſitum generat, & ſpirat, idem quoque generaretur, & ſpiraretur.

Neque impedit, quod poſſet opponi, & de facto opponitur, quia ſcilicet tunc ſi Spiritus Sanctus non procederet à Filio, eſſent duæ emanationes realiter diſtinctæ, altera per intellectum; altera per voluntatem, ex quibus neceſſariò duæ orirentur relationes termini producti realiter diſtincti. Verum, inquam, nihil impedit: Nam ſicuti duæ emanationes diſparatæ in Patre, paternitatis, & filiationis actiuæ, non differunt ad inuicem niſi ratione, quia non opponuntur relatiuè (ſola enim huiuſmodi oppoſitio, vt pluribus ſatis demonſtratum eſt, in Diuinis diſtinctionis realis eſt ratio) ſic non adeſt ratio, cur termini paſsiui producti, nimirum Filius, & Spiritus Sanctus, realiter diſtinguantur, ſi non opponuntur origine: nihil enim amplius quàm origines actiuæ habent: ergo neque in caſu hypotheſi diſtinguerentur.

Negat Scotus conſequentiam in 1. diſt. 11. & negationis hanc reddit rationem: quamuis enim idem agens varijs productionibus diuerſa producere poſsit, eadem tamen res vnica varijs productionibus oppoſitis produci non poteſt. Quocirca aliunde eſt, quare vnica perſona in caſu non produceretur duabus productionibus, quia nimirum impoſsibile eſt. Sed reſpondeo, egregiè quidem Scotum ſeipſum tueri, ſupponere tamen quod deberet probare, productiones ſcilicet paſsiuas eſſe oppoſitas, quia diſparatæ, & aliæ ſunt: negamus enim nos, & negant omnes, & aliam doctrinam apud vetuſtos Theologos, Patres, Concilia, & Di-

Digitized by Google

& Diuinas litteras non inuenimus, quàm Diuinas perſonas diſtingui per origines. Deinde falſum exiſtimamus,in rebus creatis virtute ſupernaturali eundem effectum non poſſe pluribus productionibus produci, & conſtat de Chriſto Domino tot vicibus in Euchariſtia realiter producto.

Confirmatur igitur. Vbi inter duo nulla oppoſitio vera & formalis, ibi nulla repugnantia, quin ad inuicem poſsint eſſe idem: ſed ſi inter Diuinas perſonas, remota originis oppoſitione, quæ ſola ibi inueniri poteſt, non remanet repugnantia:ergo idem in vna perſona eſſe poſſunt, ſed ſi poſſunt eſſe: ergo ſunt: nam *in ſempiternis idem eſt poſſe, & eſſe*. Probatur minor: nam inter Diuinas perſonas non eſt alia ratio diſtinctionis aſsignanda,aut pluralitas, quàm aſsignet fides, aut manifeſta ratio, & repugnantia demonſtret: ſed fides neque aliam docet,quàm originis; neque ſi daretur caſus hypotheſis,tunc differrent realiter; neque vlla vera alia ratio,aut repugnantia apparet:facillimo enim negocio rationes Scoti ſoluuntur.

Tertiò,& ſit ſecunda confirmatio.Filiatio,& ſpiratio paſsiua ſunt conſtituentes, & diſtinguentes perſonas Filij, & Spiritus Sancti: idem enim quod conſtituit, etiam diſtinguit: probo vero,vt diſparatæ proprietates tantum,quod inſufficientiſsimè,& nullo modo diſtinguunt ad inuicem. Illæ perſonales proprietates ſunt relatiuæ proprie, & formaliter, & vt ſic, in praxi, vt referuntur conſtituunt, ac diſtinguunt; ſed vt ſic ſicut non habent entitatem abſolutam in ordine ad quodcumque aliud, ſed relatiuam ad ſuum terminum, vt apertè teſtatur de relatiuis Ariſt. in prædicamento *ad Aliquid*, his verbis: *Ad aliquid ſunt,quæ hoc ipſum quod ſunt, ad aliud dicuntur*, & multa ibi ſubdit exempla: ita ad correlatiuum tantum conſtituunt, & diſtinguunt, & oppoſitum dicere eſt relatiuorum naturam peruertere, & in abſoluta commutare:ergo Filius ad Patrem tantum erit, à Patre tantum diſtinguetur filiatione.

Confirmatur: nam ens non poteſt operari vltra ſuam entitatem, & modum eſſendi: ergo neque relatio poterit conſtituere, nec diſtinguere,niſi iuxta ſuam naturam ad terminum, qui ſunt ſui effectus formales. Confirmatur: nam ſicuti Pater ſua paternitate conſtituitur in eſſe perſonæ dumtaxat in ordine ad Filium, à Filioque diuerſa eſt perſona, quia Pater; ita eadem prorſus ratione erit Filius ſua Filiatione. Confirmatur. Ideo enim Pater & Filius quaſi indigent illa relatione ſpirationis,quæ licet quatenus duabus communis perſonis, non poſsit eſſe perſonalis,eſt tamen complens eſſe perſonale illarum duarum perſonarum in ordine ad Spiritum Sanctum.Paternitate quidem,& Filiatione erant conſtitutæ perſonæ, ſed non vſqueadeo: non enim illis à Spiritu Sancto differebant. Confirmatur denique quaſi à fortiori: nam etiam quædam per abſolutas formas conſtituta inueniuntur, quæ tamen ab omnibus non differunt ſimpliciter, ſed tantum ab ijs,quæ ſunt in eo genere vbi conſtituuntur (eſt Sancti Thom. quodlib. 4. quæſt. 4. art.7.) Sapphirus ſua forma non differt niſi ab omnibus alijs ſpeciebus lapidum, licet negatiuè à quocumque alio, de qua ratione non poteſt eſſe hic ſermo: ergo multo minus differet relatiuum, cuius totum eſſe eſt ad terminum ſuum correlatiuum.

Hanc ſententiam de relatiuis docuit apertè etiam Sanctus Bonauentura diſt. 13. quæſt. 3. vbi quærens differentias inter emanationem Filij, & Spiritus Sancti,dicit: generatio non reſpicit tertium, nimirum quia tantum ſuum terminum.

Scio contra hæc argumenta innumeros obſtrepere,multa afferre,pluribus conari ſoluere: eorum enim vim ſentiunt, & præſertim eius, quod ex natura relatiuorum deductum eſt:quibus hæc duo verba ſufficiant, quæ in antecedente argumenti indicata ſunt. Relatiuum ſcilicet biſariam ſumi, & comparari ad aliud poſſe: vno modo ex natura rei relatiuè, & hoc modo natura relatiui ad correlatiuum tantum habet ordinem, & comparationem: alio modo per intellectum,& ſic cuicumque poteſt cōparari. Iterum relatiuum vt ſic poteſt bis ſumi, & conferri: primò vt relatiuum in actu exercito, hoc eſt ſecundum relationem formalem, relatiuè exercitam, aut poſsibilem exerceri, & hac ratione dumtaxat ad correlatiuum comparatur:alio modo vt relatiuum quidem, ſed non relatiuè exercitum, aut exerceri poſsibile, ſed vt res quædam ſub genere ſuo communi, & quidditas ab alio diſtincta, licet relationem non exerceat; ita paternitas creata, vt res poteſt comparari ad lapidem, non per relationem, ſed vt res ab eo realiter, & formaliter diſtincta, ita vt relatio non relatiuè ſumpta, à quocumque alio differat, ſed relatiuè accepta, non niſi à correlatiuo.

In Diuinis autem nulla alia ratione ſumi poteſt, niſi relatione oppoſita, & ad aliud ibi non eſt: perſonæ enim conſtitutæ ſunt per relationes exercitas ad ſuum terminum: ſi relatio Diuina comparetur ad eſſe abſolutum,identificatur, & amittit eſſe relatiuum: ſi ad alium quàm ad ſuum terminum, non differt niſi diſparitate, quam ſi volunt ſufficere, cedunt liti: tota ergo lis eſt in hac æquiuocatione ſita,quod aduerſarij relationem ſumunt latiori modo quàm par ſit,& diuerſo quàm nos,ſcilicet vt quidditas quædam, quæ tamen vt ſic nec conſtituit, nec diſtinguit perſonas.

Quod ſi adhuc vrgent, Filium filiatione à Spiritu Sancto diſtingui. Eſto, ſed hac ratione de ratione Filij Diuini eſt vt procedat omnino ſimilis, atque ita cum eadem fœcunditate,quam habet Pater in ſpirando Spiritum Sanctum, aliàs vt docent S. Bon. & Aegidius Romanus, & Riccardus de S. Vict. probabiliter diſt. 11. quæſt.2. & alij, non eſſet prorſus ſimilis, imò partitam haberet Deitatem, & differret natura, & eſſentia, dicebat Conc. Florentinum, vt iam hoc eodem cap. recenſitum eſt. Quo conſequitur, in ratione adæquata Filij includi fœcundam vim ſpirandi: tunc inquam, vltroneè concedo,referri Filium,& diſtingui etiam à Spiritu Sancto ſua (vt ſic loquar) integra, & completa filiatione: ſed quid tum? erit per originem, & oppoſitam relationem, quam vnicam enitimur tueri.

Ad argumenta in veſtibulo cap. huius propoſita: Ad primum licet iam plane ſit factum ſatis in 2. argumento ex diſparata ratione, & natura relatiui formaliter, & relatiuè ſumpti; ad formam tamen argumenti, ſuppoſitis hic innumeris aliorum ſolutionibus, reſpondetur, & negatur antecedens: non enim ſufficienter diſtinguitur diſtinctione requiſita ad diſtinctionem perſonarum, quæ debet eſſe realis; ita vt foret in hypotheſi illa vna tantum perſona Filius & Spiritus Sanctus. Ad probationem negatur aſſumptum: nam falſum eſt in relatiuis relatiuè ſumptis. Secundò, in illo caſu illa filiatio ſine ſpiratione actiua non eſſet eius vis, ac rationis, vt poſſet conſtituere ſecundam perſonam diſtinctam à tertia: non enim differt à Filio Spiritus Sanctus ratione præciſa filiationis, ſed ex adiuncta ſpiratione actiua; ſed eſſet alterius rationis ab ea quæ nunc eſt: quare neque Filius eſſet qui nunc eſt, ita vt ex illa hypotheſi, in qua ſupponitur hic Filius, conſequitur contradictio: non enim eſſet hic Filius.

Ad Diuum verò Anſelmum reſpondet egregiè primò S. Thom. hic ad 7. & de potentia quæſt. 10. art. 5. ad 2. his verbis. Id quod dicit Anſelmus, Filius, & Spiritus Sanctus per hoc ſolum ad inuicem diſtinguuntur, quod diuerſo modo procedunt; eſt omnino verum: ſed ſicut oſtenſum eſt, diuerſo modo procedere non poſſent, niſi Spiritus S. eſſet à Filio: & diuerſus modus procedendi eſt, quia Filius à ſolo Patre, Spiritus S. à Patre, & Filio: & paucis interpoſitis. Eſt autem intentio Anſelmi, prius ponere ea, in quibus nos conuenimus cum negantibus Spiritum Sanctum eſſe à Filio, qui tamen à Filio dicitur diſtingui; vnde verba Anſelmi dicta ſunt magis diſputariuè ex ſuppoſitis, quàm veritatis diffinitiua: quibus apertiſsime docet, & interpretatur Diuum Anſelmum loqui de emanationibus completè ſumptis, complentur autem etiam origine. Quare ideo Filius, quia naſcitur, differt à Spiritu Sancto, quia ipſe ſpiratur; ideo tamen ſpiratur per vim amoris, quia & ſupponit naſcentiam Filij, & procedit non ſolum à Patre, ſed etiam à Filio, aliàs non ſpiraretur per vim amoris mutui, vt egregiè hic S. Bon. & non ſpiratur, niſi etiam à Verbo: non enim aliquid amamus niſi prius cogitatione idipſum apprehendamus.

Quod ſi velimus locutum D. Anſelmum diminutè pro illa ſola diſparata ratione emanandi, ſecundum quam differt ſeipſa, quia vna non eſt alia; Reſpondeo primò, vt nuperrimè quoque reſpondebam, hanc diſtinctionem non ſufficere: eſt enim tantum virtualis. Ita quoque reſpondet Riccardus diſt. 11. quæſt. 2. ad 3. & 4. Secundò, loqui ibi D. Anſelmum diſputando, vt eos deducat ad eas anguſtias, ad quas his verbis redegit cap. 3. *Cum apparebit, quia Spiritus Sanctus eſt de Filio, tunc quoque palam erit, quia propter hoc nequit eſſe Filius Spiritus Sanctus, neque Spiritus Sanctus Filius.* Vide quàm belle concludit Filium non eſſe Spiritum Sanctum, non quia diſparata emanatione procedit vterque, ſed quia Spiritus Sanctus eſt de Filio, & originem diſtinctionis totam rationem aſſignet? Eodem prorſus modo intepretandus Beſſarion, & D. Nyſſenus, ſi in textu Græco ſic loquitur, vt ipſe ſolus Beſſarion teſtatur.

Ad ſecundum vnico verbo poſſet reſponderi, eſſe de ratione Filij vt diſtinguatur à Spiritu Sancto per ſpirationem actiuam, & originem: non enim Diuinæ perſonæ diſtinguuntur, aut diſtingui poſſunt, niſi per originem: filiatio enim, vt nunc dictum eſt, præciſè ſumpta, nec vllam rationem ad Spiritum Sanctum habet, nec ſufficit vt faciat diſtinguere ſecundam perſonam à tertia: quare conceſſa maiori, neganda eſt minor. Tamen alio etiam modo reſponderi poteſt: & vt magis percipiatur reſponſio, ad hanc formam redigatur argumentum. Quod diſtingitur ab alio inquantum tale, debet eſſe de ratione illius vt tale eſt, conſtituens ipſum in eſſe tali: ſed Filius inquantum Filius diſtinguitur à Spiritu Sancto per filiationem: non ergo per ſpirationem actiuam. Probatur, quia ſpiratio vt ſic, non eſt de ratione filiationis vt ſic. Reſpondetur. Illud *inquantum Filius*, poſſumus bifariam interpretari, aut vt explicet perſonam diſtinctam, aut rationem diſtinguendi: ſi primo modo, vera eſt minor, falſa maior: ſi ſecundo modo, vt ratio illa ſit præciſè filiatio, ſic falſa eſt minor. Si verò in ratione diſtinguendi ſumatur quidquid ad plenam, & completam rationem perſonæ, in qua clauditur & ſpiratio, vt in prima etiam reſponſione notatum eſt; ſic falſa eſt maior, vera minor: de ratione enim Filij adęquatè ſumpti clauditur ſpiratio actiua, qua conſtituatur non Filius ad Patrem, ſed ſpirator ad Spiritum Sanctum; filiatio verò formaliter facit perſonam, ſpiratio actiua eam à Spiritu Sancto diſtinguit: ita alia ratione Pater, & generatio actiua, alia Filius à Patre, vt genitus: vt enim Pater, ſignificatur ordo naturæ, quo Pater eſt, à quo Filius; Filius verò itidem ordo naturæ, quo Filius eſt à Patre; ita dicebam, ſpiratio actiua, qua Pater, & Filius eſt principium Spiritus Sancti, paſsiua, qua Spiritus Sanctus eſt ab eo principio.

Ad tertium. Primò egregiè Molina. Non diſtingueretur à Patre, quia ab ipſo non procederet, nec ſubinde intercederet relatio oppoſita; diſtingueretur à Patre realiter, quia eſſet à Filio, & Filius eſt à Patre per originem diſtinctus, & ſequeretur hæc contradictio, quia contradicit Spiritum Sanctum non eſſe à Patre; & non eſt mirum hiſce hypotheſibus has ſuboriri contradictiones. Deinde ingenua ſolutione neganda conſequenquentia: non enim conſimilis eſt ratio; nam ſi non procederet à Patre, ſed dumtaxat à Filio, ideo tamen à Patre diſtingueretur, quia eſſet media oppoſitio, & origo Filij à Patre: at ſi non procederet à Filio, non diſtingueretur ab ipſo, quia ibi nulla interiaceret oppoſitio, eo modo quo Auus, & Nepos opponuntur, & repugnat non diſtingui, quia intermediat Pater Nepotis, Filius ipſius Aui.

Ad quartum reſpondeo. Differunt ad inuicem generatio actiua, & ſpiratio actiua; concedo in perſonis productis realiter, in Patre producente, vir-

Digitized by Google

vittute in via, vt emanationes magis. Vna eademque perſona duabus emanationibus totalibus non poteſt produci; itidem ſpontè concedo. Ergo vna perſona Filij conſtituta in eſſe ſuo per ſuam emanationem, differt realiter à Spiritu Sancto, & à quocumque alio; iam teſponſum eſt, & negata primò conſequentia in relatiuis relatiuè, & formalitet, & affirmatiuè ſumptis. Secundò. Filiatio adæquate ſumpta, vt Diuina, includit ſpirationem actiuam: quo oritur Filium filiatione diſtingui etiam à Spiritu Sancto: at verò non ſequitur, non ergo ſpiratione actiua diſtinguitur, vt conſtat: quare conceditur conſequentia, ſed nihil pro Scoto.

Spectanda manet hinc pia quorundam mens, qui ita in hac controuerſia conantnt D. Bonauenturam, & Thomam cum Scoto conciliare, vt uulla inter eos remaneat lis, ſed neque vnquam iotercesſerit, neque ad inuicem aduetſi, ſed potius diuerſi, vt vnus vnam, alter diuerſam aſsignauerit diſtinctionis Filij, & Spiritus Sancti rationē, vnus de facto, alter quaſi de poſsibili, data illa hypotheſi &c. At verò quomodo nō aduerſantur, & præter ea quæ fidei ſunt (in his conueniunt) ſi rationem SS. Th. & Bon. tanto conatu nititur Scotus euertere? quomodo non de facto, ſi Scoti ſpectentur rationes, qui de facto hoc potiſsimum vult, non ſolum origine, ſed diſparata ratione perſonas differre per conſtitutiuam proprietatem perſonalem, & diſtingui à quocumq; alio, etiam remota per intellectum otigine? Sancti verò noſtri Theologi toto cœlo contraria tuentur, diſparatam ſcilicet diſtinctionem non ſufficere ad perſonalem diſtinctionem, ſolam originem id præſtare. D. quoque Anſelmus, in quas, quotque coutrarias ioterpretationes diſtrahitut?

Porrò huiuſce coactæ amicitię quàm vtiles ſint, & quamdiu durent, & quid magis conferant rei litterariæ ita aliquando ad inuicem Doctores altercari, vt inde plures adinueniantur veritates, fœcundiores indies euadant facultate ſcientiarum, & quaſi eruendo terram auri ſemper ſudinæ diſcooperiantur, & potiſsima veritas, quæ pro tempote controuertitur, & quæritur, certior appareat, & deiectis aduerſarijs victrix magis eluceat; alij iudices exiſtent.

ARTICVLVS III.

An Spiritus Sanctus procedat à Patre, & Filio tanquam ab vno principio. D. Bonau. quæſt. 2. D. Thom. art. 4.

PARAPHRASIS.

P*RIMA Propoſitio. Spiritus Sanctus procedit à Patre, & Filio, tamquam ab vno principio. Probatur prima pars. Sicuti in Patre, & Filio eſt inſpirabilitas; in Patre quidem, quia omni ratione primus eſt, & ideirco vtraq; emanatione fœcundus; in Filio vero: nam licet in generatione nō ſit primus, nec ideo fœcundus, quia genitus eſt; eſt tamen prior ſpiratione, quia ipſe non ſpiratus; ac eadem ratione ſpirationis fœcundus. Secunda vero pars, primò ex D. Anſel. Epiſt. contra Græcos.* Nullus intellectus capit Spiritum S. eſſe Patris & Filij, non ſecundum quod alter Pater, alter Filius, ſed ſecundum quod vterque eſt idem Deus. *Secundò ratione. Prima. Vna eſt perſona producta per ſpirationem: ergo per vnum actum: ergo per vnam potentiam: ergo per vnum principium. Probatur prima, & ſecunda conſequentia: nam vnitas effectus eſt ab vnitate actus, & vnitas actus ab vnitate potētia.* Confirmatur, *quia in vtroque vna, eademq; voluntatis fœcunditas. Secundò. Quod eſt à duobus vt ſic, aut eſt inſufficienter à quolibet, aut ſuperfluè ab altero.* Iterum. *Quod eſt à duobus vt ſic, eſt in ſe compoſitum, & habet differentiam, qua eſt ita ab vno, vt diſtinctè ſit & ab alio. Præterea. Quod eſt à duobus, illa duo neceſſe erit vt alterum ſe habeat vt actiuum, quaſi Pater, alterum paſsiuum, veluti mater: ſed hæc omnia ſunt abſurdiſsima concedere, tum de Patre, & Filio, tum de Spiritu Sancto: ergo à duobus tanquam ab vno principio procedit.*

Secunda Propoſitio corollaria. Spiritus Sanctus nulla ratione, nullaque emanatione fœcundus eſt; nulla enim ratione primus: ſupponit namque Filium genitum, & ipſe enim ſit ſpiratus, non poteſt, nec generare, nec ſpirare.

Tertia Propoſitio ex reſp. ad 3. Pater, & Filius non ſpirant Spiritum Sanctum ſecundum quod Pater, & Filius: tunc enim ſpirarent vt duo; ſed ſecundum quod iu eis eſt vna ſpirandi fœcunditas: licet enim ſint duæ perſonæ, & in ſpirando non deſinant eſſe duæ, nec in perſona vna iungantur; ſpirant tamen ex vnica ſpirandi virtute.

Quarta Propoſitio ex reſp. ad 4. Pater, & Filius ſpirant Spiritum Sanctum, vt vterque idem Deus, non ſimpliciter, & abſtractè, vt vnus in ſubſtantia, neque vt vnus in perſona; ſed vt vnus in duabus perſonis vnitate notionis, & ſpiratiuæ voluntatis, vt vtrumq; dicendi diuerſorum modum complectamur.

COMMENTARIVM.

PRÆTERITA quæſtione ſatis fusè, ac cumulatim pro dignitate Sanctus Doctor huius dogmatis veritatem docuit, & contra pertinaces Græcos ſuſtinuit, & Spiritum Sanctum à Patte, & Filio procedere efficaciſsimè demonſtrauit; nunc è veſtigio rectiſsimo ordine ſuſcipit modum, qui ſupereſt, explicate; quomodo nimirum

Rationem ex auctoritate D. Anſelmi collectam optimè gloſſat, & declarat in reſp. ad 4. & ſimul qua ratione ſunt vnum Pater & Filius, dum ſpirant; & reſpondet, non eſſe vnum vnitate ſubſtantiæ, quaſi in ſe, & abſolutè ſumptæ, ſed vt ſubſiſtit in duabus perſonis: non enim vnquam conceſsit aliam rationem ſubſiſtendi in Deo, quàm in perſonis, vt ſuo loco ſatis demonſtratum eſt: neque ſimpliciter vt ſubſtantia Diuina eſt in duobus, ſed in ijs tamquam inſpiratis, & hac proceſsione improceſſibilibus, & idcirco fœcundis vnica Diuinitate, ac virtute: ac denique in duobus, quia minus quàm à duobus Spiritus Sanctus amor, vt in art. præcedenti apertiſsimè traditur, procedere non poteſt.

D. Thom. eodem hoc art. ad auctoritatem D. Anſelmi nihil dicit, de eaque nullam mentionem facit, ſed aliam D. Aug. lib. 5. de Trinit. cap. 14. refert, & hanc vnicam rationem: Pater, & Filius in omnibus ſunt vnum, vbi inter eos non obuiat oppoſitio relatiua: ſed ſpirando ad inuicem non opponuntur: ergo ſunt vnum. Et in fine corp. ſunt vnum principium propter vnitatem proprietatis ſignificatæ in hoc nomine *principium*, & in 1. hac eadem diſt. 11. non ſunt vnum ſecundum numerum ſuppoſitorum, & conditionem agentis: procedit enim Spiritus Sanctus à pluribus ſuppoſitis, ſed ſecundum rationem agendi, quæ eſt vna ratio ſpirandi, & vnus actus ſpirationis, à quo vna ſimplex perſona. Quare & S. Bonauentura: ſi procederet à duabus ſpirationibus, non eſſet ſimplex, ſed compoſita perſona producta. Quod idem etiam Riccardus eadem diſt. quęſt. 3. Nihil ſimplex, & vnum procedit à pluribus, vt plures ſunt, & in corp. Spiritus Sanctus procedit à Patre, & Filio inquantum plures in perſona ſunt, & vnum potentia ſpiratiua, & repetit, quod prius docuerat S. Bon. ſcilicet ſpirari vna ſpiratione, vno actu, & vna vi ſpiratiua, quod probat ex Greg. 10. extra de Summa Trinit. ex fide Catholica cap. Fideli. de quo infra: & tandem concludit, Spiritum Sanctum formalius procedere ab eis inquātum vnum ſunt in potentia ſpirandi, quàm inquantum plures in perſona. Idem Albertus Magnus; vnum ſcilicet principium aſſerit, quia vna ſpiratiua vis. Ægidius Romanus, licet per plura verba: inducit enim, In tribus Pater, & Filius ſpirando vniuntur. Primò, in amore ſpiratiuo, quia eſt amor vnitiuus amborum. Secundò, in actu ſpirandi: ille enim amor ſimplex vnico actu ſpiratur. Tertiò, in vnica ſpirandi vi.

Alexan. verò ante hos alijs verbis idem docuit: Pater enim, inquit, & Filius ſpirant Spiritum Sanctum, nec ſolum ex hoc quod ſunt vnum, nec ſolum ex hoc quod ſunt differentes, ſed ex hoc quod differentes ſunt vnum, plures ſcilicet perſonæ, vt conueniunt in amore ſpirandi: ergo hic Sanctus noſter Doctor & veram, & communem, ac certam doctrinam de vnitate reali principij Spiritus Sancti in duabus perſonis docuit, ac certis, & communibus rationibus probauit.

Sed obſeruandum in reſponſione ad 4. ſeipſum imitatus pro ſua cōgenita animi moderatione, tradit quid ſit hoc principium formale Spiritus Sancti, vis ſpiratiua ſcilicet, ea prorſus ratione, qua diſt. 7. tradidit de generatione: ibi enim in gratiam & in reuerentiam ſui magiſtri ſent. quem interpretabatur, quemque vt rei veritas permittit, ferè ſemper aut tueri, aut ad bonā frugem reducere conatur, diſquirens quid eſſet in Patre, & in Diuinis generatio, an ſcilicet aliquid, vel ad aliquid, & inter alias opiniones has duas prodit, ac refert; altera enim eſt Magiſtri: generationis potentiam dicit eſſentiam ſolam, quam ex quibuſdam Thomiſtis diſt. 7. docuit & S. Thom. vt tamen eſt alterius perſonæ, & hanc dicit eſſe probabilem, & ſuſtineri poſſe. Altera, quam probabiliorem exiſtimat, quod generatio dicat non quid abſolutum, ſed relationem, & habitudinem, his inter alias rationibus. In Patre potentia generandi & eſt fœcunditas, & proprietas: ergo relatio, & non abſolutum, licet ſi dubia quintum, ſextum, & ſeptimum, in textu animaduertantur, ita iuxta mentem Sancti Doctoris erit relatio, vt nō excludat eſſentiam, & abſolutum, quod ſuo loco diligentius expenditur: hoc idem (eſt enim eadem ratio) repetit de virtute, ac fœcunditate ſpirandi, hoc vno prætermiſſo, adhuc magis in gratiam Magiſtri, quod inter has opiniones, quidem ambas probabiles, quamnam tamen probabiliorem exiſtimet, non profert, quod diſt. 7. fecit; ſed fortaſſe hæ duæ ſententiæ non adeo diſsidebunt inter ſe ſicut multorum videtur ſententia, ſed ſuo loco redibit ſermo.

Reliquum nunc eſt, vt oppoſitas rationes de more proponamus, & ſolutiones obſeruemus.

Arguit igitur primò. Spiritus Sanctus procedit à Patre principalius quàm à Filio: ergo à Patre, & Filio, tanquam à duobus. Antecedens eſt D. Aug. 15. de Trinit. cap. 17. Conſequentia probatur. Qui diuerſa ratione à duobus procedit, vt ab vno principalius, ab alio minus principaliter, manifeſte videtur conſtare, tanquam à duobus diſtinctis procedere.

Reſpondetur, & tota reſponſionis vis ſita eſt in interpretatione D. Aug. & termini illius *principalius*, quod duabus integris quęſt. preſtat diſt. 12. quęſt. 1. ad ſecundum. *Principalius* ergo geminam poteſt complecti ſententiam, vt prima ſit, *principalius*, hoc eſt prius, & perfectius. Secunda, vt quandam tantum dicat auctoritatem, & primam originem in Patre: eſt enim ille, à quo ſicut Filius accipit eſſe, ita ſimul ſpirandi fœcunditatem, vt tamen ſicuti totam naturam, & voluntatem fœcundam, ita æquè perfectè ac Pater ſpiret, & res ita ſe neceſſariò habet, quia vnica in vtraque perſona eſt ſpirandi vis. Ad formam ergo argumenti, conceſſo antecedenti ex S. Aug. iuxta ſecundam ſententiam, & expoſitionem termini *principalius*, negatur conſequentia. Ad rationem vero negatur aſſumptum, ex aliena, & falſa termini *principalius* acceptione: non enim Spiritus Sanctus à Patre principalius procedit, niſi penes ſecundam expoſitionem.

Secundum. Spiritus Sanctus procedit vt nexus à Patre, & Filio: ergo vt à duobus diſtinctis. Antecedens tamquam certum, & infra probandum ſupponitur: procedit enim ex amore mutuo inter Patrem, & Filium, vt oppoſitum videatur inuoluere

uere

uere contradictionem. Conſeqnentia quoqne inde conſtare videtur, quia nexus præſefert diſtinctos, neque eſſe poteſt niſi diſtinctorum.

Reſp. Conceſſo antecedenti, negatur conſequentia: ratio eſt, quia ſi procedit vt nexus: ergo nectit perſonas à quibus, vt procedendo nectat in vnitatem: Nexus itaque dicit & diſtinctionem perſonarum amantium, & vnionem in amando: procedit ergo à pluribus perſonis, vt perſonæ ſunt, ſed vi ſpiratiua, & amandi vnitæ, ita vt hoc argumentum nihil probet, teſte etiam Riccardo. Alexander egregiè. Procedit qnidem ex plnribus differentibus, & diſtinctis, vt tamen vnum in ſpirando.

Tertium. Pater, & Filins ſunt duo ſuppoſita, & ſpirationis actiuæ quaſi duo ſubiecta: ergo duobus actibns ſpirant: ergo duo principia. Antecedens eſt de fide, ſaltem quo ad primam partem. Conſequentia vero inde conſtat, & probatur: nam ex vnitate, vel plnralitate ſuppoſiti, & ſubiecti, vnitas, & pluralitas actus colligitur, & enumeratur.

Reſpondet, & vt planiorem reſponſionem, ac ſolutionem tradat; duo in primis obſernanda notat, alterum circa nomen *ſubiecti*, alterum circa *actum*: ſpiratio enim & eſt actus, & in aliquo, vel ab aliquo. De ſubiecto bifariam ratiocinari poteſt, vt Alterum, quod immediatum dicitnr, de quo per ſe primò aliquid affirmatur, vt in quo ineſt, vt de homine rationale. Alterum, quod oppoſito modo habet, & de eo non per ſe primò, & immediatè, ſed ratione alicuius annexi aliquid aſtruitur. Itidem de actu ſic philoſophatur, vt aut ſumatur actus vt ineſt ſnbiecto tanquam extrinſecum, & accidens; aut vt exit, & originem trahit. Primo modo, ſi duplex erit, duplici indigebit ſubiecto: Non enim duplex accidens niſi in duplici ſubiecto inueniri poteſt, & ad numerum ſubiecti numeratur actus. Secundò verò modo refertur ad ſnbiectum vt ad principium, & non numeratur ad numerum ſubiecti, ſed principij: tnnc ad argumentum.

Licet duo ſint ſnppoſita Diuina, & quaſi ſubiecta, Pater, & Filius, quia tamen per ſe primò de ipſis vt Pater & Filius non dicitur ſpirandi principium, ſed vt vna ſpirandi vis in eis ineſt; hinc negatur conceſſo antecedenti conſequentia. Secundò, Spiratio hic, qnia ſumitur vt actus, & origo, non vt accidens, inde licet ſint duo ſubiecta, cum tamen ſit vna virtns, erit vnus actus, vnum principium: non enim comparatur ad ſubiectum, ſed ad principium, actus. Atque ita iterum negatur conſequentia: Sunt ergo duo ſuppoſita, non tamen per ſe primò: ſunt duo, tamen vnus actus, quia vnica virtus in ipſis ſpirandi, & vnum inde principium.

Summa omnium eſt, duo ſunt ſuppoſita non tamen duo principia ſpirandi, quia actus ſpirandi non dicitnr de ipſis vt duo, nec eſt ab ipſis vt dno ſunt. Quod S. Thom. in fine corporis art. 4. egregiè pancis verbis confirmat: accipit enim numerum principij ſpirationis ab vna forma in duabus perſonis, quæ eſt virtus ſpirandi: ſicut enim Pater, & Filius ſunt vnum propter vnitatem formæ ſignificatæ per hoc nomen Dens, ita idem Pater, & Filius ſunt vnum principium Spiritus Sancti per vnitatem proprietatis, ſignificatæ per hoc nomen principium: proximè igitur, & formaliter; non remotè, & quaſi materialiter loquendum.

Quartum, & eſt argumentum commune, & ſolemne. Si Pater, & Filius ſpirant Spiritnm Sanctum vt ſunt vnum: aut ergo vnum in ſubſtantia; ſed hoc non, quia tunc Spiritus Sanctus à ſe quoq; procederet, cum ſit eadem ſubſtantia cum Patre, & Filio: aut vnum in notione; neque hoc, quia notio hæc conſequitnr ad ſpirare: ideo enim noſcuntur ſpiratores, quia ſpirant: aut in perſona; minus hoc, quia tunc Pater, & Filius eſſent vna perſona. Addit S. Thom. argnmenro: aut in proprietate; minimè verò, quia proprietas non eſt, nec eſſe poteſt duorum ſuppoſitorum: ergo in nullo. Patet, quia ſufficienter omnia collecta ſunt, in quibus conuenire poſſunt Diuinæ perſonę, & eſſe vnum.

Reſponſio realis. Duæ perſonæ ſpirant vt conueniunt in fœcunditate ſpirandi, quam habent ex primitate, & improceſsibilitate. Ad formã vero argumenti negandum antecedens: ſpirant enim tum vt conueniunt in eſſentia, & eſſentiali voluntate, vt tamen in perſonis fœcnnda, & communicabili: ſed tunc negant illud abſurdum, quod inde deducebatur, ergo Spiritus Sanctus à ſe ipſo procedit: nam non ſumitur eſſentia abſolutè, neque vt in tribus, ſed ſecundum modum, quo eſt in duabus perſonis, Patris & Filij: tum vt conueniunt in notione, ſcilicet in vi ſpirandi, & actuali ſpiratione. Neque obeſt quicquam, vt conſtat, qnod opponebatur: idem enim ſunt ſpiratio, & vis ſpiratiua, neque differunt niſi in modo loquendi, vt vis dicat aptitudinem, ſpiratio verò actum.

D. Thom. ad 1. & ad 2. vt ſunt vnum in natura cum proprietate ſpirandi: neque repugnat quod hæc vis ſpirandi dicatur, ac ſit duorum proprietas, cum ſint in eadem natura &c.

ARTICVLVS IV.

Vtrum Pater, & Filius poſſint dici vnum pricipium Spiritus Sancti.

D. Bon. diſt. 29. quæſt. 1.
D. Th. eodem art. 4.

PARAPHRASIS.

P*RIMA Propoſitio. Pater, & Filius, dum vnum Spiritus Sancti principium dicuntur, vera eſt propoſitio, & probatur primò auctoritate Magiſtri in littera, ſecundò rationibus. Prima. Vnius principiati eſt vnum principium in vno genere (hæc eadem ratio alijs verbis ſupra) ſed Spiritus Sanctus ſpiratus, & vt ſic dicam, principiatus: eſt vnus vnitate ſimpliciſsima, & perſonali: ergo & eius principium eſt vnum: ſed perfectiſsimè, & immediatè eſt à Patre, & Filio:*

Filio: ergo Pater, & Filius ſunt vnum eius principium. Secunda. Pater, & Filius vnica potentia, & fœcunditate ſpirandi ſpirant Spiritum Sanctum: ergo ſunt vnum principiũ &c. Antecedens eo conſtat, quo ſicuti Patris, & Filij vna eſt eſſentia, neceſſariò quoque vna erit & potentia, & facultas ſpirandi. Tertia. Ideo tres perſonæ omnium creaturarum & dicuntur, & ſunt vnus creator, quia vnica creatione, & virtute creant: ergo conſimili ratione, Pater, & Filius duæ perſonæ, quia vnica virtute ſpirant, erunt in ſpirãdo vnum principium. Antecedens conſtat, tum Diuinis litteris. Gen. 1. tũ in 1. articulo Symboli Niceni. Conſequentia euidens propter omnino conſimilem rationem. Quarta ex corp. quæſt. Pater, & Filius ſpirant Spiritũ Sanctum vt Deus vnus improceſſibilis, & conſequenter, vt in eo vna eſt voluntas, & fœcunditas: ergo vt vnum principium. Probatur conſequentia ex antecedentibus rationibus, ſcilicet quia in ſpirando vna virtus, & fœcunda voluntas.

Secunda Propoſitio. Vera, ac propria, germanum, & legitimum ſenſum in ſingulis verbis complectens eſt hæc propoſitio: Pater, & Filius ſpirant Spiritum Sanctum, tanquam vnum principium. Declaratur, & probatur, primò relatis, & reiectis plurimis diuerſorum ſententijs: deinde, principium ſumitur pro notione, ſcilicet voluntate, & primitate, & fœcunditate, & virtute ſpirandi in Patre, & Filio: vnum verò, non quidem pro perſona, quia in pluribus perſonis, ſcilicet in Patre, & Filio: non pro eſſentia præcisè, nam hæc eſt ad ſuas perſonas actiuè ſpectans, paſſiuè vero ad vnam tantum, ſcilicet ad Spiritum Sanctum, & idcirco dicit relationem: ergo pro vnitate notionis, & virtute ſpirandi.

Quarta Propoſitio. Hoc nomen principium in hac propoſitione non adiectiuè, ſed ſubſtantiuè ſumendum, ita vt & ſubijci, & prædicari poſſit: & hæc vox vnum non ita ſumenda, vt loco aduerbij hunc ſenſum faciat, Pater, & Filius vno modo producunt Spiritum Sanctum, ſed tenens nominis adiectiui vim, adijcitur principio, & trahit ad vnitatem, vt eo ſit vnum principium, quia in duobus vna ſpirandi vis. Ratio horum omnium conſtat ex prima & ſecunda propoſitione.

Quarta Propoſitio ex reſponſione ad argumenta. Licet Pater, & Filius plures perſonæ conueniant in vno principio Spiritus Sancti, non poteſt tamen inde colligi, aut eſſe plura principia, aut plures perſonas vnam fieri. Antecedens iam ſupra multis aſſertis conſtantiſſimè conſtat, vt ſit de fide: à Patre enim, & Filio procedit Spiritus Sanctus. Conſequentia verò, vel ſecunda pars propoſitionis probatur, quia principium non multiplicatur non multiplicata forma; at vero forma eſt vna notio, ac fœcunditas producendi in vtraque perſona: qua eadem ratione licet multiplicentur ſuppoſita, non multiplicatur Deus, quia in tribus vna Deitas. Secunda itidem pars probatur: nam hæc notio ſpirandi, quæ eſt principium, eſt communis duabus perſonis: ergo ex huius vnitate, non eſt opus vt plures perſonæ aut vna fiant, aut ſint. Conſequenter varia illa oppoſita diuiſio; ſi vnum principium, aut vnum, quod eſt Pater, aut vnum, quod non eſt Pater; nihil officit: eſt enim vnum, quod eſt Pater, & Filius.

COMMENTARIVM.

HIS duabus quæſt. non idem, neque ad idem verſat S. Doctor, neque in hac 2. acta agit, ſed vt etiam initio præteriti Commentarij, animaduertendum eſt in 1. quæſt. in primis de re, in hac verò 2. de modo, ac ratione loquendi præſertim laborare: quamuis enim & hic rem iterum eandem, & quædam eadem argumenta repetat; magis tamen eſt, & verſatur in indaganda, & perpendenda dicendi ratione, ac proprietate. Neque mirum, quod ſimul & rei veritatem ſuperiori loco perpenſam, ac ſatis, & pro dignitate, iterum hic ad aliud intendens eamdem reſumpſerit: cum enim dicendi vera, & propria ratio à rei veritate ſubſiſtat, non ſatis idoneè vnum ſine altero pertractari poteſt: quocirca S. Th. eod. art. vtrumque agit. Ergo ex titulo huic quæſt. affixo agit S. Doctor mirificè, ac quærit: An Pater, & Filius poſſint dici vnum principium, & ita æquè, ac rectè, & eſſe, & dici propriè commonſtrat: & duo in primis docet. Primum, in quo cum Eccleſia omnes Theologi neceſſariò conueniunt. Secundum, in quo plurimi adinuicem diſſentiunt: conueniunt namque, Spiritum Sanctum procedere à Patre, & Filio, tanquam ab vno principio: diſſentiunt verò in modo dicendi, & interpretandi propoſitionem, qua certa veritas explicatur, ſcilicet Pater, & Filius ſunt vnum principium Spiritus Sancti.

Alij dixerunt, ex ſola vocis *vnum* tranſlatione, & quadam analogia ad trinum moti, ſicut trinus adducitur ad Trinitatem ſuppoſitorum in eadem natura aſſerendam, ita vnum ad duarum perſonarum conuenientiam in vnica notione teſtandam. Sed quod præcipuè S. Doctori in hac ſententia diſplicet, eſt, quod ſola vocis tranſlatio in tanta veritate fundanda, & tam difficili myſterio explicando, his hæc extruentibus inaniter ſuffecerit: & eſt maximi hæc facienda animaduerſio, ex qua quanti facienda verba, & diſcutienda, quibus res Diuinas explicare volumus, conſtare poteſt; cum tum ex inordinato dicendi modo oriatur hæreſis, tum hoc ſibi munus (adeo in alta eorum mente hærebat) ſacerrima Concilia aſſumpſerint, tum denique Sancti Patres in hoc almæ Trinitatis Sacramento enarrando, voces, & nomina, dumtaxat, & niſi ex Diuinia litteris ferè accipere concederent.

Alij verò *principium* adiectiuè, & *vnum* vt aduerbium, hanc vim ex his deducebant interpretantes, vt Patrem, & Filium eſſe vnum Spiritus Sancti principium, idem eſſet ac ſi diceretur, Pater, &

Filiua

Filius vno modo Spiritum Sanctum ſpirant; quod ideo reijcit S. Doctor, quia ex ſui impoſitione, & notione, *principium* ſumitur ſubſtantiuè, vt hi à propria dicendi ratione in hoc maximo myſterio non ſine culpa aberrent. S.Th. hoc art. hoc inconuenienti deducto explodit: eadem enim ratione, inquit, Pater poſſet dici duo principia, Filij, & Spiritus Sancti, quia duobus modis eos producit.

Alij tertio loco, *vnum principium*, quia vnam eſſentiam in duabus perſonis indicat, interpretati ſunt; quod quidem quàm parum rationi conſonè dictum ſit, duplici ex loco pugnat: alterum eſt auctoritas D. Aug. lib. 3. de Trinit. cap. 13. principium, aſſerentis, dicere communem vtrique rationem ſpirandi. Alterum Magiſtri hoc loco, principium implicare relationem, quod vtique eſſentiæ repugnat.

Ergo quæ quarto loco recenſetur ſententia amplectenda eſt, tum quod cæteri veriores, & grauiores Theologi complectuntur, tum veritatem profitetur; vt ideo vera hæc propoſitio, ac propria, quia vnam communem notionem Patris, & Filij in ſpirando explicat. Probatur rationibus in textu, quarum hæc potiſſima eſt. In Patre, & Filio eſt vna natura communicabilis ex improceſſibilitate, & primitate, & conſequenter fœcunditate ad Spiritum Sanctum: ergo vna notio, & vnum principium ſpiratiuum: ergo *principium* ſumitur relatiuè ad perſonam producendam, & *vnum* ad vnitatem notionis ſignificandam: quare vna natura, vna voluntas, vna fœcunditas. Antecedens primò eſt D. Anſelmi epiſtola de proceſsione Spiritus Sancti. Deinde probatur, & conſtantiſsimè patet ea euidentia, qua vnam eſſentiam Diuinam duobus tantum modis eſt communicabilis; altero per generationem à ſolo Patre, Filio; altero per ſpirationem à Patre, & Filio Spiritui Sancto: à Patre quidem, quia nullo modo eſt ab alio: à Filio præterea, quia & ipſe eſt inſpiratus, & improceſſibilis: ergo principium, nam per hanc fœcunditatem eſt principium: ergo vnum, nam per hanc vnicam notionem.

Idem S. Tho. & auctoritate, & ratione. Sanctus enim Aug. lib. 5. cap. 13. de Trinit. Pater, & Filius non ſunt duo principia, ſed vnum Spiritus Sancti. Ratio verò. Sicuti ſunt Pater, & Filius vnus Deus propter vnitatem formæ, idest Deitatis, ſignificatæ per hoc nomen Deus; ita vnum principium propter vnitatem proprietatis, explicatæ per hoc verbum *vnum principium*: & S. Bonauentura. Sicuti tres perſonæ ſunt vnus creator, quia vna creandi in tribus virtus eſt; ita Pater, & Filius ſunt vnum principium, quia vna virtus, & notio ſpirandi &c.

Idem prorſus Alexan. 1. par. quæſt. 60. art. 6. his ferè verbis. Sed prius & D. Iſidorum lib. ſuo de Trinit. & Anſelmum loco recenſito, & D. Aug. indicato lib. & cap. retulit. Pater, & Filius ſpirant Spiritum Sāctum (ſubdit) ſecundum aliquod vnum in eis: Pater enim & Filius ſunt vnum in natura, & in voluntate, ac potentia ſpiratiua, ſicque ab eis procedit amor amborum immediatè à voluntate, & natura, non eſſentialiter, ſed notionaliter ſumpta, vt iam ante ſæpius dictum eſt clarius: etenim Spiritus Sanctus eſt amor, & emanatio voluntatis.

Huic ſolidæ concluſioni poſſent plura opponi, ſed non eſt hic locus, ſed in proxima diſputatione, hoc loco id tantum indicabo, quod Ægidius Romanus obijcit. Relationes, licet non ſint ex materia, ſunt tamen in materia, & ſubiecto; quare ad multiplicationem ſubiecti pluriſicantur: ergo cum ſpiratio ſit in Patre, & Filio, vt in duobus ſuppoſitis, quaſi ad morem, & modum accidentis, videtur dicenda pluris, & duplex. Reſpondetur facillimo negotio. Primò ex D. Th. In Deo vnam proprietatem poſſe in duobus ſuppoſitis eſſe, quippe ſuppoſita ſunt in eadem natura numero, non ſicut ſuppoſita creata, quæ materia, & forma, & ſubſtantia numero differunt. Secundò. Falſum aſſumit, relationes ſcilicet, & ſpirationem ad morem accidentis inhærere ſuppoſito: ſicuti enim ſubſtantia ſunt, ita ad modum ſubſtantiæ ſubſiſtunt, atque ita ſpiratio ſubſiſtit in Patre, & Filio, ſpirantibus Spiritum Sanctum.

Notandum in reſponſione ad 4. quod profert S. Doctor, pro quo ſupponat hoc nomen *principium* in hoc loco, dicit, non diſtinctè pro Patr, non pro eo quod non eſt Pater, ſed indiſtinctè vtrumq; ſuppoſitum complectitur, & pro vtroque ſupponit; quod veriſimillimum eſt. Primò, quia idem omnino S.Th. in reſp. ad 4. vbi vterque notat eandem in argumento oppoſito fallendi rationem, variatæ ſcilicet ſuppoſitionis: ſit enim falsò tranſitus à ſuppoſitione confuſa ad diſtinctam, & terminatam: nam hic *principium* ſupponit pro Patre, & Filio: non ſequitur, ergo Pater, vel non Pater: eſt enim Pater, & non Pater, ſcilicet Filius.

In reſponſione ad primum facilior videtur reſponſio S.Th. ad idem argumentum, quod eſt 2. licet ſcilicet dicantur duæ perſonæ vnum principiū, non inde tamen ſequitur, duas proprietates in eadem perſona facere, & conſtituere duo principia: nam ad hoc vt duo ſint principia, nedum duæ rationes principiandi, & duæ facultates requiruntur, ſed duo etiam ſuppoſita, & ibi rationem optimam reddit Caiet. D. verò Bonauentura difficilius videtur locutus.

Sed obſeruandum, non ſoluere, nec indigere ſolutione primam partem argumenti: ſoluta enim eſt antecedenti quæſt. dum quærebatur. Si vnum principium, aut vnum eſſentia, aut perſona, aut notione: ſolutum enim eſt, quod vnum in notione: ſed ſecundam partem, ſcilicet additam inſtantiā: ſi Pater, & Filius propter vnam proprietatem ſunt vnum principium: ergo Pater propter duas proprietates duo erit principia, quod eſt totum S.Th. argumentum, cuius ſolutio in Diuo Bonauentura adeo meo iudicio difficilis eſt, vt non mirater, ſi quis erratum eſſe aſſereret in applicanda reſponſione argumento, non quidem à S. Bonauentura pluribus eo tempore negotijs diſtento, vt clariſsimum eſt in ipſius vita, & geſtis; ſed ab ijs, qui exſcribentes librum in lucem emiſerunt, præcipuè illis temporibus, quibus temporum noſtrorum non erant typi, & impreſsio librorum: vel ſecundò.

Tra-

Traditam quidem optimam doctrinam de vnitate principij, ſed neque applicatam vi argumenti, nec poſtremam inſtantiam ſolutam, neque in prima, neq; in ſecunda reſponſione. Doctrina S. Doctoris quam prodit hic, eſt; Pater & Filius ſpirantea Spiritum Sanctum, non poſſunt dici plura principia, gemina, & diuerſa ratione: vbi enim non eſt vnio ex pluribus diuerſis cauſis, non poteſt dici hoc, & hoc, & diuerſum: ergo cum vnica in ipſis ſit ratio principij, ſcilicet fœcunditas ſpirandi, non poſſunt dici plura. Præterea licet ſint plura ſuppoſita, non tamen ſufficit ad plura principia: nã vnica eſt forma, & ratio principij, qua formaliter producitur Spiritus Sanctus: ſed hæc omnia quid ad inſtantiam? Reſpondendum igitur argumento, & neganda conſequentia, tum ea ratione, qua S. Tho. negat, tum hac etiam non diſsimili, quia iſtæ duæ rationes in Patre principiandi non differunt ad inuicem realiter, ſed tantum virtute, quia non opponuntur, eapropter nec duabus perſonis indigent, nec duas conſtituunt, imò in Patre optimo iure congruunt, quia prima perſona, vtroque modo ſubinde fœcunda.

Reſponderi etiam poteſt, hanc huius reſponſionis doctrinam magis conuenire ſolutioni 2. argumenti, vt error fuerit in ordine ad primum argumentum: dicendum enim erat ad 2. ſed adhuc remanet primum argumentum inſolutum: quod tamen ſequenti quæſt. in corp. egregiè ſoluitur his verbis. Pater, licet plures habeat notiones, non dicitur tamen plura principia, quia non habet eas ſecundum diuerſas vires, & naturas, ſed ex eadem prima fœcunditate, & natura omni modo communicabili in Patre.

Ad tertium. Pater, & Filius ſunt vnũ principium: ergo vnum principium eſt Pater, & Filius: ergo Pater eſt Filius. Reſpondetur, & conceſſa prima conſequentia cum antecedenti, neganda eſt vltima, hac in primis ratione: non dicuntur vnum, quia vna perſona, ſed quia vna notio conueniens duabus aliàs diſtinctis perſonis: non ergo rectè infertur: ſunt vnum in hac notione: ergo ſimpliciter vnum etiam in perſona.

Ad quartum eadem ferè ratione reſpondetur. Hoc principium eſt vnum, quod complectitur Patrem, & Filium, diſtinctas perſonas, ſcilicet in notione, vt iam obſeruatum eſt ſupra.

ARTICVLVS V.

An Pater, & Filius ſint vnus ſpirator. ſecundò, an ſint idem principium.

D. Bonau. ibidem quæſt. 2.

D. Th. ibidem ad 6.

PARAPHRASIS.

P*RIMA Propoſitio. Pater, & Filius ſunt vnum principium Spiritus Sancti. Vera eſt, & communis, & legitima, & ab omnibus recipitur, & iam ſatis explicata, ac ſupra perpenſa ratione vnitatis, notionis, & natura &c.*

Secunda Propoſitio. Pater, & Filius, non rectè, nec idoneè dicerentur vnus ſpirator: ſpirator enim, & qui ſpirat æquipollent: ergo ſi eſt vnus ſpirator, eſt vnus qui ſpirat: ſed duo ſunt qui ſpirant, Pater, & Filius: ergo falſa propoſitio. Maior conſtat: ſpirator enim eſt nomen verbale. Minor eſt de fide: procedit enim Spiritus Sanctus à Patre, & Filio. Deinde, ſpirator dicit ſpirationem in concreto in ordine non ad ſubiectum, vt actiuum, quia ſicut vna virtute agit, ita vnum principium, vt antea, ſed ad ſuppoſitum, vt antecedenti ratione indicatum: ſed ſuppoſitum non eſt vnum, ſed duo: ergo non vnus, ſed duo ſpiratores.

Tertia Propoſitio. Licet ritè, ac rectè, Pater, & Filius admittantur vt vnum principium, nulla tamen ratione eſt idem principium: ratio diuerſitatis eſt, quia vox hæc idem *refertur ad ſuppoſitum in ratione ſuppoſiti, ſicut principium in ratione actiui: ſed duarum perſonarum vna eſt vis ſpirandi, ita vnum eſſe principium certum eſt; ita quia duo ſunt ſuppoſita, falſum eſt eſſe idem principium. Maior certa eſt ex reſponſione ad primum, ex ſignificatione vocis* idem: *refertur enim ad perſonam, & eandem aſſerit, & tamen ſunt duæ ſpirantes: ergo falſa propoſitio.*

Quarta Propoſitio corollaria. Deus eſt vnus, & idem creator, quia vna & eadem virtute creat, & vt vnus Deus, à ſe, & non ab alio ſubſiſtens.

Quinta Propoſitio. Pater, licet duas complectatur notiones, non duo tamen dicendus principia. Patet: non enim diuerſas vires, & naturas habet, ſed rationes communicandi diuerſas, inter ſe virtute tantum diſtinctas.

COMMENTARIVM.

NVLLA ferè inuenitur difficultas, quę circa textum ſingulari enodatione indigeat. Quid enim hac quæſt. velit S. Doctor, ex titulo liquidò conſtat, circa modum dicendi, & veritatem trium propoſitionum in hoc de Spiritu Sancto principio explicando, & proprietatem: quarum prima prætereunda eſt, quippequæ iam probata, & demonſtrata. Pater, & Filius ſunt vnum principium Spiritus Sancti. Secunda verò, Pater & Filius non vnus, ſed duo ſpiratores dicendi ſunt: ratio potiſsima ex proprietate vocis *ſpiratoris*. Tertia denique, Pater, & Filius, licet vnum, non tamen idem principium nuncupandi: ratio eiuſdem ferè generis, cuius præteritæ propoſitionis, ſcilicet ex vera *idem*, & rectè vſurpata ſignificatione, quam Riccar. auctoritate Biſciani ſuſtinet: & idonea ratio; nam hic dumtaxat de proprietate dicendi, ac vocum, verſatur quæſtio.

Scio

Digitized by Google

Scio quidem, nec vllum quem ſciam fugit, non omnes in S. Doctoris ſententiam conuenire in ijs duabus propoſitionibus: D. enim Th. hoc art. ad 7. negat his verbis, atque ratione. Videtur melius dicendum, quod quia ſpirans adiectiuum eſt, ſpirator verò ſubſtantiuum, poſſumus dicere, quod Pater, & Filius ſunt duo ſpirantes, propter pluralitatem ſuppoſitorum; non autem duo ſpiratores, propter vnam ſpirationem: nam adiectiua nomina habent numerum ſecundum ſuppoſita; ſubſtantiua verò à ſeipſis ſecundum ſignificatam formam. Idem cum multis ſuis. Multi tamen, & grauiſſimi cũ S. Doctore ſentiunt. Alex. Ægidius, & ipſemet S. Th. in 1. diſt. 11. & 29. art. vltimis. Et confirmari poteſt ex D. Hilario 1. de Trinit. verſus finem. Spiritus à Patre, & Filio auctoribus confitendus eſt: idem enim eſt duos ſpiratores, ac duos auctores admittere, neque admodum grauis gloſſula S. Th. non eſſe ſcilicet propriè locutum, ſed vſum pro adiectiuo ſubſtantiuo: non enim maximis Patribus hoc, niſi ex grauiſsimo inde emergente abſurdo, adſcribendum.

Et in reſponſ. ad 6. idem S. Th. & vnum, & idem concedit dici principium Spiritus Sancti, Patrem, & Filium, quatenus idem confusè, & indiſtinctè pro Patre, & Filio ſupponit. Magna tamen relinquitur probabilitas oppoſitæ opinioni, quam amplectitur S. Bonau. & quam iam ipſe S. Thom. amplexus fuerat, nec eius argumentum ſoluitur, & multos ſecum habet, ac graues auctores, ac reuera tota hæc lis ad Grammaticorum tribunal tollenda, & in re inter vtrumque S. Doctorem diſsidium inueniri non poteſt. Vnus ſpirator, quia vnica ſpiratio, vnicaq; ſpirandi vis, inquit S. Th. Vnus ſpirator, aſſerit Scotus, quia præſefert hæc vox id, quo Pater, & Filius formaliter producunt Spiritum Sanctum. Duo ſpiratores, inquit cum ſuis S. Bonauentura, quia de fide duæ perſonæ producunt Spiritum Sanctum: licet enim actus ſpirandi ſit vnus, ſumitur tamen vt à duabus perſonis egreditur; & quamuis ſit vna ſpirandi vis, actus tamen ſpirandi illi vi non tribuitur, ſed perſonis habentibus ſpirandi vim: & vnam eſſe vim, & plura ſuppoſita, verum, Orthodoxum, & decretum. Tota ergo lis circa vocem *ſpiratoris*. Faciliores, ac magis propriæ videntur S. Doctoris rationes, quas neque aduerſarij ſoluunt: quo circa ipſi duxi adhærendum, licet vtraque opinio tutè, & probabiliter loquatur. Quod tamen aſtruunt illi de ſubſtantiuis, & adiectiuis nominibus, regula illa admodũ inter Doctores controuerſa eſt, & multis expoſita difficultatibus: deinde ſubſtantiua nomina ſemper ſignificare formam, in abſtracto concederem, in concreto ipſa ſuppoſita informata, dicerẽ.

Eadem ſecuritate determino, *idem*, & reſpondeo, diuerſimodè accepto, licere & cum D. Thom. idem principium Spiritus Sancti vocare, & non idem, cum S. Bon. Quod idem ſuſtinet Riccar. ead. diſt. quæſt. 1. dum ſub problemate vtramque opinionem ſuſtinet: facillimo tamen negotio oppoſita ratio ſolui poteſt. Aut enim negandum, *idem* pro indiuiduo vago ſupponere, aut ita tamen vt ſignificet illas perſonas, quæ conſtituuntur per illud vagum ſingulare.

In reſponſ. ad 2. animaduertenda illa vox, qua Deum *vnum ſuppoſitum*, contra ſuam ſententiam, quam ſupra ſuo loco indicauimus, & defendimus, non redolere Eccleſiaſticum dicendi modum, dicere ſcilicet Deum ſubſiſtere, & eſſe ſuppoſitum: ſed reſpondeo, non ſibi aduerſari S. Doctorem: hic enim non dixit Deum vnum ſuppoſitũ, vt approbaret, quem iam reprobauit dicendi modum, ſed vt Deum, vt vnum creare explicaret: quare immediato ſequenti termino velle dicere docuit, & ipſum eſt ſubſtantia, quod idem eſt ac ſi vt ſolueret argumentum, Creator dicitur vnum, non ideo dumtaxat, quia vna eſt in eo creandi virtus; ſed vna ſubſtantia: hoc non perſonaliter, ac relatiuè, ſed ſubſtantiuè ſumitur: in oppoſitum vero ſpirator. Argumentorum igitur ſolutionem colligamus, & animaduertamus.

Primum Argumentum. Spirator importat ſpirationem: ergo tantum vnus, non duo ſpiratores. Conſequentia eſt certa iam demonſtrata, ſcilicet vnicam eſſe, & ſpirationem, & ſpirandi vim in duabus perſonis.

Facilis ſolutio: negandum enim antecedens, & ſpiratorem, & principium non eadem prorſus ratione ſignificare: nam ſpirator cum à ſpirando deſumatur, & ſit nomen verbale, ad ſuppoſitum quod ſpirat neceſſariò referendum: & ſicuti duæ perſonę ſpirant, & ſunt ſpirantes, eadem ratione duo ſpiratores, qua ſolutione ſoluitur & argumentum D. Thom.

Secundum. Pater, & Filius &c. quia vnica creandi vi creant, creaturarum & vnicum principium, & vnicus creator ſunt: ergo quia vnica ſpiratione ſpirant, & vnicum principium, & vnicus ſpirator nomenclandi ſunt.

Reſp. & eadem ratione neganda conſequentia, & ſimilitudo: ratio vera eſt. Eſt, & dicitur vnus creator propter eandem creandi virtutem, eandemq. Diuinam naturam ſignificatam; eſt autem non vnus, ſed duplex ſpirator, non propter pluralitatem virtutum ſpirandi: eſt enim vna; nec propter multiplicatam naturam: nam & illa vniſsima eſt, nedum vna, ſed propter plura ſuppoſita in ſpiratione neceſſariò requiſita, & in primis per hunc terminum importata.

Tertium. Pater, & Filius vnum ſunt principium: ergo & idem. Antecedens patentiſsimum iam eſt. Conſequentia itidem conſtare videtur: nam vnitas non multiplicata facit identitatẽ omnimodã.

Reſpondeo, & neganda conſequentia: nam omnimoda identitas non tantum eandem vim expoſtulat, ſed omnem ſuppoſitorum pluralitatem excludens, eandem prorſus perſonam, idemq. ſuppoſitum includit.

Quartum. Pater, & Filius eadem ſpiratione ſpirant, & non ſunt diuerſa principia, addit Riccard. ergo idem principium. Antecedens iam millies patuit. Conſequentia quoque videtur certa: nam ſi vnum principium, quia in vtroque eadem ſpirandi vis; ergo & idem.

Re-

Reſpondetur, & negatur cõſequentia eadem ſemper ratione: nam licet eadem notio ex vi ſua in vtroque ſuppoſito, cum tamen idem non ſit ſuppoſitum, neque erit idem principium, ex vi omnimodæ identitatis &c. Oppoſita eſt S. Thom. reſponſio ad ſextum art. 4. concedit, ſi vnum ſit principium, idem quoq; poſſe dici idem, nam vnum facit idem; ſed S. Doct. remanet ſolida adhuc ſolutio: quocunq; enim modo principium ſupponat, confusè, non diſtinctè pro duobus ſuppoſitis, ſupponit tamen pro duobus ſuppoſitis diſtinctis, vnica virtute nexis ad ſpirandum: qua diſtinctione impeditur identitas completa, & prædicatio identitatis de principio: nam vnum ſola hac vnici etiam ſuppoſiti ratione facit idem: hic autem licet vnica virtus, duo tamen ſuppoſita: ergo non abſolutè idem.

DISPVTATIO II.

De vnitate principij Spiritus Sancti, in hæc capita diſtributa.

Primò. De principio quo.
Secundò. De principio quod.
Tertiò, & quartò. De modis dicendi.

CAPVT I.

De principio quo, nimirum de virtute ſpirandi in Patre, & Filio.

HOC capitis initio duo certa, et ab omnibus firma exiſtimata, præanimaduertenda neceſſarium duco: alterum erit, et primo loco ſtatuendum. Bifariam vſurpatur, et diſtinguitur cuiuſcumque rei principium. Primo modo, quo agens operatur, et producit ſuum effectum, et ſolet principium forformale nuncupari; ſi quidem agens agit ſecundum formam qua eſt: & ex Ariſt. 5. Metaph. nihil aliud eſt, quàm potentia actiua, qua agens aptum natum eſt tum operari, tum operatur; & conſueuerunt doctores in remotum, & propinquum ſecare: remotum enim eſt ipſamet natura, & eſſentia in agente, à qua ceu à fontali radice exit, tum omnis vis, tum quælibet operatio, ac agentis effectus: proximum vero, à quo immediatè elicitur operatio. Sit exempli gratia in igne principium calefaciendi, remotum, eſt ipſa ignis forma, proximum autem calor.

Secundo modo principium quod, & eſt id totum, quod ſua virtute conſtitutum, & præditum, effectum producit. Hoc vero ſic geminum principium Diuinæ non repugnat ſimplicitati: nec enim componere, nec diſtinguere, omnis Theologorum clamitat Schola, ſed idem verè à parte rei ſit, quidquid in oppoſitum nimio zelo correptus protulerit Greg. Ariminenſis diſt. 7. quæſt. 2. art. 2. niſi id diſputandi gratia, vt in veſtibulo quæſt. viſus eſt teſtari, aſſeruerit; nam ſola noſtra conſideratione cum hæc in Deo ponamus, & diſtinguamus, licet aliquid vt formam, aliquid quaſi materiam concipiamus; nihil Diuinæ ſimplicitati derogamus, ſed Diuina vt poſſumus intelligimus: atque ita per hanc nominis diſtinctionem loquimur, modo per abſtracta, modo per concreta nomina, & notiones quaſi formas in Deo conſtituimus, quemadmodum & hac diſputatione cogimur grauiſsimos & doctiſsimos Theologos ſecuti, dum peruestigare tentamus quid ſit, quo formaliter persona Patris generat Filium, quid quo Pater, & Filius ſpirant Spiritum Sanctum.

3. Alterum adhuc firmius, & certius aſſerimus, Principium hoc quo Spiritus Sancti eſſe vnum, vt conformiter omnes ſtatuunt Theologi non tantum, ſed Conc. de fide decernunt. Concil. enim Lugdunenſe cap. Fideli, de Summa Trinit. & fide Catholica lib. 6. his verbis, hanc fidem ſtatuit, ac tradit. *Spiritus Sanctus æternaliter ex Patre, & Filio, non tanquam ex duobus principijs, ſed tanquam ex vno principio, non duabus ſpirationibus, ſed vna ſpiratione procedit.* Et infra. *Damnamus omnes, qui temerario auſu præſumpſerint aſſerere, quod Spiritus Sanctus ex Patre, & Filio, tanquam ex duobus principijs procedat.* Et Conc. Florent. in litteris vnionis, his verbis. *Spiritus Sanctus ſuum eſſe ſubſiſtens habet ex Patre ſimul & Filio, & ex vtroque æternaliter, tanquam ab vno principio, & vnica ſpiratione procedit.*

Neque illa vox *tanquam*, ab vtroque Conc. addita, minuit rei veritatem, aut Patrem, & Filium non eſſe in rigore vnum Spiritus Sancti principium, ſed quaſi per ſimilitudinem, aſſerit; ſed potius rei veritatem aſtruit, ſicuti Io: 1. vtitur hac ſimili voce *quaſi* ad explicatius veritatem Filij Dei confirmandam; *vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre, hoc eſt verè vnigeniti*, vt omnes obſeruant huius loci Commentatores, inter quos egregiè D. Chryſoſt. hom. 11. in Io: *Id autem*, inquit, *verbum (quaſi) hoc in loco non ſimilitudinis, neque parabolæ, ſed confirmationis, & definitionis certiſſimæ, quaſi dicat, vidimus gloriam, qualem decet & inuiſibilem ſic habere vnigenitum, & dilectiſſimum omnium regis Dei Filium.*

Quod verò hoc ſenſu Conc. præſertim Florentinum vſurpauerit vocem *tanquam*, liquidò, & apertiſsimè colligitur ex verbis, quæ ad ſtatim recenſita præmittit. *Latini verò*, inquit, *affirmarunt non ſe hac mente dicere Spiritum Sanctum ex Filio procedere, vt excludant Patrem, cum ſit fons, ac principium totius Deitatis, Filij ſcilicet, & Spiritus Sancti, aut quod id quod Spiritus Sanctus procedit ex Filio, Filius à Patre non habeat, ſiue quod duo oporteat eſſe principia, ſeu duas ſpirationes, ſed vnum tantum aſſererent eſſe principium, vnicamq; ſpirationem Spiritus Sancti*: ex quibus quàm clarè eluceat, quo rigoroſo ſenſu Concilia vſurpauerint vocem *tanquam*, nemo non niſi cæcus colligere poteſt.

Digitized by Google

His duobus præiactis,tanquam vſqueqaq;certis, vnum reliquum eſt aſſumendum, tantiſper inter Theologos controuerſum; quid ſcilicet formaliter ſit *quod* formale principium, & *quo* huius Diniuiſmæ ſpirationis Spiritus Sancti.Recenſeudæ primo loco variæ Theologorum ſententiæ,deinde ſeligenda melior ,& confirmanda , & quàm conſentaneè veritati locutus ſit S. Doctor colligendum .

Primò. Durandus in 1. diſt. 7. quæſt. 2. aſſerit, potentiam generandi, & ſpirandi formaliter ſumptam, eſſe proprietatem relatiuam perſonæ producentis; & probari poteſt primò. Illa poteutia, & operatio, quæ ita conuenit vni ſuppoſito, vt alteri conuenire repugnet, eſt ei propria; vt ipſamet generatio in Diuinis ita propria eſt, & conuenit Patri, vt ſit de fide; & ſpiratio actiua ita Patri, & Filiò, vt repugnet Spiritui Sancto conuenire: ergo principium quo generat,debet eſſe Patris aliqua proprietas, ac conſequenter relatio, non quid, ſed ad aliquid dicens; itidem principium quo Pater & Filius ſpirant.

Secundò.Forma,quæ alicui tribueret eſſe, & non operari, eſſet otioſa; ſed Paternitas Patri tribuit eſſe perſonale: ergo ne ſit otioſa, & operari tribuere debet: ergo per illam operatur, & generat: eadem ratione Pater,& Filius per ſpirandi proprietatem conſtituuntur in eſſe ſpiratoris 1 ergo per illam ſpirant. Poſtremo.Eſſentia neque poteſt eſſe propria, ſed tribus communis; neque referri, ſed abſoluta: ergo non poteſt eſſe principium ſpirationis, aut generationis.

Alij,quos refert,& impugnat Durandus,ſentiunt eſſentiã Diuinam æque ac proprietatem eſſe principium quo, & potẽtiam reſpectiuam diuerſorum: nam dum dico fiunt in Deo ad intra productiones, & eſſentia commuuicatur, & perſona producitur, eſſentię communicationis potentia eſt ipſamet eſſentia: nam principium communicationis non debet diſtingui ab eo quod communicatur: idem enim poteſt ſeipſum commmunicare; perſonę vero productæ debet eſſe principium diſtinctum: nihil enim ſeipſum producere poteſt: ergo eſſentia,principium, & potentia communicationis, & proprietas productionis, de qua hic ſermo, idem eſt.

Alij tertio loco, ſcilicet Gabriel, & Ocham 1. ſent. diſt. 7. quæſt. 1. in quorum ſententiam conſcribir, & Scotum, & Sanctum Thom. & aliqui Magiſtrum ſent. diſt. 7. hi ſolum ac ſine vlla proprietate eſſentiam eſſe principium, quod hic quærimus, autumant: quod vt quàm rationi conſonum conſtituant, Gabriel,& ſuus magiſter Ocham præmittunt primò. Principium elicitiuum alicuius operationis eſſe id, quod per ſe neceſſariò requiritur ad productionem; & non eſſe ipſammet formaliter productionem,neque per eam conſtitui in eſſe tali. Deinde aliquando *produci*,& *elici* pro eodem ſumi, vt elicitum, & productum ſint idem, aliquando vero pro eo qnod formaliter denominat agens: exemplum proponunt de ignis calore: primo enim modo calor ab igne elicitur, & producitur: ſecundo modo calefactio ab igne dicitur elici, non calor:nam caleſacere non calore dicitur ignis, ed calefactione:poteſt namque habere calorem, & tamen impediri quin calefaciat, quemadmodum ſæpenumero à Diuina virtute factum legimus, quando fortiſſimi Martyres propter fidem in ardentis ignis flammas coniecti,& tamen incolumes, & illæſi etiam in capitis capillis exibant. Hinc ad rem propoſitam eliciunt. Paternitas,& aliæ perſonarũ proprietates nõ poſſunt eſſe principium,quia ſunt ipſa productio:ergo oportet eſſe ipsã eſſentiã: nam principium *quod* eſt ipſa perſona, nõ eſſentia.

Quarto loco Henricus Quolib. 3. quæſt. 3. tàm eſsentiam,quàm relationem per ſe requiri,& directè ad rationem poteutiæ,& principij quo,docuit, de quo nunc nobis eſt ſermo, principalius tamen proprietatem. Ita etiam refert Scotus, & Heurico imponit, & colligit ex ſumma ipſius art. 57. q. 7. Huius antem aſserti Henrici hæc eſt potior ratio. In omni productione duo ſpectãda neceſsario ſunt, alterum,quod produeatur ſimile, alterum,quod diſtinctum: ſed in primis ad diſtinctum terminatur productio: ergo & eſsentia erit principium, quo ſimile producatur,nam communicatur:& proprięras in primis,quo diſtinctum producatur: ipſa enim in communicabilis eſt. Eodẽ ſere modo loquitur Riecardus,dum & naturam,& potentiã requiti aſtruit, formalius tameu potentiam: quo cõſequitur, principium quo productionis, & quid dicere,& ad aliquid;hoc tamen poſtremum in primis, ac magis.

Scotus verò diſt.7.quæſt.1.§.*ad quæſtionem igitur*, ſentit primò,potentiam hanc, de qua hic, formaliter ſumptam, eſsentialiter dicere relationem; fuudamentaliter fundamento remoto eſsentiam; fundamento verò propinquo & proximo,pręciſè tamen ſumpto,intellectum vt pręſentem habet *in ratione* obiecti Diuinam eſsentiam, quam ipſe vocat memoriam fœcundam,Paternitati tameu coniunctam: fundamẽto proximo cum omnibus requiſitis accepto,potentiam vt in actum exeuntem;ita tamen vt hoc tertio modo tãtum dicat reſpectum: reliquis enim duobus ante relatis abſolutum.

Alij breuius, & referunt, & interpretantur,& ſequuntur Scoti ſenteutiam hoc modo,vt requiratur eſsentia in ſe abſoluta, ſed vt producat, eſse neceſſariam conditionem proprietatis talis & talis perſonæ;ita Torres,Banues,Zumellus, Molina, & Suarez lib.6.de Trinit.c.5.Neq;refert,quod eſsentia ſit abſoluta, nomen verò potentiæ dicat relationem: vtimur enim hoc uomine relatiuo etiam ad ſignificandum fundamentum abſolutum, cum alio modo explicare nobis non liceat.

Probat autem ſuum aſsertum Scòtus, eſsentiam ſcilicet eſse potentiam qua,hac præcipua ratione. Diuinam eſsentiam communicare ſeipſam in identitate naturę eſt maximę perfectionis:ergo ſeipſam poſſe communicare, & huius communicationis eſſe principium, maximè ei conuenit,& de ea honorificè aſsereudum eſt.Confirmat. Si eſsentia Diuina produceret alium Deum, & aliã ei naturam cõmunicaret,eſset,& diceretur eius principiũ, & potentia produceus:ergo & nunc in ead.natura numero,perfectiori modo producens perſonã,poteſt dici potẽtia,& principiũ. Cõfirmatur ex parte termini. Sicut terminus formalis eſt eſsẽtia cõmunicata,ita & potentia, & principium debet eſse ead. potẽtia.

De-

Digitized by Google

Denique S. Thom. quæſt. 41. art. 5. egregiè docet, principium *quo* productionis Diuinarum perſonarum non eſſe ſolam relationem, neque ſolam eſſentiam, neque eſſentiam, & relationem ex æquo, neque vtrumque, ſed principalius relationem; ſed oppoſito modo; eſſentiam ſcilicet in recto, & in primis, relationem vero ſecundo loco, & minus principaliter, & in obliquo, vt modificat ipſam Diuinam eſſentiam vt conſtituatur potentia. Quem ſequuntur Capreolus 1. ſent. diſt. 7. quæſt. 1. art. 1. concluſ. 2. & 3. Ferrarienſis 4. contra gentes cap. 13. Caiet. in hunc art. Marſilius diſt. 7. quæſt. 11. art. 2. concluſ. 3. & 4. & alij. Et probat.

Primò. Illud eſt potentia generandi in aliquo generante, in quo genitum aſſimilatur generanti: ſed Filius Dei ſimilatur Patri gignenti in natura Diuina: ergo natura Diuina in Patre eſt potentia generandi in ipſo. Probatur maior. Illud propriè dicitur potentia in quocumque agente, quo agens agit: ſed id quo agens agit, eſt forma, ſecundum quam agit producens per ſuam actionem ſibi ſimile: ergo illud eſt potentia generatiua in aliquo generante, in quo genitum generanti ſimilatur, Minor probatur exemplo hominis geniti, qui ſimilis in natura generantis eſt: & in textu art. confirmatur ex D. Hilar. lib. 2. de Trinit.

Secundò. Paternitas non poteſt intelligi vt quo generat Pater, ſed vt conſtituens perſonam generantis; natura autem Diuina eſt id, quo Pater generat: ergo potentia generandi non ſignificat ex æquo relationem itidem cum eſſentia. Antecedens probatur: nam paternitas vt conſtituens, eſt forma indiuiduans: ſed forma indiuiduans non eſt qua generans generat; nam tunc Petrus generaret Petrum, & Pater Patrem.

3. At verò in quam harum ſententiarum conſcribendus D. Bon. non videtur adeo facilis negotij res: variè enim videtur locutus, & variè à varijs explicatus. Diſt. 7. 1. ſent. quæſt. 1. Primo loco in gratiam Magiſtri, quem interpretabatur in vniuerſitate Pariſienſi, ac reuerentiæ gratia, quantum licebat, aut tuebatur, aut excuſabat; ſuſtinet ipſius vt probabilem ſententiam; *potentiam generandi ſcilicet dicere primò quid, & eſſe abſolutum*: eſt enim ipſamet eſſentia, vt in perſona, quæ idem eſt cum eſſe Patris, Filii, & Spiritus Sancti, ac pariter idem cum poſſe, & potentia: idem enim ac vnicum in Deo eſt eſſe, tum potentiæ, tum perſonarum, itidem eſt poſſe: qua tamen ratione eſt in illa, vel illa perſona, *ſimul addit relationem*: potentia ergo qua eſt eſſentia generandi Patris, ſpirandi verò, Patris, & Filij, eſt ipſamet eſſentia in Patre cum proprietate Patris: ſpirandi eadem eſſentia in Patre, & Filio cum notione ſpiratiua.

Ipſe verò aliam, quam cenſet probabiliorem, ſententiam addit. Potentiam in Diuinis ad perſonam producendam, eſſe verè, ac de ſe relatiuam, & ad aliquid: & probat. Potentiæ diſtinguuntur per actus 2. de anima tex. 33. ſed actus generandi, & ſpirandi in Deo eſt proprius, & relatiuus: ergo & potentia, quę nullo modo niſi verbis, & modo loquendi ab actu diſtinguitur: & probat ex D. Dionyſ. Secundò. Pater ideo generat, quia poteſt, ſed generare eſt proprium, & relatiuum: ergo & eius ratio, ſcilicet potentia. Tertiò. Poſſe producere in Diuinis, eſt fœcunditas, & primitas, & improceſſibilitas; ſed hæc eſt propria: ergo & illa. Hinc multi, præſertim ex recentioribus, in ſententiam Durandi, ite Sanctum Doctorem ſentiunt, & cum Durando impugnant, & explodunt.

Verum diſt. 29. viſus eſt aut oppoſitum dixiſſe, aut illi ſententiæ aliquid addidiſſe: loquens enim de vnitate principij ſpirationis Spiritus Sancti, hęc verba protulit. Cum dicitur Pater, & Filius vnum principium, vnum dicit vnitatem notionis, in comparatione tamen ad vnitatem naturæ, & vis ſpiratiuæ: & quæſt. 2. Ideo dicimus vnum principium Spiritus Sancti ſunt Pater, & Filius, vt vnum dicat vnitatem notionis, & vis ſpiratiuæ, & naturæ in ſpirantibus: & diſt. 7. dub. 5. litt. Quæuis potentia abſolutè conſiderata eſt idem quod eſſentia: tamen potentia, quia non eſt nomē adeo abſtractum ſicut eſſentia, contrahitur ad perſonam; vnde potentia generandi non dicit naturam Diuinam ſimpliciter, ſed vt in tali perſona, ſcilicet innaſcibili. Præterea dub. 6. Potentia autem poteſt conſiderari ſecundum id, ad quod eſt, & ſic dicit modum exiſtendi naturæ in perſona in comparatione ad aliam, quia eſt principium, vel principiatum, & ſic cum diuerſi ſint modi, dicuntur proprietates. Denique & dub. 7. litt. eadem repetit, & inculcat. Potentia, inquit, generandi in Patre non dicit niſi naturam in perſona, vt nata ex ſe producere perſonam aliam.

Quibus locis relatis, & obſeruatis, videtur S. Doctor aut ſibi non conſtare, neque conſequenter loqui, aut mutaſſe ſententiam, & in eam, quam profeſſi ſunt Henricus, & Riccardus, tranſiſſe, Sed tantum abeſt vt aut mutauerit ſententiam, aut non ſit conſequenter locutus, vt niſi ex his omnibus additis, ac locis collectis, ſufficiens, & adæquata de hac, de qua diſceptatur potentia, non poſſit haberi ſcientia, ac cognitio.

Obſeruandum igitur primò. Nos hic cum Theologis grauioribus de potentia in quauis latitudine ſumpta non diſputare, ſed preſsè pro potentia in viuente, quæ ſit principium producendi ſubſtantiale, & preſſius, vt in Deo eſt, ſcilicet in Patre ad Filium gignendum, & in Patre, ac Filio ad Spiritum Sanctum producendum; & quærimus, ac ſcire auemus, quid ſit, an Diuina eſſentia, vel proprietas, & conſequenter an quid abſolutum, vel reſpectiuum. Quocirca non grauabimur tum ex Scoti multis locis, tum ex Ariſt. plurimis teſtibus colligere potentiæ acceptiones; ac veluti ſpecies, vt alia Mathematica, quæ ficta, & metaphorica ab Ariſt. 5. Metaph. tex. 17. dicitur v. g. punctum eſt in potentia ad eſſe lineam: alia Logica: alia Metaphyſica, quæ triplici oppoſitione ſubdiſtingui ſolet; primò, vt opponitur impoſſibili; ſe-

cundò, neceſſariò; tertiò, actui.

Sed his dimiſsis, ſufficiet eam vſurpare vt phyſica eſt, hoc eſt realia, actina ad perducendum in Diuinis perſonas: & in ea Theologorum triplicem vſum animaduertere oportet, quo in hac quæſt. vtuntur. Primò ſtrictè pro principio formali, ac proximo, quo elicitur actus productionis perſonæ. Secundò, pro remoto, ratione cuius potentia denominatiua nuncupatur: quod quidem principium non poteſt quin ſit Diuina eſſentia negari. Tertiò pro adæquato, & completo principio ex vtroque præcedente conſtituto, de quo nunc quærimus, quid ſit, quo Pater generat Filium, & Pater & Filius Spiritum Sanctum ſpirant. Quod vt adhuc lucidius perſpiciamus, de ſingulis ſeiunctim aſſerendum.

Sit igitur primum aſſertum. Eſſentia Diuina neceſſariò requiritur vt fundamentum radicale, & remotum ad integrè conſtituendam potentiam, & principium quo productionia in Deo: cum autem dico eſſentiam, dico & intellectum, & voluntatem, & reliquas perfectiones, & attributa eſſentialia. Eſt omnium Theologorum commune aſſertum, vno excepto Durando, qui dum proprietatem Diuinam, ac relationem conſtituebat principium, excludebat eſſentiam: nam in enumeratis ſententijs manifeſtè compertum eſt; omnes conſtituere eſſentiam principium emanationum; licet diuerſa quadam ratione, & inter eos D. Bonauentura tribus dubijs litteralibus diſt. 7. dum Magiſtri opinionem vt probabilem ſuſtinet, ac tuetur, & in reſponſione ad 2. & diſt. 29. quæſt. 2. & probatur primò ex omnibus illis Patribus, qui Filium de ſubſtantia Patris, & Spiritum Sanctum de eadem ſubſtantia, & eſſentia Diuina produci, non ex nihilo, conſtanter aſſeruerunt, qui multi diſt. 5. in textu referuntur.

D. Aug. ſeu D. Fulgentius lib. de fide ad Petrum. *Pater Deus de nullo genitus Deo, ſemel de ſua natura ſine initio genuit Filium Deum ſibi æqualem, & eadem qua ipſe naturaliter æternus eſt*. Et D. Aug. 10. de Trinit. cap. 15. in illa verba Apoſtoli ad Coloſſ. 1. *Qui eruit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in Regnum Filij Charitatis ſuæ. Quod dictum eſt*, inquit, *Filij charitatis ſuæ, nihil aliud intelligens quàm Filij ſui dilecti, quàm Filij ſubſtantia ſuæ: charitas quippe Patris, quæ in natura eius eſt ineffabiliter ſimplici, nihil aliud eſt quàm ipſa natura, & ſubſtantia, vt ſæpe diximus, & ſæpe iterare non piget, ac per hoc Filius charitatis eius nullus alius eſt, quàm qui de ſubſtantia eius genitus eſt*.

Idem lib. 3. contra Maximinum hæreticum, & innumeria alijs locis. lib. 1. contra eundem Maximinum lib. 5. de Trinit. cap. 6. lib. 15. cap. 13. & 14. D. Hilarius lib. 1. de Trinit. *Nam Filius, quia naturam eandem, quam ille qui genuit, habet*. & lib. 5. circa finem. Filium in Diuinis. *Diuina virtute natura generari*. D. Damaſc. lib. 1. de fide cap. 8. *Ex Patris natura Filij generationem eſſe profitemur*. Deinde fuit expreſſa de hac re ſententia Io: Theologus in Conc. Florentino ſeſſ. 18. ſic enim loquitur. *Dixi Filium ex Patre, & ex Patris ſubſtantia generari; ita tamen, vt Pater ſit generans, principium quo ipſa perſona generat, eſt id, quod ſolum communicabile*...

Deinde probat S. Bonauentura ea ratione, qua vſus eſt & S. Thom. art. 5. quæſt. 40. licet qualiquali forma diuerſa, vis tamen eadem. Generare eſt ſimile ſibi in natura producere; ſed natura eſt vis inſita rebus, ſimilia ex ſimilibus procreans: ergo vis generandi reſpicit naturam, & eſſentiam. Huc quoque ſpectant, & vim conferunt, & Henrici, & Scoti rationes.

Præterea confirmatur ex Ariſt. 3. Phyſic. tex. 36. forma, quæ dat eſſe, dat etiam operari, cum actio ſit naturæ debita: ergo & Diuina perſona, cum ex Diuina eſſentia exiſtat, ex eadem poterit operari: ſed ſi Deus per intellectum, & voluntatem operatur, cum intelligere, & velle ſit adeo Deo proprium, vt ſit ipſiſsima intelligendi et volendi via: ergo et voluntas, et intellectus vt eſſentialia, erit quo Deus operatur, et ad intra eſſentialiter fœcundus. Rationes, quibus à quibuſdam hæc ſententia impugnari ſolet, hoc ſanſu nullam vim habere poſsunt, vt cuiquam non omnino cæcutienti conſtat.

Secundum aſſertum. Fundamentum propinquum, & immediatum, præcisè, & formaliter in Patre generandi, & in Patre, & Filio ſpirandi, eſt perſonæ proprietas relatiua; quod valde appoſitè hoc ſenſu docuit S. Bonauentura citata quæſt. diſt. 7. cum Durando, & ferè cum Henrico, & Riccardo, dum principalius, & formalius principium *quo* hoc conſtituunt in proprietate; & cum ijs, quos refert Capreolus; & deniq; cum ijs, qui eſſentiam, vt conſtituant principium, ponunt, & contrahunt ad proprietatem & perſonã, & vt loquitur S. Bon. perſonaliter ſumunt. Quem tuetur etiam Greg. de Valentia in hunc art. Sancti Tho. puncto 2. Docuerunt etiam Albertus Magnus diſt. 7. art. 2. Ipſe D. Thom. prima parte quæſt. 36. art. 4. ad 1. dum potentiam generandi affirmat eſſe proprietatem: modo probatur. Primò rationibus Sancti Bonauenturæ antea relatis. Pater vt Pater generat actione propria, ita vt nec eſſentia, nec Filius, aut Spiritus Sanctus: ergo per aliquam ſibi vim inhærentem vt ſic propriam, & relatiuam: nam aliàs & eſſentia, & Filius generaret, quod deteſtant, & prohibet ipſa fidea. Probatur conſequentia per modum, & ſtatum agendi, & agentium etiam naturalium: nam etiam ignis ideo calefacit per aliquam ſibi inhærentem caloris proprietatem. Confirmatur. Per actus diſtinguuntur potentiæ: ſed actus generandi, & ſpirandi ſunt proprij, & relatiui: ergo & potentia. Confirmatur præterea. Ideo ſolus Pater generat, & ſpirat, quia ſolus primus, & improceſsibilis ſimpliciter, & conſequenter fœcundus: ergo per proprietatem ſibi propriam, ac relatiuam; ſi namque eſſet abſoluta, non eſſet propria.

Neque hæ rationes ſolidè diſſolui poſſunt, neque S.Th. art.5. neq; S.Bon. in gratiam Magiſtri ſoluunt, ſed potius docent, & diſtinguunt duo hæc principia, remotum, & propinquum, & ratione remoti, & propinqui diſtingui, & eſſe propriam, & relatiuam hanc generandi potentiam aſtruunt. Soluerent quidem, ac vrgerent, ſi excludendo eſſentiam, omnem principij *quo* vim, in ſola proprietate collocarent. Valentia verò alia quatuor argumenta eruditè proponit, & eadem eruditione ſoluit. In quo in reſponſione ad 4. illa, quæ etiam multorum aliorum Theologorum, imò S. Thom. eodem art. 5. obſeruanda diſtinctio. Proprietatem perſonalem hoc loco bifariam aſſumi poſſe, primò, vt conſtituit perſonam, ſecundò, vt ex ea perſona ſic conſtituta conſequitur vim ad ſibi competenti modo agendum: quo enim eſt ſuppoſitum, eo & poteſt operari; & operatur eſt per ſuam conſtitutiuam proprietatem ſuppoſitum: ergo &c.

Tertium aſſertum quaſi corollarium. Proprietas, qua eſſentia communicatur per generationem, & ſpirationem, non ſicuti eſſentiæ conditio requiſita; ſed ratio formalis eſt, & intrinſeca ad conſtituendam eſſentiã in perſona, & perſonam in actu primo, & ſecundo generationis, & ſpirationis. Quod verò hæc ſit Theologia S.Bon. inde colligitur: nam vbiq; dum de relationibus, tum in ordine ad eſſentiam, tum ad perſonas diſt. 26. quæſt.1. diſt.19. quæſt.2. ad penultimum. diſt.22. quæſt.vlt. diſt.33. q.1.& 2. Relationem eſſentiæ nihil adddere, niſi modum intrinſecum ſe habendi, & diſt. 22. art. 1. Relationem de eſſentia prædicari, non in quid, ſed in quomodo: ergo relatio non quaſi extrinſeca conditio eſt in perſona, ſed intrinſecus modus, quo eſſentia trahitur ad perſonam.

Quod eadem quoque ſit S. Thom. mens, & ſententia, conſtat primò quæſt.2. de Potentia, his verbis. Quidam dixerunt, quod potentia generandi ſignificat tantum eſſentiam, ſed illud conueniens non videtur: actio enim quæ fit virtute naturæ cõmunis per aliquod ſub natura communi cõtentum, modum accipit ex proprijs principijs, ſicut actio, quæ debetur naturæ animalis, fit in homine ſecundum quod competit ſpeciei humanæ &c. & ideo dicendum, quod ſi natura Diuina, quæ eſt communis, ſit principium alicuius operationis, quæ ſolum Patri competit; oportet quod ſit principium ſecundum quod competit proprietati perſonæ Patris, & propter hoc in ratione potentiæ includitur quodammodo. Paternitas, quantum ad illud quod eſt principium generationis, & propter hoc cum alijs dicendum eſt, quod potentia generandi eſſentiam, & notionem ſimul ſignificat. Secundò idem fusè, & luculenter in reſp. ad 2.

Hinc ex vtroq; hoc conficitur argumentum. Perſona Diuina conſtat ex eſſentia, & relatione, & cõſtituitur in eſſe diſtincto perſonæ ab alia per proprietatem conſtantem ex origine, & relatione: ergo relatio requiritur ad eſſe perſonæ, & conſequẽter ad operari, vt principium formale quo, modificans ſic eſſentiam. Præterea eadem res confirmatur à Gregorio de Valentia recentito loco, ac puncto, ſic fermè. Si proprietas non eſt intrinſeca entitas requiſita ad rationem potentiæ, & principij producendæ perſonæ, ſed tota, & omnis vis ſita eſt in abſoluta eſſentia, qua generatur Filius ſimilis &c. & communicatur eadem natura, & eſſentia, & requiritur dumtaxat vt conditio proprietas; argumentor ſic contra. Vt habeat eſſentia Diuina ſuas formales, & abſolutas operationes, non indiget coniungi tali, vel tali perſonæ; nam tum ex ſe habet, quia perfectiſſima eſt, tum in qualibet perſona natura eadem eſt: ergo neque illa coniunctione opus eſt, vt habeat notionalem potentiam producendi: nam & hæc, per aduerſarios, ratione abſolutæ potentiæ eſt.

Obſtat Suarez lib. 6. cap. 5. ex auctoritate relata Io: Theologi in Conc. Florent. Pater eſt generans, principium quo ipſa perſona generat eſt id, quod ſolum (animaduertit vocem ſolum) communicabile eſt, ſcilicet ſola eſſentia: ergo non proprietas. Sed non difficilis ſolutio: nam id aſſeruit Io: Theologus ad radicalem, & fontalem omnis fœcunditatis originem indicandam, neque tamen aut negauit, aut negare potuit, hanc fœcunditatem proximè modificari, & trahi ad perſonam adeo intrinſecè, vt ſit poſtea ipſa ſola perſona, quę producat.

Quartum aſſertum. Potentia integrè, & compleré, & adæquatè ſumpta, qua generatur Filius, eſt eſſentia, intellectus, & proprietas Paternitatis, qua quaſi forma conſtituta in eſſe, prima perſona poteſt operari, & in actũ exire; & eſſentia, & volũtas in Patre, & Filio, relatio, & fœcunditas ſpirationis eſt potentia, qua ſpiratur Spiritus Sanctus, & tota reſultat confirmanda ex his quæ ſingulis partibus, primo, ſecundo, & tertio aſſerto congeſta ſunt: ſi enim neceſſariò prærequiritur eſſentia, ex qua conſtat perſona, & eſt communicabilis, omniſque fœcunditatis radix: ſi tamen ipſa ſola non ſufficit, & niſi in perſona tali communicari non poteſt: ſi tertio loco omnis agendi modus in Deo naturæ intellectuali eſt per intellectũ & voluntatem: ergo potentia, ac principium *quo* emanationum, ac productionum in Diuinis erit conſtans ex eſſentia, & relatione. Hoc vero eſt, quod ex tot locis S. Bon. colligimus. Hoc, quod S. Thom. Hoc, in quo cohærent, collineant, & conſentiunt, ſi tamen ad inuicem iungantur: neque enim ſola eſſentia, neq; ſola relatio ſufficiunt ſeiunctim, ſed copulatè. Reſtat ergo vt relatio, ac proprietas, non vt conditio, ſed vt intrinſecus modus, vt iam confirmatum eſt, habens tamen ſuam ſecum vim ac fœcunditatem, & productionem ab eſſentia cuiuſmodus eſt, iterum breuibus confirmetur. Primò ex iam probatis. Potentia hæc qua, conſtat intrinſecè ex eſſentia, & proprietate: ergo vis producendi ratione vtriuſq; eſt. Antecedens iam ſatis firmatum. Conſequentia conſtat; nam hæc eſt completa entitas huius potentię. Deinde vt iam indicatum eſt, proprietas eſt veluti forma neceſſaria, qua cõſtat perſona diſtincta in ordine ad aliã: habet enim formæ rationẽ, quę conſtituit, & diſtinguit, quod in perſona præſtat relatio, neq; tantũmodo conſtituit perſonã hanc indiuiduã, ſed perſonã quaſi ſpecificè, ſcilicet Patrem, Filium &c. nedum hunc Patrẽ &c.

Digitized by Google

ſed ſuppoſitum operatur per id quod eſt, ſcilicet per ſuam formam: ergo & perſona Diuina. Confirmatur. Vt diſtincta perſona producit: ergo & per diſtinctam formam producere poteſt: ergo vim habet etiam vt diſtincta: ergo à proprietate, qua diſtincta eſt. Tertiò & poſtremo, vt antea ſuo loco, cum de perfectionibus relatiuis agebatur controuerſia. Ens Diuinum idem ineffabiliter, & eminenter, conſtat ex abſoluto, & relatiuo, vt vnum includatur in ratione alterius, & de Dei noſtri Optimi Max. ratione ſit ita eſſe trinum, vt ſit etiam vnus, vt non eſſet Deus, ſi trinus ac in perſonis proprietate non eſſet diſtinctus: ergo ſi æquè Diuinum, & infinitè perfectum ens, illud erit etiam vt relatiuum: ergo proprietas Diuina ſicut eſſentia habet vim: vtroque enim modo hæc res Diuina eſt.

Hæc videtur aperta ſententia etiam S. Thom. art. 4. quæſt. 36. ad primum, & ſecundum, & in fine corp. art. vbi Patrem, & Filium eſſe vnum, non tantum propter vnitatem naturæ, ſed propter vnitatem proprietatis ſpiratiuæ; ergo Pater, & Filius vnica ſpiratione ſpirant propter vnicam vim ſpirandi: ergo vis ſpirandi etiam in proprietate. Ad primum, proprietatem hanc virtutem ſpiratiuam nuncupat. Confirmatur ex D. Athanaſ. Dialogo de Trinit. contra Anomæos. Vbi Patrem hypoſtaſi generare Filium aſſerit. Quæ omnia ad rem totam obijci poſſent, ex ſe remanent ſoluta.

Quintum aſſertum. Sicuti proximum, & immediatum fundamentum, quo producitur perſona eſt proprietas; ita principalius, & formalius ſpectandum, & æſtimandum: ita præſertim D. Bon. Riccardus, & Henricus, qui pro hoc aſſerto ſic argumentatur. In omni generatione, & productione, duo in primis ſunt quæ obſeruantur: alterum eſt, producere ſimile: alterum, diſtinctum, ſed præcipuum eſt tamen quod ad diſtinctum terminatur productio. Probat. Non ideo Petrus generat hunc hominem, quia generat hominem, ſed è contra, generat hominem, quia hunc hominem: ergo hunc præcipuè & generat, & intendit; ſed hunc generare eſt diſtinctum generare: ergo. Confirmatur ex Phyſicis: nam agens compoſitum, indiuiduum præſertim intendit: ſed in Diuinis perſona producens eſt indiuidua ea proprietate: ergo ex proprietate præſertim producit indiuiduam perſonam.

Riccardus. Natura Diuina ſpectat ad generationem &c. per modum habendi eam: ſed hic modus habendi eſt in perſona proprietas: ergo ipſa eſt ratio potior generationis &c. Patet: nam ratio eſt quare natura communicetur per productionē: non enim niſi vt ſic communicari poteſt. D. Bon. Ideo perſona poteſt producere, quia in ea eſt fœcunditas, & primitas; ſed hæc fœcunditas eſt potentia perſonę propria: ergo proprietas eſt formalior ratio productionis. Maior ab oppoſito conſtat. Ideo enim nec Filius poteſt generare, nec Spititus Sanctus generare, nec ſpirare, quia in ipſis non eſt hæc fœcunditas: ergo fœcunditas eſt vera, & prima ratio. Denique ſola perſona vt diſtincta eſt principium fœcundum, ſcilicet quę producit, non autem eſſentia, aliàs vel ſeipſam generaret, vel diſtinctam à ſe, & ſic partitam: ergo ſola quoque vt ſic quę poteſt: ergo quæ potentia poteſt, in ipſa debet eſſe ratio perſonalis.

CAPVT II.

De principio quod Spiritus Sancti. Quomodo ad inuicem ſe habeant Pater, & Filius, & quid ſit.

CONſimili difficultate, ac non leuiori laboramus hoc capite, quæ & ſuperiori, ac non minus operoſum erit propter Theologorum diſſidium, adinuenire, & ſtatuere principium etiam quod Spiritus Sancti, & difficultatis nodus in hoc ſitus videtur. Certum eſt, ac fide ſtatutum, Patrem, & Filium eſſe Spiritus Sancti principium; certum quoque vim ſpirandi in vtroque eſſe vnam: certum tertio loco, principium quod conſtitui ex duabus perſonis, & vnica ſpirandi vi: ſed modo quętitur, an tamen ad rationem huius principij ſic conſtruendi concurrant Pater, & Filius vt vnum in vnica voluntate, in vtroque fœcunda ad ſpirandum, & vt vnum quaſi indiuiduum indefinitè, & indiſtinctè ſupponens pro Patre, & Filio, & an præter hæc ratio huius principij intrinſecè expoſtulet, vt ſint plura, ac duo ad inuicem amantia ſuppoſita: vel licet de facto ita ſit, vt à duobus exeat Spiritus Sanctus, ferè tamen accidentarium ſit, ratione hac, ſi ſolus eſſet per impoſsibile Pater, æquè perfectè ſpiraret, ac amaret, ac Pater, & Filius.

Primò loco referenda ſunt de more Theologorum placita, & primò. Scotus in 1. diſt. 12. quæſt. 1. qui duo in ſua ſententia aſſerit: alterum Spiritum Sanctum ex vi ſuæ productionis non requirere duo ſuppoſita ſpirantia; nam æquè perfectè ſpiraret ſolus Pater, ſi ſolus eſſet, ac nunc ſimul cum Filio ſpirat: quemadmodum æquè crearet ſi Deus eſſet in vno tantum ſuppoſito, eadem ac nunc perfectione creat ſubſiſtens in tribus; & probat: nam in ſolo Patre adhuc eſſet Diuina vis, & natura, vt nunc eſt, aliàs non ſolua Pater perfectè ſpiraret, & aliqua ei nunc deeſſet perfectio, & Filio indigeret, ſine quo non poſſet ſpirare.

Secundò. Si propter aliquid plurium ſuppoſitorum neceſsitas foret, eſſet quia Spiritus Sanctus procedit vt nexus, & mutuus amor Patris & Filij, ſed hæc relatio mutua non auget perfectionem ſpirandi in Patre, aut in Filio: eſt enim relatio rationis: ergo. Alterum, De facto Spiritum Sanctum ſpirari à duobus, tamen præcisè vt vna in eia eſt ſpirandi voluntas, & à duobus, non quia vis ſpirandi vt ſic duo ſuppoſita requirat, ſed ex natura rei inter ipſa; ſicut non poteſt amare voluntas, niſi prius præcedat intellectus operatio, oſtendens voluntati volibile; ita in Diuinis principium ſpirans non eſt in potentia proxima ſpirandi, niſi præſuppoſita perſona per intelle-

ctum

Digitized by Google

ctum genita: hinc neceſſariò in duobus eſt ſpirandi vis.

Eadem eſt ſententia Gabrielis diſt. 11. quæſt. 1. art. 1. & 2. Eadem Durandi quæſt. 3. licet in modo explicandi differant. Durandus enim, ſi de ſpiratione ſecundum ſuam rationē formalem agendum ſit, eam eſſe quidem à duobus vnam ſpirandi vim habentibus; non tamen eſſe, nec ſicut à duobus, nec ſicut ab vno, ſed ſolum quatenus habent virtutem ſpirandi, ſiue vna, ſiue plures ſint perſonæ. Secundò, quo ad rationem intrinſecam ſpirationis, quatenus vna ſimplex ſpiratio, Spiritum Sanctum à duobus procedere, quatenus tamen vnam ſpirandi vim habent. Tertiò, incidit in ſuum errorem, à voluntate ſcilicet Spiritum Sanctum non niſi per ſimilitudinem procedere, ſed ex fœcunditate naturæ; & addit, à duobus procedere, vt in duobus hæc voluntas eſt: vnde quo ad rem tanquam ab vno cum Scoto, licet non eodem fundamento, definit Spiritum Sanctum oriri: Scotus enim ab vno, quia vna in eis voluntas: Durandus vero, quia ab vna natura fœcunda: quo verò ad modum dicendi, quatenus dicitur à voluntate procedere, cum SS. Bonauentura, & Tho. à duobus vt plures ſunt, ſentit.

Oppoſita ſententia communior, & verior diſcipulorum S. Thom. Caiet. art. 4. quæſt. 36. Torres, Capreoli in 1. diſt. 12. quæſt. 1. concl. 4. Marſilij quæſt. 15. art. 3. Ferrarien. 4. contra Gentes. q. 25. & ante ipſos Henrici in ſumma art. 54. quæſt. 6. & ipſius S. Th. art. 4. quæſt. 30. ad primum, & 1. ſent. diſt. 11. quæſt. 1. art. 2. Vtrum Spiritus Sanctus procedat à Patre, & Filio inquantum vnum. Reſpondet. Hæc vox inquantum poteſt dicere & conditionem agentis, & principium actionis, ſi dicat conditionem agentis, vel operantis, ſic procedit Spiritus Sanctus à Patre, & Filio inquantum ſunt plures, & inquantum ſunt diſtinctæ perſonæ, quia ab eis pluribus, & diſtinctis procedit. Idem repetit diſt. 29. art. 4. ad 2. & de potentia quæſt. 10. art. 2. ad 15. & reddit rationem. Cum, inquit, procedat vt amor mutuus, & nexus duorum, oportet quod à duobus ſpiretur.

Eodem modo loquitur Alexan. 1. par. quæſt. 43. memb. 5. eodem modo antiquus, & grauis Riccar. de S. Victore lib. 3. de Trinit. cap. 3. eandemque afferens rationem multis verbis, ſed his in primis. Non poteſt eſſe amor iucundus, niſi ſit mutuus: in illa ergo vera, ac ſumma felicitate, ſicut nec amor iucundus, ſic nec amor mutuus deeſſe poteſt. In amore autem mutuo oportet omnino vt ſit & qui amorem impendat, & qui amorem rependat. Alter itaque erit amorem impendens, alter amorem rependens: vbi vnus & alter eſſe conuincitur, pluralitas deprehenditur.

Non deſunt verò qui in ſententiam Scoti S. Bonauenturam interpretari nituntur, ex his verbis diſt. 11. quæſt. 2. Quamuis Spiritus Sanctus à duobus procedat, quia tamen procedit non vt ſunt differentes, ſed vt eſt in eis fœcunditas voluntatis; patet, quod Spiritus Sanctus procedit ab eis inquantum vnum ſunt: & idem repetit in reſponſ. ad 2. & 3. Ego verò in ſententiam oppoſitam S. Th. his præſertim locis, meo iudicio apertiſsimis, cogor interpretari: primò diſt. 10. quæſt. 3. vbi ſtatuit, neceſſariò Spiritum Sanctum procedere ex amore mutuo, quia hic amor eſt perfectiſsimus, & vt perfectiſsimum proponit imitandum Dominus noſter Ioan. 17. *Rogo vt ſint vnum, ſicut & nos.* Quod ſi mutuus, vt erat euidens ratio etiam S. Tho. ex Riccardo de S. Victore: ergo ex pluribus. Diſt. 29. quæſt. 2. Vbi eiſdem ferè verbis, quibus ſupra S. Tho. ſignificatur notio in ratione ſuppoſiti, atque ita non poteſt dici, neque idem ſuppoſitum eſt principium Spiritus Sancti, neque vnus eſt ſpirator, ſed duo ſpiratores, quia ſunt duo ſuppoſita ſpirantia. & diſt. 11. quæſt. 1. Spiritus Sanctus procedit vt nexus: ergo à Patre, et Filio, tanquam à duobus.

Neque oppoſitum docuit quæſt. 2. imò idem indicauit, et aſſeruit, dum in reſp. ad 2. ratione nexus dixit amorem ſpiratiuum incipere à diſtinctis: ſecundò dum docuit, Spiritum Sanctum à Patre, et Filio, tanquam vnum in natura, et virtute ſpirandi, non tanquam vnum in perſona: et ad quartum explicans quædam S. Anſelmi verba, inquit, non ſecundum quod Deus ſimpliciter, ſed ſecundum quod Deus in vtroque, hoc eſt conſiderare voluntatem non in perſona, ſed perſonis. Præterquamquod non quærit ibi vnitatem, nec pluralitatem principij quod, de quo hic, ſed quo, de quo adeo certum, vt non liceat dubitare, vnam eſſe vim ſpirandi in duobus, ſed ſimul quoque eadem vis neceſſariò duas diſtinctas perſonas præſupponit, non ſolum ex ordine inter Diuinas perſonas, vt concedit etiam Scotus, ſed ex conditione eiuſdem virtutis, quæ amor nectens, et mutuus eſt. Statuenda ergo veritas hæc, et confirmanda per duo aſſerta.

Primum aſſertum. Licet fortaſſe proceſsio amoris vt ſic, & in vniuerſum ſumpti, non exigat pluralitatem in principio ſpiratiuo: proceſsio tamen hæc, quam credimus, & adoramus, & nunc vtcumque explicare conamur, non tantum ex parte producentis procedit ex duobus vt plures ſunt perſonæ, ſed ex vi ſuæ proceſsionis, & conſtitutionis perſonalis poſtulat, vt principium quod ipſius conſtituatur ex pluribus ſuppoſitis. Primam partem non contendo, imò vt probabilem dimitto, ac pertranſeo, hac vna, & altera ratione, ſuppoſitis Scoti rationibus. Prima. Deus vt vnus ſeipſum, ſuamq; eſſentiam verè ac perfectiſsimè amat. Secunda. Amor vt ſic non requirit, niſi vt ſit à verbo, ac notitia diligentis, qua repræſentetur obiectum amabile, & à voluntate, vt actus amoris elicitiua: ſed hæc non requirunt pluralitatem ſubiecti, & ſuppoſiti: ergo. Probo minorem: nam & vnus Angelus, & vnus homo, etiam amore amicitiæ poteſt & notitiæ ſibi offerre obiectum, & voluntate elicere actum amoris, & hic eſt verus amor, & in vnico ſuppoſito eſt intellectus & voluntas: & Adā, quando ſolus, et Sanctus ab initio mundi, tunc præſupponitur dilexiſſe Deum etc. et ipſe Pater Diuinus poteſt concipi ſpirare amorem, non concepto ſimul ſecum Filio, et ſupponunt Doctores dum quærunt, an ſi per impoſsibile non procederet

à Filio

à Filio Spiritus Sanctus, diſtingueretur ab eo: concipiunt enim tunc à ſolo Patre procedere Spiritum Sanctum &c.

Secundam ramen partem aſſerti, de qua hic, in primis ſuſcipio probandã, ac tuẽdam. Primò Io: 17. rogat Patrem: *vt vnum ſint, ſicut & nos*, & iterum: *ego, & Pater vnum ſumus.* Vbi communitate eſſentiæ, & quacumque alia, & voluntatis, & virtutis ſpiratiuæ, adhuc tamen dicit numero plurium, *ſicut & nos vnum ſumus.* Ergo in ſpirando, licet ratione principij *quo vnum* dicendæ perſonæ Patris, & Filij; aliunde tamen dicendæ plures, vt principium *quod*. Secundò, D. Aug. lib. 6. de Trinit. cap. 5. *Manifeſtum eſt, quod non aliquis duorum, quo vterque coniungitur, quo genitus à gignente diligatur, genitoremque ſuum diligat.* Quibus, ſi Spiritu Sancto Pater, & Filius coniunguntur: ergo ſupponuntur plures: quare eorum dicitur nexus. Deinde. Spiritus Sanctus commune aliquid eſt Patris, & Filij, quidquid eſt, & ipſa communio conſubſtantialis, & coeterna: ſed ſi commune: ergo pluribus conuenit: commune enim plura includit. Pręterea ex Riccardo iam ſupra recenſito. Modo rationibus.

Spiritus Sanctus procedit vt nexus Patris, & Filij: ergo diſtinctas perſonas præſupponit, quas nectat, & hoc eſt argumentum Riccardi de Sancto Victore, Sanctorum Bon. & Thom. Antecedens primò eſt S. Aug. loco indicato. Secundò, Riccardi de S. Vict. vt antea. Deinde probatur: nam procedit, ex mutuo amore, & conſtat ex ijs locis Diuinæ Scripturæ, quibus Patrem amare Filium, et è contra aſſeritur. Matt. 17. Io: 3. etc. et vis infertur intolerabilis illis verbis, ſi non exponantur nedum de amore eſſentiali, ſed etiam perſonali: Pater enim vt pater diligit Filium, vt perſonam diſtinctam, et vice verſa: in hoc enim apertiſsimo ſenſu loquitur Chriſtus dum dicit, *Pater diligit Filium.* Et confirmatur auctoritate D. Hieron. in pſ. 17: *Spiritus Sanctus eſt amor, quem Pater habet in Filium, & Filius in Patrem*, et confirmatur ratione vrgenti ipſius Riccardi, et Sancti Bonau. Debet Spiritus Sanctus perfectiori amore procedere qui intelligi poſsit: ergo ex mutuo: nam hic eſt iucundiſsimus, et ſuauiſsimus, et ſumma Charitas, quæ eſt ad alterum.

Quod ſi opponas. Sequeretur amorem, quo ſe Pater diligit, non eſſe perfectum, ſicut quo diligit Filium &c. Reſpondetur ſuppoſita Sactiſsima Trinitate per noſtram amoris conceptionem, & amoris perfectionis, non æquè amorem dicimus ferri in adæquatum obiectum Diuinæ delectionis, cum tantum eſſentialiter diligit, quàm cum tum eſſentialia, tum relatiua ſimul, ac conſequenter concipi perfectiorem amorem, dum Pater Filium, quàm ſe, cum ſe ſolum, ac ſuam eſſentiam diligit: eo præſertim, quo vt ſuo loco docuimus, & relatiua Diuina ſunt diligibilia, ſuamque habent perfectionem: infinitè enim diligibile adęquatum obiectum eſt Deus, & vnus, & trinus: ita vt ſi vt vnus excluſa Trinitate proponeretur, diminutè proponeretur: ita vt amor hic, & nexus, & mutuus, dicat duas perſonas actiuè amorem ſpirantes, ad inuicemque ſe amantes; idque exigit ratio perfectiſsimi amoris, neceſſariò ſupponenda in hoc perſonali amore procedente. Hinc conſtantiſsima apparet conſequentia, ab ipſis ſcilicet tamquam pluribus Spiritum Sanctum, qui eſt ipſemet amor, procedere.

Secundò, arguitur ad idem, & efficacius confirmatur. De ratione formali huius tertiæ perſonæ Spiritus Sancti eſt vt ſua formali, ac perſonali proprietate, & conſtituatur in eſſe, & diſtinguatur à cæteris duabus perſonis: hoc enim vtrumq; præſtat principium quo res eſt, vt ſcilicet & ſit in ſe vna, & ab alijs diſtincta: ſed ita conſtituta eſt, vt formaliter dicat relationem ad Patrem, & ad Filium vt duas perſonas, & origine, & ordine, vt vna ſit prima, alia ſecunda, hæc verò tertia: ergo &c. Antecedens iam conſtat. Conſequentia probatur, vel minor: nam relatio de ſui ratione reſpicit terminum adæquatum: ſed terminus adæquatus hic eſt Pater, & Filius, vt duo ſpirantes, eadem tamen virtute: ergo Spiritus Sanctus reſpicit Patrem & Filium, vt duo ſpirantes, vna tamen virtute: ſed ita diſtinguitur à Patre, & Filio, vt ab vtroque procedit, & eis opponitur origine, aliàs ab eis non diſtingueretur: ergo ſi eſt tertia perſona in ordine ad duas diſtinctas; duas illas diſtinctas & oppoſitas prærequirit, & ſupponit.

Confirmatur argumento Caiet. Si Spiritus Sanctus neceſſariò procedit à Patre, & Filio: ergo vt tales ſunt: ergo vt plures: nam intellectu aſſequi non eſt poſsibile, intelligere Patrem, & Filium, niſi vt plures. Si obijciatur. Hæc argumenta probant, & currunt de facto, non tamen hanc eſſe rationẽ intrinſecam demonſtrant. Reſpondetur, probare etiam eſſe rationem intrinſecam huius Diuinæ perſonæ, præſertim ſi hæc addatur ratio. Quidquid Spiritui Sancto competit eſt de eius intrinſeca ratione: ſed ei competit procedere à duobus: ergo eſt de eius intrinſeca ratione. Minor eſt de fide. Maior probatur: nam Spiritus Sanctus eſt Deus, & tertia perſona Diuina: ergo ens intrinſecè neceſſariſsimum, ac formaliſsimè, cui nihil accidere poſsit.

Si opponeret quis primò, maiorem eſſe veram de eo quod competit Spiritui Sancto in ſe, non autem in ordine ad alia ſuppoſita: ſecundò, concederet quis neceſsitatem, non autem vt aiunt perſeitatem. Ad primum reſpondeo, hanc eſſe Spiritus Sancti exiſtentiam in ſe, & formalem, vt ad ſuppoſita alia referatur: eſt enim relatio, & tertia perſona relatione originis ab alijs diſtincta. Ad ſecundum adhuc reſpondemus, ad hanc perſonam per ſe, & ratione entitatis Diuinæ, & ratione proprietatis conſtituentis perſonam, ſpectare vt oriatur ſic à duobus. Si quis verò alium Spiritum Sanctum fingit, de illa Chimera non diſputamus. Si denique quis inſtet. Principium *quo*, & *quod* in Diuinis ſunt prorſus idem: ergo ſi *quo*, eſt vnum; ergo & quod; concedo libentiſsimè antecedens: ergo non plures perſonæ vt plures ſunt: nego conſequentiam formaliter: nam ex ijs quaſi materialiter ſumptis, conſtituitur vnum formaliſsimè, vt ſtatim in ſecundo aſſerto aſſerendum. Deinde

co-

Digitized by Google

committitur aperta fallacia: fit enim illatio ab vno communi ad plura diſtincta formaliter relatiua.

Tandem ex D. Bonau. ad 3. quæſt. 2. diſt. 11. ſpirare eſt actus perſonalis, & præexigit duas diſtinctas perſonas; ergo ab ipſis vt diſtinctæ ſunt, & plures. Et licet reſpondeatur, non inde colligi duo eſſe principia, quia ad numeranda principia, multiplicata virtus requiritur, quod veriſsimum eſt, & non conceditur; duas tamen perſonas ſuos actus elicere ad productionem Spiritus Sancti; inde optimè colligitur, & ex eo loco optimè refutantur oppoſita argumenta.

Secundum aſſertum. Principium *quod* Spiritus Sancti, eſt vnum quid ſimpliciſsimum ex eſſentia Diuina, Patre, & Filio, & vnica notione, & fœcunditate ſpiratiua, concepta ante actum ſpirandi, conſtitutum; ſubſiſtens. Hoc totum eſt D. Bonau. quæſt. 1. & præſertim 2. illis verbis. *Pater & Filius ſunt vnum principium Spiritus Sancti*, vt vnum dicat vnitatem notionis, & vis ſpiratiuæ, & naturæ, & ſpirantium. In ſpirantibus inſinuatur Pater, & Filius; vis ſpirationis eſt potentia ad ſpirandum vt concepta ante actum. Vnum vnitate notionis principium, vt ſupponit ſimul pro Patre, & Filio indefinitè &c. Idem S.Thom. multis locis.

Dixi vnum conſtitutum per hanc vim ſpiratiuam principium: ſicuti enim Spiritus S. ex eſſentia, et ſpiratione paſsiua conſtituitur; ita Pater, & Filius conſtituuntur principium per ſpirationem actiuam: licet enim iam Pater Paternitate ſit perſona, & Filius filiatione, neuter tamen his proprietatibus eſt ſpirator, ſed vi, & fœcunditate ſpiratiua: quare hoc conſtitutum non eſt alia, nec conſequenter quarta perſona, quia iam ſunt perſonæ; et quia non niſi ratione à Patre, & Filio formaliter ſumptis diſtinguitur, vt accuratè diſt. 29. quæſt. 4. & diſt. 11. quæſt. 2. & 3. multis verbis S.Doctor. Nec dubium reddere nobis, & obſcurum poteſt quod diximus de principio, *quod*, indefinitè ſupponere pro Patre, & Filio, cum vtramque perſonam comprehendat: indefinitè enim dicitur quo ad alterutram ipſarum, definitè tamen ac ſingulariter, & præcisè pro vtraque vt duæ ſunt.

Nec nobis erroris, aut falſitatis, aut nouitatis opinionis, timorem, ac ſcrupulum incutere debent inſtantiæ Baones, & quorundam aliorum, quarum prima quaſi hæc opinio ſit contra Conc. Lateranenſe cap. Damnamus. de fide Cath. &c. videtur enim in Deo conſtituere quaternitatem. Secunda, & hac opinione Spiritus Sanctus immediatè à Patre, & Filio, non procedit, ſed ab hoc conſtituto ex Patre, et Filio: cõtra tamen Diuinam Scripturã, Symbolum Nicænum, & D. Athanaſij à Patre, Filioque Spiritum Sanctum procedere teſtantia. Tertia, quia à nulla perſona immediatè procedit.

Reſpondetur enim, & negatur conſtitui quaternitatem, ſed aſſeri in Patre, & Filio vnam virtutem ſpirandi, ſine qua ſpiratores eſſe non poſſunt, & quæ non numerat ſuppoſitum diſtinctum, quod ſit aliud, vel alia perſona realis &c. Concilium verò non prohibere omnem quaternitatem in Deo, imò admittere, & addere quaternitatem relationum &c. Ad ſecundum dicimus immediatiſsimè à Patre, & Filio procedere Spiritum Sanctum, vt tamen vnum ſunt principium per vnicam notionem ſpirandi, quod nedum non eſt contra Scripturam, ſed valde conforme. Ad tertiam eadem reſponſione: falſa enim conſequentia; nam à Patre, & Filio procedit, non ratione tamen Paternitatis &c. aliàs Spiritus Sanctus eſſet genitus, ſicuti Filius.

Quod ſi arguas. Vis ſpiratiua præſupponit Patrem, & Filium conſtitutas perſonas ſuis relationibus: ergo non conſtituit. Reſp. non conſtituit Patrem, aut Filium, ſed ſpiratores: ſicuti enim non poteſt ſuppoſitum agere, niſi conſtitutum; ita nec Pater, & Filius ſpirant, niſi conſtituantur per vim ſpirandi in eſſe ſubſiſtentis ſpiratoris: principium enim *quod*, neceſſariò dicit relationem ſubſiſtentem: Pater autem, & Filius non ſunt ſubſiſtens ad ſpirandum, niſi per relationem ſpirandi. Hæc in D. Bon. dicenda erant, eo quod docuit concipi prius ratione potentiam ſpirandi ad actum ſpirationis, ſicuti potentia generandi; & duos eſſe ad actum ſpirationis, & duos eſſe ſpiratores per actus perſonales.

Ad argumenta Scoti initio capitis poſita, & obiecta. Ad primum. Si ſolus Pater ſpiraret, æquè perfectè ſpiraret quia eſſet abſolutè perfectus, ſicut & nunc eſt. Reſpondent S. Bonau. quæſt. 1. diſt. 11. ad 4. & S. Thom. art. 2. ad 6. Non poſſe Patrem ſine Filio nec ſpirare, nec creare, non arguere imperfectionem in Patre, ſed dicere, ſicuti non poteſt eſſe Pater ſine Filio, quia hæc eſt Dei noſtri natura, vt ſit vna eſſentia in tribus perſonis; & hęc ratio Paternitatis, vt terminetur ad Filium; ita non poteſt, nec creare, nec ſpirare ſine Filio, quia in vtraque perſona eadem numero eſt natura, & virtus, & potentia ad creandum, & ſpirandum. Quod ſi per impoſſibile eſſet vna ſola perſona Patris? Reſpondeo duo: alterum, tunc non eſſet hic Deus, quem adoramus, & docet fides. alterum non poſſet tunc hunc ſpirare Spiritum Sanctum, quia eſt amor nectens, & mutuus, & vt ſic non poteſt ab vna ſola perſona ſpirari, atque ita eſſet contradictio poſſe ſpirare, quod non poſſet, quia repugnaret vnam perſonam mutuum amorem producere.

Ad ſecundum reſpond. & concedimus, ſpirandi vim non acquirere perfectionem ex ſocietate Filij cum Patre, neque acquirere poſſe, ſed id poſtulare, & euenire ex identitate virtutis, quæ intrinſecè eſt in vtroque, & ex conditione amoris procedentis vt nexus, & mutuus.

Ad Durandum. Si aliquid dicit, iam aliàs ſatis reſponſum eſt, dum eius error contra omnes Theologos deteſtatus, & profligatus eſt. Ad Gabrielem nihil noui addendum; aut enim cum Scoto, aut cum Durando ſentit; ad vtrumque autem cum ſatisfactum ſit, eidem pariter ſatiſfactum erit.

CA-

CAPVT III.

An Pater, & Filius, Spiritus Sancti debeant, ac poſsint duo ſpiratores nuncupari.

SOluimus in Commentario dubitationem hanc, & Sancti Bonauenturæ ſententiam complexi ſumus, paucis tamen adhuc eandem confirmemus, conciliatione præſertim, & eorum qui videbantur aduerſari auctoritate D. Thom. in ſumma art. 4. ad 7. Non videtur, inquit, dicendum duos eſſe ſpiratores, Patrem, & Filium, quia ſpirans adiectiuum eſt; ſpirator verò ſubſtantiuum: poſſumus dicere quod Pater, & Filius ſunt duo ſpirantes, propter pluralitatem ſuppoſitorum, non autem duo ſpiratores, propter vnam ſpirationem: nam adiectiua nomina habent numerum ſecundum ſuppoſita, ſubſtantiua verò à ſeipſis ſecundum formam ſignificatam. Quem eadem ſola ratione cum ſuis ſecutus eſt Scotus. D. verò Bonauentura, Alexander, Aegidius, Riccardus, & Durandus duos eſſe dicendos ſpiratores, quia ſpirator eſt nomen verbale, & actum ſuppoſiti ſpirantis ſignificat, ac per ſe primò ſuppoſitū indicat: ſunt autem duo ſuppoſita: ergo duo ſpiratores.

Confirmemus conciliationem, quam docuit ipſe S. Thom. Opuſc. 72. cap. 28. vt conciliaret quæ à ſe contraria dicta videbantur in ſcripto, & in Summa, & his verbis litem dirimit, diſsidiumque omne è medio tollit. Dictum eſt, Patrem & Filium eſſe ſpiratores, non ſpiratorem. In prima verò parte conceſſum eſt eos eſſe vnum ſpiratorem: verumque namque verum eſt. Spirator enim nomen verbale eſt, & nomen ſubſtantiuum. Nomen autem ſubſtantiuum ſequitur formam, à qua imponitur, in vnitate, & pluralitate: in Diuinis autem vna eſt forma, ſiue ſit eſſentia, ſiue notio illa communis Patri, & Filio; vnde Pater, & Filius debent dici vnus ſpirator propter naturam nominis ſubſtantiui: & quia idem nomen eſt verbale, trahitur magis ad ſignificandum per modum actus; actus autem diſtinguuntur penes ſuppoſita, quorum ſunt: in Diuinis autem ſunt duo ſuppoſita, quæ ſpirant; vnde Pater, & Filius ſunt duo ſpiratores.

Mira conciliatio: nam vox ſpirator non ita ſubſtantiuum eſt nomen, quin & verbale; verbale verò quodammodo & participium, & adiectiuum nuncupari poteſt. Geminum hunc ſenſum duobus locis S. Thom. docuit, & ſingulis locis vnum tantum: quibus ideo viſus eſt contraria docuiſſe, ſed magis plura, atque conuenientia, ex vbertate ingenij.

S. verò Bonauentura alteram ex his duabus ſignificationibus amplexatus, & ſecutus eſt, eam ſcilicet, qua eſt verbale, & partem capit participij, & adiectiui, licet prolatione ſubſtantiui. Qui mordicus in alteram tantum partem huius ſententiæ tranſeunt, oppoſitamque conatu vehementi impugnant, ſe hunc S. Thom. locum non animaduertiſſe oſtendunt. His addendum tamen exiſtimo, non ita adhærendum vocibus, ac eorum grammaticæ ſignificationi, quin obſeruetur, & vſus, & modus loquendi diuerſorum temporum, à quo certè vſu variam admodum ſæpe, ac diuerſam ſignificādi vim, quàm alijs temporibus habuerinte, eædem voces acquiſierūt. His autem tēporibus non videtur admodum frequens hic vſus dicendi duos ſpiratores: eſt ergo rectus, et tutus dicendi hic modus, ſed fortaſſe noſtris temporibus non ita vſitatus ſicut oppoſitus.

CAPVT IV.

De modo dicendi, & quàm legitimè dicatur, & decernatur, Pater, & Filius ſunt vnum principium Spiritus Sancti.

EXplicata re per hæc verba ſignificata, locus proprius ſubſequitur, vt hoc capite, quàm proprijs verbis tum Concilia, tum vniuerſa Theologorum ferè ſchola rem hanc protulerint, obſeruemus: non licet enim nedum à rei veritate decreta diſſentire, ſed neque à verborum idiomate, ac præciſo dicendi modo, quo vſa ſunt Concilia, ſine temeritatis nota recedere.

Sane verò plurimi facienda in primis in hoc almo Trinitatis Myſterio etiam verborum ponderatio, vt in eo explicando, neque noua, inuſitata, et impropria adinuenire, et vſurpare ſine crimine, non leui, non diſsimulando, liceat; neque in eo ſine aut Diuina Scriptura aliquo modo, ſi non expreſsis verbis, ſententia tamen contentis, aut Sacris Concilijs, aut ſaltem ſine Sanctorum Patrum, ac Theologorum certa conſenſione loquendum: cum teſte D. Hieronymo in quocumque fidei dogmate *Verbum inordinatè prolatum poſſet hereſim parere*. Quare hoc loco, Theologi tum vetuſtiores, tum recentiores, quanta ſolertia, ſubtilitate, quantaque ſedulitate, quanto denique conatu diſquirant, excutiant, librent verba, quibus hæc explicanda eſt veritas: *Spiritus Sancti vnū principium eſt Pater, & Filius*, obſeruandū.

Porro hæc propoſitio, hæcque verba, quibus contexta eſt, quàm propria, ac ad veritatem explicandam idonea, omnes Theologi contendunt, quæ à pluribus Concilijs edita, et prolata ſunt: *Spiritus Sanctus à Patre, & Filio, tanquam ab vno principio procedit*, ac præſertim à Lugdunenſi cap. Fideli. de Summa Trinitate, et fide Catholica in 6. ſub Greg. 10. *Fideli, ac deuota confeſsione fatemur, quod Spiritus Sanctus æternaliter ex Patre, & Filio, non tanquam ex duobus principijs, ſed tanquam ex vno principio, non duabus ſpirationibus, ſed vnica ſpiratione procedit*.

Mox à Florentino. ſeſſ. vlt. in litteris vnionis. *Spiritus Sanctus ex Patre, & Filio æternaliter eſt, & eſſentiam ſuam, ſuumque eſſe ſubſiſtens habet ex Patre ſimul & Filio, ab vtroque æternaliter,*

liter, tanquam ex vno principio, & vna ſpiratione procedit, & hoc modo credidiſſe, docuiſſeque perpetuis antea temporibus Sacroſanctam Matrem Eccleſiã Romanam omnium magiſtram, de Spiritu Sancto, grauiſsimis verbis teſtatur. Quibus Concilijs

Primò animaduertendum, præſertim Lugdunenſi, dictum anathema eſſe ijs in primis, qui negauerint Patrem, & Filium eſſe Spiritus Sancti vnum principium quo. Addit enim, *non duabus ſpirationibus, ſed vnica ſpiratione procedit*; eſt namque vnica vis ſpirandi id, quo formaliter Pater, & Filius ſunt vnum principium. An vero de principio *quod* eodem rigore decreuerint Conc. non eſt tanta luce clarum; videtur tamen affirmãdum: nam vtrumq; Conc. tum ex diſtinctis quibus vſa ſunt verbis, tũ ex fine, quo hoc decernere ducta ſunt, ſatis apertè indicãt: nã primò abſolutè aſſerũt ex vno principio, deinde vna ſpiratione: quibus primis verbis tollere omnem, omniſque generis pluralitatem principiorum viſa ſunt: ſecundis verò verbis de principio *quo* decreuere: finis autem & ſcopus, ac vrgens neceſsitas fuit Græcos in Latinorum ſententiam ducere, ac tollere, ac demoliri excuſationem, qua in ſua ſeſe ſententia excuſabant, & obijcere calumniæ, qua Latinos calumniabantur: refugiebant enim, & cum Latinis dicere deteſtabantur, Spiritum Sanctum à Patre, & Filio procedere, ne duo Spiritus Sancti principia admitterent, vt planè hoc dicendi modo Latini admittebant, & fatebantur. Concilia ergo, ac præſertim Florentinum, vt hoc Græcis ſcandalum de Latinis tollerent, ſtatuerunt, à Patre, & Filio, tamqnam ab vno principio Spiritum Sanctum procedere: qua luce illuminati, quaque edocti veritate, tandem cum Latinis, Romanaque Eccleſia eandem veritatem amplexati ſunt, ſub ijſdemque verbis profeſsi.

Sicut ergo abhorrebant abſolutè principiorum pluralitatem, principiorum pluralitatem omnem abſolute videntur exploſiſſe; & confirmatur: nam Lugdunenſe Conc. addit his verbis anathema. *Damnamus, & reprobamus omnes, qui negare præſumpſerint, æternaliter à Patre, & Filio procedere Spiritum Sanctum, ſiue etiam auſu temerario, quod ex Patre, & Filio, tamquam ex duobus principijs, & non tanquam ex vno principio aſſerere*. Vbi ea ratione non videtur repetiſſe illa verba, *ex vno principio, & vnica ſpiratione*, vt de omni principio vniuerſalius eſſet damnans decretum, & occluderet viam omnem gloſſandi poſterius verbum, *vnica ſpiratione*, additum ad coarctandum, & limitandum præcedens: vno principio, ſcilicet vnica ſpiratione.

Exiſtimo hanc Conc. fuiſſe mentem, decernere in Diuinis eſſe vnicum quid, quod eſt Pater & Filius, principium Spiritus Sancti. *Et vnicam vim, & notionem*, qua ſunt principium: neque tamen hac definitione vetitum eſſe, quin tutè ſentire poſſimus cum magnis Theologis, à pluribus ſubſiſtentibus procedere, etiam vt plura ſunt: nam adhuc ſine ſcrupulo inter Theologos controuertitur.

An verò hoc ſenſu, quatenus ſcilicet ſunt plura ſuppoſita ſpirantia, poſsint quoque dici plura principia *qua*; negarem de rigore vetitum, ſed à modo hoc loquendi in Sanctorum Concil. reuerentiam, tanquam minus eorum definitionibus conſentaneo, abſtinendum.

Secundò idcirco animaduertendum, ac omni conatu tuendum, proprijs ac apertis verbis Conc. hanc definiſſe ſententiam, & veritatem plurimi intereſſe toti vniuerſæque Reipub. nam ſiquid aliquibus non ſine nimio auſu quod contendunt permittatur, verum quidem decreuiſſe Conc. Spiritum Sanctum à Patre, & Filio procedere, tanquam ab vno principio; non definiſſe tamen, *non eſſe Patrem, & Filium duo principia*: & ſi concedendum impropriè locuta eſſe Concilia in illis verbis; hoc vnum voluiſſe docere, eodem modo à Patre, & Filio Spiritum Sanctum egredi, & ſpirari; et in rigore poſſe propter plura ſuppoſita ſimpliciter concedi hanc propoſitionem: *Pater, & Filius ſunt duo principia &c.* quid? hoc nihil aliud videtur ſonare, quàm Conciliorum propoſitionem eſſe in rigore ſermonis falſam: atque ita Eccleſia Romana, quæ eſt columna, et fundamentum veritatis, et Magiſtra explicandæ fidei, errauerit in explicanda fide de Spiritu Sancto, quæ ne erraret (vt ſic dicam) & magis tutam ſententiam ferret; & maximam ſedaret inter Græcos, & Latinos litem, & omnes in vnam concordemque ſententiam deduceret; innumeros Patres, ac Epiſcopos ex remotiſsimis euocauit partibus, & in Concilijs generalibus Spiritu Sancto congregatis, præſidentibus ſummis pro tempore Pontificibus, vel ipſorum Legatis; ibi ſententiam tulit. Si verò errabunt Concilia, illegitimaque in definienda fide vſurpabunt verba, quis corriget? quodnam erit decretum tutum, & proprijs verbis ſancitum; non cauillis hæreticorum expoſitum? hoc modo potius Eccleſia fidelibus errandi anſam præbebit, quàm ab erroribus cauendi remedium.

Miror in terrarum orbe inueniri viros ſibi adeo fidentes, qui caſtigatioribus verbis loqui, quàm ſacerrima Conc. ne dicam Spiritum Sanctum in illis loquentem, præſumant: eapropter quid de additionibus à Durando, & Greg. Ariminenſi, eorumque libertate dicendi in hoc Myſterio ſentiendum, quamque notam meruerint, non difficilis eſt negotij diſcernere, ac dijudicare.

Altiſiodorenſis enim lib. 1. ſummæ cap. 30. docuit, Patrem, & Filium eo modo eſſe, & nuncupari vnum principium, quo Spiritus Sanctus ab eis procedens eſt vnus, & quaſi ratione effectus: quemadmodum ratione oppoſita, ipſe Spiritus Sanctus dicitur, propter multos quos in Eccleſia producit effectus, multiplex.

Greg. verò in 1. diſt. 12. quæſt. vnica. eadem libertate, non propriè Patrem, & Filium dici principium, ſed impropriè; ea nimirum dumtaxat ratione, quia non diuerſa, & alia ſpiratione, ſed eadem Spiritum Sanctum ſpirant.

Durandus vero in 1. diſt. 11. quæſt. 3. aſſerit, hic tantum de nomine principij huius eſſe diſputationem, & nihil contineri abſurditatis, quod vno aut altero modo dicatur, ſiue ſcilicet Spiritus

San-

Sanctus ab vno, aut pluribus principijs procedat, aſſeratur: diſt. vero 29. quæſt. 2. magis propriè duo, quàm vnum principium dicendum: ſi enim, inquit, pro principio *quo*, & potentia ſpirandi, magis propriè, & rectiori ſermone dicetur: in Patre, & Filio eſt vna virtus ſpirandi, quàm Pater, & Filius ſunt vnum principium: ſi vero pro principio *quod*, agente, & ſpirante, ſi ſunt duo ſuppoſita ſpirantia, & vere Spiritum S. ſpirant, qua ratione poſſunt vnum principium nominari? eo præſertim, quo frequentius nomen principij pro ſuppoſito, quàm pro potentia, & agendi virtute ſolet vſurpari? audacius denique addit, & ad ſuum ſenſum gloſſat, & interpretatur Concilia, Lugdunenſe, & Florentinum, vt de induſtria addiderint Spiritum Sanctum à Patre, & Filio, vocem hanc (tanquam) ab vno principio, vt inde tute colligere liceret, non tam verè ſtatutum, Patrem, & Filium eſſe principium, quàm ad modum principij aliquo modo ſe habere in producendo Spiritum Sanctum.

Grauiſsimi Patres, ac doctiſsimi Theologi, præſertim recentiores, horum ſententiam, ac modum dicendi, falſitatis nedum, ſed temeritatis omnibus votis notam mereri, ac ſubire abſolutè aſſerunt, cum apertiſsimè, & contra modum dicendi Conciliorum, & grauiorum, & antiquorum Patrum, ac Theologorum; & communem Scholæ, & fidelium ſenſum locuti ſint.

Scio quoſdam hanc ſententiam lenire conari, hac ferè poſita diſtinctione, & eſt Greg. de Valentia eodem ſuprà indicato loco. Si primo loco Durandus aſſerit, eſſe diſputationem de nomine, non admodum errat, imò verum dicit: de modo enim etiam loquendi erat, & quidem grauis tractatus: ſed ſi ita aſſerendo, vellet omnem de re quæſtionem excludere, ita vt neque in illis Concilijs de re actum eſſet, neque à parte rei eſſet aliquid in Deo, quod verè ſit vnum principium Spiritus Sancti, vehementer temerariè locutus eſſet. Sed meo iudicio hic alioquin grauiſsimus, & valde pius Theologus, non ſatis ſufficienter lenit, ac tuetur Durandum, neque ſi tantum de modo dicendi ageret: nam ſi his verbis ad vnum principium decernendum vſa ſunt Concilia, hiſque vtuntur reliqui Patres; qua ratione potuit Durandus ſua ſententia nihil abſurditatis continere, quoquomodo dicatur, ab vno, vel à pluribus principijs, & ſine temeritatis nota auſiſſe in hæc verba exire?

Si vero de re, & de principio *quod*, addit Greg. ſi, inquam, Durandus illo ſuo dicendi modo nihil aliud quàm hoc indicare vellet, Patrem, & Filium eſſe quidem vnum principium Spiritus Sancti, ſed tamen etiam vt diſtincta ſuppoſita eſſe plura; nihil temerarium diceret: verum ſi præter hoc, adhuc vellet negare, in his duabus diſtinctis perſonis eſſe quid vnum, ratione cuius verè ſunt vnum principium quod; nullo modo eſſet audiendus. Verum ego addo, ſi eo quia vt etiam diſtincta ſuppoſita ſunt, ad ſpirandum tamen Spiritum Sanctum requiritur vnica ſpiratio, inde tute poſſe duo dici principia, vlla abſque addita ſaltem limitatione; Durandum nimis audenter contra Concilia loqui, quæ vnicum Spiritus Sancti, Patrem, & Filium ſtatuere, & dixere principium. Placet quidem in Doctore a pietas, & excuſatio; magis tamen placet, & meo licet tenui iudicio omnibus placere debet, in ſacra Conc. modeſtia, & reuerentia.

Durandi verò vocis *tamquam* in Concilijs poſitæ interpretatio, eadem lance libranda, qua & opinio: non enim ad eneruandum decretum de vnico Spiritus Sancti principio addiderunt Concilia vocem *tamquam*, ſed ad explicandum, & ſtabiliendum, vt idem fuerit, ac ſi dixiſſent: *tamquam*, hoc eſt verè principio Spiritui Sancto competenti, vt ſæpenumero ſimiles voces in eadem ſententia ſacra vſurpat Scriptura. Et quod hoc loco potiſſimum eſt, apertiſsimè colligitur ex ante immediatè poſitis verbis Florentini Conc. in litteria vnionis, ſupra hac eadem diſputatione paucis ab hinc relatis, quibus omnino perſpicuum fit, eodem ſenſu additam eſſe particulam, *tamquam*, quo aſſertum eſt vnum eſſe principium: alias enim in inconſtantiæ labem viſum fuiſſet incidiſſe Concilium, & ſtatim detrectaſſe illa particula quod iam tractauit, ac firmo decreto ſtatuit.

Breuibus modo hic locus perueſtigandi, & excutiendi, quàm propriè ſint huius propoſitionis voces, vt inde etiam magis conſtet, quàm indecens, & temerarium ſit eas tamquam improprias notare, & deſerere.

Sunt autem duæ voces, quæ indagine indigent. *Principium*, & *vnum*, quæ vt etiam in Commentario indicatum eſt, primò differunt, vt prima, ſcilicet *principium*, ſit ſubſtantiua vox, *vnum* verò adiectiua, vtraque autem concreta, non abſtracta: & hoc primum docet S. Bon. quæſt. 2. dum ſpirationem eſſe abſtractum, *principium* verò ſpirationis concretum: *vnum* autem adiectiuum pendens, & terminans ad vnum principium: vt non plura principia ſint, nec plures ſpirationes, ſed vnum, vnaque ſpiratio: & quæſt. præcedenti redarguit eos, qui adiectiuum nomen eſſe *principium*, & adijci, ac terminare Patrem, & Filium ad Spiritum Sanctum producendum; *vnum* verò, quia eſt adiectiuum, non adiectiuè, ſed vt ipſe refert, aduerbialiter, & aduerbij loco & ſenſu ſumi, & idem eſſe, ac ſi diceretur, vnum, ideſt vno eodemque modo Pater, & Filius ſunt principium, & ſpirant.

Secundò, hanc ſtatuit inter principium, & ſuppoſitum differentiam, vt ſuppoſitum dicat perſonam, in qua eſt vis ſpirandi, & quaſi ſubiectum: principium verò, vt à quo exit ad Spiritum Sanctum producendum iſthæc ſpirandi vis: vnde fit, plura quidem numerari ſuppoſita, vnum tamen principium, quia vnica forma, & vis, qua principium ſunt duo ſuppoſita, duæque perſonæ: neque enim per hanc vim conſtituuntur in eſſe ſuppoſiti, ſed ſupponuntur: ſunt enim Pater paternitate, & Filius filiatione conſtitutæ perſonę.

Tertiò. Principium interpretatur ſupponere hic adæquatè, primò pro eſſentia, vt tamen in duabus perſonis: ſecundò pro ipſis perſonis, Patre, & Filio ſimul, vt vtraque improceſsibilis eſt, & conſequenter fœcunda: tertiò pro ipſa notione ſpiratiua, qua poſtremo conſtituitur principium

Spi-

Spiritus Sancti: vt ordine quodam noſtræ intelligendi rationis, principium non dicatur de eſſentia tantum, neque de Patre, & Filio præciſè, ſed de vtroque vt vnum quid per vnicam ſpirandi fœcunditatem, ac ſic pro conſtituto ex eſſentia, perſonis, & notione, ſupponat, ac prædicetur.

Eadem ferè, licet non tanta vbertate S. Thom. art. 4. Principium per modum ſubſtantiui ſignificat proprietatem notionis, ſicuti in creatis hoc nomen Pater & Filius. Et quia eſt vna hæc proprietas veluti forma, dicitur *principium vnum*: vnum verò non vt aduerbium, ſed vt adiectiuum: neque enim alia quæque ſubſtantiua numerantur ac multiplicantur non multiplicata etiam forma: & addit exemplum de Deo, in quo plura ſuppoſita non ſunt plures Dij, quia in omnibus vna eſt forma, eademque Deitas: & in reſponſione ad 4. & ad 5. dicit, principium ſupponere pro Patre, & Filio confuſè, ſcilicet pro vtroque ex æquo, non diſtinctè pro vno, alio excluſo, ſed indiſtinctè pro vtroque: vtraq; enim perſona ad ſpirandum Spiritum Sanctum neceſſariò requiritur. Alij alio modo, ſed recidit ferè in idem, & nobis hi duo ſufficiant Magiſtri: eo præſertim, quo inter quoſdam recentiores eſt potius de re Logica, quàm Theologica altercatio.

Placet tamen huc referre quę egregiè docet Scotus in 1. diſt. 12. quęſt. 1. quæ plurimum conferunt ad hanc quidem propoſitionem enucleandam, quam verſamus, & in genere ad plurimas alias conſimiles plenè cognoſcendas, circa ſcilicet differentias nominum adiectiuorum, & ſubſtantiuorum, dum concretè ſumantur. Obſeruandum enim, cum nomina adiectiua plurium numero proferuntur; in hoc differunt à ſubſtantiuis eodem numero prolatis, quod adiectiua pluralia vt vera ſint, ijs materialis & ſuppoſitorum numerus ſufficit, nec ſignificati formalis neceſſariò requiritur pluralitas: ſubſtantiua verò vt hoc modo à ſenſu plurali verificentur, & ſuppoſitorum, & formæ, ſcilicet formalis ſignificati numerus eſt neceſſarius.

Reddit rationem Scotus his verbis. Duo adiectiua ita affecta, vt neutrum determinet alterum, ſed vtraque ſubiectum, vt patet quando dicimus, Socrates eſt muſicus albus: ſenſus namque eſt, Socratem eſſe & muſicum, & album: quia ergo adiectiua eius ſunt naturæ, vt non ſe determinent, ſed ſubiectum, & ſubſtantiuum; efficitur vt quando concreto adiectiuo additur à parte prædicati nomen numerale adiectiuum, neutrum determinet alterum; ſed ambo determinent ſubſtantiuum, aut ſubſtantiua, quę ſunt à parte ſubiecti. Atque hinc eſt, vt ſenſus huius propoſitionis, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus ſunt tres æterni, æterni nomine adiectiuè ſumpto, ſit hic, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus ſunt tres, atque eorum quilibet eſt æternus. Ad quod impertinens eſt, vt eadem numero æternitate, aut alia, atque alia ſint æterna: quare autem ſit impertinens, eſt quia per nomen numerale additum adiectiuis non multiplicatur niſi materiale, & ſuppoſita; nequaquam vero ratio formalis, niſi per nomina eadem numeralia addita ſubſtantiuis; æternum vero eſſe, cum ſit ratio formalis eadem in tribus, eademque æternitate ſint æterni, non multiplicatur.

Hinc ſi quis diceret, Pater, & Filius, & Spiritus S. ſunt tres Dij, cum Deus ſubſtantiuè accipiatur, & numerus *tres* Deo coniũgatur, multiplicantur formæ, & Deitas, & dicuntur tres Dij; hæreticum eſſet. Si alio exemplo diceret quis tres albos, non formam albedinis, ſed ſubiecta, ideſt tres homines numeraret: ſi vero tres homines, & ſubiecta, & formam humanitatis numero explicaret, & diſtingueret.

Indicarunt tamen S. Bon. & S. Thom. hæc eadem dum per numerũ non multiplicari principium hoc loco, nec plura principia rectè dici poſſe tradiderunt, quia principium ſubſtantiuum eſt, & ſignificat formam, & virtutem ſpirandi: nam primò hanc regulã complectebantur, quia numerus ſubſtantiuis additus multiplicat formam, ſicut adiectiuis ſuppoſita, & ſubiecta.

Prima ſit ergo Concluſio. Pater & Filius, vt plures perſonæ ſunt, vnum ſunt principium Spiritus Sancti: eſt veriſsima, & maximè propria propoſitio. Prima pars conſtat cap. 2. Secunda vero pars & ex Concilijs, quæ hanc veritatem decreuerunt, & ſub ijs verbis, & ex communi ſchola, & poſtremo ex traditis regulis.

Secunda Concluſio. Pater, & Filius, licet plura ſint ſuppoſita, & vt plura ſpirent, non tamen plura principia *quæ*, ritè, nec verè, nec religioſè dicerentur. Prima pars de fide eſt. Secunda verò ſatis ex 2. cap. conſtat. Tertia autem: nam et abſolutè Concilia vnum principium dixerunt, et ſentiunt Theologi contra Durandum etc. et ratio certa: nam principium dicit notionem communem Patri et Filio, et fœcunditatem, quæ vna eademque eſt.

Tertia Concluſio. Pater vt ſolus eſt principium per intellectum Filij, et Filius vt eſt principium Spiritus Sancti, non ſunt duo realia principia dicenda. Eſt D. Anſelmi lib. de Spiritu Sancto c. 11. *Neque tamen duo confitemur principia, alterum Patrem ad Filium; alterum Patrem, & Filium ad Spiritum Sanctum, ſicuti non credimus alium Deum Patrem, de quo eſt Filius, & alium Deum Patrem, & Filium, de quo eſt Spiritus Sancti: quamuis de eodem Deo, ſiue de eodem principio, ſuo quiſque modo ſit, alter ſcilicet naſcendo, alter procedendo.* Eſt communis ferè Theologorum: nam licet ſit diuerſa ratio emanandi, vt dicit S. Anſelmus, ſunt tamen ad inuicem idem: nam inter eos non eſt oppoſitio originis relatiua. Si qua verò afferri poſſet ratio opponens, ſuis locis ſupra ſatis ſoluta eſt.

QVAESTIO XIII.

DE MODO PROCEDENDI SPIRITVS SANCTI.

EXPLICATA, & probata veritate de principio, & vnico principio Spiritus Sancti; optima, & neceſſaria ratione additur, & ſubnectitur hæc noua dubitatio, & quæſtio de ſingulari, & miro modo, quo duæ perſonæ ſunt vnum Spiritus Sancti principium. Cum enim Myſterium Sanctiſsimæ Trinitatis, in primis de tertia perſona ſit vndequaque difficillimum, rationibus ſupra relatis, & longe difficilius quàm in alijs duabus Sanctiſsimis perſonis; pedetentim ſingula ſeiunctim dubia proponenda, & excutienda. Cumque Pater, & Filius vnicum conſtituant principium, vnicaque ſit virtus ſpirandi, vt duæ tamen perſonæ ſpirent; ſuboriebantur plures dubitationes, ſi eadem ratione ab vtraque, eadem perfectione, aut diuerſa, eodem æternitatis inſtanti, haud tamen perſonarum æqualitate læſa, procedat Spiritus Sanctus. Quæritur ergo. Primò. An Spiritus Sanctus prius procedat à Patre, quàm à Filio. Secundò. An plenius. Tertiò. An à Patre mediante Filio. Quartò. An Spiritus Sanctus ſit ingenitus.

ARTICVLVS I.

An Spiritus Sanctus à Patre prius quàm à Filio procedat. D. Bon. diſt. 12. art. 1. q. 1. D. Th. ibid. art. 2.

PARAPHRASIS.

PRIMA Propoſitio. Spiritus Sanctus non prius aut duratione, vt ſit antiquior Pater; aut cauſalitate ſpirandi, vt ſit potentior; aut origine, vt ſint plures origines, & prius à Patre quàm à Filio. Probatur facillima, ac fere euidenti ratione. Nam æque Filius eſt æternus, ac Pater, & vna eademque natura, ac vis ſpirandi in vtroque, & æque ſimul ab vtroque, tanquam ab vno originali principio procedit. Probant argumenta affirmantia.

Secunda Propoſitio. Prius à Patre quàm à Filio auctoritate procedit. Sola declaratione indiget. Prius auctoritate, quia habet Pater à ſe quod ſpiret: eſt enim prima perſona; Filius verò recipit à Patre: nam in ſui generatione recipit eſſentiam communicabilem ſpiratione, & fœcunditatem ſpirandi, & quidquid habet Pater, Paternitate excepta. Deſeruiunt huic veritati argumenta oppoſita.

Tertia Propoſitio. Prius ſenſu explicato eſt idem quod principium.

COMMENTARIVM.

OBSERVANDVM ſolerter nedum quid hac quæſt. agat S. Doctor, ſed propter quid, qua ſcilicet occaſione inſtituerit hanc dubitationem: videtur enim prima fronte quo ad id quod docet, nota & trita omnibus hæc veritas, vt non ſit digna quæ in vllam dubitationem, aut difficultatem vocaretur: qua enim certitudine conſtat tres Diuinas perſonas eſse coæternas, eadem certitudine non eſse vnam altera priorem, notum eſt: & qua per tot Conc. iam ante, Spiritum Sanctum procedere à Patre, & Filio, tanquam ab vno principio, eademque numero virtute ſpirari decretum eſt; pariter non à Patre prius quàm à Filio proficiſci videtur decretum, & patentiſsimum eſt in Symbolo Diui Athanaſij. *Nihil prius, aut poſterius* in Sanctiſsima Trinitate profitetur Eccleſia in illo Symbolo: ergo neque Spiritus Sanctus prius à Patre, quàm à Filio: quare videtur inutilis, & otioſa quæſtio.

Verum vt commentario ſuo S. Doctor Magiſtrum quem interprebatatur illuſtraret, & in eo Arrianorum argumentum propoſitum ſolueret; hanc non potuit diſsimulare, & non proponere, & exagitare quæſtionem: erat enim argumentum. Si Spiritus Sanctus ab æterno proceſsit à Patre: proceſsit quidem, aut nato iam Filio, aut non nato: Si iam nato: ergo prius natus eſt Filius, quàm procedat Spiritus Sanctus. Si adhuc non nato: ergo prius Spiritus Sanctus proceſsit, quàm genitus Filius. Soluit quidem iam S. Aug. argumentum. *Non poſſunt*, inquit, *iſta quæri ibi, prorſus vbi nihil ex tempore inchoatur, vt ex conſequenti perficiatur in tempore. Ideo qui poteſt intelligere ſine tempore generationem Filij à Patre, intelligat ſine tempore proceſsionem Spiritus Sancti de vtroque.* cuius ſolutionis hæc eſt vis. In æternitate Diuinarum perſonarum non poteſt admitti prius, & poſterius temporis, de quo Hæretici vrgebant, vt inde negarent Filij, & Spiritus Sancti Diuinitatem. Inſulſum ergo facit S. Aug. hæreticorum argumentum, dum petit in æternitate quod æternitati repugnat, prius ſcilicet, vel poſterius temporis.

Verum non videtur Scolaſtica, ac ſolida S. Aug. ſolutio. Contradictionis altera pars neceſſario

vera:

vera: vtramque tamen partem falſam dixit S. Aug. nam hoc erat argumentum. Procedit Spiritus Sanctus, aut nato iam Filio, aut non nato, quæ eſt aperta contradictio; ergo altera vera. S. Bon. dub. 1. litt. tum D. Aug. tum Magiſtri ſuſtinet reſponſionem, & vtramque falſam contradictionis partem tuetur: nam in æternitate vtrumque falſum, & quod Spiritus Sanctus priuſquàm naſcatur Filius, & poſt quàm natus eſt procedat, cum ibi non ſit prius, & poſterius. Ratio autem Logica hæc eſt. Non eſt vera contradictio, vbi non verſatur, nec negatur quod principale eſt in propoſitione aſſerente; hic vero hæreticus totam vim contradictionis conſtituit in Filio, aut ante proceſsionem Spiritus Sancti iam nato, aut non nato: ſed hoc non eſt præcipuum, ſed quod Spiritus Sanctus procedat, aut ante natum, aut poſt natum; in hoc autem non eſt contradictio, & vtrumque eſt falſum; nam datur medium, quod natiuitas Filij, & ſpiratio Spiritus Sancti ſunt ſimul, idque ratione æternitatis &c. Soluto ergo argumento, de hoc pleniorem in quæſt. doctrinam tradit, ac inde omnes alias quæ poſſent fieri obiectiones proponit, ac dilucidè, accuratè, & luculenter ſoluit.

Ea verò quam prodit in quæſt. doctrina, ſicut veriſsima eſt, eadem ratione cæterorum Theologorum communi conſenſione recepta, Alberti Magni, Diui Thom. Alexandri, Riccardi, Scoti &c. nec in ijs tantum quæ ſunt fidei, concordes, vnanimeſque ſunt, ſcilicet nec prius, aut tempore, aut virtute, aut perfectione Spiritum Sanctum à Patre oriri, ſed neque origine. Ipſemet Scotus, quamuis inter Patrem & Filium hunc ordinē concedat, vt Pater à ſe, Filius verò non à ſe, ſed à Patre ſpiret, in ſpiratione tamen abſolutè negat hunc ordinem. Ratio communis eſt, & debet eſſe, quia vna in vtroque vis, vnumque principium ſpirandi, in quo vtique vno repugnat vllus ordo, cuius intrinſecè eſt eſſe inter plura: plura namque inter ſe dumtaxat ordinantur.

Quod ſi Gabriel 1. ſent. diſt. 12. quæſt. 3. art. 2. concl. 2. eo ſenſu, quo Pater à ſe, Filius autem à Patre Spiritum Sanctum ſpiret, velit poſſe dici prius origine Pater quàm Filius ſpirat. Vtique falſa non dicit; inuſitata tamen, & impropria: non enim hæc vera, ac completa originis ratio eſt, vt alius à ſe, alius non à ſe producat, ſed vt alius ab alio originem ducat.

Quod denique addit S. Bon. non ſolum prius à Patre Spiritus Sanctus procedit auctoritate, quàm à Filio, ſed etiam principaliter, tutè addit; nam idem ſecum & S. Thom. diſt 12. art. 2. ad 2. & in expoſitione litteræ, & poſt ipſum Riccardus quæſt. 1. & omnes dedicerunt à S. Aug. 15. de Trinit. cap. 17. ex S. Anſelmo de proceſsione Spiritus Sancti cap. 16. Quod ſi dicatur, quia Spiritus Sanctus principaliter eſt de Patre, non ita dicendum eſt, vt intelligatur vlla prædictarum varietarum ratione, ſed quoniam Filius, hoc quod eſt, & quod habet, de Patre eſt: & hoc ſenſu neceſſariò intelligendi ſunt Theologi, vt ſeipſos apertiſsimè interpretantur: in primis S. Bon. quæſt. ſequenti.

Ad argumenta nihil videtur remanere obſeruandum, niſi hoc vnum, quod obſeruata vnitate virtutis, ac principij in Patre, & Filio, ceſſat neceſſariò omnis inſtantia de quocumq; primo principio, primaque cauſa in Patre, ſecunda verò in Filio: non enim rectè poteſt eſſe, aut dici primum, aut ſecundum, vbi tantummodo vnum eſt.

ARTICVLVS II.

An plenius à Patre, quàm à Filio. D. Bonau. diſt. 12. quæſt. 2. D. Thom. quæſt. 36. art. 3. ad 2.

PARAPHRASIS.

PRIMA *Propoſitio. Spiritus Sanctus principaliter, ſemper ſe à Patre procedit. Probatur: nam & eſt à Patre ex ſe, tanquam prima perſona auctoritatem habente ſpirandi, non ab alio, & immediatè, non ſolum mediate Filio, nam ab vtroque procedit.*

Secunda Propoſitio. Spiritus Sanctus non plenius à Patre quam à Filio procedit. Probatur primò. Nam plenius procedere eſt perfectius, & cum maiori perfectionis gradu; ſed Spiritus Sanctus non à Patre aliam quam à Filio recipit ſpiratione perfectionem: ergo. Secundò. Procedere plenius eſt componi ex eo quod plenius, & ex eo quod minus plenè; ſed omnis compoſitio repugnat ſummæ Spiritus Sancti ſimplicitati: ergo. Confirmatur (quod ferè in idem recidit) Si alio modo, ſcilicet plenius à Patre, alio à Filio, hoc eſt minus plenè procedit Spiritus S. ergo in Spiritu Sancto diuerſitas magis & minus: ergo in Filio in comparatione ad Patrem imperfectio, & inæqualitas.

Tertia Propoſitio ex reſponſione ad 5. Licet Filius æquè plenè, & perfectè ac Pater ſpiret Spiritum Sanctum, principalius tamen Pater. Declaratur, ac probatur. Principaliter ſpirare, eſt à ſe, & non ab alio ſpirandi auctoritatem habere: & principalius *eſt in comparatione ad alium, ſolum habere hanc auctoritatem, alium verò à Patre ſubauctoritatem: ſed ſic ſpirant Pater & Filius: ergo principalius Pater quàm Filius.*

COMMENTARIVM.

MVLTA quidem hac quæſt. S. Doctor, eademque præclara, tum certitudine, tum eruditione tradit, quibus quàm verè ab omnibus Theologis, Spiritum S. à Patre, & Filio vniformiter oriri, cumulatiſſimè enucleat, omnique ex capite omnem diſcutit dubitationem.

Quorum primum, ac primo loco poſitum, eſt. Spiritus S. à Patre procedit ex ſe, & immediatè, immediatione, tum ſuppoſiti, tum virtutis: Patri enim vt primę perſonę, ac totius cōmunicationis in Diuinis

perenni; ac pleniſsimo fonti, vt ſic competit nedum generare, ſed etiam ſpirare; Filio verò dumtaxat ſpirare, non autem generare: quia perfectione infinita generationis genitus eſt: hincque ortum quod docuit S. Hieron. Epiſt. 18. vel alius auctor D. Hieronymi nomine, in expoſitione Catholicæ fidei, ac Symboli Nycæni, quem refert Magiſter in textu, *Credimus in Spiritum Sanctum, qui de Patre propriè procedit. Deinde Spiritum Sanctum verum Deum inuenimus in Scriptura, & de Patre propriè eſſe, tum de Patre Filius, & Spiritus Sanctus proprii, & verè procedit*: Quod tamen ſtatim Magiſter limitat, ac illam quæ poſſet occurrere dubitationẽ eliminat his verbis. Quod non ita tamen intelligendum, tanquam prius, vel plenius à Patre, quàm à Filio procedat; ſed hoc habet Pater à ſe, non ab alio, vt de ſeipſo ſit, & procedat Spiritus Sanctus; Filius autem non à ſe, ſed à Patre hoc habet, vt de ipſo ſit, & procedat Spiritus Sanctus.

Quod idem & S. Bonau. vt aliæ dubitationi non minoris moleſtiæ occurrat, commentario illuſtrat dub. 3. litt. Poterat enim opponere quis. Si ſpirare proprium Patris eſt, quomodo ergo competit Filio? impropriène? Dicendum, reſpondet S. Doctor, *propriè* non dicit proprietatem, ſiue ſolitudinem; quaſi Patris ſolius ſit proprium, ſed ſonat auctoritatem, ſicuti *principaliter*; quod idem docuit & Magiſter: ſicut enim Pater principaliter ſpirat, quia hoc non habet à Filio; ita etiam propriè eadem ratione, quia hoc non habet à Filio: hanc enim conditionem, non habere ab alio, nulli communicat.

Addit, & aliam reſponſionem; vt quod *propriè* dixerit S. Hieronymus, ſit ac ſi dixiſſet *appropriatè*: appropriatur enim Patri ſpirare, licet & Filius ſpiret, propter auctoritatem, & perſonæ primitatem. Idem S. Thom. quæſt. 36. art. 3. ad 2. Idem & Scotus quæſt. 2. Ita enim verè de re aliqua dicitur quis proprietarius, qui in ea habenda non ab alio dependet, ſed eam à ſe habet. An verò hac eadem ratione Pater rectè nuncupari poſſit, quod principalius ſpiret Spiritum Sanctum; hoc eſt

Secundum quod tradit hic S. Doctor in reſp. ad 5. non omni tamen Theologorum conſenſione conceſsum: nam S. Bonauentura quidem hoc aſſerit, & poſt eum cum eo Riccardus diſt. 12. quæſt. 1. ad 2. Durandus quæſt. 2. Marſilius art. 2. concluſ. 2. cæteri tamen Theologi non vtuntur hoc comparatiuo *principalius*, ait Vaſquez notat. in 3. art. S. Th. & Suarez lib. 10. cap. 3. & Nazzarius in hunc art. dubio 1. ne ſuſpicionem vllam incutiant, Spiritum Sanctum plenius à Patre quàm à Filio procedere. Deinde non valde ad rem, poſuiſſe comparationem inter Filium, & Patrem, videtur, cum omnis comparatio inter poſitiua fiat; in Filio autem hac in re non poteſt eſſe poſitiuum, quia ſpirandi non habet auctoritatem.

Ego vero primò præmitto quidem loquendum eſſe cautiſsimè, & communi dicendi inter Patres, & Theologos modo vtendum, & ſimiles propoſitiones piè audiendas, & interpretandas eſſe. Deinde videre non poſſum quam ſuſpicionem parere poſsit hic dicendi modus Sancti Bonauenturæ, cum diligenti explicatione limitet, & explicet, ſe per hunc ſenſum prorſus excludere Spiritum Sanctum à Patre plenius quàm à Filio procedere; & eo tantum dicere principalius à Patre procedere quàm à Filio, quod à Patre habente auctoritatem, à Filio verò tantum ſubauctoritatem: vbi ſubinde conſpicere conſtat, inter poſitiua comparaſſe D. Bonauenturam, ſcilicet Patris auctoritatem cum Filij ſubauctoritate.

At vbi negant vetuſti Theologi, præſertim S. Thom. hoc ſenſu non poſſe dici principalius? Secundò. Quare vim & robur non potuit accipere à tot egregijs viris, qui ea voce vſi ſunt? vnde ergo tanta Nazzarij eſcandeſcentia in D. Bonauenturam, & Riccardum, addit ipſe & Scotum &c. placet zelus de pio dicendi modo, ſed placere debet & reuerentia magnis Theologis debita.

Tertium verò quod in primis docet, eſt, æquè plenè ac perfectè ab vtroque procedere Spiritum Sanctum. Ratio potiſsima, & ſola ſufficiens & adæquans omnium Theologorum, quia vnum ſolum principium in vtraque perſona, vnica ſpirandi vis, vnica eademque eſſentia, vnica ſpiratione communicabilis. Confirmant hoc quæ tum præcedenti quæſt. tum integra diſputatione de vnitate principij congeſta ſunt: confirmabunt etiam quæ futura ſtatim quæſt. dicenda ſunt: neque vlla in oppoſitum argumenta hanc veritatem labefactare poſſunt.

Si enim primò opponatur. Filius ſpirat per Patrem: ab ipſo enim habet quod ſpiret: ergo Pater magis ſpirat. Probo conſequentiam ex illo trito Ariſt. aſſerto. *Propter quod vnumquodque tale, & illud magis.*

Reſpondeo, & conceſſo antecedenti, nego conſequentiam. Ad locum verò Ariſt. interpretandum hic nullum habere locum, ſed vbi plures cauſæ ſubordinatæ, & ab vna dependentes inueniuntur, & tunc magis agere primam cauſam quàm ſecundas: nam iſtæ habent à prima quod agant: hic verò non plures vires ſpirandi, ſed vnica eſt in vtraque perſona. Ita & S. Thom. ad 2. & 1. ſent. ita Riccardus hic &c.

Si ſecundò. Prima cauſa magis influit quàm ſecunda: ſed Pater eſt primum principium, & ſecundum Græcos prima cauſa Spiritus Sancti: ergo magis influit. Maior conſtat ex eodem Ariſt. axiomate. Minor quoque videtur manifeſta: nam Pater eſt prima perſona, à qua omnis fœcunditas, & à qua omnis reliqua perſona, & eſt, & habet quod influat, & Filius quod ſpiret.

Ferè eadem reſponſione ſoluitur, & ſupponitur quod aliàs verum eſſet, hic vero falſum, ſcilicet pluralitas cauſarum, & principiorum: non enim Pater primum principium Spiritus Sancti eſt, Filius verò ſecundum, ſed vtraque perſona vnum principium &c. & licet Pater ſit prima perſona à ſe ſpirans, & Filius ſit ſecunda perſona, & à Patre habens vt ſpiret, non eſt tamen ſe-

cundum

cundum principium, ſed vnicum cum Patre, ratione toties repetita. Ad formam ergo argumenti neganda eſt minor. Ad probationem reſpondendum: licet Pater ſit prima perſona, non eſt tamen prima cauſa; nec primum principium condiſtinctum à Filio &c.

Si tertiò Spiritus Sanctus procedit à Patre propriè, & principaliter: ergo plenius quàm à Filio. Antecedens eſt Sanctorum Hieronymi, & Auguſt. Conſequentia probatur: nam qui propriè, & principaliter ab vno procedit, ab eo pariter & plenius.

Reſpond. Iam ſolutum ſupra hoc argumentum, & negata eſt, & neganda nunc conſequentia, ex his quæ adducta ſunt in explicationem horum terminorum *propriè*, & *principaliter*: nihil enim aliud indicant, quàm Patrem tanquam primam perſonam à ſe ſpirare &c.

Si quartò Spiritus Sanctus habet à Patre quod ſit, & quod à Filio procedat, & à Filio non habet quod procedat à Patre: ergo plenius à Patre quàm à Filio.

Neganda conſequentia, & hac ratione: nam & eandem proprietatem æquè à Filio quàm à Patre habet, licet non ſub eodem reſpectu vt eſt à Patre, quia vnica in vtraque perſona ſpirante ſpirandi vis eſt; neque hic reſpectus vllam addere poteſt perfectionem.

Si denique quintò Filius habet auctoritatem ſpirandi veram, licet eam recipiat à Patre: ergo hac ratione Pater non poteſt dici quod principaliter aut principalius ſpiret, quod tamen antecedenti quæſt. cum D. Aug. dictum eſt.

Reſpondeo negandam eſſe conſequentiam eo ſenſu, quo ſumitur hic, & ſumendum terminum *principaliter* non quo ad vim ſpirandi, ſed quo ad ordinem perſonarum ſpirantium: nam Filius eſt ſecunda perſona, & à prima originem habet, & quamuis verè ſpirandi habeat auctoritatem, quatenus tamen eam à Patre recipit, nuncupanda ſubauctoritas.

ARTICVLVS III.

An Spiritus Sanctus procedat à Patre mediante Filio. D. Bon. diſt. 12. quæſt. 3. D. Th. q. 33. art. 3.

PARAPHRASIS.

PRIMA Propoſitio. Neceſſariò ponendus in Deo geminus ſpirandi modus, immediatus nimirum, & mediatus, vt ſcilicet Spiritus Sanctus & à Patre, & à Filio immediatè procedat, & à Patre mediante Filio. Probatur propter ſummam inter Diuinas perſonas requiſitam germanitatem; ſi enim duntaxat immediatè eſſet à Filio, non eſſet cum Patre Spiritus Sancti ſumma, & qua eſſet cum Filio germanitas, ſed mediata tantum: ſi verò à Patre immediatè tantum, ea non eſſet Spiritus Sancti cum Filio: & ſi à Filio non eſſet etiam mediatè, tolleretur ordo originis inter Diuinas perſonas.

Secunda Propoſitio. De facto hoc modo Spiritus Sanctus procedit à Patre, ſcilicet etiam mediante Filio. Probatur primò ex D. Hilario 12. de Trinit. ibi enim beatiſſimus Filius ad Deū orans, his deprecatur verbis ad Patrem. Spiritus Sanctus qui ex te per eum eſt promereat. *Mox ex Riccardo de S. Vict. lib. 3. cap. 8. de Trinit.* Quod in Diuinis eſt proceſsio immediata tantum, & mediata, & immediata. *Secundo modo à Patre: primo modo à Filio. Tertiò ratione, ex imaginis in anima noſtra deſumpta ſimilitudine. Sicut amor in nobis procedit media intelligentia; ſic in Deo procedit Spiritus Sanctus medio Verbo, ac Filio. Quartò. Conuenit per ſe Patri operari, vt quia eſt principium Filij: ergo immediatè, & mediatè. Denique exemplo Abel, qui & immediatè fuit ab Adam, & mediante Eua.*

Tertia Propoſitio ex reſponſione ad primum in declarationem huius dicendi modi, Pater ſpirat Spiritum Sanctum mediante Filio. Cauſam aliquam mediatè agere trifariam accipi poteſt. Primò, cum ſubordinatæ cauſæ tribuit quidem agendi vim, cum eius tamen actione non cooperatur, ſicuti Abraham mediatè ita genuiſſe Iacob aſſeritur, vt Iſaac Filio vim generandi tribuerit, in Iacob tamen generandi actione non cooperatus ſit Abraham. Secundò, quando prima cauſa tribuit quidem ſecundæ operandi vim, & cum eius effectu ipſa quoq; cooperatur, diuerſa tamen virtute, ſicuti Deus ſecundis cauſis verè agendi, & vim largitus eſt, & omnibus ipſarum effectibus immediato concurſu cooperatur, ita tamen longe, ac tam diuerſa virtute, quanta inter Dei omnipotentis vim, & creaturarum intercedit differentia. Tertio denique modo cum etiam eandem prorſus vim communicat alteri agendi ad eundem effectum producendum. Quemadmodum Pater, perſonarum ordine ſcrutato, quo vna eſt ab alia, ab eaq; recipit quod agat; communicat Filio ipſum generando eandem numero vim ſpirandi Spiritum Sanctum, & hac ſola ratione Pater mediante Filio ſpirat &c.

Quarta Propoſitio. Deum hoc modo eſſe agens mediatum, non tantum non dedecet, ſed maximè decet, & egregiè nobilitatem, & fœcunditatem exprimit, vt non ſolum per ſe agat, ſed agendi vim alijs etiam tribuat, & facultatē, & eo præſertim modo, quo nihil ſine illa poſſint.

Quinta Propoſitio. Repugnat Deo, vt ſit agens, aut cauſa per accidens, & probatur. Deus eſt cauſa vniuerſaliſſima, & quidquid eſt, quidquid fit, ab ipſo & eſt, & fit: ergo repugnat ei eſſe per accidens. Probatur conſequentia ex definitione cauſæ per accidens: eſt enim quando aliquid producitur ab eo, quod non ſubeſt, nec dependet ab altero &c.

COMMENTARIVM.

SPIRITVM Sanctum procedere à Patre etiam mediante Filio; eſſe idem ac Patrem per Filium etiam ſpirare; docet apertiſsimè S. Doctor, dum argumento refert D. Hilarium, Patre ex ipſo per Filium eſſe Spiritum Sanctum aſſerentem, vt Patrem mediante Filio ſpirare probet: & hoc ipſum idem eſſe, quod præcedentibus quæſt. docebat, in hac Diuiniſsima ſpiratione in Patre eſſe auctoritatem, & inde per ſe, ac propriè, ac principaliter ſpirare: in Filio verò ideo ſubauctoritatem; quia ab eodem Patre habet quod ſpiret: mediante enim Filio ſpirare, eſt Filio tribuere vt ſpiret: ergo quid hac quæſt. in titulo promittat S. Doctor, quidque in ea agat, & præſtet, liquido conſtat: vt potius hanc quæſt. ad hos terminos *mediatè*, & *immediatè* enucleandos, quàm ad nouam rem prodendam; & ſimul qua ratione vniformiter, quaque quaſi difformiter, & diuersè ab vtraque perſona Spiritus Sanctus procedat, inſtituerit.

Verum attentè intuendum, quanta veritate, & elegantia hunc dicendi modum: *Pater mediante Filio &c.* interpretetur S. Thom. in reſponſione ad primum, et tertium; non enim, inquit, ita agit per Filium, quaſi aliud et diuerſum principium, et agens, neque quaſi ita agat per Filium, vt ipſe quoque immediatè non attingat effectum: et hic Spiritum Sanctum neque ita attingit, vt tamen diuerſa virtus qua ipſe, ab ea qua Filius operatur, et producit, tum reliquos effectus ad extra, tum Spiritum Sanctum ad intra: ſed idem cum Filio principium, eadem numero virtute producit infinita ſua fœcunditate, quæ magnam in Patre dignitatem dicit; ſicut idem ſupra, cum de eiuſdem Patris innaſcibilitate diſſerebat etc.

In eo autem S. Doctore meis commentariolis illuſtrando, paucioribus meo ſatis muneri faciam, quo ſupra de hac eadem re, ac phraſi dicendi pluribus egerim.

Verum hoc primo loco addam, quod etiam recenſito loco S. Hilarius illis verbis tradidit. *In Spiritu Sancto tuo ex te profecto, & per eum miſſo*: & eodem loco. *Ante tempora vnigenitus ex te natus manet, & ita quod per eum Spiritus Sanctus tuus eſt*. Patrem per Filium ſpirare, & mittere Spiritum Sanctum, geminam neceſſario habere ac complecti ſententiam. Altera ſiquidem eſt, quod ab æterno Pater Filio ſpirandi vim communicet. Altera vero, quod Euangelicis temporibus, & Spiritus Sancti dona, ipſumque donorum donum Spiritum Sanctum, Filij in humana natura ſubſiſtentis meritis, Eccleſiæ ſponſę in die Pentecoſtes omni plenitudine miſerit Pater: de qua mittendi ratione infra, cum de perſonarum miſsione temporanea erit diſputatio, ſicuti in præſentiarum eſt de prima ſententia propoſitum. Præterea hoc eodem loco non ſine animaduerſione prætereundum, quod vetuſtiſsimi Patres nedum Græci, ſed etiam nonnulli Latini hac dicendi ratione ſæpiſsimè vtebantur, procedere ſcilicet Spiritum Sanctum à Patre per Filium: idem poſterioribus temporibus Scholaſticos trito ſermone explicaſſe per hos terminos *mediante Filio &c.* Hac gemina adhibita obſeruatione; Altera, Spiritum Sanctum per Filium procedere, nedum mediante Filio, ſed etiam ex Filio; vt idem ſit *per*, & *ex*, vt ſupra etiam animaduerſum eſt à pleriſque doctiſsimis viris: Altera, dum mediante Filio Patrem ſpirare aſſeritur; ita accipiendum, vt non de mediatione virtutis ſpirandi, ſed de ordine ſpirantium perſonarum intelligatur: non enim ſpiratio accipere medium poteſt cum vnica prorſus ſit, ſed in perſonis illam originem, illumq; ponit ordinē, quem adhuc indicauimus; Filiū ſcilicet à Patre origine ſubſiſtētiam, & ſpirationem accipere: omnia enim à Patre generatione accipit.

Ita omnes Theologi, ac præſertim S. Bonauentura, & hoc etiā tota quæſt. & ſupponitur, & indicatur: & S. Thom. eadem diſt. in Magiſtrum, & in Summa art. 3. in primis ad vltimum in fine. Sed hic non eſt opus vt in diſtinctorum Doctorum colligendis Gloſſulis laboremus, cum omnes ſimul in Conc. Florentino Conciliari auctoritate Pontificis ore audire poſsimus: in litteris enim vnionis ita loquitur Pontifex. *Declarantes, quod id, quod Sancti Doctores, & Patres dicunt, ex Patre per Filium procedere Spiritum Sanctum ad hanc intelligentiam tendit, vt per hoc ſignificetur, Filium quoque eſſe ſecundum Græcos quidem cauſam, ſecundum autem Latinos principium ſubſiſtendi Spiritus Sancti ſicut Patrem. Et quoniam omnia quæ Patris ſunt, ipſe Pater vnigenito Filio ſuo gignendo dedit, præter eſſe Patrem; hoc ipſum quod Spiritus Sanctus procedit à Filio, ipſe Filius à Patre æternaliter habet, à quo æternaliter genitus eſt.*

Obſeruandum in primis, quod in reſponſione ad 3. docet S. Doctor quid ſit cauſa per accidens, & Deum eſſe omnis entis vniuerſaliſsimam cauſam, à quo intrinſecè omne quod eſt fit, & pendet. (Probat in 2. Sent. ex omnium conſenſione) etiam illamet entitas, quæ eſt cuiuſcumque enormis, ac peccaminoſi delicti materia. Eſt enim primum Deus ens: ergo omne aliud ens ab eo eſt. Omnipotens Deus; ergo in omne ens poteſt. Eſt primum ens: ergo omne ens mouet. Sic confirmari poteſt. Sicut ad intra omnis fœcunditas à Patre eſt; ita ad extra omnis res, & omne quod eſt, à Deo primo ente eſt &c.

Ex doctrina verò tradita, tum ex vtroque Sancto Doctore, tum in primis ex Conc. Florentino, multa corollaria colligi poſſunt, & operæpretium colligere. Primum, quod art. 3. colligit S. Thom. & Opuſc. contra Græcos, hęc vox (per) quæ eadem eſt cum hac (mediante Filio) in Filio ponit vim, & eamdem cum Patre cauſalitatem, ſeu principium agendi: & probat S. Thom. In omnibus propoſitionibus, ac locutionibus, quibus dicitur aliquis per aliquem operari, hæc præpoſitio (per) deſignat aliquam cauſam, ſeu principium illius actus, ſecundum quem ab agente exit, adeo vt ſit cauſa agenti quod agat, ſiue finalis, ſiue formalis, ſiue effectiua, ſiue motiua, vel deſignat cauſam

illius

illius actus &c. vel deſignat cauſam illius actus, ſecundum quod determinatur ad factum, ita vt ſit cauſa facti, vt ab agente procedat. Sed Filius à Patre habet quod ab eo Spiritus Sanctua procedat: ergo poteſt dici quod Pater per eum ſpiret Spiritum Sanctum: ita vt *per Filium* hic poſita vox, non ſignificet cauſam motiuam, aut finalem, aut effectiuam, Patri ad agendum, aut formalem; ſed virtutem à Patre receptam ad Spiritum Sanctum producendum cum Patre: & hoc ſenſu locutos Patres Græcos, dum Spiritum Sanctum per Filium procedere aſſerebant, docet doctiſsimè, & maxima auctoritate Conc. Florentinum verbis nuperrimè relatis. Addit S. Bon. dub. 4. in litt. hunc modum dicendi eſſe proprium, licet ad verba S. Hilarij explicanda reſtringat, qui dicebat: *Spiritus Sãctus à te per eum eſt*, & illam ponderet vocem *eſt*, propriamque teſtetur ac tueatur; ſed nihil derogat proprietati huius vocis *per eum*.

Secundum Corollarium. Longe diuerſa eſt hæc emanatio per Filium Spiritua Sancti, quam poſuerint Hæretici, Eunomius, Macedonius: Catholici enim Spiritum Sanctum ita procedere à Patre per Filium tradiderunt, vt Patri conſubſtantialis eſſet Filius, & Spiritus Sanctus, vt nulla ratione ſit Spiritus Sanctus creatura, ſed idem Deus cum Patre, & Filio, vt inter alios apertiſſimè teſtatus eſt D. Cyrillus lib. 13. Theſauri cap. 3. *Dicimus, quod non ſimiliter Spiritus Sanctus & cætera omnia dicuntur ex Deo eſſe, nam Spiritus Sanctus eſſentialiter in ipſo Deo eſt, & inſeparabiliter ex Deo prodit. Creatura verò ex Deo Patre per Filium in Spiritu Sancto ad extra producta ſunt.* Hæretici verò impiè, Spiritum Ssnctum vt creaturam à Patre per Filium exire, & verè creari blaſphemant.

Tertium Corollarium. In Filio particula hæc (per) non præſefert cauſam, & vim inferioris ordinis & inſtrumenti, ſed eius ordinis cum virtute Patris, addens dumtaxat habitudinem ad Patrem, à quo agendi, & producendi vim generatione recepit. Quare quod D. Io: Euangelij ſui cap. 1. dicit *omnia per ipſum facta ſunt*; ſicuti eãdem cum Patre ſubſtantiam, ita in creando mundo eandem virtutem prorſus in Verbo poſuiſſe Patrem generatio ne æterna, fide credendum eſt, aliàs Arrianiſmum admitteretur, & adeſſet; & Filius inſtrumentum, & creatura Patris aſſereretur, ſicuti ſupra in horũ verborum explicatione notauimus: in quibus illud vnum præcipuè obſeruat D. Chryſoſtomus hom. 4. in Io: quod hoc loco propriè teſtandum (per) dicere ordinem & habitudinem virtutis creandi ad Patrem, à quo eam recepit, his verbis. *Omnia per ipſum facta ſunt, per ipſum hoc in loco nulla alia ponitur gratia, quàm ne ingenitum quiſque ſuſpicaretur &c.* Igitur Filius genitus deſcribitur, vt à Patre tum eſſentiam, & vim, tum mundi creandi, tum Spiritus Sancti ſpirandi, recepiſſe dignoſceretur.

Quartum Corollarium. Poteſt quidem ritè dici, & orthodoxe dicitur, Spiritus Sanctus procedit à Patre per Filium: non licet tamen oppoſitum aſſerere, Filius per Patrem ſpirat Spiritum Sanctum, nec huius propoſitionis conuerſa vti: docet S. Th. ad 4. hac ratione. Vt fiat hæc conuerſio: Rex operatur per Prætorem, & Prætor per Regem; hæc eſt ratio, quia inuenitur inter hos operantes ordo; & eſt non ſolum in ſuppoſitis, quia Rex principalis, & Prætor dependens, ſed etiam in virtute, & auctoritatibus: nam per auctoritatem Regis operatur Prætor, & auctoritate diuerſa, & limitata: in Patre autem, & Filio licet ſit ordo, quia ſuppoſitum Filij eſt à Patre, non eſt tamen in virtute: nam vna eademque numero omnino eſt. Pater enim ſpirat per Filium, quia ei dat ſpirandi vim eandem: non verò Filius ſpirat per Patrem, quia nec Pater à Filio accipit auctoritatem, nec vim ſpirandi, nec Pater eſt à Filio, nec numeratur virtus ſpirandi.

Alij oppoſitum contendunt. Durandus. Torres &c. & nouas, & inuſitatas propoſitiones inducunt: hæc verò, quam ex D. Thom. aſtruimus, eſt & Sanctorũ, & Conciliorum, & Diuinæ Scripturæ ſcilicet Io: 1. Oppoſita verò, tum Patrẽ quaſi Filij medium conſtituit; & Filium à ſe, Patrem verò à Filio habere quod ſpiret; & ſic Diuinarum perſonarum quaſi ordinem inuertit. Quod ſi aduerſarij inſtent, hac ſic conuerſa propoſitione ſignificari, Filium per Patrem, ſcilicet per virtutem à Patre receptam ſpirare, quod veriſsimum eſt: reſpondeo, hanc ſic conuerſam eſſe nouam, & ſic materialiter prolatam ponere in virtute ſpirandi pluralitatem, & minari, vt dicebam, contrarium in perſonis ordinem ei quem ponit fides: & videtur vrgens ratio. Hæc propoſitio, Pater per Filium ſpirat, ex Conc. ſignificat, Filium & oriri à Patre, & ab eo habere quod ſpiret: ergo eius conuerſa falſa eſt, nam oppoſitum ſignificat, ſcilicet Patrem à Filio oriri, & vim accipere &c.

Ad Argumenta S. Doctoris ſolutiones obſeruemus, quorum primum eſt.

Nobilius eſt immediatum eſſe principium, quàm mediatum: ergo hoc Deo concedendum, & de Deo eius oppoſitum negandum: ergo à Patre Spiritum Sanctum mediatè procedere, non eſt aſſerendum.

Negandum antecedens hoc loco, & ſimpliciter in vniuerſum non cõcedendum. Mediatè enim hoc loco Patrem ſpirare, eſt etiam Filio eandem numero vim eumdem Spiritum Sanctum ſpirandi tribuere; & nedum in ſe eſſe fœcundum, ſed etiam alteri fœcunditatem communicare; quod quam manifeſtè conſtat dicere dignitatem, & nobilitatem. Vrgeret quidem inſtantia, ſi alio modo ſumeretur mediatè agere, vt diuerſitatem virtutis in ſpirantibus diceret &c. vt in vbertima illa reſponſione eſt euidens.

Secundum. Sicuti ſe habet per ſe, & per accidens, ita mediatum, & immediatum: ſed repugnat Deo agere per accidens: ergo & mediatè.

Negatur maior: nam hoc loco agere mediatè, non eſt agere, & ſpirare per alterum, & alienam vim, ſed per eandem, ex fœcunditate alteri perſonæ communicatam: per accidens verò eſt per alteram cauſam, & virtutem à ſe non dependentem operari: quo fit, Deum Patrem maximè decere hoc modo mediatè agere; per cauſas verò per accidens

in

in primis repugnat, quia omnis entis cauſa à Deo eſt; non ergo per accidens operatur, quia cauſa per accidens, vt ſupra etiam, non eſt à ſuperiori cauſa, vt etiam voluntas qua peccatur ſit à Deo, licet eius deficientia, & malitia nequaquam, quia ſic non agit, ſed deficit.

Tertium. Solum immediatè ſpirat Filius, Pater verò & mediatè, & immediatè: ergo immediatius Filius quàm Pater. Conſequentia probatur: nam magis immediatum eſt quod nullum medium admittit.

Neganda eſt conſequentia: nam æquè à Patre, & Filio immediatè procedit Spiritus Sãctus. Quod ſi etiam mediatè, hoc non minuit quin immediatè, ſed addit nouam rationem, & in Patre ponit vim alteri perſonæ ſpirandi communicatam: quare id quod aſſumitur probandum, conſequenter negatur.

ARTICVLVS IV.

An Spiritus Sanctus ſit ingenitus, D. Bon. diſt. 13. quæſt. 4. S. Th. quæſt. 33. art. 4.

PARAPHRASIS.

PRIMA Propoſitio. Si ingenitum ſumatur priuatiuè, vt idem ſit, ac non eſſe formaliter genitum; Spiritus Sanctus ritè dicendus eſt ingenitus, & probatur primò ex D. Hieronymo lib. deffinitionum contra Hæreticos, vbi Spiritum Sanctum ingenitum nuncupat. Secundò ratione. Spiritus Sanctus non eſt factus, quia non eſt creatura; non eſt Filius, quia non eſt genitus, nec eius emanatio eſt generatio: ergo eſt ingenitus. Antecedens vtrumque eſt de fide. Conſequentia ex ſufficienti diuiſione, & enumeratione conſtat. Confirmatur. Magis à generatione Spiritus Sanctus quàm Pater diſtat: nam Pater ſi non generatur, ſaltem Pater eſt; Spiritus verò Sanctus neutro modo eſt: ergo ſi Pater tamen dicitur ingenitus, multo magis dicetur Spiritus Sanctus.

Secunda Propoſitio. Si ingenitum eſſe, ſumatur vt idem ſit quod ab alio non eſſe ſimpliciter, & à quo alij; Spiritui Sancto nulla ratione competere poteſt. Probatur primò ex D. Aug. ad Oroſium quæſt. 2. vbi ſolum Patrem ingenitum tradit. Secundò ratione. Si ingenitus nuncupandus erit, aut ratione notionis, aut ſubſtantiæ. Nõ primo modo; tunc enim ſex notiones darentur contra communem Theologorum ſententiam. Non ſecundo: nam tunc competeret & Filio, cum ſubſtantia in vtroque ſit eadem. Deinde ſi hac ratione Spiritus Sanctus ingenitus: ergo & eſſentia: nam neque illa genita eſt &c.

COMMENTARIVM.

PAVCIS hic me expediam: nam & huic quæſtioni ſatis ferè dictum eſt, dum ſupra de Patris proprietate, & innaſcibilitate ageretur: ibi enim ingenitum eſſe, conuerti cum innaſcibilitate, & propterea eſſe Patris notionem, ac proprietatem demonſtratum eſt; quo hic non eſſe Spiritus Sancti notionem liquido conſequitur: quare neque S. Th. hic in ſumma, cum de Spiritu Sancto, nullum verbum de hac dubitatione profert, rectiſſimè ſuffeciſſe exiſtimans quæ de hoc termino quæſt. 33. art. 4. ſcriptis reliquit. Tria igitur ſatis ſuperque erunt ſi attingantur. Primum. Hanc dubitationem ferè hac ſola ratione mouiſſe videtur S. Doctor; vt tolleret, ac dilueret quoddam diſſidium de hac re inter D. Hieronymum, & D. Aug. D. enim Aug. ad Oroſium quæſt. 2. Spiritum Sanctum, ait, nec genitum, nec ingenitum fides certa declarat, quia ſi dixerimus ingenitum, duos Patres videbimur affirmare: ſi genitum, duos credere Filios culpabimur: ſicut enim ſolus Filius dicitur genitus, ita ſolus Pater dicitur ingenitus, eo quod ab alio non ſit. D. verò Hieronymus in regul. diffinitionum contra Hæreticos, ingenitum eſſe Spiritum Sanctum his verbis aſtruit. *Spiritus Sanctus Filius non eſt, ſed ingenitus, & infactus: Pater non eſt, quia Patris eſt, & in Patre eſt: proceſſionem habet ex Patre, & non natiuitatem: Filius non non eſt quia genitus non eſt.* Quibus vterque S. Pater prima facie omnino contraria aſſerere videntur.

Adinuenit ergo S. Doctor interpretationem horum Patrum, qua inſtitutam dubitationem exterminaret, & euerteret; & iſtos Sanctiſsimos magiſtros conuenientia dixiſſe potius, quam contraria docuiſſe, hac poſita diſtinctione: Bifariam rectè accipi ingenitum eſſe. Primò, vt nedum generationem, ſed etiam quamcumque aliam productionem, & communicationem negat, & nullo modo ab alio eſſe dicitur: tunc ſolus Pater eſt ingenitus, ingenitumque eſſe eſt Patris notio, ac proprietas: cum enim ſit prima perſona, non eſt genitus, nec ſpiratus, ac ſubinde nec Filius, nec Spiritus Sanctus. Secundò, vt idem ſit ingenitum eſſe, quod per generationem non eſſe productum, & tunc etiam Spiritus Sanctus eſt ingenitus, & ſolus Filius genitus, & eſſentia ingenita, quia licet per generationem communicata, non genita tamen eſt. Et eadem eſt Riccardi reſolutio. Si ingenitus, inquit, idem valet quod non genitus, ſic Spiritus Sanctus ingenitus eſt: nam & in communi modo dicendi nomina compoſita ex præpoſitione hac (In) ſic intelliguntur, quod (In) negatiuè ſumitur, vt cum dicimus indoctus, infirmus &c.

Verum ſecundum alios quoſdam, *ingenitum* ſumi poteſt duobus modis, *priuatiuè* ſcilicet, & *negatiuè*. Priuatiuè iterum bifariam: primò vt priuat actum, ſed non potentiam: ſecundò vt negat actum, & potentiam, vt ſi iniuſtum dicatur de

la-

lapide: tamen hæc acceptio eſt impropria, cum priuationis ſit relinquere aptitudinem, ſeu potentiam in ſubiecto. Negatiuè quoque *ingenitum* adhuc gemina ratione ſumitur. Prima vt negat in aliquo genere determinato, & relinquit aliquid, vtpotè eſſe ab alio, & ſolum tollit eſſe ab alio per generationem; qua ratione conuenit Spiritui Sancto. Secunda vt negat ſimpliciter & extra genus, ita vt ſit pura negatio, & ſic congruit eſſentiæ Diuinæ eſſe ingenitam; vel vt in contrario fundamento, vt eſt in eo quod eſt, à quo omnia, & ſic ſoli Patri conuenit, & eſt notio: contrarium enim eſt Patri eſſe ab alio, & repugnat, & falſum eſt priuatiuè de ipſo affirmari: eſt enim quidquid poteſt eſſe, & non poteſt in potentia ad aliquid credi. Si verò priuatiuè eſſet ingenitus, poſſet generari. Ferè idem, & eodem modo S. Thom. in 1. diſt. 13. art. 4. ac in hoc videntur præſertim contra Sanctum Doctorem ſentire, concedentem *ingenitum* de Spiritu Sancto dici priuatiuè, vt opponitur genito; conuenire verò cum non concedendam niſi valde impropriè priuationem in Deo.

Secundò igitur obſeruandum ex 5. Metaphyſ. cap. de priuatione. Priuationem trifariam ſumi: primò propriiſſimè, quo ſenſu illud dicitur priuatum, quod non habet quod tamen aptum habere eſt: ſecundò communiter, quod neque habet, neque aptum habere ſecundum propriam ſpeciem, aptum tamen iuxta genus ſuum in aliquo: ſic enim Talpa dicitur cæca, & viſione priuata, licet nunquam ſit viſura, neque ad videndum vlla aptitudine vt Talpa polleat vnquam: pollet tamen & apta in alijs ſub animalium genere, ſub quo eſt & ipſa. Apta igitur dicetur ad videndum, quia alia animalia & vident, & videre poſſunt: tertiò communiſſimè, quod nullo modo, nullaque ratione idoneum, neque aptum: quemadmodum ſi arbor dicatur priuata oculis: neque enim nec ſecundum genus conuenire arbori poteſt poſſe videre. Tunc non primo modo, ſed ſecundo à Sancto Doctore hic priuatiuè dicitur ingenitus: licet enim vt tertia perſona & Spiritus Sanctus, non ſit apta nata generari; in eadem tamen natura Diuina competit alteri ſuppoſito, ſcilicet Filio genitum eſſe. Ita S. Thom. prima parte quæſt. 33. art. 4. ad 2. Ita Scotus 1. diſt. 28. quæſt. 1. Ibidem S. Bonauentura quæſt. 1. in reſponſione ad 3. & 4. Quibus & euaneſcit omnis apparens contrarietas: quod enim Sanctus Thom. & Riccardus negarunt, primo modo Spiritum Sanctum ingenitum dici priuatiuè; ſecundo modo conceſsit S. Bon. conceſſerunt & ipſi indicatis locis.

Tertiò obſeruandum quod refert S. Doctor in veſtibulo corp. quæſt. de Orthographia apud Græcos huius vocis *ingenitus*. Quæ aut vnica N ſolet ſcribi, aut geminata: ſi vnica, idem ſonat quod increatum: ſi geminata, idem quod propriè non genitum. Ita D. Damaſcenus lib. 1. cap. 9. ſed vt cum Sancto Doctore obſeruat etiam Albertus apud Latinos, non ad rem noſtram pertinet.

QVAESTIO XIIII.

DE SPIRITV SANCTO VT EST AMOR,

Et primò de nomine Amoris vt proprium eſt Spiritui Sancto.

AEQVE ſuauiſsima, ac prorſus neceſſaria eſt & hæc de Spiritu Sancto quæſtio; & propius accedit ad (ſic dicam) medullam, & intrinſeca huius Diuiniſsimæ tertiæ perſonæ introſpicienda, & referenda, & vtcumque explicanda. Conſequitur verò ex antedictis. Si Spiritus Sanctus non per modum naturæ, ſed per modum voluntatis, & liberalitatis procedit, vt ei maximè propriè competat Amor: quid enim à voluntate, ac præſertim mutua, prius procedit quàm Amor? Solutis ergo iam dubitationibus de Patre, & Filio ſpirantibus, deque ex his conſtituto principio, è veſtigio optimè eſt de ipſo Amore ſpirato agendum, & diſputandum, ac primò. An Amor ſit Spiritui Sancto proprius. Secundò. An hic Amor ſit nexus. Tertiò. An Pater & Filius diligant ſe Spiritu Sancto.

ARTICVLVS I.

An Charitas, & Amor ſit proprietas Spiritus Sancti. D. Bon. diſt. 10. art. 2. quæſt. 1. D. Thom. quæſt. 37. art. 1.

PARAPHRASIS.

PRIMA Propoſitio. Sicut amor eſſentialis de tribus perſonis æquè dicitur, ac eadem perfectiſsima ratione competit: nam qualibet perſona diligit ſe, & Diuinam eſſentiam, & amor notionalis conuenit Patri, & Filio, qui concorditer conueniunt in ſpirando Spiritum Sanctum; ita verè perſonalis eſt proprius tertiæ perſonæ, quæ eſt Spiritus Sanctus. Primò colligitur ex S. Ang. 15. de Trinit. cap. 17. & 19. Secundò. Quemadmodum enim amor eſſentialis dicit complacentiam, notionalis concordiam in ſpirando; ſic æquè amor perſonalis præſefert productionem, & proceſsionem per modum perfectæ liberalitatis: ergo eſt Spiritus Sancti proprium: ipſe enim ſic à Patre, & Filio procedit. Hoc totum illuſtratur exemplo in corp. quæſt. Præterea confirmatur. Illud eſt proprium alicuius perſonæ, quod exprimit illius perſonæ modum emanandi: ſed amor ſic Spiritus Sancti emanationis modum exprimit: ergo eſt ei proprium. Tertiò. Sicuti ſe habet Verbum ad Filium, ita verè amor ad Spiritum Sanctum: ſed Verbum eſt Filij proprium: ergo & amor Spiritus Sancti. Probatur maior in reſponſione ad 3. Sicut enim verbum dicit & reſpectum ad dicentem, & per modum verbi Filius procedit: ſic fermè & amor ad ſpirantes dicit reſpectum, & Spiritus Sanctus per modum amoris procedit: ergo ſicut ſe habet verbum ad Filium, & eſt ei proprium; ita amor ad Spiritum Sanctum &c.

Secunda Propoſitio. Amor in Diuinis vere habet rationē amoris, & perſonæ: amoris quidem, quia procedit per modum perfectiſſimæ libertatis ex ſumma liberalitate, & vera ratio, ac amoris definitio competit: perſonæ verò, quia diſtinguitur à producentibus, non penes eſſentiam vt conſtat: ergo penes perſonam.

Tertia Propoſitio ex reſponſione ad 1. & 2. In hoc differunt Amor creatus, & increatus, qui eſt Spiritus Sanctus: nam creatus, nec eſt ſubſtantia, nec procedit vt perſona ſubſiſtens, ſed vt accidens in amante: amor verò Spiritus Sanctus non poteſt eſſe accidens, imò repugnat Deo: ergo ſubſtantia neque procedere vt proprietas Patris & Filij in ſpirando: ergo vt perſona.

Quarta Propoſitio ex reſponſione ad 4. Amor perſonalis dicit egreſſum, & productionem; eſſentialis verò nequaquam: non enim iſte producitur, ſicuti neque eſſentia: ille verò à Patre, & Filio. Secundò. Perſonalis dicit reſpectum ad amantes ſpirantes; eſſentialis eſt abſolutum quid, & ſolam complacentiam notat voluntatis, qua qualibet perſona amat, & amatur. Tertiò. Amor perſonalis non amat fœcundè ſicut Pater, & Filius, vt ſpiret, ſed dumtaxat eſſentialiter.

COMMENTARIVM.

1 IAM de nomine ſpiritus, nunc verò de amoris nomine ita agit S. Doctor, vt non poſsit quin de re ipſa amoris voce importata, ſimul non agat, ac de ipſo Spiritu Sancto: aliàs enim an ſit proprius, & quomodo Spiritui Sancto competat, non ſolueret. Rationem verò reddit explicatius Caiet. de ente, & eſſentia in fine prologi. & 1. Poſter. cap. 1. nam quid nominis idem eſt quod quidditas nominis: hæc verò in ratione relatiua ſigni ad ſignatum ſita eſt: quare ſcire quid nominis eſt

ſcire

ſcire nominis relationem ad rem aliquam, vt ſigni ad ſignatum,quę eſt ſignificationis nominis ad rem ſignificatam: quo ſæpè fit, vt idem Caiet. relatis locis, vt ſæpe coincidant realiter quid nominis, & quid rei, cum ad quid nominis per eſsentialia rei propria fiat acceſſus.Hac fermè ratione S. Doctor hos loco procedit, & quærit, an amor ſit proprium Spiritus Sancti: quod vt ſoluat, perueſtigare eſt neceſſe eſt quænam ſit vera amoris ratio, quomodo producatur, quinimò quid (ſi fas eſt indagare, ac aliqua cognitione apprehendere) ſit Spiritus Sanctus,& quomodo procedat.

Sed primo loco circa quæſt. tit. obſeruandum, quæſt. tituli verba ſunt. An amor, vel charitas ſit &c. eſt enim dubitatio non floccipendenda,quomodo ſe ad inuicem habeant, & an ſint idem amor & charitas. Si referantur ad rem, de qua hoc loco, nimirum ad Spiritum Sanctum, neceſſariò certum eſt eſſe idem nedum realiter,ſed etiam formaliter, ex ſumma Spiritus Sancti perſonæ ſimplicitate, ac propterea in Sancto Doctore ſub eadem prorſus ratione proponi, quia de Spiritu Sancto vnicam intendit diſcutere proprietatem, ſcilicet amorem, quamuis geminæ nomenclaturæ: & amor enim,& charitas,imò & dilectio appellatur.

Præſcindendo tamen ab amore Diuino,& vt in humanis, in dubitationem conſentaneè rationi reuocatur,quomodo nimirum dilectio, amor,& charitas ad inuicem ſe habeant: & eſt ipſemet Sanctus Doctor qui & ambigit, & ſoluit 1. dub. litt. & reiecta quorundam ſolutione,ipſe diuerſas rationes præſeferre has varias voces ingenuè prodit: licet enim, inquit, hæc tria nomina de eadem affectione verè dici poſsint: amor tamen *amati adhæſionem* in primis indicat,idq; colligitur ex D.Dionyſio, dum amorem vnitiuum aſſerit: nam amantium alterum alteri mutuo connectit, & adhærere facit: dilectio verò præterea addit ex pluribus electionem: ita enim Cant. 5. *Dilectus meus electus ex millibus*. Mira, ac vera nobis hæc connexio, *Dilectus electus*. Amabiliorem enim amor ſeligit. Charitas denique æſtimationem, ac appretiationem ſuperaddit: quod enim plurimi fit, charum æſtimatur. Quocirca D. Paulus ſæpenumero fideles filios ex Euangelio genitos, ac in primis dilectos,chariſsimos nuncupabat: amor enim chariſsimos mirificè reddebat. Quod idem ferè docuit S. Thom. 1. 2. quæſt. 26. art. 3.

Sed quod potius auget dubitationem, eſt idemmet S.Bon. qui oppoſitam viſus ſit ſententiam ſecutus Opuſc. de ſeptem itineribus diſt. 2. ex D. enim Dionyſ. 4. de Diuin. nominib. probat in Diuinis nominibus vtendum vniformiter, & communiter nomine amoris, & dilectionis, ſiue etiam charitatis. Et ex D. Aug. 6. de Trinit. vbi nihil aliud charitas, quàm amor boni aſſeritur. Sed facili negotio hæc minima euertitur difficultas, imò ipſemet euertit, dum de eadem affectione hæc tria, ſub diuerſa tamen ratione, rectè, & ritè prædicari aſtruit. Quod ergo vniformiter altero loco vtendum in Diuinis nomine charitatis &c. altero diſformiter, ac diuerſimodè, primò de eadem re ſignificata, ſecundò de varijs vocum ſignificationibus, varijſque rationibus; & vtrumque verum; & vtrumque indicauit ipſemet D. Dionyſ. primum recenſio loco,ſecundum eodem lib. his ferè verbis: *Quibuſdam Sanctorum viſum eſſe amoris nomen Diuinius, quàm nomen dilectionis*: quibus ſanè liquido oſtendit,diuerſam ſignificandi harũ vocum eſſe rationem in eadem re. Addi poſſet, in Diuino amore eandem eſſe prorſus rationem, in humano verò nequaquam.

Obſeruandum ſecundò circa rem, quam in quæſt. S. Doctor excutit, an Spiritus Sanctus ſcilicet propriè ſit amor. Quadrifariam in Diuinis amorem vſurpari neceſſariò, docet ex 2. dub. litt. & ex corp. quæſt. Primò, vt eſſentię competit, & dicitur tribus perſonis communis: quare *Deus charitas eſt*, teſtatur S.Io. 1. Epiſt. cap. 4.& D.Aug. 15. de Trinit. cap. 17. *Pater eſt charitas, Filius eſt charitas, & Spiritus Sanctus eſt charitas; & ſimul omnes vna charitas*. Secundò, vt eſt notio Patri, & Filio propria, in qua in Spiritu Sancto ſpirando nectuntur, & eſt ſpiratio actiua, quæ nulla ratione Spiritui Sancto competere poteſt, quia ſpiratur: & vt iam ſæpius aſſeueratum eſt, ex infinita perfectione nulla in Diuinis emanatio plurificari poteſt vlla potentia. Tertiò, vt proprietas perſonalis, & eſt ſpiratio paſſiua, & ipſamet Spiritus Sancti perſona: quod enim à voluntate ex ſumma liberalitate procedit, non poteſt eſſe niſi amor, ac ſubinde Spiritus Sanctus, qui eodem vnico modo eademque ratione à Patris, & Filij voluntate originem ducit, & ſpiratur.

Secundo modo ſumptus Amor eſt voluntas ſpirans, complectens non ſolum fœcunditatem, ſed ſimul etiam & rationem, & modum procedendi, & quaſi proceſſionis ſpeciem. Tertio verò modo eſt ipſe terminus ſpirationis, & res producta ſic conſtituta, ſcilicet ipſe Spiritus Sanctus ſpiratus.

Primo autem modo dũtaxat quod abſolutum eſt, & ſubſtantiale in Deo, neque vllam fœcunditatem, aut productionem intra dicit, nec dicere poteſt: abſoluta ſiquidem in Deo, nec producta, nec producibilia, nec productiua ſunt ad intra: aliàs & abſoluta eſsetia multiplicaretur,& ſeipſam produceret, quod & hæreticum, & paradoxum, & iam decretum, vt notiſsimum eſt: ita vt amor eſſentialis ſit actus abſolutus: notionalis verò, idem cum connotatione fœcunditatis ac relationis: perſonalis autem terminus productus, ac perſona: inter eſſentialem verò, & notionalem nulla differentia, niſi rationis ac virtutis: inter eſſentialem, ac perſonalem nulla quoque niſi rationis differentia: inter notionalem denique,& perſonalem, realis, ac vera differentia interiacet, ſicut inter perſonam producentem, & productam.

Quartò deniq; vt Spiritui S. non proprium,neq; commune, ſed appropriatum per aliquam conuenientiam ex ratione proprij ſumptam. Appropriatur autem alieni perſonæ non quod alteri perſonæ proprium: nunquam enim Filius dicetur Pater eo ſenſu, quo prima perſona dicitur Pater, ſed quo cæteris commune eſt. Quamobrem non ſolum ratione propria tertia perſona nuncupatur Spiritus

tus Sanctus; quia ſpiratur; & amor, quia per amoris modum procedit; ſed etiam quia eſt ſpiritus, & amat, & efficit dona liberalitatis erga creaturas, ſicuti Pater, & Filius: hac tamen diſtincta ratione ipſe inter reliquas perſonas ſæpius nominatur Spiritus Sanctus & amor in hac ſententia, quia etiam eſt Spiritus à ſpirando, & ſolus vt amor procedit.

Hæ verò de Charitate in Diuinis acceptiones variæ, & in primis tres priores, inter Theologos omnes deriuarunt, ac calculo omnium conſenſionis receptæ, ex D. Patre Aug. qui ante Theologos, & inter Patres egregiè lib. 15. de Trinit. cap. 17. & cap. 19. conatur ex Diuinis litteris & rationibus, amorem, & penes eſſentiam, & notionē, & perſonam verè ſumi, & inueniri, perſuadere.

Primum autem ex illo loco D. Io. primæ Epiſtolæ cap. 4. *Deus Charitas eſt*, quæ de Deo quid eſſentiæ commune & tribus perſonis dicat, ſic feliciſsimè his verbis ratiocinatur. *Iam in hoc libro ſuperius diſputaui, non ſic accipiendam eſſe Trinitatem, quæ Deus eſt, ex illis tribus, quæ in Trinitate noſtræ mentis oſtendimus, vt tanquam ſit omnium trium Pater, & intelligentia omnium trium Filius, & Charitas omnium trium Spiritus Sanctus: quaſi Pater nec intelligat ſibi, nec diligat, ſed ei Filius intelligat, & Spiritus Sanctus ei diligat; ipſe autem ſibi, & illis tantum meminerit: & Filius, nec meminerit, nec diligat, ſed meminerit ei Pater, & diligat ei Spiritus Sanctus: ipſe autem ſibi, & illis tantummodo intelligat: itemque Spiritus Sanctus nec meminerit, nec intelligat ſibi, ſed meminerit ei Pater, & intelligat ei Filius; ipſe verò, & ſibi & illis non niſi diligat: ſed ſic potius, vt omnia tria, & omnes, & ſinguli habeant in ſua quiſque natura; nec diſtent in eis iſta, ſicut in nobis aliud eſt memoria, aliud intelligentia, aliud dilectio, ſiue charitas: ſed vnum aliquid, quod omnia valeat ſicut ſapientia, & ſic habeatur in vniuſcuiuſque natura, vt qui habet hoc, ſit quod habet, ſit immutabilis, ſimplexque ſubſtantia.* Hęc cap. 17.

Verum rem hanc in Deo ita ſe habere; vt enarrauit, ex naſcentibus abſurdis, ſi in oppoſitum eſſet, confirmat cap. 19. Si etenim in Diuinis non eſſet communis, & eſſentialis charitas, ſed duntaxat perſonalis, ſequeretur, Filium non modo Patris, ſed etiam Spiritus Sancti eſſe Filium. *Si*, inquit, *in illa Trinitate ſolus Spiritus Sanctus eſſet charitas, profectò & Filius non ſolum Patris, verumetiam Spiritus Sancti Filius inueniretur: ita enim locis innumerabilibus legitur Filius vnigenitus Patris, vt tamen & illud verum ſit quod Apoſtolus ad Coloſſ. 1. ait de Deo Patre, qui eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in Regnum Filij charitatis: non dixit Filij ſui, quod ſi diceret veriſsimè diceret, quemadmodum quia ſæpe dixit, veriſsimè dixit, ſed ait Filij charitatis ſuæ. Filius ergo eſt Filius Spiritus Sancti ſi non eſt in illa Trinitate Charitas niſi Spiritus Sanctus: quod ſi abſurdiſsimum, reſtat vt non ſolus ibi ſit charitas Spiritus Sanctus, ſed propter illa, de quibus ſatis diſſerui, propriè ſic vocetur. Quod autem dictum eſt Filij charitatis ſuæ, nihil aliud intelligatur, quàm Filij ſui dilecti, quàm Filij poſtremo ſubſtantiæ ſuæ. Charitas quippe, quæ in natura eius ineffabiliter ſimplici, nihil aliud eſt quàm eius ipſamet natura, atque ſubſtantia; vt ſæpe iam diximus, & ſæpè iterare non piget; ac per hoc Filius charitatis eius nullus alius eſt, quàm qui de ſubſtantia eius eſt genitus.* Hæc quoque ibi.

Sed adhuc de re hac ſibi non ſatisfecit, niſi quomodo charitas comparata ad alias veritates (quæ in Diuinis litteris quoquomodo de Deo aſſeruntur, vt pſ. 70. *Quoniam tu es patientia mea, tu es ſpes mea*: & pſ. 58. *Deus meus miſericordia mea &c.* Recenſito autem loco D. Io: non dicitur Deus charitas mea, ſed ſine illo addito, *Deus charitas eſt*) ſuo Diuino intellectu commonſtret, ac enucleet. Quocirca eodem cap. 17. addit. *Neque dicturi ſumus, non propterea Deum dictum eſſe charitatem, quod ipſa charitas nulla ſit ſubſtantia, quæ Dei digna ſit nomine, ſed quod donum Dei ſit, ſicuti dictum eſt Deo, quoniam tu es patientia mea: neque propterea dictum eſt, quia Dei ſubſtantia noſtra patientia eſt, ſed quod ab ipſo nobis eſt, ſicut alibi legitur, quod ab ipſo patientia mea eſt. Hunc quippe ſenſum facile repellit ipſa Scripturarum locutio: tale enim eſt, tu es patientia mea, quale eſt, tu es Domine ſpes mea, Deus meus miſericordia mea; nõ autem dictum, Domine charitas mea, aut tu es charitas mea, ſed ita dictum Deus charitas eſt, ſicuti dictum Deus Spiritus Sanctus eſt.* Hæc mirificè S. Aug.

Verum ex eodem S. Io: loco, & eadem felicitate, ſed non eadem profectò facilitate, ſuſcepit demonſtrare pro perſona Spiritus Sancti, Spiritumque Sanctum charitatem nuncupari: propterea enim premit, ac proteſtatur difficultatem indagandi loci proprij quem vellet, his verbis c. 17. *Vt autem nos exerceat ſermo Diuinus, non res in promptu ſitas, ſed in abdito ſcrutandas, & ex abdito eruendas, maiori ſtudio fecit inquiri. Non itaque dixit Scriptura Spiritus Sanctus eſt charitas: quod ſi dixiſſet, non paruam partem quæſtionis iſtius abſtuliſſet, ſed dixit Deus charitas eſt, vt incertum ſit, & ideo requirendum, vtrum Deus Pater ſit charitas, an Deus Filius, an Deus Spiritus Sanctus, an Deus ipſa Trinitas.*

Mox exiſtimat Sanctiſsimus Pater ſe adinueniſſe locum, quo propriè Deus Spiritus Sanctus *Charitas eſt*. Eſt autem, *Charitas ex Deo eſt*; de quo ſic mirè, ac ſubtiliter eloquitur eodem cap. infra. Primò, ſecundum Sanctas Scripturas Spiritum Sanctum teſtatur, nec Patris ſolius eſſe; nec Filij ſolius eſſe, ſed amborum; & eo communem, qua inuicem ſe diligunt Pater & Filius, nobis inſinuat charitatem, & notionaliter ſumi. Deinde ex his verbis argumentatur. Teſtatur D. Io: 1. *Charitas ex Deo eſt*: poſt pauca: *Deus charitas eſt*: ergo Deus ex Deo charitas eſt: nam charitas eſt Deus, & Deus charitas: ergo propriè, ac ſecundum perſonam

ſonam ſumitur neceſſariò. Non autem Pater, quia licet ſit Deus, non tamen ex Deo: eſt enim prima perſona. Non Filius, non modo quia Verbum, & quia natus ex intellectu, ſed ex contextu ipſius D. Io: vbi poſtquam per charitatem Deum in nobis manere, & nos in Deo docuerit; quomodo maneat in nobis, explicat illis verbis. *In hoc cognoſcimus quoniam in eo manemus, & ipſe in nobis, quoniam de ſpiritu ſuo dedit nobis*: ergo dilectio ex Deo, eſt tertia perſona Spiritus Sanctus, quem dedit nobis.

Sic hanc ratiocinationem exponit S. Auguſt. *Dei Verbum, ideſt vnigenitus Dei Filius, dictus eſt Dei ſapientia ore Apoſtolico, vbi ait, Chriſtum Dei virtutem, & Dei ſapientiam: Spiritus autem Sanctus vbi dictus ſit Charitas inuenimus, ſi diligenter Io: Apoſtoli ſcrutemur eloquium: qui cum dixiſſet. Dilectiſſimi diligamus inuicem, quia dilectio ex Deo eſt; ſecutus adiunxit: omnis qui diligit, ex Deo natus eſt, qui non diligit, non cognouit Deum, quia Deus dilectio eſt. Hic manifeſtauit eum ſe dixiſſe Deum, quem dixit ex Deo: Deus ergo ex Deo dilectio eſt. Sed quia & Filius ex Deo Patre natus eſt, & Spiritus Sanctus ex Patre Deo procedit; quem potius eorum hic debeamus accipere dictum eſſe dilectionem Dei, merito quæritur. Pater enim ſolus ita Deus eſt, vt non ſit ex Deo, ac per hoc dilectio, quæ ita Deus eſt, vt ex Deo ſit: aut Filius eſt, aut Spiritus Sanctus. Sed in conſequentibus eum Dei dilectionem commemoraſſe, non qua nos eum, ſed qua ipſe dilexit nos. & miſit Filium liberatorem pro peccatis noſtris: & hinc exhortatus eſſet, vt & nos inuicem diligamus, atque ita in nobis Deus maneat; quia vtiq; Deum dilectionem dixerat, ſtatim volens de hac re aliquid apertius eloqui, in hoc, inquit, cognoſcimus quia in ipſo manemus, & ipſe in nobis, quia de Spiritu ſuo dedit nobis. Spiritus itaque Sanctus, de quo dedit nobis, facit nos manere in Deo, & ipſum in nobis: hoc autem facit dilectio. Ipſe igitur Deus Dilectio eſt. Denique paulo poſt cum hoc ipſum repetiſſet, & dixiſſet, Deus dilectio eſt; continuo ſubiecit, & qui manet in dilectione, in Deo manet &c.*

Probat verò eodem cap. varijs exemplis eſſe in Diuinis litteris familiare, eamdem rem modo vt communem pluribus, modo vt familiarem vni rei vſurpari: Lex enim aliquando pro omni lege, aliquando pro vnica, ac indiuidua lege à Deo Moyſi data, ac per Moyſen populo tradita. Sapientia quoque inuenitur poſita vt tribus perſonis commune attributum, & tamen etiam vt ſecundæ perſonæ propria: vnde *ſapientia genita* nominatur, ac verè eſt. Quid ergo mirum ſi & charitas, & dilectio, licet eſſentialiter, & tribus communis aſſeratur, Spiritus Sancti tamen pariter inueniatur propriè legitimè aſſerta?

Denique eiuſdem lib. cap. 19. quam rationi conſentaneè Spiritus Sanctus dicatur charitas, ſua ſibi propria dicendi felicitate eloquitur. *Quapropter ſi Scriptura proclamat, Deus charitas eſt, & illa quæ ex Deo & in nobis id agit, vt in illo maneamus, & ipſe in nobis; & hoc inde cognoſcimus, quia de Spiritu ſuo dedit nobis ipſe Spiritus, cuius eſt charitas Deus. Deinde ſi in donis Dei nihil maius eſt charitate, & nullum maius eſt donum Dei, quàm Spiritus Sanctus; quid conſequentius, quàm vt ipſe ſit charitas, quæ dicitur & Deus, & ex Deo? & ſi charitas, qua Pater diligit Filium, & Filius Patrem ineffabiliter, communionem demonſtrat amborum, quid conuenientius, quàm vt ille dicatur charitas propriè, qui Spiritus eſt communis ambobus? hoc enim ſanius creditur, vel intelligitur, vt non ſolus Spiritus Sanctus charitas ſit in illa Trinitate, ſed non fruſtra propriè charitas nuncupetur, propter illa quæ dicta ſunt: ſicuti non ſolus eſt in illa Trinitate Spiritus Sanctus. quia & Pater Spiritus, & Filius Spiritus, & Pater Sanctus & Filius Sanctus. & tamen iſte non fruſtra propriè Spiritus Sanctus: quia enim eſt communis ambobus, id vocatur ipſe propriè, quod ambo communiter.* Ita S. Aug.

Ergo charitas eſt propriè Spiritus Sanctus, quia maximum donum, ſicut charitas, quia vnit, & nectit Patrem & Filium. quod charitatis proprium eſt: quod ferè poſtea Theologi expoſuerunt, quia per modum amoris procedit: quemadmodum & Spiritus propriè dicitur, non quia incorporeus: ſic enim & Pater, & Filius; ſed quia ſpiratur vt flatus, ſcilicet vt amor in Filium, & mutuo Filij in Patrem.

Hic tamen non diſſimulandæ tres inſtantiæ, ac obiectiones, quæ videntur inſurgere, ac vſque huc aſſertis obijci, quarum prima eſt contra ipſummet S. Aug de loco, quo ex D. Io: profeſſus eſt comprobare Spiritum Sanctum propriè dici charitatem, & amorem: hic enim locus, inquiunt obijcientes non admodum vrget ad hanc quam prætendebat veritatem comprobandam: tum quia ipſe S. Aug. alibi, ſcilicet lib. de gratia Chriſti contra Pelagianos cap. 21. aliter exponit; de gratia nimirum creata: *Sic enim*, inquit, *charitas, quæ virtus eſt, ex Deo nobis eſt, non ex nobis, teſtante Scriptura, quæ dicit, charitas ex Deo eſt, & omnis qui diligit, ex Deo natus eſt, & cognouit Deum, quia Deus charitas eſt*: tum (quod maioris momenti eſt, & auctoritatis) Concil. Mileuitanum Can. 4. eundem locum eodem ſenſu vſurpauit.

Sed facili negotio ſuſtineri poteſt magni Aug. expoſitio de amore perſonali, idq; gemino ex cap. ab omni Theologo, ac Doctore &c. Alterum eſt, quod S. Th. 1. par. quæſt. 1. art. 10. & quolib. 7. art. 16. & de potentia quæſt. 4. art. 1. docet, eundem Scripturæ locum plures ſenſus litterales poſſe admittere, æquè à Spiritu Sancto intentos: quod didicit in primis ex ipſomet D. Aug. multis ex locis, ac præſertim 12. Confeſſ. c. 20. 24. 26. ac potiſſimum 31. & lib. 3. de Doct. Chriſtiana c. 27. & 11. de Ciuit. Dei c. 19. quem ſecuti ſunt hi præcipuè, Abulenſis in Matt. c. 2. ſuper illud: *Ex Aegypto vocaui Filium meum*: & in eundem Matt. cap. 13. q. 26.

Lyranus ſuper cap. 8. Daniel. Cano, 2. de locis Theologicis cap. 11. & plurimi alij.

Afferunt autem plura loca ex Diuinis litteris huius generis. Gen. 1. *In principio creauit Deus cælum, & terram*. Vbi ex Lateranenſi Conc. de creatione rerum in tempore. Deinde ex voce hebræa in *principio*; ideſt in Filio, creauit cælum, & terram: *Omnia enim per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil* Io: 1. *Per quem fecit & ſæcula* Heb. 1. Vterque ſenſus litteralis eſt. Matt. 2. *Ex Aegypto vocaui Filium meum*. de Populo, & Filio Ieſu littera loquitur. Io: 11. *Expedit vt vnus homo moriatur pro populo*, & illum ſenſum accipit, quem Caiphas habebat in animo, & illum quem explicat Euangeliſta. & pſ. 2. *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te*, quod à grauiſsimis expoſitoribus de æterna Chriſti generatione, & de temporanea reſurrectione, vt & D. Paulus Act. 13.

De quibus tamen locis, ac in eis explicatis, ne dicam implicatis ſenſibus, ac myſterijs, hæc duo animaduertenda. Primum. Hos plures ſenſus poſſe eſſe conſequentes, vt vnus ex alio indicetur. Secundum. Vnum aſſertum vno loco ſenſum ab expoſitore, non excludere alterum, ſed ex fœcunditate Scripturæ vtrumq; contineri. Addo tertium. Illum verè eſſe ſenſum vnius loci litteralem, primum, & indubitatum, quem magis verba in ſenſu proprio aſſumpta præſeferunt. Ergo ex eodem loco legitimè potuit D. Aug. duos ſenſus litteræ inhærentes deducere, & D. Io: locum, & de amore perſonali, & de creato exponere: & Conc. Mileuitanum, dum vnum amplexum eſt, alterum nullo ſigno excluſit. Falſa ergo eorum conſequentia eſt, qui inferunt; de creata charitate locum hunc interpretatur Mileuitanum Conc. ergo de increata non rectè D. Aug. explicauit.

Eandem de hoc gemino ſenſu fuiſſe ſententiam D. Greg. 20. moral. cap. 2. refert, & teſtatur S. Thom. Atque hæc eo certiora exiſtimo, quo inuenitur & alterum caput adhuc magis vrgens: Dum enim dona creata à Deo in fidelium animis infunduntur, ſimul quoque neſcio quodam modo ineffabili & ipſe Spiritus Sanctus donatur: quare & propriè donum dicitur. Teſtatur S. Thom. quæſt. 43. art. 3. In ipſo dono gratiæ gratum facientis Spiritus Sanctus habetur, & inhabitat hominem.

Colligitur ex Diuinis litteris. Ad Roman. 5. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis*: & reliquorum Theologorum communis eſt. 1. ad Corinth. 3. *Neſcitis quia templum Dei eſtis, & Spiritus Sanctus habitat in vobis? Siquis autem templum Dei violauerit, diſperdet illum Deus: Templum enim Dei Sanctum eſt, quod eſtis vos*. Sed vberius infra ſuo loco, cum de miſsione perſonarum temporanea. Ergo D. Aug. de vtraque dilectione, quæ ſimul datur, rectè ac conſentaneè potuit diuerſis locis locum enucleare, & vtrobique ad litteram. Non diffiteor tamen hanc Theologicam veritatem de charitate perſonali aliunde firmitatem accepiſſe, ex omnium ſcilicet Theologorum ac Patrum conſenſione, & Eccleſiæ ſententia: & etiam ſi nullus explicatiſſimus Scripturæ locus adeſſet, adhuc tamen inconcuſſum robur obtineret.

Secunda igitur inſtantia & obiectio; quam vnicus Durandus obiecit, vnico verbo expellenda: dicerem deteſtanda, niſi Durando, quia alioquin pio, & de Theologia benemerito, debitum honorem adhibere vellem. Eo maxime, quo ſe in omnibus Sanctæ Eccleſiæ iudicio remittit. Igitur Durandus contra eam Scripturam, quam tanto acumine D. Auguſt. retulit, contra omnium Theologorum torrentem, ac totius fidelium cætus conſenſum, non erubuit tamen negare 1. ſent. diſt. 32. in Deo propriè, aut notionaliter, aut perſonaliter Charitatem accipi, ſed tantum per quandam accomodationem; eodem erroris fonte, quo dixerat & Verbum non propriè de Filio aſſeri; & quo vtrumque, quia neque Filium per intellectum propriè, neque Spiritum Sanctum per voluntatem produci autumauit, niſi quadam ſimilitudine, ſed per fœcunditatem naturæ immediatè. Sed ſuo loco ſatis exploſa, ac refutata hæc dicendi temeritas, vt hic nihil opportunum ſit addere.

Neque tamen inde colligi eſſe in Deo duos amores, ſolerter animaduertendum, alterum eſſentialem, notionalem, & perſonalem alterum; quod tamen collegiſſe Aureolum teſtatur Capreolus 1. ſent. diſt. 32. quæſt. 1. art. 1. argumentis contra concl. 5. Nam, vt & antea hoc eodem art. notauimus, non niſi virtute, & ratione ad inuicem differunt: & vt aduertit hoc art. D. Thom. idem ſunt ex natura rei, & notionalem eſſentiali nihil niſi relationem addere.

Tertia poſtremo inſtantia. Vnde ſit vt Filius in ſua propria emanatione habeat & proprium nomen, ſcilicet Verbum &c. Spiritus verò Sanctus hoc ita careat nomine in ſua tamen æquè propria emanatione, vt dumtaxat communi hoc, ſcilicet amore, & charitate, quæ cæteris perſonis conueniunt, tamen propriè nuncupetur? Iam aliàs hanc tactam, ac penè ſolutam obiectionem ſoluit adhuc S. Thom. hoc art. 1. & S. Bon. diſt. 13. quæſt. 1. ex inopia ſcilicet vocabulorum, & difficultate rei explicandæ, cuius nec ſic in humanis inuenitur exemplum, ſicuti de intellectu, ac eius emanatione; & ideo quæ ad intellectum ſpectant, magis nobis nota, quàm quæ ad voluntatem: quare ſecunda perſona dicitur Filius, & Verbum, & eius productio generatio, proprijs vocibus: tertia verò perſona, nec niſi ſpiritus nomine exprimitur, nec eius productio niſi communi proceſsionis voce nuncupatur; nec eius denique modus niſi amoris nomine explicatur.

Quapropter in ijs quæ ad intellectum Diuinum explicandum ſpectant, quatuor ſuppetunt voces, Intellectus, Intelligere, Dicere, & Verbum. Duo prima quidem ad eſſentiale, duo reliqua ad notionale intelligere: in ijs verò quæ ad voluntatem, tum quo ad eſſentialia,

tum

Digitized by Google

tum quo ad notionalia, duæ dumtaxat hæ voces habentur, charitatis, & dilectionis, ſiue amoris: & in hoc in primis emanationes differunt, in reliquis valde conſimiles, vt S. Bon. ad 3. S.Th. in corp. art.

Obſeruandum tertiò quo ad rationes, quibus hæc amoris proprietas demonſtratur. Potiſsima in hoc ratio eſt omnium Doctorum, & Sanctorum auctoritas, nemine penitus reclamante; quam in Theologicis aſſertis principem tenere locum, ſæpe ex grauiſsimorum Doctorum ſententia admonuimus: eo præſertim, quo etiam ex Diuinis litteris ſatis apertè colligitur: efficaciores autem ſunt poſt hanc, illæ duæ rationes, quę in vnam redactæ, ſic efformatur. Sicut ſe habet Verbum ad Filium, ita amor ad Spiritum Sanctum: ſed Verbum eſt Filij proprium: ergo & amor Spiritus Sancti. Eſt argumentum commune SS. Bon. & Thm. Riccardi &c. Maiorē longa ratiocinatione S. Bon. ad 3. S.Thom. toto ſatis longo huius art. corp. tuentur. Minorem verò nedum omnium Theologorum, & Sanctorum Patrum, ſed etiam apertiſsimè D.Io. 1. ſententia roboratur. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Verbum caro factum eſt*. Deinde quo ad totius argumenti vim. Verbum dicit modum emanandi Filij ad intra: ergo et amor eſt proprium Spiritus Sancti eadem ratione, quia proprium emanandi modum aſſeuerat.

Albertus Magnus eadem diſt. eandem veritatem ſic confirmat. Spiritus Sanctus ita procedit à Patre et Filio, vt in eo ſpirando conueniant ſe inuicē diligendo, et ſit amborū nexus: abſurdū enim eſſet, quod Pater & Filius vt diſtincti in nullo conuenirent: at profecto in nullo conuenirent, niſi per amorem in ſpirando Spiritu Sancto: ergo procedit vt amor. Confirmat longa indagine. Omnis natura rationalis, et non rationalis, omnes quas percipere poſſet in ſua vita iucunditates, et delicias, vt ſunt differentes, ſundāt ſuper mutuum amorem: quod etiam ex illo Philoſophorum principio conſtat: *Amicitiam, & litem eſſe rerum omnium principium*. Alteram, naturam ab ipſo vniuerſitatis principio, vt Diuinum quiddam quaſi reciperet, ſcilicet amicitiam vnientem, & congregantem: alteram autem haberet, nimirum litem, ex priuatione materiæ ſibi concretam: ergo et in Diuina inter illas Diuinas perſonas diſtinctas relatione oppoſita, vt ſumma ſit iucunditas, ac deliciæ; debet inueniri hic mutuus amor, quo nectantur, iucundentur, et delicientur: ergo producitur ſic, ac diſtinctè ſubſiſtit Spiritus Sanctus vt amor. Denique hoc conformiter omnes, dum de diſtincta ſecunda emanatione agunt.

Hinc interſerenda, ac deducenda de amoris dignitate, et excellentia, breuis animaduerſio: eſt enim inter morales affectus fœcunda radix, ac parens, deſiderij ſcilicet, timoris, ſpei, odij etc. et cordis clauis eſt amor, quo mundi, ne dicam trium mundorum, quos tum Philoſophi, tum Theologi excogitarunt, vel potius obſeruarunt; Angelici, et intellectualis ex nouem Angelorū Choris conſtantis; cæleſtis ex nouem cælis conſtructi; elementaris ex omnibus ſublunaribus efformati: eſt inquam, dicebat Pythagoras, vnitas qua annodati, et connexi viuunt ſua vita, durant, ac perſeuerant: aliàs enim lis, et inimicitia diſſolueret, poſtremiſque temporibus pereunte mundo diſſoluet.

Eſt (vt ad altiora euolemus) inter virtutes eminentioris ordinis prima, ſcilicet inter Theologicas, Spiritu Sancto teſte. *Fides, Spes, Charitas, tria hæc, maior autem horum eſt Charitas*: quæ cæteris virtutibus omnem meriti vim ita tribuit, ac confert, vt teſte D. Pau: *Si tradidero corpus meum &c. Charitatē autem non habuero, nihil mihi prodeſt*. vt neque ipſa gratia ſanctificans in opus meritorium exire ſine charitate ſufficiat, quippequę ſola ad opera dirigat meritoria omnes tum potentias, tum virtutes, ac in eas influat.

Et quemadmodum niſi ſua mirifica luce Sol in hæc inferiora aſpiceret callenti & ardenti, ac influeret; perirent omnia, tum animantia, tum animalia, & irrationalia, & ratione prædita: neque enim vnde nutrirentur haberent: ſterilis, iners, conſopita, ac infœcunda iaceret terra in primis, nullumque fructum redderet: ita propemodum de charitate, ac amore aſſerendum: cæteræ namque virtutes, omniſque animi affectio, ac exercitatio; ſteriles omnino, nullumque æterna mercede dignum ſine influēte charitate opus proferre valent. Quare poſtremo indagine, ac extrema diſcuſsione, qua Cælorum gloria dignos eliget ſummus Chriſtus Iudex, de amoris, ac charitatis fructibus erit tota, ac ſumma negotiatio: *Venite benedicti Patris mei, poſsidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi*. Matt. 25. *Eſuriui enim* (ecce amoris fœtus ac fructus) *& dediſtis mihi manducare &c.*

Sed hæc ferè comparatione ludrica ſunt, ac certe leniſsima. In Diuinis Deus formaliſsimè charitas eſt, neque vlla ſola ratione, ſed omnibus quibus concipi poteſt: eſt enim Deus, vt vna eſſentia, *amor*, vt proximis locis expendebat S.Aug. Eſt vt principium ad intra productionis, *amor mutuus, & nectens*: eſt terminus, ac perſona diſtincta Spiritus Sanctus propriiſsimè *amor*. *Amor* ergo ab æterno Deus eſt. Dēus fœcundus eſt, Deus æterna tertia perſona eſt.

In tempore inter dona ac virtutes creatas, primum ac maximum donum, lux, virtus, pretium omnis beatitudinis, ac ipſamet denique fontalis beatitudo. Quid enim beatè viuere, aliud quàm Deum præſentem videre, ac videndo, & fruendo diligere? Quo denique alio modo Deus ipſe ſempiterna iucunditate viuit, quàm ſeipſo eſſentiali amore frui? Quàm Diuinas perſonas ſempiterno notionali amore iucundiſsimè necti? Ergo intellectus rationalis *amorem hunc* habens, omnem ſanctitatem habet, omne pignus ad æternam hæreditatem habet, Deum ipſum ſibi, amando, tum ſimilem, tum vnitum habet.

Sed hæc, ne ſcholaſtici commentatoris terminos tranſiliam: eo maximè, quo & hæc indignè, & inſulsè tetigi: ſi enim Plato

in Conuiuio ſuo, ſe indignum, labiaque habere polluta, qui de amore pro dignitate loqueretur, conteſtatus eſt; quid ego de amore, tum Euangelico, tum Diuino? Ad argumenta tandem Sancti Doctoris, ac ſolutiones deueniamus, quorum

Primum eſt ex D. Aug. 15. de Trinit. cap. 17. *Charitas eſt Pater, Charitas Filius, Charitas Spiritus Sanctus, Charitas tota Trinitas:* Ergo ſolus Spiritus Sanctus non eſt Charitas, neque conſequenter ipſa Charitas & Amor eſt Spiritus Sancti proprietas.

Ipſemet S. Aug. reſpondet eodem lib. & cap. & vberrimè ſoluit, dum trifariam in Deo amorem ſumi demonſtrat: *eſſentialiter*, de quo illa verba in argumento propoſito: *notionaliter*, vt in Patre & Filio ſpirantibus: *perſonaliter*, vt amor eſt productus; & hoc tertio modo eſt Spiritus Sancti proprius, non autem primo, aut ſecundo.

Secundum. Pater, & Filius amant, amando producunt Spiritum Sanctum: ſed amor ineſt amanti: ergo Patri, & Filio ineſt, & conuenit: Spiritui Sancto nec conuenit, nec proprius eſt.

Reſp. Nec vt ineſt Deo eſſentialiter, nec vt ineſt Patri, et Filio fœcundè; ſed vt amor productus eſt Spiritus Sancti proprietas. Ad formam argumenti conceſſo antecedenti, & prima conſequentia, neganda vltima conſequentia: non enim eodem modo, quo ineſt Patri, et Filio, et ipſi amant, eſt Spiritus Sancti proprietas.

Ad explicationem tamen eorum, quæ hac reſponſione tanguntur; Amor (docet S. Th. ad 2. hoc loco) in Diuinis vt procedit, non poteſt eſſe amantis notionaliter proprietas, ſed neceſſariò erit perſona realiter diſtincta ſubſiſtens: nam inter producentem, et rem productam, intercedere diſtinctionem realem omnino certum eſt; quod in humanis non ita fieri euidens eſt: nam ibi amor procedens cum ſit accidens, neceſſariò inhæret ſubiecto, nec per ſe ſubſiſtit, et ſubiectum eſt ipſa voluntas amans: nihil enim amando extra ſe per actionem immanentem producere poteſt. Hic valde animaduertendum, vtrumque Sanctum Doctorem explicatè docere fœcunditatem voluntatis humanæ in producendo amore, ſicut intellectus in gignendo verbo.

Tertium. Sapientia non eſt propria Filio: ergo neque amor Spiritui Sancto. Antecedens eſt certum: nam et Pater, & Spiritus S. æquè ſapiens ac Filius eſt; et Sapientia attributum eſſentiale, licet aliquando quadam ſimilitudine Filio approprietur. Conſequentia probatur: nam ſicut ſe habet ſapientia ad Filium, ita amor ad Spiritum S.

Neganda prorſus conſequentia. Ad ipſius rationē neganda ſimilitudo illa; imò tanta potius diſſimilitudo inter ſapientiam, vt in antecedenti ſumptam, et amorem de quo hic, quanta inter proprium, et commune abſolutum, et relatiuum. Eſt quidem inter Verbum, et Amorem multiplex ſimilitudo, vt infra etiam explicatius conſtabit; neque tamen inter ſapientiam attributum commune, et amorem Spiritus Sancti proprietatem.

Quartum. Si amor eſt proprius Spiritus Sancti: ergo relationem aliquam dicit: nam in Diuinis omne proprium eſt relatiuum: ſed hoc inuoluit abſurditatem: ergo non eſt aſſerendum. Maior in confeſſo eſt per totam præcedentē Theologiam de hoc Diuiniſſimo Myſterio. Minor verò probatur. Nam aut dicet reſpectum ad amantes, aut ad amatum: hoc autem neutro modo rectè, vnica ratione. Si ad amātes: ergo ipſi non amant, nec ſunt amor: eadem ratione non ad amatum: nam tunc neque amatum, ſcilicet Spiritus Sanctus amaret, aut amaretur; & tamen Spiritus Sanctus amat, quia charitas eſt; amatur tum à ſeipſo, tum à Patre, & Filio, à quibus ſpiratur. Probatur autem: nam terminus amoris non eſt amor, ſed obiectum; & principium productiuum amoris non eſt amor.

Ex ſupradictis reminiſcēda in Diuinis amoris diſtinctione eſſentialis, notionalis, & perſonalis, & Spiritui Sancto competere amorem eſſentialem, ac perſonalem; tribus perſonis ſimul, eſſentialem; Patri, & Filio eſſentialem, & notionalem. Atque ita Pater & Filius ſunt amantes, & amor notionalis fœcundus; non tamen amor productus, ac perſonalis. Spiritus Sanctus eſt amor, & amans; non tamen amore notionali, & fœcundo, ſed eſſentiali: amatur quoque amore fœcundo & eſſentiali. Ad formam ergo argumenti conceſſa maiori, & prima conſequentia, neganda eſt minor: refertur enim ad amantes, Patrem, & Filium. Ad abſurdum deductum: ergo amans non eſt amor; concedo, & nego eſſe abſurdum: imò ex data diſtinctione veriſſimum: Spiritus enim Sanctus amor perſonalis non amat amore fœcundo, neque Pater & Filius amantes ſunt amor perſonalis ab ipſis productus, ſed ab eo realiter & perſona differunt.

S. Thom. ad 4. eodem ferè modo reſpondet: arguit enim ſic. Spiritus Sanctus amat: ergo ſi eſt amor, datur amor amoris. Reſpondet, & negat conſequentiam: eſt enim Spiritus Sanctus amor, & amat; neque tamen datur amor amoris: quia ſicuti Verbum intelligit; non datur tamen Verbum Verbi, quia non intelligit fœcundè: ſic fermè Spiritus Sanctus amor, licet amet; quia tamen non amat fœcūdè, nō ſequitur quod detur amor amoris

ARTICVLVS II.

An Amor perſonalis, qui eſt Spiritus Sanctus, ſit propriè nexus. D. Bon. vbi ſupra q. 2. D. Th. 1. par. q. 37. art. 1. ad 3. & 1. ſent. diſt. 10. q. 1 art. 3.

PARAPHRASIS.

PRIMA *Propoſitio. Spiritus Sanctus propriè eſt nexus, & vnitas Patris, & Filij. Probatur primò ex D. Aug. 6. de Trinit. cap. 7. vt in textu. Secundò ex opinione, tum Græcorum, qui dum aſſerunt Spiritum S. procedere à Patre per Filium ſenſu iam explicato: tū Latinorū qui dum à Patre, & Filio rectiſſimè, & probant, & decernunt; vtriq; amborū eſſe nexum, & vnionē concedūt. Tertiò ex* con-

Digitized by Google

conditione, & definitione amoris. Spiritus Sanctus eſt amor propriè, vt proxima quaſt. demonſtratum eſt: ergo nexus. Conſequentia eſt D. Dionyſ. 4. de Diuinis nominibus. Amorem, ſiue Diuinum, ſiue intellectualem, vnicam dicimus virtutem. *Quartò ex corp. quaſt. Pater, & Filius conueniunt in Spiritu Sancto concorditer ſpirando: eodem enim modo, & eadem notione, & fœcunditate ſpirant: ergo eorum nexus, & vnitas vniens. Quintò. Spiritus Sanctus ſpiratur vt amor perfectiſsimus: ergo ex amore mutuo, & reciproco: ergo vt nexus ſpiratur.*

Secunda Propoſitio corollaria. Spiritus Sanctus eſt amor vniens, & nectens ex vi & modo emanationis. Conſtat eadem ratione: nam procedit ex mutuo amore Patris, & Filij.

Tertia Propoſitio ex reſp. ad 4. Spiritus Sanctus ſi dicatur nexus; ac nectens, voce actiua, nihil inde tamen ipſum tribuere Patri, & Filio colligitur, ſed potius ab ipſis recipere: eſt enim nexus, quia ab vtroque ſimul eadem virtute producitur, vt magis paſſiuè, quàm actiuè, & ſit, & verè intelligendus nexus.

Quarta Propoſitio ex reſp. ad 3. Licet Pater ſit in quo conueniunt origine Filius, & Spiritus Sanctus, & à quo vno procedunt; non rectè tamen, nec conſentaneè amborum nexus diceretur, quemadmodum rectiſsimè Patris, & Filij Spiritus Sanctus dicitur. Probatur primò. Nexus, & vnio ſupponit, & conſequitur diſtinctionem: ergo non poteſt dici de Patre, in quo potius oppoſito modo vnitas antecedit perſona, & diuerſitas originis ab ipſo, Filij procedentis per modum generationis, & Spiritus Sancti per modum amoris, conſequitur. Secundò. Filius, & Spiritus Sanctus diuerſa ratione procedunt à Patre: ergo in ipſo non nectuntur. Conſequentia conſtat: nam eo Spiritus Sanctus eſt nexus, quo modo eodem à Patre, & Filio procedit. Tertiò. Nexus eſt proprius amoris, ſicuti proprium eſt vnire: ſed Filius, & Spiritus Sanctus cum Patre ſic non conueniunt: ergo &c.

COMMENTARIVM.

CONSEQVITVR hæc è veſtigio quæſt. ad illam, in qua iam; dum de origine & principio Spiritus Sancti agebatur, à Patre, & Filio, tanquam ab vno principio aſſertum eſt procedere: ſi enim vnus Spiritus, vnuſque amor perſonalis ſubſiſtens procedit ſic à Patre, & Filio: ergo euidenti ſanè conſequentia eorum eſt vnio, & nexus: neque ad inuicem niſi quadam ratione ferè materia differunt, quæ de Spiritu Sancto propriè dicuntur, ſpiritus, amor, nexus & donum: eo namque propriè tertia perſona dicitur ſpiritus à ſpiratione, quia à voluntate quaſi efflatur, ac ſpiratur: ſed quod ſic ſpiratur, nō poteſt eſſe niſi amor: amor enim eſt actus vitalis, & motus ab animæ voluntate in obiectum bonū, & amabile, & amatū; ſicuti oppoſita ratione intelligere eſt idem vitalis actus, ſed potius in anima, ad quā obiectū intelligibile ſuo modo ingreditur per ſpecies intelligibiles, & ſubinde intellectus fit vnione quoddam omne, & in ipſo fit intellectio. Quod ſi eſt amor ſic exiens, ſicq; ſpiratus; eo ſtatim eluceſcit, amorē quia amor, eſſe nexum quendam, eoq; ſtrictiorem, quo perfectior amor. Deniq; quia amor ex liberalitate producitur, donum eſt, & primum donum, & cætera donandi plena ratio, vt infra diſputat. ſequenti.

Spiritus verò S. eſſe propriū attributum nexum, nedū ab omnibus aſſeritur Theologis, Alex. D. Bon. D. Th. Riccar. & alijs, ſed innumeris locis à S. Patribus licet ſæpenumero ſub alijs vocibus. D. Aug. 6. de Trinit. c. 5. *Quapropter etiam Spiritus S.* inquit, *in eadē vnitate ſubſtātia, & æqualitate conſiſtit: ſiue enim ſit vnitas amborū, ſiue ſanctitas, ſiue charitas; ſiue ideo vnitas, quia charitas; & ideo charitas quia ſanctitas; manifeſtum eſt quod nō eſt aliquis duorum, quo vterq; coniungitur, quo genitus à gignente diligitur, genitoremq; diligit; ſicutq; non participatione, ſed eſſētia ſua; neq; dono ſuperioris alicuius, ſed ſuo proprio, ſeruantes vnitatem ſpiritus in vinculo pacis.* Vide quot modis dixerit Spiritum Sanctum nexum Patris, & Filij.

D. Hieron. idem alijs verbis in pſ. 17. *Spiritus S. neq; Pater eſt, neq; Filius, ſed dilectio, quam habet Pater in Filium, & Filius in Patrem.* & in pſ. 13. *Spiritus eſt amor Patris ad Filiū, & Filij ad Patrem, & tantus amor, vt ſit vnitas.* D. Bern. ſer. 2. in Pent. *Firmiſſimum vocat Spiritum S. & indiſſolubile vinculum Sanctiſs. Trinit.* & ſer. 8. in Cāt. *Oſculum Patris, & Filij, indiuiduumq; amorem.* & de amore Dei c. 7. *Amas te amabilis Domine, cū à Patre, & Filio procedit Spiritus S. amor Patris ad Filium, & Filij ad Patrem, & tātus amor vt ſit vnitas.* Et Vgo de S. Vict. ad D. Bernardum inter alia. *Si Spiritus Sanctus eſt amor cordis tui, & Patris &c.* & omnibus illis locis Sanctorum Patrum, ex quibus hæc conceſſa eſt propoſitio: *Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto*, vt infra.

Et licet inter aſſerendum, hi relati Sancti Patres reddant etiam rationes huius veritatis, propriè Spiritum Sanctum ſcilicet dici nexum amborum; admodum conſentaneè obſeruarunt tamen Theologi, ac clariori diſtinctione eas efformarunt, & ad capita redegerunt. Ad tria capita reduxit S. Bonau. Ad omnium tàm Græcorum, quàm Latinorum conſenſum. Ad naturam, & vim amoris perfecti, cuius vnire eſt, & nectere. Ad originem, ex qua producitur, nimirum ex vna fœcunditate ſpirandi in vtroque, & modum ſuæ productionis quo producitur, quod idem eſt.

Alex. ad. 4. capita; ſed horum vnum ferè extrinſecum eſt: dicit enim, Spiritum Sanctum effectione eſſe *nexum*, quo ſimul cum Patre, & Filio communicatur nobis: *vinculum* charitatis inter nos, & cum Deo, de qua Diuus Pau. ad Epheſ. 4. *Sollicitі ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis.* Quod per euidentem appropriationem dicitur. Ad hæc igitur tria propriè

Primò relatiuè vt eſt nexus: nam refertur Spiritus Sanctus ad Patrem, & Filium, tanquam ad vnum principium, vnde oritur. Secundò oſtenſiuè, quia ſic Spiritus Sanctus procedens oſtendit Patris & Filij vnam eſſe ſubſtantiam. Tertiò obiectiuè, quia Spiritus Sanctus amor eſt, & amoris terminus, Filij in Patrem, & Patris in Filium. Addendum, ſimplicius Spiritum Sanctum eſſe nexum formaliter vt hæc perſona: ſic enim producitur, ſic procedit, ſic conſtituitur in eſſe perſonæ per hunc amorem procedentem ex Patre & Filio.

Sed animaduertenda ratio ex quidditate amoris, elicita ex D. Dyoniſ. Amorem eſſe vim vnitiuam: hoc enim veriſsimum eſt. ſi aut in ſe, aut in amore creato, aut Diuino concipiatur. Quod vt certius apprehendatur, obſeruanda triplex vnio. Alia enim eſt ſubſtantialis ſui ad ſeipſum, quæ identitatis nuncupatur, quæ quidem non eſt ipſa amoris vis, & intrinſeca forma, ſed magis amoris cauſa: eo enim quo quis vnus & idem ſibi, bonum ſibi vult, ſeipſumque amat, & eadem ratione cum proportione ſumpta ſimilem ſibi amat, ac diligit: *ſimilitudo* enim, ex trito, ac certo prouerbio, *eſt cauſa amoris.*

Altera ſubſtantialis appellatur, qua cupit quis rem amatam, ferturque in eam, vt ea potiatur: & inde amans in re amata, & diuerſa ratione res amata in amante aſſeritur. Hinc amantium vulgata dogmata. *Anima*, inquit S. Bernardus, *magis vbi amat, quàm vbi animat. Vbi eſt theſaurus tuus* (Matth. 6.) *ibi & cor tuum.* D. Aug. 13. Confeſſ. cap. 9. *Amor meus pondus meum, eo feror quocumque feror.* & 11. de Ciuit. Dei cap. 18. *Ita corpus pondere, ſicut animus amore fertur quocumque fertur.* & D. Thom. 4. contra gentes cap. 19. *Eo modo*, ait, *quo locus deorſum dicitur eſſe in re graui deorſum, quodammodo ratione grauitatis, quæ eſt principium producendi rem grauem deorſum; eodem amans in re amata, & ratione complacentia dicitur in re amata, quia in ea quieſcit.* Vt ergo amor eſt *deſiderium*, teſte Platone, *pulchritudinis amatæ poſsidenda*, ſcilicet & impulſio, & inclinatio in rem amatam: & vt amor eſt amicitiæ, de ea complacet, & delectatur, ac in ea quieſcit amans, & per eandem inclinationem, & deſiderium, & complacentiam in amante, non per ſimilitudinem, ſicuti intellecta res, eſt. Hinc in ſe amicus alterius amici ſentit commoda, & incommoda, & afficitur, lætatur, & triſtatur, ac ſi propria eſſent, teſte etiam Ariſt. 9. Ethic. cap. 4.

Tertia verò vnio mentalis, qua mens verſatur affectione, & impellitur in rem amatam. Prima autem vnio eſt amoris cauſa, Secunda effectus. Tertia forma, & eſſentia amoris; ita vt dicere amorem nexum, ſit ex viſceribus rei ferè amorem definire. Nec mirum, quod mentis, & cordis vnio conetur etiam efficere realem inter amantem, & amatam cum vnionem: agens enim agit ſecundum ſuam intrinſecam formam, ac naturam, & propriam vim actiuam.

Hinc in Deo identitas eſſentiæ eſt ratio vt perſonæ ad inuicem ſeipſas ament, & mutuò, amore complacentiæ, & amore notionali: amor quaſi efficit vnionem, & ipſamet vnio ſit formaliter amor, & perſonaliter, & nexus. In nobis quoque identitas indiuidua, eſt ratio, vt quilibet ſeipſum diligat: identitas ſpecifica, vt adinuicem homines ſe amore proſequantur: Identitas quaſi media ex eodem Patre, & Auo, & origine, & ſanguine, efficit vt ardentius, & vehementius ſe diligant fratres, ac propinquiores ſanguine. Mentium verò, & cordium vnio mirificè operatur, & conatur ad realem vnionem, ac inde ſemper de amato cogitat, quid ſibi pro eo faciendum, quid vt eius præſentiam intueatur, eaque fruatur, ac indiſsolubili modo ei obſtringatur; atque ita quo ad fieri poſſit, nunquam accidat, vt ab eo nec oculis, nec mente, nec vllo alio modo diſcedat, aut ſeiungatur.

Hinc ſi Euangelica de charitate indicetur ſermo, quia *nos Dei genus ſumus*, noſtrorum omnium ipſe Pater, Dominus, creator, ac Redemptor, efficit vt tãto deſiderio, ac animi conatu in ipſum, tanquam ſuum principium ac finem, ſerui, ac filij ferantur, & anhelent, & quodcumque aduerſum, ac ipſam mortem ſuſtineant, & obeant, toto animi conatu affectent, ac quærant, potius quàm ab ipſo diuidantur (*Certus ſum enim*, clamat D. Pau: *quod neque mors &c. poterit nos ſeparare à charitate Dei &c.*) & quàm citius euolent ad eum remoto huius vitæ obſtaculo, ac corporis ab anima dirupto vinculo: vnde illæ audiuntur repetitæ Sanctorum voces, ac preces. *Dirupiſti Domine* (quaſi dirumpatur) *vincula mea &c. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore &c. Heù mihi quia incolatus meus &c.*

Sed quid mirum? inter ſe ſanguine Chriſti, ac baptiſmo, & Euangelio vnum corpus effecti, hac identitate ſe diligunt, ac ferueſcente charitate ſibi inuicem ſuffragantur, ceu eiuſdem corporis membra, fratres, & homines: identitas ergo parit amorem: amor vis vnitiua, ac cordium nexus, realem ac perfectam procurat, & operatur vnionem. Sed hæc, & fortaſſe fuſius, quàm poſtulet, aut locus, aut munus.

Verum hic non diſsimulanda, nec minimi ponderis ſeſe offert inſpicienda, & enodanda difficultas, ac dubitatio. Amor eſt nexus, non modo ratione Spiritus Sancti producti, ſed etiam ratione communis notionis, & fœcunditatis, qua ad inuicem ſe diligunt, & hac dilectione ſpirant Pater & Filius: & dubitatio gemina. Altera, quod nam ſit huius mutui amoris obiectum: an ſola ſcilicet eſſentia, an etiam perſona, & quod in eſſentia etiam relucet, ſcilicet creaturæ: ex quo nimirum amore producatur Spiritus Sanctus, ac rationi admodum conſona dubitatio: hoc enim idem de generatione Verbi quæſitum fuit: an ſcilicet nedum ex cognitione eſſentiæ, ſed & perſonarum, & creaturarum produceretur Verbum; hoc idem quærendum de Spiritus Sancti productione, ac eadem ſolertia ſoluendum: atque eo præſertim, quo tunc à quibuſdam obijcebatur, ſi ex creaturarum cognitione produceretur Verbum, etiam ex earundem

dem

Digitized by Google

dem amore ſpiraretur Spiritus Sanctus, quod eſt abſurdum: nunc enim videndum breuibus, an ſit abſurdum. Altera difficultas hinc quoque orta, ac ſoluenda; an Pater, & Filius diligant creaturas ac nos Spiritu Sancto. Cognata quidem, ac affinis alteri hæc dubitatio. Qua enim creaturas diligunt Pater & Filius Spiritu Sancto, ex earum fortaſſe dilectione, & amore, Spiritus Sanctus ipſe producetur.

1. De prima primo loco. Plura in hac dubitatione, quæ enoluenda eſſent, ſupponenda ſunt, cum eadem de Verbo iam in eadem dubitatione aſſerta ſint, nec repetenda, ne otioſa, ac inutili repetitione lectorem tædio detineam: eadem enim vtrobiq; cum proportione eſt ratio: breuibus igitur abſoluenda res hæc eſt.

Primum ergo dictum ſit. Dum Pater & Filius diligunt amore fœcundo, ac notionali ſe, ac amando ſpirant Spiritum Sanctum; adæquatum huius amoris obiectum complectitur eſſentiam Diuinam vt in ſe, vt etiam in perſonis, ac proinde perſonas, relationes, ſpirationem Spiritus Sancti ipſam actiuam, Spiritum Sanctum paſsiuum, ac in ratione obiecti producibilem. Probatur primò ratione generali, omnibus, quibus ſupra ex conſimili obiecti cognitione produci Verbum demonſtratum eſt: æque enim hic amor eſt infinitus, ſicut & Verbum productum; ac principium productiuum, & æquè obiectum diligibile, & fœcundum, ac illud cognoſcibile: & eſt argumentum in primis vtriuſque Sancti Doctoris.

Secundò. Amor hic, quo Spiritus Sanctus producitur, neceſſariò comprehenſiuus: ergo comprehendit omne diligibile: ſed diligibilis infinitè, nedum nuda eſſentia, ſed quidquid ad ipſius perfectionem ſpectans, attributa ſcilicet omnia, Scoto etiam concedente; modus itidem quo ſubſiſtit in tribus: æquè enim Dei noſtri rationem ingreditur quod ſit trinus, ſicuti & vnus; & non eſſet Deus, ſi non eſſet trinus: & eſt veluti confirmatio præcedentis rationis.

Tertiò. Vbique tum in Scripturis ſanctis, tum in Sanctis Patribus loca occurrunt, quibus Patrem Filium, Filiumque Patrem diligere aſſeritur, quorum aliqua etiam ſupra relata ſunt: ſed addo illum vnicum D. Pauli ad Coloſſ. 1. *Qui eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in Regnum Filij Charitatis ſuæ*, nimirum Filij ſui dilecti, vt peracutè exponere S. Auguſt. lib. 15. de Trinit. cap. 17. etiam nuper recenſuimus; quò Pater diſtincta perſona Filium diligere aſſeritur: ergo Filios, vt Filius diligibilis: & omnis alia expoſitio vim verborum proprietati aperram infert: & confirmatur ratione.

Vna Diuinę eſſentiæ perfectio eſt eſſe in tribus ſuppoſitis: ergo diligibilis vt in tribus: ſed ſic non poteſt diligi, niſi etiam tria ſuppoſita diſtincta diligantur: ergo ſi perfectiſsimo, & comprehenſiuo amore Spiritus Sanctus producitur, producitur etiam ex amore perſonarum, & relationum, quod idem eſt. Confirmatur ſecundò. In ſpiratione actiua Patris & Filij, Pater & Filius producunt Spiritum Sanctum diligendo ſe perfectiſsimè: ergo & vt ſpirantes Spiritum Sanctum: ergo & vt habentes realem reſpectum ad ipſum. Deinde, Spiratio actiua eſt vinculum, & nexus perfectiſsimi amoris: ergo maximè diligibilis. Præterea, Spiratio actiua eſt formaliter in Deo: ergo ſi non amatur, amor non erit comprehenſiuus: & quemadmodum nos non ſolum obiectum, ſed ipſum amorem, quem, obiectum amando producimus, diligimus; ita & in infinitum melius Pater & Filius, & ipſum Spiritum Sanctum, quem amando producunt, eodem amore amant complacentiæ: eſt enim actu exiſtens, & ſubſiſtens, & ita cogitari debet, in eodem ſcilicet ſigno in quo eſt. Probatur.

Pater in ſigno quo eſt Pater, in ſe habens eſſentiam, non poteſt non ſibi de ſe complacere eſſe Patrem, & ſeipſum naturali amore diligere; eadem ratione & Filius: ſed correlatiuè ſicuti ſunt ſimul natura, ſunt & dilectione: ergo quo vult ſe eſſe Patrem, vult & habere Filium; itidem & Filius habere Patrem: ergo ex ſui amore, & inuicem Pater & Filius volunt producere Spiritum Sanctum. Confirmatur. Illud ſignum, in quo futurus eſt Spiritus Sanctus, non eſt alius à ſigno in quo eſt: nulla enim ibi prioritas ſigni in quo, ſed tantum à quo, & originis: ergo Spiritus Sanctus diligibilis eſt vt producibilis: ergo diligitur: ergo producitur à Patre & Filio ex amore ipſius producibilis.

Secundum dictum. Ex amore etiam creaturarum producitur Spiritus Sanctus. Sed hoc priuſquam rationibus perſuadeatur, animaduertendum quot modis ſumatur, ac idoneè ſtatus, ac eſſe creaturæ ſumi poſsit. Primò ſecundum eſſe eminens; quod in Diuina eſſentia creaturæ aſſeruntur habere; quod quidem eſſe neque ratione vlla ab ipſamet eſſentia differt. Ipſa enim mee Diuina eſſentia ea eſt, vt omne cuiuſcumque rei contineat eſſe, & à qua pendeat quidquid producibile eſt: eſt namque primum ens, illimitatum ens, omne conſequenter ens. Secundo verò modo vt apta nata eſſe habere extra nihil, & extra ſuas cauſas, cuiq; non repugnat accipere eſſe exiſtentiæ; quodque eſſe poſsibile ſic acceptum eſt Diuinæ potentiæ obiectum. Tertio denique modo, vt aut habent eſſe actuale, aut aliqua differentia temporis habituræ ſunt: quod idem adhuc ſub gemina ratione: vt ſunt futuræ vel abſolutè, vel vt aiunt, ſub hoc copulato, compoſitoque ſenſu, vt ex Diuino, immutabilique Diuini beneplaciti decreto futuræ ſunt: tunc enim ſicuti non poſſunt non eſſe futuræ; ita fermè non poſſunt non eſſe dilectæ, & volitæ.

His ob oculos poſitis, hac conſimili, & à proportione quam habet Verbi generatio ad creaturarum cognitionem, ſic ratiocinari licet. Verbum producitur ex cognitione creaturarum primo modo ſumptarum: ergo & Spiritus Sanctus earundem amore ſpiratur. Antecedens ſuo loco conſtitit. Conſequentia eadem ratione qua ſupra firmatur: nam æque comprehẽſiuus eſt amor ſpirans, ac cognitio generans. Secundò. Nam ſub hac ratione creaturæ nihil aliud profecto ſunt, quàm ipſamet Diuina eſſentia. Tertiò. Sub ratione

etiam

etiam vt poſsibiles, eadem ratione ſub Diuinæ potentiæ, ac Diuinę bonitatis communicationis abſoluta, & omnimoda cognitione comprehenduntur: ergo ita certa, ac penè euidenti conſecutione, Spiritum Sanctum conſtat ex earum amore ſpirari, qua certum, & exploratum ex Diuinæ eſſentię amore.

Hæc docuiſſe S. Bon. non ambigo, dum & infra, Patrem, & Filium diligere nos Spiritu Sancto demonſtrabit, & ſupra diſt. 10. dub. 3. litt. & diſt. 32. quæſt. 1. ad 5. & 6. Hoc idem conſtanter tradidit S. Thom. quæſt. 37. art. 2. ad 3. Vbi idem de Verbo, ac Spiritu Sancto fatetur, vtramqne ſcilicet perſonam procedere cum babitudine rationis ad creaturas, poſsibiles nimirum. Neque enim alium in æternitate reſpectum ad creaturam, aut ſub alia ratione habere Verbum & Spiritus Sanctus poſſunt, quàm ſub ratione poſsibili: & Caiet. quęſt. 34. art. 3. ad primum Scoti ad hoc, ait eandem eſſe rationem de amore creaturarum, & de earum cognitione neceſſaria in Dro: & confirmatur ratione.

Sicuti Pater ſua cognitione non comprehenderet ſuam eſſentiam, niſi eam vt ideam etiam omnium poſsibilium creaturarum, & vt aptam natam eas producere, ipſiſque communicabilem: ita neque diligeret adæquatè eandem eſſentiam, niſi ſub ijſdem rationibus: & eo modo, quo cognitione terminaretur ad creaturas poſsibiles, tanquam ad obiectum ſecundarium; terminetur & Dei amor naturalis, & neceſſariua. Confirmatur: non enim poteſt non complacere ſibi Pater de hac ſua infinitè perfecta cognitione. Iterum. Sicuti intellectus Diuinus non vileſcit cognoſcendo has poſsibiles creaturas, nec extra ſe egreditur; ita propemodum Diuinæ voluntati non eſt denegandus earundem creaturarum vt ſic amor: nam neque egreditur voluntas, neque conſequenter vileſcit; & eſt amor neceſſarius, ſicuti & eſſe poſſibile creaturæ non drpendet à libra voluntate Dei, ſed habrt eſſe neceſſarium ex Diuinæ potentiæ perfectione. Quis ergo non videt & eius amorem eſſe neceſſarium?

Et quam affert Suarez lib. 11. cap. 2. diſsimilitudo inter cognitionem, & amorem Dininum, non videtur habere ſolidum fundamentum; & expoſitio verbis D. Thom. adhibita, extorta, & violenta; & loca quæ de S. Thom. opponit quęſt. 20. art. 2. euidenter de amore libero, & de creaturis vt vel ſunt, vel futuræ, interpretanda: poſsibiles verò vt ſic neceſſariæ ſunt, & comprehenduntur ſub amore neceſſario: & ſicuti actu cognoſcuntur, ita & amantur: vt tamen obiectum primarium, & cognitionis, & amoris: ſub Diuinæ enim eſſentiæ ratione comprebenduntur.

Sed vt futuræ ſunt, an ex earum amore Spiritus Sanctus producatur? Res hæc adeo non eſt clara, vt multi ſortaſſe exiſtimant, vt & in vtramque partem non liceat tutè opinari. Quo enim primò earum productio eſt libera, earum & amor videtur eſſe liber; ac proinde non ad Spiritum Sanctum producendum idoneus: nam vt proximè infra, non niſi ex amore naturali, & neceſſario potrſt ſpirari Spiritus Sanctus. Quo vero & hic amor ex inuariabilitate Dei, qua non poteſt non facere quæ decreuerat, & non velle quę ſemel voluit; neceſſarius videtur, & ideo fœcundus Spiritus Sancti: mox quia eſſentialis, & abſulutus, rarione ad relatiuum procedit, tum quia creaturæ Dei ſunt & veſtigium, & quædam imago, & effectus; in ipſis ſeipſum tanquam primarium obiectum, illas verò ceù ſecundariò videtur diligere.

Non abſonum dictum multorum ſapientum iudicio, Spiritum Sanctum hoc amore etiam ſpirari. Hoc videntur ſentire Torres præcipuè, & Zumellus, & Valentia, & alius Thomiſta ex recentioribus: & quod plurimi faciendum, ex antiqnioribus D. Bon. diſt. 10. dub. 3. litt. & diſt. 32. quęſt. 5. ad penult. arg. D. Thom. hic ad 3. & in 1. ſent. diſt. 32. quæſt. 1. art. 3. & Marſilius in 1. diſt. 35. art. 1. propoſit. 5. poſt concl. reſponſiuam: qui Patrem & Filium, dicunt, nos diligere amore notionali; ſed ex amore notionali ſpiratur Spiritus Sanctus: ergo ex amore etiam creaturarum. Quod verò de creaturis actu aliqua temporis differeotia exiſtentibus loquantur; hinc conſpicuè conſtat, præſertim S. Bon. relato dub. 3. nam bunc amorem notionalem eo eſſe & eſſentialem, quo aliquid creaturæ donatur, & infunditur, quod proprium amoris eſſentialia eſt; ſed hęc donatio actualis eſt: ergo creaturæ exiſtenti.

Confirmatur verò bæc ſententia, quæ eſt & Vaſquez diſputat. 152. cap. 2. Sicuti Pater Verbo non ſolum ſe, ſed etiam creaturas exiſtentea dicit; nam Verbum productum aptum eas etiam repreſentare; ita eadem proportione Pater & Filius diligunt creaturas etiam exiſtentes Spiritu Sãcto: & quemadmodum Pater & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto, ita & creaturas: eſt enim et idem amor, et eadem propoſitio non ita facilè in ſuo ſenſu varianda.

Non video autem, nec planè intelligo quomodo verum quod ait Vaſquez, amorem notionalem creaturas futuras liberè tangere. Si enim notionalis: ergo neceſſariua, et naturalis: ergo non liber. Quod ſi liber: ergo eſſentialis, et non notionalis; & eſt conſequentia etiam Scoti diſt. 32. quæſt. 2. ad vlt. Difficile præterea quod eodem loco idem aſſerit, creaturas à Deo Patre, & Filio diligi amore notionali; neque tamen ex earum amore produci formaliter Spiritum Sanctum: concederet quidem materialiter, nam idem eſt amor, non tamen formaliter. Amor enim primò notionalis, eſt formaliter Spiritus Sancti fœcundus, & eſt etiam ipſo teſte creaturarum: ergo etiam & creaturarum eſt fœcundus, quia vt ſic eſt notionalis. Deinde. Licet ſi vellet dicere, creaturas non terminare amorem per ſe & primariò, ſed ſecundariò, & ratione Diuinæ eſſentiæ; veriſsimum diceret: tamen ſecundariò vt in Deo, vt à Deo, vt Dei tum effectus, tum veſtigium, tum imago, terminant; & Diuinæ dilectionis tum eſſentialis, tum notionalis ſunt obiectum: qua ſententia dixit S. Thom. de Veritate quęſt. 4. art. 5. Patrem generando Verbum principaliter dicere ſe, deinde conſequenter, & quaſi per accidens, creaturas.

Arguit contra hanc ſententiam Nazzarins ex

receo·

Digitized by Google

recentiotibus Thomiſtis. Actus notionalis prius terminatur, quàm liber; ſed ſpirare Patrem Spiritum Sanctum eſt actus notionalis; diligere creaturas eſt liber: ergo prius Spiritus Sanctus ſpirari intelligitur, quàm creatura intelligatur diligi: ergo ex eius amore notionali non ſpiratur. Maior probatur: nam Spiritus Sanctus eſt ratio diligendi, & producendi creaturam. Reſponedo primò, hic agi de cognitione noſtra imperfecta, non autem de re, & argumentum hoc vim ſumere ex hac cognitione, non ex re. Secundò poſſet negari maior. Nam tum vnica actione, & amore vtrumque adæquatè fit, ſi adæquatè comprehendatur Diuina potentia, & vis amandi ſub omni ratione: tum quia eſſentialia, & abſoluta, ſicuti creaturarum amor, noſtra cognitione præcedunt relatiua. Tertiò neganda ſuo modo minor: nam creatura, vt ſemel volita, non poteſt non eſſe volita, nec Deus mutari, nec creaturæ vt ſic vlla ratione fieri poteſt mutatio. Quare creaturæ amor eſt quodammodo & naturalis ex Diuina natura immutabili, & ſubinde hoc ſenſu neceſſarius.

Hæc eadẽ videtur dicere Suarez lib. 11. de Trinit. cap. 3. Licet, inquit, Verbum non abſoluta neceſſitate repreſentet futuras creaturas; ex ſuppoſitione tamen quod futuræ ſunt, neceſſariò repreſentat: ita Spiritus Sanctus includit proportionalem reſpectum ad creaturas, vt quamuis abſolutè non diligantur; ſi tamen diligendæ ſunt, amore quo Spiritus Sanctus producitur, reſpectiua neceſsitate diligendæ ſunt. Nullam ergo video abſurditatem inde ſequi, vt ſi creaturæ diligantur Spiritu Sancto, diligantur amore notionali, ex eo amore procedat Spiritus Sanctus.

Ad rationẽ minoris argumenti Nazzarij reſpondeo. Non prius, ſed principalius Diuinam eſſentiam diligi, quàm creaturam. Hæc tamen omnia de creaturis exiſtentibus ita aſſero, vt oppoſitæ opinioni magnam probabilitatem tribuam, & ſaniori iudicio ſententiam hanc quaſi ſub problemate committam. Sed iterum infra res hæc aſſumetur.

Altera dubitatio. An Pater & Filius diligant nos Spiritus Sancto. Poteſt hic tum veritas, tum propoſitionis proprietas quæri. Scotus in 1. ſent. diſt. 32. quæſt. 2. ad vlt. quem ſequitur Rada Controu. 17. exiſtimat hanc propoſitionem eſſe falſam, hac in primis ratione. Amor, quo Pater & Filius creaturas diligere dicuntur, aut eſſentialis, aut notionalis erit; ſed neuter eſſe poteſt: ergo. Non quidem eſſentialis: nam eo amore, & Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus diligunt nos. Non notionalis: nam amor hic neceſſarius eſt, & ſubinde de obiecto primario: quod ſi etiam de ſecundario, neceſſariò tamen concomitanter: ſed hoc non poſſunt eſſe creaturæ, nam neceſſariò non conſequuntur eſſentiam, neque eſſentia neceſſariò contanguntur, ſicuti neceſſariò eidem eſſentiæ concomitantur perſonæ Patris, & Filij &c. Quare Pater quidem & Filius, & eſſentiam, & ſe Spiritu Sancto diligunt, haud quaquam creaturas. Vbi perſonas à Scoto vocari ſecundarium obiectum, admodum ſolerter animaduertendum.

Torres in hunc art. ſecutus Scoti ſententiam, in gratiam tamen D. Thom. meo iudicio non ſatis eruditè concedit, Patrem, & Filium hoc ſenſu nos diligere Spiritu Sancto: nam cum Diuinam eſſentiam, ſeipſoſque diligunt, ſimul etiam creaturas diligunt; qua ratione poſſet etiam dici Spiritu Sancto creaturas etiam intelligere: ſimul enim dum intelligunt, & diligunt.

Suarez lib. 11. cap. 3. quemadmodum Verbum abſoluta neceſsitate non repreſentat creaturas futuras; tamen ex ſuppoſitione quod futuræ ſint, eas neceſſariò repreſentat, quia procedit aptum natum repreſentare creaturas etiam exiſtentes; ita Spiritus Sanctus neceſſariò includit proportionalem relationem, vt quamuis creaturæ neceſſariò non diligantur; ſi tamen diligendæ ſunt, eodem amore quo Spiritus Sanctus procedit, diligendæ. Quare propoſitio hæc hoc ſenſu vera erit: Pater, & Filius Spiritu Sancto diligunt creaturas: nam eodem amore quo ſpirant Spiritum Sanctum, diligunt creaturas diligendas. Addit tamen, hanc ſic explicatam propoſitionem non eſſe ſatis propriam, nec idcirco ſine moderamine, ac declaratione vſurpandam.

Vaſquez diſputat. 154. cap. 2. docet eſſe in hac ſententia propoſitionem hanc veram de amore notionali, de creaturis non ſolum poſsibilibus, ſed etiam futuris: quare Spiritus Sanctus productus, non ſolum refertur ad Patrem, & Filium, ſed etiam reſpicit obiecta ſecundaria libera creaturarum: liberè tamen quemadmodum liberè productæ, vel producendæ ſunt.

S. Thom. in 1. diſt. 32. quæſt. 1. art. 1. & in hoc art. ad 3. Siue Amor, & diligere ſumatur eſſentialiter, ſiue notionaliter, vera eſt de qua hic diſſeritur propoſitio: primo enim modo Deus diligit creaturas Spiritu S. ac idem eſt ac ſi dicatur, Pater & Filius diligunt, & hoc bonum volunt, & efficiunt, tribuuntq; eſſe creaturis Spiritu Sãcto, nimirum per Spiritum Sanctum, vt Spiritus Sanctus ſit ratio efficientiæ ex parte creaturarum, ſcilicet amor quo producuntur creaturæ, vt eſſentialis in amore producto Spiritus Sancti includitur: quemadmodum & in productione Verbi totius Trinitatis & eſſentialis cognitio implicatur. Vnde oritur illud familiare S. Thomæ aſſertum. *Diuinas emanationes eſſe rationes productionis creaturarum*. Secundo verò modo hic erit ſenſus: Pater & Filius diligunt nos Spiritu Sancto: nam ſpirant Spiritum Sanctum, qui eſt ratio omnis collationis factæ creaturæ. Eodem ferè modo Marſilius infra citandus, dum Pater, inquit, & Filius ſpirant Spiritum Sanctum, donum, & ratio omnis alterius donationis creaturæ.

S. Bon. diſt. 10. dub. 3. litt. & diſt. 32. quæſt. 1. ad 5. egregiè, Patrem & Filium diligere nos Spiritu Sancto, triplici ratione poſſe conſentaneè exponi docet. Primò merè eſſentialiter, dum Pater & Filius diligunt ſe. Secundò merè notionaliter, dum Pater & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto, quod vt infra, idem ac ſi dicatur, diligunt ſe, & nectuntur ſpirando Spiritum Sanctũ. Tertiò vtrumq; modo ſimul; ſicuti cum dicitur, diligunt nos Spi-

ritu

ritu Sancto: ſic enim diligunt, & mittunt, & ſpirant Spiritum Sanctum, & hoc eſt notionale. Deinde ſimul immittunt in nobis donum creatum, quod conuenit eſſentiæ vt in tribus; quare eſſentiale eſt: & ſubdit. Sicuti Verbo Pater dicit ſe, & creaturas; eadem ratione diligit eodem Spiritu Sancto ſe, & nos. Eadem omnino Riccardus eodem loco diſt. 32. art. 1. quæſt. 2. præſertim de amore notionali. Quia, inquit, Pater & Filius ſpirant in nos, tamquam in obiectum, Spiritum Sanctum: ſicuti enim Pater vnum Verbum producit, quo ſe & omnia alia dicit, ſic Pater & Filius ſpirant Spiritum Sanctum, quo ſe & omnia alia diligunt. Addit verò, Spiritus Sanctus nos non diligit Spiritu Sancto notionali, quia non ſpirat amorem ſicuti Pater, & Filius. Ergo ex S. Bonauentura, S. Thom. Riccardo, Marſilio, & multis alijs, Pater & Filius diligunt nos Spiritu Sancto amore, & eſſentiali, & notionali, ea ratione iam explicata.

Sed quotnam modis creatura vſurpari poſsit, præterea nunc ambigendum. Si quidem tergemina ratione creaturam Schola Theologorum accipere conſueuit. Primò, vt eminenter in creatrice Dei eſſentia eſt, quomodo S. Aug. *creaturam eſſentiam creatricem nuncupat*: eſt enim prorſus Diuina eſſentia, creaturam, omne ſcilicet in ſe eſſe complectens. Secundò penes propriam eſſentiam, cui non repugnat aliquo tempore exiſtere, cuius eſſe *poſſibile* dicitur, & Diuinæ omnipotentiæ obiectum nominatur. Tertiò, aut actu exiſtit, aut aliqua temporis differentia futura eſt: primo, & ſecundo modo Pater & Filius dum diligunt ſe, ſuamque eſſentiam, & potentiam, & bonitatem, diligunt & creaturas ſimul. Tertio verò modo amore quidem à Deo diligi, non poteſt negari: nam multis locis aſſerit Diuina Scriptura. *Nihil odiſti eorum quæ feciſti. Sic Deus dilexit mundum &c.* & innumera id genus.

Quo verò amore, & ſub qua amandi ratione; non ita ſatis conſtat inter Theologos: eſſentiali amore, cuius eſt velle bonum, & dare eſſe, ac fouere; nemo rectè dubitare poteſt: ſicuti enim vnius Dei eſt creare, ita creata, & creanda diligere. Amore verò notionali, etiam collegimus ex grauioribus Theologis: creaturas verò exiſtentes, an formaliter, ac per ſe diligat Deus: certum eſt, Deum nec voluntate à ſe exire, nec aliunde quàm à ſe pendere, tum in cognoſcendo, tum in amando. Amat ergo creaturas, vt ſecundum ideas ſunt in ſe, & earum cauſa & exemplar eſt ipſe, ſcilicet vt ex ipſo ſunt, in eiſque relucet, & communicatur: ergo dum ſeipſum amat, amat & exiſtentes creaturas: quemadmodum enim vna cognitione, & eodem modo cognoſcit ſe, & alia à ſe, teſte in primis S. Bon. diſt. 29. quæſt. 1. ita eodem amore amat ſe & creaturas, quacumque ratione amabiles. An verò ex hoc amore creaturarum vt exiſtentium producatur Spiritus Sanctus, iam explicatum eſt.

Reliquum igitur eſt vt Scoti argumento fiat ſatis. Ad argumentum ergo negatur ſecunda pars minoris: eſt enim notionalis amor. Ad confirmationem, quod amor notionalis eſt de obiecto neceſſario, & naturali, creaturæ verò ſunt liberę, & contingentes. Reſpond. primò. Creaturas in eſſe eminenti, & poſsibili eſſe neceſſarias, & neceſsitate cognitas, qua ipſamet Diuina eſſentia, vt in ea idem eſſe habent cum ea, & ipſemet Scotus concedit in Deo amorem complacentiæ de creaturis poſſibilibus: in eſſe verò futuro, aut exiſtenti, negatur quod aſſumit, idque gemina ratione. Altera, nam ſicut Pater non ſolum Verbo dicit ſe, & creaturas, non tantum poſsibiles, ſed etiam exiſtentes, vt ante omnes docuit S. Aug. 15. de Trinit. cap. 13. & 14. ita fermè Pater & Filius eas Spiritu Sancto diligunt. Altera, creaturæ etiam futuræ ſicut ignorari à Deo non poſſunt ex infinita intellectus eius virtute, ex D. Bon. diſt. 29. q. 1. & 2. ita ſuo modo ſemel volitæ non poſſunt non eſſe volitæ, & dilectæ vt ſic. Ad argumenta à Sancto Doctore propoſita nunc reſpondere opportunum.

Primum verò erat. Nexus eſt ſepararorum: ſed Pater & Filius; nec loco, quia ſunt vbique; nec eſſentia, quia eſt eadem & vna in vtraque perſona, rectè poſſunt dici ſeparati: ergo neque nexu indigent. Antecedens conſtat ex termini ſignificationẽ: nam niſi ſeparata nectuntur.

Reſpondetur, & negatur antecedens, vel maior: nam necti poſſunt non tantum ſeparata, ſed etiam diſtincta: Pater verò, & Filius relatione oppoſita realiter diſtinguuntur: poſſunt ergo necti, ac vt animaduerſum eſt, & nectuntur, & in ſpirando, & producendo Spiritum Sanctum, vna duarum perſonarum, eademque eſt fœcunditas. Eadem prorſus Riccardi reſponſio diſt. 10. art. 2. quæſt. 2. ad 3.

Secundum. Nexus eſt in quo aliqua duo conueniunt, ſed Pater & Filius non conueniunt in perſona Spiritus Sancti: ergo in ea non nectuntur. Probari poteſt minor: nam licet in eſſentia conueniant, non tamen eſſentiæ ratione apud vllum ſapientem Spiritus Sanctus dicitur nexus: hac enim ratione & Filius poſſet dici nexus Patris, & Spiritus Sancti: non conueniunt autem in perſona, imò differunt, & opponuntur.

Reſp. Patrem, ac Filium conuenire, ac necti, non quidẽ in perſona, ſed in origine perſonæ Spiritus Sancti, aſſeritur: nam eadem fœcunditate vterque ſpirant Spiritum Sanctum: quare neganda minor.

Tertium. Filius & Spiritus Sanctus conueniunt in Patre: nam vterque à Patre originem ducit, ac producitur: ergo Pater eſt eorum nexus: ergo nexum eſſe non eſt proprietas Spiritus Sancti. Prima conſequentia videtur euidens ex ſuperiori argumento: nam duo necti eſt in aliquo conuenire. Secunda euidentior: ſi enim conuenit & Patri: ergo non eſt propria ſolius Spiritus Sancti.

Reſp. & negatur prima conſequentia: non enim omnis duorum in altero conuenientia eſt nexus, ſed dumtaxat quando ita conueniunt, vt ſecundum rationem ſaltem intelligendi prius diſtincti, poſtea in eo conueniendo nectantur: at vero Pater in actiua origine Filij & Spiritus Sancti oppoſito modo

do

do ſe habet: præcedit enim vnitas perſonæ, & ſubſequuter diſtinctio in duabus perſonis procedentibus: quare nexus non eſt quia plures ab vno; ſed quia vnus à pluribus, ſcilicet à duobus. Rurſus Pater non poteſt dici nexus Filij & Spiritus Sancti: quamuis enim vtrumque producat, non tamen eodem modo: nam Filium per intellectum; & Spiritum Sanctum per voluntatem & amorem: Spiritus verò Sanctus ab vtroque per amorem. Præterea eſt ſolius amoris nectere, & ſubinde ſolius Spiritus Sancti eſſe nexum: nam ipſe ſolus ab vtroque vt amor procedit: Filius autem, & Spiritus Sanctus non conueniunt in ratione procedendi, vt conſtat. Eadem ad litteram Riccardus vbi ſupra ad 4.

Quartum. Si Spiritus Sanctus eſt nexus, erit, aut quia nectitur, aut quia nectit: neutro modo eſt: ergo nullo modo. Probatur minor. Non nectitur: nam ſic & alia perſona poſſet appellari nexus, Pater ſcilicet &c. Non nectit: nã tũc nexum Pater & Filius reciperent à Spiritu Sancto, & inuerteretur natura, & ordo proceſsionis: etenim perſona procedens, quidquid eſt, & quidquid habet, recipit ab ea, à qua procedit: quocirca ei repugnat quicquam conferre ei, à qua totum recipit; & ordine originis præſupponitur actu eſſe perſona producens.

Reſp. & negatur minor: eſt enim nexus, quia nectitur, quamuis voce actiua expreſſus, quia eſt amborum amor productus. Ad probationem verò ex reſponſione ad 3. dicitur, nulli aliæ perſonæ competere poteſt nexus, ratione ibi aſsignata. Egregiũ exemplum Riccardi indicato loco de duobus lignis in vna flamma: nam Pater & Filius nectuntur in flamma amoris Spiritus Sancti ab ipſis exeunte.

ARTICVLVS III.

An Pater & Filius diligant ſe Spiritu Sancto. D. Bonauentura diſt. 32. quæſt. 1. Diuus Thom. quæſt. 37. art. 2.

PARAPHRASIS.

PRIMA *Propoſitio. Pater & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto. Vera, & propria eſt. Primò, quia in ſimili eam aſſumpſit S. Aug. nec retractauit lib. 2. Retract. cap. 22. infra. Nec ſi ipſe ſolus retractaſſet, exiſtimanda adhuc falſa: nam plurimi alij Patres eam conceſſerunt, & amplexati ſunt. Ipſe D. Aug. 7. de Trinit. cap. 5. & alibi ſæpe. D. Hieron. in pſ. 13. D. Bern. de amore Dei cap. 7. Vgo de S. Victore Epiſtola ad D. Bernardum.*

Secunda Propoſitio. Non eſt vera per appropriationem, quaſi hunc efficiat ſenſum. Diligunt ſe Spiritu Sancto, ſcilicet amore quidem eſſentiali, tamen appropriato Spiritui Sancto, qui propriè, & ſecundum perſonam eſt amor nam primò eadem ratione liceret dicere, Pater & Filius ſunt boni Spiritu Sancto, cui bonitas tribuitur: quod tamen nulla ratione concedendum. Deinde ſi eſſentialiter diligere ſumatur, itidem poſſet affirmari, Pater & Filius ſunt Spiritu Sancto.

Tertia Propoſitio. Pater & Filius verißimè diligunt ſe amore notionali Spiritu Sancto. Primò ratione Vgonis loco indicato. Si rectè diceris tu amare amore à te procedente; quare Pater & Filius non rectè dicuntur amare ſe amore Spiritus Sancti ab ipſis procedente? *Præterea ſicut ſe habet Verbum ad dicere, ſic Spiritus Sanctus ad diligere: ſed Pater producendo Verbum ſeipſum dicit: ergo ſpirando Spiritum Sanctum ſeipſum amat; & ſicuti Verbum non poteſt produci, niſi generando; ita fermè neque amor, niſi amando: ergo Pater & Filius amando ſe producunt Spiritum Sanctum, qui eſt amor perſonalis. Probatur conſequentia. Primò. Ille amor, quo ſe diligunt, aut eſt Spiritus Sanctus, aut non eſt: ſi eſt, habeo intentum: ſi non eſt, aut eſt alia perſona quæ ſit amor, aut erit eſſentialis: ſi perſonalis: ergo duæ perſonæ in Diuinis quæ propriè ſunt amor, quod ſupra probatum eſt implicare: ſi eſſentialis: ergo conuenit & Spiritui Sancto: ergo & Spiritus Sanctus producit, quod iterum eo implicare, quo & augeri Diuinarum perſonarum numerum, & Spiritum Sanctum eſſe fœcundum, iam oſtenſum eſt; & tamen conſequitur: nam hic ſermo eſt de amore producto. Præterea ex illa particula* ſe. *Si non diligendo ſe, tamen diligendo producunt Spiritum Sanctum: ergo diligendo aliud à ſe, quod inauditum abſurdum eſſet, aliquid extrinſecum vt ſic requiri ad Spiritus Sancti productionem, & illud ſolum ſufficere.*

Quarta Corollaria Propoſitio. Pater & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto, ſcilicet diligendo Pater Filium, & Filius Patrem, nectuntur ad Spiritum Sanctum producendum.

Quinta Propoſitio ex reſp. ad 4. Sicuti Filij emanatio per generationis vocem explicatur, modus verò emanandi per terminum dicere: *generando enim Pater Filium, ſeipſum dicit, & exprimit: ſic Spiritus Sancti emanatio per verbum* ſpirare *deſcribitur; emanationis verò modus per verbum* diligere: *diligendo enim Pater Filium, & Filius Patrem, nectuntur, & concordes per hunc modum amandi ſpirant Spiritum Sanctum.*

Sexta propoſitio ex quæſt. 2. S. Bonauenturæ, & eodem art. S. Thom. in qua verè, & exquiſitè, quomodo ſe habeat, & intelligendus ille ablatiuus Spiritu Sancto *in hac ſententia, Pater & Filius diligũt ſe Spiritu S. explicatur. Hic ablatiuus* Spiritu Sancto *non ſe tenet in ratione ſigni, vt ſit ſenſus: Pater & Filius diligunt ſe, & huius ſignum eſt, quod concorditer ſpirant Spiritum Sanctum, qui eſt vtriuſq; amor*

Pro-

Probatur: nam aequè poſſet dici, Patrem & Filium diligere ſe amore creato: creatus enim amor eſt increati ſignum; quod tamen omnium iudicio nimis impertinens eſt. Neque ſe tenet in ratione formæ, vt ſit ſenſus, Pater & Filius eo diligunt ſe Spiritu Sancto, quo amando nectuntur formaliter Spiritu Sancto, qui eſt nexus. Probatur. Hæc vox de Patre & Filio verè & realiter dicitur, & dicit actionem, vel paſſionem nectendi: ergo vis nectendi eſt vel à Spiritu Sancto in Patrem & Filium, vel vice verſa: non primo modo, nam tunc aliquid à Spiritu Sancto reciperent Pater & Filius, imò quidquid ſunt, ratione ſummæ ſimplicitatis in Diuinis perſonis, vbi non admittitur pars, ita vt prorſus eſſent à Spiritu Sancto, quod tamen eſt contra fidem: ergo ſecundo modo in Patre & Filio nexus eſt aliquid ab ipſis in Spiritum Sanctum: ergo non ſe tenet nexus vt forma, ſed magis quodammodo vt effectus in ordine ad principium. Confirmatur ex reſp. ad 3. & 4. argumentum.

Septima Propoſitio media via inter duas recenſitas ſententias incedens. Ablatiuus hic Spiritu Sancto *non præciſè tantum ſe tenet vt ſignum productum dilectionis, neque vt forma ſimpliciter, ſed magis vt effectus formalis, ſi in Diuinis hanc vocem effectus in ordine ad principium liceat admittere. Probatur primò ex Vgone Epiſtola ad D. Bernardum, qui effectum formalem præciſè Spiritum Sanctum Diuinæ dilectionis nuncupat. Deinde. De ratione formæ eſt inhærere, & informare: ſed Spiritus Sanctus neque inhæret, quia non eſt accidens; neque informat, quia eſt hypoſtaſis ſubſiſtens: ergò. Præterea. Vnire eſt effectus formalis formæ, & amoris: ſed Spiritus Sanctus vnit, & nectit in amando Patrem & Filium: ergo &c. Quod probatur ex ipſo Vgone. Si aliquem diligo amore à me procedente, amor ſe habet in ratione effectus formalis: ergo Pater & Filius dum diligunt ſe amore à ſe procedente, ſcilicet Spiritu Sancto, Spiritus Sãctus erit quaſi effectus formalis Diuinæ dilectionis.* Rurſus. *Pater & Filius denominantur amantes Spiritu Sancto: ergo Spiritus Sanctus ſe tenet aut ratione formæ informantis, vnde oritur denominatio, aut effectus formalis nectentis: non primo modo: ergo ſecundo: ergo non abſolutè forma, neque tantum ſignum, & effectus, vt in prima, & ſecunda opinione; ſed effectus formalis, vtramq; opinionem complectens, & modificans.*

Octaua Propoſitio. Inter Diuinum & humanum amorem hæc intercedit differentia, quod humanus eſt quidem vniens, & requieſcens, tamen quoque inhærens, quia accidens (quibus adhuc apertè indicatur D. Bonauenturæ ſententia de fœcunditate voluntatis creata) Diuinus verò non inhærens eſt, ſed ſubſiſtens, quia ſubſtantia.

COMMENTARIVM.

HAS duas quæſt. hic hac ratione connexìmus, quia vtraque eſt de huius ſolius propoſitionis interpretatione: Pater & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto: prima enim accuratè, & cumulatè, *Pater & Filius diligunt ſe*. Secunda verò, *Spiritu Sancto* in primis enucleat, ac veluti euiſcerat. Quæritur verò propoſitionis nedum veritas, ſed etiam proprietas, & ſicuti tribus particulis contexta eſt, prima, *diligere*, ſecunda, *ſe*, tertia, *Spiritu Sancto*; ita ſingulæ exquiſitè expenduntur, & diſcutiuntur: & his ſoluitur explicatiſſimè illaqueatio, quam tanto timore Magiſter ſententiarum propoſuit, ac inſolubilem exiſtimans inſolutam nobis reliquit. Quærit ergo quæſt. 1. vt obſeruat etiam Caiet. in S. Thom. art. 2. & de re, & veritate, ac proprietate propoſitionis, & duo præſtat: primum, varias refert opiniones, eaſque idoneis reijcit rationibus: ſecundum, ſeligit veram, & multis tuetur, ac confirmat. In ſecunda verò quæſt. eadem methodo illius ablatiui *Spiritu Sancto*, ſollicitè quomodo ibi ſe habeat indagans, primo loco aliorum recenſet ſententias duas: ſecundo loco eas ad inuicem confert, & ad aliquam frugem redigere conatur: tertio ferè ex ipſis veriorem colligit ſententiam, ac eruditè demonſtrat.

Sed ad hęc expreſsius explicanda, & penitius intuenda, primò ex S. Doct. cum alijs obſeruandum. Amor, & dilectio in Diuinis varijs modis ſumitur, & à Theologis verè vſurpatur. Primò, vt eſſentialis eſt, & competit tribus, ſicut eſſentia, & eſt quo formaliter quælibet perſona complacet ſibi de infinita, & infinitè perfecta, & amabili Diuina vna eſſentia. Secundò, eſt amor notionalis, quo primò Pater & Filius nectuntur, & fœcundè conſtituti Spiritum Sanctum ſpirant, & his duabus perſonis communis eſt, quibus vt ſic, nimirum vt perſonis ijs Diuinis competit formaliter, ac per ſe, ſe diligere actiuè, & fœcundè. Tertiò, eſt amor notionalis, qui & paſsiuus, & perſonalis, & eſt Spiritus Sanctus productus, amor, & terminus amoris notionalis antea indicati. Quartò, neque merè eſſentialis, neque notionalis exquiſitè, ſed medio quodam modo (liceat ſic loqui) ex vtroque mixtus, partim ſcilicet eſſentialis, partim notionalis.

Explicat vno modo S. Doctor dub. 3. litt. diſt. 10. de quo iam ſupra. Alio modo Scotus, vt amor eō ſit notionalis, quo ſpirat, eſſentialis ſi ad obiectum amabile, ac amatum confertur. Sed hoc loco animaduertendum, inter amorem eſſentialem, & notionalem, non eam intercedere differentiam, vt vlla realitate, aut formalitate exquiſita differant, vt poſsint duo amores dici: ſummæ enim ſimplicitatis ratio, vt aliàs notatum, ac ſatis demonſtratum exiſtimo, præſertim ex Sancto Bonauentura, expoſtulat, vt vnus ſolus amor, ſola ratione ac virtute differens ſit; quemadmodum neque inter intelligere Dei vnius, ac Patris, & di-

cere,

cere; vlla neque realis, neque formalis admittenda eſt differentia, vt pariter ſuo loco explicatum eſt; ita & hoc loco, vt res Diuina abſoluta, & relatiua formaliſsimè eminenter ſit ipſa (vt ita dicam) vniſsima Dei natura.

Secundò obſeruandum circa illam vocem *ſe*. Rectè D. Bonau. illum amorem nuncupat reciprocum: vox enim eſt tum grammatica, tum logica, qua amantem in ſeipſum reflectere, ſeipſumq; amare idoneè exprimitur: ad quem modum nō appellandus amor notionalis, ſed oppoſita ratione tranſiens à perſona amante in perſonam amatam. Quare Pater ita dicitur & Filius amare ſe amore notionali, vt *ſe* explicetur mutuè, ſcilicet Pater amat Filium, & Filius Patrem, ac ſic Spiritum Sanctum producunt; ita tamen vt amando ſe in tranſitiuus ſit amor: non enim tranſit in terminum productum, & quaſi effectum, vt notat etiam Albertus: ſiquidem diligendo ſe, ſeipſos non producunt, ſed Spiritum Sanctum, diſtinctam perſonam. Quapropter hæc verba, *diligunt ſe Spiritu Sancto*, non producunt ſe Spiritu Sancto, ſed Spiritum Sanctum, vt ſanctus Doctor etiam in reſponſ. ad arg. Amore igitur mutuo in tertiam perſonam tendunt, quam hoc perfectiſsimo amore, nimirum mutuo, ſolo & non alio producunt, vt ſupra ſatis.

Tertiò obſeruandum. Differentiam notandam eſſe inter hos duos modos dicendi: Pater & Filius diligunt ſe amore eſſentiali, & diligunt ſe Spiritu Sancto appropriatè: nam in primo, *diligere* ſumitur eſſentialiter, Spiritus verò Sanctus perſonaliter: in ſecundo verò è conuerſo Spiritus Sanctus eſſentialiter, diligere autem notionaliter: & licet in vtroque modo inueniatur propoſitio falſa; id tamen diuerſa ratione, atque ita diuerſo loco, & propoſito vtrumque docet ſanctus Doctor, vt conſtat in textu.

Quartò obſeruandum, circa ablatiuum in propoſitione *Spiritu Sancto*, ex pluribus Theologorum ſententijs plurea ac varias interpretationes exiſtere, vnicam tamen eſſe tutam, ac veriorem, ac communiori conſenſu probabiliorem. Alij etenim *Spiritu Sancto* de amore eſſentiali interpretati ſunt, inter quos apertè Durandus, qui veram hanc propoſitionem hac adhibita limitatione conceſsit, ſi ibi *Spiritu Sancto* non propria, aut notionali, aut perſonali acceptatione, ſed appropriata, ac eſſentiali ſumeretur. Alij quidem pro tertia perſona *Spiritu Sancto* vtentes, dixerunt, ſe habere vt ſignum, vt ex hac parte colligatur, Patrem & Filium ſe ad inuicem diligere, quod ſpirent Spiritum Sanctum, ipſumq; eſſe illius ſempiternæ mutuæ dilectionis ſignum. Alij præterea Spiritum Sanctum eſſe formam, ac formaliter nexum, quo Pater & Filius ad inuicem amando nectuntur. Hos modos dicendi eleganter reijcit Sanctus Doctor, ita tamen vt adhibita amica, & beneuola interpretatione, ex his colligat mediam, ac veram de hac propoſitione ſententiā, & apud grauiores Theologos communiorem.

S. Thom. in 1. Senten. diſt. 32. quæſt. 1. art. 1. refert ſeptem ſententias diuerſorum Theologorum, ex quibus ſex reiectis, ſuſcipit ſeptimam confirmandam, quæ in Summa hoc art. quinto loco collocata eſt, quam docuit Vgo de S. Victore epiſt. ad D. Bernar. quam eandem tuetur, ac argumentis exacta expoſitione perſuadet etiam S. Doctor hic, & tribus aſſertis complectitur de hac propoſitione omnem veritatem.

Primum autem eſt. Pater & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto, eſt propoſitio admittenda: nam multi Patres eamdem admiſerunt, ac ſuſtinuerunt, inter quos multis locis, ſaltem æquiualentibus verbis S. Auguſt. quare nec eam in ſimili retractauit, dum Patrem eſſe ſapientem ſapientia genita, quam docuit libro 83. quæſtionum quæſt. 33. lib. 1. retractat. cap. 26. oppoſitum docuit, quicquid dicere, aut opinari voluerit Gottifredus, vt referunt Scotus, & Capreolus, & eos imitatus Torres: nam & diuerſa omnino ratio, vt infra in diſputatione: & non ſufficeret ſolius Patris Auguſtini retractatio ad hanc explodendam propoſitionem: à multis enim alijs Patribus aſſeritur: neque niſi ſeipſum corrigere, ſuaſq; ſententias retractare potuit: & maior, ac melior Theologorum pars ſubſecuta eſt, & tamquam veram ac propriam, hanc propoſitionem retinuit: quippe quæ certam, ac inſignem Theologicam veritatem contineat, vt in tertio aſſerto conſtabit. Nec huius ſolertiſsimi Patris D. Auguſt. in explicandis, & corrigendis ſuis propoſitionibus per immenſa ſua volumina diſſeminatis, etiamſi leuiſſimè indigerent, ſi omnino orthodoxam ſententiam non continerent, extendendæ correptionis propter tanti Patris, quæ ei eximiè debetur, reuerentiam, pœna erat.

Secundum aſſertum. Non eſt vera, neque multo minus propria hæc propoſitio, ſi ſumatur Spiritus Sanctus, vel diligere, pro amore eſſentiali, vt primò viſus eſt indicare Alexander 1. par. quæſt. 47. memb. 2. in fine, & memb. 3. art. 3. licet tandem videatur ſumpto Spiritu Sancto pro tertia perſona, propoſitionem concedere. Durandus aperto ore tradidit 1. Senten. diſt. 32. quæſt. 1. impugnatus tamen, & expugnatus communiter à Sancto Doctore bis in primis rationibus. Prima. Si Pater & Filius rectè dicerentur diligere ſe Spiritu Sancto, hoc ſenſu æquè rectè poſſent dici ſunt boni Spiritu Sancto: nam ita bonitas, ſicuti Spiritus Sanctus tertiæ perſonæ tribuitur, & verè ſunt boni bonitate eſſentiali; quod tamen neque hucuſque auditum, nec patienter vnquam audiendum. Secunda. Si Pater & Filius diligunt ſe amore eſſentiali, tamen Spiritu Sancto tertia perſona, ita vt in prima ratione amor eſſentialis ſit Spiritus Sanctus, in ſecunda verò diligere; ſequeretur, & Patrem, & Filium Spiritu Sancto eſſe. Probatur conſequentia. Si enim amorem à Spiritu Sancto acciperent, etiam formaliter ipſum totum eſſe, propter ſummam, & impartibilem eorum ſimplicitatem; atque ita inuerteretur origo, & ordo à fide aſſertus Diuinarum perſonarum.

Quare hoc ſenſu retractauit S. Auguſt. propoſitionem, Pater eſt ſapiens ſapientia genita: non

enim accipit Pater à Filio vt ſit ſapiens, neque Filius eſt aut principium, aut forma ſapientiæ Patris, ſed eſt Pater formaliter ſua eſſentia ſapiens, vt infra paucis interiectis. S. Thom. hic, Si amor ſumitur eſſentialiter, ſic Pater & Filius non diligunt ſe Spiritu ſancto, ſed eſſentia ſua, & probat ex S. Auguſt. 15. de Trinit. cap. 7. *Quis audet dicere, Patrem, nec ſe, nec Filium, nec Spiritum Sanctum diligere, niſi per Spiritum Sanctum.* Idem docuit eod. lib. cap. 5. quidquid ſecundum qualitatem illic dici videtur, ſecundum ſubſtantiam, vel eſſentiam eſt intelligendum.

Tertium Aſſertum. Pater & Filius diligunt ſe Spiritu ſancto, vera, & propria, & admittenda in ſenſu notionali, ita tamen vt ille ablatiuus non ſe habeat, aut eſſentialiter, vt iam probatum, aut tantum vt ſignum, aut vt forma, ſed vt effectus formalis, vel quaſi formalis inter Patrem & Filium. Tres complectitur partes: prima, vt ſit admittenda: ſecunda, in quo ſenſu etiam notionali non ſit amplectenda: tertia, in quo communiter recipienda, ac à Theologis recipiatur.

Prima pars eſt multorum Sanctorum Patrum, quos tum ſupra retuli, tum infra diligentius referam, & eſt communis Theologorum.

Secunda, *ſi Spiritu Sancto*, vt dilectionis ſignum dumtaxat aſſumeretur, eadem ratione & hominis amore creato, ceu increati ſigno, poſſet Pater & Filius diligere ſe: & ita ignis combureret fumo, quia combuſtionis fumus eſt ſignum; quod tamen nedum falſum, ſed valde ridiculum eſt. Poſtea: Si Spiritus Sanctus ſe haberet vt forma: ergo influeret, inhæreret, informaret, contineretur, diſtingueret Patrem & Filium, quod abſurdiſsimum eſt, & probatur conſequentia: hæc enim munera ad formam pertinent, vt cum ſancto Doctore multi præterea obſeruant. Harum verò abſurditate quid euidentius? Tunc enim Spiritus Sanctus ageret in Patrem & Filium, ac influens conſtitueret, eorumque origo exiſteret: ſi enim diligentes eos formaliter efficeret, eos ſimpliciter produceret, vt iam ex Diuo Auguſtino animaduerſum eſt; cui tamen omnis de Spiritu Sancto veritas, & Theologia hucuſque, & Scriptura reclamat, vt cæcutientes etiam, & ſurdi, audire, & conſpicuè videre poſſunt.

Tertia autem pars, vt rationi conſona, ſic confirmanda, & rationibus roboranda: ſed prius hæc de textu ſoluenda dubitatio. Quomodo poſſit Spiritus Sanctus, aut nexus, aut actus formalis, quo Pater & Filius vniuntur, & non differunt in hoc ad inuicem, accipi, & nuncupari, ſi vt perſona producta ſumatur, vt hoc loco in hac propoſitione ſumitur: nam vt ſic ad vnionem conſequitur, nimirum ad amorem notionalem actiuum, & fœcundum in Patre, & Filio, vt potius ab eis realiter differat, & ſuo modo extrinſecus, ſcilicet diſtinctus, & oppoſitus exiſtat; ita omnia quæcumque hucuſque dicta ſunt de Spiritu Sancto nectente, & vniente, de notione Patri, & Filio communi, non de Spiritu Sancto perſona intelligenda videantur. Attamen vbique Spiritus Sanctus eſt nexus, *hic diligunt ſe Spiritu Sancto*, vt ſæpenumero repetitum eſt, neque illa notio eſt Spiritus Sanctus, ſed magis, ac verius Spiritus Sancti principium.

Reſpondet Sanctus Doctor duabus reſponſionibus. Altera, Spiritus Sanctus eſt nexus, ſcilicet terminus, & quodammodo effectus, quem concorditer in vna virtute producunt Pater & Filius: quocirca paucis ab hinc ſupra, nexum paſſiuè dici aſſertum eſt, nimirum per virtutem vnicam in Patre & Filio producti. Altera ratione principij: quo namque in duabus perſonis eſt principium productiuum Spiritus Sancti, & Spiritus ipſe Sanctus non quidem forma, ſed effectus formæ, & formalis, &c.

Sanctus Thomas hoc art. egregiè, & ratione, & exemplis in idipſum enucleat hoc argumentum. Producens denominari poteſt ab eo, quod ab ipſo procedit, non ſolum vt actus, ſed etiam vt effectus, quando effectus clauditur in intellectu actus: ita enim ignis à calefactione denominatur calefaciens: ita arbor à floritione, & florida dicitur Arbor florere floribus: ergo rectè & Pater, & Filius, ab actu diligendi, & ſpirandi, & à termino, & quaſi effectu ſpirati Spiritus Sancti (ita ferè & Riccardus quæſt. 1. diſt. 32.) denominantur diligentes Spiritu Sancto. Probatur conſequentia: nam Spiritus Sanctus clauditur in actu amoris notionalis Patris & Filij, eſtq; de ipſius ratione. Hac ſoluta dubitatione.

Tertia pars ſic confirmatur. Primo ex Vgone, qui vt in textu, hac voce vtitur, effectu formali. Secundò. Sicuti ſe habet dicere ad Verbum, ita ſe habet diligere ad Spiritum Sanctum: & ſicut ſe habet Verbum ad dicere, ita Spiritus Sanctus ad diligere: ſed Pater Verbum producendo ſeipſum dicit: ergo & Pater, & Filius ſpirando Spiritum Sanctum ſeipſos amant, ac diligunt, & ſicuti dicere explicat emanandi modum Verbi, ſic diligere, modum Spiritus Sancti; & quemadmodum ex hoc non licet aſſerere, Pater generat ſe Verbo; ita neque, Pater & Filius ſpirant ſe Spiritu Sancto. Ratio eſt, quia & generare dicit ſolam productionem, *dicere* verò modum, & expreſsionem, qua ſeipſum Pater exprimit; eodem modo fermè *ſpirare* productionem Spiritus ſancti, *diligere* verò modum, ſcilicet per amorem mutuum: vt primus terminus ſpirandi includat ſolum terminum ſpirationis, hoc eſt perſonam Spiritus Sancti; *diligere* verò etiam obiecta dilecta, ex quorum amore ſpiratur. Propterea vtriuſque diuerſa ratio, vt non liceat vnum pro altero aſſumere. Tertiò. Spiritus Sanctus eſt quo Pater, & Filius nectuntur, ſenſu proximè explicato: ad ipſum enim producendum vniuntur notione communi fœcundi amoris, & conueniunt in vno ipſo ſpirato, & denominantur ab ipſa actione ſpirandi, & ab ipſo Spiritu Sancto ſpirato, diligentes: ergo Spiritus Sanctus eſt effectus, & terminus productus, quo dicuntur ſe diligere, formalis; non forma, quia nec inhæret in ſubiecto, ſed ſubſiſtit, nec informat, nec conſti-

conſtituit, quia ſua paſſiua productione conſtituitur, atque ita deficit valdè à forma; tamen quia nectit, et ratio denominationis eſt, rectiſsimè effectus formalis nùncupatur à Theologis, et iu primis à Sanctis Bonauentura et Thoma.

Nunc de more Sancti Doctoris argumenta ſoluenda, quorum primo loco hoc proponitur. Falſa, nec admittenda: Pater et Filius ſunt Spiritu Sancto: ergo et hæc, Pater et Filius diligunt ſe Spiritu Sancto. Autecedens conſtat: nam tunc Pater et Filius ſi ſunt Spiritu Sancto, acciperent eſſe à Spiritu Sancto. Conſequentia conſimili modo certa: uam idem eſt diligere, quod velle bonnm, et velle, hoc idem eſt quod eſſe: velle enim eſt eſſentiale.

Reſp. Sanctus Doctor falſam prorſus conſequentiam: nam fit tranſitus ab abſoluto ad relatiuum; quam uegandam eſſe multis locis cum Sancto Doctore docuimus: aliàs hæc quoque concedenda eſſet. Deus eſt vnus eſſentia: ergo et perſona, quæ eſt Sabellij hæreſis. Quod verò hoc loco hæc committatur fallacia, euidens eſt: nam in antecedenti *diligere*, et *velle bonum*, quod idem cum eſſentia, abſolutnm, et eſſentiale eſt; *diligere* vero, quod aſſumitur in propoſitione, quæ excutitur, luce meridiana clarius penes notionem ſumitur. Reſponſio, et veritas hæc, ſicuti neceſſariò vera, pariter et communis: omnes enim aſtruunt, Pater et Filius non diligunt ſe amore eſſentiali, ſed notionali. Ita Sanctus Thom. Ita Riccardus etc.

Secundum. Dicere, Pater eſt ſapiens ſapientia genita, eſt ſalſa, vt fuſo ſermone ſuo loco explicatur: ergo & hæc; Pater & Filius eſt diligens, & amans Spiritu Sancto ſpirato. Probatur: nam ſicuti ſe habet ſapientia in Patre in ratione ad Filium, ita Amor, & dilectio in Patre & Filio in ratione Spiritus Sancti; & eſt commune argumentum.

Eadem eſt reſponſio, ſicut idem error, eademque ſallacia in argumento, nimirum collectio ab abſolnto ad relatiuum. Sapientia enim vbique ſumitur abſolutè, aut appropriatè: *diligere* verò, modo abſolutè, modo relatiuè, ſicuti hoc loco, dum, Pater & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto, aſſeritur. Ita prorſus S. Thom. ad 1. art. 2. ita Riccard. diſt. 32. quæſt. 1. art. 1. & quæſt. 1. art. 2.

Tertium. Hæc eſt ſalſa. Pater diligit ſe Spiritu Sancto: ergo & hæc, Pater & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto. Conſequentia admittenda videtur: nam plurale infert ſingulare; ergo ſi vna falſa iu ſingulari, erit & in plurali. Neque adeſt refugium hoc loco ad eandem fallaciam, quæ in duobus iam relatis, & ſolutis argumentis: ſi quidem hac propoſitione *Diligere* non poteſt relatiuè ſumi: nulla enim notione vna perſona reflectitur ſuper aliam, ſicuti apertè videtur reflecti, dum affirmatur. Pater & Filius diligunt ſe, ideſt mutuò, Spiritu Sancto.

Reſp. & conſtanter obijcit eamdem ſallaciam, & affirmat in hac propoſitioue, *Diligere* accipi relatiuè; & ideo uegauda conſequentia: nam in prima propoſitione ſumitur abſolutè, & eſt ſalſa: tunc enim ſequeretur, Pater eſt Spiritu Saucto, & Spiritus Sanctus ſe haberet quaſi vt forma dans eſſe Patri; & tameu de fide eſt vt ab ipſis procedens origiue realiter diſtinctus, & ſpiratione paſsiua, ſit. Quod verò Pater non diligat ſe Amore notionali, inde conſtat; nam Spiritus Sanctus non ſpiratur niſi amore mutuo, & reciproco, veluti perfectiſsimo. Neque verum quod additur, actionem perſonalem reflecti ſupet aliam perſonam, ſed tranſire tanquam in obiectum: Pater enim diligit Filium, & Filius Patrem, tanquam obiectum, quod notat Sanctus Doctor illa particula; *retranſitiuè*, ſcilicet Amor Patris tranſit in Filium, et Amor Filij iterum in Patrem, vt in obiecta. Sic in corp. quæſt. Ad formam ergo argumenti neganda conſequentia, propter implicatam ab abſoluto ad relatiuum fallaciam.

Quartum. Diligere conuenit tribus perſonis: ergo non eſt notio. Conſequentia eſt certa. Antecedens arridet. Pater enim diligit Spiritu Sancto: Filius diligit Spiritu Sancto: Spiritus Sanctus pariter diligit Spiritu Sancto.

Reſp. & ſicut ſemper eadem ſallacia laborant argumenta, itidem eadem repetita ſallacia & hoc, ſicut & reliqua ſolnit. Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus diligunt ſe amore eſſentiali, & complacentiæ, & creaturas etiam eodem Amore efficaci: ſic enim Geneſ. 1. & 2. de creato muudo, & de ſingulis ferè creatnris per quandam complacentiam, *vidit quod eſſet bonum* &c. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant vale bona*: nequaqnam ſic complacens approbabat, & benedicebat Deus Creaturas amore ſpirationis, & notionali, aut eodem amore ratione ſpirationis. Neque tamen inde colligendum, amorem eſſentialem, & notionalem eſſe duos amores re diſtinctos: ſunt enim idem prorſus; eſſentialis verò accipit modum, & fœcunditatem in perſonis, in Patre ad generandum, in Patre & Filio ad ſpirandum; ita vt Amor notionalis ſit modus eſſentialis amoris, ſicuti perſona eſt modus relatiuus Diuinæ eſſentiæ. Eſſentialis eſt communis tribus perſonis, & ad extra eſt omnipotens, notionalis eſt ad intra duarum perſonarum fœcundus; ita tamen differunt, vt ab vno ad alium non admittatur conſequentia, ſicuti neque à re ad modum rei.

Quintum. Eodem amore Pater & Filius diligunt ſe, quo & nos: ſed uos amore eſſentiali: ergo & ſe.

Reſp. Conceſſa maiori, neganda minor: nam & nos Spiritu Sancto, hoc eſt amore notionis, & ſpirationis diligunt Pater & Filius; conſimili modo quo Pater dicit & ſe, & Creaturas Verbo, & Verbum inde quadam ratione refertur etiam ad Creaturas; quemadmodum & ſub ratione Doni Spiritus Sanctus. Quod verò addit Sanctus Doctor, non omnino eſſentialem eſſe amorem hunc, ſed connotare aliquid eſſentiale, iam aliàs explicatur, & hæc eſt identitas Amoris eſſentialis,

& notionalis: idem enim Amor, vt nuperrimè dicebam, vt in diſtincta perſona, ſit notionalis, & acquirit modum fœcunditatis eſſentialem includentem.

S Thom. ad 3. eadem vi docet, eodem nimirum amore Spiritus Sancti ſpirati diligere ſe mutuo Patrem & Filium, & nos: nam diligere ſecundum notionem, & productionem Spiritus Sancti, & perſonam productam, & creaturam per amorem dilectam, complectitur: quocirca ſicut Pater eodem vnico Verbo dicit ſe, & omnem creaturam, quatenus Verbum repræſentat & Patrem, & omnem creaturam; eodem modo diligunt Pater & Filius ſe inuicem, & omnem creaturam, quatenus Spiritus Sanctus procedit vt Amor primæ bonitatis, qua amat ſe, & omnem creaturam: ſecundariò tamen, & dicuntur Verbo, & amantur Spiritu Sancto creaturæ, vt Veritas, & Bonitas Diuina eſt principium intelligendi, & amandi &c. & hoc idem, quod dicebat S. Bonau. amorem hunc non eſſe omnino eſſentialem, ſed connotare aliquid eſſentiale, bonitatem nimirum hanc primam, & ab ea creaturas; vt ad modum noſtrum intelligendi, Amor, de quo hic, ſit quodammodo mixtus. Riccardus verò ideo Deum nos Spiritu Sancto diligere tradit, quia ſpirat in nos Spiritum Sanctum, tanquam in obiectum amatum. Et hic ſingularis locus vtriuſque S. Doctoris, quo Spiritum Sanctum etiam ex amore creaturarum exiſtentium produci dignoſcitur, vt alio loco explicatur, & ſuſtinetur.

Neque hic Sanctus Thomas contradicit Sancto Bonauenturæ, dum Patrem diligere ſe, aſſerit, etiam Amore notionali: nam Sanctus Bonauentura, Patrem docuit diligere ſe, ſumendo *diligere* abſolutè, & *Spiritu Sancto* relatiuè: non negauit tamen de amore quaſi mixto ex vtroque, vt paucis ſupra dicebam. Præterquamquod ad plenam rationem principij ſpiratiui quaſi non ſufficit fœcunditas in ſolo Patre, ſed requiritur & in Filio, vt amor ſit mutuus, & reciprocus, à quo Spiritus Sanctus. Neque hinc adducendum, Patris amorem eſſe imperfectum, ſed adæquatam vnicam fœcunditatem ad Spiritum Sanctum vtramque perſonam requirere. Non adæquatè ergo hoc loco illis verbis fœcunditatem hanc explicuit S. Thom.

Sextum adhuc perſeuerat contra veritatem, & proprietatem propoſitæ propoſitionis. *Diligere* non poteſt ſupponere pro relatiuo: aut enim actiuè relatiuè, aut paſsiuè. Non paſsiuè: nam ſic probatur. Paſsiuè eſt ipſamet Spiritus Sancti perſona, qui cum à Patre & Filio differat realiter, non poteſt de ipſis prædicari, diligunt paſsiuè Spiritu Sancto; neque etiam denominatiuè; neque abſtractè, vt dicatur, Pater eſt proprietas paſsiua; neque concretè, vt; Pater eſt Spiritus Sanctus &c. Non actiuè: nam tunc idem eſſet ſpirare, & diligere, & proinde poſſet quis dicere: Pater & Filius ſpirant ſe Spiritu Sancto; quod tamen æquè falſum eſt, ac illud ſupra explicatum: Pater generat ſe Verbo: ergo quocumque ſe vertat Theologus, propoſitio quæ verſatur, apparet falſa.

Reſpondetur. Sumendum verbum *Diligere* actiuè; neganda tamen conſequentia: diuerſa enim admodum ratione eandem rem ſignificant *diligere*, & *ſpirare*, vt ab vno ad aliud nulla teneat conſequentia. Quare duo obſeruanda oculatè in Diuinis emanationibus. Alterum, eſt actus, quo perſona producitur, & emanat. Alterum, modus, quo eadem perſona procedit à ſuo principio. Perſona etenim Filij quo ad actum dicitur generari, quo ad modum explicatur per Verbum *Dici*: dum enim Pater generat, exprimit ſe, & quidquid aliud in ſe cognoſcibile; & dicit. Hinc fit, vt non congruè arguatur à verbo *Generat*, ad verbum *Dicit*: fit enim tranſitus à re ad modum: neque propterea idoneè colligitur: Pater dicit ſe Verbo: ergo & eodem Verbo ſe generat. Eadem regula, & veriſsima, & obſeruanda cum de Spiritu Sancto agitur. Nam *ſpirare* actum præſefert; *diligere* verò modum, quo Pater & Filius ſpirant Spiritum Sanctum, nimirum per amorem, & liberalitatem, & donum: ergo non rectè Syllogizabat. Diligunt ſe: ergo ſpirant ſe Spiritu Sancto.

Neque ad rem rectè obijciebatur, in his verbis, Pater & Filius diligunt ſe &c. admittitur contra omnes Theologos, vnam actionem notionalem vnius perſonæ reflecti ſupra aliam perſonam, ſcilicet Amorem Patris ſupra Filium, & vice verſa, nam mutuo ſe diligunt: certa enim hæc additur ſolutio. Nullam hic interuenire reſlexionem, ſed directum tranſitum Amoris vnius perſonæ in aliam, ſicut in obiectum amatum, Patris in Filium, & Filij in Patrem.

Ad idem argumentum S. Thom. reſpondet; & incidit in idem, & merito, nam eadem, & vna eſt veritas. Cum dico, Generat Pater, & Pater & Filius ſpirant; actum dumtaxat notionalem deſigno, quo duæ perſonæ producuntur: cum vero dico, Dicit, & Diligunt; diſtinguo, & deſcribo diſtinctam perſonam, diſtinctæ autem ſunt per diſtinctum modum emanandi, diuerſa ſignificatione his duobus verbis indicatum, & ab vno in alium ſecundum artem non colligitur. Eadem ergo doctrina, & reſponſio vtriuſq; Doctoris.

Notandum, eandem vim, & doctrinam eſſe quarti & ſesti argumenti: quare vtriuſque vnam dedimus reſponſionem, & in textu S. Doctoris ordinanda ſeries argumentorum.

Ad argumenta ſecundæ quæſtionis eiuſdem articuli.

Primò. Si Pater & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto: ergo non infinitè, & ſecundum ſe totos, ſed per participationem diligunt. Probo conſequentiam. Qui formaliter diligit ſe alio amore à ſe, diligit

ligit per participationem:ſed Spiritus Sanctus eſt alius realiter à Patre & Filio:eſt enim alia perſona: ergo. Sed hoc abſurdiſsimum eſt in Deo admittere: ergo propoſitio profliganda,qua Patrem,& Filium diligere ſe Spiritu Sancto, & amore notionali, & tertia perſona, pronunciatur.

Soluit egregiè, & geminam diſtinctionem ad ſoluendum argumentum aſſumit. Prima verò eſt; *Alium*,aut *aliud* in Deo duobus modis accipi poſſe: altero eſſentiali, perſonali altero, & notionali; nimirum cum Pater & Filius dicuntur diligere ſe formaliter alio à ſe amore, vel ita alio, vt ſit alterius eſſentiæ, vel altera perſona. Altera diſtinctio ex Vgone. Aliquem amare poſſe vel ſeipſo, ſi amans eſt amor, quo amat, vel amore à ſe producto (ſingularis locus, quo voluntatem creatam verè Amorem producere, etiam ex Vgone aſſeritur) Animus creatus non poteſt amare ſeipſo: non enim eſt Amor, ſed amore à ſe producto, qui eſt qualitas quædam. Deus ſolus & ſeipſo, hoc eſt amore eſſentiali, & à ſe ſpirato Amore, ſcilicet Spiritu Sancto, amare poteſt. Ad argumentum ergo neganda ſequela maioris: Si enim amaret alio amore a ſe eſſentiali, eſſet per participationem, nam amor ille creatus eſſet, & repugnat hoc amore Deum amare formaliter, niſi Amor ſumeretur pro effectu, & Dono ex amore: ſed tunc non amat formaliter, ſed effectiuè; verum amat Deus amore perſonali à ſe producto &c. qui idem cum eſſentia.

Secundum. Si Spiritus Sanctus eſt ille, quo formaliter Pater & Filius diligunt ſe: ergo ſine illo amare non poſſunt. Sed hoc eſt falſum, nam amant amore eſſentiali: ergo.

Reſpondetur. Huius argumenti, & eorum, quæ ſequuntur, petenda ſolutio ex tradita doctrina in corp. quæſt. & ibi ex interpretatione, quomodo ſumatur Spiritus, & ex quo formaliter Pater & Filius diligunt: non enim omni proprietate verum: de ratione enim adæquata formæ, & inde formaliter, eſt tria verè præſtare. Primum; verè inhærere. Secundum, vnire vbi inhæret. Tertium, vt ſit cauſa ſuo modo producens. Spiritus verò Sanctus hoc loco vnit quidem, & nectit Patrem & Filium, his tamen non vnitur, neque inhæret in ratione formæ, neque quaſi informat: tunc enim non eſſet hypoſtaſis, nec ſubſiſteret, nec ab ipſis vt tertia perſona diſtincta exiſteret. Dicitur ergo formaliter Spiritus Sanctus, quo Pater & Filius amant, non qua parte inhæret, ſed qua parte nectit, vt quaſi effectus. Dixi, quaſi, nam Spiritus Sanctus non eſt nec effectus, nec factus: differret enim à Patre & Filio eſſentia, & eſſet contra Symbolum S. Athanaſ. *Non factus, nec creatus, nec genitus, ſed procedens*, & productus amando, ſicuti flos ab arbore florendo productus, vnde florere denominatur. Ad formam ergo argumenti. Ad maiorem. Deus duobus modis amat, ſeipſo, & eſſentialiter, & Spiritu Sancto notionaliter, & vnus ſine alio poteſt quoquomodo intelligi: Tunc de ſingulis ſeiunctim ſumptis concedo maiorem, & totum argumentum. v. g. Pater, dum amat ſe amore notionali, non poteſt ſe ſine ipſo amare, & non eſt falſum, Patrem non poſſe intelligi ſine Spiritu Sancto: Si verò de vtroque ſimul, falſum eſt, Patrem & Filium non poſſe amare ſine notionali amore: poteſt enim amore eſſentiali, & tum actu diſtincto intellecto Spiritu Sancto.

Tertium. Spiritus Sanctus eſt perſona diſtincta, & ſubſiſtens, à Patre & Filio. Ergo non poteſt eſſe forma, qua Pater & Filius formaliter diligunt.

Ferè reſponſum eſt: concedo enim non eſſe formam inhærentem, ſed nectentem, & terminum productum amore, à quo verè denominantur amantes, vt incluſo in actione amandi.

Quartum. Spiritus Sanctus eſt relatiua perſona oppoſita, & condiſtincta à Patre & Filio, à quibus ſpiratur: ergo non eſt, neque poteſt eſſe, & repugnat ei eſſe ipſorum formam, qua inuicem dicuntur ſe & mutuo diligere. Conſequentia conſtat. Nam de ratione formæ eſt informare, & inhærere ei, quod informat.

Reſpondet eadem ferè reſponſione, Sicuti idem eſt argumentum, mutatis quibuſdam verbis:non enim Spiritus Sanctus eſt forma informans Patrem & Filium, ſed in amando nectens, & ſpirando: eſt enim Spiritus Sanctus, quem concordes vnica vi ſpirant, à quo proinde denominantur amantes.

Quintum. Si Spiritus Sanctus eſt ratio, & cauſa formalis, qua Pater & Filius diligunt ſœcundè: ergo præcedit Patrem & Filium: ſed hoc omnino falſum: inuertit enim Diuinarum perſonarum ordinem, & Spiritum Sanctum, quia amor ab ipſis ſpiratur, & procedit.

Reſp. eadem doctrina: negatur enim Spiritum Sanctum eſſe rationem, & cauſam formalem informantem, & inhærentem; ſed dumtaxat nectentem, vt iam explicatum eſt: & eſt ſignum, & fructus, & quaſi effectus amoris ſpirantis Patris & Filij, & terminus. Neganda ergo conſequentia ex falſo antecedenti.

DISPVTATIO BREVIS.

De veritate huius propoſitionis. Pater & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto, in hæc capita diſtributa.

Primum Caput. Danda, & ab omnibus ampleхanda hæc propoſitio, & qua certitudine.

Secundum Caput. Quanta varietate à Theologis accipiatur.

Tertium Caput. Huius propoſitionis interpretatio cum ſuis rationibus.

Quartum Caput. Aliorum interpretationum, ac rationum refutatio.

Quintum Caput. Multa dubia corollaria ſoluit.

CAPVT I.

DVO nobis hoc cap. præſtanda. Alterum, admittenda propoſitio. Alterum, quam certitudinè contineat deducendum. Primum perſuadetur primò illis Sanctorum Patrum locis, quos ſupra, cum Spiritum Sanctum eſſe nexum demonſtrabam, recenſui. Deinde in primis S. Aug. lib. 6. de Trinit. cap. 5. Spiritum Sanctum vocat vnitatem, Sanctitatem, & Charitatem Patris & Filij, & amorem, quo genitus à genitore diligitur, generatoremq; ſuum diligit: & ferè ſtatim. *Deinde non amplius quàm tria ſunt, vnus diligens eum, qui de illo eſt, vnus diligens eum, de quo eſt, & ipſa dilectio.* & lib. 15. de Trinit. cap. 17. *Spiritus Sanctus ſecundum Scripturas Sanctas, nec Patris ſolius eſt, nec Filij ſolius, ſed amborum, & ideo communem, qua inuicem ſe diligunt Pater & Filius, inſinuat charitatem*, & ferè formaliter in D. Aug. iacet hæc propoſitio.

Præterea alijs locis inſinuata. lib. 5. de Trinit. cap. 11, lib. 7. cap. 3. lib. 1. cap. 5. de Doctrina Chriſtiana. Quibus locis Spiritum Sanctum concordiam, & complexum, & vnionem Patris & Filij aſſeuerat: neque hanc vnquam retractauit, neque formaliter, neque in ſimili. Primò, nam eam tot locis tradidit. Secundò, quia eam deinde addictiſsimi S. Aug. diſcipuli amplexati ſunt, D. Bern. Vgo de S. Vict. D. Thom. & reliqua Schola. Tertiò, neque in ſimili, quod falſo opinatus eſt Gottifredus, vt peracutè contra eum arguit Scotus in 1. diſt. 32. quæſt. 2. *§. primam quæſtionem*, idque gemino ex capite.

Primò enim quod lib. 83. quæſt. 23. dixit S. Aug. Patrem eſſe ſapientem ſapientia genita, & viſus ſit lib. 1. retractationum cap. 26. & libris citatis de Trinit. retractaſſe, non abſolutè retractauit, ſed magis propoſitionem, quo ſenſu ſit aut vera, aut falſa, declarauit, vt deinde Scholaſtici obſeruarunt: nam ſi propoſitio hæc: Pater eſt ſapiens ſapientia genita, ita accipiatur: Pater cognoſcit res in Verbo obiectiuè, vt nullam contineat dependentiam cognitionis à Verbo; vera eſt, nec eam retractauit, & eadem eſt cum illa: Pater intelligit, & eſt intelligens, & dicens Verbo, & ſapientia genita. Retractauit vero in hac ſententia, Pater eſt ſapiens ſapientia genita, ſcilicet ſapientia genita, & Verbum eſt principium Patri vt intelligat, & accipiat à Filio ſapientiam.

Qua ſententia & hęc eſt falſa, Pater & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto, ſi Spiritus Sanctus accipiatur vt cauſa, & principium amandi Patri & Filio: eſſet enim tunc Diuinarum perſonarum inuerſus ordo, & Spiritus Sanctus ſpiratus, & productus, conſtitueretur producens, & ſpirans. Legendus D. Bon. quæſt. 3. ad arg. & Alex. quæſt. 67. memb. 3. art. 2. §. 3. qui interpretatur, & obſeruat, in huius propoſitionis retractatione non dixiſſe, ſe in lib. 83. quæſt. male dixiſſe, ſed melius in libris de Trinit. nam poteſt aliquem bonum habere ſenſum: & ſecundum alterum, Pater ſapiens ſapientia quam generat, & abſolutè, id eſt Pater eſt ſapientia, quam genuit, quæ eſt ſapientia, id eſt eſſentia: eſſentia enim eſt ſapiens. Alterum, Pater eſt ſapiens, & cognoſcit per Filium, & in Filio omnia. Vera eſt, quando Filius poteſt eorum quæ Pater noſcit habere rationem principij, non in ordine ad Patrem, ſed ad ea quæ nouit: & Pater noſcit omnia propter Filium; vera eſt, & facit ſenſum: noſcit omnes creaturas eſſe propter Filium.

Secundò proinde omnino diuerſa ratio vtriuſq; propoſitionis, & ab vna neganda conſequentia ad alteram. Nam ſapientia in Diuinis communi acceptione ſumitur eſſentialiter, vt inter alios teſtantur D. Bon. diſt. 32. quæſt. 3. S. Thom. hic ad 1. Diligere verò, tum eſſentialiter, tum etiam notionaliter, & relatiuè: non poteſt ergo Pater eſſe ſapiens per ſapientiam genitam, ſicuti non poteſt eſſe per Filium, neque ab ipſo accipit eſſe, ſed eſt ſapiens formaliter per ſuam eſſentiam. Confirmatur, quia non intellecta generatione Filij intelligitur tamen Deus ſapiens. D. Bonau. vberrime ad argumenta. Poſſunt tamen Pater & Filius diligere, & eſſe amantes Spiritu Sancto tertia perſona: nam hic diligere ſecundum notionem, & ſpirationem, & productionem per amorem mutuum, rectiſsimè vſurpatur: ergo retractata vna propoſitione, altera non præſumitur retractata.

Secundò accipit hæc propoſitio veritatis robur à ferè vniuerſa Theologorum Schola, quæ omnibus temporibus eam ſuſtinuit, in Scholis docuit, & Scriptis euulgauit. Primò. Alexan. 1. par. q. 47. memb. 2. in fine, & memb. 3. art. 3. licet à multis abſque ratione inuoluatur in opinione Durandi: quamuis enim teſtetur ſe non inuenire in D. Aug. Pater & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto, propoſitionem formalem, licet inueniatur hæc: Spiritus Sanctus eſt amor, quo Pater & Filius diligunt ſe inuicem; non inuenitur tamen, nec ſequitur: Pater & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto: neque Sanctorum dicta extendenda ſunt: paucis tamen interpoſitis, his verbis quærit, qualis habitudo notetur, cum Pater & Filius, dicitur, diligunt ſe Spiritu Sancto.

Dicendum quod non notatur habitudo formalis, ſed formæ exiſtentis ab his, quorum eſt forma, & quantum diligunt: vinculum enim, vel nexus, ſeu copula cedit in rationem eorum, quorum eſt copula, nexus, ſeu vinculum. Docet Spiritum Sanctum eſſe formam, & nexum Patris & Filij; non quidem formam inhærentem, & informantem, ſed productam à diligentibus Patre & Filio. Quod idem S. Bon. & S. Thom. Nec etiam ſequitur: diligunt ſe Spiritu Sancto: ergo ſpirant ſe Spiritu Sancto: quamuis notionaliter diligant ſe Spiritu Sancto (apertiſsimè concedit propoſitionem) *ſpirare* enim dicit reſpectum ad Spiritum Sanctum, vt procedentem à Patre & Filio; *diligere* verò ad Spiritum Sanctum, vt nexus, & amor: ſicque quamuis eadem notio deſignetur, non tamen eo-

dem

dem modo, & eſt fallacia quaſi ſecundum accidens in huiuſmodi argumentis.

Sic interpretantur Alexandrum etiam Vaſquez, & Suarez. Albertus Magnus diſt. 32. vbi diffusè refert, & explicat, & ſuſtinet doctrinam Vgonis, vel Riccardi de Sancto Vict. Epiſtola ad D. Bern. de hac propoſitione. D. Bon. hoc loco, & alibi. D. Thom. hic cum Caiet. & reliquis ferè Thomiſtis. Capreolus quæſt. 1. art. 1. concluſ. 5. Riccardus quæſt. 1. diſt. 32. Scotus quæſt. 2. *§. ad aliam quæſtionem*. Gabriel quæſt. 2. art. 2. concluſ. 1. Marſilius in 1. diſt. 14. art. 4. notand. 3. concluſ. 1. & 2. & alij, vt ſit recepta communis in Schola ſententia.

Quali verò veritate conſtat? qualem ei afferre poteſt & tot Sanctorum PP. auctoritas, & communis Theologorum Schola. Et ſi ex re ab hac propoſitione complexa ſumenda eſt huius rei certitudo: ſi hæc res eſt à melioribus Theologis explicata, vt cap. ſequenti conſtabit; in hac ſententia Pater & Filius vna fœcunditate amoris ſpirant Spiritum Sanctum, tanta certitudine pollet, quanta hæc veritas, Spiritus Sanctus per modum amoris à Patre & Filio, tanquam ab vno principio procedit. Quare quæ obſeruat Suarez lib. 11. c. 3. non ſufficiunt ad eneruandam, neque minuendam huius propoſitionis certitudinem, vt intuenti conſtabit. Neque argumenta quæ refert ipſe, eorum qui hanc propoſitionem aut negant, aut parum certam, ac propriam exiſtimant, magni certe ponderis ſunt.

Quod enim primò hanc à D. Aug. retractatam dicebant, negatum eſt. Quod ſecundò, non inueniri formaliter in Patribus, afferebant; reſponſum eſt, pro eadem certitudine ſufficere inuenti tum æquiualentia verba, tum rem propoſitione ſignificatam ferè euidentem. Deinde quod obſeruat num. 5. valde diuerſas has eſſe propoſitiones: Pater & Filius diligunt ſe amore, qui eſt Spiritus Sanctus: & Pater & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto: nam prima vera eſt ratione identitatis inter amorem & Spiritum Sanctum: ſecunda verò ratione formæ, quæ ſit Spiritus Sanctus conſtituens Patrem & Filium formaliter diligentes, & minimi momenti eſt, & falſa. Primò. Identitas illa inter amorem, & Spiritum Sanctum, formaliſſima eſt: quid igitur impedit oc vtroque modo veriſſimè proferatur propoſitio? Præterea falſum eſt, illa propoſitione Spiritum Sanctum ſe habere vt formam &c. & iam in Commentario ex S. Bonau. & S. Thom. in primis, cum plurimis alijs demonſtratum eſt.

Quod tertiò. Sicut Pater non intelligit ſe Verbo, quia non eſt ſapiens ſapientia genita; ita neq; idem Pater, neque Filius diligunt ſe Spiritu Sancto: & probatur, tum ſimilitudine, tum conſequentia. Nam ſicut ſe habet intelligere ad intelligentem, & producentem per intellectum; ita diligere ad diligentem, & per dilectionem producentem: & ſicuti Verbum eſt terminus productionis; ita æquè & Spiritus Sanctus dilectionis. Confirmatur, quia ſicuti ideo Pater non eſt ſapiens ſapientia genita, quia ſapientia eſt aliquid in Patre non receptum à Filio: eadem ratione Pater & Filius, non concedendum, quod ſe diligant Spiritu Sancto, quia diligere eſt aliquid in ipſis non receptum à Spiritu Sancto.

Reſpondeo, & neganda eſt tum ſimilitudo, tum conſequentia. Ad repetitas, & plures confirmationes, vnico verbo ſoluitur, ex differentia quam vterque S. Doctor conſtituit inter intelligere, & dicere, & diligere, & ſpirare, & iam obſeruatum eſt. Diligere, nedum terminum, ſed etiam obiectum dicit: ſpirare verò dumtaxat terminum productum: eodem modo dicere, & intelligere: nam dicere, tum obiectum, tum terminum; intelligere verò relatiuè ſumptum, ſolum terminum.

Quod ſi opponas. Rectè dicitur, Pater intelligens eſſentiam producit Filium. Reſp. Intelligere illud quatenus reflectit ſe ſupra eſſentiam, includere, & indicare etiam eſſentialem intellectionem, & probatur. Nam ſicuti Pater non eſt ſapiens ſapientia genita, quia ſapientia Patris eſſentialis eſt, & abſoluta; ita & intelligentia: æquipollent enim hic manifeſtè, intelligere, & ſapientem eſſe: non ergo eodem modo ſe habent, vt etiam Sancti Doctores locis iam notatis docuerunt, dum rationem, quare Pater non eſt ſapiens ſapientia genita, Pater tamen, & Filius ſunt diligentes Spiritu Sancto, indagabant. Deinde dico, Pater intelligit ſe Verbo ſuo, ſi hunc ſenſum faciat, Pater intelligendo ſe producit Verbum, ſicut Pater & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto, ideſt diligendo producunt Spiritum Sanctum, & ſumatur actiuè, vt intelligere Verbo non ſit accipere à Verbo, ſed conferre, & producere intelligendo Verbum; veriſſimus eſt ſenſus.

CAPVT II.

Varia Theologorum interpretatio ſupradictæ propoſitionis.

Difficultas ea, quam ita paſſus, & faſſus eſt Magiſter ſent. vt eam tollere, ac ſoluere non ſit auſus, reliquos Theologos in tot ſecuit, ac congeſſit ſententias, ac varia, & diuerſa prorſus placita de hac propoſitione, quam verſamus: Pater & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto. Quidam igitur admittendum quidem propoſitionem exiſtimarunt, veluti tot Patribus, totque Theologis albo lapillo ſignatam, ac voto præſtito ſolemnem redditam: neque tamen in ſenſu legitimo & proprio, ſed vt impropriam explicandam. Quorum primo loco conſtituendum ſtatuo Durandum, non tamen imitatum Alex. Alenſem: tum enim ſupra patuit, tum infra conſtabit, alterius, & verioris fuiſſe ſententiæ Alex. Ipſius verò ſententia, non notionali, ſed eſſentiali concedendam propoſitionem ſentit, vt hunc faciat ſenſum: Pater & Filius diligunt ſe amore quidem eſſentiali, tamen explicatur, Spiritu Sancto, quippe cui ſoleat attribui amor. Arguit verò, & probat ſuam ſententiam. Si non de eſſentiali: ergo de notionali amore vſurpanda, & interpretanda propoſitio.

Sed

Digitized by Google

Sed contra. Amor notionalis non reflectitur ſupra perſonam, à qua eſt, ſed tantum tendit in perſonam, quam per ſuum actum producit: eſt enim actus relatiuus, quo dumtaxat producitur perſona: ergo amore notionali, haud idoneè dicere licet, Pater & Filius diligunt ſe: aliàs enim & ſe producerent, quod apertum paradoxum, nedum falſitatem implicat. Secundò. Diligere notionaliter eſt præcisè ſpirare, & ſpirando producere: ſed Pater & Filius ſeipſos non dicuntur ſpirare: ergo neque diligere. Huic videtur adhærere Ludouicus Molina, moderatè tamen, & cum Sancti Thomæ debita reuerentia.

Alij hanc propoſitionem alia hac improprietate laborare contendunt, vt in ſola hac accipienda ſit ſententia, vt ille ablatiuus Spiritu Sancto in ratione ſigni ſumendus, vt hoc velit dicere: diligunt ſe Spiritu Sancto, Spiritus Sanctus ſignum eſt, quo Pater & Filius deprehendantur ſe diligere, ſicuti in ſuis textibus retulerunt vterque S. Doctor.

Tertij denique hanc amplexandam cenſent propoſitionem, ſi tamen ablatius ille Spiritu Sancto reſoluatur in (Per) vt quemadmodum Pater omnia fecit per Verbum, ad indicandam nedum ſubſtantialitatem, ſed in Verbo ſubauctoritatem; ita Pater & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto, hoc eſt per Spiritum Sanctum, vt in Patre & Filio auctoritas, & origo actiua, in Spiritu Sancto verò ſubauctoritas, & paſsiua origo relinquatur teſtata. Vera igitur propoſitio, his tamẽ modis impropria.

Reliqui verò proceriores Theologi, & veram, & propriam aſtruunt, ac tuentur, non vniformi tamen, ac communi conſenſione: nam Scotus primò mouet contra veram, & communem Theologorum ſententiam; deinde apponit ſuam, quam hoc fermè ordine digerit. Primò, vt à cognitione faciliori genitæ notitiæ ad ſpirati amoris notitiam lectorem manu deducat; obſeruat, notitiam genitam binam implicare relationem; alteram realem, ac mutuam ad gignentem; rationis alteram declarantis ad rem declaratam, quam quidem declarantem competere docet tum Patri, tum Filio, ſed Patri principiatiuè, Filio verò formaliter: eodem modo tradit, amorem perſonalem eiuſdem rationis geminam dicere relationem; alteram realem ad diligentes, à quibus procedit, & mutuam; alteram rationis, & non mutuam ad obiectum, & dilectum; vt in quod tendit, & cuius eſt, refertur; & hæc quidem poſterior, non ſolum Spiritui Sancto formaliter, ſed etiam Patri & Filio principiatiuè congruit, ita vt ab ea Pater & Filius denominari poſsint principiatiuè, & tunc denominantur, quando dicitur, Pater & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto: hoc enim eſt idem ac ſi dicatur, Pater & Filius diligunt ſe obiectiuè, et quaſi eſſentialiter, tamen cõnotando etiam notionem, quemadmodum et Pater dicitur dicere ſe Verbo.

Denique illud *diligere* in illa propoſitione non æquè mere eſſentialiter, neque exquiſitè notionaliter ſumatur, ſed medio modo, et vt connotat notionem, et productionem Spiritus Sancti, et illam relationem ad Spiritum Sanctum conſequentem ad obiectum amatum, non quidem formaliter, ſed principiatiuè: et hoc catenus eſt eſſentiale, quatenus non eſt Spiritus Sanctus, ſed quodcumq; amabile; ſicuti in Patre *dicere*, eſt tum notionale, quo productionem Verbi dicit, ſed etiam eſſentiale, quo explicat quidquid explicabile eſt. Dicit ergo Scotus, ſi merè notionaliter ſumatur propoſitio, eſt falſa: nam aliàs ſequeretur, Patrem et Filium diligendo, et ſpirando, ſeipſos ſpirare. Quod ſi vera admittenda, admodum tamen impropria hunc facit ſenſum: Pater et Filius dum diligunt ſe, ſeque diligendo ſpirant Spiritum Sanctum.

At verò Alex. cap. præcedenti recenſitus, propoſitionem hanc explicatiſsimè veram eſſe ſenſu notionali ſtatuit. Idem Albertus omnino, ſecutus Vgonem de Sancto Victore. S. Bon. vt in textu et Comment. S. Thom. in 1. diſt. 32. et hoc art. 2. Riccardus eadem diſt. S. Bon. hunc ſenſum habere notionalem tradit: Pater et Filius diligunt ſe, ideſt inuicem Spiritu Sancto nectuntur amore, dum Spiritum Sanctum producunt, vt Spiritus Sanctus productus quaſi forma vniat, et nectat Patrem et Filium: mutuauit à Riccardo; vel Vgone de S. Victore: ſic enim ad D. Bernardum elegantiſsimè diſſerit. Quod Pater Spiritu Sancto diligere dicitur, non ſic intelligitur, quaſi Spiritus Sanctus auctor, & origo exiſtat dilectionis, ſed per eam dilectionem, qua Filius diligitur, & Spiritus Sanctus eſt, ſpirat, et illius auctor, et origo exiſtit: dicitur ergo Pater Spiritu Sancto diligere, non quod per eum amorem habeat, ſed exhalet; non quod amorem ab eo accipiat, ſed quod ei impendat. Dicit Aug. de Filio: *Filius docebat, & Pater docebat, & Filius de ſe dicebat, non mea doctrina eſt mea; cur & Spiritus Sanctus amor non æqua ratione dicet, mea dilectio non eſt meà, ſed Patris à quo procedit, & Filij qui eam ſpirat? Si Spiritus Sanctus eſt amor vtriuſque, cur Pater non rectè dicetur, Spiritu Sancto, hoc eſt ſuo amore diligere? cur non etiam Filius Spiritu Sancto, hoc eſt ſua dilectione amare?*

S. Thom. eandem complexus ſententiam, eundemque imitatus auctorem, ſic ferè ratiocinatur. Res quidem communiter à forma qua informantur, denominari aſſolent: ſic enim album ab albedine, homo ab humanitate &c. & ille ablatiuus, vt ſi dicamus etiam homo indutus veſtimento, ſe habet in ratione cauſæ formalis: contingit ſæpenumero tamen denominationem fieri, non tantum ab eo quod inhæret, & informat, ſed etiam ab eo quod oritur, & emanat, ab actione nimirum: ſic enim ignis calefactione dicitur calefacere, quæ calefactio non ſit calor: & non ſolum ab actione, ſed etiam ab effectu, & termino actionis quando ipſe terminus includitur in ratione, & intellectu actionis: quare arbor dicitur florere floribus, quia flores ſunt de ratione floritionis; neque tamen aut florere, aut flores ſunt arboris forma.

Hinc colligit S. Thom. eodem modo accipiendam & verificandam propoſitionem hanc: Pater & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto; non ſecundum eſſentiam: tunc enim eſſet falſa, ſed ſecundum notio-

notionem ſumendo diligtre: etenim nihil aliud eſt quàm ſpirare amorem, ſicuti dicere, producere Verbum, & florere, producere flores: & quemadmodum dicitur Arbor flortre flotibus, ita Pater dicere Verbo ſe &c. & Pater, & Filius diligere ſe Spiritu Sancto.

Scotus verò non tam hanc ſententiam, quàm modum explicandi, & exempla ſumpta conatur demoliri, & funditus euertere: & primò, *ædificare* diſtinctè importat terminum, ſcilicet ædificium, neque tamen conceditur, ædificator ædificat ædificio; ita ſpirare diſtinctè importat terminum, ſcilicet Spiritum Sanctum: de ratione enim ſpirationis eſt Spiritus Sanctus, neque tamen conceditur rectè, quod Pater & Filius ſpirent Spiritu S. quod ſi concederetur, neq; tamen vt reflexa, & conuerſa ſuper perſonam agentem: quare non admittitur: Pater & Filius ſpirant ſe Spiritu Sancto, neque ignis calefacit ſe calefactione, neque effectus iſti ablatiuo in oratione tranſitiua conſtruuntur. Deinde aſſumptum exemplum de arbore florente floribus, ad rem idoneum eſſe nequaquam poteſt: florere enim verbum eſt neutrum, neque ex ſe productionem florum ſignificare poteſt, ſed potius ſic denominatur arbor florens, per quandam adiacentiam florum per modum habitus. Pluribus hanc obiectionem proſequitur, & addit, ſi per miraculum Deus flores apponeret arbori, arbor floreret, & tamen flores non produxiſſet: ergo formaliter de ratione florere non eſt producere flores.

CAPVT III.

Quo melior opinio proponitur, & probatur.

QVo ad rem propoſitione hac ſignificatam, adeo ſententia certa eſt, vt in dubium reuocare neutiquam liceat. Res eſt, Spiritum Sanctum à Patre & Filio vnica fœcunditate per modum amoris ſpirari: quod quàm verum ſit, ac certum, ſatis ex iam ſuis locis deductis adeo opinor cõſtare, vt iterum verbum, aut manum admouere, ſit otioſum, & ſuperuacaneum, vt magis ſermonis, ac propoſitionis veritatem, & proprietatem perpendere opportunum ſit.

Suſcipit verò proprietatem vox & oratio à communi Doctorum vſu: ergo hæc propoſitio propria, quia admodum inter Patres frequens, & in primis inter inſignes Theologos communiter in vſu: ergo in ea ſententia, ſcilicet notionali, quam vſurpant poſt D. Aug. præſertim Alex. Albertus. S. Bon. S. Thom. Riccardus, reliquaque communis aſſecla familia; aſſero veram, propriamque propoſitionem. Et probo ratione Vgonis, loco pluries commemorato. Vnuſquiſque qui amat, amat amore ſuo: ſed Spiritus Sanctus eſt amor Patris & Filij: ergo verè Pater & Filius ſe amant, & diligunt Spiritu Sancto, ceu amore ſuo. Maior poteſt probari: nam amor eſt actus immanens, & vitalis: ergo amantis. Confirmatur. Amor eſt donum, & primum donum, & prima donandi ratio: ergo donantis. Minorem verò ſic primò ex illo loco D. Io: perſuadet. *Mea doctrina non eſt mea, ſed eius, qui miſit me*: vbi ſeipſum Chriſtus Dominus nuncupat formaliter doctrinam, & notitiam genitam; & tamen addit, & fatetur eſſe Patris, ratione nimirum originis in Patre, à quo totum quod eſt, ab æterno accipit.

Hinc deinde colligit: ergo & Spiritus Sanctus rectiſsimè poteſt de ſe dicere, ac omni veritate aſſerere: mea dilectio, meuſq; amor non eſt meus, ſed Patris & Filij, qui ſpirant, & producunt me: ergo Spiritus Sanctus eſt amor Patris & Filij propter originem: ergo Pater & Filius cum diligunt amore ſuo, diligentes, veriſsimè diligunt ſe Spiritu Sancto. Confirmat exemplo ab homine deſumpto. Si rectè tu homo diceris amare amore, qui à te procedit; cur Pater & Filius non idem recte amare amore, qui ab ipſis procedit, ſcilicet Spiritu Sancto?

Hinc Theologorum capita illius argumenti collegerunt vim, & efficatitatem in hac propoſitione: Pater & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto; quod ille ablatiuus *Spiritu Sancto* ſe habeat in ratione effectus, ſeu producti, ad modum formæ: eo præſertim ipſe Vgo his terminis præciſè vtitur. Ad modum formæ, inquam, nectentis & vnientis; & in virtute producendi, ſcilicet propter fœcunditatem vnicam producendi, & propter perſonam productam dicuntur nexi, & vniti, & inuicem amantes: & confecerunt argumentationem hanc. Amando producunt Spiritum Sanctum Pater & Filius: ergo diligunt ſe Spiritu Sancto producto, tanquam termino amoris notionalis, & vt aiunt, dilectionis effectu. Eſt enim (dicebat commemorato loco Vgo) Spiritus Sanctus eo Patris & Filij, quo ab ipſis productus eſt veluti effectus eorum.

Quod ita rectè aſſumatur propoſitio, & veridica deducatur conſequentia, ita probat S. Thom, Agens non verè tantum denominatur; & conſtituitur à forma, qua veluti principio operatur, & non ſolum ab actione ab ipſo exeunte, ſed etiam à termino ipſius actionis, quando & eſt de ratione illius actionis, vt ſit ita ſtrictè vnitus, vt quaſi ſit completa actio, & medius inter agentem, & vltimum terminum, quem per illam actionem reſpicit agens: ergo hac ratione in Diuinis Pater et Filius erunt diligentes; et apprimè ſic nuncupabuntur, non ſolum ab actione dilectionis, ſed ab ipſo termino producto, qui eſt Spiritus Sanctus. Probatur conſequentia: nam Spiritus Sanctus eſt de ratione dilectionis notionalis, & medius inter Patrem, et Filium, vltimos terminos dilectionis, ad quos ipſa tendit dilectio: propterea enim ſeipſos diligunt, et diligendo producunt Spiritum Sanctum: et confirmatur. Nam Spititus Sanctus eſt inclinatio amoroſa quædam Patris in Filium, et in Patrem Filij: ergo non ſolum illo amore producente, ſed etiam producto diligunt ſe Pater et Filius. Antecedens quoque probatur. Primò, exemplo ignis calefacientis calefactione. Secundò, exem-

exemplo arboris florentis floribus. Deinde, Calor, qui calefactione inducitur v. g. in lignum, eſt medius effectus coniunctus calefactioni, tendens in lignum; & flores, quibus dicitur ritè arbor florere, ſunt, & in floritionis conceptu clauduntur: inintelligibile enim eſt florere ſine floribus. Huic S. Thom. rationi multa multi Thomiſtæ conglomerant, multiſque modis eam explicant, exagerant, augent.

D. verò Bon. vt & in Commentario deduximus ex omnium Theologorum conceſſo axiomate, eandem propoſitionis proprietatem, & veritatem in ſenſu notionali eodem ſic ferè demonſtrat. Supponit axioma. Pater dicit ſe, cæteraque dicibilia Verbo, quod idem eſt prorſus, ac ſi dicat: Pater ſua dictione producit Verbum, ac dicendo exprimit ſeipſum, & quidquid aliud quod exprimi poſſit; ita vt vnico verbo *dicere*, & Verbi productionem, & producendi modum complectatur. Tunc hanc conſtruit argumentationem.

Sicut ſe habet dicere ad verbum, & vice verſa, verbum ad dicere; ita ſe prorſus habet diligere notionale ad Spiritum Sanctum, & Spiritus Sanctus ad diligere: ſed Pater producendo Verbum ſeipſum dicit: ergo & Pater, & Filius producendo Spiritum Sanctum ſeipſos diligunt: ergo ſicuti illa vox *dicere*, & rem productam, & modum producendi complectitur, eadem ratione & hæc vox *diligere*: ergo quemadmodum illa productionem, & expreſsionē; ita hæc, dilectionem, & amorem: ergo ſicut in ea Pater omne dicibile dicit, ſic fermè in hac, omne diligibile diligit: ergo ſicut illa veriſsima, & proprijſsima proculdubio, eadem ratione, eodemq; gradu & hæc omnino vera, omnino propria. Addi hoc loco poſſet & illa alia ratio, quam in fine Commentarij locauimus, quam ne bis idem repetamus otiosè, ibi legat lector, qui aueat.

Quartò, eſt ſtabilitum aſſertum. Sicuti Filius, quia eſt Verbum, intelligendo producitur; ita Spiritus Sánctus, qui eſt amor, amore producendus. Hinc, Spiritus Sanctus amore, & voluntate producitur: ergo Pater & Filius, ſpirantes Spiritum Sanctum, ſpirant amando. Modo quærendum quid amant, & quo amore: aliquid enim, & aliqua amoris ſpecie amandum: ergo quo ad primum, aut ſe amant, aut aliud aliquid extrinſecum: non aliud, vt compertiſsimum eſt: nam tunc non ſufficeret ad Spiritum Sanctum producendum obiectum Diuinum, neque tunc amor eſſet terminus, & perſona producta, Diuina. Amor verò, quo ad ſecundum, aut eſſentialis, aut notionalis: non quidem eſſentialis: tunc enim falſa eſſet propoſitio, ſicuti teſte D. Aug. falſa & illa hoc ſenſu, Pater eſt ſapiens ſapientia genita: ergo nòtionalis, atque ita actu fœcundus, communis vtique Patri & Filio: et perſonalis: nam ſicuti Pater dicit ſe Filio producto; ita Pater, et Filius debent diligere ſe amore producto: ergo aut illo, qui eſt Spiritus Sanctus, aut alio: non alio: nam tunc plures quàm tres forent perſonæ: ergo optima veritate, et proprietate, Pater et Filius diligunt ſe Spiritu Sancto producto. At verò aduerſariurum machinas demoliri, et argumenta diluere cum reliquum ſit; quanti roboris ſint, & quàm difficile ſit hoc onus præſtare, ad 4. Caput accedendum.

CAPVT IV.

Quo obiectiones oppoſitæ euertuntur.

VT ijs, qui veritatem propoſitionis negant vti falſam, ſicut & illam. Pater eſt ſapiens ſapientia genita, reijciunt, reſpondeamus, non eſt cur multum immoremur, aut laboremus: tum quia iam ſua falſitate ſepulta, oppoſitam quam nunc tradimus, vniuerſa eſt ſchola amplexata, & profeſſa, et nunc quoque aperto ore profitetur: tum quia nunquam retractata eſt in ſimili à Sancto Aug. Nam ideo Pater non eſt ſapiens ſapientia genita, quia ſapere et intelligere; communiter, et vbique ſecundum eſſentiam vſurpatur, diligere vero nequaquam, ſed modo ſecundum eſſentiam, modo ſecundum notionem: quare poteſt rectè admitti, Pater et Filius diligunt ſe amore Spiritus Sancti, quia diligere, et notionale, et productiuum eſt, vt diffuſe S. Bonau. quæſt. 3. ſequenti ad argumenta: tum denique quia argumentum Scoti, et Durandi, quo vel falſam, vel ſaltem impropriam conantur reddere propoſitionem, facillimæ ſolutionis eſt.

Quod enim aiunt, actum notionalem non reflecti ſupra ſe, ſed tantum tendere in terminum, quem producit. Reſpondetur, et negatur aſſumptum: negationis ratio eſt, quia alia ratione tendit in terminum, alia reflectitur ſupra ſeipſum; vt vera ſit propoſitio, ſufficit notionalem non reflecti ſupra ſeipſum eo modo, quo tendit in terminum, nimirum fœcundè, ac productiuè: non enim perſona ſuo actu notionali ſeipſam producit. Qua verò ratione reflectatur, reſpondetur, obiectiuè. Quodnam verò obiectum? tum modus, quo Pater producit Verbum dicendo, & quo Pater & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto amore mutuo, & nectente, quo producunt & Spiritum Sanctum: tum etiam eſſentialia: non enim diligere, merè ſecundum notionem, ſed etiam vt eſſentialia includit, vſurpatur. Tunc diligere reflectitur, & ſupra perſonas Patris & Filij, & ſupra modum emanationis, & ſupra quodcumque diligibile. Vtrumque hac quæſt. tradit S. Bonau.

Quod iterum obijciunt. Diligere idem eſt quod ſpirare: ſed non poteſt dici ſpirant ſe Spiritu Sancto: ergo neque diligunt ſe Spiritu Sancto. Faciliori negotio adhuc ſoluitur argumentum, & iam ſicuti propoſitum à Sanctis Thom. & Bon. ita ab ipſis tot ante ſæcula ſolutum. Sanctus Thom. ad 2. negat abſolutè eſſe idem omnino, & eodem rigorosè modo ſe inſerre, ſpirare, & diligere, his verbis. In hoc quod dico ſpirat, vel generat, importatur actus notionalis tantum: vnde non poſſumus dicere, Pater ſpirat Spiritu Sancto, vel generat Filio; poſſumus autem dicere, Pater dicit Verbo, tanquam perſona procedente, & dicit dictione, tanquam actu notionali, quia dicere importat determinatam perſonam procedentem, cum

dicere

dicere ſit producere Verbum: ſimiliter diligere, prout notionaliter ſumitur, eſt amorem producere, & ideo poteſt dici quod Pater diligit Filium Spiritu Sancto, tanquam perſona procedente, & ipſa dilectione, tanquam actu notionali.

Rationem omnium reddidit iam, & repetit principio huius reſponſionis &c. Nam hac ſpirationis voce, non determinatè includitur, & ſignificatur terminus, & effectus ſpirationis, ſed dũtaxat actio; in termino verò dilectionis, & terminus eſt actio: amando enim amorẽ neceſſariò producimus (en et hoc loco attẽde quomodo aſſerit voluntatis creatæ fœcunditatem.) Quare ab hoc principium actionis poteſt denominari, & dici, diligit amore, & Spiritu Sancto, non autem in illo ſpirat Spiritu Sancto. Neque hoc ſoluit Scotus, vt proximè conſtabit in ſolutionibus argumentorum Scoti.

S. Bonauentura eadem obſeruatione in ſpecie, vt ſic dicam, non autem in numero in reſponſione ad argumenta notat: ſicuti enim generare, purum producendi Verbum; dicere verò addit modum, quo eum generat, ſcilicet per ſui expreſſionem: ita liquido conſequitur, Pater generat Filium, non autem Filio: non enim generat ſe Filio, quia ſeipſum non generat; dicit tamen ſe Filio, quia generando Filium, ſeipſum exprimit: eadem ratione diligere, & actum producendi Spiritum Sanctũ, & modum, nimirum per amorem nectentem; ſpirare verò ſolum actum dicit. Hinc non licet dicere, ſpirant ſe Spiritu Sancto, quia ſe non producunt: licet tamen dicere, diligunt ſe: nam amando, & producendo Spiritum Sanctum, ſeipſos nectunt: ergo Scoto, & Durando negandum aſſumptum: differunt enim ſpirare, & diligere, & plura diligere, quàm ſpirare complectitur.

Quod verò accipienda ſit impropriis, & eſſentialis, iam ſatis reiecta, & à Sanctis Doctoribus reijcitur: tunc enim & Pater, & Filius poſſent dici, & eſſe boni, & eſſe ſimpliciter Spiritu Sancto: neque dignum mea ſententia tanto Doctore quod tentat dicere Molina, vt hanc tollat obiectionem.

Ad eos verò, qui hac improprietate propoſitionem accipiunt, vt ſit vera in ratione ſigni, cuius auctor fuit, teſte D. Bonauentura, Simeon Tomacenſis, & hunc efficiat ſenſum: Pater & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto, vt Spiritus Sanctus ſit ſignum, quod Pater & Filius diligant ſe mutuo. Quam ſententiam tenuiſſe & Scotum, interpretatur hoc loco & art. Bannes: quæ quidem ſententia, & ſenſu ab omnibus reijcitur, quo Spiritus Sanctus aſſeritur eſſe dũtaxat ſignum mutui amoris: ſi enim cum ſigno adderetur & effectus, & terminus, vt terminus productus ſumeretur etiam vt ſignum; non eſſet neque noua, neque falſa; imò eadem probabilitate conſtaret, qua & ea quam tuemur, conſtat, vt ablatiuus ille *Spiritu Sancto* ſe habeat in ratione effectus, cum effectus ſit cauſæ ſignum.

At vero ſi quis illam tueri conetur tantum in ratione ſigni, poterit pariter & illam tueri, tamen reiectam, & retractatam à S. Auguſt. & communi voto ſimul cæterorum Theologorum: Pater eſt ſapiens ſapientia genita: Filius enim genitus eſt infinitæ ſapientiæ Patris gignentis ſignum. Porrò quam adhibet Torres interpretatio, nedum falſa, ſed etiam nimis inepta, & doctiſsimo aliàs viro haud digna: ea enim ratione teſtatur propoſitionem veram, ratione æternitatis, qua & ab æterno diligunt, & ab æterno Pater & Filius ſpirant Spiritum Sanctum. Quid enim tunc prohiberet dicere, Pater ſpirat Verbum, cum vtrumque ab æterno præſtet, ſi æternitatis ſola ratio ſufficeret?

Ad Scotum quod attinet, videat quis, ſi libet, conciliatorem Zamorrum noſtrum, quem ſi inuenerit pro dignitate controuerſiam extinxiſſe, non eſt cur in hac ſolutione inſudet. Ego vero & indicabo Caiet. ſolutiones, & paucis rem expediam, quo grauiora contra S. Bonau. iam expedita ſunt, vt pro ſolo S. Thomæ nunc elaborandum. Ad fundamentum ergo S. Th. quod Scotus euertere enicitur, quando ſcilicet terminus de ratione actionis denominat agentem: ergo, inquit Scotus, liceret dicere, ædificator ædificat ædificio, Pater ſpirat Spiritu Sancto, & ſpirat ſe, quod tamen falſiſſimum eſt.

Reſp. ad 1. exemplum: ad 2. enim iam reſponſum eſt, & vnica reſponſione vtrumque reijcitur, & ex argumento S. Thomæ illa forma ſupra efformato iam penè elucet ſolutio. Non quicumque effectus denominat, ac conſtituit denominatione agentem, ſed ille dumtaxat, qui eſt ita coniunctus actioni, vt ſit de ratione quaſi illius actionis determinatè, ipſamq; perficiat, & eſt medius inter agentem, & vltimum terminum, ad quem & actio, & effectus ille dirigitur: quo in genere & calor eſt calefactioni, flos floritioni; Spiritus Sanctus dilectioni, vt de ratione actionis, vnde denominat agentem, non autem ædificium ædificationi: neque enim ædificium eſt effectus medius, ſed vltimus: vt verò denominetur agens, requiritur medius, qui ita eſt de ratione actionis, vt actio ſine illo intelligi non poſsit; quemadmodum amor in dilectione: diligere enim nihil aliud eſt, quàm amorem producere: ergo ſicut rectè dicitur ignis calefaciens eſt, & calore, & calefactione, ſic Pater, & Filius idoneè dicuntur, & denominantur diligentes Spiritu Sancto, quia Spiritus Sanctus eſt de ratione intrinſeca dilectionis fœcundæ, ſicut calefactio de ratione caloris. Confirmatur: Nam non ſolum actionem, ſed etiam illum effectum producit propter vltimum obiectum agens: ergo Pater & Filius poterunt dici diligere ſe Spiritu Sancto, quia Pater & Filius ſunt vltimi termini huius dilectionis, & medij dilectionis, ſcilicet notionalis, & producti Spiritus Sancti. Neque tamen ita vt ad ipſos dirigatur Spiritus Sanctus, quaſi ad finem nobiliorem, vt ipſe ignobilior: eſt enim æqualis omnino illis, ſed vt exprimatur, tum principium, tum obiectum.

Vt verò nihil intactum Sancti Thomæ relinqueret Scotus; tetigit, gloſſauit, & carpſit exemplum ab arbore florente floribus petitum, quod verbum floreo ſit de ordine neutro, vt formaliter non ſignificet emittere flores, ſed indutum floribus, & probat, caſu quo Diuina virtus per miraculum

creaſſet

Digitized by Google

creaſſet in arbore flores: tunc enim floreret, & non emiſiſſet flores. Quibus primò quid ad veritatem propoſitam labefactandam, etiam ſi fictum, & falſum eſſet exemplum, dummodo vt ſic rem explicaret, & ob oculos poneret? Chriſtus Dominus multis fictis parabolis mirabiliora docebat. Ariſt. cap. de Contrarijs. exemplo falſo contraria explicuit: bonum enim & malum eſſe contraria aſſeritur; quod tamen adeo falſum, quo malum non habere entitatem, contra Manichæos ipſa veritas in omnium ore tradit.

Deinde veriſſimum, & affabrè accomodatum exemplum, & ex omnium conceptione, florere intelligitur flores emittere, & experientia conuincitur: ex arboris enim ramis ſuo tempore videntur exire flores, & virtus intus adeſt flores emittens. Quod ſi verbum eſt neutrum, non ad vim, & ſignificandi, & efficiendi pertinere, reſpondet Caiet. Quod verò obijcit de floribus miraculo additis, idem Caiet. ſoluit: illis floribus tunc arborē, nec ita dicendum intus florere, ſed deforis floribus indui. Ego vero non ſic abſolutè negandum cenſeo. Idque ex D. Bon. in 3. ſent. diſt... Vbi exemplo aridæ virgæ, quæ per miraculum floruerit, docet beatam Virginem verè fuiſſe genitricem Chriſti Dei, licet per miraculum: nam & illa virga, accepta deſuper virtute florendi, emiſit flores, & in inſtanti eadem Diuina virtute mutuauit. Ergo flores etiam per miraculum producti poſſunt eſſe quo ad productionem etiam arboris, licet quo ad modum ſint Dei: poteſt enim Diuina vis bifariam per miraculum flores producere, aut omnino non ex arbore, ſed abſolutè productos inſerere arbori, & tunc benè Caiet. aut ex arbore, arbori Diuinitus addita virtute, & tunc egregiè S. Bonauentura, & magis pro S. Th. contra Scotum vrget. Præterquamquod D. Th. aſſumpſit exemplum naturale verisſimum, non miraculum, quod ſufficere debuiſſet non auido Sanctum Doctorem carpendi. Expedita magis reſponſio: loquitur S. Thomas de arbore propria vi naturaliter florente.

CAPVT V.

Soluuntur quinque dubitationes corollariæ.

PRima dubitatio. An amor eſsētialis, & notionalis in diuinis ſit idem & vnus amor. Reſpondetur affirmando. Breuibus: nam alijs locis res ſoluta eſt. Teſtatur primò non obſcurè Magiſter d. 12. c. 8. Eſt in Trinitate dilectio, quæ eſt Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, quæ eſt ipſa eſſentia Deitatis: & tamen Spiritus Sanctus dilectio eſt, quæ non eſt Pater, nec Filius. Nec ideo duæ dilectiones ſunt in Trinitate: quia dilectio, quæ eſt Spiritus Sanctus, quæ Trinitas eſt, nec tamen ipſa Trinitas. Hoc verò quomodo verum, ſic hac, & conſimili ratione poteſt explicari.

Sicuti perſona idem eſt etiam cum Diuina eſſentia, nihilq; ei addit à parte rei, niſi modum ipſi Diuinæ eſſentiæ intrinſecum, vt ſit de ipſius ratione, ſicuti ei intrinſecus perfectiſsimus modus ſubſiſtendi, & eſſe communicabilem, & communicatam tribus, vt ſupra pluribus aſſertum, & iterum etiam infra ex ijs primoribus Theologis, qui in Diuinis non admittunt diſtinctionem formalem inter abſoluta, & relatiua: eadem, inquam, ratione vnus & idem Amor eſſentialis, & notionalis: hic enim veluti ab illo pullulans, in illo remanet, & in ſe includit illum, & ſit ei modus relatiuus, & fœcundus, ſicuti eſſentia in perſona.

Sed contra. In tertia perſona eſt eſſentialis Amor, & non notionalis, niſi paſsiuè, non autem fœcundè actiuè: ergo ad inuicem differunt: vnus enim ſine alio reperitur.

Reſp. & ſit 2. dubitatio. Quare voluntas eſſentialis quæ in Patre, & Filio eſt fœcunda; eadem in Spiritu Sancto exiſtens, in eo tamen nequaquam fœcunda, ſed ſterilis (liceat hoc termino vti.)

Reſp. Quia eſt tertia perſona, in qua omnis Diuina communicatio terminata eſt: ſicuti enim repugnat, vt aliàs de numero perſonarum docuerūt, & demonſtrarunt Theologi, D. Bonau. D. Th. &c. Diuinas perſonas eſſe plures quàm tres; eadem ratione in Spiritu Sancto, inueniri fœcunditatem ad aliam perſonam producendam repugnat: neque enim poſſunt in natura intellectiua eſſe niſi duo principia productiua: neque inde niſi duæ emanationes, & duæ perſonæ productæ, intellectus, & voluntatis, Verbum, & Amor, Filius, & Spiritus Sanctus.

Nec vlla ratione hoc detrahit æqualitati, & perfectioni Spiritus Sancti cum reliquis Diuinis perſonis, imò teſtatur, & probat eſſe infinitè perfectum, ſicuti Pater & Filius ſunt. Primò, quia in eo eadem eſſentia, vna, & infinita. Præterea. Eo Spiritus Sanctus non habet intellectum fœcūdum, quia in Filio omnis fœcunditatis intellectiuæ ratio terminata eſt, vt in ratione Verbi, & Filij ſit infinitus ipſe Filius genitus, & proinde repugnet multiplicari. Æquè in Spiritu Sancto fœcunditas Amoris infinitè communicata eſt; vt omnem contradictionem inuoluat alium Spiritum Sanctum dari: nam Amor ſpiratus perſonalis infinitus eſt: ergo Spiritus Sanctus eſt Amor notionalis, & perſonalis formaliter, & terminus omnis Amoris fœcunditatis, firmans, ac terminans, & (ſic liceat loqui) perficiens Sanctiſsimam Trinitatem. Hinc ſit

Tertia dubitatio. An Spiritus Sanctus ſe diligat ſeipſo. Poteſt dubitatio hæc duas complecti petitiones: alteram de re, de modo dicendi alteram. De re itidem duas: Primam de Amore notionali: ſecundam de eſſentiali. De notionali præcedenti dubitatione negatiuè ſolutum eſt: neque enim aut aliam perſonam, aut ſeipſum producere poteſt Spiritus Sanctus. De eſſentiali nunc. Sicuti certum eſt eandem eſſentiam, & voluntatem, quæ in Patre, & Filio eſt, eſſe etiam in Spiritu Sancto; ita erit & idem Amor, quo cum reliquis perſonis effectiuè creaturas diligit, & quæcumque vult facit, & vbi vult ſpirat; & amore complacentiæ

ſeipſum

ſeipſum ſic, vt ſua eſſentia, & volnntate hoc modo ſe diligat. Vrget verò quo ad modum dicendi; an congrua, & idonta phraſis ſit: Diligit ſe ipſo. Quidam negando ſoluunt: exiſtimant enim eundem ſenſum giguere: diligit ſeipſo, ac à ſeipſo. Cum verò Spiritus Sanctus ſit tertia perſona à Patre, & Filio producta, & proinde habeat, & vt ſit, & vt diligat: non videtur eis hac ratione hæc aſſertio conſentanea, ne ſcilicet videantur admittere, à ſeipſo Spiritum Sanctum habere, nou autem à ſuo principio, vt diligat.

Reſp. Veriorem eſſe oppoſitam ſententiam, nec recenſita formido æſtimanda. Primò enim Ricardus art. 1. quæſt. 1. diſt. 32. explicatè ita diſſerit his verbis. Dico Spiritum Sanctum diligere ſe Spiritu Sancto, ſcilicet amore eſſentiali, non tamen à ſeipſo, quia totum quicquid habet, à Patre, & Filio habet, ſed per ſe ipſum, vt particula *per* quaſi habitudinem, & rationem formæ dicat. Et ante ipſum S. Thom. in 1. diſt. 32. quæſt. 1. art. 2. ad vlt. & poſt ipſum Marſilius 1. quæſt. 32. art. 1. propoſ. 4. poſt concluſionem quæſtioni reſpondentem. Rationem reddit Vaſquez eos ſecutus: nam ſeipſo denotat principium *quod* amat, nimirum perſonam, Spiritus Sancti. Indicat communis vſus: nam dicere ſolemus: Franciſcus amat, facit hoc, vel illud ſeipſo. Imò addit idem S. Thom. eodem loco: Si per intellectum ab actu dilectionis notionalis ſeiungamus relationem originis, & ſola dilectio remaneat; non abſonum exiſtimant Spiritum Sanctum, ſeipſum diligere amore etiam notionali, fortaſſe quia ipſe eſt Amor notionalis formaliter, & vt aiunt, perſonaliter. Reliqui omnes negant, neque ipſe hoc in ſumma docuit, veluti in vltimo teſtamento.

Quarta dubitatio. An Pater ſeipſum diligat amore notionali, & Spiritu Sancto. Riccardus eadem quæſt. aſſerit, & concedit. Ratio in promptu eſt: nam amore notionali diligere aliquem eſt in ipſum amorem ſpirare, tamquam in obiectum, non ſolum tamquam in terminum: ergo Pater non tantum Filium ſpirando Spiritum Sanctum conſtituit obiectum, ſed etiam ſeipſum. Idem prorſus, & ad vnguem fatetur de Filio.

Viſus eſt D. Bonau. oppoſitum docuiſſe quæſt. 1. in fine corp. & in argumenti 3. reſponſ. ſed non difficile negotium eſt in hanc interpretari ſententiam. Primò quia expreſsè non negauit. Secundò ex gloſſula ſupra tradita, nimirum quia Patrem diligere ſeipſum amore notionali ſine Filio, non eſt adæquatum principium ſpirandi, quia vis ſpirandi eſt in vtroque.

Quinta dubitatio. An Pater, & Filius diligant Spiritum Sanctum Spiritu Sancto.

Reſp. Si *diligere* penes eſſentiam, & *Spiritum Sanctum* penes perſonam ſumamus, & denique *Spiritu Sancto*, vt idem quod amore eſſentiali; falſam, neque admittendam propoſitionem in Diuinis enim Amor ad perſonam à perſona debet oriri ex diſtinctione, & fœcunditate Amoris: ita enim Amor fertur in terminum, vt ipſum producat: ergo non poteſt eſſentialis. Si verò de notionali dilectione interpretemur; vti veram concedimus, & concedit Riccardus, vt *Diligunt* ſignet actionem amandi, *Spiritum Sanctum* terminum, *Spiritu Sancto* quaſi formalem rationem, qua denominentur amantes Pater, & Filius: & quoad rem ſignatam ſit eadem *Spiritum Sanctum*, & *Spiritu Sancto*, diuerſa tamen ratione, vt iam indicatum eſt; & hanc procreat ſententiam: Pater & Filius fœcunda vi ſpirandi, & amandi, amant, & amando ſpirant Spiritum Sanctum, quo tamquam à fructu fœcunditatis appellentur amantes, quemadmodum cum dicimus, quis intelligit actu intelligendi: intelligit enim, & ab actu intelligendi aſſeritur intelligere. Spiritus verò Sanctus in hac propoſitione, vt actus, prius intelligitur ſeipſo vt terminus, & vt terminus iterum ſeipſo prior, vt ratio denominationis.

QVAESTIO XV. ET III. DE SPIRITV SANCTO.

De dono, vt proprietas eſt Spiritus Sancti.

QVEMADMODVM exquiſita ſecundæ perſonæ vnicæ emanationis cognitio, tribus tamen indiguit nominibus proprijs, Filio, Verbo, & Imagine; ſic eadem laborat neceſſitate altera emanatio tertiæ perſonæ, imò magis, ceu difficilior quæ à nobis intelligatur, Spiritu, Amore, & Dono: explicatis verò duobus prioribus, reliquum poſtremo loco explicandum eſt, Donum. Quo quidem obſeruatore, & Doctore egregio S. Parre Aug. quem poſtea ſecura eſt communis ſchola, quomodo Spiritus à Parre & Filio procedar, & ſpiretur, ſcilicer per modum liberalitaris, & doni, explicatur, addira ratione donabiliratis nobis: qua propterea duas complectitur relariones donum, alreram realem ad Patrem & Filium, alreram rationis ad nos, vt nobis donabile: ita enim paucis antea cum de Filio ageretur, nuncuparus eſt Verbum, quo Diuinæ generarionis modus promeretur, nimirum ſeipſum Parer in generarione Filij explicando, & adæquatiſſimè exprimendo, & crearuras omnes à ſe cognitas poſſibiles; & proinde cum gemina relatione, alrera ad Patrem ceali, alrera ad crearuras, rationis.

Neque vero aut plures relariones perſonales dicendæ, quàm tres, aur plures emanariones, quam duæ, aur orioſè de eadem perſona multiplicara ſint ſynonima: eadem enim perſona tribus nominibus proprijs diuerſa ratione aſſeritur, & quo fieri poreſt clarius enucleatur. Fœcundiſſimè verò Seraphicus Doctor hoc iucundiſſimum donum, & flammigeram ediſſerit proprierarem per ſex quæſt.

ARTICVLVS I.

Vtrum Donum ſit Spiritus Sancti proprietas. D.Bon.q.4. D.Th.art.2.

PARAPHRASIS.

PRIMA *Propoſitio. Donum in Diuinis propriè ſumendum, & non de Patre aut Filio, ſed de Spiritu Sancto. Primò ex D. Aug. 5. de Trinit. cap.15.* Non eſt Verbum, niſi Filius, neque donum, niſi Spiritus Sanctus. *Deinde ratione. Prima. Donum dicit emanationem per modum amoris, & liberalitatis: ergo proprium Spiritus Sancti. Non Filij, quia per modum natura emanat. Non Patris, quia non emanat: ergo Spiritus Sancti. Secunda. Donum dicit relationem ad donantem: ſed donans eſt Pater & Filius: nam producunt, & mittunt Spiritum Sanctum: ergo Spiritus Sanctus vt diſtincta perſona, eſt propriè, & ſola donum. Conſequentia conſtat: nam donans non poteſt eſſe ſic donum.*

Secunda Propoſitio. Datum ſi ſumatur ex liberalitate, & auctoritate, & productione, nimirum datum, ac productũ ex liberalitate &c. æquiualet dono, & ſubinde Spiritui Sancto iiſdem rationibus proprium: ſi verò diminutè, vt dumtaxat ex liberalitate communicatum, commune eſt, & eſſentiale. Conſtat: nam tota Trinitas ſeipſam nobis communicat.

Tertia Propoſitio ex reſponſ. ad 1. Inter donum, & datum, etiam propriè ſumptum, hæc intercedit differentia: nam donum ad nos dicit habitum; datum verò, actum. Deinde donum modum emanandi exprimit, actus non item.

Quarta Propoſitio ex reſponſ. ad arg. Licet Filius & donabilis, & donatus ſit, & quamuis etiam ad creaturam reſpectum dicat, non tollit tamen quin donum ſit Spiritus Sancti proprium. Ratio eſt: nam Pelius ex ſuaoriginis ratione non eſt donum, & principalius ad donantem æternum refertur donum.

COMMENTARIVM.

PRIMO loco pro tituli quæſt. interpretatione obſeruandum. Primò. Cum Spiritus Sancti perſona conſtituatur ex eſſentia, & relatione, ſub qua ratione donum proprium ei ſit, an ſcilicet ratione eſſentiæ, an aut proprietatis conſtituentis, aut vtrũque. Secundò. An Spiritus Sanctus eò donum, quò Deus &c. De Primo, quia eadem ratio penitus de Verbo, quæ de Spiritu Sancto, & quod de Verbo dixerunt Theologi, de dono itidem neceſſario dicent; ratione eſſentiæ incluſæ Verbum dici propriè de Secunda perſona, & referri ad creaturas conſtanter docuit Scotus quæſt. vnica, diſt. 18. & vis eſt etiam S. Th. quæſt. 34. art. 3. ad primum, & de dono hic interpretatur Caiet. ad 4. hac ratione, quia iam perſona Spiritus Sancti conſtituta eſt antequam intelligatur ad creaturam referri, & habere rationem doni.

Verum nec auctores, nec rationes deſunt, quibus toti perſonæ, etiam ratione proprietatis eſſe proprium perſuadeatur. Primò Spiritus Sanctus

ſecun-

ſecundum ſuam proprietatem eſt amor productus: ergo etiam donum: nam eo donum, quo amor ſpiratus, neque alia differentia, quàm rationis noſtræ intelligendi, & modi explicandi. Secundò. Si Verbum ſecundum ſuam proprietatem producitur etiam ex cognitione creaturarum, & hinc reſpectum rationis ad eas habet, & Verbum eas exprimit: ergo & Spiritus Sanctus, qui pariter ex amore creaturarum ſaltem poſsibilium ſpiratur, & ad eas ita ratione refertur, vt hinc donum etiam dicatur, erit donum etiam ratione proprietatis. Tertiò. Spiritus Sanctus tertia perſona datur ad fruendum rationali creaturæ: *Charitas* enim *Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis*, ad Rom. 5. Ergo, vt diſtincta perſona per proprietatem donum eſt.

Quod ſi S. Thom. de Verbo ad primum art. 3. quæſt. 34. viſus oppoſitum docuiſſe interpretatur, Verbum quidem non facit creaturas, niſi ratione eſſentiæ, & per eſſentiam cum reliquis perſonis: repræſentat tamen vt Verbum. Et de dono hic ad 4. quidquid conetur Caiet. hanc non eſſe germanam S. Th. interpretationem, ſed aperte, interpretibus Valentia, & Vaſquez art. 2. hic dum donum Spiritus Sancti eſſe proprietatem conſtituentem, & diſtinguentem, idem docet. De ſecundo verò S. Thom. diſt. 18. Ægidius, & Riccar. ſi ſecundum emanationem ſumatur, eo eſt Deus, quo donum: nam Diuinam eſſentiam accipit emanando: ſi verò iuxta proprietatem, qui proprietatem ab eſſentia Diuina differre formaliter aſſerunt, ſubinde non eo donum, quo Deus neceſſariò docebunt: qui verò idem eſſe etiam formaliter; conſequenter quod de primò, de ſecundo quoque dicent, eo ſcilicet donum, quo Deus.

Quid de vtroque ſentiant nunc indagandum, ſed prius quid ſentiat S. Bonauentura de hucuſque relatis: de ſecundò enim exiſtimo eandem penitus eſſe ipſius ſententiam: nam dub. 2. litt. huius diſt. quendam Magiſtri locum de Filio Dei commentatione illuſtrans, hæc profert verba: Filius naſcendo eſt Deus, quod idem, inquit, ac eo Deus, quo natus: nam naſcendo accipit Deitatem: ergo & Spiritus Sanctus eo Deus, quo datus, & donum: nam eadem eſt ratio. Et in hoc teſte D. Aug. ſecunda perſona non eſt tertia, quia illa nata, hæc vero data.

Confirmari poteſt res hæc ex D. Aug. qui perſonas emanantes à ſua origine habere non ſolum, vt ſint Filius, & Spiritus Sanctus, ſed vt abſolutè ſint, vt conſtabit in diſputatione: ergo Spiritus Sanctus eo eſt donum, quo eſt & Deus. Quod idem aſſerat S. Doctor & de dono, vt relatio eſt, ſatis planè, & plenè ſuo loco deductum, & demonſtratum puto, non niſi ratione ab eſſentia relationes differre in via ipſius ſtatu mus: ergo etiam ratione vtriuſque, diſt. quoque 27. quæſt. 2. tertio quoque verbo videtur indicare, ac ſupponere, Verbum ad creaturam referri, creaturaſq. exprimere ratione exemplaritatis, & diſpoſitiuè, & potentiæ; quæ omnia præſeferunt eſſentiam, vimq; creandi eſſentialem. quæſt. verò prima, & dub. 1. litt. Verbum vt conceptum eſſe ſimile, & exprimere vt verbum: ergo Verbum, & ratione eſſentiæ, & proprietatis Verbum eſt, & ſimile, & repræſentat: ergo & Spiritus Sanctus eadem ratione donum. Conſequentia eſt D. Aug. in textu: *Non Verbum, niſi Filius, neque donum, niſi Spiritus Sanctus*: ergo etiam qua ratione Filius Verbum, eadem Spiritus Sanctus donum.

Confirmari poteſt, Si donum, vt certum ſupponitur, eſt proprietas Spiritus Sancti: ergo vt proprietas etiam competit ei, alias ſi ſolius eſſentiæ ratione congrueret, commune eſſet: in quacumque enim perſona includitur eſſentia. Si objiciatur. Conuenit eſſentiæ, vt in illa perſona: ergo (ſubinfero ego) ratione proprietatis etiam illius perſonæ. Si objicias ſecundò. Proprietas Diuina hoc habet, quod præſtat, ab eſſentia à qua pullulat: ergo ratione Diuinæ eſſentiæ. Reſpondetur primò. Inuenietur fortaſſe qui antecedẽs negaret, in oppoſitumq; Diuinum eſſe eminentiſsimum quoddam ineffabili modo eſſe, tum abſolutum, tum relatiuum, ex æquò aſſeueraret. Ego verò mitius ſecundò reſpondeo, & conceſſo antecedenti, ad conſequentiam dico: pullulare quidem proprietatem ab eſſentia, non ab ea tamen tolli, quin adhuc ſit proprietas, & habeat vt hæc realem oppoſitionem ad correlatiuam, quam non habet eſſentia. Deinde, habere quidem quidquid præſtat, tamquam ex radice ab eſſentia, formaliter tamen à ſeipſa.

Objicies denique tertiò. Si Spiritus Sanctus quo donum, eo Deus: ergo donum ratione Deitatis, & eſſentiæ. Reſpondeo, & concedo rationem quidem eſſentiæ, non excluſa tamen proprietate. ſecundò. Alia ratio eſt dicendi quo Deus; alia quo eſſentia: nam etiam conceditur Deus de Deo, non autem eſſentia de eſſentia, & Deus generat Deum, non autem eſſentiam in Symbolo Nicæno, & in Conc. Lateranen. Ratio inter alias eſt, quia Deus ſupponit etiam pro perſona, non verò eſſentia, ſed ſuo modo abſtrahit. Sed quid diuinamus, & mendicamus de hac re loca Sancti Bon. ſi id ex profeſſo profitetur, ac probat communiori, ac certa ſententia, donum ſcilicet eſſe conſtituentem, ac diſtinguentem proprietatem? in reſponſione ad argumenta.

Explicato titulo, in quæſt. ſicuti & S. Thom. art. 1. docet, donum proprietatem dicere 1 2. verò quæſt. deducit quam proprietatem, ac nimirum diſtinctiuam, ac conſtitutiuam: ſic eodem greſſu graditur S. Bonau. vt hac quæſt. doceat, ac tueatur, donum eſſe Spiritus Sancti proprietatem, ſequenti verò diſtinctiuam. Quod quidem vt præſtet, primò in corp. quomodo ad inuicem differant, & in quo conueniant donum, & datum: deinde quæ ad plenam rationem proprietatis huius requirantur colligit, vt tunc futura ſit proprietas donum, quando ex liberalitate, & auctoritate ſit productum.

Porrò ſi ex ſola liberalitate perpendatur, tunc quidquid creaturæ à Deo detur, donum quidem eſt, ſed commune tribus perſonis, quæ vt vnus Deus conferunt, & largitur ad modum aquarum

ex D. Iacobo beneficia emittunt. Si verò anctoritas addatur, cum Pater in duas perſonas auctoritatem habeat, easq; producat, donum duabus perſonis conuenit: Filius enim, & Spiritus Sanctus creaturæ donati ſunt: & tunc donum quidem eſt notio, non tamen perſonalis: nam duabus perſonis congruens: idcirco adhibita origine, & emanandi ratione, adæquatè proprietas perſonalis conſtituitur: origine enim, & emanationis modo differunt perſonæ.

Donum: ergo eo quia per modum liberalitatis, & amoris à Patre, & Filio, non dico datur, ſed ſpiratur; ineuitabili conſecutione euenit, eſſe Spiritus Sancti proprietatem. Quod poſtea ſuſcipit confirmare, & primò ex D. Aug. 5. de Trinit. vt in textu. Secundò ex eodem, quem refert S. Th. art. 1. argumento, *ſed contra* ex 15. de Trinit. c. 19. ſicut corpus carnis nihil aliud eſt, quàm caro, ſic donum Spiritus Sancti nihil aliud, quàm Spiritus Sanctus.

Deinde ſic aggreditur rationibus probare. Quod in Diuinis dicit relationem, & diſtinctionem & originem, proprium profectò alicuius perſonæ eſt: ſic ſe habet donum: ergo proprium. Minorem demonſtrat. Maior ex ſe euidens eſt: nam donum dicit ad donantes Patrem, & Filium, relationem, & conſequenter diſtinctionem, & originem, modum nimirum procedendi per liberalitatem, & amorem: ergo proprium ſolius Spiritus Sancti. Secundò quaſi à poſteriori, & confirmatur Spiritus Sanctus ex vi ſuæ proceſsionis donabilis eſt: ergo ex vi eadem donum, & proprium.

Eadem eſt vis argumentationis, & ferè forma S. Th. ex doni definitione collecta. Donum, inquit, eſt quod dicit aptitudinem vt donetur, & habitudinem cum diſt. ad donantem, & ſupra facultatem eius, donatur, & irredibiliter datur, hoc eſt ſine vllo retributionis intuitu: ſic omni proculdubio eſt Spiritus Sanctus: ergo eſt donum. Probanda minor: nam quo procedit per modum amoris ſpirati ex liberalitate, eo donabilis: nam amor & eſt donum primum, & prima ratio donandi, & habens originem à Patre, & Filio, ad ipſum habentibus auctoritatem donandi: & licet; ſola creatura rationalis ſit huius doni capax, quia ipſa ſola cognitionis, & amoris ſuſceptiua eſt, ad ipſum tamen ſe ſola niſi deſuper diſponatur, & promoueatur peruenire non poteſt.

Argumenta in oppoſitum obſeruemus, & eorum ſolutiones, quorum primum ſit. Datum, commune eſt Sanctiſsimæ Trinitati: ergo & donum. Conſequentia videtur certa: nam datum addit ſupra donum actum, & ſupponit omnia quæ dicit donum: ergo cui competit datum, ſcilicet Trinitati, competit & donum.

Reſpondeo duobus modis. Primò ſi datum dicat etiam proceſsionem, & modum emanandi, conuertitur cum dono, & eſt perſonale: quare argumenti negatur antecedens: ſi vero datum dumtaxat afferat actum tribuendi; conceſso antecedente neganda conſequentia. Ad rationem. Licet ſupra donum addat datum, addit etiam donum ſupra datum, originem & modum procedendi, ratione cuius proprium, & perſonale eſt.

Secundum ſi donum perſonale eſt ratione reſpectus ad dantem: ergo & Filius donum: nam & ipſe reſpicit Patrem dantem: & ſicut in tempore datus fuit, ita ab æterno dabilis, & vt dabilis productus.

Neganda conſequentia: non enim quilibet reſpectus facit donum, ſed reſpectus ad donantem, ex origine per modum amoris, qualis eſt Spiritus Sancti: & ad rationem adhuc negandum, Filium eſſe donum, licet liberaliter generi humano datum: non enim per modum doni, & amoris, ſed per modum naturæ gignitur: quod iam dixerat D. Aug. *Eo Filius non Spiritus Sanctus, quia natus, & eo Spiritus Sanctus non eſt Filius, quia datus & donum.*

Tertium. Omne nomen reſpectum ad creaturas dicens, eſſentiale in Diuinis eſt: ſed donum donabilitatis ad hominem reſpectum dicit: ergo eſſentiale. Maior eſt regula omnis, & pendet ab alia itidem omni, quæ à Deo ad extra, communia, & indiuiſa ſunt. Minor quoque Theologorum communis, imò Scotus *in hoc doni rationem formalem conſtituit.*

S. Doctor abſolutè negat minorem, niſi limitetur, & reſtringatur: tunc enim vera eſt, quando ad ſolam creaturam reſpectum dicit, non autem quando etiam ad perſonam, ſicuti hic facit donum ad donantem Patrem, & Filium. Addit S. Th. in reſp. ad idem arg. quod eſt 4. art. primi quod neque negat S. Bon. imò ſupponit; ratione reſpectus ad creaturam indicari quidem quid eſſentiale in perſona incluſum, nimirum eſſentia; ex hoc tamen non ſequi donum eſſentiale eſſe abſolutè, propter alium inſigniorem, reſpectum realem ad Patrem, & Filium, inquit S. Bon. quod neceſſariò *vult*, & S. Th. innuere, aliàs non eſſet ſolutum argumentum. Quod certè ſi oculatius conſpexiſſet Caiet. non eam adhibuiſſet comentationem, quam adhibuit, quemadmodum & multi recentiores obſeruarunt, quod idem & ſupra quæſt. 34. art. 3. ad primum.

Obſeruandum quod obſeruat Valentia circa hunc art. vbi idem, & eodem modo aſſerit & reſpondet de Verbo, non ideo ſcilicet eſſe Verbum eſſentiale abſolutè, quod dicat reſpectum ad creaturam: hoc enim quidem dicit ratione eſſentiæ in perſona; quia Verbum eſt genitus Deus creator. Neque ex hoc tollitur quin ſit etiam perſonale; nam eſt genitus, & cognitio Verbi eſt & expreſſiua, & factiua: vt factiua, eſt eſſentialis: vt expreſſiua etiam creaturarum, perſonalis, quod diſtinguit etiã ipſemet S. Th. in corp. art. quod apprimè deſeruit etiam ad interpretandum D. Bonauenturam diſt. 27. quæſt. 6. reliqua argumenta S. Thom. hoc art. eo tendunt, quo & quæ Sancti Bonauenturæ & eiuſdem ponderis, & eadem via ſoluuntur hoc fusè ſumpto dono, & Trinitas poſſet dici donum, & ſeipſum dare, imò & Spiritum Sanctum ſeipſum donare: tamen ſtrictè ſi vſurpetur, vt neceſſariò inducit diſtinctionem inter dantem, & datum, & propriam originem, donum eſt ſolius Spiritus Sancti proprium.

AR-

ARTICVLVS II.

An donum ſit diſtinctiua proprietas Spiritus Sancti. D. Bonau. q. 5. S. Thom. art. 2.

PARAPHRASIS.

PRIMA Propoſitio. Licet donum non ſolum reſpectum realem ad donantem, ſed etiam ſimul rationis ad eum cui datur, vel dandum, vel dabile, complectatur, non hoc impedit tamen quin ratione primi & realis ſit, & diſtinguens, & conſtituens proprietas. Primò, quia hic reſpectus rationis eſt: ergo non poteſt impedire munus realis relationis, eo etiã quo dicit conſequenter donabilitatis reſpectum, quo donum: ſed donum eſt quia per modum amoris procedit, & hæc eſt proprietas perſonalis, ſcilicet diſtinctiua: ergo non ſolum non impedit, ſed conſonat, & confirmat. Confirmari poteſt ex reſponſ. ad argumenta. ſicut relatio rationis ad creaturas Verbi non impedit, quin Verbum ſit relatio diſtinguens; ita neque relatio doni ad creaturas eaſdem. Secundò probatur præcipuo argumento. Primò ex D. Auguſt. 5. de Trinit. Eo donum, quo ſpiritus: *ſed ſpiritus eſt proprietas perſonalis diſtinguens perſonam à perſona: ergo & donum. Rurſus ex eod. 15. de Trinit. cap. 19.* In hoc differunt Filius, & Spiritus Sanctus, quod ille quia natus, iſte quia datus, & donatus: *ergo ratio doni diſtinguit Spiritũ Sanctum à Filio. Tertiò ratione. Prima. Omnis proprietas, quæ ineſt ſoli, & ſemper, & quæ perſonam à perſona facit diſtinguere, proprietas diſtinctiua eſt: huiuſmodi eſt donum: ergo. Secunda. Proprietas in Diuinis eſt relatio; ſed teſte D. Aug. 5. de Trinit. cap. 14.* donum eſt relatio, *qua Spiritus Sanctus ad Patrem, & Filium, dum aſſerit,* magis in dono quàm in ſpiritu apparet relatio &c. *ergo donum eſt proprietas perſonalis.*

Secunda Propoſitio ex reſponſ. ad argumenta. Spiritus, Amor, & Donum, non plures, ac diſtinctas notiones reales, ſed vnicam, & eandem diuerſa ratione, diuerſoque nomine ſectantur, & exprimunt. Probatur prima pars: nam referuntur ad eoſdem Patrem, & Filium ſpirantes, amantes, & donantes, eadem emanatione. Secunda pars quoque & declaratur, & probatur: nam Spiritus dicit vim ſpirandi in Patre, & Filio, Amor modum emanandi per nexum, Donum addit reſpectum conſequentem rationis: eodem ferè modo quo in Filio, Filius, Imago, & Verbum, eadem penitus emanatio dicuntur; Filius tamen vim naturæ; Imago modum per expreſſionem; Verbum, cui fiat expreſſio, addit: quæ omnia tamen eandem formaliſſimè proprietatem, vt dicebatur, diſtinctiuam præſeferunt.

Tertia Propoſitio. Vt donum actu diſtinguat perſonam, vt procedit, non habitu debet vſurpari. Probatur: tunc enim actu non diſtingueret, quod implicaret æterna actuali perſona.

Quarta Propoſitio. Reſpectus ad creaturas rationis doni *tribus modis aſſumitur. Primò, aptitudine, qua ab æterno non repugnauit ex tempore donari. Secundò, habitu, quo poſt decretum æternum dandum erat in tempore. Tertiò, actu, quo datum eſt &c.*

COMMENTARIVM.

IAM præterita quæſt. explicauerat S. Doctor donum eſſe relatiuè ſumendum, & propriè de Spiritu Sãcto, & duas relationes complecti, alteram realem ad dantem, rationis alteram ad eum, cui datur, vel dabile; nunc è veſtigio, & conſentaneo ordine, etiam quam relationem de Spiritu Sancto aſſerat, & ſecundum quam rationem, relationis nimirum realis, vel rationis, aggreditur explicare, & demonſtrare: quare in ea latitudine proponit quæſtionem. Vtrum donũ, vel donabilitas, vt ſecundum vtramque relationem, quam docuerat conſtare donum, quæſtionem ſoluat, & donũ, vt ad donantem refertur, diſtinguere Spiritum Sãctum ſtatuit. Supponit verò quod vberius ſuis locis docuerat, Diuinas relationes ad duo redigi capita, vt aliæ perſonarum, aliæ perſonales verè ſint, ac nuncupentur: perſonarum, inquam, quæ ad perſonas quidem ſpectant, eas tamen neque conſtituunt, neque diſtinguunt, ſed conſtitutas ad inuicem relatione oppoſita ipſis adueniunt, & duabus conuenire poſſunt, & eas (vt ſic loquar) afficiunt, & conſtituunt ad aliam perſonam producendam: quemadmodum ſpiratio actiua, quæ Patri paternitate conſtituto, & Filio filiatione, competit ad ſpirandum Spiritum Sanctum, & in Patre ſolo innaſcibilitas, quæ vt negatiua non conſtituit. Perſonales verò, quæ perſonam conſtituunt, ſicuti Patris perſonam paternitas, Filij, filiatio, Spiritus Sancti, proceſsio, & ſpiratio paſsiua.

His ſuppoſitis; quærit quam ex his dicat donũ, & reſpondet, perſonalem, quam diſtinctiuam appellat: non ideo quia tantũ diſtinctiua, ſed etiã conſtitutiua cum relatio Diuina ſit oppoſita, & oppoſitione conſtituat, & ſimul diſtinguat: eo enim Pater, quia generat, & diſtinguitur à Filio, quia ab ipſo generatur, & itidem res à quo habent eſſe, habent & eſſe diſtinctũ: & conſtat hanc eſſe mentem Doctoris in vtraque quæſt. ſi etiam tenui intuitu inſpiciatur, & eius rationes perpendantur; ſed ſic locutus eſt hoc loco, quia & cæteri etiã Theologi ſic loquuntur: & imitatur Riccardus, & vnum ſufficit, vt nominetur relationis perſonalis munus, cum ſine altero neque eſſe, neque intelligi poſsit.

Quibus, quàm longè à vera Sancti Bonauenturæ mente diſtet quidam recens notationum Conglomerator, eluceſcit: exiſtimat enim donum diſtinguere quidem, ſed non conſtituere perſonam, & ſibi his modis demonſtrare perſuadet. Primò. Do-

num ſupponit proprietatem perſonalem: ergo ipſa non eſt, & ideo non conſtituit. Secundò. De ratione Doni eſt in primis dicere reſpectũ rationis, ſed per hunc reſpectum non conſtituitur Spiritus Sanctus: ergo &c. Tertiò. Vna perſona ſimpliciſsima non poteſt conſtitui pluribus relationibus: ſed ſpiratione paſsiua conſtituitur in eſſe perſonæ: ergo non dono.

Reſpondeo primò. In omnibus his errare in via Sancti Bonauenturæ, quem tamẽ ſuſcepit notationibus illuſtrare, & tueri: nam his quæſtionibus præſertim, & in primis in reſponſ. ad primum, oppoſitum omnino dicit, & tertio quoque verbo contrariam ſententiam profitetur, vt patentiſsimũ eſt. Secundò. Ad primum negatur antecedens: eſt enim ipſamet perſonalis proprietas, vt refertur ad donãtem, & dicit modum emanationis per viam amoris, & doni, & explicatiſsimè S. Doctor. Ad 2. Adhuc falſum antecedens in vis S. Bon. & oppoſitũ apertè docet in hac quæſt. & in cõmuniori opinione, & incumberet ei probare, ne contingat obijcere de petitione principij. Ad 3. negatur minor ex D. Bonau. ad vltimum, vbi ſpirari, & procedere vt donum, & per amorem. eſſe omnino eandem proprietatem, & ratione noſtra tantum differre, clariſsimè aſſeuerat, & eſt apertiſsima D. Auguſt. ſententia 4. de Trinit. Spiritum Sanctum *Dei eſſe donum, & à Patre, & Filio procedere, ſicuti natum eſſe Filio à Patre.*

Sed antequam longius meam dirigam commentationem, duo ſolerter obſeruãda, vt magis perſpicuus, & enucleatus S. Doctoris remaneat textus. Primum docet argumẽto poſtremo: donũ eam eſſe relationẽ, quã ad dantẽ refertur, vbi quàm enucleatè donũ de Spiritu Sancto dici ſecũdum proprietatem conſtat: eſt enim proprietas, non eſſentia, quæ refertur ad ſuam originem, & adeo verum, & conſtans eſt, teſte etiam Suarez. vt à nullo negari poſſit. Deinde argumento 2. ex D. Aug. tradit, Spiritum Sanctum à Filio hac relatione differre, quia per modum doni procedit: ergo donum ratione proprietatis aſſeritur de Spiritu Sancto. Eodem tamen 2. argumento quatenus affirmat per modum doni procedere, & hac proceſsione ei Diuina communicatur eſſentia, aliàs Spiritus Sanctus non eſſet Deus: ratione etiam eſſentiæ Diuinæ, non abſolutè tamen, ſed vt ſic, & ſecundum conditiones huius emanationis ex liberalitate per mutuum amorem communicatæ, rectiſsimè Spiritus Sanctus dicitur donum, quod & antecedenti quæſt. Commentario iterum docuimus.

Secundum verò obſeruandũ. Apparens in littera videtur contradictio, vt nedum conſequẽter S. Doctor non videatur locutus, ſed quod vno loco negauerit, altero viſus ſit concedere. In veſtibulo namque quæſt. dum quandam refert opinionem, & ſtatim reijcit, negat reſpectum doni rationis eſſe conſequentem ad reſpectum realem ad dantem, ſed ita eſſe ſimul, vt non poſsit niſi ſimul neque intelligi vehementer aſſeueret: impoſsibile enim, inquit, eſt eſſe donum, & non eſſe donabile. In reſp. verò ad vlt. concedit eſſe reſpectum conſequentem. Præterea, Si eſt donum quantum ad reſpectum conſequentem: ergo non eſt vt refertur ad dantem; quod tamen explicatiſsimè conceſsit, & docuit quæſt. præcedenti in reſp. ad 2.

Reſp. Facillimo, ac valde exili, ac tenui flatu diſſoluitur hæc contradictionis nubecula. Propoſuerat, an donum, vel donabilitas eſſet proprietas perſonalis, debebat de vtroque ſoluere, & ſub vtraque ratione donum Spiritui Sancto conueniat nec ne: incepit autem à donabilitate, & quorumdam retulit opinionem, donabilitatem non facere ad æternam perſonalem proprietatem, ita vt ſola doni relatio ad dantem accepta diſtinguat Spiritum Sanctum à reliquis perſonis: non enim vt refertur perſona ad creaturas poteſt diſtingui à perſona, quia eadem non refertur donabilitas, quæ conſequens eſt: ergo nihil confert ad proprietatem.

Sed obijcit S. Doctor. Donabilitatem eo inſtãti quo donum eſt, ipſam quoque eſſe, ſcilicet aptitudinem ad donandum, nec poſſe eſſe donum, quin ſit donabile, nec vnũ ſine alio intelligi poſſe: & donabile eſſe nõ repugnare, imò conſonare dono, vt etiã diſtinguat perſonam: non negat autem donabilitatem conſequi intrinſecè ad eſſe donum, ſed vnum ſine alio nec eſſe, nec intelligi poſſe: ſicuti in homine primum & præcipuum eſt eſſe rationale; intrinſecè tamen proprium eſt eſſe riſibile, conſequenter tamen: eſt enim proprietas fluens. Sic propemodum donabilitas in dono: quaſi enim ab eo vt ſic fluit aptitudo hæc. Ergo nullam repugnantiam neque ſomniauit.

Vtrumque veriſsimum eſt: verum enim eſt ſi donabilitas in actu non quaſi remoto, vt *fundamentum* tantum dicit; ſed in proximo, vt actum per aliquem intellectum creatum ratione comparatur, & refertur, eſſe conſequenter etiam duratione: non enim ſic niſi in tempore adeſt actualis relatio rationis. Verum itidem eſt, ſi vt fundamentum remotum, & intrinſecam aptitudinem dicit, hanc relationem aptitudinalem eſſe ſimul, & hac ratione non conſequentem.

Secundò reſpondetur. Donum ad reſpectum conſequentem ibi ea ratione protulit S. Doctor, quia ad inuicẽ conferebat diuerſas harum vocum *Spiritus, amoris, & doni* ſignificationes: & præter eam rationem vnicam realem, quam concorditer oſtendunt, ſingulas has voces ſuam propriam habere ſententiam, & donum addere hunc reſpectum conſequentem ad fœcunditatem in Patre, & Filio, quam indicat Spiritus, & ad modum procedendi, quem præſefert amor: tamen conſequentem dixit, vt prima ſufficiat reſponſio, & ideo etiam conſequentem, ſcilicet minorem, & minimam, hoc eſt rationis, in ordine ad illam, quæ realis, & ſubſtantialis eſt. Denique quando vnum eſt alterius ratio, illud quod eſt ratio dicitur præcedere, alterum verò conſequi, ſic hoc loco donum & donabile.

Ad ſecundam obiectionem nihil reſpondendum: non enim negat non eſſe potiſsimè donum, vt relatum ad dantem, ſed addit reſpectum ad recipientem, aliàs bene tunc ſibi repugnaret. Conuenit donum ad ſignificandam emanationem eandem

cum

eum amore, & ſpiritu: differt in reſpectu rationis donabilitatis. Omnis ergo controuerſia fuit in S. Doctore, An poſſit vnus reſpectus ſine alio eſſe & conſiderari, & an ſecundus reſpectus conſtituat, & diſtinguat perſonam, nequaquam verò quis horum reſpectuum eſſet potior: indubitatum enim tenuit eſſe ad dantem potiorem, & primum, & realem reſpectum.

His obſeruatis, ſuſcipit S. Doctor quæſtionem explicare, & tria tangit. Primò illā refert opinionē: ſecundò reijcit: tertiò veritatem proponit, ac tuetur: donum ſcilicet vt ad dantem, & dicere, & eſſe proprietatem perſonalem, qua conſtitutus Spiritus Sanctus differt, & diſtinguitur à Patre, & Filio; & egregiè probat primò ex D. Aug. vt in textu. *Eo donum, quo ſpiritus*; ſed per ſpiritum, nimirum ſpiratione paſsiua conſtituitur, & diſtinguitur: ergo & per donum. Confirmatur magis teſte eod. Aug. *Apparet relatio magis in dono, quàm in ſpiritu*: ergo magis conſtat dono quàm ſpiritu conſtitui perſonam, & diſtingui: relatione enim perſonali poſitiua vtrumque perficitur.

Secundò euidentius. Ex eod. 15. de Trinit c. 19. hæc eſt differentia, qua Filius non eſt Spiritus Sanctus, ſed ab ipſo differt: nam *Filius procedit per modum nati, Spiritus Sanctus per modum doni*: Sed ſecunda perſona per natiuitatem, & generationem, & conſtituitur, & diſtinguitur: ergo & Spiritus Sanctus *per modum doni*. Hæc loca ſi animaduertiſſet recenſitus notationum collector in D. Bon. non negaſſet, donum eſſe etiam conſtitutiuum.

Mox ratione, cuius forma quia videtur difficilis, animaduertenda, ſcilicet argumenti minor: primo enim aſpectu debebat dicere poſita maiori, ſed huiuſmodi eſt donum, &c. Sed loco huius appoſuit, ſed Donum eſt proprietas quæ ineſt ſoli Spiritui Sancto, & ſemper, ergo: quod nihil ad formam videtur facere. Reſpondeo tamen, S. Doctorem non affectare puerilem explicationem formæ, ſed ei ſufficere, vt verè probet aliquando vnico verbo: hic verò & æquipollenter loquitur, & pro minori minoris rationē; & confirmationis reddidit. Si enim quis negaſſet ſic eſſe donum, confirmaſſet: donum conuenit ſoli Spiritu Sancto: ergo eſt proprietas conſtituens, & diſtinguens. Eſt ergo argumentum. Omnis proprietas, qua vna perſona differt ab alia, diſtinctiua eſt: donum ſic eſt: ergo diſtinctiuum: ergo perſonale. Probat, quia ſic proprium eſt Spiritui Sancto, ſicuti natiuitas, & filiatio ſecundæ perſonæ.

S. Thom. ex definitione doni idem fermè demonſtrat. Donum amore fit: ſed amor eſt proprietas perſonalis Spiritus Sancti: ergo & donum. Minor iam probata. Maior ex definitione tradita doni ab Ariſt. *eſt datio irredibilis*, ideſt gratuita datio, vllo abſque retributionis intuitu: ſed gratuita donatio importat amorem: ſic enim ei damus, cui volumus bonum: quare amor eſt qui primo datur, & ratione cuius cætera dantur: ſed amor conſtituit, & diſtinguit: eſt enim intrinſecus modus emanationis Spiritus Sancti: ergo & donum.

Secunda ratio, quam libenter iterum ſumo, S. Bonau. eaq; optima. Donum eſt formaliter relatio ad donantem: ergo diſtinctiua, & conſtitutiua. Antecedens eſt D. Auguſt. dum magis in dono, quàm in Spiritu aſſeuerat &c. Conſequētia conſtat: conſtitutiua enim, & diſtinctiua in Diuinis ſunt relatiua, & donum ex præcedenti ratione eſt relatio poſitiua Spiritus Sancti perſonalis: ergo conſtituens, & diſtinguens. Idem optimè confirmat Riccardus verumque S. Doctorem imitatus, ex identitate doni, & amoris. Donum eſt eadem proprietas, quæ eſt amor procedens & ſpiratus: ſed amor, & Spiritus diſtinguit, & conſtituit: ergo & donum.

Reliquum eſt, vt oppoſita argumenta S. Doctoris obſeruemus, & ſoluamus.

Primum. Nihil quod dicat reſpectum ad creaturas poteſt eſſe ratio, & proprietas diſtinctiua perſonarum: Sed ſic eſt donum: ergo. Maior probatur: nam circumſcripto omni reſpectu ad creaturam, eſt ad intra perſonarum diſtinctio. Minor quoq; probatur: nam donum dicit donabilitatem, quæ reſpectus ad creaturam eſt.

Reſpondeo primò. Aptitudinem illam donandi non poſſe circumſcribi: ſi enim donum, donabile neceſſariò eſt; quod quidem verum concedo, ſed hoc tamen nihil eſt: adhuc enim verum eſt illum reſpectum non eſſe illam proprietatem diſtinguentem. Quare conceſſa maiori, neganda eſt minor: nam donum non conſtituit, neque diſtinguit perſonam ſecundum reſpectum aptitudinis ad creaturas actu, ſed originis ad donantem. Neque vllius ponderis eſt ſi obijciatur. Ergo miſsio diſtinguit, quia dicit actualem reſpectum ad mittentem: non enim vllo modo ſimile: licet enim dicat actualem reſpectum admittentem; hic tamen reſpectus eſt extrinſecus, & temporaneus, ſicuti miſſio quoque ad creaturas fit in tempore.

Secundum. Omnis proprietas diſtinguens, & conſtituens, eſt ab actu: ſed donum eſt ab habitu, vel aptitudine: ergò non poteſt eſſe ſimilis proprietas. Maior certa: nam prima perſona ideò Pater conſtituitur diſtincta à Filio, quia actu Filium generat: itidem Filius à Patre, quia actu generatur. Minor quoque patens eſt: nam eſt donum, quia donabile in tempore.

Reſp. Facillimo negotio, eadem reſponſione qua iam ad 1. Donum, non quò donabile creaturæ, ſed quo dicit reſpectum ad dantem, & à Patre, & Filio per amorem procedit, eſt proprietas perſonalis: quare falſa eſt minor, & neganda: non enim duntaxat dicit ad creaturam reſpectum illum, ſed potius, & in primis ad dantem.

Tertium. Nulla alia perſona diſtinguitur per reſpectum ad creaturam: ergo neque tertia perſona per reſpectum Doni.

Reſp. Quidquid aliqui hic dicant, concedendum eſt totum argumentum. Sicut enim nulla alia Diuina perſona per ſimilem reſpectum ad creaturam diſtinguitur, ita neque Spiritus Sanctus per hunc reſpectum donabilitatis, ſed per originem relationis ad Patrem & Filium, ad inuicem amorem

rem ſpirantes, vt iam ſæpins obſeruatum eſt. Quocirca argumentum hoc mirificè vget pro vera ſententia.

Quartum. Si donum eſt proprietas, & notio perſonalis Spiritus Sancti: ergo aut notiones ſunt ſeptem, contra commune, & receptiſſimum Theologorum aſſertum, aut amor & Spiritus non eſt proprietas, quod tamen quoque plnſquam falſum eſt. Nec quicqnam videtur agere qui conatur ſoluere, hæc tria, Amorem, Spiritum, & Donum, vnam dumtaxat eſſe proprietatem affirmando: nam tunc hæc erunt ſynonima, & nugationes, quod nulla ratione in Theologia, & rel grauitate tanta ferendum.

Reſp. Optimam eſſe reſponſionem illam indicatam de vnica proprietate per has tres voces explicata: neque vlla inde ſequitur verborum nugatio, vt egregiè S. Doctor prodit, & neceſſario reliqui Theologi: nam diuerſa ſignificamus de eadẽ emanatione, qui vnico nec conceptu concipere, nec vno verbo exprimere nos miſelli, rei magnitudine & maieſtate præſsi, poſſumus; cogimurq; id pluribus tentare: quod idem euenit etiam in Filij proprietate explicanda, vt in textu, imò in reliquis diuinis attributis, vt alijs locis D. Bonauentura teſtatus eſt.

ARTICVLVS III.

Vtrum Spiritus Sanctus ab æterno, vel in tempore ſit donum. D. Bonau. quæſt. 2. Alex. quæſt. 64. memb. 2. Riccardus ibid. art. 4. quæſt. 4.

PARAPHRASIS.

PRIMA Propoſitio. Spiritus Sanctus, ſumpto dono, vt dicit ad creaturas reſpectum, ab æterno fuit donum. Declaratur, deinde probatur. Reſpectus hic ad creaturam trifariam conſentaneè ſumitur. vt primò ſit aptitudine, eo ſcilicet Donum, quia donabile: ſecundò habitu per ordinationem, & decretum aliquo tempore donandum: tertiò actu, vt tunc verè ſit donum, quando datur: modo probatur. Licet iuxta tertiam acceptationem non poſſit eſſe donum ab æterno, quia niſi in tempore datur, iuxta tamen reliquas duas optimè aſſeuerari, & appellari donum etiam in diebus æternitatis, conſpicuum eſt. Pluribus locis S. Auguſt. ſic eum appellat 5. de Trinit. cap. 15. Quia Spiritus Sanctus ſic procedebat, vt eſſet donabilis, donum erat. *eod. lib. cap. 16.* Spiritus Sanctus ſempiternè donum erat. *Mox ratione. Prima. Vbi amor gratuitus, ibi donum: ſed ab æterno in Deo amor gratuitus: ergo & donum. Maior certa:* eo enim donum, quo gratis datur: *& quod ſic datur, amore datur. Minor quoque pariter certa ex his quæ ſupra de amore æterno aſſerta ſunt. Secunda. Vbi liberalitas, ibi ratio doni; ſed in Deo liberalitas ab æterno: ergo & donum. Tertia. Sicuti fuit Verbum ante rerum productionem, ita & donum ante ipſarum rerum collationem. Quarta. Sicuti prædeſtinatio eſt æterna, & tamen effectus temporalis: & quemadmodum Deus eſt creaturæ æternum exemplar, & tamen exemplata creatura temporanea; ita æquè & donum.*

Secunda Propoſitio ex reſponſ. ad argumenta. Licet donum ſic nuncupetur ab æterno ex futura datione in tempore; non ideo tamen aſſerendum, hoc temporale eſſe cauſam æterni, niſi fortaſſe denominationis, & conſequenter: illud enim futurum primò ſubſequitur ad decretum: ideò enim futurum, quia decretum. Deinde potiſſime donum eſt, vt à Patre, Filioq; per modum amoris procedit.

Tertia Propoſitio ex reſponſ. ad vlt. Donare conſequitur ad eſſe donum: nam eo donum, quo à Patre, & Filio per modum amoris emanat: ergo conſequenter non ſolum quia actu in tempore datur, ſed quod poſsit dari: hinc enim accipit aptitudinem, quia ſic procedit.

COMMENTARIVM.

FERE quæſtio hæc commentario non eget: omnia enim in ea facillima apparent, & ſingula varijs locis opportunè explicata ſunt. Vnũ aduertendum, Sanctum Doctorem hic non verſare donum in ſua adæquata latitudine, ſub vtroque nimirum reſpectu, & ad dantem, & ad creaturam: nam primò ſub ratione doni vt procedit, indignum eſſet quod in dubitatione vocaretur: quis enim de doni æterna emanationẽ dubitare poſſet? Sumpto igitur dono tantum vt donabilitatem, vel futuram donationem arguit; an æternum ſit, vel temporaneum, quærit & duobus modis, geminaq; vſurpatione reſpondet, & eſſe, & nuncupandum æternum, aptitudine ſcilicet, & habitu: & probat tum ex D. Auguſt. locis, tum ex doni emanantis requiſitis, ex amore nimirum gratuito, ex liberalitate, &c. quod ſuperiori quæſtione ad aliam tamen rem fecerunt, & D. Tho. & Riccardus: & addit, vt faciliorem reddat rem exemplum de prædeſtinatione, & creaturarum exemplaritate. Poſſet adiungi de præſcientia, & hic applicari quæ ad hoc inſtitutum ſuis locis à Theologis traduntur. Bina igitur concluſione complectitur quæſiti ſolutionem.

Prima. Si donum pro reali, & actuali donatione perpendatur, certum eſt eſſe temporaneum, eiq; æternitatem repugnare.

Secunda. Si ſub aptitudine & habitu vſurpetur, adhuc certius ſic æternum aſſerendum, ſicuti ipſamet emanatio, & proceſsio. Si enim ab æterno emanat vt amor Spiritus Sanctus ex liberalitate: ergo ab æterno donum, et donabile. Si iterum ab æterno decretum fuit ipſum in tempore donandũ: ergo ab æterno fuit habitu donum: neque vllam

diffi-

difficultatem veritas hæc pati poteſt. Argumenta ergo ſoluenda oppoſita.

Et primum. Ad illa duo loca D. Auguſt. primis duobus argumentis propoſita reſpondet, & ad primum conceditur illo ſenſu, donum nequaquam dici æternum. Ad ſecundum verò, veriſsimum quidem dicit S. Aug. neganda tamen conſequentia: Daturus Deus erat in tempore: ergo temporalis: ab æterno enim ex decreto daturus erat Deus, ſed in tempore facta eſt executio: exemplo prædeſtinationis cuius decretum æternum, executio tamen & effectus, ſcilicet vocationis, iuſtificationis, & glorificationis in tempore. Quod vero vltimo loco deducitur, ergo ſi verum eſt, ab æterno donum eſt, quia in tempore dandum eſt: ergo temporale æterni cauſa. Facile negotium eſt, & commune, cumq; de prædeſtinatione, ac præſcientia ageretur iterum propoſitum, & ſolutum, & negandum. Sicuti enim actus æterni prædeſtinandi, & præſciendi non eſt cauſa futurus effectus, futuraq; res præſcita, ſed oppoſito potius modo; ita fermè donatio temporanea non eſt decreti æterni cauſa, ſed magis illud decretum executionis temporaneæ; niſi denominationis, & conſequentiæ cauſam velimus admittere. Quemadmodum eo quia res futura ſcitur, ſub hac ratione formali ſcientia Diuina denominatur præſcientia, & ad inuicem oriuntur veræ conſequentiæ. Futura eſt: ergo præſcitur: ergo futura, ex infallibili Dei præſciendi ratione, idq; ex infinita vi intellectus Diuini in intelligendo; ita propemodum eo donum denominatur Spiritus Sanctus hoc reſpectu, quia in tempore dandum; vt ſit bona conſequentia in tempore gratuitè, & irredibiliter dandum: ergo ab æterno habitu donũ.

Tertium. Relatio ponit extrema, ad quæ refertur: ſed donum refertur, & ad dantem actu exiſtentem, & ad creaturam: ergo & creatura exiſtet ſi ad eam refertur: ergo aut creatura æterna quod hæreticum eſt; aut temporanea: ergo & donum.

Reſp. Neganda eſt maior abſolutè: non enim vera niſi de relatione actuali, nequaquam de habituali, qualis eſt doni æterni ad creaturam.

Quartum, Donum conſequitur datum, & probatur: nam quod datur, eſt donum ſi detur irredibiliter: ſed Spiritus Sanctus non datur niſi in tempore: ergo neque ex tempore donum.

Reſp. Quidquid ſit quod aliquando ratio doni conſequatur datum, cum de Spiritu Sancto fiat ſermo, antecedit: nam amor quo procedit Spiritus Sanctus, præcedit realem donationem: quare ad formam argumenti neganda maior: non enim ſemper, neque abſolutè, neque in propoſito vera.

Quintum. Sicut Filius non eſt antequam generetur, ita neque donum antequam donetur: ergo niſi in tempore in quo donatur. Antecedens, & ſimilitudo videtur S. Aug. *Eo*, inquit, *Filium eſſe notum, quia à Patre generatur: & Spiritum Sanctum donum, quia à Patre, & Filio procedit.*

Reſp. S. Doctor, & declarat aſſumptum: non eſt Filius niſi generetur; ita accipiendum, vt ſecundum rationem procedat generatio ad eſſe Filium: prius enim concipitur emanatio perſonæ, deinde perſona emanata, vt ſit dicam. Deinde negat vllam ſimilitudinem inter donum, & generationem interuenire: nam donum præter emanationem dicit etiã creaturæ communicationem temporalem, & hoc ad illud conſequitur: quare eſt quidem ab æterno donum, quia ſic emanat, & ſic in tempore communicatur. Ergo ad formam argumenti neganda ſimilitudo, & illud antecedens, ſubinde quoque neganda de dono conſequentia.

ARTICVLVS IV.

Quid conuenientius de Spiritu Sancto dicatur, donum, an datum. D. Bonau. quæſt. 3. D. Tho. art. 2. & de veritate q. 7. ar. 3.

PARAPHRASIS.

PRIMA Propoſitio. Optimè conuenit quoad vocem etiam Spiritui Sancto vt donum nuncupetur. Colligitur primò ex Gloſſa, deinde hiſce rationibus vehementer perſuadetur. Prima. Donum verè congruit Spiritui Sancto etiam ab æterno, quamuis non niſi in tempore donetur, & iam ſupra ſatis demonſtratum eſt: nam ſola aptitudo, & habitus doni, & vt aiunt, donabilitas ſufficit ipſum in ratione doni formali conſtituere; & eſt proprietas conſtitutiua, & diſpoſitiua ipſius: procedit etenim à Patre & Filio per modum liberalitatis, & amoris mutui, & procedit vt aptus donari: ergo vt donum. Secunda. Donum in Deo magnæ nobilitatis conditionem aſtruit: ergo maximè ei competit, & optima ratione ad ipſum transfertur. Conſequentia multis alijs locis, ac propoſitis relinquitur ſatis enucleata, & demonſtrata. Antecedens verò ſic. Donum indicat ſummam liberalitatem, amorem ſummum, denique irredibilitatem ſummam, quibus producitur Spiritus Sanctus: ergo donum intrinſecè conſequitur ad ſuæ emanationis modum.

Secunda Propoſitio. Non æquè conuenienter de Spiritu Sancto aſſeritur datus. Primò. Nam licet veriſſimè Spiritus Sanctus in Diuinis litteris nuncupetur datus, ac detur; dicit tamen tempus: datur enim in tempore, quod æternitati repugnat, in qua donum eſt Spiritus Sancti proprietas vera, ac realis. Secundò. Datum abſtrahit ab eo quod nobiliſſimum explicatur in dono, hoc eſt ſumma liberalitate: ergo minus rectè de Spiritu Sancto dicitur. Conſequentia iam propoſitione prima conſtat. Antecedens verò perſuadetur. Nam æquè verè datur quod retributionis ſpe, & mercede, quàm quod irredibiliter.

Tertia Propoſitio ex reſp. ad arg. Donum actu in tempore dari; non addit dono perfectionem, nec rationẽ doni conſtituit: nam tunc duntaxat datur, quando adeſt ſuſcipientis capacitas; neque dans à potentia ad actum tranſit; neque

ideo

ideo donum quia datur, ſed oppoſita ratione, datur quia donum, & donabile procedens à Patre, & Filio.

COMMENTARIVM.

NEMO antiquioribus Doctoribus de dono vberius, ac fuſius D. Bonauentura; quo enim ad rem, & eſſe in Diuinis perſonis relationem, & eſſe Spiritus Sancti, & eſſe per relationem perſonalem conſtitutum: quo ad durationem, eſſe æternum: quo ad nomen, explicati rem hanc optimè nomine doni magis quàm dati; & eſſe ita donum vt ſit primum, in quo neceſſariò quidquid donatur, donetur. Denique ita donari Spiritum Sanctum nobis, vt verè noſter ſuo modo denominari poſsit, feliciter edisſerit. At verò quoniam quò vberius, ac cumulatius explicatur, eò facilius digeritur: ſicuti enim *Dum* (dicebat ille) *breuis eſſe volo, obſcurus fio*. ita fermè in longa oratione omne diſcutitur dubiū, nihilq; relinquitur quod difficultatis nomen mereatur. Idcirco longiori Commentario non eſt opus in hac quæſt. præſertim, vbi omnia luce clariora ſunt: ſuppoſita igitur certa, & aperta quæſt. ſententia, quàm propriè ſcilicet Spiritus Sanctus dicatur donum, magis quàm datum.

Tria breuiter, ac conciſè obſeruanda. Primum, ead. præſtare D. Thom. multis locis, ac in primis art. 2. quæſt. 38. licet quaſi aliud agens: dum enim & donum eſſe proprium nomen Spiritus Sancti docet, non ſolum proprietatem per donum explicatā, ſed ipſum etiam nomen verè ac propriè dici de Spiritu Sancto. Quamuis verò hoc non addat, magis propriè dici quam datum, hoc tamen & tamquam certum ſupponit, & tertio quoque verbo art. 1. indicat, dum non ideo donum quod donetur, ſed quod aptum donari aſſeuerat; certum tradit ad æternæ huius proprietatis rationem non ſpectare quod detur, ſed quod apta ſit dari, donabiliſq; ſit, idq; quia procedit vt amor: ergo magis propriè donum, quàm datum. Præterquamquod datum & toti Trinitati commune eſt; donum verò Spiritus Sancti proprium: ergo propriè, ac magis propriè.

Secundum obſeruandum in primis eſt illa aurea S. Bonau. ratio, ipſi frequens ac familiaris, ac ſemper in ore habenda. Attributum doni in Deo ponendum, ac ſub hoc termine doni confitendum: magnam ſiquidem in ipſo nobilitatem, ac ſummam perfectionem ſaretur, ac complectitur. Quibus (hinc quoque proprietatem in Diuinis dicere perfectionem colligitur: donum enim formaliter eſt relatio, ac proprietas) hæc namque eſt illa ratio quam adhibuit, dum de termino perſonæ rectè Deo tributo ageret, dum de neceſſaria, ſufficienti, & adæquatá ratione attributi diuini, & hac ratione attributum eſſe dignum Deo, quia Dei perfectionem ſimpliciter præſefert; quam niſi aliàs ſatis explicatam reliquiſſem, nunc in eius confirmationem alia colligerem, ac plura conſerrem.

Tertium igitur animaduertendum. Ne quis ſcandalum patiatur à S. Doctore, dum in Diuinis litteris hac quæſtione, non æquè conuenienter ponitur datum, ac donum, quaſi hac voce *datum* Spiritus Sanctus non ea conuenientia, ac proprietate vſus ſit, qua poterat vti, vt aliquam improprietatem admittere in Diuinis litteris videatur. Sed hæc omnia procul abſint: hoc enim vnum voluit nos docere de Spiritu Sancto plura ſignificare donum, quàm datum: verum id ad quod ſignificandum aſſumitur *datum* veriſsimè ſignificat, ac omnino propriè, exhibitionem, ſcilicet actualem elargitionem doni Spiritus Sancti, & cuiuſcumque alterius generis beneficij in creaturam rationalem: donum verò magis aptitudinem, originem, modum emanandi ipſius Spiritus Sancti; quod cum ſit omnino proprium; & vox æquè propria, ac magis quàm *datum* ad propria Spiritus Sancti explicanda. Eadem ratione cum proportione in reliquis donis creatis: *datum*, ipſam ſolam largitionem: *donum* verò radicem, amorem ſcilicet, ac liberalitatem, qua donantur, & elargiuntur, amplius exprimit.

Quartum in reſponſ. ad arg. animaduertendum: exquiſitè ſanctum Doctorem tradere vbi & perfectio, & vera ratio doni ſita ſit, & vnde attendatur: non in actu. eo nimirum, quo nobis actu donatur: non enim eo donum quo donatur in tempore, ſed quo ab æterno ſpiratur ex amore mutuo donabile, vt docuit iam S. Aug. *Eo donum, quo à Patre Filioque procedit*.: Sicuti ſupra traditum eſt, & infra diſputabitur..

Quod ſi obijcistur tum S. Aug. 15. de Trinit. cap. 19. *Spiritus Sanctus in tantum donum Dei eſt in quantum eis datur, quibus datur*. Reſpondet Magiſter initio huius diſt. & S. Bonau. quæſt. 3. Huic argumento cum reliquis Theologis; Spiritum Sanctum & donum dici; & datum, & quoquomodo identificari ad inuicem donum, & datum; & dum donum donatur, eo donum quo donatur in tempore: negatur tamen donum ſtrictè, ac formaliter in actuali elargitione perfici: iam enim donum ſua origine antequam donetur; Quocirca donum dari non eſt doni ratio, niſi ratione cui donatur: ſed abſolutè vt donum non ideo donum quia datur, ſed ideo datur, quia ab æterno donum ex ſua proceſſione. Teſtatur S. Aug. lib. 5. de Trinit. cap. 15. *quia ſic Spiritus Sanctus procedebat, vt eſſet donabile; iam donum erat antequam eſſet cui donaretur*: aliter enim intelligitur cum dicitur donum, aliter cum dicitur donatum: nam donum poteſt eſſe etiam antequam detur, donatum verò niſi datum fuerit, nulla ratione dici poteſt. Ead. lib. eod. cap. 14. *Eo quod daturus erat iam Deus, iam donum erat: donum erat etiam, antequam donaretur*.

Si ſecundò opponas. Donum antequam donetur eſt in potentia, vt donetur, dum donatur eſt in actu: ſed res perfectior eſt in actu, quàm in potētia: ergo *datum* perfectior doni ratio. Reſpondet S. Doctor: quando eſt in potentia propter impotentiam agentis, verè opponitur: ſic enim perficitur agens dum operatum: at vero quando eſt in potentia ex incapacitate ſuſcipientis, ſicuti hic: non enim ab æterno donatus Spiritus Sanctus, quia non erat cui donaretur; tunc donari actu non

auget

Digitized by Google

auget perfectionem doni. Rem illuſtrat exemplo ſolis, quem conſtat non eo imperfectiorem eſſe quia clauſam domum non illuminat; neque tunc perfici; quando apertam domum illuminat: certum enim eſt omne impedimētum pendere ex domus oſtio clauſo, & incapacitate &c.

Secundò, & mea ſententia melius, ex vlt. arg. Spiritus Sanctus nō eſt in potentia vnquam vt ſit donum: infinitè enim perfectum donum ſpiratur ab æterno: quare dum donatur, non reducitur ad actum doni, ſed donati, quod quidem extrinſecum eſt dono, & ei accidit in tempore. Indicat S. Doctor, dum poſtremo argumento ideo donatum quia donū profert: licet nos ex donato conijciamus donum. Cætera facillima; quare nihil addendum, niſi argumentorum ſolutionem.

Primum autem argumentum eſt ex D. Iacobi auctoritate. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum.* Vbi æquè datum ac donum conuenire Spiritu Sancto aſſeritur: ergo æquè perfectè *datum*, ac *donum* de Spiritu Sancto dicitur.

Reſp. Sanctus Doctor; hanc eſſe Apoſtolici dicti ſententiam, vt quicquid nobis Deus elargitur, gratis, & irredibiliter elargiatur; & inde Diuinam prædicari liberalitatem, quia abundè, & gratis, & liberaliter concedit: vnde Spiritui Sancto dona cælitus data attribui, quia ſic ex Diuina charitate dantur. Quod verò inde ex his Apoſtoli verbis æquè Spiritum Sanctum appellari datum, ac donum eliciatur, non legitimè elicitur, negandaq; conſequentia vt comprehenderet tum data, tum danda & dabilia, & modum dandi his vſus eſt verbis D. Iacobus: nequaquam tamen eandem prorſus eſſe dati, & doni ſignificationem quis deduceret. Plurimi facienda huius loci explicatio, quam affert S. Doctor Opuſc. de ſeptem donis Spiritus Sancti cap. 1. quam confirmat partim egregiè ex D. Dionyſ. Areopag. qua, inquit, de Patre æterno perfecta cognitione, aliarum diuinarum perſonarum in ordine ad creaturas traditur: omne enim datum optimum eſt Filius æternus, datus nobis in Incarnatione; & donum perfectum eſt Spiritus Sanctus in die Pentecoſtes in primis donatus; & vtraque perſona ſic miſſa oſtēditur habere originem æternam à Patre omnium luminum, & emanationum fonte, & diſtincta origo, ac emanatio: altera enim data, & altera donata, ac ita donata, vt omnium donorum origo, quia Spiritus Sanctus non donum tantum, ſed donum primum, & omnium donorum ratio, & in quo omnia donantur. Ordo pariter harum perſonarum his verbis Apoſtolicis traditur, dum prius datum, quam donum aſſeritur: nam datus eſt Filius, quia ſecunda perſona, à qua procedit tertia: & Filius incarnatus eſt, vt ſua oratione & meritis donum optimum nòbis mereretur, atque ita datam optimum miſit Pater, vt donum perfectum nobis acquireret.

Secundum. Sicut ſe habet mobile ad motū, ita donum ad datum, & è contra: ſed mobilis, & moti vna eademq; ratio: ergo & dati, & doni pariter.

Reſpondetur, & negatur maior: non enim eadem ratio mobilis, & moti, & doni, & dati; & conſtat: nam motum omne quod dicit mobile cōplectitur, & inſuper addit actum motus: datum verò dumtaxat addit actum, nequaquam tamen comprehendit doni originem, & modum dandi; nam ex ſe datum abſtrahit à quocumque dandi modo, & præuiam exhibitionem rei concernit. Quod verò addit niſi approprietur, iam nuper ſupra explicauit ipſe S. Doctor, vt ſi datum ex liberalitate eſt in tempore, & ex origine &c. ſic conuertatur cum dono.

Tertium & 4. ſoluta ſunt in 4. obſeruatione.

ARTICVLVS IGITVR V.
Corollarius.

An Spiritus Sanctus, ita ſit donum, vt omnia in ipſo donentur. D. Bon. quæſt. 1. D. Th. art. 2.

PARAPHRASIS.

PRIMA Propoſitio. Si ſumatur ille ablatiuus in quo omnia donantur; *ita vt dicat perpetuam concomitantiam, vt nullum vnquam concedatur donum, vel ad intellectum, vel ad voluntatem ſpectans, ſine ipſo Spiritu Sancto; non omnia in Spiritu Sancto donantur, nimirum cum ipſo. Facillimo probatur negotiò, ex donorum diſtinctione: ſi quidem quædam inueniuntur dona, quæ cum inhabitante Spiritu Sancto nunquam ſunt, vt timor ſeruilis: quædam, quæ ſine Spiritu Sancto ſæpe pariter reperiri ſolent in hominum mentibus, vt fides, & aliquando prophetia. Hinc quod Diuus Iſidorus lib. 1. de ſummo bono aſſerit, verum deprehenditur* Multis indignis Spiritu Sancto, Spiritus Sancti dona dantur.

Secunda Propoſitio. Si ille ablatiuus cauſalitatem aſtruat; non quamcumque tamen, ſed eam tātum, quæ adiunctam habeat & ſubauctoritatem, & exemplaritatem; tunc omnia in Spiritu Sancto donantur, quia in amore donantur, qui eſt Spiritus Sanctus: quo ſenſu Spiritus Sanctus primus amor ſpiratus, & conſequenter prima perſona exemplaris cuiuſcumque doni gratis & liberaliter dati, & primum donum, cauſaque efficiens ſimul cum Patre, & Filio. Hæc ſententia modo ſic explicata probatur primò 1. Corint. 12. Diuiſiones gratiarum ſunt, idem autem Spiritus diuidens ſingulis prout vult: *& hinc arguitur. Omnia dona, in data gratis, & gratum facientia, diſtinguntur: ſed hæc à Spiritu Sancto elargiuntur: ergo omnia in Spiritu Sancto, & à Spiritu Sancto. Deinde D. Aug. 25. de Trin. cap. 19.* per donum, quod eſt Spiritus Sanctus commune omnibus membris Chriſti, propria quibuſque dona Dei donantur.

Præterea ratione. Prima. Spiritus Sanctus eſt

pri.

Digitized by Google

primum donum: ergo omne aliud donum ad primum, velut ad exemplar, & ratione donandi: ergo in ipſo omnia ſic donantur. Antecedens iam certum, & explicatum eſt: nam eſt perſona æterna, & ſola, & prima, quæ vt amor ſpiratus procedit. Conſequentia quoque certa: nam & omne poſterius ad prius reducitur, & omnis doni vera ratio eſt amor liberalis. Secunda: & confirmatur. Omne donum, vt ſic ex amore eſt: ſed Spiritus Sanctus eſt amor Patris, & Filij: ergo omne donum ex Spiritu Sancto.

Tertia Propoſitio. Si donum hic aſſumatur, vt donum tantummodo ſanctificans, vt Charitas, & Sapientia; omni proculdubio & concomitanter, & exemplariter, omnia dona in Spiritu Sancto, & cum Spiritu Sancto, & à Spiritu Sancto donantur. Res eſt ſeſe conſpicua eſt.

Quarta Propoſitio ex reſp. ad arg. Corollaria, & aliarum explicatio. Omnia dona, etiam ipſamet Incarnatio, in ratione doni, & formaliter ſumpta attribuuntur rectè Spiritui Sancto, & verè in Spiritu Sancto donantur; materialiter verò accepta, quædam etiam Filio appropriari poſſunt. Ratio prima partis eſt ſæpenumero adhuc indicata; quia amor eſt ratio doni, & primus amor, primumq; donum eſt Spiritus Sanctus, in quo ita ipſamet Incarnatio celebrata eſt, vt dixerit D. Ioan. Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret: *& hoc adeo verum eſt de quocumque etiam alio dono, vt ſi per impoſsibile Spiritus Sanctus circumſcriberetur, neque ſupponeretur vt exemplar, & amor procedens, nullum eſſet formaliter donum.*

Quinta Propoſitio. Donum creatum eſt donum doni, ſcilicet à Spiritu Sancto, quod eſt primum donum; neque inde oriri inconueniens proceſſus in infinitum: nam ſicuti ſtandum eſt primo motu, à quo reliqui motus; ſic primo dono, à quo cætera dona procedunt.

COMMENTARIVM.

PAVCA hic coaceruanda: nam quæ huc opportunè referri poſſent, vlt. cap. diſputationis referentur. Vnum in primis ob oculos ponendum primo loco, & eſt ordo harum quæſt. quas ſic mutaſſe, & inuertiſſe, ac inuertendas rectè exiſtimamus: poſtremo loco hanc ſequentem, & præſentem, hac ratione collocandas duximus, corollariæ enim ſunt, & conſequuntur ad ante poſitas, ac ex ipſis explicatam doctrinam. Si enim Spiritus eſt primum donum, & per modum amoris ſpirati procedit: ergo ratio, & exēplar omnis doni, & neceſſariò ſic omnia in Spiritu Sancto, & à Spiritu Sancto donantur: & ſi nobis donatur vt eo fruamur, & hic, & in patria: ergo noſter eſt. Neque hinc de ſuo ordine redarguendus S. Doctor, ſecutus enim Magiſtri litteram, vt textum ijs locis, & eo ord. quæſtiones eliciebat, & proponere, & ſoluere debebat, ſicuti textus idem offerebat opportunitatē, & occaſionem, quod & aliàs admonuimus.

Idcirco hinc apertè quid quærat hac quæſt. S. Doctor colligitur: indagat namque, ſuppoſito Spiritum Sanctum eſſe donum, ac primum donum, & primam rationem, & appropriatam omnis gratuiti doni, & adhuc ſuppoſito, dum datur Spiritus Sanctus dari ad inhabitandum, & ad perficiendum; num quotieſcumque datur aliquod Spiritus Sancti donum, detur ſimul ipſe Spiritus Sanctus ſemper. Secundò. An omnis doni ſit ipſe ſemper cauſa in aliquo genere cauſæ: &

Reſpondet conſpicuè. Primò, dum ſanctificantia dona infunduntur, & elargiuntur, veluti gratia, charitas, & ſapientia, &c. de gratia nullus dubitandi locus relinquitur: de charitate quoque quis ambigere audebit? cum aut idem prorſus ſit cum gratia, aut æquè opponatur omni peccato, ac vitio quemadmodum & gratia? *Charitas* enim *operit multitudinem peccatorum*, cuius actus eſt diligere Deum per ſe, & ſuper omnia, & conſequenter quidquid contra Deum eſt deteſtari, vt etiam adnotauit D. Bonau. diſt. 17. dubijs litter. *Charitas* deinde, teſte D. Paulo ad Romanos 5. *diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis*; & de tota Sanctiſsima Trinitate D. Ioan. *Ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* De quibus infra de miſsione perſonarum.

De Sapientia itidem teſtatur Diuina Scriptura: *In maleuolam animam non introibit ſapientia.* D. Bonau. egregiè Opuſc. de ſeptem donis Spiritus Sancti cap. 1. & deinceps, de dono Sapientiæ, dum quid operetur in anima ſapientia ediſſerit. & ex D. Aug. 2. de Doctrina Chriſtiana: *Hæc ſapientia ſumma, & vltima eſt, quia hac habita animus pacatus, & tranquillius fruitur, & delectatur in ea.* & ex D. Anſelmo lib. de ſimilitudinibus: *Spiritus Sanctus menti inſpirat ad poſtremum ſapientiam, quam alijs donis ſuperaccumulat, vt quod rectè intelligitur in dono ſcientiæ ſibi ſcit atque dulciſsimum in dono ſapientiæ, ſoloq. rectitudinis amore ſequitur, quo intelligit eſſe ſequendum. Non enim perfectum facit cognitio veritatis, niſi etiam ſecutus guſtus experimentalis.* & addit in iſto ædificio ſic compoſito donorum Spiritus Sancti, *Spiritus Sanctus reſidet, totamq. familiam domus interioris regit, & ad ſuum obſequium diſponit.*

Ipſe verò S. Bonau. eod. cap. *Donum*, inquit, *ſapientia eſt lux deſcendens à Patre luminum.* Ex D. Iacobo cap. 3. *Sapientia quæ de ſurſum eſt: & radians in animam, facit eam Deiformem, & donum Dei; illuſtrat enim intellectiuam, inflammat actiuam, roborat operatiuam:* & ferè in fine capitis, conſtituit ſapientiæ obiectum Deum verum ſub relatione ad bonum, excitans voluntatem ad eius ſaporosā dilectionē: & actum eius aſſerit eſſe Deum contemplari, non quocumque modo, ſed ex dilectione cum quadam experimentali ſuauitate, ac guſtu. Et ex D. Bernardo ſer. 82. in Cant. *Nec dixerim eſſe reprehendendum, ſi quis ſapientiam ſaporem boni definierit, &c.* Vide

quàm

Digitized by Google

quàm dilucidè omnia dona, omnemq. virtutem etiam Theologicam ſimul adiunctam habeat ſapientiam, & coniunctam patefaciat.

Secundò reſpondet. Si quæ dona conceduntur non iuſtificantia, neque gratiam, & charitatem ſibi connexam habentia, procul omni dubio Spiritus Sanctus in eis non datur, nec mittitur. De timore ſeruili teſtatur numquam habere Spiritum Sanctum, ac decernit ſancta Synodus Trident. ſeſſ. 13. cap. de Contrit. *Timorem*, inquiens, *eſſe quidem donum Dei, non tamen inhabitantis Spiritus Sancti, ſed impellentis, &c.* de quo dilucidè S. Bonau. eod. Opuſc. cap. 1. aſſerit non eſſe donum Spiritus Sancti, quia poteſt eſſe ſine; imò cum quo non poteſt eſſe charitas. Reddidit rationem paucis ſupra: magis enim, inquit, timet pœnam, quàm culpam: deſcendit quidem à Deo, licet non ſub ea ratione, quà merè ſeruilis, ſed vt quoddam initium ſalutis, & diſpoſitionis ad pœnitentiam.

Quare ſtrictius S. Doctor quàm Concilium, timorem vſurpat: adiungit enim Concil. timori huic propoſitum de numquam peccando. Sanctus verò Bonau. dicens eum magis culpam, quàm pœnam timere; hoc diminuit, & ferè negat: & timorem quem ſic circumſcribit Concil. ipſe quodam gradu non tempore diſtinguit, & vocat timorem initialem, de quo Dauid: *Initium ſapientiæ eſt timor Domini*: differunt ſicut perfectum, & imperfectum; ſi rectè tamen attendatur, in nullo à Concilio differt: concedit enim timorem ſeruilem non ſufficienter diſponere ad pœnitentiam, niſi adſit voluntas numquam peccandi: concedit verò, & aſtruit diſponere Concilium ad pœnitentiam in Sacramento cum addita hac voluntate, qua eſt initium ſapientiæ, & iuſtitiæ. Reliqua conſpicua. Fides enim modò cum charitate & Spiritu Sancto eſt, modò non eſt. Patet in adultis, qui in peccato mortali tamen rectè credunt; & decernit idem Conc. Prophetia itidem modò ſine gratia, & Spiritu Sancto, vt in Balaam, & in illis *Nonne in nomine tuo prophetauimus?* & in Sybillis apud gentes: modò cum gratia, vt de pluribus ſanctiſsimis viris patentiſsimum eſt.

Tertiò reſp. quod ad vim cauſandi, primò, Spiritum Sanctum cum Patre, & Filio eſſe cuiuſcumq; doni, ac beneficij rationali creaturæ collati cauſam efficientem; per appropriationem tamen quandam appellari Spiritum Sanctũ propter quandam ſimilitudinem, quia ipſe eſt amor etiam perſonalis: amore verò omnia à Deo donantur. Secundò, ipſum propriè vt hæc perſona eſſe cauſam exemplarem cuiuſcumque doni, quia eſt primum donum, & amor, ad cuius exemplar reliqua donantur: amore etenim, vt iterum dicam, donantur irredibiliter, & gratuitè, aliàs non eſſent dona, ex iam tradita, & ſæpè repetita doni definitione: & huc dirigit omnes rationes, quæ maioris efficacitatis ſunt, quàm difficultatis, ſed potior, & vrgentior locus hic, eſt auctoritas D. Pauli 1. Corin. 12. *Diuiſiones gratiarum ſunt, idem autem Spiritus, diuidit ſingulis prout vult.* quem locum ipſe ſanctus Doctor de quocumque dono, & gratum faciente, & gratis dato.

Diuus verò Aug. lib. 15. de Trinit. cap. 19. hunc in modum interpretatur. *Per donum, quod eſt Spiritus Sanctus, in communi omnibus membris Chriſti multa dona, quæ ſunt quibuſque propria, diuiduntur: non enim ſinguli quoque habent omnia, ſed hi illa, alij alia: quamuis ipſum donum à quo cuique propria deriuantur, omnes habeant, ideſt Spiritum Sanctum: nam & alibi cum multa dona commemoraſſet, omnia, inquit, operatur vnus atque idem Spiritus, diuidens propria vnicuique prout vult: hoc enim verbum, & in epiſt. ad Hebræos cap. 2. inuenitur, vbi ſcriptum eſt: Conteſtante Deo ſignis, & portentis, & varijs virtutibus, & Spiritus Sancti diſtributionibus ſecundum ſuam voluntatem.* Hæc Aug.

Hæc verò quæ hìc omni exploſa difficultate, mira vbertate S. Bonau. ead. prorſus S. Thom. in 1. Senten. ead. diſt. art. 3. Riccardus quæſt. 3. & ſi qui alij rem hanc tangunt. Ipſe Magiſter in fine diſt. 17. his verbis, ſecutus D. Auguſt. loco nuperrimè recenſito. *Hìc quæritur, cum Spiritus Sanctus, per quem diuiduntur dona, ipſe ſit donum; vtrum concedendum ſit, quod per donum diuidantur, ac dentur dona? Ad quod dicimus, quia per donum, quod eſt Spiritus Sanctus, ſingulis propria diuiduntur, & ipſum communiter omnes boni habent*: vnde D. Auguſt. loco citato concludit: *Ecce apertè dicit, per donum dona donari*. Quare nihil eſt quod diutius remoremur circa hunc articulum. Ad argumenta ergo.

Primum erat ex auctoritate D. Iſidori, ſed hoc iam ſolutum eſt, dum geminum donorum genus; aliud quod gratis datum præciſè; aliud quod etiã gratum faciens nuncupatur, aſſertum eſt: locus verò apprimè de primo donorum genere, nequaquam de ſecundo Diui Iſidori interpretandus eſt.

Secundò. Sunt aliqua dona, quæ Filio appropriantur, ſicuti ſcientia, intellectus, ſapientia, &c. quæ ad intellectum attinent: ergo illa videntur per ipſum Filium donanda; & cõfirmari poteſt Ioan. 1. *Omnia per ipſum facta ſunt*: ergo omnia etiam, vel ſaltem aliqua per ipſum donantur.

Facilis, ac vera, & communis reſponſio. Quædam appropriari quidem Filio, & vt aſtruit argumentum, entitatiuè tamen, & quaſi materialiter; & omnia, & facta, & dari per Filium; ſed eo modo dari, quo facta, nimirum eſſentialiter ſimul cum Patre, & Spiritu Sancto, ſed ſub ratione doni, ac formaliter; & appropriari Spiritui Sancto, & ab ipſo donari, quia & ipſe primum donum, & amor, &c. Ad formam autem argumenti duobus modis poteſt reſponderi. Primò: negando antecedens: non enim vlla attribuuntur Filio ſub ratione doni. Secundò, negando conſequentiam, quod in idem recidit; licet enim quædam attribuantur Filio, & approprientur quia Verbum, & per intellectum genitus: negandum tamen attribui vt dona: ſed Spiritui Sancto, quia ipſe donum. Sed hæc fuſius, & diſtinctius quæſt. vlt. de perſonarum miſsione.

Tertium. Filius datus eſt nobis in Incarnatione tamquam maximum donum. *Filius datus eſt nobis*. Iſaiæ 9. non ergo per Spiritum Sanctum.

Probo conſequentiam: nam ſi Filius datus eſt per Spiritum Sanctum: ergo Spiritus Sanctus habet auctoritatem in Filium, eumq. mittit, contra ordinem originum, vt ab eo mittatur perſona, à quo originem ducit: ergo per Spiritum Sanctum non omne donum nobis.

Reſp. In Incarnationis myſterio duo ob oculos mentis ſemper habenda: alterum, perſonam aſſumentem, & naturam humanam terminantem: alterum, ipſam naturam humanam aſſumptam, terminatam, & perſonatam: & diuerſa ratione de myſterio hoc, diuerſa verè aſſeruntur propter naturarum in eo diuerſitatem: & inter illa & hoc, non per Spiritum Sanctum mitti Filium ad Incarnationem, quia neque per eum producitur, ſed ipſe Spiritus Sanctus ab eo: ſed naturam humanam aſſumi per Spiritum Sanctum, non modo efficienter ſimul cum Patre, & Filio, ſed exemplariter; quia ſumma charitate id factum eſt, & maximum donum naturæ humanæ donatum: *Sic enim Deus dilexit mundum*, &c. Quare ad formam argumenti conceſſo antecedenti, neganda eſt conſequentia. Ad rationem adhuc, conſequentia neganda: non enim datur per Spiritum Sanctum, niſi in ratione naturæ aſſumptæ: quo obſeruato nullum ſequitur inconueniens. Rurſus; ſecunda conſequentia falſa: nam imò quò maximum donum, eò in Spiritu Sancto datur, ſcilicet in amore.

Quartum Argumentum. Perimpoſsibile ſi non eſſet Spiritus Sanctus, adhuc intelligeretur Pater, & Filius liberales: ergo & donatores. Conſequentia videtur certa: nam aliàs à Spiritu Sancto hoc reciperetur.

Reſp. Plura hic puſſent congeri, quæ alibi notauimus, dum de hoc modo arguendi in Diuinis, ageremus: non enim deſunt, quibus nullo modo placet, ſeu qui primo continet contradictionem: ſi enim non eſſet Spiritus Sanctus, neque Pater, neque Filius eſſet, neque ille quem adoramus, & colimus, Deus: quod indicat ſanctus Doctor in hac reſponſione, dum aſſerit, ſi non eſſet Spiritus Sanctus, non eſſet ratio exemplaris, nec vera donandi ratio, ſed abſolutè ſi præcluderetur Spiritus Sanctus à Deo per intellectum, in eadem reſponſione perſeuerat, veram, & integram rationem doni non remanere in Deo. Declaratur. In doni ratione in Deo tria intelligenda requiruntur: primum, cauſalitas & efficientia donandi, quæ penes eſſentiam ſumitur: ſecundum, ſubauctoritas, & origo, vt ſuo loco digeſtum eſt; tertium, cauſa exemplaris. Tunc, licet ſine Spiritu Sancto eſſet eſſentia donans, & ſubauctoritas Filij emanantis à Patre, non eſſet tamen ratio exemplaris doni, & amoris procedentis: hoc enim eſt proprietas diſtinguens, & conſtituens Spiritum Sanctum: & conſequenter non eſſet, nec ille Deus, nec ea ratio doni, ac donandi, quàm hic verſamus. Ad argumentum ergo primò poſſet negari modus arguendi, & non eſſet à D. Bonauenturæ mente alienum; quia tamen apertè non negat, neque nos hic negemus, ſed antecedens. Ratio negationis iam liquet: nam ratio exemplaris doni eſt, ipſe Spiritus Sanctus. Sed pro beatitudine adhuc negatur illud inde ſequi abſurdum: non enim Pater, & Filius à Spiritu Sancto, ſed ab eſſentia; ita tamen in tribus ſuppoſitis conſtituta, habent, vt non ſint omni ratione donatores, niſi & in Spiritu Sancto. Sed aliàs de ſimili conſequentia ſatis.

Quintum Argumentum. Spiritus Sanctus eſt donum, vt iam ſatis confirmatum eſt: ergo ſi per eum donantur nobis dona, ſequitur hoc maximum abſurdum, ab ipſo Ariſt. deteſtatum: tunc enim datur donum doni, relatio relationis, motus motus, & conſequenter proceſſus in infinitum. Conſequentia conſtat: nam Spiritus Sanctus eſt donum, res creata data eſt donum Spiritus Sancti. Donum eſt relatio, & ex nobis donata re enaſcitur relatio, &c. Conſequentia inconueniens euidens eſt, tum ex Ariſt. 8. Phyſic. tex. 9. tum ex proceſſu in infinitum; nam cuiuſcumque relationis non poteſt eſſe terminus ſufficiens alia relatio, nec vnius motus alius motus, & quicumque aſſignabitur ſimilis terminus, erit eiuſdem imperfectionis: quare neceſſariò inde proceſſus in infinitum.

Reſp. Multa, tum naturalia, tum Diuina hoc inuoluit argumentum, quibus omnibus prætermiſsis, bis egregiè ſanctus Doctor ſoluit argumentum. Primò habita ratione etiam ad locum Ariſt. ſecundò Theologicè. Primò igitur interpretatur Ariſt. & negat vllum ſequi abſurdum: dari enim motum motus, relationem relationis, & donum doni, rectiſsimè ſuſtinetur, ſi in ordine ad principium vſurpetur, vt hunc efficiat ſenſum: eſt motus à motu, ſcilicet vnus motus producit alium motum, vna relatio aliam; vnum donum aliud: neque inde vllus poteſt oriri proceſſus in infinitum, nam imò deueniendum eſt ad vnum primum, in quo ſtandum, & deuenit ipſe Ariſt. 8. Phyſ. Illa quidem abſurda ſequerentur, ſi in ratione termini res acciperetur.

Plura hic poſſent congeri, ſed Ariſt. interpretibus relinquantur. Vnicum tamen referam, quod interpretatur Riccardus ad 2. vbi ex 5. Phyſ. motum motus non concedi attulerat, licet non detur motus à motu, tamquam terminus proprius, & immediatus; certum tamen per motum produci alium motum, & multò certius per Spiritum infinitæ virtutis plurima produci: ſed hoc nihil contra S. Doctorem, vt conſtat. Secundò. Reſpondet, donum reſpicere Diuinam hypoſtaſim, quod negant Scotiſtæ: vult autem dicere, non eſt mirum dari donum doni, & conſequenter relationem relationis: nam eſt quidem donum; relatio tamen Diuina, includens Diuinam eſſentiam, & ſubſiſtens, quæ inde poteſt operari, & producere, & concedere dona, imò ſuppoſitorum eſt agere, & Deus agit vt ſubſiſtens in perſonis.

ARTI-

ARTICVLVS VI.

An Spiritus Sanctus ratione donabilitatis, dicatur ſpiritus noſter. D. Bon. quæſt. 6. D. Tho. ead. diſt. 18. art. 5.

PARAPHRASIS.

PRIMA Propoſitio. Verba, quæ poſſeſſionem de aliquo ſignificant, duobus modis explicantur: vel per mediam copulam (Eſt) ſicuti cum dicimus, hoc eſt meum, vel noſtrum: vel ſine media illa copula, vt Pater noſter, vel meus: primo modo ſi explicetur, verè & perfectè poſſeſſio de re, de qua eſt ſermo, aperitur, & quodammodo melius quàm ſine copula. Probatur: nam copula veram rationem poſſeſſionis præſefert; ſine copula verò, tantum aliquam habitudinem indicat.

Secunda Propoſitio Vera ac legitima locutio, dū iuſtus in primis habere Dei Spiritū dicitur, ac profert; Spiritus Dei, & Deus ipſe noſter eſt, ac meus. Filius Dei præſertim eſt noſter propter Incarnationis myſterium, in quo datus eſt nobis. Spiritus Sanctus potiſſimè eſt noſter, qui datus eſt nobis in pignus hæreditatis æternæ.

Tertia Propoſitio. Licet res in communi alicuius aſſeratur, aut propter has tres rationes, aut vnam ex his, ſcilicet aut per formam ſubiecto vnitam, & ſic propter informantem albedinem Petri, dicitur Petri albedo: aut per cauſam efficientem, ac ſic Pater dicitur meus, quia me genuit; aut denique per relationem, quæ inter duos interuenit atque ita Magiſter, & Dominus meus idoneè aſſeritur: nō poteſt tamen dici Deus, & Spiritus Dei noſter, aut meus, niſi duabus poſtremis rationibus. Probatur. Non primo modo: nam modus formæ implicat partis, & compoſitionis imperfectionem, vt nulla ratione Deo ſimpliciſſimo, ac perfectiſſimo cōuenire poſſit: quo circa Deitas noſtra, æternitas noſtra, &c. appellari nō poteſt: quia hic modus dicendi formæ vnionem inuoluit. Secundò, duobus ſequentibus modis, quod affirmare liceat, ſic fermè conſtat, & primò de ſecūdo: apud enim Patres, & Theologos, & diuinas litteras aſſeritur Creator, & Redemptor noſter, propter actualem cauſam creationis prouidentiæ, redemptionis, &c. Denique de tertio, qui relationem complectitur, non quidem inter Diuinas perſonas, ſed inter ipſum Deum & creaturas: nam Dominus, & Magiſter noſter his rationibus, & relationibus legitimè nuncupatur.

Quarta Propoſitio, quæ hic in primis indagatur. Spiritus Sanctus verè noſter aſſeritur ratione donabilitatis, & doni. Probatur primò. Quicquid de Deo habemus, ac poſſidemus, id certè niſi ex ipſius Dei largitate, liberalitate, ac donatione: ergo Spiritus Sanctus non eſt noſter, niſi ratione doni, &c. Secundò Spiritus Sāctus dicitur, non Filius, aut Pater noſter: ergo per aliquam Spiritus Sancti proprietatem: ergo per donabilitatem; neque enim alia aſſignari poteſt. Tertiò tandem. Spiritus Sanctus antequā habitet in nobis, non eſt noſter, ſed non habitat niſi ex donatione: ergo per donationē noſter eſt.

Quinta Propoſitio. Si actuali donatione noſter eſt, erit per cauſalitatem: ſi habituali, vel aptitudinali, & donabilitate; erit per relationem, qualis ibi inueniri poteſt.

Sexta Propoſitio. Ex diſt. 27. quæſt. 2. ad arg. penult. Spiritus Dei ſub hac phraſi Spiritus Sāctus rectè, & idoneè dicitur noſter. Primò. Nā Daniel. 13. Suſcitauit Dominus Spiritum Sanctum pueri iunioris. *Deinde. Spiritus non ſolū dicitur à ſpiratione paſſiua, quia ſpiratur à Patre, & Filio; ſed etiam actiuè, quia vbi vult ſpirat in mentem hominis; & Sāctus, quia ſpiret ſancta: ergo Spiritus Sanctus rectè dicitur noſter. Præterea. Hic verè Spiritus Sanctus in ordine ad nos ſumitur eſſētialiter, licet appropriatè pro tertia perſona: ergo noſter idoneè dicitur. Neque eſt contra Magiſtrum, vt ibi demonſtratur.*

Septima Propoſitio. Spiritus Sanctus nō rectè dicitur, aut dici poteſt donū noſtrum. Primò, nā Donum relationē ad donantem verè præſefert: ergo ead. relatione non poteſt referri ad creaturas, neque creaturæ nūcupari. Rurſus. Verbum, quia eſt dicentis; & Filius, quia Patris genitoris eſt; non conſentaneè dicitur noſter: ead. ratione donum, quia donantis, non eſt dicendum noſtrum. Itidem licet Verbum habeat relationē rationis etiam ad creaturā, creaturæ tamen non dicitur ead. penitus ratione donum, quāuis rationē donabilitatis ad creaturas habeat, creaturæ tamen non eſt aſſerendū. Ratio vtriuſque, quia penes quod præcipuum eſt, & principale debet denominari.

COMMENTARIVM.

ITA toto corde, ac ſine pœnitentia Deus nobis ſua dona largitur, atque ſeipſum, vt verè tum ipſa dona, tum ipſum Deum, noſtra dicere liceat. Teſtantur vbique omnes Theologi, & Patres, vbi illis ſeſe offert occaſio; & quod maximi ponderis eſt, innumeris locis diuinæ litteræ, quas hic referre nimis longum, ac oneroſum eſſet. Hoc eſt poſtremum corollarium, quod de dono Spiritus Sancti tradit, ac deducit S. Doctor noſter. Et quamuis in tit. quæſt. de ſola ratione donabilitatis; integrum tamen abſolutè, & de Patre, & de Filio, quomodo, & qua ratione dicatur noſter, ac meus, dubium proponit, ac ſoluit. Duo ergo in hac quæſt. facit. Primò, veritatem hanc ediſſerit de diuinis donis, quæ nobis elargita ſunt, quod verè dicātur noſtra. Secundò quærit rationes, & ſignat fundamenta, quibus nitatur hic dicendi modus, & verum reddatur; & in vtroque ſemper tum rei veritatem, tum explicandi modum congruum quærit.

Quo igitur ad primum ex D. Aug. auferūt hanc Theologiam cæteri Theologi: D. enim Aug. vt etiam in textu refert Magiſter lib. 5. de Trinit. cap. 14. *Quod datum eſt, & ad eum qui dedit,*

refertur, & ad eos quibus: itaque Spiritus Sanctus non tantum Patris, & Filij, qui dederunt; ſed etiam noſter dicitur, qui accepimus. Spiritus ergo, & Dei eſt, qui dedit; & noſter eſt, qui accepimus: non ille Spiritus noſter quo ſumus, quia ipſe eſt Spiritus hominis qui in ipſo eſt: quamuis & illum Spiritum, qui hominis dicitur, vtique accepimus: ſed aliter iſte, aliter ille, noſter dicitur: aliud enim eſt quod accepimus vt eſſemus, aliud quod accepimus vt eſſemus ſancti: quod autem Spiritus Sanctus noſter dicatur, oſtendit Scriptura: ſcriptum eſt enim de Ioan Baptiſta Luc. 1. quod in Spiritu Eliæ veniret: dictus eſt Eliæ Spiritus, ſcilicet Spiritus Sanctus, quem accepit Elias, & Moyſi ait Dominus Num. 11. Auferam de Spiritu tuo, tradamq; eis: ecce hic dictus eſt Spiritus Moyſi: Hæc D. Aug.

Poſtremum locum Num. idoneè explicat S. Doctor dub. 6. litt. O, & in primis obſeruat particulam illam *De*: Primò enim ibi de effectu Spiritus Sancti agi ingenuè teſtatur: deinde circa illam particulam *de*, non quaſi partem Spiritus Moyſi ſuſtulerit Deus, vt diminutus ſit in Moyſe, aut tantam Spiritus abundantiam dederit, ſicuti Moyſi: ſed proportione quadam dederit illis Iudicibus Spiritum regendi, & iudicandi, ad imitationem dati Spiritus Moyſi. Quo factum eſt, vt ſolicitudo Moyſi diminuta ſit, & alleuiatum onus, quod ſolus ferè ſuſtinere non poterat. Imitati ſunt D. Aug. cum D. Bon. hic; D. Th. Riccardus quæſt. 6. Ægidius quæſt. vlt. & ante ipſos Albertus Magnus, & paucis exceptis vniformes in hoc incedunt, & in reddendis rationibus, & explicandis diuinis de re hac litteris conueniunt.

Albertus Magnus primo loco ſic egregiè ratiocinatur. Vt Deus, vel aliqua perſona dicatur noſtra, primò oportet vt ſignificetur in nobis aliquis effectus: mox vt ille effectus referatur ad Deũ & perſonam, tamquam ad principium, ita vt perſona tunc rectè nũcupetur noſtra, quando aliquem in nobis ſpiritualem efficit effectum. Præterea, vt non interueniat hic relatio Diuina ſub ratione, qua Diuinæ ad inuicem referuntur perſonæ. Denique vt tunc non ſignificetur ſub ratione formæ in ordine ad eum cui inhæreat: quare in abſtracto non licet dicere, Diuina eſſentia ac Deitas eſt natura, nam vt ſic intelligitur vt forma: deinde vt ſic non operatur, neque conſequenter erit ibi, neque effectus, neque agẽs principiũ illius effectus.

Conſentaneus erit hic modus dicendi *Deus noſter*, quia Deus ſignificat Deitatem, & habentem illam, & aliquem actum circa nos, vt obſeruat etiã S. Damaſcen. & *Pater noſter:* nam ſic & creationem, & recreationem, & gubernationem, & prouidentiam. Pariformiter Spiritus Sanctus dicitur noſter: Secunda itidem perſona, quia nobis data rectè denominatur noſtra, vt Saluator noſter, Redemptor noſter, panis noſter. Ratio in omnibus eadem eſt, quia hic non aſſumitur Deus ſub ratione formæ, neque perſona ſub relatione Diuina ad intra, ſed ſub ratione ad determinatum.

D. quoque Thomas eandem veritatem enodat, eandemque rationem reddit, hac ferè indagine. Deus non poteſt habere relationem, niſi per modum principij, & cauſæ, cumque quatuor cauſæ ſint; ipſe non eſt cauſa noſtra materialis: non formalis inhærens, ſed efficiens, finalis, & exemplaris. Omnia ergo Diuina nomina, quæ importantur ratione principij per modum efficientia, aut finis, recipiunt hanc additionẽ prædictorũ pronominũ, ſcilicet *noſter*, *meus &c.* nam dicitur Creator noſter, Deus noſter, bonum noſtrum; non verò eſſentia noſtra, Deitas noſtra, quia ſumitur vt abſtracta in ratione quaſi formæ inhærentis.

Quod ſi D. Areopagita cap. 4. de Diuin. nomin. ſupernaturalia Deitas, dixerit, eſt omnium hæc, & ſimiles aliæ ſi inueniuntur, propoſitiones, explicandæ exemplariter, & non extendendæ: poteſt tamen dici ſapientia noſtra, bonitas noſtra, eadem ratione qua ſpes, & fortitudo noſtra. Licet enim huiuſmodi voces abſtractionem ſonent; vi tamen præſeferunt rationem principij, & cauſalitatis, & exemplaritatis, vnde rectam hanc additionem recipiunt. Hæc in ſcripto.

In ſumma quoque quæſt. 36. art. 1. ad 3. In nomine Filij, inquit, intelligitur ſola ratio ad Patrem, qui eſt ſuum principium: ſed in nomine Patris intelligitur relatio principij; ſimiliter in nomine Spiritus S. prout importat vim quandã motiuã: nulli autem creaturæ competit eſſe principium reſpectu alicuius Diuinæ perſonæ, ſed è contrario: ideo Pater dicitur noſter, & Spiritus Sanctus noſter: non tamen Filius poteſt dici noſter. Eadem omnino Ægidius. Petrus de Tarantaſia Theologus, & Cardinalis, & tandem ſummus Pontifex, videtur negare, Spiritum Sanctum poſſe dici noſtrum, quia non principij, ſed principiati rationem habet. Facilis conciliatio: nam propriè vt perſona his verbis circumſcripta, Spiritus Sanctus eſt principiata & producta perſona; non dicitur noſter, nec, vt ſic habet rationem principij; vt verò Spiritus Dei, & principij rationem habet, & ſubinde prædicatur noſter.

Riccardus ead. docet, ſed in hoc videtur à ſancto Doctore diſcedere, quod Spiritus Sanctus, non dicatur Spiritus Sanctus noſter, ſed Spiritus noſter, indicet: concedit tamen ſecundum quorumdam rationem etiam Spiritum Sanctum noſtrum. Omnium ratio eſt, quia Spiritus Sanctus dicit perſonã Spiritus Sancti relatam; ergo ad Patrem, & ad Filium: ergo ad nos; Spiritus verò dicit relationem etiam ad eum, cui infunditur, ſicuti & donum, quod non ſolum ad dantem, ſed etiam ad recipientem aliquam relationem refert, magis tamen propriè dicitur datum noſtrum, quàm donũ.

Denique Spiritus Sanctus non dicitur propriè noſter, quia à nobis poſſideatur, ſed magis quia habeatur: ratio eſt, quia potius iuſtus, eſt Spiritus Sancti poſſeſsio, quam vice verſa: quare ſecundum quoſdam, cum habere dicat poſſeſsionem, aliquid improprietatis inuoluit, cum verè iuſtus non habeat, nec poſsideat, ſed habeatur, ac à Spiritu Sancto poſsideatur. Hinc liquidò, & clariſsimè colligitur, quam communem, et veram, et certam Theologiam tradiderit S. Bonau. Etenim & ipſe, & Deum, & Spiritum Sanctum, &

Filium

Filium dinerſis modis dici noſtrum, non in ratione cauſæ formalis, & inhærentis, & in abſtracto, ſed in rarione principij efficienris, explicatè docuit. Quare Filius Creator noſter, Redeptor noſter, &c. Spiritus Sanctus ratione donabilitatis, & largitatis, Noſter, quia in nobis eſt ad nos ſanctificandos, & ad operandum inducendos, &c.

Quod addit S. Tho. de cauſa finali, Deum ideo dici finem, & bonum noſtrum; veriſsimum eſt, neque ab vllo aut negatur, aut negari poteſt, & cum ſeſe offerret occaſio, aperto ore à quocumque diceretur: eſt enim Deus, à quo ſumus, & ad quem tendimus, & in quo tandem quieſcimus, principium, & finis noſter. Quod verò S. Doctor, & in ratione correlationis præcisè Deum quoque noſtrum dici aſſeuerer, vt Dominus noſter, Magiſter noſter, &c. hoc quoque veriſsimum eſt: licet enim ad principium tendere dicatur; formaliter tamen loquendo, ſecundum relationem quæ reſulrat: & inde inſurgit, etiam ex parte Dei, rationis, idoneè denominatur noſter Dominus, &c.

Quod verò duobus modis hæc omnis Dei poſſeſsio, & habendi ratio rectè explicetur per copulam, ſcilicet *Eſt*, & ſine copula, vt Deus eſt noſter, & Deus noſter, & explicatius per primum modum vera poſſeſsio expromatur; non ſolum eſt D. Bonauenturæ, ſed etiam Aegidij, & partim Riccardi in reſponſ. ad 1. Et licet addat, non quia poſsideamus Spiritum Sanctum, ſed quia habeamus, quod omni ex capite non placet: nam ſecundum ipſum, neque iuſtus propriè habet Spiritum Sanctum, ſed à Spiritu Sancto habetur: ex Diuina enim Scriptura æquè vtrumque colligitur; & magis fortaſſe hoc quod negat Riccardus, quàm oppoſitum. Pſal. 15. *Dominus pars hæreditatis meæ.* Thren. 3. *Pars mea Dominus, dixit anima mea.* Deut. 18, & alibi. *Ego hæreditas, & poſſeſsio eorum.* & D. Auguſt. lib. de cognir. beatæ viræ, vt refert etiam Magiſter 2. Sent. diſt. 1. par. 2. cap. 1. Fecit Deus rarionalem creaturam, quæ ſummum bonum intelligeret, & intelligendo amaret, & amando poſsideret, & poſsidendo frueretur. Neque inde Deo negamus poſsidere verè animas iuſtorum, imò admittimus, & fatemur, ſed ſimul Deum non dedignari ab anima poſsideri diuerſa ratione: neque tamen inde colligendum concedimus, in hac poſſeſsione animum habere omne ius, quod dominium concedit in res quæ poſsidentur, & hoc euidentiſſimum eſt, ſed id quod verum habere requirit, & modus dicendi diuinarum litterarum poſtulat, & iucunditas quam experiuntur Deo iuncti, expetit.

In hoc verò aliquantiſper viſus eſt S. Doctor à reliquis receſsiſſe, quod Spiritus Sanctus Noſter poſsit dici, non autem donum voluerit. Quod primum ferè reliqui negant, ſecundum verò quaſi vniformiter concedunt. & quod rem videtur difficiliorem reddere, quaſi non videtur conſequenter locutus: primò enim ratione donabilitatis Spiritum Sanctum dici noſtrum concedit, deinde donum non rectè appellari noſtrum aſſeuerar. Si donabilitas facit noſtrum Spiritum Sanctum, facit noſtrum & donum: eadem enim eſt ratio, & eſt argumentum ipſius S. Doctoris tertiũ hic ad oppoſitum, & confirmatur. Si ex D. Aug. & Magiſtro donum duas dicit relationes, quarum prima ad dantem, ſecunda ad recipientem refertur: quare ratione ſecundæ non poteſt appellari noſtrum?

Vtrumque tamen ſic probat, ac ſuſtinet S. Doctor. Primum. Hunc modum dicendi colligit ex Diuina Scriptura. Daniel 13. *Suſcitauit Dominus Spiritum Sanctum pueri iunioris*, ideſt Danielis adoleſcentuli, vbi apertè Spiritus Sanctus Danielis appellatur: & huius ſic aſſertæ locutionis reddit rationem S. Doctor; quia nimirum retractaturus erat crudele iudicium contra innocentem Suſannam, & piè, & clementer liberaturus eam, quod pietatis officio rectè Spiritu Sancto tribuitur. Secundum, ex D. Aug. 5. de Trinit. cap. 15. relato, & interpretato à Magiſtro diſt. 26. vbi quærens, an Pater, & Filius, & tota Trinitas poſſit dici Spiritus Sanctus, ſicut diſtinctim dicitur, Spiritus, & Sanctus. Reſpondet, *Nullo modo Trinitas poteſt dici Filius, Spiritus verò Sanctus poteſt quidem vniuerſaliter dici ſecundum id quod ſcriptum eſt: quoniam Deus Spiritus eſt*; & redditur ratio: nam Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, vnus Deus eſt, & vtique Deus Sanctus eſt, & Deus Spiritus eſt; poteſt appellari Trinitas, & Spiritus Sanctus. Sed tamen tunc Spiritus Sanctus relatiuè non dicitur, ſed ſecundum eſſentiam, quia propriè Spiritus Sanctus, qui non eſt Trinitas, ſed Trinitate, dicitur relatiuè: & hoc eſt argumentum, quod inde colligit S. Doctor.

Spiritus eſſentialiter ſumitur hic, & ducitur à ſpiratione actiua, & vi motiua in creaturas, quia ſcilicet inſpirat, & mouet creaturam ad aliquid: *Spiritus enim vbi vult ſpirat*. Ioan. 3. ſed inſpirat, & mouet ad ſancta, & ſanctificat: ergo ſicut à vi motiua, & inſpiratiua dicitur Spiritus, & à ſancta inſpiratione dicitur Sanctus, vt principium efficiens in nobis, Spiritus Sanctus rectè noſter appellandus. Secundò ex eodem D. Auguſt. & Magiſtro, Deus eſt noſter, *Deus Deus meus: Dominus meus, & Deus meus*, clamabat D. Thomas Apoſtolus, Ioan. vlt: ſed Deus eſt Spiritus, & Sanctus: ergo Spiritus Sanctus eſt noſter.

Tertiò partim admittit, & Riccardus ſecundum quoſdam. Quartò ex interpretatione, & ſolutione, quam adhibet Magiſtro, cæteriſq. oppoſitum ſentientibus: nam Magiſter, inquit, aſſumit Spiritum à proprietate paſsiua perſonali, & tunc quia totale nomen hoc *Spiritus Sanctus* magis determinatum eſt vt ſtet pro perſona, quàm ſimpliciter, hinc frequentius inuenimus Spiritum alicuius hominis dici, quàm Spiritum Sanctum: inuenitur tamen aliquando, vt demonſtratum eſt.

Vbi egregiè duo dicit: Alterum, & Magiſtrum, & reliquos Doctores non contraria dicere nobis, ſed diuerſa: nos enim accipimus ſpiritum à ſpiratione actiua; illi verò à ſpiratione paſsiua: ergo nos cum dicimus Spiritum Sanctum noſtrum, ſumimus & Spiritum, & Sanctum eſſentialiter, vt

V μ 3 San-

Digitized by Google

Sanctitatis principium;ipſi quoque conſequenter, & rectè negatur:nam & Spiritum,& Sanctum paſſiue,& perſonaliter vſurpatur. Alterũ,frequentius quidem Spiritus Sanctus perſonaliter accipitur: quod tamen poſsit & eſſentialiter, & ſubinde dici noſter, & aliquando ſumatur,& exhibita habẽt loca, & recenſiti auctores, & reddita ratio.

De dono verò contra multos S. Doctor negat rectè dici noſtrum: probat tamen,& perſuadet ſufficienti ratione, quam,antequam referamus, idem probandum auctoritate. Auctoritas autem eſt primò D.Aug.4.de Trinit.cap.20. *Sicut natum eſſe, eſt Filio à Patre eſſe, ita Spiritum Sanctum donum eſſe Dei, eſt à Patre, & Filio procedere*: ergo formaliter vt donum, ex D. Aug. eſt à Patre & Filio ſpirari,& ad vtrumque referri. Hinc deinde Magiſter. Sempiternè donum fuit, non quia daretur, ſed quia à Patre & Filio. Iterum ead. diſt. Sempiternè donum eſt, & temporaliter datum, & donatum. Ex quo apparet vnde ſumenda diſtinctio illa geminæ proceſsionis, de qua ſuo loco: nam ſecundum alteram proceſsionem,nimirum temporantam, dicitur donatum, vel datum, ſecundum alteram verò, ſcilicet æternam, dicitur donum.

Eſt apertiſsima ſententia Alberti Magni in hæc verba: *Spiritus Sanctus non dicitur donum noſtrum, quoniam donum dicit relationem æternam, qua refertur ad Patrem, & ad Filium*. Rationem verò ſic ferè conſtruit S.Doctor. Sicuti Filius, qui à Patre ſolo gignitur, ad ſolum Patrem refertur, non autem ad nos,vt ſtatim dicam: & ſicuti Verbum, quia eſt tantummodo dicentis, non poteſt dici creaturæ; ſic certè donum, quia eſt donantis,non eſt creaturæ.

Quod ſi obijcias, teſte eod.D.Aug. Donum gemina relatione refertur, altera ad donantem, ad recipientem altera: ergo donum, qua refertur ad nos, erit noſtrum. Reſpondet Magiſter. Ad nos referri,non quo ſempiternè donum, ſed quo temporaliter datum. Secundò reſpondet S. Doctor. Quemadmodum Verbum, quamuis aliqualem ad creaturas relationem dicat, neque tamen creaturæ conceditur dici: & quia ad ipſam tamquam ad obiectum (dicunt aliqui ſecundarium) refertur; ad Patrem verò tamquam ad dicentem. Sanctus verò Bonau. per nomen Verbi non ſignificatur niſi relatio principalis ad Patrem: ita propemodum donum, vel potius res ſignificata, licet quamdam relationis rationem ad nos dicat, neque inde tamen formaliter ſub nomine, & ratione doni dicendum noſtrum, quia hoc nomen doni nõ complectitur, neque præfefert niſi præcipuam ad donantem relationem. Ratio vt Deus, & Diuina dicantur noſtra,eſt aut efficientia, aut correlatio: neutrum dicit donum: ergo non appellandum noſtrum.

Quare & quod opponebatur, quicquam momenti non habet, & iam ſatis ſolutum eſt: quod enim dicebatur, non conſequenter locutus S. Doctor: nam iam docuerat hac ead.quæſt. donabilitate Spiritum Sanctum eſſe noſtrum: ergo ex dono: nam eſt radicalis ratio Donabilitas doni. Reſpondetur primò Donabilitatem explicari liberalitatem,qua donatur nobis,ſed non ſub eadem ratione qua donum: hæc enim propria, & perſonalis, illa verò communis, & eſſentialis: proinde illam non ſignificari per donum. Hinc ad confirmationem ead.reſponſione reſpondetur, vt ſuperuacaneum foret quidquid adderetur; niſi Spiritus Sanctus exemplariter diceretur donum:tunc enim & vt proprium, & vt perſona poſſet dici noſtrum.

Hic verò quemadmodum & Magiſter, interſerendum & de Filio eadem quæ de Spiritu Sancto, vt & quæſito in genere propoſito à S.Doctore fiat ſatis. Ergo dicendum breuibus, explicatius tamen, & ferè vno verbo, quamuis Spiritus Sanctus, quia nobis datur, dicatur noſter Spiritus: Filius tamen licet ipſe quoque datus. Iſaiæ 9. & magis propriè datus: per Incarnationem enim datus,non inde rectè appellandus noſter Filius:ratio potiſsima, & vnica, quia Filius ad Patrem dumtaxat refertur, neque vlla ratione poteſt idoneè ad nos referri, aut vocari Filius, quia non eſt nobis datus in Filium,ſed in Redemptorem,in Legislatorem,in fratrem, &c. Poterit quidem Redẽptor,caro,& cibus noſter, Pater,& frater,& Magiſter, non tamen Filius noſter appellari.

Eleganter obijcit Albertus Magnus. *Dominus* noſter Matt.12. & Luc.8. docuit: *Qui fecerit voluntatem Patris mei, ipſe meus frater, ſoror, & mater eſt*: ergo faciens voluntatem Dei. Mater eſt Filij Dei: ergo Filius Dei eſt iſtius filius. Elegantius idem Albertus reſpondet,& ſoluit,& concedit quo ad aliquam participationem, & determinatè vno modo Filium Dei dici noſtrum, ſed non abſolutè,vt quæritur hic.

Explicandus hic locus tantiſper clarius, vt tamen poſtulat Scholaſtica ratio; at primò peratentè obſeruandum, non hic dicere Chriſtum: *Quicumque fecerit voluntatem meam, meus frater, ſoror, & Mater*; non tamen Pater addidit: ratio, quia Chriſti humanitas ſecundum quam hoc loco loquebatur, in terris non habuit Patrẽ. Secundò, ex hoc loco mirè exclamant Patres. D. Chryſoſt.hom.45.quem ſequitur Euthim. ad quem honoris gradum eleuentur homines per virtutis obedientiam, & acceſſum ad Chriſtum. *O admirabilem honorem*, inquit Chryſoſt. *O virtutis incredibiles vires, quò ducitis bene viuentes homines*. & Euthim.*Facit homines,Chriſti eſſe cognatos*, ſufficeret nos facere ſeruos, at verò, & Matrem facit. Tertiò ex D.Greg.ho.3. *Qui ſoror, & frater eſt credendo, mater efficitur prædicando*. Fortaſſe collegit ex D.Hieron. qui Matth, 12. *Iſti ſunt Mater mea, qui mihi quotidie animas credentium generant*. Quartò. Et hac Theologorum obſeruatione, quod Filius Dei non dicendus noſter;excipienda ſanctiſsima Virgo. Datus enim illi verè in Filium in Incarnatione, & ipſa veriſſimè Dei Filij genitrix, & mater; & Filius matris ipſe ead. filiatione qua Patris, quia vnica filiatio in vnico ſuppoſito, idq. ex idiomatum communicatione. Quintò, hanc maternitatem prædican-

tium

tiuum, eſſe nedum ſpiritualem, ſed extrinſecam, & miniſterialem: eſt enim Deus, ex quo concipiunt & fidem, & reliquas virtutes homines. Quocirca Phyſicè ſumpta hæc materna generatio ſpiritualis valdè recedit à vera matris ratione, & niſi per quandam extrinſecam rationem, ac miniſterialem, Filius Dei denominatur filius noſter, & à Theologis in ratione filiationis verè illimitatè pronunciari potuit, Filium Dei non eſſe filium noſtrum, non ſolum ratione Alberti, ſed hac etiam ratione.

Ad argumenta S. Doctoris; quia ipſe explicatè non ſoluit, ſed ſoluta ſupponit ex dictis in quæſt. ac eo præſertim ad vtramque obiecta, diuerſa ratione poſſunt dici vera: primò enim loco propoſita verum concludunt, donabilitatem vt ex Diuina liberalitate eſſe rationem, non tamen cauſam efficientem, qua Spiritus Sanctus dicatur, noſter: Diuina namque liberalitas in nobis operatur, efficitque dona creata Spiritus Sancti, quibus ipſe Spiritus Sanctus eſſentialiter ſumptus dicitur noſter, & appropriatè Spiritus Sancti perſona.

Quæ verò ſecundo loco, dum donabilitatem nihil facere, aut operari, quo denominetur Spiritus Sanctus noſter aſſerunt, verum aſſerunt, quia id efficit reſpectus Spiritus à mouendo quem inſpirat, & mouendo ad Sancta. Ad conſequentiam tamen primi poſſet reſponderi, non eſſe legitimam: nam donabilitas eſt quidem à proprietate Spiritus Sancti perſonalis; tamen in ordine ad nos refertur ratione effectus, qui eſt à tribus perſonis.

Ad 2. quod proponitur de filio, reſpondetur non eſſe ſimile, neque conſequentiam ſubſiſtere: idque gemino ex cap. Primò, quia licet nobis datus ſit Filius in Incarnatione, non tamen datus in Filium, ſed in Fratrem, Patrem, Redemptorem &c. Secundò, Nam Filius vt ſic, non niſi ad Patrem cuius eſt Filius, relationem ſignificat.

Ad 3. Neganda conſequentia: in Commentarijs paucis ſupra reddita eſt ratio. Donum ſi quidem vt ſic, non niſi relationem ad dantem conſignat, neque verò ab vna diuerſa relatione ad aliam idoneè tranſit conſequentia.

Ad 4. concedenda eſt conſequentia, & concedit, & ſuſtinet indicato loco diſt. 17. Quod ſi hoc loco negat, non ſimilem propriam; quam adhuc non docuit, ſed ſimilem famoſiorem aliorum opinionem. Atque hæc de dono, & de Spiritu Sancto, & de reliquis Diuinis perſonis, & ſub ratione communi, & propria. Quod reliquum eſt, eſt vt ipſas ad eſſentiam, quomodo ab ipſa differant; ad inuicem, quomodo ſe habeant, & ad actus notionales &c. conferamus; prius tamen explicata diſputatione de ipſo dono.

DISPVTATIO.

De Spiritu Sancto vt donum, in hæc capita diſtributa, vt ſit.

Primum. Quid ſit donum.
Secundum. An dicatur & conueniat Deo.
Tertium. Quomodo competat Deo.
Quartum. Quam proprietatem dicat.
Quintum. An ab æterno ſit donum: ac etiam donatum.
Sextum. Quædam corollaria complectens.

CAPVT I.

Quid ſit Donum.

De dono Spiritus Sancti, ipſius Spiritus Sancti dono agendum, & implorata ipſius gratia, ipſaq; exordiente, nobis ſecum pariter exordiendum, ipſa progrediente progrediendum, vt vera doni, quo ad fieri poteſt, quidditatem noſtra aſſequamur cognitione primò quoad nomen, deinde quo ad rem.

Quo ad nomen, vt verè donum nuncupetur, non eſt neceſſe quod actu ſit datum, & exhibitum, ſed ſufficit vt aptitudinem dicat, & ex ſe donabile ſit; non enim quidquid eſt donabile, vt proximè infra conſtabit, donatum eſt. Quare Magiſter ſent. & poſt eum omnis Theologorum ſententia. Inter datum & donum præter alias hæc ſingularis intercedit diſſinita: nam datum dicit intrinſecè actum; donum verò aptitudinem, & donabilitatem: quo fit, vt ſi aliquid æternum donetur in tempore, ab æterno tamen fuit verè donum, quia aptum donari quo donatum in tempore: ergo ad doni rationem conſtituendam requiritur, & ſufficit, vt aliquando donetur, vel donari poſſit aptitudo, & non repugnantia.

Quo ad rem autem principio animaduertendum ſolerter: bifariam donum poſſe vſurpari; vt primò ſit quod virtute amoris alicuius obiecti producitur; neque tamen vt eiuſdem obiecti amati ſimilitudo, & imago ex ſui productionis vi, ac ratione. Quod vt apertiori oculo introſpiciatur, perpendendum, & ob oculos ponendum, quod ex ſua vi intellectus agere ſolet: intellecto enim ſuo obiecto, ipſius obiecti imaginem, & ſimilitudinem declaratinam, quam verbum communi & propria voce vocare ſolent, ac verè eſt, producit; voluntas itidem erga ſuum amatum obiectum aliquid defert, gratum ſi habet, quod ſi non habet, profert, ac producit amorem. Hæc autem inter voluntatis, & intellectus producta neceſſariò inuenitur differentia: quod enim ab intellectu ortum eſt, ex ſui productione obiecti imago eſt, ad obiectum præcognitum explicandum productum: quod verò à voluntate, non ita, nam eſt potius in obiectum impulſus, propenſio, & vnio.

Hæc

Digitized by Google

Hæc verò ſunt, quædam licet imperfecta ſimilitudo, & tenuis vmbra eorum, quæ ab æterno in æternis perſonis fiũt. Siquidem Pater habens Diuinam eſſentiam, quæ formaliter eſt ipſamet intellectio abſoluta, qua tum eſſentiam, tum ſe, tũ reliqua in ſe intelligibilia comprehẽſiuè intelligit, & intelligendo producit ſui ipſius adæquatam, & omnino æqualem imaginem, ac ſimilitudinem, quam Verbũ ipſe Spiritus S. multis locis, in primis verò Io: 1. nuncupat. Conſimili ratione; nam eadem eſſentia Diuina eſt verè, ac formaliter ipſa dilectio abſoluta, qua Pater tum eſſentiam, tum ſe, tum Filium, tum denique quidquid æternum diligibile; & Filius eandem eſſentiam, & Patrem & quidquid æterna dilectione dignum diligunt; & diligendo, amorem Diuinum, hoc eſt Spiritum Sanctum producunt; quod producendo, ſecundum aliquos, Pater donat Filio, pariter Filius Patri, donabile creaturæ in tempore, quod quidem donum, licet ratione eiuſdem naturæ Diuinæ adeo ſit ſimile, vt ſit prorſus eadem natura Patris, & Filij: non tamen ſicut Verbum ex vi ſuæ productionis, ſed quaſi materialiter ratione communicatæ naturæ, vt ſuo ſatis loco diſcuſſum eſt. Eſt ergo donum, quod amore, & voluntate producitur, & vt gratum exhibetur obiecto.

Alio verò modo poteſt ac iure aſſumi donum, vt ſit quod primo ſub alicuius poteſtate, & auctoritate, in alterum ex liberalitate in vſum, vel fruitionem tranſlatum eſt, aut transferri poteſt. Pro verò prima definitionis, & deſcriptionis particula, quod docuit S. Th. art. 1. ad 1. valde obſeruandum. Aliquid alicuius tribus modis eſſe poſſe. Primò per identitatem: quo pacto D. Aug. ſuper Io: *quid tàm tuum quàm tu?* Secundò. Per poſſeſſionem; quare ſeruus, & equus dicitur Domini ſui. Tertiò. Per originem vnde Filius dicitur Patris, & in Diuinis Spiritus S. Patris, & Filij. Quod ergo gratuitè, et gratioſè datur, hoc eſt donatur: ſi identitate idem eſt cum donante, ſe ipſum donat: ſi diſtinctum, tamen poſſeſſione ſuum, non ſe, ſed ſuum magis propriè donat: ſi origine, & à voluntate propriiſsimè donat. Donum ergo tum Primò latè, & fusè: tum Secundò minus latè; tum Tertiò propriè; Quartò tamen maximè propriè ſumitur.

Pro Secunda autem particula valde quidem intrinſeca, aduertendum, ex Ariſt. 4. Topic. 3. eſſe deſumptam, vt obſeruant & D. Th. & Riccard. diſt. 18. quæſt. 1. ait enim. Donum eſt ratio, vel datio irredibilis, quod ſcilicet non in recompenſationem, aut mercedem, nec intuitu retributionis; nec metu, aut neceſsitate, nec denique naturæ fœcunditate confertur, ſed gratuita, & ſpontanea liberalitate; quo fit, dum in Diuinis Pater Filio ſuam eſſentiam communicat, ipſum Patrem non donare; nam per viam, & modum naturæ; ſcilicet per generationem Filio communicat eſſentiam. An verò, dum eandem eſſentiam Spiritui Sancto Pater, & Filius per ſpirationem communicant, donent; 6. capite dubitabitur. Hinc, quoniam huius ſic meræ, ac ingenuæ liberalitatis clargitio non poteſt niſi amore fieri, amorem vt pereruditè docuit S. Th. de ratione doni eſſe, imò primæuam, & adæquatam rationem, ita vt amor & ſit ratio, & prima ratio donandi, & primum quod donatur donum, & quidquid quantauis vbertate & copia effundatur, ſi id amore non fiat; nunquam doni, aut nomen, aut naturam conſequetur. Qua propter egregiè de 3. Diuina perſona D. Aug. 15. de Trinit. cap. 18. *Nec Spiritus Sanctus propriè dicitur donum, niſi per dilectionem.*

Pro Tertia denīq; particula, qua donum, aut transfertur, aut transferri poteſt; pro pleniori cognitione ex D. Bon. q. 2. colligendum quod initio huius cap. cæpimus notare. Donum trifariam ſolere vſurpari. Primò namque pro ſola rei aptitudine vt donetur: quod enim actu donatur, ferè extrinſecum eſt, ad doni naturam conſtituendam: quod D. Aug. tum 4. de Trinit. cap. 20. tum 5. cap. 10. docuit, cùm Spiritum Sanctum vt à Patre, & Filio procedit, eſſe donum aſſeruit: ab æterno enim procedit in tempore donabile: ergo ab æterno, quia ſpiratus, aptus donari in tempore: ergo ſola aptitudo ad doni rationem ſufficit: & confirmatur ex eod. Aug. paucis ſupra. *Procedebat, vt eſſet donabile; & iam donum erat, antequam eſſet cui donaretur.* Secundò. Vt habitum dicit, & aliquando donandum: quam quidem habitus, denominationem, non niſi à Diuinæ voluntatis decreto deſumit, dandi ipſum Spiritum Sanctum, eo tempore, quibus perſonis ſibi magis placuerit, ac magis conueniens duxerit. Tertiò denique modo aſſeritur donum, dum actu de facto donatur; quod non niſi in tempore euenire poteſt. Ergo tribus modis his verè dicitur donum: quod antiquitus S. Aug. docuit 15. de Trinit. cap. 17. & deinde Theologi; inter quos hic S. Bon. luculenter. Quod tamen adhuc vt plenius, planiuſque intelligatur, ex eod. S. Bon. quæſt. 3. & S. Th. in 1. diſt. 18. quæſt. 1. art. 2. Inter has voces *donum* & *datum*, Trinam inueniri, & obſeruari differentiam, quarum prima: datum, cum ſit participium, nomenque verbale, conſignificare tempus: donum verò, cum ſit purum nomen, ab omni abſtrahere tempore. Quare in eo magis Diuini doni ratio exprimitur, quàm in dato: ſunt enim dona ab æterno, iis quibus nunc explicatum eſt rationibus. Altera differentia: quia *dato* addit *donum* in dando liberalitatis rationem, quæ in primis donum conſtituit, & præſefert: datum verò quamcumque dandi rationem includit; ita vt & quod mercede, & præmio, & quacumque alia ratione datur, admittat. Tertia denique differentia, quæ liquidò apparet, eſt & in re danda, & etiam in dante aptitudo, vt quod datur ſit donum: in *dato* verò meram actualem dationem dumtaxat ponit.

Quod tandem poſtrema tangebat particula, erat, *in vſum, vel fruitionem*: qua duo animaduertenda indicantur. Alterum, diſcrimen quod inter vſum, & fruitionem eſt; vſus enim eſt eorum quæ ſunt ad finem: fruitio verò finis: vt hinc, dona quæ cælitus in tempore conferuntur, alia quæ ad vſum in hac vita: alia verò, quæ in altera ad fruitionem diſtinguantur. Alterum verò diſcrimen, quod creaturæ rationali tantum competit dona conferri, quibus ſua voluntate, apta nata eſt tum

Digitized by Google

vti, tum frui, ſicuti & primum donum, & prima donandi ratio, & ipſe Spiritus Sanctus Diuina ex voluntate eſt, & æquè voluntati elargitur, & iuſidet.

CAPVT II.

An Donum, Donique ratio in Diuinis inueniatur.

DIVVS Auguſtinus primus huius de dono Theologiæ auctor, eò inuenit, ac pro dignitate ſui acerrimi iudicij, ac penè Dioini ingenij enucleauit, quò innumeris Diuinarum litterarum locis adinueuit, percelebrem fieri de dono memoriam, ac frequentem: quare ſtatuit loco omnia hac de re colligere, ac interpretata in medium afferre, idque egregiè præſtitit 15. de Trinit. cap. 10. ex quo ego hic referam aliqua, vt hinc quam verè donum de Deo, ac Spiritus Sancti perſona dicatur, demonſtrem. Io: igitur 7. Chriſtus Dominus dicit: *Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat, qui credit in me ſicut dicit Scriptura, fluminæ de ventre eius fluent aquæ viua: hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* Ergo aquæ iſtæ Spiritus Sanctus appellantur: vnde & D. Paulus 1. Corinth. 12. *& omnes in vno Spiritu potati ſumus.* Quod verò iſtæ aquæ donum quoque nuncupentur Io. 4. dum Chriſtus Dominus cum Samaritana loqueretur, aſſeritur *Da mihi bibere*, cui illa: *Non coutuntur Iudæi Samaritanis*. Reſpondens dixit: *Si ſcires donum Dei, &c.* Ergo hæc aqua viua, quæ Spiritus Sanctus eſt, donum quoque eſt; ergo Spiritus Sanctus donum.

Ad Epheſ. 4. *Vnicuique noſtrum datur*, inquit D. Paulus, *gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti.* Quam donationem eſſe Spiritum Sanctum, ſequentibus immediatè verbis interpretatur ipſe D. Paulus: *Propter quod dicit, aſcendens in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus.* Certiſsimum eſt, & omne abeſt procul dubium, Dominum noſtrum poſtquam reſurrexit aſcendiſſe in cælum, Apoſtoliſque, deinde miſiſſe Spiritum Sanctum, dona autem illa dedit die Pentecoſtes, illo die dedit Spiritum Sanctum: ergo Spiritus Sanctus eſt donum. Quod ſi dona non donum dixerit, nihil mirum, nihilq. obſcurat veritatem quam tradit: nam ſecutus Dauid, qui Pſal. 63. dona dixit, non donum, & ipſe donum protulit; licet mutauerit aliud verbum. nam Dauid, *Accepiſti dona in hominibus*, ipſe verò, *Dedit dona hominibus*: ſed vtrumque verum, nam Chriſtus Dominus, quod dedit hominibus vt caput, accepit in hominibus, tamquam in ſuis membris: dixit quoque dona, non donum: nam dona Chriſti liberaliter diuiduntur per donum, quod eſt Spiritus Sanctus.

Actorum 2. D. Petrus commotis corde Iudæis dixit: *Agite pœnitentiam, baptizetur vnuſquiſque veſtrum in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, & accipietis donum Spiritus Sancti.*

Actorum 8. Loquens D. Petrus Simoni Mago, qui pecunia dandi Spiritũ Sanctum auctoritatem per manuum impoſitionem voluit emere, dixit: *Pecunia tua tecum ſit in perditionem, quoniam donum Dei exiſtimaſti pecunia poſſideri.*

Actorum 10. Verba D. Petro faciente Cornelio, & ijs qui cum eo erant, & Chriſtum annunciante, *Spiritus Sanctus cecidit ſuper eos qui audiebant verbum & obſtupuerunt, ex circumciſione fideles, qui venerant cum Petro, quia & in nationes donum Spiritus Sancti effuſum eſt: audiebant enim illos loquentes linguis, & magnificantes Deum.*

Actorum 11. *Cum cœpiſſem loqui cecidit Spiritus Sanctus in eos, ſicut & in nos in initio. Recordatus ſum autem verbi Dei ſicut dicebat: Ioannes quidem baptizauit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu Sancto. Si igitur æquale donum* (Textus vulgatæ dicit, eandem gratiam, ſed idem eſt ſenſus.) *dedit illis, ſicut & nobis qui credidimus in Dominum Ieſum Chriſtum, ego qui eram, qui poſſem prohibere Deum? ſcilicet non dandi illis Spiritum Sanctum, quem dedit nobis.* Hæc ibi recenſet S. Aug. & plura relinquere teſtatur: quibus locis relatis, alijsq. de induſtria prætermiſsis, quæ huc referri poſſent, colligitur conſpicuè conuenire Diuinis doni nomen, ac in primis Spiritus Sancti perſonæ. Sed ſi quod idoneè præterito cap. demonſtratum eſt, donum eſt datio, ac communicatio in tempore facta creaturæ rationali, eius quod ab æterno exiſtens, donabile fuit, tota Sanctiſsima Trinitas gratuitè, & liberè homini donata, donum appellari nihil prohibet. Ioan enim. 14. Sanctiſsima loquitur Trinitas: *Siquis diligit me, ſermonem meũ ſeruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus*; & confirmatur. Nam Deus ſeipſum alteri in donum tradere poteſt ad fruendum. & Filius quoque, & quò in carne humana miſſus ad nos à peccatis redimendos, ex nimia charitate liberrimè, quia ipſe voluit: *Sic enim Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret*, hoc eſt donaret; verè donum eſt, ac legitimè: & quo ſeipſum ſpontaneè nobis dedit, ac obtulit pro nobis Patri. ad Galat. *Qui dedit ſemetipſum pro peccatis noſtris.* & ad Tit. 2. *Qui dedit ſemetipſum pro nobis.* eadem ratione donum. Et Spiritus Sanctus clariſsimè, ac maximè propriè donum, & quo ab æterno à Patre & Filio procedens, mitti & donari potuit, & quò, vt infra vberius, ab eiſdem mutuo per vim, & rationem propriam amoris, vt ſic procedit; & tandem ſeipſum ipſe mittere, & communicare, & donare poteſt, ei doni nomen, & res apprimè conuenit. Si enim procedit vt amor: ergo vt donum, & primum donum. Si denique Diuina eſſentia, & Filius ſeipſos donare poſſunt, & donarunt; cur non & Spiritus Sanctus? teſtatur S. Auguſt. 3. de Trinit. cap. 11. his verbis: *Ita enim datur ſicut donum Dei, vt etiam ſeipſum det ſicut Deus: non enim dici poſſet non eſſe ſuæ poteſtatis, de quo dictum eſt,*

Spiri-

ex vi ſuæ emanationis per modum doni, non ſic attem Filius: diffetunt enim teſte D. Aug. ad inuicem, Filius quia natos, Spiritua Sanctus quia datus, nimirum quia pet amorem emanans: ergo Spiritus Sanctus maximè donum: nam non ſolum liberalitet datus huiuſmodi ex amore, ſicut & Filius, ſed procedit vt donum, & primom donum, ſcilicet vt amor, & omnium donorum ratio: eſt enim Spiritus Sanctus quia donum, & accipit eſſe formalitet à dono, & per donum conſtituitur in eſſe perſonæ. Egregiè D. Aug. 5. de Trinit. cap. 19. quæritur, quemadmodum Filius non tantum habet naſcendo vt ſit Filius, ſed etiam omnino vt ſit; ſic & Spiritus Sanctua, eo quod datur, habet, non tantum vt donum ſit, ſed omnino, vt ſit: ergo erat antequam daretur: ſed nondum erat donum, & eo ipſo, quo daturus erat eum Deus, iam donum erat antequam daretur? Sed quia ſic procedebat, vt eſſet donabilis, iam erat donum, & antequam eſſet cui daretur. Hinc Filius, non ita propriè ab æterno donum, & donabile, niſi remotè, & ferè aliunde, & extrinſecus; ſcilicet quis poterat decerni vt daretur, & donaretur: ex vi enim ſuæ productionis habet quidem vt ſit Verbum, Filius, & Imago; non tamen vt ſit donum. Quemadmodum Spiritus Sanctus, qui ex modo ſuæ emanationis è voluntate procedit vt amor, qui eſt primum donum, & prima ratio donandi: ſolus Spiritus Sanctus eſt donum, non autem eſſentia, aut Filius. hoc ſenſu: imò ipſe Filius datus eſt ex Spirito Sancto; conceptus enim eſt &c. & in amore, qui vel propriè, vel appropriatè Spiritus Sancti eſt.

Hinc quartum aſſertum corollarium. Spiritus Sanctus ab æterno donum verè, ac formalitet eſt, hac ratione, quia procedit, vt donum & amor, etiam ſi in tempore nunquam eſſet datus, conſtat ex ſe, & aſſerunt Doctores.

CAPVT IV.

Quam proprietatem dicat donum in Spiritu Sancto.

QVod quærimus, haud facili negotio aſſequemur, niſi prius quid doni nomen explicatè ſignificet indagemus, ac inueniamus: neque etie meo iudicio de ſolo nomine diſputatio leuis, ac penè otioſa: nam re æquiore libramine librata, & iuſtiori lance ponderata, potius de re nomine comprehẽſa, quàm de ipſa voce eſſe diſputationem deprehendetur: nec quid faciat, (ſi liceat loqui) donum in Diuina perſona, ac vel conſtituat, & ſimul diſtinguat, aut dumtaxat à poſteriori, & conſequenter oſtendat diſtinctam nobis, à nobis cognoſci nulla ratione poterit percipi, niſi antequid ſua notione, ac ſignificatione comprehendat donum, prænoſcamus.

Omnes Theologi in his conueniunt. Primò in doni ratione tria comprehendi, amor ipſe procedens, origo, & relatio ad eos, à quibus procedit; aptitudo ad creaturas amatas, & doni ſuſceptiuas, quibus in tempore donari poſsit: amor enim quo eſt amor, eſt donum, & primum donum, & donabile alteri. Quemadmodum & in Verbo, hæc tria certò animaduertenda deprehenduntur: ipſa notitia genita, relatio originis ad gignentem; tertio loco ad creaturas, ex quarum etiam cognitione gignitur, eo modo, quo ſua diſputatione iam enucleatum eſt, quidam reſpectus. Inter hanc autem geminam relationem hæc magna differentia iacet, vt primò ad donantes ſit realis, & qua Spiritus Sanctus eſt: *Spiritui* enim *Sancto*, Inquit D. Aug. 4. de Trinit. cap. 20. *Donum Dei eſſe, eſt à Patre, & Filio procedere:* ſecunda verò ad creaturas ratione donabilitatis, eſt rationis noſtræ reſpectus, qua comparamus Spiritum donabilem creaturæ rationali, idque ratione generali quam multis locis tradunt Theologi, dedecere, ne dicam repugnare, Deum, Diuinasq. perſonas pendere, realiterq; referri ad creaturas: quemadmodum viceverſa eaſdem creaturas ſecundum ſe totas non pendere à Deo, & ad Deum realiter non referri, à quo totum eſſe habuerunt, totumque per ſingula inſtãtia ne in nihilum relabãtur, conſeruãtur: adeo contradicit, vt apertum paradoxum redoleat. Hic verò reſpectus, conſurgit ad eſſe Spiritus Sancti, ſupponitq; ſic productum, vt donabilis ſit, vt ſupra in D. Bonauenturæ textus expoſitione conciliauimus, & enucleauimus. Quod verò ei hic reſpectus competat, ratione præciſæ eſſentiæ in perſonæ definitione incluſæ, an etiam formaliter ratione proprietatis perſonalis, proximè infra tangetur.

Hanc vtramque relationem dono comprehendi fateantur neceſſe eſt omnes, & compertum eſt cuicumque: D. enim Aug. 5. de Trinit. cap. 14. *Quod autem datum eſt, & ad eum qui dedit refertur, & ad eos quibus dedit.* Poſtea Alexan. 1. pat. q. 64. memb. 3. D. Bonau. hac diſt. quæſt. 5. D. Th. 1. art. in primis Riccard. & omnes: hoc enim doni ratio intrinſecè expoſtulat, & vt donum intelligi non poteſt, niſi & ad donantem, & ad eum cui donatur, fiat comparatio.

Alterum, in quo conueniunt omnes profectò eſt; relationem, qua Spiritus Sancti donum ad Patrem & Filium refertur, quoquomodo per doni nomen ſignificetur, eſſe præcipuam, ac potiſsimam, realiſsimam, eamque, qua Spiritus Sancti perſona cùm conſtituitur, tum diſtinguitur à cæteris Diuinis perſonis: ita enim D. Auguſt. 4. de Trinit. c. 20. vt ſæpius multis locis repetitum eſt: *Sicut natum eſſe, eſt Filio à Patre eſſe; ita Spiritui Sancto donum eſſe, eſt à Patre, & Filio procedere.* & 5. de Trinit. cap. 10 *Spiritus Sanctus, qui non eſt Trinitas, ſed in Trinitate intelligitur, in eo quod propriè dicitur Spiritus Sanctus, relatiuè dicitur cum ad Patrem, & Filium refertur. quia Spiritus Sanctus, & Patris, & Filij Spiritus eſt: ſed ipſa relatio non apparet in hoc nomine: apparet autem cum dicitur donum Dei: donum eſt enim Patris, & Filij, quia à Patre procedit, & Filio.* Probant verò Sancti Bon., & Thom. Ille; nam vnica eſt proprietas conſtitutiua Spiritus Sancti, ratione tamen in hæc tria diſtributa, ſpiritum, amorem, & donum: ergo formaliter ſicuti

ſpi-

ſpiratione paſsiua, ita amore, & dono conſtituitur, & diſtinguitur. Probatur per D. Aug. 5. de Trinit. *Eo eſt donum, quo ſpiritus*; idque ea certitudine certum, qua per relationem rationis ad creaturas perſonam non poſſe conſtitui conſpicuum eſt. Hic verò: Procedit vt amor, & per modum amoris: ergo amore conſtituitur, & diſtinguitur, & confirmatur integris quæſtionibus ſupra ſuis locis de re hac.

Controuerſia verò eſt, & in qua non omnes conueniunt, harum duarum doni relationũ quæ prius, & primò, & potius; quæ ſecundariò aut conſignificetur, & connotet in dono. Caiet. in 2. art. Comment. exiſtimat magis donabilitatis ad creaturas reſpectum, ac principalius, quàm originis realis ad donantes, dono ſignificari; idque indicare D. Th. per hos duos art. ferè ſingulis verbis, vt patet intuenti: & addit, id nemini debere admirationem afferre: aliud enim eſt res præſertim Diuinas in ſeipſis perpendere, aliud noſtris nominibus inuoluere: vt enim in ſe ſunt, potiſsimum quidem eſt quod reale ac diuiniſsimum eſt; vt nobis ſignificantur, & à nobis per noſtra tributa, quod nobis primò obijcitur; quod ad nos ordinē habet id primum ſignificari dicimus, vt admoneant nos cautos eſſe debere, ne à re quæ ſignificatur ad nomen, nominiſq; formalem ſignificationem concedatur conſequentia. Scotus pariter vbi ſupra: donum, inquit, primò & per ſe donabilitatem, & ad creaturam reſpectum ſignificat; ex conſequenti verò, & quaſi materialiter connotat proprietatem perſonalem Spiritus Sancti. Quo donum penes formalem ſuam ſignificationem, quatenus ad creaturam, ſcilicet reſpectum dicit, nulla ratione eſſe, aut eſſe poſſe Spiritus Sancti proprietatem conſtitutiuam deducit. Ratio eſt: nulla enim perſona Diuina aut conſtituitur, aut conſtitui poteſt in eſſe perſonali per reſpectum rationis ad creaturam: imò nulla proprietas perſonalis nullum dicit ad creaturam reſpectum; imò quidquid eſt intrinſecum in Diuinis, vel abſolutum, vel relatiuum in quocumq; eſſe reali, vel intelligibili abſtrahitur ab omni reſpectu ad creaturas, & prius quocumque ad creaturas reſpectu concipitur &c. ergo cum reſpectus quo Spiritus Sanctus dicitur donum ſit ad creaturas: non enim eſſet donum niſi eſſet creatura cui donaretur: non poteſt eſſe Spiritus Sancti proprietas realis, & perſonalis.

Magiſter verò Sent. diſt. 18. in principio, admodum fuſa oratione, & multis relatis locis D. Aug. Donum, inquit, Spiritus Sanctus dicitur, non ex eo tantum quod donetur, ſed ex proprietate quam habet ab æterno, vnde ab æterno fuit donum: ſempiternè enim donum fuit, non quia daretur, ſed quia proceſsit à Patre, & Filio; ita apertiſsimè S. Aug. ſupra indicato loco: *Sicuti natum eſſe, eſt Filio à Patre eſſe, ita Spiritui Sancto donum Dei eſſe, eſt à Patre, & Filio procedere.* Alexan. quæſt. 64. memb. 3. donabile in dono, vt refertur ad creaturas, non eſt proprietas diſtinctiua Spiritus Sancti, ſed ſub omni ratione conſtitutiua, qua refertur ad Patrem, & Filium eſt Spiritus Sancti notio perſonalis. S. Tho. art. 2. Spiritus Sanctus procedit à Patre, & Filio, vt amor: ergo procedit vt donum. Antecedens ſatis iam antea conſtitit: conſequentia ergo probatur: nam amor nedum donum, ſed primum donum, ceteraq; donandi ratio. Neque obſtat, quod multa quoque alia nuncupentur dona, quin donũ ſit Spiritus Sancti notio perſonalis: nam primò ſic conſueuit loqui omnis Doctorum communitas. ſecundò, cùm Spiritus Sanctus ſit Deus, & primum ens, debet ei congruere donum ſub ratione primi doni, & ſpecificari, ac contrahi donum, prædicatum & attributum ad rationem ſubiecti de quo; ſi enim primum Spiritus Sanctus, & donum primum in eo debet intelligi: quod ſi S. Tho. attribuit abſolutè donum Spiritui Sancto, vt dicit ipſius modum procedendi, ac ſubinde proprietatem perſonalem: ergo donum per ſe, & primò ſignificare proprietatē fuit aperta S. Thom. ſent. Riccard. hac eadem diſt. q. 2. docet Spiritui Sancto doni rationem conuenire, quia purus amor, tamen ſpiratus: quia tamen donabilitatis in ipſo aptitudinem, & ad creaturas habitudinem, & reſpectum rationis cōnotat; licet & hic quia amor: donabilis enim eſt quia donum, & donum quia amor; non huius tamen ratione, ſed vt amor ſpiratus, vt nimirum fit à Patre, & Filio procedit, eſt Spiritus Sancti notio, ac proprietas perſonalis, & diſtinctiua, & conſtitutiua: rationem reddit: quia donum, ſpiritus, & amor eſt eadem proprietas, licet ratione diſtincta, quod dicit ex D. Bonauentura. Quid apertius pro hac ſententia? donum ſua ſignificatione connotare ad creaturas reſpectum?

D. Bonauentura quæſt. 5. ead. quæ docuit Riccardus prius ipſe tradidit; his tamen additis: primò enim, inquit, & donum in communi non poteſt nec eſſe, nec intelligi niſi ſimul hac comparatione, quod alicui ſit donabile, quo intelligatur: quò enim donum; conſequitur quod ſit donabile: importat ergo duplicem reſpectum, alterum realem ad donantem, alterum rationis ad creaturam cui donabile, huncque vel actu in tempore, vel habitu, vel aptitudine. Secundum quod addit: licet, inquit, perſona Spiritus Sancti non conſtituatur in eſſe perſonæ per reſpectum ad creaturam, non contradicit tamen, imò conſonat; nam eò donabilis, quò amor: conforme enim naturæ Amoris procedentis, vt donetur: ergo donum duos ſimul reſpectus ſignificat; ſed ſicut potior, & nobilior realis Diuinus ad donantem eſt; ſic ille prius neceſſariò ſignificatus.

Quod ſi obijcias, verba S. Doctoris in reſponſione ad vltimum, donum dicere conſequentem reſpectum. Reſpondeo, & addo aſſertis in Commentario, illum reſpectum dici conſequentem in ratione ad ſpiritum, & amorem; non in ratione ad reſpectum rationis ad creaturam: ita vt ſic dicatur ratione doni; vt ille reſpectus conſequens ſit omnis doni reſpectus, etiam realis ad donantem: tradit enim eodem loco, & amorem, & ſpiritum, & donum in Spiritu Sancto dicere comparationem ad idem, & explicare eandem vnicam proceſsionem Spiritus Sancti differētibus vocibus ratione: idem enim Spiritus Sanctus, primò dicitur Spiri-

Digitized by Google

ritus., quia ſpiratur amor, qnia procedit à volnntate; donum vltimo loco, quia per modum amoris dicit: ergo donum reſpectnm conſequentem, ideſt, donum dicit relstionem ad donantem, quæ conſequitur intellectione noſtra ad eſſe ſpiritum, & amorem, quod docuit D. Aug. dum magis apparere relatinnem in dono, quam in ſpiritu: nos verò ex inopia mnltiplicamus voces eiuſdem rei, quia vnico nomine nobis explicate nonlicet rem illam totam Diuinam. Hoc eodem modo dicendi in alijs vſus eſt S. Doctor diſt. n. 27. art. t. ad originem conſequi relationem ratione intelligendi noſtri: non ergo his verbis hoc loco S. Doctor prodere vult, dum ait: donum ſignificare reſpectum conſequentem, ſignificationem potiorem doni eſſe de reſpectu rationis ad creaturam, ſed omuem reſpectum doni eſſe conſequentē ratione ad conceptum de ſpiritu, & amore; ita vt reſpectus ille in reſponſione ad vltimum, non ſit idem de quo in corpore articuli: ibi enim de reſpectu verè donabilitstis, & rationis, qui licet non ſit conſequens quaſi poſtea inſurgst; eſt tamen conſequens, quia oritur ex conceptione proceſsionis Spiritus Sancti per modum amoris, vt indicant eudem loco plura verba S. Doctoris; & etiam conſequens eſt, ſcilicet minoris momenti, & minus principalis, licet aptitudine ſimul &c.

Hos verò Theologos, & ipſum msgiſtrum, imò et D. Aug. cuius explicatiſsima retulimus loca, idoneus doctorum conciliator: ita conciliat, et litem eradicare nititnr pro ſua ipſius pietate, vt omnes tamen in grstiam, et obſequium Scoti captiuet, et reducat.

Quibus non diſpliceret Ochsm, et Biel ſententia, de qua cap. ſequenti, et nullo labore euaneſceret difficultas hæc: ſi enim quod ipſi admittunt concederetur, donum Spiritus Sancti etiam eſſe ab æterno datum Patri à Filio, et vice verſa; procul omne dubium conſpicuum eſſet, donum ſignificare ipſum reſponſum donabilitatis primò, et per ſe, etc.

Primum aſſertum. Donum in ſuo formali ſignificato complectitur primò, ac in primis proprietatem perſonalem conſtitutiuam, & diſtinctiuam perſonæ Spiritns Sancti. Primò, ex communi rstione dicendi, & D. Patris Aug. & Magiſtri, & cæterorum Theologorum, qui abſolutè aſſernnt, & proferunt donum eſſe Spiritus Sancti proprietatem ex vi originis, & modo procedendi, & qua Spiritus Sanctus non eſt Filius: ergo hoc per vocem doni prætendunt explicsre, in primis S. Doctor noſter, qui donnm vlla abſque limitatione addita ad idem reſpicere aſſerit, quo Spiritus, & amor: ſed amor, & ſpiritus ad originem: ergo & donum: ergo donum hsc potiori pollet ſignificatione.

Secundò. Confirmstur ex Ariſt. Ab eo oratio vers, vel falſa quia res eſt, vel non eſt: ergo donum erit verè ſignificans, ſi res ab ipſo ſignificata eſt, ſed res, qusm omnes hic verſant, & diſentinnt Theologi de Spiritn Sancto, eſt realis proprietas: ergo eam deſignant explicare; qund ſi per donum non explicant, donum falſa vox eſt.

Tertiò. Eò Spiritus Sāctus donabilis, quò donum, & eò donum, quò smor ex liberalitate ſpiratus: ergo per vocem donum, hoc explicandum: non enim donabile eſſe, eſt donum eſſe: eſt enim D. Aug. eo quod daturus erat eum Deus, iam donum erat, etiam antequam daretur, & ideò donabilis eſt; ſed aliter donabilis quam Filius: Filij enim proceſsio genitura eſt, vel natiuitas: Spiritus Sancti verò proceſsio non nstiuitas eſt &c. & alibi vt ſupra indicauimus, Spiritui Ssncto donum Dei eſſe, eſt à Patre, & Filio procedere: ergo per donum non explicatur per ſe donabile eſſe, ſed amor qui procedit: neque vtrumque ex æquo: nam res realis, & rationis non poſſunt conſtituere vnum per ſe: ergo neque eandem ſubire rationem formslem, neque vtrumque ſimul ſub eadem ratione ſignificare, ſed primo relstionem ad Patrem, & Filium: deinde ſimul connotare donabilitstem. Neque contrsdicit S. Doctor, dum donum, neque eſſe, neque intelligi poſſe ſine donabilitate: non enim loquitur, vt ſic dicsm, entitatiuè à parte rei, ſed ex natura intelligendi ratione: cum enim donabile eſſe in ordinatione ad creaturam ens rationis dicat, non poteſt ingredi Spiritus Sancti conſtitutionem, cuius totum eſſe eſt à Patre, & Filio eſſe; vnde eſt Spiritus Ssnctus donum: & quamuis realiter ſit donabilis, eadem tamen res formaliſsime quæ donum, & donsbilitas eſt, relatio formaliter rationis, & res donabilis eſt donum. Denique, donum eſſe ad donantem intrinſeca obiectiue realis relatio eſt; donabile ad creaturss extrinſeca, & rationis eſt ad donum: ergo illa quæ verè, & principaliter, & precipuè ſignificatur: quare aſſumptum Scoti, & Csiet. hoc loco negandum.

Secundum aſſertum. Proprietas Diuina primò, et per ſe per donum ſignificata, eſt conſtitutiua, & diſtinctiua; licet ferè iſtis iam probstum ſit, & inter omnes Theologos conſtet: eſt enim proceſsio paſsiua à Patre, & Filio per modum amoris, & liberalitatis, & relatio ad ipſos, explicata iam per donum: addit tamen S. Bonauentura hss duss rationes. Altera. Omnis proprietas, ſecundum quam vna perſona differt ab omnibns alijs, eſt diſtinctiua (ſupple, et conſtitutiua: eadem enim ſimul vtrumque præſtat: nam conſtituendo diſtinguit in Diuinis perſonis, quæ per relationes oppoſitas conſtituuntur) ſed per donum ſoli Spiritui Sancto ineſt, & per ipſam à Filio, & Patre differt: ergo eſt proprietas &c. minor eſt D. Aug. 15. de Trinit. cap. 19. Filius per modum nati, Spiritus Ssnctus per modum dati procedit. Altera. Proprietates perſonales ſunt relationes reales originis; ſed donum teſte D. Aug. eſt in quo magis apparet relatio originis à Patre & Filio, quam in ſpiritu: ergo.

Tertium Aſſertum. Relatio ad cresturam Doni, licet non conſtituat perſonam Spiritus Sancti, diſtinguit tamen, hoc eſt, à poſteriori indicat diſtinctam, & præſtat nobis eam diſtinctam agno-

ſcere. Prima pars ex ſe nota eſt: realiſſima enim perſona Spiritus Sancti repugnat conſtitui, & diſtingui per ens rationis; illa verò relatio, de qua hic, eſt inſurgens ad perſonam conſtitutam per intellectionem noſtram. Secunda verò pars, & hinc conſtat: quo enim donabilis Spiritus Sanctus nobis, & donatus, conijcimus donum eſſe; & cognoſcimus inde diſtinctam eſſe à Patre, & Filio donantibus.

CAPVT V.

An Spiritus Sanctus ab æterno ſit donum datum.

GAbriel diſt. 18. quæſt. vnica ſequutus Ocham his motus rationibus hanc excitauit, & in medium attulit dubitationem: primò ex Vgone, vel Riccardo de S. Victore, Epiſtola ad D. Bernardum. Pater amorem impēdit Filio, & Filius impendit Patri. Deinde D. Aug. 5. de Trinit, quærens, quare Spiritus Sanctus non dicatur Filius? exijt, inquit, non quomodo natus, ſed quomodo datus: ſed exit datus ab æterno: ergo ab æterno donum datum. Probatur conſequentia, & confirmatur ratione æternę generationis exit donum; quia exit vt primum donum, & prima ratio donandi: nam exit vt amor: ergo ſi datus, etiam donatus: nam donum eſt, & primum donum. Confirmatur; quod mutuo impenditur, & rependitur eſt ibi datio: ſed Spiritus Sanctus ex commemorata Epiſtola impēditur à Patre, & Filio, & Patri à Filio rependitur: ergo datur ab æterno, & donatur. Confirmatur ex deffinitione. Doni donum eſt quod producitur virtute amoris alicuius obiecti, quod vt ſic producitur, non habet rationem ſimilitudinis talis obiecti: tunc enim eſſet imago, & verbum ſic producitur Spiritus Sanctus eſt enim amor, & producitur amore obiecti Filij à Patre, & obiecti Patris à Filio; ergo Spiritus Sanctus eſt donum, quod ab æterno producitur, & datur. Denique eſt Sancti Hilarij 8. de Trinit. qui æternam eſſentiam, vt per ſpirationem à Patre, & Filio Spiritui Sancto datur, Spiritus Sanctus producitur, donum nuncupat. Scotus diſt. 18. quæſt. vnica non videtur admodum diſcedere ab hac ſententia: triplici enim modo ſumi donum concedit. Primò, pro eo quod procedit liberaliter per actum amoris, & dicit eſſe proprium Spiritus Sancti. Secundò, pro mutuo amore duorum: quo pacto Spiritus Sanctus dicitur amor Patris in Filium, & Filij in Patrem. Tertiò. Pro eo quod liberaliter datur, vel dabile eſt.

Hæc ſententia non mihi diſpliceret, quippe quæ ſatis, tum Patrum modis dicendi, tum ſatis grauibus Theologis nixa, tum denique congruis rationibus roborata videtur, niſi hæc quæ videntur grauiſſima obſtarent. Primò, omnia Diuinæ Scripturæ loca, quæ ſupra pro Spiritus Sancti dono referebat D. Aug. perpetuò enim ſumunt donum dumtaxat vt donandum, vel donatum creaturæ. Secundò. Theologorum, & Patrum reliqua communitas, quæ vbique locorum, & verborum miro conſenſu grauiter inculcat, Spiritum Sanctum quidem ab æterno donum, non tamen niſi aptitudine nullum verbum de dato ab æterno prodens. Tertium. De ratione doni clamant omnes, eſt quod liberè detur: ſed Spiritus Sanctus producitur ex neceſſitate, & plenitudine naturæ: ergo vt producitur non donatur. Quartum: nam ſequeretur Patrem aliquid à Filio recipere, quod omnis refugit Theologia; imò omne quod eſt, quodque habet Filius, à Patre recipit multis Diuinarum literarum locis.

Sed hæc, aliaque id genus non adeo vehementer vrgent, vt non poſſent, nolo dicere repelli, ſed ingenuè interpretari, & ad quandam amicam conciliationem non inuiſa Minerua reduci. Quod enim ad Scripturarum loca attinet certè de Spiritu Sancto à Christo dando, ſuaque interceſſione obtinendo, Apoſtoliſque communicando &c. proculdubio omni loquebantur: neque quicquam aliud eorum propoſitum expoſtulabat, & quidquid aliud adderetur extra rem foret: quid ergo mirum ſe ad hanc, quam verſamus dubitationem negatiuè habere? nullumque verbum prodere probat ſententia Gabrielis; nullum neque tamen verbum contrarium inueniri, aut obſeruari poteſt: vnum ergo dixit, aliud non negauit, eadem ratione ad Patres, & Theologos reſpondendum. D. Aug. huius Spiritus Sancti proprietaris auctor, in expoſitione locorum Diuinæ Scripturæ adinuenit donum; reliqui Theologi D. Aug. imitati ſunt, ea tantum explicantes, quæ à D. Aug. didicerunt, & argumentis munire debuerunt, quæ ipſe edocuit: ab ijs ergo donabilitas æterna aſſerta eſt donum datum ab æterno. Negatum non eſt, & quod augetur, & valdè probabilem videtur reddere hanc ſententiam, eſt à tribus grauiſſimis Patribus eſſe aſſertam; à D. ſcilicet Aug. loco ſupra indicato, à D. Hilario, & à Riccardo de S. Victore, & à duobus peraeutis Theologis à quibus, vt conſtitit nō videtur abhorrere Scotus, quid ſi dicerem neq; S. Bonauentura? argumenta enim ipſius precipue tertium, & quartum videntur hanc ſententiam perſuadere.

Ad rationem verò ex doni deffinitione aſſumta; reſpondetur primò; quod ſi negaretur ex diuerſa doni tradita deffinitione. Secundò, de ratione doni quod liberaliter, & gratioſè cuique conferatur: Spiritus Sanctus liberaliter, & gratioſè, & liberè; quia procedit per modum amoris, & eo liberè, quo neque coactè, neque per modum naturæ, ſed per modum voluntatis, et liberalitatis: quod ſi ex perfectiore Diuinæ naturæ producitur, neque per hoc ratio doni tollitur, cum ſit amor ex origine. Deinde ſi hoc obſtaret, obſtaret & actuali communicationi Spiritus Sancti creaturæ: licet enim liberè ei concedatur; tamen ex decreto Dei inuariabilis, & naturæ immutabilis datur: eo enim non dari non poteſt, quia natura Diuina mutari non poteſt. Mox teſte D. Aug. teſtibuſque multis Theologis Spiritus Sanctus ex ſua origine procedit vt donum, cui conſequitur relatio ex-

[illegible] rationis, quod ſit creaturæ donabilis: ergo vt ſic, ex ſua origine donum eſt: donabilis enim quia donum, donum vero ab origine per ſe. Confirmatur, Relatio doni, vt ſuo loco proxime dictum eſt, diſtinctiua, & conſtitutiua perſona eſt: ergo vt ſic donum eſt, ad conſtituendam perſonam donatum. Ad quartum, neganda eſſet conſequentia: nihil enim niſi obiectiuè Patri dat Filius, quemadmodum & nos, dum Deum amamus, & colimus, Deo nihil addimus: hæc eò preſertim dixi: nam ſi Spiritus Sanctus eò tantum donum quia donabilis, non exquiſitè donum eſt, neque omnem doni rationem obtinet; nam ad Chriſtum Dominum comparatus, merces & premium eſt: rogauit enim Patrem, & alium paraclitum dedit: ergo precibus, & meritis Chriſti: ergo non vndequaque donum; quare mihi ingenuè fateor quoquo modo durum, & difficile viſum ſemper fuit, hanc negare ſententiam, eò maximè, ex alia deffinitione doni qua Gabriel vſus eſt; opinioni tamen communiori adhereo; ita vt, & hanc ſua probabilitate ſulcitam exiſtimem, meliori ſemper ſalua ſententia.

CAPVT VI.

Corollarium.

DVo hoc capite, corollaria complectenda: Iam etenim ſuperioribus aſſeueratum eſt, Spiritum Sanctum & eſſe primum donum; & rationem donandorum, in quo nimirum reliqua donantur, & eſſe nobis & donabile, & iam donatum: hinc diſcutiendum, & explicatius enucleandum. Primò, an verum, & qua ratione nobis omnia in Spiritu Sancto donantur. Secundo, an, & quomodo nobis donabilis, donandus, & donatus ſit, ac nuncupandus noſter.

Et quo ad primum, præter ea quæ opponit S. Bon. quæ multa, & non mediocris ponderis videntur: multa enim, inquit, dona quibuſdam conferuntur, qui indigni Spiritu Sancto ſunt, vt Balaam cui prophetiæ donum elargitum fuerit; erat tamen Ariolus: & cæteris iſtius generis ad intellectus illuſtrationem ſpectantibus, certum eſt neceſſariò non eſſe adiunctum Spiritum Sanctum: deinde Iſaiæ 9. *Filius datus eſt nobis*, ſed in Spiritu Sancto: ergo Spiritus Sanctus auctoritatem habet in Filium; quod tamen falſum eſt, quippe qui Spiritus Sanctus à Filio procedit, non è contra. Præterea, ſi omnia dona in Spiritu Sancto nobis donantur: ergo datur donum doni, relatio relationis, motus motus, deteſtatum tamen à Philoſopho 8. Phiſ. Præter hæc, inquam, eſt D. Pauli ad Rom. 8. inſignis locus: *qui etiam proprio Filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum eo omnia nobis donauit?* vides quam explicatiſſimis verbis omnia nobis donari cum Filio, & in Filio: idem enim abſque controuerſia videtur de Filio, quod de Spiritu Sancto.

Quod quoque ad ſecundum attinet, neque ipſum ſine difficultate non diſſimulanda videtur poſſe pertranſire, hac potiſſimum argumentatione. Si Spiritus Sanctus dicitur noſter, profectò, aut quia diſtincta perſona ratione ſuæ proprietatis, aut quia donum, & donabilis, aut quia ſanctus. Non primum: nam etiam ratione eſſentiæ dicitur noſter; & ſepiſſimè in Diuinis literis legitur Deus meus, & Deus noſter. Non ſecundum: nam tunc, & donum noſtrum poſſet appellari, & donabilis, non ratione dantis, ſed cui datur, nuncuparetur: & hinc ſibi in primis donabilis, rationem aſciſceret; & magis hinc deberet dici noſter Filius, quia magis datus. Non denique tertium: nam vt conſtabit, Spiritum Sanctum eſſe noſtrum eloquuti ſunt Sancti. Quibus tamen non obſtantibus.

Primò pronunciandum eſſe Diuinarum literarum veritatem, omnia in Spiritu Sancto donari, ac inprimis D. Pauli commentatore, & interprete, etiam D. Aug. 15. de Trinit. cap. 19. 1. 2. Corinth. 12. poſtquam enim innumera gratiarum, & donorum genera, quæ ſingulis hominibus variè, ex inſcrutabili Diuino conſilio diſtribuuntur, ſicut & corporis humani membris diuerſa munera enumerauit, his aureis, ac Apoſtolicis verbis myſterium clauſit, ac reſoluit. *Hæc autem omnia operatur vnus & idem Spiritus; diuidens ſingulis prout vult.* Et ad Hebr. 2. *Conteſtante Deo ſignis, & portentis, & varijs virtutibus, & Spiritus Sancti diſtributionibus ſecundum ſuam voluntatem.*; ſed hæc, vt certius, & diſtinctius, & luculentius percipiantur, animaduertendum ex D. in primis Bonau. art. 1. D. Th. art. 3. ead. diſt. & Riccardo quæſt. 3. Cum in Spiritu Sancto omnia nobis donari aſſerimus, tripartita poteſt eſſe ſententia. Prima, vt ſic, perpetua aſſeratur cum omnibus cuiuſcumque generis donis Spiritus Sancti ſimultas, & concomitantia. Secunda, vt hoc axiomate, & trito horum Theologorum prouerbio velimus cauſalitatem, & efficacitatem, & donorum quo ad entitatem productionem teſtari. Tertia (in qua cauſalitas hæc, & ſubdiuiditur & dilucidius enodatur), hæc donorum vis effectrix, & cauſalitas, aut ſola, vt ſic ſumitur vt ſolam dicat productionem, aut ſimul etiam ſubauctoritatem, aut tertiò quod hic magis quærendum, & obſeruandum, vt exemplaritatem, & donandi rationem præſefert: tunc axioma hoc quod diſcutimus, non ita verum ſemper, vt in quocūq; dono ſimul Spiritus Sanctus infundatur, luce meridiana clarius: nam in donis non ſanctificantibus, & quæ peccatum non expellunt, vt in donis intellectus præcisè, non ſimul Spiritum Sanctum infundi certiſſimum eſt: ac ſic vrget quæ de Balaam inſtantia. Quare, inquit, S. Bonauentura vniuerſaliter aſſumptum falſum eſt. D. verò Paulus quibus donis ſimul infundatur Spiritus Sanctus ſic reſtringit, ac perilluſtrat ad Rom. 5. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis*; Infunditur ergo Spiritus Sanctus, quando charitas, & gratia ſanctificans ſimul infunditur. Secundò, ſi puram, & ſolam donorū cauſam, ac productionem teſtatur, non tam Spiritui Sancto, quam etiam Patri, & Filio tribuendum: vna enim, eademq; virtus in tribus, qua quidquid producitur, producitur. Tertiò, ſi ſubauctoritatem exprimit, æquè Filio, ac Spiritui S. congruit;

vtraq; enim perſona procedit, & emanat. Si verò denique exemplandi rationem præciſè explicare nitimur; tunc ſolus Spiritus Sanctus eſt, in quo cætera cuncta donantur: licet eadem dona diuerſa ratione, tum ad omnes perſonas, tum ad Filium ſpectent; in ratione tamen doni ad ſolum Spiritum Sanctum pertinere omnes aſſeuerant: ipſe enim ſolus, & eſt primum donum, & per modum primi doni procedit, nimirum per amorem, qui eſt primum quod donatur: ergo omnia donantur in Spiritu Sancto: nam donatur in eo, ſine quo præuio, nihil donatur: etiam illa dona, quæ ſui infuſione non ſanctificant, & cum quibus neque ipſe donatur: etiam ipſe Filius quando in incarnatione nobis datus, & donatus, & eò certius, ac verius, quò magis gratuitè, & vehementiori amore, dum ſcilicet tanto dono tunc indigniſsimus erat mundus, donatus nobis: omnia enim tunc erant ſub peccato, humana tunc natura vaga, & diſſoluta ſcilicet meretrix in fide. Oſee. & Iſaias, tunc miſſus lapis angularis, quando erant verbi Dei illuſores. Propoſitioni ſic expoſitæ, & theoremati ſic limitato, nihil eorum quæ oppoſita ſunt, repugnat, aut contradicit.

Ad locum D. Pauli (cætera enim in S. Doctore ſoluta leguntur) non difficilis expeditio: nihil enim illo loco traditur, quod ſit aduerſum veritati, quæ hic verſatur de Spiritu Sancto: nam quæ nobis in Filio donantur, diuerſa ratione donantur, quam in Spiritu Sancto; in merito ſi quidem Chriſti, quidquid ad totam noſtræ ſalutis rem, integrumque redemptionis myſterium attinet, pro Chriſto nobis donatum eſt, eodem D. Paulo teſte ad Philipp. 1. *Vobis donatum eſt pro Chriſto, non ſolum vt in eum credatis, ſed etiam, vt pro illo patiamini:* illam etenim vocem (*pro*) D. Aug. lib. de predeſtinatione Sanctorum cap. 2. & Conc. Arauſicanum ſecundum canone 25. interpretantur pro merito Chriſti, & eſt omnium Theologorum certa ſententia. Omne ſcilicet, quod nobis ad ſalutem confertur ex Chriſti meritis euenire, ita in ordine ad Chriſtum merita ſunt, ad nos verò comparata dona quidem gratuita: vt autem dona in Spiritu Sancto nobis donata, quemadmodum et ipſe Filius eo ſic dicuntur, nam gratuito, & libero amore donantur, & ad Spiritus Sancti exemplar, qui per modum amoris procedit, eſtque primus amor, & primum donum, qui verè, & ipſe in Chriſto, & cum Chriſto donatus eſt nobis, nimirum ex Chriſti meritis. Quia enim, vt ſepenumero indicatum eſt varijs locis, Filius rogauit Patrem vt Spiritum Sanctum mitteret, ipſum miſit, & in nomine Chriſti miſſus eſt, hoc eſt per merita Chriſti: tantum ergo abeſt, vt hic vlla intercedat contrarietas, vt vtrumque ſimul ſit veriſsimum; diuerſa tamen ratione.

Pronuntiandum Secundò. De ſecundo verè Spiritus Sanctus, quia nobis donatus, noſter eſt: colligitur apertè ex Diuina Scriptura; primò enim ſicuti Chriſti corpus in Euchariſtia nobis datum noſtrum appellatur Matt. 6. *Panem noſtrum quotidianum*, & ſingulis diebus in oratione Dominicali fatemur: eadem fermè ratione, & nobis datus Spiritus Sanctus nomenclandus noſter; Lucæ 1. de Io: Baptiſta aſſerit euangeliſta venturum eſſe in virtute, & ſpiritu Eliæ, vbi liquidò Spiritus Sanctus quem accepit Elias, Eliæ ſpiritus clamatur. Num. 11. ad Moyſen loquitur Dominus: tollam de Spiritu tuo, & dabo illis, quod idem eſt, ac de Spiritu Sācto quem dedi tibi tollam, & dabo. Spiritus ergo ille dicitur Moyſi; quæ loca percenſet, & illuſtrat S. Aug. ad hoc idem aſſerendum lib. 5. de Trinit. cap. 14. & hanc ipſe reddit rationem Spiritus Sanctus refertus ad eum qui dedit, & inde dicitur Patris, & Filij, & ad eum cui datus eſt, propterea & hominis dicitur, & noſter. Confirmarunt D. Thom. eadem diſt. art. 5. D. Bon. art. 5. Ægidius quæſt. vlt. Riccardus quæſt. 6. hac ferè ratione. Sicuti nos, parentes qui nos genuerunt, noſtros appellamus, non quaſi nos illos produximus, aut dominio poſsideamus, ſed è contra, quia nos ad eſſe extulerunt, generationeque nobis eſſe contulerunt; ſic, & multo certiùs nos Spiritum Sanctum, & Deum noſtrum prædicamus; quia noſtri principium eſt, noſque produxit. Secundò, quia ad ipſum tendimus, ac noſtrum bonum, quo perficimur quærimus, & finem quo tandem quieſcimus. Quod hinc colligitur, & confirmatur. Dum homini infunditur Spiritus Sanctus, ad aliquid efficiendum, & conſequendum infunditur: quod quidem relictis multis locis egregie exprimit ille ad Romanos 8. *Quicumque ſpiritu Dei aguntur, hi ſunt Filij Dei*, quid enim clarius? Filij Dei ſunt, Dei ſpiritum habentes aguntur à ſpiritu, quem habent. Hinc D. Aug. 15. de Trinitate cap. 17. in fine. *Spiritus Sanctus datus accendit hominem in Dei dilectionem.* Tertiò. Dona dei ſunt ſine pœnitencia: ergo dum nobis donatur Spiritus Sanctus, ipſum habemus, ac congruenti modo poſsidemus; ſcilicet quia non rigoroſa poſſeſsione eum auctoritate poſsidemus, ſed vt piè ait Riccardus, ab ipſo poſsidemur, rectà ratione noſter aſſeuerari poteſt. Tandem noſter Legifer eſt, quo ad rectè ipſum colendum, & amandum dirigimur.

Pronuntiandum tertiò (quod ad modum dicendi ſpectabit) Cùm Spiritum Sanctum affirmamus noſtrum, & cum copula rectè aſſerimus, vt ſpiritus eſt noſter, & ſine copula ſpiritus noſter, vtroq; modo ortodoxè affirmamus. eſt D. Bonauenturæ art. 6. et Ægidij Romani. Ratio primi: quia ſic veram poſſeſsionem teſtamur, quod enim verè noſtrum eſt, dicimus accomodatè, hæc res mea eſt: quare Spiritus Sanctus noſter eſt, cum habemus per appropriationem. Ratio ſecundi: nam ſic modum, et rationem eum habendi commonſtrat, quæ competat tum ipſi Spiritui Sancto, tum homini: quare neque erit per informationem; cum Deus non poſsit eſſe forma; ſicuti albedo dicitur Petri quem informat, et vt ita dicam albificat, ac ſubinde non poterit dici Diuinitas, Æternitas etc. mea: hæc enim aſtruere videntur hanc informationem, et per modum formæ ſumuntur abſtracta. Competit verò Spiritui Sancto eſſe principium, Creatorem, Sanctificatorem etc. noſtrum: ergo per modum principij etc. dicitur noſter, et omnibus alijs modis, quibus ad nos Dei relatio implicatur.

Quar-

Digitized by Google

Quartò Pronunciandum, ad eundem dicendi modum ſpectans. Probabile quidem eſt quod tradiderunt, & Magiſter hic, & D. Th. & Riccar. non licere aſſerere Spiritum Sanctum noſtrum, hac in primis ratione, quia ſub his verbis Spiritus Sanctus ad Patrem, & ad Filium, non autem ad nos refertur: quam eandem rationem ad aliud propoſitum lepidè expoſuit S. Doctor, & admiſit: probabile equè tamen, quod docuit D. Bon. diſt. 27. art. 2. ad penultimum, & fortaſſe probabilius oppoſitum: rationi, inquam, conſentaneum eſſe, Spiritum Sanctum ſub his verbis nuncupari noſtrum, quod ferè hac perſuadet phraſi ex Diuinis literis collecta; vbi Spiritus Sanctus dicitur Eliæ, & hac confirmat ratione: nam eſſentialiter ſumpta hæc vox *ſpiritus*, deducitur à ſpirando in mentem Eliæ, & hæc vox *Sanctus*, à ſanctificando: ergo ſi eſt principium ſanctificationis noſtræ, noſter poterit dici. Diuinarum ſcripturarum exempla roborent pronunciatum. Ex Actis Apoſtolicis cap. 2. *Repleti ſunt Apoſtoli Spiritu Sancto*: ergo Spiritus Sanctus erat Apoſtolorum. Ex officijs Eccleſiaſticis aſſeritur *Spiritus Sancti gratia illuminet ſenſus, & corda noſtra*: ergo eadem ratione apparet quod intenditur. Nec quicquam impedit oppoſita ratio; nam hic non ſumitur vt refertur ad Patrem, & Filium, ſed vt ad nos: neq; præcisè penes perſonam niſi appropriatè. Quod ſi, & vt perſona, vt perſona tamen exemplaris, & vt primum donum, & ratio donandi adhuc conſonè poſſet dici noſter.

Quintum Pronunciatum. Eodem loco S. Doctor admodum conſentaneè, & Spiritus Sancti donum dici non poſſe noſtrũ aſſeuerat eadem ratione: nam donum dicit reſpectum ad donantem, ſicut verbum ad dicentem. Quocirca, ſicuti licet Verbum producatur, etiam ex cognitione creaturæ; non poteſt tamen Verbum creaturæ nuncupari ex D. Anſelmo in Monologio c. 32. ſic Spiritus S. quamuis nobis donabilis, non idoneè tamen donum noſtrum eſt appellandum: donum enim ſicuti Verbum dicit originem; quidquid iam in oppoſitum dixerint Scotus, & Caiet. qua ead. ratione, nec Filius Dei poteſt dici noſter, quia vt ſic ad Patrem tantum refertur.

Sextum Pronuntiatum, tanquam totius huius de Spiritu Sancto, ac Filio tractatus ſuauiſsimum corollarium. Spiritus Sanctus ab æterno producitur per modum amoris, & doni, vt conſequenter eſſet donabilis nobis; producitur etiam ex amore creaturarum poſsibilium, ſicuti & Verbum ex earundem cognitione gignitur creaturarum, etiam vt inde, & in æternis emanationibus qualis de nobis habita ſit ratio; & quam verè ſit Deus, ſcilicet ardens erga nos: quam denique verum quod dicere conſueuerat, *charitate perpetua dilexi vos*: licet adhuc multos ex nobis renitentes non ad ſui amorem traxerit; quamuis alio ſenſu adiunxerit eiſdem verbis, *ideo attraxi vos* atque hæc in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.

Septimum, & poſtremum pronuntiatum eò ſuauius, ac iucundius, quò non de ſtatu poſsibili, ſed futuro, & exiſtenti creaturarum contingentium agit, fateturq. pro Coronide huius vtriuſque emanationis Diuinæ, tum Verbum, tum Spiritum Sanctum oriri, & produci æternum ex creaturarum futurarum, & exiſtentium cognitione, & amore, vt inde alta mente noſtra fixum inhæreat, ac repoſitum perſeueret, æternis ſuis etiam emanationibus Deum nos tum nouiſſe, tum dilexiſſe. Veritas ſanè, quò noua videtur, & quò dulcius degustanda, eò ſolertius ſtabilienda, & comprobanda; præter ea, quæ ſupra in hanc eandem ſententiam deduximus, et præter præſtantes Theologos, & alia loca SS. Th. & Bon. quæ ibi recenſuimus. Probo igitur Verbum, & Spiritum Sanctum produci etiam ex cognitione, & amore libero creaturarum contingentium, exiſtentium, futurarum.

Videtur ſatis aperta primo loco S. Aug. ſententia, multis quidem locis, ſed in primis tract. 21. in Ioannem, in illa verba: *Pater diligit Filium, & omnia demonſtrat ei, quæ facit*: ſic enim ait: *dicendo Filio, quod facturus erat Pater per Filiũ, ipſum Filium genuit, per quem faceret omnia*. Neque particula illa (*dicendo*) interpretanda eſt concomitanter, ſed vt aiunt, & liceat ſic dicere veluti cauſaliter, dictione, & quaſi actione generandi: aliàs poſſet quoque dici Patrem dicere ſpirando: concomitanter enim dum generat, etiã ſpirat.

D. Bonau. Satis apertè indicat, & aſſerit idem, diſt. 27. q. 2. ad primum; Verbum, dum inquit, dicit reſpectum ad creaturas non tantum futuras, ſed etiam poſsibiles; ad creaturas ergo dicit reſpectum liberè futuras: poterunt enim non eſſe: ergo etiam earum cognitione producitur. Quod ſi videtur negare de exiſtentibus; id dumtaxat negat habita ratione ad æternitatem, quæ antecedit: concedit tamen habitu: & eadem ratio eſt de futuris, & exiſtentibus: vtrobique enim eſt libera, ſicuti & creaturæ productio; & diſt. 32. art. 1. q. 1. ad ſecundum, dum Patrem, & Filium eodem amore, quo ad inuicem ſeſe diligunt, qui eſt notionalis, nos quoque diligere aſtruit. Et licet addat, qua parte tangit creaturam, & nos, amorem illum dici eſſentialem: eſt tamen idem omnino amor cùm eo qui reſpicit perſonam, connotans quoddam eſſentiale, ex quo reuera procedit Spiritus Sanctus, vt eruditè contra Caiet. notat Greg. de Valentia tract. de Trinit. q. 8. puncto ſecundo ad primum argumentum.

D. Thomas 1. par. quæſt. 37. art. 2. ad tertium. Sicut Pater dicit ſe, & omnem creaturam verbo quod genuit, inquantũ Verbum genitum ſufficienter repræſentat Patrem, & omnem creaturam, ita diligit ſe, & omnem creaturam Spiritu Sancto, In quantum Spiritus Sanctus procedit vt amor bonitatis primæ, ſecundum quam Pater amat ſe, & omnem creaturam, & ſi etiam patet, quod reſpectus importatur ad creaturam, & in verbo, & in amore procedente quaſi ſecundario &c. Et paucis prius: Pater non ſolum diligit Filium, ſed etiam, & ſe, & nos. In hunc ſenſum interpretantur Diuum Thomam, hancque tuentur ſententiam Valentia loco citato. Franciſcus Cuniga Societatis Ieſu tract. de Trinit. quæſt. 34. diſputat. 9. dub. 7. & refert alios doctiſſimos viros vniuerſitatis Salmanticenſis, & Didacus Ruiz diſputat. 63. p. 1, 3. 4. & 5. & profitetur conciliare vtramq; ſenten-

Digitized by Google

tiam. Poteſt rationibus etiam confirmari primò ex diuinis litteris Ioan. 14. *Verba quæ ego loquor vobis, à me ipſo non loquor*. Ioan. 16. *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem; non enim loquetur à ſemetipſo, ſed quæcumque audiet loquetur &c.* Quæ loca ſolida expoſitione exponuntur, vt refert Toletus à Patribus de notitia æterna, quam perſonæ procedentes recipiunt in ſuis proceſsionibus. Sed ſi loquuntur quæ audierunt, cum loquantur de futuris contingentibus; quæ enim ventura ſunt annunciabit vobis: ergo, & in ſuis proceſsionibus receperunt, & veritates contingentes, & ex ijs proceſſerunt. Confirmatur ex Concilio Florentino, in Decreto Eugenij IV. vbi Patrem dediſſe Filio quidquid habet, etiam ſpirationem actiuam præter Paternitatem aſſeritur. Ergo, & actus liberos recepit: ergo ex ſeipſis proceſsit. Probatur conſequentia: nam quidquid ſunt, quidquid ſciunt Diuinæ perſonæ procedentes, totum in ſua origine à producente recipiunt.

Hinc ſecundò. De ratione Verbi eſt procedere ex ſcientia omnium, conſtat ſupra cum de Verbo: ergo, & contingentium; nam ex earum ſcientia procedit, quæ eidem verbo dicuntur: ſed ei à Patre dicuntur contingentia: ergo & ex eorum cognitione procedit. Deinde, ſi ex earum quoque cognitione non procederet, non ex infinita, & compræhenſiua produceretur.

Tertiò. Scientia viſionis, & exiſtentium, & contingentium eſt de intrinſeca Dei perfectione: licet enim liberè producantur; dum tamen aut producta, aut producendi decreta repugnat à Deo ignorari; & etiam à Patre origine, & fœcundè cognoſcente: non enim vndequaque infinita, & omni cognitione cognoſceret.

Quartò: nam nihil eſt, quod opponatur, quod pariter facili negotio non ſoluatur: ſi enim primò opponit Scotus, verbum, & amor productus ſunt omnino neceſſarij, & nullo modo liberi, aut contingentes. Ergo non ſunt à ſcientia, & voluntate libera, alioquin eſſent liberi. Probatur, quia nequeunt eſſe magis neceſſarij, quam principia ſua.

Reſp. eo negatur conſequentia, & probationis ſequela; nam licet perſonæ procedentes nequeunt eſſe magis neceſſariæ, quam ſua principia: tamen Deus non potuit carere omni ſcientia, & voluntate libera mundi futuri, vel non futuri, ſed neceſſariò habet alterutram, vel producendi, vel non producendi; proinde neceſſariò non poterunt perſona non procedere ex alterutra ſcientia, & voluntate. Secundò, haberet conſequentia aliquam apparentiam ſi & Verbum, & Spiritus Sanctus procederent ex ſola cognitione, & voluntate contingentium, ſed cum procedant primariò ex cognitione, & voluntate neceſſaria; ſecundariò verò ex libera, nulla inde eſt conſequentia. Tertiò, negatur antecedens: nam licet Verbum, & amor productus, quoad entitatem tam abſolutam, qua conueniunt cum Patre, quàm relatiuam, qua diſtinguntur; & quo ad reſpectum ad obiectum neceſſarium, ſcilicet Deum, & creaturas poſsibiles non ſint vllo modo liberi, quia eorum entitas nullo modo poteſt non eſſe, nec potuit non exprimere neceſſaria: tamen quo ad reſpectum ab obiectum liberum ſunt liberi, quia potuerunt non reſpicere libera, & contingentia, & proinde non eſſe verbum, & amor illorum.

Secundò. Proceſsiones ſunt poſitiuæ, & reales, & actus liberi nihil reale, & poſitiuum addunt actibus neceſſarijs, ſed ſolum reſpectum rationis ad obiectum contingens: ergo perſonæ non procedunt ex actibus liberis, vt liberi ſunt, alias procederent ex ente rationis.

Reſp. Quamuis verbum, & amor vt reſpiciunt contingentia, etiam ſi nihil adderent neceſſarijs; poſſent tamen procedere ex actibus liberis: ſicut enim creatura, quæ eſt quid poſitiuum, procedit phyſicè ex voluntate Dei, vt libera, etiam ſi nihil addat voluntati neceſſariæ: ſic Diuinæ perſonæ. Confirmatur. Quamuis enim ſcientia, & volitio liberè nihil addant neceſſarijs: reſpiciunt tamen, vt liberæ ſunt, realiter ſua obiecta: eodem modo poſſunt eſſe principia realia producendi Verbum, & amorem.

Tertiò. Voluntas ex qua procedit amor, eſt poſterior ſcientia ex qua Verbum: proceſsio enim amoris eſt poſterior proceſsione Verbi: Voluntas autem libera non eſt poſterior ſcientia libera, ſed prior: non enim ideo vult Deus futura, quia videt futura, ſed quia vult eſſe futura: ergo Verbum, & amor non procedunt ex ſcientia, & voluntate libera, ſed neceſſariò: nam ſcientia neceſſaria eſt prior voluntate neceſſaria; vt ita, proceſsio Verbi potuit eſſe prior proceſsione amoris.

Reſp. primò. Voluntatem liberam non eſſe priorem ſcientia libera prioritate reali, aut virtuali in quo: nam vtraque eſt ſimul in Deo ab æterno, & realitate, & virtute: neque à quo: neque enim eſt principium reale, aut virtuale illius; ſed ſolum eſt prior ratione ex modo concipiendi, quia concipimus eam independenter à ſcientia libera, & vt cauſam illius: intelligimus enim eam ad modum volitionis creatæ obiecti contingentis; ipſam verò ſcientiam ad modum ſcientiæ creatæ procedentis ab obiecto, & à volitione illius, quod non habet locum in Deo: nam obiectum ſcientiæ liberæ non eſt cauſa ſcientiæ, nec volitio obiecti eſt cauſa ſcientiæ realiter, aut virtute, ſed ratione tantummodo explicati. Prioritas autem rationis ad prioritatem proceſsionis originis, & realis eſt per accidens.

Hęc dixerim de hoc pronuntiato plura dicturus, niſi prolixitatem timerem. Vnum verbum addam, quod ſuperiori loco ſub problemate dereliqui, & cautè in oppoſitum protuli: nunc re maturius penſitata in hanc partem ſoluo.

QVAE-

QVAESTIO XVI.

QVOMODO SE HABEAT PERSONA ad eſſentiam comparatam. D. Bonau. diſt. 3. q. 1. & alibi. D. Tho. q. 32. art. 1. & 2.

EXPLICATIS ijs vtcumque; vt viatori, de his reconditiſſimæ ſacroſanctæ Triadis myſterijs, licet balbutire, quæ ad ſingulas perſonas diuinas penes propria ſpectabant; iterum de iiſdem perſcrutandum ſub alia ratione, nimirum communi. Quomodò ad diuinam eſſentiam ſe habeant: an ſcilicet eam componant, aliquidq. addant: an verò ſint ipſiſſima eſſentia, ac ipſius intrinſecus modus. Quomodò ad inuicem prædicentur. Sed hanc quam nunc exordimur quæſtionem, in hos articulos diſtribuimus. Primus eſt. Quomodo ſe habeat perſona ad eſſentiam. Secundus. Quomodò adinuicem prædicentur. Tertius. An, & quomodo eſſentialia, & communia approprientur, & prædicentur de proprijs diuinarum perſonarum. Quartus. Inde, qua ratione Patri æternitas, Filio ſpecies, Spiritui Sancto vſus tribuatur. Quintus. Cur tranſlata in Diuinas perſonas aſſumantur.

ARTICVLVS I.

PARAPHRASIS.

PRIMA Propoſitio. Adeo adinuicem ſunt idem eſſentia, & perſona, quæ & res natura dicitur; vt perſona ad eſſentiam comparata nihil prorſus à parte rei addat, ſed ſit ipſiſſima eſſentia. & probatur primò ex D. Auguſt. 7. de Triuit. cap. 6. Non eſt aliud Deo eſſe, & perſonam eſſe: *ergo nihil addit perſona ſupra eſſe, & naturam Diuinam. Secundò. Diuina perſona, & Diuina natura eſt ſummè ſimplex: ergo vtrique repugnat additionis ratio: tunc enim ſi aliquid adderet componeretur Deus ex natura, & perſona: & natura eſſet in potentia ad perſonam recipiendam, quibus ſummè ſimplex actu perfectiſſimo reuinceretur non eſſe. Tertiò. Perſonæ ad inuicem per eſſentiam ſunt idem: ergo perſona non addit eſſentiæ. Antecedens perſuadetur. Natura Diuina eſt ſeipſa Deitas: perſona vt ſubſtantia, & proprietas eſt ſeipſa Deitas: ergo vnica eſſentia immultiplicabilis: conſequentia patet: nam & quod idem eſt cum alio et non dicitur addi, & quod additur extrinſecum eſt. Hinc Quartò. Quod perſona adderet, ſi adderet, aut idem eſſet, aut aliud. Non idem, vt præterito probabatur argumento, & ex ſe inintelligibile eſt. Non aliud; nam, aut ſubſtantia, aut accidens: repugnat enim in Diuinis. Non ſubſtantia; nam ſubſtantia addita eſſet diuerſa, & tunc perſona, & natura differrent per ſubſtantiam, quod quam falſum, & deteſtandum ſit, ex ſe conſtat. Iterum quod adderetur aut materiale, aut formale eſſet. Non primum, quia eò alieniſſimum eſt à Deo, quò Deus eſt puriſſimus actus. Non ſecundum eadem ratione: nam formale ratione materialis aſſeritur. Denique quod adderetur, aut melius Diuina natura foret, aut minus, aut æquale. Non primum, neque tertium: nam nihil neque melius, neque æquale Deo. Non ſecundum, quia illud eſſet creatura.*

Secunda Propoſitio. Summa hæc identitas inter naturam, & perſonam Diuinam non tollitur, neque minuitur per realem perſonarum ad inuicem diſtinctionem. Primò, ita fide tenendum. Secundò, ſic declaratur. Perſonæ Diuinæ, ſi per qualitates, aut formas abſolutas diſtinguerentur; diſtingueretur & natura, & eſſentia. At verò quia origine diſtinguntur, & proprietatibus relatiuis: hinc neque pluralitas perſonarum tollit naturæ identitatem, neque identitas pluralitatem. Primò, nam origo ſolam diſtinctionem relatiuam ponit, vt verbi gratia, Pater differat à Filio neceſſariò, quia nihil ſeipſum producit, & Pater ſeipſo producit, & Filius ſeipſo producitur. ergo multitudo relatiua perſonarum nihil addit, aut tollit de identitate naturæ, aut perſonam componit: nam ſic niſi ordinem & relationem addit ad terminum: ſecundò perſona ad perſonam comparata, licet ſint duæ res: ad Diuinam tamen naturam non eſt res, ſed modus rei: ergo nihil addit, aut tollit.

Tertia Propoſitio ex reſponſione ad vltimum. Illud principium Ariſt. Quæ ſunt ead. vni tertio: ſunt ead. & inter ſe, non impedit, neque tollit, aut identitatem perſonarum cum natura, aut realem inter illas diſtinctionem: nam primò non eſt verum illud principium, cum plura conueniant in vno tamquam communi; vt multæ ſpicies differentes, licet in vno genere conueniant, neque tamen adinuicem ſunt idem: atque ita tres perſonæ, licet in eſſentia conueniãt: his enim tribus ead. numero communicata eſt: non tollit tamen quin adinuicem diſtinguantur. Secundò, non eſt in his quæ differunt origine, quemadmodum Diuinæ perſonæ. Tertia,

tia, neque in relatiuis, quæ differunt terminis: ponunt enim eſſe idem, non tamen ad idem: ead. ratione Diuinæ perſonæ.

Quarta Propoſitio. Ad hoc vt multiplicetur perſona, non multiplicata natura, neceſſaria eſt, & ſufficit inter naturam, & perſonam diſtinctio rationis, & virtutis: nam primò inintelligibile eſſet, vt perſona eſſet incommunicabilis, natura communicabilis, ſine aliqua diuerſa ratione. Secundò, natura vt eſſentia, de ſui ratione non ſe habet ad aliam eſſentiam, neque ab alia producitur. hoc enim poſtulat eſſentia Diuinæ nobilitas: hoc tamen non dedecet in perſona, vt demonſtratum eſt diſt. 9. q. 2. imò neceſſariò requiritur: nam generatio terminatur ad ſuppoſitum diſtinctum; & relatio ad terminum.

Quinta Propoſitio. Licet res remaneat eadem, ipſiſsimaq. vna, & ſingulariſsima; intellectus tamen noſter circa eandem rem componit, & affirmat plures conceptus, neque tamen falſos, ſed veros, ac fideles. Probatur prima pars; nam alio conceptu concipit naturam, alio perſonam, & perſonæ conceptum naturæ conceptui addit; & de Diuina eſſentia, alio eius potentiam, alio bonitatem &c. concipit. Probatur ſecunda pars: nam, neque credit aliam rem eſſe naturam à perſona, neque potentiam à bonitate, &c. & verè concipit: nam hæc verè ſunt in Deo; & concipit, & conceptus multiplicat, eo quia obiectum Diuinum in infinitum excedit intellectus creati facultatem, vnde vnico verbo, & conceptu non poteſt illud totum concipere, & intelligere ſicuti intelligitur Deus vnico verbo, infinito, comprehenſiuo, & vt alibi S. Doctor, omnia circumplectente.

COMMENTARIVM.

NIHIL ferè hic commentarij addendum: nam ſatisfactum puto ſupra cum de relationibus Diuinis cap. 1. & 2. illius diſputationis, vbi ſæpius hic citata, & explicata eſt quæſt. niſi hæc paucisſima.

Primum. Sequuti D. Thom. ordinem Scholaſticum hucuſque abſolutè, & in ſe Diuinas perſonas contemplati: nunc ad Diuinam eſſentiam incipimus comparare ſimul cum eodem Sancto Th. & cum ea non componere, nec quicquam addere, ſed eſſe ipſiſsimam eſſentiam realiter, ac formaliter: & inter multa loca S. Bonau. quibus docet, & aſtruit hanc identitatem formalem, nullus apertior quam in hac quæſt. vbi toties repetit multitudinem eorum quæ de Deo concipimus, non eſſe multas res in Deo, ſed mentis noſtræ conceptus: & in reſponſione ad 5. quantulacumque differentia rationis ſufficit, inquit, ad ſuſtinendam affirmationem, & negationem de eadem re, nedum diuerſitatem; & tamen noſter Doctorum conciliator, & ex hoc art. nititur inuenire locum, quo ipſe S. Doctor fateatur diſtinctionem formalem, illum ſcilicet, quo perſona ad eſſentiam comparatur, & aſſerit eſſe ipſius eſſentiæ modum: ergo, inquit ille, ab eſſentia formaliter differt: ergo, dico ego, aliquid actu diſtinctum addit perſona naturæ Diuinæ, quod tamen tota quæſt. negat; & vnde colligit ex D. Doctore vim illius conſequentiæ? & cur nulla habita eſt ratio ad ea plurima, quæ & in hac quæſt. oppoſita dicuntur, & quæ alijs locis tam frequenter iterat? & cur, licet perſona ſit modus eſſentiæ, quis prohibet hunc modum tãtum ratione diſtingui ab ipſa eſſentia? exiſtimat omnes Doctores interpretandos ad mentem Scoti.

Secundum. Licet ſupra diſt. 7. cum de ſimplicitate, queſtionem hanc viſus ſit ſubſtuliſſe S. Doctor, vbi quo, & quod in Deo ſcilicet eſſentiam, & perſonam non differre docuit: non inutilis tamen, imò neceſſariò addenda hic hæc ſolutio: nam vt aduertit etiam hoc loco S. Thom. & in eum Caiet. aucta eſt difficultas, & reddita difficilior dubitatio, dum plurificatæ ſunt perſonæ, quæ ad inuicem differant realiter, & ab eſſentiâ nullo modo: quam dum ſoluit, valde obſeruandum, dum S. Doctor prodit neceſſariam fidem primo loco, ne noſtris allucinati ratiunculis has occultisſimas veritates demonſtrare exiſtimemus, & intellectus noſter fidelis; quia vnam rem ſimplicisſimam Deum credit, dum tamen plura de Deo concipit, et prædicat, rem ſibi perſuadeat ſic itidem demonſtrare.

Tertium. Sicuti eiuſdem ponderis, momenti, et necesſitatis eſt, eandem naturam Diuinam contra Arrium, omnium Diuinarum perſonarum eſſe; et eiuſdem naturæ plures eſſe perſonas, realiter ad inuicem diſtinctas contra Sabellium: vtrumque enim apertisſimum fidei noſtræ dogma eſt; ſic vtrumque pijsſimus noſter S. Doctor, et egregie hac quæſt. præſtat, vnitatem ſcilicet, et ſimplicitatem naturæ, et rei Diuinæ cum perſona, et perſonarum pluralitatem, et quod valde Theologicum eſt, pluralitatem non componere perſonam, neque repugnare naturæ vnitati, neque quicquam ipſi addere: quod quia aliàs pro tenui cognitione noſtra in ipſum S. Doctorem digesſimus; non eſt cur hic iterum acta agamus: niſi animaduertere. Quare repugnet nobilitati eſſentiæ Diuinæ multiplicari, nequaquam autem Diuinæ perſonæ? Quod ipſe mirè ſoluit loco in textu indicato, diſt. 9. quæſt. 1. Eſſentia enim eo quia infinita, ſummè ſimplex, ſummè perfecta, prima independens etc. non poteſt non eſſe vna illimitata: perſona verò ex eiuſdem eſſentiæ perfectione, neceſſe eſt plurificari, vt omnis communicationis ratio in Deo habeatur, Deuſque ad intra infinitè ſic communicetur, et omnis communicatio ſit per naturam, et intellectum ſcilicet generatio, et per voluntatem nimirum ſpiratio, et emanatio ſit ſimilis in eadem natura: in creatura productio per modum actionis, et motus; in Deo per modum relationis: ratione naturæ non poteſt multiplicari ex ſua ipſius iam teſtata ſimplicitate, et infinitate: ergo ratione ſuppoſiti, quod ſicuti repugnat ſeipſum producere, ita non eſſe à producente diſtinctum, et ratione relationis quam implicat ad diſtinctum terminum non referri. Valde obſerua. De ratione eſſentiæ adæquatè ſumptæ eſt perſonarum productio; vt aſſerit S. D.

Quartum. Quia circa plures prædicationes, & conceptus, quos intellectus noſter de eadem re Diuina promit, ac profert, enucleat S. Doctor, veriſſima ſunt, & in quibus vera ratio diſt. rationis inter attributa, & relationis cum Diuina eſſentia, & quæ inter Theologos Dei ſimplicitate digna, Patrũ & Concil. inhærens ſententijs communis ſententia eſt, & quam veneratur Scotus, dum propter eam, quando diſtinctionem formalem proponit, neq; abſolutè audet loqui, & meliori ſe remittit iudicio, & ideo, eò promptius amplectẽda, quò tria in primis exiſtimãda inconuenientia, quę alias, aut ægerrimè, aut nequaquam euitari poſſent. Primum, ne Diuina lædatur ſimplicitas aliqua actuali diſtinctione: quare S. Bonau. hanc ſententiam Deum magis colere aſſeuerat. Secundum, vt ſic ex Diuinis literis, Diuiſque Patribus tollatur omnis battologia, & Synonimia: nos enim hanc ſecuti opinionẽ vera dicimus; licet de vna re plura affirmemus, & verè plures, ac veros conceptus concipimus, & exprimimus multas veritates: nã eadẽ res omnes adæquat, ac veros reddit ſua excellentia, & excedentia omnis intellectus, ac intellectionis createę conceptus: hinc tertiũ infinitate obiecti deuicti, & Deum ineffabilem, & noſtram imparem facultatem, & intelligendi inopiam cogimur fateri, & adaperire: dum tot verbis, & aſſertis indigemus rem vnam adhuc poſtea, etiam imperfectè explicare *ſermo enim meus*, dicebat Chriſtus Io. 8. *non capit in vobis*. Decentior ergo, religioſior, vt ita dicam, atque humilior natura, hac in re, Theologia eſt. Cõgererem hic plura, & varia etiam Sancti Doctoris loca, niſi ſuo loco iam congeſsiſſem.

Comprobãda remanet de amore Seraphici Doct. ſent. & communiẽda Angelici Doctoris doctrina, & auctoritate: & primò ex D. Aug. 7. de Trinit. cap. 6. *Cum dicimus perſonam Patris, non aliud dicimus, quam ſubſtantiam Patris*. Deinde arguit Angelicus Doctor. Ex Diuinę eſsẽtię ſimplicitate, licet in creatura relatio, vt inhærens ſit accidens in Diuinis; tamen ex ſimplicitate requiritur, vt ſit ſubſiſtens ſubſtantia, & idem re cum Diuina eſſentia, differens tantum ratione, & ſic conficitur argumentum. In Deo relatio eſt ſubſiſtens: ergo idem cum natura, & diſtincta realiter ad inuicem ab alia relatione. Probatur conſequentia: quia comparata ad eſſentiam in ea inhæret ſubſtantialiter, ne detur accidentis compoſitio, & ne admittatur ad eſſe, vt aſsiſtens, ſicuti quidam pluſquam falsò faciebant. Secundò. Relatio hæc alteri relationi oppoſita eſt: ergo realiter differt, vt fuſius ſupra diſt. 28. quæſt. 2. & ſic ferè vnico verbo docet, quam ſimul conueniant vnitas eſſentiæ, & perſonarum pluralitas, & pluralitas cur non officiat Diuinæ ſimplicitati, & naturæ, nihilque addat, ex gemina nimirũ relationis ratione: nam & in eſſentia ſubſiſtit, in eamq; omnino tranſit, & non remanet, dicebat S. Doctor, niſi vt modus: ex alia verò ratione, vt ad tertiũ oppoſitum dicit realem inter Diuinas perſonas diſtinctionem, nequaquam verò compoſitionem: & quia vt alias docebat S. Doct. relatio non poteſt componere, quia origo relatiua eſt, ſolamq; poteſt dicere diſtinctionem vt hic idem S. Doctor: In reſponſione quoque ad ſecundum, aſſerit idem quod S. Doctor; ſolam ſcilicet rationis differentiam ſufficere, vt aliquid affirmetur de eſſentia, quod negatur de perſona, ac vice verſa. In primo quoque ſent. hac ead. diſt. conſtanter idem docuit in his, in quibus dicitur: aliud eſt natura, aliud eſt perſona oportet aliquid materiale eſſe, per quod indiuiduetur natura, illamque determinationẽ materiæ addit hypoſtaſis in rebus creatis; ideò iſta non poſſunt eſſe penitus idem; in Deo autem non poteſt eſſe huiuſmodi determinatio, quia non eſt materia, nec vlla additio, ſed per ſe eſt ſubſiſtens, & ſuum eſſe in ſe ipſo ſubſiſtit: idcirco natura eſt id quod ſubſiſtit, & eſt eſſe quo ſubſiſtit; eſt tamen ibi aliqua diuerſa ratio inter perſonam, & eſſentiam.

Idem Albertus. Propter extremam, & maximam ſimplicitatem in Deo, nõ differt natura, & perſona, niſi ſecundum ſupponendi, & attribuendi modum, quod nos dicimus ratione Diuina ſimplicitas tollit omnem compoſitionem, non tamen veritatem, itaq; eſſentia, & perſona ſunt prorſus idem: ex veritate tamen remanet vera ratio perſonæ, ſicut vera ſapientia, &c.

Alexander Alenſis. In Diuinis, tribus modis aliquid differri inuenimus, voce, intellectu, & proprietate: voce quidem, vt qui ſolo nomine diſtinguuntur: intellectu verò, vt cum idem ſit omnino in re eſſentia, & perſona: intellectu tamen inter ens diſtinguitur proprietate, vt inter Patrem, & Filium: idque docet ex præpoſitiuo: ex ſe verò ſi quæratur; vtrum perſona differat ab eſſentia. Reſpondet, non differentia reali, ſed ſecundum intelligentiæ rationem, & profert D. Aug. eodem libro, & cap. *Quemadmodum hoc eſt illi eſſe quod Deus, ita hoc eſt illi eſſe quod perſona*.

Riccardus eadem omnino aſſeuerans ſecundum rationem, & diuerſum ſe habendi modum differre eſſentiam, & perſonã: nam eſſentia abſolutè, perſona ad alterum ſe habet, & refertur. Hinc plures ſunt perſonæ, vna manente eſſentia. Hæc addidi; vt quàm conformem nedum fidei, ſed etiam grauiſsimis Theologis Theologiam prodat S. Doctor, conſpiciamus, & quam inhæreat tantorum Theologorum cordibus Diuinæ ſimplicitatis ſententia, & quam ſtrenuè tueantur omnem identitatem in Deo, propter realem inter perſonas diſtinctionem & rationis inter Deitatem, & perſonam. Ad argumenta ergo Sancti Doctoris deueniendum.

Primum deſumitur ex D. Hilario, *aliud natura, aliud res naturæ*: ergo res naturæ, & perſona aliquid addit naturæ. Item D. Damaſcenus, vt habet S. Doctor dubio primo literali. *de Hypoſtaſi, non eſt Deitatem dicere*. Itidem Boetius de duabus naturis, & vna perſona Chriſti: *Natura, & perſona diſtinguenda ſunt, & proprijs nominibus nominanda*: ergo diuerſa eis definitionis vis competit, ac variæ res omnino videntur.

Reſpondet & piè, et rectè interpretatur hos Sanctos Patres: D. Hilarium 1. ex Magiſtro ſent. quod locutus ſit de natura tũc, et perſona vt in creatura. Quod multis proſecutus tãdem egregiè his verbis concludit Magiſter, *Ad naturam ergo rerũ creatarum reſpiciens*, inquit, *non idem eſt natura, quod*

res

rei naturæ, ſubijciens exemplum de ipſis creaturis inde oſtendens errorem ſub menſura creaturarum metiri Creatorem: addit & ſecundum hoc, non idem eſt Deus, quod Dei eſt, ac ſi diceretur, ſi ad inſtar creaturarum de Deo ſentis, cogeris fateri non idem Deus eſt, quod Dei eſt, quod dicere impium eſt, cum Spiritus Dei ſit Deus, & Filius Dei ſit Deus: eandem interpretationem adhibet S. Doctor Boetio, eamdem Riccard. q. 1. diſt. 34. ſecundã addit, conceſſo adhuc quod de Deo locuti ſunt Patres hi, diuerſitas rationis ad eos tuendos ſufficit; vt aliud, id eſt, alia ratio perſonæ, quæ relatiua eſt, alia naturæ quia abſolutè: nulla tamen inde ſequitur additio, aut compoſitio: nam natura eſt ſuus reſpectus, & reſpectus iſte, vt dicebat S. Th. eſt ſubſiſtens: nec ſubinde vana illa varia diſtinctio, diffinitio, & nomenclatura, vt abundè conſtat ex corpore quæſtionis. D. Damaſcenum relato dubio ſic optime enucleat, & ſuæ enucleationis neceſſariam reddit rationem: ſi enim vt ſonant, hæc relata verba accipiamus, apertam dixiſſet hæreſim: ſed ita locutus eſt, vt de hipoſtaſi non eſt deitatem dicere, nimirum de vnica hipoſtaſi, non de reliquis; ſcilicet vna ſola perſona eſt Deus, non reliquæ: cui reſponſioni adhiberi & alia poteſt, quam ſupra, ad D. Hilarium, & Boetium. Non eſt de hipoſtaſi Deitatem dicere, hoc eſt, non ſunt confundendæ propriæ, ac diſtinctæ rationes Deitatis, & perſonæ, quæ tamen rationem non tollent, quod ſupra docuimus perſonã includi ratione eſſẽdi, & viceuerſa: nam diuerſæ hic aſſertæ rationes ſunt ex modo noſtro intelligendi S. Bon. diſt. & quæſt. hac; tũ diuerſa ratio nõ excludit vnum à quidditate alterius ibidẽ.

Secundum. Quantò aliquid in pluribus inuenitur, pluribuſque communicatur, tantò ſimplicius eſt; ſed Diuina eſſentia in pluribus perſonis, & perſona in vna perſona: ergo eſſentia ſimplicior quam perſona: ergo q̃ ò perſona minus ſimplex, eò videtur compoſita. Maior patens eſt: nam genus ſimplicius eſt ſpecie: ipſa enim limitata, & compoſita genere, & differentia: minor quoque patentior, & eò magis, quò Diuina natura in pluribus eſt nulla ratione multiplicata.

Reſp. huic argumento Riccardus q. 2. licet ipſe vnum diuerſum terminum habeat, eadem tamen argumenti vis eſt, quando quod pluribus communicatur, ita communicatur, vt inter illa plura diuidatur, vt ſcilicet totũ non ſit in ſingulis &c. ſed non ſic Diuina eſſentia communicatur Diuinis perſonis: nam immultiplicata eſt, & tota in ſingulis, & ideo non probat &c.

S. Bonauentura. Eſſe in pluribus poteſt eſſe duobus modis; Primò: ita vt plura non ſint ſemper ſimul, ſed alterum illorum poſsit eſſe alibi abſens. Secundò: ita vt illa plura ſint ſemper ſimul: primò modo currit argumentum, non autem ſecundò modo: & Diuina eſſentia cum ſit in tribus ſecundò modo: ſemper namque Diuinæ perſonæ ſimul ſunt, & vbi vna, neceſſariò & reliquæ: hinc non colligitur, quod ſit ſimplicior natura, quam perſona &c.

Vtraque reſponſio mihi difficilis videtur, & difficilior fortaſſe illa D. Bonauenturæ: nam alias, & in primis diſt. 8. quæſt. 5. hac ratione Dei ſimplicitatem eſſe ſummam adhibet, vt qui aut multiplicat eſſentiam in ſuppoſitis, aut non multiplicata in vno ponitur ſuppoſito, nec deroget ei, eiuſque nobilitati, & inde ei conuenit fœcunditas, & pluralitas perſonarum: quo enim ſimplicisſima, & actualiſsima, & quo actualiſsima inde ſumma communicatio, & diffuſio; hic verò videtur oppoſitum tradere, quo inde non colligi Diuinæ eſſentiæ ſimplicitatem ſummã, quod ſit in tribus perſonis ſimul ſemper exiſtentibus, ſed animaduertendum hic, aliud eſſe de eſſentia affirmare ſimplicitatem ſummam, aliud eam Diuinæ perſonæ negare: totus eſt in neganda conſequentia hac; quod ex conceſſa ſimplicitate illa Diuinæ eſſentiæ non inde minuitur in perſona, imò illa quoque æquè ſimplex eſt: & limitationem quoquo modo vnius perſonæ, quæ non eſt aliæ, non componere perſonam: primò, quia relatiua eſt, & relatio nullo modo componit, vt ſæpius indicauimus: ſecundò, licet perſonæ Diuinæ ſint plures; non ſunt tamen plures eſſentiæ ſubſtantiuè diſtinctæ: tunc enim eſſent limitatæ, & diſtinctæ, & cõpoſitæ, ſed ſunt ita ſimul, vt ſint eadem prorſus eſſentia ſemper, & vbique ſecum: non ſunt ergo eſſentia minus ſimplices, ratione cuius, vt infra ſuo loco, vna eſt in alia, & in alijs, & vicè verſa: *ego in Patre, & Pater in me eſt*; & eadem ratione in Spiritu Sancto, & Spiritus Sanctus in Patre, & Filio. Ad formam ergo argumenti diſtinguenda eſt maior; & concedenda, vt ſit vera dum in pluribus eſt ſecundò modo. Ad minorem, neganda conſequentia: nam Diuina perſona pluriſicata eſt relatiuè, & ita non compoſita, & ita pluriſicata, vt remaneat idem cum Diuina eſſentia &c. geminò ergo ex cap. perſonæ ſimplicitati nihil officitur hoc argumento. Primò: natura enim Diuina ita eſt in pluribus, vt illæ plures perſonæ remaneant idem cũ ea. Secũdò, nõ ſunt plures abſolutè, ſed per relationem oppoſitam, cui repugnat componere.

Tertium Argumentum. Quod magis abſtrahitur ſimplicius eſt; ſed Diuina natura magis abſtrahitur quam perſona: ergo ſimplicior: ergo perſona aliquo modo compoſita, & aliquid eſt extra, & præter naturam, & eſſentiã. Maior ſupponitur conceſſa; minor probatur: natura enim Diuina à perſonalitatibus abſtracta adhuc intelligitur; non autem perſona; neque enim ſine natura vt qua eſt perſona, neq; ſine ratione perſonali intelligi poteſt.

Reſp. breuibus ſe expedit S. Doctor, ſufficientiſſime tamen, potuiſſet reſpondere hanc abſtractionem eſſe per intellectum, qua res nec componitur, neque ſimplicior conſtituitur: reſpondet tamen, & negandam cenſet maiorem: non enim abſolutè, & in vniuerſum verum, magis abſtractum eſſe ſimplicius, niſi quãdo abſtractum dum concretum eſt, componit: tunc namque per abſtractionem illam amittit compoſitionem, & ſubinde fit ſimplicius: at verò Deus, & Diuina natura eadem ſumma ſimplicitate pollet, vel ſi abſtractè, vel ſi concretè ſumatur, vel in perſona, vel in natura. Quo fit, ſimplicitatem non augeri per abſtractionem, neque conſequenter perſonam concretionis ratione minus ſimplicem fieri, quam Diuina natura. Hæc eadem reſponſio Riccardi ad tertium, in hæc verba

Verè

Verè argumentum concludit,quando concretum eſt ſecundum rem concretum,quod non eſt hic in Diuina perſona: non enim eſt concreta,vel compoſita: nam relatio non componit, & eadem relatio eſt idem formaliſsime cum eſſentia, & natura.

Quartum. De eodem ſecundum idem non eſt vera affirmatio, & negatio, & eſt principium notum: ſed aliqua de perſona, quæ non de natura affirmantur: ergo perſona eſt aliquid diſtinctum à natura: ergo aliquid ei addit: ergo non ſimpliciſsima, vnum enim ſemper ex alio deducitur: ſi addit, eſt res diuerſa, & diſtincta, & compoſita. Probatur minor: nam perſona refertur,& diſtinguitur; nequaquam autem eſſentia.

Argumentum eſt commune S. Thom. hic Riccard. &c. quo Scotiſtæ ſemper vtuntur, & contra nos clamitant vbique;quod tamen propoſitum, & ſolutum apud hos antiquiores magiſtros inuenerunt. Reſpõſio verò eſt vniformis,& certa & facilis. Concedimus totum argumentum veriſsimum eſſe: ſed negamus realem, & actualem diſtinctionem requiri ad ſuſtinendam negationem,& affirmationem de eodem,ſed aliam, & aliam rationem ſufficere, & proinde diſtinctionem virtutis rationis ratiocinatæ collere omnem apparentem difficultatem, vt veriſsimum ſit argumentum,quando de eodem, re, & ratione fit affirmatio, & negatio, de qua re,quia aliàs fuſius,hic abſtineo à pluribus, vnum addens verbum à multis nocatum: rectè nuncupari poſſe hanc differentiam rationis formalem, non formaliter, ſed virtualem. Sed plura ad hoc argumentum alijs locis ſæpe.

Quintum. Si natura, & perſona ſunt prorſus idem: ergo & perſonæ ad inuicem: ergo relinquitur locus hæreſi Sabellij, negantis perſonarum diſtinctionem. Prima conſequentia probatur ex illo principio noto Ariſt. quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem & inter ſe; hoc quoque argumentum communiſsimum eſt.

Reſpondit iam S. Doctor diſt. 33. quæſt. 1. reſpondet & hic, & primò curandum docet, vt hec, & ſimiles regulæ argumentandi quantum liceat,& in Deo ſuſtineantur illis rationibus, quas aliàs retulimus. Deinde tres egregias adhibet explicationes, quibus hoc principium nihil oſficere identitati perſonæ cum natura, neque perſonarum diſtinctioni, neque ſubinde vllo etiam colore fauere Sabellio; ſed aliàs abundè de re hac.

ARTICVLVS II.

An Diuinæ perſonæ, & natura adinuicem prædicentur. S. Bon. quæſt. 2. S. Thom. art. 3.

PARAPHRASIS.

PRIMA *Propoſitio. Duplex ille prædicandi modus, alter per identitatem, alter per inhærentiam, vterque admittitur, & idonè aſſumitur in Deo,& exercetur à Theologis, magis tamen propriè primus quam ſecundus. Probatur prima pars: nam, & id poſtulat ſumma Dei ſimplicitas, & verè aſſeritur, Deus eſt bonitas, Deus eſt paternitas, & generatio, & creatio &c. Itidem conſentaneè dicitur, Deus generat, Deus creat, quaſi actus generandi, & creandi &c. Deo inhærere concipiantur: Probatur ſecunda pars, nam propter Dei conditionem, & ſummam eorum quæ in Deo ſunt, identitatem, veriſsime, ac propriiſsimè huiuſmodi ſunt prædicationes in abſtracto: quæ verò per inhærentiam, non vſque adeo propriè; nam actus iſtiuſmodi, non verè inhærent Deo quaſi ad modum accidentis, ſed ſunt ipſamet Dei ſubſtantia: admittuntur tamen in intellectus noſtri ſubſidium, qui ita ex creaturis didicit, & in his prædicationibus fidelis, & verus eſt. hinc.*

Secunda Propoſitio. Sicuti præterita quæſt. in Deo ſumma vnitas, & identitas inter naturam, & perſonam demonſtrata eſt; ita fermè veriſsima, & maximè propria prædicatione prædicantur ad inuicem in abſtracto eadem perſona, & natura. Probatur primò, eadem ratione ex ſumma identitate. Secundo, ex reſp. ad 5. nam inutilis non eſt huiuſmodi prædicatio eiuſdem de eodem: licet enim primò, idem ſit de eodem ſecundum rem, non tamen ſecundum modum intelligendi; & dicendi noſtrum; ita vt nouum de eadem re conceptum affirmemus: deinde eadem aliquando quidem res; eiuſdem tamen rei erit diuerſus modus ſe habendi, ſicuti perſonæ, & Dei, vbi nouus conceptus percipitur ex diuerſo abſoluti, & relatini modo diſtinctè, ac prædicatione apprehenſo. Preterea ita docuit D. Damaſcenus. Rurſus, verum eſt Diuinam naturam ſubſiſtere perſonis, & perſonam ad eam comparatam non differre, ſicut rem à re: ergo quoque vera erit affirmatio, & prædicatio vnius de altera ad inuicem. Denique, vbicumque inuenitur commune, & proprium, ibi eſt vera ratio prædicandi: ſed in Deo verè eſt commune, natura ſcilicet tribus communis, & proprium alteri incommunicabile, hoc eſt perſona: ergo hæc erit vera, & propria prædicatio, natura eſt perſona, & vice verſa.

Tertia Propoſitio ex reſponſione ad argumenta. Verum quidem in Deo non eſt, neque ſubiectum, neque materia realiter. & ex D. Dioniſio, affirmationes in Deo ſunt ita incompactæ, vt nullam ponant compoſitionem rei; ſunt tamen ita compactæ, & compoſita, & verè in natura ratione intelligendi: nam non rem de rè, ſed conceptus de re componimus, & affirmamus, & prædicamus.

Quarta Propoſitio ibidem. Mutua ad inuicem prædicatio identitatis naturæ, & perſonæ verà, & legitima eſt; inhærentiæ verò non ita vera: nam tunc commune de proprio debet prædicari, vt ſi de perſona natura, vt Pater eſt Deus: ratio eſt, cum perſona ſit ſuppoſitum, debet in prædicatione ſubiici.

Quinta Propoſitio ibidem. In prædicando, re-

latiuum

latiuum quidem ſecundum dici de ſuo correlatiuo poteſt prædicari, vt viſus de re viſa, & intellectus de re intellecta; & in Deo natura de perſona: nam tunc natura quaſi forma ſecundum dici, & eſſe ad perſonam ſumitur: nequaquam verò perſona ad aliam perſonam ſecundum eſſe: nam non poteſt dici Pater eſt Filius, quia ad inuicem opponuntur, & differunt ſecundum rem.

Sexta Propoſitio corollaria. Hoc indicato ſenſu relatiuorum ſecundum dici, rectè aſſeritur, tres perſonæ ſunt vnius eſſentiæ, & naturæ, & eſſentia trium perſonarum, non autē vnius Dei. Ratio primi, quia quaſi forma ratione refertur ad perſonas. Ratio ſecundi, quia Deus, vt ſic, non ad perſonas, ſed ad creaturas ſecundum dici refertur.

Septima Propoſitio. Communicabile, & incommunicabile non ſunt oppoſita, ſed differunt per habere, & non habere: eſſentia enim non habet incommunicabilitatem, quam habet perſona: quare non impediunt mutuam naturæ, & perſonæ prædicationem, hac etiam addita ratione: communicabile enim cum ſit commune, non diſtinguit, & non impedit prædicationem.

COMMENTARIVM.

AD idem eſt vtraque quæſtio præterita, & præſens, ad Diuinæ ſcilicet perſonę ſimplicitatem aſtruendam, nihilq; addere naturæ: noua nunc ratione demonſtrandum, hac ſcilicet. Veriſsima eſt prædicatio perſonæ de natura, & vice verſa: ergo ad inuicem vnica res vnicè ſunt: ergo perſona non addit naturæ. Verum quidē eſt, quod hinc arrepta occaſione, in hac quæſtione S. Doctor totus eſt in explicandis modis prædicandi, præſertim in Deo, & quomodo verè, & propriè exprimatur prædicatione, & affirmatione, quod præterito articulo docuit: naturam ſcilicet eſſe perſonam, & in remouendis ijs, quæ aut difficilem, & obſcuram, aut falſam reddere poſſent huiuſmodi prædicationem. Tria ergo præſtat hac quæſtione. Primum enumerat prędicationum genera: alterum per identitatem veriſsimum, & proximè proprium in Deo, ex ſumma ipſius ſimplicitate Dei: neque enim vanam, ridiculam, & inutilem efficit prædicationem, quamuis idem de eodem prædicetur: non enim ſecundum eandem rationem, & conceptum, & modum intelligendi noſtrum; quare noua ſemper, ac diuerſa de Deo intelligimus, & affirmamus, & diuerſum modum ſe habendi, dum de ſubſtantia abſolutè, de perſona relatiuè intelligimus, & annuntiamus. Alterum, per inhærentiam, aut quaſi inhærentiam, quod quidem genus non ita proprium: nihil enim verè inhæret Deo, ſed omnia vnicè vnica ſubſtantia: tamen, licet intellectui noſtro ita de Deo aſſerere, & ratiocinari, aſſuetus his rebus creatis vbi de ſubiectis, vera inherentia prædicat; & ſic de Deo aſſerens, & prædicans, nihil identitatem, & ſimplicitatem lędit, nullamque admittit in Deo compoſitionem, ſed fidelis ſimpliciſsimum credit; ita tamen loquitur ex ſuo imperfecto modo intelligendi. Hanc eandem bimembrem prædicandi rationem tradidit diſt. 5. quæſt. 1. ad ſecundum; & primam niſi in Deo verè inueniri, propter ibi ſummam identitatem docet: ſecundam verò oppoſito modo eſſe creaturarum propriam: in eis enim licet aliqua inueniatur identitas, non tamen perfecta, & dicitur etiam denominatiua, & predicat adiectiua, & verba; & niſi cum aliqua imperfectione traducitur ad Deum, de quo prædicat per modum adiectiui, & concreti, & actionis, & operationis; vt primò, Deus eſt bonus, Deus generat, Deus creat. In prima terminus idem, & ſupponit, & ſignificat; vt v. g. Pater idē ſignificat, & ſupponit quod eſſentia: eſt enim ipſa eſſentia, in ſecunda verò terminus aliud ſignificat, & aliud ſupponit: ſignificat namq; formā comunē, & ſupponit pro inferiori, quare quod prædicatur de altero, ſupponit de illo: prædicatio prima, & identica nullo modo denominat ſubiectum. ſecunda verò, & inhærentiæ verè denominatiua eſt, ſubiectumque denominat: prima denique gemina ratione fit, vel per identitatem in tertio, vti rationale, & animale identificatur in homine: quare ſi ab homine aſtrahuntur nulla inter eos identitas eſt.

Ergo, vt prædicentur concretè, neceſſe eſt; vt de eo in quo vniuntur, prædicentur: vel ex propria ratione infinitatis, vel in vtroque, vt ſi dicatur, eſſentia Diuina eſt bonitas; vel in altero, vt eſſentia eſt Paternitas, & vtroque modo poteſt prædicari, & in abſtracto, & in concreto. Vtraque verò hæc explicata prædicatio in Deo dicenda eſt formalis: nam quod prædicatur prædicatione formali eſt de ratione eius de quo prædicatur, & in primò modo dicendi per ſe: ſupra autem diximus, & nihil ab eſſentia Diuina diſtingui formaliter, & relationes eſſe de ratione eſſentiæ, & vice verſa: quo conſequitur, & perſonam eſſe de ratione eſſentiæ, & attributa; quare, licet prædicentur etiam in concreto, & denominatiuè, tamen formaliter quoq; prædicari: & dicitur etiam prædicatio eſſentialis, & licet dum denominatiuè fit, eſſentialis rationem non admittit, propter quemdam qualitatis modum; eſſentialis tamen quo prædicatur, id eſt de ratione eius de quo prædicatur.

Ad hunc locum illuſtrandum, colligendæ quędam regulæ in prædicando de Deo obſeruandæ, conciſè tamen, & breuibus: nam eędem fortaſſe ſuo loco repetendæ; hic verò notandæ, quatenus locus præſens expoſtulat.

Prima ergo Regula ex diſt. 15. art. 1. D. Bonauenturæ, ex Alexandro 1. par. quæſt. 42. mem. 3. & D. Th. art. 5. ad ſextum. Nomina perſonalia ſubſtātiuè tamen dumtaxat ſumpta, tam in abſtracto, quam in concreto, ſiue in abſtracto, tam abſoluta quam non abſoluta abſtractione idoneè prædicari poſſunt: veriſsimè enim dicitur, eſſentia eſt Pater, & Paternitas &c. ſumpta tamen in concreto, ſiue adiectiuè, nō rite dici, aut prędicari poteſt de eſſentia perfecta abſtractione ſumpta: non enim recta, ac vera cōcedenda eſt prædicatio, eſſentia eſt generans, niſi ſimul ſumatur particula ſubſtantiuè, vt ſi diceretur; eſſentia eſt res generans: tunc enim

con-

conſona eſſet prædicatio: ſi tamen eadem eſſentia accipiatur, tum in concreto, tum in abſtracto abſtractione non omnimoda, ſed media, idonea erit prædicatio: ita enim aſſeritur; & vſu inuenitur aſſertum de Filio, lumen de lumine, lux de luce ex D. Aug. 6. de Trinit. cap. 2. Sapientia de ſapientia, eſſentia de eſſentia ex eodem lib. 7. cap. 1. & conſilium de conſilio, ſubſtantia de ſubſtantia: & ex D. Hilario lib. de Synodis Vnigenitus ex innaſcibili eſſentia natus,

Secunda Regula ex D. Th. art. ſequente, & ex quæſt. 32. art. 2. ad ſecundum. Actus notionales maximè propriè prædicantur de ſuis perſonis nominibus concretis; non autem de proprietatibus: rectiſſimè enim dicitur, Pater generat, Filius generatur, Spiritus Sanctus ſpiratur: nõ verò Paternitas generat &c. ratio eſt, quia actus ſunt ſuppoſitorum: proprietates verò, quia tum in ratione formę ſumũtur, tum ſunt formaliſsimæ relationes, quibus competere nequaquam poteſt eſſe principium producens.

Tertia Regula communis Theologorum. Omnia eſſentialia, ſiue verba, ſiue nomina rectiſsimè mutuò prædicantur: idque ratione omnimodæ identitatis, & ſimplicitatis, vt eſſentia eſt Deitas, eſſentia eſt Trinitas, eſſentia eſt omnipotentia, & infinita bonitas, & viceverſa, idque tam in concreto, quam in abſtracto, eſſentia eſt Deus, eſt omnipotens, eſt infinitè bona &c.

Quarta Regula. De nominibus numeralibus obſeruandum, non vtroque modo, ſed tamen, aut concretè, aut abſtractè prædicari poſſe. Poteſt enim dici Deitas, & eſſentia eſt Trinitas, & Deus eſt trinus, nequaquam tamen Deitas eſt trina: quod ſi ſemel Eccleſia in quodam hymno cecinerit. *Te trina Deitas*, non in exemplum ducendum, neque extendendum, ſed piè interpretandum, quod ratione metri abſtractum pro concreto vſurpauerit, ſtatimque corrèxerit, addens: *vnaque poſcimus* ratio autem eſt, quia tunc cum Diuina eſſentia in omnimoda abſtractione ſumatur à perſonis, ſicque ſit immultiplicabilis, non poteſt numerari.

Quinta Regula. Omnia perſonalia communia, de omnibus perſonis prædicantur: propria verò de ſuis perſonis: ſic enim primo modo, omnes perſonæ incommunicabiles ſunt, diſtinguuntur, ad inuicem referuntur, & opponuntur: ſecundo verò modo de Patre tantum innaſcibilem eſſe, generare &c. de Filio generari, eſſe Verbum, imaginem; de ſolo Spiritu Sancto ſpirari à duabus perſonis &c. ortodoxe affirmamus.

Sexta Regula ex D. Th. 1. ſent. diſt. 5. quæſt. 1. art. 1. ad ſextum. Illa, quæ de eſſentia, præciſè vt ſic ſumpta, vt eſſe communicabilem, immultiplicabilem eſſe ad ſe &c. prædicantur, non poſſunt de perſonis prædicari, quemadmodum etiam quæ de perſonis, vt ſic, vt referri, eſſe plures, producere, produci &c. non conſentaneè de eſſentia dicũtur. Quod ſi inſtes, ex D. Bonauentura hac quæſtione, quam nunc explicamus, conceditur, eſſentia eſt perſona, & conſequenter communicabile eſt incommunicabile. Reſpondetur, hanc eſſe prædicationem identicam, quæ non negatur. Quod ſi iterũ obijcias, identitatem hanc eſſe ſummam, ac proinde excludere etiam pluralitatem, & diſtinctionem formalem. Reſpondetur, ex Diſt. rationis, & noſtro modo intelligendi, & virtutis, & vario modo ſe habendi &c. verificari has propoſitiones; præter rationem propriam, quam hic tradidit S. Doctor de communicabili, & incommunicabili non eſſe vera oppoſita, ſed differre per habere, & non habere, & communicabile, & eſſentiam eſſe commune, quod non diſtinguit à proprio: dicitur enim Petrus eſt homo &c. vt ſupra.

Sed hic animaduertenda illa verba, & explicanda, quæ S. Doctor protulit: tres perſonæ ſunt vnius eſſentiæ, & viceverſa, vna eſſentia trium perſonarum; D. enim Th. art. 2. hunc dicendi modum ſic honeſtat, & interpretatur; ſicut in humanis didicit intellectus noſter, ita ſuo modo accipere conſueuit, & Diuina alio modo ea non intellecturus. Quemadmodum igitur humana, & creata ita ſe habent, vt ſpecies, & natura ſumatur vt forma: indiuidua verò, vt ſuppoſita formæ: ſic accipit Diuina, vt Diuina eſſentia, & natura in Diuinis perſonis, quaſi ad modum formæ eis tribuens eſſe, Diuinum, non multiplicata tamen, ſeu infinita, & ſimpliciſsima; ſicuti in creatis rebus multiplicatur: quare dicitur eſſentia trium perſonarum, & tres perſonæ vnius eſſentiæ, & naturæ, & quaſi formæ; quaſi dicatur vna eſt eſſentia, & forma trium perſonarum, & tribus perſonis immulciplicata ſuppoſitatur, & ſubſiſtit. Idem S. Bonauentura, licet paucioribus verbis, dum dicit naturam Diuinam referri relatione rationis, & ſecundum dici ad perſonas, & de ipſis prædicari, quaſi forma de ſuo indiuiduo, ac ſuppoſito in quo ſubſiſtit, & cui ſuum eſſe Diuinum tribuit.

Habetur hæc formalis locutio in ſexta Synodo act. 5. & act. 11. & Concilijs Toletanis 6. & 11. Confitemur Trinitatem vnius eſſentiæ, virtutis, maieſtatis, & naturæ, ſed hac phraſi dicendi, hacque elocutione: Tres perſonæ vnius eſſentiæ &c. Valde vrgetur contra Arrianos, Diuinas omnes perſonas eſſe conſubſtantiales, & eiuſdem naturæ, & ſubſtantiæ Diuinæ; vt ſuo loco probatum, ac demonſtratum eſt: quam veritatem tot locis Diuinarum litterarum teſtatur Spiritus Sanctus, & tot Concilijs decreuit. Diuina illa vox *Homouſion*, qua, tam Arrius, quam Sabellius damnantur, quia per illam & vnitas eſſentiæ, & perſonarum diſtinctio aſſeritur, vt D. Epiphanius in Ancorato, D. Hilarius de Synodis, D. Ambroſius lib. 3. de fide, cap. 7. quam recepit, & firmauit Concilium Nicœnum; & inde magna veneratione à Sanctis Patribus ſemper habita eſt. D. Aug. Epiſt. 174. & 178. D. Baſilius epiſtola ad quaſdam Dei Ancillas D. Fulgentius contra Arrianos obiectione ſeptima D. Iſidorus lib. 7. Etimologiarum, cap. 7. & quam denique Marianus Victorinus, opuſculo de hac voce, fatetur diuinitùs eſſe reuelatam; & quam latino idiomate in Symbolo canit Sancta Mater Eccleſia Romana, *Conſubſtantialem Patri*, & spertè quoad rem, licet non quo ad vocem colligitur ex Diuina Scriptura: quid enim aliud valent illa D. Io. verba: *ego, & Pater vnum ſumus*? & ſexcenta id genus? & licet in

Digitized by Google

Conciliabulo Ariminenſi, vt teſtatur Magiſter hac diſt. hæc ſacra vox abiecta, & profligata fuerit: detecta tamen fraude reſtituta eſt, & iterum ab voiuerſa Eccleſia recepta.

Verùm ſedulè ob oculos ponendum, quod docuit Magiſter ſent. in textu, & expoſuit D. Bon. dub. 5. literali, licet admittatur, & ortodoxa ſit propoſitio, & prædicatio tres perſonæ ſunt vnius eſſeotiæ; non admittenda tamen hæc, tres perſonę ſunt vnins Del, duaſq; ibidem elegantes reddit rationes S. Doctor, quibus demonſtrat gignere hunc, vt ait, non ſanum ſenſnm, ac ſi diceretur tres homines ſunt vnius Dei, ac Deus eſt trium hominum, quaſi Deus dominaretur perſoois, Deoq; perſonę ſubiectę eſsẽt.

Accedendum ad ſecundum, quod hac quæſt. S. Doctor præſtat: mutuò ſcilicet, & ad innicem prædicari naturam, & perſonas, perpendendæque ſunt rationes, quibus id probat, quas omnes ferè ad vnicum argumentum ſic reducere facilis erit negotij: nihil obſtat quò minus idoneè fiat hæc prædicatio, imò multa conducunt, & cogunt: ergo omnino concedenda, & orthodoxè exercetur. Conſequentia eſt euidens. Antecedentis prima pars cõfirmatur, & primò ex his, quæ colliguntur ex argumentorum reſpõſiombus: ſic ſi aliquid obſtat, erit; aut quia fieret in Deo compoſitio, concederetur materia, & ſubiectum, idem de eodem ridiculè prędicaretur, forma de materia, relatiuum de correlatino, duo ad inuicem oppoſita: ſed hæc nulla ratione obſtant: ergo. Minor ſigillatim probanda. Non primum, neque ſecundum, neque tertium: nam hæc, neque compoſitio rei eſt, neque materia ex qua, neque ſubiectum, niſi prædicationis, & intellectus noſtri, quæ omnia fuſo ſermone multis locis, ſed præſertim hac vtraque quæſt. S. Doctor tuetur, ac ſuſtinet: ſic enim intellectus noſter incomplexa, & ſimpliciſsima, vt iotelligat, complexa facit, & ſic percipit. Non quartum: nam ibi materia, non vt ad formam refertur, eamqoe informat, ſed abſolutè, vt naturam, & eſſentiam ſignificat, ſumit. Non quintum: nam ſicuti natura à perſona non differt niſi ratione, ſic non refertur niſi eadem ratione, quod haud qoaquam prædicationem impedit vllam. Non denique ſextum: nam illa neque ſunt oppoſita ſi ad inuicem conferantur, neque differunt, niſi ratione propter ſummam identitatem, & vnitatem. Secunda verò pars antecedentis hac fermè ratione. Primò, ex aoctoritate D. Damaſceni, ex D. Thom. ex D. Aug. Secundò, quia omnia interueniunt, quæ ad veram prædicandi rationem ſufficiunt, ideſt, obiectum, prædicatum, & ſubiectom, copula: Obiectom enim, & res, ſcilicet Deus cum ſit ſimpliciſsimus, & eadem omnino res ſit eſſentia, & perſona, vera erit eius aſſirmatio, & prædicatio, Prædicatum commune: ſubiectum verò proprium, vt natura, & perſona, eſſentia, & Pater &c. ergo rectè prædicabitur in Deo, perſona eſt Deus, Pater eſt Deus &c. propter identitatem. Hoc argumentum eſt cõmune, & de omni prædicatione probat; copula verò (eſt) eſt ſignum alicuius identitatis inter ſubiectum, & prædieatum: quarè rectè ad inuicem prædicatur: ergo maximè propriè in Deo copulat, ac nectit, quia ibi ſumma identitas. Plura hic, & quo ad modum, & regulas prædicandi, conſerri poſſent, ſed ſuo loco in ſingulari de his tractatu, & quo ad rem, ſed aliàs ſuis quæſtionibus.

Tertium verò, quod ſemper S. Doctor præſtat, nimirum argumentorum ſolutionem, iam præſtitum, & ſolutum eſt in confirmatione primæ partis antecedentis.

ARTICVLVS III.

Vtrum in Diuinis rectè admittantur appropriata S. Bonau. quæſt. 3. S. Thom. art. 8.

PARAPHRASIS.

PRIMA Propoſitio. Si prædicatorum in Diuinis eſſentialium, & communium ſpectetur res ſignificata, nec rectè, nec idoneè appropriãtur Diuinis perſonis diſtinctis: ſi verò eorundem ordo, & conuenientia cum proprijs, & humani intellectus perieulum, ne circa ea intelligenda, & contemplanda decipiatur, & erret, valde idoneè, & cõſentaneè. Prima pars probatur; res enim cõmunis, & indifferens ſignifieata, & vt ſic præcisè ſumpta non conuenit magis vnius perſonæ proprietati, quã alterius: aliàs non eſſet communis: ergo non habet rationẽ appropriationis. Secunda verò pars, Primò: nam teſtatur vſus Diuinæ Scripturæ, & Catholica Eeeleſia, vbi non poteſt ineſſe error vllus, nec deceptio. Secundò, nam per communia facilius deuenitur in propriorum cognitionẽ, & ſingularis perſonæ: ergo: primò enim v. g. potentia, ſapientia, & bonitas, Spiritui S. tribuatur ad verum ordinem, veramq, inter illas Diuinas perſonas originem indieandam, & manifeſtandam. Deinde teſtibus omnibus, vnitas, veritas, & bonitas ſunt communia; tamen Sãctiſſimæ Trinitatis veſtigium: ergo communia ducunt in cognitionẽ propriorum: memoria itidẽ, intelligentia, & voluntas ſunt eiuſdẽ Sanctiſſimæ Trinitatis imago, & tamen cõmunia: ergo eſt aliqua ratio, & conuenientia communis ad proprium: ergo communia in cognitionem proprij ducunt, & valde ſubinde conuenienter appropriantur. Deniq; Intellectus creatus humanis aſſuetus, niſi de Patre, antiquo dierũ prædicare audiret omnipotentiã, de Filio ſapientiam, de Spiritu S. bonitatem, ab humanis pendens facillime crederet de Patre ſenectute affecto, potentia defectũ, de Filio ſapiẽtia priuationẽ, de Spiritu S. potius iracũdia furorẽ. Poſtremò, intellectus ſic aſſumẽdo, & approprlando proprijs cõmunia, non errat, ſed fidelis credit verũ, ſcilicet, ita hæc appropriari, vt tamen ſint cõmunia.

Secunda Propoſitio ex reſponſione ad ſecundum. Hæc appropriatio ſola re ſignificata ſpectata, fit tantum per intellectum, nam in communi, vt ſic, non eſt ratio, nec vis cur approprietur: ſi verò eiuſdem communis ordo, & pro-

portio

portio ad proprium perpendatur , ne dum ſecundum intellectum , ſed etiam ſecundum rem proprio commune accomodatur. Conſtat: nam in communi adeſt ratio , cur ſic aſſumatur, & approprietur .

Tertia Propoſitio ex reſponſione ad tertium. Commune appropriatum diuerſa ratione eſt prius, & poſterius: ſi enim ſecundum ſe ſpectatur, prius cognoſcitur quam proprium ; ſi verò quatenus ad proprij cognitionem deſeruit prius ſupponit proprium , ad quod intellectum noſtrum commune manuducit .

COMMENTARIVM.

QVOD hoc loco nobis primò occurrit difficultatis eſt, quem locum habeat hic , quamque ordinis rationem propoſita dubitatio de appropriatis ad propria : habet quidem: nam S. Thom. in ſua mirabili, & eximo contexta ordine ſumma Theologia idem quærit art. 7. & 8. & Alexander pariter in ſua ſumma, miro ordine digeſta 1. par. quæſt. 54. mem. 1. art. 2. & q. 67. art. 2. ſed S. Doctor perdoctè quem ordinem habeat , aperit , & prodit his verbis, hac diſtinct. tangit magiſter de comparatione perſonarum ad eſſentiam. Primò, ſecundum prædication. Deinde ſecũdum appropriationẽ. Tertiò, ſecundũ translationem &c. ergo ad ſcopum propoſiti ordinis rectè agitur hic, dum comparando perſonas ad eſſentiam : & eſſentialia quomodo , & qua ratione communia de proprijs perſonis ita diſtinctè prędicentur; vt cõuenientius commune aliquid de vna perſona , quam de altera aſſeratur , veluti omnipotentia de Patre , quam de Filio quæritur: quo conſtat , quid hac quæſtione indagetur, tituloque articuli, quanam ſubiecta ſententia? quæritur enim cum de fide ſint diſtinctæ perſonæ, diſtinctiſque proprietatibus conſtitutæ; qua ratione tamen de ipſis communia per appropriationem dicantur ? Vbi animaduertendum , non quæri abſolutè , an eſſentialia prædicentur rectè de perſonis ? hoc enim perſpicuum eſt, ſuperiorique quæſt. deffinitum propter ſummam identitatem &c. ſed limitate , an ita tamen diſtinctè prædicentur ; vt per quandam appropriationem ?

Sed quæ multa quotq; numero tradat in quæſt. ſolitaq; vbertate ſuggerat , & digerat vno verbo obſeruandũ. Tria ſiquidẽ: primò enim dilucidè quæſt. ſtatum, & ſenſum quo eam verſat, ob oculos ponit. Secundò ſoluit, ac optimas reddit rationes. Tertiò, de more eruditè oppoſitas rationes diluit ; quibus ſemper ſolidior , clarior , & eruditior euadit dubitationis ſolutio.

Verum, quoniam maxima huius prædicationis, & appropriationis ratio , eſt Diuinæ Scripturæ vſus , ac inde Sanctæ Eccleſiæ, ac Sanctorum Patrum hoc loco, quòd primò nobis præſtandum eſt, erit in medium aliqua inſigniora loca afferre , ne S. Doctor aerem verberaſſe videatur, dum hunc eſſe Scripturę morẽ effatus ſit, neq; tamen indicauerit vbi: Primò ergo, quod pſ. 39. aſſeritur perpendendum, *In capite libri ſcriptum eſt de me*: vbi de Chriſto loqui prophetam certum eſt, eiq; librũ vitæ tribui inter alios obſeruat gloſſa, in capite ſcilicet apud Patrem, qui eſt caput, & origo mea, ſicuti, & Io: 14. dicitur vita: *Ego ſum via, veritas, & vita*: & habet ſimilitudinem cum proprio Filij, qui teſte D. Petro in illa de Chriſto præclara confeſsione: *tu es Chriſtus, Filius Dei viui*, & per actum vitalem producitur, & tota vita, quam Pater communicare per actum generationis potuit, in ipſo eſt . Eodem loco *veritas* Filio appropriatur hac ratione, teſte D. Thom. art. 8. eſt enim eſſentiale quoddam , vt eſt in intellectu, & in re ; appropriatur tamen Filio , quia ſpectat ad intellectum cuius fætus, & verbum eſt Filius . Eadem ratione, Liber vitæ ad Filiũ pertinet, qui ſicuti verbum eſt, de quo ars artium, & idea dicitur; ita liber notitiam denotans Filio appropriatur. Exodi c. 3. interprete Gloſſa, & D. Thom. art. citato, eſt Filius qui loquitur Moyſi per appropriationem , dicens, *Ego ſum, qui ſum*: in illa etenim locutione ad Moyſem mittendum ad Pharaonem. quia præfigurabatur futurus Filij Dei aduentus ad humanum genus redimendum ; ideo illa verba , illaque phraſis conſonè Filio accomodantur; Iſ. 61. *Spiritus Domini ſuper me &c.* vbi Spiritum Dei multi Patrem interpretantur. Et D. Bon: dubio 2. literali: quia Filius ſecundum Diuinam naturam à ſolo mittitur, de quo loco aliàs vberius D Paulus 1. Corinth. 1. *Chriſtum Dei virtutem , Deique ſapientiam* nuncupat , vbi & virtutem , & ſapientiam eſſe attributa communia , & eſſentialia , nemo eſt qui rectè inficiari poſsit: Apoſtolus tamen Filio appropriat , & ſapientiſsimè hac ratione : ſimilitudinem enim habet ſapientia cum verbo , quod eſt conceptus , & notitia infinita genita .

Et ad cauendum errorem , ne ſicut aliquando in homine adoleſcente, & Filio animaduertitur inſipientia, & imperitia; ſic, ne de Filio Dei fortaſſe aliqua inſipientia , & imperitia exiſtimaretur; maximè conſentaneè repetitis vicibus dicitur Dei ſapientia , Virtus quoque: nam Pater omnia per ipſum facit , ac Filius cum Patre omnipotens eſt : & cum eodem Patre principium de principio. D. idẽ Paulus , *Ex ipſo, per ipſum , & in ipſo:* quem locum D. Aug. lib. 6. de Trinit. cap. 10. exponens, *non confusè*, inquit, *accipiendum eſt, quod ait Apoſtolus , Ex ipſo &c. ex ipſo enim propter Patrem, per ipſum propter Filium: in ipſo propter Spiritum Sanctum &c.* Pater autem , optimè docet S. Thom. eodem art. 8. exprimitur per particulam *ex ipſo*, vt illa particula (ex) non habitudinem ad materiam, ſed ad cauſam efficientem dicat, quæ ideo in primis Patri tribuitur , ſicut & potentia : nam principium eſt Diuinarum perſonarum . Filius quoque excellentiſsimè per aliam particulam (*per ipſum*) nam, vt nuperrimè dicebamus, eſt cum Patre principium ; dicitur tamen per quem , vt alibi quoque obſeruatum eſt , vt origo Filij à Patre , & vt principium de principio dignoſcatur , & recenſeatur . (*In ipſo*) denique, apprimè Spiritus Sanctus: Sicuti enim hic dicendi modus (*in ipſo*) vim quandam continendi, & conſeruandi res præſefert; ita , quoniam Deus ſua infinita bonitate res fouet

Digitized by Google

continet, ac ne pereant, & ad nihilum relabantur impedit: ſi enim reſpicit ſtabunt, ſi auertit faciem ſuam conturbantur, & digitis ſuis ſuſtinere cælum, & mundum, & veluti paruula ſphæra manibus geſtare deſcribitur Deus, & bonitas; quia vbique Spiritui Sancto tribuitur, ritè illa voce ipſe Spiritus Sanctus indicatur. Plurima alia loca huc referre, ac coaceruari poſſent: ſed hæc ſatis ſuperque, veluti exempla quædam ex innumeris, ad D. Bon. expoſitionem.

Quod verò & Sancta Eccleſia appropriatorum phraſi, & quando fidem docet, ac decernit, ac profitetur, vt hinc quam grauis, & Theologica ſit res, quam hic obſeruat, & tradit S. Doctor, vſa ſit: vnus pro mille ſufficiat locus in Symbolo Nycæno, quod in miſſa canitur. *Credo in vnum Deum, Patrem omnipotentem*, vbi perſonæ Patris attributum commune, & eſſentiale omnipotentia fatetur appropriatum, quod idem & Apoſtolorum Symbolum, Spiritum quoque Sanctum, *& Dominum, & viuificantem*, eadem ratione diſtinctè appellat, & nominat.

Sancti denique Patres, quos referunt, & interpretantur Theologi. D. Thom. Riccardus, & alij diſt. 31. & diſt. 34. & ibi diffusè Magiſter. D. Hilarius lib. 2. de Trinit. à principio, *æternitas*, inquit, *eſt in Patre, ſpecies in Filio, vſus in munere.* Hic ſuppono, quàm elegantiſsimè, ac Doctiſſimè interpretatus ſit D. Aug. 6. de Trinit. cap. 10. circa hæc D. Hilarij verba, quæ difficillima exiſtimauit, & cum Alex. 1. par. quæſt. 67. memb. 1. cum Sancto Bonauentura quæſt. 3. art. 31. & cum S. Th. art. 8. & Riccardo quæſt. 1. diſt. 31. & alijs, proprijs perſonis, illis verbis attribuiſſe communia, D. Hilarium aſſerendum eſt: Patri ſcilicet *æternitatem*, Filio *ſpeciem*, & pulchritudinem, Spiritui Sancto *vſum*.

Aeternitatem verò Patri, inquit S. Bonauentura, hac conuenienti ratione: nam Pater ſicuti prima perſona, & innaſcibilis, & à nulla alia perſona, & abſque vllo principio, ac fine, æternitaſque omne tollat principium, illi valde ſimilis eſt, & ad inueniendum de Patre hoc proprium, hoc commune conſonè attribuitur. Eodem modo Sanctus Thom. art. 8. Alexander, Albertus, Riccardus, & alij, & didicererunt ex D. Aug. loco commemorato.

Species verò Filio, quam D. Bonauentura accipit pro perfecta ſimilitudine, & ideo Filium ſpeciem nuncupari, quia per modum naturæ emanat, & per modum perfectè, & expreſſæ ſimilitudinis oritur, & vt perfectiſsimè, & æqualis imago, ex quo, & eſt ratio cognoſcendi eius cuius eſt ſimilitudo, & imago, & pulcherrimus: nam pulchritudo teſte D. Aug. eſt æqualitas numeroſa: ergo ſpecioſus Filius, quia æqualis Patri, & perfectiſſimè rationes omnium repreſentans, & omnium ars, idea, & exemplar; quocirca maxime ei conuenit ſpecies.

Spiritui verò Sancto mire congruit *vſus*: nam eſt actus voluntatis, & amoris genericus, tum ad vtendum, tum ad fruendum, & Spiritus Sanctus procedit per modum amoris, & voluntatis. Idem ferè ad verbum S. Thom. addens tamen quo ad ſpeciem ex D. Damaſceno, Filio congruere ſpeciem, quia eſt lux, & ſplendor intellectus: Spiritui Sancto vſum: vnius eſt aſſumere aliquid in facultatem voluntatis, & frui cum gaudio, vt docet D. Aug. 10. de Trinit. cap. 11. vſus ergo, quo Pater, & Filius ſe inuicem fruuntur, conuenit cum proprio Spiritus Sancti in quantum eſt amor, mirè S. Aug. recenſito lib. cap. 10. ſic reliquit nobis vſum hunc explicatum, *eſt*, inquit, *illa dilectio, delectatio, felicitas, vel beatitudo Diuinarum perſonarum ad inuicem*, addit, *eſt Spiritus Sanctus in Trinitate genitoris, genitique ſuauitas ingenti largitate, & vbertate nos creaturas perfundens*; hæc ferè eadem, licet alijs verbis Riccardus quæſt. 1. commentatur.

D. Aug. 1. de Doctrina Chriſtiana cap. 5. *In Patre*, inquit, *eſt vnitas, in Filio æqualitas, in Spiritu Sancto æqualitatis, vnitatiſque concordia*. Quibus dubium nemini eſſe poteſt, communia, & eſſentialia proprijs tribuere hoc loco S. Aug. vnitas enim, & æqualitas competit omnibus perſonis: de æqualitate conſtat ex Symbolo D. Athanaſij.

Alexander Alenſis huius appropriationis has perdoctas reddit rationes: vnitas Patri appropriata hac gemina ratione congruit: ſicuti enim primò à nullo eſt vnitas, ita neque Pater, quia prima perſona; quemadmodum deinde Pater vnicum Filium genuit, ſic vnitas per ſe multiplicata vnitatem gignit: ergo Patri conueniens. Aequalitas verò Filio tergemina ratione competit. Primò. Cum æqualitas non poſsit eſſe niſi inter duo, cumque Filius ſit, qui primus intelligitur poſt Patrem, ei idcirco conuenit æqualitas. Secunda. Cum æqualitas ſit principium in proportionibus, ſicut vnitas in numeris, cumque creatura rationalis propter peccatum Deo dicatur inæqualis, reducaturque, ac reconcilietur Deo Patri per Filium, Filio æqualitas tribuitur, veluti per quem inæquales creaturæ ad æqualitatem quandam reducuntur. Tertia denique: quia primò in Filio intelligitur inæqualitas, & eam ipſe primus accipit, & dat: Spiritus enim Sanctus non accipit eam primus, nec alicui perſonæ Diuinæ dat; inde conſentanea eſt Filio æqualitas; Spiritui verò Sancto conſimili congruitate, & ratione tribuitur concordia: eſt enim Spiritus Sanctus, tum ſignum connexionis Patris, & Filij, tum quia ipſe vnus eſt à Patre, & Filio, tum denique quia ab ipſo Patre, & Filio procedit, vt vnum ſunt, hoc eſt, ſecundum vnam notionem communem: tandem, quia Spiritui Sancto tribuitur conſeruatio totius boni, & eſſe. In Patre ergo origo vnitatis in Filio inchoatio pluralitatis, in Spiritu Sancto conſumatio Trinitatis.

Sanctus Thom. vberrime hoc art. de huiuſmodi appropriandi ratione: hæc tria verò de quibus hic inquit, & primò de vnitate; vnitatem, inquit, hæc tria important, ſed diuerſimodè: nam vnitas abſolutè ſumitur, nihil aliud præſupponens, & ſic Patri apponitur, qui nullam aliam perſonam præſupponit, ſed ipſe prima perſona eſt, & aliarũ principiũ, non de principio: æqualitas verò itidem vnitatem

tatem dicit, ſed in ordinatione ad alterum: nam æquale eſt, quod habet vnam qualitatem cum alio; quare appropriatur Filio, qui eſt principium de principio; connexio quoque, quia vnitatem aliquorum duorum aſſerit, congruit Spiritui Sancto, qui eſt à duobus, & duo in eo producendo conueniunt. Quare D. Aug. commemorato libro, cap. 5. *tria ſunt vnum*, inquit, *propter Patrem: æqualia propter Filium: connexa propter Spiritum Sanctum*: Vnitas namque adeo conuenit Patri, vt ſi per impoſsibile nulla alia eſſet perſona, Pater eſſet vnus, æqualitas Filio: Statim enim vt intelligitur Filius, inſurgit æqualitas, et in ordinatione ad Filium Pater dicatur æqualis: et hoc habet Spiritus Sanctus à Filio; vt et ipſe dicatur æqualis. Poſtremò adeo Spiritui Sancto congrua connexio, vt ſine ipſo Pater, et Filius non poſſent dici connexi: horum enim ipſe nexus eſt. Sic ferè, et reliqui Theologi.

Inter quos tamen elegantiſsime S. Bonau. q. 3. non quidem ab alijs diſcedens, ſed ſelecto ordine procedens. D. inquit, Baſilius propriam Diuinarum perſonarum originem illis tribus appropriatis nos docuit: his verò tribus D. Aug. earundem perſonarum ordinem mirificè enucleauit. Primò etenim Pater, quia prima perſona eſt, et non ex alia valde propriè dicitur vna, ſicuti et in numero, primo loco eſt vnitas. Quare hic non ſumenda vnitas, vt cum ente conuertitur, neq; vt conformitatem voluntatis aſtruit, et vniformitatem, ſed præciſè vt prima. Filius verò, quia ſecunda perſona intelligitur, et oritur à Patre per omnimodam, et perfectam rationem imaginis, et imitationis: eò ergo, quò Filius eſt imago perfectiſſima, eò maximè Patri æqualis: æqualitas enim vt dicebam, imitationem dicit: quare Pater non eſt æqualis Filio, quia non eſt Filij imago, ſed Patri Filius: vnde D. Aug. *Omnia æqualia propter Filium*: quia Filius eſt cauſa formalis, et exemplaris omnium: æqualis, quia nimirum ipſe eſt per quem omnia creata intelliguntur æqualia, quæ ſunt in Filio, et eſt prima æqualitas: neque inter Diuinas perſonas percipitur æqualitas, niſi cognito Filio etc. Spiritus Sanctus quia procedit à Patre, et Filio vt nexus, et mutuo amore vnica notione ipſum ſpirando dignoſcuntur connexi, et concordes, vt tertia perſona verè dicendus eſt *Concordia*, et *Connexio*. Quibus quanto myſterio appropriandi rationem in Diuinis adinuenerit Spiritus Sanctus, ſicutique Eccleſia, & Patres nobis explicauerint, quantaque nobis inde euenerit vtilitas, reconditiſsimarum nimirum perſonarum propriorum cognitio, liquidò conſtat.

Sed quem omnes Theologi obſeruant, addendus alius de re hac locus D. Aug. quo omnipotentia, ſapientia, bonitas certa attributa communia; diſtinctis tamen perſonis tribuantur: Patri enim omnipotentia, Filio ſapientia, Spiritui Sancto bonitas maxima ſapientia tribuuntur, vti Symbolum fidei 1. art. loquitur. *Credo in Deum Patrem omnipotentem &c.* Id enim multis rationibus. Primò, vt in textu vterque S. Doctor, et etiam ſupra notauimus, ne quemadmodum ſæpè in humanis obſeruamus Patrem ſenem viribus deficere, *Filius* ſapiētia carere, Spiritū furore abundare iuxta illud Iſaiæ 26. *Spiritus robuſtorum quaſi turbo &c.* ita de Diuinis conciperemus, Patri omnipotentiam, Filio ſapientiam, Spiritui Sancto bonitatem damus. Præſertim ſi addamus, & Patri reliquarum perſonarum principio potentiam generandi, & ſpirandi itidem principium conuenire: Filio qui eſt verbum, & ſapientia genita, ſapientiam: Spiritui Sancto bonitatem, proprium amoris obiectum; ac ſi ſimul idem earundem perſonarum ordo dignoſcitur, etiā ex his tribus, ſicuti ex proximè præteritis attributis. Præterea ſicuti ex Patre profluit Filius, & ex vtroque Spiritus Sanctus; ſic ex potentia generandi ſapientia, & ex vtroque bona voluntas, quæ eſt animæ bonitas. Denique ipſi philoſophi in Deo ſummam beatitudinem neceſſariò ponendam dixerunt, quæ cum ſine intellectu non poſsit exiſtere, ſummam quoque intelligendi vim in ea poſuerunt: & quia ſine ſocio beatitudo eſſe non poteſt, addendum Filium ſocium aſſeruerunt, eique ſapientiam maximè tribuerunt, quia verbum, quia idea, quia exemplar: & cum adhuc ſine amore, & fruitione, & connexione potiri non poterant iucundiſsima beatitudine, amore indigebant, & bono quo fruerentur; hinc Spiritus Sanctus, cui rectiſsime bonitas: maximè ergo conducit tum ad certam, ac tutam de Diuinis cognitionem, tum ad propriarum perſonarum interiorem perceptionem, & ordinis perſonas hic conferre, ne dum ad eſſentiam, ſed ad eſſentialia attributa, his rationibus tum in communi, tum de ſingularibus appropriatis, quæ iam indicatæ ſunt.

Verum D. Bonau. opuſculo ſui breuiloquij, ac compendij non poteſt ſatis laudibus decorari, quam egregiè enucleet appropriatorum Theologiam, quamque ad pauca, tamen clariſsime reducat. Vbi primò, huius vocis appropriare viuam, ac rectam rationem reddit: ideo enim appropriari communia ſingularibus perſonis aſſeruntur, non tantum quia neque propria ſint, neque appropriatione fiant, ſed quia in propriorum cognitionem mirè nos conducunt. Deinde inter omnia appropriata, hæc tria, inquit, potentia, ſapientia, & clementia, & beneuolentia ſunt ex quibus potiſsima laudatur Summa Trinitas. Præterea ex nobiliſsimis entis conditionibus, & prædicatis deducit rationem, & ordinem omnium appropriatorum hac fermè methodo. Cum primum principium nobiliſsimum, perfectiſſimumque conſiſtat nobiliſsimæ, & perfectiſsimæ conditiones in eò reperiuntur in ſummo: hæc autem ſunt vnum, verum, & bonum, quæ contrahunt ens ſecundum rationem, non ſecundum ſuppoſita. Nam *Vnum* nominat ens connumerale, quod patet in diuiſionem ſui in ſe. *Verum*, prædicat ens, vt cognoſcibile: *Bonum*, vt communicabile: quod euidens eſt per indiuiſionem ſui à propria operatione, ſicuti cognoſcibile per indiuiſionem ſui à propria ſpecie. Quæ quidem tria, ita inter ſe ſunt connexa, vt iuxta rationem intelligendi, verum præſupponat vnum, ſicuti bonum præſupponit verum. Hinc quàm congruè, hæc tria at-

tributa generalia Dininis attribuantur perſonis; conſpicuè colligitur: vnum enim Patri qui eſt origo, & Diuinarum perſonarum principium. Verum Filio in omnimoda ratione, quia eſt à Patre, vt Verbum; bonum Spiritui Sancto, quia eſt ab vtroque vt amor, & donum. Rurſus, ſummè vnum caret omni principio: ſumme verum eſt omnino æquale, & pulcherrimum; ſumme bonum, maximè vtile, & proficuum. Hinc æternitas Patri omni principio carenti, æqualitas Filio & ſpecies, Vſus Spiritui Sancto; quia eſt ſumme communicatiuum, & vtile: mox quia ſummè vnum, omnem habet principiandi vim: ſumme pulchrum omnem exemplandi, & exprimendi rationem: ſummè bonum omnem fruendi rationem. Hinc Patri omnipotentia, Filio ſapientia, Spiritui Sancto bonitas, ſapientiſsimè accomodatur. Pater ergo optimè, optimoque ordine attributione Pater nũcupatur vnus, æternus, omnipotens: memoria Filius verus, & veritas, æqualitas, ſapientia, intellectus: Spiritus Sanctus bonus, nexus, & concordia, vſus, & voluntas.

Sed quod hac quæſt. nos docuit, ad cauendum errandi periculum, mirificè indicat, quàm excelſa, tutior, melior, & neceſſaria via remotionis, & negatiua aſcendendi in Deum à creaturis: ſic enim omnis creaturarum cognita imperfectio, ex quibus ad Deum inſtructi perfectiones transferimus, præſcinditur à Deo, tolliturque verè, quam ex D. Paulo docuit Sanctiſsimus Areopagita. Ad quam verum eſt, fidei ſtellam nos illuſtrare: ſine enim ipſa, omnibus his carere Deum imperfectionibus, ignoraremus: licet etiam naturæ lumine edocti dumtaxat, hanc negationis viam, ac rationem omnino non ignorauerint Philoſophi, inter quos Alpharabius, Auicenna, & Algazel Arabus, qui præſertim tertio de Anima de ſimplicium, & inulſibilium intelligentia, quædam ad hanc rem docuit.

Quod verò Riccardus quæſt. 1. & 2. diſt. 31. addit, in his appropriatis omnia fieri, non quia magis æternitas, aut vnitas, aut potentia ſit in Patre, quam in reliquis perſonis &c. ſed fieri ſecundum apparentiam: non ita interpretandus eſt quaſi non vera, ac perfecta, & etiam ſecundum rem ſit hæc attributio, & appropriatio: ipſe enim dicit quæſt. 1. ita vni perſonæ tribui vnum attributum commune, quod non ita conueniret alteri propter maiorem conuenientiam, & aſsimilationem quam habet cum vno proprio vnius perſonæ, quam alterius: quam conuenientiam S. Bonauentura, & S. Thom. vocabant rei, non abſolutè, ſed ſecundum ordinem: ſed voluit maiori qua potuit cautela ſimplicitatem, tum eſſentiæ, tum attributorum, tum denique perſonarum intactam relinquere, appropriationemque hanc non fieri per additionem, eſſentiamque, & eſſentialia attributa æquè, eademque perfectione in omnibus perſonis eſſe, neque appropriatione aut turbari, aut minui, teſtari.

Ad argumenta verò reſpondendum. Et ad primum explicatè quæſt. 3. diſt. 34. Non poteſt proprium communicari: ergo neque commune appropriari. Ratio conſequentiæ eſt; quia vtriuſque eadem videtur ratio: ſicuti enim ſe habet proptium ad commune: ita commune ad proprium.

Reſpondetur, & negatur conſequentia, & ad rationem, qua videtur probari, iterum negatur quod aſſumitur: non enim ſimile in hoc proprium, & commune; imò contrarium colligitur, quo enim proprium formaliter eſt, & ex natura ipſius cõſtat, non poteſt eſſe commune: ſunt enim ſuo modo oppoſita: commune verò conuenire pluribus poteſt, & diuerſa ratione, magis vni quam alteri; non ammiſſa tamen reali ratione communis, ſed ſi propria pluribus adderentur; vt v. g. Pater diceretur etiam Filius, & Filius Spiritus Sanctus, induceretur error, confunderentur perſonæ, & Sabellij hæreſi præberetur occaſio: & non poteſt eſſe cõmunis hæc ſentẽtia: quod ſi dicatur alicubi forte, & Filium, & Spiritum Sanctum appellari Patrem, & Patrem Spiritum Sanctum. Reſpondetur, hanc eſſe eſſentialem appellationem Patris in ordine ad creaturas cõmunis omnium perſonarum, vt vnus ſunt Deus: præterea multis locis huic propoſitioni oppoſitorum eadem eſt ratio, multas Gloſſulas, & exceptiones addit S. Doctor.

Secundum Argumentum. Hæc quæ ſolet fieri appropriatio, aut ſit actualis, aut ſecundum intellectum: quomodocumque fiat ſequitur abſurdum: ergo non concedenda. Probo minorem: ſi enim realis: ergo prius, & poſterius in Deo contra D. Athanaſ. in Symbolo *nihil prius, aut poſterius*. Probatur conſequentia: nam illud eſſentiale appropriatum proprius dicetur, quia ſic eſſentialia in ratione propriorum dicunt: deinde dicetur de illa perſona cui appropriatur: ſi per intellectum, non eſt ſanus intellectus: nam appropriare intellectui, ideſt Filio ſapientiam, malè appropriatur: nam rectius Patri veluti antiquiori exiſtimat intellectum appropriandum.

Reſp. 1. quo ad illam diſtinctionem. Aut ſit per intellectum, aut per realem applicationem: fieri per intellectum geminam poſſe habere ſentẽtiam. Primam, vt ſit idem, ac per vim, & operationem intellectus, quo ſenſu omnis appropriatio ſit per intellectum: à parte enim rei nulla actualis diſt. inter proprium, & commune: quare neceſſariò intellectus opus: aut vt dicat modum, & rationem appropriandi: tunc verò vno modo ſit appropriatio ſecundum rem, altero modo ſecundum, & propter intellectum: primo modo; quia res appropriata ex ſe habet quandam ordinationem, quandamque ſimilitudinem cum proprio, & ipſum nobis magis declarat, facitque innoteſcere: ſecundo verò modo per intellectum, nimirum, ne de Patre v. g. de Filio, ac Spiritu Sancto crederet humanus intellectus, quod ſæpenumero in Patribus, & Filijs humanis &c. inuenit: hocque ita tamen facit, vt per fidem credat, per has appropriationes nullam in eſſentialibus induci varietatem, aut inæqualitatem: quæ enim rectè aſſeruntur de Patre propter aſſertas rationes, non negantur de Filio, & Spiritu Sancto v. g. potentia tribuitur quidem Patri: vt tamen & Filius, & Spiritus Sanctus ſit equè potens. Secundò igitur ad argumentum Reſpondetur, & negatur minor. Nullum enim abſurdum inde ſequitur in intellectu ſano, & fideli, & primum ab-

Digitized by Google

abſurdum quod obijcitur hoc modo reijcitur: nam non per prius eſſentialia ſecundum eſſe ſunt, ſed dicuntur, & intelliguntur ſecundum modum intelligendi noſtrum, nec prius realiter de Patre dicitur appropriatum, quam de Filio, niſi vt inquit Ricardus ſecundum apparentiam: hoc tamen eſt ſecundum quandam ſimilitudinem, quod certè ſic explicatum non probat ſuo dogmate D. Athanaſius.

Tertium Argumentum. Commune, & appropriatio ſecundum communem Theologorum ſententiam prius intelligitur, quam proprium, vt in ſuis tractatibus, & congrua redditur ratio: ſed ſi hæc admittitur appropriatio appoſitum eſt neceſſarium: ergo appropriatio irrationabiliter videtur admitti. & conſtat minor: nam ratio appropriandi ex ratione proprij deſumitur: ergo proprium ſupponitur.

Reſp. facilis, & certa, & elegans ſolutio. Appropriatum abſolutè ſumptum in ratione cõmunis prius rectè intelligitur, & in ratione appropriati poſterius: nec mirum, quod idem diuerſa ratione ſit prius, & poſterius: ad formam ergo argumenti, conceſſa maiori, & minori, neganda conſequentia ex varia ſuppoſitione in maiori, & minori.

ARTICVLVS IV.

An æternitas Patri, ſpecies Filio, vſus Spiritui Sancto rectè attribuatur D. Bonau. diſt. 31. art. 3. D. Tho. art. 8. &c.

PARAPHRASIS.

PRIMA *Propoſitio. Ad melius originem, & emanationem perſonarum percipiendam peropportuna, & congrua admodum eſt propoſita D. Hilarij appropriatio: nam æternitas, quam Patri tribuit, licet & reliquæ perſonæ ſint verè coeternæ; mirè tamen introducit ad Patris innaſcibilitatem, & nullam ab alio originem capeſſendam, ſicuti ipſa æternitas initio caret. Species quam Filio appropriat, vt Patris imago eſt, docet Filium eſſe per modum naturæ genitum omnino æqualem, & ſimilem Patri, atq; inde ſpecioſiſſimum, omnique pulchritudine decorum, & in ordine ad Patrem ei æqualem, & ad creaturas earum omnium ars, & ratio cognoſcendi. Vſus denique, quo Spiritum Sanctum nuncupat excellenter, ſicuti vſus eſt actus voluntatis, & vtendum, & fruendum cum iucunditate, ita Spiritum Sanctum ad voluntatem ſpectare ab ea produci, & ſpirari, eſſeque quo nectuntur iucundiſſimo gaudio, & amore, & ſe inuicem Pater, & Filius fruuntur, patefacit.*

Secunda Propoſitio ex reſponſione ad argumenta. Non eodem modo refertur ſpecies, & pulchritudo imaginis ad eum cuius eſt imago, quo honor, & cultus ad prototypum: Nam totus imaginis pictæ honor in prototypum refertur, quia in illa nulla honoris ratio: pulchritudo verò, & eſt, quia ſimilis imaginato, & quia in ſe pulchra, & optimè producta; etiam ſi imaginato non eſſet ſimilis.

Tertia Propoſitio. Bonum, & pulchrum cum ad inuicem ratione differant, poteſt vnum vni perſonæ tribui rectè, & alterum alteri.

Quarta Propoſitio ex quæſt. 6. & ex eod. art. S. Th. Ad earundem Diuinarum perſonarum ordinem noſtræ mentis, & capacitatis conſtituendum, idoneè, & ad rem admodum D. Aug. Patri vnitatem, Filio æqualitatem, Spiritui Sancto concordiam appropriauit: nam ſicuti vnitas eſt prima in numero, & antequam nulla alia, ita conuenit Patri inter Diuinas perſonas prima, & quemadmodum æqualitas non niſi vnius ad alterum, & perfecta, quæ perfectũ alterum imitatur, dicitur; ita debetur Filio qui eſt prima perſona, quæ poſt Patrem intelligitur, & quæ à Patre genita, vt imago perfectiſſime imitatur; & inde æqualis, & quoniam ſunt duo ſaltem, qui in aliquo concordant, ideo Spiritus Sanctus tertia perſona ortodoxe concordia nuncupatur, quippe in qua Pater, & Filius concordant, & nectuntur: diligunt enim ſe mutuò, Spiritum Sanctum ſpirantes.

Quinta Propoſitio. Ideo S. Auguſt. omnia æqualia dixit propter Filium, non quia Pater à Filio accipiat æqualitatem; ſed vt exprimeret cũ in ordine ad creata Filiũ eſſe primam æqualitatẽ exemplarem, & formalem omnium æqualitatum, tum in ordine ad Diuina; quia intellectus noſter non intelligit æqualitatem in Patre, niſi cognito Filio; quia ſecunda perſona perfectiſſimè, & adæquatiſſimè Patrem exprimit, vnde ſtatim inſurgit cognitio æqualitatis in nobis: quare ſecundum rem creata omnia ſunt æqualia exemplariter propter Filium, ſecundum verò cognitionem in ordine ad Patrem; quia nos cognoſcimus per Filium perſonarum æqualitatem.

Sexta Propoſitio ex quæſt. 3. diſt. 34. & ex eod. art. 8. D. Th. idem D. Aug. pereruditè Patri potentiam, Filio ſapientiam, Spiritui Sancto bonitatem tribuit, ad remouendum errorem, quem aliquãdo in humanis intellectus noſter didicit, & ad teſtandam de Patre primam, & omnem fœcunditatem, & veritatem producendi de Filio quod ſit verbum: de Spiritu Sancto, quod voluntate, & amore producuntur.

Nihil in harum propoſitionum commentatione additur: commentario enim præterito explicata ſunt.

Digitized by Google

ARTICVLVS V.

An rectè translatitia aſſumantur in Deum. D. Bonau. art. 4. diſt. 34. D. Th. 1.par. quæſt. 1.art. 8.

PARAPHRASIS.

P*RIMA Propoſitio. Duplici, in primis ex capite creaturarum nomina tropicè in Deum rectè transferuntur, Deoque appropriantur: tum enim primò ad quantum dignius, ac latius fieri poteſt, Deum laudandum, tum ad intellectum noſtrum in ipſum Deum manuducendum. Primum caput perſuadetur. Primò per D. Dioniſ. 4. de Diuinis nominibus. Omni nomine Deum laudabile, & laudandum: ergo nominibus etiam translatis creaturarum. Secundò. Intelligitur Deus per creaturas teſte D. Paulo*, Inuiſibilia quidem Dei per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur: *ergo & nominatur, & laudatur: dicitur enim Petra, leo, ignis, Deus iraſcens, Deus pœnitens &c. Tertiò. Deus ex ſua infinita magnitudine eſt infinita laude dignus, & maior omni laude: ergo debet omni conatu homo eum laudare: ſed pluribus nominibus magis, quam paucioribus laudatur: ergo & translatitia nomina aſſumi debent &c. Secundum caput probatur. Intellectus noſter per Creaturarum excellentias debet in Deum manuduci: ergo, & per eorum nomina.*

Secunda Propoſitio Corollaria. Non quodcumq; nomen dignè ad Deum transfertur, ſed dumtaxat quod dignitatem, & excellentiam profert. Probatur ratione communi: nam in attribuendis Deo ex creaturis perfectionibus, ſeiungendæ ſunt imperfectiones: aliàs enim Deo ex his non laus, ſed blaſphemia reſultaret. Confirmatur: nam ſic & Diabolus, & Vulpis, & cætera poſſent nomenclari, quod pluſquam blaſphemum eſt.

Tertia Propoſitio. Quamuis propter quandam ſimilitudinem, quædam creaturarum nomina Deo optentur, haud tamen inde conceditur, nomina Dei creaturæ tribuenda: nam ſimilitudo creaturæ cum Deo, non eſt æquiparanda, ſed per Analogiam, & imitationem quandam: imitatur autem creatura Deum, non Deus creaturam. Confirmatur ſecundò. A notioribus incipiendum eſt: ergo à creaturis ad Deum, non è contra, laus colligenda eſt.

Quarta Propoſitio. Ex illis creaturis quæ magnam, & inſignem cum Deo ſimilitudinem habent v.g. ex Angelis, & inter eos ex Michaele, nomina, & laudes Deo non ſunt tribuenda, ne inde decipiatur homo, & Angelus credatur Deus: ſimilitudo enim magna eſt erroris occaſio.

COMMENTARIVM.

EADEM ratione hic de translatis nominibus; qua & de appropriatis: vtraque enim ſunt eſſentialia, & attribuuntur perſonis diſtinctè, & hæc ſunt veluti ſpecies quædam illorum: & licet adhuc de iiſdem nominibus aliàs D. Thom. quæſt. 13. & D. Bonau. cum alijs diſt. 31. & alibi: nihil Incongruum tamen commiſſum eſt; nam id alia, & diuerſa ratione actum eſt; ibi enim an, & quomodo Deus nominari poſsit; hic qua ratione eadem nomina, etiam perſonis ita diſtinctè accomodentur, vt approprientur: & magis aliqua vni, quàm alteri perſonæ congrua dignoſcantur. Plurima verò cùm ex ſcripturis, tum ex ritu Eccleſiaſtico, tum denique ex Patribus adinueniuntur translata, & ſymbolica nomina, vt qui hæc afferre huc, & colligere vellet; & tædio lectorem afficeret, & inutile, & otioſum opus ageret: præter enim quædam, quæ alio loco recoluimus; vnus aut alter locus hic recenſendus, ne omninò vacuus locus relinquatur, & exemplo quid hic quæratur, lucidius depræhendatur. Præſuppoſita ergo metaphyſici, & ſymbolici ſermonis deffinitione, quam D. Aug. lib. contra mendacium cap. 10. tradidit; *eſt de re propria, ad rem non propriam verbi alicuius vſurpata translatio*, erit tropica, & translata phraſi Deus nuncupatus Pater in Daniele, *dum antiquus dierum* aſſeritur: ad Paternitatem enim ſenſu quodam nobis ob oculos ponendam, & non antiquiorẽ Patris ætatem, ſed aliarum perſonarum originem ſic nuncupatur idem Pater *Sol*, & omnis lucis ſcaturigo: Filius verò *Splendor*: Spiritus Sanctus *Calor*, ad eandem de Patre proprietatem, hoc ſymbolo lucis teſtandam: de Filio verò quomodo procedat, ac vt radius Diuinæ cognitionis, & verbum gignatur: itidem vt Spiritus Sanctus per modum amoris, & caloris ſpiretur, innoteſcat. Sic D. Paulus de Filio, *qui cùm ſit ſplendor lucis æternæ*: hoc eſt, ſplendor à Patre Diuina luce, ac lucis omnis fonte, *& figura lucis æternæ, & caracter ſubſtantiæ*, nimirum perfectiſsima imago Patris, à qua luce calor Spiritus Sancti neceſſariò egreditur: & ab imagine, vt Patri æqualis dicatur, etiam in ſpirando Spiritu Sancto.

Legis tempore, in Arca teſtamenti, ſub his Sanctiſsimæ Trinitatis ſignis, fides claudebatur, ac miſticè præſignabatur; atque illam populus ille ſic profitebatur; vt in prodigioſa Aron virga Patris præpotentiſsimi vis ad operandum agnoſceretur: in legis tabulis Filij notitia, ac ſapientia genita coleretur: in ſuauiſsimo manna Spiritus Sancti iucundiſsimus amor ſpiratus deguſtaretur.

D. Io: *Fluuium ſplendentem vidit, tanquam Chriſtallum procedentem de ſede Dei, & agni*: & Spiritum Sanctum, fluuium illum ad effectus, quos in anima operatur, præſignandos, Agnum, Filium, Patrem, Deum probabile exiſtimamus, non autem ita Deum Patrem dicimus, quaſi reliquæ perſonæ non ſint Deus; ſed hoc loco, ſic Pa-

trem

trem in primis Deum nuncupari, vt ab ipſo Filium, & Spiritum Sanctum Deum procedere depræhenderemus. Hinc Theologi Patrem fontem, Filium riuulum, Spiritum Sanctum lacum per allegoriam dixerunt; vt Patrem Diuinarum perſonarum originem, Filium à Patre ita oriri, vt in illo tamen non terminaretur omnis fœcunditas Diuina, ſed in lacu nimirum Spiritus Sancti. Sed ne plura, ne centones de hac re videamur contexere; Quæ in ritu die Pent. Eccleſia canit, præſertim de Spiritu Sancto obſeruanda. Primò in pſ. 67. quem illo die canit, Pluuiam voluntariam ſegregauit Deus hæreditati ſuæ &c. Præterea, Spiritus Sanctus, Paraclitus, Dei digitus, decorus ignis, verbi calor, linguæ figura &c. Spiritus Paraclitus, *decorus ignis almus eſt, qui fida Chriſti pectora calore verbi compleat*; apud Sanctos Patres frequentiſsima eſt hæc dicendi ars, ac præſertim apud D. Areopagitam.

Sed D. Bon. cum reliquis Theologis rationes colligunt, ac reddunt. Quare Spiritus Sanctus in Diuinis literis, ſic parabolis, ac allegorijs delectatus ſit; vt primò omnis vetus Scriptura, quaſi perpetua allegoria: & noua quoque adeò redundet; vt de Chriſto Domino vnus Euang. teſtetur, *& ſine parabolis non loquebatur eis*: idque multis rationibus, quas tum D. Thom. cit. art. tum ex Euangelio, Euangelij interpretibus colligere licet. Duas in primis refert D. Bon. vt in textu patet, vt hoc propoſitum poſtulat: eaſdem Riccardus, addens fuſius ex quibus præſertim creaturis iſtæ tranſlationes ad Deum debeant aſſumi. S. Thom. art. 9. 1. par. & in reſponſione ad tertiū ex D. Areop. de Angelica Hierarchia cap. 2. ita obſeruandum tradit: vt neque à vilioribus creaturis, neque à nobilioribus ad cauendum errores hæ methaphoræ deſumantur: recolendum quoq; quod S. Bonauentura admonet methaphoras has, ac translata prædicata non eſſe mutuò vſurpanda, ſicut à creatura ad Deum: ita Deo ad creaturam; ex ibi rationibus additis.

Sed hoc loco tergemina poteſt excitari, ac folui dubitatio. Prima. Quid ſit iſthæc trāſlatio? quomodoque dicatur de Deo à creaturis? Secunda. An neceſſariò ſit inducta, & aſſumpta? Tertia. quam idonea, efficax, ac fæcunda ſit ad ſignificandum.

Ad primam. S. Tho. quæſt. 13. art. 6. Omnia nomina, inquit, quæ methaphoricè de Deo dicuntur, per prius de creaturis, quàm de Deo prædicantur: quæ de creaturis; earum naturam, & ſubſtantiam ſignificant: de Deo autem nihil aliud, quàm ſimilitudines ad creaturas; quemadmodum ſi dicatur Deus *Leo* ex creaturis: in creaturis Leonis naturam, in Deo fortitudinem ſimilem ad illam Leonis, egregieque Deum, ac fortiter in ſuis operationibus operari, ac Leo in ſuis; ita vt hanc Dei fortitudinem ſic explicatam, non poſſimus definire, niſi in ordine ad Leonem, vt primum analogatum de hoc analogo: reliqua verò nomina de Deo, vt bonus, ſapiens &c. per prius de Deo aſſerentur: Deus namque eſt eſſentialiter bonus, & ſapiens, à quo emanat, vt & creaturis communicetur, & participetur aliqua bonitas, & inde per poſterius de ipſis prædicetur: licet quo ad impoſitionem nominis per prius imponamus creaturis, quàm attribuamus Deo: illas enim primò cognoſcimus, & ex earum cognitione in Deum ſurgimus cognoſcendo. Et art. 3. eadem quæſt. Nomina impoſita Deo, quo ad rem per prius, & propriè Deo competunt; quo verò ad modum ſignificandi, per prius creaturis.

D. verò Bon. diſt. 22. art. 3. primò illa nomina eſſe propria, quæ ſibi Deus impoſuit; tranſlatiria verò, quæ nos ei impoſuimus, non tamen omnia: & hæc in dupplici ſtatuuntur differentia, vt quædam dicantur tranſlata, non quia contineant methaphoram vllam, ſed quia cum ſignificant, eius veritas eſt in Deo, ſimilitudo in creaturis; *vt potentia, ſapientia, voluntas*; dicuntur tranſlata; quia prius à nobis creaturis impoſita, ab eis ad Deum transferuntur: alia verò, quæ rem ita ſignificant cuius veritas eſt in creaturis, ſimilitudo in Deo. Vt *Leo petra* ad Dei ſtabilitatem, & fortitudinem explicandam ex Leonis, & petræ natura aſſumitur: ergo nomen propriè, ac ſtrictè tranſlatitium, quod D. Dionyſius ſymbolicum appellat ex vtroque S. Doctore, & verè eſt, quod ex natura alicuius creaturæ ad aliquid de Deo per ſimilitudinem affirmandum vſurpatur: veluti ex natura agni, Deum agnum nuncupando, de Deo manſuetudinem, ac benignitatem, ac innocentiam prædicare. Quarè quę per excellentem eminentiam, quæ per negationem, quæque per realem cauſſalitatem enuntiantur, & dicuntur de Deo, nōn ſunt tranſlata, quæ omnia de tranſlatis complexus eſt D. Aug. ſua recenſita diffinitione.

Secundam dubitationem in D. Thom. art. 6. quæſt. 1. mouet Caiet. Ratio vrgens eſt S. Areopagitæ auctoritas cap. 1. cæleſtis Hierarchię. *Impoſſibile eſt aliter nobis lucere Diuinum radium, niſi ſacrorum velaminum circumuelatum*: ſi enim impoſſibile eſt: ergo eius oppoſitum maximè neceſſarium. Sumenda hic non in rigore neceſſitas, & quod ait Areop. *impoſsibile*: non ita, vt aliter Deus nobiſcum agere non potuiſſet, neque alio modo nobis reuelare ſuas Diuinas perfectiones, cæleſtiaque arcana interpretandum eſt: ſed quod valde conducit, nobiſque vehementer congruit, & rem reuelatam mirificè decet, hic aſſeritur neceſſarium ex vulgata, & trita neceſsitatis diſtinctione: conuenit enim nobis ſenſibus inuolutis, vt ſenſatis ſymbolis inſtruamur, cùm, tū inſipientes ſimus, tum omnis noſtra cognitio habeat à ſenſibus ortum: Præterquam quod veluti oculi noctuæ ad ſolis radios intellectus noſtri vires obcæcarentur, niſi lumen Diuinum velaminibus his obuoluerettur, captuiq; noſtro accommodaretur, veluti Moyſis facies velo operiretur. Præterea arcanis Diuinis & hic cultus, & hæc debetur reuerentia, vt his ſymbolicis coopetimentis inuoluantur, vt indignis abſcondantur, ante quos huiuſce margaritæ non mittantur: vt fideles ſtudio, ſcrutatione, ac fide exerceantur, & ad hæc maiori cultu colenda, excitentur.

His igitur methaphoris vtendum triplici ex capite.

QVAESTIO XVII.

DE DIVINIS PERSONIS. comparatis ad actus notionales. D. Bonau. diſt. 6. D. Thom. quæſt. 41.

RES difficilis captu vndique verſanda, & ad diuerſa ex quibus quoquomodo licet meliori, ac dilucidiori cognitione aſſequi comparanda. Igitur, cum circa Diuinas perſonas difficillimas, quæ à nobis etiam rudi cognitione deprehendantur, verſemur; vt in hac tanta, vti fas eſt, cognitione tantiſper proficiamus, non ſufficit nobis hucuſque, quia in ſe eas contemplati ſimus, neque ad Diuinam eſſentiam comparaſſe, & ad Diuina attributa eſſentialia, & vt nuda, & ſymbolica, niſi adhuc & ad actus notionales nunc, deinde ad inuicem, denique ad effectus, temporaneamque, & exteriorem miſsionem conferamus: ſic enim non labore victi, ſi non id luminis Diuinarum perſonarum, & cognitionis aſſequamur, quo diſtinctè, & dilucidè eas in hac vita comprehendamus; excuſabimur tamen: ergo hic quomodo ſe habeant ad ſuos actus notionales proprios Diuinæ perſonæ diſquirendum, ac primò.

ARTICVLVS I.

An actus illi ſint voluntarij. D. Bonau. quæſt. 2. D. Thom. art. 2.

PARAPHRASIS.

PRIMA *Propoſitio. Si voluntas, & voluntarium ſumatur; vt circa obiectum bonum verſatur, approbat, ac diligit actus notionales generandi Filium (loquitur enim S. Doctor hic de generatione Filij) eſt voluntarius. Probatur primò ex D. Hilario 3. de Trinit.* Pater ante omne tempus Filium ſuum procreauit, omne quod eſt Deus per charitatem natiuitati eius impartiens. *Secundò, ex Origene de Diuina mente agente,* qui Patrem vocat germen proferens voluntatis. *Tertiò ratione: nam Deus diligit, ſibique placet omne bonum neceſſarium, & contingens, & creatum, & increatum: vult enim eſſe.*

Secunda Propoſitio. Si eadem voluntas, vt principium productiuum, condiſtinctum à natura, & intellectu actus notionalis generandi, neq; eſt, neque poteſt eſſe voluntarius, aut à voluntate. Probatur primò ex D. Hilario lib. de Synodis cap. 28. Omnibus creaturis ſubſtantiam Dei voluntas attulit: ſed Filio natura dedit. *Deinde ex D. Aug. 15. de Trinit. cap. 20. contra Eunomium, aſſerentem Filium Dei eſſe voluntatis Filium, vt inde negaret Filij Diuinitatem: ergo oppoſitum tenendum. Præterea ratione. Prima. Generatio eſt exitus per modum naturæ: ergo non per modum voluntatis. Antecedens aliàs demonſtratum eſt. Conſequentia hinc conſtat, quia voluntatis, & naturæ ſunt diuerſi modi procedendi ad inuicem condiſtincti. Secunda. Filius eſt ſapientia Patris: ergo non poteſt à voluntate procedere: nam tunc voluntas eſſet prior ſapientia, & intellectione, & intellectu, quod omnes negant, & ex ſe admodum inconueniens, quippe euertens emanationum ordinem.*

Tertia Propoſitio. Si tertio loco voluntas apprehendatur, vt accedens, & antecedens effectum cauſalitate, & duratione nullius actus notionalis poteſt eſſe principium. Primò, nam voluntas accedens eſt, quæ mutatione aduenit, & antea non erat: Deus autem omnino, & immutabilis. Præterea actus notionalis, neque effectus, neque temporaneus eſt: ſed æternus: ergo ſic antecedere non poteſt voluntas.

Quarta Propoſitio. Si denique voluntas Diuina, vt principium quidem, cum natura tamen coniunctum, & minus principaliter agens, quatenus cum natura communicans, idem actus generationis non incongruè aſſeritur à voluntate eſſe: nam hoc nihil aliud eſt dicere, quam voluntatem eſſe idem cum natura, eamque non cogi, neque reluctari, neque generationi contradicere. Deinde, ſi minus principalis eſt: ergo non agit, vt voluntas formaliter: tunc enim ageret, vt principalis; ſed vt natura, qua cum idem eſt.

Quinta Propoſitio. Modus, quo Pater æternus producit verbum, non eſt colligendus, neque addiſcendus ex modo, quo homo ſuum verbum producit, aut generat Filium: conſtat ex reſponſione ad 4. & 6. nam id homini contingit ex imperfectione: ita enim mediante voluntate, & concurrente producit verbum, & generat Filium, vt ſæpe naſcatur verbum per inquiſitionem, & in generatione indigeat externo concurrente, quod in Deo neceſſariò oppoſito modo fit.

Sexta Propoſitio. Alius actus notionalis, nimirum ſpirationis Spiritus Sancti eſt voluntarius: eſt enim à voluntate, & vt condiſtincta

cta à natura, & vt coniuncta, principaliter tamen agente: ſi quidem producitur per modum amoris, concomitante tamen ex identitate, natura: quocirca ſimilis in natura ſpiratur: nam eadem natura numero communicatur, qua communicatur & Filio per naturam, & intellectum.

COMMENTARIVM.

SCIO, alio loco cum de notionibus agerem: me verſaſſe, & hanc explicuiſſe quæſtionem: ſed ſi iterum hic verſo, fortaſſe vtilius, & diligentius erit, & aliò tendens, aliudque quærens. At verò, cum alium viſus ſim præfixiſſe titulum, ſcilicet vniuerſaliorem quam præfixerit S. Doctor, meæ ſunt partes, huius reddere rationem, ac explicatione, quid me mouerit, patefacere. Id verò primò, quia idem in corpore quæſt. S. Doctor præſtat: de vtroq; enim actu notionali agit: potui ergo in titulo in genere quærere, an actus notionalis &c. Secundò. Imitatus S. Tho. cuius ordinem ab initio vt plurimùm ſequi ſtatui. Tertiò, quia ordo docendi expoſcit, vt à genere exordium ſumamus, deinde ad ſpecies deſcendamus: præterea ratione generationis explicuit S. Doctor, qui, & quid ſint iſtiuſmodi actus notionales, de quibus quæſtionem inſtituebat, vt in contextu patet, docuit neque otioſè S. Doctor, reliquique Doctores diuerſis locis, & propoſitis de notionibus relationibus, & actibus notionalibus, licet adinuicem verè ſint idem; excitant, & ſoluunt dubitationes: ſub ratione enim notionis, vt ſunt ratio notificandi, & cognoſcendi diſtinctè perſonas: differunt tamen ratione, & ratione ſignificandi à ſeipſis, vt proprietatis, & relationis nomen ſortiuntur, quo conſtituunt, & diſtingunt ipſas perſonas. Deniq; de iiſdem vt actus, vt inde originis ratio, per hos, inquam, actus dignoſcatur, & quomodò ſe habeant perſonæ ad hæc notionalia, deprehendatur; rationi conſonè explicare aſſumunt.

Porrò, cum D. Thom. cæteriſque Theologis eruditè S. Doctor. Primò. Generationis actum non eſſe voluntarium ſuſcipit explicare, ita vt ſit à voluntate, tanquam à principio potiori, ac principali. Plurimi autem refert, & ad fidem pertinens iſthæc concluſio. Primò enim, Si quemadmodum Spiritus Sanctus, ita æquè Filius produceretur à voluntate, tunc liceret aſſerere quod Hæreticè non erubuit Sabellius, Filium, & Spiritum Sanctum non differre, neque plures eſſe perſonas: non enim origine, nec emanatione differrent, imò nulla ratione ſpiraretur Spiritus Sanctus: etenim adæquatus terminus cõmunicationis per voluntatem eſſet prima perſona producta; vt otioſum, & impoſsibile eſſet, aliam per eandem voluntatem, & rationem oriri, vt multis locis S. Doctor cum alijs tutiſsimè prodidit: hæc enim vnica redditur ratio. Quare vnicus Filius, vnicuſque Spiritus Sanctus ſit in Diuinis, nimirum, quia quælibet harum perſonarum infinita eſt, ac omnem ſuæ emanationis perfectionem complectens: Quinimò ſi voluntas ſic eſſet actus generationis principium, perſona per hunc actum producta, non eſſet neque Filius, neque verbum, ſed amor; imò neque amor: non enim generatur. Rurſus, ſi generationis actus, eſſet voluntarius, Arrij impijſsimi hæreſis ferè admitteretur, & Filius quaſi Diuinitate denudaretur: ita enim ipſe voluntatis Patris verbum eſſe Filium autumabat, vt puram creaturam cum cæteris creaturis, ab omnipotentis voluntate creatum Filium aſtrueret, & hic vterque Sanctus Doctor ex antiquioribus Patribus producunt. Grauiſſimè ergo probat S. Doctor veritatem hanc, de qua primam ſtatuit concluſionem.

Prima concluſio. Non à voluntate Filius, vt à principio condiſtincto à natura, aut quidem coniuncto, tamen principaliter agente producitur. Probat tum ex D. Hilario lib. de Synodis, tum ex D. Aug. egregiè 15. de Trinit. cap. 20. vbi inquit, *Ridenda eſt dialectica Hæretici Eunomij, à quo Eunimenici dicti ſunt, qui eum non intelligere potuiſſet, nec credere voluiſſet, vnigenitum Dei Filiũ Verbum Dei eſſe natura, id eſt, de ſubſtantia Patris genitum: non naturæ, vel ſubſtãtiæ dixit eſſe Filiũ, ſed voluntatis Dei: volens aſſerere accedentẽ Deo voluntatem, qua gigneret Filium; videlicet vt ideo, quia nos aliquando aliquid volumus, quod antea non volebamus, quaſi non propter iſta mutabilis intelligatur noſtra natura, quod abſit, vt in Deo credamus:* ergo, ſicuti Deus, nec volens, nec nolens eſt Deus, ſed ſua natura eſt; ita nec volens, nec nolens, ſed ſua natura genuit Filium: ſi enim volens eſſet Deus, non eſſet ſua eſſentia, & natura Deus, ſed voluntate: ſi nolens eſſet miſer: eadem ratione. Pater non generat Filium, nec volens ſcilicet voluntate, nec nolens; hoc eſt coactè, ſed natura: hoc refert, & docet idem Aug. etiam in quæſtionibus ad Horoſium quæſt. 65. vt refert etiam Magiſter in textu.

Deinde gemina, eaque admodum efficaci ratione id perſuadet, altera ex natura, & deffinitione generationis: ex ordine emanationum, & earum principijs altera deductis. Generatio eſt actus vitalis naturæ, quo formaliter communicatur natura, & producitur ſimilis in eadem natura: ſed ſecunda perſona ſic producitur à prima vt generent, aliàs nec perſona producens eſſet Pater, neq; producta Filius, quæ tamen de fide innumeris locis ex Diuina Scriptura, & Pater, & Filius nominãtur: ergo per naturã, & intellectum, nõ per voluntatem producitur: ergo hic actus notionalis ſic non poteſt, nec eſſe, nec denominari voluntarius. Et vt magis vrgeri poſsit aduerſarius, ſic eadem ratio efformari poteſt. Secunda perſona de fide eſt: Filius ergo naturali principio, & actu productus. Antecedens omnibus ijs conſtat Diuinarum literarum locis, quibus ſecunda perſona, tum verbum, tum Filius, tum prima perſona Pater aſſeritur: ſi enim prima Pater: ergo ſecunda Filius. Conſequentia probatur primò, naturali lumine, quo experientia ſic genitos Filios in humanis teſtatur, & quo ſic philoſophos generationem deffiniſſe videmus: quod ſi in hominum generatione, & mentis noſtræ

ver-

verbi productione volũtatem interuenire animaduertimus: primò enim homo appetit, & vult generare, deinde generat: vult intelligere, & poſt intelligit, & rei intellectæ concipit, & gignit verbum.

Reſpondetur. Nihil inde cõſequi ita fieri in Deo, ſicq; aut prædicare actum voluntatis, aut ita accedere, vt per actum voluntatis Filius progignatur; imò oppoſitum quaſi euidenter conſequi conſpicuum eſt. Primò, præcedere poſſe voluntatẽ ipſum intellectum poteſt intelligi; aut primò eliciendo actum circa ipſam intellectionem in verbi productione; aut imperando, vt intellectus eliciat actum, & intelligat; aut appetendo ipſum actum. Secundò obſeruandum. Inter intellectum Diuinum, & humanum, præter alias hanc intercedere potiſſimã differentiam: nam verbum in nobis genitum eſt valde diſsimile à Patris in Deo verbo, & in primis accidentarium, & admodum accidentis inhærens, & ab obiecto foris ſæpè emendicatum, ac per ſpecies introductas deforis, ac ſubinde valdè imperfectum: verbum verò Diuinum ſubſtantiale, & ſubſiſtens eſt, & ex obiecto intimo, hoc eſt. Diuina eſſentia cum verbo formaliſsimè ipſiſsima; deinde actus D. intellectus ex ſua infinita, ſubſtantialique perfectione, non poteſt eſſe niſi vnicus, & primus; humani verò intellectus actus plurimi fiunt, ac conſequenter, prima verba ex ſua perfectione, & mutabilitate. Quo fit, vt voluntas, licet non circa primum actum, circa tamen ſequentes poſſet interuenire, vt moueat aciem mentis ad actum cognoſcendi nunc, & in ipſo actu ipſam continere, & prohibere ne intelligat &c. Dixi ad actum primum non poſſe ſe miſcere, & præcedere voluntatem, cuius ratio potiſsima, ac lumine naturæ nota eſt: ita eſt ordo conſtans naturalis inter voluntatem & intellectum, vt ſuapte natura in nullũ obiectum tendere poſsit voluntas, niſi prius ab intellectu fuerit cognitum, eidemq; præmonſtratum. Docuit Ariſt. 3. de anima, tex. 54. & 56. *appetitum moueri ab appetibili apprehenſo*, ſcilicet per cognitionem. Repetit D. Aug. lib. 8. de Trinit. cap. 4. *Rem prorſus ignotã amare omninò nullus poteſt*: ergo cum in Diuinis vnicus tamen ſit intellectionis actus, nulla proculdubio poteſt procedere voluntas: vt fieri poſsit oppoſita efficax argumentatio: in humanis voluntas præcedit intellectum, & aliquam ſubit circa notitiam genitam cauſalitatem, vt docet ipſe D. Aug 9. de Trinit. cap. 7. *Verbum eſt cum amore notitia*, & cap. 10. *voluntas ipſa quomodò foris corpori obiecto formandum ſenſum admouebat, formatumq. iungebat: ſic aciem recordantis animi conuertit ad memoriam; vt ex eo quòd illa retinuit iſta firmetur: & ſic in cogitatione ſimilis viſio, &c.* ergo nõ ita in Diuinis conſequentia eſt: nam hoc in humanis ex imperfectione accidit, quæ Optimo, Maximo repugnat: ergo voluntas ſemper ſequitur quoquo modo Diuinum intellectum. Ita ex Reſponſione argumenti 6. S. Doctoris.

Neque quicquam probaret ſi ex identitate formali inter volũtatem, & intellectum, ſumeretur argumentatio. Si gignit intellectus: ergo & volũtas: facilis enim, & communis, & trita reſponſio aliàs ſæpè recenſita; ad hæc ſufficere minimam diſtinctionem rationis, & virtutis; vt ad argumentum neganda ſit conſequentia, & ad rationem reddendam, dicendum diſtingui tamen ratione.

Secunda ergo ratio S. Doctoris fabrefacta eſt ex ordine naturaliſſimo diuinarum perſonarum, quã ex D. Aug. delumpſit ex lib 75. Quæſt. q. 7. ad Oroſium, his verbis: Qui ad quæſtionem, non Pater generat Filium, dicebat, nec voluntate, nec neceſſitate; quia neceſsitas in Deo non eſt, præuenire autẽ voluntas ſapientiã non poteſt, quæ eſt Filius: igitur prius eſt rationabiliter ſapere, quàm rationaliter velle, Filius eſt ſapientia Patris; atque ita per intellectum Patris genitus: ergo ante voluntatem. Antecedens conſtat ex omni, & certa omnium cõſenſione. Conſequentia certa eſt ex neceſſariò ordine inter intellectum, & voluntatem; vt nuperrimè dicebam: ergo abſonum, & prorſus abſurdum explodendum, hoc ſenſu dicere actum generationis notionalem eſſe voluntarium.

Secunda Concluſio Actus notionalis hic poteſt dici; & verè dicitur voluntarius voluntate communicãte, concomitante, & approbante; qua explicantur, & cõciliantur multa Sanctorum Patrum dicta; quæ viſa ſunt Filij generationem voluntariam nuncupaſſe: quod enim Hilarius 3. de Trinit. *Omne quod eſt Deus*, inquit, *per charitatem impartiens natiuitati eius*; ne ſibi in eo, quod lib. de Synodis oppoſitum viſus eſt dicere, contradicat; rectè exponitur quod vno loco negauerit de volũtate producente: alio loco de voluntate approbante &c. cõceſſerit; vt .ſ. eod. inſtãti æternitatis, quo natura, & intellectus generat Filium, voluntas non inuita, nec coacta, ſed libẽs, & lubens complacet de Filio genito; vnde Filius dilectionis rectiſsimè à D. Paulo appellatur; Eod. ſenſu reliqui Patres de hac re diuerſo modo locuti, ſic neceſſariò accipiendi ſunt; quod ſic confirmatur & perſuadetur Cõcluſio. Si non aſſentiẽte voluntate generatur Filius: ergo repugnãte, & inuita; quod intollerabile abſurdum foret: eſſet enim tunc impotens, & infelix Deus. Cõſequentia verò certa eſt: nam hæc eſt imediata diſt. neque negatiue ſe habere poteſt: nam Diuinam eſſentiam communicari, Filiumque generari res peroptima eſt: ergo Deo placere debet. Confirmatur. Si Pater non vult generare Filium, nec ſe genuiſſe illũ vult: ergo neque vult eſſe Deus; nam idem eſt ex D. Aug. eſſe Deum, & eſſe Trinum. Confirmatur Secundò. Filius eſt dilectionis teſte D. Paulo: ergo concomitante, & ſibi placente voluntate, vt vnanimi conſenſione teſtantur omnes Theologi.

Tertia Concluſio. Actus notionalis ſpirationis Spiritus Sancti cum non ſit à natura, vt principio, & intellectu niſi concomitante, neceſſe eſt; vt ſit à condiſtincto voluntatis principio, ac ſubinde volũtatius: licet enim producatur ſimilis ſpirãtibus; nõ id tamen ſit ex vi ſpirationis, ſed quaſi per accidẽs, & penes, vt ita dicam, materiam ex identitate, ſcilicet numerica naturæ, & eſſentiæ Patris, & Filij Spiritui Sancto cõmunicatæ. Deinde Spiritus Sanctus eſt diſtincta perſona: ergo ex diſtincta emanatione, & fœcunditate, et ratione principiandi, itidem procedit per modum amoris: ergo per vo-

luntatē. Hæc ex multis in hac te enarratis iā ſatis conſtant. Denique eſt immediata diſt. intellectus & voluntatis: neque enim plura principia, aut eſſe, aut poſſe eſſe in natura intellectuali, ſatis ſuperque antea ſuo loco præoſtenſum eſt. Quod verò dixerit S. Doctor Spiritum Sanctum procedere per modum amoris, non autem voluntatis, hæc fuit ratio; tum quia in idem recidit: ſi enim per amorem: ergo per voluntatem; tum quia fortaſſe poterat quis deducere, ſi per voluntatem: ergo per voluntatē liberā: ergo poteſt nō produci; à qua cùm improba eſſet deductio, vt diſputatione infra, abſtinuit. Quod autem concomitetur intellectus, & eod. inſtanti quo ſpiratur Spiritus Sanctus, cognoſcat vt obiectum ſpirationem hanc, euidēs eſt: nam neq; ipſa Diuina voluntas poteſt niſi cognitum velle, neq; intellectus quicquam ignorare; imò ſuo modo præcedit, & ſupponitur in ſpiratione, & ridiculum, imò in Deo paradoxum redolet, voluntatem idem cum intellectu ſpirare, eodem intellectu infinito neſciente.

Obſeruanda poſtremò argumentorum ſolutio. Primum. Nihil eſt in natura ordinata, quod nō ſubiaceat, dirigaturq; à voluntate: ergo, & in Deo ordinatiſsima natura, actus generandi dirigendus, & dirigetur à voluntate. Antecedens patet de Adam innocente, cuius innocenti voluntati omnia ſubiacebant. Conſequentia videtur aperta per Origenem, & D. Hilarium.

Reſpōdetur. Totum argumentū concedendū de voluntate approbante: non enim non poteſt tā Diuiniſſimum opus non placere, & non probari à Diuina, eademq; rectiſsima voluntate: ſi verò volūtas aſſumatur, vt fœcunda, & producens, neganda toto cælo conſequentia: nam actus generādi cum ſit naturalis, & determinatus ad vnum, & ſuo modo volūtatem præcedens; non poteſt neq; elici à voluntate, neq; dirigi, neque imperari. Preterquamquod, cùm Deus ſit, ex infinita ſimplicitate ipſiſſima vis intelligendi, & volendi, non eſt conſentaneus hic modus dicendi, neq; quod in cōfirmationem antecedentis adiungitur, quicquam probat: nam neque primum actum intelligendi, vt naturalis eſt, voluntas dirigebat in Adam, neque eadem omnino ratio eſt: hic enim dirigendi modus in homine admittitur: nam voluntas ab intellectu diſtinguitur, & ſunt plures vtriuſq; potentiæ actus, & creatura errori expoſita eſt &c. quæ in Deo admittere blaſphemum eſſet.

Secundum Argumentum deducitur ex imagine creata hominis, ac bina animaduerſione. Prima. In homine notitia oritur mediante voluntate à mente, teſte D. Aug. 9. de Trinit. cap. 13. ergo & in Deo. Cōſequentia probatur. Ideo enim homo ad imaginem Dei eſt, quia conſimilis eſt modus intelligendi, nimirum producendi verbum, & notitiā. Secunda. In homine dum generat Filium, ſimul mouet natura vt ſe ipſam communicet, ſimilemque ſibi producat, & voluntas appetens generationem: ergo multò magis in Deo: nam magis ſecundum ſe totum producit: ergo, & ſecundum naturam, & voluntatem.

Reſponſio: & in vtraq; argumentatione negatur audenter, & tutè conſequentia; adeo vt oppoſita poſsit argumentatio ſtrui, vt ſupra indicatum eſt. Ita ſit in homine, vt in generatione Filij interueniat & voluntas: ergo non ita in Deo. Conſequentia eſt D. Aug. 15. de Trinit. cap. 13. aſſerentis in hoc diſsimilem eſſe verbi productionem increatā à creata, quod creata eſt, & eſſe poteſt per inquiſitionem, quod increato repugnat, vt paucis ante in Cōmentatio deduximus. Quod in generatione hominis interueniat voluntas, indignum eſt exiſtimare, & in Deo: ideo enim in homine, quia indiget ſocio vt generet, & ipſum ſocium appetit habere aliquando abſentem: deinde quia generat ſenſu, non poteſt nō commouere ſenſum; ſed hæc in Deo opinari?

Tertium argumentum. Facillimè proponitur, eademq; facilitate ſoluitur. Vbi maior communicatio, maior liberalitas: ſed in generatione Filij ſūma communicatio, & maior quam in creaturarum creatione: ergo ſi creare liberalitas eſt, multò magis Filium generare; ſed liberalitas ad voluntatem ſpectat: ergo generatio ex voluntate.

Reſp. Egregiè, eſſe in hoc argumento apertam fallaciam: ſit enim ab vna communicandi ratione ad aliam, & diuerſam tranſitus: à diuerſis verò, vt tritum eſt, idonea illatio nō ſit: duobus enim modis ſit communicatio; aut natura, aut voluntate: & voluntate adhuc bifariam, vel vt natura eſt, vel vt libera eſt: communicatio autem quæ tum per naturam ſit, tum per voluntatem: vt naturalis eſt, non ad liberalitatem ſpectat. Conſtat: nam liberalitas à libertate denominatur, & deducitur, neq; aliàs eſſet honeſta, ac commendāda virtus ſicuti eſt: ergo ad argumentum, aut declaranda, aut neganda maior: ſi enim de omni communicatione etiam naturæ accipiatur, falſa eſt: quare communicatio in generatione Filij liberalitatis non eſt; neq; quicquā probatur ex creaturarum creatione: nam hæc eſt per voluntatem; illa verò per naturam: Imò hinc orta eſt hæreſis Arrij, & videtur hoc Arrianum ſophiſma. Liberalitatis eſt Diuinæ produxiſſe mundum: ergo & produxiſſe Filium; imò multò magis: ſed mundus productus per voluntatem: ergo & Filius; ſed mundus eſt creatura: ergo & Filius. Sed ſoluitur ſophiſma, & detegitur hæretica deceptio, ſi negetur toto cælo Filij generationem ad liberalitatem ſpectare, quia naturalis eſt: ſicuti cuiuſcumque etiam in natura creata Filij verè, ac realiter: ſed ſtatim infra vberius.

ARTICVLVS II.

An generatio Filij ſit neceſſaria. D. Bon. art. 1. D. Thom. art. 2.

PARAPHRASIS.

P*RIMA Propoſitio. Actus notionalis generationis non eſt neceſſarius, neceſſitate coactionis, & violentiæ, neque indigentiæ, neq; ineuitabilitatis, neq; ſufficientis diſpoſitionis ad formam; ſed neceſsitate naturæ, & naturalis perfectionis & immutabilitatis. Probatur prima pars: nā eſt prima neceſsitas, quæ eſt ex principio cogēte cōtra naturam,*

rã, & ſectida, qua eſt ab extrinſeco vim inferẽte voluntati non poteſt cadere in Deo, primo, ac omnipotenti principio; & tertia qua eſt ex indigentia eorum, qua natura apta nata eſt recipere, & qua ex principio deficiente quadam carentia, quam euitare non poteſt, qua itidem repugnant Deo, vt in textu &c. ex ſumma ipſius Dei perfectione, & immortalitate, & immutabilitate, & actualitate. Secunda pars probatur. Primò. Filius emanat à Patre, ſicut radius à Sole: eſt enim candor lucis æternæ, & lumen de lumine: ergo naturali neceſsitate, & determinatione: Radius enim non poteſt non egredi à luce, & Sole. Secundò. Filius emanat à Patre: aut ergo neceſſariò, aut contingenter; non contingenter: ergo neceſſariò. Probatur conſequẽtia; quia eſt imediata diſtinctio. Probatur minor: quia in Deo repugnat generationem eſſe contingentem. Tertiò. Deus eò quia omnipotens ab æterno poteſt generare: ergo impoſſibile eſt, non poſſe generare: ſed in æternis idem eſt poſſe, & eſſe: *ergo ab æterno generat, adeò vt, ſicut non poteſt nõ poſſe generare, ita nõ poſsit non generare: ergo neceſſariò generat.*

Secunda Propoſitio. Ex reſponſione ad tertium, & quartum. Altera actus notionalis ſpirationis, licet eò intrinſecè voluntarius ſit, quò à voluntate per modum amoris mutui: eſt tamen & ipſe neceſſarius, & naturalis ead. neceſsitate naturæ, qua & primus: nam fœcũditas Patris, & Filij ſpirandi amorem non poteſt ex ſua naturali perfectione non communicare, & producere, & ſpirare: neque hoc repugnat libertati voluntatis: ſcilicet à coactione: eſt enim hæc neceſſitas adeò conſona naturæ, vt non poſſit repugnare voluntati.

COMMENTARIVM.

FACILIS eſt, Theologorum omnis hæc veritas, & ferè nõ indigeat nec commentario, nec confirmatione vt videantur ſufficere, quæ in ſuperiori art. inducta ſunt: mutuo enim hæc ſeſe inferunt, & conſecuntur; naturale eſt: ergo neceſſarium, nam natura determinata eſt ad vnum, & ab oppoſito teneat certa conſequentia, præſertim in Deo neceſſarium eſt: ergo naturale, in quo nulla alia neceſsitas, quam quæ ex perfectione Diuinæ naturæ ſumitur, admittenda eſt.

Probat verò S. Doctor vtrumque actum notionalem eſſe neceſſarium, his fermè rationibus. Prima. Generatio ex præcedente art. eſt opus naturæ, & omninò ante omnem actum voluntatis: ergo neceſſaria. Antecedens conſtitit ibi, tum ex deffinitione generationis, tum ex ordine emanationum. Conſequentia verò probatur: nam quod naturale eſt inuariabile eſt, & ad vnum determinatum: ergo neceſſarium quod æternum eſt, hac neceſsitate neceſſarium eſt cui repugnat contingentia, neceſſariò eſt neceſsitate inuariabili, vbi ſumma naturæ fœcunditas, ibi ſumma neceſsitas communicandi ergo. Secundò. Spiratio actiua eſt ex ſumma fœcunditate per voluntatem communicandi: ergo naturalis; ergo neceſſaria. Probatur prima conſequentia. Nam hæc eſt Diuinæ naturæ conditio, & perfectio. Secunda quoque probatur. Nam, cum ſit determinata non poteſt non producere; neque impedit quia ſit à voluntate: hæc enim voluntas non eſt indifferens ad plura, & oppoſita; ſed vt natura ad bonum determinata: non enim poteſt Pater, & Filius non diligere ſummum bonum, & conſequenter non ſpirare amorem. Neque refert, quod S. Doctor in fine corp. quæſt. aſſerit; hac neceſsitate naturæ non ſua priuari libertate; interpetandus enim eſt; S. Doctorem non ſumere libertatem pro indifferentia ad amandum, & non amandum: non enim conſequenter locutus eſſet, neque argumentum ſoluiſſet, ſed vt opponitur violentiæ: non enim Dei voluntas ab vllo diſconuenienti principio cogi poteſt: tum quia omnipotens, & prima, tum quia hæc neceſsitas eſt maxime ipſi conſona: ſi enim neceſſariò eſt beatus, & tamen vult eſſe beatus, ita neceſſariò ſpirat Spiritum Sanctum; & tamen vult, & iucũdiſsimè vult diligere, & ſpirare.

Vt tamen diſtinctius, & magis conſpicuè, quænã ſit hæc necaſsitas, quæ de his Diuiniſsimis actibus notionalibus prædicatur, & aſſeritur, percipiatur: Obſeruandum, quod concordi animaduerſione obſeruant omnes ferè Theologi, licet varijs quibuſdã verbis, eand. tamen ſentẽtiam complectentibus ex Ariſt. 5. Meth. Multigenam eſſe neceſſarij rationẽ, in pluresq; ſpecies ſecari, ſed in duas primò: vt aliud ſit neceſſarium abſolutum, & per ſe, & per eſſentiã propriam; aliud, per aliud quod vocant ex cõditione, vel agentis, vel finis agentis, quod agit per coactionem, & violentiam, quæ licet ferè cõfundãtur: nam inferre vim eſt cogere; placuit tamen D. Bon. diſtinguere, vt cogatur etiam: nam inanimis, veluti lapis quando ſurſum iacitur, vim verò patiatur voluntas, & ſenſus; finis verò, quando aut ſimpliciter quæ dicitur neceſsitas medij; aut niſi cum difficultate quis aſſequi finem nõ poteſt. Per ſe verò, & intrinſecè, & ſecundum eſſentiam adhuc duobus modis; aut ex imperfectione eſſentiæ, vt natura humana ex ſui compoſitione cogitur mori, & ex ſui corruptione, etiam inuita, primos motus prauos patitur. Quædam addere, & alijs verbis explicare videtur S. Doct. ſed in idem recidunt omnia, præſertim ſi inſtituto preſenti conferantur: aut tandem ex intrinſeca eſſentiæ abſolutè, & per ſe conditione; quemadmodũ eſt Diuina, quæ ſimpliciter vt hæc, eſt neceſſaria, & nõ poteſt non eſſe, & æquali ratione nõ poteſt non communicari; & ſic non generari Filium, & Spiritum Sanctum ſpirari.

Hæc tamen in vtrũq; actum notionalẽ obſeruãda eſt differentia; vt quamuis vterq; ſit æquè neceſſarius, & naturalis; generatio tamen eſt & naturalis, & per modum naturæ: eſt enim ad ſibi ſimile ex ſua formali ratione producendũ: ſpiratio verò eſt quidẽ naturalis, & determinata, vt ex cõditione naturæ nõ poſſit nõ fieri: ex ſua tamẽ ratione nõ producitur ſimilis: ſed per voluntatẽ determinatam, ſicut natura, & per modum amoris; tamen neceſſarium. Quod ſi Ricc. de S. Vict. vtrãq. perſonam aſſeruerit

per modum naturæ produci, interpretandus; vt ſecunda perſona ſpecialiori modo per modum naturæ, hoc eſt ſimilis &c. tertia verò per modum naturæ: ſcilicet naturalis amoris, non liberi, & indifferentis.

Illud denique, quod Ariſt. dictum vſurpat, *In ſempiternis idem eſt eſſe, & poſſe:* licet ex propoſito Ariſt. quo illud protulit, & ex multis, quæ obijci ſolent, vt in illum locum Commentatores, varias patiatur difficultates: in Diuinis tamen cum aſſumitur, veriſsimum vndequaque eſt. Reliqua in diſputatione ad Argumenta.

Primum, quod ſic conſtructum eſt, primò ex D. Aug. ad Oroſium, *nec loco, nec neceſsitate, nec voluntate genuit Pater Filium, quia in Deo neceſsitas non eſt*. Quod ſi non eſt, vſque adeò certum D. Aug. eſſe huius libri auctorem. Idem apertum eſt 15, de Trinit. cap. 10. Secundò ex D. Hilario lib. de Synodis. *Non naturali neceſsitate ductus Pater genuit Filium:* ergo ex his Sanctis Patribus Filij generatio non eſt neceſſaria.

Reſpondet ad vtrumque locum, & ad ſexcenta id genus, quod longa, & erudita digeſſit ratiocinatione Magiſter in hac diſtinctione. Sicuti Deus nec volens, quaſi voluntate ſeipſum produxerit, eſt Deus nec nolens: tunc enim miſerè, & inuitè eſſet; ſic neque voluntate genuit Filium niſi approbante; neque neceſsitate, & coactè, & inuitè: ergo dum SS. Patres neceſsitate non eſſe genitum Filium aſſerunt, non de quacumque neceſsitate; ſed de neceſsitate coactionis loquuntur; eſt enim alia neceſsitas, quæ ad vnum determinat ex perfectione, fæcunditate, & inuariabilitate naturæ; vt iam explicatum eſt: alia coactionis; luce autem clarius, Filij generationem eſſe abſolutè neceſſariam illa neceſsitate, non autem hac. Quod ſi D. Hilarius neceſsitate naturali non eſſe neceſſariã dixerit; addidit tamen cùm nollet, vt ſic de neceſſitate qua natura cogitur, ſe locutum declararet.

Neque conſentanea obiectio eſſet dicere, voluntas, & neceſsitas, aut velle, & nolle, & inuitum eſſe ſunt immediatè contraria, atque ſic contradictoria: ergo non eſt medium de natura; ſcilicet quod naturali neceſsitate generetur Filius. Reſp. enim ſanctus Doctor dubio 3. literali, & negat antecedens inter voluntatem, & antecedentem, & accedentem de qua hæretici, & fœcundam ex perfectione naturæ, & neceſsitatem cogentem aſſerit eſſe mediam natiuitatem ſimpliciter naturæ. Hanc huius argumenti ſolutionem orthodoxam tradunt, ne dum omnes Theologi, ſed etiam Sancti Patres, D. Aug. vbique, D. Hilarius de Synodis, D. Hieronymus in epiſt. ad Epheſios, D. Athanaſ. contra Arrianos, D. Cyrillus, &c.

Secundum Argumentum. Si Deus Pater neceſſitate generat: ergo voluntas illi ſubiacet: ergo non nobiliſsima actione generat. Probatur prima conſequentia. Nam neceſsitate generat: ergo velit nolit, generat. Secunda quoque conſequentia probatur. Nam nobilius producens eſt, quod ſuæ actioni dominatur, quàm quod neceſsitate agit.

Reſp. ead. qua ſuprà reſponſione: nam ead. eſt argumenti vis. Argumentum hanc ſuam vim obtineret, quam videtur prætendere, ſi de neceſsitate voluntati repugnante, aut cogente eſſet ſermo: verùm ruit: nam de neceſsitate naturali, hoc eſt de perfectione eſſentiali naturæ omninò conſona voluntati: ſicut enim neceſſariò Deus beatus eſt, & tamen vult, ac ſumma cum iucunditate eſſe beatus; ita neceſſariò generat, tamen ſuę volũtatis aſſenſu, ſummaque naturali Diuina delectatione. Quare ad formam argumenti neganda eſt conſequentia non enim ſubiacet voluntati, quando mirè conſentit, & dicitur dominari actioni liberę, non verò naturali, ſed ſufficit non cogi, imò conſona voluntate agere. At verò quis nobiliores eſſe, Diuinas vt ſic dicam operationes, quibus ſecundum ſe totam Diuina eſſentia, vt in perſona agit, quam cum ad extra liberè, & vt ſic loquar; contingenter operatur: qua virtute vult, non aſſeret? ergo ad ſecundam conſequentiam adhuc negatur; quippe, cùm Pater generat generatione infinita naturali, Diuinæ eſſentiæ perfectione adæquata.

Tertium Argumentum, ex Riccardo de S. Victore 3. de Trinit. Pater dat gratis generatione ſuam eſſentiam Filio: ergo non neceſsitate. Conſtat: nam gratificare, & gratuitè dare voluntatis eſt, non naturæ. Solutio tota ſita eſt in germana Riccardi explicatione, quam ſic S. Doctor legitimè. Gratuita eſt Patris generatione communicatio, non quia libera: fit enim communicatio ex conditione, & fœcunditate naturæ, ſed quia non ex retributione, quaſi præceſſerit meritum: diminutè ergo eſt gratuita datio genetationis Filij, & potius translata, ac methaphorica: ne addam hic poſtulari, quod in reliquis argumentis datum eſt; ideò gratuitè generari Filium, quia non coactè.

PRIMA DISPVTATIO.

De actibus notionalibus, in hæc capita diſtributa.

Primum. Qui, & quot ſint, & quomodo ſe ad inuicem habeant, ac prædicentur de Diuinis perſonis.

Secundum. An ſit naturalis generatio, ac neceſſarius, vel voluntatis.

Tertium. De intelligentia, ac genuina explicatione loci D. Pauli ad Coloſſenſes primo.

Quartum. An Spiratio quamuis voluntaria, ſit tamen neceſſaria, ac naturalis.

Quintum. An ſit libera.

Sextum. An ad vtrumque actum præcedat velle eſſentiale ſecundum ordinem noſtræ intelligendi rationis.

Licet ſatis plana, ac communis, ac certa videatur de his actibus Theologia, & vſque huc ſua mediocri vbertate, ac explicationes in luculentiorem tamen, ac fœcundiorem, & certiorem explicationẽ conſentaneum duxi commentarija addere diſputationem: eò in primis, quò quam etiam ſacris Concilis conformiter loquatur S. Doctor, deprehendatur; & quam abſque ratione non deſint, qui in quibuſdam reclamant.

C A-

Digitized by Google

CAPVT IGITVR I.

Qui, & quot ſint, & quomodo ſe habeant ad inuicem, & prædicentur.

VIDETVR primum caput plura diſtincta complecti, & titulus varia promittere: eadem tamen, quia adinuicem connexa ſunt, vnico capite diſtinctè expediemus. Conuenire actus notionales Diuinis perſonis docet S. Thom. art. 1. ex D. Fulgentio de fide ad Petrum: *Proprium Patris eſt, quod Filium generet*; Deinde ratione. Diuinæ perſonæ diſtinguuntur per originis ordinem: ſed originea niſi per actus notionales rectè deſignantur: ergo ad hunc ordinem, hancque originem optimè Diuinis perſonis tribuuntur iſtiuſmodi actus. Præterea hoc aſſertum, atq; hæc veritas adeò certa eſt, vt ſit de fide, quemadmodum de fide, quod ſolus Pater generet, ſolus Filius generetur, ſolus Spiritus Sanctus ſpiretur, Paterque, & Filius ſpirent: ita fermè de fide ſunt iſtæ aſſertiones, vt probatione non egeant, ſed quibuſdam declarationibus vt modus, quo de Deo actua prædicentur, innoteſcat. Quocirca, ſi de primo dicamus Patet generat, ne exiſtimetur ſeipſum generare, addendus terminus Patet generat Filium, vel æquinalens pro Filio; quod ſi S. Aug. Epiſtola *66.* conceſsit, Patet genuit alterum ſe: & hoc ſufficit: nam, & diſtinctionem gignentia, & geniti ſatia expreſsit per vocem (Alterum) & omnimodam ſimilitudinem Filij geniti per terminum (*ſe*).

Secundò. Ne actus de Proprietatibus in abſtracto prædicentur, nec dicatur veluti Paternitas generat, vt S. Thom. quæſt. 32. art. 1. ad ſecundum admonet, cum commentatoribus ibidem. Ratio autem eſt: nam actus non formarum, ſed ſuppoſitorum ſunt. Quod ſi aliquando inueniuntur ſimiles propoſitiones, ac prædicationes non extendendæ, ſed ad identitatem, ſummamque ſimplicitatem teſtandam admittendæ: neganda tamen hæc argumentatio. Paterniras eſt Pater, Pater generat: ergo Paternitas generat: nam variatur appellatio, & ſit tranſitus à ſenſu identico ad ſenſum formalem, quo formaliter Pater Paternitate generat apud Sanctum Thomam: nequaquam tamen de rigore apud Sanctum Bonau. vt alias.

Tertiò. Ritè, ac rectè prædicatur de Deo ſub termino eſſentiali ſumpto, nimirum *Deus generat*. tradunt omnes Theologi diſt. 4. D. Bon. quæſt. 1. D. Thom. quæſt. 39. art. 4. & eſt de fide: colligitur enim ex Scriptura. Matth. 16. D. Petrus de Chriſto. *Tu es Chriſtus Filius Dei viui*; quod ei caro, & ſanguis non reuelauit, ſed Pater cœleſtis &c. & aſſeritur in Symbolo *Deus de Deo*, & ratio redditur: nam nomen concretum licet formaliter naturam communem ſignificet; ex modo tamen ſignificandi, aptum eſt pro perſona ſupponere; neque ideo ibi ſumitur Deus, vt ſupponit pro Deo, abſtrahendo à perſonis, vt exiſtente in ſe: nam tunc non poſſet eſſe principium quod actuum notionalium: hic enim Deus ſic vſurpatus à nulla perſona diſtinguitur ita D. Thom. art. 4. citato, dum à prædicato (generat) aſſerit limitari ſubiectum; ſcilicet Deum ad perſonam Patris: ita D. Bon. loco recenſito, regula ſecunda, & quæſt. 4.

Quartò. Vt dum prædicantur actus notionales, verè, ac propriè non prædicentur de termino eſſentiali, vt in abſtracto, & ſignificat eſſentiam: non enim admittitur eſſentia, vel Diuinitas generat: Statuunt Theologi diſt. 5. S. Bon. ibi S. Th. q. 36. deffinitum eſt de fide. cap. Damnamus de Summa Trinit. Neque ſimile quod rectè conceditur, omnipotentia creat: neque quod omnes aiunt, actionem poſſe prædicari de forma abſtracta in Deo, quando illa forma eſt principium formale actionis: v. g. generandi, neque tertiò quod admittitur: lux de luce, lumen de lumine, ſapientia de ſapientia, eſſentia de eſſentia, Gloria de Gloria &c. Reſpondetur enim ad primum (licet ſuo loco futura ſit ſolertior diſcuſsio) non eſſe ſimilem rationem: nam inter omnipotentiam, & creaturam productam interuenit realis diſtinctio, quæ non poteſt inter eſſentiam Diuinam, & perſonam productam interuenire, neceſſariò tamen interuenienda inter producens, & productum ad tollendum illud abſurdum, quod idem ſeipſum generat, ac producit. Ad ſecundam, Quamuis eſſentia ſit principium formale quo productionis, ſupponit tamen modum exiſtendi perſonæ quæ producit: & aliunde euenit, non poſſe rectè dici eſſentia producit, quia ſcilicet inter producentem, & productum neceſſaria eſt diſtinctio realis, vt iamiam dicebatur. Ad tertiam, & illas dicendi phraſes. Primò. Licitas eſſe: quia illis maximi Patres, & Conc. vſa ſunt. Secundò, licet in ſono abſtracta ſint, ſunt tamen ſigniacatione concreta: Tertiò, aliquando ita loquendum ad identicam ſimplicitatem recolendam, vt admonet S. Aug. Quartò, illa præſertim, qua addimus de eſſentia innaſcibili vnigenitum oriri, interpretanda ſic; vt de eſſentia, hoc eſt, de principio *quo* productionis, & formali; non verò *quod* vt interueniat dumtaxat reſpectus, & diſt. rationis ad formam *quâ*: ſicuti tradunt S. Bon. diſt. 5. multis quæſt. diffusè. S. Thom. quæſt. 45. art. 3.

Quintò denique, vt quotiea actus notionalis prædicatur de Deo ſub aliquo nomine, ita prædicetur, vt de eo non poſsit negari: quod inprimis verum eſt, quando ſubiectum de quo, eſt perſona: ſequitur enim aperta contradictio, Pater generat: ergo falſum eſt Pater non generat: & etiam quando terminus de quo, eſt eſſentialis, vt Deus generat, quidquid aliqui in oppoſitum dicant: hoc enim grauiſsime docet D. Bon. diſt. 4. art. 1. Scotus, & multi alij, & S. Thom. art. 4. ad tertium, & 1. ſent. ibidem, & ratio eſt: quia ibi verâ inuenitur contradictio: nam ſubiectum à prædicato reſtringitur ad perſonam, vt Deum generare Filium, ſit idem ac Pater &c. Quare ſicuti conceditur contradictio, Pater generat, & non generat, conſimili ratione concedenda, Deus generat, Deus non generat. Secundò, etiam ſi non limitetur terminus Deus, ſed indiſtinctè ſumatur, vt ſubſiſtit in tribus: nam vt ſit vera affirmatiua,

Digitized by Google

matiua, ſufficit de aliqua perſona verificari: vt autem ſit vera negatiua neceſſe eſt, vt de omnibus perſonis negetur: quare dicere, Deus non eſt vnitus carni, licet non ſit vnitus Deus Pater, neque Deus Spiritus Sanctus; eſt tamen abſolutè falſa; nam hæc eſt vis propoſitionis negatiuæ, vt abſolutè neget, ita falſa Deus non generat, itidem falſa non Deus generat.

Quomodo verò ad inuicem ſe conueniant, vt ſint omnino idem, docet primò S. Bon. multis locis, & primò diſt. 28. quæſt. 3. ferè his verbis; quærens, an proprietates diſtinguant perſonas, vel diſtinctas oſtendant. Notandum. Cum idem ſit perſonis Diuinis oriri, eſſe, & referri ad alterum; tamen ſecundum rationem intelligendi ſunt ita ad inuicem ordinata; vt primò intelligatur oriri, deinde eſſe. Tertia, ad alterum ſe habere: & quia in Deo ſunt idem, ideo etiam eodem nomine deſignantur. D. Thom. quæſt. 41. ad ſecundum, actus notionales cum relationibus eſſe idem aſſeuerat ſecundum rem omnino; ſed differre per modum ſignificandi. Et probat primò, ex Magiſtro 1. ſent. diſt. 26. generationem, & natiuitatem alijs nominibus Paternitatem, & filiationem dici; deinde per ſimilitudinem motus; ſicuti motus, vt eſt in mobili ab aliquo dicitur paſsio; ita origo ipſius motus, vt eſt ab aliquo, & terminatur in id quod mouetur, eſt actio; ſed remoto motu, nihil remanet niſi ordo originis, vt eſt à principio in id, quod eſt à principio: ergo & in Diuinis idem ſunt actus notionales, quod relationes, & habitudines, & quod origines.

Quomodo verò differant intellectione, & modo ſignificandi, ſic explicatur primò: nam in his cognoſcendis Diuinis, & intelligibilibus pendemus à ſenſibus, & ad ſimulacra ſenſibilium à quibus noſtra cognitio ortum trahit, tendimus; & in his quia implicatur motus, aliqd à relationibus, quæ ex actionibus, & paſsionibus conſequũtur neceſſe fuit diſtinctè ſignificare, relationes per modum actus, ac per modum relationis; deinde origo per modum actus, & viæ ſicuti generatio: relatio verò per modum formæ permanentis, vt Paternitas, quod D. Bon. indicato loco per modum oriri, & per modum eſſe explicauit; addens & modum referendi.

Ruſus, diſtinctius excutienda res hæc eſt; & primò aſſerendum. Actus hi, & origines idem prorſus ſunt cum Diuina eſſentia, vt ſuis locis ſatis demonſtratum eſt, cum de perſonis, & relationibus in ordine ad Diuinam eſſentiam, & cum de Diuinæ eſſentiæ ſimplicitate, nihilque intra Deum poſſe à Diuina eſſentia actu differre, diſcuſſum eſt.

Secundò Aſſerendum. Actus notionales idem adæquatè, & conuertibiliter ſunt cum origine, quoquo modo ſumantur. Declaratur. Origo, vt ſignificatur per modum actualis productionis, vt generatio poteſt duobus modis ſumi, & actiuè, & paſsiuè: actiuè vt generatio: paſsiuè vt natiuitas: ſicuti enim in creaturæ productione, & actionem, & paſsionem diſtinguimus; ita in Deo, noſtro modo concipiendi originem actiuam, & paſſiuam; vt generare, & generari, ſpirare, & ſpirari. Modò probatur de paſsiua. Paſsiua origo differt realiter à perſona producente, ſicut differt & perſona producta: ergo idem adæquatè cum perſona producta. Probatur antecedens: nam origo paſsiua eſt realis proceſsio: ergo realiter diſtinguitur. Probatur conſequentia. Origo paſſiua eſt realis via ad terminum: ergo ſicut terminus eſt relatio, ita & illa origo: ergo nihil aliud eſt, quàm ipſa relatio.

De origine actiua pariter perſuadetur; quod ſit nimirum idem cum Paternitate, v. g. generatio. Primò ex communi Theologorum ſententia; ita namque docet Magiſter diſt. 26. generatio, & natiuitas alijs verbis ſunt Paternitas, & Filiatio: ita D. Bonau. eadem diſt. quæſt. 3. D. Thom. quæſt. 41. art. 3. ad ſecundum, & reliqui, Scotus diſt. 2. q. 2. Durandus quæſt. 2. & diſt. 18. quæſt. ibidem, vtroq; loco Aegidius, Capreolus, Gabriel &c. Probatur ratione. Sicuti inter originem actiuam, & paſsiuam eſt realis diſtinctio propter oppoſitionem realem, ita inter actus notionales, & origines actiuas, non poteſt eſſe diſtinctio; quia nulla oppoſitio: ergo inter generationem, & Paternitatem, inter ſpirationem actiuam, & relationem ſpiratoris, non poteſt eſſe niſi identitas. Confirmat S. Th. In Creaturis actio dicit ſolam mutationem cum relatione: ergo in Diuinis remota mutatione, neceſſariò generatio, & ſpiratio nihil aliud poteſt eſſe, quam ſola relatio.

An verò idem actus notionalis poſsit dici idem cum termino paſsiuo, ſuboritur dubitatio: nam videtur idem cum natiuitate, ac termino hac in primis ratione. Sicuti in creaturis actio, & paſſio, neque à termino; neque inter ſe materialiter differunt; ſed ipſum fieri termini duplicem habet reſpectum: alterum ad ipſum terminum ad quem tendit, vnde vocatur paſsio; alterum ad principium à quo egreditur, atque ita dicitur actio: Ita proportione quadam Filius in Diuinis, vt quodam modo concipitur in via, & in fieri, hunc eundem duplicem reſpectum habebit: alterum ad Patrem à quo eſt, alterum ad terminum: ergo erit idem cum Paternitate, & natiuitate: ergo non conuertibiliter generatio cum Paternitate: nam eſt idem cum termino, à quo realiter differt Paternitas. Ratio verò ſimilitudinis eſt, quia remota imperfectione, ita didicimus concipere, & philoſophari de Diuinis ab humanis, & notis; & nulla hic videtur imperfectio.

Reſpondetur tamen, & negatur proportio; ac ſimilitudo, vel conſequentia: tum quia hæc accidunt creatis per mutationem; quæ eadem hos duos diuerſos fundat reſpectus; quare in Diuinis, cum omninò reuocanda ſit mutatio, reuocanda quoque neceſſariò & hæc proportio, ac ſimilitudo, imò admittenda diſsimilitudo: tum quia actio in creaturis mediat inter principium, & terminum; ac proinde cum hac duplici relatione concipienda: inter Diuinam verò perſonam producentem, & productam nihil prorſus mediari poteſt, & ideo diuerſi illi reſpectus non poſſunt, neque interuenire, neque concipi vt conuenientes per-

Digitized by Google

perſonis, tum producentibus, tum productis: quæ dum differant realiter, & ipſos reſpectus differre ſic neceſſu eſt. Deinde influxus, vt ſic loquar, perſonæ producentis in perſona, quæ ab ea emanat, non poteſt intelligi diſtinctus à perſona producente: ergo non poteſt identificari cum perſona producta. Probatur antecedens; nam influxus ille, ac vis producens non poteſt intelligi diſtincta à principio formali *quo* productionis, neque à principio *quod*: ergo non poteſt idem eſſe cum termino. Vtrumque probo. Non cum primo: nam id eſt Diuina eſſentia, à qua in Diuinis nihil verè poteſt diſtingui, à qua conſequenter ille influxus egrediens, vt diſtinctus non poteſt concipi, ſed vt ſola actio Diuina. Non cum ſecundo: nam eſt ipſa perſona ſic compleré conſtituta per hanc productionem quaſi actionem, & proprietatem perſonalem quaſi formam.

CAPVT II.

An huiuſce actus ſint naturales, ac neceſſarij.

PAucis expediendum hoc caput: ſatis enim, ac competenti explicatione expeditum, & ſolutum eſt tum à S. Doctore, tum in commentario, diſcuſſaque loca, quæ ex Patribus videbantur faceſſere negotium: ad tria ergo dumtaxat aſſerta compendio redigendum.

Primum aſſertum. Generatio Filij neceſſaria, ac naturalis eſt; ita vt non poſsit, nec non eſſe, nec à volũtate vt cõdiſtincto principio productiuo proficiſci. Quæ ſit huius aſſerti ſententia, certa eſt interpretatio in commentario, ac primò in vtroque S. Doctore conſtat. Reliquum igitur eſt, vt confirmetur, & ad mentem recolantur deducta eodem loco argumenta. Filius non poteſt non eſſe in Diuinis perſonis, neque à voluntate producitur: neceſſariò, & naturaliter producitur. Prima antecedentis pars probatur. Ideo certa, vt de fide ſit: nam de fide eſt, perſonas productas eſſe Deum, & conſequenter ſicuti non poteſt non eſſe Deus, quia eſt ipſiſsimum ens ſimpliciter, & eſſentialiter neceſſarium, ita non poſſunt non produci, & non eſſe productæ illæ perſonæ: nam hic eſt Deus noſter ſolus, verus, vt ſit Trinus per perſonarum productionẽ: ergo ſicuti non eſſe Deum contradictio eſt, æquè non eſſe productionem generationis, aperta contradictio eſt: ergo eſt maximè neceſſaria. Probatur ſecundò, primò ex Conc. Tolet. 11. in confeſsione fidei. *Filius Dei natura eſt Filius, & non adoptione, quem Deus Pater nec voluntate, neque neceſsitate genuiſſe credendus eſt; quia nec vlla in Deo neceſsitas cadit, neque voluntas ſapientiam præuenit.* Idem aſſerit Conc. Syrmienſe, vt refert D. Hylarius lib. de Synodis: *Si quis voluntate Dei, tanquam vnũ aliquid de creatura factum dicat Filium, anathema ſit.* In quod D. Hilarius, *omnibus creaturis ſubſtantiam contulit Dei voluntas, ſed naturam Filio dedit ex impaſſibili, & non nata ſubſtantia profecta natiuitas; talia enim cuncta ſunt creata, qualia ea eſſe Deus voluit: Filius autem natus ex Deo Deus, talis ſubſiſtit, qualis eſt Deus, nec diſsimilem ſui edidit natura naturam, ſed ex ſubſtantia Dei genitus &c.* D. Athanaſius ſer. 4. contra Arrianos, *Filium genuit ſecundum naturam: Filius proprium germen ſubſtantia Patris, non aliunde eſt, ſed à Patre; ideoque de illo, non deliberatur, ne inde ſeipſo deliberare videatur.* Et pluribus, ac diffuſis verbis idem confirmat D. Hieronimus in primum caput ad Epheſios, explanans illud verbum, *qui prædeſtinauit nos. Semper,* inquit, *cum Patre fuit, & nunquam vt eſſet eum præceſsit voluntas.* D. Aug. interrogatus, an Pater Filium voluntate genuerit, reſpondit, *neque voluntate, neque neceſsitate: quia neceſsitas in Deo non eſt; præire autem ſapientiam non poteſt voluntas, quod eſt Filius. Igitur prius eſt rationabiliter ſapere, quàm rationabiliter velle.* Idem D. Cyrillus lib. 1. Theſauri cap. 8. vberrimè; D. Ambr. lib. 4. de fide cap. 14. Quibus locis abſolutè demonſtratur: Filij generationem eſſe naturalem, & ante omnem actum voluntatis, tum liberum in ordine ad creaturas, tum determinatum in ordine ad Spiritum Sanctum; ac proinde, vt ſic, neceſſarium neceſsitate naturæ, quomodo neceſſaria illa Diuina natura, vt ſit in tribus ſubſiſtentijs: ac inde confirmatur. De intrinſeca perfectione, & fæcunditate naturæ Diuinæ eſt vt communicetur, ſed communicatio per generationem eſt: ergo generatio eſt intrinſecè de perfectionis Diuinæ ratione: ergo ſimpliciter neceſſaria. Confirmatur ſecundò, argumento Scoti. Productio per modum naturæ eſt ſummè neceſſaria, quæ impediri non poteſt; ſed generatio Filij eſt per modum naturæ, & à principio per modum naturæ, quæ nullatenus impediri poteſt: ergo ſummè neceſſaria. Maior conſtat ex Alexandro 2. par. quæſt. 42. memb. 5. nam principium naturæ neceſsitate naturæ agit, & ex ſe impediri non poteſt. Minor magis patens: nam prima perſona eſt Pater, ſecunda Filius: ergo Pater principium naturale infinita virtute generat: ergo impediri non poteſt. Confirmatur denique. Tertiò ex D. Bon. Primò. Si Filius non generatur neceſſariò: ergo contingenter. Probo conſequentiam; nam hæc eſt immediata diſtinctio: ſed maximè dedecet quod ex Deo contingenter, vt patet: ergo neceſſariò. Secundò. Deus Pater ab æterno poteſt generare: ergo ab æterno generat. Probatur: nam *in ſempiternis idem eſt eſſe, & poſſe*: ſed ab æterno impoſsibile eſt quin poſsit generare: ergo impoſsibile eſt quin generet: ergo ſicut non poteſt non eſſe, ita non poteſt non generare.

Probatur ſecunda pars antecedentis. Primò, ex confeſſ. fidei, nunc recenſita Conc. Tolet. 11. Filius Dei natura eſt Filius. Secundò. Filius non eſt creatura temporalis, ſed æternus Deus: ergo non eſt à voluntate libera. Antecedens eſt de fide innumeris locis Diuinæ Scripturæ: ſufficit ille locus inſignis Io: 1. *Deus erat verbum.* Conſequentia certa: nam per hanc voluntatem creaturæ produ-

du-

Digitized by Google

ducuntur. Secundò, ſecunda perſona eſt Filius, non Spiritus Sanctus; ergo à natura Diuina per intellectum, non per voluntatem. Confirmatur; quia aliàs inuerteretur ordo Diuinarum emanationum, & confunderentur Diuinæ perſonæ: prima enim non eſſet Pater, niſi generaret Filium: ſecunda non eſſet Filius ſi non eſſet genitus, imò eſſet Spiritus Sanctus, quia à voluntate: atque ita hæreſis Sabellij, vt etiam in commentario, admitteretur. Decernit D. Athanaſ. in Symbolo, *Filius à ſolo Patre eſt, non factus, nec creatus, ſed genitus.* Denique quãdo duo principia productiua ſuo modo virtute diſtincta, ſingulaq. æquè ſua principiandi vi perfecta, quod vni adſcribitur, alteri adſcribere non licet, ſed in Deo ſunt intellectus, & voluntas, duo perfectiſsima ad intra Diuinarum emanationum principia, vt ſuo loco ſatis Theologi omnes: ergo quod vni tribuitur, alteri nequit tribui; ſed generatio eſt propria Diuini intellectus, vt conſtitit; quia Filius generatur per intellectum, & intellectus vt condiſtinctus à voluntate eſt principium naturale, quo natura rationalis determinatè ſe communicat per modum imaginis, & ſimilis: ergo non concedenda voluntati. Locus hic adeò firmus, & certus; vt otioſa videatur omnis alia addita confirmatio.

Secundum tamen ſit aſſertum. Ita hoc ſenſu Filium ab intellectu oriri dicimus, vt voluntatem quidem producentem excludamus, nequaquam tamen approbantem, & communicantem, ita conſtantiſsimè omnes Theologi. Addit D. Hilarius lib. de Synodis Decretum Concilij Sardicenſis: *Similiter, eos qui dicunt, quod neque conſilio, neque voluntate Pater generat Filium, anathematizat ſancta, & Catholica Eccleſia.* Confirmat ibidem D. Hilarius: *Natiuitatis autem in Filio adeò perfecta natura eſt, vt qui ex ſubſtantia Dei natus eſt, etiam ex conſilio eius, & voluntate naſcatur.* Idem vberius D. Athanaſ. orat. 4. contra Arrianos, quod Filius ille ſit, & tamen non ex voluntate ſicuti ex principio, neque tamen inuito illo, & præter ſententiam Filius exiſtit. Declaras infra: aliud enim eſt ſi dicas non voluntate eſſe factum, aliud autem ſi dicas, quod eum qui iam ex natura Filius eſt, Pater eum diligat, & velit, &c. Quibus hic Sanctus Pater cum reliquis, tum Patribus, tum Theologis vult dicere, non neceſsitate cogente, ſed naturali, & intrinſeca Filius generatur, non voluntate creante, neque fœcundè producente, ſed conſentiente; & approbante, propter identitatem inter intellectum, & voluntatem, propter ſummam perfectionem Filij geniti, vt non inuitus generet Pater, ſed volens, & diligens chariſsimum de propria ſubſtantia Filium: ita tamen, vt nullo modo præueniat voluntas generationem, quaſi Deus voluiſſe generare Filiũ, & applicuerit potentiam generandi generationi: nullo enim modo voluntas præuenit ſapientiam, vt teſtantur ſupra Concil. Tolet. D. Auguſt. & eum imitatus S. Doctor, &c. vt ex cap. 5. infra.

Tertium aſſertum. Productio Spiritus Sancti licet voluntate, & per modum amoris fiat, eſt tamen & illa naturalis, & neceſſaria. Probatur ſecunda pars. Primò ex communi Theologorum ſententia. D. Thom. quæſt. 41. art. 2. D. Bonau. Alberto, Aegidio, Capreolo, &c. Secundò, æquè neceſſariò Spiritus Sanctus eſt Deus in Diuinis, ac Filius, vt decernit Fides: ergo ſicut non poteſt nõ eſſe Deus, non eſſe Pater, non eſſe Filius; ita non poteſt non eſſe Spiritus Sanctus: ergo neceſſariò. Confirmatur, quia Diuina natura non eſſet perfectiſsima; ſi non communicaretur per voluntatem, & vim amoris. Confirmatur ſecundò: nam licet voluntas, vt ſic, non concipiatur vt intellectus: eſt tamen voluntas vt natura, quæ non poteſt non velle bonum, & non ſeipſam communicare, & à ſua perfectiſſima natura determinata eſt ad producendum Spiritum Sanctum; vt non poſſit non producere, ſicuti non poteſt Pater non generare, quia vtrumque intrinſecum, & naturaliſsimum Diuinæ naturæ. Probatur prima pars quo ad ſingulas particulas: eſt enim primò intrinſecè, & per ſe voluntaria Spiritus Sancti productio: non enim eſt ab intellectu Spiritus Sanctus, aliàs eſſet Filius: ergo à voluntate, cum ſit immediata diſtinctio; vt explicatiſsimè ſuo loco iam demonſtratũ. Confirmatur cum proportione omnibus illis rationibus, quibus ſupra ratiocinatum eſt de Filio eſſe ab intellectu. Conſtat lumine naturæ, & docuit Ariſt. duo ſcilicet dumtaxat eſſe principia diſtincta natura intellectuali, intellectus, & voluntatis; & eſt à voluntate per ſe, quia eſt per actum voluntatis formaliter, ſicuti & amor producitur à voluntate, vt voluntate: generatio enim Filij dicitur voluntaria per actum, non intellectus quo generatur, ſed voluntatis quaſi extrinſecum, & diſtinctum. Secunda particula quoque declaratione perſuadetur. Productionem enim eſſe ex ſua natura neceſſariam, ac naturalem duobus modis vſurpare congruit, vno modo ſtrictè, & ſpecialiori modo, cum ne dum ex principio intrinſeco ad vnum determinato, ſed etiam per modum ſimilis, vt eadem natura ex vi ſuæ productionis producat ſibi ſimilem, ſicut cum generatur Filius. Secundo verò modo, cum quidem productio ſit ex naturali, & intrinſeco principio; itidem ad vnum ex perfectione naturæ determinatum, vt non poſsit non fieri; neque tamen per modum naturę, & ſimilis, ſed voluntatis, vt dicitur tamen naturalis, non libera ſicuti Spiritus Sanctus, quia hæc eſt natura voluntatis, vt ei non poſsit non placere bonum; hæc eſt natura voluntatis Patris, & Filij, vt non poſſit non diligere fœcunde Diuinam eſſentiam, ſeſeque ad inuicem.

Quibus facili negotio tollitur, valde apparens inter quoſdam Theologos controuerſia. Scotus enim quem ſequuntur Maior, & Gabriel ita aſſerit Spiritus Sancti proceſſionem eſſe liberam, & voluntariam, vt nullo modo dicenda ſit naturalis. Riccardus impoſſibile eſſe perſonam à voluntate per modum naturæ agentis. Ante ipſos D. Bonau. diſt. 6. Filij principium productiuum eſſe naturã; Spiritus Sancti voluntatem Alexander 1. par. q. 42. membro 3. art. 4. idem diſertis verbis. S. Thom. q. 10. de potentia art. 2. ad quintum. Ex oppoſito plurimi præcipuè recentiores. Caiet. Bannes, Suarez,

rez, Vaſquez, &c. ipſemet D. Thom. hoc art. 2. apertiſſimis verbis appellant Spiritus Sancti productionem naturalem, quia voluntas vt natura, & ex perfectione Diuinæ naturæ determinata ad hoc ſpirat, vt non poſſit non ſpirare; quod certiſsimum eſt, aliàs hæc ſpiratio non eſſet neceſsaria: tollitur inquam, hæc controuerſia ex tradita diſtinctione naturæ, vt in productione Filij dicatur principium naturæ, & vt agens determinatum per modum naturæ ſimilis: Spiritus verò Sancti, vt per voluntatem diſtinctam ab intellectu, & natura, non naturalis per modum ſimilis; naturalis tamen vt determinata, & ex perfectione naturæ Diuinæ ſic communicabilis, vt non libera ad vtrumque. Quod Scotus de voluntate docuit 4. Sent. diſt. 41. quæſt. 9. D. Thom. de potentia quæſt. 2. art. 2. & quæſt. 10. ar. 2. ad quartum. & D. Bonau. multis locis.

CAPVT III.

De vera explicatione illorum verborum D. Pauli ad Coloſſ. 1. Tranſtulit ad Regnum Filii dilectionis ſuæ.

NOn paruipẽdẽdus propoſitus locus; hoc enim conantur vrgere Arriani, & videtur præſeferre oppoſitam Theologiam ei, quam præterito capitulo tradidimus, & fauere Sabelliano errori: ſi enim filius dilectionis: ergo aut creatura, aut ead. perſona cum Spiritu Sancto: quare ſolerter explicandus, & quænam ſit ſubiecta ſententia diſquirendum.

Integer S. Pauli locus his continetur verbis: *Qui eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in Regnum Filij dilectionis ſuæ, in quo habemus redemptionem, per ſanguinem eius remiſſionem peccatorum; qui eſt imago Dei inuiſibilis, primogenitus omnis creaturæ; quoniam in ipſo condita ſunt vniuerſa in cælis, & in terra viſibilia, & inuiſibilia &c. omnia per ipſum, & in ipſo creata ſunt, & ipſe eſt ante omnes, & omnia in ipſo conſtant.* Ad Coloſſ. 1. In quibus primo loco obſeruanda hæc antitheſis tenebrarũ, & lucis, & hic tranſitus in primis animaduertendus: opponit enim hic S. Paulus regno Chriſti infidelitatis Regnum, & ignorantiæ, & aliorum peccatorum; & diabolo, qui tenebrarum Princeps dicitur Lucæ 22. ad Epheſ. 9. Ita D. Chryſoſt. & Theophylactus, vt Deum oſtendat traduxiſſe nos ab hac tyrannide, & ignorantiæ cæcitate in Regnum lucis gratiæ, & Euangelij Filij ſui, qui lux vbique dicitur, & in hunc mundum veniſſe, vt illuminaret omnem hominem. Ioan. 1. ipſe de ſe teſtatur. In quem finem plura hic moralia congerit, ac refert præclarè S. Chryſoſt. Præterea hic diſcutiendum, an D. Paulus de Chriſto loquatur hic vt homo eſt, an vt Deus? Si enim fortaſſe de Chriſto homine erit Apoſtolica ratiocinatio; tunc omnis ſublata eſt difficultas, omnisq; euulſa obiectio: nam ſic erit verè Filius dilectionis eſſentialis formaliter, & Diuina Charitate quoad animam, & corpus effectus; neque hoc ſenſu noſtrum faceſsit negotium, vt omnibus conſpicuè conſtat: ſin autem de Chriſti Diuinitate nodus hic implicatus ſoluendus, & explicandus. S. Anſelmus comment. D. Hieronymo adſcripto, & Conc. Sardicenſe de Chriſto homine interpretantur: non enim inquiunt, vt Deus eſt primogenitus, ſed vnigenitus. Rurſus hic Apoſtolus loquitur de Chriſto, vt caput eſt Eccleſiæ, & apertiſſimis verbis ſubnectit ſtatim, ſed caput Eccleſiæ eſt, vt homo: ergo.

Verùm D. Ambr. Theodoretus, & Theophylactus melius de Chriſti Diuinitate verba expendũt, & expediunt: ſuſcipit enim Apoſtolus Chriſti dignitatem commendare ex Diuinitate, & de ea clariſſima ſunt verba, quæ in alium ſenſum extorqueri non poſſunt: *eſt imago Dei inuiſibilis*: hæc autem ex Scriptura, & omnibus Theologis Filij Dei proprietas eſt: *In ipſo condita ſunt vniuerſa, per ipſum omnia creata, in ipſo omnia conſtant*, ead. verba quibus & D. Ioan. cap. 1. contra Cherintum ad Diuinitatem Filij comprobandam vſus eſt: *Omnia per ipſum facta ſunt*; ergo illa verba *Primogenitus*, &c accipienda, idest Vnigenitus, & omnis creaturæ, ſcilicet æternus ante omnia creata; & quod de Chriſti capite addunt, & opponunt nihil impedit, tum quia nouam rem addit D. Paulus, & de Chriſto capite incipit tractare, tum quia neque caput eſt, vt purus homo, ſed vt homo Diuinus; imò potiori ratione, vt Deus. Ita admodum rationi conſentanea eſt hæc poſterior explicatio: quare aliunde quærenda propoſitæ dubitationi ſolutio. Animaduertendum ergo primò: Diuinarum literarum ex idiomate hebrço phraſis, & modus dicendi; vt cum Hebræi vocibus (vt aiũt) adiectiuis careant, ſolent earum loco ſubſtantiuas adhibere: quare vice vt dicant viri diuites, viri diuitiarum dicunt, vir ſanguinolotus, *vir ſanguinis*, & vberiorem ſenſum efficiunt, ſi numero pluriũ vtuntur; & vt exprimant virum ſanguinolentiſſimum, *virum ſanguinum* proferunt. Poſſent hic innumera exemplaria referri. Ergo ex hoc Idiomate hoc loco D. Paulus, dum *in Regnum Filij dilectionis* dixerit, æquè fuit, ac Filij dilecti dixiſſet. Ita Syrus, Theodoretus, ac Theophylactus: ex hoc ergo loco Filius dilectionis, ideſt adeò dilectus, vt ſit ipſamet Patris dilectio ſicut ipſemet cõceptus; ita vt idem ſit ſenſus D. Pauli hoc loco, & D. Matthæi 17. quando vox de cælo intonuit, *Hic eſt Filius meus dilectus*.

Sed quod remanet, nullo modo prætereundum eſt, omnium Theologorum eſſe conſonam explicationem, vt hic amor Patris ad Filium, vel dilectionis per emphaſim quandam, vel dilecti, non ſic originis, nec fœcunditatis, ſed approbationis &c. vt quemadmodum Spiritus Sanctus licet voluntate ſpiratus, ſpiratur tamen vt etiam cognitus: ſic & Filius, licet intellectu, & natura oriatur, ita tamen vt non inuiſus, ſed dilectus. Ergo cùm dilectus ſit ab æterno; non habent quod garriant ex hoc loco Arriani, & cùm ſit dilectus approbatione, non fœcunditate, nullus Sabellio relinquitur blaſ-

blaſphemandi locus de diſtinctione perſonarum, neque tandem hic locus opponitur explicatæ Theologiæ.

At verò, cum hæc in D. Bon. Theologię, & explicationem, & toborationem addantur; eſt ipſius huius loci huc referenda interpretatio. Diſt. igitur 5. dubio 8. literali duas refert expoſitiones. Alteram ferè communem, iamiam traditam ex D. Aug. 15. de Trinit. cap. 10. vt charitas hoc loco, & dilectio non relatiuè, ſed abſolutè, & eſſentialiter ſumenda ſit, & nihil aliud ſit dicere Filius dilectionis, quàm Filius ſubſtantiæ, & Filius charus; ſed geniticius ille non ſumatur in ratione principij, ſed ad aſſerendum vnionem, & identitatem Filij, cum Patre, & conſubſtantialitatem. Alteram verò, vt hic dilectio de Patre appropriatè ſumatur; vt idem ſit Filius dilectionis, ac Filius Patris: nam ſicut dilectionis, ac charitatis eſt gratis dare, & nihil recipere; ſic ita Pater Filium producit, vt à Filio nec producatur, nec quicquam recipiat. Vtraque amodum elegans, & conſona expoſitio.

CAPVT IV.

An actus notionalis ſpirationis ſit liber.

SVppono actum generationis eſſe quidem voluntarium voluntate neceſſaria, approbante, & concomitante obiectiuè, neque verò elicitiuè: nam ſicuti paucis antea, vult Deus eſſe, ita vult generare, neque inuitè, aut coactè generat.

Suppono deinde actum ſpirationis eſſe voluntarium voluntate producente intrinſecè, & formaliter: nam eſt à voluntate per ſe, non per alium actum, neque eiuſdem voluntatis, neque alterius facultatis. ſed eodem formaliſsimè vnico actu, quo productus, & volitus: ſi enim Pater & Filius ſe diligunt: ergo voluntate, & voluntariè: ſi denique Spiritus Sanctus voluntate productus: ergo libenter, & ſponte, & voluntarie: qui enim amat, non poteſt non velle amare, & Deus ſicut voluntarie eſt, & non coactè & vult eſſe; ita & vult amare, & ſpirare: tandem ſpirare, eſt velle ſpirare, quia per actum voluntatis ſpirat.

Suppono tertiò actum generationis non poſſe eſſe liberum, nec elicitiuè, neque obiectiuè: Non enim primo modo: nam non eſt à voluntate elicitus, ſed ab intellectu naturaliter, & per modum naturæ agente. Non ſecundo modo, quia non poteſt non velle Pater ſuam generationem, & non infinitè diligere Filium. Ita omnes Theologi.

Sola ergo dubitatio eſt de ſpiratione Spiritus Sancti; & dubitandi ratio videtur propter alios Theologos, quos in calce 2. cap. retuli. Scotus diuerſis locis: nam hic primò quæſt. 1. neceſsitatem emanationum Diuinarum non repugnare libertati aſſeuerat; in oppoſitum ſpirationem liberam non eſſe dicendam: hinc facile colligitur, quia neceſſaria, & naturalis, ſcilicet determinata vt verum poſsit non eſſe: liberum verò quod indifferens, & eſſe, & non eſſe poteſt; vt inter Patres D. Aug. lib. 3. de lib. arb. cap. 3. D. Hieronimus Epiſt. 146. D. Damaſcenus lib. 2. de fide cap. 24. & 25. eſſe liberam, quia eſt à principio condiſtincto à natiuitate, ac modo agendi per naturam, ſcilicet à voluntate, quæ licet neceſſariò in hac ſpiratione agat, & non poſsit non ſpirare; formaliter tamen ratione principij libera, & neceſſaria poteſt idoneè dici.

Sed non difficili negotio omnis hæc controuerſia euertitur, vt omnes obſeruant: inter quos optimè Gabriel, quippe non de re, ſed de nomine dumtaxat eſt: Diuerſimode enim hincinde controuertentes ſumunt libertatem: alij ad iſtar libertatis arbitrij; vt à neceſsitate diſtinguitur, vt poſsit eſſe, & non eſſe. Alij vt à condiſtincto principio, & in genere, & abſolutè, vt abſtrahit à modo libertatis arbitrij &c. ſed ſimpliciter, vt eſt à voluntate, & opponitur coactioni: ita vt libertas abſolutè, & genericè ſumpta ſit reſpectus actus voluntatis: ſpecificè verò, vt liberi arbitrij eſt, & actum eligendi reſpicit. Liberam ergo dixerunt quidam ſpirationem, nimirum quia à voluntate condiſtincto principio à natura, & non coactè: & hunc ſenſum quidem conſentaneè innuit & S. Bon. quidam verò non liberam, quia neceſſaria, & naturalis, & ex principio determinato, non quidem agente per modum ſimilis; tamen ex naturali inclinatione amandi fœcundè, & communicandi per hunc modum Diuinam naturam: & hi quidem certè appoſitè.

Qui verò magis propriè ex his, & ex communiori dicendi vſu? exiſtimo primò, qui voluntariam quidem, tamen naturalem, & non liberam dixere: nam nunc præſertim temporis, vt auditur libertatis vox, ſtatim, vt neceſsitati opponitur, & vt indifferentiam complectitur, accipitur: ergo vtroque modo tutè, ac licitè dici poſſe autumo: vtroque enim modo locuti ſunt Theologi, præſertim D. Bon. qui ſpirationem, & neceſſariam, & oppoſitam vertibilitati; nequaquam tamen libertati docuit. Et D. Thom. qui de potentia quæſt. 10. art. 2. ad quintum his verbis tradidit: liberè Spiritus Sanctus procedit à Patre, non tamen poſsibiliter, & hic art. 2. à voluntate, vt natura procedere: cenſeo tamen magis, vt cœperam dicere, propriè, & ad aures audientium, & legentium idoneè illos loquitur, qui voluntariam quidem, tamen & naturalē, non verò liberam appellant ratione iam indicata: nam libertatis vox imprimit indifferentiam, & tollit neceſsitatem; quod ſi admittendus hic dicendi modus; contrahendus, ac limitandus: ſpiratio libera eſt, hoc eſt voluntaria, & à coactione immunis.

Hinc Corollarium dubium ſoluitur, qua diuerſitate, ſe habeat Deus ſua voluntate in ſpirando Spiritu Sancto, & in producendis creaturis. Reſpondetur enim breuibus, fuſius proprio loco. Primò, nam Spiritum Sanctum voluntate notionali; creaturas verò voluntate eſſentiali producit, quæ ratione ſaltem differt, ſic D. Bonau. diſt. 7. quæſt. 3. in corpore, his ferè verbis. Poſſe generare,

rare, & poſſe creare differunt, ſicut eſſentia, & perſona; vnum in re tamen; differentia rationis in intelligendo, & in dicendo: hoc enim idem de potentia ſpirandi, & creandi, & de actu neceſſario dicendum. Secundò: nam creare, vt eſſentiale, & abſolutum priùs intelligitur, quàm notionale, & ſpirare, vt tamen creationis terminus temporalis eſt; ſpirationis verò æternus, hic ratione prius cõcipitur, quàm ille. Tertiò, quod hic proprium eſt, eadem quidem voluntate vtrumque præſtat Deus, non eadem tamen libertatis ratione: nam Spiritum Sanctum libertate neceſſaria, coactione immunitatum, creaturas verò libertate indifferentiæ, & arbitrij à neceſſitate condiſtincta, vt poſſit non creare.

CAPVT V.

An prius ratione concipiatur voluntas generandi, & ſpirandi, quam ipſa generatio, & ſpiratio.

VIdetur partim expedita difficultas ex D.Bonau. antequam propoſita ſit, partim ſubinde impertinens, & ſuperiori capite ſoluta, expedita quidem: nam conſpicuè docuit citata quæſt. 3. Eſſentialia prius ratione eſſe, quàm notionalia, & propria: ergo voluntas eſſentialis generationis, & ſpirationis præcedit actum noſtra intellectionis ratione. Impertinens verò: nam paucis ante verbis, eod. capite aſſertum eſt, eodem formaliſsimo actu Patrem, & Filium, & ſpirare, & velle ſpirare, volendo enim ſpirant: ergo cũ nihil ſe ipſum idem formaliter præcedat, neque præcedere intelligi poteſt; impertinens videtur hoc in dubium reuocare. Non abſonè tamen, neque inconſultò propoſitam eſſe dubitationem hanc, in proceſſu breuibus conſtabit: licet enim primò inter Theologos, eſſentialia priora notionalibus ratione; plurimis tamen limitationibus plurimi circumſcribunt illud, & ab omnibus ferè Theologis, illo non obſtante adagio, hæc proponitur difficultas, & quod capite præcedenti tactum eſt, nõ adhuc ſatis demonſtratum, & denique poteſt vtrumque diuerſa ratione eſſe verum, nimirum & eſſentialia præcedere intellectione, & in Patre non præcedere voluntatem ad generationem; quare expenſione, & firma declaratione res indiget.

Eſt ergo inter Theologos litigioſa controuerſia, & improbum diſſidium, non de re vlla ſubſtantiosè (vt aiunt) ſed de voluntario actu intelligendi rationis natura poſſibili, hoc eſt, cùm ſupra commonſtratum ſit, Patrem dum generat Filium habere ſimul circa hanc generationem actum voluntatis, qua concomitanter eam approbat, & delectatur ſua generatione: non enim inuitus, ac nolens; ſed volens, ac libens; licet non liberè generat. Modò quæritur: an iſthæc concomitans voluntas poſſit à nobis concipi prius, vt faciat hunc ſenſum: prius ratione Pater quam generat Filium, vult generare? nõ quæritur ergo an voluntas præcedat generationem duratione, neque fœcunditate, & productione: vterque enim ſenſus eſſet hæreticus, & contra æternitatem, & diſtinctionem emanationum perſonarum; ſed vt iam innuebatur, an per intellectum noſtrum poſſit concipi actum voluntatis eſſentialem prius notionalis generationis, &c.

Ita explicata quæſtione vult inter alios Scotus in 1. diſt. 6. veriorem partem eſſe affirmatiuam: Pater enim inquit, in primo ſigno originis intelligit formaliter, & habet intelligere perfectum cuiuſcumque intelligibilis, & etiam volubilis à ſe; in quo ſigno intelligit actum dicendi, & generandi Filium, & poteſt ſubinde habere actum volendi generationem; ita voluntas non ſolum approbans, & placens, & concomitans actum generationis; ſed etiã expoſito ſenſu non repugnet intelligi præcedens: prius enim Pater in ſe perfectus eſt, & Beatus per ſuum velle, & intelligere, quàm iſta alteri perſonæ communicet per productionem: ſi enim hæc non conueniunt Patri in primo ſigno; nunquã neque poſt conuenient: nihil enim perfectionis acquiritur à Patre ex perſonæ productione. Hanc probabilem ſentẽtiam putant Caietanus in 1. par. D.Tho. quæſt. 41. art. 2. & mentem quoque D.Tho. eſſe conſonam exiſtimat hac potiſſima ratione, quia eſſentialia prius ratione intelligibilia ſunt notionalibus.

In hanc verò voluntatem, de qua controuertitur hic, eſſentialem, & abſolutam; quidam recens, & eruditus Scotiſta deducit. Apertiſſimè, inquit, & Alexandrum Alenſem 1. par. quæſt. 46. memb. 7. D.Thom. 1. par. quæſt. 33. art. 3. ad primum. D.Bonau. diſt. 7. quæſt. 3. cæteroſq. omnes, qui hanc admittunt ſententiam, & ordinem inter abſoluta, & relatiua; addit verò ipſe aliam rationem ex Ariſt. 1. Ethicorum cap. 6. quod per ſe eſt, ac ſubſtantia, prius natura eſt, quàm quod ad aliquid, hac in primis ratione; nam relatiua in abſoluto fundantur: ergo & in Diuinis abſoluta priora ſunt relatiuis. Hic itidem pro Scoto laborat, & inſudat, & ex Scoto multa in medium traducit, & in Scoti ſententiam omnes Theologos adſcribere conatur, & plurimos eorum qui oppoſitam ſententiam cœperant profiteri, & rationibus confirmati; Scoti rationibus deuictos recantaſſe palinodiam, & in Scoti ſententiam deſcendiſſe: in primis Capreolum, Ferrarienſem, Gabrielem, & Vaſquez: ſed vbique ſemper ſupponit, quam aduerſarij vbique negant diſtinctionem formalem inter abſoluta communia, & propria, ac relatiua.

In altera ſententia aduerſantur Henricus Gandauenſis, & Goffredus relati à Scoto, & Gregorius Ariminenſis in 1. diſt. 6. art. 3. quæſt. 1. Capreolus diſt. 6. quæſt. 1. art. 1. concluſ. 6. Ferrarienſis 4. contra gentes, cap. 11. Molina 1. par. quæſt. 41. ar. 2. Vaſquez ibidem diſput. 160. cap. 3. Suarez lib. 6. de Deo trino cap. 4. neque vllum eorum reuocaſſe pedem ab hac ſententia cenſeo, quod ipſe teſtatur; & conſtabit fortaſſe: Diuus quoque Bonauentura vbi ſupra. Riccardus diſt. 6. quæſt. 2. Biel ibidem art. 1. concl. 2. Innuunt ſatis dum abſolutè aſtruunt Patrem non genuiſſe Filium voluntate antecedẽte.

Diuus

Diuus quoque Thomas 1. par. quæſt. 33. art. 3. ad primum. Dum reſpectus generationis, inquit, non eſt voluntas præcedens: quæ verba abſolutè aſſerta, non videtur conſonum, aut decens gloſſare, ac limitatione circumſcribere; in ijs præcipuè quæſtionibus, vbi non videtur, neque inuenitur alia apertior ſententia: ſic enim horum virorum & perturbatur, & eneruatur ſententia, niſi inde ſequatur non diſſimulandum abſurdum, vt in regulis interpretandi Diuinam Scripturam tradunt Patres.

Antequam de hac non plurimi momenti quæſt. feratur ſententia; valde meo iudicio refert, quo ſenſu præciſè, ac formaliter inſtituatur quæſtio, animaduertere. Aliud ergo eſt quærere abſolutè, an eſſentialia, ac ſubinde velle eſſentiale Diuinum noſtra cogitatione notionale, quod aliquo ſenſu non negandum: aliud, an in Patre formaliter accepto, vt in Patre: vt in Patre enim abſolutum, & abſtractum, non præciſè vt diſtinctum ratione à notionali, ſed vt coniuncto cum Paternitate, quo ferè vtroque conſtitutus eſt in perſona Pater formaliter: neque vt ſic etiam ratione diſtinguitur abſolutum à relatiuo: nam abſolutum intelligere, & velle notionali nihil addit, quod ad rationem intelligendi, ac volendi: eſt enim vnius actus, ac idem formaliſsimo vt ſic. Quocirca in Patre non poteſt intelligi velle, vel intelligere abſolutum, quin ſimul intelligatur & relatiuum: ſic enim eſt conſtituendum, & conſtitutum, & quaſi coniunctum in Patre: hic verò non priori, ſed poſteriori modo proponitur quæſtio: nam dum quæritur; an Pater prius ratione quam generet, poſſit intelligi volo generare: certum eſt ſicut Pater, vt perſona eſt qui generat, ita ſi conſentaneè inſtituatur, dubitatio erit; & Pater vt ſic, an velit generare.

Quod verò in hac ſententia quærat, & ſoluat S. Bonauentura non exiſtimo dubitandum, dum quæſtione 2. voluntatem in ordine ad generationem non aſſumit, niſi vt communicantem, & identificatam cum intellectu, & vt complacentem de generatione exiſtente, & vtroque modo ita eſſe coniunctam, vt neque ratione præcedat. Eodem modo S. Thom. art. 2. quæſt. 41. ad primum. Confirmatur, hic ſumitur voluntas in ordine ad obiectum volitum; obiectum verò potius præſupponitur; quam ſequatur.

Secundò. Hic neceſſariò recolenda illa vulgata ac trita diſtinctio, ac differentia rationis; vt alia ſit rationis ratiocinatæ, alia ratiocinantis. Prima enim admittit ordinem quendam in intelligendo, non virtualem, licet obiectiuè ſit vnica res; cui tamen non repugnat ſic intelligi. Secunda autem nulla habita ratione ad modum rei obiectæ, diminutè, imperfectè, & inadæquatè iuxta aut appetitum, & voluntatem: ſic inuerſo ordine obiecti philoſophandi, aut iuxta finitum, & imperfectum modum ſuæ facultatis intelligendi, poteſt ſuo modo fingere ordinem, vbi non eſt: quo ex modo nulla æquè admittitur illatio ad aſſerendum vllum ordinem intelligibilium obiectiuum, ſed dumtaxat fictiones ſic volitas, & imperfectiores facultatis intellectiuæ teſtãtur, redarguũtur, & colligũtur. Quo poſteriori modo ſi contendatur, prius ratione intelligibile eſſe velle generare, quàm ipſum generare nemo contradiceret: ſed primo modo lis pendet, ac verſatur.

Tertiò nobis ob oculos ponendum, quod aliàs indicauimus, & confirmare conati ſumus. De ratione ſcilicet Diuinæ eſſentiæ eſſe, vt ſubſiſtat tribus ſubſiſtentijs relatiuis, nimirum in Patre, in Filio, & Spiritu Sancto: intrinſecum enim eſt, ac ipſius eſſentiæ Diuinæ quidditate eſt, vt ſit infinita, & infinitè fœcunda, & communicabilis tribus, & actu communicata; vt non poſſit neque videri, nec concipi adæquato conceptu, niſi & conceptis ſecum Diuinis relationibus, ac perſonis; quemadmodum & de attributis eſſentialibus idem rationi conſentaneè aſſeritur communi ſententia. Confirmari poteſt. Diuinitas eſt de eſſentia Patris: ergo de eſſentia Paternitatis. De antecedente nullus dubitat: probanda ergo conſequentia. In Diuinis inter abſtractum, & concretum hæc interuenit comparatio, vt vnum includatur in eſſentia alterius; quia ibi concretum nihil aliud eſt, quàm ipſa forma ſubſiſtens ex ſumma Dei actualitate, & ſimplicitate: ſed ſubſiſtens eſt ex propria relatione relatiuorum: ergo relatio illa includit eſſentiam. Paternitas v. g. eſt Deus: ergo eſſentialiter Deus. Antecedens certum eſt, & commune Theologorum axioma. Quicquid eſt in Deo, Deus eſt, facitq; ad Dei perfectionem. Probatur conſequentia. Quicquid eſt Deus, eſt ſummè perfectũ; quod eſſe, aut concipi poteſt: ſed maioris perfectionis eſt concipere eſſentialem Deitatem: ergo quicquid verè eſt Deus, eſſentialiter eſt Deus: ergo includitur in conceptu eſſentiali Dei eſſentia: nam repugnat eſſe eſſentiale tale, & prædicatum non eſſe de eſſentia ilius, &c. Quibus poſitis conſequitur prius, hoc ſenſu non poſſe adæquatè concipi primò eſſentiale; non ſimul concepto notionali, neque notionale non pariter eſſentiali concepto, qua ſententia eſſentialia, neque ratione ratiocinata ſunt priora notionalibus.

Hinc ſtatuitur concluſio. Velle eſſentiale neque ratione præcedit, aut præcedere poteſt generationem, neque ſpirationem propoſita quæſtione poſteriori ſenſu. Probatur primò auctoritate tot Theologorum, qui initio recenſiti ſunt, quorum nullus mutauit ſententiã: nam ſi qui dixerũt eſſentialia prius ratione, ſi quis Deum poſſe, & potentem eſſe generare, & inde volentem; id rectè primo aliquo ſenſu dixerunt: ſed priori ſenſu inſtituta quæſtione, non poſteriori. Deinde rationibus. De ratione eſſentiæ eſt vt ſit in tribus: ergo non poteſt concipi ſimul non conceptis relatiuis. Remanet confirmata conſequentia ex tertia obſeruatione, & vberius ex quæſtione ſuo loco ſoluta. Rurſus voluntas fertur in præcognitum: ergo Pater prius ratione intelligit generationem, quàm illam velit: ergo prius generat quàm velit: nam intelligendo generat. Probatur conſequentia ex prima obſeruatione: nam in prima perſona, ſimpliciter ſumpta, & formaliter vt ſic, non poteſt præcedere velle eſſentiale: nam ſic iam concreta, & vt ita loquar, contracta eſt eſſentia ad notionem;

Digitized by Google

nem; ita vt vnum ſine alio præintelligi non poſſit. Confirmatur. Velle iam quaſi ſub ratione deſiderij primò non decet in Deo; ratio eſt: nam quod deſideratur adhuc non eſt, quod valde imperfectionem, ac ferè repugnantiam in Diuinis æternis inuoluit: ergo illud velle quod admittitur, nõ poteſt eſſe niſi cõplacentiæ, & approbationis. Secundò, quod idẽ & vnum formaliſſimè eſt, nõ poteſt neque ſeipſum præcedere, neque intelligi; ſic eſt in perſona Patris intelligere relatiuum, & abſolutum; & in perſona Patris, & Filij velle eſſentiale, & notionale: ergo. Maior ex ſe cõſtat: minor ſuo loco ſupponitur probata. Tertiò ex D. Bonau. volũtas in ordine ad generationem, eſt idem cum intellectu generante: ergo ipſum præcedere, nec intelligi poteſt. Non obſtat, quod non præcedat intelligere eſſentiale; poſſit tamen præcedere notionale: nam vt nunc dicebamus, & vbique repetitum eſt, vtroque modo formaliter idem eſt intellectus eſſentialis, & notionalis; ſicut intellectus, & voluntas eſſentialis: quod ſi etiam differret formaliter in ſe; in perſona tamen iam conſtituta, ac vt ſic concepta, illa diſtinctio non ſuffragatur. Quartò, ex eod. hic voluntas ſumitur vt ad obiectum: ergo non poteſt præcedere obiectum, nam illud ſupponit.

Ad rationes in contrarium, ſcilicet ad illam potiſſimam, abſoluta ratione præcedũt relatiua, iam reſponſum eſt, & in ordine ad intelligere, & velle, vt in perſona negatum eſt. Quæ verò diſtinctè, & fusè addit ille eruditus Scotiſta; & peracutè ex Scoto, & valde quidem probabilia, tamen vt huic opinioni quam tuemur, aduerſantur: tum ſoluta ſunt, tum amicitiæ, & conſuetudinis ergo inſoluta, & in ſuo robore remitto.

ARTICVLVS III.

Vtrum actus notionalis ſit de aliquo. D. Bon. diſt. 5. q. 2. D. Tho. q. 41. ar. 3.

PARAPHRASIS.

P*RIMA Propoſitio ex dubio 7. literali. Deus vnus, & eſſentia & etiam Pater poteſt dici de nihilo; quia non ex aliquo productus; tamen inuſitatus loquẽdi modus eſſet: nam hæc propoſitio eſſe ex nihilo haue fert ſententiam dicentem ordinem, poſt nihil eſt; vt verum ſit dicere antea non fuit, nunc eſt, quod blaſphemũ, & hæreticũ affirmare de Deo. Secunda Propoſitio ex quæſtione. Filius, & Spiritus Sanctus non de nihilo, ſed Filius de ſubſtantia Patris, Spiritus Sanctus de ead. ſubſtãtia Patris, & Filij producitur. Probatur prima pars: Si enim de nihilo originem traherent: ergo creaturæ, & temporales, quæ ex nihilo, & poſt nihil producuntur: quod hæreticũ eſt. Secunda verò pars, primò ex his Patribus, quos refert Magiſter; deindè ex Scriptura, quam præſertim ex D. Aug. idẽ Magiſter prodit. Ad Coloſſ. 1.* Qui eruit nos de poteſtate tenebrarũ, & tranſtulit in Regnũ Filij charitatis ſuæ, *Filij ſcilicet dilecti ſui, Filij ſubſtantia ſua, &c. Secundò rationibus. Prima. Filius eſt à Patre, & eius conſubſtantialis, ergo de eius ſubſtantia. Probatur, nam quicumque eſt ab alio, & ei cõſubſtantialis de eius ſubſtantia eſt. Secũda. Pater generat Filiũ, aut ergo de aliquo, aut de nihilo: ſi de nihilo, ergo vt aſſertũ eſt, creatura eſt temporanea, ergo de aliquo: quod ſi de aliquo, aut alio à ſe, & tunc non eſſet, neque conſubſtantialis, neque Filius; quod idẽ eſt hæreticũ: ergo de ſe, & de ſui ſubſtantia. Tertia. Si Filius in humanis, qui dumtaxat partẽ Patris ſubſtantia habet, tamen ei conſubſtantialis rectè dicitur, quantò verius dicẽdus Filius æternus, Patri conſubſtantialis, cuius totã indiuiſibilem, & impartibilem in ſui generatione accipit ſubſtantiã? Quarta ex reſponſ. ad 3. Ex particula (De) dicit conſubſtantialitatẽ, & originem: ergo appoſitè Filius dicitur de ſubſtãtia Patris: nam eiuſdẽ cum Patre ſubſtantia, & originẽ à Patre ducit. Quinta ex reſponſ. ad 4. Hæc eadẽ particula (De) in hac eadẽ propoſitione dicit identitatem quandã ſubſtantiæ, & diſtinctionem originis, & perſonæ. ſed ſic ſe habet Filius cũ Patre, & Pater & Filius cũ Spiritu Sãcto, vt cõſtat: ergo de eius ſubſtãtia producitur. Tertia Propoſitio. Ex 1 argum ad oppoſitũ, & ex corpore Quæſt. Particula (De) quatuor modis ſumi poteſt & quadruplicẽ ſenſum ferre. Nã primò aſtruit materiã vt de ferro cultellus. Secundò ordinem, veluti de mane Meridies, ſcilicet poſt mane. Tertiò originem, vt de Sole radius ſubſtãtiã, & originẽ, ceu de Patre Filius. Quartò identitatẽ ſubſtantialẽ inter extrema. Quarta Propoſitio ex arg. 3. ad oppoſitum & eius reſponſionem. Inter hanc particulam (A, & De) hæc differentia præſertim interiacet: nam illa tãtum vim principij actiui exprimit; hæc verò & actiui. Pater enim generat Filiũ, & Pater, & Filius ſpirãt Spiritũ Sanctũ; & conſubſtãtialitatẽ cum origine: Pater enim de ſui ſubſtãtia producit Filium, &c. & Filij origo eſt, &c.*

COMMENTARIVM.

HIC S. Doctor actuum notionalium originem in actu exercito quærit: an ſcilicet Pater verè generet Filium, & cum Filio ſpiret Spiritum Sanctum de ſui ſubſtantia, vel de nihilo, vt in D. Tho. art. 5. obſeruat Caiet. & licet de Spiritu Sancto nullũ verbum promat; ſubintelligendum tamen eſt: nam de notionalibus abſolutè eſt ſermo, & eadem prorſus ratio de vtraque perſona eſt. Duo verò in primis præſtat: alterum de re, de modo dicendi alterũ: ac proprietate huius propoſitionis: *Filius de ſubſtantia Patris generatur*; velut magis conſpicuè loquatur de veritate rei, ac deinde de proprietate; & quamuis totus in diſquirenda proprietate videatur, inter dicẽdum tamen & argumenta de veritate promit, quod huius loci nunc propriũ eſt, vt ex D. Tho. colligitur, qui de modo dicendi nullũ ferè verbum refert: regula enim loquendi de hoc myſterio, diſtinctũ ſibi vendicat locũ; & ex titulo quæſt. S. Doctoris liquidò dignoſcitur, quo promittit rei veritatẽ

Digitized by Google

indagare; & ſi hoc loco de re non ageret, in tract. de actibus notionalibus deficiens, & mācus fuiſſet: alio enim loco quem ſciam, de veritate hac, verba non fecit.

Vtrumque nobis hoc loco, vtcumque cōmentario noſtro illuſtrandum, & augendum, & à primo exordium ſumendo, ex Diuina Scriptura primo loco veritatem hanc Diuinam confirmemus, præter indicatum locum ad Coloſſenſes in textu, addit alium idem D. Aug. 3. contra Maximinum hæreticū cap. 14. illum inquam D. Ioan. 1. canonicæ 5. *Vt ſimus in vero Filio eius Ieſu Chriſto, hic eſt verus Deus, & vita æterna.* & omnem vim ponit in illā vocem *In vero Filio*, his verbis: *Dicite ergo nobis, vtrum iſte verus Dei Filius ab eis, qui gratia filij ſunt, quadam proprietate diſcretus de nulla ſubſtantia ſit, aut de aliqua; non dicam, inquis, de nulla, nec dicam de nihilo: ergo de aliqua ſubſtantia. Quæro de qua? ſi non de Patris ſubſtantia eſt, aliam quærere oportet: ſi aliam non inuenis, Patris agnoſce ſubſtantiam, & homouſion, ideſt conſubſtantialem confitere.* Quaſi dicat, ſecunda perſona eſt verus Dei Filius: ergò de vera Dei Patris ſubſtantia genitus, aliàs neque verus Filius, neque verus Deus eſſet. Hinc hoc argumento augeri omnibus illis Diuinarum literarum locis poteſt, quibus ſecunda perſona, & Filius, & genitus aſſeritur. Quod idem mirè obſeruarunt, & & pereruditè deduxerunt D. Greg. Nazian. Apologetico 1. & orat. 2. de Theologia. D. Baſil. 4. contra Eunomium, & D. Hilar. lib. 7. de Trinit. in medio. Filius enim ex generantis ſubſtantia producitur, vt ex generationis communi, & ab omnibus recepta definitione conſpicuum eſt.

Tertius addendus locus ille, prætermiſſis ſexcētis, eiuſdem ponderis æquipollens, Pſal. 109. *Ex vtero ante luciferum genui te:* vbi primò, *luciferum*, aſtrum ſingulare pro omnibus lucem ferentibus aſtris neceſſariò ſumendum, vt inferatur ante luciferum, ante aſtrorum, & cælorum omnium, & cuiuſcumque creaturæ productionē, Filius eſt genitus ab æterno, nimirum, *ex vtero*. Pro vtero, hæbraicè eſt *Rechem*, quæ vox fœmininę ſignificationis eſt: dicitur autem Pater ex vtero Filiū gignere; vt intelligeremus longè diuerſam ab humana diuinam generationem: homines namque ad generandum aliena vulua indigent: Pater autem ſolus hanc admirandam generationem abſoluit: ex vtero namque ſuo generat, quia alieno non eget. Ex vtero deinde; quia Filius etiam hominis in eo vtero, quo genitus manet: ita fermè Filius Dei in vtero, hoc eſt, in ſinu Patris & genitus eſt, & manet, iuxta D. Io. verba, *vnigenitus qui eſt in ſinu Patris*, mox Filius Dei, qui eſt Verbum, ex vtero alicuius conceptus eſt; ſcilicet intellectus: noſter enim intellectus recipit ſpecies intelligibiles ab obiecto, illiſq. receptis veluti ſemine gignit cōceptū: Pater verò æternus ex ſua eſſentia per infinitū vterum illum, hoc eſt intellectum, nō aliunde recepta imagine, ſed ipſa Diuina eſſentia ad inſtar imaginis cōcurrit, & in intellectu Diuino veluti vtero recepta, dum ſcilicet Pater ſeipſum Diuina eſſentia plenum intelligit, Verbum generat, & quod hic quærimus; ſic Diuina eſſentia in Patre communicatur, in Patre per vim, & generationem intellectus Filio, & eadem per vim volūtatis, & amoris Spiritui Sancto: hoc eſt enim Filium de ſubſtantia Patris generari, eſt autem vt iam indicatum eſt, vox illa *Rechem* ſignificans vterum eo fœmininæ ſignificationis, quo indicetur Patris vterum, ideſt ſubſtantiā, non indigere fœminino vtero, & extrinſeco: ſed omnia ſe ſolo præſtare, & maris, & fœminæ (liceat ſic loqui) vicem gerere.

Quam eandem veritatem, ead. phraſi poſtea, idē Spiritus Sanctus Prouer. 8. mirificè expreſſit: *Nondum erant abyſſi*, hoc eſt, ab æterno, *& ego iam concepta eram*; ſcilicet in vtero intellectus. Ibidē: *Ante omnes colles*. Dauid, *ante luciferum*. Salomon, *Nondum erant abyſſi*, nimirum ante omnē creaturam, & ab æterno *ego parturiebar*, loquitur Filius. Ibi loquebatur Pater, *genui te*, atque eò libentius hunc Salomonis aſſumpſi locum, quò ferè eſt communis Patrum interpretatio ad eandē veritatem, quam verſamus confirmandam. D. Aug. in hūc locum D. Amb. 4. de Fide cap. 3. D. Hilar. lib. 6. & lib. 12. de Trinit. pluribus verbis. D. Baſil. 3. contra Eunomium. D. Athanaſ. orat. in illud *ex Deo Deus*, & in diſput. contra Arrium Laodiceæ habita. Inde decernit Sancta Mater Eccleſia in Conc. generalibus, ac præſertim in illo magno Conc. Nicæno 1. illis verbis: *Credimus in vnum Dominū Ieſum Chriſtum, Filium Dei, de Patre natum*, hoc eſt, de ſubſtantia Patris, *Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero, natum non factum, homouſion Patri*, hoc eſt eiuſdē ſubſtātiæ cū Patre, &c. vbi poſtea qui oppoſitū aſſerere audent, anathematizat Catholica, & Apoſt. Eccleſia.

Nō deſunt & alia loca, eademq. grauiſſima pro hac Catholica veritate confirmanda, eludendaq. vafritie, ac pernicacia Arrij, cum tota Arrianorū, ſpiritu erroris agitata familia: cum primis illud Ioan. 16. *Exiui à Patre, & veni in mundum*. Quibus verbis teſte D. Amb. lib. 1. de Fide cap. 7. Diuinæ generationis proprietas declaratur; & D. Hilar. lib. 6. de Trinit. *Natiuitas Filij ex Patre æterna, & eius in mundum aduentus oſtenditur*.

Neque quicquam prodeſt, aut opitulari poteſt, aut vllam vmbram veritati effundere Arrio, contra quem in hac diſputatione, tum innumeri Illuſtriſſimi, iidemq. vetuſtiſſimi Patres, tum omnes Scholaſtici bellum inierunt, felicemq. reportarūt victoriam, Ille Eccleſiaſtici 24. locus: *Ab initio, & ante ſæcula creata ſum*. vbi, ſi ſapientia eſt Filius Dei, tamen creatus, videtur hanc concedere conſequentiam: ergo ex nihilo: non ergo ex ſubſtantia Patris genitus. Itidem alius locus ſimilis de Spiritu Sancto Amos 4. *Dominus ego formans tonitrum, & creans Spiritum hominis in eo*: ergo neque Spiritus Sanctus productus de ſubſtantia, ſed ex nihilo.

Reſpondetur enim ad primum locum, fieri ibi mentionem de ſapientia creata, vel ſi de increata, de ea in ordine ad humanam carnem aſſumptam, ante ſæcula quidem decreta, ſuo prætereà tempore creata. Deinde ex D. Hilario lib. de Synodis, creare ibi per ſimilitudinē aſſumitur, vt rectè ead. Diuina ſapientia & genita, & creata ſic poſſit dici, genita quidem per Diuinam generationem; creata verò, quia ſicuti dum Deus creat, non mutatur;

ita

ita propemodum cum Pater generat, nulla mutatione afficitur, quemadmodum homines in ſuorũ filiorum generatione, & afficiuntur, & mutantur, & traoſmutantur: & meo iudicio neceſſaria hæc interpretatio eſt; cùm enim alibi de eadem ſapientia quod concepta, & genita ſit, aſſeratur; & in Diuina Scriptura nolla; poſſit admitti contradictio: ergo creari ſapientiam, in aliam ſententiam accipiendum eſt, quàm puræ, & communis creationis. Ad alium locum Zacc. de Spiritu Sancto certa explicatio eſt, non ibi de Spiritus Sancti æterna perſona, ſed de Spiritu creato.

Ad conſimilia loca ſimiles affert expoſitiones D. Athan. indicata oratione. Quod enim Prouer. 8. vbi nos legimus: *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum, antequam quicquam faceret à principio*: ex Septuag. Interpret. legitur: *Dominus creauit me initium viarum ſuarum*, explicae, & ſoluit, ac tres adhibet ſolutiones; ante quas tamen primò hoc iacit fundamentum. In interpretandis prouerbijs hoc vehementer obſeruandum: *Quia prouerbia*, inquit, *ſunt, & prouerbiali ſchemate dicuntur, non cõuenit, vt quaq; obuia eſt dictio, ita eam ſtatim excipere, quàm prius expendere oporteat, & ita ad pietatem ſententia accõmodanda. Quæ enim in prouerbijs dicuntur, nõ de piano dicuntur, ſed aliquid abſtruſi indicant, quemadmodum & ipſe Dominus teſtatur, hæc in prouerbijs locutus ſum vobis, ſed venit hora cũ amplius in prouerbijs non loquar, ſed palam*: ergo reregẽda mens verborum, & vt abſtruſior inueſtiganda, &c. Prima ergo ſolutio, poſſe hic agi de Angelis; & ſapientia creata, quæ certò creata eſt. Secunda verò, quod idẽ ſit hoc loco creare, ac generare, & ſic eleganter etiã de Sapientia increata accipi poſſet. Tertia denique de Sapiẽtia incarnata, in quam expoſitionẽ plura perpolitè, & pereruditè profert, & in primis illũ locum: *Sapientia ædificauit ſibi domum*, hoc eſt, *creauit* ſibi corpus, quando Verbum caro factum eſt: quo deducitur, ergo ſecundum carnem aſſumptam idoneè Sapientia increata dicitur creata.

Quod pariter Act. 2. obijcitur, *Deus fecit hunc Ieſum*. & ad Hebr. 1. *Tantò melior effectus*, ſcilicet Ieſus, &c. & ad Hebr. 3. *Conſiderate Apoſtolum, & Pontificem noſtræ confeſsionis Ieſum, qui fidelis eſt ei, qui fecit illum*. Reſpondet verò ad locum Actor. ex conſequentibus verbis. Verba illa de Chriſto homine neceſſariò interpretanda: ſtatim enim ſubduntur hæc: *Hunc Ieſum, quem vos crucifixiſtis, & omnibus innotuit*. Deinde illam vocem, *fecit*, hunc ſenſum efficere declarauit ad illa Hebr. 1. *tantò melior effectus*. *Si*, inquit, *quis hic loquatur, attendatur, quãdo loquatur, & ad præcedentia verba conferantur, quæ hic obijciunt Arriani: ſi denique illa vox coniungatur cum illa (melior) tantò melior effectus, ceſſabit omnis obiectionis ratio*. Primò enim eſt Apoſtolus, qui poſt Verbum incarnatum loquitur, & de illo verba facit, de quo antea præmiſerat. *Multifariam, multisq; modis olim Deus locutus eſt Patribus noſtris per Prophetas, nũc locutus eſt nobis in Filio*: ergo ſicut locutus eſt nobis in Filio in carne aſſumpta; ita ille effectus; ſcilicet in carne: ergo de Chriſto in carne eſt ſermo, non autem de Verbo æterno præciſè. Præterea illa vox *factus*, vel *effectus* non ſert eandẽ ſententiam, ac ſi diceret creatus, ſed fuit, extitit; quod ſic demonſtratur, dum aſſerit Apoſtolus de Chriſto *melior*, ad hunc vtique finem aſſerit, vt illum à cæteris diſtinguat: ille enim ad dexteram Patris ſedet: alios verò ſeruos indicat, ille Filius reliquos mancipia ſtatuit: ergo Filius non hic deſcribitur creatus, ſed alius, & melior creatus, non factus; ſed eſt, & extitit.

Ad tertium locum Hebr. 3. *Ieſum eſſe fidelem ei, qui fecit eum*. Primò, non eum ita fidelem exponit, quaſi credẽdus gratioſus factus ſit, ſed quia eſt Filius Dei veri, dignus eſt cui fides adhibeatur in his, quæ docet; & in more poſitum eſt, vtroque hoc modo accipere fidelem. Secundò, loquitur Apoſtolus de Verbo in carne, legatione fideli Patris gerẽte: ergo non de eo, vt Verbum eſt, aſſerit factum; ſed vt carnem aſſumpſit. Deprauarunt perditiſſimi Arriani, & alia loca diuinarum literarum pro ſuis fouendis blaſphemijs; & obſeruant multi, ſed in primis D. Auguſt. multis locis, ac præſertim lib. 3. de Doctrina Chriſtiana cap. 2. & ipſemet D. Athanaſ. ſed non fuit neceſſe hic omnia colligere loca, cum præſertim alijs locis ſeſe offerre poſsit occaſio explicandi, &c.

Vnum locum addam ex D. Ioan. bis repetitum: *Qui poſt me venturus eſt, ante me factus eſt, quia prior me erat*. Quo loco certum eſt, vt refert D. Ambr. lib. 5. de Fide, cap. 5. abutebantur Arriani, ad inferendum Chriſtum, etiam ſecundum Diuinitatẽ eſſe creaturam: nam ſecundum humanitatem non ante Ioannem, ſed poſt erat conceptus, & factus: ergo ſi factus, ſecundum Diuinitatem erit factus: ergo non natus de Patris ſubſtantia.

Sed perperam, & hæreticè: nam vox hæc, *factus*, non ſemper in rigore in Diuinis Scripturis ſumitur, vt dicat productus, & effectus ex nihilo, vel ex materia, ſed vt idem ſit, ac genitus, & ex voce græca vtrumque ſignificatur ex D. Epiphanio, qui hæreſi 67. *ante me factus eſt*; legit, *ante me fuit*; ſcilicet ſecundum Deitatem in mundo, vt ſit ſenſus: Qui poſt me venit ſecundum carnis natiuitatem, ante me fuit in mundo ſecundum Diuinitatem, vt ſic dilueret Arrianorum errorem, qui, vt dicebam, etiam ſecundum diuinitatem factum auſu temerario digruniebant. D. Auguſt. tract. 3. in Ioan. D. Chryſoſt. hom. 12. D. Cyrillus lib. 1. cap. 19. D. Ambroſ. lib. 5. de Fide cap. 5. & Theophylactus. Ante me factus, neque corpus, neque Diuinitatem, ſed honorem, & dignitatem ſignificare aſſerunt, quia Chriſtus glorioſior, & honoratior habitus eſt Ioãne Baptiſta: ita tamen vt factus eſt, pro futurus eſt poſitum ſit ex hæbraiſmo, & phraſi Prophetarum; & Diuinæ Scripturæ, quæ ſæpenumero vno tempore pro altero vtuntur: ergo horum verborum ſententia erit: Qui poſt me venit, vel venturus eſt, ante me factus, poſitus, & prælatus eſt, ponetur, & præfertetur, etiam ſecundum humanitatem erit excelſior, & glorioſior, & præſtantior apparebit, & habebitur, quia prior me erat; ſcilicet perfectior, & ſecundum quod homo, & multò magis ſecundum quod Deus.

Verùm, & vt iacent verba, nimirum præterito

tempore ante me factus eſt, genuinam habent veritatem: nam & in conceptione, & natiuitate inprimis ante me factus propter modum naſcendi ex Virgine, propter miracula, Angelorum aduentum, Magorum adorationem, &c. ergo impium, & hæreticum quicquid ex hoc loco Arriani pro ſua fucanda hæreſi extorquere pertentarunt.

Nunc vnico argumento hanc aſſertam fidem Theologicè confirmemus. & ſit illud commune nedum Theologorum, Sancti Bonauenturæ, S. Thomæ, &c. ſed etiam Sanctorum Patrum. Pater æternus ab æterno generat Filium; ergo de propria ſubſtantia: ergo ei eſt conſubſtantialis. Antecedens iuxta duas partes, quibus conſtat præter ea, quæ infra cum de æternitate generationis, probatur. Generatio de fide eſt in Diuinis, & eadem fide, qua creditur Diuina Trinitas Patris, Filij, & Spiritus Sancti: & ſuo loco ante demonſtratum eſt, & aſſerit vbique ijs locis Diuina Scriptura, quibus Patrem primam perſonã, ſecundam Filium profitetur, & teſtatur. Secundò. Generationem eſſe æternam, contra Arrium in oppoſitum delirantem, decernit Spiritus Sanctus in generali Synodo Nicæna, anathematizans illa verba, *Erat quando non erat, & antequam naſceretur non erat*. in Concilio generali Lateranenſi, ſub Innocentio III. expreſſis verbis, cap. *firmiter credimus*. D. Athanaſ. in Symbolo, *æternus Pater, æternus Filius*, &c. S. Bonau. infra, diſt. 10. quæſt. 3. ex Ioan. 1. *In principio*, ideſt, ab æterno, *erat Verbum*, optimè probat: eſt enim Diui Hilarij expoſitio lib. 2. de Trinit. D. Baſilij 2. contra Eunomiũ, & homil. in hæc verba D. Nazianz. tract. de Fide, ante medium. *Quod in principio erat, ſemper fuiſſe credendum eſt*. D. Auguſt. 6. de Trinit. D. Ambroſ. lib. 1. de Fide cap. 5. interpretantur enim *iam erat Verbum, quando omnia cœperunt eſſe*; atque adeò, vt omnia per Verbum ſimul cum Patre, & Spiritu Sancto facta ſint: ergo eſt æternum Verbum. Quod ſi alij Patres aliter illam vocem *in principio* enuclearunt, vt iidem Sancti Cyrillus, & Auguſtinus recenſitis locis, nihil refert: eadem enim eſt pro æternitate ſententia: ſi enim interpretantur in principio, ideſt, in Patre; ergo in Patre ab æterno; aliàs ſi poſt concepiſſet Verbum, & genuiſſet Filium, & mutatus eſſet, & de potentia ad actum tranſiſſet, quod impoſſibile eſt; non tamen propter actualem infinitam perfectionem; ſed propter conditionem actus generationis, eſt enim naturalis: ergo eo inſtanti fuit, quo natura conſtituta eſt in actu primo generandi: ergo ab æterno, quod eſt argumentum primum Sancti Bonauenturæ citata quæſtione, & S. Thom. in corp. art. 2. quæſt. 42. & Scoti quæſt. vnica. Deinde fuiſſet Pater ab æterno ſine intelligentia, & ſapientia. Probanda ergo conſequentia. Primò. Si non de propria ſubſtantia, ergo aut de nihilo, & tunc non eſt generatio, ſed creatio: aut de alia, & aliena: ergo tunc non eſt Filius verus, vt teſtatur D. Ioan. ſed per adoptionem, & ſimilitudinem: ergo ex propria; atque ita conſubſtantialis eſt.

In probanda verò hac conſequentia, excellenter D. Tho. conſtruit hoc ferè modo Argumentum. Vbicumque eſt vera generatio, & vera natiuitas, eſt & verus Filius; ſed in Diuinis eſt vera generatio; ergo & verus Filius. Sed de ratione veræ generationis eſt, vt generetur Filius ex principij coniuncti viuentis ſubſtantia, & ideò ſimilis, & eadem ratione, de ratione veri Filij eſt, vt ſic generetur. Si enim ex nihilo, non eſſet genitus, ſed creatus; ſi ex aliena materia, eſſet factus per artẽm, & non naturaliter genitus, neque ſimilis, & æqualis: nam eandem naturam generantia non haberet numero: quia Diuina natura multiplicari non poteſt, quia infinita: neque partis, quia ſummè ſimplex: ergo tota eadem numero per generationem communicatur Filio: hæc enim ſola poſſibilis in Deo generatio, & hæc ſola ratio veri Filij in Diuinis conſtabit infra cum de æqualitate, & ſimilitudine diuinarum perſonarum: quod ſi & homines, & creati, & ex aliena à Deo materia producti; tamen Dei Filij vocantur, nihil obſtat: non enim naturales filij, ſed per ſimilitudinem quandam, & adoptionem.

Aliam quæſtionis partem aggredior, vt explicata re, idonea verba, quibus res aperiatur diſquirã. Verba apud omnes Theologos ſunt, de ſubſtantia Patris generatur Filius.

Obſeruandum verò in primis, de tota propoſitione ex Ariſt. 5. Metaph. ſex modos inueniri, quibus aliquid ex aliqua, ſiue de aliquo eſſe explicatur. Primus modus eſt ex materia, ſiue remota, ſiue propinqua. Secundus per compoſitionem, ſicut domus ex lapidibus. Tertius per reſolutionẽ, Quartus ex principio mouente, vt pugna ex conuitio. Quintus ſecũdum ordinem, vt dies ex diluculo, ſcilicet poſt diluculum dies eſt. Sextus ex ſubſtantia rei, ſicut Filius ex Patre, vel de Patre. Has verò omnes diuiſiones Commentator ad duas duntaxat reducit: omnia enim, inquit, quæ fiunt ex aliquo, vel per quamcumque tranſmutationem vnius in alterũ, vel per conſecutionem vnius poſt alterũ.

Theologi verò ferè eadem, licet diuerſis verbis docent; Alexander enim 1. parte, quæſt. 42. membro 2. Propoſitio hæc, de qua hic, aliquando materialiter: vt cultellus de ferro; aliquando originaliter, vt Filius ex Patre: aliquando ſecundum ordinem, vt de nocte ſit dies, hoc eſt, poſt noctem; interdum ſubſtantialiter, vt de Patre Filius vſurpatur; nõ tamen quaſi de parte ſubſtantiæ Patris, ſed de tota, quia tota in toto, & in ambabus perſonis. Ferè ead. S. Bonau. ſuum magiſtrum ſecutus: Non enim inquit, particula (*de*) tantum materiam, originem, & ordinem indicat, ſed etiam ſubſtantiam; ſed & hoc tribus modis vſurpatur. Primò enim aliquando accipitur ſecundum ſubſtantiam quidem, ſed ſecundum partem ſubſtantiæ, veluti pars eſt de ſubſtantia totius; aliquando ſecundum ſubſtantiã ſimul & ordinem, vt de pane ſit corpus Chriſti cõſecratione; quamuis enim ſubſtantia prius panis manens, poſt tamen conſecrationem tranſeat in corpus Chriſti: aliquando denique ſumitur iuxta ſubſtantiam ſimul, & originem, ſicuti hoc loco, & propoſito, de ſubſtantia Patris eſt Filius, nimirum Filius per generationem accipit totam ſubſtantiã Patris: quo ſit, vt ſit ei conſubſtantialis, & idem

quo ad ſubſtantiam: diſtinctus tamen ſecundum perſonam ratione originis.

In reſponſione verò ad argumentum addit, hanc propoſitionem non eſſe tranſitiuam, quo ad rem: non enim ſubſtantia Patris in Filium tranſit, vt derelinquat Patrem, ſicuti fit in humana generatione: deciditur namque à generante pars ſubſtantiæ, & communicatur Filio; licet ſecundum modũ dicendi ſic conſtruatur; & propoſitio hæc in hoc cadit à ſenſu communi, & ſuſcipit ſpecialem; ratio eſt, quia Diuina ſubſtantia tota communicatur eadem numero, & tota retinetur; vt fiat Filius hoc modo cõſubſtantialis Patri, & Spiritus Sãctus Patri, & Filio. Præterea dubio 10. literali addit, actus notionales non fieri ex origine, præiacente materia, vt dum dicitur: Filius eſt de ſubſtantia Patris, ſubſtantia ibi ex qua generatur Filius, nõ ſe teneat materialiter, ſed conſubſtantialiter cum origine.

D. Thom. in ſcripto ead. docet, licet non ita cumulatè: in Summa verò, poſt multa tandem concludit. Filius eſt de ſubſtantia Patris, in quantum ſubſtantia eſt eſſentia Patris in eo ſubſiſtens, & cõmunicatur Filio per generationem; vt Pater, cum ſubſtantia ſit principium producens conſubſtantialem Filium origine diſtinctum.

Riccardus ead. docens, addit, & admonet particulam *(de ſubſtantia)* non ſumendam eſſe æquè, ac ſi diceret de perſona: primò, quia eſt contra D. Anſelmum in Monologio, vbi Verbum, inquit, ſummi Patris eſt ex ſola omnino ipſius ſubſtantia. Secundò, quia producerentur perſonæ, vt autumabant quidam, per multiplicationem producentis perſonæ; ſicuti enim Sol ſuam multiplicat ſimilitudinem, ſic Pater per generationẽ Filij perſonam, &c. & ſequeretur hoc abſurdum maximum, vt ſicuti ſunt duæ perſonæ ſpirantes Spiritum Sanctum, ſic producerentur duo Spiritus Sancti.

Secundò obſeruandum. Notandam intercedere differentiam inter hæc, eſſe de nihilo, & de nulla materia, & eſſe de non aliquo, & non eſſe de aliquo. Quæ enim ſunt de nihilo, & ex nulla materia, ſunt quæ propriè, & immediatè creantur: quæ verò de non aliquo, eſt Deus vt vnus, & Pateri qui ex nulla perſona origine præcedente producitur. Filius verò, & Spiritus Sanctus non ſunt ex nihilo, neque ex vlla materia præcedente: nam ex materia eſſe, inuoluit ſemper tranſmutationem; vt D. Thom. in reſponſione ad primum, & cõmunis Philoſophorum ſenſus; ſunt tamen ex aliquo: nam Filius eſt ex ſubſtantia Patris, & ex Patre ſubſiſtente: Spiritus Sanctus ex ead. ſubſtantia ſubſiſtente in Patre, & Filio per ſpirationem, ſicuti Filius per generationem.

Tertiò obſeruandum. Poſſe inueniri itidem differentiam inter (De) & A, vel Ab: nam eſſe *ab alio* recta ſignificatione hunc facere ſenſum poteſt, vt ſit ab efficiente principio, vel ex nihilo, vel ex aliena materia per artem: eſse verò *de aliquo*, eſt, vt hucuſque ex Theologis, & Patribus ratiocinati ſumus, eſse conſubſtantiale principio producenti, vt quò, & quod in idem recidit principium aliquod à ſe ſuppoſito diſtinctum ex propria ſubſtantia; vel ſecundum partem, vt in omni animali perfecto; vel ſecundum totam, vt in Deo Optimo Maximo producere. His obſeruatis, poſsunt hæ deduci concluſiones, quarum

1. Prima. Filius cum dicitur de ſubſtantia Patris generari, non ita intelligendum, vt de perſona Patris præcisè vt perſona, credatur genitus. Primò, ex relato loco S. Anſelmi. Secundò. In generatione Filij communicatur tota eſsentia Patris: ergo non ſolum de perſona, ſed de eſsentia in perſona exiſtẽte generatur. Tertiò. Sequeretur illud magnum abſurdum à Riccardo eruditè deductum: nam eſſent duo Spiritus Sancti, neque impediret Patrem, & Filium in ſpiratione Spiritus Sancti, eſse vnum principium: nam adhuc ſunt duæ perſonæ ſpirantes, licet vnica vi. Quartò. Si enim perſonæ, vt perſonę adinuicem differunt realiter, maius exoriri videretur abſurdum, perſonam ſecundum ſe totã ab alia differre, & diſtingui. Probatur: nam perſona conſtat ex relatione, & eſſentia: ergo ſi perſona, vt ſic producitur, perſona producta vt ſic ſecundum ſe totam diſtinguitur, quod eſſet Arrianiſmum: perſona enim producta non eſſet Deus, & differret eſſentia, cùm eſſentia verè Diuina non poſſit aut produci, aut multiplicari, aut partiri. Denique ſecũdum omnes Theologos, & Patres particula (De) vt egregiè inter alios notauit S. Bonau. geminam dicit habitudinem, originis nimirum, & conſubſtãtialitatis: ergo producta non ex perſona præcisè, ſed ex ſubſtantia perſonæ; ſi tamen ſumeretur perſona vt ſubſtantia ſubſiſtens, nihil nouum eſſet tũc, quod reliqui dicunt dicere: eſſet enim illo ſenſu perſona principium quod; ſubſtantia verò, & eſſentia principium quo, quod veriſſimum eſt: de quare quæſtione ſequenti.

Secunda Concluſio. Per hanc vocem *de ſubſtantia Patris*, nulla ſignificatur, aut admittitur tranſitio ſubſtantiæ à generante ingenitum, vt hæc propoſitio verè non ſit quo ad rem tranſitiua. Probatur primò: nam formaliſsimè hoc docent S. Bonau. dub. 10. & ad primum. S. Tho. & Alexander, & Riccardus locis indicatis. Secundò: nam licet hæ propoſitiones tranſitiuæ conſtruantur, ſcilicet tranſitiuis verbis; nullã tamen eſſentiæ trãſitionem notant: nam ead. numero eſſentia de fide eſt in Patre, & Filio. Aliàs nõ eſſent perſonæ vnus Deus: ſunt etenim vnus, quia vnica eſſentia numero. Cõfirmatur ex modo dicendi: Non enim tantum dicimus, Filius eſt de eſſentia, vel ſubſtantia à qua niſi ratione diſtinguitur, ſed addimus de eſſentia Patris, vt in eſſentia identitatem, in Patris voce diſtinctionem realem ex origine ſignificemus.

Tertia Concluſio. In hac propoſitione: Filius eſt de ſubſtantia Patris: illa particula *(ſubſtantia)* non ſe habet, aut habere poteſt, vt principium materiale, nec verè, nec per ſimilitudinem. Declaratur. Fuit enim Henricus in Summa art. 54. q. 3. ad 9. iam aſſerens, ſicut in generatione humana, materia eſt ſubiectum generationis in quantũ eſt potentia; & per hoc ad cõpoſitum de ſe generandum, &c. ſic in productione Diuina, eſſẽtia ſe habet quaſi ſubiectũ productionis; & vt quod in potentia, licet ſemper actu coniunctũ ad generandũ de ea perſonam, conſtitutam ex eſſentia, & perſona, quæ eſt ſapientia

genitā Sapientiam verò nominat ſubiectum, quod in creaturis eſt materia; genitā autem nuncupat Filium proprietate conſtitutū. Idē docuit Goffredus apud Scotum; idem Durandus diſt. 5. q. 2. illam particulam (De) inquiens, dicere conditionem materiæ, vel quaſi materiæ, & circumſtantiam ex eo quod præexiſtit generationi Filij, In eoq; genitus exiſtit, & in eſſentia quaſi in ſubiecto recipitur forma, & proprietas perſonalis, qua perſona conſtituitur in eſſe: neque tamen addit Durandus materia, aut ſimilitudo materiæ recipitur in Diuinis, vt implicat imperfectionem, veluti puram potentiā, & vt actuatur adueniente forma, & à productione ad formam tranſmutatur, & acquirendo vnam formam, aliam amittit. Idem admittit S. Thom. diſt. 3. quæſt. 2 art. 1. & eod. ferè modo, quo poſtea tradidit Durandus; & hunc modum dicendi tolerandū, poſt docuit Caiet. hic art. 3. Neque abhorruit Gregor. de Valentia, quæſt. 15. diſpue. 2. pūcto 3. quoad noſtrum modum dicendi, & concipiendi his inferioribus generationibus aſſueti.; neque Dionyſius Carthuſ. diſt. 5. q. 2. valde recedit ab hac ſententia.

Inſurgit tamen contra hanc opinionem, ac inprimis contra Henricum Scotus, primò dicens, à D. Aug. temporibus vſque ad Henricum, nullus inuenitur auſus dicere generari Filium ex Diuina eſſentia, quaſi ex materia; quod tamen in rigore falſum eſt: nam hoc tenuit S. Tho. & tempore præceſsit Henricum annos circa vigintiſeptem. Deinde argoit; Eſſentia Diuina eſt terminus formalis productionis Diuinæ: ergo non poteſt eſſe materia, nec quaſi materia. Antecedens patet, quia eſſentia per generationem communicatur Filio; per ſpirationem verò Spiritui Sancto. Conſequentia probatur: nam ſicuti cauſa prima producit, & efficit nulla præſuppoſita materia; ſic potentia prima productiua ad intra producit, & generat nullo alio concurrente, & abſque omni alio, quaſi materia.

Elegans quidem argumentatio, non difficili tamen negotio diluibilis, ac primò neganda conſequentia: nam diuerſa ratione diuina eſſentia, vt ſcilicet communicatur, terminus formalis poteſt concipi; vt verò præexiſtit, & non producitur, quaſi materia.

Ad probationem verò conſequentiæ neganda ſimilitudo; nihil enim quidem præſupponit, nec prærequirit Diuina virtus productiua, quod diſtinctum ſit à Diuina eſſentia verè, quod tamen ſit ratione diſtinctum, non abſonum eſt quod requirat. Ratio eſt, quia eſſentia quæ communicatur, non ſimpliciter producitur, ſed præexiſtens communicatur.

Sed addi poteſt hic nullam eſſe controuerſiam, neque verè Scotum impugnare Henricum, neque cum reliquis huius ſententiæ Doctoribus Henricus ſuſtinet, eſſentiam eſſe materiam, &c. tunc enim Scotus admodum conſentaneè eum refelleret, ſed pietate quadam ſimilitudinem aliquam quærit, qua remotis imperfectionibus vtcumque vt fieri poteſt, explicetur hoc difficillimum myſterium, & hanc generationis humanæ aſſumit, vt ſub oculis ferè cadet noſtræ cognitionis, & non à Diuinis litteris alienam. *Qui generationem alijs tribuo, ipſe ſterilis ero?* Iſaiæ. *Ex vtero ante luciferum genui te.* Pſal. 109. *Ego hodie genui te.* Pſal. 2. Vt enim aliqua ſanctiſsimæ Trinitatis imago, non tātum in natura rationali intellectiua, ſed etiam in materia, & forma, & in earum vnionem inuenitur; vt obſeruarunt homines periti, ac pij, inter quos Gulielmus Pariſienſis, D. Thom. coetaneus, & Alanus, & alij in ijs, quæ de veſtigio ſanctiſsimæ Trinitatis in vnaquaque creatura tradiderunt; ita non indecens ab ipſis creaturis hanc, & conſimilem ſimilitudinem excipere, & non ſine ratione: ſicuti enim materia generationi præexiſtit, & eſt ſubiectum generationis, & remanet cum compoſito; ita Diuina eſſentia concipitur, & perſona producta recipitur in ea, & ex ea; & relatione conſtat. Quocirca non poteſt eſſe controuerſia niſi in aliquo modo dicendi.

A communiori tamen, & doctiori Theologorum claſſe, neque hic dicendi modus ita probatur, ſicut oppoſitus: ſic D. Bonauent. diſt. 19. art. 3. integro, ſic D. Thom. hic quæſt. 41. art. 3. ad primum. Alexander, Scotus, Riccardus, Gabriel, &c. Et probatur breuibus, argumento ſupra relato Scoti, & ad ſolutionem reſpondemus: nullo modo poſſe comparari Diuinæ eſſentiæ materiam: nam, vt phyſica eſt, implicat tranſmutationem; vt metaphyſica potentialitatis imperfectionem: Diuina verò eſſentia nō poteſt neque cogitari, niſi vt ſummè ſimplex, & puriſsimus actus. Quod ſi dicatur, eſſe inter generationem Diuinam, & humanam aliquam ſimilitudinem.

Reſp. Eſſe quidem, ſed cum multis differentijs, inter quas hæc eſt ſingularis. Diuinam generationem non eſſe materialem, neque ſic poſſe cogitari. Si ſecundò obijcias, & aliquam habere perfectionem materiam, vt eſt ens, extrà, nihil: conceditur quidem ſub hac generali ratione; neque tamen formaliter, & ſub propria ratione materiæ, ſed ſub eminentiſsima ratione; neque materia vt ſic, ſua poteſt intrinſeca ſeiungi imperfectione.

Quarta Concluſio. Hac propoſitione, & hac particula (de) aſſeritur, Diuinam eſſentiam in perſona Patris eſſe terminum, quo deſignatur principium producens conſubſtantialem ſibi perſonā; ita vt dicat has duas habitudines conſubſtantialitatis, & originis, nullamq; præterea aliam ordinabilitatem. Eſt communis omnium reliquorum Theologorum, & remanet probata ex omnibus hucuſque deductis. Confirmat S. Bonau. eod. loco: Si enim Filius hominis ab homine genitus tantum ex propriæ ſubſtantiæ particula, dicitur tamen & conſubſtantialis, & ideò ſimilis, & ad ipſum refertur vt ad originem: quantò magis in Diuinis, vbi tota communicatur ſubſtantia, erit conſubſtantialis Filius, & ab eo originem trahens? ergo idonea, & propria illa propoſitio, quæ hæc ſignificet.

QVAESTIO XVIII.

DE EORVM ACTVVM PRINCIPIO productiuo, & ſtatim poſt de termino, & formali, & totali. D. Bon. quæſt. 1. & 2. D. Thom. art. 4. & 5.

EXPLICATIS hucuſque actibus notionalibus; egregiè ab vtroque S. Doctore, & à nobis vtcumque pro virili commentarijs, & diſputationibus explicatis; è veſtigio nunc aſſumenda, & proponenda de principio, ac horum actuum termino diſputatio; vt tandem ſic omni ex capite tractatus hic expediatur: Sed primò ad D. Thom. ordinis veſtigia à principio initium ſumendum.

ARTICVLVS IGITVR I.

An, & quid ſit potentia producta in Diuinis.

PARAPHRASIS.

PRIMA Propoſitio. Improbabilis; & propterea non eorum amplectenda ſententia, & diſtinctio, & modus dicendi de potentia generandi in Diuinis, quod nimirum duobus modis accipi poſſit. Primò, vt nuda, deinde vt diſpoſita, & ſubinde vt nuda erit in omnibus perſonis, quemadmodum & natura Diuina: hæc enim ſic aſſumpta conſequitur naturam: vt diſpoſita verò, ſcilicet relatione perſonali erit in Patre dumtaxat. Probatur: nam vbicumque nuda inuenitur potentia, ea vt ſic eſt etiam diſpoſita: ergo, ſi vt in tribus perſonis inuenitur natura, ſic & potentia nuda omnes tres perſonæ poterunt eſſe diſpoſitæ ad generandum; quod pluſquam falſum eſt, & infra ſuo loco demonſtrabitur. Secundò Hic modus dicendi, neque ſanus, & valde improprius eſt: nam ſic dicere (nuda potentia) implicat generationem non eſſe neceſſariam; neceſſariſſimam tamen: nam quod nudum eſt, poteſt tum veſtiri, tum exui, & diſponi, & non diſponi ad generandum, & non generandum.

Secunda Propoſitio Magiſtri, & eorum qui magiſtrum ſequuntur. Rationi conſentanea, & ſatis probabilis aſſeritur ſententia, dum potentiam generandi in Patre, & quid abſolutum complecti, ſcilicet Diuinam eſſentiam, qua perſona fœcunda eſt ad generandum, & quid relatiuum, hoc eſt, proprietatem perſonæ in qua eſt natura Diuina, non ſimpliciter & abſolutè, ſed vt in Patre. Probatur primò, quia potentia generandi cum non ſit omnino quid abſtractum, poteſt ad Patrem contrahi. Secundò, generare eſt ſibi ſimile in natura producere: ergo potentia generandi reſpicit id, quo genitum ſimile eſt, ſcilicet naturam. Antecedens patet ex deffinitione naturæ ibi poſita: eſt enim vis inſita rebus ſimilia ſimilibus procreans. Tertiò, eſſe, & poſſe in perpetuis non differunt: ergo eſſentia, & potentia idem ſunt; ſed eſſentia dicit quid: ergo, & potentia: ergo potentia generandi in Patre erit ipſius eſſentia, & quid abſolutum. Quartò, ſicuti in Diuinis ſcire, & velle ſunt quid abſolutum: ergo etiam eſſentia, & potentia generandi.

Tertia Propoſitio. Melior, ac magis rationi conſona, ſaluo meliori iuditio videtur, illa de potentia generandi ſententia, vt de ſe, & intrinſecè dicat relationem, his potiſſimum rationibus: Potentia enim hæc ita propria eſt vni perſonæ, vt non poſſit alteri competere: ergo illi propria: ergo relatiua. Probatur antecedens: Potentia actiua, quæ ita ineſt alicui, ineſt per aliquam rationem propriam: ergo & potentia generandi in Patre, erit propter aliquam propriam rationem, quæ non ſit in alijs perſonis. Antecedens patet in naturalibus: Sol enim poteſt illuminare propter lucem, ignis calefacere propter calorem ibi inhærentem &c. Conſequentia probatur. Nam licet potentia generandi in Patre non ſit actiua, eſt tamen ſimilis. Secundò. Potentia hæc dicit principium originis ad principiatum, ſeu potens ad productum: ergo vt ſic dicit relatiuum. Tertiò. Potentia diſtinguitur per actum: ergo qualis actus, talis erit potentia: ſed in Diuinis actus generandi eſt relatiuus: ergo & potentia. Maior eſt Ariſt. 2. de anima text. 33. Minor omninò certa. Quartò, & confirmatur. Virtus operandi, & ipſa operatio in Diuinis idem ſunt teſte D. Areopagita: ergo idem erunt poſſe generare, & generare: ſed generare eſt relatiuum: ergo & potentia generandi.

Quarta Propoſitio. Non ita amplectenda 3. ſent. vt omninò deſeratur ſecunda; imò vtraque ſub problemate ſuſtineri poteſt, & ſuſtinetur: quia vtraque ferè æquè probabilis, & vtri-

vtriuſque partis rationes non difficile eſt ſoluere; & non multum ad inuicem differunt hæ duæ ſententiæ: nam ſecunda aſſerens dicere quid abſolutum potentiam generandi, non excludit relatiuum: eſſentia enim vt in Patre, eſt principium, & potentia generandi: tertia verò, dum intrinſecè, & de ſe explicat dicere relationem, non excipit naturam eadem ratione: nam natura vt in Patre, eſt hæc generandi potentia. Conſtat hoc primò ex dubijs literalibus 5. & 7. ita vt non dicat, neque abſolutè abſolutum, neque dumtaxat relatiuum, ſed vtrumque.

Quinta Propoſitio ex reſponſione ad quartum. Quadruplicis generis ſunt nomina in Deo: primi enim generis ſunt eſſentialia eſſentialiter dicta; vt, eſſentia, Deitas, maieſtas &c. Secundi generis eſſentialia perſonaliter, vt potentia generandi. Tertij generis perſonalia perſonaliter, vt generare, ſpirare &c. Quarti denique perſonalia eſſentialiter, vt perſona miſſa &c. Patent in textu.

COMMENTARIVM.

SVPPONIT hic S. Doctor in Diuinis dari potentiã ad hos actus notionales, & perſonas productas, dum ab hac quæſtione exorditur. An hæc potentia ſit quid abſolutum; vel relatiuum: & potuit certò ſupponi, ac neceſſariò: Si enim Pater generat &c. ergo poteſt generare: quidquid enim ſit, vel abſoluta, vel relatiua eſt tamen potentia, & requiritur: & hoc eſt argumentum D. Thom. in corpore articuli. Dantur actus notionales; ergo & ad ipſos potentia; nam potentia nihil aliud eſt, quam principium alicuius actus: ergo Pater cum ſit perſonarum principium, vt iam ante pluribus; habebit potentiam ad producendum &c. Præterea omne generans aliquo in ſe exiſtente generat, quod innuit & S. Bon. illa ratione, qua aſſerit perſonam eſſe principium propter aliquam in eo propriam rationem: ergo ſi Pater generat, oportet in eo ponere, quod poſſit generare, ſcilicet potentiam. Supponitur & aliud è Sancto Doctore, & erit pro tituli articuli interpretatione. Dum enim quærit; an quid abſolutum, vel relatiuum ſit, ſicut quærit de potentia reali; & formaliter ita ſupponit potentiam, non tantum logicam & non contradictionis, vt infra ſolertius; ſed realem; & formalem in Patre &c. ſuppoſito ergo quod hic quærit, quid ſit, & cum in Deo non ſit niſi abſolutum, & relatiuum, non poterit eſſe niſi abſolutum quid, aut relatiuum, aut ex vtroque conſtans; & ſi ex vtroque, aut æquè, aut principaliùs ex vno, quam ex altero: eruditè ergo inſtituit dubitationem.

In indaganda verò de hoc Sancti Doctoris mente, poſſem me breuibus expedire: nam ſupra aliud agens, hoc idem neque leui fortaſſe indagini præſtiti: hoc tamen loco huic dubitationi proprio, neceſſariam textus commentationem prætermittere non licet. In hac ergo quæſt. plura præſtat S. Doctor, vnum quærens nimirum, quid ſit potentia generandi? & ſub ea potentia ſpirandi? ac præſertim quatuor. Primò enim refert, & redarguit opinionem quandam, ac diſtinctionem de potentia, quam quærit actuum notionalium: ſi ſumatur, inquit, hæc ſententia vt nuda potentia in Deo, dicit eſſentiam in tribus; ſi vt diſpoſita, dicit relationem in Patre tantum: redarguit verò inquam, ac carpit, & hoc modo refellit. Primò ergo ſic: vnaquæque perſona habebit potentiam ad generandum, & generabit quando diſpoſitionem receperit, quod tamen pluſquam falſum eſt, & repugnat; ſicut enim repugnat eſſe pluſquam vnum Filium, ita plures perſonas poſſe generare. Deinde ex reſponſione ad ſecundum. Falſum eſt potentiam ſequi ſolam naturam, ſed naturam diſpoſitam ſcilicet in Patre. Præterea ſequeretur generationem in Diuinis non eſſe neceſſariam, quæ tamen ita neceſſaria eſt, ſicut & Deus. Probatur tamen ſequela; nàm quod ita nudum eſt, poteſt quidem diſponi, & non diſponi ad generationem: ergo falſus, & valde improprius, & non admittendus hic dicendi modus.

Videtur tamen hæc opinio, ea eſſe, quæ ad communem ferè opinionem poſſet reduci, ſi non eſſet ita inſueta, atque impropria; nuda enim illa potentia, quid aliud quam ipſa eſſentia Diuina, qua tanquam radice, & fundamento Pater generat? quod veriſsimum eſt: diſpoſitio verò illa quid pariter aliud quam eſſe in Patre, & perſonalis primæ perſonæ notio, ac proprietas? Quod tamen aſſerit magiſter; & ſequitur S. Thom. & communior opinio, & vt probabilẽ ſuſtinet S. Doctor tenendum. Præcipuum ergo quod in hac ſententia diſplicet, eſt modus dicendi.

Secundò, refert opinionem Magiſtri, & probabilem exiſtimat; vt in textu, quæ in puncto hoc verſatur vt declarat S. Thom. In perſona duo concipiuntur, alterum natura Diuina, proprietas perſonalis alterum. Potentia ad generandum eſt vis, qua ſibi ſimilem in eadem natura perſona poteſt producere perſonam, cùm non producat ſimilem in proprietate: neque enim Patrem, ſed Filium à ſe diſtinctum, & relatiuè oppoſitum generat Pater; ſed in natura, quia eandem ei communicat; & cum ipſa natura non ſit, nec poſsit eſſe quæ generat, requiritur perſona, nec quæcumque, ſed prima: erit ergo potentia ad generandum natura Diuina vt principale, & in recto, non quæ, ſed quà: erit & perſona, vt tamen in obliquo, quæ ex natura communicabili fœcunda eſt ad generandum, & potens, & actu generat. Vbi tamen ex Caiet. obſeruandum in hac ſententia, non ſumi potentiam generandi formaliter pro relatione principij ad actum, & Filium genitum; ſed prò radice, & fundamento: hoc enim eſt eſſentia, neque Paternitas, quæ eſt quaſi forma indiuidua, qua Pater exiſtit, eſt hæc potentia: Pater enim tunc Patrem generaret, non Filium; ſed eſt eſſentia, qua, & in qua Pater ſimilem ſibi producit &c.

Tertiò loco aliam, quam ſine præiudicio exiſtimat veriorem refert, & declarat, & probat opinionem;

nionem; potentia ſcilicet generandi ex ſe dicit relationem originis, & principij ad principiatum, & formaliter in Deo habitudinem perſonæ ad perſonam: neque tamen dicit quod excludat eſſentiam, ſed ex ſe inquit formaliter ſumptam relationem dicit; hanc autem ſic ſuſcipit probare. Potentia generandi eſt propria eius qui generat, ſolus enim Pater vt à reliquis perſonis diſtinctus generat: ergo dicit proprietatem relatiuam. Quod enim eſt vni perſonæ proprium, non poteſt eſſe niſi relatiuum; nam abſolutum eſt commune. Secundò. Potentia hæc dicit ordinem principij ad principiatum; ergo relationem. Tertiò potentia diſtinguitur per actus ex Ariſt. ſed actus generandi eſt relatiuus, ergo, & potentia. Denique potentia, quæ ita ineſt vni, vt non alteri, ſic ineſt propter rationem aliquam illi ſoli inhærentem, & propriam: ſed ſolus Pater generat, & poteſt generare: ergo id quod ſolus poteſt, erit illi proprium, ergo relatiuum.

Quartò, iterum redit ad opinionem Magiſtri, quæ eſt ſecundo loco propoſita, & eam ſub problemate ſuſtinet, ac tuetur, & vtriuſque ſententiæ argumenta ſoluit.

In quam ergo opinionem conſcribetur S. Doctor? conſcribunt quidam recentiores, Suarez lib. 6. cap. 5. ante ipſum Caiet. in hunc articulum, Carthuſianus diſt. 7. vltimæ partis in opinionem Durandi, qui potentiam hanc ſolam relationem eſſe docuit: ſed immeritò, primò, vt conſpicuum eſt de his duabus opinionibus ſuſtinet problema. Deinde inter recenſenda nominum genera in Deo, hoc nomen *potentia generandi*, aſſerit eſſe nomen eſſentiale, perſonaliter dictum. Præterea in dubijs literalibus dub. 5. ſic literis mandat; quamuis potentia abſolutè conſiderata ſit idem quod eſſentia: tamen quia potentia non eſt nomen ſic abſtractum ſicut eſſentia, trahitur ad perſonam: vnde potentia generandi non dicit naturam Diuinam ſimpliciter, ſed vt in tali perſona, ſcilicet innaſcibili; atque ſic loquitur, quia alibi docet Patrem non generare quia Pater, ſed quia innaſcibilis, & eſt Pater quia generat. Dubio quoque ſexto; Potentia, inquit, poteſt conſiderari ſecundum id quod eſt, & ſic dicit naturam, & ſicuti vna natura eſt in generante, & in genito, licet alio & alio modo: ſic & eadem perſona poteſt iterum conſiderari ſecundum id quod eſt, & ſic dicit modum, & relationem, & eſt ferè quod dicebat prima opinio. Dubio itidem ſeptimo. Potentia generandi in Patre non dicit niſi naturam in perſona, vt nata ex ſe aliam producere. Quid verò aliud Magiſter, ac inde S. Tho. ac ferè communis opinio? Quartò. Valde animaduertendum, vt iam iterum antea indicaui, Sanctum Doctorem numquam dixiſſe ſolam relationem conſtituere hanc potentiam, ſed de ſe ſignificare; quod veriſsimum eſt; & omnis opinio confitetur: nam & Caiet. hic in Comment. art. 5. apertiſsime interpretatur D. Thom. adeo certè tenere, potentiam hanc claudere in ſe relationem, vt tanquam rem certiſsimam ſuppoſuerit, & eam hoc loco recenſere non exiſtimauerit neceſſarium. Quod ſi in tertia opinione recolenda S. Doctor eam nuncupauerit probabiliorem, & in reſponſione ad argumenta duo poſtrema pro tertia opinione facta, aſſerit ſatis ægrè poſſe ſolui, quæ tamen ſoluit; quibus videtur in hanc propendere magis: nihil tamen inde, nam deinde in problemate concludit; Secundò verius dicit de ſe dicere relationem, non tamen ſolam. Tertiò colligenda, ſunt omnia loca, quibus de ea locutus eſt, & ex pluribus conijcienda eius opinio. Tandem dixit de tertia opinione ſine præiudicio: ergo profiteri eum ſecundam ſententiam exploratum exiſtimo, ita tamen, vt & tertia valde ei arrideat: neque hæc pro ſecunda opinione afferuntur, quaſi tertia opinio non ſit in ſe ſatis, & admodum probabilis, & non habeat multos, & graues, & eruditos Patronos, & non ſit digna Sancto Doctore, & optimis rationibus non fulciatur, ſed vt quam ipſe tenuerit ſententiam perſpicuè percipiatur.

Quænam verò inter has duas ſententias intercedat differentia, in diſputatione dijudicandum; & qua idonea ratione poſsit ſupprimi, & dirimi omnis hæc lis ibidem efficiendum.

Obſeruanda modo, & ſoluenda in vtramque partem argumenta, quorum primum hoc eſt, & ſumitur ex auctoritate Magiſtri.

Pater non eſt potens niſi natura, quia eius natura eſt eius potentia: ſed natura eſt quid; ergo, & eius potentia, ergo abſolutum, & non relatiuum Quid potentia generandi dicit; & eſt argumentum, & fundamentum quod poſtea aſſumpſit & S. Thom. & cæteri huius ſententiæ aſſeclæ.

Reſpondet S. Doctor, & facillimo negotio ſoluit, & ſine contentione hanc eſſe Magiſtri mentem concedit, ſed ei non adhæret. Patet etiam ex eo quod inde ſequitur: eſt ſcilicet eadem potentia in Filio qua generatur, & in Patre qua generat. ſed potentia hæc in vtraque perſona, eſt ipſamet natura, non tamen ſimpliciter, ſed ad generandum, vt in Patre, & vt generetur in Filio; quo ſit præterea, vt potentia ea generandi ſit & in Filio, quia eadem natura, non tamen ad generãdam, quod tamen ſuo loco ei non placebit: quia tamen ratione probat ſuam ſententiam Magiſter, ſoluenda eſt, vel interpretanda; ratio eſt ex deffinitione potentiæ deſumpta. Potentia qua Pater potens eſt generare eſt natura communicabilis: ergo eſt quid abſolutum. Antecedens probatur, nam conſequentia videtur aperta, ac certa; Generare eſt ſibi ſimile in natura producere ex Ariſt. 2. de anima text. 35. & Iſaac lib. de Diffinitionibus: ergo natura eſt principium, & potentia generandi.

Reſpondet, ſicuti non natura abſolute ſumpta eſt fœcunda ad generandum, ſed vt in Patre; ita non eſt principium abſolute, ſed vt in Patre, & contracta ad proprietatem: quare neganda eſt conſequentia: non enim poteſt ſequi, eſt abſolutum ſimpliciter, ſed ſimul cum perſona, & proprietate quod ab omnibus conceditur. Quibus verbis non abſolutè Sanctum Doctorem docere potentiam generandi eſſe ſolam relationem conſtat, ſed cum alijs eſſe quoddam medium, relationem nimirum, & abſolutum. Poſſet tamen deduci hinc potentiam hanc, licet vtrumque complectatur; probabilius

tamen,

tamen, & potius relationem, quam abſolutum; hac ratione; cum commune trahitur ad proprium magis de eo ad quod trahitur partem capit; hoc idem obſeruat Riccardus. Secundò ad idem argumentum ſatis poteſt fieri, & interpretari, bifariam ſumi potentiam, vt docet Caiet. vel formaliter, vel fundamentaliter, & denominatiuè vt ſentit Scotus. Primo modo Magiſtri currit Argumentum. Secundo modo non idem.

Secundum Argumentum in ordine tertium. In æternis idem eſt eſſe, & poſſe: ergo potentia generandi, idem quod eſſentia: ergo quid abſolutum.

Primò reſpondet, & concedit antecedens primum, & primam conſequentiam, non tamen ſecundam: nam licet idem ſit, idem eſſentia, & potentia realiter, non tamen ratione, & virtute, ita & S. Thom. Secundò, licet negare conſequentiam ſecundam illa ratione ſæpe repetita, nam de ratione Diuinæ eſſentiæ adæquatè conceptæ eſt, & relatiuum eſſe: nam eſſe Diuinum eminentia formali ineffabili complectitur vtrumque, abſolutum ſcilicet, & Relatiuum.

Tertium, vel quartum Argumentum. In Diuinis poſſe ſcire, & poſſe velle ſunt abſoluta: ergo & poſſe generare. Antecedens eſt certum: ſcire enim, & velle de ſe, & commune tribus, & attributum perfectionis in Deo admodum actualis qualitatis abſolutè.

Neganda conſequentia; nam potentia de ſe dicit habitudinem originis perſonæ ad perſonam, & ſubinde proprietatem, & ad aliud; & tunc negatur illa ſimilitudo, et ratio Magiſtri in fine diſt. 7. Quamuis enim vna, et eadem ſit voluntas, qua Pater vult eſſe Pater, et non eſſe Filius; non tamen ſequitur vnam, et eandem eſſe potentiam, et etiam ratione qua Pater poteſt generare Filium, et Filius generari; quia ſcilicet eadem eſt in vtroque natura: non enim valet conſequentia à fundamento denominato, ad id quod ex ſe formaliter eſt tale, propter diſtinctionem ſaltem rationis.

In gratiam tamen, et reuerentiam Magiſtri, et propter ſententiam admodum rationi conſentaneam tuetur problema, et pro tertia ſententia allatas rationes ſtatuit ſoluere, et verè incipit primò vnica reſponſione omnes diluere. Quamuis enim illæ rationes contendant, potentiam generandi habere adiunctam relationem; nulla tamen ex illis ſatis probat, ac demonſtrat præcisè, ac propriè dicere ſolam relationem. Patet ſingulas intuenti. Quod enim primò ex eodem magiſtro adducitur Patrem poſſe generare, non eſt poſſe aliquid, ſed potius aliquem, et ad aliquid; non aliud his deducitur, quam potentiam generandi implicare, etiam relationem ſimul cum natura, et vtrumque docuit, licet diuerſis locis de potentia. Quod ſecundo loco obiectum eſt: potentia diſtinguitur per actus, ex Ariſt. 3. de Anima, textu 33. et actus generandi, et ſpirandi ſunt ad aliquid: ergo, et potentiæ.

Ad idem ferè argumentum, reſpondet S. Thom. et interpretatur textum Ariſt. diſtingui ſcilicet potentiam per actus hoc ſenſu, vt quales actus tales potentiæ; tamen, ſicuti licet potentia ſit idem cum eſſentia, differt tamen ratione, ſic ſermè, eſto idem ſint actus generandi, & potentia, differunt tamen ratione, quod ſufficit vt potentia dicatur habere abſoluti actum, & relatiui. Secundò ex eodem, & Sancto Bonau. Argumentum hoc firmat quidem habere adiunctam relationem; & eſſe actum generandi idem cum potentia, & eam diſtinguere: eſt tamen idem, & cum eſſentia, vt vtrumque aliquo modo dicat, & ex vtroque conſtet.

Quod Tertiò aduerſus hanc ſententiam opponit in Deo ex D. Dyoniſio; Idem eſt poſſe generare, & generare: ergo ſicut generare eſt relatiuum, ita & poſſe. Poſſet inuerti argumentum, ſed poſſe eſt abſolutum: ergo & generare.

Reſpondetur, ſalſum eſſe antecedens, & niſi identicè, & realiter poſſe concedi, neque vllus negabit: ratione verò differunt, vnde neganda conſequentia ſicut ad ſuperius; eſt Argumentum D. Th. ab ipſo optimè ſolutum.

Quartò. Ratio proprij debet eſſe propria; ſed generandi potentia eſt ratio proprij, ſcilicet generationis: ideò enim generat quia poteſt: ergo hæc potentia debet eſſe propria, ergo relatiua.

Reſpondet S. Thom. ſimili argumento ad tertium: Potentia generandi vt dicit eſſentiam, non eſt propria; vt ſimul in obliquo dicit notionem eſt propria Patri. Qua reſponſione conſequitur vtrumque dicere potentiam, ſed principalius eſſentiam. Idem prorſus S. Bonauentura illis verbis; ratio hæc non concludit potentiam generandi eſſe præcisè relationem, ſed eam adiunctam habere ratione actus generationis. Ad formam ergo argumenti, conceſſa maiori, ad minorem dico. Potentia generandi eſt quidem propria, tamen ratione adiuncti. Secundò. Ratio generationis eſt fœcunditas naturæ Diuinæ, tamen vt in Patre, ita vt & natura Diuina, vt in Patre ſit propria Patri, non quidem ſimpliciter, ſed vt in Patre: perſona enim Patris conſtat ex natura, & proprietate, & modo ſe habendi naturæ in illa perſona: ergo ratio proprij eſt propria ratione modi, & proprietatis, non abſoluti.

Eadem reſponſio ad poſtremum, quod non eſt niſi quædam confirmatio præcedentis argumenti: ſicuti enim quod Sol illuminet, eſt per lucem Soli propriam &c. ità quod Pater generet eſt per potentiam illi propriam: quare Filius non generat, quia ſcilicet illi propria deeſt potentia: Reſpondetur enim eadem reſponſione, licet exempla inferiora non adæquent; non enim ita Soli propria eſt lux, quin & in alijs inueniatur, ſed in illo poſita ratione ſubiecti facta eſt propria; proprietas verò in perſona Diuina, ità vni propria eſt, vt repugnet inueniri, & conuenire alteri.

DISPVTATIO.

In quatuor capita.

Primum. An in Diuinis admittenda potentia ad actus notionales.

Se-

Secundum. Quid ſit.
Tertium. De termino formali productionis.
Quartum. Cuius ſuppoſiti ſit.

CAPVT I.

An in Diuinis ſit potentia ad actus notionales.

VIDEO ferè iam ſolutam, & ſublatam omnem dubitationem ex iam perſpecta in primis vtriuſque S. Doctoris, & explicata mente, & Theologia: non tamen inutilis labor, neque actum iterum agere erit: nam dum quomodo reliqui inſigniores Theologi in hac re conueniant, aut diſsideant, quò fieri poteſt ſolertiori indagine diſquiretur, eadem doctrina lucidius enucleabitur, & efficacius propugnabitur; omne enim quaſi molimen huius diſputationis in verſandis, & obſeruandis, & interpretandis ad meliorem frugem reliquis doctoribus ſitum mea ſententia eſt.

An igitur verè in Patre, & Patre tantum ſit realis generandi potentia, non defuerunt qui aut abſolutè negare, aut ferè negare non erubuerunt. Aureolus enim 1. ſent. diſt. 7. vt etiam refert, interpretatur; & impugnant Capreolus, & poſt eum Caiet. & deinceps multi alij recentiores; Impoſſibile inquit, hanc tum generandi, tum ſpirandi potentiam eſſe in Deo realem, neque generare, neque ſpirare ſunt productiones elicitæ, non eſt ergo alia ibi potentia quam logica; & non repugnantiæ terminorum ſicut enim non repugnat homini poſſe eſſe animal, imò quemadmodum neceſſariò homo eſt animal, terminorum connexione, & actualitate, ita & Deus quod poſſit eſſe Deus eadem neceſsitate actuali, & terminorum connexione, & nulla repugnantia Pater poteſt generare, Filius non poteſt, quæ teſte Scoto etiam ſi per impoſſibile non eſſet Deus ab æterno Pater, & eſſet aliquis intellectus, poſſet cogitare, Patri non repugnet generare, Filio repugnaret generare ſi eſſet: eſt ergo intellectus qui cogitat, & componit hos terminos, vt docuit idem Scotus, & prius tradidit Ariſt. 5. Methaph. cap. de potentia &c.

Conatur verò Aureolus ſic ſuam ſententiam perſuadere: aut ponitur in Patre hæc generandi potentia ſecundum rem, aut ſecundum rationem, non quidem ſecundum rem, & realis: nam actus generandi, & notionalis, eſt idem cum potentia: ergo realiter non elicit, & producit actum: neque ſecundum rationem: nam eadem ratione, & intellectus haberet rationem potentiæ in ordine ad intellectionem: ergo nullo modo: ergo nihil probat S. Thom. ſua ratione. Secundò, arguit ex oppoſito contra veritatem hanc: negatio potentiæ generandi non eſt negatio abſolutè potentiæ: ergo neque affirmatio potentiæ generandi eſt affirmatio potentiæ verè: ergo dicere, poteſt Pater generare, non ponit ſimpliciter potentiam, aliàs eſſet & in Filiò. Antecedens eſt D. Aug. lib. 1. contra Maximinum cap. 13. vt in textu Magiſtri. Conſequentia probatur ex 1. Peryermenias *affirmatio, & negatio ſunt de eodem.* Tertiò, ſi hæc potentia in Patre eſſet realis eliciendi actum notionalem, eſſet aliqua potentia in Patre, quæ non eſſet in Filio, & ſubinde Filius non eſſet æquè perfectus, ac Pater, contra Fidem teſtatam in Diuinis literis, & explicatiſsimè in Symbolo D. Athanaſij, *æqualis Pater, æqualis Filius, &c.* Quod tamen argumentum per multa tempora conſtruxit Magiſter ante, in hac diſt. 7. & adhuc erat ante Magiſtrum, ſicut ipſe refert tamquam Antiquorum argumentum his verbis: *Hic ſolet quæri à quibuſdam, ſi Pater potuit generare Filium, ergo potuit aliquid quod non potuit Filius: numquam enim Filius potuit generare Filium.* Quartò, Potentia productiua non recipit in ſe actum, ſed actus egreditur ab ea, ſed generatio non egreditur à Patre: eſt enim in Patre, & ipſe Pater: ergo. Quintò. Impoſsibile eſt alicubi eſſe generare, & generandi potentia, vbi per generare nihil producitur à generante quam generare: ſed in Diuinis inter Patrem, & Filium nihil producitur diſtinctum, imò ad inuicem ſunt prorſus idem, præter hoc generare, & generari: ergo ibi impoſsibilis generatio, & generandi potentia. Minor eſt certa. Maior probatur: nam idem tunc haberet generandi potentiam reſpectu ſui ipſius, & eſſet idem generans, & genitum; & adhuc genitum haberet potentiam generandi: quæ omnia apertiſsime ſunt impoſſibilia.

Sextò, Ex alijs ſic arguitur: quidquid exit ab aliqua potentia, prius eſt in potentia quam in actu; ſed generatio non poteſt eſſe huiuſmodi, cum ſit æterna: ergo non exit ab aliqua potentia. Septimò, Quod per ſe eſt à natura, non exit ab eo mediante quacumque potentia: ſed generatio eſt opus per ſe naturæ: ergo non exit media aliqua potentia. Minor eſt certa ex Ariſt. Maior probatur: nam primò, Anima forma naturalis corporis ſe ipſa immediatè informat corpus, deinde omnis natura exit immediatè in opus ſuum.

Gregorius Ariminenſis 1. diſt. 5. quæſt. 1. quem ferè ſequitur Gabriel quæſt. 1. non diſtat ab hac opinione: dum enim negat dari terminum formalem generationis, et ſpirationis diſtinctum vlla ratione à termino integro, et totali qui eſt perſona, hoc fundamento, quia in Diuinis ex ſumma ſimplicitate negat diſtinctionem quo, et quod concretè, et abſtractè, negare quoque neceſſe erit potentiam qua, et generantem, et affirmare eandem eſſe prorſus potentiam, qua Pater generat, et quæ generat, quæ eſt ipſa perſona.

Veritas tamen communis, & certa omnium reliquorum Theologorum S. Thom. cum omnibus ſuis expoſitoribus Scoti, Durandi, dari potentiam realem in Patre reſpectu actuum notionalium etc. et S. Bonau. quam egregiè probat, dum ſimul probat eſſe quid, tum abſolutum, tum relatiuum, et infra eſſe eamdem cum potentia creandi, nobiliorem tamen etc. vt ſuo loco. Eſt primo D. Aug. 1. contra Maximinum c. 13. *Si Deus Pater non potuit ſibi Filium æqualem generare, vbi eſt omnipo-*

nipotentia Dei Patris? et cap. 7. iiſdem ferè verbis. *Si Deus Pater non potuit &c. infirmus fuit.* Secundò, omnibus illis Patribus, & Concilijs quibus aſſeritur, & decernitur Patrem eſſe principium Filij, & Patrem, & Filiũ Spiritus Sancti, additis omnibus illis alijs, quibus Filium de ſubſtantia Patris generari ſancitur; ſicuti enim Pater eſt verè, & realiter Pater; ſic Diuina ſubſtantia, ex qua eſt verè, & realiter potens tam per generationem communicare, quia Diuina eſſentia eſt verè fæcunda, & communicabilis, & verè denique Filio communicatur, & Filius vera perſona generatur, & hic vera, & efficax conſtruitur ratio, Primò à S. Thom. art. 4. vbicumque ponuntur veri actus, & reales, & verum productum, ibi neceſſe eſt ponere pariter principium verum productiuum, & potentiam generandi: ſed in Diuinis ponuntur huiuſmodi actus reales, & perſonæ productæ de fide: ergo & eorum principium, & potentia. Probatur, nam potentia ex Ariſt. 5. Meraph. nihil aliud eſt, quam principium quo aliquid producitur, & omne generans eſt aliquo generans: ergo in Diuinis cum detur Pater generans, debet dari & quo generat: ergo potentia generandi: ergo Pater, & Filius ſpirantes Spiritum Sanctum, habebunt aliquid quo ſpirant, ſcilicet eſſentiam ſic communicabilem: ergo potentiam.

Secundò, ex principijs D. Bonau. Primò, potentiæ diſtinguuntur per actus, vt conſtat; ſed actus ſunt, & ſunt reales generandi ſcilicet, & ſpirandi: ergo, & potentia generandi eſt, & realis. Secundò. Pater generat quia poteſt: ergo quia generat realiter, realiter poteſt. Confirmatur ex corpore quæſt. Potentia idem eſt re cum eſſentia, & eſſentiæ potentia nihil aliud addit quam alicuius: eſt enim alicuius potentia; ſicut, & eſſentia in Patre v. g. eſt eſſentia Patris: ſed eſſentia eſt quid reale, & alicuius, & quid reale quò ad modum, quamuis non realiter diſtinctum, ergo, & potentia. Denique quemadmodum ſol eò illuminat, quò habet coniunctam lucem qua illuminare poteſt, & ignis eò calefacit, quò ineſt calor ad calefaciendum; ita & Pater, eò generat, quò fœcundus eſt Diuina eſſentia ad generandum &c.

Animaduertendum primò. In planiorem elucidationem huius, quam nunc poſuimus in Deo reſpectu actuum notionalium potentiam, primò hic licet potentia ex ſe opponatur neceſſario ex Ariſt. cuius contrarium eſt poſsibile: hic tamen ſumi, vt opponitur impoſsibili: quare perſona genita; & ſpirata non eſt poſsibilis, vt dicatur habere potentiam ad producendum, vt poſsit etiam non producere, & producere: intrinſecè enim neceſſarium eſt ſicut Deum eſſe Patrem, poſſe etiam generare, & Patrem, & Filium poſſe ſpirare, & Filium non poſſe generare, & Spiritum Sanctum non poſſe nec generare, nec ſpirare, eodemque neceſsitatis genere neceſſaria in Deo ſunt relatiua ad intra, æquè ac abſoluta, Aliàs ſi poſſet Pater non eſſe, & Filius, & Spiritus Sanctus magnam in Deo repugnantem imperfectionem inuolueret, & horum omnium ratio eſt; quia iſthæc potentia naturalis eſt in Deo, & æquè ſicut ipſa natura: quare ſicut natura Diuina non poteſt non eſſe & in actu perfectiſſima; ſic fermè & ipſa potentia, de qua hic ſermo.

Animaduertendum ſecundò. Potentia hæc in Diuinis perſonis ad producendum, non eſt propriè actiua, nec formaliter, ſicuti non eſt verè paſsiua. Ratio eſt, quia de potentiæ actiuæ vt in creaturis ratione eſt, vt tranſmutationis ſit principium, & multò magis potentia generatiua: De ratione verò paſsiuæ potentiæ eſt ab alio poſſe pati ex Ariſt. 5. Methaph. tex. 17. quod repugnat puriſsimo actui Diuino, quare pereruditè dixit hic D. Bon. potentia Patris ad generandum non eſt actiua, ſed actiuæ ſimilis: non eſt quidem ad modum potentiæ prædicamentalis in creaturis, quæ cum motu operatur, & dicit ex ſe imperfectionem, & eſt realiter ab agente diſtincta, eique accidens. In Deo ſiquidem, quia in ſummo actu eſt Dei ipſamet ſubſtantia, & eſſentia: ſimilis tamen actiuæ, quia operatur, & producit. Quò circa S. Thom. & hic, & ſecundo de potentia art. 1. ad ſecundum, & alibi, potentiam in Deo docuit eſſe ſuper actiuam, & operatiuam ſine imperfectione operantem, ac productiuam potius, quàm actiuam eo modo, quo in creaturis concipimus potentiam eum motu agentem; actiuam ergo ratione termini ad intra; & effectus ad extra, non actiuam autem nimirum ſicut in creaturis. Hoc ſenſu accipienda veritas probata de realitate potentiæ in Deo paucisſimis ante ex D. Aug. &c.

Ad Aureoli argumenta facili negotio reſpondetur ex Caiet. peracutè. Ad primum. Eſt potentia realis in Patre ad actus notionales, non quia Pater eliciat actum, ac producat à ſe diſtinctum: nam ille actus eſt ipſemet Pater, ſed ratione termini, & quaſi effectus per ſe producti, qui eſt Filius realiter à Patre, & diſtinctè peractum generationis productus, per quem verè in Patre eſt potentia producendi, non quidem actum ſecundum ſe, ſed per Filium à Patre illo actu productum. Hanc eandem reſponſionem afferunt, vel reſponſionis doctrinam produnt Franciſcus Mayronis 1. ſent. diſt. 4. q 7. & 8. Arim. ibidem quæſt. 1. art. 1. ad tertium, Durandus quæſt. 1. art. 1. Molina hic in D. Thom. dum aſſerunt nullum actum Diuinum ſiuè eſſentialem, ſiue notionalem eſſe elicitum, ac conſequenter non eſſe ad eum actum in Deo potentiam realem: & cum Caiet. Bannes in hunc articulum, & Greg. de Valentia 1. par. diſputat. 2. queſt. 14. puncto: dari quidem potentiam ad hos actus, non tamen per ſe, ſed ratione termini, & perſonæ productæ, ita vt ſi ſolitariè actus ſumatur, non eſt in potentia; quia non eſt elicitus; ſi ſimul cum termino eius, datur potentia, quia verè productus, quod non poſſunt negare nunc recenſiti reliqui Theologi.

Ad ſecundum. Nullam patitur difficultatem, & conceditur totum: non enim potentia generandi affirmat potentiam ſimpliciter, ſed potentiam generandi, de qua hic dumtaxat agitur, & hoc præcisè docuit D. Aug. ab Aureolo relatus, *Abſit vt ideò potentior ſit Pater Filio, ſicut putat, quia creatorem genuit, Filius autem non genuit crea-*

creatorem: neque enim non potuit, ſed non oportuit. Quibus verbis aſſerit ex eo quia non generat, neque ad generandum habet potentiam Filius, non poteſt abſolutè colligi, quin Filius ſit potens etc.

Ad tertium. Reſpondet ipſe Magiſter in litera, poſſe generare Filiũ non eſt aliquid ſimpliciter poſſe; tunc enim hoc modo ſi poſſet Pater, quod nõ poteſt Filius, eſſet major, & perfectior Filio; ſed eſt poſſe aliquẽ &c. quod nõ dicis niſi diſtinctionẽ relatiuã inter perſonas. Secũdò. An hæc diſtinctio relatiua dicat perfectionẽ ſatis ſupra ſolutũ eſt, et iterũ dicetur cum de æqualitate perſonarũ, & hinc diluta omnes obiectiones quæ in hac re potuiſſent oriri.

Ad quartum. Vnico verbo negatur ſimpliciter quod aſſumitur, ſcilicet maior; nam actus ille ſolus à potentia egreditur, quando ſimpliciter eſt tranſiẽs: nos verò agimus hic de actibus, & actionibus, ac productionibus immanentibus, quæ alio modo non tranſeunt, quàm vt terminus, ſcilicet perſona producta diſtinguatur relatiuè per originem: neq; tranſire poteſt ille actus: non enim eſt elicitus, & eſt intellectus, & voluntaris, in quibus & actus eliciti recipiuntur. Et licet origo ſignificetur vt egrediens à ſuppoſito, teſte D. Thom. quæſt. 40. art. 2. & Natiuitas, vt via; verè tamen non egreditur: nam *ego in Patre, & Pater in me eſt*. Propter eandem numero producẽtis perſonæ, & productæ naturam.

Ad quintum. Negatur maior; quamuis enim nõ generetur, aut ſpiretur diſtincta ſubſtantia; producitur tamen diſtincta realiter perſona, quod ſufficit ad actiuam, vel quaſi actiuam, & productiuam potentiam: verè enim vt teſtatur Diuina Scriptura, teſtanturque Concilia, & Patres, & omnium Theologorum vniuerſitas, Pater generat, verè Filius generatur, verè Spiritus S. ſpiratur. Ad probationẽ negatæ maioris dicitur, quamuis eadem ſit vtriuſq; ſubſtantia, & conſequenter eadem potẽtia pro fundamento ſumpta; negatur tamen inde ſequi, & Filium ſicut, & Patrẽ poſſe generare: non enim eadem ratione eſt, & modo: alio enim modo eſt in Patre, alio in Filio, & diuerſitas modi exiſtẽdi ratione, ſufficit ad impediendã in Filio generationis potentiã.

Ad ſextum, quod erat D. Th. in ſcripto: negatur maior: non enim eſt vbique, & vndequaque vera, niſi quãdo actus realiter differt à potentia, de qua exit, & quando merè eſt tranſiens, non autem quando immanens: tunc enim dumtaxat oportet, vt prius, vel tempore, vel natura ſit in potentia: in Deo ergo cum actus, & potentia, & eſſentia ſint prorſus idem, non poteſt ſe habere ità res, eſt quidem in Deo ordo naturæ vt infra, quo vna perſona teſte D. Aug. eſt ex alia: non tamen poſterior, neque illa prior, neque prius hæc in potentia.

Ad ſeptimum. His verbis optimè S. Th. Dicendum quod eſſentia, ſiue natura comparatur ad duo nimirum ad habentem, & ad id cuius natura eſt principium: itaque inter eſſentiam, & inter habentem eam, non cadit media potentia quantum ad primum actum eſſentiæ, qui eſt eſſe; eſſentia enim dat eſſe habenti: egreditur quoque ab eſſentia alius actus, & eſt habentis eſſentiam, tanquam agentis, & eſt eſſentiæ ſicuti principij agentis, & vocatur actus ſecundus, & operatio: et inter eſſentiam, et actum hunc, eſt virtus ſiue potentia media differẽs ab vtroque, in creaturis realiter; in Deo tamen dumtaxat ratione, taliſque actus eſt generare: idcirco ſecũdum modum intelligendi, natura non eſt principium eius, niſi mediante potentia, & hæc Diuina potentia vt paucis ante notatum eſt, non eſt paſsiua, neque propriè actiua naturalis, ſed ſuperactiua, & actiuæ ſimilis, cuius actio non eſt per modum motus, ſed operationis, quæ vt dicitur 10. Ethicorum, differt à motu, ſicut perfectum ab imperfecto; vnde non requirit materiam in quam agat. Hæc optimè S. Th. quibus ad argumentum ſoluendum, & declarandum dicitur; inter actum quidem primum eſſentiæ, & habentis eam, non cadere mediam potentiam; inter actum tamen ſecundũ, ſeu quaſi ſecundum communicandi eſſentiam per productionẽ perſonæ cadere vim, & potentiã mediam, non tamen niſi ratione diſtinctam: non eſt ergo vera niſi hac limitatione, maior argumenti.

Octauò poteſt argui. Potentia actiua de ſe teſte Ariſt. 5. Methaph. opponitur neceſſario, & ex inde implicat poſsibile ad eſſe, & non eſſe, & ſimul dicit tranſmutationem in aliud, & potentiam paſsiuam, & tranſmutationem in re producta: ſed hæc inuoluunt maximam imperfectionem Deo repugnantem: ergo in Deo huiuſmodi potentia non eſt ponenda. Non indiget hoc argumentum reſponſione; exhibita enim eſt ſupra prima animaduerſione, & ſufficit hic negare maiorem de potentia Diuina.

CAPVT II.

Quid ſit hæc potentia.

Fideliter primo loco Theologorum ſententiæ recenſendæ, & in proprias Claſſes ſolerter diſtinguendæ, vt ſic facilius quid ſinguli ſentiant percipiatur; in tres ergo ordines in primis conſcribendi ſunt Doctores, vt duo ſint extremi, vnus medius licet, & hic non vſque adeò vniformis; ſed præponendus, ne dicam excludendus ab hoc literario exercitu.

Greg. Arim. loco ſupra indicato: ibi enim vix admittit quæſtionem, ſed perſonam, inquit, producentem eſſe ipſum principium quo, & quodnam in Diuinis nullam concedit diſtinctionem prorſus inter abſtractum, & cõcretum: quod tamen aut dixit diſputandi gratia, vt alias indicaui; aut valde ratione aduerſa, & contra Theologorum omnem ſententiam prodijt: quo fit vt ab omnibus cõmuniter redarguatur: ſufficit enim ad hanc diſputationem proſequendam, & diſtinctionem ſuſtinẽdam diſtinctio rationis, vt aiunt ratiocinatæ: hoc ergo Doctore alioquin pereruditо, & pio relicto, auſpicandum ab ijs, qui in extremis conſtituti dixere.

Gabriel enim, Gulielmus Ocham 1. ſent. diſt. 7. quæſt. 1. ſumpta potentia generandi pro eo, quo generans generat, & eandem potentiam interpretati pro eodem, quod principium elicitiuum, & generandi & producendi rem, & poſita diſt. formali inter principium elicitiuum, quod eſt omne quod per ſe requiritur, & productionẽ ipſam, & conſtitutum ex ea, & quibuſdã alis ſuppoſitis, ſtatuere potentiam, & principium producendi perſonas nõ eſſe, neq; proprietatem perſonalem, neque aliquem

reſpectum, neq; ipſum ſuppoſitũ, & principium generationis, vel actiuè, vel paſsiuè, ſed ſolum ipſum abſolutum, quod eſt Diuina eſſentia: à qua ſententia Franciſcus Suarez lib. 6. de Trinit. cap. 5. non abhorret, imò vna addita cõditione abſolutè eam cõplectitur his verbis: Dico hanc potentiam, ſeu principium formale producendi eſſe ſolam Diuinam eſſentiam; poſtulare autem in perſona producente relationem propriam, ſeu quod idem eſt, quod habeat ipſam naturam ſine tali productione, & hanc eſſe certam ſent. S. Th. cum reliquis ferè omnibus & idem in re ſentire Gabrielem, Marſiliũ, & Capreolum, & id apertiſsimè docuiſſe Io: Teologum Latinum in Conc. Florentino ſeſſ. 18. & affert rationem S. Thom. hoc art. & aliam Scoti &c. Idem ſenſerunt Torres, Bannes, Zumellus, & Molina.

In alio extremo ſtat aduerſus Durandus diſt. 7. quæſt. 1. cui adhæret Carthuſ. eadem diſt. Ideò tamen quia hanc eſſe S. Bon. mentem exiſtimat, & in parte Greg. de Valentia hoc art. Durandus, Principiũ generationis, *quo* in Diuinis Pater generat, eſt inquit, ſola Paternitatis relatio, contrario vſus fundamento, ac argumento à S. Th. hoc nimirum. Principium *quo* producens producit neceſſariò, debet diſtingui à termino realiter producto: ſed ſola relatio in Patre diſtinguitur à Filio, & in Patre, & Filio à Spiritu Sancto: in eadem enim numero natura omnino conueniunt: ergo ſola relatio eſt principium quo, & potentia. Minor eſt certa. Probanda ergo maior primò ex Ariſt. 1. phyſ. *Principium, & principiatum ſunt multa, & non vnum*, hinc: ſed principium non tantum eſt *quod*, & ſuppoſitum, ſed eſt multò magis *quo*: ergo tantum hoc principium *quo*, & *quod* non poteſt eſſe niſi relatio: nam ſola relatio diſtinguitur realiter à producto. Probatur minor primò ex illo Ariſt. principio. *Propter quod vnumquodque tale, & illud magis*: ſi enim *quo* eſt ratio, & radix, & virtus qua principium *quod* operatur; & producit; multò magis, & verius, & ipſa debet eſſe, & prędicari principium. Secundò, & efficacius. Principio, & Patri competit operari, & eſſe principium producti, per id quo eſt diſtinctum à producto: ergo per proprietatem perſonalem. Conſequentia probatur: nam per illam dumtaxat, & eſt, & diſtinguitur: Paternitas enim et eſt conſtitutiua perſonæ, et diſtinctiua, et dans ei eſſe primum, et conſequenter ſecundum, et operatiualias non eſſet perfecta, et ſufficiens forma. Confirmatur, nam proprius actus rei debet ei competere per id, quo ei formaliter tantum competit. Tertiò. Principium, et terminus in generante, et genito ſibi inuicem correſpondent, ſed in genito id quo productio terminatur eſt relatio, et eſſentia eſt quo terminatur communicatio: ergo, et in generante principium *quo* productionis erit relatio, ſicut communicationis eſſentia.

Conuenit, & Scotus diſt. 7. cum hac ſententia dum aſſerit: ſi potentia generandi aſſumatur formaliter dicit eſſentialiter relationem: addit tamẽ, ſi pro fundamento remoto, et denominatiuè denotat etiam eſſentiam: ſi pro proximo præcisè Diuinum intellectum, vt habet Diuinam eſſentiam, vt obiectum, præſentem, et vt coniunctam Paternitatis relationi, et vt in Patre, et cum omnibus requiſitis vt exeat in actum: ſed potiſsimum eſt, quod primo loco profert: in reliquis enim additia conuenit etiam cum alijs Theologis.

Cæteri medio itinere incedentes, ex vtroque ſcilicet abſoluto, et relatiuo hanc productiuam potentiam conſtare tradiderunt. Albertus enim Magnus et eſſentiam, et relationem complecti ingenuè fatetur, ſed quid magis, eſſentiam ne; aut relationem non ſatis ſe explicauit: inquit enim, potentia generandi ſecundum rationem intelligendi; medium quid eſt inter purè eſſentialem, et perſonalem: quod patet ſi complexum hoc diuidatur: omnis enim potẽtia eſt eſſentialis; omnis verò generatio eſt perſonalis; hinc potentia generandi coniunctim ſumpta, prout eſt in actu; eſt medium tale, vt ratio potentiæ ſit eſſentia, ratio verò actus ſit relatiuum.

Henricus quodlib. 3. quæſt. 3. quibuſdam ſuppoſitis, reliqua quidem generantia, ſed multò perfectius Pater in Diuinis dum generat, duo circa genitum Filium, et intrinſeca ratione ſunt, et ſolerter animaduertenda, vt ſit nimirum ſimilis generanti, et diſtinctus: ſimilis verò eſt, quia ſuam ei Pater eſſentiam communicat; diſtinctus autem, quia alium à ſe diſtinctum, et producit, et non poteſt non producere, ne ſe ipſum producere dicatur: Pater ergo quia eandem habet eſſentiam, ſimilem generat; quia diſtinctam proprietatem, diſtinctum: ergo principium quo generat ſimilem, eſt eſſentia: principium verò quo diſtinctum, eſt proprietas.

Verùm obſeruandum eſſentiam ſimpliciter non eſſe principium quo, ſed vt in Patre, et quaſi Patris proprietate induta, at veu diſpoſita, hinc dubitans inter has duas rationes in Filio genito, quam potius, et principalius Pater generans ſua actiua generatione ſpectet; & reſpondet magis rationem, qua diſtinctus eſt, hac in primis ratione: Generans non generat ſimpliciter, ſed generat hunc diſtinctum à ſe, & eò generat quia generat hunc, et generationis eſt Filius, non Pater, et præcipuè generans intendit generare Filium, deinde ſibi ſimilem: conſequitur ergo in generatione Filij ad eſſe diſtinctum, eſſe Patri ſimilem ratione eſſentiæ communicatæ. Ergo in Patre generante eſt principalius principium *quo* proprietas, quam eſſentia. Nam proprietate generat diſtinctum; eſſentia ſimilem: ac eò magis aſſerendum hoc, quò Diuina eſſentia non eſt principium niſi vt in Patre, quaſi proprietate perſonæ facta propria.

Eandem ſubſequitur ſententiam Riccardus. Potentia inquit, generandi in Diuinis dicit quid, et ad aliquid, formalius tamen ad aliquid videtur deſignare, hac certè ratione: nam Pater eò quidem poteſt generare, quò habet naturam Diuinam, non tamen omni modo, ſed vt habet eam non ab alio, et vt primum ſuppoſitum: ergo potior ratio, qua poteſt generare eſt quia hoc modo naturam habet: ſed hæc eſt proprietas: ergo. Eandem amplexus eſt ſententiã Petrus de Tarãtaſia Theologus inſignis, et Cardinalis, et deniq; ſummus Pont. hac alia ratione. Pater poteſt generare, quia cum eſſentia habet adiunctã proprietatem: ſed proprium trahit ad ſe cõmune, et determinat, ergo Pater magis ratione proprij, quam cõmunis naturæ generare poteſt.

D. Bon.

D. Bon. Quamuis, vt problema ſuſtinens in vtraque, aut qualibet claſſe locari poſsit, quo tamen magis in relationem propendit, & eam veriorem docuit, & oppoſitas rationes ægrè ſolui ſenſit, & diuerſis tamen locis, & Magiſtri ſententiam cōfirmauit in hanc, quam nunc recolimus ſen tentiam, mediam quidem, tamen magis ad relationē declinātem conſcribendū recta ratione cenſeo.

D. Thom. cum pluribus aſſeclis, & expoſitoribus inter quos etiam Aegidius Romanus in hoc præſertim, quod diſcutiens punctum, docet hanc potentiam claudere etiam relationem, interprete in primis. Caiet. principalius tamen ſignificare eſſentiam, & hac ferè ratiocinatione tuetur, & perſuadere nititur. Illud eſt potentia generandi in aliquo generāte, in quo genitum ſimilatur generanti: ſed Filius Dei genitus ſimilatur Patri generanti in natura Diuina: ergo natura hæc in Patre, eſt generandi principium. Maior probatur. Illud propriè dicitur potentia in quocumque agente, quo agens agit: ſed id quo agens agit, eſt forma ſecundum quam agens per ſuam actionem agit, & producit ſibi ſimile: ergo illud eſt potentia generandi in aliquo, quo ſibi ſimile producit. Minor probatur exemplo geniti hominis, qui in natura ſimilis eſt Patri generanti, cuius virtute Pater poteſt generare hominem. Secundò, probat auctoritate D. Hilarij. *Natiuitas Dei* (Filius) *non poteſt eam ex qua perfecta eſt non tenere naturam: nec enim aliud quam Deus ſubſiſtit, quod non aliunde quam de Deo ſubſiſtit*. Tertiò, ex Magiſtro diſt. 7. Quartò, redarguendo eam ſententiam, quam ex æquo ex vtroque conſtare hanc potentiam multi docuerunt; hac autem ratione primò ſtatuta hac concluſione: potentia hæc non ſignificar eſſentiam, vt idem cum Paternitate Paternitas non poteſt intelligi, vt quo Pater generat, ſed vt conſtituens perſonam generantis, natura autem eſt id quo generat: ergo potentia non ſignificat eſſentiam, vt idem cum relatione, vt ex æquo vtrumque ſignificet. Antecedens quo ad primam partem probatur: licet Paternitas vt forma Patris ſignificetur; ſignificatur tamen, vt forma indiuidualis ad aliquod creatum indiuiduum: ſed hæc indiuidua forma in creatis non eſt id quo generans generat: nam ſic Petrus Petrum generaret. Poſterior pars antecedentis iam remanet probata: nam Filius genitus eſt ſimilis Patri in natura: ergo per naturam genitus eſt. Poſtremò confirmat ex D. Damaſc. vt in textu; teſte Caiet. ex quibus omnibus deducit potentiam in recto ſignificare eſſentiam, in obliquo relationem, hanc verò eſſe S. Th. ſententiam primò oſtenditur ex ipſomet S. Thom. ex quæſt. 2. de potentia; quidam dixerunt, inquit, quod potentia generandi ſignificat tantum eſſentiam, quod conueniens non videtur: actio enim quæ fit virtute naturæ communis per aliquod ſub natura communi cōtentum, modum accipit ex propris principijs ſicuti actio, quæ debetur naturæ animalis fit in homine ſecundum quod competit ſpeciei humanæ: vnde, & homo perfectius habet actum virtutis imaginationis, quam alia animalia, ſecundū quod cōpetit eius rationabilitati. Similiter actio hominis in hoc, & illo homine inuenitur ſecundum quod competit principijs illius hominis, vel alterius: ex quo contingit, quod vnus homo clarius alio intelligit, & ideo dicendum, quod ſi natura Diuina quæ cōmunis ſit principium alicuius operationis, quæ ſolum Patri competit, opportet quod ſit principium ſecundum quod competit proprietati perſonalitatis. Propter hoc in ratione potentiæ includitur quodammodo Paternitas, quantum ad illud quod eſt generationis principium: & propter hoc cum alijs dicendum, quod potentia generandi ſimul eſſentiā, & notionem ſignificat; & ibidem ad quintum, non eſſe, ait, proprietatem perſonalem principium principale, ſed quodammodo adiunctum, & cointellectum. Idem pluribus docet in 1. ſent. & concludit potentiam hanc, vt etiam tradebat eius Magiſter Albertus, eſſe medium inter abſolutum, & relatiuum explicato modo.

Hic ſuppoſitis multis potentiæ acceptionibus 5. & 9. Methaph. & ex Scoto in eadem Ariſt. lota, & in 1. ſent. diſt. 2. 7. & 20. hoc vnum obſeruandum duximus: hic potentia ſumitur preſsè vt in Deo inuenitur ad producendas perſonas, & vt dicit modum neceſſariò requiſitum entis, & naturæ Diuinæ vt ſit principium emanationis in ijs perſonis, quibus competere ratio iſthæc producēdi poteſt, quæ ſic ſumpta non poteſt eſſe Metaphyſica, vt in mathematicis eam appellat Ariſt. 5. Methaph. text. 17. & ſimilitudine quadam, vt idem Ariſt. 9. Methaph. text. 2. neque logica tantum, quæ ſolam compoſitionem terminorum poſsibilium dicit, quatenus non inducunt contradictionem, de qua idem Ariſt. 5. Methaph. tex. 17. ſed realis, & phyſica; quæ actu à parte rei ſit idonea, & fœcunda producere perſonam, ac communicare naturam: neque tamen phyſico modo, vt inuoluit motum, & tranſmutationem, & alias ſimiles imperfectiones, quæ in natura creata inueniri poſſunt; ſed Methaphyſica, ea ratione qua dūtaxat vim ad actum dicit: neque itidem vt opponitur neceſſario, & poſsit eſſe, & non eſſe; ſed impoſsibili vt implicet contradictionem non eſſe: æquè enim neceſſaria in Deo hæc potentia, vt ſæpius iam indicatum eſt, quemadmodum, & Deum eſſe: quam tamen ſic per eſſentiam duobus modis vſurpari certo certius apud omnes eſt: primò (vt aiunt) denominatiuè, quod idem, ac materialiter, & pro connotato: & hoc quidem, aut remoto, aut proximo, & perfectè diſpoſito: Secundo verò modo formaliter, quod eſt, quod per ſe ſignificat: ac primo quidem modo dicit relationem; ſecundo verò remotè eſſentiam; proximè autem vt in Patre.

Primum Aſſertum. Potentia adæquatè ſumpta conſtat ex vtroque ſcilicet eſſentia, & proprietate perſonæ producentis. Probatur ex concordi, & certa eorum omnium Theologorū ſententia quæ medium cōſtituunt inter duo extrema; deinde ex omnibus ijs principijs, quibus certum, ac conſtitutum eſt perſonam conſtare ex eſſentia, & relatione: quo enim perſona Deus eſt, eſſentiam Diuinam habet, quo verò perſona diſtincta proprietate conſtituta diſtinguitur: perſona verò quæ producit, non poteſt niſi virtute eorum quæ in ipſa ſunt: non ſunt

autem niſi eſſentia, & proprietas, & vtrumq; formaliter complectitur. Tertiò, eſſentia & eſt radix pullulans omne relatiuum, & eſt ipſa de ſe fœcunda, ac communicabilis, & de ratione ipſius eſt, vt in tribus ſubſiſtat: neque tamen communicatur niſi vt in ſuppoſito tali, & proprietas eſt ipſa conſtituens perſonam, & trahens, & modificans eſſentiam &c. Quartò, probatur ex S. Bonau: vtramque partem ſuſtinente rationibus hinc inde allatis. Quintò ex doctrina S. Th. q. 2. de potẽtia, & 1. ſent. recenſita; conſequenter ex rationibus eorũ qui vnam partem, & eorum qui alteram tuentur;

Secundum Aſſertum. Potentia hæc non poteſt eſſe omnipotentia, qua creaturæ producuntur, & creantur. Eſt D. Bon. præſertim dubio 1. literali diſt. 7. & Magiſtri in litera. Ratio eſt, potentia quæ reſpicit, & influit in creaturas eſt eſſentialis; quæ verò reſpicit Filium eſt perſonalis, & tantum ad Patrem ſpectat, ſcilicet generandi; ad Patrem verò, & Filium ſpirandi ergo. Quod ſi quis dicat; generare Filium eſſe omnipotentiæ Patris, nihil contra, & non inficiabor, ex D. Aug. 3. contra Maximinum. *Si Pater non poteſt ſibi Filium &c. generare, vbi eſt omnipotentia Dei Patris*, non enim abſolutè dicit, vbi eſt omnipotentia, ſed omnipotentia Patris, id eſt relatiua.

Tertium Aſſertum. Non ex æquo potentia hæc producendi in Diuinis ex eſſentia, & relatione; ſed probabile eſt admodum iuxta S. Thom. mentem hic in ſumma, magis ex eſſentia quam ex relatione; probabilius tamen potius ex relatione conſtat. Prima pars ſuadetur ex auctoritate tanti Doctoris & ex rationibus ab ipſo allatis ex Magiſtro, & tot alijs Theologis, ex D. Hilario, & D. Damaſceno hoc art. relatis, ex Riccardo de S. Victore lib. 6. de Trinit. cap. 2. vbi Filij proceſsionem aſſerit ſecundum naturæ operationem eſſe. Ex Io: Theologo in Conc. Florentino, Seſſ. 18. dixi Filium ex Patre, et Patris ſubſtantia generari idem ſignificare; ita tamen, vt perſona ſit producens, et generans: principium verò quo ipſa perſona generat, ſit id quod communicabile eſt. Denique ex deſfinitione generationis, et deſfinitione naturæ in S. Bon. neque facile in aliam ſententiam trahitur S. Thom. ex alijs ipſius locis; nàm ſententia quam docuit in sũma, eſt ipſius vltima volũtas, ac veluti poſtremũ teſtamentum, in quo reliqua loca quæ videtur cõtrariç ſentẽtiæ fauere, viſus eſt retractaſſe.

Probatur tamen ſecunda pars. Primò ex eodem capite tantorum ſcilicet Auctorum non minoris ponderis auctoritate D. Bon. Tarantaſiæ, Riccardi, Scoti, et Henrici, etc. et ipſius S. Tho. conciliandi ex omnibus locis, qui in primis opuſc. 72. quæſt. 28. eſſentiam, inquiens eſſe primum huius potentiæ fundamentum, proximum verò relationem; magis verò à proximo quam à primo; quod idem eſt, ac remoto denominatur, quod ex vtroque reſultat, ac conſtat; quemadmodum et effectus magis à ſecunda, quam à prima cauſa denominationem ſumit. Secundo ex rationibus Riccardi, et Tarantaſiæ, et præſertim Henrici. Tertio ex ratione præcipua S. Bon. ſi actus generationis eſt proprius, ergo et ratio debet eſſe propria. Confirmatur, nam eſſentia niſi vt induta proprietate, neque eſt, neque poteſt eſſe fœcunda, neque communicabilis, neque inde potentia etc. et quæ in ſolutionem rationis S. Doctoris allata ſunt tanti momenti, aut ponderis exiſtimanda non ſunt, vt facili negotio reijci non poſsint. Tertiò. Nam rationes, et auctoritates pro S. Thom. relatæ, non niſi de eſſentia vt fundamento primo, ac remoto vrgent, quod facillime, et libentiſsime concedimus, ac ſimul exinde ſecum aſſerimus, imò addimus hoc ſenſu eſſe ſolam eſſentiam, ſolumque abſolutum: quod confirmari poteſt ex D. Anſelmo, lib. de proceſsione Spiritus Sancti, cap. 5. erit igitur non de Diuina eſſentia, non de Deitate Patris, ſed de relatione quod ſtultiſsimum eſt dicere: et cap. 9. niſi quis dicat Spiritum Sanctum non procedere de Deitate Patris, ſed de paternitate, nec de Deitate Filij, ſed per filiationem; quæ opinio ſua ſe patenti fatuitate ſuffocat. Quartò. Potentia hæc ſi formaliter ſumatur vt originem, & principiationem indicat de ſe eſſentialiter dicit relationem, & probatur primò ex D. Bon. ex Scoto & à fortiori ex Durando. Secundò, quia potentia de ſe dicit habitudinem ad actum. Tertiò, cuicumque actus perſe alicuius potentiæ conuenit, conuenit & reſpectus; ſed Patri conuenit generare, ergo & reſpectus, & relatio. Maior probatur. Nam ad actum neceſſariò conſequitur: quia enim Pater generat Filium, ideò ad Filium refertur. Confirmatur ex Caiet. qui dum D. Thom. interpretatur, dicit ipſum hic potentiam ſumere non formaliter, ac relatiuè; ſed pro fundamento efficiente, &c. tunc ſi potentia hæc formaliter accepta eſt relatio: ergo aſſumpta ex vtroque adæquatè, & cum omnibus requiſitis magis ex relatione ſe tenebit: nam magis à formali quam à materiali, vel quaſi materiali res eſt metienda. Quintò, ex Patribus D. Aug. lib. 5. de Trinit. c. 2. *Eò Pater eſt, quò ei eſt Filius.* D. Athanaſ. diſputatione contra Anomeos. Dialogo de Trinit. *Pater hypoſtaſi ſua generat*, Filiũ ſcilicet formaliter, & relatiuè, & principaliter.

Tertium Aſſertum corollarium ex antecedentibus, & in quo opiniones diuerſæ conciliantur. Potentia generandi, & producendi in Diuinis integra conſurgit ex eſſentia, ceũ ex remoto fundamento: ex eadem eſſentia, vt actu in intellectu Patris ex propinquiori fundamento. & ex relatione in primis probatur ex primo aſſerto. Secundò, optimè D. Thom. vt ex fundamento remoto. Egregiè S. Bon. cum reliquis ex proximo, & S. Thom. cit. opuſc. primo namque modo eſt abſolutum quid, ſecundo autem modo relatiuum præcipuè.

CAPVT III.

De termino formali productionis Diuinæ, & actuum notionalium.

AD hanc ritè, ac ortodoxè ſtatuendam veritatem Theologicam, quam titulo præfixa præmiſimus: primò neceſſariò ſupponendum, quod docet fides, & contra Abbatem Ioachimum de-

decreuit Conc. Lateranenſe ſub Innocentio III. Vnam ſcilicet numero eſſe eſſentiam in tribus perſonis, vt quæ in perſona producente communicatur perſonæ productæ, eadem ſit prorſus numero in vtraque: *Licet enim*, inquit, *alius ſit Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus, non tamen aliud, ſed id quod eſt Pater, id eſt Filius, id eſt Spiritus Sanctus vt ſecundum orthodoxam, & catholicam fidem conſubſtantiales eſſe credantur &c.* vbi tandem decernit, *ſi quis doctrinam, vel ſententiam præfati Ioachim in hac parte defendere, vel approbare præſumpſerit, tanquam Hæreticus ob omnibus euitetur.*

Supponendum ſecundò, vt patentius ille terminus formalis percipiatur: ſicuti ex parte principij duobus modis ſumitur, & adinuenitur; vno quidem adæquatè, *vt quod*, integrum ſcilicet quod producitur: alio verò *quo*, vt ſuperiori cap. diſcuſſum eſt; ſic fermè itidem, & terminus productus correſpondens ſe habet: alter enim eſt primus, & ipſamet res producta integra, in creaturis quidem compoſitum ex materia, & forma: alter formalis, qui perſe quidem primò, & adæquatè non terminat productionem, ſed eſt ratio formalis, qua aliquid illam terminet, & in compoſitis eſt forma: hæc enim perſe primò non producitur, in ipſam tamen tendit productio, ceù ſecundum quam ſecundum propriam rationem quicquam producibile producitur; & hoc totum ex Ariſt. deducitur: compoſitum enim primò eſſe quod producitur, docet 7. Methaph. tex. 26. 27. & 32. Deinde generationem eſſe viam in naturam, ſcilicet in formam aſſerit 2. phiſ. tex. 14. ipſamque formam eſſe finem (forma enim, & finis coincidunt) non quidem rei genitæ, ſed generationis, eodem lib. tex. 70. hinc philoſophorum ortum prouerbium formam eſſe terminum *quo* productionis, & generationis. At verò teſte D. Thom. 1. par. quæſt. 41. art. 3. ad primum, & de potentia quæſt. 2. art. 2. ad tertium *quod*, & *quem* eſt diſt. realis: ſuppoſito enim differunt; inter verò principium *quo*, & terminum *quo*, non ita ſemper: his duobus ſuppoſitis de termino formali productionis Diuinæ ſaltem ratione diſtincto à termino quod, hæc agit dubitatio, in qua non vſque adeò conueniunt Doctores: nam

Gregorius Arim. Rubeo, & Ocham non diſtinguentes, fundamento ſupra indicato inter terminum *quo*, & *quod* perſonam aſſeruerunt eſſe terminum vtrumque, totalem nimirum, & quaſi partialem ſcilicet *quo*; hoc totum ſic probant, eſſentia non eſt terminus *quo* generationis, quia non eſt producta per generationem; neque relatio; quia cum ſit ipſa productio, non poteſt eſſe terminus, aliàs idem ſui ipſius eſſet productio.

Durandus diſt. 5. quæſt. 2. & Aureolus, vt refert etiam Capreolus, & Henricus etiam in ſumma art. 52. quæſt. 3. ad 9. produnt, non eſſe hunc terminum *quo* eſſentiam; quia ex ea præexiſtente quaſi ex materia ſit perſona, ſed eſſe relationem, inquit Durandus reſpondens principio relationis, & neceſſariò ſic concludere debet, ſi non eſt eſſentia, ergo relatio: nihil enim aliud inuenitur in perſona. Sed Theologica de hac re veritas, hac prima concluſione ſtatuitur.

Prima Concluſio. Terminus *quo* Diuinæ productionis eſt Diuina eſſentia, vt perſonæ communicata, eſt D. Bonau. diſt. 5. quæſt. 2. dum enim explicat propoſitionem illam, *Filius generatur de ſubſtantia Patris*, & hanc horum verborum ſtatuit eſſe veritatem. Filius eſt Patri conſubſtantialis: ab ipſo enim eiuſdem Patris ſubſtantiam per generationem accipit; non autem Paternitatem. Inde liquidò colligitur terminum *quo* generationis eſſe Diuinitatem, qua Filius genitus eſt Deus: terminus enim totalis eſt perſona Filij producta. Idem quæſt. 4. dum quærit; an eſſentia per generationem communicetur: eſt D. Thom. art. 3. & ratio eſt, quia in omni productione terminus formalis eſt natura, & forma, qua quicquam tale denominatur, ſiuè à forma totius, vt ab humanitate homo, ſiuè partis, vt in compoſitis ab anima ſenſibili animal ſenſibile, à rationali rationale: in ſimplicibus verò ab eo quod habet rationem quaſi formæ, vt perſona Diuina, Deitate dicitur Deus, in qua natura, & forma quocumque modo prædicto ſumpta producta, producenti aſſimilatur: hoc enim quodcumque generans intendit: ſed in Diuinis productionibus id quo producens perſona, & producta aſſimilantur, eſt natura, & Deitas: ergo. Confirmatur, eſt enim ſola qua ſit communicatio, & quæ ſola communicatur, eſt ibi Caiet. Capræoli, & Aliorum diſt. 5. quæſt. 2. eſt Scoti ibidem, qui rem probat ex recenſitis locis Ariſt. In creaturis terminus formalis generationis eſt natura, & forma: ergo, & in Diuinis. Antecedens eſt Ariſt. & experientia conſtat. Conſequentia probatur: nam generatio Diuina eſt vera generatio, & attributum à creaturis, & cum generationibus inferioribus, ſemotis imperfectionibus ſaltem Analogicè conuenit. Confirmatur. Perſonæ verè communicatur eſſentia, & ea denominatur, & accipit eſſe Diuinum formaliter: ergo eſſentia erit terminus formalis.

Nec aduerſariorum oppoſita ratio vllius roboris eſt: non enim ſimpliciter verum eſt quod dicebat Aureolus, eſſe de ratione termini, ſcilicet quod accipiat eſſe: neque conſequenter quod aſſerebat Gabriel, quod non præexiſtat: ſed & præexiſtere poteſt, vt conſtat in reſurrectione: præexiſtit enim anima ſeparata, quæ iterum poſtea dat eſſe corpori, & ſit homo: & ordine naturæ in quacumque productione forma præexiſtit, vt intelligatur vniri. Deinde terminus, non eſt opus vt ſimpliciter accipiat eſſe, ſed ſufficit, vt quod verè per ſe producitur, per eum terminum accipiat eſſe formaliter. Præterea quod maximè animaduertendum, alio valde diuerſo, & perfectiori modo Diuina eſſentia productionum eſt terminus formalis, ac ſunt formæ creatæ in compoſitis, quod vt clarius dignoſcatur, ſtatuitur

Secunda Concluſio. Diuina eſſentia dum in generatione, & ſpiratione conſtituitur terminus for-

malis, non ita ſe habet ſicut forma in productionibus creatis, ſed nobiliori ſanè modo; declaratione probatur ex D. Thom. de poteotia quæſt. 2. art. 1. formæ, & partis, & totins materiales, non habent eſſe ſubſiſtens, ſed id omne à ſuppoſitis accipiunt: & ipſamet anima rationalis licet quoquo modo etiani extra corpus imperfectè ſubſiſtat; non eſt tamen terminus formalis generationis, niſi vt vnita: Diuina verò eſſentia licet quo ad modum dicendi Ecelefiaſticum, vt iam ad hoc declarandum multa congeſsimus, verè, & abſolutè ſumpta non dicatur ſubſiſtere: verè tamen, ac perfectiſſimè à ſe exiſtit: quo fit vt dum pluribus perſonis communicatur, in ijs non aequirat eſſe, neq; exiſtere; ſed dumtaxat ſubſiſtere relatinum, & modum ſic ſe habendi, qui non eſt diſtinctus niſi ratione, & ab eſſentia, & à perſona; & ipſe quoque modus, eædem relationes ab ipſamet eſſentia pullulant &c. vt multis locis iam admonuimus.

CAPVT IV.

Cuius ſuppoſiti ſit.

NOn quærimus hic, an in prima perſona in praxi, ſit productiua potentia generandi: hoc enim fide ipſa finitum, ac firmatum eſt, Patrem ſolum generare, & Patrem, & Filium dumtaxat ſpirare, neque præterea nobis ineſt dubitatio de potentia generandi remotè accepta: hæc enim cum ſit eſſentia, oatura Diuina in Filioque, & Spiritu Sancto inueniatur communicata, ſubindè in Filio, & Spiritu Sancto neceſſariò confitenda ea certitudine, qua vnamquamque perſonam eadem vnica Deitate Deum eſſe certum eſt: quarè D. Hilarius 9. de Trinit. aſſerebat, *Filius babet in ſe naturaliter naturam gignentem*; ſed quod potiſsimum hoc loco veſtigamus, ac inuenire auemus, eſt, an ea potentia actiua, quæ includit omnia requiſita ad producendam perſonam, & dicit relationem & habitudinem ad ipſam perſonam productam, & eiuſdem denique rationis, qua eſt in perſona producente, ſit etiam in producta, ceù potentia in Patre generandi exiſtat etiam in Filio &c.

Quid de re hac ſenſerit S. Doctor, quidque de ſententia huiuſmodi tàm exquiſitè diſſeruerit diſt. 7. quæſt. 2. in medium afferendum.

Primum igitur eius aſſertum. Non eſt eorum ſententia Toleranda, qui in Filio genetandi potentiam ineſſe quidem, ſed tamen non generare, non quia non poſsit, ſed quia nec oportunum, nec congruum eſt, hac cum primis ratione. Cum ex philoſophia in actum deduci potentiã non ſequatur dicendum ibi eam eſſe, abſurdum aſſerendum in Filio iſtam potentiam non eſſe: ſequitur enim abſurdum contradictionis, etenim in æternis indè oritur aliquid poſſe incipere, & tamen eſſe æternum; nam ſi Filins poteſt ab æterno generare, et nunc actu generet, generabit Deum intrinſecè æternum, et tamen poſt inceptam æternitatem, quod apertum paradoxum redolet.

Secundum aſſertum. Filius nec habet, nec habere poteſt, nec ei Pater communicare valet eam potentiam generandi eiuſdem rationis, quam ipſe formaliter, et relatiuè habet. Probatur primò ex D. Aug. 3. contra Maximinum cap. 12. *Non potuit*, inquit, *Filium generare*. Si enim non oportuit, non fuit eongruum, nec conueniens: ergo non potuit: omne enim inconueniens in Deo impoſſibile eſt. Secundò, ex D. Anſelmo in Pruſologia cap. 7. *Qui poteſt quod ſibi non conuenit, quantò magis hoe poteſt, tantò magis aduerſitas, & peruerſitas poſſunt in eo*: ergo, eum Filio non conueniat generare, ſi poſſet magna in illo eſſet miſeria.

Deinde triplici potiſsimùm argumento. Primum eſt. In eo, in quo intrinſecè duo diſtinguuntur, non poſſunt conuenire: ſed Pater in hoe diſtinguitur à Filio, quia Filius generatur, ipſe generat: ergo in hoc non poſſunt conuenire: ergo Filius non poteſt generare. Alterum maximè D. Doctori proprium, et multis locis oblata oportunitate repetitum. Eo Patri competit generare, quo prima, & innaſcibilis perſona, & ab alia nulla ratione recipit naturam: ſed hæc primitas repugnat perſonæ productæ: ſi ergo producta, ergo non prima, ergo & Filio genito repugnabit generatio actiua. Tertium denique. In vnica Filij Dei generatione infinitè perfecta, eſt omnis ratio filiationis: ergo impoſsibile eſt eam multiplicari. Conſequentia probatur. Ideo enim multiplicantur ſuppoſita in generatione creatione: quia tum cum generantur corruptibilia; vt quo fieri poteſt perpetuò duret natura, tentat ſucceſsione durare: tum quia vnica actio generantis imperfecta eſt, nititur per plures generationes perficere, quod ei vetitum fuit per vnam: ergo Filius æternus cum ſit infinitus, impertinens eſt multiplicare Filios, Filioque habere potentiam generandi, ac generare, & ea ratione impoſsibile, qua eſt infinitum plurificari. Hæc eadem ratio eſt S. Thom. & aliorum.

Tertium aſſertum. Eò quia non poteſt Filius generare, in ipſo non arguitur impotentia, nee imperfectio vlla, ſed negatio huius potentiæ, & incapacitas, & dumtaxat diſtincta proprietas in Patre, & in Filio ex reſponſione ad ſecundum. Probatur prima pars: Sicuti enim quod arbor non loquatur, non eſt ei imperfectio: nec enim in eo eſt naturalis ad hoc aptitndo: imò ſi loqueretur monſtruoſa res & eſſet, & diceretur: ſic quidem & multò magis in Diuinis: ergo Filius non dicetur impotens ſi non poteſt generare, & ſi non poteſt eſſe Pater.

Hoc in litera pluribus proſequitur Magiſter, neque quod D. Auguſt. docuit, opponitur illis verbis, licet Filius generet non eſt quia non poteſt, ſed quia non opportet: à Magiſtro enim in textu, à D. Bon. dub. 1. literali, & à S. Th. art. 6. ad ſecundum explicatur; vt velit dicere, non generat, non quia non poteſt, ſcilicet quod non generat non oritur ex defectu virtutis, & impotentia priuatiua in Filio, ſed negatiua. Aegidius, & Argentina:

Digitized by Google

iina: non dicitur quis potens, aut impotens ad ea quæ contradictionem inuoluunt, ſed Filium Diuinum generare contradictio eſt: ergo eo quia non generat, nec poteſt generare, non eſt in eo potentia, aut impotentia, quod primo aſſerto S. Doctor enucleauit.

His S. Doctor tres maximi momenti ſoluit difficultates. Prima eſt. An, & quare Filius non poteſt ſicut Pater generare. Secunda, vnde oritur Filium non poſſe generare, nullam in eo dicat imperfectionem. Tertia. Quare Filij geniti ab hominibus poſsint alios generare; Filius verò Dei patris non poſsit. Et primò tres vnico fundamento ſimul tolluntur, ac funditus diuelluntur: eò enim plures generationes ab eodem Patre, & Filio creatis habentur, quia ſingulæ imperfectæ: Diuina verò generatio pluris eſſe non poteſt, ſed dumtaxat vnica, quia infinitè perfecto repugnat repeti, & multiplicari, ac itidem tantum abeſt, vt hoc dicat imperfectionem, vt infinitam perfectionem ponat. Propterea enim non poteſt Filius alium generare, quia tunc diſtincti eſſent Filij, & neuter omnem filiationis rationem poſsideret, et quia in ſe pleniſsimam communicationem vnicè habet, non poteſt alium producere: ſicuti enim non poteſt eſſe niſi vnus Deus, ſic neque niſi vnus Filius, et vnus Pater, et vnus Spiritus Sanctus Deus; ſingulæ ſi quidem perſonæ ſunt ipſa perſonalitas; Paternitas Pater; ipſa filiatio Filius, ipſa ſpiratio Spiritus Sanctus diſtinctè tamen, &

Ad tertiam dubitationem in reſponſione ad 6. ſic eruditè adhibet ſolutionem. Argumentum oppoſitum erat, in generatione carnali non dicitur Pater Filium generare; niſi etiam ei generandi tribuat facultatem: ergo ſi in Diuinis Filius generatur perfectior, quare, cur non ei eadem fœcunditas communicetur? Reſpondet primò, & negat conſequentiam, ac ſimilitudinem, vt in oppoſitum potius currat ſequela, communicatur hæc fœcunditas in humanis: ergo non in Diuinis: generationes enim humanæ quia imperfectæ, multiplicabiles ſunt. Diuina verò quia perfectiſſima, nequaquam; quod ferè ſic declarat. Eo enim quia in generante creato generandi virtus perfecta non eſt, vt vnica generatione generet omne quod generare poteſt; ideo repetit actum generationis, & plures filios generat, ita & alij. D. Thom. Albertus, & Aegidius. Secundò reſpondet, & aliam ſibi magis arridentem, & quam ipſe nuncupat principaliorem rationem reddit. Ideò in humanis Filius poteſt generare, quia non requiritur in ſua generatione primitas; in Diuinis verò non poteſt, quia non eſt primus, ſed Pater. Ratio quare requiratur in Diuinis eſt, non tantum quia generatio eſt prima communicatio, ſed etiam quia perfectiſſima, & ſemel, ac vnica communicatione tota ratio huius communicationis comprehenditur.

Et ad quod ex Apoc. cap. 1. poſſit opponi, quia Filius de ſe loquens. *Ego ſum*, inquit, *primus & nouiſſimus*. & Ioan. 8. *Ego principium, qui & loquor vobis*. Reſpondetur alia ratione vocari ibi Filium primum: ſunt enim phraſes de Filio eſſentiales, vt dicatur ideo primus, quia Deus vnus in tribus, & eo ſinis quo principium, & creator omnium: nos verò negamus Filium eſſe primum relatiuè, nimirum primam perſonam, ita locum indicatum D. Ioan. explicant inter alios D. Ambr. lib. 3. de Fide cap. 4. lib. 5. cap. 5. 1. Exameron cap. 2. & 4. lib. 1. de Tobia cap. 19. D. Auguſt. lib. 10. de Trinit. cap. 24. lib. 11. cap. 32. & lib. 5. cap. 13. & vbique ſemper.

D. Thom. art. 4. quatuor reddit rationes huius veritatis, ſcilicet quare Filius non poſsit generare explicatas, & apertas in textu.

Scotus in reportatis diſt. 7. quæſt. 2. & in Quodlib. quæſt. 2. ſic & ipſe eruditè enucleat hac in primis ratione. Quælibet forma in creaturis in ſingulis poteſt eſſe principium generationis productiuum, & in ſingulis eſt eiuſdem rationis, & vna creatura ab alia non niſi numero differt: quare in vno indiuiduo quod poteſt, poterit & in alio. Quod ſi vna numero eſſet in ſingulis, & in prima adæquata communicata per generationem eſſet, & per ſuam productionem non communicaretur, neque eſſe poſſet principium in aliquo alio ſuppoſito. v.g. ignis adæquatè producit ignem, ſi communicaretur ligno adæquatè, alium ignem non produceret, quia tota ratio communicationis ignis comprehenſa eſſet. Modo Diuina eſſentia eadem numero in tribus ſuppoſitis eſt, & in ſingulis diuerſa ratione, vt in prima perſona Patris ſit, vt principium productiuum, & ibi producit, & communicet adæquatè per generationem aliam perſonam, & ſecundum generationis rationem: hinc in alia perſona non poteſt, &c. eadem eſt cum S. Bon. ratione vt conſtat.

De Argentina hinc diſt. 7. quæſt. 1. art. 3. non generat Filius in Diuinis, quia licet eandem eſſentiam æquè perfectè habeat Filius, ſicut & Pater, eadem enim eſt numero, non generat tamen, quia neque habet, neque habere poteſt proximam requiſitam proprietatem, ac relationem, ſcilicet primitatis, Paternitatis, & innaſcibilitatis. Creata verò principia, licet ſecunda, vt Filij Patris exeunt in actum generationis, ac generant, quia hac diſpoſitione non indigent, reliquaſq. habent requiſitas conditiones. Eadem ex D. Bonau. & ferè ex omnibus Theologis colligitur, ſi ſinguli animaduertuntur, ac de hac veritate dicendi occaſione oblata ſi interrogarentur. D. Tho. citato art. hanc eandem quarto loco rationem reddit. Primo verò loco generationes humanas multiplicari, quia materiales: Diuinas non item, quia nedum immateriales, ſed quia ſubſiſtentes, & ipſamet forma, & Paternitas.

Satis ſecundæ Quæſtioni S. Doctor facit ſuperque, vt iam ad ſecundum notat ipſe. Non ideò, inquit, in Filio, quod nõ poſſit alium generare vllam imperfectionem dicit, quia non priuatiuè, ſed negatiuè ſe habet ad poſſe generare: neque enim ad generationem actiuam vllam habet aptitudinem, & quamuis eamdem eſſentiam, quæ eſt in Patre perfectiſsimam habeat, non habet tamen eadem ratione qua Pater, ſcilicet vt communicabilem generatione, quia non habet cauſam vt prima perſona, ſed vt generatione productus, & generatione

adæ-

adæquata? eadem eſt S. Thom. reſponſ. art. citato, quarto loco.

Quam rationem licet, vt infirmam conetur Scotus labefactare hac argumentatione ex quodam abſurdo, quod ſoli Scoto viſum eſt ex ea ratione ſuboriri; ſequeretur enim vnum tantũ eſſe productum in Diuinis: & probatur, quia illud productũ Diuinum habet quidquid infra latitudinem producti inueniri poteſt, vnde omnem producti multitudinem excludit; quod tamen de fide falſum eſt: ſunt enim duæ productæ perſonæ; ſed reſpondetur, & negatur ſequela, negantque Caiet. & cæteri Sanctorum horum Theologorum aſſeclæ. Aliud enim eſt quærere, an poſſint eſſe plures Filij numero diſtincti in eadem ſpecie, & ratione filiationis; aliud an in Deo poſſint eſſe plures ſpecie diſtinctæ communicationes, & reſpondetur negatiuè: nam de ratione rei Diuinæ eſt, vt habeat quicquid inueniri poteſt infra latitudinem rationis formalis illius rei. Non quærimus autem, an plures communicationes ſpecie diſtinctæ dandæ ſint in Deo: ſuis enim locis ex omnibus Theologis, & etiam Philoſophis dicimus affirmatiuè dandas, & neceſſariò dari duas per naturam ſcilicet, & per voluntatem, neque eadem eſt quærendi ratio, ſicut nec idem rei modus ſe habendi; primus namque per modum ſpeciei; ſecundus eſt per modum generis: vnde ab vno ad alium negatur conſequentia cuicumque argumento, neque ideo quicquam obtinet dum inſtat; eſt productum in Diuinis, ergo vnum; conſtat ex fundamento expoſito in Sanctorum Bonauenturæ, & Th. ratione: negatur enim conſequentia: nam productum in antecedenti per modum generis aſſumitur; in conſequentia verò vnum per modum ſpeciei, & numeri.

Conatur ſuſtinere Scotum Rada, ſed refellunt poſteriores Thomiſtæ. Gregorius de Valentia conatur & ipſe, hanc rationem veluti dumtaxat congruam ſic infringere: Si plures Filij in eadem natura numero conueniunt, ſicut conueniunt plures perſonæ, æquè eſſent perfecti ſicuti ſunt perſonæ. Reſpondetur primò ipſum ſupponere impoſsibile, ſcilicet plures Filios conuenire poſſe. Secundò laborare oppoſitione, quam ſupra docuit Caiet. laborate inſtantiam Scoti: alia enim ratio diuerſitatis perſonę, alia multitudinis filiorum ſub eadem ratione formali filij: perſonæ enim differunt quaſi ſpecie, & continent diuerſam rationem communicandi, quæ in ſua ſpecie habent omne, quod habere poſſunt: plures verò filij non poſſunt, niſi partitam, aut inutiliter multiplicatam vnicam filiationis rationem.

Riccardus quaſi aliud agens, hunc quoque de more dilucidè enodat nodum, diluitq. dubitationem ex D. Bonauentura dub. 7. litterali. Dum enim in Filio dicit eſſe potentiam, qua poſsit generari, ſicut in Patre qua poſsit generare, reddens huius rationem dicit, eadem Diuina eſſentia, vt in prima perſona à nullo eſt, eſt potentia actiua generandi, vt in Filio tanquam per generationem communicabilis dicitur potentia, qua generari poteſt, & licet actu ſit genitus; per rationem tamen concipi poteſt, vt generabilis, & ei incommunicabilis natura ante filiationem, & Filium eſſe. Hæc autem in ratione abſoluti idem prorſus eſt, ſcilicet duplex potentia, in ratione relatiui differt ſicut genitor à genito.

Huic aſſerto conſentaneè loquuntur D. Thom. Alexander, & Albertus dum eſſe eandem potentiã, qua Pater generat, & Filius generatur aſtruunt: ergo Filius, quod non generet, neque generare poſſit, non erit imperfectus: nam & habet eandem eſſentiam, & diuerſo, & æquipollenti modo; ſed attendendum hanc potentiam generandi in Filio, non verè dicendam paſsiuam: ſic enim nuncupata ægerrimè ab imperfectione remoueretur: ſed ſic dumtaxat appellatur quoad modum ſignificandi.

Confirmant eandem quam aſſeruimus veritatem Ægidius, & Argentinas hac ratiocinatione etiam ſupra recenſita. Ad ea quæ ne fiant repugnat contradictio, non dicitur quis impotens, quia ea facere, eſt nihil facere; ſed eſſe plures Filios in Diuinis contradictionem inuoluit, ergo &c.

Primam propoſitam dubitationem quo ad rem exquiſitè ſoluunt D. Bonauentura tribus argumentis; quatuor verò S. Thom. vt in vtriuſque textu explicatè: Sed idem S. Th. etiam quo ad modum dicendi eodem art. ad primum, terminũ hunc potentia generandi trifariam poſſe ſumi aſſeuerat: aliquando enim hoc gerundiuum generandi vſurpatur, vt à verbi perſonalis actiui exoritur, & hunc efficit ſenſum potentia generandi, hoc eſt, ad actiuè Filium generandum & hoc ſenſu dumtaxat eſt in Patre, nequaquam verò in Filio. Reddita à parte rei eſt ratio, quia ſcilicet in Filio non eſt primitas &c. quandoque autem, vt eſt Verbi perſonalis paſsiui, & tunc hanc complectitur vim potentia generandi, ideſt, vt generetur: nonnunquam tertio loco generandi potentia, vt verbi impersonalis, quod idem præſtat ac ſi dicatur potentia, qua ab aliqua actiua perſona generetur: & hæc vtraque poſterior eſt in Filio; & quia in ipſo eſt eſſentia communicata per generationem, & prius per rationem concepta, vt communicabilis; vt docebat Riccardus; & in ipſo itidem eſt potentia, vt à Patre generetur. Aſſerit eandem rationem ipſe S. Tho. 1. Sent. diſt. 7. vbi ſupra his verbis, Potentia generandi in Filio, hoc eſt, eſſentia per quam à Patre generatur: & licet de genuina impersonalis verbi ſignificationis ratione non ſit; niſi vt indeterminatè ſumatur, & in hoc ſenſu dicatur potentia generandi, hoc eſt, potentia generandi habetur, & eò imperſonalis dicatur, quò ad nullam perſonam determinatè refertur; determinari tamen poteſt & ad agentem, vt ad Patrem, & ad patientem, vt generetur ad Filium.

Hæc omnia licet in ſe vera ſint, & terminus hic, Potentia generandi, hanc ſignificandi latitudinem admittat: dum tamen quæritur; Vtrum potentia generandi ſit in Filio, hac ſignificatione percipitur, vt obſeruat Scotus vbi ſupra: Num potentia generandi, vt principium actiuum producendi, vt dicit aptitudinem ad actum generandi; quare ab omnibus reſpondetur negatiuè. Quemadmodum cum auditur quis habere potentiam docendi, ſic actiuè ſumitur, vt in audientium mentem hanc

im-

imprimat ſententiam, hic eſt Doctor, & Magiſter idoneus, tum ſcientia, tum auctoritate ad docendum, & prælegendum. Hæ tres ſic ſelectæ, ac ſolutæ difficultates his concluſionibus diſtinctis lucidioris cognitionis gratia aſſeuerantur, vt ſit

Prima Concluſio. Potentia generandi in Filio quaſi materialiter denominatiuè, ac remotè concedenda, hac ratione, quia in eo eadem eſſentia eſt, quæ in Patre, qua Pater fœcundus eſt ad actiuè generandum.

Secunda Concluſio. Potentia paſſiuè, & impersonaliter accepta adhuc ponenda in Filio, patet iam ex dictis.

Tertia Concluſio. Potentia generandi actiuè, vt in actu primo completo, & proximo cum omnibus requiſitis, neque eſt, neque eſſe poteſt in Filio; ſatis probata, ac munita manet ex hoc, & præcedenti capite.

Quarta Concluſio. Quod hæc potentia non ſit in Filio, nullam in eo ponit imperfectionem, nullumque defectum, imò infinitam, ac omnem filiationis rationem teſtatur, vt repugnet multiplicari, quod ſatis demonſtratum eſt.

Quinta Concluſio. In ſolo Patre hoc modo ſumpta potentia generandi eſt. Docet omnis Theologia, & ipſa fides in Symbolo Athanaſij, *Vnus ergo Pater, non tres Patres*. Ratio iam adhuc aſſerta, quia prima perſona, nec nata, nec naſcibilis, quare fœcunda. Præterea, potentia generandi in Patre, eſt neceſſario ita coniuncta actui adæquato, vt omnem filiationis rationem complectatur, vt alium generare non poſſit, niſi à primi generatione deſiſtat: ſed hoc repugnat: ergo & alium Filium generare, & hanc potentiam eſſe in alio. Prima pars maioris in hac quæſtione, & hoc articulo iam probata eſt à Sanctis Bonauentura, & Thoma. Secunda verò pars conſequitur ad primam: neque enim vlla potentia quicquam poteſt, niſi in ſuum adæquatum terminum, neque ſubinde terminus adæquatus multiplicabilis. Minor probatur: nam intrinſecè à natura determinatum eſt, vt potentia generandi in Patre ab illo vnico Filio generando remoueri non poſſit, quodque immutabile eſt, in actuq. perfectiſſimo mutari repugnet.

Sexta, & poſtrema Concluſio ex ſuperioribus corollaria. Neque perſonæ Diuinæ, neque actus notionales vlla potentia plures eſſe poſſunt, quam ab æterno ſunt. Prima pars iam conſtitit cum de numero perſonarum S. Bon. diſt. 2. quæſt. 4. cum reliquis ſententiarijs D. Th. quæſt. 30. art. 2. cum ſuis. Secunda verò pars, quæ eſt de rationibus perſonalibus, vt interpretatur hic S. Th. Caiet. cum non poſſit eſſe, niſi vnus Filius, conſequitur etiam non poſſe eſſe niſi vnum Patrem, & vnum Spiritum Sanctum: ergo non poſſunt eſſe, niſi illæ tres perſonæ, quæ ſunt. Secundò de fide ex D. Athan. in Symbolo. *Vnus Pater, non tres Patres, vnus Filius non tres Filij, vnus Spiritus Sanctus non tres Spiritus Sancti*: ergo illi tantum tres eſſe poſſunt: nam *in æternis idem eſt eſſe, & poſſe*. Tertio, Deus Pater vnico actu intelligit & omnia, & vnico actu vult omnia: ergo vnica perſona per modum verbi, & vnica perſona per modum amoris. Quarto argumento in præcedenti concluſione. Perſonæ procedentes procedunt naturaliter: ergo determinatè ad vnum: ergo per duas tantum emanationes naturales duæ dumtaxat perſonę haberi poſſunt. Probatur conſequentia: nam licet in humanis vnica generatione occurrat plures filios generare, id accidit ex geniti Filij imperfectione; nos verò loquimur de Filio Diuino, ac termino adæquato Diuinæ generationis, eodem modo de Spiritu Sancto. Quinto ex D. Aug. lib. 3. contra Maximinum cap. 12. ex quo D. Bonauentura, deinde Scotus eruditè argumentantur: D. Auguſt. verba ſunt, quæ referuntur à Magiſtro diſt. 7. *Immoderata eſſet Diuina generatio, ſi genitus Filius nepotem Patri gigneret, quia & ipſe nepos, niſi auo ſuo pronepotem gigneret, impotens diceretur: ſimiliter etiam ille ſi nepotem non progigneret &c. non à vobis omnipotens appellaretur: neque repleretur generationis ſeries, ſi ſemper alter ex altero naſceretur, neque vllus eam perficeret, ſi non ſufficeret vnus omnipotens.*

Ex his Theologi conſtruxerunt varias rationes. D. Th. 4. contra Gentes cap. 26. Filius habet diuinitatem vt genitus, & Spiritus Sanctus vt ſpiratus: ergo ille neque alium Filium poteſt generare, neque hic alium Spiritum Sanctum ſpirare: nam alias Filius non diſtingueretur à Patre, quia Diuinitatem haberet vt generans, neque Spiritus Sanctus à Patre, & Filio conſimili ratione.

D. verò Bonauentura ſic: ſi Filius potentiam generandi haberet, tunc neceſſariò generaret: nam *in ſempiternis idem eſt poſſe, & eſſe*, tunc vel ille genitus ſufficeret, vel non: ſi ſic, ergo primus Filius debet ſufficere: ſi non, ergo neque ſecundus, neque tertius, neque in infinitum. Probatur vtraque conſequentia: nam omnes illi Filij, qui ſic generarentur, eſſent vnius eiuſdemq. rationis: ergo ſiſtendum in primo qui genitus infinitè perfectus, & continens omnem filiationis perfectionem, & adæquatè terminans eſt.

Scotus denique longa, & fuſa argumentatione. Si non à ſe Diuina generandi fœcunditas, neque à termino terminata eſt ad vnicum Filium, neque ab vllo alio poterit terminari: nam illud determinans, vel erit poſterius, vel prius, vel ſimul natura: addamus vel erit extrinſecum, vel intrinſecum &c. quæ omnia cum ſint impoſſibilia, ſiſtendum in primo; hæc, & plura ſi adderentur argumenta huc tendunt, vbi D. Aug. argumentum tendebat: ſi vnicus in Diuinis non eſt Filius: ergo infiniti: nam nullus ex illis eſſet alio imperfectior, ac minor ſuo genitore: ergo & ipſe generaret &c. & ſic; ſi ille in ſua generatione non ſufficeret, ergo neque alius ratione iam aſſerta, nam eſſent omnes eiuſdem rationis &c.

QVÆ-

QVAESTIO XIX.

DE EADEM POTENTIA GENERANDI ad actum creandi, tum actiuè, tum paſſiuè comparata. D. Bon. diſt. 7. art. 3. & 4. D.Th.art.6.& 1.Sent.diſt.7.q.1.

ADEO' abſtruſa, recondita, ac fœcunda hæc de Dei potentia generandi contemplatio, vt non poſſit niſi multo labore, ac conatu, multisq. explicari, & adhuc conciſè, & diminutè: ergo neque ſatis, neque pro dignitate actum eſt; dum prædictis diſputationibus in ſe, & abſolutè eam enodare tentatum eſt, niſi & comparatè verſetur, nimirum in ordine ad potentiam creandi. Ad loculentiorem igitur enucleationem, quatuor proponimus diſcutienda.

Primum. Num potentia generandi, & creandi ſit vna, eademq. prorſus.

Secundum. An ſi concedatur aliqua inter has potentias diſtinctio, ſit ne vniuoca, an analoga, cum æquiuoca eſſe non poſſit.

Tertium. Si analoga fortaſſe futura ſit, vt certius perſpiciatur, cuiuſnam ſpeciei analogiæ, & hinc in clariorem cognitionem quædam de analogiæ tum natura, tum diſtinctione, tum ſpeciebus.

Quartum denique: An hæc potentia, omnipotentia nuncupari poſſit, eò quia ſub omnipotentia comprehendatur, hæcq. neceſſariò diſcutienda duximus, ne inſolutus, & inexplicatus relinquatur S. Doctor; quem tamen explicare ſuſtinemus impoſitam prouinciam.

PARAPHRASIS.

PRIMA igitur Propoſitio ex quæſt. 3. poſſe generare, & poſſe creare idem ſunt, & differunt tantum ratione intelligendi, & dicendi. Probatur prima pars: Primò, ſicut eſſentia, & relatio, & perſona, idem ſunt; ita poſſe creare, & poſſe generare: nam poſſe creare eſt eſſentiale, & poſſe generare, perſonale. Secundò, perſona generans, & Pater eſt omnino ſimplex, ex eſſentia tamen, & relatione conſtans: ergo, & poſſe creare & generare eſt neceſſariò eodem modo ſimplex, & idem. Secunda pars probatur: nam ſi poſſe hoc accipiatur in ordine ad id cuius eſt principium; poſſe creare natura eſt, & eſſentia, & abſolutum; poſſe verò generare perſonæ, & relatiuum, & illud prius ratione eſt quam hoc: abſoluta enim ſunt priora ratione, quam relatiua: ſi verò ſumatur in ordine ad terminum, poſſe generare erit prius, quam poſſe creare: nam terminus generationis eſt æternus, id eſt Filius; creationis verò creatura temporanea: ergo differunt aliqua ratione.

Secunda Propoſitio ex reſponſione ad vltimum. Impoſſibile eſt intelligere vnum poſſe ſine alio, vt ſic probatur: ſicut enim impoſſibile eſt intelligere perſonam ſine eſſentia; alias enim non eſſet Diuina perſona, neque Deus; ſic neque potentia generandi, ſine potentia creandi.

Tertia Propoſitio quæſt. 4. eadem ratione, poſſe creari, & poſſe generari præciſè vt ſic ſumptum, eſt idem, & vniuocum: ſicuti eſt idem, & vniuocum actiuè ſumptum poſſe creare, & poſſe generare. Probatur. Poſſe creari, & poſſe generari eſt æternum: ergo idem & vnicum. Ratio eſt, quia & quod eſt æternum, ſimpliciſſimum eſt. Præterea, poſſe creari, nihil dicit de creatura, ſed tantum Diuinam creantis potentiam notat: ſed Dei potentia vnica eſt: ergo eadem, & actiuè, & paſſiuè ſumpta. Minor præhabita quæſtione probata eſt: maior ergo probatur. Creatura ex nihilo creatur in tempore: ergo ab æterno nihil eius, aut eſt, aut eſſe poteſt.

Quarta Propoſitio. Connotatum in hac vtraque potentia eſt analogum, analogia non vnitatis naturæ ſecundum prius, ac poſterius; ſed ſimilitudinis, & proportionis. Probatur prima pars: nam creator, & creatura, res fruibilis, & vtibilis. Filius æternus, & temporale productum, licet conueniant in communitate rei, & entis: per prius tamen, & nobilius competit eſſe &c. Filio Dei, quam creaturæ, quæ ab ipſo dependet, & ad ipſum refertur, & per ipſum eſt, ergo. Secunda pars declaratur: nam duplex eſt analogia; alia rerum creatarum conuenientium in eadem natura, licet diuerſo modo, perfectiori nimirum, & imperfectiori ordine prioris, & poſterioris: alia creaturarum cum Deo, cum quo non conueniunt verè in natura, imò infinitè differunt, neque inter eas connumeratur Deus; ſed ſimilitudine, & proportione, & participatione rerum ad Deũ,

ſicuti

ſicuti Doctor, & Nauta ad inuicem conueniunt; vt ſicuti nauta ſe habet in regimine nauis: ita Doctor in edocendis diſcipulis, ſed analogicè, & nobiliori modo.

Quinta Propoſitio. Omnipotentia, propriè, & ſimpliciter non eſt generare, ſed creare. Probatur prima pars: nam vis, & potentia creandi eſt abſoluta, & competens tribus perſonis; potentia verò generandi relatiua, & propria Patris. Secunda pars. Potentia creandi ſolet appropriari Patri rationibus alias enarratis ſimilitudine quadam, quam habet commune cum proprio, & ad tollendum ſcandalum, ne ſcilicet crederetur Pater antiquus dierum viribus imbecillis; quare in primo ſymboli articulo aſſeritur. Credo in Deum Patrem omnipotentem.

CAPVT I.

Et Dubitatio prima ex quæſt. 3.

VT huic propoſitæ difficultati perſpicacius occurramus, & D. Bonaventuræ mentem certius aſſequamur, prænotandum primò: bifariam poſſe hanc geminam potentiã comparari, & accipi; vel in ordine ad illud abſolutum, quod vtraque potentia concernit, & vtriuſque eſt fundamentum, quod eſt Diuina eſſentia, quam vocamus principium formale, remotum tamen Diuinæ productionis, & etiam creationis ea ratione, qua eſſentia abſtractè ſumpta non creat; ſed concretè vt vnus Deus, in tribus tamen ſuppoſitis ſubſiſtens à ſe: tunc enim Diuina eſſentia eſt qua creat, Deus verò qui creat. Poteſt iterum hæc vtraque potentia attendi, vt proximè diſpoſita exit in actum: tunc etenim potentia generandi inuoluit ſecum notionẽ, & proprietatem realem primitatis in illa productione: nam in generatione connotat, & ſupponit innaſcibilitatem in Patre: in ſpiratione verò Spiritus Sancti primitatem illius ſpeciei productionis in Patre, & Filio. Vtriuſque ratio præcedenti diſputatione ab illis Theologis tunc reddita eſt, cum contradictionem inuoluere, vtramque Diuinam productionem multiplicari, demonſtratum eſt: ſi verò verbi gratia, Spiritus Sanctus ſpiratus ſpiraret, duæ extarent ſpirationes: ergo vtraque rationem primitatis neceſſariò prærequirit.

Secundò. Neceſſariò prænotandum, & ad mentem reuocandum, quod dum de eſſentiæ Diuinæ, Diuinarumq. perſonarum ſimplicitate ageretur explicatum, ac pro virili propugnatum eſt, relationes ſcilicet ad eſſentiã, & ad perſonas comparatas, ab ipſis non differre niſi ratione &c. his notatis

Dicimus primò. Primo modo, primaq. collatione, hæc vtraque potentia accepta ad inuicem omnino idem eſt, idque S. Bonauenturæ rationes probant: ſi enim attributum potentiæ eſſentialis idem eſt cum eſſentia, erit pariter idem potentia creandi cum eſſentia. Si ſecundò relatio, vt habet eſſe in, & ad eſſentiam comparetur, eſt omnino idem hoc ordine ad eſſentiã potentia generandi, & creandi. Si tertiò ex Diuinæ perſonæ ſimplicitate arguendum, vna ſimpliciſsima perſona eſt Pater: ergo, & vnicam habet potentiam, ſcilicet creandi, & generandi. Ita in primis hoc de propoſita diſtinctione cum D. Bonauentura eſt D. Tho. de potentia quæſt. 2. art. 6. & in Magiſtrum quæſt. 1. art. 3. & Riccard. quæſt. 4.

Dicimus ſecundò, vt vtraque potentia quo ad ſuum terminum refertur, concipitur, non eſt prorſus idem, ſed ratione intelligendi, aliqua inter eas intercedit differentia: terminus enim primò generationis cum ſit Filius, & Filius erit æternus, creationis verò creatura temporanea: ergo prius concipitur potentia generandi, quam creandi: ſi verò creatura, vt terminus potentiæ eſſentialis; perſona autem producta potentiæ notionalis; terminus hac diuerſa ratione prior erit ratione potẽtia creandi ex Theologorum vulgato axiomate. *eſſentialia priora ratione relatiuis*; adhibitis tamen gloſsis, quas paucis antea notauimus. Deinde potentia generandi dicit realem, & perſonalem relationem ad terminum, & ad perſonam productam: creandi verò potentiam ad creaturam tantum relationis rationem dicere, apud omnes in confeſſo eſt.

CAPVT II.

Et Dubitatio ſecunda. An in quo diſtinguuntur vtraque potentia dicatur vniuocè, aut analogicè.

AD hanc dubitationem ſoluendam, ſumenda hic potentia formaliter, vt ſuo modo refertur ad terminum, non vt eſſentia, ac remotum fundamentum: tunc enim nedum vniuocè potentia de vtraque diceretur, ſed verè vnica numero, ſicuti vnica eſſentia. Quærimus ergo primò ſententiam S. Doctoris, deinde veritatem, & quam cum alijs Theologis conformis ſit. S. Doctor ſicuti diſt. 29. quæſt. 2. docuit, principium notionale relatum ad intra in Patre ad Filium, & in Patre, & Filio ad Spiritum Sanctum, & eſſentiale ad creaturas analogicè, & per prius vt ad Filium, per poſterius vt ad creaturas ſumendum. nobilior namque terminus eſt increatus, & æternus; creatura verò principij eſſentialis terminus finita, & in tempore: ita propemodum hic de potentia aſſerendum eſt: ſiquidem & eadem res, eademque natura eſt. idem hic quæſt. 3. repetit, & eadem ratione confirmat addens. Si potentia creandi ſumatur, vt eſſentialis ratione prior, potentia generandi, ſed ferè hæc eſt remota, & quaſi materialis acceptio, non formalis ſub ratione ſignificationis, & relationis ad terminum, idem & quæſt. 4.

Digitized by Google

Quàm autem vera ſit, & Theologorum communitati conſentanea, primò ex ratione reddita, mea ſententia admodum vrgente conſtat. Præterea, ex reliquis Doctoribus patentior erit: Albertus enim hac eadem diſtinctione potentiam creandi, & gignendi negat eſſe æquiuocam; nec dixiſſet requiſitus eſſe vniuocam: nam diuerſitatis ratio patet. Durand. in 1. diſt. 29. quæſt. 1. admittit quidem analogiam cum reliquis, & licet per prius de potentia creandi aſſeueret potentiam dici, licet immeritò: formaliter enim ſumpta à nobiliori termino potentia generandi debet denominari, & etiam quaſi materialiter accepta nobilior non poteſt aſſeri; nam eadem, & vnica res eſt, admittit tamen inquam analogiam. D. Tho. ead. diſt. quæſt. 1. art. 2. in omnibus conformiter cum D. Bonauentura, analogicè nempe hanc potentiam prædicari reſpectu actuum ad intra, & extra; ſed principalius ad intra prodit.

Quod ſi opponatur: potentia creandi eſt communior; pertinet enim ad tres perſonas, & antiquior, quia eſſentialis. Reſpondet, id verum quidem ſi abſolutè, & quaſi materialiter ſumatur: at verò, ſi formaliter, & vt coniuncta actui, peior eſt potentia generandi, quam creandi.

Alexander eandem Doctrinam tradit, eandemq; complectitur ſententiam, licet diuerſis verbis; vna enim, inquit, eſt in Deo per ſe potentia, quæ dicitur potentia intelligendi, generandi, & creandi, cui competit per ſe agere, & non indiget motore ſicut creatura, ſed per actum, alium, & alium, aliter, & aliter determinatur: potentia intelligendi enim eſt per actum, qui eſt eſſentia; potentia generandi per actum, qui eſt de ſubſtantia de qua generatur Filius, & ſpiratur Spiritus Sanctus potentia verò creandi eſt de nihilo; hæc verò per prius, & poſterius dicuntur ratione, quaſi dicere velit; ſicut ratione præſupponitur eſſentia, vt communicetur per generationem, & poſtea creet; ſic prius ratione dicitur intelligere, generare, creare: concludit enim potentia determinatur dupliciter, per æternum, vel temporale; per æternum dum intelligit, & generat; per temporale dum creat, & poteſt creare.

Riccardus eadem diſtinctione, quantum ad abſolutum, quod ſignificat poſſe creare, & generare, idem eſt ratione ſola diſtinctum; quantum ad reſpectum creare, dicere reſpectum rationis ad ens creabile, vt creabile ex nihilo; poſſe verò generare dicit reſpectum pluſquam rationis ad generabile, & incommunicabile: relationem enim realem ad Filium, vt generabilem indicat; vnde hac ratione hæc non eſt vera propoſitio *poſſe generare, eſt poſſe creare*, propter diuerſa connotata.

Hanc eandem ſententiam tuentur, ac profitentur Marſil. 1. diſt. 35. art. 5. dub. 4. Torres 1. par. quæſt. 33. art. 1. Suarez lib. 6. de Trinit. cap. 5. & Alij quam plures, vt ſit communis, ac certa ſententia.

Aſſerendum igitur. Potentia in Diuinis multis modis, ac præſertim quatuor ſolere vſurpari. primò, quæ dicat robur naturæ ad perſiſtendum, vt duret in æternum. Secundò, vt quæ ſit potentia ad operationes naturales intelligendi, & volendi. Tertiò, cui reſpondeat actus infinitè perfectus cõmunicandi Diuinam naturã per intellectum, & voluntatem, ſcilicet generandi Filium, & ſpirandi Spiritum Sanctum. Quartò denique, vt ex infinita vi poteſt extra ſe producere, & creare; de quibus tamen vt in re ſunt, vniuocè dicitur potentia; quia eadem res omnino ſunt; hoc eſt Diuina eſſentia; vt verò diuerſos dicunt reſpectus, ita differunt, vt primò collocanda loco ſit potentia ad eſſe; eſſe enim præſupponitur primo: ſecundo verò locò potentia ad intelligendum &c. immediatius enim fluit à natura, & ab eſſe naturalis operatio; Tertio autem potentia Diuina, vt dicit actum ſe totam communicandi per generationem, & ſpirationem, debet præcedere, & potiori ratione concipi ad eam potentiam, qua liberè poſſunt creaturæ produci, & fieri Diuinæ perfectionis communicatio finitè, & limitatè per efficientiam: per generationem enim ad intra, & ſpirationem fit illimitatè per fœcunditatem naturæ. In his ergo omnibus ratione cuius ſunt, eſt identitas realis, & formalis differentia rationis, ratione verò reſpectus adhuc differentia rationis excepta, quarto loco ſita, cuius terminus cum ſit creatura, differt realiter.

Quod ſi poſtremo quis percontaretur de potentia ad intra ad generandum, & ſpirandum; & de potentia Diuina comparata ad creaturæ potentiam, quomodò de his prædicetur potentia. Reſpondeo primò ex Scoto diſt. 15. art. 1. in ſolutione quæſtionis, & ad primum: licet perſonæ productæ differant realiter, & quaſi ſpecificè: potentia tamen, & principium dicitur vniuocè. Probatur primò: ſicuti originis relatio vniuocè conuenit Paternitati, & filiationi eadem ratione: ita principij ratio generationi, & ſpirationi conuenit; deinceps, ſicuti cunctis ſpeciebus diſtinctis creatis competit vnum vniuocè; nimirum genus; ita profectò potentiæ, & principij ratio in communi, & præciſè ſumpta vniuocè, & ſub vna ratione poterit dici de generatione, & ſpiratione actiua; eò præſertim, quò vtrique perſonæ eadem natura, eadem perfectione communicatur &c.

Reſpondeo ſecundò, imò D. Bonauentura reſpondet in 1. diſt. 5. art. 1. ad tertium; Deo, & creaturæ nihil eſt commune per vniuocationẽ; ſed per analogiam, quæ dicit habitudinem duorum ad duo proportionalitatis; vt in Nauta, & Doctore; & vnius ad vnum; vt exemplaris ad exemplatum, & diſt. 22. art. 3. teſtatur quædam nomina rem ſignificare cuius veritas eſt in Deo, ſimilitudo in creaturis; Quod idem docent S. Thom. de potentia quæſt. 2. art. 3. & alibi Alexan. 1. par. quæſt. 2. memb. 3. art. 1. ad primum, & quæſt. 10. memb. 2. Riccard. in 1. diſt. 25. art. 1. quæſt. 1. & alij vbique, dum dicunt ens, & reliqua tranſcendentia de Deo analogicè, & creaturis dicuntur; ſed huc adnectendum, quod ſupra admonebat Alexander; hanc tantam inter vtramque potentiam adeſſe differentiam, quod Deo per ſe competit agere, & poſſe, quippe cum ſit primum agens, ac propria virtute potens:

potens: creatura verò per aliud, aliena namque indiget virtute vt moueatur ad agendum &c. Mox quod D. Bonauentura hic q.4. & alibi, vt hęc analogia, non ſit analogatorum in vna natura conuenientium, ſed per ſimilitudinem, & vt aiunt, per proportionalitatem quandam: quibus tandem has duas potentias ſic comparatas ad inuicem pluſquam genere, ac realiſſimè differre ſtatuitur.

Dubitatio tertia,

ET CAPVT III,

Qua analogia conueniant terminus productionis Diuinæ, & creationis.

IDem eſt, ac ſi quæratur, quomodo Deus, & creatura conueniant in aliquo ſuperiori in ente; nã terminus productionis Diuinæ eſt Deus; creationis verò creatura, neq; hic in dubitationem vocamus de mente S. Doctoris, an conueniant vniuocè: perpetuus enim eſt S. Doctor quem interpretamur, & pro tenui noſtra virili tueri conamur in oppoſita ſententia, vt paucis ab hinc conſtabit: neque ſuſcipimus oppoſitam opinionem in conciliationem reducere: quod latè, vel preſſè ſumpta vniuocatione, haud difficile eſſet præſtare; & quod iã ab alijs peracutè, & perappoſitè Chriſtiana ad id charitate perſuadente præſtitum eſt; neque denique relicta lite in ſuo robore, de vniuocatione reali inter Deum, & creaturam; an liceat tamen ab ente, vt ſic, abſtrahere conceptum vnum formaliter communem Deo, & creaturæ ſubſtantiæ, & accidenti, ac reliquis partibus, ac ſpeciebus entis præciſum, vel perfectum, vel imperfectũ logicum, meus animus eſt diſquirere; licet abſq; difficili negotio, in vnum reduci poſſent Doctores.

Duo mihi breuibus præſtanda duxi. Alterum in medium referre, quæ multis locis de analogia aſſeruerit S. Doctor. Alterum, quam rationi conſentaneè cum procerioribus Doctoribus definierit.

Principio igitur de primo. In 1. ſent. diſt. 3.q.3. ad tertium. Deo, & creaturis nihil, inquit, eſt commune per vniuocationem, ſed per analogiam, quæ dicit per habitudinẽ duorum ad duo, vt in Nauta, & Doctore: vel vnius ad vnum, vt exẽplaris ad exẽplatum. Quibus duas analogiæ ſpecies aſtruit, alteram proportionis vnius ad vnum: duarum proportionum alteram, quam proportionalitatem cõmunius alij nuncupare conſueuerunt: quãuis ſæpe numero vnico nomine vtramq; complecti, proportionis ſcilicet mos ſit. Idem S. Doctor in 1. diſt. 22. art. 3. vbi illam quæſtionem verſans, ac ſoluens de nominibus à creaturis ad Deum tranſlatis; tres aſſertiones, trinamq. diſtinctionem in medium profert. Prima, cum nomina ſignificant rem in Deo, ſimilitudinem verò in creaturis. Secunda, quædam alia viceverſa in Deum referuntur, quorum veritas in creatura, ſimilitudo, & metaphora in Deo eſt; dum nimirum dicitur Leo, Agnus, Petra &c. Tertia verò quædam cuius veritas in Deo, oppoſitum in creatura; quemadmodum cum Deus prędicatur infinitus, æternus &c. creaturæ enim ſunt finitæ, temporaneæ &c.

Idem diſt. 25. quæſt. 4. agens de perſonis Diuina & humana, tria obſeruanda tradit. Primum, dari analogiam generis quam vocat æqualitatis; vt Petrus eſt indiuiduum, Paulus eſt indiuiduum: æqualiter namque inueniuntur in genere; quare, non loquitur de perfectiori, & imperfectiori ſpecie in genere in quo vnum eſt maximè tale, Ariſt. 10. Metaphyſ. tex. 2. Secundum verò eſt habitudo, & comparatio ad diuerſa genera, vbi vera ineſt analogia, & comparatio, fit de vno per prius, de altero per poſterius: ſic perſona relata ad Diuinas, & ad humanas, vera inuenitur analogia: nã prius, & perfectius de Diuina, quam de humana perſona prædicatur. Tertium, ſi Diuinæ ad inuicem perſonę cõferantur vniuoci perfectiſsima ratio inuenitur: æquali enim perfectione ſingulis perſonę ratio cõpetit; eadem ratione & humanæ ſi ad inuicem referantur.

Hic denique diſt. 7. quæſt. 4. duplex, inquit, eſt analogia. Alia qua analogata in vnam naturam vniuntur, quando ſcilicet creaturæ ad inuicem ſumuntur, & vna alio perfectior inuenitur in eadem natura: ſicuti ſi Angelus, & anima rationalis in natura intellectiua, & in ratione intelligendi conferantur: perfectior enim Angelus quã homo exiſtit, philoſophatur, & intelligit: & hæc comparatio omnes animas, omneſq; Angelos complectitur. Alia, quę ad vnum reducitur per ſimilitudinẽ quandam, & proportionẽ ſicuti Deus, & creatura: neq; enim Deus cum creaturis connumeratur, aut cum eis conuenit ſub aliqua ratione cõmuni ſi propriè loquendum, niſi per ſimilitudinem: Deus enim ſuper omnia; è quibus tamen quandam minimam ſimilitudinem, & analogiam .ſ. inter Deum, & creaturas concedit, & admittit ſchola, quam ideo non pauci alioquin doctiſſimi viri æquiuocationem à conſilio vocant, Albertus, Ammonius, Boetius &c. cap. de æquiuocis.

Hæc verò didicit, ac deduxit S. Doctor à Magiſtro ſuo Alex. 1. par. q.2. memb.3. art.3. ad primum, & q.10. memb.2. & q.45. mẽb. 1. art.3. Non eſt, inquit, conuenientia Deo, & creaturis; de Deo dicitur per naturam, de creaturis per participationem: eodem itinere perambulat Riccard. eandemq. profitetur ſententiam diſt.25. art. 2. q.1.

S.Th. pariter innumeris locis de analogia entis eandem docuit doctrinam, vt eũ interpretati ſunt ſui diſcipuli: nam 1.par.q.13.art.5. impoſſibile eſt, inquit, prædicari aliquid de Deo, & creaturis vniuocè, quia omnis effectus non adæquans virtutem cauſæ agentis, recipit ſimilitudinem agentis, non ſecundum eandem rationem, ſed deficienter: ita & quod diuiſim, & multipliciter eſt in effectibus, in cauſa eſt ſimpliciter, & eodem modo; ſicut ſol &c. ita vt ex D.Th. ſententia illa tantum ſint vniuoca, vt exponunt Capreolus, & Ferrarienſis, quorum ratio eſt eadem, & ſecundum formam, & ſecundum eſſendi modum, & ipſemet abſq; interprete de potentia q.7.art.7. effectui vniuoco duo eſſe neceſſa-

tia docet, ſcilicet vt ſimilitudo effectus ſit in cauſa; & ſecundum eſſe naturale, & ſecundum eandem rationem. Hinc ibidem ad 2., & 3. argumentum ad analogiam rediens: effectus Deo comparatus (dirit effectus: nam omne quod non eſt Deus à Deo eſt) in duobus deficit ab vniuoci ratione; Primò, quia per vnius formæ partiriparionē non eſt. Secundò, quia forma ipſa in creatura participata ab eius ratione deficir, quod eſt Deus.

Animaduertendum ramen dum negar vniuocationē inter Deum, & creaturam nō concedere, niſi æquiuocationem: ſed aliquam mediam conuenientiam, quam nos vocamus analogiā, vt palàm ipſe, ac dilucidè reſtatur, & docer mulris locis, & in primis eod. art. q 13. ſequitur enim; ſed neque etiam purè æquiuocum, vt aliqui dixerune, quia ſecundum boc ex creaturis, nihil poſſer cognoſci de Deo, neq; demonſtrari, ſed ſemper incideret fallacia æquiuocationis; quod ramen eſſet, & contra Ariſt. qui multa demonſtrat de Deo ex crearuris, & contra Apoſtolum ad Rom. 1. *Inuiſibilia quidem Dei per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur:* ergo dicendum hæc nomina de Deo, & crearuris dici ſecundum analogiam, & proportionem, & ordinem multorum ad vnum. Hoc idem alijs repetit locis de veritate q. 2. art. 11. de potentiá q 7. art 7. luculentius 1. contra Gentes c. 32. 33. 34. & 35. & alibi. Idque ex natura analogiæ, quę media inter purum vniuocum, & æquiuocū vtriuſque naturā participat neceſſariò. Qua ergo parte conuenit cum vniuoco, conuenientiam. & ſimilitudinem quandam dicir, quam ſi cui placeret vniuocationē nuncupare, diminutam tamen, nō eſſet admodum contradicendum. Hinc facile conſtare poteſt: quid dixerit, quamq; conſentaneè cum reliquis Doctoribus, ac veritate de analogia S. Doctor.

Quid ſi eandem doctrinam re, quamuis diuerſis verbis docuiſſe & Scotum aſſeramus? colligitur non difficili negotio è multis locis quibus adeò larè de vniuocatione loquitur; vr euidentem ferè inuoluac, & admittat analogiam realem de qua hic ſermo: primo enim ſenr. diſt 8. q. 3. ad ſecundum Deus, inquir, & creatura ſunt primò diuerſa in realitate, quia in nulla realitate conueniunt ex D. Bonauentura hic diſt. 7. Præterea diſt. 9. q. 3. ad ſerundum multis verbis hanc ſtatuit ſententiam: vniuocationem entis reſpectu Dei, & creaturæ non eſſe realem, ſed logicam, ac inde non in re, ſed tantum in intellectu inueniri; quia in re non eſt vnitas naturæ: ita vt hæc ſit Scoti mens de vniuocatione hoc loco; vniras conceptus mentis abſtrahibilis à rebus: quo loco interprerarur, ac multa loca Ariſt. conciliat: quod ſi alicubi hunr conceptum vocat realem, ideſt, ex realitate conceptus, & rei à qua abſtrahit ipſum conceptum: de eadem vniuocatione, idem teſtatur eodem primo Senrent. diſt. 3. quæſt. 1.

Tandem concedir vniuocationē rarionis, & conceptus in mente: in re verò, modò vocat vniuocationem completā, quādo eſt ſimilitudo in forma, & ſecundū modum eſſendi; modò diminutam, quādo ſcilicet eſt ſimilitudo in forma, ſed diuerſa ratio in eſſendo: exemplum de domo in mente, & in re; & hæc quæſtione vltima prologi: modò vocat vniuocationem attributionis, quando duo conueniunt in aliquo communi, licet vnum altero perfectius participet, eius ſunt verba: Oportet, quod in ratione entis in qua eſt vnitas attributionis, attributa habeant vnitatem vniuocationis; quia nunquam aliqua comparantur; vt menſuratum ad menſuram, vel exceſſum ad excedens, niſi in aliquo vno conueniunt: ſicut enim comparatio ſimpliciter, & in ſimpliciter vniuoco ſecundum philoſophum 7. Phyſic. tex. 24. Ita omnis comparatio eſt in aliqualiter vniuoco &c. vbi quam apertè, quam nos vocamus analogiam, ipſum vocare vniuocationem aliqualem quis non videt? vniuocum ergo Scoticum in re ex vnitate rationis, & conceptus admittit diuerſitatem rantam in re, vt naturarum ſit diuerſitas eſſentialis, diuerſa adeo in modo eſſendi, vt vnus, ſcilicet Dei ſir independens, creaturæ dependens &c. vr ad æquiuocum potius, quam ad vniuocum videatur inclinare; & quod magis eſt ipſum quoque conceptum vniuocum eſſe imperfectum, ac diminutum aſſeuerat; ira vt quamcumque communitatem ipſe vniuocationem viſus ſit nominare. Quæ ergo docuit hac de re, reliquis Theologis conſentanea ex recenſiris ſaris conſtat: ſed ex eiſdem quoque veritati conſona eſſe, non inficiabitur quis: egregium enim veritatis argumentum eſt, quod communi Doctorum ſententiæ nititur.

Sed quod nobis præſtandum reliquum eſt, iterum quæ de analogia Sanctus Doctor docuit explicare, & breuibus ad duo capita compendio redigere; nam plurimi etiam inter recentiores rem hanc adeo cumulatè, & fusè verſarunt, vt hic opera noſtra non ſit opus, neque exquiſitiori indagine relictus ſit locus. Communia ergo primò analogis; deinde propria obſeruanda, ac in medium afferenda: atque ex nomine primò auſpicandum. Analogiam vertir, & interpretarur Cicero conuenientiam, his verbis. *Quod analogiam Stoici, nos appellemus conuenientiam, ſi placet.* & Quintilianus. *Analogiam, quam proximè ex Græco in Latinum transferentes proportionem vocauerunt:* ſic à nomine ad rem incedentes, multorum ſententia conuenientiam, ſimilitudinem, ac proportionem nuncupare cuiquam licebit: quamuis enim analogiæ ſpecies plures inueniantur, vt infra: omnes tamen quaſi pro genere conuenientiam habent, & ordinem inter ipſas ſpecies, & proportionem; vt indicat etiam S. Doctor in his quæ prætulimus locis. Definitio ergo analogiæ, eſt quid commune omnibus analogatis, conuenientia ſcilicet in nomine, & in re aliquo modo, & ordinis, & ſimilitudinis. Præterea omnibus analogatis, Deo, & creaturæ, & cuilibet tranſcendenti eſt commune, conceprus formalis communis à ſingulis præciſus, licet imperfectus: & probatur primò ex Ariſt. 4. Metaphyſ. text. 1. dum aliquam ſcientiam dari docet, ſcilicet Metaphyſicam quæ ſpeculatur ens, vt ens nimirum interprete Alberto Magno, ſecundum communitatem, & indeterminatè, & D. Thom. in eund. text. ſecundum quod quiddam vniuerſale

eſt,

eſt, & prædicatur de omnibus generibus entium, communiter; & Alex. Alenſi dum entis, vt ens eſt, & vt vnius entis conſiderationem differre autumat. Idem teſtatur, & obſeruat Auerroes com. 4. & adeſt ratio. Analogata omnia in aliquo conueniunt: ergo ſecundum id concipi, & conſiderari poſſunt, particularibus non conceptis. Antecedens patet: nam Ariſt. 3. Methaph. tex. 10. ens, & vnum de omnibus dicuntur; ſcilicet ſecundum conuenientiam prædicandi, vt exponit commentator. Probatur conſequentia; nam vt antea realiter datur ſcientia cõmunis, quæ eſt Methaphyſica. Secundò, ſi ratio in qua diſtinguuntur, ſeiunctim concipitur: ergo & ratio qua conueniunt, poteſt vt ſic concipi, & perpendi.

Quod de conceptu formali communi aſſertum eſt, idem neceſſariò de obiectiuo aſſerendum, Declaratur primò. Conceptus obiectiuus eſt ipſa res circa quam verſatur intellectus noſter, & à qua conceptus formalis ſaltem ſecundum partem gignitur: quocirca vnus ſine altero cum hac dependentia exiſtere non poteſt: res ipſa inquam non tamen vt extra intellectum abſolutè, ſed vt obiecta, & ſub ea ratione, qua obiecta intellectui; vnde ſi conceptus formalis eſt communis, & res concepta, vt ſic, neceſſariò erit communis.

Quo fit primò, vt hæc rei, & obiecti communitas non ſit in rerum natura, vt ſic, quid exiſtens; ſed hoc modo per abſtractionem à ſingulis præciſè ſic concepta; & hinc imperfectum gignere conceptum: nam, non hac conceptione modi intrinſeci, & proprij percipiuntur, nec includuntur, aliàs idem eſſet conceptus communis, & proprius eorum quæ diſtinctè per intrinſecos modos exiſtunt.

Quo fit ſecundò, vt hic conceptua communis nulla ex natura rei, realitate fundetur, quæ Deo, & creaturæ ſit communis; ſi namque conueniunt, operante, & abſtrahente intellectu conueniunt: tantum enim abeſt, vt è parte rei ſe ſolis conueniant, vt neq; conceptu perfecto concipi vnum ſine alio queant. Natura ergo rei extra intellectum licet exiſtens in diuerſis Analogatis; quia tamen aliqua ratione conuenit, & cum aliqua proportione, & ſimilitudine ſub hac obiecta, & concepta à mente conceptus communis obiectiuus, & verbum quod de ea vt ſic protulit mens, eſt conceptus formalis communis omnibus analogatis, hoc eſt, quod paucis tamen eruditis verbis S. Doctor protulit: Analogata, hoc eſt, Deum, & creaturam non conuenire, neque vniri in aliqua natura reali communicatione; ſed dumtaxat ſub aliqua ſimilitudine, & proportione; proportio verò, vt iam explicatum eſt, & ſimilitudo eſt genus, & commune quoddam ad omnia Analogata, & obiectiuus conceptus, & exinde formalis communis imperfectus ad omnia &c. & commune hoc prædicatur de ſingulis analogatis per identitatem, quam obiectiuam proportionalem ſingulis Analogatis vocitant.

Singula modò, & propria ſingulis diſquiramus, & explicato veluti genere, ſpecies, & differentias percurramus. Analogiam primo loco æqualitatis, & inæqualitatis introſpiciamus: explicuit S. Doctor hanc æqualitatis ſpeciem in vno genere, propter rationem vniuocam generis in ſingulis ſpeciebus: ſingulas enim ſi conferamus adinuicem ſpecies æquali ratione in his v. g. animalis definitio, & ratio inuenitur; & ſubinde de illis prædicatur, vbi, ſicuti & ſupra indicauimus, non negauit Analogiam generis, ſcilicet inter ſpecies ordinem quendam, & inæqualitatem, neque negare potuit: eſt enim certa, & vera ſent. Ariſt. 10. Methaph. in vnoquoque genere eſt vnum, quod eſt maximè tale, & aliorum menſuram, quod quidem ipſemet S. Doctor ad hunc ſenſum exponit 4. ſent. diſt. 3. quæſt. 2. & alibi, & hinc in genere latere æquiuocationem propter hanc diuerſitatem perfectionis in eiuſdem generis ſpeciebus affirmauit, certo enim certius eſt, hominem, exempli gratia, ſub genere animalis; vt animal, longè perfectiorem eſſe cane, equo &c. Quam Analogiam ſic circumſcribere licet, quorum nomen commune, & ratio prorſus eadem, diuerſo tamen modo participata.

Alteram Analogiam diuerſorum generum propoſuit ibidem S. Doctòr, quam rectè inæqualitatis nuncupauit: exemplum attulit de perſona Diuina, & humana, & hanc vtramque perſonam diuerſa genera conſtituere, ſcilicet diuerſam naturam habere; conuenire tamen vt veram Analogiam conſtituant, vt ibi; Quæ ſic accepta in plures ſubdiſtingui ſpecies, omnis peritorum exiſtimauit communitas, ac in duas præſertim, ex ſententia Ariſt. 1. ethicorum cap. 6. vt alia attributionis, alia proportionis, vel proportionalitatis nomen ſit ſortita: hoc moderamine tamen, vt hæ duæ aſſertæ ſpecies à grauiſſimis auctoribus videantur aliquando confundi, & vna pro altera vſurpari. Nam S. Th. 1. par. quæſt. 13. art. 1. & de veritate quæſt. 2. art. 11. attributionis Analogiam ſecundum proportionem nuncupauit, & inter Sancti Thomæ aſſeclas non deſunt, qui rem hanc verè ita ſe habere; vt attributio ſit proportio mordicus ſuſtinere nitantur: & Ariſt. ipſe eam quæ eſt proportionis, proportionalitatis alicubi appellauit. Et quamuis ea tantum quæ ſunt proportionalia, vera eſſe analoga ipſo Ariſt. teſte multis in locis 5. Methaph. tex. 12. & 12. Methaph. tex. 19. 22. & 23. & 1. Ethicorum cap. 6. & Ammonio, & Simplicio cap. de æquiuocis; tamen vſus inter Doctores obtinuit, vt ea quæ ad vnum, vel inter ſe habitudinem quandam habent, vel ab vno ad vnum, vel proportionalia omnia abſolutè analoga exiſtimentur, analoga vocentur.

Sed Analoga attributionis ea vocantur, quorum nomen cõmune eſt, & ratio ſecundum illud nomen eadem ſecundum terminum, & diuerſa ſecundum habitudinem ad illum: exemplum in promptu eſt de ſanitate; idem enim eſt nomen, eadem ſanitatis ratio; diuerſa tamen ſanitatis habitudo ad vrinam, ad medicinam, ad cibum, ad animal, quæ omnia dicuntur ſana, ſanitatiſque nomen attribuitur: nam in vrina eſt ſigni tantum ad ſignatum habitudo: in medicina cauſæ ad effectum; in animali verò formæ ad ſubiectum.

Sed hanc duos habere modos omnes obſeruant. Vnus, quando multorum eſt ordo ad vnum

Ccc 2 ali-

Digitized by Google

aliquid, vt medicinæ, cibi, vrinæ, animalis ad ſanitatem: alter quando vnius ad alterum eſt ordo, ad quod habet proportionem, vt medicinæ ad ſanitatem, ad quam cauſæ ad effectum proportionem habet.

In quo ſanè modo adhuc duo ſolerter animaduertenda: alterum, quod hæc habitudo vnius ad alterum, poteſt tum ſtricto, & rigoroſo modo vſurpari, tum lato; ſiquidem primo cum in vna attributione ſiſtimus; ſecundo cum ad analogiam proportionis, quæ dicit determinatam habitudinem vnius ad alterum; & proportionalitatis, quæ nullam dicit determinatam habitudinem; ſed proportionum ſimilitudinem: alterum, hanc attributionis analogiam ad alterum multis modis contingere poſſe: nam & ad cauſam efficientem, & formalem, & materialem, & finalem fieri docent Ariſt. 4. Metaph. tex. 2. & 1. Ethic. cap. 6. & ibi Commentator.

Sed circa hanc eandem analogiam multa obſeruanda, & ob oculos mentis ponenda, ac cùm primis hæc primum in huiuſce generis analogia forma intrinſecè, & formaliter denominans in primo analogato eſt; cætera verò analogata extrinſecè denominantur ſic per ordinem ad illud primum: ſanitatis enim ratio, verbi gratia, ineſt formaliter dumtaxat in animali ſano; in cæteris verò per extrinſecam denominationem: vrina namque vt ſignum, medicina vt cauſa dicuntur ſana: quo fit illud vnum, eſſe vnum numero: in vnico enim animali inuenitur, nequaquam in medicina &c, quod quidem tamen aſſerendum verum, quando attributis extenditur ad proportionem; non autem ad proportionabilitatem: tunc enim omne analogatum poterit formaliter denominari, & intrinſecè: nam ſi ens ſumatur vt analogum ad ſubſtantiam, & accidens; cum vtrumque ſua proportione ſit ens in proportionabilitate; in vtroque analogato erit formaliter ratio analogiæ entis: vt ſicut ſe habet ſubſtantia ad ens, ſic & accidens: quoniam ab intrinſeca forma ſumitur; vt docuit etiam Suarez diſput. 28. ſect. 3. in Metaph. & D. Thom. 1. ſenten. d. 29. q. 3. ad ſecundum, & ad primum.

Hanc ſic analogiam vocat ſecundum intentionem, & ſecundum eſſe, ſecundum quod natura communis habet aliquod eſſe in vnoquoque eorum, de quibus dicitur ſecundum: Primum analogatum ponitur in diffinitione aliorum analogatorum: ratio eſt in promptu; nam ratio analogiæ non dicitur de analogatis, niſi per ordinem ad primum, in quo ſolo inuenitur formaliter: quare quis medicinam volens definire non poterit, niſi ex ratione habita ad animalis ſanitatem quam in eo efficit. Tertium denique hoc huius generis analogum, non poteſt habere vnum conceptum formalem, vel obiectiuum ab analogatis præciſum, & abſtractum; ratio ex obſeruatis eluceſcit: ſicuti enim non eſt quid commune omnibus analogatis; ſed vnica res in primo analogato formaliter inexiſtens, verbi gratia, in animali ſanitas, ſanum abſolutè, & tantum dicitur quod ſanitatem habet: ita neque conceptum communem obiectiuum, neque conſequenter formalem poterit abſtrahi: quid ergo commune? nomen commune cum identitate termini; diuerſam habitudinem aliorum analogatorum terminante. Quare S. Th. indicato loco hanc analogiam ſecundum rationem tantùm appellat, quæ licet ad plura per poſterius referatur, ad vnum tamen per prius refertur in quo ſolo habet eſſe, & 1. par. quæſt. 13. art. 6. Analogum, inquit, ſecundum propriam rationem habet eſſe in vno tantum analogatorum. Colligitur tandem ex his, huius analogati eſſe proprium, vt dum abſolutè profertur hæc analogia, pro primo, ac principali accipienda ſit; nam tota analogiæ ratio illi ſoli ineſt.

Altera verò analogiæ ſpecies, quæ veram eius rationem, & naturam complectitur, quamque hoc loco tradidit S. Bonauentura, & D. Tho. recenſito loco 1. par. quæſt. 13. art. 6., & de veritate quæſt. 2. art. 6. ex Ariſt. 5. Metaphyſ. tex. 12. & 12. Metaph. 2. t9. 22. & 26., & primo Ethic. cap. 6. & 2. poſter. tex. 21. proportionis, & ſimilitudinis veriùs dicitur: quæ primo in duas ſecatur ſpecies; vt vterque S. Doctor obſeruat in ea, quæ propriè proportionis eſt vnius ad aliud; vt in binaris, quod eſt duplum vnitatis, vnius ſcilicet ad duo: D. Bonauentura dixit exemplati ad exemplar; & alteram proportionalitatis, quæ eſt duarum proportionum ſimilitudo; vt ſicut ſe habet ſenarius numerus ad ternarium, ita quaternatius ad binarium, quæ ſic hac idonea definitione explicare licet: quorum nomen commune, & ſecundum illud nomen ob ſimilitudinem aliquam in his repertam, ſecundum propriam illius nominis ſignificationem, formalem aliquam rationem vtriſque, vel omnibus communem in iiſdem formaliter inhærentem. Hæc explicatio complectitur, & proportionis, & proportionalitatis analogiam, vt conſtat; & ea in quibus conueniunt indicat, nimirum in ratione eadem proportione, & ſimilitudine in quibus differunt: nam in hac analogiæ ſpecie ratio eſt formaliter in ſingulis analogatis cum propria proportione, quæ non erat in analogis attributionis.

Porrò, vt certius rem hanc cognitione aſſequamur, iterum primò attendendum proportionem ſignificare quantitatem determinatam vnius ad aliam partem: Proportionalitatem verò duarum proportionum ſimilitudinem: vſus tamen obtinuit vt proportionis nomen nedum ad omnem conformitatem, & commenſurationem ad rerum quantarum; ſed etiam ſpiritualium ſignificandam aſſumatur: rectè enim dicitur, ſicut ſe habet intellectus humanus ad ſuum intelligere, ita & Angelicus ad ſuum. Secundò, hanc eandem analogiam bifariam ſumi, & fieri, & prædicari, ſcilicet metaphoricè, & verè, ac propriè. Propriè quidem quando nomen illud commune in vtroque analogatorum abſque metaphora dicitur: ſicuti principium de corde verè, & de fundamento domus; eadē eſt proportio, de nauta, & Doctore. Tranſlatiuè, & Metaphoricè, quando ratio analogiæ in vno analogatorū verè inuenitur in altero per ſimilitudinē: Sicuti

ſi di-

Digitized by Google

ſi diceretur homo, & prata rident. S.Bonauentura diſt. 2. recenſito loco ſupra dicit;ſicuti dum Deus dicitur Agnus : de Agno enim animali propriè, de Deo verò per ſimilitudinem dicitur : quę frequentiſſima eſt in Diuinis litteris ; hæc inquam,inter Deum, & creaturas eſt vera analogia ; in qua quidem S. Doctor omnem identitatem in eadem natura , & ratione reali negat ; & tantùm ſimilitudinem concedit; adeò vt eam æquinocū à conſilio nominarint doctiſſimi viri , Euſtratius in 1. Ethicorum c. 6. Boet. , Amon. , & Magnus Albert. vt iterum ſupra cap. de æquiuocis : alij analogiam , vel diminutam vniuocationem,vt de Deo ex creaturis aliquid ediſceremus ; quod fieri haud poſſet , ſi in nullo conuenirent , vt Theologorum communis ratio .

Profectò verò in luculentiorem explicationem; prædicari de Deo, & alijs creaturis analogicè , eſt prædicari ſecundum reſpectum, & ordinem ad aliquid vnum . Quod declaratur primò : nam id duobus modis contingit:primo,quando duo habent ad vnum reſpectum, ſicuti ad vnam ſanitatem,animal dicitur , vt ſanitatis ſubiectum ; ſana nuncupatur medicina , vt ſanitatis cauſa &c. Secundo, dum duorum attenditur ordo,vnius ipſorum ad alterū ; quemadmodum ens de ſubſtantia, & accidenti dicitur, non quo ſubſtantia , & accidens ad alterum ordinentur ; ſed quo accidens ad ſubſtantiam: atque hoc ſecundo modo ens de Deo , & creatura dicitur analogicè ; ſicuti videlicet res ad Deum ordinantur , à Deo pendent , & quoquomodo participant , repræſentant &c. Si enim primo modo prædicarentur, oporteret aliquid prius Deo conſtituere ad quod ordinaretur Deus , & creatura . Declaratur ſecundò. Ordo hic analogicus , qui eſt in prędicatione vna de Deo,& creaturis per prius, & poſterius; bifariam accipi poteſt;ſicuti enim attenditur ſecundum nomen, & ſecundum rem ; ita inuenitur prius , & ſecundum rem , & ſecundum nomen , vt conſtat in prædicatione entis de ſubſtantia, & accidente : nam ſubſtantia eſt prior , & natura : eſt enim accidentis cauſa , & cognitione : nam ponitur in accidentis definitione;ſed non hoc modo ſemper , neque in omnibus : nam in quibuſdam , licet ſint priora natura , ſunt tamen cognitione poſteriora, & tunc prædicantur quidem per prius ſecundum naturam, per poſterius tamen ſecundum nominis rationem , & cognitionem ; ita virtus ſanandi prior natura eſt , ſicuti cauſa ſanitatis quæ fit in animali : tamen animal ſanabile ſecundum nominis rationem prius eſt , ſicuti effectus cognitione ſua cauſa : cauſa enim ex effectu cognoſcitur . Hoc eodem modo eſt prædicatio de Deo , & creatura ; quemadmodum prior eſt Deus ſecundum rem , & excellentiam creatura , cuius etiam eſt cauſa ; poſterior tamen eſt cognitione , quia ex creaturis cognoſcitur Deus : Sic analogum de Deo per prius ſecundum rem dicitur , ſecundum tamen cognitionem , & nominis rationem per poſterius : ergo analogia inter Deum , & creaturam eſt vnius ad alterum inter ſe, non quidem vt, ſignificat determinatam diſtantiam , ſed indeterminatam , & quamcumque . Hæc vberrimè S. Thom. 1. contra Gentes cap. 34. & ibi Ferrarienſis .

CAPVT IV.

Et quarta Dubitatio. An Generandi potentia cadat ſub potentia creandi, vt ad Diuinam ſpectet omnipotentiam , & ideo Pater poſſit generare , quia omnipotens .

Dicere , & interpretari S. Thom. docuiſſe potentiam ad intra productiuam , neque comprehendi , neque ſpectare ad omnipotentiam , vt eum tamen ſic docuiſſe interpretantur Vaſquez diſp. 166. in 1. par. Suarez lib.4.de Trinit. cap. 10. Zumel in 1. par. quæſt.41. art.2. Rada controu.9. ad argumentum nonum; quia S. Thom. generandi potentiam dixit non importare potentiam ſimpliciter, ſed ſecundum quid , hoc loco art.6. & q.25. art. 3. quidam recens Thomiſta alioquin doctus , & eruditus profert eſſe ſordibus maculare Angelicam Theologiam , & indignas Theologo impoſturas has eſſe ; tantum abeſt vt hoc vnquam docuerit , aut S. Thom. aut inſignis eius Commentator Caietanus : hic tamen concedit non ab omnipotentia quidem abſolutè ſumpta , ſed ab omnipotentia generandi Patris potentiam comprehendi , pro quo affert verba S. Thomæ de Potentia quęſt.2.art.5. Potentiam generandi pertinere non ad omnipotentiam Dei abſolutam , *ſed ad omnipotentiam Dei Patris*, ex D. Aug.3. contra Maximinum : *Si Pater non potuit ſibi æqualem Filium generare , vbi eſt omnipotentia Dei Patris ?* & loca , & rationes in contrarium relatas nititur hac diſtinctione refellere : Omnipotentiæ impoſitum quidem nomen,prima impoſitione Deo ad ſignificandam potentiam in creaturas ; ſecunda tamen impoſitione ad ſignificandam ad intra omnipotentiam , vt loca tum S. Tho. tum Sanctorum Patrum , quæ videntur omnipotentiam negare ad perſonarum productionem extendi , id concedat ex prima impoſitione .

At verò certum eſt, S.Tho. primo Sent. diſt.7. quæſt. 1. art.1. aſſerere potentiam generandi non contineri ſub omnipotentia: & loco proprio huius dubitationis abſolutè negans hanc potentiam ſub illa contineri , conſentaneè interpretandus propriè loquutus de quacumque impoſitione . Et quæſt. 25. art. 2. vbi ad inueniendum Diuinæ omnipotentiæ obiectum ait: *qui omne quod contradictionem non inuoluit poteſt , eſt omnipotens* : & interpretatur Caietanus ibi de potentia factiua , non autem generatiua eſſe verum : non enim potentia Dei habet pro obiecto Deum , ſed creabile ens . Quod ſi S. Auguſt. generandi potentiam nuncupauit omnipotentiam,extenſo nomine vſus eſt , inquit Suarez,& ibi generandi potentiam identicè

ſumpſit, & pro fundamento radicali ſcilicet eſſentia, & pro plena fœcunditate, & perfecta, inquit Vaſquez. Quod ſi denique potentia de vtraque dicitur, nimirum creandi, & generandi, argumantum pro nobis pugnat: differunt enim hæ potentiæ analogicè: ergo vt diſtinctæ, vna alteram non comprehendit. Neque vlla ratione aſſerendum, ad potentiam generandi vt ſic ſpectare, creaturas producere; nam ſic Filius non poſſet creare, quia non poteſt generare: ergo potentia generandi non eſt omnipotentia, quia eius obiectum non eſt omne poſsibile.

An verò ratione nobiliſsimi termini, ſcilicet Filij geniti dici idoneè poſsit: omnipotentia iſthæc generandi potentia, hæc mera de nomine concertatio eſt. Sentio igitur illimiratè loquendo, hanc à S. Thom. non admitti propoſitionem. *Omnipotentia comprehendit potentiam generandi*. Nam communi acceptione omnipotentia ſumitur, vt ad creaturas reſpectum dicit.

Scio quoſdam non relinquere huic dubitationi locum, ſcilicet Aureolum, & Arimin. diſt. 7. dum ad actus notionales dari potentiam negant; ſed iſti iam quæſt. præcedenti reiecti ſunt cap. 1. Alij verò qui contra nos ſentiunt, hoc argumento nituntur. Potentia qua Pater generat eſt ipſamet omnipotentia: ergo magis propriè de ea dicitur; quorum potior ratio, quia potentia ad intra maximè perfecta eſt. Quod ſi eis obijcias: ergo Filius qui non poteſt generare, non erit maximè perfectus ſicuti Pater. Reſpondent, & negandum exiſtimant in Filio non eſſe generandi potentiam, quoad id quod perfectionem dicit, nimirum abſolutum: relatiua verò conditio generationis, quod non ſit in Filio, nulla ratione perfectioni derogat, ſed nulla reſponſio; nam etiam illa relatio, non vt ſola conditio, ſed vt intrinſecus modus ad productionem requiritur, ſuamq; perfectionem in Deo ponit, vt in ſuo loco ſatis.

Quarè longè melius Albert. Magn, Omnipotentia, inquit, Dei eſt reſpectu eorum qui extra ſunt, & conſequitur poſſe comune Patris, Filij, & Spiritus Sancti, vndè omnipotentia Dei eſt reſpectu eorum, quæ poteſtati Diuinæ ſubijciuntur. Quocirca Filius qui non poteſt generare, non poteſt eſſe impotentior Patre, neque omnipotentia deeſt, nam generare Filium non eſt ex ijs, quæ potentiæ ſubiecta ſunt: ſicuti namque eſſe Patrem, eſt magis ad aliquid; ſic poſſe generare non eſt poſſe aliquid.

Cartuſianus ex Vdalrico lib. 2. ſuæ ſummæ profert D. Areopag. 4. de Diuinis nominibus, omnipotentiam Deo conuenire per comparationem ad creaturas: ſic egregiè S. Th. locis iam indicatis.

D. Bon. explicatiſsime dubijs litt. diſt. 7. his ferè verbis dub. 1. Potentia Patris poteſt comparari vel ad ſuperius, vel ad inferius, vel ad æquale: ſed non ad ſuperius: non enim habet ſuperius: ſi ad inferius, tunc eſt potentia eſſentialis æquè in omnibus perſonis reſpectu creaturæ, aliàs non eſſent æquales: ſi ad æquale, tunc trahitur ad perſonam, & dicit tantum proprietatem, & diſtinctionem perſonæ; in hoc enim diſtinguitur Pater à Filio, quia ille poteſt generare, hic non ita; hinc abſolutè non ſequitur, quod aliqua potentia ſit in Patre, quæ non ſit in Filio; ergo omnipotentiam duntaxat pro eſſentiali ſumit. Explicatius dub. 2. ex Magiſtro: generatio Filij non continetur ſub omnipotentia, niſi accipiatur omnipotentia per appropriationem; & denique in fine quæſt. 4. omnipotentia competit tribus, quæ non diſtribuit pro potentia generandi propria, ac certa diſtributione, niſi fiat extenſio quædam, & per appropriationem ad ſuppoſitum, & dicatur Pater omnipotens.

Hoc idem apertiſsimè docuit Magiſter in tex. ſequitur Scot. 1. ſent. diſt. 31. Maior diſt. 41. Durand. diſt. 10. & reliqui omnes qui ſupra potentiam creandi, & generandi dixerunt diſtingui ſicut duo analogata: ſi enim diſtinguuntur: ergo vna aliam non comprehendit.

Modò probatur etiam ex Patribus, & D. Auguſt. *Deum Omnipotentem aſſeruit, quia poteſt omnia quæ vult.* D. Fulgent. lib. de fide cap. 3. *In hoc ſitam eſſe omnipotentiam, quia de nihilo fecit omnem creaturam.* D. Athanaſ. in Symbolo. *Omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus Sanctus non tamen tres omnipotentes ſed vnus omnipotens*: ergo omnipotentia in Diuinis penes eſſentiam tantum ſumenda, idque ob perſonarum æqualitatem ſuſtinendum. Quod ſi D. Aug. loco ſupra cõmemorato dixerit, ſi non potuit Pater &c. *Vbi eſt Patris omnipotentia.* Reſpõdeo ex D. Bon. gloſſa, ibi ſumi potentiam extensè, & appropriatè; deindè pro potentia generandi vſurpata eſt ibi omnipotentia; quod indè colligitur: nam alio loco recenſiti libri, eodem propoſito argumento non omnipotentiæ, ſed potentiæ voce vtitur; ſic ergo Pater impotens erit. Ita S. Th. 1. ſent. diſt. 7. diceretur impotens Pater, ſi non poſſet generare Filium: nam poſſe generare ad Patris rationem ſpectat; generare verò quia ad Filium non attinet, & ideo per hoc non dicitur impotens, quia negatiuè ſe habet, docebat S. Bonau. Probatur præterea ex Nyceno Symbolo, quod in miſſa canitur hæc eadem veritas, *Credo in vnum Deum, Patrem omnipotentem, creatorem cæli, & terræ*: hac enim ratione omnipotens aſſeritur, quia cæli, & terræ creator. Denique ex Diuinæ Scripturæ millies repetita prima phraſi Geneſ. cap. 14. 21. Exod. 6. 15. Rut, 1. Tob. 13. Iudit 16. Iob. 11. 13. 21, 23. 24. 27. 28. 31. 34. 45. Sap. 11. 18. Ecc. 42. 45. Machab. 1. 3. 6. 7. 8. Apoc. 1. 16. quibus præcipuè locis conſtanter omnipotens, & omnipotentia pro infinita actiua virtute vnius Diuinæ eſſentiæ accipitur: ergo huic vſui ſtãdum; & ita Theologicè loquendum, & ab hoc tot Sanctorum Patrum Theologorum, & vſu Diuinarum litterarum, temerato veſtigij itinere non recedendum. Tandem ratione. Obiectum adæquatum actus notionalis, & potentiæ ad intra productiuæ eſt perſona producta, & obiectum adæquatum omnipotentiæ eſt creatura: nam eò omnipotens, quò ex obiecto potens eſt in omne ens, & quod poteſt producere, & non producere cum liberè producat: ergo ſicut

diuerſa

diuerſa eſt obiecti ratio, & diuerſa ratione exijt in hos actus, naturæ ſcilicet in Filium, & voluntate, & libertate in creaturam; ita propemodum erit diuerſa potentiæ ratio, & diuerſa analogata, vt vnum non contineat alterum: teſte enim etiam Ariſt. hæ duæ facultates voluntatis, & intellectus, libertatis, & naturę diſtinguuntur, & differunt. Denique, vnica veri Dei omnipotentia teſte D. Athan: ergo relatiuè non ſumẽda. Cõfirmatur nam huiuſmodi potentiæ differunt in vtroque termino: nam terminus à quo incipit creandi omnipotẽtia eſt nihil; ad quẽ terminatur eſt creatura; generandi verò ad intra terminus à quo; eſt ſubſtantia de qua producitur perſona, terminus ad quem eſt ipſamet perſona producta: Confirmatur ſecundò, nam Diuina generandi potentia vt generet, indiget (licet ſic loqui) relatione reali; creandi verò omnipotentia nihil aliud, quã entis Diuini formaliſsime actualitatem requirit, etiam teſte Suarez lib. 3. de attributis cap. 4.

Hac ſic propoſita, & explicata ſententia nihil remanet facilius, quam tueri Diuinarum perſonarum æqualitatem in potentia; quod enim non cadit ſub omnipotentia, non dicitur potentia ponens inæqualitatem. Quod ſi Pater poſtea generare poſsit; Pater, & Filius ſpirare; Filius autem non generare; Spiritus verò Sanctus nec generare, nec ſpirare poſsit: nihil aliud eſt quam per aliam, & aliam proprietatem conſtitui perſonas diſtinctas, non verò inæquales: Si verò has relatiuas proprietates eò quia vt ſic ſunt Diuinæ, ſuas continere perfectiones aliàs nos profeſſos eſſe ſuſtinere quis obijciet; teſtamur, reſpondemus, & iterum repetimus; nihil tamen indè ſequi incommodi ad æqualitatem perſonarum; primò enim hæ perfectiones in hoc ſitæ ſunt vt plures conſtituant, & diſtinguant perſonas Diuinas in eadem vnica natura. Deinde ſi in Patre eſt Paternitas; & in Filio æquiualens filiatio, in Spiritu Sancto æquiualens paſsiua ſpiratio. Quo, Aegidio Argent. Marſil. et Turriano 1. par. quæſt. 41. art. 6. factum eſt ſatis.

Ad illud poſtremò, quod obijciebatur de ratione obiecti: omnipotentiæ eſt, vt ſit omne poſsibile, quod non inuoluit contradictionem: ſed non implicat contradictionem Patrem generare, & non poſſe generare Filium: ergo comprehenditur ſub omnipotentia. Reſpondetur, & ex dictis iam conſtat reſolutum, & neceſſariam fuiſſe reſponſionem Gaietani in D. Thom. ſupra repetitam.

QVAE-

Digitized by Google

QVAESTIO XX.

DE AETERNIS PERSONIS.

Diſputatio de æqualitate, & ſimilitudine. D. Bon. diſt. 19. & 21. D. Thom. quæſt. 42. D. Bon. quæſt. 1. D. Thom. artic. 1. An æqualitas ſit in Diuinis perſonis.

CONSEQVITVR neceſſariò vt explicata vnitate naturæ, & perſonarum pluralitate, de earum ad inuicem æqualitate, & ſimilitudine diligens, & fœcunda hoc loco inſtituatur pertractatio: aduenit namque Diuinis perſonis iſta æqualitas, & conſurgit quo & ſunt eiuſdem numero eſſentiæ, & ad inuicem plures: eſt etenim æqualitas conſubſtantialium perſonarum quædam relatio, & coæternitatem, magnitudinem, ordinem, numerum, circumincesſionem fœcundè, & luculenter complectitur, & vberrimè ab vtroque Sancto Doctore enucleatur, & multis difficultatum ſolutionibus perſcitè augetur.

PARAPHRASIS.

P*RIMA Propoſitio. Aequalitas quæ conſequitur quantitatem virtutis neceſſariò, & de fide in Diuinis perſonis ponenda. Probatur primò ex Symbolo D. Athanaſ.* Tres perſonæ coæternæ ſibi ſunt, & coæquales. *D. quoque Aug. lib. 3. contra Maximinum, & lib. 7. de Trinit. cap. 6. & lib. de quantitate animæ cap. 3.* D. *Fulgentius lib. de fide cap. 1. ſtrenuè aſſerunt. Deinde ratione.* Omnis *numerus ad vnitatem increatam reducitur: ergo & omnis inæqualitas ad vnicã increatã æqualitatẽ: ergo ſicut ex multitudine colligitur vnitas; ita ex inæqualitate æqualitas in Deo. Præterea Diuinas perſonas eſſe æquales perfectio eſt: ergo in Deo ponenda. Antecedens valdè probatum: Nam id conforme Diuinæ ſimplicitati eſt, & identitatem Diuinæ eſſentiæ indicat, & includit. Mox. In Deo vna eſt quantitas perfectionis, & virtutis: ergo æqualitas.* Co*nſequentia certa: nam quemadmodum vnum in ſubſtantia facit identitatem, vnum in qualitate ſimilitudinem, ſic vnum in quantitate æqualitatem: æqualitas enim eſt paſſio propria quantitatis. Confirmatur, nam ſi non eſt ibi omnis æqualitas, neque erit omnis identitas: ſiquidem in Deo quantitas virtutis idem eſt cum eſſentia.*

Secunda Propoſitio. Optima ratione hoc æqualitatis attributum ad Diuinas perſonas transfertur: nam primò, nullam neque diuiſibilitatis rationem, neque finitatis contèrminationem, neque diuerſitatis in forma perfectionis dicit, licet ſuppoſitorum pluralitatem: hæc enim diceret primò, ſi quantitatem molis non virtutis conſequeretur: præterea, vt dumtaxat ponit exceſſus priuationem in Deum transfertur: ſiquidem ſecundum perfectionem, non ſecundum quas in creaturis inuoluit imperfectiones tribuitur Diuinis. Denique perfectionem aſſerit: ergo ritè Deo aſcribitur. Conſequentia conſtans, antecedens ergo perſuadetur: Nam vnitas virtutis perfecta omnem tollit inæqualitatem, ac ſubinde varietatem.

Tertia Propoſitio, ex reſponſione ad tertium. Infinitum quo ad rem ſecundum veritatem eſt incomprehenſibile; comprehenſibile tamen ab infinito, & commenſurabile, & commenſuratum, neque tamen finitum: imò eò colligitur infinitum, quò infinito æquale.

Quarta Propoſitio ex quæſt. 2. Aequalitas inter Diuinas perſonas aſſerta neceſſariò conuincitur infinita. Primò, nam tãta æqualitas, quanta Vnitas: ſed Vnitas ſumma eſt vt iam ſuis locis dictum: ergo & æqualitas. Secundò, illa æqualitas eſt prima ad quam omnis inæqualitas reducitur: ergo ſumma. Tertiò. Ratione D. Fulgentij ſupra indicato loco. D. Aug. 8. de Trinit. cap. 1. perſonæ Diuinæ ſunt æquales in æternitate, nam Pater non eſt antiquior Filio: ſiue in immenſitate: nam omnes nedum omnem locum imolent; ſed magnitudinem intenſiuam ſapientiæ, bonitatis &c. habent: in potentia, & ordine ad omnem effectum: ergo ſummè æquales. Conſequentia inde conſtat, nam non ſolum hæc in ſe ſunt ſumma, ſed neque aliter comparari contingit.

Quinta Propoſitio. Licet Filius non generet, nec Spiritus Sanctus ſpiret; ſunt tamen æquales, etiam in bonitate: non enim ideo Filius non generat, quia non ſit æquè bonus, ſed quia Filius genitus continet omnem filiationis rationem: eadem ratione Spiritus Sanctus. Secundò. Ratio diffuſionis boni eſt in ordine ad extra: ſed in hoc ſunt æque diffundentes ſimpliciter, & æqualiter bona: ergo, ex reſponſione ad tertium.

COM.

Digitized by Google

COMMENTARIVM.

ÆQVALITAS complectitur vnitatem, & pluralitatem perſonarum, & ex his exurgit; ergo poſtquam hucuſque de Vnitate eſſentiæ, & earundem perſonarum pluralitate, & emanatione, & actuum notionalium, ac relationum, conſentaneè hoc loco de æqualitate ſtatuitur agendum, & primò quoad nomen, deinde quo ad rem. An ſcilicet ſit, quid ſit, & quomodo ſe habeat in Diuinis perſonis. In his autem duabus quæſtionibus S. Doct. quæſtioni nimirum an ſit, & quid ſit ſatis pro dignitate ſacit; ſed primò, An ſit ſimpliciter. Secundò, An ſit ſumma, hoc verò quid ſit; imò & quomodo ſe habeat exquiſitè complectitur: dum enim reſpondetur, perſonæ ſunt æquales quia ſunt coæternæ, immenſæ, & omnipotentes oſtenditur perſpicuè; ſimul & quid ſit, & in quibus iſthæc æqualitas conſiſtat.

Quò igitur ad nomen. Aequalitas licet ex ſe ad molis quantitatem ceù eius paſsio, ac proprietas ſpectet; ad Deum tamen ex creaturis metaphoricè idoneè aſſumitur, ad Dei vnicam virtutis eſſentialem magnitudinem explicandam, & perfectionem in Diuinis perſonis aſſeuerandam: et huius loquendi vſus admodum frequens eſt, tum in Diuinis literis, tum in Conc Sanctis Patribus, & omnibus Theologis. Ioan. 5. *Propterea ergo magis quærebant eum interficere, quia non ſolum ſoluebat ſabbatum; ſed Patrem ſuum dicebat Deum, æqualem ſe faciens Deo*: quæ quidem verba profert D. Ioan. non tantum ex hebræorum opinione; ſed etiam ex propria ſua ſententia, vt teſtantur D. Athan. Orat. contra gregales Sabellij, S. Hilarius 7. de Trinit. S. Ambroſ. lib 2. de Fide cap. 4. Si enim Dei Filium ſe dicebat, qui non poteſt mentiri: ergo neceſſaria conſequutione ſe Deo æqualem faciebat: & ſi hanc ipſi hebræi deducebant conſequentiam, peroptimè deducebant; vt obſeruarunt inter alios D. Baſil. lib. 1. contra Eunom. D. Cyrill. lib. 2. in Ioan. cap. 74. D. Aug. elegantiſſimè tract. 17. in Ioan. *Ecce intelligunt Iudæi quod non intelligunt Arriani: Arriani quippè inæqualem Patri faciunt Filium, & indè hæreſis pulſat Eccleſiam: eccè ipſi cæci, ipſi interfectores Chriſti; tamen intellexerunt verba Chriſti, non eum intellexerunt eſſe Chriſtum, non eum intellexerunt Filium Dei; intellexerunt tamen in illis verbis, quia talis cõmendabatur Filius Dei, qui eſſet æqualis Patri &c.* Si enim hoc loco ratiocinati eſſent Iudæi; perperam eos, ſicut in alijs locis iam fecerat Matth. 16. & alibi, ipſe Euangaliſta correxiſſet, vt Comentatur D. Chriſoſt. hom. 37. in Io.

Ad philippens. ſecundo. *Qui cum in forma Dei eſſet non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo:* Eo enim vt innumeri optimè docent, Pater quo in forma Dei eſt, eandem ſcilicet naturam habet Patris ab æterno, & ab eo natus eſt Deus ab æterno, ineuitabili conſequitur conſequentia eſſe ſe æqualem Patri. Deinde in Conc Lateran. ſub Innoc. 3. cap. firmiter. *Credimus, & firmiter confitemur, quod vnus ſolus eſt verus Deus, æternus, & immenſus &c. Pater generans, Filius naſcens, Spiritus Sanctus procedens, conſubſtantiales, coæquales, omnipotentes, & coæterni*. D. Athan. in Symbolo. *In hac Trinitate nihil prius, aut poſterius, nihil maius, aut minus; ſed tota tres perſonæ coæternæ ſibi ſunt, & coæquales*. Innumeris locis Sancti Patres, illi præſertim qui Filij conſubſtantialitatem aduerſus Arrianos propugnarunt; quod verò Theologi, nunc præ manibus habemus: ſed vt iterum Diuina repetam volumina, omnibus ijs locis huius nominis *æqualitatis* vim teſtantur, quibus Deum magnum, omnipotentem, æternum, vbique reſidentem, vbique operantem aſſeuerant.

Quò verò ad rem per nomen ſignificatam, ex ipſomet Ariſt. multis locis; quàm rectè verò tribuatur, dilucidè dignoſcitur: in prędicamento enim quantitatis, ſecundum quam aliquid dicitur æquale, vel inæquale ſua prima diuiſione ſecatur in continuam, & diſcretam; & continua in ſucceſsiuam, & permanentem. In Deo ergo cum inuenitur æternitas, quæ quantitati continuæ ſucceſsiuè reſpondet; tamen permanens Diuinarum perſonarum pluralitas, & numerus qui quantitatem diſcretam indicat; magnitudo non quidem corporis, ſed eſſentiæ, & perfectionis, quæ eodem gradu in ſingulis perſonis eminent; quantitatem non vt genus, ſed ſecundum ſpeciem vt ait S. D. & æqualitatem conſentiente ipſo Ariſt. de Deo tropicè, hoc eſt, virtutis rectè prædicamus. Præterea (quod eſt argumentum poſtremum S. Doctores quæſt. 1.) vnum in ſubſtantia facit idem, in quantitate æquale, in qualitate ſimile: in creaturis quidem in ſpecie quantitatis, & qualitatis itidem in ſpecie facit ſimile: licet ad vnitatem ſubſtantialem, & identitatem vnitas numerica requiratur. In Deo verò, & vnitas quantitatis, ideſt virtutis, & qualitatis nimirum attributorum ad modum qualitatis perceptorum, & durationis, hoc eſt æternitatis ex Diuina ſimplicitate, in qua omnia vnum, & idem ſunt numero, quia eſſentialia ſunt, neceſſariò identitas numerica ſupponenda, & credenda eſt. Hinc apprimè conſentaneè eædem perſonæ denominantur, & ſunt æquales ex eodem Ariſt. lib. 10. Metaph. tex. 15. 16. 17. Aequale dicitur quaſi per negationem maioris, & minoris in Deo, in Diuinis perſonis nihil maius, aut minus teſt. D. Athan. ergo peroptimè Diuinæ perſonæ dicuntur æquales. Sed antequam hæc veritas Theologicè magis confirmetur,

Primum obſeruandum inprimis, quod initio huius quęſtionis tetigimus: verè æqualitatem requirere vnitatem quidem, ſed & pluralitatem, & teſte ipo Ariſt. recenſito loco Metaph. vnum in quantitate facit æquale; quem totum Ariſt. locum illuſtrãs Scotus: hæ tres, inquit, relationes cõmunes identitatis, æqualitatis, & ſimilitudinis appropriantur tribus diſtinctis generibus entis: identitas enim ſubſtantiæ, æqualitas quantitati, ſimilitudo qualitati; ita vt fundamentum remotum iden-

Digitized by Google

identitatis ſit res ſubſtantiæ, æqualitatis res quantitatis, ſimilitudinis qualitatis res; proximum verò, ſiue ratio proximi fundamenti vnitas talis rei. Et ab oppoſito colligit, & ſumit rationem; nam res vt diuerſa ſundat oppoſitas relationes, ſcilicet diſparatas &c. Sed hæc de quantitatis æqualitate in prædicamento.

Sed ſi communior inſtituatur ſermo, nedum de quantitate creata corporea, & prædicamentali, ſed de traſcendentali ſpirituali, & Diuina, æqualitas fundatur ſupra vnum ens, quatenus habet determinatum gradum ad magnitudinem perfectionis: & ſic in Diuinis perſonis æqualitas in vnitate eſſentiæ non precisè vt eſſentia eſt; ſed vt ſummè perfecta fundatur: quæ ideo æquales, quia æquè in ipſis tribus illa vnica perfectio Diuina ineſt. Verùm vt inquit S. Thom. quia neque æqualis quis ſibi dicitur, neque ad ſe refertur, ideò multa ſibi ſuppoſita vult, quæ eandem perfectionem habentia ideò ad inuicem referantur.

Rem hanc fuſius D. Bon. infra, quæſt. 2. diſt. 31. D. Thom. hic art. 4. ille enim explicans quomodo, & qua ratione præcisè vtrumque requirit, ac complectitur nimirum vnitatem eſſentiæ, et ſuppoſitorum pluralitatem: Reſpondet, formaliter æqualitatem dicere conuenientiam, & reſpectum Diuinarum perſonarum diſtinctarum in vna perfectione; ita vt per ſe primò dicat relationem conuenientiæ; deinde, & conſequenter vnitatem perfectionis, veluti huius æqualitatis cauſa: quemadmodum enim qualitas non eſt ſimilitudo, ſed cauſa, & ratio inſurgentis relationis ſimilitudinis; eadem ferè fermè ratione quantitas ſe habet ad æqalitatem. Hic verò S. Thom. idem aſſeuerat dum docet perſonas eſſe æquales in magnitudine eſſentiali: ſequitur enim: ergo magnitudo eſt ratio, & cauſa æqualitatis. Eadem Alex. Alens. dum æqualitas inquit, claudit relationem in recto, eſſentiam in obliquo.

Alterum hic ſolerter ſubindè perpendendum ex D. Thom. Diuinæ perſonæ propter eandem numero eſſentiam ad inuicem ſunt idem: vnitas enim ſubſtantiæ facit identitatem: non ſunt tamen idem maſculino, ſed neutro modo: nam ſi idem eſſet Filio Pater maſculine eſſet eadem perſona numero, contra omnem fidei veritatem. Aequalitas verò ex ſua rigoroſa ſignificatione, non eandem numero quantitatem importat, ſed ſufficit eadem, ſpecie: hinc Patri Filium dicimus æqualem, non eundem. Et quamuis in Deo, & quantitas virtutis ſit vna numero; quia ipſamet eſſentia eſt vt ſummè perfecta: neque tamen indè colligitur perſonas æquales eſſe eandem perſonam, ſed plures perſonas diſtinctas proprijs relationibus eandem habere perfectionem: ratione namque eſſentiæ ſumuntur perſonæ vt ſunt idem perfectione, & ea ineſt ipſis diſtinctis.

Hinc eadem ratione Pater, Filius, & Spiritus Sanctus dicuntur quidem vnum; *Ego, & Pater vnum ſumus*, & vnus Deus, ſicuti vnicus naturæ, & eſſentiæ, non vnus ſine additione: ſi enim quo ad primum quæ ſunt diuerſæ naturæ aliqua tamen ratione dicuntur vnum: anima enim, & corpus ſunt vnum, ideſt vnus homo, licet adeo diuerſarum naturarum; quantò magis Diuinæ perſonæ erunt vnum, qui ſunt eiuſdem numero prorſus eſſentiæ. Si verò quoad ſecundum, Vnus illimitate dicerentur, tolleretur profectò perſonarum pluralitas; cum tamen idem ipſe Chriſtus qui eſt ipſa veritas, dum dixit: Ego, & Pater vnum, addiderit ſumus: vbi egregiè, & peracutè D. Aug. tract. 36. in Ioan. *Vnum*, inquit, *peſtem elidit ipſa veritas dicens, Ego & Pater vnum ſumus; vnumque audi, & aduerte Vnum, & ſumus, & à Charybdi & Scylla liberaberis: quod enim dixit; vnumq; liberat ab Ario, quod dixit ſumus, liberat à Sabellio*. Si vnum ergo, non diuerſum: Si ſumus, ergo Pater, & Filius: ſumus enim non dicendi de vno, neque vnum de diuerſo.

Tertium denique hoc loco animaduertendum attentè, ac diſquirendum, hæc æqualitas quid in Diuinis ſit? An nimirum quid poſitiuum, aut fortaſſe quid negatiuum; vt non pro perſonarum eadem perfectione, ſed pro ſola negatione laboremus; & quidem Magiſter ſent. ſicuti iam & vnitatem, & numerum non niſi negatiuè in Diuinis admiſit; ſic & æqualitatem niſi negatiuè prædicari de Diuinis conceſsit; Vt Filius dicatur Patri æqualis, quia non eſt maior, neque minor: Et poteſt confirmari primò ex Ariſt. citato loco 10. Metaph. vbi æquale negare maius, & minus aſſeruit; & ex Euclide, qui definiens æquale dicit; Aequale eſt quod alterum ſuppoſitum non excedit, neque ab eo exceditur: & hoc ſatis etiam apparenti ratione: Omne quod eſt poſitiuè in Deo, eſt commune abſolutum, & proprium relatiuum; ſed æquale non eſt commune abſolutum: eſt enim multorum conuenientium, non proprium, ſed trium perſonarum commune: ergo negatiuè vſurpandum. Idem videtur Sanctus Thomas aſſeruiſſe hic art. 1. dum ex eodem loco Ariſt. definit æquale.

Communis tamen, & certa eſt oppoſita ſententia. Probat Sanctus Doctor diſt. 31. art. 1. Vnitas, & pluralitas poſitiuè ſumitur: ergo & æqualitas. Antecedens iam multis ſuo loco confirmauit, conſequentia probatur: nam ex vnitate perfectionis eſſentialis, quæ non poteſt recipere magis, & minus perſonæ dicuntur æquales: ergo poſitiuè. Confirmatur; æternitas, omnipotentia, & magnitudo immenſa eſt quid Poſitiuum in Deo: ergo & æqualitas: in ijs enim perſonæ Diuinæ dicuntur æquales, nimirum ejuſdem potentiæ, magnitudinis &c. Secundò, æqualitas eſt ante inæqualitatem, eiquè opponitur: ergo per aliquid poſitiuum; nam inæqualitas eſt priuans, & tollens aliquid; vnde vna perſona alia minor, vt inæqualis dicatur: ergo æqualitas tollens inæqualitatem aliquid ponit, aliàs daretur priuatio priuationis. Tertiò, & eſt ratio etiam Alex. Hæreticus negans Filium eſſe æqualem Patri, aliquid à Filio remouet, quò non habet, quod habet Pater: ergo Catholicus aſſerens eſſe æqualem, aliquid ponit. Quartò, Ex ipſo Ariſt. & comuni Philoſophorum, & Theologorum ſenſu; Quantitas facit æqualitatem, ſed quantitas eſt quid poſitiuum, ergo & æqualitas; & ideo perſonæ Diuinæ æquales dicuntur,

Digitized by Google

tur; quia eandem quantitatem perfectionis eſſentialis habent. Deniq; ex Præfatione in Miſſa Sanctiſsimæ Trinitatis arguit Alex. In Maieſtate adoretur æqualitas; ſed priuatio non poteſt eſſe terminus adorationis: ergo.

Neque ſententia Magiſtri in hoc Theologorum communitati placet; neque ex Ariſt. quidquam ad rem deducitur. Si enim negat æquale maius, & minus, negat per poſitionem formalem poſitiuæ perfectionis; ſi itidem Euclides definit, æquale per negationem; Reſpondet Sanctus Doctor; definire quidem per negationem, veluti notiorem, indicantem tamen poſitionem, qua tollitur negatio, & exceſſus.

Ratio verò oppoſita facili ſoluitur negotio: Nam æqualitas vt ſuperrimè dictum eſt, innoluit abſolutum, ſcilicet eſſentiæ perfectionem in qua tres perſonæ conueniunt, & relatiuum, tamen commune conſequens ad propria ab ipſis fortaſſe, niſi ratione diſtinctum; id eſt, ipſa relatio conuenientiæ perſonarum in vna eſſentiæ magnitudine. His obſeruatis.

Probatur veritas huius æqualitatis. Et primò eiſdem locis Scripturarum, & Conciliorum, & Patrum, quibus iam quo ad nomen probata eſt, multò enim magis quoad rem vrgent: Et de re; Diuus Ioannes, & Diuus Paulus, & Concil. Later. & Diuus Athanaſius omni procul dubio loquebantur; eodem Symbolo explicatius eandem veritatem teſtatus, & quibus æqualitas hæc conſiſtit, & Theologicam reddit rationem. *Omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus Sanctus; & tamen non tres omnipotentes; ſed vnus omnipotens: Immenſus Pater, immenſus Filius, immenſus Spiritus Sanctus; & tamen non tres immenſi; ſed vnus immenſus: æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus Sanctus; & tamen non tres æterni; ſed vnus æternus:* ergo æquales, quia in vna, eademque Deitate, immenſitate, omnipotentia æternitate conueniunt. Ex Diuinis literis poteſt addi, 1. Ioan. 5. *Tres ſunt in Cælo, qui teſtimonium dant, & hi tres vnum ſunt, Pater, Verbum, & Spiritus S.* cuncta loca quæ perſonarum Deitatem adſtruunt; cum enim ex innumeris alij locis verus Deus vnus aſſeratur: de fide colligitur earundem perſonarum æqualitas, quia ſingulæ Deus, & vnus Deus ſunt; De Patre teſtatur ipſe Filius Ioannis 15. ad Patrem loquens; *Vt cognoſcant te ſolum Deum verum &c.* &. Diuus Paulus 1. Corint. 8. *nobis vnus Deus Pater:* de Filio Ioan. 1. *Deus erat Verbum.* Ioan. 2. ex confeſsione Diui Thomæ Apoſtoli *Dominus meus, & Deus meus:* De Spiritu Sancto actorum 5. *Cur tentauit Satanas cor tuum mentiri te Spiritui Sancto, non es mentitus hominibus, ſed Deo.* Et omnibus illis locis, quæ Spiritum Sanctum à Patre, & Filio procedere teſtantur; & illis quibus Spiritus Sanctus, Spiritus patris, & Filij aſſeritur & ſanctificator, & viuificator, & ſpiritus oris ſui, & cætera plura, quæ doctiſsimè Sanctus Thomas refert 4. contra gentes, cap. 17. Denique Matt. vlt. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti:* quid verò explicatius? Aequè enim ſicut & Pater, & Filius; ita Spiritus Sanctus innocatur, præſertim ſi obſernetur *in nomine:* idem enim nomen, eadem virtus, ſicut eadem ſubſtantia Spiritus Sancti, ac Patris, & Filij. Pluribus hic non ago contra Arrianos, cæteroſque vetuſtiores hæreticos; cum quia ab alijs ex innumeris Sanctiſſimis Patribus adeo egregiè præſtitum eſt; vt hæreſis iam extincta ſit, & nullus oportunus poſteris locus id iterum agendi relictus ſit; tum præſertim, quia contra Hæreticos non ſuſcepi prælia, ſed in Diuum Bonauenturam commentationem. Argumentis igitur vtriuſque Sancti Theologi rem expediam.

D. ergo Thomas primò ex Diui Athanaſij Symbolo; deinde, æqualis dicitur per negationem maioris, & minoris, ex Ariſt. 10. Metaph. tex. 19. ſed in Diuinis perſonis non licet aſſerere aliquid maius, aut minus, etiam ex D. Boetio lib. de Trinitate: ergo neceſſe eſt ponere æqualitatem. Idem ratione confirmat: ſi concederetur aliqua in Diuinis inæqualitas, non eſſent hæ tres perſonæ vnus Deus; ſed hoc eſt impoſsibile: ergo. Maior probatur: nam poſita ibi aliqua inæqualitate, non poteſt eſſe vna eſſentia: ergo neque vnus Deus; ſicuti enim non poteſt inæqualium vna eſſe quantitas; ita neque vna eſſentia: nam in Deo quantitas eſt eſſentialis: Optimum quidem argumentum ex fide in Symbolo D. Athanſij teſtata, vt paucis ſupra obſeruatum eſt, & deductum.

D. quoque Bonauentura ex eodem Symbolo, & Synodo, ſed præſertim ex Diuinis literis, vt antea teſtatum reliquit; deinde his rationibus ex eodem principio. Vna quantitas facit æquales teſte Ariſtotele; ſed in Diuinis perſonis vna eſt quantitas virtutis eſſentialis: ergo perſonæ æquales. Minorem ſubſtinet, qua innumera de Dei vnitate in ſacris voluminibus reuelantur. Conſequentia quoque perſuadetur ex infinita ſimplicitate Diuina, cui idcirco repugnat multiplicari. Hoc argumentum eò pluris pendendum, quò, & Conc. Toletanum 6. his verbis conficit, *In hac Trinitate tanta eſt vnitas ſubſtantiæ, vt pluralitate careat, & æqualitatem teneat: nec minor in ſingulis, quam in omnibus, nec maior in omnibus, quam in ſingulis manet,* eadem vis, & ratio ex Decreto Concilij Lateran. ſub Innocentio 3. vt intuenti conſtabit; immò eadem, & vis, & ratio. D. Pauli ad Phylip. 2. *Cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo:* eò namque verè arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, quia in forma Dei erat; hoc eſt; quia eandem formam, & eſſentiam habebat. Augeri, & confirmari poteſt hoc æqualitatis fundamẽtum ex ferè vniuerſa Theologia hucuſque inſpecta, & audita de Sanctiſsima Trinitate: Ex Diuinis inquam emanationibus; quibus eadem eſſentia tota retenta, communicatur tota per generationem, & ſpirationem: conſequitur enim: ergo Diuinæ perſonæ ſunt æquales.

Subſumit 2. quæſt. & eodem argumento magis vrget: hoc ferè modo. Vbicumque inuenitur ſumma vnitas, ibi quoque ſumma æqualitas; ſed in Deo

Deo ſumma vnitas, vt iam conſtitit; ergo & in Diuinis ſumma æqualitas.

Confirmatur ex illo Axiomate, *Sicut ſe habet eſſe hoc ad eſſe hoc; ſic ſimpliciter ad ſimpliciter:* ergo ſicut ſe habet vnitas ad æqualitatem; ita ſumma vnitas ad ſummam æqualitatem. Minorem verò probat quęſt. 1. quia vnitas hæc eſt prima: ergo ſumma, quia Deus eſt ſummè ſimplex: ergo ſummè vnum; & alijs illis argumentis, quæ diſt. 8. pro Diuina ſimplicitate efformauit.

Secundò quaſi à poſteriori. Vbi nulla excogitari poteſt inæqualitatis ratio, nec veſtigium; ibi neceſſe eſt eſſe ſummam, & omnem æqualitatem; ſic eſt in Diuinis: ergo. Maior ex ſe conſtat, minor verò ex D. Fulgentio lib. de fide ad Petrum cap. 1. roboratur mirè. *Non dicitur aliquis alio maior, niſi quia aut præcedit ætate, aut excedit magnitudine, aut ſuperat poteſtate:* Sed totæ tres perſonæ coomnipotentes, coæternæ, & immenſę: ergo ſummè æquales. Minor probatur de Filio, Ioan. 1. *In principio erat Verbum &c. omnia per ipſum facta ſunt*; de Spiritu Sancto ſimul, & Filio pſalm. 32. *Verbo Domini cæli firmati ſunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum*, ſicuti innumeri Patres exponunt, Geneſ. 2. *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram;* quibus Diuinas perſonas ad inuicem loqui concors, & certa, & neceſſaria eſt Sanctorum Patrum expoſitio. Omnis creatura denique Sanctiſsimæ Trinitatis veſtigio impreſſa eſt: ergo omnis Diuina perſona ante omnem creaturam eſt, & æterna; omnis creatura ab ipſa eſt, & inde ipſa omnipotens. De Deo tandem creditur eſſe vbique, vbique operari: ergo & omnis perſona, quę eſt vnus Deus, quo immenſa &c.

Addit poſtremò Sanctus Doctor argumentum, quod eſt Magiſtri in litera, & reliquorum Theologorum vehementer pro hac veritate vrgens, quam nunc vt pro fide certemus etiam rationibus enitimur confirmare; cui ipſemet famulatus eſt Ariſt. 5. Metaph. de ſimili agens. Nulla maior æqualitas excogitari poteſt, ideoque ſumma cenſenda, quam vbi vnum æquatur vni, & vnum pluribus, & vnum omnibus; ſic ad inuicem ſunt Diuinæ perſonæ: ergo ſummè æquales. Minor probanda; Tantus enim Filius, quantus Pater, & Spiritus Sanctus; & tantus Filius, quantæ tres ſimul perſonæ. Teſtatur, & acutiſsimè demoſtrat Sanctus Auguſt. lib. 8. de Trinit. cap. 1. eò in Diuinis dicitur quid magnum, quò verè eſt: nam magnitudo veritas eſt, & veritas eſſentię; ſed Pater non eſt veriùs, quam Filius; neque Filius, & Spiritus Sanctus quam Pater: ergo neque quid maius. Probatur minor; nam eadem vna eſſentia, æquè perfecta in Patre ſolo, ac in Filio, & Spiritu Sancto: ergo eadem perfectio, & æqualitas; ergo æquè magna vna ſola perſona, ac tota ſimul Trinitas: vna enim non multiplicata æqualitatis vnitas, & eſſentiæ perfectio; quò ſit certum, & euidens non admittendum partem in Diuinis, nec concedendum vnam perſonam eſſe partem in Sanctiſsima Trinitate; vt explicatiſsimè docet Diuus Aug. 3. contra Maximinum cap. 10. *Times ne Pater ſit pars vnius Dei, qui conſtat ex tribus? Noli timere, nulla ſit partium in Dei vnitate diuiſio. Et infra fuſius.*

Quò ad argumentorum ſolutionem in D. Bon. nihil difficultatis inuoluitur, quod aut ex ſe non pateat, aut inter dicendum tactum ſufficienter non ſit, niſi in reſponſione ad quartum quæſt. 1. obſeruetur Diuum Bonauenturam concedere *diuerſitatem*, inter Diuinas perſonas, quod fortaſſe alij non concedunt quoad modum dicendi, ſed dumtaxat *diſtinctionem*, ſed hic non ex hoc ſuperſedendum: erit enim tum infra proprius locus, tum præſertim, quia pro *diſtinctione, diuerſitate*, hoc loco vſus eſt. In reſponſione ad tertium 2. quæſt. quod egregiè docet de perſona non generante, nec ſpirante, non inde dicendum minus bonum; nihil immorandum: multis enim locis de hac ſatis actum eſt, reſquè competenter diſcuſſa. Quod deindè vna perſona, quod aliam non producat, non ideò minus bona dicenda eſt, quia eius bonitas non diffunditur; hæc inprimis gemina ratione, ſcilicet quia ſi Filius non generet, neque Spiritus S. ſpiret, eſt ratione perſonæ, ad quam ſcilicet non ſpectat, neque generare, neque ſpirare: eſt autem bona ex Diuina eſſentia, & ex proprio modo ſuæ perſonalitatis, & proprietatis, cui alterius perſonæ proprietas repugnat. Secundò, quia hæc vox diffuſio ex ſui ſignificatione præfert exteriorem, & alteram eſſentiam creatam, in quam effundat ex communi loquendi, & intelligendi modo; vt Diuinę bonitatis diffuſio in creaturas ſit.

Sed inter multa Diuinarum litterarum loca, quæ hæretica interpretatione Arriani retorquent ad ſuum peruerſiſsimum dogma fucandum, quæq; Sanctus Thomas 4. contra gentes refert cap. 6. tria ſunt inprimis obſeruanda, hæcque catholicè explicata recolenda; nam illa præſertim faceſſere negotium de hac Diuinarum perſonarum æqualitate videntur. Primum verò eſt Ioan. 14. *Pater maior me eſt*: quam maioritatem (vt ſic loquar) videtur ipſe Filius agnoſcere, dum D. Paulus Corinth. 15. aſſerit Filium futurum Patri ſubiectum illis verbis. *Cum omnia ſubiecta illi fuerint, tunc, & Filius ipſe ſubiectus erit illi, ſcilicet Patri qui ſubiecit ſibi omnia, cum ſit Deus omnia in omnibus.* 3. Ioannis 5. *non poteſt Filius à ſe facere quidquam, niſi quod viderit Patrem facientem*: ijs enim explicatis plurima alia huius faciei loca relinquentur explicata; Matt. 11. Ioan. 13. *Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo*, Ioan. 13, *Diligit Pater Filium, & dedit omnia in manu eius*, Ioan. 17. *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum Deum verum &c.*

Sed quò ad primum locum, breuibus me expediam, quippe aliàs recolo multis Patribus me expoſuiſſe: hic ergo ſolam Sancti Thomæ explicationem eodem lib. cap. 8; applicare ſufficit; ipſe enim de more primùm apparentem oppoſitionem ingenua, germanaque expoſitione grauiſsimè repellit. Eò, inquit, neceſſariò maiorem Patrem fatebatur Filius, quò ipſe minoratus eſt; ſed ſecundum Apoſtolum Paulum ad Philip. 2. Mino-

ratus

tatus eſt dum formam ſerui accepit; iàm enim cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt, ſe eſſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens: ergo maior Pater Filio ratione ſuſceptæ humanitatis in Filio: neque mirum addit Diuus Anſelmus, *Si ex hoc minor Patre dicatur Filius, cum eius formæ ſerui aſſumptione, & Angelis minoratus ſit*. Optima quidem, & ferè omnibus Patribus latinis, & multis etiam Græcis arridens expoſitio, ſed licet plurimis, iiſdemque grauiſsimis, ac Sanctiſsimis Patribus, Diuinitatis ratione Filius Patre minor dicatur: hoc fundamento, quia comparatio omnis propriè fit in ijs, quæ naturæ eiuſdem ſunt, quare ſi Filius Patri comparetur, & eo aſſeratur minor; erit minor in eadem qua cum Patre conuenit, nimirum natura Diuina. Ita hunc locum interpetrantur D. Cirillus lib. 2. Theſauri cap. 3. D. Baſilius 1. contra Eunomium; D. Nazianz. Orat. 4. de Theologia, D. Damaſcenus lib. 1. de fide cap. 9. D. Athanaſius Orat. 2. contra Arrianos; D. Ireneus 4. contra Hæreſes cap. 21. imò Conc. Sardicenſe epiſtola ad omnes Epiſcopos. Inde tamen contra perſonarum æqualitatem, nulla ſuboriri poteſt dubitatio; ſola ſiquidem origine qua Filius à Patre eſt, non Pater à Filio, Filium Patre aſſerebant ſua interpetratione minorem: neque tamen Patrem maiorem hoc eſt meliorem, & perfectiorem concedebant; ſed diſtinctionem dumtaxat aſſerebant. Imò ex hoc contra Arrium conficitur efficax argumentatio, quam modo indicaui; ſi in eadem natura fit comparatio: ergo Filius eſt eiuſdem naturæ cum Patre: ergo Deus, ergo non creatura; vtraque ergo expoſitione nihil, vt conſtat, læditur perſonarum æqualitas.

Ad locum ex D. Paulo additum de ſubiectione; eadem facilitate, & fælicitate idem Angelicus Doctor reſpondet, atque ex propoſito, ac ſermonis contextu ibi Apoſtolum de Chriſto homine ratiocinari commonſtrat: præmiſerat, inquit, Apoſtolus, *per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum*, & poſtea ſubinferebat, quod vnuſquiſque reſurget in ordine ſuo, primum Chriſtus, deinde qui ſunt Chriſti, & poſtea addit, *Deinde Filius, cum tradiderit regnum Deo, & Patri*: & oſtenſo quale regnum, quia ſcilicet oportet omnia ei eſſe ſubiecta; conſequenter ſubiunxit, *cum ſubiecta ei fuerint omnia, tunc, & Filius ei ſubiectus erit*, ille ſcilicet qui ſibi omnia ſubiecit: ille ergo contextus conſpicuè de Chriſto homine loquitur; ſi enim de eo qui mortuus eſt, & reſurrexit eloquebatur, de Chriſto homine neceſſariò interpetrandus, non enim niſi quia homo poterat aut mori, aut reſurgere; idque eò promptius, & libentius complectendum eſt, quò Sancti Patres ſuaui, & concinna explicatione ſic hunc locum profitentur de Chriſto; ſiquidem miſticè in cunctis fidelibus, magis quam in ſe ipſo Diuum Paulum loqui accipiunt; quando ſcilicet in homine credendi extincto omni errore, eradicato omni prauo affectu, purgata omni carnis macula, exuta omnis mortalitatis pæna in conſumatione gratiæ, & gloriæ erit omnis tunc homo Deo vnitus, conformis, & vniformis, & omni aduerſario extincto, & deuicto tunc erit hominum Regnum Deo Patri traditum, pacifica poſſeſsione regnabit Deus, erit Deus omnia in omnibus, ſcilicet in cælo; Tunc Chriſtus ipſe Fidelium caput in membris erit ſubiectus; ita D. Ambroſius lib. 5. de fide cap. 7. *Quomodo*, inquit, *ſubiectus in nobis, niſi eò quò minor Angelis factus eſt, in corporis ſcilicet ſacramento: in eo enim nondum ſubiecta omnia videbantur, quæ creatori ſuo vbiq; a principio ſeruiebant. Quod ſi quæſieris quemadmodum ſit ſubiectus in nobis, ipſe oſtendit dicens, in carcere eram, & veniſtis ad me, infirmus eram, & viſitaſtis me, quod enim vni horum feciſtis, mihi feciſtis &c.* Quibus, & multis alijs, Chriſti ſubiectionem in noſtræ carnis aſſumptione, & comparticipatione, ac membrorum miſtica coniunctione ſitam eſſe vberrimè oſtendit, & quibuſdam interpoſitis tandem concludit. *Per ſua igitur opera Chriſtus, & genera diuerſa virtutum, erit in nobis Patri ſubiectus, vitijs abdicatis, & feriante delicto vnus in omnibus, Deo cœperit in vno ſenſu populorum omnium Spiritus adhærere; tunc erit Deus omnia, & in omnibus.*

Eadem D. Aug. in pſalm. 93. *Tunc & ipſe Filius ſubiectus erit ei, qui ei ſubiecit omnia, & Filium non ſolum caput Eccleſiæ, ſed omnes cum eo, & Sanctos intelligamus, qui ſunt vnum in Chriſto, vnum ſemen Abrahæ, ſubiectum autem ſecundũ contemplationem æternæ Veritatis, ad obtinẽdam beatitudinem nullo motu animi, nulla parte corporis reſiſtente, vt in illa vita nemini amãti propriam poteſtatem, ſit Deus omnia in omnibus?* Eadem D. Cirillus lib. 10. Theſauri cap. 8. eadem, luculenti oratione Diuus Gregorius Niſſ. in hæc D. Pauli verba: eadem denique multi alij.

At verò, quò ad integrum D. Pauli locũ de Chriſti Diuinitate, quod non poſsit accipi, aut ſubſtineri peracutè ac pereruditè Patres ſic ratiocinantur, ac primò D. Cirillus indicato locò. *Non deſtruitur ſubiectione Filij æqualitas: æqualis enim æquali miniſterio ſubijci poteſt* 1. Cor. 14. *Spiritus S. ſubijcitur Prophetis, & Spiritus Prophetarum Prophetis ſubiecti ſunt: Pater Filio miniſtrat, & ideo ſubijcitur.* Dauid pſalm. 109. *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum.* Filij inter homines patribus ſubijciuntur, & tamen natura inferiores non ſunt, ſed eiuſdem ſcilicet humanæ.

Preterea D. Nyſſenus recenſita oratione peratentè verba Apoſtoli obſeruat; *futurus*, inquit, *Filius ſubiectus Patri*, quo dicendi modo indicat, tunc Filium quando hoc dicebat Apoſtolus, non fuiſſe ſubiectum, ſed futurum; ita vt mutandus foret ipſe Filius: ergo de Filij Diuinitate æterna, & penitus immutabili repugnat illa verba vſurpari.

Hoc plurimis ediſſerit D. Ambroſius vbi ſupra; Si Pater, & Filius vnum ſunt; ſicut Pater ſibi non dicitur ſubiectus; ita neque Patri Filius rectè aſſeretur, cum idem ſit cum ipſo, & vnum; aliàs eadem ratione, & Pater Filio poterit nuncupari ſubiectus.

Denique peroptima eſt regula, quam D. Aug.

tradit lib. 83. quæſt. 69. *Regula*, inquit, *Catholicæ fidei ſic habet, vt aliqua in Scriptura dicantur de Filio, quod ſit minor Patre, ſecundum ſuſceptionem hominis intelligantur; ea verò, quæ dicuntur, quibus demonſtratur æqualis ſecundum id quod Deus eſt, accipiant.* Addendum ex Patribus Græcis, vel *ſi vnquam maior Pater Filio legatur, id ratione originis dictum enucleetur.*

Ad illum verò locum Ioan. 5. Ipſum idem Diuus Thomas, quem benè de Chriſto ſcripſiſſe ipſe Chriſtus teſtatum reliquit, ſic interpretatur, Agit tantum illis Verbis de origine à Patre, à quo ſicut accipit Filius vt ſit, ſic vt poſsit operari quidquid operatur eadem generatione: aliud enim eſt quod à ſe, aliud quod per ſe operetur: non enim à ſe, quia à Patre eſt; ſed per ſe, quia eandem operandi vim quam habet Pater, in ſe habet & Filius. Sic immediatè addidit Euangeliſta ad illa verba, quæ deprauare conabatur Arrius: *hæc quæcumque ille fecerit*, ſcilicet Pater, *hæc Filius ſimiliter facit*, ſic Ioan. 1. *Omnia per ipſum facta ſunt*: hoc verò Sanctus Thomas verè, & ingenuè ex Sanctis Patribus excepit, & imprimis ex ſuo, quem maximi ſemper facit, Auguſt. ipſe enim contra Arrij ſermonem cap. 14. & 15. *Quod non faciat Filius aliquid à ſe, quia non eſt à ſe; ideo quidquid facit, Patrem videt facientem, quia videt ex ipſo ſe faciendi Patrem potentiorem, ex quo ſe videt exiſtendi naturam habere: & quod ait ſe non poſſe non deficientis eſt, ſed in eo quod de Patre natus, permanentis; laudabileque eſt omnipotentem non poſſe mutari.* Idem proſequitur plurimis, quibus hanc facit, & fatetur veritatem. Sicut non poteſt non eſſe Filius; ſic non poteſt non operari, niſi vt Filius: ergo qui totus eſt à Patre, excludit ſolitudinem in operando: nam non facit, niſi quod videt Patrem facientem, nimirum non operatur, niſi quæ & Pater; quia Patris, & Filij eadem eſt virtus; vnde protinus addit: quæcunque enim fecerit, hæc & Filius ſimiliter facit.

Sed in hac Catholicæ veritatis explicatione non eſt ſolus D. Aug. neque ſolus poteſt eſſe: eadem enim longa, glorioſaq; orandi arte D. Greg. Naz. orat. 4. de Theologia promit, vt tandem hac periodo veritatē hanc claudat: in hunc ſenſum verba hæc accipio. *Quæcunque facit Pater, eadem & Filius ſimpliciter facit; non quod ſimilia ſint vtriuſque opera, ſed quod par ſit vtriuſque poteſtas, ac auctoritas.* Elegantiſsimè D. Ambroſius lib. 4. de fide cap. 3. poſt multa. *Nihil ergo facit Filius, niſi quod Pater probet, Pater laudet, Pater velit, quia ex Patre totus eſt, non vt creatura quæ multa committit, dum ſtudio, lapſuque peccati voluntatem frequenter oſtendit Creatoris.*

Sed fortaſſe clarius idem D. Ambroſius in pſal. 118. ſerm. 20. *Non poſſum ego à me facere quidquam*. Solebant nonnulli hæretici facere quæſtiones, *quaſi infirmus eſſet Filius, quaſi à ſe nihil faceret, quaſi ſecundum Diuinitatem quoque ſubditus, & Paterno ſubiectus imperio; nec aduertunt, quod hoc quoque magis poteſtatis Diuinæ veritas comprobatur, quo putant inter Patrem, & Filium eſſe diſtantiam poteſtatis; nihil à ſe facit Filius, quia per vnitatem operationis, nec Filius ſine Patre facit, nec Pater ſine Filio.* Hæc huius loci certa, firmaque expoſitio ſatis plurimum facit cæteris huius ordinis locis: hoc enim vnum aſtruunt, nimirum ſi infinita etiam eſſent, non aliam in Filio naturam, non minorem perfectionem; ſed originem; & per eam quidquid habet accepiſſe à Patre.

Refert tamen ſingularem illum locum ad inſtitutum noſtrum ſolertius explanare. Ioan. 17. *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum Deum verum*: videtur enim hoc loco ſolus Pater eſſe Deus verus, nequaquam verò Filius, & Spiritus Sanctus. D. Thomas eodem lib. &c. vt cognoſcant te ſolum &c. non excludendo ſe ipſum Filium: nam Patrem, & Filium eſſe vnum iam dixerat, & de Filio iam 1. Epiſt. cap. 5. *Vt ſimus in Filio eius, hic eſt verus Deus, & vita æterna*. Teſtatur ergo illis verbis veram Deitatem eſſe in ſolo Patre, non in reliqua falſorum Deorum turba; ſed eandem quoq; Deitatem eſſe in Filio, & Spiritu Sancto neque negetur, neque negari poteſt: iſtæ enim tres perſonæ vnum ſunt, teſte eodem D. Ioanne.

Porrò hanc germanam expoſitionem ex clariſſimis fontibus Diuinarum literarum interpretibus verè epotaſſe Angelicum Doctorem nimis perſpicuum eſt: nam Euthimius, D. Cirillus lib. 11. in Ioan. cap. 16. D. Chriſoſt. hom. 79. D. Baſilius 4. contra Eunomium, eandem veritatem ex illiſmet verbis exceperunt, eamque eandem ſententiam illi verborum periodo ſubiectam non dubitanter aſſeruerunt. Referens D. Baſilius plurima conſimilia ſcripturarum loca, quibus vocem illam (ſolus) neceſſariò exponendam non de perſonarum, ſed Deitatis ſolitudine quam manifeſtè reuincitur. *Deut. 32. Dominus Deus eius fuit*; Iſai. 37. *quia tu es Dominus Deus ſolus*. Daniel 9. *ſciant, quia tu es dominus verus, ſolus*.

Sed hæc verba obiter obſeruandum, minimè Theologorum illorum placito ſuffragari, qui in ſola Dei viſione ſitam eſſe beatitudinem his verbis mordicus aſſeuerant; hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant &c. DD. enim Hilarius lib. 3. Trinitatis, Ambroſ. lib. 5. de fide cap. 2. Auguſt. tract. 105. in Ioan. & 6. de Trinit. cap. 3. & multi alij ſuis commentarijs, ſermonem hunc non eſſe de cognitione in patria, ſed de creata rerum cognitione, ac fide, qua peruenitur ad patriam, & beatificam viſionem: & licet ijdem ipſi Patres quoad primam ſententiam, ex his verbis pro perſonarum æqualitate tuenda non conformiter cæteris Patribus ſua commentatione eam non communiant; ad idem tamen nobis mirificè proſunt, & fortaſſe efficacius: vim enim faciunt in illa particula (Et) & vehementer premunt; Et quem miſiſti Ieſum Chriſtum; vt ſit copula nedum præcedentium verborum; ſed etiam ſenſus, hancque ſententiam faciat, vt cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum, ipſum tecum

nempe

Digitized by Google

nempe verum, & vnicum Deum; alias enim, inquit D. Hilarius, ſenſus remaneret imperfectus: ſi enim de ſolo Patre, Patriſque Diuinitate ageretur, non autem ſimul de Filio, nihil de Filio credendum videretur aſſertum. Sed hinc vrgenda expoſitio, etiam DD. Nazianzeni, & Athanaſij auctoritate: ille enim orat. 4. de Theologia; vt cognoſcant te ſolum Deum, inquit, *Hæc verba ad eorum, qui quamquam falsò, tamen Dij appellantur, ſublationem dici exiſtimo: neque enim additum fuiſſet, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum, ſi ad eum oppoſita diſtinctione ſubmouendum, illa, Te ſolum Deum verum, pertinerent, ac non de communi vtriuſque Diuinitate eſſet ſermo*. Hic verò in diſputatione contra Arrianos in Concil. Nyceno. *Illud*, inquit, *& quem miſiſti Ieſum Chriſtum, eo coniunctum eſt ex præcedenti membro quaſi diceret, Te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum, vt cognoſcant Filium tuum verum Deum, quemadmodum & te Patrem*. Et ad hanc explicationem obmutuiſſe Arriom teſtatur ipſe lib. de incarnatione, & quidem habita, & manifeſtata coram illo celeberrimo Concil. id roboris acquirit; vt penè conciliaris habenda ſit. Adhuc antiquiori, & ſanguine Sanctiori Doctore roboratur, D. ſcilicet Cypriano lib. 2. contra Iudæos: eandem enim ad illa verba veritatem docuit, qua quidem expoſitione, tantorum Patrum auctoritate aſſerta audiri poteſt; quamque perbelle vrget prò Filij Diuinitate, æqualitàteque; quod ſi Euangeliorum his locis non ità apertè de Spiritu ſancto aſſeratur; id eſt tamen certa fide aſſerendum. Neque id mirandum, ſi æquè frequenter de Spiritu Sancto, ac de Filio in Diuinis literis non repetatur: nam primò ſufficienter proponitur; præterea ad Diuinitatem Spiritus Sancti perſuadendam, ipſi Spiritui Sancto in igneis linguis per Apoſtolorum ora aduenienti relinquebatur; vt quæ difficilior erat captu veritas: ergo ſingulæ perſonæ ad inuicem æquales, nam ſingulæ vnus Deus.

ARTICVLVS III.

An hæc eadem æqualitas ſit mutua, ac reciproca ad inuicem D. Bonau. quæſt. 3. D. Thom. art. 1.

PARAPHRASIS.

PRIMA Propoſitio. Iſthæc Diuinarum perſonarum æqualitas ea eſt, vt quatenus dicit æquiparantiam, & eandem infinitam perfectionis magnitudinem, æquè in tribus ſit ad inuicem mutua, ac reciproca; & ita Pater Filio, & Spiritui Sancto ſit æqualis, ſicut vice verſa Filius, & Spiritus Sanctus Patri, ferè ex ſe manifeſta eſt. Primò, æqualitas eſt relatio æquiparantiæ, ſed hæc relatio etiam teſte Ariſt. 5. Metaph. cap. 20. vtrumque terminum denominat ſecundum conſimilem modum: ergo Diuinæ perſonæ ad inuicem æquales ſunt nuncupandæ. Secundò. Vnum in quantitate facit æquales, ſed ſicut vnum in ſubſtantia, & quantitate eſt Pater Filio, ita Filius Patri, & Spiritui Sancto: ergo ad inuicem ſunt æquales. Tertiò. Summa in Diuinis ponenda æqualitas: ergo mutua. Antecedens iam conſtitit, conſequentia pariter certa: nam mutua æqualitas maior eſt, quam eſt non mutua.

Secunda Propoſitio. Aequalitas vt præter æquiparantiam, dicit etiam æquationis, & originis ordinem ad inuicem, & reciprocè haud idoneè dicere licet. Probatur primò: hoc enim ſenſu idem eſt ac ſi diceretur, ſicuti Pater producit ſibi Filium æqualem, & imaginem: ita Filius Patrem, quod tamen falſiſſimum eſt. Confirmatur, nam hæc ſic accepta æqualitas in Filio ſubauctoritatem in Patre, Auctoritatem aſſerit. Secundò. Ita explicatè docuerunt Sancti Patres, Chriſoſt. in illa verba ad Hebræos, Qui cum ſit ſplendor &c. *Filius eſt æqualis Patri, non Pater Filio. Aug. lib. de Trinitate cap. 10.* Imago ſi perfectè explicet illud cuius eſt imago coæquatur ei, non illud ſuæ imagini; *Idem lib. 1. de Doctrina Chriſtiana cap. 1. in Patre veritas, in Filio æqualitas.*

COMMENTARIVM.

CERTA veritas, neque probationis indiga alterutris modo ſuſcipiatur, & omnium Theologorum ſententia communis: ſi enim primò ſenſu; non ſolum idem docuit Sanctus Thomas art. 1. ad tertium illis verbis. Si æqualitas hæc verbo explicetur; vt dicatur, Pater æquatur Filio, falſa: nam tunc & Filius ſibi ęqualem producere Patrem, quod idem Sanctus Bonauentura illa voce *Secundum actum æquationis*; ſi verò nomine, vt Pater, Filius, & Spiritus Sanctus ſunt ęquales, veriſsima: nam eadem eſſentia ſecundum veritatem, & perfectionem æquè in tribus, & non magis eſt Patris quam Filij, & Spiritus Sancti; & alibi Sanctus Bonauentura noſter diſt. 31. quęſt. 4. Vbi æqualitas, inquit, fundatur in vno, eſt perfectè in tribus; vt verò dicit aſſociationem, dicitur primò in Filio, quia eſt prima perſona producta æqualis. Sed ipſe D. Athan. in Symbolo per nomina explicatam æqualitatem, & ab vna magnitudine in omnibus teſtatur, & ſingulis perſonis; Aequalis Pater, ęqualis Filius, æqualis Spiritus Sanctus; per verbum autem; ſicuti ſolus Filius producitur vt imago: ſic fermè æqualis; & ſicuti fundatur in origine à Patre, ita non poteſt Pater ęqualis dici Filio, aut Spiritui S. vtrumq; ergo ita certum, quemadmodum certū trium perſonarum eandem eſſentiam, &

Digitized by Google

perfectionem, ita vt vnus Deus ſint, & Filium à Patre produci, non è contra: nihil ergo opus eſt hoc loco addere.

Vnum, quod ad D. Dioniſij locum non pigeat obſeruare ad quartum, quod conformiter vterque Sanctus Doctor obſeruat; Inter cauſans ſcilicet, & cauſatum non poſſe inueniri hanc reciprocationem; non tantum eò quia vnum producitur, alterum producit; vt etiam in Diuinis, ſed etiam ac præſertim, inquit Sanctus Bonauentura, quia producens, ac cauſans extra ſuam eſſentiam producit; ita vt differant eſſentia: & quia inquit Sanctus Thomas, licet producta, & cauſata ſint ſimilia cauſæ, quia cauſæ formam habent: non tamen reciprocè, quia prius eſt in cauſa, quam in cauſato; per motum namque ſucceſſiuè producit, & ſubindè non æquè perfectè in effectu, cum tota cauſæ ſubſtantia non communicetur: locus ergo D. Areopagitæ neque abſolutè Diuinis accommodandus; & differentiam docet in creaturis ab ipſis Diuinis perſonis.

Omne verò quod reliquum eſt diſputandum de Diuina æqualitate in quædam capita diſtribuendum: ſed primum quod vbique, & ſemper ſupponitur neceſſariò, eſt de vnitate, ac identitate Diuinæ eſſentiæ in tribus perſonis.

CAPVT ERGO I.

Vtrum vna eſſentia ſit in tribus.

BReuibus hoc loco hæc Diuina veritas aſſerenda, & confirmanda præſertim quod de hac, hucuſque quod ſciam, diſtincta non eſt propoſita diſputatio; cum tamen eam diſcuſſerit Sanctus Doctor diſt. 2. & diſt. 5. D. Thomas, vt ad rem hoc loco ſpectat quæſt 39. multis tamen alijs locis ea à nobis indicata, teſtata, & ſuppoſita, præſertim proximè de potentia generandi cap. 3. quo etiam breuiori ſermone, ac paucioribus expedienda.

Sanctus ergo Bonauentura diſt. 2. quæſt. 1. dum vnum eſſe Deum, & fidem plurimis Diuinarum literarum locis docere, & euidenti à lumine naturali petita ratione demonſtrauit, huic veritati mirè famulatur, ac deſeruit; & diſt. 5. quæſt. 4. dum Diuinam eſſentiam nec generari, nec generare; ſed per generationem, ac ſpirationem communicari luculenter ediſſerit, & enucleatè patefacit; veritatem hanc ſic commonſtrat, vt communitam hanc ſtatuat concluſionem. Diuina eſſentia communicabilis quidem, non tamen ſicut vniuerſale illud, quod communicatur; ſed non eſt in pluribus vt natura ſolis in vnico Sole, ſed ſicut vniuerſale quod per aggregationem plurium, & propagationem communicatur; neq; tamen ipſum multiplicatur: Diuina enim eſſentia manens vna, communicatur per generationem, & ſpirationem, ſe pluribus communicans ſuppoſitis. Hanc verò probat primò diſt. 2. quæſt. 1. dum eſſe Diuinum non poſſe multiplicari tanta indagine, & vbertate ſuadet. Secundò hic quoque primò quod datur alteri, neque deſinit à dante haberi, per id per quod datur, per illud communicatur; ſed ſubſtantia datur Filio per generationem à Patre, & à ſe retinetur: ergo per generationem communicatur. Probatur minor abundè. Si à Patre non retineretur, Pater non eſſet Deus; eſſe tamen Deum Patrem, vbique teſtatur fides, & ipſi Arriani concedunt; deſineret per generationem eſſe Deus, & ſic non communicaretur Diuina eſſentia, aut fieret generatio per tranſmutationem; quæ omnia in Deo, & in re propoſita paradoxum apertum redolent. Secundò. Quod verè infinitum, & abſolutè, & infinitè, ac ſummè ſimplex repugnat multiplicari, vt ex terminis conſtat, & diſt. 8. ſatis confirmatur; ſed Diuina eſſentia huiuſmodi eſt: ergo dum communicatur eadem numero eſt, neque multiplicatur in pluribus ſuppoſitis productis. Confirmatur. Quò eſſentia ſimplicior, eò communicabilior, ſed quò ſimplicior eò magis immultiplicabilis; ergo quò communicatur per generationem, non multiplicatur, ſed remanet vna. Tertiò. Ex reſponſione ad argumenta. Accidit in creaturis multiplicari commune in ſuppoſitis, quia commune limitatum eſt, & per tranſmutationem communicabile: ergo ab oppoſitis, quia Diuina eſſentia infinita, & teſte D. Iacobo *Intranſmutabilis*, communicatur, & non multiplicatur. Quartò. Diuina eſſentia, quoad ſuppoſitum, & quoad ſignificatum idem eſt, vt ſuo loco dicetur, & communicata ſuppoſitis nihil eis additur, aut augetur: ergo eſſentia Patris, & quæ eſt in Patre, & eſt Filius, & eadem cum Filio.

D. Thomas itidem art. 2. licet proprietatem magis propoſitionis quam rei diſcutiat; apprimè tamen ad rem ſic ratiocinatur. Vna eſt eſſentia trium perſonarum, & tres perſonæ vnius eſſentiæ. Probatur. Diuina natura nominatur à nobis ſecundum modum, non ſuum, ſed à nobis inuentum in creaturis: ergo eſſentia in Diuinis ſignificatur vt forma trium perſonarum: ergo idoneè dicimus eſſentiam trium, & tres perſonas vnius eſſentiæ. Antecedens conſtat; quia corpore conſtitutis, de Deo ex creaturis ſic philoſophari neceſſariò nobis contingit. Probatur conſequentia prima: in ſenſibilibus enim natura per materiam indiuiduatur, & ſe habet vt forma, & indiuiduum vt ſuppoſitum illius. Secunda quoque conſequentia: nam dicitur indiuidui, & indiuiduum forma: ergo in Diuinis rectè dicuntur perſonæ, & ſunt ſuppoſita Diuinæ eſſentiæ, & eſſentia trium ſuppoſitorum. Confirmat in reſponſione ad quartum: nam & eſſentia in abſtracto ſignificatur vt forma; vt verò forma eſt in illo, quod formaliter conſtituit; ſed perſonæ formaliter conſtituuntur Diuinæ, & vnus Deus per eſſentiam ex ipſis, ipſiſque communicatam: ergo ſunt perſonæ Diuinæ eſſentiæ, ſed vnius, & ceù indiuiduæ eſſentiæ, vniuſque numero. Probat in argumento; *ſed contra* per D. Auguſt. 3. contra Maximi-

ximinum, & per vocem Homouſion, & conſubſtantialitatis; addit tamen in reſponſione ad quiutum: non poſſunt dici æquè tres perſonæ ſunt ex eadem eſſentia; nam particula (ex) indicat habitudinem cauſæ efficientis; atque ita potius innuit diſtinctionem, quàm vnitatem perſonarum com Diuina eſſentia.

Hanc verò aſſertam ſic veritatem vbique locorum, in Diuinis literis, & Concilijs, & Patrum Decretis legimus reuelatam, & ſancitam, ac in primis Ioan. 10. *Pater meus quod dedit mihi, maius omnibus eſt, & nemo poteſt rapere de manu Patris: Ego, & Pater vnum ſumus*, vel legatur iſte tex. *Qui dedit mihi, maius omnibus eſt*; vt legunt Greci, Chriſoſt. Teophylactus, & Eutbymius; vel vt omnes Latini, & editio vulgata in Eccleſia Romana; & Concil. Lateranenſe ſub Innoc. 3. *Quod dedit mihi Pater*; Idem tamen eſt ſenſus, eandemque continet, & vrget veritatem; hæc enim eſt dicendi vis, ac ſubiecta ſententia Chriſti Domini; Nemo oues traditas mihi, poteſt de manu Patris rapere; quia maior, & fortior omnibus eſt: eſt enim Deus: ergo neque de manu mea; quia Ego, & Pater vnum ſumus, ſcilicet eiuſdem eſſentiæ, & potentiæ; ſi verò legatur, *quod dedit mihi Pater maius omnibus eſt*: meæ enim humanitati aſſociauit naturam ſuam, & eſſentiam in Verbo, & ab æterno per generationem mihi Filio ſuo communicauit; quod certè maius omnibus eſt; quod verò communicauit, patet: nam Ego, & Pater vnum ſumus. Sic hunc locum explicatum Arrianis oppoſuerunt Patres ad eandem Patris, & Filij ſubſtantiam confirmandam: D. Baſilius lib. 1. contra Eunomium, D. Ambroſius lib. 3. de Spiritu Sancto cap. 18. D. Chriſoſt. hom. 60. D. Athanaſius ſermone 4. contra Arrianos, D. Auguſt. lib. 2. contra Maximinum cap. 12. & lib. 3. & cap. 22. & contra Sabellium, ad diſtinctionem perſonarum in eadem eſſentia confitendam; vt inter alios obſeruant D. Ambroſius indicato loco, & D. Hyeronimus in 6. c. Iſai. Et ſpuria ficta, & hæretica eſt gloſa hæreticorum, qua huius loci vim infringere conabantur, Patrem, & Filium vnum eſſe concordia voluntatis, non natura, & eſſentia; vt peracutè multis locis contra Maximinum demonſtrat D. Auguſt. & quod maioris ponderis eſt Concil. Lateranenſe cap. Damnamus, contra Abbatem Ioachinum; qui contra veritatem hanc, & aduerſus Magiſtrum his ſic corruptis locis deceptus, vſus fuerat; decernens hanc horum Verborum eſſe certam ſententiam, ac germanam: vnum ſumus natura, & eſſentia, & quam dilucidè ex propoſito, & verborum contextu colligitur, vt perſolerter admonet D. Baſilius recenſito loco; tum primò ex Chriſti argumentatione, *nemo poteſt oues rapere de manu Patris mei*; *nam quod dedit mihi Pater maius omnibus eſt, & Ego, & Pater vnum ſumus*; non enim quæ poteſt Pater, poteſt & qui Patris gratiam habet; aliàs & creare mundum poſſet: neque gratia eſt quid maius omnibus; Diuina namque natura maius eſt; & tamen Chiſtus teſtatur, quod dedit mihi Pater, maius omnibus eſt: ergo natura, & eſſentia vnum ſumus, qua æqualis Patri ego ſum. Præterea, idem certius ex reſponſione Chriſti ad Iudæos, qui illi ſic ex rel tis verbis oppoſuerunt; *homo cum ſis, facis te ipſum Deum*, at verò Chriſtus ſe illis verbis facere Deum concedens; reſpondet, & ſe facere opera, quæ Pater facit, & ſe eſſe in Patre, & Patrem in ſe.

Sexta verò Synodus actione 4. & 11. ſub eiſdem verbis, & phraſi. *Tres perſonæ ſunt vnius eſſentiæ*; Synodus Lateran. ſub Innoc. 3. cap. Damnamus, Concilia Toletana, ſextum, & decimum. *Confitemur Trinitatem vnius eſſentiæ, virtutis, maieſtatis, & naturæ*. Concilium Remenſe ſub Gregorio 3. contra Giliberrum Porretanum, aſſerentem proprietates perſonales realiter differre ab eſſentia, quo ſequebatur eſſentiam Diuinam non eſſe trium perſonarum eſſentiam, ſi ad inuicem differebant, de qua re D. Bernardus vberrimè ſermone 80. in cantica, & lib. 5. de conſideratione, Damaſus Papa in expoſitione Symboli, *Si quis non confitetur Patris, & Filij, & Spiritus Sancti vnam Diuinitatem, & Poteſtatem, ac maieſtatem Anathema ſit*. Denique Symbolum Nicænum canit, *Filium conſubſtantialem Patri*; eadem ratione Spiritum Sanctum; eadem & græcè Homouſion, quam Patres ex Nyceno amplexi ſunt, & Diuinitus reuelatam teſtatur Marius, Victorinus opuſculo de hac voce, & quam tot Sanctiſsimi Patres contra Arrium, & Sabellium venerati ſunt, & quæ apertè colligitur ex verbis explicatis, *Ego, & Pater vnum ſumus*; vt egregiè Diuus Ambroſius obſeruauit, quod abundè ſufficit ad illorum os obſtruendum; quibus ideo hæc vox videbatur inuiſa, quod non legeretur in Scriptura: ſufficit enim legatur res per vocem ſignificata; vt omnes Patres de hac re agentes vniformiter reſpondent; ſed luculentius D. Nazianz. tractatu de fide longe ab initio, D. Athanaſius de Decretis Nycænæ Synodi.

Vnica ratione ex D. Bonauentura repetita hanc rem totam confirmemus: ſi non vna, eademque eſſentia per emanationes inuenitur, nec remanet in tribus: ergo aut partitur, aut mutatur, & tranſit de ſuppoſito in ſuppoſitum; ſi primum: ergo plures Dij; contra primum fidei articulum. & innumera Diuinarũ literarũ loca: erit ergo nullus verus Deus cui pluralitas repugnat: ſi ſecumdum: ergo apud eum eſt mutatio & viciſsitudinis obumbratio: ergo nũquam Pater fuit Deus, qui ab æterno genuit Filium: qui enim mutatur non poteſt eſſe Deus. Confirmatur; nam eſſentia plures, aut ante communicationem, aut in ipſa plurificatur; ſi primum: ergo plures Dij; ſi in ipſa: ergo mutabilis. Hoc iactum ſit fundamentum ad perſonarum æqualitatem indagandam.

CAPVT IGITVR II.

Et Art. III. An Filius ſit coæternus Patri, ac in æternitate æqualis. D.Bon.diſt.9. quæſt.3.& 4. D. Tho. q. 42. art. 2.

PARAPHRASIS.

PRIMA *Propoſitio. Generatio Filij eſt æterna, & conſequenter Filius Patri coæternus, sique æternitate æqualis; primò Ioan.* 1. In Principio erat Verbum, *quando ſcilicet omnis creatura cæpit per Dei potentiam eſſe, iam erat Verbum: ergo æternum, nam ante omne tempus ſola æternitas eſt. Secundò ratione, quæ ſumitur ex parte generantis, generationis, & geniti; ratione primi, Pater ab æterno fæcundus, & ad Filium generandum perfectiſsimè diſpoſitus: ergo ab æterno genuit: probatur conſequentia; nam de perfectione agentis naturalis eſt quam citò operari ſi poteſt; ſed generatio Filij eſt naturalis, natura enim Pater generat: ergo. Antecedens quoque perſuadetur primò. Pater ab æterno fuit ſummè potens ad generandum, & vt prima perſona habuit Diuinam naturam ſummè communicabilem. Secundò. Intelligere eſt coæternum menti Diuinæ, aliàs de non intelligente fieret intelligens, ac ſic mutaretur, ergo & Verbũ coæternum intelligenti. Conſequentia conſtat, nam mens ſine verbo intelligere non poteſt: dum enim intelligit, ſemper Verbum producit. Ratione generationis, hoc fermè modo: de perfectione generationis exigitur, vt quod generatur generanti æquale producatur: ergo Filius æqualis Patri; produxit ergo æternus. Ratione geniti. Si ab æterno æternus non genitus Filius eſt generanti; ſed ita cæpit eſſe vt antea non fuerit mutatione ſubſtantiali cæpit: generatio enim eſt de ſubſtantia generantis, ſed repugnat Deum mutari: ergo pariter Filium non generari ab æterno contradicit: Secundò in ſempiternis idem eſt eſſe, & poſſe: ergo ſicut Pater ab æterno potuit generari, ſic genuit; ita Filius potuit generari, conſequenter genitus; confirmatur ex diſt. 8. ex ſumma ſimplicitate, & actualitate.*

Secunda Propoſitio. *Ex reſponſione ad argumenta. Diuina generatio dicit emanationem perſonæ ſinè mutatione ab ante, & à principio quidem; non tamen initiante; ſed originante, & Filio communicante naturam, & eſſentiam quæ ſine initio eſt, aliàs tunc non ſolum naturam, ſed etiam perſonam communicaret; quod tamen contradictionem inuoluit.*

Tertia Propoſitio. *Diuerſa prorſus eſt productio ab eſſentia, à productione, à perſona: nam illa eſt de non ente in ens per creationem; hæc verò ab ente, & ſubſtantia Patris, quæ communicatur Filio per generationem; illa libera, & in tempore; hæc naturalis, & æterna.*

Quarta Propoſitio. *Generatio, & productio in creaturis, ideo terminum habet incipiendi, quia incipit per motum ex non ente in ens; & deſinendi, quia per motum corruptionis deſinit.*

Quinta Propoſitio. *Hæc Dei Filij æterna generatio diuerſa ratione, & terminata, & interminata rectiſsimè prædicatur, ac pronunciatur; terminata quidem dum Filius genitus, & natus dicitur; Interminata verò dum Filius ſemper generari aſſeritur. Ratio primò vtriuſque eſt, nam in Diuina generatione, idem eſt fieri, & eſſe, & factum eſſe; ſicut idem eſt ſplendorem à Sole produci, eſſe, & productum eſſe; ſemper enim eſt, ſemper producitur, & ſemper habet eſſe perfectum: ergo Filius primò rectè poteſt dici, naſcitur, quia idem eſt, natus eſt, & naſcitur, & natus, quia idem ac naſcitur: Secundò, quia generatio Diuina perfectiſsima, & non ſucceſsiua eſt, optimè aſſeritur Filius natus. Tertiò, quia æterna, carens & fine, & principio, & ſubinde mutatione: & infinita, omnem excludens terminum, & ex ſimplicitate Diuina ſemper in actu, optimè idem Filius quod ſemper naſcitur, enunciatur; itque D. Damaſcenus lib.1. de fide;* Deus *infinitè, & ſine tempore infinitè, & inquieſcibiliter generat.*

COMMENTARIVM.

HVCVSQVE Diuinarum perſonarum fundamentum æqualitatis, & veritatem vidimus ex D. Bon. præſertim pro exili noſtra virili demonſtrare periculum fecimus; nunc diſtinctiua, & quaſi per ſpecies percurrere tentandum, ac per illa tria ſigillatim eandem veritatem confirmare enitendum, quibus conſiſtere æqualitatem aſſerebatur, in æternitate nimirum, magnitudine, & poteſtate. Ab æternitate verò incipiunt Scholaſtici, nam Sanctus Thom. qui ad optimam methodum Theologiam traduxit, mirificumque ordinem per aſſertam in communi æqualitatem, ad æternitatem primò, art.2. manum admouet, hac fortaſſe non contemnenda ratione; quia hoc videtur primum, quod terminus Patris, & Filij contra æternitatem obijcitur: ſi enim ille Pater, hic Filius; quomodo Filius non incæpit, & Pater non eſt ante Filium, incipimus. quærere? imò ſic blaterasse hæreticos teſtatur D. Ambroſ. lib. 1. de fide ad Gratianum c. 5. Omne quod natum eſt principium habet, & ideo quia Filius natus eſt principium habet, & incæpit eſſe, & D. Auguſt. 6. de Trinit. cap. 1. Si Filius eſt, natus eſt; ſi natus eſt, erat tempus quando Filius non erat. Ab æternitate auſpicandum.

Sed præſupponendum primò, & Deum eſſe æternum, & quid ſit æternitas: quo enim ad nomen æternum. D. Bon. diſt. 9. dub. 2. litt. & 1. ſent.

diſt.

diſt. 32. par. 2. quæſt. 3. art. 1. quod æternum eſt quid extra terminum, quod ſcilicet principio durationis caret, & ſi ad Patrem approprietur, quod quodcumque principium excludit etiam originis; quod vt ſubiectiuè ſumitur multiplicari non poteſt, teſte D. Athanaſ. in Symbolo, *non tamen tres æterni*; Si verò per adiacentia, modum, & vt mutuas relationes inter Diuinas perſonas connotat, & ritè multiplicari, & tres perſonæ coæternæ nuncupari poſſunt quo ad idem nomen; tamen ex eodem S. Doctor in 4. ſent. diſt. 3. par. 2. art. 19. 2. ad primum, non ſemper, neque vbique locorum in Diuinis litteris eodem rigoroſo ſenſu vſurpari; vt ſcilicet negationem durationis principij, & finis abſolutè præſeferat; non rarò, aut longum tempus, non interſecatum, aut interminatum, & incerti finis ſignificat; ſic Geneſ. 17. Pactum circumciſionis dicitur æternum, deſiturum tamen adueniente Euangelico baptiſmate; eodem modo, Aronicum Sacerdotium prædicabatur æternum; cui tamen ſacerdotium ſecundum ordinem Melchiſedech, hoc eſt, Chriſti Domini ſucceſſurum erat, eique conceſſurum teſte D. Paulo ad Hebræos 7. Sic itidem regionem Chanaam dandam Filijs Iſrael in poſſeſsionem æternam, multis locis prædicebat Spiritus Sanctus, ac promittebat, quam nunc haud ab ipſis poſsideri teſtatur Tyrannica Turcarum patens poſſeſsio; hoc inquam accidit tum ex lata vocis (æterni) acceptione, tum ex non determinato tempore in ſcripturis, quo hæc deſitura erant; tum denique ex quadam myſtica, & Symbolica harum vocum ſignificatione; licet enim poſſeſsio illa, circumciſio &c. non æternæ, ſed temporaneæ futuræ erant; quò tamen in æternæ omnis mortalitatis circumciſionis, & æternorum bonorum in cælis poſſeſsionis cognitionem ducebant, eò æterna idoneè nominari concedebantur: & hoc omne colligit Gloſa in eundem locum Geneſ. 17.

Aliquando æternum pro diuturno quidem tempore, quod tamen interrumpi non poteſt: nonnunquam pro Dei decreto immutabili Exod. 12. Habebis hanc diem iuſſu ſempiterno D. Auguſt. quæſt. 89. in Exod. Sæpenumero quoque in eiſdem Diuinis literis. Aeternum pro eo quidem quod fine caret, quod tamen habuit Principium, ſicuti ignis inferni. *Ite in ignem æternum* Spiritus, & animæ immortales, qui licet in æternum duraturi; initium tamen habuiſſe vbique teſtatum legitur, vbique docet fides: ſoli ergo Deo veræ æternitatis nomen competere euidenter conſequitur, quippe qui ſolus principio, fineque caret.

Quò verò ad rem; quid nam in Diuinis literis, quam Dei æternitas reperitur? quid euidentius naturæ etiam lumine euincitur? tædet, ac pudet enim de hac aut loca, aut rationes conglomerare. *Aeternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus Sanctus*. Quid verò? Ex creaturis vt dub. 5. diſt. 3. obſeruat S. Doct. Dei egregiè conicctare, licet æternitatem; primò produxit cælos incorruptibiles, animas immortales, eaſque ſemper conſeruat: ergo ipſe æternus. Ex motu, Immotus manens, vt Ariſt. etiam teſtatur, arguitur; D. Th. 1. par. quæſt. 10. art. 1. ex temporis cognitione deuenire nos docet in æternitatis cognitionem; ſimplicia namq; per compoſita cognoſcimus; tempus igitur eſt menſura, & numerus motus ſecundum prius & poſterius, & vt ſucceſsiuus & variabilis: ergo æternitas cum ſit extra, & ſupra motum erit vniformitas inuariata, & inuariabilis durationis; deinde cum tempore menſurentur, quæ principium, & finem habent; æternitas erit carens principio, & fine: quod enim caret ſucceſſione, neceſſariò principio, & fine caret.

Quò quam idonea ſit D. Boetij 3. de conſolatione æternitatis definitio, liquidò conſtat. *Eſt interminabilis vita tota ſimul, & perfecta poſſeſſio*; nam ſi contra temporis, ac motus ſucceſsionem, & variationem eſt vniformitas, & rei immutabilitas, ſi ſucceſsione caret: ergo erit tota ſimul perfecta; ſi tota ſimul: ergo Poſſeſsio; ſi caret motu, & ſucceſſione: ergo interminabilis, & ſine fine, ac principio; per negationem ergo imperfectionum temporis, & motus aſſurgit mens noſtra in æternitatis perfectionis cognitionem.

D. Boetij definitioni non diſsimilis illa, quam Riccard. de Sancto Victore lib. 2. de Trinit. c. 4. *Eſt ſine principio, & ſine fine omni mutabilitate carens*. Conformis D. Aug. in pſalm. 101. *Eſt ipſa Dei ſubſtantia, quæ nihil habet mutabile, nihil præteritum, quaſi non ſit iam, nihil futurum quaſi adhuc non ſit, ſed non eſt ibi niſi eſt*. Communior tamen illa Boetij.

Sed ex quo iam in hanc incidimus diffinitionem, reliquum eſt vt de ea quid ſit, ceù formale quid quaſi materiale diſquiramus; vt inde æternitatis formalis ratio certius percipiatur; eo præſertim quo S. Doctor, nullo alio loco quem viderim, rem hanc propoſuerit.

Igitur, *Interminabilis vita*, hic ponitur quaſi fundamentum, ſubiectum, & materia cui ineſt æternitas, teſte Alex. 1. par. quæſt. 12. memb: 3. art. 2. & poſt eum Scotus quæſt. 6. quolib. eſt enim, inquiunt, quædam actualitas eſſendi, vel actualis exiſtentia perfecta, ideo nuncupata *vita*, quæ pro eſſe Dei ſumitur à D. Thom. 1. ſent. diſt. 8. quæſt. 2. art. 1. ad ſecundum: nam eſſe Dei eſt viuere, & ipſa vita, vt idem S. Thom. eodem loco, & actus viuendi eſt actus eſſendi, omnem excludens variationem. *Interminabilis* eſt adhuc ipſa vita, ſic principium, & finem excludens; quæ poſitiua perfectio per negationem explicatur; vt notiorem conſequitur ad durationem talem, vt *tota ſimul* contra ſucceſsionem temporis, vt ſit inſtans præſens; vt & illa verba: *Tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient*, notat D. Auguſt. quare &, pſalm. 2. *Ego hodie genui te, hoc eſt, in æternitate*. Materiale igitur æternitatis ipſa Dei actualis exiſtentia per vitam ſignificata, carens principio, & fine, & mutatione.

Formale verò vt ſic durat, vt formale ſit ipſa Diuini eſſe inuariabilis duratio. Hæc eſt æternitas ſoli Deo cōpetens, quo ſit; vt & frequens in D. literis ſit Dei æterni nomēclatio Iſai. 9. Prou. 8. Eccl. 8. ad Rom. 16. & eſt definitum cap. firmiter,

Sed

Sed vt quo liceat clarius duratio hæc Diuina percipiatur: Tria breuibus, ac ſine diſputatione obſeruanda. Primò, quomodo ſe habeat ad exiſtentiam: an ſcilicet quoquomodo ab ipſa differat. Secundò, an habeat rationem menſuræ. Tertium quid dicat; poſitiuumne, an negatiuum.

Ad primum ergo reſpondeo. Idem eſſe realiter cum ea, certum eſt; docet Scotus 2. ſent. diſt. 2. quæſt. 2. Gabriel ibidem; quæſt. 1. art. 1. notab. 4. Bannes 1. par. quæſt. 3. art. 4. dub. 1. ad tertium; dicere modum rei exiſtentis, quo permanet, & continuatur. Valentia quæſt. 10. 1. par. diſput. 1. punct. 1. eſſe rem ipſam; vt in ſuo eſſe perſiſtit; & vt non deſtructa. Suarez diſput. 50. ſect. 1. in Metaph; Ad exiſtentiam, perſeuerantiam in ſuo eſſe, & conſeruationem, æternitatem eſſe per rationem diſtinctam in Deo independentem: ergo æternitas eſt formalis duratio exiſtentiæ Diuinæ, variatione, fine, ac principio carens, ab ipſa eodem modo diſtincta, ſicuti cætera attributa, ac perfectiones Diuinæ; ratione ſcilicet ratiocinata.

Ad ſecundum verò. Scio inter Doctores hac in re pendere lites, ac diſſidia grauia. An æternitas ſit huius durationis menſura, vt quantitatem dicit, qua quantum menſurat. In rigore æternitas non eſt menſura; quia neque Deus quantus; neq; vt menſura præſefert perfectionem: ideo enim aliorum id dicitur hac ratione menſura, quod cæteris perfectius eſt: quo conſequitur: ergo exiſtentiæ Dei æternitas non poteſt eſſe menſura, nam ipſa non eſt perfectior: eo etiam, quo ab ea non niſi ratione diſtinguitur, ſicque formaliter ipſa duratio exiſtentię; & cùm durationi non competat menſuræ ratio, neque æternitati competere poteſt; cum de ratione menſuræ à re menſurata, re differre, ac diſtingui ſit. Hanc ſententiam videtur D. Bonauentura amplexus, 2. enim ſent. diſt. 2. quæſt. 1. art. 3. menſuram dicere ſucceſſionem aſtruit, aliàs eſſet æternitas: clarius in 1. diſt. 31. quæſt. 1. ad tertium, & ad ſecundum; Deus eſt immenſus: ergo menſura caret. At verò D. Thom. hic art. 1. & art. 2. ad tertium & 1. ſent. diſt. 19. quæſt. 2. ad primum, eam nuncupat menſuram: hoc enim poſteriori loco ſicut prius, & poſterius quo intelliguntur numerata, compleat rationem temporis; ita permanentia actus, ſecundum quod accipitur in ratione vnius, quod habet rationem menſuræ, complet rationem æui, & æternitatis. Loco verò ſecundo cum dicitur, Deus æternus rationem menſuræ accipit ſecundum noſtram apprehenſionem; non tamen quia ſit aliquo modo menſuratus. In primo verò loco: In apprehenſione vniformitatis, quod eſt omnino extra motum; æternitatis ratio conſiſtit; & ſic durare eſt ratio formalis eius.

Reſpondendum verò æternitatem ſub ratione menſuræ propriè ſumptæ non eſſe menſuram realem; ſed dumtaxat vt cognitio, & apprehenſio noſtra rem percipiat, quoquomodo eſſe Diuinum; vt vniformiter durans aſſumit vt menſuram Diuini eſſe ſimpliciter accepti, & rationem cognoſcendi, à parte tamen rei verè, & adæquatè menſuræ ratio ei nequaquam congruit.

Hinc ad tertium denique certum eſt ſignificare permanentiam vniformem, infinitè perfectam, ſic durantem, modumque Diuini eſſe intrinſecum; & ſic, licet diuerſis verbis omnes Theologi teſtantur. Secundò, addere negationem quandam; aut vt certius loquar, hoc per negationem quandam explicari, *Interminabilis*, ſine vllo termino: negationes enim per poſitiones rei competunt. Tertiò. Relationem quandam inquit Scotus veram, qua coexiſtit omni exiſtentiæ, & omni tempori, etiamſi infinitò per Diuinam potentiam abſolutam, aut per impoſſibile. Quartò, relationem rationis menſuræ noſtro modo conceptam, in ordine ad Diuinam durationem.

Secundò obſeruandum, quàm eruditè, & adæquatè S. Doct. quæſt. 4. omnes rerum modos eſſendi enumeret, & ſe habendi; vt ſic quaſi manuducat, quo viatori licet, ad Diuinæ generationis cognitionem, & illorum verborum *Ego hodie genui te*, interpretationem genuinam: quædam enim primò dicuntur eſſe, quando facta ſunt, ac receptum eſſe non in ipſa factione tranſeat, ſed habeat eſſe permanens, & independens, à producente completa iam, ac ceſſante productione, actione; ſic ſubſtantia, ac accidentia inhærentia innata, quæ quidem, quia quando fiebant adhuc non erant: in his aliud eſt fieri, aliud factum eſſe.

Quædam oppoſito modo, quorum eſſe cum ſit penitus ſucceſſiuum, non poteſt eſſe idem eſſe, & factum eſſe: cum enim facta ſunt, amplius non ſunt: tranſierunt enim dum fiebant, quippe illis idem eſt fieri, & eſſe: facta enim non ſunt; totum namque eorum eſſe, eſt fieri; & tunc tantum ſunt dum producuntur, totaque eorum eſſendi duratio ab actuali duratione actionis producentis pendet; ſic motus, tempus &c. quæ ſecundum partes tranſeunt, & tranſeundo ſunt.

Quædam tertio loco quæ ſemper ſunt, & ſemper fiunt, & ſemper facta ſunt, quia perſeueranter perfectiſsimè ſunt, quorum totum eſſe à perpetua productione pendet: idem ergo eſt eorum fieri, & eſſe, & factum eſſe, & permanens eſſe, ſemper dependens. Exemplum de radio, qui ſemper permanenter à ſole perfectè producitur; & non poteſt alia reddi ratio, niſi hoc eſt eſſe radij, & in latitudine vniuerſi, & hic modus eſſendi habeatur, & Diuinarum emanationium quoddam veſtigium inueniatur, quo fideliter perſpecto poſſit ad eius cuius eſt veſtigium, intuitum, & perceptionem fidelium mens eleuari: quod quidem exemplum Theologis familiare, præſertim S. Doct. hoc enim vſus eſt, & 2. ſent. diſt. 2. art. 3 in quo quandam ſucceſſionem ſine innouatione admiſit; vt hinc exempla creata cum ad Diuina aſſumuntur, non poſſe adæquatè deſeruire intelligatur: quòcirca non exactè æternas emanationes exprimit, nam in ſe licet non eſſe, tamen conſeruationis eſſe variationi ſubiaceat, emanationis æternæ nulla ratione tamen variatæ veſtigium eſt. Et eodem lib. diſt. 26. quæſt. 6. gratiam radio confert; non quidem ſub ea ratione, qua gratia eſt habitus animæ inhærens, & qualitas abſoluta

ſic

Digitized by Google

ſic enim eſt in genere eorum quorum idem eſt eſſe, & factum eſſe, ſed ſub qua ratione à Deo pendet, ac conſeruatur, & eſt Dei mouentis animam inſtrumentum. Quo loco quid apertè ſentiat Sanctus Bonauentura de Diuina motione, quod obſeruauit & Dominus Didacus Aluarez tractatu de auxilijs. An Deus prius natura ſolus phyſicè, ac realiter in voluntatem agat, quam ipſa coagat, & cooperetur, liquidò colligitur: hanc enim motionem eſſe gratiæ operantis, non cooperantis, & agere non ſolum cum anima, ſed etiam in animam teſtatur exemplo radij ſolaris, qui non ſolum eum aere illuminat obiectum; ſed ipſum etiam aerem. Et ibidem dicit: hanc ſic gratiam ſanare animã, ac præparare; animæ verò infirmitas inter alias eſt, quia nõ eſt in actu primo ad operandũ perfectè diſpoſita: nam ex nihilo eſt, & proindè inanis ac vacua, & non plenè actiuata in 2. d. 37. q. 1.

Sed circa hos ſe habendi modos obſeruandum licet diſtinxerit à modo dependendi à ſuo principio modum, & eſſe permanens à producente independens; non negari tamen à primo agente, & principio dependentiam, ſed à ſecundo materialiter producente, ſecundaque cauſa: intrinſecè enim quodlibet ens creatum ita indiget conſeruari; vt conſeruatio quoddam ſit dare eſſe continuum; vt aliàs in nihilum res ſtatim relaberetur. *Auertente enim Deo faciem turbabuntur &c. Et in puluerem redigerentur, & ſi reſpicis lapſi ſtabunt*: ſicuti enim tamdiù in ſpeculo faciei intuentis ſpecies, & imago durat, quandiù ipſius oculi in ipſum reſpiciunt; ſic rerum ſpecies, formæ, & imagines in ſuo eſſe perſeuerant, dum eas Deus ſuo intuitu foueat, tueatur, & conſeruet. Hæc verò quæ de rerum gradibus, & ordine docuit Sanctus Doctor; prius docuit Alex. 1. par. quæſt. 42. memb. 5. art. 2. & quidem vberius, ac luculentiori diſcurſu.

Quartò breuiter obſeruandum: eadem, vnicaque eſſentiali æternitate Diuina durare permanenter, non ſolum exiſtentiam naturæ Diuinæ abſolutè ſumptam, ſed etiam Diuinarum perſonarum emanationes: Nam hic eſt Deus noſter, æternus, Trinus, & Vnus; neque huiuſmodi Diuinæ proprietates, ac perſonæ à Diuina eſſentia, niſi ſicuti quidam modi Diuinæ exiſtentiæ intimi, hac inde ratione; ita ſcilicet ſũma Diuina ſimplicitate exigente, & quamuis æternæ perſonæ in æternum procedãt: omnem tamen excludunt ſucceſsionem, atq; ita vniformiter, inuariatè procedunt ſemper; vt earum idem ſit fieri, factum eſſe, & eſſe; earum permanentia ſit in æternum oriri, ortas eſſe, & eſſe; eadem conſequenter ſit duratio, durandique ratio eſſentiæ, exiſtentiæ, & operationum naturalium ad intra, & etiam liberarum, ceù præſcire, prædeſtinare, eligere: etenim, & iſtæ ſunt æternæ; aliàs Deus ſi inciperet eligere, tranſiret de non operando ad operandum, & mutaretur: quod idem de actionibus tranſeuntibus haud aſſerendum: tranſeunt enim in creaturam, & mutationem complicant, & incipiunt eſſe, & teſtantur Diuinæ literæ: primo enim die cæpiſſe Deum operari, ſeptimo die quieuiſſe Deum in mundi creatione ſacra Geneſis initio refert. His obſeruatis quatuor pronunciantur aſſerta.

Primum aſſertum. Diuina vtraque emanatio generationis, & ſpirationis æterna eſt. Eſt de fide. Primò, ijs locis quibus Dei æternitas aſſeritur, & oſtenditur pſalm. 9. *Dominus in æternum permanet.* Iſai. 41. *Deus noſter æternus.* 57. *qui hæc dicit excelſus, ſublimis, habitans æternitatem*, & cap. Firmiter. Secundò, ex Symbolo Diui Athanaſij. *Aeternus Pater &c.* Ioan. 1. *In principio*, hoc eſt, antè omne tempus *erat Verbum*, ſcilicet ab æterno. *Deus erat Verbum*, & Deus æternus: ergo et Verbum. pſalm. 2. *Ego hodie*, id eſt, ab æterno *genui te*. Ex communi Sanctorum phraſi, D. Auguſt. in hunc locum, et in pſalm. 101. et D. Gregorij 16. moral. cap. 20. D. Anſelmi in monolog. cap. 20. et in proſol. cap. 19. Elegantiſſimè D. Ambroſius lib. 1. de fide cap. 5. circa illam vocẽ. *Erat Verbum, Erat, Erat, Erat: vbi impius inuenit quod non erat? quidquid cogitaueris, erat Filius &c.* quod erat in principio non includitur tempore; Verbum eſt paternæ mentis, Verbum et intellectus: ſed Pater ab æterno fœcundè intellexit, aliàs mutatus eſſet: ergo æternum Verbum.

Ex illis locis, quibus ſecunda perſona Filius aſſeritur, et genitus, pſalm. 109. *Ex vtero ante luciferum*, ſcilicet ante tempus *genui te*; vbi ſcriptura Patrem æternum teſtatur: ergo & Filium, vbi Filium Dei ſapientiam nuncupant: horrent enim aures audire Deum æternum, ſine æterna ſapientia; et eſt argumentum D. Auguſt. 6. de Trinit. cap. 1. *Si Dei Filius eſt Dei ſapientia, & virtus, neque vnquam fuit ſine ſapientia, & virtute*: ergo Filius coæternus. Dicere Deum aliquando non habuiſſe ſapientiam dementis eſt. Eodem cap. D. Pauli primo, ad Corinth. 1. Dei Filius, Dei ſplendor, ſicuti ſplendor qui ab igne, et Sole diffunditur eſt ei coæuus; ita vt ſi ſol eſſet æternus, et ſplendor quoque: ſic fermè Dei Filius eius cum ſit ſplendor, Deo erit coæuus, et coæternus. Diffinitum eſt Synodo Nicena contra Arrium, et Arrij verba. *Erat tempus quando non erat Filius.* In Lateranen. ſub Innoc. 3. c. Firmiter. In Lugdunenſi cap. Fatemur. Florentino in litteris vnionis: *Spiritus Sanctus à Patre, & Filio æternaliter eſt.* Præterea rationibus tribus, quarum duæ comunes de Dei æternitate, tertia propria de emanationibus.

Prima igitur. Ens primum independens, nullam habens cauſam, et neceſſarium eſt Deus: ergo æternus. Antecedens certiſsimum eſt: ſi enim Deus non eſſet primum, et ſimpliciter ipſum ens, et à ſe; neque eſſet Deus, neque omnipotens, neq; immutabilis, neque cæterarum rerum principium: ab alio enim penderet, à quo etiam et potuiſſet non produci, et poſſet annihilari etc. Conſequentia verò perſuadetur ex æternitatis Deo propriæ definitione. Eſt enim permanens, et independens, et vniformis, et interminabilis, cui repugnat deſtrui: ergo æternus. D. Bonauentura diſt. 8. art. 1. de ſimplicitate; ex tradita de æternitate, et explicata definitione. Secunda. Perſona

pro-

producta idem eſt cum eſſentia æterna; ergo æterna.

Tertia, quæ eſt D. Bon. quam tuetur S. Thom. & quam & Scotus eſt amplexus, & cæteris Theologis communis, & pendet ex prima ratione, & ex illo axiomate. *Operatio ſequitur eſſe, & omne agens ſecundum eam perfectionem quam habet, operatur*. Argumentum ergo eſt, & fulcitur omnibus illis, qui hanc veritatem aſſerendo, hanc eandem rationem reddiderunt, Omne agens perfectum, & ab alio independens, & agens per modum naturæ ita quàm citò operatur; vt ſtatim ac eſt perfectum operetur, ac producat: ſed Pater hoc modo perfectiſsimum eſt agens; ergo ab æterno produxit, genuit, & ſpirauit. Minor certa eſt & euidens, & pendet ex omnibus hucuſque tum de Deo, tum de Diuinis proceſsionibus aſſertis, explicatis & demonſtratis. Maior quoque tum Ariſt. eſt 5. Metaph. tex. 16. tum probatur à Sancto Thoma. Si enim non ſtatim ac eſt agens operatur; eſt aut quia virtutem operandi expectat, & operatur ſucceſsiuè, vt conſtat in homine qui in infantia non poteſt ea facere, quæ facit vir ætate prouecta conſtitutus: qua vim, quam tunc non habebat, acquiſiuit; aut quia voluntariè, & quando vult operatur. Idem confirmat eodem modo S. Doct. exemplo creaturarum, quarum natura ſemper dum apta eſt, operatur: euidens in in igne, & ſole res eſt; quippe quibus cum naturale ſit ſplendere, ab iſtanti naturæ ſplendent, ſplendoremque producunt; conſtat verò ex minori, tum naturales eſſe emanationes Diuinas, tum ab æterno perſonas perfectiſsimè fœcundas.

Neque faceſſunt negotium, vllaque ratione veritatem obnubilant oppoſita à S. Doct. propoſita argumenta: quod enim primò ex Ariſt. 5. Phiſ. 14. Sicut tendit corruptio in fine, & non eſſe; ita generatio debet incipere eſſe ex proportione oppoſitorum corruptionis, & generationis. Reſpondetur enim omnia quæ hoc loco aſſeruntur, eſſe vera, quando generatio eſt in eodem ordine, ac formali oppoſitione; vt generatio ſcilicet fiat ſicuti oppoſita corruptio; ita cum mutatione; at generatio Diuina fit ſine mutatione, ac ſubinde ſine initio: eſt enim non de non ente ad ens, ſed ab ente ad ens.

Quod ſecundo loco obijcitur. Quidquid producit Diuina eſſentia eſt poſterius ab ea, & temporale: ergo & quidquid Diuina perſona producit. Conſequentia indè conſtat: nam Diuina perſona, eſt idem cum eſſentia. Soluitur negando conſequentiam: licet enim ſint idem eſſentia, & perſona; modus tamen agendi eſt diuerſus; nam eſſentia & liberè, & extrinſecè agit; perſona verò naturaliter, & de ſua ſubſtantia perſonam producit; vnde ſit vt eſſentia incipiat producere, quia quando vult producit; perſona verò non incipiat, nam eius productio naturalis eſt.

Quod tertio loco veritati aduerſari prima facie videtur. Filius habet principium eſſendi; ergo durationis; conſequentia videtur certa ex identitate naturæ: nam eſſe Diuinum eſt ſua duratio, Eadem argumenti vis Sancti Thomę, ſed non vrget hoc argumentum, & facili negotio reijcitur: neganda enim ad hoc conſequentia: nam duobus modis vſurpatur, & inuenitur principium. Primò; vt aliud ſit ita principium, vt ſit ſimul & initium eſſendi; aliud ſola origo: Principio verò originis non repugnat æternum, imò ei annexum neceſſariò in Deo ex tertia ratione: vnde oppoſita conſequentia optima eſt. Principium eſt æternum: ergo & duratio; currit ergo argumentum de principio abſoluto, nequaquam de relatiuo.

Eadem diſtinctione occurritur, quod poſtremo loco oppoſitum eſt. Si Pater Filio non communicat initium: ergo neque habere principium, ſed communicat habere principium: ergo & initium. negatur enim prima, & poſtrema conſequentia, & admodum veritati conſentaneè ex differentia initij, & principij hoc loco: differunt enim ſecundum eſſentiam; ſicut temporaneum, & æternum; & quemadmodum abſolutum, & relatiuum non communicat Filio habere initium; quia externus eſt, & initium communicat creaturæ per productionem eſſentialem, & abſolutam: habere verò principium, per originem relatiuam: fit ergo vitioſus tranſitus ab abſoluto ad relatiuum. Poſſet ſecundò reſponderi, Patrem Filio communicare initium actiuum, & vim creandi, ſicuti communicat eſſentiam; non tamen paſsiuè eſsendi, & incipiendi eſse obſeruandum, ſecundum S. Thomæ argumentum, eiuſque ſolutio contra Farraginem collectam Arrij.

Secundum Aſsertum. Modus adæquatus quo explicetur hæc æterna generatio nobis non adeſt: eſt enim ineffabilis, alio loco multis Sanctorum Patrum locis conglomeratis teſtatum reliquimus: hoc loco in textu Magiſtri, egregiè Sanctus Ambroſ. lib. 1. de fide cap. 4. *Si quaris à me quomodo ſi Filius ſit, Patrem non habet priorem? quaro item abs te, quando, vel quomodo putes Filium eſſe generatum: mihi enim impoſſibile eſt generationis ſcire ſecretum, mens deficit, vox ſilet, non mea tantum, ſed & Angelorum*. Ac ipſe Iſaias, *Generationem eius quis enarrabit*. Confirmatur ex reſponſione ad primum S. Thomæ hoc art. Nullum inueniri in humanis perfectum ſimile, quo Diuina generatio perfectè percipiatur: ſed ex pluribus vnam efformandam qualemqualem ſimilitudinem.

Tertium aſsertum. Sicuti æterna generatio in æternum fit, & perfectiſsima eſt, eo quod eius eſse idem eſt fieri, factum eſse, & eſse: ſic vtroque modo, & vt fit, & vt terminatè eſt facta explicatur: ſic pſalm. 2. *Ego hodie genui te* vt fit, *Hodie* vt perfectiſsima, genui te; Ita Origenes in Hieremiam hom. 2. rectè explicat: *quando dicitur Filius ſemper naſcitur*. Ratio S. Doct. art. 4. generatio eſt perfectiſsima: ergo rectè profertur vt terminata, Filius genitus, ac natus: ſecundò eſt interminata quia æterna: ergo idoneè, & orthodoxè dicitur naſcitur: & quamuis naſci, & fieri videantur ſonare ſucceſsionem, excluſa tamen ſucceſsione, ad durationem teſtandam æternam nihil prohibet, quin ſanè ore noſtro ſonet, ſit generatio, ac nunc naſcitur, vt obſeruat,

& Alex.

& Alex. 1. par. quæſt. 4. m. 5. ex D. Bon. in corpore quæſt. quod in ſingulis perfectioni eſt tribuendum, & affirmandum de Diuinis productionibus: ex ſucceſsiuis quæ dum fiunt ſunt, ex permanentibus quod facta manent, rectè dicitur in Diuinis, fit, eſt, & facta eſt: ex D. Thom. ad primum, Auctoritate Synodi Epheſinæ, & ex Scoto diſt. 9. quæſt. vnica: ex varijs variarum rerum producendi modis.

Quartum tamen aſsertum. Rectius æterna generatio per præteritum enunciatur, vt melius dicatur Filius natus eſt, quam Filius naſcitur: ex D. Gregorij in litt. lib. 29. moral. c. 1. *Melius dicitur natus ad perfectionem teſtandam; ne dum dicitur naſcitur, imperfectus videatur; natus ſemper ad æternitatem profitendam.* D. Auguſt. H. 83, queſt. q. 9. quæſt. 77. *Melius eſt ſemper natus, quam ſemper naſcitur, quia qui ſemper naſcitur, nondum natus eſt.* Et aliam rationem reddit D. Bonauentura dub. 8. litterali diſt. 9. Ad obſtruenda, inquit, hæreticorum ora; melius dicitur natus eſt, ad nunquam habuiſse initium teſtandum; ſemper enim natus: ex parte ergo rei vtroque modo dicere fas eſt; ad tutius tamen fidem fidelibus explicandam rectius aſseritur, ſemper natus eſt, ita Spiritus S. *hodie genui te*, genui, ac natus eſt, idem.

CAPVT III.

An inter Diuinas perſonas detur ordo non officiens æqualitati, art. 3. D. Bonau. diſt. 20. & 2. D. Thom. art. 3.

PARAPHRASIS.

PRIMA *Propoſitio. Inter Diuinas perſonas ordo aliquis ponendus eſt. Primò, auctoritate; quia ordine inuocantur, & prius Pater, deinde Filius, Tertiò Spiritus Sanctus, ex Matthei vltimo.* In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. *Secundò, inter plures ſi non eſt ordo, neceſſariò eſt confuſio, ſed Diuinæ perſonæ ſunt plures: ergo aut confuſæ, aut ordinatæ: non primum, ergo ſecundum. Tertiò, ordo ex D. Boetio lib. de conſolatione, dicit rationem completi boni: ergo in Deo ponendus.*

Secunda Propoſitio. Ordo hic non dicit anteceſſionem durationis, nec ſuperiorem dignitatem, neque eminentiam, neque dependentiam vnius ab altero, neque naturalis intelligentiæ: non primum, neque ſecundum, neque tertium; nam ſic perſonarum æqualitas tolleretur in duratione, & magnitudine: non quartum, nam licet hic inueniatur in creaturarum ordine, non trãsfertur tamen ad Diuinam, quippe inuoluens imperfectionem, & indigentiam in dependenti: non ſecundum, nam relatiua ſimul ſunt, & cognitione, & natura.

Tertia Propoſitio. Ordo inter Diuinas perſonas, eſt ordo naturæ; abſtrahens ab omni diuerſitate, dependentia, & imperfectione: teſtis eſt D. Aug. lib. 3. contra Maximinum cap. 14. Cum dicitur, inquit, Filius à Patre; non ſignificatur inæqualitas ſubſtantiæ, ſed ordo naturæ, *ſcilicet originis, & vnius ab altero, & producti à producente connexionis, & comparationis ad notionem pertinens. Ratio primi quia eſt ibi principium, & principiatum, producens, & productum. Ratio ſecundi, nam ad eſſentialia, & abſoluta pertinere non poteſt: ergo ad notionalia; non tamen vt hæc, vel illa notio: non enim eſt generatio, vel Spiratio, aut Paternitas; ſed notio, ſicuti ſpecies in indiuiduis; ſic in ſingulis perſonis ſingulas notiones complectens, ſingulaſque perſonas diſtinctas ſupponens de quibus dicatur.*

Quarta Propoſitio. Ex quæſt. 2. Hic ordo optimè; vt ſupra docuit S. Aug. 3. contra Maximinum, nuncupandus naturæ, nimirum naturalis originis. Declaratur; non ideo naturæ nomenclatur, quaſi in natura ſubiectetur, naturaque ordinetur: tunc enim natura numeraretur, & multiplicaretur; nam ordo eſt inter plura, & natura eſt ratio ordinandi, & vis procedendi, & multiplicandi perſonas; natura, inquam, non eſſentia: licet enim in Diuinis ſint idem natura, & eſſentia; diuerſa tamen ratione ſignificant: nam voce eſſentia vt quid abſolutum; natura vt quid fœcundum ad producendum, productioniſque principium: naturalis verò originis, vt opponitur voluntario; nam virtute, & fœcunditate naturæ vna perſona ab alia producitur: ita tamen vt perſona producens, neque anterior, neque prior, neque vetuſtior producta dicatur. Nam ſi in creaturis hæc ponit ordo originis, id ex imperfectione prouenit, quia natura multiplicatur, & numeratur; In Diuinis verò, cum eadem natura numero, nec ordinetur, nec numeretur; ſed eadem in ſingulis perſonis maneat: repugnat vnam perſonam altera meliorem, prioremque nuncupari: & perſonæ Diuinæ ſunt relationes, quamuis ſubſiſtentes: ergo ſimul natura.

Quinta Propoſitio ex reſponſione ad argumenta corollaria. Ordo hic non eſt vnius poſt alium, ſed vnius ex alio; conſtat ex multis ſupra.

Sexta Propoſitio. Licet aliàs poſita, & explicata, vt ad ordinem tamen ſpectans, de quo hic hoc loco ponitur ex D. Bonauentura diſt. 12. quæſt. 4. Inter Diuinas emanationes generationis, & ſpirationis conſideratur aliquis ordo, non quidem naturæ, ſed ſecundum ordinem intelligendi; vt generatio prius, quam amoris proceſſio intelligatur; & quemadmodum & in anima rationali, Diuinæ Trinitatis imagine, inter notitiam, & amorem. Probatur ex D. Auguſt. 10. de Trinit. cap. 1. In anima emanat prius notitia, quam amor: incognita enim non poſſumus diligere; ergo & in

Deo:

Deo: nam ad imaginem ſanctiſsimæ Trinitatis eſt anima. Confirmatur ex Ariſt. de motibus animalium. Voluntas eſt cuius principium in cognoſcendis ſingularibus: ergo cognitio motum voluntatis præcedit. Secundò, Verbum procedit per motum intellectus, Spiritus Sanctus per motum voluntatis, & Verbum eſt Spiritus Sancti principium: ergo quoquomodo ſaltem cognitione, amorem præcedit notitia, quemadmodum principium rem principiatam.

Septima Propoſitio ex reſponſione ad argumenta: Amor, & deſiderium voluntatis præcedens ad actum diſcendi, & cognoſcendi; neque immediata proceſsio Spiritus Sancti à Patre æque ac generatio, neque communitas ſpirationis quæ de Patre, & Filio dicitur, impedit, aut tollit, aut perturbat hunc ordinem aſſertum inter emanationes generationis, & ſpirationis. Non primum: ille enim appetitus præcedens cum imperfectus ſit, Deo conuenire non poteſt, & de eo proindè non poteſt eſſe ſermo, ſed de amore producto. Non ſecundum, nam quamuis Spiritus Sanctus à Patre immediatè procedat; procedit tamen etiam mediante Filio, & à Filio per fœcunditatem in generatione à Patre receptam. Nec denique tertium; tametſi enim ab vtroque procedat, & de vtroque prædicetur; ab vtroque tamen ita procedit, vt licet connexi in virtute ſpirandi, ſupponantur diſtincti, & prius intelligantur diſtincti, quam concordes in virtute ſpirandi.

Octaua Propoſitio. Aliquem itidem rationis ordinem inuenire, & admittere conſentaneum eſt, tum inter abſoluta ipſa, tum inter abſoluta, & relatiua: eſt D. Bonauentura multis locis; & ſecundum, tanquam Theologicum axioma verſatur in omnium ore, aliàs ſatis diſcuſſum: primum verò adhuc communè, vbi de attributorum ordine diſceptatur.

COMMENTARIVM.

NECESSARIO hæc, hoc loco, de ordine inter Diuinas perſonas interponenda contemplatio, explananda erat: nam quæ obijciebatur non diffitenda, nec diſsimulanda; ſed erat difficultas. Huc vſque de pluralitate, & æqualitate perſonarum actum eſt; ſi plures, & non confuſæ: ergo ordinatæ; ſed ſi ordinatæ: ergo non æquales; nam & ordo requirit prius, & poſterius; ſicut primum, & ſecundum; & æqualitas excludit idem prius, & poſterius, Auctore D. Athanaſio in Symbolo. *In hac Trinitate nihil prius, aut poſterius, nihil maius, aut minus, ſed totæ tres perſonæ coæternæ ſibi ſunt, & coæquales.* quare, an, & qualis ordo in Diuinis admittendus diſquirendum erat.

Tria autem his tribus quæſtionibus dilucidè, ac perſpicuè ſoluit S. Doctor. Primum. Dandus in Diuinis tum emanationibus, tum perſonis ordo. Secundum, inter multas ordinis ſpecies, quæ explodendæ, nè diuinæ æqualitati derogetur. Tertium, quis congruat, idque totum cum reliquis Theologis conſentaneè, cum D. Thom. hic art. 3. Alex. 1. par. quæſt. 46. memb. 1. Alberto Magno, Riccardo, Ægidio eadem diſputatione: & re licet non verbis cum Scoto diſt. 12. q. 2. & diſt. 28. q. 3. & quolib. 9. 4. 8. & 14. Sed ad hæc omnia lucidiori, & faciliori cognitione aſſequenda, præmittendum exiſtimo, quid, & quotuplex ſit ordo.

Quid ſit ordo. D. Thom. 1. Sent. diſt. 20. q. 1. art. 3. quæſtiuncula 1. Riccard. ibid. q. 3. Ordo eſt diſtinctorum habitudo ſecundum prius, & poſterius: cuius diffinitionis duæ ſunt partes; altera quaſi genus, ceù differentia eſſentialis; altera *Diſtinctorum*. D. Thom. de potentia quæſt. 10. art. 3. Vbi enim non realis eſt diſtinctio, ibi neque realis ordo: Altera *ſecundum prius, & poſterius*: Auerr. 1. phyſ. comment. 41. & 5. Metaph. comment. 18. Ordinem docet per differentias contrarias diuidi, hoc eſt, per prius, & poſterius: Idem Ariſt. in prædicamento quantitatis; quantitatis paſsionem non habentes, ordinem inter ſe habere, quæ habent prius, & poſterius: genus ergo ordinis eſt, diſtinctionem habere, differentia *ſecundum prius, & poſterius*.

Multiplicem verò eſſe, pluriumq. ſpecierum, hac ex D. Thom. art. 3. perſuadetur ratione. Quot modis dicitur principium, dicitur & ordo: eſt enim ordo comparatio quædam ad principium; ſed multis modis dicitur principium: ergo & ordo. Principij verò modos hos enumerat: Secundum ſitum, vt punctus; ſecundum intellectum, vt demonſtrationis principium ſecundum cauſas ſingulas. Tertium ſubinde & ordinis ſpecies colliguntur. Conſimili ſedulitate & S. Bonauentura quæſt. 1. indicat. Primò virtute tradit ordinis definitionem, dum in diuinis neceſſariò agnoſcendum numerum promit; quia ibi plures perſonæ diſtinctæ: quid enim hinc aliud deducere vult? quam ordinem eſſe diſtinctorum comparationem, & habitudinem. Præterea quinque ordinis ſpecies colligit, vt ibi: breuibus conformiter enumeremus.

Prima durationis. Tempus, æuum, æternitas, antiquiora ſunt priora, reliqua poſteriora inter ea, ordo prioris, & poſterioris.

Secunda generationis. Partes enim, toto generatione ſunt priores, licèt imperfectiores, inter filios plures, primus generatione prior eſt.

Tertia perfectionis. In vnoquoque enim genere quod maximè tale, & perfectiſsimum cæteris, in eodem genere perfectionis aſſeritur prius; ſic inter naturam, & naturam, eſſentiam, & eſſentiam dependens, & independens, cauſam, & effectum, magis perfectum, & minus perfectum, & extra genus inuenitur. Hic idem perfectionis ordo, quem alij etiam *Naturæ ordinem* nuncupare conſueuerunt: ad quem ordinem conſtituendum ſufficit prius natura.

Quarta. Intellectus, quemadmodum S. Thom. loco notato ediſſerit; medium in demonſtratione, prius concluſione percipitur. D. Bonauentura commune prius intellectione ſingulari, ac proprio,

Digitized by Google

prio abſolutum relatiuo; naturale voluntario, quod in relatiuis haud admittere licet: ſunt enim nedum natura; ſed & cognitione ſimul.

Quinta. Situs: punctum enim prius linea, linea plano, lapis fundamento, & tota domo.

Sexta deniq; eſt originis, de qua hoc loco, & huius ratione hæc cætera collecta: cuius ordinem vterq; S. Theologus ita circumſcribunt. *Eſt habitudo vnius perſonæ ad aliam, ſicuti ad principium, abſque prioritate vnius ex alia.* Non eſt poſt aliam, neque cognitione: cum enim & ſint relatiuæ; ita ſunt ſimul, vt neque niſi ſimul cognoſcere eas liceat. Eſt tamen ordo originis ex D. Aug. naturæ, naturalis originis; neque verò ordo naturæ, quaſi aut ſit vna prius natura altera: hæc enim proprietas in rigore ſumpta, aut prioritas in ſubſiſtendi conſequentia, aut in cauſalitate; neque ordo naturæ, qua in natura ſubiectetur: tunc enim numeraretur natura; ſed ideo naturæ, & naturalis appellatur; quo Diuinę naturæ conditio explicatur, & fœcunditas; nam Diuina eſſentia in Patre fœcunda eſt ad producendas perſonas, Filij per generationem; in Patre, et Filio Spiritus Sancti per ſpirationem, naturalis quidem, non eſſentialis: nam eſſentia vt ſic abſolutè ſumitur; natura verò vt productionis principiū. Deniq; naturalis vt voluntario opponitur, quo res ad extra in tēpore producūtur.

Scotus verò contradicit hic D. Thomæ, & ei imponit contradictionis crimen, quod idem et S. Bonauenturæ neceſſariò obijcit: eadem enim ipſe quæ S. Thom. aſſeruit, & docuit; quare ſicuti pro ab Angelico Doctore repellenda contradictione laborauit Caiet. mihi quoque pro Sancto Bonauentura tuendo laborandum eſſet; niſi ipſius Caiet. vnicus labor pro vtroque ſufficeret. Dixerat S. Thom. quæſt. 40. art. vltimo. Hypoſtaſis Patris eſt prior ſecundum intellectum actu notionali, qui eſt generatio actiua, & proindè prior Filio: hic verò art. 3. ad ſecundum. Pater nullo modo prior Filio, neque ſecundum naturam, neque ſecundum intellectum; ſed hæc ſunt contraria, inquit Scotus diſt. 18. quæſt. vltima.

Reſpondet Caietanus, nullam loquutum contradictionem S. Thom. ſed diuerſis locis, diuerſa ratione admodum prudenter docuiſſe; Imò Scotum hac redargutione apertum ſophiſma committere, à ſecundum quid, ad ſimpliciter: hic enim abſolutè S. Thom. inter perſonas Patris, & Filij non eſſe prius, & poſterius, neque ſecundum rem, neque ſecundum intellectum hac ratione docet: aut enim eſſentiæ, aut relationis poterit eſſe prioritas, ſed non eſſentiæ: eſt enim vna; neq; relationis, nam relatiua ſunt ſimul natura, & cognitione. Quæſt. verò 40. Pater particulari, ac diminuto conceptu ſecundum noſtram rationem, & quaſi initiali poteſt concipi Pater: nam perſona præſupponitur conſtituta ad producendum, & principium agens præintelligitur actioni: & perſona producta ſupponit viam ad producendum, & via eſt generatio, nimirum & ſpiratio, quæ perſonam generantē, & ſpirantē præſupponit. Et ſubſiſtēs relatio duobus modis ſumitur, & vt cōſtituēs, & vt refertur; primo modo quęſt. 40. ſecundo modo quæſt. 42. art. 3. Hæc eadem diuerſa diuerſis locis Sanctus Bonauentura enucleate tradidit; hac eadem interpretatione conciliatur: diſt. enim 9. & Patrem eſſe, quia generat; & generare, quia innaſcibilis, & originem ratione præcedere perſonam, & perſonam relationem: prius enim concipitur origo, deinde perſona; mox perſonę conſtitutæ relatio ad terminū. Hoc verò loco perſonas ita ad inuicē eſſe ſimul, vt ne cogitatione quidē noſtra, vna prius altera poſsit intelligi, aut re cōcipi.

Aliam hoc eodem loco ſuſcitat litem Scotus contra vtrumque Sanctum Doctorem; & licet, vt ingenuè fatetur & ipſe Caiet. non re, ſed verbis dumtaxat; negant tamen ordinem hunc inter Diuinas perſonas vllam ſecum trahere, aut admittere prioritatem, aut poſterioritatem, Magni Athanaſij Symbolo inhærentes. *In hac Trinitate nihil prius, aut poſterius; ſed totæ tres perſonæ coæternæ ſibi ſunt, & coæquales.* D. Auguſtini auctoritati 3. contra Maximinum cap. 14. *Non enim genitorem ab eo quem genuit, ſed genitum à genitore mitti oportebat; verum non eſt hic inæqualitas ſubſtantiæ; ſed ordo naturæ, non quo alter eſſet prior altero, ſed eſſet ab alio.* Et D. Nazianzeni orat. 29. de dogmate, & conſtitutione perſonarum. *Ita eſſentia Patris concurrit cum vnigeniti generatione, qui ex ipſo quidem eſt, non tamen poſt ipſum eſt, aut ſola principij cognitione.* Neque vlla nobis gloſa horum Patrum obijcienda: nam modum dicendi animaduertimus, & imitandum dicimus, & rationem reddimus, & repetimus: neque enim vlla aut ratione vnicæ eſſentiæ, aut relationis ratio vlla prioris, aut poſterioris inueniri, aut fingi poteſt. Et confirmamus: quemadmodum enim numerus in Diuinis nihil aliud dicit, aut ponit, quam perſonarum diſtinctionem, & naturæ identitatem: ſic probè ordo nihil prorſus aliud, quam perſonæ productæ habitudinem ad producentem, mutuò; & hæc eſt ordinis ibi omnis ratio.

Scotus verò hunc ordinem originis cenſet, neceſſariò claudere prioritatem originis: nam hæc eſt ordinis natura; vt ſinè priori, & poſteriori, nec exiſtere, nec cogitari queat. Verùm, hanc prioritatis rationem haud eſſe durationis, aut perfectionis &c. ſolerter adiungit; ſed eo Patrem Filio dici priorem, quo Pater non ab alio; ſed à ſe, & ab ipſo Filius, & Spiritus Sanctus; & eo Filium, & Spiritum Sanctum poſteriores, quo non à ſe, ſed à Patre &c. Idque multis Sanctorum Patrum locis perſuaderi, eorum præſertim qui Chriſti verba. *Pater maior me eſt.* de Diuinitate, hac ratione dixere maiorem Patrem, non meliorem, quia cæterarum perſonarum fons eſt, & origo.

At verò D. Bon. D. Thom. Durandi cum innumeris ferè eorum aſſeclis, oppoſita ſententia communior, & grauiorum, & plurium Theologorum eſt, qui in re quidem conſentit, neque diſſentire poteſt; ſed ex modo dicendi haudquaquam: nullo enim modo in Diuinis perſonis, nulloq; prætextu, nulla adhibita etiam limitatione vocem prioris, & poſterioris admittendam concedit: vmbram enim erroris ſecum quoquomodo prolata præſefert; vt inter illos S. Doct. in valde ſimili notauit: dubio enim 8. diſt. 9. ad hæreticorum ora obſtruenda;

melius erat, docebat, *dicere Filius ſemper natus, quam naſcitur*: eadem ratione ad eorundem hæreticorum lora comprimenda, & ad omnem erroris ſuſpitionem atcendam, melius à Prioris voce abſtinendum. Primò enim ſonitu, quandam anteceſſionem more humano phantaſma mouet, ac ditigit; nam in humanis Pater præcedit Filium, etiam duratione. Et conſimili ratione, qua Latinorum Schola, nunquam ad Græcorum phraſim acceſsit, Patrem eſſe Filij cauſam in Diuinis; ne perſona producta, vt effectus perciperetur producta: ſic nunquam in Prioris vocabulum, etiam addita gloſsula *originis*, Prioritas enim ex creaturis anteceſſionis cuiuſdam ſpeciem imprimit. Quod ſi quidem patres fortaſſe hoc dicendi modo, vllo abſque errãdi ſcrupulo vſi ſunt. Reſpondemus. Eos erroris non inſimulamus, neq; eorum diſcipulos poſteriores; ſed placitum noſtrum ad modum pium aliorum Patrum, ac quidem grauiorum auctoritate fulciri ſuſtinemus. Deinde, illos Patres fortaſſe non ita propriè loqutos, quemadmodum oportebat: quare non extendendos, ſed interpretandos.

Præterea. multi eo nituntur loco Ioan. 14. *Pater maior me eſt*, de Chriſti Diuinitate interpretati, id eſt, *prior*, quam expoſitionem neque præpoſitus ille contextus patitur, neque vnquam reliqua Sanctorum Patrum latinorũ, & multorum etiam Græcorum, vt alibi ex profeſſo docuimus, cohors admiſit, neq; proinde hunc dicendi modum ex illo deductum admitterent. Mox reliquos Patres, qui non illo loco moti, tamen ſic loquuti ſunt, interpretamur eo modo, quo & diuerſa lora Sanctorum Bon. & Thomæ conciliauimus. Denique, non tanta auctoritate illi Patres hac voce vſi ſunt, quanta D. Athanaſ. in Symbolo, & cuius verba, vt fidei ſere decreta ſuſcepit Eccleſia, dum *Nihil prius, aut poſterius &c.* aſſeruit, ac decreuit; nam quoquomodo, ac ſenſu proferatur, videtur æqualitati perſonarum derogare; quare protinus addit; *Sed totæ tres perſonæ coæternæ ſibi ſunt, & coæquales*. Ratione etiam probatur; Ariſt. 5. Metaph. cap. 11. plures modos aſsignat prioris; primus modus eſt ſecundum loci propinquitatem, ſecundus ſecundũ tempus, tertius ſecundum potentiam: fortius enim prius, quartus ſecundũ ordinem loci; Sed ex his nullus Diuinis perſonis cõpetere poteſt; vt ſi per ſingulos fiat diſcurſus, cõſtat; ergo ſi ordinẽ ſufficienter enumerauit, nullus Diuinis perſonis relinquitur.

Neque prodeſt quod addit Vaſquez, hunc Diuinarum perſonarum modum non cognouiſſe Ariſt. non enim potuit cognoſcere; quia non eſt alius extra enumeratos. Vaſquez hunc adinuenit: Pater ita eſt prima perſona, vt non ſit neq; ſecunda, neq; tertia; Filius ita ſecunda, vt non ſit prima, Spiritus S. ita tertia, vt non ſit ſecunda, neq; prima; ſed omne primum eſt prius &c. ergo: Probatur minor. Ordo enim eſt habitudo plurium ad vnum primum, inquit Durandus; vnum principium ait S. Th. Reſpondetur, & negatur minor. In Diuinis eſt ſecũdum intellectum: nõ enim vna perſona ſine alia intelligi poteſt; quia relatiua ſunt. Ad confirmationem eadẽ reſponſio. Itaq; noſtro modo, quẽ tuemur, loquendũ ad verba D. Athanaſii, ad omnẽ euitandam erroris ſpeciem, ad exactius Diuinã æqualitatem tuẽdam.

Sed ipſe Scotus arguit, & confirmare quod aſſerit, etiam ratione nititur. Sed obſeruãdum Scotum primò loqui de prioritate ſecundum intellectum diſt. 10. quia incipit intelligi antequam procedat; & antequam actu referatur ad alteram: deindè diſt. 28. quæſt. 3. Ad quæſtionem igitur: & quolib. quæſt. 4. art. 1. *Contra illa arguitur*; accipit etiam de prioritate reali, hoc eſt, originis: & probat, etiam ſi ſint ſimul natura, & intellectu poſſe *Prius* aliquo modo interuenire. Primò, ex Ariſt. 6. Metaph. c. 7. tex. 15. Perfectiora eſſe priora, ſed inter relatiua vnũ poteſt eſſe perfectius altero: ergo (ſed hoc loco neceſſariò loquitur de relatiuis diſquiparantiæ) ergo cum ſimultate naturæ, & intellectus, poteſt ſtare prioritas originis: non enim ei opponitur.

Reſpondetur ad primum, quod ſupra pro conciliandis SS. Thom. & Bon locis notatur. Ad ſecundũ, quod ex Ariſt. loco deducit, certum eſt in Diuinis non poſſe concedi: neq; enim inter illas relationes ſimul natura, & intellectu adeſſe poteſt prius perfectione: nam illa relatiua ſunt non mutua, & diſquiparantiæ. Præterea, vbi etiã admittitur illa prioris ratio, adhuc cõſtat non accipi illa relatiua formaliter, vt accipienda, dum ſcientificè agitur. Tertiò omnem prioris rationẽ tollunt, & prohibẽt S. Athanaſij verba. *Nihil prius, aut poſterius*. Deniq; ſermo eſt de verbis, à quibus vt antea recedendum, dum erroris cauendi gratia, etiam vmbra adeſt; eo præſertim, quò nihil cõmodi Theologiæ obuenit, ſi admittatur hæc de origine vox, *prioritas*: æquè enim ac ſatis enucleatè origo actiua, paſsiua, & ordo perſonarum abſque hac prioris voce, vt iam patet percipitur.

Sed adhuc gemina ſoluenda oppoſitio adeſt; altera Durandi, Vaſquez altera contra ordinem rationis inter emanationes Diuinas à S. Bon. aſsignatũ, quem ſic conſtituebat. Vt ſicut prius principium re principiata; ſit prius Pater Filio &c. conciperetur; ſed, an hic ordo & prius ſit natura non cõcedit, ſaltem non vult aſſerere. Sed obſeruãdum hic S. Doct. non ſumere origines vt relatiuè oppoſitas, ſed magis vt diuerſas, ac diſparatas: aliam ſcilicet intellectus, aliam volũtatis, aliã Filij, aliã Spiritus S; neq; penes terminos, ſed potius penes principiũ intellectus, & voluntatis, & vt in via: ſi enim vt oppoſitas, & ad terminum relatas; neq; in dubium vocandum, quia eſſet realis, ſicuti realis eſt diſtinctio. Quod ſi inter dicendum, exempli gratia, excidit verbũ principij, & principiari, vel quaſi principiati, quæ opponuntur relatiuè, ac realiter; hoc tamen non quærebar, neq; hoc loco erat eius propoſitum. Modò Durandus impugnat S. Bon. rationem, quam hanc eſſe aſſerit, aut fingit. Spiritus S. per ſe procedit à Filio: ergo eius per ſe proceſsio: ergo per ſe ſupponit Filii generationem à quo ipſe procedit. Contra ex Ariſt. 1. Poſter. Idẽ eſt per ſe, & ſecundũ quod ipſũ; ſed ſpirare non competit Filio ſecundum quod Filius eſt; ergo ſpirare non cõpetit Filio per ſe: ergo ſpiratio non ſupponit per ſe generationem. Quarè ipſe Durandus ead. q. licet inter emanationes concedat eſſe ordinem realem, & naturalem originis; illum tamen negat eſſe per ſe, ſed per accidens: accidit enim Filio genito eſſe principiũ Spiritus S. ſi-

cuti

cuti albo viſum diſgreganti accidit eſse frigidum.

Reſpondeo primò. Durandum quærere occaſionem D. Bon. redarguendi: non enim hic terminus per ſe inuenitur in eius argumento, & legenri, niſi cæco, patentiſsimũ. Deinde duo negantur, quæ aſſeruntur, & aſſumuntur à Durando tanquam certa: alterum, filiationem eſſe terminum formalem generationis; non enim Filiatio, ſed Filij perſona eſt terminus: alterum, Filio non conuenire per ſe ſpirare: licet enim Filiationi vt ſic, non conueniat ſpirare: perſonæ tamen Filij producti congruit: nam producitur, & generatur ad ſpirandum fæcundus, & cum vi productiua: ſimilis enim omnino Patri producitur excepta Paternitate: ergo cum vi ſpirandi; ſi quidem ſi non ſpiraret, non eſſet, & Patri æqualis, vt cum alijs teſtatum reliquit S. Doctor, imo neque eiuſdem ſubſtantiæ, ex Concilio Florentino, vt alio loco relatum eſt. Quocirca alijs verbis poſſet hæc inſtantia ſolui: non ſpirat Filius, vt ſub hac ratione refertur ad Patrem; neque vt Filius in communi; ſed vt terminus omnino adæquatus fæcunditati Patris; & vt hic Filius, quia hac fœcunditate plenus generatur. Filius quidem non filiatione ſpirat, ſed fœcunditate ſibi congenita ad ſpirandum. Denique Filius ſuo ordine præcedit Spiritum Sanctum: ergo vt ſic idoneus ad ſpirandum.

Vaſquez verò cap. 2. diſp. 168. licet S. Doctor inter ſpirari, & generari aſsignet ordinem ſecundum naturam intelligendi rationem hac ratione; quia generari, & ſpirari, non mutuò & ad inuicem referuntur; vt neceſſariò debeant eſſe ſimul natura, & cognitione; vnde prius vna poſsit altera concipi: contra ipſum tamen aſſerit, inter has emanationes eſſe ordinem realem, & naturalem eadem ratione, qua inter perſonas productas, ſcilicet Filium, & Spiritum Sanctum inuenitur: nam quod de emanante perſona aſſerirur, de ipſa emanatione aſſerendum.

Sed hic labor otioſè aſſumitur contra S. Doctorem: nam hunc ordinem nunquam negar, ſed alio ſe transfer meditandum. Pręterea, poſſet quod accipit Vaſquez negari, eandem omnino ſcilicet eſſe rationem emanationis, & perſonæ quæ emanat; quemadmodum ſæpènumero vterque S. Doctor indicat: emanatio namque concipitur vt via, perſona verò vt terminus. Preterquam quod etiam perſonæ procedentes, vt diuerſa emanatione procedunt, ad inuicem non differunt niſi vt oppoſitæ, cuius contemplationis non eſt hic locus.

Quod verò poſtrema propoſitione colligimus; inter abſoluta, & relatiua, & inter ipſa abſoluta dari quendam ordinem intelligendi ex nobis, aperto ore indicauit S. Doctor locis ibi indicatis, vbi ex D. Anſelmo in Monologio notitiam, & ſapientiam in Deo Patre prius concipi tanquam abſolutum, quàm verbum perſonale. Idem locis recenſitis S. Thom. & quęſt. 3. de veritate art. 2. ad ſecundum, et 1. ſent. diſt. 27. quæſt. 2. art. 1. & ſupponit in ſumma, prima parte, quæſi. 34. art. 2. & eſt tritum Theologorum prouerbium: *Eſſentialia ratione priora eſſe notionalibus*; vt paucis ab hinc iam obſeruauimus; & neceſſarijs gloſſulis limitauimus. Et diſt, 9. dubio 1. litcrali; ſimplicitatem eſſe cauſam inuariabilitatis; & quæſt. 1. ibidem, ex ſimplicitate actualitatem, ex actualitate diffuſionem, & communicationem in eadem eſſentia, infinitam, & æqualem. Eodem dubio à notioribus nobis accedendum, ad notius per ſe nobis occultius, & remotius; vt docet etiam Ariſt. ergo ordo ſecundum rationem noſtram in cognoſcendis attributis, ac perfectionibus Diuinis. Preterea, eſſe prius concipitur, quam tale eſſe: ergo & de Deo prius quod ſit, deinde quod ſit ens primum, perfectiſsimum, infinitum &c. Ex his exiſtimamus has colligendas concluſiones.

Prima Concluſio. Inter Diuinas perſonas aliquis realis ordo neceſſariò collocandus. Ad hoc vrget modus, quo Diuina Scriptura Diuinas perſonas enumerat. Matth. vlt. *Baptizantes eos in nomine Patris, et Filij, et Spiritus Sancti* 1. Io. 5. *Tres ſunt qui teſtimonium dant in cælo, Pater Verbum, et Spiritus Sanctus*, Et cæteris locis quibus perſonas recenſitas legimus, & earundem origo refertur: Pater enim eſt à quo Filius; Pater, & Filius à quibus Spiritus Sanctus. Et ijs locis quibus Diuinarum perſonarum miſsio recolitur: à Patre enim mittitur Filius, non eſt contra à Patre, & Filio Spiritus Sanctus; non vice verſa: ergo verus ordo inter Diuinas perſonas, quem qui inuertere auderet, erraret errore flammis digno. Confirmatur rationibus. Primò, ibi eſt realis numerus plurium perſonarum: ergo realis ordo inter reales plures perſonas Sanctiſsimæ Trinitatis. Conſequentia, & ſimilitudinis ratio eſt; quia ordo eſt plurium diſtinctorum habitudo ad vnum: ergò ſicuti ibi numerus; eodem modo & ordo. Secundò, ex definitione eſſe: *Eſt enim quod retinet ordinem, & ſuam naturam*; itidem, *quod bonum eſt, ordinem ſuum neceſſariò retinet*. Nam eſſe aut primum à quo reliqua, aut ſecundum ex primo à quo reliqua diffunduntur. *Et bonum eſt finis, quem omnia appetunt, & in quo quieſcunt &c.* Omne bonum, vt ſuo gradu conſtitutum, & loco intrinſecè ordine conſtat: ſed in Diuinis eſt perfectiſsimum eſſe, infiniteque bonum: ergo maximus ordo, ne dum ordo. Denique plures ſunt perſonæ Diuinæ de fide: ergo ne dicantur confusè, neceſſariò aſſerendæ ordinatæ.

Secunda Concluſio. Hic ordo non poteſt eſſe localis quem definit D. Auguſt. 19. lib. de Ciuitate Dei cap. 14. nam Deus vbique, quia immenſus, & vbique operatur: non dignitatis, neque anteceſsionis, aut durationis; quia tunc perſonæ Diuinæ, neque æquales, neque coeternæ eſſent: Non prioritatis naturæ; tum quia cum ſint, & vnius numero eſſentiæ, & relatiuæ; non ponunt eſſe niſi ſimul: tum quia prioritas naturæ propriè ſumpta, aut prioritas eſt in ſubſiſtendi conſequentia; aut in cauſalitate, quæ eadem ratione Diuinæ æqualitati contradicunt.

Tertia Corollaria concluſio. Ordo in Diuinis perſonis, non poteſt eſſe niſi naturæ, nimirum naturalis originis, naturalis inquam, non voluntariæ: nam Diuinæ emanationes ſunt naturales, non liberæ, ſed de intrinſeca Diuinæ naturę perfectione,

vt non poſsit non communicari natura, perſonæque non produci. Probatur verò aſſumptum primò, ex prima & ſecunda concluſione: ſi enim aliquis ordo dandus in Diuinis, & nullus ex enumeratis congruit, præter originis: ergo ille concedendus. Quod verò ordinis origo ibi inueniatur, ex prima adhuc concluſione conſtat, ex Diuinis ſcilicet Scripturis: Amplius ex perſonarum nominibus: ſi enim prima perſona Pater nuncupatur, ergo origo: ſi ſecunda Filius, ergo à Patre: ſi tertia Spiritus Sanctus, ergo à Patre, & Filio. Confirmatur ex ordinis definitione. D. Thom. eſt habitudo plurium ad vnum principium; ſed ad intra non poteſt eſſe principium niſi originis: ergo ibi originis ordo. Ex definitione D. Bon. quæſt. 1. ad tertium. Ordo originis eſt relatio producentis ad productum; ſed in Diuinis eſt producens, & productum: ergo &c.

Quarta Concluſio. Ex hoc poſito originis ordine nulla conſequitur prioris, & poſterioris ratio, vt ſupra ſatis demonſtratũ eſt & ex Theologis, & ex oculato dicendi modo propter hæreticos. Quod ſi quis amicitiæ gratia omnem vellet eximere litem; cum in re omnes conueniant, etiam in voce re ſic conuenire dicantur, vt D. Bonau. & D. Thom. &c. modum dicendi prius abſolutè, & illimitatè prolatum nolit; Scotus verò limitatè velit, ſcilicet prius origine; quod non repugnat ſimultati naturæ, & cognitionis; tranſeat: vel fortaſſe accommodatius.

Quinta Concluſio. Inter abſoluta, & relatiua, & inter Diuina prædicata abſoluta concedendus ordo cognitionis, & prius, et poſterius ſecundum modum naturæ ratiocinationis. Iam conſtitit.

Sancti Doctoris Argumentorum ſolutio licet erudita, facili tamen negotio percipitur. Nam primo quod ex Euſebio obijcitur. In Diuinis non eſt ordo, Gloſſatur de ordine anteceſsionis durationis, naturæ, & loci: negatur verò de originis ordine, ceũ à Diuinis literis, & fide aſſerto.

Quod ſecũdo ex D. Aug. Definitione iterũ aduerſari videtur; gratis, & vltroneè conceditur, ordinem ſcilicet ibi nimirum loci diffinitum non eſſe in Deo.

Quod tertio. Vbi eſt ordo, non poteſt eſſe perfecta ſimultas, & æqualitas; quæ tamen omnimodè aſſerenda, & credenda in Deo: ergo negandus ordo. Reſpond. & neganda maior, nam ordo originis eſt æternus, & relatiuorum, & in eadem numero natura.

Quod quarto. Ordo in Diuinis ſi adeſt, erit aut inter eſſentialia, aut notionalia: nihil enim aliud eſt in Deo; ſed inter hæc nullus eſſe poteſt, ergo negandus. Minor probatur: non enim inter eſſentialia, nam tunc eſſentia diſtingueretur, & numeraretur: non inter notionalia, nam hoc eſt proprietas; ordo tamen nulla proprietas, non Filiatio, non generatio, non proceſſio &c. ergo. Reſpondetur, & conceſſa maiori neganda minor. Ad rationem, & minoris confirmationem dicendum, ordinem non eſſe hanc, vel illam notionem; ſed communem, quæ prædicatur de ſingulis, ſicuti indiuiduum de Petro, & Paulo: ſic quoque proceſsio notio eſt; vt communis concepta, & ratione diſtincta quæ conuenit generationi, & ſpirationi. Eadem ratione ordo eſt notio ſingularum perſonarum in ratione originis. Idem S. Thom. arg. 1.

Quod quinto; Vbicumq; admittitur ordo, ibi dependentia: ſed in Diuinis nulla admittenda dependentia propter identitatem vnicæ naturæ, & ſubinde propter omnimodam æqualitatem: dependentia namque in dependente ponit indigentiam eius à quo dependet, & ad quem ordinatur: quare nulla perſona Diuina poteſt alterius perſonæ dici finis, non ſolum quia finis eſt cauſa extrinſeca; ſed multò magis quia perficiens eam, quæ ad finem eſt: ergo. Reſpond. & neganda maior in Diuinis, ex ijs quæ dicuntur in minori, & in humanis concedenda ex imperfectione creaturarum, quæ tum conſeruari à producente, tum perfici à fine indigent.

Quod ſi quis inſtaret. Filium pendere à Patre à quo producitur, & eadẽ ratione Spiritũ S. à Patre, & Filio: totum enim eſſe habent à ſua origine. Reſpondendum, & perſiſtendum in S. Doct. reſponſione. Nam dependentia intrinſecè, vt ab humanis ad Diuina aſſumitur, inuoluit indigentiam, & imperfectionem: quare repugnat eſſe in Diuinis perſonis. Fundamentum eſt, non ſolum quia repugnat imperfectio, ſed quia ſunt eiuſdem naturæ numero, & formaliter relatiuæ. Quod ſi ad ſolam aſtruendam originem vnius ab alio, id aliquis aſſereret, nihil noui diceret; impropriè tamen, & contra communem Doctorum vſum loqueretur & contra Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ſtylum. Sed quoniam non deſunt quædam Sanctorum patrum loca dependentiam inuoluentia: D. Nazianz. enim lib. de differentia eſſentiæ, & perſonæ, de Spiritu Sãcto loquens. *A Filio*, inquit, *pendet, à Patris eſſentia unde etiam procedit, ipſum eſſe habet dependens*. D. Cirillus Alexand. lib. 13. Theſauri cap. 2. *Spiritus Sanctus, ait, modo quodam ex ſubſtantia Dei emanat, & naturaliter inde dependet, ſicut ex humana manu digitus*. D. Hilarius lib. 12. de Trinitate. *Non per ſe eſt, qui per natiuitatem eſt*. Et alij alibi, idcirco moderamen addendum eſt: preſertim quò etiam inter Theologos idem conceſſerunt Alex. 1. par. quæſt. 91. m. 1. ad ſecundum, vbi concedit Filium à Patre, Spiritum Sanctum à Patre, & Filio; quadam tamen improprietate pendere. Et Albertus 1. par. quæſt. 33. m. 1. & Ferrarienſ. 4. contra Gentes cap. 14. ad quæſtionis reſolutionem, in ratione relationis pendere. Reſpondendum, non quidem in rigore ſermonis, quodam tamen modo dependentiam poſſe hoc ſenſu concedi, non nimirum vt implicat indigentiam; ſed vt coexigentiam termini requirit.

Quod deniq; ſexto. Ordo ſupponit numerum; ſed numerus in Diuinis nõ admittitur ſecundum verã, ac propriam differentiam: ergo neq; ordo. Maior iam ſæpè aſſerta eſt: ordo namq; eſt numeratorum habitudo, & connexio. Minor itidem diſcuſſa, ac oſtenſa diſt. 19. par. 2. quæſt. 4. Differre enim numero, eſt differre natura, & natura in indiuiduo nu-

numeratur, quæ de fide in Diuinis perſonis cum ſit, dumtaxat vna numerari non poteſt.

Reſpondet egregiè, hoc ſuppoſito, ſicuti numerum ſupponit ordo; ſic qualis numerus, talis conſequitur ordo: ergo quemadmodum numerus ſolas perſonas, perſonarumq. proprietates numerat, ac diſtinctas pronuntiat, cæteris à numero in creatura præciſis, quippe quæ imperfectionem implicant Deo repugnantem. Ad argumentum: ergo conceſſa maiori, declaratur minor, & conceditur numerus in Deo tantummodo dicens diſtinctionem, & differentiam perſonarum ſine anteceſsione &c. ſic explicata numeri ratione neganda conſequentia: eſt enim ibi ordo ſicut numerus. Iterum negatur ordinem ſemper ſupponere numerum cum differentia numeratorum, vt conſtat. inter ea, quæ differunt ſicut prius, & poſterius natura &c. eſt enim ibi ordo, neque tamen diſtinctio ordinatorum realis.

Quod ſeptimo, quæſt. 2. Si in Diuinis eſt ordo naturæ: ergo natura numeratur, & multiplicatur. Conſequentia nota videtur: nam quæ numerantur neceſſariò plura ſunt, ac diſtincta: ſed contradicit naturam Diuinam multiplicari: ergo & numerari. Eſt commune argumentum, & communis etiam reſponſio ex obſeruata hoc loco naturæ ſignificatione: non enim cum dicitur ordo naturæ, explicatur ordinis ſubiectum, & connumeratur; ſed qualis ordo qui aſſeritur, & reſpondet naturæ, hoc eſt naturalis: nam quæ numerantur in Diuinis ſunt ex natura Diuina, ſcilicet ex fœcunditate naturali non voluntaria, & libera, qua perſonæ Diuinæ quæ numerantur, producuntur; quo fit, vt hic natura non ſumatur ea ſignificatione, qua ſumitur eſſentia, quæ tantum eſſe abſolutum ſignificat; ſed vt apta nata communicari, & principium productiuum: vnde licet eſſentia, & natura ſint ad inuicem vna res: cum tamen in modo ſignificandi differunt; non rectè ordo eſſentiæ diceretur, ſicut dicitur ordo naturæ. Ita etiam inter alios S. Th. ad tertium, & quartum. Ad argumentum ergo negatur conſequentia prima.

Quod octauo. Vbicumque ordo naturæ, ibi prius, & poſterius ſecundum naturam: ſed in Diuinis hoc modo non poteſt eſſe prius, & poſterius: ergo neque ordo. Probatur maior tum ex Ariſt. in Poſtprædicamentis, cap. de Priori; tum ex euidentia rerum creatarum, ex quibus ad Diuina aſſumitur hoc prædicatum ordinis: quod enim producitur à quacumque cauſa naturali conſequitur ad ipſam, & vt effectus eſt poſterior. Probatur minor, ex relationum ratione in Diuinis, quæ non adueniunt rei exiſtenti, vt in creatura; ſed conſtituunt in eſſe perſonam: quare neceſſariò ſunt ſimul natura, vt Ariſt. ipſe prædicamento ad aliquid. Reſpondetur, & neganda minor: quod enim inuenitur in creaturis, id euenit eis ex diuerſitate naturæ, quæ producitur alia, vt effectus à cauſa, vnde neceſſariò poſterior, de quo Ariſt. commemorato loco: In Diuinis verò emanationibus non multiplicatur natura, ſubinde non producitur perſona tanquam effectus, quidquid loquantur Græci: neque producitur, niſi relatio ſubſiſtens. Hunc ſit, vt non detur ordo, niſi vnius ex altero, non poſt alium, & cum hoc ordine ſimul ſtet ſimultas perfectiſsimæ naturæ: neque obſtat ordinem eſſe attributum ex creaturis: eſt quidem; omni tamen imperfectione Diuinis repugnante præciſa.

Quod tandem obſtare videtur: Diuinæ perſonæ ſunt ſimul natura: ergo ibi non eſt ordo naturæ. Neganda conſequentia ex iam explicata phraſi, naturæ aſſerto ordine, qualis in Diuinis ſit: non eſt enim ordo ordinans naturam, ſed perſonas naturali fœcunditate emanantes: neque inter illas ordo vnius poſt alteram, ſed vnius ex altera, quo ſimultantem naturæ non excludi conſtat: eadem S. Thom. ad ſecundum; eadem omnes; vt iam diſcuſſum eſt, vt nullus dubitandi locus hac in re relictus ſit.

C A P V T IV.

Et Articulus IV.

An, & quomodo Diuinæ perſonæ in magnitudine, & perfectione ſint æquales. D. Bonau. q. 1. diſt. 19. D. Th. art. 4.

P A R A P H R A S I S.

V*NICA Propoſitio. Aequalitas magnitudinis, virtutis, perfectionis, ac bonitatis neceſſariò confitenda inter Diuinas perſonas. Probatur primò in communi, ex Symbolo D. Athanaſij; deinde ex D. Fulgentio de fide ad Petrum, vt in textu etiam Magiſtri. Præterea, in Diuinis idem eſt eſſe, ac perfectum eſſe: ſed Diuinarum perſonarum vnum, & idem numero, eſt eſſe ac eſſentia: ergo vna, & eadem numero, & æque perfecta perfectio: & eſt argumentum S. Aug. lib. 8. cap. 1. de Trinitate. Confirmatur ex eodem. In Diuinis non ſunt magis duæ perſonæ, quam vna: quia eadem numero in omnibus, & ſingulis perſonis eſſentia, ac eſſentialis perfectionis magnitudo: ergo æquales. Denique corollariè eadem eſſentia æquè perfecta eſt in Filio, & Spiritu Sancto, ac in Patre: ergo eadem perfectio; neque eam minuit, quia Filius non generet, neque Spiritus Sanctus ſpiret; quia id eis euenit non ex diuerſitate perfectionis, ſed ex conditione perſonæ; vt ſæpè aliàs.*

Ferè hic nihil addendum ne actum agamus: ſuperiori enim loco res hæc in communi iam enucleata eſt, ac roborata ſatis; hoc tamen loco hæc propoſitio diſtincta poſita eſt, vt D. Th. ordinem imitaremur: cum D. Bonauentura dumtaxat addendum; hanc veritatem eſſe de fide certam, quam D. Paul. ad Philipp. 2. teſtatur his verbis. Non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo: *quam retulit in Sym-*

bolo D. Athanaſ. nihil maius, id eſt melius, aut minus. Conc. Tolet. 6. in confeſsione fidei, & Lateranenſe cap. Damnamus; quibus locis etiam ratio Theologica colligitur, quoniã ſunt vnius naturæ. Conc. Tolet. ideo perſonæ ſunt æquales: natura enim illa non recipit magis, & minus. Quam ideo, & rem, & rationem: ſic conſtanter Sancti Patres tradiderunt. D. Aug. 9. de Trinit. cap. 1. Hanc aſsertam æqualitatem nihil aliud eſse, quam eſsentiæ vnitatem. D. Anſelmus in Monologio cap. 13. Perſonæ ſunt æquales, quia vnaquæque eſt perfecta, & ſumma eſsentia. Idem Origines rectè de hac æqualitate ſentiens primo Periarcon cap. 2. & 3. vt ſic citat D. Athanaſius Epiſtola de Decretis Synodi Nicenæ, & refert Ruffinus lib. 1. Hiſt. & teſtatur Pamphilus Martyr in ſua Apologia. Quam ideo optimè omnes Theologi rationem aſſumpſerunt identitatis eſſentiæ ad hanc æqualitatem confirmandam; S. Bon. hic, S. Thom. ad ſecundum reliquique hic, & veritati adhærentes, & augeri poſſet per ſingula perfectionis attributa Diuina: omnia enim ſingulis perſonis æqualiter conueniunt, quia ſunt eſſentialia; ita D. Athan. in primis in Symbolo. Immenſus Pater &c. Æternus Pater &c. Omnipotens Pater &c. Non tamen tres immenſi &c. Addit S. Thom. aliam rationem ex appellatione Patris, & Filij. De ratione Paternitatis, & Filiationis eſt, quod Filius accipiat perfectionem naturæ quam Pater habet: ergo Filius in Diuinis habet perfectionem naturæ Patris: ergo ei æqualis. Antecedens declaratur in creaturis. Conſequentia, quia in Diuinis vera Paternitatis, & filiationis ratio.

Quæ verò obijci ſolent, optimè ſoluit hic S. Thom. & S. Bonau. & hic, & infra cum reliquis ſententiarijs.

ARTICVLVS V.

Et cap. 5. An in Diuinis ſit æqualitas cum circuminceſsione. D. Bon. diſt. 19. art. 4. D. Thom. art. 5. quæſt. 42.

PARAPHRASIS.

PRIMA Propoſitio. Verè in Diuinis vna perſona eſt in alia ad inuicem, Pater in Filio, Filius in Patre, & in Spiritu Sancto, & Spiritus Sanctus in Patre & Filio. 1. Io. 14. Ego in Patre, & Pater in me eſt. D. Fulgentius cap. 1. de fide ad Petrum. Per vnitatem naturæ totus Pater in Filio, & Spiritu Sancto eſt. Perſuadetur rationibus. Prima. Eſſentia Patris eſt in Filio, quia eadem eſt: ergo Pater eſt in Filio: eadem ratione eſſentia Filij eſt in Patre &c. Secunda. Filius cognoſcitur à Patre, quantum ad Hypoſtaſim, & proprietatem, & vice verſa à Filio Pater, & à Spiritu Sancto Pater, & Filius: ergo Pater eſt in Filio &c. Probatur conſequentia; nam omne cognitum eſt in cognoſcente, in creatura per ſimilitudinem, & ſpeciem; in Deo autem per veritatem; aliàs vna perſona in alia exiſtens inexiſteret ſicut creatura. Confirmari poſſet ex citato D. Fulgentio. Secundum vnitatem eſſentiæ, vna perſona in alia exiſtit: ergo verè, & non per ſimilitudinem. Tertia. Diuinæ perſonæ ad inuicem referuntur: ergo vna eſt in alia. Probatur conſequentia: nam ſi non eſt in ea: ergo extra eam: ergo diuerſa ſubſtantia. Quarta. Genus eſt in ſpecie, & ſpecies in genere: ergo multò magis vna perſona in alia: nam maior conuenientia eſt inter Diuinas perſonas, quàm inter genus, & ſpeciem.

Secunda Propoſitio. In ſolo Deo eſt hæc vera, quam vocant Theologi circuminceſsionem; nam ad hanc, tum vera vnitas, tum vera diſtinctio requiritur, quæ in ſolo Deo perfectiſſima inuenitur: vna enim eſt numero in tribus eſſentia, & trium perſonarum vera, ac realis diſtinctio.

Tertia Propoſitio. Iſthæc circuminceſsio, & inexiſtentia vnius perſonæ in alia, eſt perſonæ ſecundum ſe tota, hoc eſt, ſecundum ſubſtantiam, & ſecundum relationem. Primò, ex lib. de fide ad Petrum, totus Pater eſt in Filio: ergo nedum ſecundum ſubſtantiam; ſed etiam ſecundum relationem: nam tota perſona conſtat ex ſubſtantia, & relatione. Secundò, ex argumento 3. Filius relatus ad Patrem eſt in illo: ergo etiam ſecundum relationem. Tertiò ex ratione ſecunda. Filius eſt in Patre, vt perſona cognita: ſed non perfectè cognoſceretur, niſi etiam vt diſtincta ſecundum proprietatem: ergo vt diſtincta eſt in Patre. Quartò, ex corpore quæſt. de ratione circuminceſsionis eſt, vt adſit vnitas eſſentiæ, & diſtinctio perſonarum: ergo vna perſona eſt in alia ratione vtriuſque.

Quarta Propoſitio ex reſponſione ad quartum. Ratio ſecundum quam vna perſona eſt in alia, etiam ſecundum relationem eſt vnitas eſſentiæ. Probatur. Sicuti æquales dicuntur perſonæ Diuinæ ratione vnius quantitatis virtutis, & ſimiles vnius qualitatis perfectionis: ſic fermè & vna in alia ratione vnius ſubſtantiæ. Confirmatur; quia docent Sancti Patres relati à Magiſtro in textu. D. Fulgentius de fide ad Petrum. D. Hilarius lib. 3. & 7. de Trinit. D. Ambroſius in cap. 52. ad Corinth.

Quinta Propoſitio ex reſponſione ad quintum, ex hac circuminceſsione relatio rationis inſurgens eſt æquiparantiæ, & eiuſdem rationis: hæc enim eſt relatio identitatis, & conſubſtantialitatis importata per particulam (In) Confirmatur: nam ſicuti relatio ſimilitudinis, qua Pater eſt ſimilis Filio, & Filius ſimilis Patri, eſt eadem, & relatio æqualitatis, quæ in-

inuicem ſunt æquales; ita & conſimili ratione, habitudo inexiſtendi mutuò oportet vt ſit eadem: eodem enim modo, & ratione potiſsima identitatis, & vnitatis naturæ eſt.

COMMENTARIVM.

MVTVA perſonarum Diuinarum exiſtentia, quam Theologi latini circumincesſaionem nũcupant, mirificè confert ad omnimodam æqualitatem comprobandam: ſi enim Pater non eſſet in Filio, & Spiritu Sancto, & Filius in Patre, & Spiritu Sancto, & Spiritua Sanctua in Patre, ac Filio; neque producerentur per actus immanentes, neque eſſent ad inuicem conſubſtantiales, & eiuſdem naturę: Profectò namque ſi non inexiſterent mutuò, & exiſterent extra, ac vna perſona extra alterius ſubſtantiam foret, ac proinde eſſent inæquales; ita vt prima ſola eſſet Diuina, reliquæ duæ alterius, & inferioris naturæ; & poſſet illa inexiſtens alteri, ineſſe tamquam in legato, & inferiori. Quare, nulla erat ratione à Theologis hæc dubitatio prætermittenda, & S. Doctor optimo titulo, & apprimè ad rem proponit diſcutiendam; an in Diuinis ſit ęqualitas cum circumincesſione, hoc eſt, an ita ſint æquales Diuinæ perſonę vt ad inuicem, & mutuò vna alteri inexiſtat. In qua re explicanda ſex eruditè edisſerit. Primum enim quęſtioni an ſit, facit ſatis, dum probat veritatem circumincesſionis. Secundò, adeo id verum eſſe, vt ſoli Deo ſit proprium. Tertium quid ſit. Quartum. Quomodo vna perſona alteri inexiſtat. Quintum, quænam ſit ratio vera huius inexiſtentiæ, & circumincesſionis. Sextum, quæ, ac qualis ſit inde inſurgens relatio: quæ omnia diſtincta patent in ſingulis textus propoſitionibus. Et vt à nomine initium ſumamus circumincesſionis; ideo circumincesſio nuncupatur, etiã à vetuſtioribus auctoribus; Scholaſtici enim eam inuenerunt in veteri verſione D. Damaſceni ex Græca voce hic poſita; vt idem ſignificet, ac mutua perſonarum incesſio, commeatio, vt extra aliam vna inueniri non poſſit, quia vnaquæque immenſa eſt, & connexionem conſubſtantialitatis cum diſtinctione perſonarum: quæ omnia obſeruat S. Doctor, tractatu compendioſo circa illa verba. *Gyrum cæli circuiui ſola:* hic enim eſt primus Gyrus Dei. De qua re etiam Genebrardus lib. 2. Trinitatis, & in Apologia contra 14. & 15. Blaſphemiam Schelij hęretici. Primum verò, veritatem hanc adeo certam eſſe, & ſit de fide, demonſtrat ex D. Io. cap. 14. *Nonne credis, quia Ego in Patre, & Pater in me eſt? fide enim reuelata credendum Patrem eſſe in Filio &c.* Quod eadem ratione de Spiritu Sancto credendum, vt quem ſecundo loco profert S. Fulgentius, licet nomine D. Auguſt. ſecutus Magiſtrum apertis teſtatur verbis, Propter vnitatem naturæ totus Pater eſt in Filio, & Spiritu Sancto: æquè enim Spiritus Sanctus conſubſtantialis, & per actum vitalem amoris producitur, ac Filius per actum vitalem cognitionis à Patre, & ſic genimo rationum genere, maximè in re Theologica aſſueto, ex auctoritate ſcilicet Diuinarum literarum, & Sanctorum Patrum, deinde rationibus res præſens perſuadetur, ac roboratur. An verò in legitimo ſenſu referat locum D. Io. infra diſquirendum. In prima autem ratione prodit fundamentum ſingulare huius cicumincesſionis, nimirum vnitatem naturę ac conſubſtantialitatem. In ſecunda alterum addit, ſcilicet cognitionem de cuius natura eſt; vt obiectum cognitum ſit in cognoſcente: & ſupponit, quod explicatè aſſerit S. Thom. fæcunditatem ſcilicet, & originem: cognitio enim eſt origo Filij. In tertia indicat relationem. Hęc verò tria aſſumit quoque S. Thom. & ex his circumincesſionem demonſtrat, recenſita primo loco S. Io. auctoritate, atque hanc conſtruit argumentationem. Eſſentia Patris eſt eadem, quam abſque vlla tranſmutatione communicat Filio: ergo Pater ratione eſſentiæ eſt in Filio; ſequitur enim ſuam eſſentiam: ergo Filius eſt in Patre: nam eſſentia Filij eſt Patris eſſentia, & Filius eſt ſua eſſentia, & eſt, vbi eſt ſua eſſentia; & confirmat per D. Hilarium lib. 5. de Trinit. Deinde ex relatione, nam perſonę ſunt relatiuæ, & relationes ſubſiſtentes; relatiua verò ſunt ſimul natura, & intellectu, & ſecundum intellectum, vnum eſt in altero. Præterea ex origine. Verbum eſt in producente: non enim ad extra producitur, & quod dicitur Verbo, & in verbo: ergo verbum, & Filius eſt in Patre dicente ſe, & generante Filium per actum immanentem: ergo Pater eſt in Filio, & in verbo, quo ſe ipſum dicit.

Sed Caiet. circa vtriuſque S. Doctoris primam rationem aduertit; duobus modis poſſe ſumi vnius eſſentiam eſſe in alio: altero vt ille in quo eſt, ſit eſſendi ratio, ac ſic, Pater eſt in Filio ratione eſſentię, quam ſecundè intelligit; altero, vt eſſentia vna eſt in pluribus, eſt ratio vt vnus ſit in altero: quia vña eſt in illia: hoc loco non primo, ſed ſecundo modo ſumitur. Itidem circa ſecundam Sancti Th. rationem quæ eſt tertia, S. Bonau. refert, quomodo eam impugnare tentauit Aureolus, & Durandus: argumentum S. Bon. erat. Vna perſona ad aliam refertur: ergo vna eſt in alia; D. Thom. verò ratio erat. Vnum relatiuum eſt in alio ſecundum intellectum: ergo vna perſona eſt in alia. Contra. Primò vnum relatiuum, & vna perſona non eſt in alia, ſed ad aliam; & ſic diſtinguuntur, & opponuntur: ergo. Secundò. Si ex relata ratione vna perſona eſſet in alia, Spiritus Sanctus nòn eſſet in Patre, neque in Filio; quia ad ipſos formaliter non refertur: neque enim quia Pater, aut quia Filius ſpirant, vt conſtat. Reſpondetur, hæc non faceſſere negotium, & facillime diſſolui: quarè ad primum; nunquam docuerunt perſonas, vt relatiuas eſſe *in*, ſed *ad*, cum relatiui ſit omnis natura ad terminum; ſed ita eſſe *ad*, vt ratione eſſentiæ ſint etiam *in*, quod aperte indicat S. Bon. dum comparari ad inuicem aſſerẽs deducit: ergo intra ſunt, nè dicantur eſse extra, & multiplicetur eſsentia: ergo ratione eſsentiæ, cum qua formaliſsime idem ſunt vna relata ad aliam, in ea quoque mutuò eſt. D quoque Thom. Vnum eſt in alio vt relatiuum:

quia

quia vnum ſine alio intelligi non poteſt, neque tamen dixit ſecundum rem, ſcilicet relatinam, vnam perſonam eſse in alia. Ad ſecundum, eadem ratione, ſcilicet eſsentię Spiritus Sanctus eſt in Patre & Filio, & ratione ſpirationis ad ipſos tanquam ſpirantes refertur: quod verò non referatur vt ad Patrem & Filium, nihil officit inſtitutum noſtrum, & alia prorſus alio loco penſitata eſt ratio: ipſos tamen deducere, non refertur ad illos tanquam Patrem, & Filium: ergo non refertur vllo modo, committere geminum Sophiſma exploratum eſt. A ſecundum quid, ad ſimpliciter. Non refertur, vt ad Patrem: ergo non refertur. Non eſt in eo ſecundum relationem: ergo non eſt in eo &c.

Quid verò ſit circumincesſio duobus ex capitibus S. Doctor explanat: primò enim ad circumincesſionem duo intrinſecè ſpectare ſtatuit, & vnitatem eſsentiæ, & perſonarum diſtinctionem, quæ cum in ſolo Deo perfectiſsimè inueniantur, in ſolo Deo ſequitur circumincesſionem adinueniri; neque propriè vnum in altero dicitur eſse, niſi diſtincta ſint; neque ita diſtincta, vt alia ratione vnita non ſint; Hinc ſecundò circumincesſionem eſse mutuam diſtinctarum perſonarum vnius in alia inexiſtentiam; neque opponit quod quarto loco diſquirendum, quia ſcilicet ratione vna perſona ſit in alia: ſi enim non ineſse etiam ſecundum relationem, quomodo ſecundum ſe totam ineſt? quod tamen S. Doct. docuit ex tertia propoſitione. Primò. Vnam perſonam eſse in alia, quia refertur ad illam. Secundò; dum vna perſona eſt in alia, æquè ſeruanda inconfuſa diſtinctio, ac eſsentiæ vnitas. Tertiò, perſona eſt in alia, vt cognita in cognoſcente; ſed cognita eſt etiam, vt diſtincta: ergo vt diſtincta etiam eſt in cognoſcente: & vrget hoc argumentum cum non ſit in perſona cognoſcente ſecundum ſimilitudinem; ſed ſecundum rem. Denique ex auctoritate D. Fulgentij, totus Pater eſt in Filio: ergo nedum ſecundum eſsentiam; ſed ſecundum relationem, aliàs non totus, ſed quaſi pars Pater eſset in Filio. Confirmatur ex D. Io. *Ego in Patre, & Pater in me eſt.* Pater conſtituitur per relationem, itidem Filius, & Spiritus Sanctus: ergo ſi Pater in Filio, erit vt Pater, & ſecundum relationem: neque enim ratione præciſa ſolius eſsentiæ eſt Pater. Reſpondetur ergo, perſonam etiam ſecũdum relationem ineſse alteri; cauſam tamen rationem huius inexiſtentiæ eſse eſsentiam extra, quam non ſunt relationes vt erroneè dicebat Ioachim. Secundò. Relationes quoque ineſse; vt tamen competit relationi, cuius eſt, eſse *ad*, licet explicetur hoc loco etiam per *in*. Tertiò, perſonæ quæ ad inuicem referuntur, & diſtinctæ inſunt tamen Diuinæ eſsentiæ propter ipſius vnitatem, quod aperte S. Doctor ad quartum enucleat; ſed infra in diſputatióne vberius.

Hinc eluceſcit quartum, quomodo ſcilicet vna perſona ſit in alia, nimirum ſecundum ſe totam: & quintum, quænam ſit huius inexiſtentiæ ratio; ideſt, vnitas eſsentiæ.

Circa ſextum non hic immorandum, cum de hac re futura ſit deinceps diſtincta diſputatio; hoc vno hoc loco ſpectato, pro S. Doctoris explicatione, cum eandem aſſerit inde exurgentem relationem in reſponſione ad quintum interpretandus, vt dixerit eandem, hoc eſt, eiuſdem ac conſimilis prorſus rationis: ſicuti enim eadem perfectione numero eſſentiali ad modum qualitatis, mutuò perſonæ dicuntur ſimiles; ſic propemodum hac eadem ratione, cum propter mutuam conſubſtantialitatem perſonarum, & eſſentiæ identitatem vna alteri exiſtere dicatur, vtrobique relatio identitatis, vt ſic eam nuncupat ad ſextum; & vt aiunt ferè reliqui, æquiparantiæ, erit eadem: quod de relationibus realibus, & oppoſitis Paternitatis, Filiationis, & ſpirationis affirmare non licet: ſunt enim diſquiparantiæ, & ad inuicem realiter diſtinctæ, & alterius rationis, imò oppoſitæ. An verò huiuſmodi relationes ſint rationis, vel reales, poſt diſquirendum.

Quod reliquum eſt; vt quam acutè, & opponat, & ſoluat S. Doctor animaduertatur: primò enim ſi Pater exiſtit in Filio: ergo & in ſe ipſo. Probatur Conſequentia ex Regula prædicandi Ariſtotelica; Quod prædicatur de aliquo, & de omni quod ſub illo eſt, prædicabitur: ſed ſi prædicatur de Patre quod ſit in Filio, cum quoque Filius ſit in Patre, erit ſecundum quod eſt in Patre, etiam in ſe; quia Filius eſt in illo; quod tamen hoc loco pro abſurdo dicitur, & rectè: nam in circumincesſione ſeruanda eſt inconfuſa diſtinctio; in hoc verò modo confunderetur: nam nemo vlla ratione à ſe ipſo differt.

Reſpondetur, & vna reiecta aliorum ſolutione, & quidem ferè cogente ratione, formaliter loquendo neganda eſt conſequentia; nam in ea aperta ſumitur fallacia ſecundum accidens: eſſe enim in alio particula *in*, ſemper retinet diſtinctionẽ vnius ab alio, in quo eſt; at eſſe in ſe ipſo, omnem tollit diſtinctionem, ac negat: quare, per circumincesſionem nihil poteſt eſſe in ſe ipſo, quia omnis ſic deſtruitur diſtinctio; circumincesſioni tamen intrinſeca ratio: ergo fallaciæ eſt: eſt in Filio, vt diſtinctus ab eo: eſt in ſe, vt indiſtinctus omnino: ſed non valet conſequentia à diſtincto ad indiſtinctum, & hæc eſt variatio in hoc argumento, quia ſit tranſitus à diſtinctione ad identitatem. Eadem ratio eſt in exemplo *ſimilis* propoſito. Petrus eſt ſimilis Paulo, & Paulus Petro: ergo Petrus ſimilis ſibi: nam ſit idem tranſitus vitioſus: ſimilitudo enim licet dicat conuenientiam inter ſimiles; dicit tamen quoque diſtinctionem, ſed in conſequentia omnino tollitur diſtinctio. Hæc verò logica ſunt, ac ferè puerilia. Ad confirmationem ex illa regula prædicandi communi, reſpondet nihil eſſe, nec quicquam dicere opus eſt; & ideo nihil reſpondet S. Doctor: ſufficit enim conſtare captioſam eſſe conſequentiam: ſed ſi quid dicendum, ſuppoſita illius regulæ logicorum expoſitione, potius nobis deſeruit: ſicuti nihil de ſeipſo prædicatur niſi ridiculè, ſecundum omnimodam identitatem, æqua ratione nihil dicetur eſſe in ſe ipſo, niſi prorſus impropriè, & contra vim particulæ *in*, & rationem circumincesſionis.

Caiet. aliam tradit & ſolutionem ſupra indicatam, hanc nimirum conſequentiam verè hinc

ſequi.

Digitized by Google

ſequi, Si eſſentia Patris, ſumeretur vt dat eſſe Filio: ſed hoc loco in circumince ſsione non ſic; ſed vt vna eſt trium; ad quam tamen non tollitur diſtinctio perſonarum, quę in circumince ſsione ſeruanda eſt. Videndus ille.

Secundum Argumentum. Si perſona Diuina eſt in alia: ergo non diſtinguitur ab illa. Conſequentia videtur ſequi: nam de ratione omnino ſimplicitatis; ſicuti Diuinæ perſonæ, eſt vt ad inuicem inexiſtentes, omnino in idem tranſeant. Patet de puncto in puncto.

Elegans quidem oppoſitio, ſed elegantior ſolutio: tunc hæc inquit conſequentia concedenda foret, niſi perſonæ ſecundum rationem prius conciperentur ſe ipſis differre, quod peracutè aliàs docuit, & vt ſubſiſtentes, quam in alia eſſe ſecũdum diſtinctionem ab ea in qua ſunt: quare omnino neganda conſequentia. Peridoneum eſt exemplum luminum in aere D. Areopagitæ, quæ eo in aere non confunduntur, quo ab eo non diſtinguntur, neque ſumunt eſſe ſuum. Perſonæ verò Diuinæ ſicuti ab origine ſumunt diſtinctionem: ita eam amittere non poſſunt, vna exiſtens in alia.

Tertium. Vna perſona non poteſt ineſſe alteri, niſi per illapſum; quemadmodum & vna eſſentia ſpiritualis alteri: ſed hoc non poteſt eſſe, vt conſtat: ergo nullo modo.

Reſpondetur, & negatur & maior, & ſimilitudo in maiori aſſumpta: ratio verò negationis eſt, quia non alia ratione vna perſona eſt in alia, niſi quia vtriuſque vna eſt, & eadem eſſentia. Eadem eſt ſolutio ad 4. arg. Quintum quoque argumentum in commentario ſolutum.

Sextum verò. Sicuti non conuertitur Filius de Patre, & Filius apud Patrem: ſic non videtur conuerti, Pater eſt in Filio; vt & Filius ſit in Patre.

Reſpondetur, & neganda ſimilitudo, & conſequentia, & facilis ſolutio in textu. Sed animaduertendum cum colligit S. Doctor: quænam particulæ conueniant, & quomodo: non enim omnes ad conuertentiam dicuntur; non recenſet particulam in antecedenti propoſitam (Apud) de qua ergo aſſerendum ipſam conuenire: nam ea vtitur D. Io. cap. 1. *Et verbum erat apud Deum*. Deinde non dici ad conuertentiam: non enim rectè admitteretur, Deus Pater erat apud verbum; & rationem reddit Tertullianus aduerſus Praxeam, his verbis. *Sermo*, ideſt Verbum, *in principio apud Patrem, non Pater apud verbum: nam etiam ſi Deus verbum, apud tamen Deum eſt; qui ex Deo Deus &c.* Ideo ergo particula *apud* non dicitur ad conuertentiam, quia dicit originem verbi ex Deo Patre.

Septimum. Ex octo modis ab Ariſt. in Anteprædicamentis, & 4. phiſ. tex. 43. & ex nono addito à Boetio, nullus conuenit Diuinæ perſonæ, vt in alia exiſtit; & tamen omnes enumerantur: ergo in exiſtere non eſt dicenda.

Reſpondetur. Non enumerari illis locis, niſi modos creaturæ exiſtentis in alia ab Ariſt. cognitos; ſed modum Dei, quo vna perſona exiſtit in alia, excedere Ariſt. capacitatem; reddit rationem S.Th. ad primum; quia creaturæ, non adæquatè quæ Dei ſunt, repreſentant. Eadem reſponſio redditur in 4. ſent. cum de exiſtentia corporis Chriſti in Euchariſtia agitur. Conatur S. Thom. modum hunc Diuinarũ perſonarum reducere ad modum, quo principium in principiato, niſi in creatura obſtaret diuerſitas eſſentiæ in altero; eadem tamen in Diuinis perſonis, niſi ſecundo ex D. Bonauentura impediret relatio diſquiparantiæ in principio, & principiato, cum in circumince ſſione ſit æquiparantiæ.

DISPVTATIO.

In hæc capita diſtributa.

Primum. De vera interpretatione illorum verborum. Ego in Patre, & Pater in me eſt.

Secundum. Quomodo adinuicem inexiſtant Diuinæ perſonæ, an ſecundum ſe totas &c.

CAPVT I.

EO ſolertius, & diligentius hæc verba expendenda ſunt, plurimiq; facienda, quo & ea conantur temerariè deprauare, & in ſuam hæreſim detorquere Arriani: & quibus tamen veritas de Diuinarum perſonarum circumince ſsione adeo certa exiſtit, vt Catholica, & de fide commonſtretur. Porrò vt pleniorem de propoſitis verbis cognitionem aſſequamur, ac explicatiorem promamus; tria præſertim indaganda, & in primis obſeruanda. Primum, propoſitum quo hæc dixerat Dominus noſter. Secundum, horum; verborum vis atque ſententia. Tertium, quo tempore, quæ hic à Diuiniſſimo Magiſtro dicebantur, perceperint perfectè Apoſtoli.

Quo igitur ad primum: percontatus erat Philippus Dominum: *Domine oſtende nobis Patrem & ſufficit nobis*. Reſpondet Chriſtus. *Tanto tempore vobiſcum ſum, & non cognouiſtis me?* Ille de Patre precatur, Chriſtus de ſe reſpondet; vt ſic Philippus cum ſocijs deducat, ſe neque Patrem, neque Filium cognoſcere, & non minus ijs laborandum in acquirenda Filij, quam Patris cognitione. Deinde Diſcipulus de viſione corporea poſtulat, Magiſter de mentis cognitione reſponſum reddit. *Tanto tempore vobiſcum ſum, & non cognouiſtis me?* Quam denique fidem nuncupat. *Non credis quia ego in Patre, & Pater in me eſt*. Vt inde colligeret Philippus, & in eo omnis alius, Chriſti, & Diuinarum perſonarum cognitionẽ, niſi fide in hac vita neminẽ aſſequi poſſe, & per carneum oculum, vt ille nimis craſsè exiſtimabat, peruenire non poſſe; neq; vſq; adeo ad hæc excelſa extollere licere; ſed ſolam fidem aditum habere, Diuiniſsimumque Dei vultum niſi fidei oculis non videri. Petierat Philippus, vt oſtenderetur ei Pater; & hoc ei ſufficere: quaſi rationem, & excuſa-

cuſationem afferret; cur hucuſque tot interrogationibus fortaſſe affeciſſet tædio Magiſtrum; & hanc in poſterum pro omnibus ſuffecturam exauditionem; vt eum amplius non ſit interrogaturus. Hoc autem modo inſcitiæ diſcutit nubes, & Philippi precationis facit ſatis Dominus. Petis, vt tibi Patrem oſtendam, dum meipſum videndum expono, & Patrem meum videre licet; imò neceſſariò videt. *Qui videt me, videt & Patrem meum.* Cur ita? Reſpondet S. Auguſt. tract. 70. in Io. *Non quod ſit ipſe Pater & Filius, quod in Sabellianis qui vocantur etiam Patripaſſiani Catholica fides damnat: ſed quod tam ſimiles ſint Pater, & Filius; vt qui vnum nouerit, ambos nouerit: ſolemus enim de ſimillimis duobus ita loqui eis; vt qui vnum illorum viderit & qualis ſit alius noſcat; vt dicamus: vidiſtis illum, illum vidiſtis: ſic ergo dictum eſt: Qui videt me, videt, & Patrem meum, non vtique vt ipſe ſit Pater, qui Filius; ſed quod à Patris ſimilitudine in nullo prorſus diſcrepet: nam niſi duo eſſent Pater, & Filius, non dictum eſſet: Si cognouiſſetis me, & Patrem meum vtique cognouiſſetis.* Hæc, & plura alia S. Aug. quibus vtique eo dixit, vt qui vident Filium, & Patrem videre apertè percipiant Diſcipuli, quia Patris Filius perfectiſſima, & adæquatiſſima eſt imago. Sed hanc Filius reddit rationem, quia *ego in Patre, & Pater in me eſt*: quia ſcilicet ego, & Pater vnius ſumus ſubſtantiæ, & ſimul mutuò relatiue inexiſtentes, & coexiſtentes perſonæ, & hoc eſt horum verborum propoſitum.

Quatuor verò hic mirificè aſſeruntur, & ſtabiliuntur veritates. Prima contra Arrianos, duas in Chriſto eſſe naturas; alteram quam oculis carneis cernebant Apoſtoli, & reliqui alij eum foris intuebantur, nimirum humanam; alteram intus qua conſubſtantialis erat patri Filius, quam ideo qui videbant, & Patrem vtique neceſſariò videbant: vnde, *Qui videt me, vidit & Patrem meum.* De prima: *tanto tempore vobiſcum ſum* (loquitur ad omnes Chriſtus, licet ſolus Philippus interrogauerat; quia eadem ignorantia omnes laborabant) *& non cognouiſtis me?* videbant humanam naturam, & non cognoſcebant Diuinam. Duæ ergo in Chriſto naturæ.

Secunda veritas contra Sabellianos, confundentes ac Diuinarum perſonarum veritatem, ac realem diſtinctionem negantes; ſic hoc loco vt vidimus, agit D. Aug. contra Sabellium: ſic ante eum Tertullianus contra Praxeam à quo Sabellius, hoc loco vrget: *Non enim*, inquit, *ego ſum Pater; ſed qui videt me, videt & Patrem meum, & ego in Patre, & Pater in me eſt*; ſic D. Baſilius contra eoſdem hom. 28. & plurimi alij.

Tertia veritas contra Arrianos, diuidentes Filij ſubſtantiam à Patris ſubſtantia, ſicque Filij Diuinitatem negantes. Primò, D. Athanaſius orat. 1. & 2. & ſerm. 1. & 2. contra Arrianos D. Cyrillus longiſſimam diſputationem Arrianorum refert, & his verbis diſſoluit. *Ego in Patre, & Pater in me eſt.* D. Irenæus lib. 5. cap. 7. ſuos Valentinianos reuincit. D. Chriſoſt. hoc loco. D. Aug. cit. loco ſupra, Beda, Theophilactus, Euthimius, Victorinus lib. 4. contra Arrianos, D. Baſilius lib. de Spiritu Sancto, cap. 8. D. Ambroſ. lib. 5. de Fide, cap. 5. ſed his diſtinctiſſimis verbis. *Ego in Patre, & Pater in me eſt*, vtuntur grauiſſimi Patres preſſius, & vrgentius ad conſubſtantialitatem Patris cum Filio tuendam. D. enim Aug. tract. 46. in Io. *Non ſic dicit Filius, in me eſt Pater, & ego in Filio, quomodo poſſunt dicere homines: ſi enim bene cogitemus, in Deo ſumus: ſi bene viuimus, Deus in nobis eſt: fideles participantes eius gratiam illuminati ab ipſo, in illo ſumus, & ipſe in nobis: ſed non ſic vnigenitus Filius ille in Patre, & Pater in illo: tanquam æqualis enim in eo, cui eſt æqualis &c.* Deinde *agnoſce proprium Domini, & munus ſerui: proprium Domini eſt æqualitas Patris: Munus ſerui, eſt participatio ſalutaris.*

D. verò Athanaſ. ſer. 4. contra Arrianos. *Eſt Filius*, inquit, *in Patre, quatenus intelligere conceditur; eo quod quicquid eſt Filius, id vniuerſum ſit proprium ſubſtantiæ Patris, veluti ex lumine proradiationem, & fluuium ex fonte; vt qui Filium videat, id videat quod eſt Patris ſuum, ac proprium, & intelligat quod filius ſit ea in eſſentia ex Patre eſſe, atque ita eum in Patre exiſtere, eſtque vice verſa Pater in Filio, eo quod, id quod eſt Patris proprium, & ſuum idipſum ſit Filius: vt in radijs ſol, mens in ratione, fons in flumine; atque ita videns Filium, videt id quod eſt proprium Patris, & intelligit Patrem in Filio. Nam cum ſpecies, Deitaſque Patris eſſentia ſit Filij; bene conſequitur, vt Filius in Patre exiſtere dicatur, & Pater in Filio, idque merito; cum antea dixiſſet, ego, & Pater vnum ſumus, ſubintulit iſta; ego in Patre, & Pater in me eſt, vt identitatem Diuinitatis, vnitate eſſentia demonſtraret*; & plurimis eodem ſermone hanc proſequitur confirmare veritatem.

Eadem vbertate eandem veritatem, eademque verba exponens D. Hilarius. 3 de Trinitate in principio confirmat. *Igitur perfectè Patris perfectus Filius, & ingeniti Dei vnigenita progenies, qui ab eo qui habet omnia, accipit omnia Deus à Deo, Spiritus à Spiritu, lumen à lumine; confidenter ait, Pater in me eſt, & ego in Patre; quia vt Spiritus Pater, & Filius Spiritus; vt Deus Pater, ita & Filius Deus, vt lumen Pater, ita & Filius lumen: ex his ergo quæ in Patre ſunt, ea in quibus eſt Filius, id eſt, ex toto Patre totus Filius natus eſt, non aliunde; quia nihil antequam Filius, non ex nihilo: quia ex Deo Filius, non ex parte, quia plenitudo Diuinitatis in Filio: neque in aliquibus, quia in omnibus.* Et pluribus alijs eodem loco, & lib. 7. eadem mirabili proſequitur eloquio. Hæc autem huc retulimus, vt quam concors ſit horum Sanctorum Patrum, horum verborum interpretatio, & conſtans, & vniſona de ijs verbis, quamque legitimè per hunc locum omnes Theologi, Diuinarum perſonarum circumincesſioeem de fide demonſtrent,

& quid

Digitized by Google

& quid ſit, & quam ob rationem ob oculos ponant, nimirum vnam perſonam alteri inexiſtere; quia vna, indiuiſaque trium diſtinctarum perſonarum eſt eſſentia; vt tandem quam eruditè D. Bonauentura docuerit ſeruandam, & indiuiſam vnitatem eſſentiæ, & inconfuſam Diuinarum perſonarum diſtinctionem, in circumincesſione nem inem lateat.

Quarta denique veritas Scholaſtica eſt, qua exiſtimo tollitur, & extinguitur lis hæc: an vna perſona ſinè alia videri poſsit, & quidem ſi conſequenter ad ea quæ Chriſtus, tumque in ijs verbis Chriſti commentatione tradiderunt Sãcti Patres, loquendum eſt: ſi qui videt Patrem, neceſſariò videt & Filium: ergo non poteſt vna perſona ſine alia videre; huius ratio Chriſti eſt; quia vna perſona eſt in alia: & huius, quia vna, eademque trium perſonarum ſubſtantia: ergo ſi perſonæ ſine ſubſtantia videri non poſſunt: ſi relatiuæ ſunt, & relationibus conſtitutæ erunt, ſimul natura, & cognitione: ſi de earum ratione eſt D. eſſentia: ergo vnam perſonam ſine alia intueri non licebit; ſi denique Deus eſt obiectum ita beatificum Animæ eum videntis, vt in ea omnino quieſcat; debet ſic videre, vt nihil remaneat quod videre deſideret: tunc enim non eſſet prorſus quieſcens, ac perfectè beata. Si tandem de eſſentiæ Diuinæ ratione eſt, vt communicetur, & exiſtat, ſubſiſtatque tribus ſubſiſtentijs relatiuis, qui videt eum vt vnum in eſſentia, videbit & trinum in perſonis. Sicut ergo repugnat Deum videre, & non eſſe beatum: ita repugnare videtur eum videre, & non ſic videre.

Quod tertiò de hac ipſa S. Io. authoritate promiſimus enucleare, nunc breuibus, quo tempore nimirum hæc quæ his, & cum terminis, verbis docuit Chriſtus, Diſcipuli perceperint. *In illo die cognoſcetis, quia ego in Patre meo &c.* Quidam de reſurrectione Chriſti interpretantur, vt D. Chriſoſtomus, Theophilactus, & alij: ſed verius de futuro in gloria ſæculo, ad integrum Chriſti diſcurſum D. Cyrillus. D. Aug. Beda, Rupertus, & alij accipiunt. Colligitur ex initij huius capitis verbis. *Iterum veniam, et accipiam vos ad me ipſum, vt vbi ego ſum, et vos ſitis*, & ex ijs, quæ cap. 16 pluribus verbis. *Modicum non videbitis me, et modicum videbitis me etc.* Vbi tandem de viſione in cælo glorioſa Chriſtum loqui conſtat: & hic ex illa particula *cognoſcetis*: non enim dicit credetis, ſed cognoſcetis, quod ad intellectus ſine enigmate viſionem ſpectat: ſic enim D. Aug. *In quo die, niſi de quo ait, et vos videbitis; tunc enim erit; vt poſsimus videre quod credimus, etiam et nunc eſt in nobis, et nos in illo*: ſed hoc nos credimus, tunc etiam cognoſcemus; quod quidem totum adhuc confirmat, quod de 4. veritate aſſeuerabamus; ad perfectam namque in cælo viſionem exigitur, Patrem in Filio videre, & Filium in Patre, & Spiritum Sanctum, hoc eſt, eſſentiam cum Diuinis perſonis diſtinctè. Quod ſi eundem locum cum D. Chriſoſtomo de tempore reſurrectionis, & Spiritus Sancti aduentu adhuc volumus exponere, nihil refert ad propoſitum noſtrum, imò vtraque expoſitio confert, vt intuenti conſtat.

Sed animaduertendum, non hoc vnico loco, quem verſauimus Io. 16. veritatem de circumincesſione firmari, ſed alio etiam, præſertim. Io. 1. *Vnigenitus, qui eſt in ſinu Dei Patris, ipſe enarrauit etc.*

CAPVT II.

An perſonæ Diuinæ mutuò ſecundum ſe totæ inexiſtunt.

CONgerunt quidam recentiores ex Sanctis Patribus plurimos modos, quibus vna Diuina perſona alteri inexiſtere declaratur; ac quidem admodum congruos, & veritatis myſterio explanando conſentaneos: an verò Theologis, qui commentationibus in hoc themate illuſtrantur neceſſarij: non adeo fortaſſe. Primò, ſicut cognoſcens in cognoſcente Io: 10. *Sicut nouit me Pater, ego agnoſco Patrem*, quod docuit S. Bonau. ſicut principium in principiato D. Thom. quæſt. 42. art. 5. ad primnm, ex D. Athanaſio ſer. 4. contra Arrianos, ex D. Cyrillo lib. 3. Theſauri cap. 1. ex D. Hilario lib. 3. de Trinit. Sicut ſimile in ſimili D. Aug. tract. 70. in Io. quemadmodum præterito capite retulimus, tam ſimiles ſunt Pater, & Filius, vt qui vnum nouerit, ambos nouerit. D. Athanaſ. ſer. contra Gregales Sabellij. Quomodo æqualis in æquali D. Aug. tract. 48. in Io *Vnigenitus Dei Filius in Patre, & Pater in Filio tanquam aqualis in eo, cui æqualis*. Ex cõſubſtãtialitate D. Athanaſ. ſer. 4. contra Arrianos, & eſt communis: ex identitate naturæ, communis pariter. Proferunt & ex pluribus plura exempla: ſed vt indicabam non forſan omnes hi modi, neque conſentiunt omnibus, quæ Theologi in hac mutua circumincesſione ediderunt, ijs præſertim, quæ de æquiparantiæ relatione inſurgente: non enim eadem, & æquiparantiæ eſt relatio, quæ ex exiſtentia principij, & principiati: neque cognoſcentis, & cogniti &c. ſed quidquid ſit,

Quod nos hic quærimus eſt: an hic modus, quo vna perſona alteri ineſt ſecundum ſe totam, nimirum an ratione eſſentiæ, & relationis vna perſona alteri inſit, vel tantum ſecundum eſſentiam: duobus enim modis aliquid in alio exiſtere poteſt, vel ſecundum ſe totum, & per ſe primò, ſicut aqua in vaſe: vel ſecundum partem, quemadmodum auis in laqueo. Henricus, vt refert, & impugnat Scotus perſonam vnam non eſſe in alia, niſi ſecundum partem, liceat ſic dicere, ſcilicet ſecundum eſſentiam: ſi enim etiam ſecundum relationem, tunc Paternitas eſſet in Filio, & conſequenter Pater eſſet Filius. Durandus quoque 1. ſent. diſt. 19. parte 1. quæſt. 1. eandem ſent. his confirmat rationibus. Prima. Eſſe in vno, & in quo aliud ita opponuntur: ſicuti eſſe ab alio, & à quo aliud: ſed nihil ſecundum idem, & ſecundum eandem rationem eſt ab alio, & à quo aliud: ergo neque vnum ſecun-

dum

dum eandem rationem eſt in alio in quo aliud: ergo Pater non eſt in Filio, neque Filius in Patre ſecundum relationem. Secundò. Pater & Filius ſecundum relationem opponuntur: ergo ratione illius non eſt vnus in alio. Probo conſequentiam: nam illa quibus mutuò inexiſtunt neceſſariò ſunt communia.

Sed communis, & certior opinio S. Bon. vt collegi in textu in primis S. Thom. Scoti, & aliorum, eſt oppoſita: perſonas, inquam, mutuò ſecundum ſe totas inexiſtere, colligitur apertè ex Sanctis Patribus, ex D. Fulgentio, vt in textu, ex D. Anſelmo in Monologio cap. 57. *Totus Pater eſt in Filio, & in communi Spiritu, & Filius in Patre, & eodem Spiritu, & idem Spiritus in Patre, & Filio; quia memoria ſummæ eſſentiæ tota eſt in eius intelligentia, & amore, & intelligentia, & memoria in amore, & amor in memoria, & intelligentia.* Ex D. Damaſceno lib. de fide cap. 9. *Quemadmodum lux ab igne ſemper gignitur; ſemperque in ipſo eſt, & nequaquam ſeparatur ab eo: hunc in modum & Filius à Patre gignitur, & nequaquam ab eo ſeparatur, ſed ſemper in eo eſt.* Ex D. Ambroſio in Hymno quem ſuſcipit, & canit Eccleſia. *In Patre totus Filius, & totus in verbo Pater.* Denique euidentius, & clarioribus verbis ex D. Hilario lib. 7. de Trinitate. *Vnigenito Deo proprium eſt, & verè natiuitatis fides iſta eſt, & ſpiritualis virtutis hoc opus eſt nihil differre, & eſſe, & ineſſe. Ineſſe autem natura aliud in alio, vt corpus in corpore; ſed ita ineſſe, ac ſubſiſtere, vt in ſubſiſtente inſit; ita verò ineſſe, vt ipſe ſubſiſtat.* Ratio verò horum hæc in primis eſt. Diuina perſona producitur diſtincta quidem ſecundum relationem oppoſitam, tamen per actum immanentem, & intra producentem: ergo producta remanet ſubſiſtens in producente, & perſona producens, vt diſtincta producit, ac ſuam eſſentiam retinendo communicat diſtinctæ perſonæ: ergo vt ſic, eſt in perſona producta.

At verò rem ſolertius penſitando, huius totius perſonæ inexiſtentiæ ratio, ſola ſit vnitas eſſentiæ, ac perſonarum conſubſtantialitas, indicata ab omnibus iam ante relatis Patribus, ac Theologis: à nulloque Catholico negata, cum enim relationes idem realiter, ac formaliter ſint cum eſſentia, neceſſariò vbi eſſentia, erunt & relationes; erunt ergo mutuò in ſingulis perſonis ratione identitatis naturæ, quæ vna in ſingulis perſonis eſt. An verò etiam relatio, qua & eſſentia conſtituitur perſona, ſit ratio huius mutuæ circumincesſionis; vt quemadmodum ſecundum eſſentiam, ſic ſecundum relationem ſicuti ineſt, ita ſit inexiſtentiæ ratio; & hoc inquirit quidem Scotus, non ſolam eſſentiam eſſe rationem hanc inde colligit: nam tunc ſequeretur eodem modo in perſonis Diuinam eſſentiam ineſſe, quo perſona in perſona; quod tamen falſum eſt: nam perſona in perſona eſt, vt ſuppoſitum in ſuppoſito; eſſentia verò vt natura in perſona; ſed quod etiam cum eſſentia interueniat & relatio, hinc liquidò patet: nam primò, ſicut ex D. Bonauentura de ratione inexiſtentiæ eſt, non ſolùm ſubſtantiæ vnitas, ſed perſonarum inconfuſa diſtinctio: ita fermè ratio diſtinctæ perſonæ alteri inexiſtentis, eſt etiam diſtincta relatio: & ſicut de ratione Diuinæ perſonæ eſt, vt per intellectum, & voluntatem producatur; ita idem de ipſarum ratione eſt, vt ſic diſtinctæ inexiſtant: exemplum refert Scotus de ſimilitudine, quæ nedum identitatem qualitatis ac præſertim requirit; ſed etiam diſtinctos terminos, qui ſimiles denominentur: eodem modo Diuinæ perſonæ, primò quidem per vnitatem eſſentiæ inexiſtunt; vt diſtinctæ tamen quoque in eadem eſſentia omnino ſimiles.

Idem S. Th. vt conſtitit, vbi & rationē relationis; quia & vna ſine alia cognoſci non poteſt; & origine, & ratione eſſentiæ vnam in aliam exiſtere docuit. Idem Riccardus his verbis, vna perſona eſt in alia, & per eſſentiæ vnitatem, & per perſonarum diſtinctionem. Res eadem poteſt alijs rationibus confirmari, quas vterque S. Doctor reddiderunt; vna perſona eſt in alia, vt cognitum in cognoſcente, vt productum in producente: ergo vt diſtincta; hæc tamen poſtremo loco ſubijcienda fortaſſe tanquam adæquatior, vna perſona alteri inexiſtit per intimam inter ſe præſentialitatem; ſed non minus præſens ratione Diuinæ relationis, quam naturæ: ergo. Probatur minor. Non minus immenſa relatio, vt ſit vbicumque eſſentia, & alia perſona, quam ipſamet eſſentia. Denique ſi dumtaxat ratione eſſentiæ, tolleretur omnino circumincesſio, cuius eſt, vnam perſonam mutuò in aliam exiſtere; quod tamen tolli non poteſt, & ex modo dicendi Patrum, & Theologorum, & ex Diuina Scriptura Io. 14. *Qui videt me, videt & Patrem meum*, quo deducitur: ergo vna perſona vt diſtincta, eſt in alia: nam vt ſic viſa vna, videtur & alia in qua eſt: ſi enim tantum ratione naturæ vna eſſet in alia, non eſſe vt perſona, ſed vt natura. Aſſerendum ergo vnam perſonam, & ſecundum ſe totam alteri perſonæ ineſſe, & ſecundum ſe totam eſſe rationem inexiſtendi, licet proximum, & immediatum fundamentum ſit communis eſſentia. Quæ tamen omnia dicta, hoc limite ſint interpretanda; vt dum in Diuinis perſonis partes ratiocinando protuli, non inde liceat deducere compoſitas eſſe ex partibus, ſed ſimpliciſſimæ confitendæ ſunt &c.

Ad id verò quod ex Henrico opponebatur, facilis reſponſio: negatur enim eò quia Pater eſt in Filio, inde ſequi, ergo Pater eſt Filius: non enim ineſt ſicut forma inhærens; ſed ſicut ſubſiſtens diſtinctum in ſubſiſtente, vt inter alios dicebat D. Hilarius.

Ad Durandum, ad primam rationem poteſt negari maior, & dici nullum eſſe inconueniens in genere hoc præſentiæ, quod eadem relatio ſit id, quod eſt in alia, & in quo alia; quia eſt ſimilis denominatio in vtroque extremo, & vnum, & idem fundamentum ſecundum naturam.

Ad ſecundum quoque, eſſe oppoſita non obſtare, quin ad inuicem ſint præſentia, & inexiſtant ſicut productum in producente. Tertium, quod ipſe Durandus addit: illud in quo aliud debet illud excedere falſum eſt, & haud quaquam ad rem propoſitam

poſitam: nam à Theologis vnam perſonam in alia exiſtere ratione ſummę æqnalitatis. Illud denique quod ait commune eſſe perſonis mutuò inexiſtere: ergo non ſecundum propria inexiſtunt, videtur ridiculum: commnne enim eſt, vt quælibet perſona, etiam ſecundum propria inęxiſtat.

An Diuinæ Perſonæ ſint æquales in potentia. Articulus, & cap. 6. D. Bonauentura, diſt. 20. quæſt. 1. & 2. Diuus Thom. art. 6.

PARAPHRASIS.

PRIMA Propoſitio. ex quaſt. 1. Omnes tres perſona ſunt aquales in potentia ad quodcumque producibile. Probatur, quia potentia bac eſt pradicatum eſſentiale, ratione cuius dicuntur aquales: ergo aqualiter in omnibus: nam vna in omnibus eſſentia. Hinc confirmatur, & probatur conſequentia. Quacumque eandem babent naturam, eandem quoque babent potentiam naturalem: ſed Diuina perſona eandem babent naturam: ergo & potentiam: ergo in ea aquales. Colligitur aperte ex D. Io. 7. Quæcumque Pater facit, hæc omnia Filius ſimiliter facit; *binc Filius babet eandem operationem, quam Pater: ergo & eandem potentiam. Sapientia 18. Filius eſt omnipotens;* Omnipotens ſermo tuus Domine: *ergo poteſt quacumque poteſt Pater.*

Secunda Propoſitio, ex reſponſione ad argumenta poſſe Patrem producere Filium, quem non poteſt Filius, neque Spiritus Sanctus, non tollit aqualitatem perſonarum in potentia. Probatur primò. Quia ſola potentia eſſentiali, perſona dicuntur aquales in potentia. Poſſe verò perſonas producere non eſt eſſentia, ſed perſona.

Tertia Propoſitio, ex quaſt. 2. Aequè nobilis, ac perfecta eſt potentia Filij, quam Patris, & Spiritus Sancti; & aquè perfecta, vt & ſub bac ratione ſint aquales. Probatur primò, Chriſtus Patris Filius, eſt Dei virtus, *ex D. Paulo: ergo aquè potens, ac Pater. Probatur conſequentia: nam non poteſt Pater eſſe ſua virtute potentior. 2. Io. 1.* Omnia per ipſum facta ſunt: *ergo verbi potentia infinita: ergo Pater non poteſt perfectiorem illa babere. Tertiò. Dixit; Filius, & facta ſunt, vt conſtat ex multis Euangeliorum locis, & miraculis patratis: ergo Filij potentia nibil poteſt reſiſtere: ergo neque Pater eſt potentior illo. Quartò. Eadem, ac aquè nobilis natura eſt in ſingulis perſonis: ergo eadem virtus, ac perfectio naturalis.*

Quarta Propoſitio, ex reſponſione ad argumenta. Licet Filius ſit à Patre, & à Patre recipiat vt poſſit, & Pater perſe, & per Filium poſſit; non inde tamen rectè, Pater Filio potentior nuncupandus: nam bae dicunt originem perſona, & auctoritatem quidem, & ſubauctoritatem; tamen & eandem ſubſtantiam ſimul communicatam, & ſubinde eandem ſubſtantialem virtutem, ſecundum quam dicuntur aquales.

COMMENTARIVM.

QVOD hoc poſtremo loco à Sanctis Doctoribus proponitur diſceptandum, eſt vnum ex tribus in argumento D. Aug. ad ſummam Diuinarum perſonarum confirmandam æqualitatem propoſitis: erant enim æquales æternitate, magnitudine, & potentia. De potentia igitur neceſſariò hoc loco eadem firmitate, ex ea demonſtratur æqualitas, æquè ac ex æternitate, & magnitudine demonſtrata eſt.

Gemino autem ex capite S. Doctor hoc præſtare contendit, & egregiè obtinet. Ex obiecto potentiæ, quod *poſſibile eſt abſolutè* ſumptum; vt opponitur neceſſario, vt ſumunt Auicenas 6. Metaph. referente, & approbante Scoto hac diſt. Primò ex Diuinis literis. Secundò, ex validis rationibus. ex 1. capite Io. 5. *Quaecumque facit Pater, & omnia ſimiliter Filius facit*, & eodem capite idem alijs verbis ſæpe repetit, hancque orthodoxam veritatem promit, ſe æqualem eſſe Patri, in operando, ac in operandi potentia. Dixerat ſupra ad reprimendam obiectam ab Hebræis calumniã de violatione ſabbati, dum eo die Paraliticum ſanauit. *Amen Amen dico vobis, nõ poteſt Filius à ſe facere quicquam, niſi quod viderit Patrem facientem*; quaſi diceret: calumnia hæc in Patrem cedit: nam quidquid facit Filius habet à Patre, vt faciat, & non facit Filius, niſi videret Patrem facientem, hoc eſt, ſi enim cum Patre facio, à quo recipio poteſtatem vt faciam; qui me arguit, Patrem ipſum arguit, poteſtate cuius, & virtute Paraliticum ſanauit, & per illam particulam *ſimiliter*, mirè futuram Arrianorum hæreſim repellit: dicturi enim erant, Filium quidem quæ Pater facit, facere; non inde tamen colligi Patri eſſe ęqualem: nam Patri cooperatnr Filius, vt ipſius Patris miniſter: repellit, inquam, ac eorum blaſphemum os obſtruir, dum quæcumq; facię Pater, hæc & Filium *ſimiliter*, nimirum eadem poteſtate facere: quibus æqualis Filius Patri in virtute, & potentia operandi oſtenditur.

Hæc refert, & teſtatur D. Athanaſ. in Diſput. cum Arrio in Conc. Nicæno, & optima deductio eſt: ſi omnia facit Filius, quæ facit Pater, & eodem modo: ergo Pater non facit Filium tanquam creaturam: quia tunc aliquid feciſſet Pater, quod non fecit Filius; qui tamen dicit ſe omnia facere, quæ facit Pater: & Filius ſi factus, nõ poſſet facere, quæ facit Pater *ſimiliter*, repugnaret enim ei tãquam creturæ. Hoc ergo loco arguit S. Doct. Filius habet eandem operationem, quam habet Pater, eundemque operandi modum: ergo eſt ei æqualis in potentia.

Præterea eadem firmitate, ex Sapientiæ 18. *Omnipotens ſermo tuus Domine*, quem locum de Filio interpretatur Eccleſia, in ſolemnitate Natalis Domini noſtri, in Dominica infra octauam. *Omnipotens ſermo tuus de regalibus ſedibus venit*. Sumit inde argumentum S. Doctor. Omnipotens eſt Filius: ergo æqualis Patri; nam repugnat dari maiorem potentiam, quam ſit omnipotentia; & eſt argumentum valde ad rem. Quod enim videtur hanc offuſcare æqualitatem eſt Filius, qui & humanitate depreſſus, viſus eſt ſimpliciter minor factus Patre; & multis locis, ſe à ſe non poſſe facere quicquam, omnia à Patre accepiſſe &c. quibus ſe Patre inferiorem videtur conſtituere, quibus locis ſatis certò fit. Qui ergo æqualem Patri demonſtrat Filium, æqualitatem perſonarum demonſtrauit: nam eadem ratio eſt de Spiritu Sancto.

Vrget vehementer conſimili loco S. Aug. Maximinum hæreticum lib. 3. contra ipſum cap. 14. *Omnia quæ habet Pater mea ſunt, nihil*, inquit, *habet Pater, quod non habeat ille qui dicit, omnia quæ Pater habet, mea ſunt. Nam ſi minus habet in poteſtate, quam Pater; non ſunt eius omnia, quæ habet Pater*: ſed eius ſunt omnia, quæ habet Pater: tantam ergo habet poteſtatem Filius, quantam Pater: æqualis ergo eſt Patri &c. Deinde obiectionem hæretici ſoluit. Pater potens potentem genuit Filium; ſed omnipotens Pater, non omnipotentem Filium; ergo falſum eſt quod ait, Filius omnia quæ habet Pater, habet & Filius: non enim habet omnipotentiam Patris. Pluribus eandem veritatem proſequitur; vt refert etiam Magiſter, & denique peracutè tollit hæretici geminum cauillum. Primum. Si non æqualem genuit Filium, aut quia noluit, aut quia non potuit: ſi primum, ergo Pater inuidus: ſi ſecundum, vbi omnipotentia Dei Patris? qua conuincit hæreticum, dum de Filio blaſphemat, de Patre ſimul blaſphemare. Alterum. Concedo Patrem Filio communicaſſe omnipotentiam; quo tamen Pater à ſe, Filius à Patre omnipotens eſt, eo Pater maior eſt Filio. Cogit S. Aug. hæreticum cap. 28. fateri ſe mutare quæſtionem, ac de inſcitia conuincit. Origenis quæſtio iſta eſt. Quis de quo ſit: æqualitatis autem, qualis, & quantus: & cap. 14. ad Origenem pertinet quæſtio, qua quæritur. Quis de quo ſit: ad æqualitatem verò illa, qua quæritur, qualis, ac quantus ſit. Neque cum dicitur, Filius à Patre genitus, oſtenditur inæqualitas ſubſtantiæ; ſed ordo naturæ, non quo alter prior eſt altero; ſed quo alter ex altero eſt: quaſi hæretico obiiciat: *Nutas, & neſcis, ac ex quæſtione in quæſtionem tranſis, & dum nulli veritati niteris, nullius quæſtionis ſolutionem percipis; ſed quaſi fluctus maris hinc inde vagaris*.

Rationibus ſecundo loco pugnat S. Doctor. Eadem eſt natura in tribus perſonis, eademque eſſentia: ergo eadem virtus, & potentia. Antecedens iam pluribus ſuis locis demonſtratum eſt. Conſequentia verò probatur: nam potentia, qua perſonæ ſunt æquales, non eſt notionalis ac perſonarum propria; ſed eſſentialis, & ideo communis: quod plurimum refert ad ſoluendas oppoſitas rationes: & nos etiam ſupra cum de potentia generandi Patris, cum pluribus Theologis, præſertim cum Sancto Doctore, & S. Thom. fideliter expoſito docuimus. *Omnipotentiam Dei non comprehendere generandi, & ſpirandi ad intra potentiam; neque æquales perſonas dici, niſi per potentiam eſſentialem, quæ eſt omnipotentia*: ratione enim identitatis, & communitatis eſſentiæ æquales, & ſimiles dicuntur perſonæ: quare, quod Pater generet, non autem Filius, neque Spiritus Sanctus, haud quaquam æqualitas impeditur, ad ipſam quippe non ſpectat: quod hac quæſtione explicatiſsimè docet, & animaduertit in corpore, & ad argumenta.

D. verò Thom. hic art. 6. ferè eodem argumento arguit, quo ſimul ordinem declarat: quare extremo loco æqualitatis probandæ potentiæ æqualitatem diſtulerit: ſic enim ratiocinatur. Filius eſt æqualis Patri in potentia. Probatur. Ratio Paternitatis, & Filiationis exigit æqualitatem in magnitudine, & perfectione: ergo etiam æqualitatem in poteſtate. Antecedens conſtat ex art. 4. Pater enim ab æterno æqualitatem & perfectiſsimam imaginem genuit. Probatur ergo conſequentia: nam potentia ſequitur perfectionem naturæ, & conſtat etiam ex perfectione creaturarum: quantò enim aliquid eſt perfectioris naturæ, tantò maioris virtutis in operando; ſed adhuc eò verius in Deo, quò Dei virtus eſt ita eſſentialis, vt ſit ipſamet eſſentia. Hæc porrò veritas, nulla alia indiget commentatione, aut confirmatione: adeo enim patens, ac certa veritas, vt ſit de fide. *Omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus Sanctus; non tamen tres omnipotentes, ſed vnus omnipotens*: quibus & omnipotentiam eſſentialiter prædicari, neque ad propria ſpectare; ſed ad vnum Deum etiam oſtenditur.

Reliquum igitur tantummodo eſt; vt ad aliud genus arguendi accedamus, quod quæſt. 2. proſequitur S. Bonauentura, quem diſtinctum modum poſtea imitati ſunt inter alios, & Riccardus, & Scotus & Argentinas, & Biel: Eadem eſt natura, & ſubſtantia, & eadem perfectione communicata Filio, & Spiritui Sancto quæ eſt in Patre: ergo eadem, & æquè nobilis, & intenſa virtus, ac potentia operandi. Efficaciſsimum argumentum à priori ex identitate naturæ deductum, & incidit cum omnibus prioris generis argumentis, & inprimis deſeruit ad confirmanda argumenta ex intenſione, & extenſione potentiæ elicita. Vehementius confirmatur ex illo Diui Ioan. loco ſupra verſato. *Quidquid facit Pater, & Filius ſimiliter facit*: ergo Filius eandem perfectionem potentiæ habet, quam & Pater. Et ex illo loco, *Omnia quæ habet Pater, mea ſunt*: ergo & perfectio potentiæ. Filius eſt omnipotens: ergo æquè perfectus, ac Pater &c. atque ita

de

Digitized by Google

de fide hæc veritas æquè ac ſuperior, imo eadem veritas: ergo ſiuè intenſiuè, ſiue extenſiuè ſumatur potentia in Diuinis, æqualis eſt in omnibus perſonis; ita docet fides: potiſsima verò ratio ſumitur ex identitate naturæ, eadem perfectione in omnibus perſonis, cui eſſentialis eſt potentia.

Oppoſita argumenta nunc quemadmodum ſoluat S. Doctor, animaduertendum.

Primum. Potentia Patris ſe extendit ad creaturam omnem, ſicut & potentia Filij: ſed Patris ad increatum, ad quod non potentia Filij: nam ad generandum Filium, quod non poteſt Filius; ergo inæqualis. Reſpondetur, negandam conſequentiam: nam potentia generandi non ſpectat ad eam rationem potentiæ, qua Diuinæ perſonæ ſunt æquales, ſcilicet ad eſſentialem, ex D. Aug. in comment. & in text. Magiſtri. Potentia generandi indicat originem; Potentia verò creandi quantæ, & quales perſonæ ſint, nimirum æquales. D. Thom. ex abundanti in reſponſione ad tertium; neque hoc etiamſi perſonæ diſtinctæ, diſtinctas potentias, & notiones habeant, facit eas inæquales, ſed diſtinctas: eadem enim eſt potentia qua Pater generat, & qua Filius generatur, licet diſtincta relatio; ſicuti eadem eſſentia Paternitas in Patre, & Filiatio in Filio.

Secundum. Filius, & creatura ſunt aliud, & aliud: ergo aliud, & aliud poteſt producere Pater, quod non poteſt Filius. Conceditur antecedens, negatur conſequentia. Non enim Filius eſt aliud productum: nam non generatur eſſentia, & natura, ſed perſona. Vitioſa autem eſt illa conſequentia, qua fit tranſitus à quid, in ad aliquid vt teſtatur etiam S. Thom. ead. reſponſione ad tertium. Quod verò in eadem conſequentia addatur: non poteſt Filius generare, neque æqualitatem tollit, vt ſupra oſtenſum eſt: ad hoc enim negatiuè ſe habet, neque ad Filium ſpectare poteſt, ſicuti neque ac Patrem, quod poſsit eſſe Filius: hoc enim eis euenit ex proprietate perſonæ, vt diſtinctæ: nec quicquam ad ſuum eſſe dicitur habere potentiam: quare ſi Filius poſſet generare, ad ſuum eſſe potentiam haberet: tunc enim eſſet Deus Pater. Supponitur namque in Diuinis repugnare plures poſſe eſſe Filios.

Tertium, & eſt eiuſdem ponderis, quam ſecundum. Pater ſolus ſine Filio poteſt perſonam producere, & creaturam ſicuti Filius: ergo plura quam Filius, ipſoque potentior. Negatur prima conſequentia: non enim plura poteſt, quia Filium producit. Ex reſponſione ad ſecundum negatur etiam ſecunda conſequentia; nam ſophiſma committitur, & fit tranſitus à diuerſa ratione potentię ad diuerſam, à relatiua ſcilicet ad abſolutam; & abſoluta ſola facit æquales; relatiua verò diſtinctas perſonas. Eadem eſt vis 4. argumenti, & reſponſio: ideo ad argumenta ſecundæ quæſt. quorum ſecundum: primum enim facillimum eſt.

Pater eſt primum principium, non autem Filius, neque Spiritus Sanctus: ergo magis influit, & potentior eſt. Antecedens eo conſtat, quo, & Patrem eſſe primam perſonam. Conſequentia verò probatur, & multis locis à D. Bonauentura: eſt enim ei familiare argumentum. Omnis cauſa prima magis influit, quam ſecunda: influit enim & in ſecundam, & in ea in quæ & ſecunda, & vim influendi ſecunda cauſa recipit à prima. Reſpond. diſtinguendum antecedens. Primum namq; duobus modis ſumitur; aut vt ſit primum tantum in ordine, in eadem tamen ſubſtantia; aut primum in diſtincta, & diuerſa ſubſtantia: tunc primo modo ſumptum primum, nequaquam magis quam ſecundum influit: nam ſecundum eſt primo conſubſtantiale, & eiuſdem virtutis ad influendum; Secundo verò modo conceditur conſequentia: efficacior enim prima cauſa, quam ſecunda. In re autem noſtra, Pater in Diuinis eſt in eadem ſubſtantia primus dumtaxat ordine, & relatione; quare, neganda conſequentia, aſſerendumque ſecundam, & tertiam perſonam conſubſtantiales primæ, non minus efficaces quam prima.

Tertium Argumentum, & primum S. Thom. Filius non à ſe, ſed à Patre habet potentiam, & Spiritus Sanctus à Patre, & Filio: ergo minoris, & inferioris virtutis, quam Pater. Antecedens eſt D. Io. *Non poteſt Filius à ſe facere quicquam, niſi viderit Patrem facientem*. Conſequentia verò ex ſe videtur conſtare: nam quod habet à ſe, multo melius videtur habere, quam ſi ab alio receperit. Reſpondeo, ſi Filius haberet ab alio, hoc eſt ab alia, & diſtincta ſubſtantia, minoris certè eſſet virtutis: nam non per ſe, neque per eſſentiam, ſed per participationem haberet; at verò habet ab alia perſona in eadem ſubſtantia, quod imò eandem virtutem neceſſariò ponit: neganda ergo conſequentia ex antecedentis diſt. Ad locum D. Io. reſpondetur, non negari in Filio eandem perfectionem, quod ex ſtatim ſubiectis verbis liquidò colligitur. *Quæcumque facit Pater, hæc, & Filius ſimiliter facit*; ſed indicari originem, vnde Filius hanc perfectionem habeat, ſcilicet à Patre, & mutari queſtionem &c. habet enim à Patre quidem, quia ſecunda perſona eſt; eandem tamen habet perfectionem, quam Pater: nam & eandem naturam habet. Non igitur his verbis Filius ſe ipſum Patre infirmiorem facit, ſed ſolitudinem excludit, & originem fatetur: non enim ſolus Filius ſine patre facit; quia vna, eademque cum Patre operandi virtus; ſicuti eadem ſubſtantia: à Patre enim recipit omne quod eſt, & omne quod habet.

Plurimi SS. Patres hoc loco vſi ſunt ad varias aſſerendas, ac ſtabiliendas veritates de Diuinarum perſonarũ æternitate naturę, & proprietatum diſtinctione. D. enim Greg. Nazz. orat. 4. Theologiæ, inde colligit eandem eſſe Patris, & Filij auctoritatẽ. D. Baſil. in Apologia de ſua diſceſsione quæ eſt epiſt. 141. eandem eſſe naturam, & ſubſtantiam vtriuſque. D. Hilarius lib. 7. & 8. de Trinit. D. Auguſt. tract. 20. in Io. originem, ac generationem Filij à Patre. D. Ambr. lib. 4. de fide

cap. 2. Arrianorum errorem, & oppoſitam veritatem: Arriani namque aſſerebant. Si Filius non facit, niſi quod viderit Patrem facientem: ergo minor eſt Patre: nam ab ipſo ceù Diſcipulus facere dixit, quod idem obſeruauit: & D. Nazzianzenus indicato loco; ſed perperam, & iniquè Arriani; non enim dicitur Filius ſimilia facere, quæ facit Pater, tamen diſtincta ab ijs quæ Pater facit; ſed eademnumero quæ Pater facit, facit & Filius, & eodem modo, quia eadem virtus, eadem ſubſtantia in tribus, vnde vnum efficiens. D. Denique Athanaſ. ſer. 4. contra Arrianos his, ſimilibuſque verbis Dominum vſum ad ſuam demõſtrandam Diuinitatem, eandem cum Patre, & contra Sabellianos ad perſonarum diſtinctionem teſtandam; ſed obſeruanda illa vox, *Viderit Patrem facientem*, qua ſe verbum Patris declarat, nempe videns, ac cognoſcens, & eadem ſcientia cum Patre operans.

Quartum Argumentum. Pater per ſe, & per Filium operatur; Filius non operatur per Patrem, neque Spiritus Sanctus per Filium: ergo Pater potentior. Antecedens eſt notum; tum quia ſicut Pater à ſe, ita per ſe operatur, & Io. 1. per Filium; *Omnia per ipſum facta ſunt*. Conſequentia videtur certa: nam plura poteſt qui per ſe, & per alium, quam qui per ſe ſolum operatur. Reſponderi poteſt vnico verbo: omnia vera forent, ſi quod operatur, & per quod differrent ſubiecto, & ſubſtantia: tunc enim quod per ſe operatur, domini habet in id per quod operatur ceù in inferius, & in operando dependens: verùm quia Pater relatione tantum, non ſubſtantia à Filio differt, Filiuſq; non inferior, neque vt inſtrumentum operatur cum Patre; ſed vt æqualis, ac conſubſtantialis perſona, eadem numero virtute; neganda, & interimenda conſequentia, & conſtat rectè ex legitima illorum verborum explicatione; *Omnia per ipſum facta ſunt*, quam alio loco tradidimus, & ad eandem veritatem Filj in operando cum Patre teſtandam: & niſi obſtaret originis ratio, poſſet æquè dici Filium operari per Patrem: æquè enim & ad inuicem ſunt conſubſtantiales: ſic verò dicitur non oppoſito modo, vt hic indicat Sanctus Doctor propter auctoritatem, & originem; quæ tamen Patrem neque maiorem, neque meliorem facit.

De ſimilitudine Diuinarum perſonarum. D. Bonau. diſt. 21. cum reliquis Doctoribus.

Adhuc ad æqualitatem Diuinarum perſonarum demonſtrandam duo capita reliqua ſunt, alterum ex ſimilitudine, alterum in Diuinis perſonis inueniatur totum vniuerſale, pars, genus, ſpecies, principium materiale, numerus; quæ dum explicantur, magis exquiſitè ſumma æqualitas elucescit. Tertium verò poſtea remanet ordine Ariſtotelico: quid hæc tum æqualitas, tum ſimilitudo in Deo ſint?

De primo D. Bonauentura diſt. 21. cum reliquis ſententiarijs; vbi tamen ſupponens perſonas ſimiles, quid ſit iſthæc ſimilitudo pluribus ediſſerit: nobis hoc loco demonſtrandum.

Sed prænotandum primò ex D. Thom. in 1. ſent. diſt. 19. art. 1. ad tertium. Magis propriè dici, & admitti ſpecies qualitatis in Deo, quam quantitatis: ſunt enim aliquæ ſpecies, quæ propriè etiam ſpirituali naturæ conueniunt, ſicuti ſapientia, cæteræque virtutes, ac ideo minus translatè perſonæ Diuinę dicuntur ſimiles, quam æquales: ita tamen ſunt ſimiles, vt & hæc perfectionum, & virtutum ſimilitudo tranſeat in ſubſtantiam; vt quemadmodum ex D. Auguſt. 7. de Trinitate, *Non alio magnus, alio Deus, ſed eo magnus, quo eſt Deus*: Quia non aliud illi eſſe magnum, aliud eſſe Deum; *ita non alio ſimilis, alio Deus*; vnde ſequitur eadem magnitudo, eadem eſſentia, eadem virtus, & ſimilitudo. & D. Hilarius 7. de Trinitate. *Per naturæ vnitam ſimilitudinem &c.* Secundò, æqualitatem præſupponere ſimilitudinem: ideo enim æquales dicuntur perſonæ, quia omninò ſimiles, virtute, magnitudine, & perfectione; quæ vt virtutes ad modum qualitatis concipiuntur; vnde oritur ſimilitudo, & addere ſimilitudini omnimodam æqualitatem: poſſunt enim aliqua quidem eſſe ſimilia; vt equaliter tamen non participent qualitatem illam, in qua conueniunt; ſed vnum magis, alterum verò minus, vnum per eſſentiam, alterum per imitationem, & quandam participationem; ſed vt ſint æqualia, requiritur omnimoda, & æqualis ſimilitudo. Verba S. Thom. Cum enim in Diuinis non ſit quantitas niſi virtutis, quæ fundatur in qualitate, & virtute talis quantitatis, ponitur vnitas qualitatis, & priuatur intenſionis exceſſus, vt patet: quia quæcumque æqualia ſunt, in colore ſunt & ſimilia, ſed non conuertitur: poſſunt enim eſſe ſimilia, neq; tamen æqualia.

Secundò præmittendum, à quibuſdam Sanctiſſimis Patribus tempore Conc. Niceni, & durante Arrianorum errore, negari dicendum, Filium ſimilem Patri, prohiberique ad inuicem perſonas nuncupandas ſimiles, vt præſertim legere licet in Epiſtola D. Athanaſij de Synodis Ariminenſi, & Seleucienſi. *Cum natura, talis ſit Filius, non participata, nunquam propriè ſimilis ſubſtantia dici poterit, ſed conſubſtantialis; quod de alijs dici non conuenit: demonſtratum enim eſt ſimile de ſubſtantijs dici non poſſe*. Et ex Epiſtola D. Baſilij 141. ad Cæſarienſ. *Nos*, inquit, *ſecundum veram rationem, Filium Patri neque ſimilem, neque diſſimilem eſſe dicimus: vtrumque enim æquè impoſſibile: ſimile namque, ac diſſimile ſecundum qualitatum rationem dicuntur. Numen autem Diuinum, qualitate obnoxium non eſt: & Epiſt. 82. Macedonianos non diſceſſiſſe ab Arrio*; quia tantum ſimilitudinem eſſentię inter

inter Patrem, & Filium admittebant. Idem D. Epiphanius hæreſi 73. Theodoretus lib. 2. hiſt. cap. 6.

Sed ſedulo animaduertendum, prædicatum ſimilitudinis non abſolutè explodi à Diuinis perſonis, cum id à reliquis Sanctis Patribus ijſdem vbique tribuatur, & apertè ex Diuinis literis colligatur; ſed id ab illis vetitum, ne cum quibuſdam tunc temporis hæreticis ſemiarrianis conuenirent. Quidam etenim perditiſsimi eius ætatis homines; vt negarent identitatem naturæ Diuinarum perſonarum, & conſubſtantialitatem profligarent, non Homouſion, ideſt, eiuſdem ſubſtantiæ, ſed Homiuſion, nimirum ſimilis ſubſtantiæ Filium Dei nuncupabant; vt ipſum Dei Filium ita Patri ſimilem dicerent, vt ſimilem in ſubſtantia; diſtincta tamen, originum participatione, animi conſenſione, voluntatis conformitate &c. Quo circa Patres, ne in termino (ſimilis) corrupta, ac hæretica mente prolato conuenirent (Hæreticum enim erat hoc ſenſu uocare Filium ſimilem Patri) à Catholicis abſtinendum docuerunt. *Simile non de ſubſtantijs*. Eodem loco D. Athanaſius. *Sed de figuris, & qualitatibus dicitur: ſiquidem in ſubſtantijs non ſimilitudo, ſed identitas eſſe pronuntiatur*: ergo Patribus non diſplicebat perſonas vocari ſimiles, ſed ſimiles, & diſtinctæ ſubſtantiæ; & ne hanc hæreticam ſimilitudinis rationem approbare viderentur, ab illa voce tunc abſtinendum conſentaneè duxerunt: illud tamen profitentes, Diuinas perſonas hoc ſenſu dicendas ſimiles omnino, propter vnam, eandemq; numero naturam, qua & æquales dicuntur: fundamentum, identitatis vna ſubſtantia, æqualitatis vna quantitas; ſimilitudinis vna qualitas: at in Deo eo ſimilis, & eo magnus, quo Deus; vt quantitas, & qualitas ibi ſint eſſentialis perfectio infinita.

Exeant ergo Anomæi, hoc eſt, hæretici diſſimiles, negantes ſimilitudinem Diuinam conſubſtantialitatis in Diuinis; accedant vero orthodoxi, ac fideles Catholici, profitentes, *qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus Sanctus*, in re alia.

Simile accidit temporibus D. Damaſceni. Erant hæretici nomenclantes Sanctiſsimam Mariam Matrem Chriſti, ne Matrem Dei nomenclarent. Negabat S. Damaſcenus dicendam Mariam Matrem Chriſti, non quia falſum, ſed quia falſa, & praua mente prolatum; vt negarent Matrem Dei, & illius Matris Filium eſſe Deum. Vrgebat ille non Matrem Chriſti, ſed Dei dicendam donec extincta hæreſi, liberè vtrumque poſtea diceretur.

His ſuppoſitis, & animaduerſis probandum Diuinas perſonas adeo eſſe ſimiles, vt ſint æquales propter identitatem naturæ, & primò omnibus illis locis, & rationibus quibus ſupra æqualitas demonſtrata eſt: ſi enim omnipotens Pater, omnipotẽs Filius, omnipotens Spiritus Sanctus: ſi omni ſciens Pater &c. ergo ſummè æquales, ergo infinitè ſimiles. Et ſi per omnino æquales propter eandem eſſentiam perfectam: ergo itidem prorſus ſimiles propter eandem numero naturam, & ſubſtantiam in ipſis: eſt D. Hilarij conſequentia, & ratio lib. de Synodis circa finem. *Ex ſenſu, & Diuinis auctoritatibus inter ſimilitudinem, & æqualitatem nihil differre intelligitur*: & paucis interiectis, *Cum ſimilitudo nulla ſit, niſi ex æqualitate naturæ*. Deinde magis ex proprijs, ſcilicet ex terminis ſimilitudinis, & æquipollentibus ratiocinandum. Ad Coloſſ. 1. *Qui eſt imago Dei inuiſibilis*: Hunc enim locum Sancti Patres de ſubſtantiali, ac conſubſtantiali ſimilitudine Filij ad Patrem, vnanimi conſenſione interpretantur: primò enim D. Hilarius lib. de Synodis, & expoſitione primi art. Concilij Syrmienſis, ex diffinitione Imaginis; *eſt rei ad rem coæquandæ imaginata, & indiſcreta ſimilitudo*: ergo ſi imago, pariter ſimilitudo: ſi imago ſubſtantiæ, eiuſdem ſubſtantiæ ſimilitudo. Præterea D. Athanaſius Epiſtola de Synodis Ariminenſi &c. *Si Filius ſecundum ſubſtantiam non eſt ſimilis Patri, quomodo ſine omni diſsimilitudine imago Patris fuerit?* Mox D. Ambroſius lib. 1. de fide cap. 4. *Imaginem Apoſtolus dicit, Arrius diſsimilem: cur imago, ſi ſimilitudinem non habet?* Idem Hilarius eodem loco in expoſitionem 3. art. *Cum vnigenitus Filius, & imago inuiſibilis Dei ſit, neceſſe eſt per ſpeciem, atque naturam ſimilis eſſentia ſit.*

Eadem veritas ad Hebræos 1. *Cum ſit ſplendor gloriæ, ac figura ſubſtantiæ eius*. Quo quid clarius atque euidentius referri poteſt? figura ſubſtantiæ, figura, & imago ſubſtantialis. D. Cyrillus lib. 3. Theſauri cap. 4. *Si non eſt ſubſtantialiter ſimilis, neque per ſe ſimilis: quomodo ergo non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem? nam qui æqualis Deo eſt, ſubſtantialiter quoque ſimilis eſt*. Idem D. Cyrillus ex alio loco hanc eandem omnimodam ſimilitudinem colligit lib. 4. Theſauri. Io. 13. *Sicut Pater habet vitam in ſemetipſo, ſic dedit & Filio vitam habere in ſeipſo: incommutabilis, manifeſta ſimilitudo, & identitas ſubſtantialis Patris, & Filij ſignificatur*. D. Aug. 3. contra Maximinum, ex illo loco confirmat idem. *Qui videt me, videt & Patrem meum, propter maximam*, inquit, *ſimilitudinem*.

Duobus quoque argumentis hæc eadem ſimilitudo demonſtranda, ac confirmanda, & primum eſt. De ratione generationis eſt, vt genitus in natura ſit ſimilis generanti, & ex fine generantis generans ſibi ſimilem generat: ergo Pater qui ex ſua ſubſtantia ſibi genuit Filium naturalem, ſibi neceſſariò genuit ſimilem: quod ſi non ſimilem neque verbum, neque imago, neque Filius poterit eſſe: ergo quibus locis ſecundam perſonam fides appellat, Filium, verbum, imaginem; ſimilem ſimul neceſſariò appellat. Quod ſi non omnino ſimilem in eadem ſubſtantia, *non paruum dedecus*, inquit D. Cyrillus lib. 2. in Io. cap. 92. *Si alterius naturæ Filium edidit, hoc eſt, non omnino in eadem natura ſimilem; ſicuti magna gloria Patri eſt talem natura Filium genuiſſe, qualis ipſe eſt*. D. Bon. tract.

Digitized by Google

explicationis terminorum Theologiæ . *Secunda perſona* , inquit , *dicitur imago, vt expreſſa ſimilitudo Patris; verbum, vt expreſſiua ſimilitudo: Filius vt ſimilitudo hypoſtatica , & conformis , & naturalis in eadem natura* . Confirmatur . Naturalia viuentia ſibi in eadem naturæ ſpecie ſimilia ſunt, ſimiliaque producunt ; ergo Deus Pater in eadem natura numero ſimillimus erit Filio , & Spiritui Sancto; & ſimillimum Filium gignit. Conſequentia multis locis ſupra conſtitit ; natura enim Diuina neque ſterilis eſſe poteſt, neque multiplicari propter infinitam perfectionem : ergo totam communicabit Filio Pater , totamque ſibi retinebit : ergo Filius omnino ſimilis , & Spiritus Sanctus eadem ratione : Deus enim de Deo &c.

Secundò ex operibus , quæ à ſacerrima Triade producuntur , opera hæc omnia ſimilia ſunt : ergo à ſimili , & eadem virtute increata in tribus ſubſiſtente &c. His animaduerſis ,

Quærit S. Doctor art. 1. & D. Thom. 42. quæſt. art. 1. quid ſit hæc ſimilitudo .

PARAPHRASIS.

PRIMA *Propoſitio . Quidquid in hoc ſenſerit Magiſter ſententiarum, ſimilitudo, & æqualitas in Deo aliquid ſignificat, ac ponit; neque negatiuè, aut priuatiuè vlla ratione interpretanda . Probatur primò. Iiſdem rationibus , quibus ſupra idem de vnitate , ac pluralitate probatum eſt : nam eadem eſt ratio : vnitas enim , & pluralitas facit æquales , ac ſimiles , vt inferenda ſit hæc illatio. Vnitas , & pluralitas in Deo poſitiuè ſumuntur: ergo æqualitas, & ſimilitudo quoq; Antecedens antea confirmatum fuit . Conſequentia conſtat : nam vnitas , & pluralitas facit æqualitatem , & ſimilitudinem; vt iam ſatis ſupra diſcuſſum , & confirmatum . Secundò. In creatura æqualitas , & ſimilitudo poſitiuè ſumuntur : ergo multò magis in Deo. Antecedens certum : nam eo Filius Patri æqualis , ac ſimilis aſſeritur ; quia perfectionem Patris habet , tum in eadem ſpecie naturæ tum in indiuiduis . Conſequentia patentior. Primò , ex D. Aug. qui in Filio primò rationem æqualitatis conſtituit . Secundò, quia ſicut perfectior eſt æqualitas, & ſimilitudo , & magis vna in natura Diuina: ergo magis actu, & poſitione . Tertiò, æqualitas & ſimilitudo non importat puram negationem ; quia tunc eſſet velut chimera : ergo ſupponit affirmationem : ergo ſi æquale, tollit exceſſum inæqualitatis per aliquid poſitiuum æque in ſingulis perſonis . Confirmatur . Pater , & Filius, & Spiritus Sanctus dicere quod ſint inæquales , & diſſimiles eſt falſa; quia de Deo negat , & priuat quod aſſerendum eſt in Deo eſſe : ergo æquale , & ſimile affirmat , & aſſerit , quod tollit inæquale . Hinc confirmatur ſecundò ex ex Arrianorum ore . Hi hanc dicunt eſſe falſam . Pater eſt æqualis Filio ; ſed ſi falſa , aut quia remouet , aut quia ponit: non ſecundum , quia hanc dicunt veram ; Filius eſt inæqualis Patri , quia à Filio remouet eandem perfectionem , & naturam Patris : ergo primum, ſcilicet quia ponit . Quartò , Inæquale tollit: ergo æquale ponit . Probo conſequentiam ; nam ad inuicem ſunt oppoſita .*

Secunda Propoſitio ex reſponſione ad argumenta . Aequale , & ſimile licet poſitionem dicat ; rectè tamen , & idoneè per negationem explicari , ac diffiniri poteſt , tum veluti pernotius nobis , tum quia quod formaliter ex vocis ſignificatione negat , aſſertum ſupponit: Ideo enim negat exceſſum ; quia eandem naturam , naturæque perfectionem omnes perſonæ habent .

Tertia Propoſitio . Aequale in Deo non ponit commenſurationem , ſed vnitatem virtutis , ac perfectionis ; ſicuti , & ſimile . Ratio primi : quia in Deo omnia immenſa: ergo immenſurabilia: licet poſſit hac ratione dici , Deus menſuratur dum infinitus prædicatur : ſed hæc menſuratio eſt menſurationis propriè negatio . Ratio ſecunda conſtitit.

Hic nihil cenſeo pro commentatione neceſſariò addendum : nam quæ de vnitate iam ſupra aſſerta ſunt , hic ſatis ac mirè deſeruiunt , ac ſufficiunt, & quia hæc eadem in primo commentario de æqualitate poſita , ac expoſita ſunt : tantummodo obſeruanda , & colligenda Sancti Doct. mens. An, & qua ratione menſuræ rationē in Deo admittere liceat , & quam D. Thom. fideliter expoſito hac in re arrideat , vt iam in capite de æternitate ſatis, ni fallor, obſeruatum eſt .

Quarta igitur Propoſitio ex Ariſt. quæſt. 2. D. Bon. & art. 1. quæſt. 1. 1. ſent. diſt. 31. S. Th. Quod æqualitas , & ſimilitudo ponit in Deo, partim eſt abſolutum, partim relatiuum: abſolutum quidem, quia dicit ſubſtantiam ſecundum quam perſonæ ſunt æquales , ac ſimiles ; Relatiuum verò, quia multarum perſonarum conuenientiam , æqualitatis , ac ſimilitudinis in eadem ſubſtantia .

Quinta Propoſitio . In primis principaliter , ac formaliter dicunt relationem ; conſequenter verò ſubſtantiam , & abſolutum . Probatur primò ex propria vocum ſignificatione: æqualitas enim & ſimilitudo , vel concretè, vel abſtractè ſumantur (eadem enim vtroque modo eſt ſignificandi vis) eſt relatio ſecundum quantitatem illa , & ſecundum qualitatem iſta ; ita vt ſimilitudo ſit formaliter multorum ad inuicem relatio : qualitas verò ſit ratio , & cauſa huius relationis ſimilitudinis . Pariter æqualitas eſt relatio ſecundum quantitatem &c. Secundò. Similitudo eſt reſpectus mul-

Digitized by Google

multorum: ergo in Diuinis etiam eſt reſpectus vnius perſonæ ad alteram. Confirmatur. Aequalitate, & ſimilitudine refertur Pater ad Filium, & Spiritum Sanctum, & vice verſa: ergo relatiuè ſumitur: non enim ſubſtantia refertur. Tertiò, æqualitas, & ſimilitudo numero plurium de Diuinis perſonis prædicatur: dicuntur enim æquales, ac ſimiles: ergo relatiuè: non enim ſubſtantia plurificari poteſt. Quartò. Aequalitas Filij ad Patrem, non eſt Patris, ſed Filij, & è conuerſo: ergo relatiua eſt: ſi enim ſubſtantiam diceret, illa quæ eſt Filij eſſet & Patris: nam vna, & eadem eſt ſubſtantia, & eſſentia.

Sexta Propoſitio ex reſponſione ad primum, & ſecundum. Si quæ inueniuntur ſententiæ, ac phraſes apud Patres, & Theologos, quæ has relationes æqualitatis, & ſimilitudinis videantur aſſerere dici ſecundum eſſentiam, intelligendæ, & explicandæ per cauſam: eſſentia enim perfectiſsima Diuina eſt cauſa, quare perſonæ ſint æquales, ac ſimiles, & in creatura quantitas, & qualitas itidem ſunt cauſa, quare multa ad inuicem dicantur æqualia, & ſimilia.

Septima Propoſitio ex reſponſione ad tertium, & quartum. In hoc in Diuinis hæ relationes æqualitatis, ſimilitudinis, & identitatis, ac ſi quæ aliæ conſimiles obſeruentur, differunt ab ijs quæ conſtituunt perſonas, vt dicantur primò communes; illæ propriæ, oppoſitæ, ac diſſimiles; iſtæ ſimiles: illæ exercitæ, ac conſtituentes, ac diſtinguentes propter origines: hæ verò diſtinctis aduenientes, ac diſtinctas perſonas referentes, vt conueniunt in vna ſubſtantia, ſubſtantiæque perfectione, eamq; communem habent immultiplicatam.

COMMENTARIVM.

THEOLOGI ſcientifici partes egregiè ſuſtinet S. Doctor, vt nedum rerum Diuinarum exiſtentiam; ſed etiam quidditatem recto ordine quo fieri fas eſt, demonſtret: quod ſicuti ſemper opportunè præſtitit, ſic nunc quam opportunè, & idoneè.

Verùm, poteſt in foribus ſuboriri dubitatio: qua de cauſa, cum ſupra iam diſt. 19. de æqualitate vberrimè diſſeruerit, cur iterum de eadem hoc loco ſuſcipiat agere, aut potius de his quæ hic verſat; cur illo loco non ſimul pertractauerit.

Sed communis, ac facilis ex his Doctoribus qui Magiſtrũ ſequitur, ſolutio colligitur: ſecutus enim eſt eundem Magiſtrum, qui vtroq; loco de eadẽ re diuerſa, ad diſtincta ratione docuit. Secũdò, conſequenter ipſe S. Doctor in veſtibulo commentationis huius diſtinctionis hanc huius rei reddit rationem, quod ibi de re; nunc verò de nominis æqualitatis, ac ſimilitudinis ſignificatione. Tertiò, nam ibi de ſola æqualitate, hic ſimul de ſimilitudine; vt hinc conſtaret, vt ſupra teſtatus eſt S. Hilarius, vtramque eſſe eandem rem, & occaſionem ſumeret has voces, ac terminos explicandi.

Sed hic quatuor præcipuè præſtat. Primum, vt poſtquam præcedenti quæſt. aliquid poſitiuè ſignificare docuerit, hic quid ſignificet, abſolutumne, aut relatiuum, & primo loco & abſolutum, & relatiuum.

Secũdum. Duas refert ſententias: altera eſt præcipuè relatiuũ ſignificare, ſi concretè proferantur ſcilicet ſimiles, ac æquales: ſi verò abſtractè in primis abſolutum. Sed vanum hoc eſſe refugium inde euincit, quia eadem vtrouis modo proferas, eſt vis ſignificandi, & res ſignificata. Altera rem potiorẽ indicatam hic per has voces eſſe relationem, hac in primis ratione. Aequalitas, & ſimilitudo eſt diſtinctorum conuenientia in vna, eademque perfectione eſſentiali: ergo quaſi formaliter id in quo conueniunt præfert, & materialiter ſupponit conuenientium diſtinctionem; ſed hanc euellit ſententiam, & rationem hoc ferè modo. Similitudo eſt multorum reſpectus conuenientiæ in vno: ergo formaliter complectitur & primo loco relationem.

Tertium. Propriam ac veram ſententiam prodit, ac probat. Primò, in his vnde hæc ad Diuina translata ſunt, ſimilitudo eſt relatio ſecundum qualitatem, & æqualitas ſecundum quantitatem: ergo ex ſe formaliter eſt relatio, & inuoluit qualitatem, & quantitatem tanquam cauſam relationis; ergo & in Diuinis ſignabit primò, ac per ſe relationem Diuinarum perſonarum. Secundo verò loco qualitatem, & quantitatem perfectionis eſſentialis, & abſolutè. Confirmat rem hanc, tum auctoritate D. Hilarij, tum primò: Perſonæ numero plurium dicuntur ſimiles, & æquales: ergo relatiuè. Probatur conſequentia; quia ſubſtantia plurificari non poteſt. Secundò. Aequalitate, & ſimilitudine ad inuicem referuntur perſonæ: ergo relationem per ſe inuoluit &c.

Quartum. Quænam relationes iſtæ ſint, An eædem, vel diuerſæ à relationibus proprijs Paternitatis &c. & aſſerit has relationes communes eſſe, quia omnibus perſonis competũt. ſ. ad inuicem eſſe æquales, & ſimiles; illas verò proprias ſingularum perſonarum: his conuenire perſonas in vna ſubſtantia: illis diſtingui, & diſtinctas ad inuicem conſtitui; vt illæ ſint exercitæ, quia diſtinguunt: hæ verò ſignatæ, quia perſonas adinueniunt, & ſupponunt diſtinctas. Quomodo tamen, & conueniant & differant, vt luculentius explicetur, & clarius dignoſcatur.

Obſeruandum primò, relationes tribus modis contineri, & ab ipſo Philoſopho explicari 5. Meth. cap. 9. quos modos nedum creaturis, ſed etiam Deo competere notum, & apertum eſt in Theologia. Primus autem modus eſt, quem nunc præ manibus habemus, earum ſcilicet habitudinum, quibus Diuinæ perſonæ conueniunt, ac ſimiles ſunt. Secundus, quibus diſtinguuntur, & oppoſitæ ſunt, propter quas Anaſtaſ. Synaita in expoſitione fidei, perſonas vocat *Diſsimiles, ſcilicet diſtinctas, & oppoſitas*: Paternitas enim opponitur Filiationi, ſpiratio proceſsioni actiuæ &c. Tertius verò, quo Deus, vt cauſa concipitur in ordine ad effectus, &

rela-

relatione rationis ad ipſas refertur; relatione verò reali ipſæ ad eum.

Hinc ergo ſecundò obſeruandum. Si relationes primi, & ſecundi, & tertij modi diſtinguuntur, quod illæ faciunt conuenire perſonas; hæ verò diſtingui, & differre; profectò hæc alia colligenda differentia: nam primi modi relationes requirunt vnum fundamentum, quo fundentur, & conueniant perſonæ: quare Ariſt. indicato loco; illa eadem ſunt, quorum vna ſubſtantia: æqualia quorum vna quantitas: ſimilia quorum vna qualitas. Secundi verò modi, & tertij diſtinctum: nam ſub diuerſa ratione mutuò referuntur: Pater enim ad Filium ratione generationis actiuæ refertur: Filius ad Patrem generationis paſſiuæ ratione: Pater, & Filius ſpiratione actiua ad Spiritum Sanctum: Spiritus Sanctus ſpiratione paſſiua ad vtrumque: Deus ad creaturam, vt cauſa: creaturæ ad Deum, vt extrinſeci, & alterius naturæ effectus.

Poſſet adiungi & diſtinctio alia; vt ſecundi modi relationes ſint reales, ac realiter diſtinctæ: primi verò modi rationis tantum, quia diſtinctio niſi rationis in fundamento eſt: eſt enim numerica vnitas eſſentiæ in ſingulis perſonis: & in termino itidem, niſi rationis diſtinctio inueniri poteſt: eſt enim eadem vnitas perfectionis eſſentialis; ſed hoc loco non eſt addenda, ſed potius an admittenda ſit inquirendum: eſt enim valde inter proceriores Theologos controuerſum: & hoc eſt muneris noſtri, vehementer tamen oneroſi, indagare quænam S. Doct. fuerit ſententia. Patentiſsime quidem docuit concedendas has relationes, ac de fide: an verò ſint reales, ac realiter diſtinctæ, ſicuti ſecundi modi hoc loco, quod obſeruauerim ego, nec vnum ex eius ore elapſum verbum eſt, quo ſaltem eius mentem diuinare liceat.

Marginator quidã S. Doct. fidẽter notat hinc colligi, nimirũ ex reſponſ. ad argumenta, eandem eſſe cum Scoto S. Doct. mentẽ. Idem recens, ac peracutus auctor ſuis diſputationibus Theologicis tract. 7. quæſt. 5. art. vnico. Idem Didacus Ruiz. diſp. 103. ſect. 3. Sed adhuc percipere non potui, quibus ad hoc aſſerendum verbis ducuntur: Scio oppoſitum obſeruaſſe Ioannem de Baſſolis, ſcilicet hinc colligi non poſſe, quod iſti colligunt. Videamus, ſi ex re quam diſcutit, ſit: non ex verbis: pro hac mente indaganda aliquid deducere poſsimus. Primò. Omnem vim facit in reſpõſione ad tertium, ad harum relationum naturam explicandam, & à proprijs differentijs explorandam, quod illæ diſtinguant perſonas, faciant differre realiter. Quod idem diſt. 26. quæſt. 2. inculcat: vt enim probet relationes proprias dari, dicit, realiter differunt: nam earum eſt & natura, & effectus proprius, & formalis, quod ſint oppoſitæ; & ab oppoſitis omnis vis erit hoc loco, vt conueniant, & idem ſint cum vnico fundamento, & termino: ergo videtur repugnare ex Sancto Doct. diſtinctas eſſe realiter relationes primi modi: referuntur enim ad inuicem his relationibus perſonæ, vt idem ſunt: & citat D. Hilarium dicentem. Similitudo ſibi non eſt, hoc eſt, realis ſimilitudo diſtincta, & ſi Sanctum Doctorem vbique vidimus adeo colere ſimplicitatem Diuinam; vt in ea tãtum diſtinctionem rationis, præter inter Diuinas perſonas, vt opponuntur admiſerit; atque ita Diuina attributa, & relationes à Diuina eſſentia tantum apprehenſione noſtra differre docuerit: quomodo dicemus nunc concedere Diuinam eſſentiam ſub diuerſis attributis formaliter diſtinctis, abſque noſtra intellectus operatione præbere his relationibus diuerſa fundamenta, ſcilicet diuerſas rationes formales; vt inde ſurgant iſtæ relationes formaliter, atque diſtinctæ. Et licet ſint inter perſonas realiter diſtinctas; non tamen vt ſic, ſed vt idem cum eſſentia: hinc enim dici æquales hucuſque demonſtratum eſt. Quod verò argumentis affirmantibus afferat æqualitatem Filij, non eſſe æqualitatem Patris &c. id interpretamur dicere; vt conſtituat rationem mutuam relationis, non tamen realem; ſed rationis propter radicem, imò fundamentum propinquam æqualitatis &c. quod eſt vnica numero eſſentia.

Sed hęc fortaſſe, inquies, non ſufficiunt ad certam, & exploratam S. Doct. mentem introſpiciendam; aliunde ergo tentemus explorare. Forte quis obijciet, in colligendam S. Doct. mentem de reali harum relationum ratione: fundamẽtum quo ſint reales, ac perſonales proprietates, ſcilicet perſonæ vt diſtinctæ: ſed hoc haud quaquam: nam ipſe S. Doctor 4. ſent. diſt. 3. art. 1. quæſt. 2. dilucidè aſſerit relationum fundamentum eſſe rem abſolutam, præſertim & in 1. diſt. 30. dubio literali 4. Relatio, inquit, alia relatione non refertur; ſed relatiuum, quod dicit rem ſubſtratam cum relatione. Porrò, ſi proprietates eſſent fundamentum ſimilitudinis &c. inſurgeret diſsimilitudinis relatio: nam Paternitas oppoſita eſt Filiationi, & ſpiratio actiua ſpirationi paſſiuæ identitas ergo ſubſtantię, ac perfectionis ſubſtantialis, eſt neceſſariò æqualitatis, & ſimilitudinis immediatum fundamentum; & hæ propterea relationes ſunt eiuſdem ad ſe ipſum, & proinde rationis ex D. Bonauentura. Et confirmatur ex diſt. 9. art. 2. Ratione relationis neceſſariò eſt diſtinctio; quia aliàs res ad ſe referretur: ergo hic cum nulla ſit realis diſtinctio, nulla erit realis relatio. Confirmatur ſecundò argumento communi cum alijs Theologis. In Deo ibi eſt realis diſtinctio, vbi realis oppoſitio; ſed hic nulla oppoſitio: ergo neque realis diſtinctio, & diſtinctionis relatio. Nullus ergo locus quem ſciam, indicat S. Doct. mẽtem de diſtinct. reali inter has relationes; imò oppoſitum ex vnitate fundamenti, vt infra in diſputatione. Supereſt ergo hoc vnum præſtare, referre ſcilicet S. Doct. ſolutionem argumentorum ad oppoſitum.

Primum argumentum ducitur ex auctoritate Magiſtri. Primò, Aequalitas non eſt relatio, vel notio; ſed naturæ vnitas, vel identitas, & ex D. Hilario eſt indifferens eſſentia: ergo non eſt relatio. Confirmatur ex Ariſt. in prędicamento de quanto & quali. Aequalitas dicitur ſecundum quantitatem, & ſimilitudo ſecundum qualitatem: ſed hæc in Deo tranſeunt in ſubſtantia: ergo ſubſtantia ſunt. Ad hæc & ſexcenta ſimilia ex Doct. in corpore

pore quæſt. tradita hac certa, & firma interpretatione, has non eſſe propoſitiones formales; ſed vt aiunt cauſatiuæ: vnitas enim, & identitas, & quantitas, & qualitas perfectionis Diuinę facit, vt perſonæ ad inuicem ſint ſimiles omnino, ac æquales: nam ſimilitudo formaliter eſt relatio, vt ſatis perſuaſum eſt.

Secundum, omnis relatio de ſua prima, & intrinſeca ratione importat diſtinctionem, & oppoſitionem in Diuinis; ſed æqualitas, & ſimilitudo potius vnionem, & conuenientiam, & identitatem: ergo non eſt relatio. Optimum quidem argumentum; ſed optima quoque reſponſio. Vera eſt maior de relationibus realibus, ac realiter diſtinctis: nequaquam autem de relationibus rationis, quemadmodum ſunt æqualitas, & ſimilitudo. Sancto tamen Doctori hoc loco placuit alia reſponſione ſoluere, ferè ſuperius data, vt ex diſt. 9. obſeruatum eſt. Duorum generum etiam in Deo inueniri relationes: primi generis ſunt exercitæ, ac perſonarum propriæ, quæ diſtinguunt perſonas, & relatinne oppoſitionis faciunt ad inuicem referri. Secundi verò generis, qua diſtinctas perſonas faciunt in vna, eademque eſſentiæ perfectione conuenire, & idem eſſe. Ad agumentum ergo reſpondet maiorem non eſſe in vniuerſum veram de quacumque relatione; ſed de ea, quæ eſt primi generis, quæ originem præſefert; hoc eſt, de oppoſita, ac exercita, & propria: non vero de communi, ac ſecundi generis. Non deduxit autem relationes primi generis eſſe reales; ſecundi verò generis rationis; quia ex natura ſua, & ex fundamento prętacto ex ſe pateſcebat: ideo enim primi generis ſunt reales, ac realiter diſtinctæ, quia fundamenta, & origines ſunt realiter plures: ergo & ſecundi generis, quia idem nemero eſt fundamentum, & non niſi ratione differt, & ipſæ ſola ratione formaliter different. Neque hoc aſſeritur quaſi ſit ens rationis, perſonas eſſe æquales, ac ſimiles: realiſsimè enim ſunt ſimiles, ſicuti realiſsima eſt earum vna eſſentia; ſed ex hac vnitate relationem æqualitatis inſurgentem, non eſſe niſi ratione diſtinctam.

Tertium. Aequale, & ſimile non dicunt relationem, neque communem, neque propriam: ergo ſubſtantiuè ſumuntur. Conſequentia prima eſt certa, ex doctrina, & ſufficienti relationum diſtinctione, in reſponſione ad tertium à Sancto Doctore tradita. Secunda pariter conſequentia certa: nam nihil aliud in Deo, quam ſubſtantia, & relatio. Antecedens probatur: non enim propriam relationem dicit, quia prædicatur de pluribus: omnes enim perſonæ ſunt æquales, ac ſimiles: non communem: nam hæ relationes ſunt ſpeciales, & vltimæ, neque ſpecialiores ſub ipſis eſt aſsignare.

Reſpondetur eſſe communes relationes, vt commune opponitur proprio; non vt dicit ſuperius genus, vt infra proxima quæſt. quocirca non obſtat eſſe ſpecialiores, neque inferiores ſub ſe habere: non enim hac ratione dicuntur communes; ſed vt de pluribus perſonis dicuntur, vt conueniunt in vna eſſentia numero. Sunt ergo communes, quia de pluribus, ſpecificatè tamen, quia non de quacumque ratione de pluribus dicuntur; ſed ſub hac ſpeciali ratione, vt conueniunt in perfectione eſſentiali &c. Ad argumentum ergo negandum anteecdens. Ad confirmationem antecedentis iterum negandum aſſumptum: ſunt enim & ſpeciales, & communes ratione indicata.

DISPVTATIO.

Tribus capitibus abſoluta, qua: An hæ relationes ſimilitudinis &c. Sint reales, vel rationis diſcutitur.

Caput primum. Status quæſtionis.
Caput ſecundum. Quæſtionis deciſio.
Caput tertium. Ad oppoſita argumenta Reſponſio.

CAPVT I.

NON quæritur, neque in dubitationem vocatur: an Diuinę perſonæ verè à parte rei, ac realiſsimè ſint æquales, ſimiles, ac idem: compertiſsimum enim eſt, vt nullus dubitandi locus relinquatur, ac fides ipſa ad ipſum confitendum vrgeat: coæternæ ſunt, & coæquales, & eadem firmitate, ac fundamentis qua res certa eſt, ac conſtituta, eandem numero eſſentiam cum omni eſſentiali perfectione in tribus perſonis ſubſiſtere: eo enim æquales, ac ſimiles, quo numero conſubſtantiales ſunt, & vnus Deus; & probat vehementer Scotus diſt 3 t. quæſt. 1. & in quodlib. quæſt. 6. æqualitas fundatur ſub vna quantitate diſtinctorum extremorum: ergo ſimpliciter ſub vna quantitate diſtinctorum; ſed verior eſt æqualitas, quam ſuper vna quantitate ſecundum quid: ergo ſuper quantitate vna numero veriſsima æqualitas fundatur. Secundò, æqualitas eſt in Filio ex vi productionis, & eſt prima æqualitas ex *D. Auguſt. 6.* de Trinit. cap. vlt. & eſt perfectio ſimpliciter ex eodem *D.* Auguſt. de quantitate Animæ, cap. 7. ergo realis. Confirmatur; quia ſecluſo omni intellectu Filius eſt realiter æqualis Patri: ergo aliqua realitate reali: certa quidem ac inconcuſſa veritas. Quod igitur hoc in loco quæritur, eſt. An poſita credita, hac reali eiuſdem eſſentiæ identitate, æqualitate, & ſimilitudine, relatio quæ inſurgit inter eaſdem Diuinas perſonas æqualitatis &c. ſit realis, an fortaſſe dumtaxat rationis. Ratio vrgens dubitandi ex vna parte, eſt; quia in creaturis certum eſt has relationes eſſe reales, ac realiter diſtinctas; quia & extrema, & fundamenta, quæ primò referuntur, ſunt itidem realiter diſtincta: licet duo quanta ad inuicem conuenıant in ſpecie quantitatis, & duo qualia in ſpecie qualitatis: differunt tamen re: nam duo ſunt ſubiecta limitata, & duæ numero diſtinctæ ſubſtantiæ: his verò aſſueſi, & in Deo

con-

Digitized by Google

conſentaneè videtur idem exiſtimandum, licet eadem numero ſit Diuinarum perſonarum natura, & ſubſtantia. Ex altera parte, cum idem prorſus ſit fundamentum, & ratio formalis æqualitatis, & ſimilitudinis, nimirum eadem eſſentia, vt in tribus, vel potius tres perſonæ, vt in eadem eſſentia conueniunt, & idem omninò ſunt, videtur valde difficile, ne dicam impoſſibile, relationem illam inſurgentem eſſe realem, ac idem ſibi referri realiter; non enim vt differunt; ſed vt ſunt idem identitate eſſentiæ numero, dicuntur æquales, ac ſimiles. Quocirca hac de re in diuerſas abierunt, partitiq; ſunt ſententias proceriores Theologi: quo factum eſt, vt adhuc difficilior euaſerit digladiatio.

Scotus enim cum pluribus ſuæ ſcholæ indicatis locis exiſtimat, ac quidem non improbabili nixus fundamento, has relationes exiſtere veras, ac reales, quo realis eſt eadem eſſentia in omnibus, hoc valde apparenti argumento; vbicumque inueniuntur omnia neceſſariò requiſita ad relationes reales, ibi relationes ipſas eſſe reales nemo infitiari poteſt; ſed in Deo iſthæc requiſita abunde inueniuntur, & intellectu conſpicere licet: ergo. Maior euidens videtur, minorem ſufficiet probare: primò enim requiruntur extrema realia; ſed hæc eſſe in Deo quis non videt, ſcilicet perſonas æquales, ac ſimiles? deinde fundamentum reale, ac terminus relationis ſimiliter realis: hoc euidentius eſt: nam eſt vnitas eſſentiæ, & altera perſona, cui æqualis, & ſimilis: vnitas autem illa eadem, ſub diuerſa tamen ratione formali aſſumpta, fundat relationes illius primi modi; vt enim eadem identitas relationi fundamentum ſubſternit; vt ad modum qualitatis concepta, ſcilicet vt vera, vt ſapiens, &c. ratio eſt, vt denominetur perſona ſimilis: vt denique ſub ratione quadam quantitatis conſiderata, quemadmodum dum dicitur Deus magnus, eſt ratio, vt exurgat æqualitatis relatio. Præterea opus eſt, vt nullo operante intellectu ex natura fundamenti, extremorum ex ſe inſurgat relatio, quod non poteſt hoc loco negari: poſito enim proximo fundamento inter extrema, quare non debet extremorum inſurgere relatio? Confirmauit alijs rationibus Scotus, quas huius capitis initio ad realitatem æqualitatis comprobandam adhibuit: ſed & alias addere, & non leuis ponderis licet.

Primò, rationes formales, quæ in Diuina eſſentia has relationes fundant, & ad inuicem, & à Diuina eſſentia ita differunt; vt excluſa intellectus operatione exurgant, & adinueniantur; quemadmodum ſuo loco de attributis aſſertum eſt: ergo relationes iſtæ inde exurgentes erunt pluſquam rationis, imò reales. Antecedens Scoticum ſolerter multis locis, ac rationibus ab ipſo Scoto, & ſua familia conſtat confirmatum. Præterea, relationes propriæ, ac oppoſitæ perſonales Diuinæ in vna, eademq; eſſentia fundantur, & tamen ſunt reales, realiterq; diſtinctæ: ergo vnitas eſſentiæ, non impedit realem relationum diſtinctionem. Antecedens verò videtur certum: nam actus originis, quidquid aliqui in oppoſitum aſtruant, non poſſunt eſſe fundamentum: ſunt enim prorſus idem cum ipſis relationibus, ergo eſſentia: nihil enim aliud in Deo relinquitur: & videtur repugnare conſtitui, ac referri relationes ſine fundamento: nam fundamenti intuitu conſtituuntur, & teſte D. Auguſt. 7. de Trinit. cap. 1. *Relatiuum eſt aliquid, excepto eo quod relatiuè dicitur*. vbi & relationem, & fundamentum, & quaſi ſubiectum fatetur. Poſt hæc, relationes iſtæ fundantur in proprietatibus perſonarum, inter quas ſunt, & mutuæ referuntur, vnde à Scoto æquiparantiæ nuncupantur: referuntur enim vt diſtinctæ; quare omnes, ac præcipuè D. Bonau. & Thom. non minus in his relationibus, quas nunc verſamus interuenire incõfuſam diſtinctionem, & vnitatem eſſentiæ aſſerũt: ergo, ne dum ratione realiter diſtinctorum extremorum; ſed etiam fundamentorum erunt reales, realiterq; diſtinctæ. Confirmari poteſt exemplo ſpirationis actiuæ, quæ aduenit Patri, & Filio, iam proprijs oppoſitis relationibus realiter diſtinctis, & in ipſis reijcitur: quid enim cauſæ erit, quin & hæ ſimilitudinis, & æqualitatis aduenire, fundariq; poſſint?

In oppoſitam, & extremam ſententiam iam, ac prius abierunt, ſeſeq; conſcripſerunt vetuſtiores, ſanctioresq; Theologi, Alex. 1. par. q. 47. memb. 1. ad 1. Albert. ibid. quatenus conueniunt in Magiſtro. Diuus inquam Bonau. locis in commentario recenſitis, mea quidem ſententia ſatis dilucidè, licet aliquo horum locorum fortaſſe aliud agens. D. Thom. apertiſſimè hoc art. 1. ad quartum, & 1. Sententiarum diſt. 31. art. 1. Henricus 1. par. art. 35. q. 8. & alibi. Riccard. in 1. diſt. 31. art. 1. quæſt. 2. Aegid. & Argentina art. 2. & 3. Molina diſput. 2. Valent. 1. par. q. 16. puncto 1. Durand. quæſt. 1. Capreolus quæſt. 1. art. 1. concl. 2. Marſilius diſt. 33. quæſt. 2. concl. 2. & Notatione 8. Torres. Caiet. in hunc art. 4. Vaſquez diſput. 166. cap. 2. 3. & 4. Suarez lib. 4. de Trinit. cap. 15. & communiter recentiores Thomiſtæ, vt iam ſit communis ſententia; quæ vltroneè, ac libenti animo conceſſis, fundamenti realitate, extremorum reali diſtinctione, termini itidem reali entitate adhuc non poſſe cõſurgere realem diſtinctionem relationis, niſi & fundamentum ſit realiter diſtinctum, ſuſtinere, ac tueri profitetur.

CAPVT IGITVR II.

Quæſtionis deciſio.

HAnc ergo poſteriorem, & communiorem opinionem amplexatus, conor hoc capite tueri, ac confirmare; ſed antequam id præſtare adoriar, exiſtimo

Primò obſeruandum. Longè diuerſa ratio huius primi modi relationum in creaturis, ac in Deo: in ipſis, ſicuti impoſſibile omninò ſubſtantias, & indiuidua, & fundamenta non eſſe realiter, ac numero diſtincta ex limitatæ, ac compoſitæ naturæ creatæ ratione: ſic fermè & relationes inde realiter diſtingui neceſſe eſt: multiplicantur enim

Digitized by Google

ad multiplicationem ſubiecti, quanti, & qualis, quantitas, & qualitas. Quod ſi Ariſt. 5.Metaph. cap.15. docuit fundamentum horum eſſe vnum, ſuntq; ſimilia, quia horum vna qualitas; & æqualia, quia itidem vna eorum quantitas. Reſpondetur ex concordi Doctorum ſententia, & commentatione vnitatem ſpecificam requiri, eamq; ad has fundandas relationes ſufficere: at verò in Deo coniunctæ reperiuntur, & vnicum numero habent fundamentum, vt fatentur etiam Scotus, & Durandus quæſt.1.diſt.19. vna, inquiunt, eſſentia Diuina identitatis fundamentum eſt; eadem qualitatis, vt ſub alia intellectu noſtro diſtinctione ſumpta, v.g. Sapientiæ, Potentiæ, Bonitatis, &c. eadem quantitatis, accepta vt magna, magnitudine virtutis, vnde perſonæ & ſimiles, & æquales denominantur. Ariſtot.5.Metaphyſ. cap.15. *Vnam ſubſtantiam facere idem: vnam quantitatem, æquale: vnam qualitatem, ſimile:* vnam, inquam, numero, nam Diuinas perſonas differre eſſentia, aut eſſentiali perfectione numero repugnat; ſicut repugnat multiplicari eſſentiam eandem, pluresque fieri Deos. Hinc

Secundò obſeruandum, eos qui harum primi generis relationum fundamentum conſtituunt, Diuinarum perſonarum proprietates, manifeſtè peccare contra doctrinam Ariſt. indicato libro, & capite Metaph. nam & in Deo habere locum compertum eſt, & contra naturam harum relationum apertè agere: non ſolum quia relatio, alia relatione non refertur, neque relatio relationis conceditur, vt vterque Sanctus Doctor docebat; ſed quia huiuſmodi relationes ſunt, & communes, & conuenientes: etenim, ſi eo perſonæ ſunt idem, ſimiles, ac æquales, quo in eadem natura Diuina numero conueniunt, conſequitur non debere fundari in fundamentis oppoſitis diſſimilibus, & realiter diſtinctis: iſtis enim realiter ſunt oppoſitæ, ac realiter plures perſonæ, illis realiter idem, æquales, ac ſimiles: quo circa hic alta mente reponenda, & recolenda, quæ de his docuit S.Bonau. ad 3. quæq; nos ibi addidimus.

Tertiò obſeruandum, non rectè, ac idoneè eos loqui, relationes proprias, ac perſonales immediatè in eſſentia ſtatuunt, ac fundant. Primò ex D. Bonau. diſt. 13. quæſt. 1. non tantum quia ſic ad eſſentiam comparatæ, in eſſentiam tranſeunt, neque vllo modo remanent; vt verò conſtituunt, & diſtinguunt, faciuntq; realiter perſonas differre, ad inuicem comparantur; ſed etiam ideò immediatè ſunt in perſonis, & propriè: impropriè verò in eſſentia, quia ſi immediatè in eſſentia eſſent, eam neceſſariò referri facerent, quod repugnat: in perſonis verò valde conſentaneè: illas enim verè ad inuicem referri faciunt, ac diſtinctas conſtituunt; quod idem confirmat etiam Caietanus in hunc articulum.

Neque quod quidam opponunt, vllius momenti eſſe poteſt, ſi ſcilicet eſſentia non eſt eorum fundamentum, omni carent fundamento, quod relationi repugnat: eſt enim, vt fundamentum referatur: quod inde probant: nam actus notionalis idem eſt formaliter cum relatione; quare non poteſt relationis eſſe fundamentum; ſi nimirum formaliter eſt ipſa relatio. Reſpondetur enim & eſſentiam eſſe formaliſſimè idem cum actu notionali, & ſufficere ratione noſtra differre fundamentum à relatione Diuina, vt eruditè tradit D.Bonau.diſt.26. quæſt.3. idq; propter Diuinã ſummam ſimplicitatem: qua de cauſa, & illud addit, & interpretatur locum D.Auguſt.lib.7.de Trinit. cap. 1. Omne quod relatiuè refertur eſſe aliquid aliud excepta relatione, non habere locum in Diuinis perſonis ſummè ſimplicibus. His obſeruatis, pro tota ſoluenda lite hoc loco pendente, ſtatuo

Aſſertum. Relationes hæ primi modi in Deo non differunt niſi ratione; neque requiſita à Scoto, enumerata ad realem relationem diſtinctam conſtituendam ſufficiunt: quod primò probabat S.Bonau. ex D.Hilario lib.3.de Trinit. circa finem. Similitudo ſibi non eſt, quæ tamen certò eſſet, ſi realis relatio inueniretur inter Diuinas perſonas ſimilitudinis, cum ſint eiuſdem ſubſtantiæ ratione ſimiles, conſequenter ſibi ſimiles ſingulæ. Secundò probatur ex Magiſtro Sententiarum, vt interpretatur S.Thom.ad quartum, vbi, inquit, æqualitas, & ſimilitudo appellatur tantum relatiua, ſcilicet non re, ſed nomine, ac ratione, quod ipſe Magiſter iam probauerat, etiam ex S.Auguſt. lib 5.de Trinitate. Quærimus, ſecundum quid æqualis Patri ſit Filius; non ſecundum quod ad Patrem dicitur Filius, &c. reſtat ergo, vt ſecundum id æqualis ſit, quod dicitur ad ſe: ergo ſicut realiter non refertur ſubſtantia, ſic æqualis non dicit relationem realem.

S.Tho. Omne quod eſt in Deo reale, eſt tantum ens abſolutum, & relatiuum, & eſt commune axioma: ſed abſolutum non refertur, & relatiuum ita refertur, vt faciat differre, multiplicetq; perſonas ex Boetio: ergo æquale, & ſimile cum faciant conuenire perſonas in vna ſubſtantia, non erunt relatio realis. Idem eſt argumentum S.Bonauenturæ. Relatione reali differunt perſonæ, & hic eſt effectus formalis relationis: ergo æqualitas, & ſimilitudo cum oppoſitum effectum faciant, non ſunt relationes reales. Idem S.Thom. in via ſua. Ariſt. 5.Metaph. Aequale opponitur magno, & paruo, ſicut duæ priuationes, vnde etiam per priuationem definitur: ergo nihil reale ponit in Deo. Idem. Si dicit relationem realem in Diuinis perſonis, aut id dicit ratione eſſentiæ, aut ratione relationis propriæ: neutro verò modo id euenire poteſt: non enim ratione eſſentiæ, quia eſt vna, eademq. numero in omnibus perſonis; & idem ad ſeipſum non refertur relatione, niſi rationis. Non ratione perſonæ propriæ: nam vna relatio, alia relatione non refertur, teſte etiam D. Bonauentura, aliàs neceſſariò ſequeretur proceſſus in infinitum. Neque obſtat, quod aliquis poſſet obijcere; ſi v. g. relatio Paternitatis referretur alia relatione diuerſitatis, quæ eſt alterius generis: tamen relatio diuerſitatis non poſſet alia relatione referri; quia eſſet eiuſdem ſpeciei, & in eodem ſubiecto, atque eadem numero: non obſtat, inquam: licet enim relatio illa diuerſitatis eſſet in eodem ſubiecto;

quia

quia tamen non haberet idem fundamentum, neque eumdem terminum; ſed diuerſum, vt patens eſt, neque idem proximum ſubiectum: referret enim proximè relationem illam, quæ ſubſtantiam prius referebat; & ſic eſſet relatio poſterior numero, & diuerſa à priori, & ſic de illa quærendum eſſet, &c. Secundò, ſi proprietatis ratio eſſet relatio, & fundamentum; non ſequeretur relatio ſimilitudinis, ſed diſſimilitudinis: ſunt enim relationes propriæ ad inuicem diſſimiles, & oppoſitæ.

Henricus Quodlib. 3. quem refert Scotus. In Deo quantitas, & qualitas non ſunt realiter; ſed dumtaxat ſecundum noſtram intelligendi rationē: ergo & relationes inde ſurgentes æqualitatis, & ſimilitudinis, eodem tamen erunt modo, nimirum rationis.

Durandus: Relatio realis pluralitatem relatorum poſtulat: ſed hæ, de quibus hic ſermo, & lis fundantur immediatè, & proximè in vnitate ſubſtantiali Diuina, cui repugnant multiplicari: ergo non poſſunt eſſe realiter plures. Neque obeſſe poteſt hic, perſonas quæ referuntur eſſe realiter diſtinctas; nam referuntur vt in eſſentia conueniunt. Neque implicat perſonas Diuinas, quin referantur adinuicem realiter relationibus proprijs, hæc vnitas: præter enim ea, quæ aliàs ſuis locis congeſsimus, & præter hanc elegantiſſimam deductionem D. Bon. eſſentia Diuina eſt vna perfectiſsima: ergo tres perſonæ, relationes illæ immediatè in eſſentia non ſunt, niſi valde impropriè, vt paucis ſupra prçterito cap. ex D. Bonau.

Torres ead. ferè ratione. S. Thom. ad quartum. Eſſentia nõ poteſt eſſe ratio, quod ſint plures realiter hæ relationes, quia vna: neque perſonæ, quia proprijs relationibus diſtinguuntur & origine: ergo abſolutè non ſunt plures reales: nihil enim aliud in Deo inueniri poteſt, quod eas reales efficiat.

Denique Caiet. Quandocumque fundamenta, quæ primò referuntur, & ratione eorum etiam ſubiecta ſunt, etiam extrema earum relationum, neceſſaria ratione realiter diſtinguuntur: ſed in hoc genere relationum primi modi, huiuſmodi cõditionis ſunt fundamenta: ergo neceſſariò diſtinguuntur. Probatur maior: nam extrema realiter neceſſariò differre ad reales relationes conſtituendas quis non fatebitur? ergo & fundamenta: ſunt enim idem. Minor quoq; probatur: nam & idẽtitas, & quantitas, & qualitas ſunt, quæ primò referuntur; quia identitate, & quantitate, & qualitate ſunt idem, & æquales, & perſonæ, quæ ſunt extrema, ſunt idem, & æquales, & ideò referuntur; quia idem in vna natura, & ſubinde æquales, & omninò ſimiles: ſed fundamentum hic non poteſt realiter multiplicari: eſt enim vna ſubſtantia, & ſubſtantialis perfectio Diuina: ergo neque realia extrema. Licet enim perſonæ realiter relationibus proprijs differant; vt ſunt tamen extrema harum relationum conueniunt, & ſunt idem: ergo neque relationes reales exurgere poſſunt.

Hoc idem argumento vſi ſunt plurimi recentiores poſt Caietanum, idq; conati ſunt tueri Vaſquez diſputatione 166. cap. 3. Suarez lib. 4. cap. 15. de Trinit. Bannes, & alij; cui deſudarunt recentiores Scotiſtæ reclamare, minariq; ruinam, & ſolutionem: poſteriores ipſis Thomiſtæ poſtremo loco reclamarunt, argumentumq; ſuſtinuerunt, & facili negotio, quæ opponuntur negarunt, vt legere licet apud ipſos: neque hic confert conterere tempus, in ijs præſertim, quæ non ſunt maximi momenti, & quoquo modo proferantur, ſua non carent probabilitate. Argumenta S. Bonau. hic diſtincta non refero, ne bis idem repetam: indicata enim ſunt, & implicata cum D. Thom. & aliorum argumentis; dum enim & fundamentum eſſe vnum harum relationum, & eius attributa non differre niſi ratione, & de ratione realis eſſe plurificare fundamenta, & relationem relatione alia non referri docuerit, virtute relata argumenta potiora effecit.

CAPVT III.

Quo, ad oppoſita argumenta reſpondetur.

Qvidam doctus, & eruditus Scotiſta ferè in noſtram ſententiam reduxit, & interpretatus eſt Scotum; vt quaſi nos ab eius ſoluendi argumenta onere abſoluerit: hæc enim aſſerta edidit. Primum: Si enim iſtæ relationes ea ratione; vt in creatis inueniuntur, aſſumuntur, & in Deo reales, nequaquam eſſe poſſunt. Secundum. Si perſonæ Diuinæ, vt idem cum Diuina eſſentia accipiantur, relationes hæ communes, & primi modi neceſſariò rationis ſunt. Tertium, ſi reales & in Diuina eſſentia, ea tantum ratione reales erunt, qua attributa eſſentiæ, magnitudinis, & ſimilitudinis differunt, hoc eſt formaliter, & natura rei, & vt differunt à perſonis: ab ipſis enim realiter nõ differunt, ſed tantum formaliter: erunt quoque formales relationes, formaliter diſtinctæ. Attamen qua parte nobis aduerſari videntur quædam ex his aſſertis, noſtrum eſt diluere; aut ſaltem interpretari oppoſitæ ſectæ argumenta.

Ad illa igitur, quibus Scotus nitebatur perſuadere, verè, & re æqualitatem eſſe in Diuinis; tum locis S. Auguſtini, tum rationibus, omnia concedimus ex corde, ac lubenti animo, & ſimul eſſe veriſſima ingenuè fatemur: quod verò deducit reales quoque, & diſtinctas inſurgere relationes; huic non aſſentimur, & negamus conſequentiam, & negationis rationem aſſerimus; quia fundamentum proximum eſt vnum: quare, æqualitatis, & ſimilitudinis, &c. realitatem fundamenti ratione concedimus, & denominari ſic realiter fundamenta, non verò relatione. Hinc

Ad ſecundum: vera quidem allata requiſita illa; ſed neque ſufficere, neque ſubinde inſurgere relationem ſine mentis noſtræ operatione; ſed neceſſariò exigi realem fundamenti diſtinctionem, vt ſufficienti ratione probaſſe exiſtimamus: dum enim vnum eſt, & formaliter vt vnum, ab eo pluralitas relationum non differt; ita vt fundamentum reale non ſufficiat, ſed realiter diſtinctum. Plura hic

Ca-

Caiet. plura Caietani diſcipuli aduerſus contradicentes Scotiſtas.

Ad alias rationes: quæ initio capitis primi poſita ſunt; iam diſſoluta ſunt, vt concedantur omnia fundamentaliter: cæterum negetur conſequentia: verè enim ſunt æquales, ſimiles, idem quo ad vnitatem eſſentiæ, & quo ad fundamentum relationis; quo verò ad realem relationum huius primi generis diſtinctionem, vetat identitas, ac vnitas fundamenti: quemadmodum enim Filius v. g. eſt idem realiſſimè ſibi, ſecluſo omni intellectus noſtri opere, & æqualis, & ei competit prima æqualitas; quia eſt prima perſona genita, ac per modum imaginis naturalis; neque tamen relatio identitatis eſt realis, vt demonſtrabat ſupra D. Bonauentura per D. Hilarium: ita quoque verè perſonæ omnes ad inuicem ſunt æquales, ac ſimiles, &c. ratione fundamenti, ſcilicet vnitatis eſſentiæ, eſſentialiſq; perfectionis; inde tamen reales relationes æqualitatis, &c. non poſſe exurgere, facit vnitas fundamenti: inde in creatura concedenda eſt conſequentia: nam fundamenta ſunt realiter diſtincta inter duo æqualia, & ſimilia.

Quod verò addebatur, attributa iſthæc harum relationum fundamentum in Deo realiter, hoc eſt, formaliter ex ſe differunt: ergo & relationes inde exorientes: iam aliàs longa diſputatione negatum eſt antecedens.

Quod adhuc obijciebatur; vnitatem fundamenti nō impedire realitatem relationum diſtinctam, exemplo relationum in Deo, quæ ſunt propriæ; oppoſitæ tamen, ac realiter diſtinctæ ad inuicem, in vna rurſus eſſentia Diuina fundatæ: ex D. Bonauentura præſertim negatum eſt; ſi propriè loquendi ratio admittenda eſt: in perſonis enim ſunt, ac actibus notionalibus nituntur, à quibus ſufficit ratione differre, vt iam antea cap. 2. proditum eſt: & locum D. Auguſtini 7. de Trinit. interpretatus eſt S. Doctor. In Diuinis non habere locum ex infinita ibi requiſita ſimplicitate; has quoque relationes, de quibus controuertitur, non fundari in actibus notionalibus diſtinctis, vt dicebat Scotus, fortaſſe argumento de neceſſitate diſtinctionis realis fundamenti, ad reales relationes coactus: iam allatæ ſunt diuerſæ rationes, hoc conſentaneè negantes: neque ſuffragari ſpirationis actiuæ Patri, & Filio communis, ipſis conſtitutis in propria perſona aduenientis exemplum: nam ſpiratio non recipitur media alia relatione conſtituente; neque relationes conſtituentes Paternitatis, ac Filiationis referuntur relatione ſpirationis: non enim relationes illæ referuntur; ſed perſonæ conſtitutæ per propriam relationem: neque inde ſunt ſpirationis fundamentum, ſed proprium huius fundamentum, & veluti cauſa eſt origo: neque mirum eandem perſonam gemina reali relatione referri, v. g. perſonam Patris: nam gemina quoque origo: altera, qua primò refertur ad Filium: altera, qua ad Spiritum Sanctum.

ARTICVLVS VI.

An relatio ſimilitudinis ſit mutua, ſicut erat relatio æqualitatis. D. Bonau. q. 3. D. Tho. ar. 1. ad 3.

PARAPHRASIS.

PRIMA *Propoſitio. Relatio hæc ſi ſumatur; vt dicit in eſſentia conuenientiā in quantitate, & qualitate perfectionis mutua eſt, & rectè æquiparantiæ appellatur: nam primò denominant vtrumque extremum, & verè eadem perfectio eſſentiæ in omnibus perſonis æquè eſt. Secundò, ſimilitudinis ratio eſt conuenientia in eadem eſſentia, & perfectione: ergo ſicut æquè omnes perſonæ ſunt in eadem eſſentia, erunt quoque æquè ſimiles omnes. Tertiò, plurale ſuum ſingulare geminat: ergo ſicut Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus dicuntur ſimiles: ita Pater poterit dici ſimilis, Filius ſimilis, ſimilis Spiritus Sanctus.*

Secunda Propoſitio. Si ſimilitudo (æqualitas enim iam ſupra explicata eſt, & eandem rationem habet) vt ad conuenientiam addit imitationem, & expreſſionem, & inuoluit originem, & tunc Filius dicitur ſimilis, quaſi aſſimilatus, & à Patre ſibi ſimilis productus; non eſt mutua, neque æquiparantiæ: primò ex D. Dionyſ. de Diuin. Nominib. cap. 9. in cauſalibus non recipitur reciprocatio; ſed Pater eſt cauſa, ideſt principium Filij: ergo non eſt ibi reciprocatio, neque mutua relatio; vt quemadmodum dicitur Filius ſimilis Patri, Pater quoque Filio ſimilis dicendus ſit: ideò enim Filius Patri ſimilis dicitur, quia à Patre ſimilis genitus eſt: ergo Patrem Filio ſimilem dicere non licet, qui eadem oppoſita ratione; quia à Patre non eſt productus. Denique ſi hoc ſenſu Pater eſſet Filio ſimilis, à quo eſſet; vt ſic dicam, effectus ſimilis? non à ſe, quia non agit circa ſe, neque ſeipſum producit: non à Filio; quia vt dicebatur, ab eo non producitur: ergo non rectè dici poteſt ſic ſimilis.

Nulla hic remanet, aut apparet difficultas explananda; quare nulla commentatione eget S. Doctor, præter quæ ſupra de æqualitate dicta ſunt. Duo dumtaxat breuiſsimè obſeruanda.

Primum, eadem prorſus docet S. Thom. ad tertium, cum reliquis Doctoribus. Scoto diſt. 19. quæſt. 1. ad tertiam. Durando quæſt. 1. &c. mutato rei explicationis termino: inquit enim S. Tho. Si ſimilis per nomen explicetur, relatio eſt mutua: ſi per verbum, & quaſi per motum, quod dicebat S. Doctor: ſi dicit originem & aſſimilationem, non eſt mutua eadem ratione: & videtur collecta hæc doctrina ex D. Chryſoſtomo in illa verba ad Hebræos: *Qui cum ſit ſplendor, &c.* vbi Filium Patri æqualem, ac ſimilem; Patrem verò Filio non æqualem aſſeuerat: & ex D. Auguſt. 1. de Doctrina

ARTICVLVS IGITVR I.

An concedendum in Diuinis totum integrale.
D. Bonauent. quæſt. I.

PARAPHRASIS.

PRIMA *Propoſitio. Poſitiuè ſumptum totum, vt dicit perfectionem cui nihil deſit, & priuatiuè, vt tollit, ac negat partes, rectè admittendum in Deo, de Deoq; idoneè prædicatur Primò, nã vtroque modo, & veritatem, & perfectionem præſefert. Secundò, eo termino ſic vſi ſunt Sancti Patres, D. Aug. 6. de Trinit. cap.* 10. Tota eſſentia eſt in ſingulis perſonis, &c. *Tertiò, Dei ſummæ ſimplicitati repugnat in partes diuidi: ergo in ſingulis perſonis eſt vna, totaq; diuinitas.*

Secunda Propoſitio. Acceptum totum in habitudine ad partes, dedeceret, ac blaſphemum eſſet de Deo prædicare. Primò ex D. Amb. 1. *de Fide c.* 2. In Diuinis nullam ponimus totalitatem, quia nõ eſt ibi quantitas, neque numerus. *Secundò omne totum ac integrum ex partibus compoſitum eſt: ſed cõpoſitio ſimplicitati ſummæ repugnat: ergo totum à Deo explodendũ. Tertiò ſi ſic vſurpatum* totum *in Deo ponitur: ergo & partes: ſed pars inuoluit imperfectionem: ergo &* totum: *ergo à Deo remouendum. Probo minorem: nam totum tum eſt maius ſua parte, tum inde non reſultaret ex partibus omninò perfectis. Probo conſequentiam maioris. Nam totum, & pars ad inuicem ſe habent. Probo primam concluſionis conſequentiam; quia in partes totum diuiſibile eſt. Quartò, vbi est infinitum, ibi non poteſt eſſe magis, & minus, & conſequenter neque totum, neque pars: nam totum eſt maius ſua parte, & pars minus, ſed in Deo eſt infinitum, & omnis ratio infinitatis: ergo ibi non eſt totum. Quintò, omne totum hoc modo perceptum, aliquo modo reſolubile, & corruptibile in partes: ergo in Deo non eſt locandum. Conſtat.*

Tertia Propoſitio ex reſponſione ad 3. *Admodum diuerſa ratione eſt in creaturis pluralitas, quã ſit in Deo: nam in creaturis primò plurium dicit diſtinctionem; deinde ex his vnius conſtitutionem; in Deo verò plurium quidem, hoc eſt, perſonarum diſtinctio eſt; nequaquam verò ſecundum, nimirum ex his vnius conſtitutio: nõ enim ex perſonis tamquam pluribus reſultat, aut conſtituitur vnitas eſſentiæ; idque quia ſingula perſona totam in ſe habeant eſſentiam, non poſſunt eſſe eiuſdem eſſentiæ conſtitutiua: nam de ratione conſtituitiui eſt, vt ſit minus conſtituto.*

Quarta tamen corollaria Propoſitio, & eadem reſponſione. Licet non minus ſit vna perſona quam plures; plus tamen credit, qui plures perſonas, quam qui vnam dumtaxat credit. Probatur: nam qui vnam perſonam credit, vnũ pariter modum ſe habendi Diuinæ eſſentiæ credit, qui verò plures perſonas, plures quoque modos eiuſdem eſſentiæ.

Quinta Propoſitio ex reſponſione ad 4. *Trinitas in Diuinis prædicatur de tribus, vt de toto, non quaſi conſtituto ex illis tamquam partibus; ſed ratione diſtinctionis quaſi pluralitas ſit cõtinens plures diſtinctas vnitates perſonales.*

Sexta Propoſitio ex quæſt. 2. *Licet in Deo ſit verè commune, & proprium; nulla tamen ratione admittendum* vniuerſale, *& particulare; vt ſit genus, aut ſpecies, aut indiuiduũ, ſicut in creaturis. Probatur prima pars: nam commune eſt, quod communicatur pluribus, & in quo plura conueniunt; proprium verò quod ab alio diſtinguitur, & alteri incommunicabile; ſed in Deo eſt vna eſſentia, quæ tribus communicatur perſonis, & in quo tres conueniunt hypoſtaſes, & plures perſonæ, quæ ad inuicem diſtinguuntur, & alteri incommunicabiles: ergo in Deo eſt cõmune, & proprium. Probatur ſecunda pars. Primò ex Boetio* 1. *de Trinit. vt in textu.* In Deo non eſt nec vniuerſale, nec particulare. *Secundo ex D. Aug. vt in litera Magiſtri lib.* 7. *de Trinit cap.* 6. Nam ſi genus eſt de eſſentia; ſpecies autem ſubſtantia, ſiue perſona, vt nonnulli ſentiunt: omitto illud quod iam dixi oportere appellari tres eſſentias, vt appellantur tres ſubſtantiæ, vel perſonæ, ſicut appellantur tres equi, eademq; animalia tria: cum ſit ſpecies, equus, animal genus. *Cum ergo dicimus tres perſonas vnam eſſentiam, non tres eſſentias, patet eſſentiæ nomine non ſignificari genus, neque perſonæ nomine ſpeciem. Secundò eod cap. idem ſanctiſſimus Pater:* Quod ſi dicunt ſubſtantiæ, vel perſonæ nomine, non ſpeciem ſignificari; ſed aliquid ſingulare, ac indiuiduum; vt ſubſtantia perſona non ita dicatur, ſicut dicitur homo, quod cõmune eſt omnibus hominibus; ſed quomodo dicatur hic homo, velut Abraham, vel Iſaac, vel Iacob, vel quis alius, qui etiam digito præſens demonſtrari poſſit: *ſic quoque eadem ratio ipſos conſequitur: ſicut enim dicuntur Abraham, Iſaac, & Iacob tria indiuidua; ita tres homines, & tres animæ; cur ergo Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, ſi ſecundum genus & ſpeciem, & indiuiduum iſta differimus non ita dicuntur tres eſſentiæ, vt tres perſonæ? Tertiò ibidem. Vna eſſentia non habet ſpecies, ſicut vnum animal; Pater ergo, & Filius, & Spiritus Sanctus non ſunt tres ſpecies vnius eſſentiæ; Diuina ergo eſſentia non eſt genus, ſed neque ſpecies; Diuina verò perſonæ indiuiduum, ſicut homo eſt ſpecies; Abraham verò & Iacob indiuidua: ſi enim eſſentia Diuina ſpecies, vt homo; ſicut non dicitur vnus homo eſt Abraham, Iſaac, & Iacob; ita non*

Digitized by Google

vna eſſentia diceretur eſſe tres perſonas. Probatur rationibus. Prima ex ipſo S. Auguſtino deducta: vniuerſale eſt vna forma, & natura, & eſſentia multiplicata in pluribus, vnde recipit ſignum vniuerſalitatis multiplicabilis, & multiplicatæ, ſcilicet omne: ſed natura Diuina, neque multiplicabilis eſt, neque multiplicata in tribus perſonis propter infinitã ſimplicitatem: ergo non poteſt dici vniuerſale, quod ſit genus, aut ſpecies. Secũda. Particulare eſt quo ad nomen, quod partem capit: & quo ad rem, quod eſt hic, & nũc, & minus ſimplex quã vniuerſale, & quod ea vnione formæ ad materiã conſtituitur, eam diſtinguẽdo, & in partem ad ſe trahẽdo; & eſt in genere determinato, ſicut eius ſpecies, & genus: ſed Diuina natura etiã in perſonis, non eſt hic determinatè, ſed vbiq; neque nunc, ſed ſemper, & æterna; neque Diuina perſona eſt minus ſimplex, quã eſſentia, vt aliàs eum de eius ſimplicitate; neque in aliquo genere, quia infinita; neque partem materiæ capit, &c. quia tota eſſentia in ſingulis perſonis, & materialiter: ergo Diuina natura, ſpecies, aut genus, perſona, indiuiduum, haudquaquam rectè dici poſſunt.

Septima Propoſitio. Ex corp. quæſt. & in 2. Sent. diſt. 3. par. 1. ar. 1. q. 2. & 3. & diſt. 5. ar. 2. q. 2. & ex 3. Sent. diſt. 10. art. 1. q. 3. corollaria. Indiuiduũ in creatura, neque cõſtituitur accidẽtibus; quia accidentia ſupponunt iam diſtinctã, & indiuiduatã ſubſtantiã, ſed indicatur: neque ſola forma, quia vt ſic cõmunicabilis eſt; neque ſola materia; quia ex ſe quod indiſtinctũ eſt, ſed ex forma adueniente materiæ, ipſã diſtinguẽte, & in partẽ trahente; vnde fit hoc, & hic, & nũc.

Octaua Propoſitio. Diuina perſona ſingularis, & hæc eſt ex ſola origine: differt enim in ead. numero eſſentia Filius à Patre, quia ab ipſo emanat; & Spiritus Sanctus à Patre, & Filio ead. ratione, vt ab ipſis producitur. Pater verò à Filio, & Spiritu Sãcto; quia à ſe eſt, & illorũ origo: neq; cõpoſita eſt ex quo, & quod, vt viſus eſt dixiſſe D. Aug. lib. 7. de Trinit. cap. 6.

Nona Propoſitio. Ex textu Magiſtri, & ex reſp. ad 1. quo D. Damaſc. dictũ explicatur: Cõmunia in Diuinis, & vniuerſalia prędicantur de ſubiectis ſibi particularibus, & alia ibi, li. 3. de fide cap. 7. & cap. 3. ſubſtantia ſignificat cõmunem, & cõpletiuam ſpeciẽ Homideon, ideſt, ſimilium ſpecie: Hypoſtaſeon, ideſt perſonarum. vt Deus homo: hypoſtaſis autẽ indiuiduum demonſtrat. Primò enim, inquit S. Doctor, vſque adeò non propriè locutus eſt; ſed per quandã ſimilitudinẽ, quæ philoſophica dicuntur, gloſſat Magiſter; vt ſicut illud cõmune, & vniuerſale dicitur, quod prædicatur de pluribus; particulare verò, & indiuiduũ, quod de vno ſolo: ita hæc eſſentia dicatur vniuerſalis, quia cõuenit multis pſonis, & de eis dicitur, & de ſingulis ſeparatim, & particulare ſingula perſona. Propter igitur has ſimilitudines, cõmunis cũ vniuerſali conceſſit eſſentiã dici vniuerſale; genus, & ſpeciẽ, & perſonas indiuidua; nõ negans tamẽ plurimas diſſimilitudines, quæ inueniũtur; ſi adæquatè ſumatur inter philoſophos, & creaturas vniuerſales: quas diſſimilitudines pluris faciens, ſolertiusq; penſitans D. Aug. cautius locutus, negauit eſſentiam eſſe dicendam genus, &c. & perſonas indiuiduum, & particulare: nam ad rigoroſum modum creaturæ, regulasq; Ariſt. rectè ſic dici non poſſunt.

Decima Propoſitio ex quæſt. 3. Nec materia, nec principiũ materiale, nec genus in Deo, nec propriè, neque impropriè, neq; tranſumptiuè, neq; vlla alia ratione admittẽda ſunt; ita vt Diuina eſſentia ſit quoddam cõmune, ex quo veluti ex materia fiant, ac producãtur Diuinæ perſonæ: & licet in ſe conſpicuũ ac patẽs ſit, oppoſitumq; horreant aures piæ. Probatur tamen. Materia eſt principium paſſiuũ, atque adeò incompletũ; vt ſit propriò nihil, ex D. Aug. 12. Confeſſ. cap. 7. ergo à Deo remouenda, qui cum ſit puriſſimus actus, & perfectiſſimus, nihil poteſt aut recipere, aut ei deeſſe. Secundò, ſi materia eſt in Deo aut ratione ſui, aut aliorum: non ſui: nam aut pura materia, aut aliquid aliud. Non primũ; tũ quia eſſet non ens; tũ quia eſſet materia ſui. Non ſecundũ; quia ex eo & materia Deus eſſet compoſitus, quod eius ſummæ ſimplicitati repugnat. Non ratione aliorum; quia ab eis non diſtingueretur, ab eiſq; perficeretur: hæc enim materiæ ratio.

COMMENTARIVM.

HOC non indiget cõmentatione: per ſe enim patentiſsimũ eſt; adeò, vt ſicut Dei propriũ eſt, eſſe primum independens, & purũ actum: ita maximè repugnat materiæ ratio, cuius eſt non eſſe, ab alijs pendere, actuari, perfici, & cõponi. Præterea, circa particulam (nec trãſumptiuè) præter alia ſupra neceſſariò obſeruata, cum de actuum notionalium origine ageretur; eſt hic obſeruandum: concordem omniũ Theologorum, tum de philoſophia rectè ſentientiũ, tum de Theologia hoc loco ſententiam: D. enim Tho. multis locis, in primis 1. par. quæſt. 3. art. 5. 6. 7. & 8. Sententiarij, præſertim diſt. 8. de ſimplicitate Diuina conſtanter, & vniformiter hoc tradiderunt; neque vllius momenti ſunt, aut eſſe poſſunt quæ obijciuntur. Si enim primò quis inſtet, perſonam productam in Deo eſſe productam de ſubſtantia: ergo ex materia, ex qua cõſtituitur in eſſe perſonæ, cum adueniẽte forma relationis ſubſiſtentis. Iam antea huic inſtantiæ factum eſt ſatis: negatus enim eſt, & modus dicendi, & conſequentia: neque enim conceditur; perſona eſt de ſubſtantia, aut de eſſentia abſolutè; ſed cum addito, Filius eſt de ſubſtantia Patris ad ſolam originem, & conſubſtantialitatem teſtandam: cum non ergo materia ſignificetur; inde patet, cur nulla ſit conſequentia. Neque ſecundò vrges, ſi dicas, Deus eſt forma, teſte Boetio lib. de Trinitate: ergo refertur ad materiam: nam materia, & forma correlatiua ſunt: luce enim meridiana clarius, Deum non

eſſe

eſſe formam conſtitutiuam & partis, quę ad materiam habitudinē dicat;ſed eo ſenſu formam nuncupari,quo actus purus,& exēplaris ſignificetur.

Multò minus officit, ſi obſtes. Deus eſt cauſa efficiens : ergo ad finem refertur: conſtat enim de hac relatiua dependentia ad finem; ſed nihil officit,inquam, nam Deus efficiens, & finis incidunt in idem : eſt enim ipſiſſimus Deus ſuarum actionū finis, *Alpha,& Omega,principium, & finis*. Certior denique eſt veritas hæc ; vt nullam dubitandi neque vmbram incutere poſſint quæcumque oppoſita argumenta. Quod ſi quis tentans opponeret,

Fundamētum rebus exiſtendi præbent materiæ: ergo competit Deo,qui dat, ſuſtinet, portat, conſeruat omnium rerum exiſtere. Reſpondetur, hoc indignum eſſe Deo:ita enim exiſtit materia fundamentum; vt tamen deforis actuetur, & perficiatur, ſcilicet à forma.

Magis puerile ſi addatur:omnis finitas eſt à forma; Deus infinitus eſt : ergo forma caret; materia verò infinita : ergo per aliquam ſaltem tranſumptionem competit Deo.

Iterum,materia ex ſe nullam habet diſtinctionē, à nulloq; diſtinguitur : ergo neque à Deo. Probatur antecedens: omnis enim diſtinctio eſt à forma, Ariſt.7.Metaph.tex.49.deinde ponitur in Deo,quo eſt,& quod eſt,quia non differunt:ergo & materia, & forma. Sed quid hæc?materia enim infinita dicitur, quia finitione perficiente caret ; Deus verò oppoſito modo,quia limitatione caret. Materia denique ſe ipſa differt, & à Deo, quemadmodum & à forma,quia Deus perfectus; ipſa verò imperfectiſsima. & regulam, & textum Ariſt. interpretatur S.Bonau. de diſt. perfecta, hoc eſt, ea dicuntur perfectè differre ad inuicem,aut ſpecie, aut numero,quæ per ſuam formam perfectum eſſe habent. Hinc perfectiſſimè per has, quæ vocantur primæ, ac ſummæ differētiæ,differt Deus,quia eſt ens perfectiſſimum ; materia verò imperfectiſſimè. Hinc, ad quod vltimo loco ponebatur,neganda toto cælo conſequentia : nam materia intrinſecè differt à forma, à qua recipit eſſe completum ; & quia materia in ſe eius naturæ eſt, vt repugnantiam inuoluat in Deo.

Obſeruanda hæc duo aſſerta philoſophica in reſponſ.ad 5.& 6. Pulcherrima enim ſunt,ac peracutè indignitas materiæ explicatur, & textus Ariſt. enucleatur.

Compertiſsimum pariter ead.ratione quam veritati conſentaneè, quā rationi à Diuinis perſonis, ad earum tuendam de Fide æqualitatem, & totum integrale,& vniuerſale,quod ſit genus,aut ſpecies, & ſubinde indiuiduum,& particulare ſpecie cōprehenſum,exploſum,atq; excluſum maneat : ſic enim loquuntur Patres; ſic omnis conſpirat Theologus ; ſic rei dignitas,ſtatus, ac perſonarū æqualitas expoſtulat; ſic cumulatè D.Tho.ad inſtar cęterorum Theologorū in 1.Sent.diſt.19.art.1.& 2. ead.prorſus.quæ ex D.Bonau.retulimus: de toto enim integrali quæſt.1. ratio,inquit,totius integralis,& cōpoſitionem dicit, & partem imperfectionē intrinſecè inuoluentem:ergo repugnat tum ſimplicitati, tum abſolutæ perfectioni Diuinæ. Quæſt.verò 2. de genere, & ſpecie. Primò. Omne ſuperiùs eſt pars integralis conſtituens definitionē inferioris; vnde dicit Porphyrius,quod genus ſe habet ad ſimilitudinem materię,& differentia ad ſimilitudinem formæ,& ſpecies ad ſimilitudinem compoſiti : ſed in Diuinis non eſt totum,neque pars integralis: ergo neque totum,neque pars reſpondens vniuerſali. Secundò. Vbicumque eſt,ſecundum Auicennā,genus, & ſpecies, oportet quidditatem eſſe à ſuo eſſe differentem ; ſed in Deo quo eſt, & quod ſunt, idem prorſus: ergo. Tertiò.Eſſentia vniuerſalis non ead. eſt numero in ſuis particularibus,niſi ſecūdum rationem;ſed de Fide eſſentia Diuina ead.numero eſt in ſingulis perſonis:ergo.Quartò.Particulare ſemper ſe habet ex additione ad vniuerſale ; ſed in Diuinis propter ſummam ſimplicitatem omnis arcenda ceu repugnans additio : eſt enim cōpoſitio : ergo. Denique,in Summa quęſt.42.art.4.ad tertiū, breuibus hæc ead. repetens, longiori, ac grauiori ponderatione, & indagine & auctoritate; vt in vltimo teſtamēto ſenior,doctior,ac ſanctior effectus, ſic veluti decernit. Relatio in Diuinis non eſt totū vniuerſale,quamuis de ſimilibus relationibus prædicetur, quia omnes relationes ſunt vnum ſecundū eſſe,& eſſentiam, quod repugnat rationi vniuerſalis,cuius partes ſecundū eſſe diſtinguuntur. Similiter & perſona, non eſt vniuerſale in Diuinis : vnde neque omnes relationes ſunt maius aliquid, quam vna ſola,nec omnis perſona maius aliquid,quam vna tantum;quia tota perfectio naturę Diuinæ eſt in qualibet perſonarum. Hæc S. Thom.

Vide quanti ponderis, quantiq; æſtimanda hæc falſa,prohibitaq; aſſertio.Genus,aut ſpecies eſt in Deo: hæc enim ſi concederetur,cōniueretur Arrio, dicenti Filium à ſubſtantia Patris differre, omniq; Ethnicorū populo præberetur aſſenſus, qui plures Deos ſtultiſsimè, reclamante etiam recta ratione luminis naturalis, conſtituebant : ſi enim natura generis in ſpeciebus,& ſpecies in indiuiduis multiplicatur : ergo plures Dij,tres perſonæ: nam in ipſis Diuina eſſentia multiplicaretur ; imò ergo nullus Deus: nam veri Dei ratio poſtulat;vt ſit illimitatum,vnumq; eſſe Diuinum.

Verùm ſi tāta aſſeueratione aſſerenda,tuendaq; hæc veritas,non concedendū totum vniuerſale in Diuinis,quod cauſæ eſt, quod mouerit D. Auguſt. receſſito loco 7. de Trinit. cap.6. vt dum quidem ſtrenuè vrget,ac cōmonſtrat rationibus hanc, quā verſamus veritatem, refert alios oppoſitū ſentientes;contra quos tamen neque inſurgit, neque eos vt aſſolet, acriter redarguit : inter quos fortaſſe fuit D.Hilarius,quem refert S.Thom.art.2. arg.3. diſt.19. Qui Dei Filius,inquit, generis ſui poteſtatem in aſſumpta humanitate exercuit, vbi eſſentiā genus nuncupat, quos poſtea imitatus D. Damaſcenus; vt ſupra ex Magiſtro docuerit, in Diuinis communia,& vniuerſalia prædicari,&c.

Reſpondendum,ac exiſtimandum D.Aug.plurimi ſemper facientem Doctores, alioquin de Diuinis literis optimè meritos,aliqua pia gloſſula poſſe gloſſari, ſibi perſuaſiſſe, & aliqua veritate vſos illis verbis,licet non vſque adeò propriè : quare,& Magiſter,& D.Bon.D.Damaſcenū interpretati ſu-

ſtinuerunt, vniuerſale pro communi ſumpſiſſe. D. Thom. hic D. Baſilium locutum ad ſimilitudinem creaturæ accipit: communiter enim loquendo dicimus, genus hominum eſſe vnum genus, ſecundum quod multitudo eſt multorum habentium ſe ad vnum principium; ſic pluralitas perſonarum ſecundum ordinem emanationis ad vnum principium, quod eſt Pater: ergo hi, qui hoc modo ſunt loquuti, non naturam generis, ſed modum prædicandi *Communis* de pluribus in Diuinis, nuncuparunt genus, & vniuerſale; quod explicatiſsimè dixit Damaſcenus illa phraſi, *Diuinas perſonas differre numero, non natura*, nimirum licet perſonæ numerentur, non numeratur tamen natura; quia vna, eademq; eſt; ac ſi liquidò dixiſſet; numerus qui in diuinis admittitur perſonis, non eſt eiuſdem rationis cum eo, quo numerantur creata: vbi diuerſa natura neceſſariò, ac plura ſubſtantiæ ſuppoſita, pluresq. ſubſtantiæ: pari, ac conſimili ratione, dum *vniuerſale* concedit prædicari in Diuinis, non illud *vniuerſale*, quod in creatis multiplicatur; ſed illud quod Diuinis competere poteſt perſonis, in quibus vna, eademq; communicata, non tamen multiplicata eſſentia prædicatur: modum prædicandi admiſit Damaſcenus, rem tamen ad illum modum prædicatam multiplicari non admiſit: ſuſtinuit D. Auguſt. quod ſuſtinet, & decernit fides.

Obſeruanda Sancti Doctoris opinio de principio indiuiduationis, quam ſemper eandem repetit, quam multi inter multas alias ſententias, vt probabiliorem ſuſceperunt tueri, pro qua hic non eſt inſtituenda Apologia: nam alium expoſtulat locum, neque miſcenda hoc loco prophana, hoc eſt, phyſica Diuiniſſimis.

Vndecima Propoſitio ex quæſt. 4. Adeò æquales ratione vnius, & eiuſdem eſſentiæ, in ipſis ſecundum omnem perfectionem ſubſiſtentis, ſunt Diuinæ perſonæ; vt neque differentiam numericam aut admittant, aut admittere poſsint, ſi ſumatur numerus adæquatè, & penes ſua intrinſeca requiſita. Probatur primò ex D. Ambroſ. ſuper 2. epiſt. ad Corinth. Ibi vera vnitas, vbi nulla diuerſitas. *ex Boetio de Trinit. cap. 5.* Nulla in Deo diuerſitas, nulla ex diuerſitate pluralitas, nulla ex accidentibus multitudo. *ex Ariſt. 12. Metaphyſ. tex. 49.* Omnino materia numerabiliter eſt: *ergo neque diuerſitas numeroſa. Antecedens ex tot aſſerentibus conſtat; conſequentia euidentior eſt. Nam differentia numeri, eſt aliqua inſignis diuerſitas, cuius ratio, & origo eſt materia, quæ iam ex Deo exploſa eſt. Secundò, quæ differunt numero, & indiuiduo, numerant omnia, quæ in ſeipſis ſunt, ſaltem ex parte principij formalis, & dantis eſſe: ergo in Diuinis repugnat, & eſt contra principia fidei, & rectæ rationis admittere numerum. Probatur antecedens. Petrus, & Paulus differunt numero, & ſunt duo: ergo etiam duo homines: ergo duo animalia: ergo duo alba, vel nigra: ergo duo quanta: ergo duæ ſubſtantiæ, &c. Conſequentia inde probatur. Si Pater, & Filius differunt numero, & ſic duo ſunt: ergo duas habent naturas, duas eſſentias, duas Deitates: ergo duo Dij contra Fidem, & rectam intelligendi rationem, vt aliàs etiam indicatum eſt. Tertiò, quod ita intrinſecè eſt vnum, vt ei repugnet multiplicari, numerari, neque numero differre poteſt: talis eſt Deus: ergo. Euidens eſt maior: nam numerus ex ſui quidditate multitudinem requirit. Minor euidentior, & fide, & natura, hoc eſt, naturali lumine, ſuo loco ſupra. Quartò, quæ differũt numero ſeparabilia ſunt, ſaltem intellectu, & probatur. Aliàs numerari non poſſent: numerari enim eſt quoddam mentem ſeparare: ſed Diuinæ perſonæ, neque mente intelligi poſſunt ſeparatæ (Nota contra eos, qui vnam perſonam ſine alia concipi poſſe autumant) tum ex circuminſeſſione; tum, quod in eadem reſidit, ex identitate naturæ; tum denique ex natura relatiuorum: ergo. Quintò, numerus, qui eſt paſſio conſequens ad ea, quæ numero differunt, & iam ſunt numerata, eſt aggregatio multitudinis, in qua plus eſt in tota, quã in ſingulis partibus, & cuius ſingulæ partes habent diſtinctum, & limitatum eſſe per additionem, ac ſubinde per compoſitionem, & materiam: ergo repugnat Deo. Conſpicuè eſt conſequentia, ex omni ferè huc uſque ante explicata Theologia. Sextò (& eſt explicatio tertiæ ante conſtructæ rationis) quo eſt nimirũ natura, & eſſentia, vnde vnitas generis, & ſpeciei, & quod eſt, ſcilicet ſuppoſitum indiuiduũ, & res naturæ ex quo vnitas, & diuerſitas numerica, in ſingulis per cõpletum eſſe ſubſiſtẽtibus, adeò ad inuicem ſunt coniuncta; vt numerato quod eſt, hoc eſt, ſuppoſito naturæ numeretur, & multiplicetur ipſa natura: eſt euidens in ſingulis creatis: ſed Diuina natura multiplicabilis non eſt: ergo neque Diuinum ſuppoſitum, vt numerari, & differre numero Diuinæ perſonæ, & diuerſæ eſſe poſſint.*

Duodecima Propoſitio. Licet in rebus creatis, quod eſt, & indiuiduũ de pluribus dici, & prædicari non poſſit: Diuinum tamen prædicari, & poteſt, & de facto prædicatur. Prima pars eſt patens: & ratio eſt, quia vnum numero alteri eſt incommunicabile. Secunda quoque pars conſimili modo patet: nam illud quod eſt Diuinum, non eſt vnum numero, quia non limitatum; vnum tamen; quia non plura eſt ipſamet Diuina eſſentia, vt à ſe, & per ſe exiſtit; tamen communicabilis tribus ſuppoſitis.

Decimatertia Propoſitio ex reſponſione ad ſecundum. Diuinæ perſonæ numerantur quidem: dicuntur enim tres, Tres ſunt qui teſtimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus: *non differunt tamen numero. Prima pars inde probatur: præter diuinum oraculum nunc recenſitum: nam numerantur diſtinctæ ſola inter ſe proprietates, non à natura niſi ratione. Secunda etidem pars perſuadetur; quia differre numero, eſt differre, & eſſe diuerſum in natura; quare dum numerantur perſonæ creatæ, numerantur & quæ, & quod.*

Deci-

Digitized by Google

Decimaquarta Propoſitio ex reſponſione ad 5. Idē, & diuerſum non abſolutè diuidunt, niſi ens creatum, quod natum eſt multiplicari, & numerari ex D. Hilario: Deum ex Deo natum, nec eundem natiuitas, nec alium eſſe natura permittit.

COMMENTARIVM.

QVEMADMODVM antea, quia Diuinarum perſonarum ordo earundem æqualitati, prima facie quoquomodo derogare videbatur: neceſſum duxit S. Doctor cum reliquis ſolerter excutere, qualis ordo in Diuinis admitteretur, qui æqualitatem non læderet: ſic hoc loco propemodum: nam numerus ſi ſumatur vt per hominum capita volitat, magis eidem æqualitati aduerſari videtur: numerat enim nedum vnitatum multitudinem, ſed & naturam, & inducendo diuerſitatem plurium, eſſentiæ quoq; diuerſitatem inducere ſolet; oculatius, ac diligentius cum numero, identitatem, & æqualitatem eſſentiæ tuendi ſuſcipit onus, ac ſane res magni momenti eſt: ex vna ſi quidem parte numerari perſonas docet, & præcipit fides ex illo in primis loco, *tres ſunt qui teſtimonium dant in Cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus:* & Diuinas perſonas inter ſe realiter eſſe diſtinctas eſt apertiſsimum dogma contra Sabellium: ex altera quoque parte eadem fides vnam eſſe in tribus eſſentiam eadem certitudine, ac ſtabilitate decernit; vt vtrumque ſuis locis ſatis Theologicè diſcuſſum exiſtimo. Nihil ergo mirum, ſi S. Doctor præter ea, quæ aliàs de numero Diuinarum perſonarum prodidit literis, nunc iterum eundem numerum aſſumat, & nō acta agens, ad hunc finem pro æqualitate ſuſtinenda, quid ſit numerus, & qualis admittendus in Deo.

Ergo ex quęſt. titulo, plura dicturus diſt. 24. cum cæteris Theologis, hoc vnum quærit; An numerus inter Diuinas perſonas ponat eam differentiam, quam inter creatas vnitates plures ponit; quod vt ſoluat ſedula indagine docet, quid ex communi hominum conceptione, & rerum vnitate, ac pluralitate *ſit vnum, & ipſa multitudo, ac conſequenter numerus.* Deinde hinc, *qualis numerus* in Deo ponendus, dilucide colligit; ille præcisè nimirum, qui nullam in Diuina natura efficit diſtinctionem, differentiam, ac pluralitatem; ſed dumtaxat inter proprietates, ac perſonas, ſolam diſtinctionem, ac pluralitatem: ſubinde quoad primum. Primò, inquit,

Numerus eſt quædam paſsio, conſequens, ac reſultans ad ea, quæ inter ſe diuerſa ſunt: deinde propriè, multitudo, inquit, plurium diſtinctarum vnitatum eſt numerus: quam ceù diffinitionem ex Ariſt. 10. Metaph. text. 4. deſumpſit, *vbi numerus eſt vnitatum multitudo, vna numerabilis:* & ex Auerroe 3. Phyſicorum, com. 68. *numerus eſt vnitatum compoſitio,* & ex D. Greg. Nyſſ. in hiſt. ſex. dierum, & ex D. Damaſceno in ſua Logica cap. 49. *Eſt vnitatum congeries, atque coniunctio:* Quę tamen multitudo, vt ſit formaliter numerus, indiget anima colligente, ordinante, & numerante vnitates; ita vt numerus ſicuti vniuerſale quoddam, non habeat eſſe formale niſi ab anima, vt infra, diſtrictius: vt materiale numeri ſint plures vnitates, ac multitudo; formale verò totum reſultans ex hac multitudine per operationem intellectus numerantis. De ratione verò vnitatum quæ ſunt partes numeri in potentia ad vnitatum numerum conficiendum eſt, vt ad inuicem ſint diſtinctæ realiter, ac limitatæ, & finitæ, ac inde compoſitæ: Diſtinctio autem illa fit per additionem, & ſua diſtinctione diſtinguat, ac numeret vnitates numeri partes, ac indiuidua numerabilia: hanc rationem addit à priori. Quo eſt, & quod eſt, ſcilicet natura, & ſuppoſitum adeo ad inuicem ſunt vnita, vt multiplicato ſuppoſito neceſſe ſit multiplicari & naturam: ergo numerus numerans, ſuppoſita numerat, & naturam; ergo verè diuerſitatem in natura facit. Itidem de ratione multitudinis eſt, vt ipſa ſit plures, quam eius pars, ac multo magis, quam vna ſola vnitas, ac maior pars quam minor: res euidens eſt, ac patentiſsima etiam ſenſibus: plura enim ſunt decem quam quinque, & quinque quam duo &c.

Hæc eadem pluribus docet Albertus Magnus; plures numeri rei numeratæ diſtinctiones afferēns, plura de vnitate differēns, & actibus formæ ad vnitatem conſtituendam &c. tandem ex his quod magis ad rem facit, deducit. Bifarius eſt numerus ex parte rei numeratæ: alius ſimpliciter, alius ſecundum quid: primus eſt qui abſolutè in pluribus eſt, non ſola aliqua ratione, ac proprietate; ſed natura, & ſubſtantia diſtinctis: alter verò numerus inter ea inuenitur, quæ in eadem vna natura exiſtunt diſtincta aliquo modo; vt v.g. ſi in Anima numerentur potentiæ idem eſſentialiter cum anima.

S. Thom. diſt. 24. eadem aſtruit, ſed faciliori; ac dilucidiori methodo vt aſſolet ſemper. Quemadmodum vnitatis ratio conſiſtit in indiuiſione: ſic numeri, ac multitudinis ratio in diuiſione, diſtinctioneque aliqua, vnde ea, quæ inuenimus diuerſa ſimpliciter, dicimus multa ſimpliciter; quæ verò ſecundum quid diuiſa, conſimili modo, multa ſecundum quid aſſerimus. Diuiſio autem ſimpliciter attenditur, ſecundum vel eſſentiam, vel quantitatem, vel materiam iuxta varias numeratorum ſpecies. Secundum quid verò diuiſio eſt, quæ ſumitur penes rei proprietates; vt hominem album à nigro diuerſum dicimus, ac diſtinctum: ac etiam penes diſtinctionem relationum etiam rationis, vt ſi dicatur punctus multiplex, quia diuerſarum linearum principium.

His obſeruatis colligit, quod quærebat S. Doct. ergo numerus Diuinarum perſonarum non efficit in ipſis differentiam, neque diuerſitatem numero, ac inde: ergo ibi numerus eſt dumtaxat ſecundum quid. Probat primam partem: nam non numerat eſſentiam, neque perſonæ eſſentia differunt; quod tamen requirit numerus adæquatè, & abſolutè ſumptus: neque vnitates perſonales ſunt partes huius numeri propriæ, neque limitatæ per additionem

Digitized by Google

tionem, ac compoſitionem: neque duæ perſonæ ſunt quid plus quam vna ratione iam indicata; quia in ſingulis perſonis eſt tota, & vna eſſentia immultiplicata. Probat ſecundam partem: eſt enim ibi iuxta pluralitatem realem proprietatum, ac perſonarum, numerus, & numeri differentia, & duæ relationes ſunt plures, quam vna; non tamen plus, vt docet Albertus, ac diſt. 19. & indicat S. Bonauentura ad tertium, & quartum argumentum; vbi conceditur nullam differentiam numeri inter Diuinas perſonas; eo quod numerus ſequitur propriè pluralitatem ipſorum, quæ conſtant ex ſuppoſito, & forma abſoluta multiplicata. Et Albertus negat concedere vnitates plures relationum eſſe partes numeri; quia pars, & vnitas quæ facit plura, ſic conſtituitur, & diſtinguitur, & multiplicatur per plures formas, & eſſentias. Sed exiſtimo poſſe tutè hæc admitti, ſi limiterur hæc doctrina; differunt numero relationum: relationes enim verè ſunt tres, & ſingula relatio eſt vna, & vna, & duæ poſſunt dici partes illius numeri; illi tamen rectè negant ſumpto numero, & partibus propriè: hic verò ſumitur ſecundum quid, ſcilicet relationum; & videtur quod hoc ſenſu aſſeritur congruè concedendum, vt proprietas Diuinæ Scripturæ ſuſtineatur: aſſerit enim Scriptura, *tres ſunt qui teſtimonium perhibent &c.* ſi tres, ergo ſalua identitate naturæ verus numerus: ergo conſtat ex veris vnitatibus, & partibus relatiuis numeri pluribus. Hoc expreſsè docuit S. Thom. 1. parte quæſt. 30. art. 1. ad quartum illis verbis. Numerus eſt duplex, ſcilicet ſimplex, & abſolutus, & numerus in rebus numeratis. Si primo modo in Deo eſt totum, & partes numeri; in quem locum admodum ad rem plures qui, non plura quod, adducitur. Hæc ſecunda pars probanda, ſed infra in diſputatione.

Ad argumenta, ſolerter primò animaduertenda argumenta D. Bonauenturæ pro Parte affirmatiua, & cum grano ſalis, vt aiunt, interpretanda: videntur enim nimis probare, & omnem numerum à Deo remouere, ne dum eſſentiæ, ſed etiam perſonarum: intelligenda ergo ſunt, vt tantum contra numerum eſſentiæ pugnent, & hunc eſſe etiam ſenſum locorum Sanctorum Patrum ibi relatorum: nam ijdem Patres alijs locis, & perſonarum numerum tradunt, ſuſtinent, & inculcant. Deinde ad argumenta negatiua ſic reſpondendum. Primum continet authoritatem D. Damaſceni, qui hoc termino vtitur. Diuinæ perſonæ differunt numero, non natura: ergo licet & nobis eodem modo loqui, appoſita illa reſtringente limitatione (non natura)

Reſpondet ex Magiſtro in textu propriè loquendo, non concedenda differentia numeri, nec diuerſitas in Deo; & iam nota eſt ratio: numerus enim propriè, & philoſophicè ſumptus, vt loquitur magiſter, numerat, & multiplicat formam, & eſſentiam: ſi verò limitetur, differt numero proprietatum, & relationum, aliàs non numerarentur, concedendum eſt: hic enim numerus, eſt ille *ſecundum quid*, quem vnanimi conſenſione omnes concedunt, & concedit apertè S. Doctor in explicatione D. Damaſceni, & non poteſt negari hæc conſecutio. Diuinæ perſonæ numerantur: ergo differunt numero. Antecedens eſt Diuinæ Scripturæ: *ſunt enim tres*, ſed addendum; ſicut non numerantur ſimpliciter; ſed ſecundum quid, ſcilicet relationum: ita differunt numero, non abſolutè; ſed relationum, quibus ſoluitur & ſecundum argumentum, vt conſtat.

Tertium eiuſdem ponderis, & eiuſdem ſolutionis. Perſonæ Diuinæ de fide differunt re: ergo numero: non enim genere, aut ſpecie. Conſequentia eſt certa: nam hæc omnium diſtinctionum realium ſumma.

Reſponſio, & neganda eſt conſequentia. Sumendo numerum abſolutè, & in omni latitudine; & ad confirmationem diſtinguendum, in abſolutis concedendum, in merè relatiuis negandum: omnia enim quæ abſolutè, & ſecundum eſſentiam etiam differunt, verè aut genere, aut ſpecie, aut numero differunt: quæ verò in eadem natura, relatione dumtaxat reali differunt; differunt quidem, neque tamen numero; ſed relatione, vt in Diuinis de quo hic ſermo; ſed nihil vetat concedere differre numero relationum.

Quartum. Diuerſitas ſuppoſitorum ſecundum numerum, non reſpicit diuerſitatem ſecundum naturam, ſed ſuppoſitorum: ſed in Diuinis numerantur ſuppoſita: ergo & differentia ſecundum numerum inter ipſa, illæſa manete identitate naturæ. Maior probatur ab oppoſito. Vnitas enim ſecundum ſuppoſitum non reſpicit vnitatem formæ: nam idem Petrus v. g. eſt albus, & ſedens: ergo in eodem vno pluralitas admittitur, ſeu forma.

Reſponſio, & totus eſt S. Doctor in explicanda vnitate, & diuerſitate ſuppoſiti, ad quam rectè poſſit vera numeri ratio conſequi, ac ſtatuit: neque vnitatem, neque diuerſitatem numeri competere, niſi ei ſuppoſito, in quo differt, quo, & quod ſcilicet ſuppoſitum, & natura quod quidem; quia non ita differt in Diuinis; neque vera ratio, ibi ſcilicet tota numeri, innenitur ad formam argumenti. Negatur maior, de numero proprie ſumpto. Ad probationem reſpondetur ex eodem Sancto Doctore ſupra. Pluralitatem accidentium non conſtituere, neque diſtinguere ſuppoſita ſubſtantialia: plura enim & admitti, & requiri ad vnum, & idem ſuppoſitum accidentia, certum eſt. Quod ſi quis de indiuiduo viuente obijceret, in quo vno duæ formæ ſubſtantiales reperiuntur, corporis ſcilicet, & animæ. Reſponſio: ſi id concedatur ita ſubordinatas reperiri, vt vna, hoc eſt, prima in ordine ad alteram quaſi materiam ſe habeat: informatur enim corpus ſic conſtitutum ab anima.

Quintum. Pater in Diuinis ad Filium comparatus, aut eſt ei idem, aut diuerſus. Idem non eſt, de fide: nam alias adeſſet Sabellij hæreſis, negantis realem, ac veram perſonarum diſtinctionem, ergo diuerſus; ergo aut ſpecie, aut numero: non ſpecie, quia ex ante dictis in Deo non conceditur ſpecies, & admittitur diuerſitas; ergo numero. Probatur verò conſequentia ex 10. Metaph. tex. 9. Ariſt. Idem, & diuerſum ſufficienter diuidunt ens.

Reſponſio. Primò. Idem, & diuerſum bifariam

per-

percipi poſſe; aut abſolutè, aut relatiuè: deinde aut re, aut tantum ratione: in Diuinis eſt idem, & diuerſum, non abſolutorum, ſed relatiuorum; quæ ſi ad eſſentiam comparantur, faciunt diuerſum ratione; ſi ad inuicem, diuerſum quidem re, ſed relatiua: ſed hæc non ſufficiunt ad diuerſitatem plenam numeri, vt pluries iam in hac eadem quæſtione: quare, ad argumentum neganda vltima conſequentia: non enim quæcumque diuerſitas ſufficit ad numerum, de qua illo loco Ariſt. Deinde, & facilius, & ſolidius S. Doctor, eadem negata conſequentia interpretatur, Ariſt non loqui de quocumque ente, ſed dumtaxat de ente creato: neque enim ens Diuinum admittit illam diuerſitatem, quæ eſt neceſſariò de natura, & forma, & conſequenter S. Doctor non potuit non ſic text. illum gloſſare, ac limitare: hanc enim diuerſitatem ratio numeri adæquatè ſumpti expoſtulat; quocirca toties repetit, & inculcat. Quod verò addit, diuerſitatem inter Diuinas perſonas medium tenere inter idem ſimpliciter, & diuerſum ſimpliciter, & veriſsimum eſt, & facillimum; quæ ſubinde minor eſt, quam requirat numerus abſolutè, & quæ diſtinguit etiam naturam, & maior ea quæ rationis dicitur: eſt enim inter realitates relatiuas; & rectius, ac ſimplicius diſtinctio, quam diuerſitas nuncupatur.

DISPVTATIO.

In hæc capita diſtributa.

Primum. De numero in communi.
Secundum. De numero Diuino.
Tertium. De qualitatibus huius numeri.
Quartum. De terminis, quibus explicatur.

CAPVT I.

De entitate, & forma numeri.

DVO explicare hoc capite manifeſtè diſtincta ſuſcipimus: alterum quid ſit numerus: quam vnitatem habeat alterum; vtrumque tamen neceſſariò: nam aliàs nobis ſufficienter de Diuini numeri requiſitis, ac differentijs non conſtabit, & vtrumq; eodem capite: nam tum breuitati incumbimus, tum adeo ad inuicem hæc duo coniuncta ſunt, vt ferè vnum abſque altero verſare non facile ſit.

De primò igitur, dum eius entitatem quæro, adhuc duo quæro: alterum, an entitatem realem, vel rationis habeat: alterum, quæcumque ex his ſit, quid ſit.

Sed primò, hoc loco de numero, aut numerorum ſpecie non eſt opus diſtinguere. Quod enim ac pereruditè quidem, diſtinxit Scotus in primo, diſt. 24. & 4. Methaph. quæſt. 2. & alibi, numerum tribus modis differre; vt primus formalis, & eſſentialis, hoc eſt, formaliter, & eſſentiarum nuncupetur: alter mathematicus, & accidentalis, ſcilicet accidentis, quantitatis diſtinctæ, ex diuiſione continui. Tertius denique ſenſibilis, nempe rerum in mundo exiſtentium, & ſenſibus obiectarum quæ numerantur, quod ante ipſum perſcitè fere tradidit & S. Bonauentura 1. ſent. diſt. 2. dubio 7. literali, illis verbis. Diſtinctio vnitatum fit tripliciter, continui diuiſione, formarum diſparatione, gradu, ſiue ordine: veriſsima, inquam quidem, ſed cum magis ſint quaſi materia numeri, & res numerata ad eum, qui quidditatē numeri perquirit, non admodum videntur neceſſaria; neque omnino tamen otioſa, vt conſtabit.

An igitur aliquem entitatis gradum realem in rerum natura obtineat numerus, nunc peruestigamus: ac quidem aliqua ex parte numerus realis eſt, neque quiſquam ſanæ mentis inficiari poteſt: nam eſt ſpecies quantitatis diſcretæ in prædicamento; ſicut & in reliquis entia realia diſtribui, communior peritiorum ſententia eſt. At verò hæc magis ad materiam, & res numeratas numeri ſpectare videntur: vnitatum enim in quocumque genere multitudo non conſpecta, neque ad inuicem per intellectum aſſumpta, obſeruata, numerus formaliter non eſt; ſed res numero comprehenſibilis. Formalitas igitur numeri, aut efficitur, & perficitur ab intellectu numerante, aut ab intellectus operatione reſultat, aut extra intellectum eſſe non habeat reale: effectus tamen realis, non rei; ſed intellectus erit, ſi ſumatur rationis, ſicut rationis relatio, & ordinis attendatur: ordinis quidem, non illius qui realis eſt inter plura, quemadmodum inter Diuinas perſonas: nam origine Pater eſt primus, Filius ſecundus, Spiritus Sanctus tertius: non enim hic ordo eſt numeri, ſed naturæ, & naturalis originis, qui in numero inueniri haud quaquam poteſt: numerum enim incipere poteſt numerans à quacumque vnitate, neque de ratione numeri magis ab vna, quam ab alia exordiri neceſse eſt: æquè enim vt de Diuinis loquamur, erit numerus trium perſonarum, ſi à Spiritu Sancto incipiat quis, ac ſi à Patre: alia namque ratione à Patre incipiendus numerus, ſcilicet originis, non numeri ratione. Ordinis numeri ratio in aſsūptas vnitates multitudinis ab Intellectu pendet, & ſumēda; ergo cum hic numeri ordo, qui eſt ratio formalis, non ſit ex natura rei in rebus, ſed in intellectu, & ab intellectus operatione; materialis quidem, & propinqua, ſcilicet vnitatum multitudo, & realis eſt; formalis tamen rationis, & per intellectum; quæ ſic poſſet quoquomodo definiri. Eſt diſtinctio, & ordo prioris, & poſterioris poſitus, vel reſultans ab intellectu inter plures vnitates; ratione cuius dicuntur differre numero.

Dixi, ab intellectu, vt & actum, quo numerat; & colligit vnitates; & numerum, quem ſecundum quoſdam producit vtrumque realem, licet non extra mentem, & per mentem indicarem. Dixi, vel reſultans; vt alteram quorumdam complecterer Sententiam, mihi magis arridentem, qui ens rationis, & ordinis reſultans ex actu numerantis intellectus, numerum formaliter ſumptum ſenſerunt.

Sed ab Ariſt. 10. Met. Texr. 4. Numerus hac definitione definitur: eſt vnitatum multitudo vno menſurabilis; & ſub vtraque ratione videtur dafinitus; magis tamen ſub ratione rei numeratæ; & materialis: eſt enim, inquit, multitudo vnitatum apta menſurari vno, nimirum ab intellectu, vt magis ibi numerus formalis in potentia, quam in actu explicetur: quam quidem definitionem, vt luculentius & enucleatius percipiamus.

Primò attendendum ex Caet. in art. 3. ad quæſt. 53. ita ad numerum conſtituendum requiri diſtinctarum vnitatum multitudinem, vt ſine ipſa neque fingi numerus poſſet; ac adeo ſint ad inuicem diſtinctæ hæ vnitates, vt diſtinctio hæc ſit realis, & ſubſtantialis; ſicut inter indiuidua ſpeciei ſubſtantiæ. Ita D. Bonau. hic quæſt. 4. Dixi ſubſtantiæ: accidentia enim non numerantur, niſi numerato ſubiecto, vt duo, vel tria alba: ſi enim quantitas, vel qualitas inueniretur ſeparata, non numeraretur, ſed eſſet vna ex Thomiſtarum principijs præſertim. In vnitatibus autem ſingulis, & ſeiunctis non inuenitur numeri ratio, ſed vt plures, & vna ad aliam refertur. Quod egregiè S. Bonauentura admonuit primo ſent. diſt. 37. quæſt. 3. dum in omnibus entibus, quaſi vbique inueniatur numerus, ſcilicet, in ſingulis vnitatibus materialibus, tanquam in partibus: pars ſiquidem ad totum ordinem dicit; quod totum Ariſt. indicauit voce multitudinis in definitione: non enim eſt multitudo, niſi vnitatum ad inuicem relatarum.

Attendendum ſecundò ex S. Bonau. quæſt. 4. cit. diſt. De ratione harum vnitatum eſt, vt vna ab alia ſic ſit diſtincta, vt in ſe quidem ſit vna poſitiuè; ſed ab alia differat poſitione, additione, & compoſitione ſuppoſiti, ac naturæ, & formæ; vt multiplicato ſuppoſito multiplicari & formam neceſſe ſit. Cuius ratio certa eſt: nam tum, tantum eſt inter naturam, & ſuppoſitum creatum colligamentum, vt ad multiplicationem ſuppoſiti non poſsit & non multiplicari & forma; tum repugnet finitæ, & limitatæ naturæ immultiplicatam inueniri in pluribus indiuiduis: hoc enim ſolius Diuinæ eſſentiæ infinitæ, ſummæque ſimplicis maximè proprium. Quod idem totum fuſiori ratiocinatione edifferit S. Bonau. 2. ſent. diſt. 3. 1. part. 2. quæſt. 2. & 3. Ergo vt ſint partes numeri philoſophicè, vt magiſtri hac diſt. verbis vtar in explicationem D. Damaſceni, & numerentur, & numero differant debent proprio ſuppoſito, propriaque forma conſtare.

Non addo accidentibus: nam hæc adduntur, & conſequuntur ad conſtitutum iam ex principijs ſubſtantialibus indiuiduum veluti extranea. Quo fit, vt vnitas Diuinæ eſſentiæ; co quia maxima, & infinita, nedum non ſit numero vna, quia non poteſt eſſe pars, neque principium numeri, & quæ ſit maxima; quia priuat, & negat omnem multitudinem; atque ita neque multiplicari, neque ingredi cum creatis vnitatibus numerum, neque differre à creatura; poteſt tamen poteſtate, ac virtute productiua eſſe principium multitudinis, ac verè eſt creando, & producendo creaturas.

Attendendum tertiò ex D. Bonau. eadem quæſt. vt vnitates ſint partes numeri debent in aliquo communi, genere ſcilicet vel ſpecie, ſed propriè in ſpecie eſſe: ex Ariſt. enim primo Topicorum cap. 4. & 5 meth. text. 16. omnia quæ differunt, aut genere, aut ſpecie, aut numero differunt, nullumque aliud differentiarum genus reperitur (De ijs quæ ſecundum eſſentiam, & abſolutè differunt; non verò relatione, interprete D. Bon. ad tertium hic) ergo ſicuti quæ differunt genere, in nullo conueniunt: ſic ab oppoſito, quæ differunt tantum numero, in genere, & ſpecie conuenire debent, ac immediatius in ſpecie: ſpecies enim in indiuidua immediatè diuiditur, de indiuiduiſque ex ſui diffinitione prædicatur: quocirca, ſi quis hunc bouem, hunc Aſinum, hunc lapidem, hanc arborem, hancque ſtellam &c. colligeret, numerumque ex ijs quinque componeret; propriè potius congeriem, aggregationemque multorum abſq; ordine, quam numerum efficeret: non enim hæc indiuidua numero dumtaxat; ſed etiam ſpecie, & genere differrent: quoquo tamen modo, licet impropriè ſuppleret, ſi quinque ſubſtantiæ indiuidua, ea vocitaret.

Quartò denique attendendum ex Magno Alberto diſt. 24. Vnitas numerata, aut numerabilis vnitatem conſequitur tribus ex capitibus. Primo à forma; à qua, quo accipit rationem vnius, eo potentia eſt numerus, hoc eſt, numeri pars, & numeri rationem accipit: ſanè verò rei numeratæ ſiue numerandæ forma confert rationem vnius, non quaſi forma præcisè; ſed vt terminat id, cui dat eſſe: ſunt enim tres formæ actus virtute: primus eſt dare eſſe: ſecundus rationem ſpeciei, ſeu naturæ communicare: tertius poſtremò terminare: ab hoc enim actu formę eſt vnius ratio; efficitur etenim per actum hunc res in ſe indiuiſa, & ab alijs diuerſa. Præterea, ex altero, altiorique capite res hæc dicitur vna, comparata ad vnum exemplar, quod eſt Deus: eo enim vna, quo vnitatem habet ſimilem vnitati ideali in Deo, & eò plures vnitates, quò vna virtus Diuina poteſt plures ſua virtute producere, & ſingularum eſſe menſura vna efficiens, & diſtinctum eſſe ſingulis conferens. Tertiò denique, ex inferiori capite res vnitatem ſortitur, nimirum ex materia: tum quia indiuidui vnius principium adæquatum, neque ſola forma, neque ſola materia, ſed vtraque ſimul ac inuicem vnita; quod quomodo, non eſt præſentis negotij: tum, quia, inquit Albertus, videmus decem vlnas panni eſſe numerum quantitatis panni: vlna enim decies iteratur in ipſa panni quantitate.

Alterum hoc eodem capite explicandum de numero conſequitur ad id, quod hucuſque explicatum eſt: eſt enim numerus quid reale in rerum natura, pluriumque vnitatum diſtinctioni quaſi materiæ, & fundamento innititur; perficitur verò, & completum eſſe conſequitur, tum ab efficiente, & numerante intellectu, tum per relationē ordinis inde reſultantis, tum denique obiectiuè, ſcilicet vt cognoſcitur ab eodem intellectu: & quemadmodum realiter eum intellectus cognoſcit: ſic realis hac ratione dici, & denominari poteſt. Sed res

eo

eo vna eſt, quo eſt: ergo poſtquam de numeri entitate, de eius vnitate formali opere precium eſt philoſophari; ſed primo loco ob oculos ponendum, quod ſcitè docuit D. Bonau. hac quæſt. & fuſius, ac lucidius primo ſententiarum diſt. 2. dubio 7. literali: numerum nimirum eſſe paſsionem quandam conſequentem ad multitudinem, & numerum cauſari ex vnitatum aggregatione, & diſtinctione &c. quod idem conſentaneè prodidit D. Thom. 7. Meth. lec. 13. his verbis: dualitas, non erant duæ vnitates, ſed aliquid ex duabus vnitatibus compoſitum; aliter numerus non eſſet vnum per ſe, & verè; ſed per accidens, ſicuti quæ coacervantur: quod ex alijs locis eiuſdem S. Thom. confirmat Capreolus 1. ſent. diſt. 24. quæſt. 1. art. 1. concluſ. 5. & ante ipſum Scotus 5. Meth. quæſt. 9. fermè aſtruens formam, & vnitatem ſpecificam numeri de qua hic ſermo, eſſe in omnibus vnitatibus tanquam paſsionem totius illarum vnitatum compoſiti, totumque ex illis veluti partibus reſiliens, quo numerus formaliter dicitur vnus: neque idem S. Thom. vnquam oppoſitum literis mandauit 8. Meth. lect. 3. illis verbis. Si aliquid addatur, vel ſubſtrahatur alicui numero, etiam ſi ſit minimum, non erit idem numerus ſecundum ſpeciem: minimum enim in numeris eſt vnitas; quæ tamen ſi addatur ternario, ſurgit quaternarius, quæ eſt alia ſpecies numeri; & hoc ideo quia illa vltima differentia dat ſpeciem numero: & paucis interpoſitis: eſt enim per ſe vnum numero, inquantum vltima vnitas dat numero ſpeciem, & vnitatem, ſicut etiam in rebus compoſitis ex materia, & forma; per formam eſt aliquid vnum, & vnitatem, & ſpeciem ſortitur &c. quamuis enim hoc loco ſpeciem, & vnitatem numeri non reſultare ex omnibus vnitatibus, quod alio loco tradidit, ſed per vltimam additam vnitatem, vnum conſtitui aſſeueret.

Neque tamen pugnantia docet; ſed ex vtroque loco integram de vnitate numeri doctrinam, ſcriptam relinquit, idque bifariam conſpicuè deprehenditur. Primò enim vnitas illa poſtrema poteſt duobus modis aſſumi, & vt pars, & vt vna vnitas, cum reliquis quibus additur; aut in abſtracto, vt vltima, quæ complere ſolet numerum: ſi primo modo accipiatur numerus reſultãs, eſt ęquè ex omnibus, ac ex vltima: non enim eſt niſi pars numeri, vel primo, vel medio, vel poſtremo luco ſit poſita, quæ S. Bon. S. Thom. & Scotus primo loco: ſi verò ſecundo modo dat formam, & ſpeciem talis numeri; quam tamen vtramque formam Capreolus, recenſito loco in conciliationem Sancti Thomæ, diuerſa ratione diſtinguit; vt prima reſultans, ſit ac recta forma totius numeri; quemadmodum phyſicis ex forma, & materia hominis v. g. reſultat humanitatis forma, quæ, quod, quid hominis eſt: ſecunda verò ſcilicet vltima vnitas quaſi forma partis, hoc eſt, compoſiti pars addita reliquis vnitatibus, eas quaſi illius numeri materiam informat, & dat eſſe ſicuti anima corpus. Secundò, Si quaſi ſecundum materiam, ac realem multitudinem accipiatur numerus recipit ſpeciem ab vltima vnitate adiuncta: ſi penes completum eſſe, & formale, & comparatum ad intellectum ex omnibus vnitatibus; forma eſt numerus reſultans, deficiens ergo de numero S. Thom. Philoſophia fuiſſet, ſi vtroque modo, diuerſo loco non fuiſſet locutus eadem S. Bon. primo enim ſent. diſt. 3. quæſt. 4. primum obſeruat: quo enim aſſerit vnitas eſt principium, & completio omnis numeri, eo docet incipere ab vnitate prima, & conſtitui, ac compleri in ſpecie ab vltima addita vnitate: ſecundum verò, dum aſſerit numerum eſſe paſſionem conſequentem ad vnitates, quod quidem poſtremum dum diuerſis locis indicatis repetit, edocet nos opportunè deducere poſſe, & idem aſſerere de numero, ne dum materiali, vt eſt in rebus; ſed etiam de formali, vt perficitur ab intellectu; ita vt etiam hoc ſenſu, rationem formalem numeri eſſe ipſum inſurgere ad actum realem intellectus conferentis, & numerantis relationem rationis ordinis prioris, & poſterioris &c.

Neq; obſtat quod Ariſt. in prædicamento quantitatis realis numerum collocauit, neque quod conſtituant obiectum realis actus intellectus: ad primum enim iam ſatis: nam ibi reponitur, ac conſtituitur numerus, vt materialis &c. ad ſecundum, eſt realis ratione actus intellectus, contemplantis iam præexiſtens obiectum relationis rationis conſtitutum: eſt enim realis contemplatio etiam de ente rationis: ſed inde tamen ens rationis reale non euadit.

Libeat hoc loco, quæ duobus locis de numerorum myſterijs mirè docuit S. Bonau. referre. Primò enim opuſculo illo aureo itinerarij mentis in Deum cap. 2. ex D. Aug. libris de vera, & falſa Religione, & 6. de Muſica, ex numerorum differentiarum contemplatione mirificos ſibi anima fabrifacere gradus in Deum aſcendendi: ſi quidem primò aſſerit numeros reperiri in ſonis ac vocibus, hoſque *Sonantes* nuncupat: deinde numeros ab his abſtractos, & in ſenſibus noſtris receptos obſeruat, quos *Occurſores* denominat: præterea, numeros ab anima procedentes in corpus, ſicuti patet in geſticulationibus, & ſaltationibus, quos *Progreſſores* vocat, numeros adhuc in delectationibus ſenſuum, & conuerſionis intentionis ſuper ſpeciem receptam, *Senſuales* nomenclatos; tum numeros in memoria, *Memoriales* inde dictos: poſthæc numeros adinuenit nomine *Iudiciales*, per quos de his iudicamus, qui neceſſariò ſunt ſupra mentem, tanquam infallibiles &c. ab iis autem imprimuntur mentibus noſtris artificiales numeri (quos tamen inter illos gradus non numerat D. Aug. quia coniuncti ſunt iudicialibus) & ab ijs manant numeri *progreſſores*, ex quibus creantur numeroſe formæ artificiatorum; vt à ſummis fiat per media ordinatus deſcenſus ad infima; ad hos etiam gradatim aſcendamus à numeris *ſonantibus*, mediantibus *occurſoribus ſenſibus*, *& memorialibus*; cum ergo omnia ſint plura, & quodammodo delectabilia, & pulchritudo, ac delectatio non ſit ſine proportione, & proportio ſit in numeris, neceſſe eſt omnia eſſe numeroſa, & per hoc præcipuum eſt in animo conditoris exemplar, & in rebus præcipuum veſtigium, ducens in ſapientiam; quod cum ſit omnibus euidentiſſimum, & Deo

Deo propinquiſsimum, propinquiſsimè quaſi per ſeptem differentias ducit in Deum, & facit Deum cognoſci in cunctis corporalibus, & ſenſualibus; dumque numeroſa apprehendimus, numeroſis proportionibus delectamur per numerum harum proportionum leges iudicamus irrefragabiliter. Hæc ibi, & plura excellentius, quam paucis verbis explicare liceat.

Diſtinctione verò tertia primi ſent. art. 3. ad tertium: perſonarum numerum ex numerorum cõtemplatione roborandum, quæ de numero ternario prodit, admiratione magis, quam explicatione digna videntur; quæ cum alias explicauerim, non eſt, cur hic iterum repetam: cumque cumulatiſsime de his noſter Bungus de myſticis numeris, nihil mihi addendum, relictum eſt. In 4 denique ſent. diſt. 47. quæſt. 1. art. 1. ad vltimum ediſſerens; quare duodecim Apoſtolis collata ſit iudiciaria poteſtas, ac duodecim tribus ipſi cum Chriſto, primo, ac ſupremo iudice aſsiſtẽdo, ſint iudicaturi. Primò reſpondet, propinquiorem hunc locum honoris ſibi meruiſſe Apoſtolos, ex perfectæ obſeruationis ne dum præceptorum, ſed conſiliorum Euangelicæ legis virtute; vt ſic ſuæ immaculatæ vitæ exemplo improbos conuincerent de tot perpetratis iniquitatibus; ac denique contra eoſdem, Chriſti ſententiam latam approbarent. De eorum numero ſciſcitans duodenario, ſtatuit primò: huiuſcemodi numerum vniuerſitatis; ac inde in duodecim tribus omnes iudicandos, & in duodecim Apoſtolis omnes iudicantes repræſentari. Deinde, cur cum & numerus ſeptenarius itidem ſit vniuerſitatis; non eo tamen, ſed duodenario iudices futuri comprehendantur?

Reſpondet primò quidem, vtroque numero vniuerſitatem edoceri, & numerum ſeptenarium quia ex tribus, & quatuor conſtat, ex ijs quoque in ſe ductis duodenarium conſtituere: ex tribus enim quatuor, & ex quatuor ternarijs duodecim reſultant. Præterea, duodenarium eo loco aſſumit Chriſtus; quia duodecim loquebatur Apoſtolis. Deinde, nam non ſimplicem vniuerſitatem duodenarius præſefert, ſicut ſeptenarius; ſed abundantem: conſtat enim ex partibus ſuper creſcentibus: nam 1. 2. 4. 6. huius numeri partes aliquotæ ſi ſimul iungantur, ſexdecim producunt, & ex duobus ſenarijs, perfectiſsimis numeris enaſcitur; geminam vitam actiuam, & contemplatiuam perfectam complectentibus; quibus Apoſtolis, vt iam effatum eſt, hic eminentior iudicandi Thronus debebatur. Præterquamquod in duodenario numero creſcente, vita in æternum duratura deſignabatur; ſicuti tempus breui finiendum in ſeptenario: quocirca ſtatus legis Moyſis ſeptenario numero delineata 9. prouerb. illis ſeptem columnis, quibus domus ſapientiæ fulciebatur; ciuitas verò Dei Apoc. duodecim fundamentis conſtituta, ad æternam gloriam ibi concedendam, conſignificandam: Apoſtoli hoc numero ad eandem gloriam ſempiternam repræſentandam, & viris iuſtis reddendam conſtituentur iudices,

CAPVT II.

Numerus in Diuinis perſonis neceſſariò aſſeritur.

Satis ſuperque facere propoſitæ veritati; quæ Spiritus Sanctus Diui Io. 1. Canonicæ 5. reuelauit, deberet: *Tres ſunt qui dant teſtimonium in cœlo Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus*: & ea quæ in Symbolo, eodem dictante Spiritu Sancto poſuit D. Athanaſ. *In hac Trinitate nihil prius, aut poſterius: nihil maius, aut minus; ſed totæ tres perſonæ coæternæ ſibi ſunt, & coæquales: & hæc eſt fides catholica vt vnum Deum in Trinitate, & Trinitatem in vnitate veneremur*; quibus æquè ad eandem fidem eſſe tres perſonas, ac eſſe vnum Deum, pertinere conſpicuè reuelatur: vtroque enim loco de fide ſicuti tres perſonas eſſe ſtatuitur; ſic numerus trium eadem fide ſancitur: Attamen reliquorum Theologorum hac in re veſtigijs inhærentes, quanti hanc fecerint veritatem, quoties repetierint Concilia, ac Patres, & quam ratione conſentanea, libet ex quibuſdam locis commoſtrare, eandemque veritatem Conciliorum, ac Patrum teſtimonijs communire. Ac primò omnibus illis locis, quibus realis perſonarum diſtinctio contra Sabellium aſſeritur: ſi enim diſtinguuntur perſonæ, neque infinitæ ſunt, ſed determinatæ numero: tres ergo numerantur. Præterea diſtinctæ. Hormiſda Papa, Epiſtola ad Iuſtinum imperatorem aduerſus Neſtorium, & Eutichen. *Adoremus*, inquit, *Patrem & Filium, & Spiritum Sanctum, indiſtinctim diſtinctè incomprehenſibilem, & inenarrabilem ſubſtantiam Trinitatis*. Vbi, etſi admittit numerum; ratione perſonarum tamen non admittit eſſentiæ ſeparationem. Quibus apertè decernit, ratione perſonarum admittere numerũ; neque vnitatem eſſentiæ impedire numerirationem. Concil. Tolet. 11. in confeſsione veræ fidei. *Hæc ergo Sancta Trinitas, quæ vnus etiam verus eſt Deus; neque recidit à numero, neque capitur numero: in relatione enim perſonarum numerus cernitur; in Diuinitatis verò ſubſtantia quid enumeratum ſit: non comprehenditur*: vbi apertiſsimis verbis, quantò certum eſt Diuinas perſonas originibus opponi, & realiter diſtingui; tantò pariter conſtans numero capi; vt valida, & irrefragabilis iſthæc ſit conſequentia; diſtinguntur: ergo numerantur: quare quod 6. Conc. Toletano videtur oppoſita ſententia decreta, egregiè hic declaratur. *In hac autem Trinitate tanta eſt vnitas ſubſtantiæ, vt pluralitate careat, & æqualitatem teneat &c.* non enim perſonarum pluralitate, ſed ſubſtantiæ caret. Sexto ergo Concilio de vnitate ſubſtantiæ; 11. verò de pluralitate perſonarum decernitur.

Concilium Nycænum in Symbolo, quod in Miſſa, Romana canit Eccleſia; ſicuti tres inſignes, ac primiores proponit diſtinctos fidei articulos. Primum. *Credo in Deum Patrem*. Secundum.

Et

Et in Ieſum Chriſtum Filium eius vnigenitum. Tertium, *in Spiritum Sanctum*, ſic ſolemni ritu Diuinas numerat perſonas.

Sophronius in 6. Synodo Generali act. 11. *Numeretur Beata Trinitas, non eſſentijs, nec naturis, nec diuerſis Deitatibus, æternis, ac dominationibus*: & paucis interpoſitis; *ſubſiſtentijs, & proprietatibus intellectualibus perfectis, ſemotim ſubſiſtentibus, numero diuiſibilibus, & non diuidendis Deitate*. Seruata ergo integra Deitatis vnitate, verè Diuinis perſonis competere numerum docet Sophronius, in illa percelebeƨrima Synodo præſes.

Concilium Lateranenſe ſub Innocentio 3. cap. *Firmiter* de ſumma Trinit. & fide Catholica. *Hæc Sancta Trinitas ſecundum communem eſſentiam indiuidua, ſecundum proprietates perſonales diſcreta &c.* ergo numerata.

Ioan. Theologus in Conc. Florentino ſeſſ. 16. cirfinem. *Quamuis tres ſint hypoſtaſes re ipſa differentes, vnicum Deum, & opificem credimus.*

Concilium Remenſe, cui interfuit D. Bernardus, & in quo præfuit Engen. 3. vt inter alios teſtatur. Otto Phrigiſenſis Epiſcopus lib. de geſtis Friderici Imperatoris cap. 56. & 57. *Cum de tribus perſonis loquimur Patre, Filio, & Spiritu Sancto, ipſas vnum Deum, vnam Diuinam ſubſtantiam eſſe fatemur, & è conuerſo cum de vno Deo, & vna Diuina ſubſtantia loquimur, ipſum Deum vnum, vnam Diuinam ſubſtantiam eſſe tres perſonas fatemur*: conſtat ergo ex his Concilijs Diuinas perſonas, & eſſe tres, & tres numerum eſſe.

Addantur, & audiantur inſignioris nominis Patres. D. Ignatius Martyr Epiſt. 8. *Non credimus in vnum Trinomium; ſed in tres eiuſdem honoris.*

Boetius lib. de Trinit. cap. 4. *Facta eſt Trinitatis numeroſitas in eo, quod eſt prædicatio relationis; ſed ſeruata eſt ſubſtantiæ vnitas in eo, quod eſt in differentia vel ſubſtantiæ, vel operationis, vel omnino eius quod ſecundum ſe dicitur prædicationis. Ita igitur ſubſtantia continet vnitatem, relatio multiplicat Trinitatem, atque ideo ſola ſigillatim proferuntur, atque ſeparatim, quæ relationis ſunt &c.* Quod ſi idem grauiſsimus Pater cap. 5. *Nulla in Deo*, inquit, *eſt diuerſitas, nulla ex diuerſitate pluralitas, nulla ex accidentibus multitudo, atque idcirco nec numerus &c.* ibi contraria non docuit: nam vbi aſſerit numerum, perſonarum numerum aſſerit; vbi verò eundem negat numerum eſſentiæ, numerum negat, & vtrumque docet fides Catholica: ita S. Thom. quæſt. 3. art. 1. ad tertium conciliat, & interpretatur hæc loca.

D. Anaſtaſius Synaita lib. 1. de rectæ fidei dogmatibus in Bibliotheca Patrum. *Itaque Sancta Trinitas, eſſentia quidem vnus Deus eſt; numero autem Trinitas, quam in Patre, Filio, & Spiritu Sancto adoramus, & diffinimus*: & paucis poſt. *Neceſſariò igitur ternarius numerus pro qualicumque aſſumitur explanatione Diuinæ naturæ, ac confirmatione deſcriptarum prius perſonarum; qui quidem numerus ſubſtantiuam habitudinem ipſarum expreſsius indicat, ſimul & earum eſſentiam oſtendit eſſe conſempiternam.*

D. Damaſcenus, quem Magiſter Sententiarum diſt. 19. maximum, Græcorum reuerentiæ ergo nuncupat, tertio de fide cap. 6. *Diuinæ hypoſtaſes numero, non natura differre videntur*, & cap. 8. *ea*, inquit, *in numerum cadunt quæ inter ſe differunt, neque numerari ea poſſunt, quæ nullo modo diſcrepant: verum quatenus diſcrepant, hactenus quoque numerari*: vnde licet ex hoc Sanctiſsimo Patre colligere, perſonæ Diuinæ inter ſe realiter diſcrepant: ergo realiter numerantur.

D. Bernardus lib. 5. de conſideratione ante medium, explicatiſsime, & elegantiſsime. *Cum ſint*, inquit, *tres perſonæ, quis numerum neget? nam verè tres ſunt.*

D. Athanaſius oratione contra gregales Sabellij, poſt multa; ita tandem colligit, *atque ita verè Trinitas coadunata eſt ſine vllis interuallis.*

Scholaſtici verò, quàm his recenſitis Concilijs, & Patribus; imò Diuinarum literarum oraculis conſentaneè locuti ſint, breuibus nunc indicandum & à ſententiarum Magiſtro exordiendum: licet enim nimio timore perterritus, ne in hac tanti ponderis veritate erraret; & vt facilius ab hac difficultate ſe expediret, cõtra probabiliorem ſententiam ſenſerit, nomina numeralia nihil in Diuinis ponere; ſed magis tantum denotare priuationem, & tollere ſolitudinem, & ſingularitatem; vt idem ſit Deus vnus, ac non plures Dii: plures perſonæ, ſcilicet non vna dumtaxat: Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus ſunt tres; hoc eſt, non tantum Pater, neque tantum Filius, aut ſolus Spiritus Sanctus, prætereà nihil: idem tamen diſt. 19. explicans, & cum D. Aug. D. Damaſcenum concilians. *Dicuntur quoque*, inquit, *differre, quæ in enumeratione, ſiue computatione non, ſibi adiunguntur; ſed à ſe inuicem diſcernuntur, vt cum de aliquibus loquentes dicimus vna, duæ, tres: & ſecundum hunc modum forte* (modeſtiæ cauſa) *dixit Ioannes, hypoſtaſes, & perſonas numero differre: poſſumus enim dicere, Pater eſt vnus, Pater, & Filius ſunt duo: Pater, & Filius & Spiritus Sanctus ſunt tres: & item hæc perſona eſt vna: & hæc, & illa ſunt duæ: & hæc, & illa, & alia ſunt tres.*

Ex illo, & antiquioribus D. Bonauentura diſt. 2. art. 4. primò ſtatuit ternarium eſſe numerum, & primam in ſe habere perfectionem, & ſummam; ſiue conſideretur in ſe, ſiue in quantitate continua, ſiue in natura: deinde eſſe in Diuinis confirmat: & hic diſt. 19. quæſt. 4. *numerantur verè, qui eſt, ſcilicet perſona, licet non numeretur, quod eſt, nimirum natura*, imitatus D. Damaſcenum & in reſponſione ad ſecundum concedit; & perſonas numerari, & differre numero, ſcilicet hypoſtaſum, ac proprietatum &c.

D. Thom. pluribus locis, ſed ſufficiat vnus, aut alter: quæſtione enim 3. art. 1. ad quartum

Si accipi[illegible]ur, inquit, *numerus ſimplex, & abſolutus, vt* 1. 2. 3. *ita eſt in Diuinis, vt habeat rationem & totius, & partis: in ratione enim numeri duæ perſonæ ſunt, pars trium, & trinus numerus eſt totum complectens tres illas vnitates &c. quamuis*, inquit, *in re numerata non ita ſit concedendum: nam perſona Patris, non eſt pars Sanctiſsimæ Trinitatis; quia eadem tota vna eſſentia eſt in eo, eadem in Filio, eadem in Spiritu Sancto*. Quod idem Scotus diſt. 24. *Si de numero loquamur*, inquit, *non vt in re, aut ex parte rei attenditur; ſed quatenus in intellectu concipitur facile concedi poteſt in Diuinis*, quod idem, ac ſi diceretur; ſi ſumatur numerus ſecundum ſuam rationem formalem competit Diuinis; de quo tamen modo dicendi iterum capite ſequenti.

Alter D. Thom. inſignis locus eſt in quæſtionibus diſputatis, quæſt. 9. de Diuinis perſonis art. 5. vbi in fine corporis quæſt. ſic ferè argumentatur. Differentia cauſat numerum: ſed verbum in eadem vna eſſentia differt realiter origine à Patre ipſum verbum dicente, cum de ratione verbi ſit eſſe ab alio, & Spiritus Sanctus eadem originis ratione à Patre, & Filio: ergo in Deo ratione relationum, & perſonarum: *verus, ac realis numerus cadit*: & paucis infra. *Numerus ergo relationum, eſt numerus rerum ſubſiſtentium in Diuina natura: res autem ſubſiſtentes in Diuina natura ſunt Diuinæ perſonæ*. Et in reſponſione ad 12. reſpondet definitionem numeri traditam ab Ariſt. 10. Methaph. *numerus eſt multitudo menſurata per vnum*, non competere Deo per illam particulam, menſura per vnum; *In reliquis ratione multitudinis competere*. Et in reſponſione ad 14. ex Diuo Auguſt. de Doctrina Chriſtiana aſſerit à parte rei, *Diuinas perſonas eſſe tres res, ſcilicet relatiuas realiter diſtinctas, aliàs rediret hæreſis Sabelliana: ergo tres res numeratæ*. Et ad 23. *Ad perfectionem Diuinitatis pertinet*, inquit, *vt ſint plures modi exiſtendi in Diuinis, ſcilicet ſit ibi à quo alius, & ipſe à nullo, & aliquis ab alio: non enim eſſet omnimoda perfectio in Diuinis, niſi ibi eſſet proceſsio verbi, & amoris*: ergo realis numerus (vide quam apertè D. Thom. fateatur Diuinas relationes dicere perfectionem)

Quod ſi opponas: quidquid eſt in Deo, eſt infinitum; ſed numerus omnis, præſertim ternarius eſt finitus: ergo. Reſpondetur, eſt quidem infinitus Deus ſecundum perfectionem; ſed non ſecundum numerum perſonarum. Ratio verò perſonalitatis Diuinæ, vt Paternitas eſt infinita omnem rationem Paternitatis complectens &c. ſicuti vnica ratio filiationis, & ſpirationis. Confirmatur omne hucuſque aſſertum hac ratione; De ratione numeri realis eſt multitudo, & diſcretio realis ex multis capite primo, ſiue materialiter, ſiue formaliter ſumatur: ſed in Deo ſunt res numeratæ plures, ac diſtinctæ: ergo ibi verus numerus. Confirmatur quaſi ab effectu. Ducimur, ſurſumque in Deum eleuamur perſonarum creatarum contemplatione, vt in calce capitis primi: ergo refert, vt ipſe Deus aliquo modo numero conſtet. Conſequentia videtur certa: nam à ſimili in ſimile cognitione tranſimus; eſt autem in creatura rationali numerus potentiarum in vna, eademque animæ ſubſtantia, quæ ſua origine, ac diſtinctione Sanctiſsimæ Triadis imaginem præſeferunt: ergo ex illo hic arguitur numerus. Præterea, vt nuperrime notatum eſt, optima methodus eſt per numerum, & harmoniam creaturarum ſufferri in Deum: ergo in optimam in Deo harmoniam, & vndequaque perfectum numerum terminandum eſt.

CAPVT III.

Quomodo accipiendus in Deo numerus.

HOc caput breuibus expediendum, ac ferè expeditum ſi ſupradicta attendantur, & cum Deo conferantur: eo verò facilius, & expeditius, ſi tria in primis ob oculos ponantur. Primum, ea reponendus numerus in Deo ratione, & animaduerſione, qua cætera attributa ex creaturis: eſt enim & numerus attributum, vt nimirum ſeiunctis, atque his quæ in creaturis dicunt imperfectionem, Deoque ſubinde repugnant, ſemotis: ita enim ſapientia, Potentia, Amor &c. quæ in creaturis & ſunt accidentia, & inter ſe, & ab anima reali diſtinctione ſeiunguntur, Deo, dum noſtra contemplatione tribuuntur, ab ijs eſſe accidentis eſſe reale, ab eo in quo ſunt diſtinctum, ſecernitur; vt in Deo ſint ſubſtantia vna infinita; indiſtincta niſi ratione: eadem ratione & de numero, inquam, philoſophandum cum proportione. In creaturis numerus ita ſe habet, eius partes, vt ſint limitatæ, ac compoſitæ; vt & ſubiectum in quo eſt, & diſtinguat, multiplicet, ac numeret, rationibus cap. 1. indicatis: vt eædem partes multitudinis vnde exurgit numerus, ita ſint partes; vt vna ſit minor multitudine, multitudo maior parte &c. vt ibi ſit totum pars &c. ex his defæcandus numerus de Deo dicendus: non enim huius numeri vnitates, ſcilicet Diuinæ relationes ſubſiſtentes, ac perſonæ in ratione rei numeratæ, verè, aut rite partes limitatæ, neque compoſitæ, neque vna minor reliquis, aut duæ maiores vna nuncupari poſſunt. Ratio vnica eſt, quia Diuina eſſentia eadem immultiplicata, & immultiplicabilis tota infinita ſua perfectione, ac ſimplicitate eſt in ſingulis perſonis; ita vt æquè ſit illa Pater, ſicut Filius, & Spiritus S. & Filius æquè

ac

ac Pater, & Spiritus Sanctus: & Spiritus Sanctus æquè ac Pater, & Filius: quemadmodum æquè Deus Pater, æquè Deus Filius, æquè Deus Spiritus Sanctus; non tamen tres Dij, ſed vnus Deus, vt teſtatur D. Athanaſius in Symbolo; neque ab illis, neque illæ ab ea differunt niſi ratione. *Confitemur Deitatis omnem naturam perfectè eſſe in ſingula ſuarum Hypoſtaſeon, ideſt, perſonarum omnem in Patre, omnem in Filio, omnem in Spiritu Sancto; ideoque perfectus Deus Pater perfectus Deus Filius perfectus Deus Spiritus Sanctus*. D. Ioan. Damaſcenus quarto de fide cap. 6.

Et hoc eſt alterum alta mente hoc loco reponendum; vt in numero Diuino, non numeretur Diuina eſſentia vna in perſonis; neque vt vna addatur Trinitati, & faciat quaternitatem; vt optime decretum, præſertim in Conc. Lateranenſi cap. *Damnamus* contra Ioachinum, hanc Magiſtro ſent. Blaſphemiam tribuentem, & vt deteſtatur D. Bernardus lib. 5. de conſideratione contra Gilbertum Euangelico Zelo inſurgens. *Quaternitas orbem diſterminat, non ſignat Deitatem Deus Trinitas; Deus trium; ſingula perſonarum ſi quartam Diuinitatem adijcere placet, interim ego, quæ Deus non eſt perſuaſi mihi minime adorandum*. Et eodem libro. *Si diuidere quis conetur, vel perſonas à ſubſtantia, vel proprietates à perſonis; neſcio quomodo ſe Trinitatis cultorem profiteri poſſit &c.* Idq; totum oppoſita ratione. In creaturarum numerandis ſuppoſitis, ideò numeratur & ſubſtantia, quia intrinſecè de ratione creatæ ſubſtantiæ eſt; vt ſit finita, limitata, ac ſuo modo compoſita: de ratione verò Diuinæ ſubſtantiæ eſt, vt ſit dumtaxat vna, infinita perfectione ſumme ſimplici, vt repugnet ei, & non communicari pluribus perſonis, & in ſe plurificari. Hinc factum eſt, vt ad hunc euitandum ſcopulum, dum de numero hoc agerent Patres, & Scholaſtici, tanta animaduerſione locuti ſint, ac tertio quoque verbo Diuinæ eſſentiæ vnitatem proteſtati, & Deo non tribuendum numerum abſolutè, ac ſimpliciter; ſed limitandum, & ſecundum quid, ſcilicet Diuinarum proprietatum, ac perſonarum. Hinc Boetius loco iam indicato. *Nulla in Deo diuerſitas, nulla ex diuerſitate pluralitas &c.* atque ideo nec numerus, igitur tantum vnitas. Hinc D. Ambroſ. vel quis ſit auctor in ſecundam ad Corinthios, *ibi verè vnitas, vbi nulla diuerſitas*. Hinc D. Athanaſius, oratione contra Gregales Sabellij. *Vniuerſa plenitudo, & integritas eſt Pater, vt Pater i vniuerſa itidem plenitudo Deitas eſt Filius, vt Filius; quandoquidem amborum vna forma intelligitur, qua integrè ſe vtroque exhibet*. Hinc Conc. 6. Toletanum, *tanta vnitas ſubſtantia in Deo, vt pluralitate careat*; & ſexcenta huius generis. Iidem tamen Patres &c. in ſermonis progreſſu cum vnitate credita, & teſtata Diuinæ ſubſtantiæ, & pluralitatem perſonarum itidem realem adhibebant.

Tertium ſedulò animaduertendum. Licet nos creaturarum numero aſſueti, inde ad numerum Diuinum aſcendamus, & Deo imperfectionibus ſecretum, ac ſeiunctum aſcribamus: certum tamen, ac omni procul dubitatione, ſicuti de attributis cæteris Diuinis omnes Theologi obſeruarunt; numerum Diuinarum perſonarum æternitate priorem, antecedere creaturarum numerum: quid ergo mihi accideret, ſi cum de numero inſtituitur quæſtio; numeri natura, & quidditas penes antiquiorem, & nobiliorem deſcriberetur? & numeri perfectio ſecundum quid in creatura; abſolutè verò in Deo reperiri diceretur? & de numeri ratione non eſſe numerare eſſentias, niſi addatur creatas ſimpliciter; ſed eſſe, colligere multitudinem: imò de ratione numeri eminentiſsimi tantum, perſonarum multitudinem requiri: creati verò, & inferioris, ac ignobilioris, etiam eſſentiarum; ac ita D. Dyoniſium interpretari cap. vlt. de Diuinis nominibus. Numerus eſſentiæ particeps eſt de numero creato, nequaquam de numero ſimpliciter: eo maximè, quò de hoc Diuino numero, niſi fide magiſtra nobis agere non licet: fides verò à Deo ſemper incipit; vnde in Symbolo, quod primum credendum proponitur eſt Deus. *Credo in Deum*, & de Deo; quia vnus, & trinus, *in vnum Deum Patrem &c.* ac inde ſtatuere primò, in Deo eſt verus, & perfectus numerus, omnem excludens imperfectionem, & omnem numeri rationem complectens neceſſariam; ſicuti & de reliquis Diuinis attributis in Deo. v. g. eſt vera ſapientia omni imperfectione carens? ſed ne ſcioli inflati videamur, cum alijs loquamur, Sanctorumq; Theologorum veſtigia imitati.

Dicamus primò. Numerus in Diuinis admittendus eſt verus, ac realis; tum ſi abſolutè, ac ſimpliciter ſumatur: conſtat enim ex pluribus vnitatibus: cum ſi ratione rerum numeratur: perpendatur, ſunt enim plures res, ſcilicet perſonæ reales, realiterque diſtinctæ inter ſe: *Tres enim ſunt qui teſtimonium dant in cælo, Pater verbum, & Spiritus Sanctus*; ita ex præcedenti capite tot Sanctorum aſſertis conſtat; quibus tamen & alia loca adiungi poſſunt. D. Ignatius Epiſtola ad Philippenſes. Gregorius Nyſſenus lib. de opificio hominis cap. 6. & lib. de Trinitate ad Euſtatium, & lib. ad Ablabium quod *non tres Dij*. Nazianzenus orat. 35. quæ eſt tertia de Theologia, numero 7. & 8. & orat. 45. ad Euagrium. Baſilius homil. 28. contra Sabellianos. Athanaſius dialogo primo de Trinitate contra Anomeum, & innumeri alij ſimpliciter admittunt numerum in Diuinis.

Dicamus ſecundo. Hic numerus limitatione proferendus eſt, aut ſi inter peritos loquamur, mente ſic accipiendus, vt tantum ratione perſonarum, nequaquam eſſentiæ conſtituatur, ac aſſeratur; ea propter non abſolutè, ſed ſecundum quid credendus ab ijs, qui credunt Deum vnum; ita quoque plurimi Sancti Patres limitatè de Deo protulerunt numerum

Digitized by Google

Nyſſenus orat. Cathechet. cap. 3. in fine *numerum Trinitatis dicit*. Baſilius lib. 5. contra Eunomium, *Trinum nominum acceptio, Trinitatem enumerat*. Damaſcenus in Epiſtola de Triſagio, citans D. Epiphanium: *propriè dictum ab Angelis ter Sanctus, quia trium hypoſtaſum numerum demonſtrant in vna Deitate*. Soffronius ita quoque in 6. Synodo act. 11. Tertullianus contra Praxeam pag. 3. Bernardus lib. 5. de conſideratione Aug. tract. 39. in Io. Imò Concil. Tolet. 11. in Confeſsione fidei Conc. florentinum ſeſſ. 18. §. dixi equidem: perſonas multiplicari, ſola relatione aſſeritur.

Dicamus tertiò. De ratione numeri indefinitè, & abſolutè ſumpti, non eſt numerare eſſentias, ſed multitudinem, vt ex Ariſt. Definitione apertè colligere licet.

Dicamus quartò. Ad rationem, & veluti qualitatem numeri pertinet affirmatiuè accipi, & poſitionem dicere, ſicuti ſupra demonſtratum eſt.

CAPVT IV.

Quibus verbis explicandus hìc numerus in Diuinis,

INdiguerunt Apoſtoli, & in illis cæteri exinde naſcituri fideles inſtrui verbis, quibus ad Deum preces ſuas explicarent: vnde Diuiniſsimo Magiſtro proni, ac reuerentes, *Doce nos orare*, deprecati ſunt: quibus ille pientiſsime, *Cum oratis dicite, Pater noſter &c.* Multo magis nos Apoſtolis terreſtriores indigemus verbis, quibus cautè proferamus, ac rudibus Diuinorum myſteria promamus. Igitur poſt explicatum qualem numerum in Diuinis admittunt Sapientiſſimi Theologi; ab iiſdem ediſcenda verba quibus eumdem inter nos explicemus; ſpectat quidem proprius de his diſſerendis locus infra; hic tamen quaſi ſuperficie tenus quædam tangentur, ne vacuus locus relinquatur.

Adhibenda verò hoc loco hæc ſedula cautio, in aſſerendis de Deo vocibus, vim numerandi, & plura colligendi habentibus. Primò. In Deo non minus refert, minuſque tenemur Dei vnitatem fateri, quam perſonarum pluralitatem; æquè enim vnus, ac trinus Deus eſt; quare, in explicanda earum perſonarum Trinitate oculatè attendendum, ne vnitati eſſentiæ in tribus, neque per latum vnguem derogent, & eo oculatius, quo has voces numerandi ex humanis aſſumimus, in quibus nedum ſuppoſita; ſed ſubſtantiam quoque numeramus, vt iam antea ſæpius notauimus. Deinde, vt itidem obſeruat, & colligit Magiſter in calce diſt, 19. ex D. Auguſt. 6. de Trinitate cap. 10. in rebus corporeis non tantum ponderis eſt vna, quam tres ſimul, & plus ſunt duæ, quam vna res; in Trinitate verò Diuina, vna dumtaxat perſona tantum eſt, quam tres ſimul; & tantum ſunt duæ, quam vna &c. ergo vt hæc omnia numerus, aut complectatur, aut ſaltem non excludat, incumbendum eſt.

Tertiò ex D. Bonauentura diſt. 24. art. 4. Nomina numeralia neque dicuntur, neque dici poſſunt in Deo, niſi ſecundum relationem: nam primò tres v. g. ſi ſecundum ſubſtantiam ſumerentur, tres in Deo eſſent ſubſtantiæ, quod Diuinitatis vnitati repugnat. Secundò. Si enim penes ſubſtantiam vſurpare liceret, termino ſubſtantiali iungi poſſet, & liceret dicere tres Dij: quo fit; vt dum numerantur relatiua abſoluta, intacta remaneant, nihilque vnitati derogent: docet S. Bonauentura indicata diſt. quæſt. 5. his verbis; ſicut ſingulari modo eſt numerus, ſcilicet ex diſt. ſuppoſitorum cum vnitate formæ; ſic ſpeciali debuit exprimi nomine, quod ſimul dicit pluralitatem, & vnitatem. His obſeruatis.

A voce *triplex* auſpicemur, & multiplex. De vtraque enim voce eadem ratio, quæ ritè, nec rectè de Deo affirmari poteſt; de prima enim D. Auguſt. de Trinitate cap. 7. *Non quoniam Deus Trinitas eſt, ideo triplex eſt putandus; alioquin minus eſſet Pater ſolus, vel Filius ſolus, quam ſimul Pater, & Filius: cum itaque tantus eſt Pater ſolus, vel Filius ſolus, vel Spiritus Sanctus ſolus; quantus eſt ſimul Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, nullo modo triplex dicendus*. Reddit rationem S. Bonauentura loco infra citando; quia hic terminus *triplex* dicit diſtinctionem ſimpliciter in termino cui additur, vel quantum ad formam, vel quantum ad partium multiplicationem, quæ in Deo nulla cadit. De ſecunda verò voce, S. Ambroſ. lib. 1. de fide cap. 2. *Eſt plenitudo Diuinitatis in Patre: eſt plenitudo Diuinitatis in Filio &c. ſed non diſcrepans, ſed vna Diuinitas; nec confuſum, quod vnum eſt; nec multiplex, quod indifferens eſt*. Et in Conc. Tolec. 11. *Trinitas, non triplex & dici, & credi debet.* Et D. Bonauentura dubio vnico, diſt. 24. aſſerit. Quatuor non recipimus, diuerſitatem, multiplicitatem, diuiſionem, & ſeparationem &c. de multiplicitate reddens rationem; *quia*, inquit, *diuerſitatem ponit & diuerſitas formæ, vel naturæ diſtinctionem*. Confirmari poteſt; quia nec Chriſtum permittit Alexandrina Synodus, in Epiſtola ad Cyrillum dicens: neque enim duplex eſt; ſed vnus, ac ſolus Chriſtus, etiam ſi ex duabus, ac differentibus rebus in vnitatem, quæ diuidi nequeat, coierit: ergo à fortiori, nec concederet Trinitatem triplicem, quæ non ex differentibus rebus vna eſt, ſed ſimpliciſſima.

Secundò, nam *triplex*, & *multiplex* ſunt ſpecies maioris inæqualitatis, vt D. Boetius lib. 1. Arithmeticæ cap 23. & D. Thom. ad tertium.

Quod ſi Sapientiæ ſeptimo dicitur. *Spiritus ſapientiæ multiplex*: & Diuus Iſidorus lib. 7. Etymologiarum cap. 4. *Trinitatem multiplicem, & numeralitem vocat*. Reſpondetur.

S. Bon.

Digitized by Google

S. Bonauentura diſt. 19. parte 2. dubio 3. ad primum, interpretatur ſapientiam appellari multiplicem, non formaliter; ſed, vt ait, cauſatiuè, & ſecundum plura dona, quæ confert. Ad D. Iſidorum: illum modum dicendi non eſſe admodum proprium, ſed ſatis latum: poſſet addi D. Iſidorum non dicere Deum multiplicem, ſed Trinitatem; qui modus dicendi non eſt fortaſſe vetitus; vndè idem S. Bon. eodem loco, addit regulam communem. Terminus numeralis dicit multiplicationem ſimpliciter in termino cui additur: ergo ſi addetur termino multiplicationis capaci, ſcilicet perſonis, non videtur valde repugnandum, ſi diceretur triplex, aut ideo multiplex Trinitas; eo præſertim, quo & Boetius ea vſus eſt, dum relationem multiplicare Trinitatem aſſeruit. Ita Cyrillus Alexandrinus Dialogo de Trinit. lib.3. Columna 4. Nazianzenus orat. 39. in ſancta lumina, num. 23. D. Aug. in lib. meditationum cap. 30. & ſerm. 39. de tempore: *qui de perſonis vtuntur, his vocibus, triplici, multiplici &c.* Quod ſi perſiſtat S. Doct. in ſua ſent. triplex, multiplicitatem partium dicit, quæ in Trinitate nulla ratione admittenda, eſt cedendum; non quia ex alijs abſolutè ſit falſa, ſed inſueta, & non propria.

De termino verò *trino*, & *Trinitate*. Primò, certiſſimo, eodemque communiſſimo vſu receptum; vt dicatur Deus eſt Trinitas, & Trinus, hac in primis ratione; quia cum vnitate eſſentiæ pluralitatem perſonarum hi termini præſeferunt: rectè enim à Diuo Iſidoro, indicato libro, & capite, & applaudentibus ſupra D. Bonauentura recenſita diſtinctione, quæſt. 2. D. Th. 1. parte quæſt. 31. art. 1. & 1. ſent. diſt. 24. quæſt. 1. art. 3. & Riccardo art. 3. quæſt. 3. Trinitas explicatur trium vnitas: vbi vel explicetur vnitas in recto, vel in obliquo non admodum refert: certum eſt nomen numerale in Deo de ſe primo, ac perſe habere munus, pluralitatem, & multitudinem patefacere; vt tamen etiam in eſſentia, & pluralitas vnitur; vnde ſi hac perpenſione vnius eſſentiæ perſonarum Trinitas diceretur, apprimè ad numerantis nominis vim aſſereretur. Hanc eandem Trinitatis etymologiam reliqui Theologi docuerunt. Alexander 1. parte, quæſt. 66. membro 1. art. 1. & mem. 2. art. 1. ad ſecundum. Albertus 1. parte quæſt. 45. mem. 1. art. 2. ad primum, & ad quintum. Henricus par. 2. art. 73. quæſt. 11. ad ſecundum.

Vſum verò huius vocis, & Trinitatis, & trini licet non legamus in Scripturis; antiquiſſimum tamen aſſerimus à tempore Apoſtolorum, inſtinctu Sancti Spiritus accomodatum, & omnium Theologorum vſum receptum: & apud Græcos Trias, & apud Latinos Trinitas, & Trinus, & habet fundamentum in Scriptura. 1. Io. 5. *Tres ſunt, qui dant teſtimonium in Cælo Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus.* Legenda loca Sanctorum Patrum, quibus vocibus vſi ſunt, apud recentiores, præſertim apud Didacum Ruiz, Commentarijs de Trinit. in primam partem D. Thom. diſputat. 36. ſect. 6.

De vocabulo *Trinus*, aliqualis dubitatio eſt quo ad etymologiam: nam Henricus exiſtimat, quod non componatur *Trinus* ex Tris, & vno; ſed deriuetur, vt nomen ſimplex ex dictione Græca Tris: cuius ratio eſt, quia ſi trinus ſignificaret ter vnum, eſſet nugatorium dicere, Deus trinus, & vnus. Reſpondetur tamen à D. Bonauentura quæſt. vlt. ſicuti Trinitas eſt trium vnitas: ſic trinus, eſt trium vnus; nec poteſt dici ter vnus: vnus enim ſe tenet ex parte eſſentiæ in concreto, quæ vna inhæret tribus: quare trinus, eſt vnus in tribus. Sic in reſponſione ad tertium: hoc nomen trinus, inquit, importat vnitatem vt in concretione, vt hoc nomen Deus. Et quæſt. 4. in reſponſione ad tertium, ſoluit dubitationem propoſitam ex illis verbis, in hymno Eccleſiæ, *Trinus, & vnus* ſicut & Riccardus art. 3. quæſt. 1. ad primum.

Dubitari tamen poteſt, cum hæc vtraque vox, *Trinitas*, & *Trinus* ſignificet & vnitatem, & pluralitatem: vnitatem formæ, pluralitatem ſuppoſitorum; quid principalius, & quaſi formaliter. Reſp. hac voce *Trinitatis*, & *Trini* non ſignificari principaliter, formaliter, & in recto; ſed quaſi materialiter, & in obliquo, & minus principaliter vnitatem eſſentiæ; formaliter verò numerum perſonarum vnius eſſentiæ; ita colligitur ex D. Thoma quæſt. 31. art. 1. ad primum, magis expreſſe ex Riccardo art. 3. quæſt. 1. ex recentioribus, vehementer Genebrardus lib. 2. de Trinit. inter medium, & finem. Belarminus lib. 2. de Chriſto cap. 5. Suarez lib. 3. de Trinitate cap. vlt. Confirmari poteſt ex D. Fulgentio, libro de fide ad Petrum cap. 1. vbi aſſerit. *Trinitatem eſſe veram, etiam ſine vnitate naturæ, & trinitatem eſſe in eſſentia.* Ex D. Iſidoro lib. 7. Etymologiarum cap. 4. *Trinitas in relatiuis perſonarum nominibus eſt*, & lib. 2. cap. 1. *Trinitas, propter perſonarum diuerſitatem vocatur &c.* Et licet D. Bonauentura quæſt. 4. & 5. oppoſitum videatur indicare, dum aſſerit nomina numeralia in Deo ſignificare vnitatem, & pluralitatem; & ex Magiſtro eſſe nomen collectiuū, ſeu quaſi collectiuum; & Trinitatis ſignificationem, *eſſe trium vnitatem*; abſque tamen vi in communiorem ſententiam trahi poteſt, & ipſum quoque admittere in hac Trinitatis ſignificatione, vnitatis, & pluralitatis etiam ex ſono vocis, primò numerum perſonarum; deinde vnitatem eſſentiæ; licet quoquomodo dicatur, non admodum refert; & pro D. Bonau. non ſit difficilis negotij, oppoſitas authoritates gloſſare.

Obſeruandum deinde de hac eadem voce *Trini*, cum concreto termino adiungendam, non cum abſtracto: dicitur enim rectè *Deus Trinus*, non *Trina Deitas*. Ratio vera eſt D. Bonauenturæ queſt. vlt. ad tertium; quia Deus concrete ſumptus ſumitur, vt in tribus; Deitas verò pro perſona non ſupponit; ſed pro natura, quæ multiplicari non poteſt; & ſic in vltima abſtractione concepta, abſtrahit etiam à perſonalitate. Quod ſi ſemel cecinit in quodam hymno Sancta Eccleſia, *te trina Deitas*: tum aliàs reddimus rationem; tum quia eodem loco, & eodem

verſu addidit vocem, quæ moderatur, tollitque omne, quod induci poſſet Scrupulum: *te* enim inquit, *trina Deitas, vnaque poſcimus*: quò enim trinam, eò etiam vnam modulata eſt: vt ibi Deitas pro Deo, cui competit vnum eſſe, & trinum ratione metri ſumpta ſit. D. verò Thom. quæſt. 31. art. 1. ad quintum. Trinum Trinitatem non licere affirmare aliam reddit rationem: ſequeretur enim, inquit, tria eſſe tot ſuppoſita Trinitatis; & ita nouem perſonas, & in ſingulis perſonis eſſe Trinitatem; quod tamen falſiſſimum eſt, & contra fidem: vnus enim eſt Pater, vnus Filius, & vnus Spiritus Sanctus. Ita D. Bon. quæſt. vlt. in fine Alexand. 1. par. quæſt. 66. memb. 2. art. 1. & art. 2. Albertus 1. par. quæſt. 45. memb. 1. art. 3. & memb. 2. art. 2.

Iterum obſeruandum, non ſolum relatiua nomina de Deo plurali numero, vt apud omnes compertum eſt, proferenda; ſed etiam ſubſtantiua, ſi tamen adiectiuè ſignificent, & proferantur. Quod vt certò, & dilucidè percipiatur ex D. Bonau. dubio 2. diſt. 9. & dubio 3. diſt. 22. primi ſententiarum, & D. Thom. art. 3 quæſt. 39. Animaduertendum primò, nomina ſubſtantiua duobus modis eſſentiam ſignificare conſueuerunt: altero ſubſtantiuè, & per modum ſubſtantiæ, vt Deus: altero per modum adiectiui, vt potens: quæ primo modo ſignificant: ſicuti eſſentia, & ſubſtantia Diuina vna eſt, neque plurificari poteſt; ita de pluribus perſonis ſingulari tantum numero prædicari poſſunt: dicitur enim æternus Pater, Filius æternus, Spiritus S. æternus; non tamen tres æternos licet dicere. Quod ſi æternus hic adiectiuum eſt nomen; ſignificat tamen per modum ſubſtantiui: nam æternitas hic ſignificata eſt, vt ſubſtantialis, & abſoluta perfectio, vna, & communis tribus, etſi maſculino genere proferatur in quo; vt obſeruat Scotus 1. diſt. 12. quæſt. 1. & ex vſu ex ſe notum eſt, ſubſtantiui ſignificationem ſubire non ſoleat; ſed in genere neutro; vnde in Diuinis alius, & alius conceditur; non tamen aliud, & aliud: ſubſtantiui tamen rationem ſignificandi induit hoc loco; quia quid concernit ad ſubſtantiuum ſpectans. Quæ verò adiectiua ſunt, & adiectiuè etiam ſumuntur; etiam in plurali de tribus perſonis prædicantur: in quo genere reponuntur ne dum nomina, ſed etiam verba, & participata; vt partem, & naturam verbi retinent; & etiam ea nomina, quæ in modo adiectiuo indicant eſſentiam, & intra mutuam relationem connotant; ſicuti coæterni, coæquales, & conſubſtantiales ex Lateranenſi Conc. cap. *firmiter*, & Symbolo Athanaſij. Huius totius aſſerti ratio egregia eſt S. Thom. quam contra Scotum tuetur Caietanus, ex differentia in modo ſignificandi inter ſubſtantiua, & adiectiua deſumpta: ſubſtantiua ſignificant per modum ſubſtantiæ; adiectiua per modum adiacentiæ, & accidentis: ergo ſingularitas, vel pluralitas ſubſtantiui attenditur penes formam ſignificatam; adiectiui verò penes ſubiectum, & ſuppoſitum, cui ſuo modo inhæret: & conſtat conſequentia: nam & ſubſtantia ſicuti habet eſſe ex ſe; ita & vnitatem, & pluralitatem; adiectiua autem ſicuti non habent eſſe niſi à ſubiecto, & ſuppoſito; ita neque vnitatem, neque pluralitatem niſi ab eodem ſuſcipit: ergo non ritè, nec verè tres perſonæ poſſunt dici tres Dij; quia Deus ſubſtantiuè ſumitur; neque vt ſic multiplicari poteſt. Neque obſtat, quod Græci tres hypoſtaſes, ideſt, tres ſubſtantias dicant: Hebræi Helhoim, ideſt, plures Deos proferant: nam certum eſt à Græcis ſubſtantiam pro ſubſiſtentia ſumi; Hebræos verò licitè Helhoim proferre, tum ex diueſitate idiomatis, tum ex alijs rationibus, de quibus aliàs; quod tamen nobis nulla ratione conceditur: ergo ritè, & orthodoxè eædem Diuinæ perſonæ dicuntur tres res, ſcilicet ſubſiſtentes, tres potentes, tres æternæ; quia ad modum adiectiui perſonis inhærentes, à perſonis plurificantur; non tamen tres omnipotentes; quia omnipotens ex compoſitione eſt nomen; non tamen verbale; neque participium; vt obſeruat D. Bonauentura diſt. 22. dub. 3. Nomen enim per modum habitus, & in quiete ad modum adiectiui ſumere non licet. Vtrumque hoc totum docuit. D. Athanaſius in Symbolo: nam primo loco, tres perſonas, tres æternos negauit; ſecundo loco coæternas perſonas, & coæquales numero plurium conceſſit, hac ſcilicet ratione, quia primo loco ſubſtantiuè ſumpſit; ſecundo loco adiectiuè, & vt relationem implicabant; quo ſenſu pluralitatem rectè admittunt.

QVAE-

Digitized by Google

QVAESTIO XXI.

DE MISSIONE DIVINARVM Perſonarum. D. Bonauentura cum Magiſtro diſt. 14. 15. 16. & 17. D. Thom. quæſt. 43.

QVEMADMODVM iam, cum de abſolutis Dei nominibus, explicatis quæ Deo æterna ſunt, & ab æternitate competunt; deinde quæ eidem ex tempore congruunt, recto, & neceſſario ordine pertractarunt Theologi; eadem fermè ratione in Diuinarum perſonarum notionum, ac proprietatum tractatu incedendum; vt expedita de æternis notionibus contemplatione, nunc ad eas, quæ temporaneæ notiones appellari poſſunt, fiat acceſſus, hoc eſt, ad miſſiones, ac proceſſiones in tempore Diuinarum perſonarum Filij, & Spiritus Sancti: non quidem, vt creaturarum ſunt principium, & cauſa: hoc enim omnibus Diuinis perſonis congruit, & commune eſt, & hoc loco pertractare eſſet extra chorum ſaltare: ad tractatum enim de abſolutis ſpectare nemo non videt; ſed vt penes ſuas proprietates, quoquomodo ad creaturas comparantur, ac referuntur; & erit quæſtio in quinque capita diſtributa.

Primum caput. An, & quid ſit iſthæc miſſio.
Secundum. Quibus perſonis competat mitti.
Tertium. Quotuplex ſit Miſſio.
Quartum. Quotuplex miſſio temporanea, ac ſimul de miſſione inuiſibili.
Quintum. De miſſione viſibili.

CAPVT I.

D. Bonau. art. 1. diſt. 14. D. Thom. art. 1. quæſt. 43.

PARAPHRASIS.

P*RIMA Propoſitio. Miſſio de qua hic incipit diſputatio, de Diuinis perſonis dicitur, ex creaturis eſt attributum; vt primò à nobis obſeruatum in creaturis penes eas regulas, quibus ritè alia Deo aſeribuntur attributa, nimirum ſemotis imperfectionibus &c. Patet longo, ac ſolerti diſcurſu in corpore quæſtionis. Sicuti enim in his inferioribus ideo agnoſcuntur miſſiones; quia ad eas requiſita diſtinctè animaduertuntur, principium mittens, terminus ad quem, & Miſſum; ſic & excellentius in Diuinis eſt miſſio verè; quia eſt perſona mittens, perſona miſſa, & terminus cui mittitur, ſcilicet creatura rationalis ad aliquid in ea operandum &c.*

Ideo ſecunda Propoſitio. Verè in Diuinis perſonis inuenitur miſſio, & aliquæ ex illis reuera mittuntur. Probatur primò ex Diuinis literis. Sap. 9. Mitte illam de cælo, *ſcilicet ſapientiam, quæ eſt Filius. Io. 16.* Cum autem abiero, mittam vobis ſpiritum veritatis. *Ad Galatas 4.* Cum venit plenitudo temporis, miſit Deus Filium ſuum. *Et poſt,* Miſit Deus ſpiritum Filij ſui in corda veſtra. *Deinde rationibus. Prima. In præcedenti propoſitione, Diuinis perſonis omnia competunt, quæ miſsionis ratio exigit: ergo verè mitti poſſunt, ac mittuntur. Conſtat in corpore. Secunda, ex miſsionis definitione.* Mittere, eſt ex ſe aliquem producere in alium: *Quemadmodum ſol producit radios in aerem; ſed Pater, & Filius producunt Spiritum Sanctum in creaturam rationalem: ergo mittunt. Maior conſtat ex exemplo de ſole, & vulgato modo illud explicandi: dicitur enim communi eloquio; ſol emittit radios. Minor certa eſt de fide ex Diuina Scriptura. Tertia. Quando datur aliquid alicui, vt abſenti, dicitur illud mitti; ſed à Sanctiſſima Trinitate datur homini, ab ipſa per peccatum extremè abſenti, ac remotiſsimo Spiritus Sanctus ad ſanctificandum, & in habitandum: ergo mittitur: ergo in Diuinis miſſio. Quarta. Inter mittens, & miſſum debet eſſe diſtinctio; ſed inter Diuinas perſonas eſt diſtinctio realis origine: ergo. Quinta. In Diuinis perſonis non eſt neceſſe, vt perſona miſſa loco recedat. & ſubijciatur, & minor ſit mittente, niſi ſub auctoritate originis; neque vt mutetur: ergo poteſt ei competere miſſio. Antecedens probatur; tum quia hæc ad rationem miſſionis inter creaturas tantum requiruntur, non ad miſſionem abſolutè ſumptam; tum quia ſufficit ad hanc rationem miſsionis; vt miſſa perſona emanet, & originem trahat à mittente, & in hac miſsione aliquis nouus effectus producatur in eo, cui ſit miſsio. Patet in reſponſione ad argumenta.*

Tertia Propoſitio confectaria. Gemina inuenitur miſsio. Alia inter creaturas, cui multæ neceſſariæ conueniunt conditiones, mutationis localis, ſubiectionis &c. Alia inter Diuinas

per-

Digitized by Google

perſonas cui enumeratæ repugnant conditiones; aliæ verò requiruntur. Prima, vt perſona miſſa producatur à mittente. Secunda, vt aliquis nouus producatur effectus in termino &c.

Quarta Propoſitio, ex quæſt. 2. S. Bonauenturæ, & S. Thomæ. Omnis miſsio Diuina neceſſariò in tempore ſit; non quidem ratione mittentis, aut miſſæ perſonæ; ſed effectus, & termini. Declaratur primò: nam hæc tria in miſſione requiruntur: mittens, Perſona miſſa, & effectus, ac operatio aliqua, ne dicatur otioſè facta. Modo probatur prima pars: nam vtraque perſona mittens, & miſſa eſt æterna. Confirmatur ex reſponſione ad omnia argumenta. Secunda pars 1. Io. 16. Si non abiero Paracletus non veniet ad vos, ſi autem abiero mittam eum vobis; *quibus promittitur Apoſtolis Spiritus Sancti miſsio; ſed quod æternum eſt promitti non poteſt: ergo & promiſsio, & miſsio temporalis. Deinde promittitur Apoſtolis in tempore exiſtentibus. Tertiò effectus ad quem ſit miſsio, temporalis eſt: ergo. Confirmatur ex D. Aug. 4. de Trinit. cap. 22.* Mittitur Filius, vel Spiritus Sanctus, cum ex tempore cuiuſquam mente percipitur. *Quartò, omnis miſsio neceſſariò eſt aliquid poſterius mittenti: ergo temporalis. Antecedens conſtat: nam mittens prius habet quod mittit, quam qui illud recipit. Conſequentia quoque certa eſt: nam vbi poſterius, neceſſariò tempus,* de cuius ratione eſt prius, & poſterius.

COMMENTARIVM.

EADEM eſt ſententia, ac vis tituli primæ quæſtionis Sancti Bonauenturæ, quæ Sancti Thom. licet enim 1. art. Sanctus Thom. dicat: an congruat Diuinis perſonis mitti, Sanctus verò Bonauentura: an in Diuinis ſit miſſio; idem tamen eſt; tum quia non admittitur, niſi quod congruum, ac decentiſſimum ſit; tum quia S. Bon. arg. 4. affirmatiuo, eodem vtitur S. Thom. termino, nimirum, conuenienter dicitur mitti, non incongruè dicitur mitti; tum denique, quia in corpore quæſt. miſsio, inquit, in comparatione ad terminum completiſsime inuenitur in Diuinis. Aſſumitur verò conuenientia hæc ex vſu Diuinarum literarum, in quibus ſæpenumero, tum vox mitti, & mittere animaduertitur, tum res effecta commemoratur. Tandem quærere, an miſsio ſit, quæ eſt prima de vnaquaque re quæſtio ex Ariſt. idem eſt, ac quærere, an congrua et neceſſaria ſit.

At verò in primis perattentè animaduertendum primo loco, alia, & admodum diuerſa ratione ab orthodoxis, & catholicis Patribus, ac Theologis; ab Hereticis Arrianis hic Diuinarum perſonarum miſsionis perueſtigatur congruens, ac conſentanea ratio: iſti enim perditiſsimi nebulones: ideo mittitur, ac rectè perſona Filij, & Spiritus Sancti; quia qui mittitur, mittente inferior eſt, & alterius, ac diuerſæ naturæ. Quocirca impiè ex miſsione Filij in primis arguebant inæqualitatem; mittitur Filius à Patre (hoc erat eorum blaſphemum argumentum) ergo creatura; quia inæqualis, & alterius naturæ: quare D. Aug. lib. 4. de Trinit. c. 19. cōtra eos, & multis alijs locis Filij miſsi ſuſtinet, ac tuetur æqualitatem. Ad Galat. 4. *Cum venit,* inquit, *plenitudo temporis, miſit Deus Filium ſuum, factum ex muliere, factum ſub lege; vſque adeo paruum, vt factum; eo itaque miſſum, quo factum. Si ergo maior mittit minorem, fatemur & nos factum minorem, in quantum factum, & in tantum factum, in quantum miſſum: miſit enim Filium ſuum, factum ex muliere; per quem tamen quia facta ſunt omnia, non ſolum prius quam mitteretur; ſed prius quam eſſent omnia, eundem mittenti fatemur æqualem.* Et tract. 26. in Io. ex hac Filij miſsione, nullum neque apparens argumentum contra æqualitatem Filij; vt demonſtret definiens miſsionem: ſic ratiocinatur. *Miſsio quippe eius exinanitio ipſius eſt, & formæ ſeruilis acceptio: quod rectè intelligitur, ſeruata etiam cum Patre Filij æqualitate naturæ: maior enim eſt Pater homine Filio; ſed æqualem habet Deum Filium, cum idem ipſe ſit Deus, & homo Filius.* Nec quicquam proficit Arrius, ſi etiam præter incarnationis Myſterium dicatur à Patre mitti Filius: idem enim D. Auguſt. contra ſerm. Arrianorum cap. 3. *Quod miſerit Deus Filium, negari non poteſt: ſed conſiderent ſi poſſunt; quomodo eum miſerit, cum quo ipſe venit; an ille mentitus eſt, qui ait: non ſum ego ſolus, quoniam Pater mecum eſt; ſed quomodolibet miſſum intelligant? nunquid ideo diuerſa natura eſt, quia Pater mittit, Filius mittitur? niſi forte poteſt homo Pater mittere hominem Filium vnius, eiuſdemque ſubſtantiæ; & non poteſt Deus, cum homo ab homine ſeparetur mittente, quod Deus non poteſt. Poteſt ignis mittere ſplendorem, qui tamen ab igne non ſeparatur: & non poterit Deus mittere Filium, qui à Deo Patre tamen non ſeparetur?* Et alijs locis idem vberrime proſequitur, ac teſtatur præſertim tract. 21. in Io. & lib. 2. de Trinit. cap. 5. Quod æquè excellenter præſtant, & D. Cyrillus lib. 4. in Io. cap. 42. & D. Ambr. lib. 1. de Spiritu Sancto cap. 10. Theologi verò, ac Patres ex Diuinis literis Diuinas miſsiones meditantes, quam congruè, quamque decenter etiam penès Diuinitatis dignitatem factæ ſint, adinueniunt, & colligunt rationes; vt ex ipſis miſsionibus aſſerant, & firment perſonarum Diuinitatem veriſsimè; Hæretici verò impijſsimè negent; vt inter alios notauit D. Hilarius 5. de Trinit. longè à principio, & ſatis commode ex Io. 5. *Vt honorificent Filium, ſicut honorificant Patrem; qui non honorificant Filium, non honorificant Patrem, qui miſit illum;* vbi ex miſsione colligit æqualitatem Filij cum Patre, & D. Aug. 4. de Trinit. cap. 2. & eſt in text. magiſtri. *Non ideo,* inquit, *arbitrandum eſt minorem eſſe filium, quod à Patre miſſus; nec ideo minorem Spiritum Sanctum, quia eum & Pater miſit, & Filius: ſiue enim &*

pro-

propter viſibilem creaturam, ſiue propter principij commendationem, non propter inæqualitatem, vel imparilitatem, vel diſsimilitudinem ſubſtantiæ in Scripturis poſita intelliguntur.

Animaduertendum præterea de miſsionis nomine, ac voce; vt ab eo incipiamus, à quo recta methodus docet. *Miſsio ergo eſt quadam motio in hominibus, aut egreſſus alicuius ab aliquo, in ordine ad aliquem terminum*, vel effectum, vel locum: quæ quidem miſsio, vt luculenter tradit quæſt. 1. S. Bon. fit aut ad ante eſſe; ſicuti à ſole mittente, & producente radium: aut à virtute imprimente, quemadmodum à proiectore mittitur ſagitta, vel lapis: aut denique à conferente iuriſdictionem per imperium &c. quomodo à Præſide mittitur Nuncius.

Sed quæ tribuitur Diuinis perſonis non poteſt eſſe hæc, aut ſimilis propter multas quas inuoluit imperfectiones, niſi per metaphoram quandam, ſeiunctis his quæ Deum non decent, quicquid blaterarint Hæretici; vt teſtantur D. Athanaſ. orat. in illa verba, *Deus de Deo*, in fine, & D. Aug. 2. de Trinit. cap. 15. qui conati ſunt miſsiones in Filio, & in Spiritu Sancto dicere ſubiectionis, & minoritatis inæqualitatem perſuadere: *eſt enim Diuina miſsio, perſonæ producentis ab alia diſtinctæ in eadem natura manifeſtatio, per aliquem effectum ſanctificantem in creatura rationali*, vt latius paucis poſt.

Quam quidem vocis *miſsionis* vim, vt clarius, & certius aſſequamur, ob oculos ponenda inter has voces differentia, locandumque, non diſsimulandum diſcrimen, proceſsio, datio, & donatio, manifeſtatio, & miſsio: Proceſsio enim ex D. Th. diſt. 19. 1. art. 2. dicit emanationem perſonæ, cum relatione ad principium, & ad terminum; & diſtinctione reali, vel præciſe, vel cum aptitudine ad exteriorem terminum: datio verò, & donatio nihil de origine indicans, neque de diſtinctione à donante: poteſt enim quis ſeipſum donare; & eſſentia ipſa Diuina dicitur dari, & donari à Patre Filio per generationem; & à Patre, & Filio Spiritui Sancto per ſpirationem; ſolum igitur effectum in creatura ſua ſignificatione nobis nuntiat; & licet eandem perſonam quæ mittitur, & datur, & donatur deſignet; perſonam tamen niſi cum effectu, & dono vt ſic, preſefert. Apparitio autem, & manifeſtatio; ita à miſsione ſecernitur, vt omnino ſine illa fieri poſsit: nam & Pater qui nullo modo mittitur apparere poteſt, niſi miſsio ita latiori ſententia ſumatur; vt & illa perſona dicatur miſſa, quæ ſe ipſam patefacit, ac operetur cum alijs perſonis in creatura rationali. Miſsio verò, & originem, & apparitionem, & manifeſtationem, & effectum certò ſignificat: dicit enim teſte eodem loco, eodem S. Thom. exitum alicuius miſsi ab aliquo, ſicut à mittente ad aliquem terminum; ita vt & ad principium, & ad terminum ponat relationem: ad principium æternum in Diuinis, temporale in humanis; & in his diſtantiam localem; in Deo verò nouum modum ſe habendi per aliquem nouum effectum. Atq; hæc de vi nominis.

Quo verò ad rem, S. Doctor duo hac quæſt. præſtat. Alterum, quid ſit miſsio: Alterum, quod in Diuinis ſit & quam conſentanee; ſed hæc duo ad vnum tantum: ex definitione enim probat Diuinis ineſſe perſonis, & competere miſsionem: quam quidem definitionem, & veritatem, vt luculentius tradamus, & prius certius poſsideamus; & quænam Sancti Doctoris de hac re ſit aperta ſententia, obſeruandum ex Mag. diſt. 15. Theologos de quidditate miſsionis Diuinæ in duas abire extremas ſententias: cum enim & duo in primis Diuina complectatur miſsio. Alterum, originem, emanationem, & relationem à perſona à qua mittitur. Alterum, manifeſtationem miſſæ perſonæ per aliquem effectum nouum, in quo efficiendo (licet ſimul cum alijs perſonis) ſeipſam ita manifeſtat; cumque Diuina perſona bifariam nuncupetur miſſa. Primò, vt in Filio ratione naturæ aſſumptæ per communicationem idiomatum; & in Spiritu Sancto ratione ſigni columbæ, ignis &c. aſſumpti, & effectus effecti. Secundò, vt ipſamet perſona ſecundum ſe dicatur miſſa ex D. Aug. 4. de Trinit. cap. 20. non tantum dicitur miſſus Filius, quia *verbum caro factum eſt*; ſed etiam verbum eſt miſſum, vt caro fieret; cum hæc, inquam, in miſsione inueniantur, diſquirunt Doctores ex his: quid primo, ac per ſe, ac potius complectatur miſsio. An nimirum perſonam emanantem, & procedentem ab altero; effectum verò in tempore conſequenter per connotationem? An oppoſito modo in primis, ſcilicet apparitionem, & manifeſtationem, & effectum nouum; proceſsionem verò, ac æternam relationem quaſi conſequenter, & vt aiunt connotatiuè.

Et quidem, inquit Magiſter, quidam aſſeruerunt miſsionem nihil aliud eſſe, quam proceſsionem vnius perſonæ ab alia, coindicantem manifeſtationem &c. ac ſic, Pater dicatur mittere Filium, quia eum generat: quemadmodum & arbor dum producit flores, eos mittere aſſeratur. Quam ſententiam inter vetuſtiores Theologos videtur ſequtus Alex. Alenſ. 1. par. quæſt. 31. membro 2. & 4. ad argumenta: ſic enim miſsionem diffiniuit: eſt proceſsio alicuius perſonæ manifeſtatæ in creatura: quem quidam ex recenſioribus ſingulari inſigniti doctrina imitati ſunt, inter quos Suarez lib. 12. de Trinit. cap. 1. & Vaſquez 1. par. tom. 2. diſp. 170. cap. 2. pro ſe quibuſdam locis Sanctorum Patrum commemoratis D. Hilarij 9. de Trinit. D. Gregorij in Euang. hom. 26. D. Aug. 3. contra Maximinum cap. 14. & 4. de Trinit. cap. 20. & D. Cyrilli lib. 4. in Io. cap. 42. & 12. Theſauri cap. 5. & D. Thom. inquit Suarez art. 1. 2. & 3. huius quæſt. 43. Sed ipſe magiſter in oppoſitam ſeſe recipit ſententiam, vt miſsionem in primis manifeſtationem Diuinæ perſonæ emanantis &c. dicere aſſeruerit ex D. Aug. 2. de Trinit. *Hæc viſibiliter expreſſa, & oculis oblata mortalibus miſſio Spiritus Sancti dicta eſt*. Et lib. 4. cap. 2. *ſicut rectum eſſe, eſt Filio à Patre eſſe; ita mitti, eſt Filio cognoſci quod ab illo ſit; & ſicut Spiritui Sancto donum Dei eſſe, eſt à Patre procedere: ita mitti, eſt cognoſci quod ab illo procedat*. & ibidem

bidem: *tunc vnaquæque mittitur perſona, cum à quoquam cognoſcitur, atque percipitur quantum cognoſci, ac percipi poteſt pro captu &c. Non ergo eo ipſo miſſus dicitur Filius, quo de Patre natus eſt; ſed eo, quo apparuit huic mundo Verbum caro factum: vnde dicit, Exiui à Patre, & veni in mundum: vel eo quod ex tempore cuiuſquam mente percipitur &c.* & tract. 26. in Ioan. *Miſſio quippe eius, eſt exinanitio ipſius, & formæ ſeruilis acceptio:* Quam ſententiam ex Theologis antiquioribus apertè profeſsi, & complexi ſunt D. Thom. in 1. ſent. diſt. 14. quæſt. 1. art. 2. & verè in ſumma 1. par. quæſt. 43. art. 2. his verbis teſtatur miſsionem dici dumtaxat temporaliter: ergo in primis ratione effectus. Et in reſponſione ad tertium, vbi ratione geminati termini ad quem, duas eſſe ait miſsiones; alteram æternam; temporaneam alteram: & ibidem adhuc clarius. Miſsio eſt manifeſtatio productionis alicuius perſonæ æternæ per aliquem effectum in creatura &c. & Alexand. expreſsius quam oppoſitam hanc aſſeruit ſententiam. Idem, inquit, eſt miſſio, ac temporalis proceſsio, & licet prodat principale ſignificatum eſſe æternam perſonam, interpetrandus, locutus abſolutè, & in comparatione ad effectum; in ratione tamen miſſionis temporalis, vt ſic mittitur perſona, id in primis fiat ad manifeſtandum ipſam perſonam, & communicandum aliquem effectum: & art. 2. memb. 2. quæſt. 73. licet proceſsio principaliter ſignificetur, inquit, in miſsione, & de ipſa prædicetur; miſſionis tamen nomen non imponitur à proceſſione, ſed ab effectu &c. & Scotus, & Riccardus, & Egidius; & Gabriel in eandem conſcribuntur ſententiam; vt ſcilicet miſsio de ſe dicat effectum manifeſtationis &c.

At verò S. Bonanentnra, in quam ex his ſententiam ſe ipſum coniecit? hæc hac de re apertiſsime literis mandat quæſt. 1. definit miſsionem eſſe, aliquem ex ſe producere in alium; quo deducitur: ergo Spiritus Sanctus verè mittitur, quia producitur à Patre, & Filio in creaturam: qua definitione, de rigore ad miſsionem non ſufficere originem, ſed potiſsime requiri terminum exteriorem, ad eumque in primis celebrari liquidò conſpicitur. In corpore verò quæſt. tria, inquit, requiruntur ad miſsionem: principium mittens, miſſa perſona, & effectus, tanquam terminus ad quem, & per quem fiat miſsio: vnde infra, mittitur Filius, vel Spiritus Sanctus alicui ad inhabitandum, ad poſsidendum, ad ſanctificandum; hoc eſt, ad effectum operandum. In mittente eſt auctoritas mittendi, vis producendi, virtus emittendi: quare Pater verè mittit Filium; quia dat ei & eſſe, & virtutem operandi, & authoritatem: à Patre enim quicquid eſt, & habet, recipit Filius &c. In miſso in humanis, vt minor ſit mittente, vt mutet locum, & recedat à mittente &c. In Diuinis verò, vt miſſa perſona originem ducat, & diſtinguatur à mittente, non vt mutet locum; quia ſvbiq; eſt Deus: vnde nulla mutatio in miſſo à mittente admittenda eſt; ſed vt aliquem effectum nouum extra ſe in homine moraliter abſente operetur; vel ſi in Filio ſumatur miſsio naturæ aſſumptæ, poteſt dici Filius verè minor, ac verè mutatus: in termino mittitur perſona ad noua ratione in creatura inhabitandum, ad poſsidendum, ad ſanctificandum; ſcilicet ad producendum ſanctificationis effectum &c. In ſecunda verò quæſt. enixè probat, omnem miſsionem fieri in tempore, & temporaneam eſſe, hac potiſsimum ratione; quia effectus propter quem fit miſsio; eſt temporaneus, vt omnes etiam reliqui ſatentur Theologi.

Sed hoc argumentum quam mirè confirmat rem noſtrã. Omnis miſsio fit ratione operationis; ſed operatio eſt effectus in tempore: ergo omnis miſsio eſt temporanea: hinc enim deduco: ergo potiſsimum in miſsione eſt effectus; & quæſt. 4. clariſsime. Miſsio dicit emanationem, & manifeſtationem; ſed principaliter manifeſtationem, & connotat in miſso emanationem. Præterea idem ex D. Aug. 4. de Trinit. roborat. *Mittitur Filius, vel Spiritus Sanctus, cum ex tempore cuiuſquam mente percipitur*: ergo ad hoc præſertim fit miſſio. Augetur huius rei certitudo ex Diuinis literis Io. 16. *Si non abiero Paraclitus non veniet ad vos; cum autem abiero mittam eum vobis*: quibus apertè colligitur aſcendiſſe Chriſtum in cælum, vt mitteret nobis Spiritum Sanctum: veniſſe Spiritum Sanctum vt conſolaretur Apoſtolos: ideo enim dicitur Paraclitus; vt doceret eos omnem veritatem, vt teſtimonium perhiberet de Chriſto &c. ergo in primis ad manifeſtandum, ad operandum &c.

Hanc quidem ſententiam D. Bonauenturæ, & reliquorum Theologorum eſſe veriorem, ac rationabiliorem ex multis certè demonſtratur; ſed pręſertim ex Diuinis literis, ijſque locis quibus de miſsione vlla fit mentio: ad hoc enim docet Spiritus Sanctus. *Deum dilexiſſe mundum, vt Filium, ſuum vnigenitum daret; vt omnis qui credit in ipſum non pereat &c.* Et quomodo miſsionis huius recenſetur vnicus finis, vt omnes qui credunt in ipſum &c. Ad Galatas 4. *Miſit Deus Filium ſuum, factum ex muliere &c. factum ſub lege, vt omnes qui ſub lege erant redimeret.* Ecce finis propter quem, & ne enumerẽ innumera loca huius generis, vnico vtar argumento ex communi omnium Theologorum ſententia, & ex toto ferè Euangelio.

Celebratum eſt incarnationis myſterium, aut per ſe ad Diuinam bonitatem tum teſtandam; tum communicandam: etiam ſi peccatum Adæ non accidiſſet, ex Scoto; aut ad generis humani peccatum tollendum, & hominem redimendum ex communiori, & certiori inſigniorum Theologorum ſententia; ſed quæque fuerit ex his cauſſa, conſpirant in hoc omnes; vt propter effectum temporaneum, duraturum tamen in æternum: ergo miſsionis potior ratio eſt effectus. Actor. 2. *Venit Spiritus Sanctus in linguis igneis*: ergo maximè ad docendum, & manifeſtandum Chriſti Diuinitatem, ad inflammanda corda Apoſtolorum &c. Hinc præter recenſita loca vſque adhuc, D. Aug. 4. de Trinit. cap. 20. quem locum etiam Alexander adhibet. Mitti, eſt cognoſci quod ab alio procedit: ergo mittitur vt cognoſcatur; ergo propter effe-

ctum

ctum manifeſtationis &c. hinc variæ miſsionis, in eiuſdem veritatis confirmationem, definitiones. D. Bonauenturæ. *Miſsio eſt alicuius ex ſe productio*, non ſimpliciter; *ſed in alium, ſcilicet in creaturam*. Riccardi. *Miſsio eſt Diuinæ perſonæ emanantis, vel emanationis per aliquod donum ſibi appropriatum actu, vel habitu manifeſtatio, per quod ipſa perſona ſecundum quid, vel ſimpliciter habetur, vel magis habetur, vel haberi actu, vel habitu oſtenditur*. Durandi. *Miſsio eſt apparitio Diuinæ perſonæ, procedentis in natura creata quantum ad miſsionem viſibilē, vel ſanctificatio creaturæ per dona appropriata perſonis procedentibus*. Gabrielis Biel. *Eſt illapſus quidam, quo perſona ex æternitate procedens, vel producta menti creatæ per ſua dona, perſonæ ſubſtãtiam illabitur, eidem peculiariter ad actum bonum meritorium exequendum aſsiſtendo*. Quibus, ac conſimilibus oſtenditur, quod aſſerebatur: miſsionem temporantam conſiſtere in primis in effectu, in manifeſtatione, ac communicatione ſingulari creaturæ rationabili, proceſsiontmque interuenire, vt quæ perſona mittitur innoteſcat, ſortirique nomen à termino ad quem. Quod totum adhuc confirmatur ex eo, quod Sanctus Thomas 1. ſent. indicato loco miſsionem ex ſui nominis ratione non poſtulare originem à mittente; ita vt miſsus intrinſecè originandus ſit ab eo, à quo mittitur; ſed dumtaxat vt in mittente ſit authoritas: quaſi verè ſeruus mittitur, neque tamen mittentis Filius: quod ſi in Diuinis euenit, inde eſt; quia illa perſona mittens, eo habet, & confert authoritatem miſſæ, quo & eſſe, eiuſque origo eſt id eſt, ex conditione Diuina, non eſt ex intrinſeca miſsionis ratione: ergo ex his omnibus deductis miſsio eſt conſtans ex perſona quidem procedente ab alia cum relatione reali, & propria ad illam; ex relatione tamen in primis, & præcipue ad effectũ, quem in tempore tota quidem Trinitas operatur in anima: vnde communis eſt, & dicitur ideo eſſentialis, & quo Diuina perſona miſſa cognoſcitur, & manifeſtatur: & hanc eſſe Sancti Doctoris ſententiam ſatis abunde, vt cenſeo, demonſtratum eſt; ita vt terminus ſit formaliter e ratione miſsionis primò, ac per ſe.

Quæ verò obſtare videbantur, Sanctorum Patrum ſcilicet loca facillimo negotio expediuntur; Primò enim dici poteſt, quod de ſe ipſo dixit D. Aug. lib. 1. retract. cap. 9. vnum dixiſſe, aliud tacuiſſe quidem, non tamen negaſſe. Secundò, hos Patres in miſsione certe interuenire originem, non explicuiſſe tamen ſub qua ratione; an principaliori, vel minus principali: An formaliter, vel vt connotatam. Tertiò ad D. Gregorium, obſeruanda Sanctorum Bonauenturæ, & Thom. reſponſio ad primum 2. art. ad D. Hilarium lib. 6. de Trinit. longe poſt medium, oppoſitum ferè docuiſſe comperietur, vel vt melius dicam, ſe ipſum pro noſtra ſententia declaraſſe. Quibus omnibus rite obſeruatis coruſcat, & lucide apparet, quod primò indagabat S. Doctor cum reliquis, quam verè, quamque conſentaneè Diuinas perſonas deceat mitti, quo ſit, vt nobis hic non ſit multum enitendum perſuadere: innumetis enim locis docet fides toto quaſi contextu noui teſtamenti: quid enim ferè aliud complectuntur euangelia, quam Filij, & Spiritus Sancti miſsionem, & aduentum? quid quam vberrimus fructus ex vtraque miſsione refert? quid quoque veteres paginæ quaſi quam huius geminæ miſsionis ſponſiones, oracula, prophetias, figuras? quibus hæc efformatur familiaris Sancto Doctori ratiocinatio. Miſſæ ſunt Diuinæ perſonæ, & in dies mittuntur in corda hominum: ergo rationabiliſsime: non enim facit, aut facere poteſt Deus niſi quod optimæ rationi conſonum. Præterea coaceruari hic omnes poſſunt rationes illæ, quæ de incarnatione Verbi, de Spiritus Sancti aduentu à Theologis, diuerſis locis ſolent afferri.

Obſeruandum denique eſt de illo loco, quem S. Doct. ex 9. Sap. deſumpſit, illum prius ad eundem finem, & in eandem ſententiam expoſuiſſe S. Aug. lib. 4. de Trinit. cap. 20.

Superest nunc argumentorum in oppoſitam partem Sancti Doct. ſolutiones obſeruare.

Primum. Vbicumque eſt miſsio, ibi eſt ſeparatio; ſed in Diuinis ſeparatio non poteſt eſſe: ergo neque miſsio. Maior eſt D. Hieronymi; minor vbiq; in omni Theologia aſſerta eſt.

Reſpond. primò. Huius argumenti maiorem eſſe Hæreticorum, non quidem ad negandas miſsiones; ſed ad inducendam inæqualitatem in perſonis miſſis, & negandam earum Diuinitatem: quare Sancti Patres onus reſpondendi, ac dignitatem perſonarum miſſarum tuendi ſuſceperunt, nimirum perſonas eſſe æquales, non mutatas in miſsionibus, non ſeparatas &c. D. Cyrillus lib. 4. Theſauri cap. 42. D. Ambr. lib. 1. de Spiritu Sancto. D. Aug. lib. 4. de Trinit. cap. 19. lib. contra ſerm. Arrianorum cap. 3. tract. 21. in Io: & alibi.

Ad argumentum ergo neganda eſt maior de miſsione Diuina, quæ eſt potiſsima, & ſine vlla imperfectione. Ratio eſt; quia Deus cum vbique ſit, non eſt neceſſe, nec poſsibile ipſum recedere, nec accedere, neque moueri loco ad locum, niſi fortaſſe ſumeretur illa maior de Filio in natura aſſumpto; vt obſeruat, & concedit, vt ſupra retulimus, S. Aug. & de ſignis in quibus apparuit Spiritus Sanctus. Idem S. Thom. ad ſecundum, addens illam ſolam perſonam miſſam moueri, & recedere, quæ abſolutè incipit eſſe, vbi prius non erat, quod conſtat euenire non poſſe perſonæ Diuinæ. D. verò Hieronymum in hoc quoq; ſenſu loquutum fuiſſe neceſſariò aſſerimus.

Secundum. Vbicumque eſt miſsio, eſt miſsi ad mittentem ſubiectio: ergo perſona Diuina, aut mitti non poteſt, aut ſi mittitur inæqualis, & minor mittente erit; quod vtrumque Hæreticum eſt.

Reſp. primò communi, & certa reſponſione adhuc antecedens ſalſiſsimum eſſe, in Diuinis vbi eſt tantum originis diſtinctio, & ſubauctoritas in perſona miſſa: in humanis quidem, & id neceſſariò euenire concedimus, propter diſtinctionem ſubſtantialem miſsi à mittente, & propter dependentiam neceſſariam, & collationem authoritatis

tis

tis à mittente. Reſpondeo ſecundò; antecedens verum eſſe etiam in Diuinis in aſſumpta natura creata.

Tertium. Vbi miſsio, ibi mutatio: ergo perſona Diuina, aut non mittitur, aut mutatur. Antecedens conſtat; quia perſona non mittitur vbi iam eſt.

Reſpondeo, eadem reſponſione, falſum ſcilicet in Diuinis antecedens: quibus cum ſint vbique, repugnat loco moueri niſi in natura, & ſignis aſſumptis. Negatur quoque conſequentia: nam perſona Diuina verè mittitur propter nouum effectum, quem in miſsione tota Trinitas operatur; appropriatum tamen perſonæ miſſæ ad ipſam declarandam. Accidit verò moueri perſonæ miſſæ creatæ, ex ſua limitata natura: cum enim non ſit vbi mittitur, neceſſarius eſt ei motus ad illum locum &c.

Quartum. Miſsio paſsiua eſt opus miniſterij: ergo indecens æquali, & nobiliſsimæ perſonæ Diuinæ.

Reſpondeo, adhuc falſum antecedens in Diuinis; vbi perſona miſſa non ſubijcitur, niſi in aſſumpta natura &c.

Quintum ex Artic. 2. ex D. Dreg. hom. 26. in Euang. Eo ipſo mittitur Filius, quo generatur; ſed generatur ab æterno: ergo mittitur ab æterno: ergo miſsio eſt æterna.

Reſp. S. Bonauentura Senſum D. Greg. eſſe, reddere rationem, quare Filius mittatur in tempore, nimirum quia generatur à Patre ab æterno: vt enim mittatur perſona, requiritur perſona mittens cum authoritate; authoritas autem in mittente eſt origo actiua: ergo ideo mittitur Filius à Patre in tempore; quia Pater aut habet auctoritatem mittendi, eo quia ab æterno ipſum generat; ideo Filius non mittitur à Spiritu Sancto, quia ab ibſo non procedit. Eadem eſt S. Thom. reſponſio; ſed addit & alteram. Eo ſcilicet Filium mitti, quia generatur à Matre in incarnatione, vt velit ibi D. Greg. explicare miſsionem in incarnatione per generationem Matris.

Sextum ex Beda. Miſsio eſt proceſsio; ſed proceſsio eſt æterna: ergo & miſsio.

Reſp. Loqui Bedam de proceſsione temporali Spiritus Sancti in creaturas; vt ſic quæ non eſt æterna: vnde negatur minor: non enim omnis proceſsio Diuinarum perſonarum eſt æterna; ſed dumtaxat illa, quæ eſt ad intra; eadem eſt reſponſio S. Thom. in re ad tertium, licet diuerſis verbis. Miſsio, inquit, primò, non ſolum dicit proceſsionem à principio; ſed determinat proceſsionis terminum temporalem; inde miſsio ſolum eſt temporalis. Secundò. Miſsio includit quidem proceſſionem æternam; ſed aliquid addit ſcilicet temporalem effectum &c. quare ipſe negaret maiorem argumenti formaliter: miſsio enim eſt aliquid aliud præter proceſsionem.

Septimum. Miſsio Diuina ſiue actiuè, ſiue paſsiue ſumatur, eſt Deus: ergo æterna.

Reſp. vterque S. Doctor. Miſsionem de qua eſt ſermo, præter Deum dicere etiam effectum; & terminum temporaneum, vnde temporanea denominatur: quare antecedens falſum eſt, ſi eum ea reſtrictione ſumatur, vt effectum hunc in tempore excludat: & geminam eſſe miſsionem, ac proceſsionem: alteram præcisè æternam: alteram includentem quidem æternam; ſed etiam temporaneum effectum; imò potius complectentem, ſcilicet terminum ad quem.

Octauum. Terminus miſsionis Diuinæ, à quo eſt Deus; itidem ad quem eſt Deus: mittit enim Deus Deum; ſed Deus eſt æternus: ergo pariter & miſsio.

Reſp. Miſsionem hanc duos terminos requirere: alterum intrinſecum, ſcilicet perſonam: extrinſecum alterum, nimirum effectum operandum in creatura rationali: nō enim Pater tantum mittit Filum; ſed mittit ad creaturã, & terminus miſsionis neceſſariò duplex; alter efficiens, & Diuinus: alter ſuſcipiens, & indigens, & eſt creatura, & poteſt probari ex omnibus illis locis Diuinarũ literarũ, quibus, cum de miſsionibus Filij, & Spiritus S. fit mētio, adduntur creaturæ propter quas. Ad formã ergo argumenti, neganda eſt maior: non enim omnis, & requiſitus terminus miſsionis, de qua hic, eſt Deus, ſed etiam creatura. Obijcit S. Thom. ſi hic terminus temporalis requiritur: ergo mutatur perſona miſſa. Reſp. ipſe ad ſecundum, non mutari perſonam; ſed effectum perſonæ extrinſecum, qui de nouo producitur: quemadmodum Deus de nouo dicitur Dominus, non propter ſui, ſed creaturæ mutationem.

Nonum. Miſsio eſt Deus: ergo æterna: videtur idem argumentum cum tertio, quod propoſuit S. Doctor; diuerſi tamen ſunt termini, & diuerſa reſponſio: reſpondet enim peccare hoc argumentum fallacia tranſitus ab eo, quod competit Deo per ſe, ad id quod ratione connotati: Miſsio enim eſt quidem Deus, & perſona mittens, & miſſa, & ſubinde æterna; ſed ratione effectus ad quem mittitur, de quo hic ſermo, non eſt æterna: exemplum ipſe proponit, æs eſt naturale; ſtatua eſt æs: ergo naturalis; fit tranſitus à materia ſtatuæ, quæ eſt æs naturale, ad formam ſtatuæ quæ eſt artis: ita fermè hic perſona miſſa eſt æterna: ergo & effectus quem operatur in miſsione: Fallacia eſt à perſona ad effectum. Ad formam ergo argumenti, falſum eſt antecedens eadem ratione, qua ſupra: nam miſsio eſt aliquid aliud, quam Deus; quocirca falſa eſt & conſequentia ab abſurdo, ab omnibus ſupra reiecto. Si Filius, & Spiritus Sãctus ſeipſos mittunt: ergo & Pater ſeipſum mittit, & à ſeipſo mittitur. Probatur conſequentia. Seipſum mittere, eſt ſupra ſe reflectere: ſed hic eſt actus eſſentialis: ergo & ad Patrem ſpectat.

Reſp. Reflectre quidem perſonam ſupra ſe, dum ſeipſam mittit, hunc actum eſſe eſſentialem primò, & per ſe; quia perſonalis actus omnis eſt relatiuus; connotare tamen & perſonam, ratione cuius dicitur miſsio; neque inde competere poteſt Patri, qui à nullo eſt.

CAPVT II.

An Patris ſit mitti. D. Bon. quæſt. 3. D. Thom. art. 4.

PARAPHRASIS.

PRIMA *Propoſitio. Inter Diuinas perſonas non poteſt competere Patri, vt mittatur miſſione vlla. Probatur primò ex Patribus. D. Aug. 2. de Trinit. cap. 5.* Pater nuſquam legitur miſsus: *ergo nobis non eſt aſſerendum quod mittatur.* Conſtat: *nam in hoc myſterio in primis, niſi qui colligitur ex Scriptura licet aſſirmare lib. 4. de Trinit. cap. 21.* Pater abſurdiſsimè dicitur miſſus, *eodem lib. cap. 20.* Mitti,eſt cognoſci ab alio eſſe; *ſed Pater à nullo eſt; imò reliquæ perſonæ ab ipſo: ergo repugnat mitti. Confirmatur. Miſſio includit emanationem paſſiuam, & manifeſtationem, & operationem: ergo Pater licet poſsit manifeſtari, & ſimul cum alijs perſonis operari; non adæquatè tamen poteſt dici mitti, quia non emanat.*

Secunda Propoſitio ex reſponſione ad vltimum. Mittit, non remouetur à Patre, quaſi dicat ignobilitatem; vt ſit nobilius mittere, quam mitti: ſunt enim Diuinæ perſonæ & mittentes, & miſſæ æquales; ſed ideo, quia includit, vt in prima propoſitione emanationem, & ſubauctoritatem, quæ de perſona prima repugnant affirmari: non enim tunc eſſet prima.

Tertia Propoſitio ex reſponſione ad tertium. Terminus quidē, & effectus miſsionis ſi referatur ad principium efficiens, complectitur & Patrem, ad quem cum reliquis perſonis, vt vnum Deum, eſſentiale eſt creare, & efficere: ſi tamen ad perſonam miſſam cuius eſt emanare ab alia, non poteſt ad Patrem ſpectare: eſt enim notionale hoc, non Patris, ſed perſonæ emanantis proprium: declaratur: ſicut enim omnia creare per Filium proprium eſt Patris, à quo Filius habet vt ſit, & omnipotens ad creandum: ſic mitti proprium eſt perſonæ emanantis, non Patris &c.

Quarta Propoſitio ex quæſt. 4. Licet graues Authores, ac Magiſtri, & quidem admodum rationi conſonè aſſerant non poſſe dici, aut concedi, niſi valdè impropriè totam Trinitatem, & ſingulas perſonas mittere ſeipſas, vel à ſeipſis mitti; probabilius tamen, ac magis rationi conſentaneum eſt id concedere. Probatur prima pars. Primò, mittere dicit authoritatem, mitti ſubauthoritatem; ſed nulla perſona ſupra ſe habet auctoritatem, neque ad ſeipſam ſubauctoritatem, quia nulla ſeipſam producit: ergo nulla quoque ſeipſam mittere ritè dicendum eſt. Confirmatur ex D. Aug. 1. iam ſupra receuſitis locis, Pater abſurdiſsimè dicitur mitti. Mitti, eſt ab alio eſſe cognoſci. *Confirmatur ſecundò: nam inter mittentem, & miſſum debet eſſe diſtinctio realis; ſed nulla perſona diſtinguitur à ſe ipſa: ergo. Probatur tamen ſecunda pars; quia ſic locuti ſunt Sancti Patres, præſertim D. Aug. quorum auctoritates ad noſtrum ſenſum non ſunt trahenda; ſed ſenſus, & intellectus noſter ad eas ſubiungendus, niſi manifeſta obſtaret abſurditas. D. enim ipſe Aug. lib. de Trinit cap. 19.* Tota Trinitas dat Spiritum Sanctum, *ergo Spiritus Sanctus ſeipſum dat: ergo ſe ipſum mittit; lib. 2. de Trinit. cap. 5.* Filius à Patre non potuit mitti ſine Spiritu Sancto: *ergo miſsio Filij conuenit etiam Spiritui Sancto: ergo ſi potuit Filium mittere ad humanam naturam aſſumendam, cuius non eſt origo, potuit, ſeipſum mittere. Secundò Magiſter. Si Pater poteſt mittere Spiritum Sanctum, & hoc non poteſt ipſe Spiritus Sanctus: ergo aliquid poteſt, & facit Pater, quod non poteſt, nec facit Spiritus Sanctus: ergo ad extra ſunt diuiſa opera Trinitatis Sanctiſsimæ, quod omne, euidentiſſimum eſt quàm ſit falſum. Denique Io. 14.* Ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus: *ergo tota Trinitas ſe ipſam mittit. Tandem, licet miſsio duo includat, & complectatur, emanationem ſcilicet & manifeſtationem, principalius tamen manifeſtationem: ergo ratione principalis, ſicut qualibet perſona poteſt ſe ipſam manifeſtare, ita poterit & mittere: ergo propoſitio hæc, de qua hic ſermo, licet non fuerit æquè propria, ſicut illa vtrumque complectens ad miſsionem requiſitum; erit tamen vera, ac concedenda.*

Quinta Propoſitio. Hinc enaſcuntur tres propoſitionum ſpecies, & ſit Prima. Pater mittit Filium; & Pater, & Filius Spiritum Sanctum, & eſt maximè propria: continet enim emanationem, & manifeſtationem, & auctoritatem, & ſubauctoritatem. Secunda. Filius, & Spiritus Sanctus mittunt ſeipſos, eſt quoquomodo propria: nam & manifeſtatione, & aliqua ratione emanationem complectitur: nam Filius ſe à Patre emanare manifeſtat, Spiritus Sāctus ſe à Patre, & Filio. Tertia. Pater, vel Sancta Trinitas ſe ipſam mittit, eſt omnino impropria: nam nulla ratione includit emanationem cum nulla interueniat, licet manifeſtationem.

Sexta Propoſitio ex reſponſione ad quartum, Mittere tres cōplecti poteſt diſtinctiones. Primam, ſubſtantiam, & eſt, cum Deus mittit Angelum. Secundam, perſonalem, quando Pater mittit Filium. Tertiam, rationis, tunc cum Filius, aut Spiritus Sanctus dicitur ſeipſum mittere à ſeipſo in ratione mittentis, & miſsi, differens eo modo, quo voluntas à ſeipſa differt dum ſe ipſam mittit, & mouet; & diuerſa ratione ipſa vna, & mouens, & mota, & mittens, & miſſa aſſeritur.

COMMENTARIVM.

IVRE Sanctus Doctor explicata veritate, quidditate, & inde conuenientia miſsionis Diuinarum perſonarum; nunc tranſit cum plures ſint perſonæ diſtinctæ diſquirere, quibus tamen perſonis conueniat, tum actiua, tum paſsiua miſsio; & cum luce meridiana clarius pateat paſsiuam miſsionem conuenire Filio, & Spiritui Sancto, & ex Diuinis literis, vbi celeberrimæ earum miſsiones referuntur, & ex ratione originum, quæ neceſſariò ſupponuntur, & connotantur in miſsione; incipiens ab hac miſsione paſsiua, quærit de Patre primò an ei competat, & ab alia perſona mitti, & à ſeipſo; quod idem ſimul de tota Trinitate, & deinde de ſingulis perſonis, verum ſcilicet Verbum, & Spiritus Sanctus ſeipſos miſerint, an mittant. Tandem poſsitne vna perſona aliam quam non producit mittere, veluti Spiritus Sanctus Filium. Hæc his duabus quæſtionibus.

Et quo ad primum, Patrem ab alia perſona mitti negat abſolutè, idque ex multis locis Sancti Auguſt. vt in textu, qui ideo vetat nobis id aſſerere, quia in Diuinis literis nunquam legitur Pater miſſus, quaſi in hoc præſertim reconditiſsimo myſterio ſine Diuinis literis, aut apertis, aut orthodoxè interpretatis, nihil ſit aſſerendum, & qui auderet aſſerere, abſurdiſsima diceret. Et deducit Sanctus Doctor hoc idem ex principio Ariſtot. 8. Phyſicorum tex. 38. Sicut omne mobile reducitur ad immobile, ſic eadem cum proportionis ratione, omnis perſona miſsibilis debet terminare in immiſsibilem, quæ ſcilicet ita alias mittat, vt ipſa neque mittatur, neque mitti poſsit, quæ non poteſt eſſe niſi Patris perſona, præſertim ſi à requiſitis ad miſsionem, miſsioniſque definitione ſumatur argumentatio.

De ratione miſsionis eſt emanatio, & manifeſtatio: ſed Pater ab alia perſona non emanat: ergo neque idoneè poteſt dici quod mittatur. Præterea mitti eſt cognoſci ab alia perſonam originari: ab alia non eſt Pater: ergo idem quod prius. Teſtatur Sanctus Auguſt. eandem rem grauiſsimè duobus alijs locis ſoluens quæ poſſunt opponi oppoſitiones. Primò contra ſermonem Arrianorum cap. 4. vbi quod vna perſona mittat, altera non mittat, non inde rectè colligi diuerſitatem naturæ, quæ nulla eſt inter Diuinas perſonas, optimè ſuſtinet, *Solus*, inquit, *Pater non legitur miſſus, quoniam ſolus non habet authorem à quo genitus ſit, vel à quo procedat; & ideo non propter naturæ diuerſitatem, quæ in Trinitate nulla eſt, ſed propter ipſam auctoritatem ſolus Pater non dicitur miſſus.* Et elegantiſsimum ſubdit exemplum. *Non enim*, inquit, *ſplendor, aut feruor ignem; ſed ignis mittit ſplendorem, & feruorem &c. eſt enim Filius lumen de lumine, & ſplendor figuræ ſubſtantiæ eius, & Spiritus Sanctus amor ignitus; vnde in ignis ſymbolis die Pent. apparuit*; & lib. 4. cap. 20. de Trinitate, quem locum aſſumit etiam Sanctus Thom. art. 4. ad ſecundum. *Sed Pater*, inquit, *cum ex tempore à quoquam cognoſcitur, non dicitur miſſus: non enim habet à quo miſſus, & à quo procedat.* Quibus aliam diluens obiectionem reſpondet, Patrem manifeſtari hominibus ad cognoſci, non ſufficere ad hoc vt dicatur miſſus, quia ibi nulla origo; poteſt quidem Pater dici quod veniat; immo dicitur Io. 14. *Ad eum veniemus &c.* Quod ſe det, ac donet nobis, vt indicauit etiam Sanctus Athanaſ. Epiſt. ad Serapionem; ratio vera eſt, quia hæc nec reſpectum ad aliam perſonam, neque notionem dicunt; ſed eſſentialia, & indiuidua tribus perſonis. Quæ eadem eiſdem locis, & rationibus tradit Sanctus Thom. art. 4. in corpore, & ad argumenta, inculcans miſsionem intrinſecè inuoluere notionem, & originem: quo fit vt eadem reliqua Theologorum cohors aſſeueret neceſſario.

Controuerſum verò, & litigioſum, quod quæſt. 4. verſat Sanctus Doctor, an ſcilicet Sanctiſsima Trinitas, & Filius, & Spiritus Sanctus poſsit dici ſeipſos mittere; vbi duas referens ſententias, alteram Magiſtri, quam tuentur Magnus Albertus, Riccardus, & Petrus de Tarantaſia, aſſerentem affirmatiuam partem, perſonam ſcilicet ſeipſam mittere ex ſola rationis diſtinctione, qua vt mittens à ſeipſa miſſa differt; alteram omnino oppoſitum ſentientem multorum grauiſsimorum Theologorum; et auctoritate, & ratione Diui Auguſt. *Quare Pater non dicatur miſſus*; eſt enim eadem & hoc loco. Quibus relatis, ſe tandem in reuerentiam Magiſtri, & eorum locorum Sanctorum Patrum, quæ ibi referuntur, dicto honorifico Vale ſecundæ ſententiæ, ceù in ſe rationabiliori, & faciliori quæ ſuſtineatur; ſuſcepit tueri primam, hac vſus diſtinctione. Dicere Pater mittit Filium, eſt veriſsima, & maximè propria, & vtramque miſsionis partem complectitur. Dicere verò Filius ſeipſum mittit, vera ipſa quoque, non tamen vſque adeo propria; vera quidem, quia potiori miſsionis parte conſtat, hoc eſt manifeſtatione, & hunc facit ſenſum: Filius ſeipſum manifeſtat ab alio procedere; non inquam tamen ita propria, quia non emanat à quo mittitur, ſcilicet à ſeipſo. Poteſt addi tertia, Filius mittitur à Spiritu Sancto, eadem ratione, quia Filius manifeſtat Spiritum Sanctum, ex text. Magiſtri. Quarta magis impropria, & nullo modo concedenda, Trinitas, vel Pater ſeipſum mittit, quia nuſquã legitur miſſus, & nulla ratione poteſt indicare originem; quia à nullo habet: eſt enim Pater prima perſona, principium, & origo totius Diuinitatis, vt ſatis roboratum eſt diuerſis locis: & eadem ratio de Trinitate. Prima propoſitio non indi-

Digitized by Google

indiget confirmatione : receptiſsima enim eſt omnibus ſuffragijs, omniqne pollet auctoritate, & ratione. Quarta ab omnibus iam reiecta eſt; ſecunda ergo, & tertia confirmanda. Primò, de ea videtur problema ſuſtinere Alexander; deinde veramque ſententiam continere veritatem, prodit Sanctus Thom. art. 8. hoc ferè modo. Si mittens deſignet principium perſonæ quæ mittitur, ſic non quælibet perſona mittit; ſed illa ſola cui conuenit eſſe principium perſonæ, quæ mittitur (ſic neque Filius ſeipſum, neque à Spiritu Sancto mittitur) ſi verò mittens indicet effectus principium, ſecundum quem mittitur; ſic Trinitas mittit perſonam: nam efficit effectum; ſic Filius ſeipſum, & à Spiritu Sancto &c. & addit in Commentario Caiet. eam rationem, quam adhibuit & Sanctus Doctor, ſcilicet ſententiam Magiſtri non deſpiciendam, propter Sanctorum reuerentiam.

Probat verò Magiſter primò, ſub termino, & ratione dati per Diuum Ambroſ. lib. 3. de Spiritu Sancto cap. 2. cum enim non definitum fuerit per Prophetam, à quo datus eſt Filius, oſtenditur datus gratia Trinitatis, vt etiam ipſe Filius ſe dederit; hic deducit Magiſter, ſi Filins à ſe datus : ergo etiam à ſe miſſus. Deinde ex Diui Auguſt. 2. de Trinitate cap. 50. *Forte*, inquit, *aliquis cogat, vt dicamus etiam à ſeipſo miſſum eſſe Filium; quia & Maria conceptus, & partus operatio Sanctiſsimæ Trinitatis eſt, qua creante omnia quæ creantur*; *ſed* inquis, *quomodo Pater miſit, ſi ſe ipſum miſit? cui reſpondeo quærens, vt dicat ſi poteſt: quommodo Pater eum ſanctificauit, ſi ſeipſum ſanctificauit? vtrumque enim dicit Dominus*. Ioan. 10. *quem Pater ſanctificauit, & miſit in mundum*. Ioan. 17. *Et pro eis ſanctifico me ipſum*. Et alia vberrimè id genus eo loco; & tandem concludit, ac eandem rationem repetit. *Credo reſpondebit, ſi probè ſapit, quia vna voluntas eſt Patris, & Filij, & inſeparabilis operatio &c.* horum ergo tantorum Patrum reuerentia, Sanctus Doctor illam ait concedendam propoſitionem, eò preſertim & nobis concedenda eſt, quò & Concilia, & Pontifices viſi ſunt conceſsiſſe, & inuenitur in Diuinis literis. Concilio enim Tolet. 11. in confeſsione veræ fidei. *Miſſus à Patre, à ſe ipſo miſſus accipitur pro eo, quod inſeparabilis non ſolum voluntas; ſed operatio totius Trinitatis agnoſcitur*. Idem Iginius, Papa, Epiſtola decretali ad omnes Chriſti fideles, illum locum Diui Pauli ad Philipp. 2. *Semetipſum exinaniuit*, explicans, *idem ſe Filius miſerit, Apoſtolus conteſtatur, & dicit, ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens: Et humiliauit ſemetipſum, factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis*.

Iſaiæ 48. quem locum refert Magiſter, referunt cæteri Scholaſtici, & interpretantur, præſertim recentiores. *Miſit me Dominus, & Spiritus eius*; vbi Spiritum Sanctum miſiſſe Filium; certis verbis Propheta videtur teſtari; qui tamen locus, quantum pro hac veritate vrgeat, ſolerti interpretatione nunc nobis diſcutiendum: & relictis quibuſdam Hebræorum Gloſſulis, pronomen (me) intelligendum de ipſo Eſaia, quaſi ſe à Deo in ſpiritu miſſum ad prophetandum; ac quibuſdam alijs, cum Sanctis Patribus agendum eſt. Diuus Ambroſ. lib. 3. de Spiritu Sancto cap. 1. *Quis eſt qui dicit, miſit me Dominus, & Spiritus eius, niſi qui venit à Patre; vt ſaluos faceret peccatores, ideſt Chriſtus? quem enim audis, & Spiritus miſit; ne cum legis, Filius miſit Spiritum, inferioris eſſe Spiritum crederes poteſtatis: ergo, & Pater Filium mittit, & Spiritus; Spiritum quoque & Pater, & Filius mittit*. Et quibuſdam interpoſitis ſubnectit. *Si ergò ſe inuicem Filius, & Spiritus mittunt, ſicut Pater mittit, non ſubiectionis inexria, ſed communitas poteſtatis eſt*.

Diuus Auguſt. lib. 2. de Trinitate cap. 5. *Quamquam, & apud Eſaiam ipſe Chriſtus de aduentu ſuo futuro intelligit dicere, & nunc Dominus miſit me, & Spiritus eius*; idem cap. 15.

Hoc eodem modo Diuus Hieron. in hunc Eſaiæ locum. *Ego iuxta fragilitatem carnis meæ aſſumptæ dico, quod Deus meus miſit me, & Spiritus eius*.

Diuus Chriſoſtomus hom. de Spiritu Sancto. Euſebius lib. 5. de demonſtratione Euangelica cap. 6. Anaſtaſius Synaita libro de rectis dogmatibas fidei. Imò Concilium Tolet. 11. his verbis. *Miſſus tamen Filius, non ſolum à Patre; ſed & à Spiritu Sancto credendus, eo quod per prophetiam dicit: miſit me Dominus, & Spiritus eius*. Ergo etiam ex Diuinis literis Spiritus Sanctus mittit Filium.

At res, vt euadat facilior, age, adhuc vrgeamus in expoſitione huius ſacerrimi loci, & duas voces ſolertius libremus. Altera ſuper me, de qua natura Chriſti ſit prophetia hæc, de humana, an de Diuina, an ſcilicet agatur de Chriſto, vt homo eſt; An vt Diuina perſona. De Chriſto homine loqui prophetam, non videtur dubitandum: ſicut enim, vt homo de Spiritu Sancto conceptus eſt, vnctus, ac ſanctificatus in humanitate, humanitatiſque aſſumptione; pariter quoque à Spiritu Sancto miſſus idoneè. Et eodem modo locutum Iginium ſupra recolitum, rectiſsimum eſt interpretari, & in eandem ſententiam abſque vlla vi, alium locum eiuſdem Eſaiæ 61. licebit referre. *Spiritus Domini ſuper me* (idem, ac miſit me) *eo quod vnxerit me, ad euangelizzandum pauperibus miſit me*.

Altera vox eſt, quanam ratione ſit, *& Spiritus eius*, accipienda ſit: poteſt enim & penes perſonam; & penes eſſentiam vſurpari. Deus enim eſt ſpiritus, & natura, & perſona, ac propriè ſpiritus à ſpiratione, ſicuti Deus à ſpiritualitate: ſanè huius vocis certior cognitio, pendet à ſuperioris vocis (me) cognitione: ſi etenim eo loco loquebatur Propheta de Chriſto homine, & ſub humanæ naturæ aſſumptæ ratione dicit ſpiritus Dei ſuper eum, penes eſſentiam, nemo non videt; quippe qui ad efficiendam incarnationem, efficientia indiuiſa erat ſuper eum, & vnxit eum. Sic accepiſſe hunc locum D. Baſil. refert S. Thom. opuſc. 1. contra errores Græcorum. Sic ſupra in loco recenſito S. Ambr. illis verbis. Filium mittere Spiritum Sanctum, Spiritum Sanctum Filium, *eſt communitas poteſtatis*: ſi enim communitas: ergo eſſentialis; Sic D. Hilarius lib. 8. de Trinit. licet & aliam annectat elegantem expoſitionem, ibi ſpiritum eius, ſicut & alijs locis ibidem relatis, pro perſona Patris enucleantem. Quibus obſeruatis, omnis obſcuritas, & obnubilatio euaneſcit, & in tenues elabitur auras; nihil enim inde aliud emergit, quam Trinitatem efficere incarnationem: quam Patrem mittere Filium, & ex ſecunda expoſitione colligitur, optimo, & proprio vſu, & adæquato ſumi miſsionem; ſi verò ex prima, propriè quidem; tamen diminutè: etenim dumtaxat vt relationem ad terminum ad quem, & effectum dicit; nequaquam verò vt refertur ad perſonam, & principium producens.

Sed adhuc duo reliqua ſunt diſcutienda in S. Doctoris commentationem, vtraque verò in quæſt. 4. Primum. Videtur contra communiorem expoſitionem interpretatio illa, dum Filium ſeipſum mittere aſſeritur, aut à Spiritu Sancto, non ſolum ratione naturæ aſſumptæ, ſed præſertim ratione Diuinæ perſonæ: Verbum enim miſſum eſt ad humanam naturam aſſumendam; ita ſentiunt, & ita interpretantur S. Auguſtinum. S. Bonauentura, S. Thom. art. 8. & Scotus 1. diſt. 15. quod contra, inquam, veriorem Patrum, præſertim S. Hieronymi expoſitionem illius loci videtur.

Alterum eadem quæſtione, qua Sanctus Doctor ratione humanitatis Chriſtum inter alia Dei ſeruum vocat: videtur enim manifeſtè contra Adriani primi Epiſtolam ad Epiſcopos Hiſpaniæ poſt medium, qua vehementer inſurgit contra eos, qui Chriſtum ſeruum appellant, *& eos impios, & ingratos ſuo liberatori, & Deo odibiles vocat*. Et infra dicit. *Et ſi in vmbra prophetia dictus eſt ſeruus propter ſeruilis formæ conditionem, quam ſumpſit ex Virgine, ſicut ſcriptum eſt. Conſideraſti ſeruum meum Iob &c. nunquid propterea nomen ſerui ei imponere debemus?* Et paucis poſt. *Poſtquam ceſſauit vmbra, & manifeſtata eſt veritas, quæ ſub allegoria latebat, nunquam à Patre vocatum eſſe ſeruum, ſed Filium; neque vnquam Filium vocaſſe eum Dominum, ſed Patrem &c.* Eadem habentur in Concilio Francofordienſi, Epiſtola ad eoſdem Epiſcopos; et conſentanea, quidem innumeris Patribus, Diuo Athanaſio Ser. 3. contra Arrianos. D. Auguſtino tract. 3. in D. Io. Diuo Leoni ſer. 2. de Natiuitate. Diuo Damaſceno 3. de fide cap. 21. qui aperto ore *videntur negare Chriſtum appellandum eſſe ſeruum*.

Reſpondeo breuibus; eſt enim locus hic ſuo tractatu de incarnatione fusè expendendus. Poſſem difficultatem hanc euitare, quod hoc loco Sanctus Doctor non loquatur ex ſe, ſed ex ſecunda ſententia; qua tandem relicta oppoſitam ſectatur. An non idoneè ſanè? nam & illam ſententiam rationabiliorem fatetur, & non relinquit veritatem hanc, neque aduerſatur ei, neque aduerſari poteſt: neque enim Chriſtum ſecundum humanam naturam eſſe ſeruum negare licet; ideo non effugienda ſed ſoluenda, explicandaque dubitatio. Et duo in primis in diſſoluendo hoc nodo obſeruanda.

Primum. Innumeris ferè locis Diuinæ literæ Chriſtum incarnandum, & incarnatum appellant ſeruum, recenſebo pauca inſigniora. Iſaiæ 42. *Ecce ſeruus meus, ſuſcipiam eum*. Zach. 3. *Adducam ſeruum meum orientem*. Quæ loca S. Hieron. non per figuram, neque per metaphoram; ſed verè, & propriè dicta eſſe intelligit. Io. 2. *Aſcendo ad Patrum meum, & Patrem veſtrum, Deum meum, & Deum veſtrum*, quibus verbis idem eſt, ac ſi dixiſſet Dominum meum. Idem obſeruat etiam S. Thom. 3. par. quæſt. 20. art. 2. argumento ſed contra, & indicatur in Epheſina Synodo Epiſtola ad Neſtorium, & fusè S. Hilarius lib. 11. de Trinit. D. Paulus 1. Corint. *Omnia veſtra ſunt, vos autem Chriſti, Chriſtus verò Dei*. Pro hac veritate his verbis eadem vis eſt Matthæi 12. *Vt adimpleretur, quod dictum eſt per Iſaiam Prophetam: Ecce puer meus quem elegi, dilectus meus, in quo mihi bene complacui*. Idem eſt puer, ac ſeruus; & vſus linguæ latinæ habet, vt puer vocetur ſeruus, Et Diuus Hieronymus. Epiſtola ad Algaſiam quæſt. 2. In Hebræo quidem eandem vocem, & in Septuaginta eſſe puerum; ipſe tamen in Iſaia vertit ſeruum, & illuſtrat his verbis, *Nec mirum ſi ſeruus vocetur, factus ex muliere, factus ſub lege*. Innumera Patrum loca pro hac veritate, & ratione dicendi, inuenire licet collecta apud recentiores.

D. Thom. quæſt. 20. art. 1. quærens. An Chriſtus vt homo fuerit Deo ſubiectus: & reſpondens, non hic numerandas perſonas in Chriſto animaduertit, ne in errorem Neſtorij incidamus; ſed naturas, ſecundum quas in eadem perſona, & Deus, & homo erat. Probat autem Chriſtum hominem triplici ſolutione Deo eſſe ſubiectum. Prima eſt bonitatis: Diuina enim natura per eſſentiam bona; humana verò

etiam

etiam in Chriſto, participatione: quare Mathei cap. 9. Chriſtua Dominus. *Quid me interrogas de bonot vnus Deus eſt bonus*. Secunda poteſtatis creaturæ enim omnes ſubiacent: Diuinæ ordinationi, & operationi Diuinæ diſpoſitionis. Sap. 16. *Creatura tibi Creatori deſeruiens*, ad Philip. 2. *Chriſtus formam ſerui accepit*. Tertia obedientiæ: omnis enim creatura rationalis voluntate propria Dei mandatis obedit Ad Philipp. 2. de Chriſto. *Factus obediens vſque ad mortem*. D. Io. *Sicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio*.

Secundò obſeruandum: geminam eſſe ſeruitutis ſpeciem. Altera enim vilis eſt, in qua ob pænam delicti, vel aliam cauſam homo in quandam captiuitatem redigitur # ratione cuius omnem amittit libertatem, neque amplius ſui Iuris eſt: vnde neque bona propria habere poteſt, neque communicare cum bonis Domini. Quæ quidem ſeruitutis ratio, non eſt naturalis teſte D. Aug. lib. 19. de ciuit. Dei cap. 9. Nullus enim homo homini per naturam ſeruus eſt; ſed per legem, & pænam. Homo liber creatus eſt, & natura ſua capax amicitiæ, & charitatis Dei: ſed peccando redactus eſt in ſeruitutem, & omnibus bonis ſpoliatus: à peccato verò iuſtificatus, libertati reſtitutus: quocirca Chriſtus Dominus, Iuſtificator, Redemptor quoque nuncupatur, & teſtatur in diſcipulis ſuis, omnibus. *Iam non dicam vos ſeruos; ſed amicos*.

Altera ſeruitutis ſpecies, naturalis eſt ratione creationis, qua quidquid eſt in homine Dei eſt, quidquid operatur homo, magis operatur Deus & in ſuo eſſe; ita à Deo dependet omnis homo; vt ſicuti ſine Deo creante nihil eſſet: ſic ſine eodem in quolibet inſtanti conſeruante, mouente, & cooperante, nihil efficeret, in nihilum redigeretur: vnde creatura non ſui, ſed Diuini iuris eſt; quo conſequitur, vt non liceat vllo caſu homini ſibi eripere vitam ſine Dei mandato: non enim ſui; ſed Dei eſt. *Poſſeſſiones enim Dei ſumus, docuit etiam Plato*.

His obſeruatis, & animaduerſis, euertitur radicitus propoſita difficultas: nam Adrianus primus, & Conc. francoford. primam ſeruitutem legalem, & pænalem, & vilem, & ex peccato negarunt conuenire Chriſto, negantque tot Sancti Patres. *Qui peccatum non fecit, neque dolus inuentus eſt in ore eius*: qui conceptus eſt de Spiritu Sancto: qui impeccabilis erat, & ratione ſuppoſiti, & ratione ſtatus, in quo ipſius anima creata eſt, nimirum beata: ac contra Eliprandum decreuerunt eſſe odibilem Deo, qui etiam ſecundum naturam aſſumptam Chriſtum dixerit ſeruum. Et hanc eſſe Adriani ſententiam, liquidò in eadem Epiſtola colligitur. *Nos*, inquit, *per illum adoptiui ſumus, non ille nobiſcum adoptiuus, nos per illum à ſeruitute liberati, nec nobiſcum ſeruus*. In Conc. pariter illo. *Sed*, inquit, *volumus audire: an Adam primus generis humani Pater, liber ſit conditus, an ſeruus.: ſi ſeruus, quomodo tunc imago Dei? ſi liber, cur non magis Chriſtus?* & in fine. *Vnde Adam ſeruus factus, niſi ex peccato?* Alteram verò ſeruitutem præcisè ratione creationis competere Chriſto, & orthodoxè, & catholicè, & Diuina verba, & innumeri Patres aſſeruerunt, quos ſequutus S. Bonauentura, hoc loco Chriſtum Dominum ſeruum nuncupauit.

Ad alteram primo loco adiectam difficultatem, facilioris negotij eſt reſpondere. Primò enim non incongrue quis diceret, & hanc expoſitionem fieri, æſtimandamque grauem ex tot, tantiſque aſſerentibus. Sanctus Auguſt. D. Bonauentura, D. Thom. & Scotus. Sed ad rem magis reſpondeo ſecundò: has duas non ſibi aduerſari explicationes; ſed potius implicari, vnamque alteram ſupponere: qui enim de natura aſſumpta interpretatur ſententiam, non negabit perſonam miſſam ad aſſumendam eandem naturam: neque ex oppoſito, quæ de perſona miſſa accipit, dum ſeipſum verbum mittere, mittique à Spiritu Sancto aſſeritur; non ita rigoroſè ſtatuit hanc ſuam commentationem; vt ſimul non admittat terminum extrinſecum, ad quem mittitur; verum quidem erit, ſi miſsio ſumatur ratione termini naturæ aſſumptæ, vt non ſit vſque adeo completa, ac propria: neque enim in mittente dicet originem &c. vt ſupra ſatis.

Iterum hinc moroſè, ac vt ſic loquar faſtidioſæ emergunt obiectiones, ne dicam tolluntur, & immerguntur. Prima, quam & alij recentiores huc attexunt. An perſonæ Diuinæ, id eſt, Spiritua Sanctus ab homine dari, ac ſic mitti poſsit. Dubitandi ratio eſt. Actor. 8. *Cum vidiſſet Simon; quia per impoſitionem manuum Apoſtolorum daretur Spiritus Sanctus, obtulit eis pecuniam, dicens, date mihi hanc poteſtatem; vt cuicumque impoſuero manus, accipiat Spiritum Sanctum*. Vnde videtur deducendum: ergo Apoſtoli, & eorum ſucceſsores Spiritum Sanctum dant, ac mittunt. Præterea, ad Galatas tertio videtur D. Paulua fateri, ſe dediſſe Spiritum Sanctum, illis verbis. *Qui tribuit vobis ſpiritum, & virtutes operatur in vobis &c.*

D. Bonauentura diſt. 14. art. 2. quæſt. 2. omni aſſeueratione cum vnanimi reliquorum Theologorum conſenſu, negat ab homine dari Spiritum Sanctum in quacumque dignitate, vel etiam ſanctitate conſtituto, efficienter, aut productiue. Quod vt explicatius inſinuet; obſeruat Spiritum Sanctum dari tribus modis. Primo; vt à miniſtrante Sacramenta, ſeu à nuntiante documenta ſalutaria, id eſt, à Sacerdote, aut à concionatore: aut à deprecante oratione, & operibus bonis: aut tertiò ſicut à producente, & auctoritate mittente: & addit à quocumque vero miniſtro, & Sacramenti, & veritatis, etiam ſi moribus improbo dari licet. Secundo modo, à Sanctis viris dumtaxat. Tertio

denique modo, à ſolo Deo omnipotenti. Probari autem poteſt primus modus ex infallibili efficacitate ſacramenti per Diuinam inſtitutionem, & opus operatum ipſius Chriſti, quam ideo miniſtri malitia moralis impedire non poteſt: nam miniſter non tribuit Sacramento vim, ſed verbum, & ſanguis Chriſti, quæ omnià in tract. de Sacramentis certa, & nota ſunt. Secundus pariter modus exiſtit certus ſuo modo, ex meritis, & dignitate Sãctorum hominum, tum in orationibus pro alijs, tum in miraculis patrandis, vt innumeræ teſtantur hiſtoriæ: digni enim ſunt vt exaudiantur, & à Diuina beneficientia quæ petuntur, præſtentur; ſicut de illo militum duce, qui pro puero paralitico deprecabatur, aſſeritur à ſenioribus Iudæorum, Luc. 7. *Dignus eſt, vt hoc illi præſtes.*

Sed quo ad tertium huius loci proprium, multis argumentis à Sanctis Patribus, ac Theologis demonſtratur. Hic à Sancto Doctore primò. Falſum eſſe ab hominibus, etiam quauis ſanctitate eminentibus, dari Spiritum Sanctum, ex D. Aug. 15. de Trinit. cap. 26. *Non aliquis diſcipulorum dabat Spiritum Sanctum; ſed orabant vt veniret in eos, quibus manus imponebant: non ipſi eum dabant.* Quem morem in ſuis præpoſitis, etiam nunc ſeruat Eccleſia.

Deinde ratione. Vt aliquis Spiritus Sancti dona conferat, aut conferre poſsit, neceſſariò ſupra ipſum donum habere auctoritatem, & vim operandi debet; at omnino certum hanc ſolum Deum habere, haud quaquam hominem: ergo. Confirmatur ex D. Aug. eodem indicato loco. *De Chriſto,* inquit, *ſcriptum eſt, quod acceperit à Patre Spiritum Sanctum, & effuderit; in quo vtraque natura monſtrata eſt, Diuina ſcilicet, & humana: accepit quippe vt homo, effudit vt Deus: nos autem accipere quidem hoc donum pro modulo noſtro poſſumus; effundere vero ſuper alios non vtique poſſumus; ſed vt effundatur, Deus, ſuper eos à quo id efficitur, inuocandus.* Hoc idem argumentum eſt Alberti magni, eadem diſt. Viri Sancti, & miniſtri Eccleſiæ non dant Spiritum Sanctum; quia dans Spiritum Sanctum, habet auctoritatem, & influentiam ad minus ſuper effectum, in quo datur Spiritus Sanctus, qui effectus eſt gratia gratum faciens, quæ non niſi à ſolo Deo efficienter, & auctoritatiuè eſt. Chriſtus autem dedit ſuis Vicarijs, & Miniſtris miniſterium ad Sacramentorum diſpenſationem, conferre gratiam quæ in ipſis eſt; non autem auctoritatem, & efficientiam. Idem prorſus Riccardus, ſanctos ſcilicet viros orando impetrare Spiritum Sanctum; Miniſtros verò etiam malos Sacramenta miniſtrando. Eadem S. Thôm. licet diuerſis verbis. Proceſsio Spiritus Sancti duos habet reſpectus. Alterum æternum, quo à Patre ſolo, & Filio procedit. Alterum temporaneum, quo creatura nouo modo ſe habet ad Spiritum Sãctum per donum ſuſceptum: neutro autem modo à creatura datur; quia neque ab ipſa poteſt procedere ab æterno, neque effectus ille gratuitus poteſt eſſe ab illa, neque actus meritorij virtute naturali poſſunt produci.

Subdit S. Bonauentura elegantiora argumenta, quibus ideo non poſſe creaturam dona Spiritus Sancti dare demonſtrat: nam inconueniens, admodum, & incongruum foret. Si enim ab vllo qui non eſſet Deus, darentur creaturæ gratia, & dona, caderet medium inter animam, & Deum, ab illoque medio pẽdens, potius obliquus, & auerſus à Deo eſſet homo, quam rectus, & directus; & ad ipſum conuerſus, & alius quam Deus in libero hominis arbitrio ageret, & dominaretur; quod aliàs tamen multis improbatur; quotque admodum libertati, & dignitati ipſius arbitrij derogat. Denique ſicuti magna gloria in Deum reſilit, dum iuſtificatur homo, ſi ab alio, quam à Deo iuſtificaretur, ipſius Dei gloria vehementer minueretur. Quod ſi tandem in impij iuſtificatione interuenit infinita vis, præſertim creandi: gratia enim creatur: ergo ſolus Deus id preſtare poteſt: ergo creaturæ communicare repugnantiam inuoluit. Communiri poteſt hoc argumentum ex alijs locis Theologicis. 2. ſent. vbi potentiam creandi incommunicabilem eſſe creaturæ traditur &c.

Ad rationes dubitandi in principio. Ad locum illum Actor. 8. iam ferè expeditum eſt ex D. Aug. indicato loco, & D. Bonauentura ibidem; imò oppoſitam partem probat ex hoc loco. Non enim inquit, ait Simon offerens pecuniam. *Date mihi hanc poteſtatem, vt dem Spiritum Sanctum; ſed vt cuicumque impoſuero manus, ipſum accipiat:* quod didicit ex D. Aug. *Neque enim,* inquit, *Scriptura teſtatur ibi Apoſtolos dediſſe Spiritum Sanctum, neque id vidiſſe Simonem, neque ſubinde id petijſſe; ſed videns Simon, quia per impoſitionem manuum Apoſtolorum daretur Spiritus Sanctus, idem vt ſibi detur, rogat.* Sed obtulit pecuniam nihil poſsidere volentibus, ad auaritiam eos tentans; & ad hoc ductus à diabolo; vt ſic Apoſtoli peccando mererentur amittere auctoritatem, & miniſterium dandi Spiritum Sanctum, & homines ſanctificandi: quomodo & offerens Adæ immortalitatem, immortalitate priuauit: ſic D. Clemens Romanus 6. conſtitutione, cap. 7. his verbis dixiſſe D. Petrum teſtatur. *Voluntas diaboli ſuggerens Simoni conſilium, vt ipſum Adam poſt deguſtatum cibum interdictum promiſſa immortalitate priuauit; ſic nos pecunia delinitos, ac captos, dono Dei priuare, ſi hac permutatione facta donum Spiritus Sancti, quod omnem exiſtimationem ſuperat nummis ipſi adderemus.* Prętera Apoſtoli tunc imponentes manus conferebant Confirmationis Sacramentum apparente etiam extrinſecè ipſo Spiritu Sancto: ita teſtantur, & grauiter tradunt Gloſſa. & Interlin. & ordinaria, & Beda, & Liranus, & Vgo & Carthuſianus, & Caiet. & Magiſter Hiſtoriæ: adnotantes inſuper, hanc manuum ſic impoſitionem eſſe Apoſtolorum, & Epiſcoporum propriam; ac ideo non Philippum, ſed Apoſtolos Samaritanis manus impoſuiſſe. Quamquam non improbabile ſit ex inſtitutione Chriſti, tunc Apoſtolos, dum in figuris exterioribus apparebat Spiritus Sanctus, non vſos materia olei illius Sacramenti: ſic opinantur D. Th.

D.Bo-

Digitized by Google

D. Bonau. Alenſis, Riccardus, Scotus, Paludanus, Durandus, Gabriel, & alij recentiores, licet adhuc & oppoſitam ſententiam probabilem aſſerant, vſos ſcilicet ea, qua vtuntur Epiſcopi in Eccleſia, materia: nam & Sanctiſsimi Patres ante omne Concil. appellant hoc Sacramentum, Sacramentum rationis, & criſnia. Innuit Apoſtolus 2. Cor. 1. illis verbis. *Qui vnxit nos, qui & ſignauit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris*, vt exponunt D. Ambr. ijs, qui initiantur cap. 7. & Theodoretus, & D. Anſel. ergo cum hoc loco tantum de miniſtratione Sacramenti Cõfirmationis, cuius effectus ſicut & Sacramenti, ſunt homines puri miniſtri; nihil ergo inde colligitur, quod opponatur veritati, quam tuemur.

Ad illum verò locum D. Pauli ad Galatas ſatis ſoluit D. Aug. in explanatione illorum verborum, eodem capite. *Ex operibus legis accepiſtis Spiritum Sanctum, an ex auditu fidei? ab Apoſtolo*, inquit, *prædicata eſt ijs fides, in qua prædicatione aduentum, & præſentiam Spiritus Sancti ſenſerant; ſicut illo tempore in nouitate ad fidem, etiam ſenſibilibus miraculis præſentia Spiritus Sancti apparebat, vt in actibus Apoſtolorum legitur*. Qui apertè oſtendit, quomodo illis Spiritum Sanctum Apoſtolus tribuerit, non vtique ipſum mittendo in eos, ſed eis prædicando Chriſti fidem. *Non ergo homines*, concludit Magiſter hac diſtinctione poſtremis verbis, *quantumcumq; Sancti dare poſſunt Spiritum Sanctum.*

Septem verò rationes, quæ in oppoſitum adduxit S. Bonauentura, tum ex triplici poſita diſtinctione diluuntur, tum facillima ſolutione euertuntur. Quod enim primò agens creatum poteſt in formam ſubſtantialem: ergo nullo magis in accidentalem, quæ eſt gratia: ergo eam poteſt producere. Neganda omnis conſequentia, idque duabus rationibus. Prima; ſicuti non poteſt in omnem formam ſubſtantialẽ, nimirum in animam rationalem Deiformem; ita neque in ipſa anima producere rationem Deiformitatis, ſcilicet gratiam; vnde in oppoſitum vrget argumentum, & optimè vertitur. Solus Deus poteſt creare animam: ergo & in ipſa ſolus poteſt, & gratiam. Secunda. Licet gratia ſit accidens; eſt tamen alterius, & ſuperioris ordinis, qua ad eſſe ſupernaturale eleuatur anima; quod quidem eſſe, ab agente naturali attingi non poteſt.

*S*ecundò. Sicuti agens naturale poteſt & recipere lumen, & producere; ſic ſanè videtur, & agens ſpirituale recipiens gratiam, quæ eſt lumen, quod & ipſam poſsit producere. Neganda ſimilitudo: nam lumen naturale, & recipitur ab aere, & per aerem defertur, & delatione etiam generatur; gratia verò tantum per illapſum in anima per omnimodam creatur indiſtantiam.

Tertium. Omnis creatura corruptibilis debet habere potentiam ſibi ſimilem, vt ſe ipſam conſeruet, & producat; ſed gratia eſt forma corruptibilis animam conſeruans &c. ergo debet eam anima poſſe producere. Quidquid ſit de maiori, nunc negatur minor: non enim de ſe corruptibilis eſt gratia, ſed per accidens: negatur etiam maior, quia corruptibilitas non eſt tota ratio productionis. Secundò, aliunde incongruit, vt ipſe S. Doctor probat oppoſitis argumentis.

Quartum. Gratia poteſt expellere culpam: ergo & producere gratiam, culpam expellentem, non in ſe, quia iam eſt: ergo in alio non eam habente. Probatur conſequentia prima. Natura quæ poteſt expellere contrarium habitum, poteſt & oppoſitum producere, per quem illum alium expellat. Reſpondetur, facili negotio concederetur, quod hoc argumento petitur; ſi gratia, efficientia ſua expelleret peccatum; ſed hoc falſum eſt: tantum enim formaliter ſe ipſa, vt oppoſita id expellit: quare ſicut non habet efficientiam ad expellendum; ita neque ad producendum.

Quintò. Decet hominem humiliari homini, quia peccauit: ergo debet ab ipſo recipere gratiam iuſtificationis. Reſp. Immo dedecet, quia maximæ Chriſti gloriæ derogarent; vnde falſa eſt conſequentia. Secundò, decet quidem, quo circa ex ſignis Sacramentorum ſenſilibus, & miniſtris emendicat ſalutis remedia: ſed longe diuerſa ratione, quam Deo: Deo enim ſe humiliat, vt danti ſalutem; homini verò, vt miniſtranti.

Sextum. Præclarè extollit magnificentiam primi dantis, ſi nedum concedat potentiam recipiendi dona; ſed etiam ac ſimilia producendi. Reſp. probabilia quidem proferri; ſi tamen aliunde non incongrueret, & in ſuſcipiente huius potentiæ producendi inueniretur capacitas, & non derogaretur nobiliſsimo gratiæ dono; quod ideo niſi à nobiliſsimo agente, hoc eſt, à Deo produci conuenit.

Altera tandem, & poſtrema apparens dubitatio ſoluenda eſt. An miſsio ſcilicet tum in communi, tum præſertim qua Filius, & Spiritus Sanctus dicuntur ſe ipſos mittere, ſit & eſſentialis, & notionalis, & an potius eſſentiam, quam notionem; aut è contra notet. Eſt verò locus hic huius difficultatis conueniens. Nam cum hucuſque quid ſit miſsio, quæque ad eam adæquatè conſtituendam requiruntur, quibus poſtremò perſonis competat, ſatis diſcuſſum ſit: ſtatim oboritur dubitatio, imò dubitationis ſolutio; quid igitur miſsio concernat? notionem ne, ac eſſentiam, quidque principalius? D. Bonauentura explicatam, aut integram hanc non proponit ambiguitatem; quibuſdam tamen locis præſertim, & innuit & quæ ſufficiunt, literis notatum reliquit: diſt. enim 15. par. 1. art. 2. ad vltimum, dixit eſſentiam in miſsione connotari, & art. 3. ad tertium, vbi mitti, ſi ſolum reſpectum ad effectum connotat, eſt purum eſſentiale; ſi verò etiam ad perſonam originantem, & ad principium referatur, etiam notionem indicat. Art. verò 4. quærens, quid principalius miſsio attingat, originem ſcilicet perſonæ, an effectum ad quem. Reſp. principalius effectum perſonæ, ſcilicet manifeſtationem, & ſanctificationem in creatura; quibus cum effectus ad eſſentiam, vt notum eſt, & origo ad notionem ſpectet, liquidò ſatis vtrumque quidem completi

Miſ-

Miſsionem, ſed magis eſſentiam, quam notiorem ſe arbitrari demonſtrauit. Quod idem cum Sancto Doctore multi, iidemque grauiſsimi Theologi; & ſenſerunt, & tradiderunt: licet enim Durandus vtramque rem complecti miſsionem aſſerat; neque tamen quid principalius diſtinguat, & ſatis eſt nobis non contradicere, & ex ſupra obſeruata miſsionis definitione, facili negotio colligitur cum Sancto Doctore ſentire. Alexander vtramque refert ſententiam, ſecundum quoſdam miſsionem conſignificare perſonam; ſed eſſentiam in recto ſignificare; & in oppoſitum ſecundum alios prius perſonam, deinde eſſentiam &c. in quam quidem ſententiam ſicuti vltimo loco relatam, videtur magis propendere ex identitate miſsionis, & temporalis proceſsionis: temporalis enim proceſsio certò notionem primò, ſecundo eſſentiam, & relationem ad effectum concernit, teſte etiam D. Th. diſt. 15. quæſt. 1. art. 2.

At verò eodem loco, idem Sanctus Thomas miſsionem vſurpans ſub ratione formali, explicatè magis ex parte eſſentiæ ſe tenere ſtatuit cum Sancto Doctore, his motus rationibus. Miſsio enim vt ſic, non dicit exitum ab aliquo tanquam à principio, ſicuti à quo miſſus habet eſſe; ſed ſolum in ordine ad effectum, ponitur authoritas mittentis ad miſſum; & probatur ſerui exemplo, qui à ſuo Domino miſſus, ab eo tamen non recipit eſſe; ſed tantum motum ad effectum &c. ergo in Diuinis etiam ſi perſona miſſa à mittente eſſe recipiat, cum id tamen quaſi accidat ad miſsionem abſolutè ſumptam; conſequitur notionem quidem ſignare; conſequenter tamen, & primò eſſentiam in ordine ad miſsionis effectum.

Poteſt confirmari primò ex his rationibus, quibus ſupra magis dicere effectum miſsionem demonſtratum eſt. Deinde ex D. Dionyſ. qui de Diuinis nominibus. *Cum*, inquit, *nomen quod connotat effectum aliquem in creatura, dictum de Deo inuenitur, pertinet ad communitatem eſſentiæ*: ſubſumitur enim, miſsio eſt huius generis: ergo. Ex D. Aug. 2. de Trinit. *Mitti à Patre Filius non poteſt ſine Spiritu Sancto, quantum Pater tunc intelligitur miſiſſe Filium, quando eum fecit ex virgine*. Sed hanc ſententiam, ac concluſionem euidentiorem eſſe, tunc aſſerendum eſt, cum Filius, & Spiritus Sanctus ſeipſos mittere dicuntur, eo in primis argumento, quo tunc in mittente nulla miſsi origo, neque imaginari licet; ſed omnis, ac ſola vis miſsionis ad effectum ſpectanda.

Ad Sancti Doctoris argumentorum ſolutionem deueniamus 3. & 4. quæſt. ſed primò, in D. Bonauenturæ lucidiorem declarationem animaduertẽdum; licet primo aſpectu argumenta in oppoſitum, nec titulo quæſtionis, nec corpori conuenire videantur: quæritur enim, an Patri liceat mitti, & argumenta de tota Trinitate vrgent, & in corpore de ſolo Patre ſoluitur, non congruere mitti; quia ſicuti prima perſona eſt, ſic à nullo originem dicit, quod tamen miſsioni intrinſecum: Conueniunt tamen, & quidem admodum, idque conſpicuum. Primò. Si omnis perſona mitteretur: ergo & Pater. Mox imò tota Trinitas ſumitur in argumento pro ſolo Patre: nam reliquas duas perſonas mitti fides docet, & omnis ferè Scripturæ textus. Demum eadem eſt prorſus dubitandi ratio: ſicut enim Trinitas originem non habet, ſic neque Pater: ergo pro vno ſolutio, eſt pro vtroque. Ita colligit ipſe S. Doctor &c.

Primo ergo loco eſt argumentum ex D. Auguſt. lib. 4. de Trinit. cap. 20. *Mittitur Filius, cum ex tempore cuiuſquam mente percipitur*; ſed ſimul tota Trinitas percipitur: ergo cum Filio tota Trinitas mittitur. Reſpon. & interpretandus S. Aug. locus. Non adæquatè ibi de tota miſsionis ratione locutus eſt, ſed de ea tantum parte, quæ ad effectum habitudinem dicit, in quo tota Trinitas conuenit: vt enim plenam miſsio rationem habeat, interuenienda eſt & emanatio, quæ cum neque Patri, neque ſimul Sanctiſsimæ Trinitati conuenire poſsit, neque ſubinde mitti: neque enim adeſt, qui eam mittat.

Eadem Sancti Thom. ad primum reſponſio arguebat. Mitti, eſt dari; ſed etiam Pater datur: ergo mittitur. Non ſufficere reſpondet ad integram miſsionem dari; vt dicit Diuinæ bonitatis communicationem liberalem ad fruendum, ſed neceſſaria alicuius dantis, & mittentis ſuper miſſum authoritas, quæ ſuper Patrem, & ſimul totam Trinitatem eſſe non poteſt, quemadmodum neque origo. Ad formam ergo argumenti, neganda eſt maior, non quia falſa; ſed quia diminuta de miſſione.

Secundò. Mitti, eſt de nouo perſonam venire ad habitandum in anima, & nouo effectu, & modo ſe habere: ſed tota Trinitas ſic venit, Io. 14. *Ad eum veniemus &c.* ergo ſimul cum Patre mittitur. Reſp. eadem reſponſione. Miſsio enim & in hoc argumento diminutè vſurpatur, & prætermittitur, quod in vera miſsione maximè requiritur hoc eſt, auctoritas, & origo: adeo vt iam indicatum eſt, vt non deſint pereruditi viri, qui in hoc ſitam eſſe præſertim miſsionis rationem docuerint. Eſt D. Auguſt. 4. de Trinit. cap. 20. *Pater cum in tempore a quoquam cognoſcitur, non dicitur miſſus: non enim habet de quo ſit, & à quo procedat*. vt refert, & ſequitur etiam S. Th. ad 2.

Tertiò. Miſsio connotat effectum; ſed hoc totum eſt eſſentiale, & inde ad omnes perſonas ſpectat: ergo omnes perſonæ mittuntur: ergo & Pater. Reſp. eſt eiuſdem generis, ſicut & argumentum, & maior ſicut & cæterorum duorum ſupra: quare noua non indiget reſponſione: connotare enim effectum non eſt tota ratio miſsionis &c. ita vt quod luculenter quæſt. 1. de Miſsione prodidit S. Doct. egregiè euertat quodlibet id genus argumentum.

Quartò. Mittitur Filius verè: habet enim hæc miſsio vtrumque requiſitum, ſcilicet originem, & effectum; itidem ſic & Spiritus Sanctus: ergo eodem modo & Pater. Probatur conſequentia. Pater inſeparabiliter ſe habet cum reliquis duabus perſonis, & ratione vnitatis eſſentiæ, & circuminceſsionis: ergo miſsis ipſis inſeparabiliter, ſimul & Pater mittitur.

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. Neganda omnino conſequentia: quamuis enim in ratione eſſentiæ inſeparabilia ſit Pater; ratione tamen perſonæ diſtinguitur, & quidem realiter; quod ſufficit vt vna mittatur perſona, alia non miſſa. Sicut enim in creatura, vna miſſa, alia quæ realiter ab ea ſeparatur, non neceſſariò mittitur; ſic propemodum vna perſona miſſa, alia quæ ab ea diſtinguitur, non mittitur neceſſariò: eo preſertim, quia & miſsio verſatur circa manifeſtandam perſonarum diſtinctionem, & inuoluit aliquam perſonam authoritate mittentem, quæ non adeſt erga Patrem primam perſonam, vt idem millies repetam. Quod ſi terminus ad quem extrinſecus refertur ad omnes perſonas, vt idem ſunt; hoc non ſufficit ad rationem miſsionis. Eadem fere ſemper dicuntur, quia eadem expoſtulant argumentorum ratio, & ſolutio.

Quintò. Mittere, & mitti, ſunt æqualis nobilitatis; ergo vtrumque Patri competet. Antecedens eſt certum; nam aliàs perſonæ miſſæ non eſſent æquales mittentibus. Reſp. conceſſo antecedenti, neganda eſt conſequentia propter aliam rationem: ſcilicet propter originem, & authoritatem mittendi, quæ eſſe non poteſt ſupra perſonam Patris. Pendet ergo ſolutio, non ex dignitate, aut indignitate perſonarum; ſed ex ordine, & diſtinctione earundem.

Sextò ex 4. quæſt. vbi primò eadem animaduerſio circa titulum quæſt. & argumenta neceſſaria eſt, quæ circa præcedentem poſita eſt. Datum dicit relationem ad dantem, ex D. Aug. 15. de Trinit. cap. 12. ſed Spiritus Sanctus non dicit relationem ad ſe, neque Filius: ergo neque datur à ſe. Reſp. diſtinguenda Dati, & dandi vis, ac ſignificatio: duobus enim modis vſurpari poteſt. Primò, vt ſit idem formaliter, ac conuertatur cum propria miſsione. Secundò, vt datum, ac date æquè ſit, ac liberaliter ſuam bonitatem communicare: Primo modo dicit, & requirit ad dantem relationem, & in dante auctoritatem, & diſtinctionem; ſecundo verò modo nequaquam, ſed tamen ad affectum, ordinem, & relationem quandam. Modò ad argumentum. Aperienda, & tollenda *Dati* æquiuncatio: non enim eodem modo ſumitur in maiori, & in minori vt conſtat; quara neganda eſt maior abſolutè: Non enim vt ſeipſum dat Spiritus Sanctus &c. datum dicit niſi rationis relationem ad dantem; ſed ad effectum realem, & liberalem communicationem; rationis autem relatio non ſufficit ad miſsionis propriam rationem. Et D. Auguſt. de dato, non ſecundo, ſed primo ſenſu loquebatur.

Septimò. Eo quia Pater eſt prima perſona, nec habet à qua ſit, non poteſt mitti: ergo neque Spiritus Sanctus poteſt mittere, cum non habeat poſt ſe perſonam, quam mittat: eſt enim ipſe tertia, & vltima perſona. Reſp. Neganda ſimilitudo, & conſequentia, & addenda ratio: nam in Patre, ſicuti nulla prorſus paſsiua origo, & emanatio; ſic nulla ratione inueniri poteſt paſsiua miſsio: ſed in Spiritu Sancto, ſicuti verè eſt origo, & emanatio; ita & miſsio, & emanationia manifeſtatio: & licet à ſeipſo non oriatur; ſeipſum tamen poteſt mittere, & ab alio ſe oriri manifeſtare: de rigoroſa enim miſsionis ratione non eſt vt ſemper perſona mittatur ab ea, à qua oritur; ſed vt manifeſtetur ſe eſſe ab alia, licet non ab ea à qua mittitur: ergo ſicut Spiritus Sanctus ſeipſum poteſt manifeſtare ſe eſſe ab alio, poteſt & ſeipſum mittere. Sed obſeruanda poſtrema huius ſolutionis verba Sancti Doctoris: non enim videntur idoneè poſita ad vim argumenti: quærebatur enim an Spiritus Sanctus poſsit ſeipſum mittere, & opponebatur de Patre à nullo paſsiuè miſſo; vt dicendum eſſet, quod Spiritus Sanctus ſeipſum non mittat: non enim hoc ſenſu quærebatur. Reſp. idem eſſe hoc loco: nam ſubintelligitur, quod mittatur à ſeipſo, quod idem eſt, quam ſeipſum mittere.

Octauò. Spiritus Sanctus non habet auctoritatem reſpectu ſui; ſed ſubauctoritatem reſpectu Patris, & Filij à quibus eſt: ergo ſeipſum non poteſt mittere. Antecedens conſtat; quia ſeipſum non producit, ſed à Patre, & Filio producitur. Conſequentia quoque: nam ex D. Aug. & Magiſtro; vbi eſt miſsio actiua; ibi neceſſaria eſt auctoritas; & colligitur multo magis in creaturis, quæ non niſi à Domino ſuo mittuntur. Reſp. & reſponſio iam patet ex ante explicatis, idque gemino ex capite. Primò, nam hæc dumtaxat ſunt vera quando adæquatè, & omnino propriè ſumitur miſsio, quod hoc loco non fit; ſed in ordine ferè tantum ad effectum perpenditur, An ſcilicet perſona ſeipſam, tum manifeſtee, tum communicet creaturæ. Secundò, quia quod præcipuum in miſsione temporanea ſpectandum, & penes quod de ea ferendum iudicium, eſt ex grauioribus Theologis effectus, propter quem celebratur miſsio. Ad argumentum ergo neganda eſt conſequentia, & ad rationem ex D. Aug. & Magiſtro, iam ſatis credo factum: tunc enim ea ratio vim habet, quando miſſio ſumitur, & refertur ad principium.

Nonò. Spiritus Sanctus, & Filius à ſeipſis realiter non diſtinguuntur: ergo neque à ſeipſis mitti poſſunt. Antecedans certum eſt. Conſequentia probatur. Vbicumque enim miſsio, ibi realis inter mittentem, & miſſum requiritur diſtinctio, & in creaturis ſeparatio.

Reſp. haud quaquam in omni miſsione concedendum requiri diſtinctionem realem; ſed tantum in ijs, quibus tum perſona aliam perſonam, creatura aliam creaturam mittit. In ea vero, in qua aſſeritur perſonam ſeipſam mittere, ideſt manifeſtare; ſufficere diſtinctionem rationis: tertia enim perſona mittitur à ſe, ſicuti donum mittitur, & donatur, ſumpto dono pro increata Spiritus Sancti proprietate; ſumpto verò pro dono creato, & inuenitur differentia realis, & eſſicientia eſt à tota Trinitate, vt vno Deo. Ita Magiſter, Sanctus Doctor, & reliqui huius ſententiæ.

Decimò. Arguitur ab abſurdo ab omnibus ſupra reiecto. Si Filius ſeipſum mittit, ſi Spiritus Sanctus: ergo & Pater. Probatur conſequentia. Seipſum mittere, eſt ſupra ſeipſum reflectere; ſed hic actus reflexionis eſt eſſentialis: ergo & ad

Pa-

Digitized by Google

Patrem ſpectat. Reſpon. Reflectere quidem ſupra ſe perſonam, dum ſeipſam mittit, huncque actum eſſe eſſentialem primò, & perſe; quia perſonalis actus omnis eſt relatiuus, & ad aliam perſonam quam producit &c. connotare tamen hanc reflexionem, inquam, & perſonam, ratione cuius nuncupatur miſsio ſuo modo, neque competere poſſe Patri, repetita toties ratione, quia à nullo eſt.

CAPVT III.

Quotuplex ſit miſsio. D. Bonauentura diſt. 14, quæſt. 2. & diſt. 15. & 16. D.Th. diſt. 14. art. 2. & 1. par. quæſt. 43.

PARAPHRASIS.

PRIMA Propoſitio. Eadem perſona duabus proceſſionibus procedere, & mitti poteſt. Probatur primò; quia duobus modis procedit. Altero æterno, à perſona in obiectum. Altero in tempore à perſona in effectum, & in creaturam. Secundò. Primus modus æternus eſt prior, & nobilior; ſecundus verò temporaneus eſt ignobilior, & poſterior: ergo duo. Tertiò. Duæ ſunt proceſſiones æternæ, filij ſcilicet, & Spiritus Sancti: ergo multo magis erunt duæ, æterna, & temporanea. Probatur conſequentia: nam magis diſtat temporanea ab æterna, quam æterna ab alia æterna. Quartò. Vbi realis ordo, ibi realis diſtintio, & multitudo; ſed inter æternam proceſſionem, & temporaneam eſt realiſſimus ordo; ergo & multitudo, & pluralitas: ergo duæ.

Secunda Propoſitio ex reſp. ad 4. Licet Magiſter magis propriè de hac gemina emanatione dixiſſet: ſi duobus modis, quam duabus emanationibus eadem perſona procedit; verè tamen quamuis non adequatè, duæ emanationes nuncupandæ ſunt. Ratio primi eſt; quia ſicuti illuminatio ſolis ſi lucendi actum, & abſolutum, & comparatiuè ſignificaret & rectè gemina illuminatio eſſet dicenda; rectius tamen duobus modis diceretur ſol lucere, quam duæ ſolis illuminationes vt multiplicatio magis in dicendo, quàm in eſſendo eſſet: ſic propemodum emanatio eiuſdem perſonæ magis conſentaneè dicitur duobus modis emanare, quam duæ emanationes. Ratio ſecundi; quia hic reſpectus perſonæ ad creaturam addit verum, & viuam ſignificationem non diſtrahentem, ſed analogicam termino emanationis; quia verè procedit in creaturam: quare & eſt, & dicitur bifaria emanatio.

COMMENTARIVM.

CONSTAT ex ſe, quàm conſentaneè hoc loco inſtituatur hæc quæſt. Explicatis enim & exiſtentia, & quidditate, & conuenientia miſsionis, & inter perſonas quæ mittant, & quæ mittantur; tanquam in genere; mox ſubdiuidenda res erat veluti in ſpecies, & conſtituendum quotuplex eſſet. At verò cum emanationum pluralitatem, & ex termino à quo, & ex perſonis emanantibus, & ex termino ad quem colligere fortaſſe liceret; à termino ad quem S. Doctor neceſſariò incipit: non enim aut à termino à quò, aut à perſonarum numero auſpicari locus erat: nam propſitum eſt de eadem perſona, quæ vna numero eſt, & vnicum habet principium: ergo tota res pendet à termino ad quem; num ſcilicet eandem perſonam procedere ab æterno, & in tempore idoneè dicamus bis procedere; quia diuerſus eſt terminus ad quem, æternus alius: alius temporaneus; æternus quidem, ſicut obiectum eſt alia perſona in quam procedit. v.g. amor procedens, & ſpiratus: eum namque quaſi diffinientes D. Hieron. in pſal. 13. & D. Aug. lib. 6. de Trinit. cap. 5. dixerunt: Spiritus Sanctus eſt amor, quo Pater amat Filium, & Filius Patrem. Temporaneus verò eſt creatura rationalis, in quam tanquam in habitaculum per noui effectus ſupernaturalis ſanctificantis productionem, Diuina perſona incipere habitare aſſeritur.

Supernaturalis, dixi, propter Durandum, qui 1. ſent. diſt. 14. quæſt. 3. contra communem ſententiam Theol. & veritatem aliquando fieri miſsionem, etiam penes naturæ dona aſſeruit; ſed ſanè inſanè, ac parum Diuinis literis conſentaneè: nunquam enim, ac nuſquam reperiuntur docuiſſe perſonam mitti, niſi ad effectus gratiæ ſupernaturalis; nemini verò, neq; Durando licet in his, niſi iuxta earundem phraſim loqui.

Præterquamquod præſertim prima parte S. Th. quæſt. 8. art. 3. & quæſt. 43. art. 3. colligitur & optima auctoritas D. Greg. hom. 8. in Cant. & optima ratio huius veritatis; *Deus*, inquit D. Greg. *communi modo eſt in omnibus rebus, præſentia, potentia, & ſubſtantia*; tamen familiari modo dicitur eſſe in aliquibus per gratiam, & hinc ratio: Diuinæ perſonæ non dicuntur, Diuinaque eſſentia ineſſe creaturis, niſi illis tribus modis, per eſſentiam, potentiam, & præſentiam, communibus, & vt ſic loquar, naturalibus, quod idem eſt, ac per dona naturæ; ſed perſonæ miſsio, eſt nouo modo in creatura inhabitare: ergo per nouum effectum, & ſupernaturalem. Confirmari poteſt ex Io. 14. *Ad eum veniemus &c.* per dona naturæ non venerunt, quia iam erant: ergo per dona gratiæ. Secundò. Quando creauit Deus cælum, & terram, licet per nouam, & primam creationem, & ſingulis momentis, quibus in Dies creantur animæ in corpora organica, incipiunt Diuinæ perſonæ ibi inhabitare; non dicuntur tamen mitti, non alia

Digitized by Google

ratióne, niſi qnia res per creationem tunc producta, eſt donum naturale: ergo de ratione miſſionis hnius eſt donum ſupernaturale ſanctificans.

Porrò hinc S. Doctor exorditnr pro hac gemina emanatione roboranda Syllogizare, ac ratiocinari, ex natura ſcilicet Analogiæ, cuina eſt inter vniuoca, & æquiuoca medinm locum obtinere, & vtruiſqne extremi partem capere, quam analogiam hìc inueniri autumat. Proceſsio Spiritns Sancti, de qna præcipuus ſermo eſt, Analogicè de æterna, & temporali dicitur: ergo gemina proceſsio, non ratione perſonæ, quia eadem eſt: ergo ratione termini. Probatur conſequentia: nam alius eſt terminus proceſsionis æternæ, nimirum perſona alia; alius temporaneæ, hoc eſt effectus nouus in creatura rationali ſupernaturalis, procedens ad inhabitandum ibi noua ratione: ergo diuerſa proceſsio. Probatur. Nam ſicuti motus, & mutationes in creaturis deſumnnt ſpeciem, & denominationem à termino ad quem, ac diſtinctionem, vt planum & obuium in Philoſophia; ſic ſua proportione ad diſtinctas miſsionum rationes conſtituendas debet ſufficere diſtinctio terminorum ad quem.

Secundò. Analogia dicit ordinem, ordo ponit numernm: ergo ſi miſsio analogicè dicitnr de æterna, & temporanea; neceſſario eſt gemina. Antecedens huius enthymematis ſic confirmandum ſumit. Non dicitur vniuocè, qnia non eſt eadem omnino ratio vtriuſque miſsionis, ſicnti ratio, & natura humana in Petro, & Paulo: miſsio enim vna æterna eſt, altera temporanea, & ſubinde poſterior; vna habet terminum Diuinnm, altera creatum, ex qno valde inferior, & imperfectior dignoſcitur. Non æquiuocè, quia nedum vario modo dicitur procedere, ſed verè procedit: ergo Analogicè.

Probatur deinde aliunde ex antedictis. Miſsio temporanea licet includat emanationem æternam, principalius tamen dicitur penes effectum temporaneum: eſt enim æternæ proceſsionis manifeſtatio in creatura &c. ergo penea illnm effectum debet diſtingui. Præterea alius eſt modus, quo terminua æternæ emanationis, alius quo temporaneæ itidem terminua procedit: ergo ratione modi geminatur: Diuina enim perſona procedens procedit per fœcunditatem perſonæ naturalem, & neceſſariam, neceſsitate Diuinæ perfectionis: terminus verò temporaneæ, hoc eſt effectus miſsionia, procedit per vim eſſentialem trinm perſonarum vt ſunt vnus Deus, liberam, qua libertate producit Deus omne extrinſecum.

Denique ex alijs Doctoribua in primia roboratur hæc S. Doctoris ſententia. D. enim Thom. in 1. ſent. diſt. 14. quæſt. 2. Proceſsio, inquit, æterna, & temporanea per reſpectum ad principium à quo ſunt, ſunt penitus idem, & rationia eiuſdem, neque hinc numerantur, ſed per reſpectum ad id in quo ſunt, diſtinguuntur; nec ſunt eiuſdem rationis ſecundum vninocationem, ſed analogicè: quoniam vnum eſt ratio, & cauſa alterius, ſicque poſſunt numerari. Et prima parte quæſt. 43. art. 2. ad 3, gemina dicitur proceſsio, æterna, & temporanea, non propter hoc, quod habitudo ad principium geminetur, ſed geminatio eſt ex parte termini æterni, & temporalis. Vides quomodo neque per latum vnguem diſſentiant iſti duo Sancti Theologi.

Idem Sanctus Bonauentura in Breuiloquio egregiè edocet, & confirmat fuſis verbis hanc eandem veritatem, Diuinas ſcilicet perſonas ad nos mitti, in nobiſque habitare per gratiam gratum facientem, quæ eſt effectus, & ſignum totius Sanctiſsimæ Trinitatis efficientis, & inhabitantis: non enim vna perſona ſine alia ad extra, aut quicquam operatur, aut inhabitat.

Riccardus eadem diſt. quæſt. 2. de Spiritn Sancto agens (ſed eadem ratio etiam de Verbo) Proceſsio Spiritus Sancti duas refert habitudines, alteram æternam ad principium, temporaneam alteram ad terminũ ad quem, in quem procedit; non ſolum ſicut in obiectum, ſed etiam ſicut in habitaculum, in quo incipit nouo modo inhabitare qnàm prius; & hæc proceſsio penes hanc habitationem eſt temporanea: addens cum Petro de Tarantaſia, enumeratis quinque modis quibus poſſet ſimilis diſtinctio colligi, colligendam eſſe ex diſtinctione terminorum ad quem coordinatorum. Idem Albertus Magnus. Idem Durandus licet cum limitatione ſtatim addenda.

Aegidins verò Romanus videtur huic torrenti Theologorum ſeſe opponere, hac præſertim ratione. Si proceſsio Spiritus Sancti in primis geminanda eſt vt ſint duæ, hac ſingulari ratione erit, ex amore ſcilicet, quo creatura diligeretur præcipuo amore, & ſic mitteretur, ac communicaretur noua communicatione: ſed hæc incongrua ratio foret: ergo. Deus enim non diligit nos propter bonitatem noſtram, ſed ſuam; quare omnis Dei dilectionis obiectum ſemper eſt vnicum, idq; æternum; ergo ex diſtinctione obiecti non congruit diuerſas conſtituere miſsiones.

Sed Aegidius in hac vna conſtruenda, & aſſerenda oppoſitione pluribus peccat. Neque primò fideliter, & idoneè refert opinionem, quam eum iuber reprobare: eo enim proceſsionem temporaneam ab æterna diſtinctam aſtrunnt omnes Doctores, quo in obiectum creatum tendit Deus, quatenus ei confert aliquid, ex quo conſurgit relatio creaturæ in Deum realis, & rationis Dei in creaturam, nimirum ſanctificatio. Secundò negat obiectorum diſtinctionem, primarij, & ſecundarij, ab omnibus tamen alijs conceſſam. Deus autem eſt primarinm, finale, & adæquatum obiectum, ſcilicet Diuina bonitas Diuinæ charitatis: Creatura verò rationalis eiuſdem charitatis ſecundarium, & inadæquatum, & connotatum: Deus enim propter ſeipſum, ac propter ſuam infinitam bonitatem in primis diligit nos; ſecundò tamen loco & nos diligit.

Teſtatur Iſaias 43. de Deo: *Ego ſum qui deleo iniquitates tuas propter me*, hæc verò diſtinctio ſufficit ad diſtinctionem harum emanationum, & proceſsionum, & de ipſis diuerſa aſſerere; ac proinde vt legitimè dicatur, Deum nos diligere, noſque conſtitui obiectum Diuini amoris ſecundarium, primarium verò ſelpſum: idque eo fiden-

nius

Digitized by Google

eius loquimur, quod ad phraſim Diuinarum literarum, contra quam Aegidius conſequenter tertiò peccat. Pſal. 10. *Iuſtus Dominus, & iuſtitias dilexit*, ſcilicet hominum: Io. 16. *Ipſe enim Pater amat vos, quia vos me amaſtis*. Io. 3. *Sic Deus dilexit mundum. Vos amici mei eſtis. Iam non dicam vos ſeruos; ſed amicos*. Sapientiæ 14. *Odio impius eſt Deo*, ſimiliter & impietas eius, & ſexcenta id genus. Cur ergo Theologorum Scholæ non licuit penes Scripturæ Sanctæ ſtylum loqui, ac Diuini amoris hoc ſenſu multiplicare obiecta?

Sed ad hanc, quam quærimus proceſsionum diſtinctionem, enucleatius percipiendam, operæpretium eſt diligentius diſquirere, quænam, qualis, ac quanta ſit iſthæc diſtinctio: videtur enim inter Theologos controuerſum: ſiquidem D. Bonauentura, D. Thom. cum multis alijs, dum ratione termini æterni, & temporanei aſſerunt has proceſsiones differre, realiter differre conſequenter fateantur neceſſe eſt: æternum enim, & temporaneum, Deus, & creatura realiter differunt.

Alij verò, Riccardus, Petrus de Tarantaſia, Aegidius nuperrimè relatus, Durandus &c. apertiore videntur inter has geminas proceſsiones dumtaxat, rationis diſtinctionem concedere: Riccardus enim in primis; non differunt, inquit, ratione principiorum realiter diuerſorum à quo; vt conſtat; non ratione variorum modorum, ſicuti proceſsio Verbi, & amoris; non diuerſarum perſonarum: hic enim vna ſupponitur, quæ eadem ab æterno procedat in aliam; & in tempore in creaturam, cui communicetur, & mittatur: ergo tantum ratione terminorum coordinatorum; vt in creaturam propter ſeipſam Diuina perſona exeat, & mittatur: ſed ex hoc exitu, in quo miſsionis temporaneæ ſita eſt ratio, nihil additur æternæ miſsioni, niſi relatio rationis ipſius perſonæ ad creaturam, ad quam Sanctificandam mittitur: ergo non ſicut duæ reales miſsiones diſtinctæ, ſed ſicut vna, ratione tantum diſtincta ab alia.

Hinc Durandus. Hæ miſsiones, inquit, non vt duæ miſsiones differunt; ſed ratione tantum connotati effectus; & hoc modo conatur perſuadere. Si proceſsio temporalis Spiritus Sancti eſſet ſolum proceſsio doni creati, vt multi opinantur; poneret in numerum realem; quia realiter eſſent duæ proceſsiones, quemadmodum duo procedentia: ſed quia proceſsio iſta eſt Spiritus Sancti, dicendum quod ſit vna proceſsio; nec vna ponit cum alia in numerum proceſsionum extra animam: vna enim nihil reale addit ſupra alteram, niſi relationem rationis. Quibus liquidò aſſerit vnam tantum eſſe miſsionem formaliter, ac realiter, rationeque dumtaxat diſtingui.

Quo ad hunc reſpectum rationis, nihil noui aſſeritur: hoc enim idem docuit D. Bonauentura perſpicuè, & eruditè hac quæſt. ad 4. dum temporaneam miſsionem ad æternam non addere niſi reſpectum, & effectum protulit. Idem S. Thom. quæſt. 43. art. 2. ad 2. ſed an hinc rectè colligatur, ergo emanationes iſtæ tantum ratione differunt, & conſequenter vna tantum eſt: alia res eſt meo iudicio: licet enim entitati æternæ emanationis per miſsionem temporaneam nihil addatur, niſi relatio rationis; inde tamen non ſequitur miſsiones non eſſe plures, & realiter non differre: à terminis enim, vt iam ſupra indicatum eſt, & motus, & emanatio ſumit ſpeciē, & diſtinct. etſi ex traditis definitionibus miſsionis, miſsio temporanea eſt æternæ manifeſtatio in creatura rationali per donum ſanctificās: & manifeſtare perſonam, eſt aliud ab ipſa perſona: & Diuinæ literæ, dum Diuinæ perſonæ ſeipſas manifeſtant, eas mitti legitimè teſtētur pluribus locis Euangeliorum, neſcio qua ratione rectè non deducatur, temporanea miſsio eſt vera miſsio, & vt ſic realiter diſtincta ab æterna.

Videtur quidem Seraph. Doctor in oppoſitam ſententiam magis inclinare, dum in fine quæſtionis de Magiſtro dicit: magis propriè locutus eſſet ſi dixiſſet, Proceſsio Spiritus Sancti dicitur dupliciter, quàm cum dixit, gemina eſt, quia non cadit ibi proprie geminatio; ſed ex hoc à ſententia primo loco polita non dixerit, nec argumenta, quibus eam ſolide confirmauit, ſoluit: ſed hoc fuit velle omnibus ſatisfacere, & à nullo diſcedere; & explicare ad amuſim harum proceſsionum analogiam, eam nimirum mediam quidem eſſe inter vniuocum, & æquiuocum; ſed magis hoc loco ſe tenere penes æquiuocum; non abſolutè tamen exiſtimo loquendum hac in re, ſicut & in alijs penes modum Diuinarum literarum, quæ diſtinctè, & alijs verbis de æternis, & temporaneis emanationibus loquuntur, & Eccleſia ſancta plures numerat, & colit aduentus eiuſdem perſonæ. Supereſt argumentorum Sancti Doctoris ſolutiones obſeruare.

Primum argumentum. Vna eſt, & eadem ſuppoſitum perſona ab æterno procedens, & in tempore: ergo vna pariter proceſsio, & æterna, & temporanea. Antecedens conſtat: nam Verbum idem eſt quod ab æterno à Patre gignitur, & quod in tempore, & a matre concipitur, & carnem ſumit, & ſimul cum Patre in hominum mentes venit: eadem itidem eſt Spiritus Sancti perſona, æternitate à Patre, & Filio procedens, & in die pentecoſtes in igne apparens, & ad hominum mentes ſanctificandas adueniens. Conſequentia videtur apparens: nam numerata proceſsione numeratur & procedens. Reſpondeo certa & communi reſponſione, & negatur conſequentia. Poteſt enim nedum ex procedenti perſona, ſed ex procedendi modo multiplicari proceſsio: et quidem ſi ſumatur, & conferatur proceſsio ad pincipium ex quo, tunc non geminatur proceſsio, niſi & perſona geminata, geminatoque modo; ratio potiſſima, quia vtraque emanatio ex ſuis principijs, intrinſeciſque modis intellectus, & voluntatis; eſt in ſe infinita: & inde repugnat plurificari, quia ſicuti non poteſt eſſe niſi vnus Filius, & niſi vnus Spiritus Sanctus; ſicut quoque non poteſt eſſe niſi vna generatio, & vna ſpiratio; neque vna perſona vtroque modo poteſt procedere, quia tunc inter illas perſonas nulla daretur diſtinctio, quæ tamen de fide datur. Si verò penes terminum ad quem concipiatur, cum ille ad eandem perſonam poſsit collatus geminari: eadem enim perſona, & in

æter-

Digitized by Google

æternitate, & in tempore ad diuerſos mittitur terminos, & in tempore diuerſis modis, & temporibus mittatur: Filius enim & in carne iam miſſus eſt, & in mentibus quotidie, & in finibus temporum ad iudicium mittendus eſt. Hinc fit de eadem perſona geminari procedendi modos, ac proceſsiones.

Secundum. Si gemina eſt, æterna, & temporalis eiuſdem perſonæ proceſsio, erit aut quia duæ emanationes, aut quia duo procedendi modi: ſed vtrumque falſum eſt: ergo nullo modo gemina. Probatur minor: non enim primum, quia ſupponitur eadem perſona emanans, & ab æterno, & in tempore: non ſecundum, quia eodem modo Spiritus Sanctus procedit à Patre, & Filio ad intra, & ad extra ad ſanctificandam creaturam: ſemper enim ab vtroque ſpiratur.

Vnam affert S. Doctor ſolutionem, eandemque elegantiſsimam, ſi tamen fideliter perpendatur, & ad traditam in quæſt. corpore doctrinam ingenuè explicetur: ſed plures ex eodem aliæ poſſunt adhiberi. Negat igitur maiorem, veluti non omne diſtinctionis membrum complectentem: poteſt enim, inquit, ex duabus procedentibus perſonis, & ex duobus emanandi modis, & ex duabus deniqne rationibus dicendi analogicè plurificari. Tranſeat verò nunc primus, & ſecundus modus geminandi proceſsionem. Reſpondeo eſſe geminam ratione geminæ rationis, geminique modi dicendi analogicè: eadem enim proceſsio bina eſt, quia bina, & diuerſa eſt ratio analogiæ in miſsione, quemadmodum idem Sol duobus modis dicitur, vt lucet, & vt illuminat; & perſiſtendum in ratione, & natura analogiæ, vt in corp. quæſt. dicendumque eandem perſonam diuerſo modo dici procedere prius, & poſterius, perfectè, & minus perfectè, dum ab æterno, & dum in tempore procedit.

Poteſt ſecundò reſponderi, variam, & diuerſam eſſe proceſsionem, quia varius, & diuerſus terminus, vt ſupra ſatis cumulatè. Tertiò poſſet negari minor: alia enim ratione procedit v. g. Spiritus Sanctus à Patre in Filium, alia in creaturam; præſertim ſi ſumatur perſona cum dono creato ibi producto: ille enim modus, vt pauciſſimis ab hinc ſupra dictum eſt, eſt ex fœcunditate perſonæ &c. hic verò ex virtute eſſentiali &c. ſed hoc loco abundè ſufficiat Sancti Bonauenturæ ſolutio, & magis doctrinæ in quæſt. collineans.

Tertium. Homo verus, & homo pictus, non ſunt duo homines, vt conſtat: ergo neque emanatio æterna eiuſdem perſonæ & temporanea erunt duæ emanationes, aut proceſsiones. Conſequentia conſtat: nam æternum, & temporale magis diſtant, minuſque conueniunt, quàm duo creata æquiuoca. Reſp. Neganda eſt conſequentia, negandumque abſolutè miſsionem æquiuocè dici de vtraque emanatione, ſed analogicè, Analogia tamen nunc enucleata: verè enim eadem perſona, & in tempore mittitur, & ad effectum realem mittitur, perfectius tamen ab æterno: Verbum enim ab æterno procedit, vt ſit Deus, in tempore vt ſit homo.

Quartum. Temporanea miſsio addit æternæ dumtaxat reſpectum rationis, & effectum extrinſecum: ſed hæc non numerant cauſam: ergo neque emanationem. Probatur conſequentia, quia æterna proceſsio eſt ratio, & ſuo modo cauſa temporaneæ. Probatur minor. Nam & ſol lucens, & ſol illuminans, eſt tantum vnus ſol, & Deus ens, & generans, & creans, eſt tantum vnus. Maior eſt iam certa, & explicata, & confirmata, & recepta. Reſpond. S. Doctor, ac in ratione analogiæ perſiſtit; vt magis tamen ad æquiuocum vergit; & ad formam argumenti negat minorem. Reſpectus enim, inquit, additus termino, licet non numeret ſubiectum abſolutè, variat tamen ipſius termini ſignificationem; & ſi non prorſus diſtrahit, facit eam analogam; vnde ex illo reſpectu terminus diuerſimodè, & dicitur, & etiam aliqua ratione diuerſus euadit. Quo fit, vt reſpectus ad effectum temporaneum additus per miſſionem in tempore ad miſsionem, & proceſsionem æternam, efficiat miſsionem diuerſimodè dici, & diuerſam per Analogiam eſſe: & confirmat exemplo propoſito de ſole, vt in textu; ita ferme & eadem perſona bis mitti ac procedere dicitur.

Confirmari ſecundò poteſt. Sicuti alia dicitur miſsio verè, qua Verbum mittitur in carne, alia qua in mente, alia denique qua ad iudicandum veniet; per hos diuerſos reſpectus, & modos effectuum ad perſonam, & perſonæ ad illos; æquè erit diuerſa & miſsio temporalis ab ęterna. Eodem modo explicandum, & accipiendum aliud exemplum de Deo ente, & exiſtente, & creante, nimirum analogicè: eſſentialia enim, & relatiua ad extra formaliter analogicè dici, ſupra pluribus, & rationibus, & actionibus confirmatum eſt, dum de potentia generandi, & creandi agebatur. Ad confirmationem minoris nihil addendum: nam in noſtram ſententiam interpretata ſunt exempla propoſita, niſi neganda conſequentia. Sol lucet, & illuminat, & tamen vnus eſt: ergo & vnus Spiritus Sanctus licet bis mittatur: hoc enim totum conceditur, imò toti quæſtioni ſupponitur: ſed ſi inde colligatur, ergo vna illuminatio, & illuminandi ratio, ergo vna miſsio; hoc totum hucuſque neceſſariò negatum eſt.

CAPVT IV.

Et Articulus primus. An Spiritus Sanctus, aut in dono mittatur, aut etiam in perſona. D. Bonau. diſt. 14. quæſt. 3. D. Thom. ibid. & art. 2. quæſt. 43. partis primæ.

PARAPHRASIS.

PRIMA Propoſitio. Cum aliqua perſona Diuina, veluti Spiritus Sanctus, ad creaturam rationalem miſſione inuiſibili dicitur mitti, ac venire, non ſolum in dono creato ſantiſicante, ſed etiam ipſamet perſona verè mittitur, ac donatur, vt nunquam neque perſona Diuina ſine dono creato, neque donum ſine perſona mittatur. Probatur vtraq; pars. Primò ex D. Paulo ad Rom. 5. Charitas Dei, *id eſt donum creatum ſanctificans,* diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, *nimirum non perſonam increatam,* qui datus eſt nobis. *Secundò D. Aug. lib. 15. de Trinit. cap. 15. ex diffinitione Spiritus Sancti.* Spiritus Sanctus eſt donum, & eo dicitur donum, quia datur: *ergo ſi perſonaliter eſt donum, dum datur, non ſolum in dono creato datur, ſed etiam in perſona. Tertiò ex eodem ferè principio, vel admodum conſimili Spiritus Sanctus eſt amor, & primus amor, & donum, & primum donũ, & ratio, in quo alia donãtur: ergo quotieſcumque donatur gratia gratum faciens, donatur propriè & ipſe Spiritus Sanctus. Conſequentia eſt aperta ex antecedenti: nam eſt amor, & primum donum, & ratio inſeparabilis, qua reliqua donantur. Quartò. Spiritus Sanctus datur ad vnienda & colligenda membra corporis myſtici vbicumque ſint, & quotquot ſint: ergo datur non ſolum in dono creato ſingulis, ſed in perſona increata, cui ſingula nectantur. Antecedens ex D. Io. 17. colligitur.* Pater ſancte ſerua eos in nomine tuo, quos dediſti mihi, vt ſint vnum ſicut & nos, *Conſequentia quoque perſuadetur. Vnio perfecta multorũ fit in vno ſimplici; ſed hoc non poteſt eſſe donum creatum, nam in ſingulis multiplicatur: ergo neceſſariò donum increatum, quod vnum eſt in omnibus. Quintò. Quod verè datur, & donatur, datur ad habendum, & poſſidendum, vt eo recipiens, & poſſidens ſit in poteſtate, vel vtendi, vel fruendi perfectè: ergo dum mitti, & donari Spiritus Sanctus aſſeritur, neceſſario & donum creatum, & increatum mittitur. Conſequentia eſt patens; neque enim ſine dono creato, & diſponente, & ſanctificante, anima rationalis digna eſt qua vniatur, & fruatur Deo: neque dono creato frui poteſt, in quo quieſcat, ſed indiget increato, & infinitè perfecto, quod eſt Spiritus Sanctus. Confirmatur. Nam gratia creata eſt tantum medium, quo diſponimur, & nectimur Deo; Deus verò eſt obiectum finiens, quo perfectè quieſcimus, & tandem beamur.*

Secunda Propoſitio ex reſp. ad arg. quaſi corollaria. Spiritus Sanctus dum in perſona datur, non præciſè ad ibi exiſtendum in quo recipitur, ſed ita vt habeatur, & poſſideatur à recipiente, vt eo ipſe fruatur initiatiuè in hoc ſæculo per gratiam, in futuro confirmatè per gloriam. Declaratur prima pars. Licet antequam ſanctificaretur anima ibi ineſſet Spiritus Sãctus; eo quia vbique per eſſentiam, potentiam, & præſentiam; non poſſidebatur tamen ab anima, quia cum ei inimica eſſet per propriam iniquitatem, eo frui non poterat. Declaratur ſecunda pars. Non ita datur Spiritus Sanctus in poteſtate animæ, quaſi animæ ſubſit, eique quaſi ſeruulus, & famulus deſeruiat: indignum enim Deo Optimo Maximo foret; aut quaſi de nouo veniat, vel transferatur de vno in alium locum, ſed vt in eo quieſcat anima, eoque fruatur, ac ſuauiſſima perfundatur iucunditate, & anima qualibet: à multis enim haberi ſimul, & poſſideri poteſt.

COMMENTARIVM.

QVONIAM duplicem ſupponimus miſsionem, aliam nimirum viſibilem, inuiſibilem aliam; ab inuiſibili auſpicando hoc loco primo quærimus, An cum dono creato ſimul mittatur & perſona. Secundò. Ad quæ dona mittatur, ad gratum facientia ſcilicet, vel etiam ad gratis data. Tertiò. An ad eadem dona tum donanda, tum augenda, vtraq; perſona, ſcilicet Filius, & Spiritus Sanctus ſimul mittatur. Quid verò hac quæſt. proponat, ac promittat, quidque agat, ac præſtet S. Doctor, non difficile eſt percipere: Præacta enim antea, & præpoſita veritate de non ſolum æterna, ſed temporanea Diuinarum perſonarum miſsione, & de temporanea, non ſolum exteriori ſigno, vt in carne aſſumpta Verbi, in igne, & flatu, & columba Spiritus Sancti, vt paucis poſt neceſſaria vbertate conſtabit; ſed præſertim inuiſibili dono, hoc eſt intus in anima vllo abſque deforis effectu ac ſigno: quam vtramque miſsionem docuit S. Auguſt. 4. de Trinit. & ex pluribus Diuinarum literarum locis collegit. v. g. ad Rom. 5. de Inuiſibili. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis*, Ad Galas 4. de vibili. *Miſit Deus Filium ſuum factum ex muliere &c.* Io. 14. de inuiſibili. Io. 1. de viſibili &c. Hinc hic incipit ſolerter, ac ſcitè perueſtigare, quomodo, & quanta vbertate, & quibus donorum generibus hæc interior, & inuiſibilis perſonæ Spiritus Sancti miſsio fiat; ac tria in primis docet. Primũ, nunquam hanc miſsionem fieri ſine ipſa perſona, hoc eſt quin verè, ac propriè mittatur. Alterum, neque ſine dono creato gratiæ

ſan-

Digitized by Google

ſanctificantis. Tertium, in reſponſione ad argumenta tnetur ipſius perſonæ Diuinæ in anima miſsionem, ac ſuſtinet nullam inde eidem perſonæ obuenire indignitatem, aut indecentiam.

Primum verò ac ſecundum ſimul exoluit, ac donum gratiæ creatæ ſimul ſemper dari cum increata perſona, & vice verſa increatum donum cum creato. Vtitur ijs medijs, quæ potiora ſemper in re Theologica exiſtimantur, locis nimirum, & auctoritatibus Diuinarum literarum, ac Patrum, & inde rationibus, vt tandem concludat veritatem hanc orthodoxam, receptiſsimam, & omnibus communiſsimam. Nos hæc diſtinctè docebimus: eo præſertim, quo (teſte Magiſtro) non defuerunt qui primum negarunt, ſed in miſſione dumtaxat donum creatum infundi autumarunt, improbè ſane, ac perperam, quos ideo Durandus imaginatores nuncupat, hoc eſt propria opinione, vllo abſque fundamento ductos.

Primus verò, ac vnicus huius veritatis in Sancto Doctore, ac ſufficiens locus, eſt D. Pauli ad Rom. 5. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis*; quo in hunc ſenſum vtitur S. Auguſt. de Verbis Domini ſer. 53. *A quo datur? ab illo qui dedit dona hominibus; Quæ dona? Spiritum Sanctum. Qui tale donum dat, qualis eſt ipſe. Magna eſt miſericordia eius, Donum dat ſibi æquale, quia donum eius Spiritus Sanctus eſt.* Ergo D. Paulus interprete D. Auguſt. aſſerit verè dum donum creatum gratificans nobis donatur, ipſam Spiritus Sancti perſonam quoque donari. Eodem modo eundem locum interpretatur S. Ambroſ. lib. 1. de Spiritu Sancto cap. 5. vt ſtatim referam. Et vt obiter addam, obſeruandum, donum creatum animo infundi informans, & inhærens, illis verbis. *Diffuſa in cordibus noſtris*. Tenet omnis Theologus, & decernit Eccleſia, & docet Conc. Trid. ſeſſ. 6. de iuſtificatione.

Sed ad hanc eandem veritatem magni ponderis teſtandam, non deſunt alia non minus aperta, & certa loca earundem Scripturarum. Io. 14. *Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Ibidem. *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum, Spiritum veritatis, quem mundus non poteſt accipere, quia non videt eum, nec ſcit eum: vos autem cognoſcetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit.* 1. Corinth. 6. *An neſcitis quoniam membra veſtra templum ſunt Spiritus Sancti, qui in vobis eſt, quem habetis à Deo.* Io. 4. *Deus charitas eſt, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Quibus omnibus locis, ac plurimis alijs conſimilibus, ſi de Deo propriè loqui Scriptura interpretanda eſt, conuincitur in dono creato ſemper ſimul dari ipſammet perſonã: & quo plura loca, eo magis cordi fuiſſe Deo nobis imprimere, certamque hanc veritatem perſuadere.

Quo circa & Patres vbi eis occaſio occurrebat, eandem veritatem & edocebant, & aſſeueranter teſtabantur. Ita in primis S. Auguſt. lib. 15. de Trinitate cap. 26. *Eundem Spiritum Sanctum datum eum inſufflaſſet Ieſus.* De quo mox ait. *Ite baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, ambigere non debemus. Ipſe eſt ergo qui etiam de cælo datus eſt die Pentecoſtes. Quomodo ergo Deus non eſt, qui dat etiam Spiritum Sanctum? Imò quantus eſt Deus qui dat Deum?* En quam apertè teſtatur dum datur Spiritus Sanctus dari Deum. Idem dixerat lib. 4. de Trinit. cap. vlt. lib. 5. c. 26. & tract. 32. & 74. in Io.

D. Item Ambroſ. lib. 1. de Spiritu Sancto cap. 4. *Licet multi dicantur ſpiritus; quia legitur, qui facit Angelos ſuos ſpiritus; vnus eſt tamen Dei Spiritus. Ipſum ergo vnum Spiritum & Apoſtoli, & Prophetæ ſunt conſecuti, ſicut etiam vas electionis dicit, quia vnum ſpiritum potauimus: quaſi eum qui non queat ſcindi, ſed infundatur animis, & ſenſibus illabatur, vt ſecularis ſitis reſtinguat ardorem: qui Spiritus Sanctus non eſt de ſubſtantia rerum corporalium, nec de ſubſtantia rerum inuiſibilium.* Et cap. 5. *Omnis creatura mutabilis eſt, ſed non eſt mutabilis Spiritus Sanctus.* Et infra. *Quid autem dubitem quia datus eſt Spiritus Sanctus? cum ſcriptum ſit: Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis? Qui cum ſit inacceſſibilis natura, receptibilis tamen propter bonitatem ſuam in nobis, eſt complectens virtute omnia; ſed qui ſolis participetur iuſtis, ſimplex ſubſtantia, opulens virtutibus, vnicuique præſens, diuidens de ſuo ſingulis, & vbique totus &c.* Idem vberrimè eodem lib. cap. 7.

D. Athanaſ. De Deipara Virgine, Spiritum Sanctum in Apoſtolos ſuperueniſſe eſſentialiter cum omnibus donis teſtatur. D. Baſil. lib. 5. contra Eunomium cap. 5. D. Cyrillus lib. 12. Theſauri cap. 15. D. Leo ſer. 2. de Pentecoſte, & communiter. Quibus omni animi conſenſione ſubſcribunt Theologi, Magiſter hic. D. Bonauentura, & D. Thom. indicatis locis. Alex. 1. par. quæſt. 73. memb. 4. art. 1. Riccardus cum alijs, his diſtinctionibus.

At prima, eaque efficacior ratio, quia ita Diuina Scriptura teſtatur, eamque ſic interpretantur, tum Patres, tum Theologi, idque tanta aſſeueratione, vt D. Thom. oppoſitum ſentire aſſerat errorem, hic art. 3. arg. 1. Inter verò rationes, quas ſolent Theologi referre, illa mihi primò ſemper placuit, quam inter alias conficit ſic Sanctus Doctor, eo præſertim, quo & aliorum rationum vim complecti videatur. Donum eſt Charitas creata, & donum eſt Spiritus Sanctus, & dona Dei ſunt perfectiſſima: ergo donatur nobis non ſolum creatum donum, ſed etiam increatum. Probatur

antecedentis prima pars. Donum eſt vltronea datio, & Charitas gratum faciens gratis datur: ergo donum. Secunda pars ex ijs, quæ ſupra de hac Spiritus Sancti proprietate aſſerta, ac congeſta ſunt: tertia verò pars poſita eſt à Sancto Iacobo Apoſtolo.

Conſequentia probatur. Si enim donum Spiritus Sanctus eſt: ergo donatur. Nec ſufficit quod donetur gratia: nam ipſe ſecundum ſe propriè eſt donum, & conſequenter ſecundum ſe donari debet. Secundò. Eſt ratio donandi donum creatum: ergo cum ipſo donatur. Tertiò. Hinc eſt amor, & amor perfectiſsimus; amoris autem eſt amantes ſimul vnire, & nectere; ergo per amorem creatum ſeipſum immediatè communicat amatæ creaturæ, eamque ſibi ſic vnit. Anima denique Charitate imbuta amando Deum quieſcit; ergo Deo vnita Deo fruitur, vt hic viæ ſtatus permittit. Neque ſufficit vnio per affectum: hæc enim vnio perfecta non eſt, ſed requirit præſentiam amati: Sic enim vbique locorum Diuinæ literæ teſtantur, ac præſertim Cant. Cantic. illis amatorijs petitionibus, ac precibus amantis ſponſæ. Cap. 1. *Oſculetur me oſculo oris ſui. Cap. 5. Vt nuncietis ei* (dilecto abſenti) *quia amore langueo. Ibidem: Veniat dilectus meus in hortum ſuum. Quis mihi det, te fratrem meum ſugentem verba matris meæ, vt inueniam te foris, & deoſculer te, & iam me nemo deſpiciat cap.* 8. Vbi vim amoris dilecti præſentiam expoſtulare, intimèque expetere conſtat.

Hæc eadem eſt vis rationis S. Thom. hoc art. Deum in anima exiſtentem per eſſentiam, præſentiam, & potentiam, per habitum infuſum Sanctificantem incipere noua ratione inexiſtere, nimirum ſicut cognitum in cognoſcente, & amatum in amante, non quocumque modo, neque per denominationem extrinſecam, veluti per ſpeciem verbi &c. ſed ex vi præcipui amoris eſt ibi per modum intimè dilecti, & tanquam bonum ibi exiſtens, vt eo amans frui poſsit, & ab eo ſicut in templo coli, & adorari, & ab ipſo Deo ſingulari modo dirigi, ac cuſtodiri: & hæc eſt Euangelica vnio, & vt ſic dicam, transformatio animæ in Deum per Diuinam Charitatem, qua (vt D. Petri verbis vtar) *Diuinæ conſors ſit naturæ*. Poteſt confirmari exemplo Beatorum, in quibus per eandem vnionem Charitatis, ſed conſummatam, vt verè dicantur Beati, requiritur intima Dei præſentia.

Pro eadem veritate idem S. Thom. ſic vrget in 1. ſent. cit. loco. Mittitur, & datur perſona rationali creaturæ ad habendam eam, poſsidendam, & fruendam: ſed non poteſt frui anima niſi per dona, quibus vnitur, ac verè coniungitur ipſi perſonæ, hoc eſt per amorem: ergo eius intima præſentia requiritur. Eadem erat vis rationis Sancti Bonau. in corp. quæſt. Eandem reſumpſit Tarantaſia.

Cæterum in D. Bonau. ratione prima ſolerter obſeruandum, ex gemino amore, creato, & increato colligi perſonæ Diuinæ præſentiam; ex creato enim, cum ſit quo vnimur Spiritui Sancto, vt dono ipſi appropriato, requiritur præſentia Spiritus Sancti vt in omnibus immultiplicatus exiſteret. Quod amplius declaratur ex D. Dionyſ. cap. 4. de Diuinis nominibus, interpete D. Thom. 1. 2. quæſt. 28. art. 1. Amorem geminam vnionem facere, Alteram realem, Alteram affectiuam: illam quidem, qua quæritur amati præſentia: hanc verò, quæ formaliter facit ſibi conuenientem amatum præſentem: eſt enim amor ipſamet vnio, & nexus, & iunctura, vt ait Diuus Auguſt. lib. 8. de Trinitate. Ex increato bifariè. Primò vt in quo vno tanquam in ſimpliciſsimo omnes animæ vniuntur, & quieſcunt. Neque enim amor creatus eſt vnus numero, in quo quieſcentes vniantur. Secundò. Deus amat nos perfectiſsimo, eodemque cunctipotente, ac mirè efficaciſsimo amore: ergo ſibi verè, ac realiter vnit animas. Confirmatur ex recenſito loco D. Io. 17. *Ego in eis, & tu in me, vt ſint conſummati in vnum*: neq; enim cõſummata eſſet vnio, neque ad imitationem Patris cum Filio, ſi non eſſet per realem præſentiam. Miſsio ergo perſonæ non fit ſine dono increato ipſius perſonæ.

Sed neque ſine dono creato Charitatis, & gratiæ ſanctificantis, quod ſecundo loco, & docuit Sanctus Doctor, & promiſimus diſtinctè confirmare, confirmaruntque Sancti Bonau. & Thomas eodem loco D. Pauli ad Rom. 5. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris &c.* ſcilicet quando mittitur perſona, diffunditur in cordibus noſtris Charitas creata. Ratio optima reddita fuit ex Sancto Bonauentura. Perſonæ ad creaturam miſsio eſt vt à creatura habeatur, & poſsideatur, eaque fruatur: ſed hoc rite, & digne fieri non poteſt, niſi diſponatur, & aſſumatur ad eſſe gratum, & amicum Deo; & hoc non poteſt niſi per gratiam ſanctificantem (& eſt iam dogma) ergo perſona cum mittitur, mittitur cum dono gratiæ ſemper.

Ex D. Thom. eadem ratio, ſed conficitur & alio modo. Mittitur ad perſonam rationalem perſona Diuina, vt in ea habitet nouo, & ſingulari modo, vt cognita in cognoſcente, & amata in amante, & in ea tanquam in templo: *Vos enim eſtis templum Spiritus Sancti*: ſed hoc fieri non poteſt, niſi per fidem Charitate formatam: ergo &c. Itaut, inquit Riccardus, ſi daretur Spiritus Sanctus ſine dono gratificante, datio, & miſsio valde impropria dicenda eſſet. Imò non deſunt qui nullam fore aſſerunt miſſionem, & oppoſitum inuoluere contradictionem, vt fortaſſe infra.

Sed Sanctus Bonauentura hoc ex propoſito verſat vberrimè diſt. 15. quæſt. 5. & D. Thom. 3. eodem art. De quare hæc.

PARAPHRASIS.

PRIMA Propoſitio. *Quidquid alÿ dicant, neque Filius, neque Spiritus Sanctus verè ac ſimpliciter dicendi ſunt mitti ad creaturam, niſi cum gratia gratum faciente. Probatur primò ex D. Aug. lib. 15. de Trinit.* Tunc datur Spiritus Sanctus alicui, cum ſic datur, vt faciat Dei, & proximi dilectorem. *Nimirum non datur, neque mittitur ſine charitate creata. Secundò de Filio. Sap. 7.* Sapientia in animas Sanctas ſe transfer, & amicos Dei, & Prophetas conſtituit. *Neminem enim diligit Deus niſi eum, in quo ſapientia inhabitat. Ergo Filius Dei, qui est ipſa ſapientia, ad nullam animam ſe transfert, aut mittitur ſine gratia, ſine qua nemo diligitur à Deo. Tertiò. Perſona Diuinà mittitur ad inhabitandum in homine, nouo, & vario modo quàm prius habitabat: ſed prius ſub hac ratione inerat, qua per ſuam infinitam eſſentiam vbique eſt: ergo cum noua ratione inſit, & inhabitet, neceſſaria eſt gratia: ergo ſine gratia nunquam mittitur.*

Secunda Propoſitio ex reſponſione ad argumenta. Licet à quibuſdam fortaſſe non omni improbabilitate aſſertum inueniatur, perſonam venire, & mitti etiam in ſolo dono gratis dato, veluti dum reuelationis, miraculi, aut prophetiæ &c. priuilegia conceduntur, quæ ſine ſanctitate in quibuſdam collata leguntur, vt de Balaam, Arioli, & infidelis prophetia conſtat, & Caipha impÿ Chriſto Domino aduerſarÿ, & vberius teſtatur Matth. cap. 7. Nonne in nomine tuo prophetauimus, & dæmonia eiecimus &c. *quæ quidem miſſio ſolet ab illis auctoribus ad vſum, & non ad fructum nuncupari, & in illis Diuinas perſonas mitti, quia quoquo modo in illis donis manifeſtantur.*

Rectius tamen, & ad Diuina Scriptura, & Sanctorum Patrum, & Theologorum ſententiam magis conſentaneè dicendum, illam ſolam digne nuncupandam miſſionem, quæ eſt ad fructum, & ſanctificationem, ſcilicet cum gratia ſanctificante. Nam in donis primo loco propoſitis poteſt eſſe Angelus, non Diuina perſona, qui mittatur ad reuelanda occulta &c. & exempla colliguntur ex Scripturis multis locis Angelorum hominibus apparentium, & reuelantium, & mirabilia patrantium &c. ea verò reuelatio, & cognitio, & manifeſtatio à perſona eſt Diuina, quæ coniuncta eſt cum mentis illuſtratione, & inhabitatione ipſius perſonæ, eius cui ſit manifeſtatio.

COMMENTARIVM.

HIC antequam magis hoc primum aſſertum, & propoſitionem diſcutiamus, ac confirmemus, cogimur ex ſecunda propoſitione aperire, & referre varias quorundam ſententias de eodem aſſerto: & primò quod hic refert S. Doctor in corp. quæſt. fuerunt, inquit, qui aliquando Spiritum Sanctum dari non vt Sanctum, ſed vt Spiritum in donum tantum gratis datum: & Filium vt ſapientiam quidem in iiſdem, & donum; non tamen vt ſapidam ſcientiam, aſſeruerunt. Alij, qui dum donum præcisè gratis datum confertur, teſtati ſunt mitti quidem perſonam, ſed ſecundum quid, & ad vſum, non tamen ſimpliciter. Primum abſolutè reijcit: ſecundum verò licet conetur explicare, tamen vt conſtat ex reſp. ad argumenta, non poteſt ſuſiſtere: quod enim ait non dicendam miſsionem ſimpliciter, indicat non eſſe miſsionem: quod addit eſſe miſsionem ad hoc, & ſecundum quid, eſt dicere, eſſe quo ad donum, non quo ad perſonam, quæ non mittitur niſi ad ſanctificandum. Fuerunt deinde alij, qui conſequenter Filium mitti in infuſione fidei informis aſſerere non timuerunt, ſcilicet Caiet. hic art. 3. Alij, Spiritum Sanctum per ſolas inſpirationes Diuinas, quæ iuſtificationem præcedunt. Alij, cum cæteras gratias gratis datas elargitur Deus, ſemper Spitum Sanctum mitti. Ceu Io. 20. cum Chriſtus Dominus Apoſtolis dedit poteſtatem remittendi peccata, dixit etiam, *accipite Spiritum S.* & Lucæ 10. cum eijciendi dæmonia eiſdem idem Dominus virtutem contulit, ſimul & Spiritum S. contuliſſe refertur, & teſtatur D. Leo ſer. 2. de Pent. quæ omnia ſufficerent corticem litteræ S. Bonau. tueri conanti. Poſſet hic reponi & Durandi ſententia antea etiam indicata, qua etiam per dona naturalia quoquo modo Diuinam perſonam mitti cenſebat.

D. Thom. egregiè in 1. ſent. diſt. 14. quæſt. 1. art. 2. Sicuti, inquit, in egreſsione creaturarum ab initio per creationem, ratio, & cauſa fuerunt proceſsiones Diuinæ ad intra: per Filium enim, & Spiritum Sanctum procedentes conditæ ſunt, ac in primis homo, ex illis verbis Gen. *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram:* ſic per eaſdem proceſsiones regrediuntur ad ipſum principium, vnde egreſſæ ſunt; diuerſa tamen admodum ratione: nam in egreſſu per creationem attenduntur tantum ſecundum dona naturalia ad eſſe ſpectantia; in regreſſu verò, diuinarum perſonarum proceſsio, & miſsio ad extra ſpectantur ſecundum dona ſupernaturalia gratificantiâ, ſine quibus primo principio vniri, & coniungi ſicut oportet, poſsibile non eſt. In egreſſu non dabatur perſona, ratione ſupra recenſita, quia non datur niſi ad fruendum. In regreſſu eadem ratione datur per-

Digitized by Google

ſona, quia datur ad fruendum; ergo in dono gratum faciente.

Hæc ſententia certa, ac communis eſt, & amplexanda. Eam cum Sancto Bonau. & S. Thom. reliqui tradiderunt vnanimi conſenſione Theologi, Alexander 1. par. quæſt. 73. memb. 4. art. 1. Riccard. diſt. 14. art. 1. quæſt. 2. Aegidius ibidem quæſt. 2. Albertus Magnus, Tarantaſia, Durandus &c. Probauit eam S. Bonauentura per Diuinas literas, Sap. 7. quod quidem caput ferè integrum mirè ad hanc veritatem teſtandam deſeruit: per D. Aug. 15. de Trinit. cap. 7. Hæc eadem probatio augeri, & roborari poteſt per cætera loca Diuinarum literarum, relata ſupra ad primam partem huius veritatis confirmandam, Perſonam ſcilicet ipſam donari in miſsione. Conſequitur enim neceſſariò dandam eſſe & gratiam, vt digne perſona data & inhabitare poſsit, & vniri, & poſsideri, eaque animæ frui liceat: per eoſdem Patres, eaſdemque rationes ibi recenſitas, ac aſſumptas, vt non ſit opus hic eas repetere, ac iterare.

Facilis verò negotij eſſet congerere alias conſimiles tum auctoritates, tum rationes; plurimæ enim obuiæ ſunt, ac ferè innumeræ in Diuinis literis leguntur, & Patribus. In Canticis, vbi quaſi integro illo dramate adueniens ſponſus animam vocat, & facit ſponſam: ergo per charitatis vnionem. 1. Io. cap. 3. *Vt Filij Dei nominemur, & ſimus.* Ad Rom. 5. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum S. qui datus eſt nobis.* Ad Romanos 8. *Quicumque Spiritu Dei aguntur, ij ſunt Filij Dei.* Ad Galatas 4. *Miſit Deus Filium ſuũ, vt adoptionem Filiorum reciperemus. Quoniam autem eſtis Filij Dei, miſit Deus Spiritum Filij ſui* (de quo loco aliàs plurima) *in corda veſtra clamantem, Abba Pater.* Io. 1. *Dedit poteſtatem Filios Dei fieri.* Ergo ſi Filij conſtituimur in miſsione perſonarum, & ſponſamur, verè per habitum gratiæ: ſine ipſo enim inuiſi, ſeiuncti à Deo, exhæreditati, diuortium paſsi ſumus, odio denique habiti. Oſee 1. *Ablactati abſque miſericordia, non Populus meus.*

Denique addenda conueniens ratio D. Bonau. aliàs familiaris. Sæpe repetitum eſt nouo modo venire ad habitandum in nobis Diuinas perſonas: ergo cum aliqua mutatione: hanc mutationem in Diuinis perſonis fieri repugnat. (*Ego* enim *Deus, & non mutor*, & hoc tuentur, ac teſtantur in his miſsionibus Sancti Patres. D. Athanaſ. Orat. in illud ex Deo Deus. D. Baſilius lib. 5. contra Eunomium cap. 2. D. Ambr. lib. 1. de Spiritu Sancto cap. 10.) ergo in creatura: ſed hæc non niſi per mutationem voluntatis, & exitus à peccato: ſed hoc non niſi per gratiam: ergo &c.

Confirmatur. Per peccatum amittitur Spiritus Sanctus, & gratia: ergo per conuerſionem iterum acquiritur: ad priſtinum enim ſtatum reducitur. Quocirca Filio prodigio redeunte, *cito proferte*, inquit Pater, *primam ſtolam*, Lucæ 15. Certa eſt, ac definita veritas, non accipi animam in ſponſam, neque in filiam, neque in templum, nimirum non viuificari, niſi per habitum gratiæ infuſum. Oſee 2. *Sponſabo te mihi in iuſtitia.* Cant. 4. & 5. Non vocatur anima ſponſa, niſi multis pulchritudinis, & amoris adiectis encomijs, Amica, ſoror, pulchra, immaculata. *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te; ſoror mea ſponſa, amica mea, immaculata mea.* 1. Corinc. 3. *Templum Dei Sanctum eſt, quod eſtis vos*, & paucis ante. *Neſcitis quia templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis?* Filij verò Dei conſtituimur per adoptionem, & per gratiam, ad Rom. 8. *Qui Spiritu Dei aguntur, ij ſunt Filij Dei. Accepiſtis Spiritum adoptionis Filiorum.* Ad Galatas 4. *Quoniam eſtis Filij Dei, miſit Deus Spiritum Filij ſui*, vt paucis ſupra. D. verò Bonauentura ex his, & conſimilibus locis, cum Deus ad nos venit, mittunturque Diuinæ perſonæ ad inhabitandam animam, tunc animam ipſam in filiam, & ſponſam, & templum eleuari, & conſecrari, alibi ſuauiſsimè docet, vt cum ipſo, cuius doctrinam exponimus, ſemper loquamur. Sed hic plura ſuboriuntur dubia, non ſilentio comprimenda.

PRIMVM DVBIVM.

AN hæc veritas, de qua hic loquimur, tantæ certitudinis ſit, vt oppoſitum implicet contradictionem, & neque per Diuinam potentiam poſsit res aliter ſe habere, ſcilicet Diuinas perſonas non poſſe inuiſibiliter mitti, venireque ad creaturam rationalem iam exiſtentem, ſine dono creato, & operatione Dei ad extra: quod alio titulo alij aſſerunt, non poſſe animam acceptari à Deo ad hæreditatem æternam, nec iuſtificari ſine habitu gratiæ infuſo. Non ignoro, non deeſſe qui aſtruant id fieri poſſe per ſolum actum Diuinum, quo Deus ſua liberalitate acciplat talem creaturam, eique æternam beatitudinem conferre decernat.

Ego verò cum alijs doctioribus, licet inuitus Diuinæ potentiæ terminos ponam, ac quæſtiones verſem, quæ abſolutam Diuinam potentiam in dubitationem vocent; contrarium verius exiſtimo. Primò, vt loquamur ex hypotheſi, & ex ſuppoſita iam tradita Diuinæ miſsionis diffinitione; repugnat eſſe miſsionem, & non infundi gratiam, animamque ſanctificari. Secundò. Cum hæc adoptio animæ prius peccatricis non intelligatur poſſe fieri ſine mutatione, vt Sancti Bonauenturæ vrgebat argumentum; non intelligitur quoque poſſe fieri ſine gratia, qua mutetur anima. Præterea, quoniam cum nullus actus, nullaque Diuinæ voluntatis determinatio poſsit eſſe niſi æterna, ratione æternæ acceptationis Diuinæ, & voluntatis conferendi gloriam tali tempore; diceretur Deus miſſus ad creaturam ex æternitate, quod nullus concedit. Ergo vt dicatur Deus aduenire menti humanæ in tempore, aliquid Deum agere in ipſa extrinſecè, eamque conſecrare, & ſanctificare, neceſſariò fatendum. Quod ſi alio modo fieret, non eſſet miſsio, neque Dei aduentus ad nos, vt ſecundo loco dicebatur,

Plura

Plura huc pro re hac conſerti poſſent, ſed habent ſuas ſedes, & loca propria. Neque D. Bonauentura hic contradicit, dum miſsionem limitatam, & ad vſum, & ſecundum quid videtur concedere: hoc enim eſt primò quantum fas eſt de omnibus opinionibus bene ſentire, omneſque diſſentientes quoquo modo conciliare, vt pro ſua pietate ſemper conſueuit facere. Deinde alijs locis dum abſolutè loqueretur, oppoſitum docuit, inprimis dum verſaret illam rationem ſupra relatam, non poſſe animam ad Deum conuerti ſine mutatione &c. Hinc

SECVNDVM DVBIVM.

CVm ergo ex dictis in miſsione perſonæ, dno, ſcilicet perſona, & gratia donentur, quæritur quodnam eorum primò, & quo ordine donetur. Supponitur primò ex D. Auguſt. referente Aegidio hac eadem diſtinct. quod idem ferè refert D. Bonauentura 1. ſent. diſt. 12. quæſt. 1. Aliquid alio prius aſſeri quatuor modis: æternitate, vt Deus ante creata: tempore, vti flos ante fructum: dignitate, & electione, ſicuti fructus ante florem: origine, & natura, quemadmodum ſonus ante vocem articulatam, & cantum. Certum verò eſt Spiritum Sanctum priorem eſſe ſecundum ſe dono creato; æternitate, dignitate, & electione: at verò quodnam horum duorum prius ſit natura, vel naturali intelligentia, ac ordine intelligendi in miſsione temporali, hic quæritur.

Reſpondet breuibus S. Thom. eadem diſtinct. Diuerſa ratione poteſt idem eſſe prius, ac poſterius: quo circa ſi id quod hic indagatur, ex parte recipientis penſitetur, donum creatum ponitur prius in animo, quàm incarnatum, ceù diſpoſitio ad increatum dignè recipiendum; ſi verò ex parte agentis, & finis, ſic quod propinquius eſt agenti, & fini, dicitur prius: itaque prius anima recipit Spiritum Sanctum quàm dona ipſius, quippe quod Pater, & Filius per ſuum donum increatum alia nobis dona communicant, & hoc ſimpliciter dicitur eſſe prius. Idem prorſus Aegidius, ſed duo exempla addit, alterum de ſanitate, de clauo alterum infixo: potio enim medicinæ prior eſt ſanitate in ratione efficientis, in ratione verò finis prior ſanitas. Clauus itidem excutiens eſt prior in ratione excutientis clauo fixo in ligno; in ratione finis, & fixionis, clauus infixus eſt prior excutiente, ſic fermè &c. conſimili ratione quærunt Theologi, ac ſoluunt D. Bonau. 4. ſent. diſt. 17. D. Thom. 1. 2. quæſt. 113. art. 8. quid primò prioritate naturæ in animæ iuſtificatione, infundere gratiam, vel expellere culpam. S. enim Thom. in ratione cauſæ prior eſt infuſio gratiæ, ſicut cauſa prior effectu, deinde motus liberi arbitrij in Deum quem offendit, mox motus eiuſdem in peccatum deteſtandum quo offendit; Denique eiectio, & remiſsio culpæ. D. Bon. comparari rectè remiſsionem culpæ ad tria. Ad principium, Ad oppoſitum, & ad ſubiectum. Ad principium quidem, ſicuti à quo exit gratia expellens peccatum, ad peccatum verò, ſicut ad oppoſitum quod expellit; ad animam denique, ſicuti ad ſubiectum, quod gratia ſua qualitate perficit. Gratia verò in ratione agendi prior eſt, ſicut cauſa effectu, ſicuti natura prior lux effugatione tenebrarum, in ratione verò recipientis & ſubiecti, certum eſt, ac oppoſitum inintelligibile, prior eſt exitus, & remiſsio culpæ: non enim poteſt ſubiectum vllum oppoſita qualitate informari, niſi prius eiecta oppoſita forma, quia formaliter opponuntur. Vniformis ſanè doctrina, ſed vberior D. Bonau. ex qua itidem quid ex ipſius ſententia dicendum ad propoſitum dubium, liquido colligitur.

TERTIVM DVBIVM.

Cur ſic mitti Spiritus Sancti perſona diſtinctè aſſeratur, cum tres perſonæ veniant, & & à tribus effectus ille certo efficiatur. Hoc ſoluit, & vberrimè diſcutit S. Bon. eadem diſt. quæſt. 6. per has propoſitiones.

PARAPHRASIS.

P*RIMA Propoſitio. In conferenda gratia ſanctiſicante, quæ radix cæterorum donorum gratuitorum, rectè vtraque perſona, Filij, & Spiritus Sancti verè mittitur: in anima enim gratiam habente inhabitant, & Filius, & Spiritus Sanctus, & diuerſa ratione quā prius. Probatur. Quando infunditur Charitas, certū eſt mitti Spiritū Sanctum; ſed quod mittatur & Filius, teſtatū eſt Sap. 7.* In animas ſanctas ſe transfert (*ſapientia*) amicos Dei, & prophetas conſtituit. *& D. Aug. 4. de Trinit. cap. 20. exponit de miſſione Filij.*

Secunda Propoſito. Dum habitus infunduntur, ſi ſunt mere cognitiui, nulla perſona mittitur: ſi prorſus affectiui, Spiritus Sāctus mittitur: ſi medij, vtraque perſona. Probatur prima pars. Quia habitus praciſè ad intellectum ſpectans, neceſſario ſecum non habet adiunctam charitatem, vt fides: eſt enim donum gratis datum, in quo perſona haud mitti iam demonſtratum eſt. Secunda Pars. Nam appropriatur Spiritui Sancto: in cognitionem enim ipſius ducit, ipſumque manifeſtat. Tertia deniq; pars eadem ratione probatur. Nam ad Filij per intellectum Patris geniti, in cognitionem, & manifeſtationem mirificè conducit. Secundò probatur vtraque pars. Miſſio eſt ad cognoſcēdam, & diſcernēdam emanationē. & cognoſcitur in diuerſo effectu: ergo diuerſitas effectus, & doni requiritur ad diſtinguendā emanationem Filij, & Spiritus Sancti: ergo vna perſona in vno, alia in alio mittitur. Tertiò & confirmatur. Alius effectus appropriatur Filio, alius Spiritui Sancto: ergo in alio mittitur Filius, in alio Spiritus Sanctus. Conſequentia conſtat: nam ex appropriatis, quæ ideo ſic nuncupantur, quia in propriorum cognitionem

nem reducunt; propria perſonarum dignoſcuntur.

Tertia Propoſitio. Actus donorum Spiritus Sancti, vt illuminatio, & inflammatio, qua parte ſunt diſtincti, & quidam ad intellectum, quidam ad voluntatem ſpectans, & ſubinde quidam Filio, quidam Spiritui Sancto appropriantur; in his diſtinctè perſonæ emanantes mittuntur, & manifeſtantur: qua verò parte licet diſtincti, ſunt tamen ſemper coniuncti; ſemper quotieſcumque vna mittitur perſona inuiſibili miſsione, mittitur & alia. Declaratur, & probatur. Dona v. g. Spiritus Sancti, licet plura ad intellectum pertineant, vt donum conſilij, intellectus, ſapientiæ, & ſcientiæ; quia tamen cum grata ſupponuntur ſemper vnita, & ideo ita illuminant intellectum, vt ſimul & voluntatem inflamment: ergo ſicuti ad vtramque perſonam pertinent, in his vtraque mittitur. Secundò. In cognitione mittitur Filius, vt eum manifeſtans: ſed Io. 16. dicitur. Cum venerit ſpiritus paraclitus, docebit vos omnem veritatem: *ergo in eadem mittitur & Spiritus Sanctus. Tertiò. Omnia dona gratiæ quocumque modo tribuuntur Spiritui Sancto, quia ipſe eſt donum: ergo in omni eorum datione mittitur: ergo nunquam mittitur Filius, quin mittatur & Spiritus Sanctus. Hæc Sanctus Doctor.*

COMMENTARIVM.

HIS S. Doctor tres miras aſſerit, ac prodit veritares. Prima quidem eſt, diſtinctas eſſe Filij, & Spiritus Sancti miſsiones, quia diſtinctę ſunt rationes appropriandi dona infuſa diſtinctis perſonis, & diſtinctè perſonæ, ac perſonarum emanationes cognoſcuntur. Secunda verò: quia tamen ſingula dona vtramque perſonam repreſentant; diſtinctè in ſingulis ſemper indiuiſim ambæ perſonæ dicuntur mitti. Tertia autem corollaria veritas, qua ſoluitur propoſitum dubium. Licet hæc dona, vt extrinſeca, & producta, ſint tribus perſonis communia, quia tamen continent diſtinctas ſimilitudines Filij, & Spiritus Sancti, & poſita in anima eam efficiunt ſingulari, ac noua ratione ipſis perſonis ſimilem, ad eaſque nouis relationibus ipſa refertur; hinc diſtincta ratione attribuuntur, & Spiritui Saucto, & Filio: Filio quidem, dum inſtruunt intellectum, & illuminant, & modum Filij emanationis præſeferunt: Spiritui verò Sancto procedenti per modum amoris, quatenus amorem, & affectum animæ communicant.

Hæc verò ſic explicata ſententia mirificè applauſibilis, & conformis reliquis Doctoribus, ac conſequenter certa, & communis, & in primis S. Thom. qui, quærens art. 5. quæſt. 43. An Filio conueniat mitti in viſibili miſsione; reſpondet in corp. quæſt. ſuppoſita doctrina iam tradita art. 3. perſonas non mitti niſi in, & cum gratia gratum faciente. Dum donatur gratia hæc tres aduenire perſonas, penes illud Io. 16. *Ad eum veniemus &c.* ac inter eas Filium, & Spiritum Sanctum ita venire, vt mittantur, & quia procedunt & maniſeſtantur, & nouo modo inhabitant animam: ac de Filio ſic elegantiſsimè confirmat. Primò. Sap. 9. De ſapientia, hoc eſt de Filio dicitur. *Mitte illam de cælis ſanctis tuis, & à ſede magnitudinis tuæ*: & ſecundò in reſponſione ad 2. Verbum, qui eſt Filius, non eſt qualecumque verbum, ſed ſpirans amorem, & Spiritum Sanctum, ex D. Aug. 9. de Trinit. cap. 10. *Verbum, quod inſinuare intendimus, cum amore notitia eſt.* Ergo & ipſum repreſentat charitas, & amor: ergo in ipſius infuſione mittitur & Filius. Tertiò in reſponſione ad 3. Charitas & gratia eſt radix omnium donorum, quod idem & S. Bonau. in corp. quæſt. & nullum ſine gratia infunditur: ergo in quodlibet dono, licet Spiritui Sancto appropriato, mittitur etiam Filius ratione gratiæ &c. Quartò in reſponſione ad 2. Omne donum ad intellectum pertinens, pertinet etiam ad voluntatem: ergo ſemper in miſsione Filij mittitur etiam Spiritus Sanctus.

Conſequentia iam conſtat: probatur ergo antecedens. 1. Io. 6. *Omnis, qui audiuit à Patre, venit ad me*: ergo omnis Diuina illuminatio mouet etiam voluntatem, vt veniat: & cap. 17. *Notum feci eis nomen tuum, & notum faciam, vt dilectio, qua dilexiſti me, in ipſis ſit, & ego in ipſis.* Secundò ex D. Aug. de Trinit. cap. 20. tunc inuiſibiliter Filius cuiquam mittitur, cum à quoquam cognoſcitur, ac percipitur, ſcilicet per quandam experimentalem, & affectuoſam notitiam: & vt exponit S. Bonau. in reſp. ad vlt. quæſt. præcedentis, percipitur eſſe in eo qui percipit, non perceptione neceſsitatis, ſed coniecturæ; nec cognitione actuali, ſufficit enim habituali. Tertiò ex pſal. 38. *In meditatione mea exardeſcet ignis.* Confirmatur. Non enim Filius in quacumque ſupernaturali cognitione dicitur mitti; vt ſupra pluries, ſed in ea dumtaxat, quæ & coniuncta eſt cum gratia, & ad affectum etiam ſe extendit. Vide quàm ad apicem eadem ſit ſententia vtriuſque S. Doctoris.

Eandem ſententiam tradit in 1. ſent. diſt. 15. art. 1. & 2. vbi nimirum in 2. conferens ad inuicem has duas inuiſibiles miſsiones, aſſerit primò. Si ad principium, & originem ipſorum conferantur, & ad effectum; diſtingui realiter: nam alius modus ſecundum rem emanandi eſt Filij, alius Spiritus Sancti: & donum perficiens intellectum ex ſe aliud à dono, & charitate perficiente voluntatem. Secundò. Si diuerſa miſsionis ratio ſpectetur, alia eſt Filij, alia Spiritus Sancti, vt conſtat: licet quoque in quadam communi ratione conueniant, quia & vtraque nouo modo inhabitat animam: ſi verò earum vnio ob oculos ponatur; ſemper ſimul vtraque mittitur, quia amor in, quo Spiritus Sanctus, ſequitur notitiam perfectam: & perfecta notitia, in qua Filius, numquam non inducit amorem: duas autem ſoluit elegantes dubitationes: alteram, an anima neceſſariò percipiat

vtram-

vtramque hanc miſsionem: alteram, quænam in nobis quoquo modo ſit prior harum miſsionum.

Ad hanc eodem art. Si penes propriam rationem, ſicuti ab æterno proceſsio Spiritus Sancti præſupponit proceſsionem Filij, ſic in dono etiam, & miſsione temporanea, donum in quo Filius mittitur, præſupponitur ad donum amoris, in quo Spiritus Sanctus: amorem enim præcedit notitia. Si verò penes dantem perpenditur, cum primum mouens ad dandum ſit amor; ſic videtur prior Spiritus Sancti miſsio. Verumtamen in actuali miſsione, & executione ſic non attenditur: ſed quod primum percipitur eſt donum Filij, ſcilicet cognitio, fides, illuminatio: quæ itidem omnia facilius, & breuius quæſt. 43. art. 5. ad 3.

Ad primam in reſp. ad 1. art. 1. Non requiritur, inquit, actualis cognitio perſonæ miſſæ, ſed habitualis ſuffieit, in quantum ſcilicet in dono collato eſt habitus repræſentans perſonæ proprietatem, ſicuti in ſimilitudine: & hoc ſenſu accipiendum D. Aug. aſſertum. *Mitti eſt cognoſci ab alio eſſe*, nimirum per modum ſimilitudinis poſitæ in anima per donum infuſum illius perſonæ, cui appropriatur. Eodem prorſus modo ſoluit D. Bonau. in reſponſ. ad vlt. præcedentis quæſt.

Hanc eandem ſententiam Sanctorum Bonau. & Thom. profeſsus, & amplexus eſt Albertus Magnus, has miſsiones inquiens per proximos actus diſtingui (ad literam S. Bonau.) conuenire tamen ſemper in fine, ſcilicet in ſanctificatione: illi in radice Charitatis, & reductione animæ ad Deum per intellectum, in quo Filius, & per voluntatem, in qua Spiritus Sanctus. Eadem Tarantaſia vberrimè. Eadem Riceardus, hanc addens rationem pro inſeparabili vtraque miſsione. Mittuntur perſonæ vt cognoſcantur: ſed vna ſine alia non poteſt perfectè cognoſci: ergo neque perfecta miſsione mitti. Eadem Aegidius illo in primis loco Sap. 1. *In maleuolam animam non introibit ſapientia*: ergo dum in ſapientia propter diſtinctam rationem mittitur Filius, mittitur & Spiritus Sanctus: nam ſapientia non ingreditur animam, ex qua prius per gratiam peccati malitia non ſit eiecta.

Neque re vera Alexand. Alenſis aduerſatur, ſi penes diſtinctionem de miſsione perfecta, & imperfecta interpretari beneuole volumus. Quamuis enim prodat: Aliquando mittitur Filius quando non mittitur Spiritus Sanctus, quia non mittitur Filius in quocunque effectu, ſed in eo tantum ſibi appropriato, in quo manifeſtetur: & licet id conetur confirmare hac argumentatione, Mittitur ſingularis perſona, vt eius diſtincta emanatio manifeſtetur: ergo indiget propriato ſibi ſoli effectu, in quo diſtinctè cognoſcatur: ergo in eodem alia non poterit diſtingui, aut manifeſtari: ſi enim idem vtrique miſsioni conueuit, vtramq; conuenire cognoſcetur. Poteſt totum confirmari illis D. Io. 1. verbis: *In propria venit, & ſui eum no receperunt*. Si non receperunt: ergo ſecum non eſt miſſus Spiritus Sanctus in dono Charitatis: ergo Filius ſine Spiritu Sancto venit, & miſſus eſt. Reſpondetur inquam, vt iam per reliquos Theologos confirmatum eſt: miſsione perfecta, in qua verè mittuntur perſonæ, vna ſine alia nunquam mittitur, propter præcipuè Charitatem, ſine qua nulla fit miſsio interior: miſsione verò imperfecta, cum ſolum per donum ad intellectum pertinens, vt fides, & propheria fit; ſolus Filius impropriè per donum creatum præcisè venire, ac mitti poteſt.

Argumentum verò oppoſitum hac ſola diſtinctione interpretamur. Si idem eſt effectus nedum realiter, ſed etiam formaliter; optimè probat: ſi verò idem, continet tamen rationem variam, & diuerſam, penes vnam Filium, penes aliam Spiritum Sanctum repræſentare, & manifeſtare poteſt. Exemplo Sapientiæ res fit patens: vt enim mera ſapientia eſt, Filij: vt ſapore amoris affecta, & ſapida, Spiritus Sancti diſtinctè gerit ſimilitudinem. Eſt D. Bonau.

Ad locum D. Io. reſpondetur, ibi de viſibili miſſione in carne agi: ſequitur enim tandem, *& Verbum caro factum eſt*. Et interpretantur Patres: *in propria venit*, ſcilicet in hunc mundum materialem proprium: per Verbum enim incarnatum factus eſt, per quem omnia facta ſunt: & homines, quos item omnes creauit, interpretatur D. Aug. Epiſt. 120. ad Honoratum, & qui eum non receperunt, nimirum multi homines ab ipſo creati. D. Chryſoſt. D. Cyrillus, Beda, Rupertus, & Euthymius, *ſui*, hoc eſt Iudæi; ideo ſui, quia ex ipſis carnem ſumere voluit, S. Aug. indicato loco vtramque ſententiam referens.

QVARTVM DVBIVM.

Sed adhuc hæc non ſufficiunt. Eſto perſonas non mitti perfectè, & ſimpliciter ſine dono gratificante. Mittunturne etiam quando non quidem abſolutè donatur gratia, aut donum gratia formatum; ſed etiam quando iam infuſa gratia quoquo modo augetur, & intenditur? S. Bonau. eadem diſt. quæſt. vlt. per has reſpondet propoſitiones.

PARAPHRASIS.

PRIMA Propoſitio. Non abſolutè reſpondendum, ſed cum hac prima limitatione. Tunc de nouo dicitur perſona mitti in augmento gratiæ, & doni iam habiti, quando ab habente percipitur augmentum, ex D. Aug. indicato ſæpe loco, quia tunc miſſio fit, quando percipitur. Ad hoc enim fit vt percipiatur, & cognoſcatur miſſa perſona. Secunda, & melior. Non in quolibet augmento acceptæ gratiæ, & vſu de nouo mittitur perſona, ſed in eo dumtaxat, in quo augetur ad aliam ſpeciem doni, & noui vſus iam data gratiæ, & nouum donum confertur. Vt ex charitate iam habita, mi-

racu-

reijcere: eo præſertim, quo præcipui recoliti Doctores, & indicant, & non contemnunt. Secundò imo & nos admittimus, ſed vt minus propriam, ac diminutam. Tertiò ad ſingula loca gloſſam addimus. Ad primum. Sicuti Sancta Eccleſia in ritibus Eccleſiaſticis illis vtitur verbis, & in primis ſolemnitate Pentecoſtes, & dum ſpeciali Dei indiget auxilio; ſic fermè ſingulare, & non commune auxilium expoſtulat, in quo elargito miſsio poſtea admittitur Spiritus Sancti. Ad D. Aug. locum iam ſatis ſupra: explicatum enim eſt de cognitione experimentali, & perceptione ex inſigni vbertate gratiæ collatæ, quæ ſolet ad nouos vſus, & perfectiores actus exire &c. Ad quartum. Quotidie quidem mitti in Eccleſiã Dei Filium, ſed non in quacumque gradus gratiæ additione, ſed in quibuſdam ſanctioribus viris per noua ſingularia dona excreſcentibus, & in via Dei ſic mirificè proficientibus.

Poſtremum quod initio huius capitis promiſimus, ex ſe eluceſcit, cui nimirum fiant huiuſmodi Diuinarum perſonarum miſſiones: ſi enim fiunt ad inhabitandum nouo modo in creatura, hoc eſt per ſanctificationem, & in inſigne ſanctificationis augmentum; & ſi ſanctitatis ſola capax eſt rationalis creatura; quis non videt illi ſoli has miſsiones inuiſibiles fieri? Quare nihil mirum ſi de re hac propriam non inſtituerit dubitationem S. Doctor: ex ſe enim patentiſsima eſt, & tertio quoque verbo indicatur, & vbique ſupponitur. D. Th. art. 6. dubitationem proponit, ſed quaſi eam ſupponendo, ſic ferè. Fit miſsio, vt perſona miſſa nouo modo incipiat eſſe vbi ſic prius non erat: Sed huius noui modi non eſt capax niſi rationalis creatura: eſt enim per gratiam ſanctificantem: ergo illi ſoli neceſſario fit.

Quod ſi dicas gratiam infundi, ac contineri etiã in Sacramentis, ac propterea vocari vaſa gratiæ, & tamen creaturas, & ſigna eſſe irrationabilia. Reſpondet S. Th. ad 4. contineri quidem gratiam in Sacramentis tanquam in inſtrumento, & motu ad terminum, ideſt ad humanas mentes; fieri autem miſsionem in terminũ, & in eũ venire perſonas vt permaneant, iuxta illud: *Et manſionem apud eum faciemus*; & gratiam infundi vt nunquam amittatur, aut ex ſe recedat. Alij reſponderent ex tract. de efficientia Sacramentorum, Gratiam realiter non contineri, nec fundi in Sacramenta, ſed moraliter, vt infallibilia gratiæ ſigna ſunt, ac certa, & ſubinde efficacia ex Diuina ordinatione, & Chriſti ſanguine abundè fuſo.

QVINTVM DVBIVM.

QVædam adhuc breuibus, & conciſè indicanda in pleniorem huius doctrinæ perceptionem, reliquorum Theologorum mores hoc etiam loco ſequuti.

Et primò de Chriſto ratione humanitatis. An in eius Sanctiſsima anima, ac humanitate factæ ſint miſsiones, de quibus hic, & quoties.

Et ad primam partem reſpondeo, nobiliſsimam, & vberrimam factam miſsionem, quanta eſt ei gratia in creatione & aſſumptione collata, ſcilicet ſumma, & effectiuè ſaltem infinita. Ita S. Th. 1. ſent. diſt. 15. quæſt. 3. art. 1. vbi quæ poſſent opponi ſolerter ſoluit. Ita Alexander p. p. quæſt. 73. memb. 3. art. 3. Ita Ægidius vbi ſupra 2. p. quæſt. 1. quæſtiunc. 4. & probat vberrimè D. Aug. lib. 15. de Trinit. cap. 26. & primò ex Actorum 10. illis verbis: *Quoniam vnxit eum Deus Spiritus Sancto*, & interpretatur de vnctione inuiſibili, dum in inſtanti Incarnationis in plenitudine gratiç humanitas Chriſti accepit Spiritũ Sanctum, reliquaſq; perſonas. Confirmat ex illo Lucæ 1. de Sãcto Io: Baptiſta: *Replebitur ab vtero matris ſua Spiritu Sancto*. Quoniã quamuis ſeminatus à Patre, tamẽ Spiritũ Sanctum in vtero formatus accepit. Quid de homine Chriſto intelligendum eſt, vel credendum, cuius carnis ipſa conceptio non carnalis, ſed ſpiritalis fuit? *Conceptus eſt de Spiritu Sancto*. Confirmat ſecundò ex illis verbis Actorum 2. *Promiſſione Spiritus Sancti accepta à Patre effudit hunc, quem vos videtis, & auditis. Vbi*, inquit, *vtraque natura monſtrata eſt, & humana ſcilicet, & Diuina; accepit quippe vt homo, effudit vt Deus*.

Confirmari poteſt res hæc omnibus illis rationibus, quas Theologi tract. de Incarnatione aſſumpſerunt, vt demonſtrarent in vnione Incarnationis humanitati Chriſti deberi & gratiam, & omnem gratiam. Indicauit D. Paulus ad Coloſſ. 2. *In quo habitat plenitudo Diuinitatis corporaliter. Et in quo ſunt oẽs theſauri Sapientiæ, & Scientiæ Dei:* ſi enim plenitudo: ergo per omnẽ modum, nedum vnionis hypoſtaticç, ſed perſonarum realis miſsionis per gratiam. Si omnes theſauri ſapientiæ &c. ergo in ipſa anima Diuinæ perſonæ in donis. Et alijs omnibus illis locis Euangelicis, quibus in Chriſto & gratia, & Spiritus Sancti dona aſſerũtur.

Ad ſecundam partem. Semel, & vnicam factam miſsionem, ſcilicet in inſtanti creationis, & Incarnationis, neceſſariò fatendũ eſt, hac potiſsimũ ratione, quia tunc ſumma, & conſummata gratia eſt ibi poſita, vt nunquam potuerit augeri: & ſubinde neque noua miſsione Spiritus Sanctus mitti. Aſſerit D. Bonau. diſt. 16. quæſt. 1. ad vlt. Probat indicato loco D. Aug. Licet enim, inquit, dum baptizabatur Lucæ 3. dicatur ſuper eum veniſſe Spiritum Sanctum; abſurdiſsimum eſſet tunc dicere, & non antea accepiſſe, & repletum fuiſſe Spiritu Sancto, ita vt magis repleri non poſſet.

Quod ſi apud Diuum Lucam 2. Puer Chriſtus creſcebat gratia, & ſapientia, & ætate apud Deum, & homines legatur. Reſpondetur, creuiſſe quidem, & oſtenſione inter homines, & nobis, non autem ſibi. Non ſibi quidem, quia eius gratia inaugmentabilis erat; nobis verò verè: per diuerſos enim titulos infinitè nobis merebatur, & magis per vnam actionem quàm per aliam; non quidem ex principio gratiæ, ſed ex genere actionis, & Diuino decreto, non ſecundum habitus, ſed ſecundum effectus, ex D. Th. 3. p. quæſt. 7. art. 12. ad 3. Ipſe verò ex D. Greg. Nazianz. orat. 20. in laudem D. Baſilij ex D. Athanaſ. Orat. 4. contra

Arria-

Digitized by Google

Arrianos ex D. Cyrillo 1. in Io: cap. 17. & lib. 10. Theſauri cap. 7. ex D. Damaſc. 3. de fide cap. 22. & alijs, qui licet diuerſis verbis eo interpretantur Chriſtum Ieſum dictum proficere gratia &c. quo in dies penes creſcentem ætatem ex eodem principio gratiæ eliciebat perfectiores actus, iiſque ſe ſe magis, ac perfectius Dei Filium declarabat.

Quod ſi denique pluries ad eum Spiritum Sanctum veniſſe teſtantur diuinæ litteræ; certum eſt per eas miſsiones nihil additum animæ Chriſti, ac propterea propriè non fuiſſe miſsiones, de quibus hic. Ad quod indicandum fortaſſe additum columbam veniſſe ſuper eum, non in eo, quemadmodum D. Chryſoſt. hom. 12. ſuper Matth. & hom. 4. in Acta Apoſt. obſeruat dictam eſſe quaſi columbam; non quod columba vera non eſſet, ſed ne Spiritus Sanctus columba eſſe crederetur per vnionem perſonalem, ſicuti in Incarnatione Verbum dicebatur caro propter eandem vnionẽ: ita forte non abs re fuit nuncupata quaſi columba, quia licet ſignum Spiritus Sancti, & gratiæ ipſius; non attulit tamen animæ Chriſti aut donum, aut augmentum doni alicuius creati.

SEXTVM DVBIVM.

Conſentanea dubitatio eſt de Angelis. An ad ipſos quoq; fiant miſsiones; & ſine cũctatione aſſerẽdum, iis miſſas Diuinas perſonas dum eis primò gratia infuſa & aucta: Deinde dum gloria collata eſt. Poſtea in dies dum quædam myſteria reuelantur. D. Bonauẽtura dub. 4. litt. Colligit autem ex D. Aug. lib. 4. de Trinit. cap. 20. licet addat, nunc ad Angelos non mitti perſonas Diuinas, niſi latè ſumpta miſsione: quod didicit ex Alexandro, ad quem modum interpretandus eſt D. Th. art. 6. ad 3. quod idem eſt ac ſi diceretur (vt ipſe S. Th. addit) ad Angelos & Beatos.

SEPTIMVM DVBIVM.

Ad homines verò non in dubium vocandum an mittantur perſonæ, ſed enucleandum, an ad omnes. Et primò. Reſpond. ad Patres antiquos, & omnes Iuſtos, & Prohetas illius temporis miſſas eſſe perſonas, ita certum, ſicuti certum ipſis datam gratiam ſanctificantem, & inſigniter auctam, diuerſa, ac diſtincta dona collata. Ita præter ea quæ colliguntur ex Diuinis litteris, docẽt D. Leo.ſer. 2. de Pent. D. Hieronym. epiſt. 150. ad Heldibiam D. Aug. &c. Verum quidem eſt, ex conditione ſtatus pleniori gratia veniſſe ad homines poſt Chriſtum Incarnatum Spiritum Sanctum: quo circa die Pent. *repleti ſunt Spiritu Sancto, & Spiritus Domini repleuit orbem terrarum.* Et Euãgelij tempus plenitudo temporis idcirco nuncupatur, vt inter alios ex D. Aug. Albertus Magnus, & Alexãder, & ex ipſis D. Th. in 1. ſen. diſt. 15. & Ægidius; ſed enucleatius, licet paucioribus verbis S. Bonauentura dub. 3. litt. 2. partis diſt. 15. pluribus tempore Euangelij datus eſt extenſiuè Spiritus Sanctus, quàm tempore legis: pluribus enim hominibus, intenſiuè quoque quo ad generalem ſtatum; quo vero ad ſingulares homines, ſe habent ſicut excedens, & exceſſum: fuerunt enim & ante Chriſti aduentum homines Euangelici, Iob in patientia, Moyſes in manſuetudine, Dauid in deuotione, & iniuriarum remiſsione, vt teſtatur de eo D. Chryſoſt. &c.

Nec obſtat Io. 7. *Non dum Spiritus erat datus, quia Ieſus nondum erat glorificatus.* Reſponſio enim communis ex D. Aug. lib. 4. de Trinit. cap. 20. Non quidem antiquitus datus Spiritus Sanctus eo modo, quo poſt aſcenſionem Chriſti, ſcilicet ſub viſibili ſigno, & in ea plenitudine, qua poſt, datus tamen. Deinde vt hinc miſsionis vtriuſque perſonæ viſibilis diſtinctio pateſieret: Filij enim miſſio, & Incarnatio nullo ſub merito cadere potuit, Spiritus vero ſancti potuit mereri, & emerita eſt: nam ex meritis, & precibus, & morte Chriſti deſcendit Spiritus Sanctus: *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis* Io. 14. & hoc loco: ſi non erat datus, quia Filius non erat glorificatus: ergo propter glorificationem datus eſt: ergo prius incarnandum erat Verbum, deinde dandus Spiritus Sanctus, vt Spiritus Sancti aduentum pendere ex Chriſti Incarnatione dignoſceretur. Quo præterea conſequitur, vt & alias indicaui, merita Chriſti eo etiam cognoſci infinita, quia infinitæ perſonæ, ſcilicet Spiritus Sancti meruerunt miſſionem.

CAPVT V.

De miſſione viſibili. D. Bon. diſt. 16. D. Th. art. 7. Et primò quid ſit miſſio. D. Bon. q. 1. D. Th. ibid. & indicato art. 7.

PARAPHRASIS.

PRIMA *Propoſitio. Miſſio Diuinæ perſonæ viſibilis eſt apparitio externa in creatura ſenſibili, in qua Diuina perſona manifeſtatur, non ſolum vt operans, ſed etiam vt emanans ab alia, & vt inhabitans per ſanctitatem non ordinariam, ſed inſignem, & redundantem. Declarantur ſingula particulæ. Primò quo ad rem diffinitam.* Viſibilis *eſt differẽtia includẽs, & coarctans, & limitans miſſionem ad manifeſtationem, & diſtinguens à miſſione inuiſibili. Quo ad diffinitionem, vel deſcriptionem, eſt quidem apparitio, non in ſe, quia ſecundum omnem rationem perſona eſt Spiritus inuiſibilis, ſed in creatura viſibili; non quæcumque, ſed qua manifeſtatur perſona vt ab alia procedens, & inhabitans creaturæ cui apparet, redundanti effectu, & ſanctitate in alias animas, tanquam ex capite in membra: & ita vt operans, non ad illam ſolam perſonã, ſed ad reliquas communis.*

Secunda

Secunda Propotio corollaria. Apparitio Diuinarum perſarum in veteri teſtamento non poterat vlla ratione appellari miſsio. Primò, quia & Pater apparebat, neque tamen ab villa alia perſona oſtendebatur procedere, cum ſit prima perſona. Secundò, quia licèt & Filius & Spiritus Sanctus à Patre procedentes, illo tempore apparuerint ſæpe, non mittebantur tamen, quia non ad ſanctificandum, ſed ad præmonſtrandam, & prædicendam Euangelij futuram Sanctificationem. Tertiò, quia perſona in ſe non apparebant in propria perſona, ſed in perſona Angeli repræſentantis &c. vt teſtatur D. Aug lib. 3. de Trinit. cap. 11. & colligit ex D. Paulo ad Galatas 3. & ad Hebræos 2.

Tertia Propoſitio itidem corollaria. Apparitio & repreſentatio Diuinarum perſonarum in quacumque creatura non eſt miſsio. Probatur eiſdem rationibus, quia non apparent vt procedentes, & inhabitantes per ſanctificationem; ita vt omnis miſsio viſibilis ſit apparitio, ſed non omnis apparatio ſit miſsio viſibilis.

Quarta Propoſitio. Signa, quibus apparebant antiquitus Diuina perſona, efficiebantur ab Angelis. Teſtatur D. Aug. eiſdem locis ſupra relatis.

Quinta Propoſitio. Angelos concurrere, efficere, mouere illa ſigna Diuinas perſonas manifeſtantia, non impedit illam manifeſtationem eſſe miſsionem. Probatur ex D. Aug. lib. 3. cap. 10. de Trinitate, & lib. 4. cap. 21. nam in illa miſsione Spiritus Sancti in ſpecie columbæ, Angelus columbam probabilius mouebat.

COMMENTARIVM.

MISSIONVM Diuinarum perſonarum, tum inuiſibilium, tum præſertim viſibilium, Theologia tantipendenda, quanta quamq; integra, & magna priſci Theologi volumina ædiderunt, quantaque Diuinæ literæ vbertate, fuſoque ſermone pertractarunt in Euangelijs, Actis Apoſtolicis &c. & quàm denique mirificè deſeruiunt, & ad abditiſſimas æternas emanationes nobis reuelandas, & ad omnem nobis gratiam promerendam, & cõferendam in Filij miſsione in carne præſertim. Ergo quid mirum ſi Theologi in Magiſtrũ per tot diſtinctiones tanta ſedulitate; & copia, & profunditate ſcripſerunt? magis tamen, & ferè ſemper de Spiritu Sancti, quam de Filij miſsione, tum viſibili, tum inuiſibili, ac gemina in primis ratione. Altera, quia Filij miſsio habet ſuum proprium vberrimumque locum in 3. ſent. quare de ea hic quaſi per accidens agi teſtatur Sanctus Bonauentura dub. 1. diſt. 15. Altera. Nam ſanctificatio proprius miſsionis effectus, tribuitur Spiritui Sancto, etiamſi de doctrina, & inſtructione agatur: venit enim Spiritus Sanctus etiam vt doctor: *Docebit nos omnem veritatem*, vt idem Sanctus Bonau. admonet quæſt. 2. tamen diſtinctionem 17. intactam hoc loco relinquimus, in proprium locum deferentes 3. ſent. ſicuti S. Thom. in 2. 2. quæſt. 23. 24. & 25.

De viſibili verò miſsione hic tria in primis ſoletter, & exquiſitè verſat, & edocet Sanctus Doctor. Primum, quid ſit. Secundum, propter quid, hoc eſt, quas ob cauſas celebrata ſit. Tertium, quotuplex, & qua ad inuicem plures iſtæ miſsiones differentia differant. Quod idem & D. Thom. eadem diſt. & in Summa hoc art. miro compendio miraque tamen perſpicuitate præſtat. De primo autem, nimirum de miſsionis diffinitione, ſeu deſcriptione, hinc liquido colligere licet Sancti Doct. explicationem eſſe perdiligentem, exquiſitèque perdoctam, quia ex ipſa ceſſat omnis dubitatio, tollitque omne quod in dubium ſoleant vocare tum recentiores Theologi, tum Diuinarum literum de ea Commentatores.

Conſimilem in ſententia, licet quibuſdam notulis differentem, tradidit deſcriptionem Alexander 1. par. quæſt. 74. memb. 1. Eſt manifeſtatio miſſionis inuiſibilis (D. Bonauentura apparitio emanationis, ſcilicet tum æternæ, tum temporalis in corde: ſignum enim illud exterius vberrimam communicationem gratiæ intus creaturæ cui apparet ſignat, vt idem S. art. 2.) in creatura viſibili per aliquem actum creaturæ corporalis, per quem perſonam mitti, & in eo ad quem mittitur, inhabitare dignoſcitur. Quo conſtat, perſonam non habitare in ſigno niſi vt ſignatam, veluti Spiritus Sanctus in illa columba, aut flatu, aut igne, & linguis; ſed in Chriſto, cui aduenit columba, & in Apoſtolis, quibus inſufflauit ventum Chriſtus Dominus &c. Quo item colligitur, non columbam abſolutè, & flatum, & ignem fuiſſe ſignum Spiritus Sancti, ſed vt ſic aſſumpta &c. vt infra.

Conſimilis itidem quæ à Riccardo vtrumque Magiſtrum vetuſtiorem ſequuto diſt. 16. quæſt. 1. ſic conſtructa definitio extat. Eſt manifeſtatio Diuinæ perſonæ quæ mittitur, actu, vel habitu, in aliquo ſigno ſenſibili ei appropriato, quo inhabitare in perſona ad quam mittitur, vel dari oſtenditur. Apparet verò quàm conueniat cum S. Doct. definitione, & quàm lepidè eam collegerit ex ipſo Riccardus, & quàm denique eam illuſtret, ac exprimat. Vterque, *eſt manifeſtatio, & apparitio*; ſed Sanctus Doctor addidit quod erat valde neceſſarium, à Riccardo tamen prætermiſſum, *Perſona emanantis*. Deinde quod addidit Riccardus, *actu, vel habitu*, eſt Sancti Doct. quæſt. vlt. ad 4. vbi ad rationem miſsionis viſibilis non eſſe intrinſecam actualem manifeſtationem, & perſonæ venientis diſtinctam perceptionem, ſed ſufficere habitualem, vt ſignum, in quo apparet perſona, aptum natum ſit notificare eandem perſonam, pateſit. Quo deducitur, vt actu percipiatur, ac cognoſcatur in miſsione perſona, vt neceſſariò intercedat interior reuelatio exterioris apparitionis. Quod vltimo loco, & quaſi vt vltima differentia additur à Riccardo: *In aliquo ſigno ſibi appro-*

priato, fuſè tradidit S. Doct. quæſt. 2. & 3. rationem reddens, & differentias colligens inter Filij & Spiritus Sancti miſsiones viſibiles. Quod deniq; poſtremo loco claudit deſcriptionem, *quo inhabitare, vel dari Spiritum Sanctum oſtenditur*; ideo appoſitum conſtat, vt differentia miſsionis Spiritus Sancti ad Chriſtum, & ad Apoſtolos colligatur: in Chriſto enim non aucta Sanctitas fuit, quia augeri repugnabat, ſed teſtata, & oſtenſa ſumma; in Apoſtolis verò vehementer aucta: quare dixit, *inhabitare*, Chriſti, *dari*, Apoſtolorum intuitu.

Id totum S. Doctor tum in definitione, tum in reſponſione ad vlt. vbi miſsionem Spiritus Sancti ad Chriſtum habère omnem miſsionis rationem, licet nullam ei addiderit Sanctitatem, nec Sanctitatis gradum; teſtatũ reliquit. Idẽ in Breuiloquio Pauperum, quaſi addens, & complens diffinitionem quam exponimus, ſic elocutus eſt. Apparere, dicit effectum ſenſibilem cum expreſſa ſignificatione, ſicut Spiritus Sanctus apparuit in columba: & quoniam ſicut Diuinæ perſonæ ſunt diſtinctæ; ſic diſtinctè ſignificari poſſunt ſignis, atque nominibus; ideo qualibet perſona Diuina per ſe apparere poteſt, & poteſt apparitio omnibus eis competere tam ſimul, quàm cuilibet perſonæ per ſe: vnde quod Spiritus Sanctus dicitur in linguis igneis, & columba apparuiſse, non eſt propter nouum miraculum, vel ſpiritualem effectũ, ſed propter vnionem, quæ eſt inter ſignatum, & ſignum, ei ſpeciali deputatam modo, atque origine.

Ex his omnibus tria requiri neceſſariò ad miſſionẽ conſtat. Primũ eſt, perſona quę manifeſtatur, & mittitur: ſecundum, donum in creatura gratuitum, ipſi perſonæ appropriatum: tertium, creatura exterius exhibita, ſignans, & repræſentans tum perſonam, tum donum: hæc tria nobis diſtinctè meditanda; ſed prius quomodo ſe habeat hæc exterior miſsio ad interiorem: ab ea enim, inquit S. Thom. diſt. 16. ſicuti miſsio inuiſibilis, & proceſsio non eſt ſecundum eſſentiam alia ab æterna, ſed dumtaxat addens reſpectum ad effectum temporaneum; ſic propemodum miſsio viſibilis Spiritus Sancti non per eſſentiam alia eſt ab inuiſibili, ſed adiungit ſolam rationem manifeſtationis per ſignum ſenſibile (hæc verò accipiantur penes explicata ſupra ſuo loco)

Secundò. Hoc idem ſignum non quamcumq; miſsionem inuiſibilem, & donum, & Sanctificationem per gratiam ſignat, ſed mirificam, & redundantem in alios, aut auctam vt in Apoſtolis, aut teſtatam ſummam, & inaugumentabilẽ vt in Chriſto. Ita D. Bon. ita Albert. in ead. diſt. ita Riccardus, ita S. Th. art. 7. ad 6. Ad fundandam, inquit, Eccleſiam, & propagandam, & confirmandam fidem.

Quocirca, hæc miſsio debuit fieri ad Chriſtum, per quem primò; & ad Apoſtolos, per quos ſecundò, & ad aliquos alios primitiuos Sanctos, ceù per quos Eccleſiæ fundamenta iaciebantur &c. ſed hac differentia, vt iam adhuc notatum eſt; vt inuiſibilem miſsionem, & Sanctificationem in Chriſto non tunc datam, aut auctam: non enim poterat augeri: in Apoſtolis verò vt quidem datam antea, tunc tamen vberiorem, & auctiorem elargitam, notaretur. Quare Chriſto in ſpecie columbæ, quod eſt animal fœcundum, ac ſimul audita voce Matt. 3. *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bène complacui*, apparuit; vt demonſtraretur in Chriſto donandi gratiam auctoritas per ſpiritualem regenerationem ad ſimilitudinem vnigeniti: Apoſtolis verò in flatu, vt poteſtas miniſterij in diſpenſatione Sacramentorum: in linguis igneis, vt prædicandi, & docendi munus nota fierent.

Tertiò. Hoc ſignum ſenſibile, & exterius ſignat diſtinctam perſonam, ad quam ſignificandam aſſumptum eſt; vt non appropriata illà miſsio dicenda ſit, ſed propria illius perſonæ, quidquid dicat Corduba quæſt. 41. docent S. Bon. recenſitò loco Breuiloquij. S. Thom. art. 7. D. Aug. imò Diuina Scriptura. Io. enim 1. illis verbis: *& Verbum caro factum eſt*: aſſumpta caro ſicuti ſoli Verbo vnita eſt, ita propria Verbi miſsio in ea. Matt. 3. ſicuti aſſeritur Spiritum Sanctum ſuper Chriſtum in ſpecie columbæ deſcendiſſe; ſic teſte Scriptura miſsio illa propria Spiritus Sancti, propriéque Spiritum Sãctum manifeſtat. Hinc optimè D. Aug. Sicuti hac voce Spiritus Sanctus ſignificatur tertia perſona, & non alia; ita per flatum, per columbam, per linguas igneas Spiritus Sanctus diſtinctè repræſentatur. Ratio potiſsima. Non præcisè ſpectatur efficientia tribus communis, neque ita inhabitatio, ſicuti manifeſtatio, & repræſentatio; vt innoteſcant enim perſonæ fiunt primò miſsiones.

Quartò denique. Hoc ſignum viſibile, in quo apparet perſona, non quocumque modo eam ſignificat. Diffusè Aegidius hac eadem diſt. quæſt. 3. multis enim modis contingere poteſt perſonam apparere in ſigno exteriori. Primò, tanquam in ſigno naturali, quod ſigni genus eſt omnis creatura Deum repræſentans quaſi veſtigium, & in quibuſdam quaſi imago. Secundò. Quemadmodum in ſigno illuminante, & inſtruente, quibus vetuſta lex abundabat, erant ſiquidem plurimæ, & repetitæ apparitiones, quibus primiores Patres Angelorum miniſterio in excelſam myſteriorum cognitionem admittebantur. Tertiò. In ſigno quod aiunt gratuito, nimirum aut vt Sacramentale, ſignans, & prædicens futuram gratiam, cuius generis Sacramenta Moſaica; aut ſimul efficiens, ad quem modum Euangelica Sacramenta: ſignant enim, & efficiunt, & conferunt quam ſignant gratiam, aut moraliter, aut etiam phyſicè & realiter. Quartò denique vt in ſigno, quod quidem ſignet gratiam, & inhabitationem Diuinæ perſonę, & præexiſtentem, & etiam mirificè tunc auctam; non tamen ab ipſo ſigno, quaſi efficax, ac Sacramentale eſſet: & hoc eſt ſignum, de quo in præſentiarum. Quod teſte etiam Tarantaſia tres complectitur reſpectus. Primum ad æternum principium, à quo emanat perſona miſſa, & ipſa ſignificata. Secundum ad effectum gratiæ, quem tunc Deus abundantiorem confert. Tertium ſignatæ perſonæ, & gratiæ ad ſignum ipſum. Sed adhuc vrgeamus,

mus, & de ipſo ſigno ſic aſſumpto à Deo, quod cæpimus contemplari, & alia obſeruemus, quod erit

Quintum. Signum ergo in quo Spiritus Sanctus apparuit, fuit ac neceſſariò quidem verè viſibile, ſicut verè viſum: ergo non ad morem viſionum imaginariarum, ſicuti ſæpè contingere ſolitum erat Prophetis; ſed verè reale, ac verè exterius, quod oculi carnei percipere poſſent, ac perciperent. Ita Sanctus Bonauentura tertio quoque verbo ſupponit, indicat, & teſtatur. Ita D. Thom. ad 2. & confirmat ex D. Auguſt. 2. de Trinitate cap. 6. Viſio enim prophetica non eſt exhibita oculis corporeis; ſed in ſpiritu per ſpirituales imagines. Columbam verò, & ignem illum &c. oculis viderunt quicumque viderunt.

De Columba conſtat Ioan. 1. *Quia vidi Spiritum deſcendentem quaſi columbam de cælo, & manſit ſuper eum*: Si tamen *vidi*, cæteraque verba Scripturæ in propria ſua, ac natiua ſignificatione accipienda ſunt. Matt. 3. Chriſtum vidiſſe Columbam deſcendentem, & venientem ſuper ſe legitur Lucæ 3. *Deſcendit Spiritus Sanctus corporali ſpecie, quaſi Columba in ipſum*. Quod ſi corporali ſpecie: ergo viſibilis oculo corporeo. De igne quoque in die Pētecoſtes in Act. Apoſtolicis diſtincto in linguis. De vento &c. Si ventus repleuit totam domum vbi erant ſedentes; ſi factus eſt ſonus tanquam aduenientis ſpiritus vehementis, & ſtatim facta hac voce conuenit multitudo; ſi vere apparuerunt linguæ; ſi reuera repleuit totam domum: ergo omnia hæc ſenſata, ac realia fuerunt: aliàs enim eneruanda Diuinarum vocum propria ſignificatio, omniaque in allegorias, & improprios tropos referenda, quod intollerabile, & abſurdiſsimum foret.

Quod ſi de linguis, an verè viſæ ſint, D. Aug. 2. de Trinitate cap. 6. viſus ſit dubitare. *Viderunt*, inquit, *Columbam*; *an verò linguarum figuras, non audeo dicere: nam non dicit textus viderunt linguas, ſed viſæ ſunt illis; & aliud eſt dicere vidi, aliud viſum mihi eſt*. At verò non miror dubitaſſe non minus humillimum, quàm acutiſsimum Auguſt. non enim vulgatam editionem noſtram, qua nunc nos vtimur, & in qua legitur: *& apparuerunt illis linguæ*; præ manibus habebat; ſed illam, *Viſa ſunt*, quare de hac re non exiſtimo dubitandum, neque ipſe dubio procul dubitaſſet, ſi hoc aſſertum teſtimonium ſub illis verbis, *Apparuerunt illis*, vnquam legiſſet: idque ratione nuperrimè indicata ex reliquo verborum contextu, modoque ſenſibili ſignificandi. De flatu, quem ex proprio pectore Chriſtus Dominus inſufflauit Apoſtolis, dicens, *Accipite Spiritum Sanctum* Io. 20. Sicuti verè penes textus propria verba inſufflauit, ſic verè fuit flatus corporeus, ideoque ſenſibilis. Teſtatur idem S. Auguſt. eodem lib. 2. cap. 10. *Neque enim*, inquit, *flatus ille corporeus eſſe non poteſt, cum ſenſu corporaliter tangeretur, & per actum vitalem ex Chriſto procederet, Spiritum Sanctum ex Patre, & Filio procedentem præſeferens, tunc Apoſtolis communicatum*.

De nube denique illa, de qua infra in fine capitis, in monte Thabor in myſterio Transfigurationis, certo admodum, & idoneo ſigno Spiritus Sancti, quod fuerit ſicut & cætera verè ſenſibilis, exiſtimandum abſque formidine vlla; & his mouetur rationibus. Primò, ex contextu Euangeliſtæ. Secundò, ex voce quæ audita eſt ex nube. Tertiò, ex effectu; nam Lucæ 9. refertur timuiſſe Diſcipulos, & in nubem intraſſe: *Intrantibus illis in nubem*. Quo illos illa nube corporaliter circumdatos fuiſſe liquidò colligitur. Ex fine: ad repræſentandam enim Spiritus Sancti apparitionem, & miſsionem. Teſtatur Eccleſia. *Et ſplendenti nube Spiritus Sanctus viſus eſt*.

Confirmari poteſt ex viſionis, & apparitionis viſibilis deſcriptione, vt quidam grauis Doctor ex D. Dionyſ. ad Caium, & Caſsiano lib. de Incarnatione, & eſt gloſſa ſuper illa verba Actuum Apoſtolorum. *Per dies quadraginta apparens eis*. Apparere primò eſt, quod ſubitò monſtratur, & ſubitum eſt, quod non manifeſtum præter ſpem manifeſtatur, & quod in inſolita claritate refulget; quo fit, Dei apparitionem eſſe Dei manifeſtationem, & apparere, & fieri viſibilem, qui ex natura ſua inuiſibilis eſt, per ſignum ſenſibile in effectu inſolitæ claritatis; quæ omnia vera eſſe non poſſunt, niſi realia ſint. Denique ex fine iterum apparitionis: eſt enim ad excutiendam ignorantiam ex fidelium cordibus indigentium huiuſmodi ſenſibilibus ſignis inſtrui: ita enim Sacramenta quoque ſub his ſenſu perceptibilibus ſignis propter populi ruditatem inſtituta ſunt; at ſi non eſſent vera, deciperetur, non erudiretur populus.

Qua verò entitate conſtarent illa ſigna, & quo effectore effecta, nunc indicandum. De primo, fuiſſe entitatis ſub ſenſu cadentis iam conſtitit, & conſequenter realis. An verò ita realis, vt in ea ſpecie verè in qua videbatur, & apparebat Spiritus Sanctus. De omnibus non idem ferendum iudicium. Nam primò de Columba, fueritne animal viuum in ſua propria ſpecie, non eſt vniformis ſententia; nam Diuus Thom. 1. ſent. diſt. 16. quæſt. 1. art. 3. ad tertium, non fuiſſe animal verum, & teſtatur, & probat, quia peracto officio ſuo reuerſa eſt in priſtinam materiam: ſufficiebat verò, idoneaque erat ſola Columbæ ſimilitudo ad manifeſtanda inuiſibilis Spiritus Sancti myſteria. In 3. verò par. quæſt. 38. art. 7. quaſi ſeipſum corrigens, fuiſſe veram Columbam docuit, in vtraque ſententia ſuum imitatus Doctiſsimum Magiſtrum Sanctum Auguſt. nam & ipſe Columbam fuiſſe verum animal aſſeruerat libro de agone Chriſtiano cap 22. Non fuiſſe, Epiſtola ad Euodium fuſo ſermone contendit perſuadere.

Quam eandem negatiuam ſententiam docuerunt, & D. Ambr. lib. de Sacram. cap. 5. & Optatus Mileuitanus lib. 4. contra Parmen. & ex contextu ſacro ibi duo præcipui Patres collegiſſe videntur: in ſpecie enim Columbæ deſcendiſſe Spiritus Sanctus aſſeueratur: in ſpecie, non in veritate Columbæ, inquit S. Ambr. An verò ſi quis diceret, in ſpecie ſcilicet propria illius auis (Ariſtotelico more) deſcendiſſe, quid temerarij, aut improprij proferret? magis crederem, firmiorque adhærerem primæ ſententiæ; eò præſertim, quò S. Thom. quaſi in vltimo teſtamento morte firmato abiecta prima, & oppoſita, hanc literis mandarit, quam nedum ex D. Aug. ſed etiam ex Tertull. lib. de carne Chriſti, & ex D. Chriſoſt. hom. 11. ſuper Matt. & hom. 4. in Acta. & ex D. Anſelmo ſuper Matt. ſuſcepit, quamque poſtea amplexus eſt Vgo Cardinalis in Io. 1. & Thom. Valdenſis de Sacramentis cap. 86. & alij, niſi oppoſitam ſententiam apertè docuiſſet D. Bon. q. 3. ad 4. his verbis, Ex quo apparet, quod illa Columba non fuit vera Columba, quia ſtatim deſijt; ſed ſimilitudo Columbæ: nec tamen ibi erat aliqua illuſio, quia non erat ibi falſitas in ſignificando, Idem prorſus aſſerit de igne illo, linguiſque igneis, hac ratione, quia non comburebat. Dicere verò id fuiſſe, quia Diuina virtute impediebatur, eſſet ſine neceſsitate concedere perpetuum miraculum ſine cauſa.

Nec me ab hac ſententia amoueret, quod alij ſolent opponere, nimirum id poſtulare phraſim Euangeliorum, ſimul aſſerentium non in Colomba deſcendiſſe Spiritum Sanctum; ſed in ſpecie, quaſi tanquam & ſicut in Columba: Reſponderem enim per D. Chriſoſt. indicata hom. in Acta; non ideo dictam quaſi Columbam, quod vera non eſſet Columba; ſed ne Spiritus Columba eſſe crederetur per vnionem eſſentialem, ſicuti Verbum in carne. Neque quod ſecundò docuit S. Bonauentura, quia ſtatim deſijt; nam dicerem, haud ex hoc negandam veritatem Columbæ, quia deſijt; ſed ideo deſijſſe, quia iam aſſumpta in ſacerrimum ſignum aduentus Spiritus Sancti, indecorum fuiſſet, inter cæteras quaſi prophanas Columbas amplius viuere, eiuſque vita fuiſſet otioſa, poſtquam functa eſſet hoc munere ſignificandi Spiritum Sanctum, propter quod digniſsimè creata erat. Imo hanc ſententiam me perſuaderet neceſſaria veritas ſignificandi: ſi enim vera non eſſet Colnmba, verè nec idoneè, nec pro dignitate veritatem, & proprietates, & dona Spiritus Sancti, quæ illo aduentu venerat ſignificare, & teſtari, ſignificaret, aut præſeferret.

Tueor igitur D. Bonauenturæ ſententiam; ita tamen vt & oppoſitam valde probabilem ex corde exiſtimem, contra quam nullius momenti teneo illud argumentum, quo oppoſitæ ſententiæ Auctores ſolent ſe tueri. Ignis, igneæque linguæ non erant verus ignis, neque carneæ linguæ; ergo neque illa vera Columba: facillimum enim eſt eodem argumento oppoſitum confirmare. Ventus, & ſonns erat verus ſonus, ac ventus, teſtante Diuina Scriptura Act. 2. *Factus eſt repentè de cœlo ſonus tanquam aduenientis Spiritus vehementis, & repleuit totam domum, vbi erant ſedentes;* ergo & vera Columba.

De nube illa in myſterio Transfigurationis, nubiſque veritate non dubitandum exiſtimo: apertè D. Matt. cap. 17. Nubem fuiſſe aſſerit. *Nubes lucida obumbrauit eos*, & confirmari poteſt ex quadam regula generali. Quando quæ in ſignum aſſumuntur, ſi ſunt ex illis corporibus ſimplicibus, vel illis proximis, vt de aere, aut nubibus imperfectè mixtis; vera aſſumuntur propter facilitatem ſummam qua ex aere fiunt, & quia ferè nihil aliud præter motum ad illa conſtituenda requiritur.

Idem de flatu à Chriſto emiſſo ex pectore in Ioan. 20. quod de nube prorſus aſſerendum; quid enim pro hac veritate certius afferri poteſt, quam qui teſtatns eſt Euangelica de Chriſto? *Inſufflauit, & dixit accipite Spiritum Sanctum*. Sed hæc ſatis ſuperque de his ſignis.

A quo vero effectore, & quando illa effecta ſint ſigna. Si de effectore inſtrumentario agatur, Reſpond. fuiſſe Angelos: communis eſt Theologorum ſententia D. Thom. 1. ſent. diſt. 15. Aegidij, & Riccardi, & Alex. vbi ſupra memb. 4. & D. Bonauenturæ apertiſsimè hac quæſt. 1. ex D. Auguſt. 3. de Trinitate cap. 11. his verbis. *Conſtat firmitate auctoritatis, & probabilitate rationis cum antiquis Patribus dicitur apparuiſſe Deus, voces illas ab Angelis eſſe factas*, & adducit S. Pater Apoſtoli verba ad Galatas 3. *Lex ordinata per Angelos*, & ad Hebræos 2. *Si enim per Angelos factus eſt ſermo &c.* Vbi plurimis verbis, & fuſo ſermone rem hanc vrget, quod didicit ex Dionyſ. de Cæleſti Hierarch. cap. 4. & poſtea ſecutus eſt D. Greg. Magnus lib. 28. Mor. cap. 2. de hac re vberrimè. *Verbis namque*, inquit, *per Angelum loquitur Deus, cum nihil in imagine oſtenditur; ſed ſuperna verba locutionis audiuntur*. Affert exemplum de illis verbis Io. 17. *Et clarificaui & iterum clarificabo: ſicuti dicente Domino, Pater clarifica Filium tuum, vt & Filius tuus clarificet te; protinus reſpondetur, clarificaui, & iterum clarificabo*. Tandem concludit, *verba illa audita ſunt, & rationali creatura adminiſtrante formata*. Eadem de illis verbis Matt. 3. *Hic eſt Filius meus dilectus &c.* Quibus deducitur, non ſolnm vetera ſigna, quibus Deus Patribus antiqnis apparebat; ſed quæ & poſt incarnationem Diuinas perſonas diſtinctè, & Spiritum Sanctum deſcendentem ſignabant Angelos effeciſſe, ſcilicet & ventum, & ſonum, & figuras linguarum ignearum die Pent.

Idem diſtinctiſsimis verbis D. Aug. lib. 4. de Trinit. cap. 20. *Si autem quæritur poſt incarnationem Verbi, quomodo facta ſit vox Patris*

vel

vel ſpecies corporalis, qua Spiritus Sanctus demonſtratus eſt per creaturam; facta iſta non dubito. Animaduertendum tamen, non idem dicendum de flatu, quem emiſit in Apuſtolos Chriſtus Dominus Io. 20. per ſe enim Chriſtus nullo Angeli interueniente miniſterio, ipſum realiter ex imo pectore efflauit; quod idem, & multò magis de Columba, quæ ad Chriſtum volauit: ſi enim probabilem illam ſententiam quis ſuſtinere vellet, fuiſſe verum animal, ab Angelis nulla ratione effectum tenendum eſſet; nam aut per creationem ab ipſo Deo per ſe productum eſſet; aut ſi vna ex naturalibus Columbis aſſumpta eſſet, genita naturali generatione ſine Angelis aſſerenda foret; probabile quidem teſte eodem Auguſt. *Quacumque fuerit illa Columba, vel verum, vel aſsimilatum animal, ab Angelo dum volaret motam, & ad Chriſtum deductam*, lib. 3. de Trinit. cap. 11.

Quando verò iſthæc effecta ſint ab Angelis? Reſpondet S. Aug. lib. 2. cap. 6. de Trinit. Tunc effecta, quando in eis apparuit Spiritus Sanctus, aſſumptaque ad manifeſtandam miſsionem ipſius; ita vt ante apparitionem non extiterint, ſed ad effectum hunc tunc formata à Diuina virtute, miniſtrante Angelo. *Quare*, inquit, *non eo modo poteſt Spiritus Sanctus dici Columba, ſicut Chriſtus dicitur Petra*: illa enim petra extiterat prius, & per actionis modum nuncupata nomine Chriſti, quem ſignificat: ſicuti Iſaac ante Chriſtum, cum ad ſe immolandum ligna portabat: acceſsit iſtis actio quædam ſignificatiua iam exiſtentibus; non autem ſicut illa Columba, & Ignis ad hæc tantummodo ſignificanda extiterunt. Aliud exemplum affert de lapide illo, quem vnxit Iacob, & erexit in titulum ad Chriſtum ſignificandum. Hinc S. Thom. ad ſecundum, art. 7. ſigna hæc non poſſe eſſe, ſicuti ſigna Sacramentorum tum veteris, tum noui teſtamenti, eadem ratione teſtatus eſt, quia hæc præextiterunt; illa verò nequaquam.

Confirmari poteſt alio ex capite: nam ſigna veterum Sacramentorum ſignabant gratiam venturam, non præſentem Spiritus Sancti; hæc verò ſignant, & gratiam præſentem vberiorem in plenitudine, & redundantem, & ipſum Spiritum Sanctum nouo modo venientem, & inhabitatem, præſentiſsimum. Noui verò teſtamenti Sacramentorum ſigna continent quidem gratiam, & quam ſuo modo inſtrumentario efficiunt, & conferunt; hæc verò de quibus hic, ſignant quidem, ac manifeſtant Spiritum Sanctum, & gratiam, quæ tunc infunditur, inſignem; eam tamen nec continent, nec efficiunt: ergo ſigna hæc Spiritus Sancti non præextiterunt; ſed tunc conficta, quando aſſumpta ad nouam Spiritus Sancti miſsionem, nonumque gratiæ effectum teſtandum, non efficiendum aſſumpta: quo munere præſtito defierunt, ſuumque eſſe tunc acceptum depoſuerunt, inaneque euaneſcebat. Atque hæc de primo interueniente ad miſsionem, ſcilicet ſigno exteriori.

De ſecundo, quod diximus eſſe perſonam procedentem, quædam paucis hoc loco in comentationem S. Doctoris expendenda. Primum, perſpicuè deducitur aduentum, & apparitionem Patris; tum veteri, tum nouo teſtamento haud fuiſſe miſsionem: multis locis aſſertum eſt ſupra ex D. Auguſt. & ab omnibus Theologis confirmatum. Deinde, nulla quoque perſona Diuina antiquitus apparens fuit miſſa, ac primò quidem ex illis locis, quibus in Diuinis literis cuiuſcumque perſonæ aſſeritur apparitio, vbi nulla ratione eius emanatio, aut proceſsio indicatur. Geneſ. 18. quando Abrahamo in oſtio tabernaculi exiſtenti apparuit Deus in illis tribus viris, quos ille, vt vnum adorauit. *Si inueni gratiam in oculis tuis &c.* Quam quidem Sanctiſsimæ Trinitatis apparitionem fuiſſe omnis fatetur explicatio, & teſtatur Eccleſia Catholica in officio, & Breuiario Romano: *tres vidit, & vnum adorauit:* illos enim tres viros quem ordinem interſe haberent, quamque originem, ac proceſsionem, nulla voce indicatum eſt: ergo non fuit miſsio, de cuius ratione, vt antea, eſt proceſsionis manifeſtatio.

Quod ſi Danielis 7. aſſeritur, ac in viſione ipſi Danieli antiquus dierũ ſedens in throno, & Fluuius igneus, rapiduſque egrediens à facie eius oſtenditur, nimirum Pater, ac ex eo procedens Filius, & Spiritus Sanctus interprete D. Aug. 2. de Trinit. cap. 18. neque tamen inde illa Filij, aut Spiritus Sancti fuit miſſio, alio ex capite; nam in eo per gratiam inhabitans illa perſona non eſt manifeſtata. Gen. 32. luctatur nocte vir cum Iacob, qua luctatione neruus fæmuris Iacob emarcuit, & aſcendente aurora benedictionem ab illo viro obtinuit, & nomen Iacob in Iſrael mutatur, & contra Deum fortem fuiſſe, Deumque ipſum vidiſſe eo loco, vocauitque Iacob nomen loci illius Phanuel, dicens, vidi Dominum facie ad faciem, refert ſacer text. vbi Verbum, ſecundam perſonam Iacob in Angelo, et externa facie hominis apparuiſſe teſtantur D. Hilarius lib. de Synodis. Conc. Sirmienſe, qua parte fuit Catholicum, & à Pontiſ. confirmatum, & referunt ſumma Concil. Paulus Palatius in Oſeam, & Card. Baronius anno illo in ſuis Annalibus, & indicat Beda in Geneſim. Vir qui luctatur cum Iacob ſignificat Chriſtum, cui ideo præualuit Iacob, quia Populus Iſrael, cuius figuram tunc Iacob geſsit, in paſsione præualuit Chriſto, & quaſi cum infirmo in carne luctamen habuit.

Idem longioribus, & grauioribus verbis D. Aug. ſer. 80. de Tempore: & addit, *Tetigit neruum Iacob, & emarcuit, quia Chriſtus tetigit neruos Republicæ Iudaicæ &c.* quia tantum potuit Chriſti virtus; vt fœmur tangeret, & claudum faceret. Et etiam, *Dimitte me, quia aurora aſcendit*, reſurectionem Chriſti adumbrat: habuit enim Iacob, ideſt populus Iudaicus, Chriſtum tribus diebus in Sepulchro; tamen cum tertij diei aurora cæpit aſcendere, ipſis inuitis ante lucem reſurrexit. Neq; tamen hæc dicenda miſsio, idque gemina ratione ſupra toties indicata, quippe, quia neque origo perſonæ, neque inhabitatio per gratiam deſignatur Iſaiæ 6. *Vidit thronum Dei excelſum, & eleuatum, & Dominum ſe-*

dentem ſuper eum, & audiuit Seraphim alterum ad alterum clamantes Sanctus, Sanctus, Sanctus, de quo loco plurima ſupra; neque tamen hæc fuit miſsio perſonæ, ijſdem rationibus toties repetitis: ergo vt D. Auguſt. verbis 2. de Trinitate rem hanc concludam; apparere commune eſt tribus perſonis, & apparuerunt etiam antiquis temporibus, nullius tamen perſonæ facta fuit miſsio.

D.Bonau. verbis 3. ſent. diſt. 1. dub. 4. dum aduentum columbæ explicaret, finem imponam huic contemplationi. In columba illa (æquè in reliquis Spiritus Sancti Symbolis) non erat aliter Spiritus Sanctus quàm Pater, & Filius, nec aliter operabatur: ſed tamen ſolus in ea ſignificabatur, quia ſignificatio relationem dicit, ſicut Incarnatio; ideo ſolus in ea poterat ſignificari, quamuis in ea ſolus non potuerit operari. Quibus explicatiſsimis verbis, quomodo, & ad quid diſtincta perſona in miſsione requiratur, quidque perſonæ miſſæ ſit in miſsione proprium, & commune refertur.

Itidem de tertio in diffinitione aſſerto, nimirum de dono inſigniter aucto ſupernaturalis gratiæ in miſsione viſibili, aut collato, aut manifeſtato, quid dicendum ſit, ex iam dictis liquido colligitur, præſertim ſi D. Bonau. D. Thom. Albertum &c. inſpiciamus; & ſi per ſingulas miſsiones rem profundius intueamur, eadem res euidentius conſtabit.

Propter quid huiuſmodi viſibiles miſſiones factæ ſint, quæ eſt huius cap. 2. pars. Reſpondent S. Bonau. quæſt. 2. & S. Th. art. 7.

PARAPHRASIS.

PRIMA *Propoſitio. Miſsio viſibilis in carne Filij Dei propter quid facta ſit, quotque vtilitates ſint collecta. teſtatur omne Euangelium integrumque nouum teſtamentum, omnes Patres, & Theologi in 3. omniſque noſtra, quæ inde emanauit ſalus.*

Secunda Propoſitio. Spiritus Sancti miſsio hanc attulit in primis vtilitatem, & ob hunc finem celebrata eſt, vt Diuinarũ innoteſcerent perſonarum emanationes, & diſtinctiones. Probatur. Congruit *admodum nobis ſenſibus & corpore obligatis, atque obuolutis, per ſigna opportuna excitari ad inuiſibilia; eo præſertim, quo captu erant difficillima, quod confirmatur illis D.Greg. verbis.* Dum viſibiliter Deum cognoſcimus, in inuiſibilium amorem rapiamur. *Secundò ad Diuinæ perſonæ inhabitationem per gratiam præſeferendam: ſicuti enim miracula Diuinam teſtantur potentiam, ſic Symbola exteriora de Diuina præſentia inſtruunt; non quacumque, ſed ſanctificante, non quocumque modo, ſed per quandam redundantem effluentiam capitum in membra. Tertiò ſic vtilis fuit miſsio ad intimiorem conſuetudinem, & familiaritatem Dei cum hominibus cõmonſtrandam: ſic enim temporibus euangelicis ſeſe Deus cum homine habet, vt uedum præſentem ſe illi ſecundum intellectum, ſed etiam ſecundum ſenſum exhibeat. Quartò, hoc verò maximè expediebat homini, vt per huiuſcemodi amicitiæ ſigna vocaretur, & conuerteretur.*

Tertia Propoſitio corollaria. Hæc viſibilis miſſio nec tempore legis, nec nunc temporis decens, nec congrua. Non primo tempore, quia tunc ſicuti non erat plenitudo temporis, ſic nec dandi plenitudinem gratiæ. Non ſecundo tempore, quia nunc manuducti iam ſumus ad fidem, & Diuinarum perſonarum cognitionem, vnde nec miraculis, neque ſignis indigemus.

Quarta Propoſitio ex reſp. ad primum. Per hanc viſibilem miſsionem ille cui fit, certus de ſua gratia à Deo recepta, ac cum Deo amicitia redditur. Ratio eſt, quia huic apparet Spiritus Sanctus inhabitans.

Quinta Propoſitio ex reſponſ. ad 4. Gemina ſufficit Diuinæ perſonæ miſsio, altera inuiſibilis, viſibilis altera: nam gemina itidem eſt tantum perſonæ inhabitatio, altera in effectu, & eſt inuiſibilis, altera in ſigno, & eſt viſibilis.

Sexta Propoſitio ex reſponſ. ad 5. Viſibilis miſsio non eſt hic niſi ad manifeſtandam Spiritus Sancti inhabitationem: ad intus enim inhabitantem Spiritum Sanctum in humanitate Filij non fuit neceſſaria viſibilis miſsio, quia tum per vnionem, tum per opera Chriſti ac miracula ſatis manifeſtabatur; neque Filius debuit mitti in ſigno exteriori ad interiorem inhabitationem Diuinam, quia huiuſmodi miſsio Spiritui Sancto conuenit, & appropriatur.

COMMENTARIVM.

HARVM miſsionum proponere et explicare vtilitates plurimas, eſt admdoum lepidè, & grauiter in medium afferre propter quid in ſigno viſibili venerint, & miſſæ ſint Diuinæ perſonæ. Ergo S. Doctor quæſt. præterita miſsionis quidditate explicata, & ex Diuinis literis ſuppoſita, & confirmata veritate, & exiſtentia; hac quæſt. proponit, exponit, ac mirè demonſtrat finem, & quanto conſilio hoc à Sanctiſsima Triade effectum ſit; & ex duarum perſonarum gemina miſsione, vnius tantum, ſcilicet Spiritus Sancti, ſuſcipit reddere, & colligere rationes: Filij enim indagare cur facta ſit in carne miſsio, habet proprium locum, eumq; vberrimum in tertia parte, tertioque ſententiarum, & in Euangelijs rationes ſunt explicatæ, vt

con-

conſentaneè ſtatuerit hoc loco id negotij prætermittere. De Spiritu Sancto verò neque ſolum quare ſigno viſibili miſſus ſit, ſed & quo tempore, & cur ipſius ſolius, non verò Filij hæc miſsio ſit facta; conſueta vbertate, & ſoliditate rem enucleat. Tres ergo ſoluit dubitationes. Primam primò intentam, quibus rationibus in ſigno viſibili miſſus ſit Spiritus Sanctus, atque his rationibus expedit. Primam deſumit ad emanationem, & diſtinctionem innoteſcendam perſonæ. Secundam ad vberiorem, & redundantem, tum efficiendam, tum teſtandam in Apoſtolis Spiritus Sancti inhabitationem, & manifeſtanda ritè Sacramenta, Paſtores Apoſtolos conſtituendo, inſufflando eis remittendi peccata authoritatem, & Doctores, ac Prædicatores Euangelij per Spiritus Sancti repletionem, in gratia confirmationem per plurima dona ad id neceſſaria collata in die Pentecoſtes. Idque optimè præſtitum ſigno ſenſibili: nam homini ſenſibus ac corpore induto plurimum arridet edoceri ſic, excitarique.

Ad ſecundam verò dubitationem tollendam, quo nimirum tempore, & quare neque legis, neq; noſtris temporibus, ſed naſcente Eccleſia in his apparuerit Spiritus Sanctus; vnicam reddit rationem, quia illo ſolo tempore congruum, ac neceſſarium fuit. Non verò ante, quia ex D. Thom. nondum aduenerat Filius, cuius aduentum, & Diuinitatem teſtaretur Spiritus Sanctus, & cuius Spiritus Sancti (addidi ergo ſupra) miſsionem mereretur Filius: ſic enim decretum fuerat. Neq; poſt multo tempore: nam ædificata iam erat Eccleſia, diuulgata, ac recepta fides, prædicatum Euangelium, adoleuerunt, conualuerunque fideles, vt neque miraculis, neque ſignis ac apparitionibus indigerent.

Ad tertiam denique dubitationem, quod Verbum inhabitare in humanitate Chriſti per vnionem perſonæ non fuerit opus ſimili miſsione indicandum: per ſeipſum enim Chriſtus facturus erat, fecitque mirificis operibus, quibus ſe Deum demonſtrauit cunctis, totique orbi, quo Euangelium eius perueniret: Inhabitare verò per gratiam innotuit de cælo per ſigna Spiritus Sancti, nedum quia vtriuſque perſonæ indiuiſa miſsio, vt teſtata vna, teſtetur & alia, ſed etiam quia Spiritui Sancto tribuitur ſanctificare, & inde inhabitare per gratiam. Attendendum hic non negari factam miſsionem Spiritus Sancti ad Filium: facta enim eſt Matt. 3. & Lucæ 2. in ſpecie columbæ &c. ſed non eſſe in illa miſsione teſtatam diſtinctè Filij inhabitationem per vnionem, quia alia ratione per ipſa opera Chriſti manifeſtata eſt; neque per ſanctificationem gratiæ, quia per inhabitationem Spiritus Sancti ſufficienter, & Filij inhabitatio demonſtrata eſt &c.

Porro Diuinam vnionem diſtinctè, & ex plenitudine gratiæ innotuiſſe, ex volatu columbæ, & ex nube lucida in transfiguratione, & ſplendoribus illis, & ex voce de nube audita: *hic eſt Filius meus &c.* conſtat, ſi præſertim quod D. Petrus 1. Ep. 1. & D. Io. 1. dixerunt, attendatur. Ille, *non doctas fabulas ſecuti notam fecimus vobis Domini noſtri Ieſu Chriſti virtutem, & præſentiam, ſed ſpeculatores facti illius magnitudinis &c.* Vbi de Chriſti Diuinitate etiam loqui ſatis conſtare exiſtimo: præſertim quia iam præcedenti cap. 16. Matt. acceperat de Chriſti Diuinitate oraculum. *Tu es Chriſtus Filius Dei viui &c. & caro, & ſanguis non reuelauit tibi &c.* Hic verò, *vidimus gloriam eius,* ideſt Verbi (dixerat enim, *& Verbum caro factum eſt*) At quando viderunt? etiam in die transfigurationis, Referunt, & teſtantur expoſitores.

Ex eo verò confirmatur, & vehementer euadit certior ea Sancti Doct. Theologia, quo cæterorum Theologorum communis. D. enim Thomas hoc art. 7. in corp. Decuit per ſenſibilia ſigna Diuinas perſonas nobis innoteſcere: nam hic diſcendi modus homini naturalis eſt, quemadmodum D. Paulus: *inuiſibilia Dei per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur*: & ſicut æternæ Diuinæ proceſsiones in aliqua creatura quo fieri licuit manifeſtatæ ſunt, & conſtat ex Diuinis literis; ſic inuiſibiles miſsiones per viſibiles manifeſtandæ erant, diuerſo tamen modo, Filij & Spiritus Sancti. Nam Filius vt auctor ſanctitatis, quippe ex quo emanat Spiritus Sanctus; Spiritus Sanctus vt donum, & amor, de quibus infra. Addit verò ad 3. licet diuerſæ, ac diſtinctæ factæ ſint miſsiones ad diuerſas perſonas diſtinctè repræſentandas, omnes tamen operata eſt Sancta Trinitas tota.

Riccardus itidem notandis verbis. Miſsio inuiſibilis fit homini propter ſeipſum; viſibilis verò propter alios. Vnde miſsio inuiſibilis ad dandam, vel demonſtrandam plenitudinem ſufficientiæ in in illo ad quem fit miſsio; ſed viſibilis ad oſtendendam redundantiam in alios. Ex quibus quàm perſpicuè colligitur quod iam edocuerat S. Doctor, Miſsiones has factas eſſe ad capita, collatamque tantam donorum copiam, totque donis auctam, vt in alios efflueret (ſi tamen erant huius auctionis capaces) propter Chriſtum Dominum, qui ab inſtanti conceptionis ſumma, & inacceſcibili gratia repletus eſt.

Tarantaſia. Deſignatus eſt Chriſtus prædicator, & Magiſter Euangelij in miſsione Transfigurationis ex voce Patris, *Ipſum audite*. In aduentu columbæ ſuper eum declaratus eſt caput omnis influentiæ in Eccleſia, & totius gratiæ redemptionis. In flatu in Apoſtolos emiſſo, caput, & origo poteſtatis in conſtituendis Apoſtolis paſtoribus. In miſsione denique Spiritus Sancti in linguis igneis ſuper capita Apoſtolorum, conſtituit eos, ac diſpoſuit idoneos Euangelij concionatores. Vides in hac explicanda veritate quàm vnanimes ſint cum Sancto Doctore reliqui in primis proceriores Theologi. Vides deinde quàm ex pluribus Theologis augeatur, vberiorque fiat eadem veritas. Vides denique quàm fœcundior inter alios, & plura docuerit S. Doctor, vt in textu apparet.

Interferunt hic quod certiſsimum exiſtimo; miſsionem Spiritus Sancti in die Pent factam fuiſſe & ad Sanctiſsimam Virginem; ſed propter quid,

quid, nou vſque adeo certum; an ſeilicet ad augendam aliquo ſingulati dono, & gradu gratiam, au verò ad teſtandam plenirudinem ſummæ gratiæ in Maria, quam iu conceptione Filij conſecuta eſt, quantam couſequi poterat. Id pendet ex ſolutione huius indiuiduæ quæſtionis, conſumatam gratiam euiuſeumque generis receperit ne; in conceptione Filij. Omnino probabiliorem ſemper eam tenui partem, qua in toto vitæ decurſu ſingulis actionibus Beatiſsimam Virginem, ſemper magis meruiſſe, in dieſque nouis illuſtrationibus illuſtratam, auctamque fuiſſe aſſeritur; vt ueque actus moriendi impedierit in ipſa meritum.

Meminit huius miſsionis D. Thom. in ſcripto, & non exiſtimat Mariam recepiſſe tunc illa dona, quæ ad regendum, & docendum receperunt Apoſtoli, quia ad ea munera non erat conſtituta; incrementa tamen gratiarum recepiſſe teſtantur, Albertus Magnus lib. de Beata Virgine cap. 176. & 177. & 197. D. Antoninus 4. parte tit. 15. cap. 20. Bernardinus de Buſto 4. parte ſer. 5. Indicat Caniſius lib. 5. cap. 1. dum aſſerit, quolibet tempore ſingulis momentis meruiſſe. D. Bernardiuus ſer. 15. imò addens non fuiſſe ſomno impeditam quò minus in Deum raperetur, & referens alios etiam probat ex eo, quod alijs etiam Sanctis hoc priuilegium conceſsum fuerit. Plura de hac re congerit Suares tom. 2. in 3. partem diſput. 18. ſect. 2. Ego verò ſubſumo argumentum. Si merebatur ſingulis momentis, vt omnes iſti Scriptum reliquerunt: ergo & in miſsione illa Spiritus Sancti mirè meruit, miraque incrementa recepit, & maiora quàm Apoſtoli, eò quia ſupra illos maximè ſe diſpoſuerat: non enim etiam quo ad reliquos, effectum hunc Spiritus Sancti in omnibus fuiſſe æqualem neceſſarium eſt, ſed & pro ratione officij, & pro Spiritus Sancti voluntate eſſet, pro ſingulorum diſpoſitione fuiſſe diſtributum, quæ potoit eſſe diuerſa. Et quod opponit S. Thom. interpretatur, & ſoluit multis Dionyſ. Carthuſ. opuſc. de laudibus Sanctiſsimæ Virg. vbi ex multis commonſtrat, ſcientiæ, & ſapientiæ dona, & cætera multa gratis data, nedum ſecundum habitus, ſed etiam penes actus infuſa Sacerrimæ Matri. Nam & ad Sanctum Martyrem Ignatium miræ eruditionis literas dedit, multis D. Lucam de cæleſtibus miſterijs inſtruxit, collegiumque Apoſtolicum plurimis erudiuit; vt fert veneranda vetuſtas, & canit Eccleſia. *Ipſa cunctas illuſtrat Eccleſias.* Et D. Anſelmus lib. de Excell. Virg. Licet Apoſtoli per reuelationem Spiritus Sancti edocti fuerint in omnem veritatem; incomparabiliter tamen, & eminentius, & maniſeſtius per eundem Spiritum Sanctum profunditatem omnis veritatis intelligebat Maria. Idem S. Bonau. lib. de laudibbs Beatæ Mariæ. Albertus Magnus de laudibus B. Virg. c. 71. Virginem Sanctiſsimam habuiſſe ſupra cognitionem, & ſupra omnem cognitionem aſcendiſſe, quæ creaturæ exiſtenti in via competere poteſt. Martyr Ignatius vocat Mariam noſtræ Religionis Magiſtram. D. Bernardos ſer. 4. in miſſus eſt, Mariam illuminaſſe Apoſtolos iuxta ſui nominis Ethimologiam (Maria enim illuminatrix dicitur) literis tradit. Rupertus Abbas. A die Aſcenſionis Chriſti Mariam inchoaſſe loqui, vt in qua erant emiſsiones eius Paradiſus, & fauus diſtillans labia eius, lib. 2. de honore, & gloria Filij hominis eruditè prodit, & in lib. 5. in Cant. Sanctiſsimam genitricem docuiſſe publicè, & donum linguarom habuiſſe docet, & Alberrus Magnus in Mariali; & D. Antoninus vbi ſupra §. 8. & canit Eccleſia, omnium hæreſum Mariam fuiſſe interemptricem: ergo debuit habere dona ad docendum, & regendos etiam Apoſtolos: ergo in Die Pent. repleta, & imbuta, & cohoneſtata omnibus Spiritus Sancti donis. Confirmatur etiam aliunde. Sæpe eleuata fuit in via ad Deum videndum, teſtibus grauiſsimis Patribus, D. Ber. ſer. 4. ſupra cit. D. Antonino 4. par. tit. 15. cap. 17. & alijs: ergo fuit egregiè, & ſuper omnem intellectum creatum edocta, & illuſtrata.

Quod verò in his viſibilibus miſsionibus redditi ſint Apoſtoli certiores de gratia ſanctificationis, aſſerit D. Thom. Verùm non ſolum in die Pent. in quo & plenitudinem Spiritus Sancti receperunt; vt teſtatur S. Lucas Act. 2. & in gratia confirmati ſunt, vt ſentit grauiter Eccleſia, & teſtantur traditiones, & colligitur ex illis verbis Io. 14. *Alium Paraclitum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum*: Sed etiam quando receperunt flatum à Chriſto, & auctoritatem remittendi peccata, quia teſte D. Paulo idoneos Deus miniſtros facit, ac ſubinde conſtituendo miniſtros, & Paſtores Apoſtolos, gratiæ idoneitatem confert, ſi non eſt: ſi verò eſt, adauget, præſertim in ſigno ſenſibili ad eos venit. Docuit & D. Thom. & confirmauit eandem veritatem: quo elicitur D. Thom. Apoſtolum tempore ſuæ dubitationis de reſurrectione Chriſti nou amiſiſſe gratiam: tunc enim teſte D. Cyrillo etiam abſenti à Collegio Apoſtolorum contulit Chriſtus auctoritatem remittendi peccata.

Tertia pars huius capitis: q·ıotuplex fuerit miſsio viſibilis. D. Thom. eodem art. 7. D. Bonau. quæſt. 3. vbi his propoſitionibus ſuam ſententiam prodit.

PARAPHRASIS.

PRIMA Propoſitio. Sicuti gemina duarum perſonarum emanatio, inuiſibilisque in tempore miſsio, ſic fermè hoc capite gemina eſt, & duarum perſonarum viſibilis miſsio. Conſtat, & ſupponitur: nam in carne humana Filij miſsio, & incarnatio exiſtit; Spiritus verò Sancti in Columba, in flatu, & in igneis linguis.

Secunda Propoſitio. Spiritus Sancti miſsio id genus pluribus modis celebrata eſt: & conſtat hac in primis ratione, ex reſponſione ad vlt. quia gratia redundans, effluenſque propter

quam

quam præſertim miſſus eſt Spiritus Sanctus, tribus modis eſt. Primò per Redemptionem, quæ eſt gratia per omnem modum pleniſsima. Secundò per influentiam vitæ per motum, & ſenſum medijs Sacramentis. Tertiò, per doctrinæ, & cognitionis magiſterium. Ratione primi in forma, ac ſpecie Columbæ venit, quæ cum ſit animal perfectum, perfectæ gratiæ ſignum eſt: ratione ſecundi in flatu deſcendit, qui mouet, & ſentitur. Inſufflauit, & dixit accipite Spiritum Sanctum: *ratione denique tertij propter doctrinam Euangelij, quam Sancti Apoſtoli docere omnem hominem debebant, in linguis igneis apparuit, quibus & doctrina communicatur, & communicata mouet, & accendit voluntatem ad operandum.*

Tertia Propoſitio. Filij miſsio vnica vice, vnicoque modo in carne humana facta eſt: quam enim aſſumpſit, nunquam dimiſit.

Quarta Propoſitio. Varia ac diuerſa admodum ſignorum genera fuerunt, quibus ſingulæ perſonæ miſſa ſunt, & apparuerunt; idque profundo conſilio, ac multis rationibus. Nam Filius in creatura rationali, quam ſibi hypoſtaticè vniuit; Spiritus Sanctus in Columba, flatu, & igne &c. creaturis irrationalibus; tamquam dumtaxat ſignatum in ſigno. Primæ verò miſsionis ratio prima, quia venit Filius vt mediator: ergo extrema debuit ſibi vnire, & vnione perfectiſsima: ſed nulla Deo ſic vnibilis creatura, niſi beatificabilis; nulla talis, niſi rationalis: ergo in natura rationali mitti debuit, eamque aſſumere in vnione perſonali, quæ eſt omnium perfectiſsima. Confirmatur hoc poſtremum. Mediator debet eſſe vnus: ergo extrema debent eſſe vnita in perſona. Secundæ verò miſsionis hæc adeſt ratio. Spiritus Sanctus venit vt Doctor: Cum enim venerit ille, docebit vos omnem veritatem: *ergo debuit in ſignis venire: ſigna enim congrua ſunt ad docendum, ſed vnicum ſignum non ſufficiebat: ergo in pluribus. Probatur minor. Pluribus enim inſtruendi erant Apoſtoli, & docendi omnem veritatem. Confirmatur. Nam vnicum ſignum potius confunderet quàm doceret: & æquiuocationem induceret.*

Quinta Propoſitio corollaria. Humanitas eſt aſſumpta, vt iam dicebatur, in vnionem perſonalem; & ideo ſemel aſſumpta, quia nunquam dimiſſa; Ignis verò, & reliqua ſigna Spiritus Sancti, quia dumtaxat vnita ad ſignandum, & completa ſignificatione dimittebantur: conſequutum eſt, & plura ſigna potuiſſe ſumi, & ignem illum, illamque Columbam, non fuiſſe verum ignem, neque veram Columbam.

Sexta Propoſitio. Propter illam humanæ naturæ aſſumptionem in vnionem perſonæ, & idiomatum communicationem Filius factus eſt minor Patre, ſeipſo, & Spiritu Sancto; ratione, inquam, naturæ aſſumptæ; Spiritus verò Sanctus, qui ea ſigna ſic ſibi non vniuit, horum vnione, aut aſſumptione, non eſt, nec dictus, nec factus minor, neque ſubinde dictus nec Columba, neque ignis, neque flatus, ſicuti Filius, homo. Et homo factus eſt.

COMMENTARIVM.

SVPPONIT vnum, & plura quærit hic S. Doctor: duas miſſiones viſibiles ſupponit propter duas perſonas miſſas: ſed quærit primò. Quot miſsiones ſingulæ perſonæ. Secundò, quare vnius quàm alterius perſonæ plures miſsiones. Tertiò; cur illa ſigna Spiritus Sancti, & non alia ſibi vniuit, & cur Filius vnicum illud. Quartò, diuerſitatem vnionis in vtraque perſona. Quintò, denique conſectarie, cur Filius in ſuo ſigno, & natura aſſumpta nuncupatus ſit illud ſignum, ſcilicet homo, & factus ſit ſeipſo minor; Spiritus verò Sanctus nullo modo. Hæc omnia & diſtinctè proponit, & ſolidè, ac peracutè ſoluit.

At primò commentatio noſtra initium ſumat. Quot Filij fuerunt miſsiones viſibiles? Reſpond. vnam tantum: vna etenim ſola vice carnem humanam ſibi ad perſonam vniuit, quam ſic tenuit ſemper, vt etiam in morte non dimiſerit. Potuit mors diſiungere animam à corpore, ſolueteque humanitatem; neque tamen ab anima, & corpore Diuinitatem: quod enim ſemel aſſumpſit nunquam dimiſit; quo factum eſt, vt pluries aſſumere non oportuerit, quod perpetuò ſibi deintus ſeruauit. Neque tamen negandum, quin in ea ſemel aſſumpta humanitate pluribus vicibus poſtquam aſſumpſit in Cælum, apparuerit, & miſſus fuerit, mittenduſque in fine pereuntis mundi, dum venturus eſt iudicare viuos, & mortuos. Act. enim 7. apparuit D. Stefano glorioſus, quando ille à Iudeis lapidibus obruebatur; ſi tamen apparitio illa fuit exterior, & nõ ad morem, quo quondam Prophetis interioribus phantaſmatibus cæleſtia repræſentabantur. Rurſus Act. 9. in D. Pauli conuerſione Dum enim *appropriaret Damaſco, ſubitò circumfulſit eum lux de Cælo. & cadens in terram audiuit vocem dicentem ſibi, Saule, Saule quid me perſequeris? qui reſpondens, quis es Domine? audiuit, ego ſum Ieſus, quem tu perſequeris, durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare.* Mittitur Christus ad Paulum conuertendum in ſigno vocis, & nubis, in qua & Spiritus Sanctus. Atq; in ſimili viſione indicatur perſonæ origo voce illa ſacerrima *Ieſus*: ex toto enim contextu Euangelij, Ieſus eſt verbum, Secunda perſona, &c. & tanta Paulus augetur gratia, vt eius conuerſio, teſte D. Thom. prorſus dicenda ſit miraculoſa; tantaq; repletus benedictione, ac ſanctitate, quanta poſtea confirmarunt eiuſdem ſanctitatis incrementa eximia. Tertiò, teſtantur magna aſſeueratione hiſtoriæ, tempore aſſumptionis Sanctiſsimæ Virginis Chriſtum de cælo deſcendiſſe, Matri occurriſſe, Matremque ſuper bracchium ſuum in cælum ad ſuam dexteram detuliſſe. Indicant etiam ſuauiter illa Cant. 3. verba: *Quæ eſt iſta quæ aſcendit de*

deſerto

deſerto delicijs affluens, innixa ſuper dilectum &c. Denique D. Seraphici Patris Franciſci tempore dum corde, manibus, & pedibus Ieſu Chriſti ſtigmatibus verè tanto miraculo impreſſus fuerit, miſſus eſt Filius, ſimul & Spiritus Sanctus in illo Seraphino, imaginem & Chriſti Crucifixi, & alati, ardentiſque Seraphim ferente: tantaque fermè vir ille imbutus, ac repletus gratia, & donorum vbertate, quantam illud incomparabile Chriſti plagarum eo modo impreſſarum donum requirebat, & teſtabatur; vt D. Bernardinus de Euangelio æterno, ſer. 6. cum alijs, ſeraphicum Patrem tunc in gratia confirmatum eſſe docuit. Hoc illa verba aſſerunt, quæ D. Bonau. in D. Franciſci officio cecinit.

Ad quem venit Rex è celo
Amictu Seraphico. Et paucis interiectis.
Cernit ſeruus Redemptorem
Paſſum impaſsibilem.

D. Bonauentura hoc loco vnam meminit Filij miſsionem, ſcilicet carnis aſſumptionem tanquam ex Euangelis exploratiſsimam; has tamen non negauit, imò ſuis locis ſingulas conceſsit.

Repetitus autem toties Chriſti Domini aduentus conſecratione in ſacerrimam Euchariſtiam nuncupandus non eſt miſſio, & ſuo loco reddita eſt ratio, & confirmari poteſt; quia per ſe virtute conſecrationis aduenit præcisè corpus; perſona verò quaſi conſequenter ratione vnionis.

Filium apparuiſſe vetuſtiſsimis temporibus, ijs præſertim ſignis, quibus futura incarnatio, & redemptio prædicebatur, & præſignabatur, grauiſsimi Patres multi, ac præcipuè Græci teſtantur, ac valde veritati ſimiliter, & videtur certum in illius viſi lucta cum Iacob: nam loquitur ſic, & interpretatur Conc. ſupra recenſitum: tamen illas non miſsiones, ſed apparitiones fuiſſe, conſtitit ex D. Aug. D. Bonau. D. Thom. ac communi opinione, appoſitaque congruenti ratione.

Miſsiones verò Spiritus Sancti exploratiſsimè ex Diuinis literis fuerunt plures. Tres tantum refert S. Doctor communes, ac vulgatas, & ab omnibus alijs Doctoribus recognitas, quas apud Magiſtrum, quem ſuis commentarijs illuſtrabat, reperijt; addenda tamen vehementi probabilitate quarta in Transfiguratione, quando *nubes lucida obumbrauit eos*; nam grauiſsimè loquitur Eccleſia in illo officio. *In ſplendenti nube Spiritus Sanctus viſus eſt*. Indicauit D. Aug. Epiſt. 102. ad Enodium: teſtatur S. Thom. hic art. 7. ad 7. inueniuntur cætera requiſita ad miſsionem ad Filium, in qua licet noua non conferatur gratia; non negatur tamen quin vera fuerit miſsio, vt docet D, Bonauentura ad argumenta de miſsione in ſpecie Columbæ. Poſſunt adiungi & plures aliæ ex Act. Apoſtolorum, quando ſæpè ſuper fideles deſcendebat Spiritus S. in igne, & videbatur.

Accedamus ad 2. ac ſimul ad 3. Nulla grauis difficultas intercedit, quæ diſſoluatur; imò ferè omnia ſoluta. Quod enim attinet ad 1. in humana natura apparere debuit vt mediator, vt ait S. Doct. & ſibi extrema vnire. Alterum verò extremū humana natura neceſſariò eſſe debuit: propter eam enim aduenerat reconciliandam. Indigebat vt pro ea mereretur, & ſatisfaceret: ergo cum ea participare peræquum fuit. In ea verò ſola, ſemelque apparuit, his cum primis rationibus. Nam neq; eam vnquam dimiſit, imò habiturus in æternum ſuſcepit, & in ea tantum, pro qua ſola è ſinu Patris deſcenderat Dei Patris mandato ſatis ſuperque fuit, ac ſibi commiſſum deſuper negotium exactiſſime exoluit: otioſum ergo, ac inutile fuiſſet omnino, & aliud ſumere ſignum, & idem habitum pluries repetere; imo impoſsibile; quod idem S. Thom. grauiſsimis verbis aſtruit. Venerat Filius vt ſanctificationis auctor, quia eſt Spiritus Sancti principium: ergo in natura humana venire debuit, cui ſoli ſalus afferenda erat, ab ipſoque in ea per gratiam, & ſanctificationem operanda.

Spiritus autem Sanctus, qui vt Doctor aduenit ad ea tantum proponenda, & explicanda, quæ prius ferè ſecreto docuerat Chriſtus, tum diſcipulis, tum intra limites Iſraelitici populi, vnde & ipſe Magiſter, & Doctor & dicebatur, & verè erat: neque ſatis tunc rudes adhuc intellexerant, & imbecilles, ac modici luminis in humanis portare poterant, ideo pluribus ſignis, ac diuerſi generis vti debuit, eaque ſibi aſſumere: ſigna quidem ſenſibilia, teſte vtroque Sancto Doctore: connaturale enim homini corpore, & ſenſibus obruto; per ſigna viſibilia inſtrui, & eleuari; & ea ac tot, quæ non ſolum ſufficerent, ſed magis idonea ad id præſtandum munus exiſtimarentur. Porrò, inquit S. Bo. plura in primis de Chriſto erant addiſcendaâ fidelibus: ergo plura ſigna requirebâtur.

Neque obſtat, quod obijcere quis fortaſſe poſſet. Sicuti ad teſtandum Spiritus Sanctus ſe in omni plenitudine habitare in Chriſto, in Columbæ ſpecie apparuit; ita Chriſtus eandem ſuam plenitudinē ſuis ſignis propalam facere debuiſſet: iam enim ſupra reſponſum, Chriſtum & miraculis innumeris, & alijs egregijs operibus, præclariſsimiſque ſatis teſtatam reliquiſſe ſuæ gratiæ plenitudinem, vt ex pluribus D. Io. locis apertè colligitur. Per ſigna verò eadem gratia habitualis, redundans, & effluens, & capitis teſtanda; prædicandaque conſignata eſt Spiritui Sancto, tum quia ipſi hoc onus congruit: eſt enim ipſe ſanctificans, ipſiuſque inhabitatio eſt per gratiam, ſufficitque abundè; tum quia ipſe eſt Magiſter docens omnem veritatem. Denique ſicuti vtriuſque perſonæ indiuiſa miſsio interior, ſic indiuiſa teſtatio, vt quæ teſtatus eſt Filius, & Spiritus Sanctus teſtaretur. Tria verò in primis de Chriſti gratia, vt redundans eſt, & capitis, enucleanda populo: ergo tribus idoneis ſignis vtendum.

Primum erat, vt redemptionis gratia per omnem modum perfecta, & abſoluta ſignificaretur. Secundum, vt influens vitam in membra myſtica per motum, & ſenſum. Tertium doctrinæ magiſterium: ergo idoneè homini repræſentatum eſt primum per Columbam, animal perfectum, & fœcundum: Secundum, per flatum exeuntem à capite Chriſti in Apoſtolos per motum, ſenſuque apprehenſum: Tertium, per linguas ignitas, inſtrumenta apta loquendi, & enarrandi ignita eloquia Dei.

D. Thom.

D. Thom. Spiritus Sanctus ab æterno procedit vt donum: ergo & mittendus vt donum, & repræſentandus ſignis vt donum, & amor: ergo columba, flatu, & igne: quibus factum eſt, vt teſte D. Aug. exterioribus ſignis corda commota, à temporali manifeſtatione venientibus, ad occultam æternitatem conuerterentur.

His ergo ſignis valde accomodatis, ad oculis ignorantium, potius quàm intelligentium, Chriſti capitis gratiæ effectus obijciendos, mirificè apparuit, & viſus eſt Spiritus Sanctus; vt per columbam in Chriſti caput inſidentem, in medijs Iordanis vndis baptizatus, audita Patris voce, *hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*, Chriſtus fœcundiſsimum caput omnis gratiæ prædicaretur: qui aquis efficienter vt Deus, meritoriè vt homo, ſanctificandi vim, & regenerandi contulit, & vnigenitus Dei naturalis Filius, filiorum adoptionem meruit. Per flatum à Chriſto efflatum, remittendi peccata auctoritatem non ex ſe habuiſſe Apoſtolos, ac Sacerdotes, ſed ex Chriſto, lucidiſsimè reuelatum eſt, & oculis mortalium oblatum; atque his Chriſti operatio in Sanctificandis hominibus Symbolis, Spiritu Sancto reuelante mundo teſtata relicta eſt.

Chriſti verò eiuſdem gratia fidei, & doctrinæ, de qua inſtructi, & illuminati ſunt Apoſtoli, vt idoneè inſinuaretur, *Factus eſt repentè de cœlo ſonus aduenientis Spiritus vehementis, & repleuit totam domum vbi erant ſedentes, & apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis, ſeditque ſupra ſingulos eorum, & repleti ſunt omnes Spiritu Sancto.* Quare miniſterio Apoſtolorum Spiritus Domini repleuit orbem terrarum, orbiſque terrarum myſterijs fidei imbutus eſt: euntes enim Apoſtoli in vniuerſum mundum, prædicauerunt Euangelium omni creaturæ.

Atque eadem ratione in Transfigurationis Sacramento in nube lucida apparuit, & Apoſtolos tunc ibi exiſtentes circundedit. Nubes enim ſpargere Dominum, eſt Prædicatores Sanctos exemplo vitæ, & loquendo, & agendo per Orbem dilatare, inquit S. Greg. lib. 27. mor. cap. 29. *Per Spiritum Sanctum miniſtris Apoſtolis, quaſi ex nube in vniuerſum mundi agrum influenda ſacri eloquij pluuia, irrigandumque ſit in vberrimam ſegetem, & meſſem ſalutis.* Quocirca meritò audita vox eſt, *ipſum audite*; vt ibi de prædicando Euangelio Symbola proponi, legemq; ferri omnes intelligerent: atque ita miris modis, quod ab ipſomet Spiritu Sãcto per Zacc. cap. 10. Prophetam prædictum, & promiſſum eſt, fideliter præſtitum, & adimpletum. *Petite à Domino pluuiam in tempore ſerotino, & Dominus faciet niues, & pluuiam imbris dabit eis, ſingulis herbam in agro.* Quo loco agi de Chriſti Euangelio prædicando per vniuerſum Orbem, & ideo pluuiam ſerotinam nuncupari Euangelium, comparatum ad legem veterem pluuiam temporaneam; & germinare quidem iactum ſemen, hoc eſt Diuinam legem, poſitam, ac prædicatam, ac propoſitam per Moyſem; ſegetem autem promittentem quidem, & prædicentem, tamen fructum non facientem, neque populum ad perfectum ducentem; ex D. Paulo multis locis: ſerotinam verò Euangelium, tempore Maij cadentem ad producenda grana, eaque ad maturitionem fouentem, hoc eſt ad perfectas virtutes deducentem, & apertis cælorum ianuis in Regnum Beatitatis introducentem; ex Matt. 5. *Beati pauperes Spiritu, quoniam ipſorum eſt Regnum cælorum*, certum eſt. Vbi obſeruandum eſt, duo genera pluuiarum, vel potius duo tempora colligi ex Diuinis literis: alterum enim eſt tempore Octobris, cum iacta ſunt ſemina, & cadens pluuia facit vt oriantur, & creſcant; & dicitur temporanea, & matutina, quia tempore naſcentis ſegetis eſt: ſerotina verò, quæ tempore Maij, qua fructus ad maturitatem perducuntur, & veteri, & nouæ legi valde accomodè comparantur; ſicuti doctrina legum (Deut. 32. *concreſcat vt pluuia doctrina mea*,) Pluuiæ idoneè ſignificari ſolent.

Teſtes, & grauiſsimi interpretes ſunt in hunc locum, D. Cyrillus, D. Hieron. in cap. 28. Iob. D. Remigius, Iſidorus Clarius, Rupertus, Lyranus, Vatablus, & Montanus, & vox illa *niues: Dominus faciet niues*, vehementer propoſito deſeruit, quæ ex albedine perfecta pro coruſcatione, & tonitruo, quæ vehementem, & abundantem imbrem ſolent præcedere, ſumitur, vt inde vberrima Euangelij, eademque efficaciſsima, ac ditiſsima ſeges expectanda ſit. Septuaginta interpretes legunt loco niuis, *phantaſias*, ſcilicet coruſcationes, & fulgura; vt ſic Apoſtoli huius pluuię nubes, ac huius Euangelij concionatores, quaſi nubes candidæ ſicut nix, & innocentes vita, frigidi, ac paupertimi, tonitruis, & coruſcationibus, nimirum vehementiſsimè, ac miraculis coruſcantes, euulgaturi ſint Euangelium ad vniuerſas gentes, in eiſque producturi fidem, & omnes, cæteraſque Euangelij virtutes, linguis igneis deſuper Spiritu Sancto operante delatis; ita quidam ex ipſis nuncupati Boanerges, hoc eſt tonitrui Filij; ita in die Pent. ſic cœperunt quaſi candidiſsimæ nubes, repleti Spiritu Sancto, voluntariam, et vberrimam pluuiam Euangelicæ prædicationis emittere, igneis linguis coruſcare, herbam, & ſegetem producere, innumeras gentes ad fidem, & Euangelium conuertere. Quod ſi addatur nubes niueas nuncupari Apoſtolos ad clariſsimam, facillimamque Euangelij doctrinam, paruulis etiam, ac mulieribus perceptibilem, & ad innocentiſsimam vitam obſeruatores producentem, teſtandam; optimum erit, ex illo Dauidis oraculo pſal. 8. *Lex Domini immaculata conuertens animas, teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans paruulis*: & ex Matt. 11. *& reuelaſti ea paruulis.*

Ad quartum deueniamus. Verbum humanitatem in vnionem perſonæ aſſumpſiſſe, decernit fides plurimis locis ex Diuinis literis, plurimis Concilijs contra Hæreticos. Adſunt optimæ rationes tract. de Incarnatione aſſerendæ. Decretum iam erat mundum redimendum per meritum, & ſatisfactionem dignam, & de rigore iuſtitiæ adæquantem pro dignitate merentis, & ſatisfacientis, excedentem omne debitum filiorum Adam: ergo aſ-

ſumenda natura erat in tanta vnione, vt communicârentur idiomata, vt in ea poſſet Filius Dei pro ea operari, & mereri, & ſatisfacere: ergo natura rationalis humana, non Angelica induendum erat Verbum: non enim in Angelica potuiſſet aut pati, aut mori, impaſsibili, & immortali, ſicuti in humana; & eam ſic aſſumere debuit, vt in inſtanti aſſumptionis, & conceptionis, Chriſti hominis anima ex vnione ad Verbum, exinde Dei viſione ex habitu gloriæ infuſo, ſic eſflagitante vnionis perfectione, vt quicquid deinde & mereretur, & pateretur, pro nobis Deo totum exhiberetur.

Spiritus Sanctus oppoſito prorſus modo in ſuis ſibi tum eligendis, tum aſſumendis ſignis ſe habuit, habereque debuit. Primò enim in vnionem perſonæ neque ea aſſumpſit, neque aſſumere vlla ratione congruum, aut opportunum erat. Docet primò D. Aug. 2. de Trinit. cap. 6. *Non ergo ſic aſſumpta eſt creatura, in qua apparuit Spiritus Sanctus, ſicuti aſſumpta caro illa eſt, & humana illa forma ex Virgine Maria. Neque columbam beatificauit Spiritus Sanctus, vel illum flatum, vel illum ignem ſibique, & perſona ſua in vnitatem habitumque coniunxit in æternum.* Deinde addit, & aſſerti reddit rationem, quam inde poſtea hauſerunt S. Doctor, cæterique Theologi. Ea namque ſigna ad ſignificandum dumtaxat ſua munera, ac dona, tum conceſſa, tum augenda, & concedenda, ſibi adiunxit Spiritus Sanctus. At verò quis ignorar irrationalia aptiora ad hæc teſtanda, quàm rationalem creaturam, & non indiguiſſe vnione perſonali in hoc munere præſtando, ſed tantum vnione ſigni ad ſignatum: quo ſignandi munere effecto, ac peracto, deſitura neceſſariò erant. Neque venerat Spiritus Sanctus vt redimeret iam mũdum per Filium redemptum, vt inde & ipſe humanam naturam in qua mereretur aſſumeret. Neque ad ſubſiſtendum, ſubſiſtentiæque dignitatem iis ſignis quæ aſſumpſit, tribueret, ſicuti Verbum humanæ naturæ; ſed ſolum ad ea dona ac munera ſignificandi vim contulit.

Quibus quàm manifeſtè ſoluatur & quintum, liquido conſtat: eo enim primò, quo Filius ſic ſibi naturam humanam aſſumpſit, in ea & Patre, & Spiritu Sancto, & ſeipſo factus eſt minor: docet D. Aug. multis locis ex Diuinis literis, ac in primis lib. 4. de Trinit. cap. 19. (quem locum, & ſupra retulimus) *Miſit Deus Filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege, vſque adeo paruum, vt factum. Eo itaque miſſum, quo factum. Si ergo maior mittit minorem, fatemur & nos factum minorem, & in tantum minorem, in quantum factum, & in tantum factum, in quantum miſſum.* Neque tantum factus in miſsione Patre minor; ſed ſeipſo, ac Spiritu Sancto. Idem S. Aug. lib. 1. cap. 7. *Errauerunt homines, ea quæ dicta ſunt de Chriſto ſecundum hominem, ad eius ſubſtantiam quæ ſempiterna eſt transferentes; Et illi dicunt minorem Filium quàm Pater eſt, quia ſcriptum eſt dicenti Domino* Io. 14. *Pater maior me eſt; quod propter formam ſerui veritas dicit, ſecundum quem modum etiam ſeipſo minor eſt Filius. Quomodo enim non etiam ſeipſo minor eſt factus, qui ſeipſum exinaniuit formam ſerui accipiens? Nec enim ſic accepit formam ſerui, vt amitteret formam Dei, in qua æqualis erat Patri.* Idem lib. 2. cap. 1. aſtruit, & minorem Filium etiam Spiritu Sancto aſſeuerat, & contra Maximinum lib. 3. cap. 14. Ratio eſt patens. Si enim minor Patre in natura aſſumpta factus eſt: ergo & ſeipſo, & Spiritu Sancto, qui eandem Diuinitatem vnitam habent, & ſubinde ſunt ad inuicem æquales.

At verò ſi Spiritus Sanctus non ea ſibi aſtrinxit vnione ſigna, Columbæ, flatus, nubis, & ignis; euidenti conſecutione conſequitur in illis cum non ſit factus illa, nec minor factus eſt, ſicuti Filius homo: *Verbum* enim *caro factum eſt* (Io. 1.) *& homo factus eſt* (fides catholica) Spiritus verò Sanctus non eſt factus ignis. D. Aug. lib. 2. de Trinit. cap. 6. *Ideo autem nuſquam ſcriptum eſt quod Pater Deus maior ſit Spiritu Sancto, vel Spiritus Sanctus minor Deo Patre; quia non ſic eſt aſſumpta creatura, in qua apparet Spiritus Sanctus, ſicuti aſſumptus eſt filius hominis, in qua forma ipſius Verbi Dei perſona præſentaretur, non vt haberet Verbum Dei ſicut alij ſapientes Sancti, ſed præ participibus ſuis.* Ratio ergo vnionis perſonalis facit maiorem, & minorem; quia Verbum factum eſt homo, Verbum eſt minor Patre; & Spiritus Sanctus non eſt minor Patre, quia non eſt ſic factus ignis. Qua deinde conſequitur, in aſſumpta humanitate meruiſſe; Spiritum verò Sanctum in ſuis aſſumptis ſignis nequaquam. Deinde Verbum veniſſe ad ſubſiſtendum in natura humana, Spiritus autem Sanctus ad repræſentandum, & indicanda dona &c.

Denique ſigna à Spiritu Sancto aſſumpta, & in quibus ille apparuit, vt aſſumerentur iam merita fuiſſe à Chriſto Domino, dum aduentum ipſius Spiritus Sancti meruit: *Ego rogabo Patrem, & alium paraclitum dabit vobis.* Et ſi meruit ſui nominis exaltationem, teſte D. Paulo, *Propter quod & Deus exaltauit illum &c. & dedit illi nomen &c.* Meruit ſimul & Spiritus Sancti aduentum ſuper diſcipulos ſuos, quo diſponerentur, idoneique conſtituerentur ad has veritates prædicandas, perſuadendaſque cunctis totius orbis terrarum gentibus: Verbi autem aduentus in humana natura, eiuſdemque naturæ aſſumptio, nulla ratione potuit cadere ſub merito: fuit enim radix, & omnis meriti fundamentum.

Et licet ex D. Bon. & alijs, ac non mediocri quidem probabilitate, data fuerit Chriſti animæ prius natura (licet eodem temporis momento) gratia, quàm natura aſſumeretur, vt quo fieri poſſet magis idonea ad aſſumptionem vnionis redderetur: inde tamen haud quaquam conſequi poteſt merè gratuitam non fuiſſe Incarnationem; tum quia omnem diſpoſitionẽ poſsibilem excedit illud myſterium: vt eodem loco ipſe S. Doctor teſtatur, & hoc ex ſe conſtat: tum quia reuera gratia illa habitualis quoquo modo ſumatur, eſt inferioris ordinis, & quaſi naturalis ipſi vnioni, ſcilicet maximè requiſita ex alio capite, vt explicandum proprio loco.

Potiſsimum 3. ſent. diſt. 2. quæſt. 2. vbi Sanctus Doctor docet, animam, quæ ad vnionem Diuinæ perſonæ aſſumitur, maximè primò prioritate naturæ fieri Deo in primis Deiformem. Elegantiſſimè autem explicat rem hanc hac ferè methodo, & animaduerſione. Habitus namque docet ille, quo anima illa vnitur Verbo, non poteſt eſſe cauſa huiuſce vnionis, ſed dumtaxat congruentiæ ratio: habitus quidem, quo anima vnitur Deo, ac tribus perſonis tanquam obiecto, Deoque conſtituitur grata, & beata, eſt cauſa, qua ſic ad Deum reducitur, Deoque vnitur: quo verò verbi perſonæ aſſociatur, & Deus efficitur, vt in Incarnatione; non poteſt eſſe cauſa habitus vllus creatus, ſed ſolus Deus, Verbum verò terminus, vt animæ ſeipſum facit hypoſtaſim.

Neque obſtat quod S. Auguſt. 14. de Trinit. docuit, per ſummam gratiam Chriſti animam Diuinæ perſonæ fuiſſe vnitam: largè enim ibi gratiam ſumit, & verè gratis illam vnionem fuiſſe factam, tantum ſcriptis tradere voluit. Neque quod alijs non placet etiam congruentiæ ratio gratiæ, vt aſſumeretur omni Deiformitate prædita anima illa; grauis ponderis eſt. Primò enim non vehementer vrget Sanctus Doctor, ſed poſſe concedi tantum exiſtimat. Deinde quæ opponuntur, aut philoſophica ſunt, aut aliò tendunt. Sed hic non eſt locus.

Poſtremò, non quidem ratione perſonæ apparentis, & miſſæ (vtroque enim æqualis perfectione, & Diuinitate eadem) ſed tum naturæ aſſumptæ, tum ratione vnionis, tum effectus producti, nobilior, efficaciorque omni procul dubio extitit prima, quàm ſecunda viſibilis: nimirum Filij, quàm Spiritus Sancti: illa enim & hominem, ſcilicet humanam naturam aſſumpſit in vnionem perſonalem, Diuinaque idiomata communicauit, ac inprimis ſubſiſtere humanitati: & huius ſcilicet Spiritus Sancti, fuit verè cauſa meritoria.

Vt tandem hinc colligamus, miſsiones omnes Spiritus Sancti viſibiles ea potiſsimum factas ratione, eoque in primis fine, vt cunctis hoc certum ac fidele teſtimonium de Chriſto perhiberetur; ipſum eſſe, qui Vnigenitus Filius Dei, qui in ſinu Patris Deum enarrauit, quem nemo vidit vnquam; per quem gratia, & veritas facta eſt; vt non ſit aliud nomen ſub cælo, in quo oporteat nos ſaluos fieri; eique hic adhiberetur cultus, *vt in nomine eius omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus noſter Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris*. Amen.

QVAESTIO ET DISPVTATIO.

DE DIVINITATE FILII, ET SPIRITVS SANCTI.

SANCTISIMAE Trinitatis omnis tractatus, & veritas omnis munienda erat, & hac firmanda poſtrema quæſt. de perſonarum emanantium Diuinitate: de Patre enim nullus ſubeundus labor, ſicuti nullus de eo quiſquis ſceleſtiſsimus hæreticus, ac eius Diuinitate dubitauit. Corollarium verò, ac in primis conſequens, vt illa perſona, ſcilicet Filius, qui de Patris ſubſtantia progignitur; & illa, nimirum Spiritus Sanctus, quæ de eadem impartibili, & infinita Patris & Filij Deitate ſpiratur, æqualis inde Patri, aſſereretur, crederetur, & demonſtraretur Deus; illiſque tribus Catholicum illud Triſagium in cælo, & in terra caneretur; Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto; & illam omnis fidelis profiteretur D. Athanaſ. Theologiam: Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus, & tamen non tres Dij, ſed vnus eſt Deus. Ergo hac præſtantiſsima diſputatione omnis applicatur hucuſque de Trinitate perſcrutata, ac exagitata Theologia, fructus colligitur, & deuenitur vbi prætendebatur.

CAPVT I.

De Diuinitate Filij.

SVMO in primis argumenta potiſsima de Diuinitate Filij ex D. Io. cap. 10. & primum ex illis verbis: *Ego, & Pater vnum ſumus*; & hac methodo primam argumentationem conſtruo.

Vnico verò Deo Patri ſecunda perſona eſt eiuſdem ſubſtantiæ, & Homouſio: ergo vnicus cum eo, veruſque Deus. Conſequentia eſt euidens; aliàs aut non erit eiuſdem ſubſtantiæ, aut illa ſubſtantia non erit Diuina, neque proinde Pater Deus: quod tamen omnis etiam hæreticus concedit. Probandum ergo efficaciſsimè antecedens, præter ea, quæ alio loco ad eandem rem congeſsimus. Primò verò quoad primam partem antecedentis, vnicam nimirum eſſe numero Diuinam ſubſtantiam, vnicumque verum Deum; de fide eſt ex Diuinis litteris. Deutor. 6 *Dominus Deus tuus Deus vnus eſt*. Iſaiæ 6. ex hymno Seraphinorum. *Sanctus, Sanctus, Sanctus &c.* In quem locum ſupra tres ſummos Pontifices retulimus, Alexand. Primum Epiſt. 1. cap. 6. Benedict. 1. Felicem Papam Epiſt. 3. ad Petrum Fullonem, & multos SS. Patres vnitatem Dei, & perſonarum Trinitatem declarantes, & profitentes ex hoc integro loco: quibus addo D. Ambr. lib. 2. de fide ad Gratian. c. 4. & lib. 3. de Spiritu Sancto cap. 18. *Trina repetitio cur? niſi quia Pater, Filius, & Spiritus Sanctus vnum ſunt?* Et D. Epiphan. in Ancorato Colum. 9. *Non dicunt Sancti, Sancti, Sancti, quo ſingulare nomen pronuncient, neque trium numerum occultent. Sed ter dicunt quidem ſanctificationem; vniformiter autem, & ſingulariter ſermonem, vt ne multitudinem Deorum nominent.*

Ad Rom. 3. *Vnus Deus*. 1. Corinth. 8. *Nullus eſt Deus, niſi vnus*. Ad Galat. 3. Ad Epheſ. 4. *Vnus Deus*. Io. 10, quem locum interpretamur. *Ego, & Pater vnum ſumus*, quem in hunc ſenſum innumeri Patres exponunt. Apocalyp. 4. Diuina auctoritate repetitur Iſaiæ Triſagium, *quatuor animalia requiem non habebant die, ac nocte dicentia, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui erat, qui eſt, & qui venturus eſt*. Symbolum Nicænum. *Credo in vnum Deum*. Symb. D. Athanaſ. *Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus*, & *tamen non tres Dij, ſed vnus eſt Deus.* Concil Lateran. cap. Firmiter. de Summa Trinit. *Hæc Sancta Trinitas ſecundum eſſentiam communem indiuidua*, & cap. *Damnamus* definit, *vnitatem Diuinæ Eſſentiæ eſſe infinitè perfectiorem, quàm ſit vnitas humanæ naturæ, ita vt ſubſtantia Diuina ſit vna, & eadem res in tribus perſonis*. Concil. Floren. Seſſ. 18. §. *Dixi equidem*, Io. nomine Latinorum Prouincialis Ord. S. Dominici. *Quæ cum vna numero ſit (Diuina Natura) non ea ratione dicitur communis eſſe, qua eſt humanitas, ſed rationem habere communis, quatenus communicabilis eſt*: & addit, *realem identitatem naturæ manere in vnaquaque perſona*. Concilium Nicænum lib. 2. §. *Sancta, & magna*, vocat *indiuiduam Trinitatem*, & §. *Audi iam*, nuncupat *indiuiſam*.

Patres omnes vbique omnibus locis vbi ſeſe offerat occaſio: Tota Schola Theologorum: Naturæ lumen vnitatem veri Dei vbique indicat, & docet. Proinde etiam pluribus rationibus confirmarunt Patres, & Theologi. Vnam, aut alteram referam.

S. Bonau. in 1. diſt. 2. quæſt. 1. rem adeo certam ponit, vt oppoſitum ſit inintelligibile, & contradictionem inuoluat; ſola nominis *Deus* obſeruata acceptione, & communi omnium de Deo opinione. Deus dicit ſimpliciter ſummum in re, & in omnium cogitatione: ergo non poteſt multiplicari, nec ei quidquam poteſt æquari, aut comparari, neque etiam cogitatione. Inde eſt infinitè vnus, ſimplex, omnipotens, infinitus: ergo non poteſt eſſe niſi vnus numero.

S. Thom. 4. contra Gent. cap. 11. Natura, quæ

eſt

Digitized by Google

eſt vna ſecundum ſpeciem, non diuiditur in plura ſecundum numerum, niſi propter materiam: ſed Diuina natura omnino immaterialis eſt: ergo impoſsibile eſt quin ſit vna. Augetur huius argumenti vis ſuppoſito iam S. Bonau. relato.

D. Greg. Nyſſen. lib. ad Ablabr. *Quod non tres Dij.* Ex infinita perfectione Diuinæ Eſſentiæ idem mirificè confirmat. *Quod non circumſcribitur, non numeratur; quod non numeratur, in multitudine conſiderari nō poteſt*: Sed Diuina eſſentia non circumſcribitur: ergo neque numeratur, aut numerari poteſt. Confirmatur: nam tunc infinita non eſſet, & vna Diuinitas numerata alterius perfectione careret, & nulla eſſet Diuinitas: plurificare enim Deum, eſt ipſum negare.

Egregiè D. Aug. 7. de Trinit. cap. 4. 5. & 6. *Si tribus perſonis non eſſet vna Deitas; plus Deitatis eſſet in tribus perſonis, quàm in vna: ſicut plus natura humana eſt in tribus hominibus, quàm in vno.* Quo ſequeretur, & Deitatem diuidi, & ſingulas perſonas non eſſe æquales, neq; Deum: non enim in ſingulis eſſet ſumma Deitas. Sed hæc ad Tract. de abſolutis; ideo ſufficit attigiſſe.

Probatur ergo antecedentis 2. pars, nimirum ſecundam perſonam conſubſtantialem eſſe primæ. Primò, ex illis aureis verbis plurimi ad hanc rem comprobandam à SS. Patribus factis. *Ego & Pater vnum ſumus*: ſed Pater eſt Deus: ergo & Filius. Et communiſsimum, & fortiſsimum contra Arrianos, Chriſti Diuinitatem blaſphemantes, argumentum: Filius enim non eſt vnum accidente cum Patre: nam in Deo repugnat cadere accidens: nec vnum relatione: imò diſtincta, & oppoſita relatione diſtinguitur Filij perſona à Patris perſona: nec vnum concordia voluntatum, idque ex verborum contextu: volebat enim Chriſtus eo loco probare, neminem poſſe ſuas oues ex manu ſua rapere, & hanc compoſuit rationem. Nemo poteſt eas rapere de manu Patris, quia omnes ipſum credunt Deum: ergo neque de manu mea, quia *Ego, & Pater vnum ſumus*: ergo hoc loco non agitur de concordia voluntatum, ſed de virtute, & potentia, quæ eſt eſſentialis. Ita præcipuè SS. Baſil. lib. 1. contra Eunom. Chryſoſt. in hunc locum, Auguſt. in eundem locum: imò Chriſtus Dominus, quia paucis verbis infra ex hoc fundamento Filium Dei ſe nuncupauit, & Deum Patrem ſuum: ergo ſi vnum eſt cum Patre Filius, & non accidēte, aut relatione, aut voluntatū concordia; erit ſubſtātia, & eſſentia.

Hoc argumentum, vt iam indicabam, ex his verbis intulerunt innumeri SS. Patres, Alexand. Alexandrin. Epiſt. ad omnes Epiſcopos, & legitur ante Concilium Nicænum; S. Athanaſ. quinque orationibus contra Arrianos. lib. 4. aduerſus Vrbicum Potentinum. Epiſt. ad Epiſcopos Africanos. S. Nanzian. orat. 49. S. Baſil. lib. vnico de Spiritu S. cap. 18. lib. 4. contra Eunomium, c. 1. S. Epiphan. hæreſi 54. 62. & 69. S. Cyrill. Alex. lib. 1. in Io. c. 2. & lib. 7. c. 10. & lib. 12. Theſ. c. 15. S. Chryſoſt. hom. 60. in Io. S. Ambroſ. frequentiſsimè libris 5. de fide, & libris tribus de Spiritu Sancto. S. Hilarius lib. 3. & 7. de Trinit. S. Hieronym. in 6. Iſaiæ. S. Aug. vbique in Io. Tract. 36. contra Maximinum hæreticum lib. 3. cap. 14. de Trinit. lib. 5. cap. 3. & 9. lib. 6. cap. 2. & 3. lib. 83. quæſt. quæſt. 69.

Ipſimet Iudęi audientes ab ore Chriſti verba, hęc intellexerunt eum ſe facere Deum: ſuſtulerūt enim lapides, vt lapidarent eum: & paucis infra reddentes rationē, *de bono opere*, dixerūt, *non lapidamus te, ſed de blaſphemia, & quia tu homo cum ſis, teipſum facis Deum.* Sic obſeruant, & colligunt, & vrgent his verbis SS. Chriſoſt. & Aug. iam recenſitis locis, & Athanaſ. orat. 4. contra Arrianos, & Cyrill. lib. 12. Theſ. cap. 15. & Chriſtus Dominus hinc à fortiori ſumit argumentum in illis verbis: *Nonne ſcriptum eſt in lege veſtra, Ego dixi Dij eſtis? Si illos dixit Deos, ad quos ſermo Dei factus eſt, & non poteſt ſolui Scriptura, quem Pater ſanctificauit, & miſit in Mundum, vos dicitis quia blaſphemas, quia dixi Filius Dei ſum.* Videlicet, ſi per gratiam, & participationem aliquam illi homines ex lege vocantur Dij, quanto magis legitimè me Deum vocare poſſum, cum ſim eiuſdem cum Patre ſubſtantiæ, & Filius naturalis, & generatione æterna, & vnione hypoſtatica ſanctificatus in Mundum venerim? Filium, inquam, Deum, non Patrem Deum me explico, ſicuti vos malè intellexiſtis, vt obſeruat S. Athan. orat. 5. cōtra Arrianos. Quapropter in fine addidit: *vt cognoſcatis, & credatis, quia Pater in me eſt, & ego in Patre*, vt Catholici expoſitores huius loci Aug. Hilar. Beda, & alij.

Confirmatur ex D. Aug. 6. de Trinit. cap. 3. & 2. contra Maximinum cap. 12. In Diuina Scriptura quoties plura dicuntur vnum, ſi non diſtinctè addatur, in quo, & quomodo vnum, *certò ſumitur vnū ſecundum eſſentiam*: Et de hac re cōſtant exempla 1. Corinth 6. *Qui adhæret meretrici, vnum corpus efficitur*; vt limitaret, qua vnitate vnum, non ſimpliciter dixit vnum, ſed *vnum Corpus*. Pariformiter, *qui autem adhæret Deo, vnus Spiritus eſt*: vbi non in omni latitudine accipitur vnum, ſed ad Spiritum reſtringitur, *vnus Spiritus eſt*. De ſe antē Chriſtus cū abſolutè dixerit, Ego, *& Pater vnum ſumus*; de vnitate eſſentiæ neceſſariò interpretandus eſt.

Nec prodeſt quidquam ſi opponatur. Io. 17. *Rogo vt vnum ſint ſicut & nos*: nam primo loco quem interpretamur, loquebatur de vnitate ſui, & Patris: ſecundo verò loco nunc relato rogabat de vnitate mentium hominum cum Deo per gratiam. Liquidò autem conſpicuum eſt ex Innoc. 3. in cap. *Damnamus* de ſum. Trinit. inæqualē valdè, & longè inferiorem ſimilitudinē dictionem *ſicut* ſignificare quādo creaturas accidit aliquando Deo cōparari, his verbis, *Inter Creaturam, & creatorem non poteſt tanta ſimilitudo notari, quin inter eos maior diſsimilitudo ſit notanda*: quemadmodum Matth. 5. *Eſtote perfecti, ſicut Pater veſter cæleſtis perfectus eſt*: quis enim his auderet verbis aſſerere, Chriſtum creaturæ perſuadere, vt æqualem Patri ſuo æterno attingerent perfectionem, cum repugnet, & paradoxon inuoluat? ergo Chriſtus Ioan. 10. de vnitate Diuina numerica eſſentiali loquebatur. Io. vero 17. de accidentali per gratiam hominis cum Deo.

His, omnis Arrianorum conatus hæc verba corrumpendi, & in prauum ſenſum detorquendi, facile, & conſpicuè eluditur, & propoſita veritas de Filij conſubſtantialitate, & Diuinitate ſolida permanet, in æternumq; permanebit. Ergo vt tandem colligam argumentum. Filius eſt vnum eſſentia cum Patre per certam, & Catholicam vnanimem SS. Patrum horum verborum interpretationem, & inde Deus.

Sed ex eodem contextu verborum ad eandem teſtandam veritatem eiuſdem maximi pōderis adhuc duo colligo argumenta. Alterum, quia dum ſe Filium nuncupat Patris Dei, ſe pariter Deum omni procul dubio prædicat, ac demonſtrat: quod quidē hac arte conſtruo, & à cæteris Theologis conſtrui ſolet: nam qua ratione Filius, eadem ratione eiuſdem naturæ cum Patre, & Deus.

In Deo eſt vera, perfecta, & vniuoca viuentis generatio, qua non per partem: hoc enim repugnat, illam infinitè perfectam, & ſimpliciſsimam Diuinitatis eſſentiam partiri; ſed per totum communicatur eadem numero genito generantis ſubſtātia: ergo genitus eiuſdem cum Patre ſubſtantiæ, & inde cum eo idem Deus. Conſequentia ex ſe eſt euidens. Probandum igitur Antecedens. Primò ex Diuinis literis.

Pſal. 109. toto de Filij Diuinitate: Dominus enim noſter Matt. 22. ad ſuam Diuinitatem perſuadendam, partem huius pſal. aſſumit. *Quid vobis videtur de Chriſto, cuius Filius eſt? Dicunt ei Dauid: ait illis: Quomodo ergo Dauid vocat eum in Spiritu Dominum, dicens, dixit Dominus Domino meo ſede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum? Si Dauid vocat eum Dominum, quomodo Filius eius eſt?* Et D. Paulus Hebr. 5. eiuſdem pſal. verſiculum, *Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedec* de Chiſto interpretatur. Ex illo ergo pſalmo verba illa, *Ex vtero ante luciferum genui te*, de æterna Filij à Patre generatione innumeri Patres SS. communi interpretatione aſſumunt: Sicuti enim particula *Ante luciferum* æternitatem explicatè indicat; ſic *ex vtero*, ſubſtantiam Patris, qua Filius per generationem procedit, denotat. Et quod pſal. 44. idem Spiritus Sanctus per Dauid, *Eructauit cor meum verbum bonum*; idem hoc citato ſupra pſal. *Ex vtero genui te*, commentatione D. Nazianz. orat. 49. *Vides ergo Verbum bonum Filium Dei eſſe quem non aliunde, quàm de Paterno pectore, & de vtero cordis Dei credimus extitiſſe*.

Hunc Dauidicum locum de æterna Filij generatione ex ſubſtantia Patris conſtanter profeſſi ſunt, & concordi ſententia, vt dicebam, expoſuerunt SS. Clem. Romanus Epiſt. 1. ad Iacob. Iuſtin. Martyr Dialogo cum Triphone. Cyrill. Ieroſol. Cath. 2. Cyrill. Alexandrin. lib. 2. Dialog. de Trinit. Athanaſ. Dial. 1. de S. Trinit. & orat. 5. contra Arrianos, quæ incipit, *Ex Deo Deus eſt Deus*. Hilar. lib. 12. de Trinit. Epiphan. hæreſi 65. Nyſſen. lib. de cognit. Dei, cuius fragmenta referuntur tom. 3. Bibliot. Theodoret. 2. de curatione Græcarum affectionum. Hieronym. in Michæam 5. & in Iſaiam 46. Auguſt. lib. 1. de Trinit. cap. 12. & 3. contra Maximinum cap. 18. Fulgent. ad obiect. 9. & alij plurimi, præter ea, quæ alibi nos de eodem loco congeſsimus.

Pſal. 2. *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Quem locum Rabbini de Meſsia acceperunt, D. Paulus de Chriſti Diuinitate ad Hebr. 1. Aſſumpſit dicens, *Cui Angelorum dixit* (Deus) *Filius meus es tu, ego hodie genui te?* Si namque de Diuina natura, & vera, & naturali filiatione non interpretaretur, quod prætendebat non colligiſſet D. Paulus, quemadmodum ſapienter notauit D. Fulgent. ad 2. Arrianorum obiect. *Quis Filium dicit, & genitum neſciat? Quis Patrem valeat credere, quem non conſideret Filium genuiſſe?* neque vlla natura maior, & Angelis excellentior, niſi Diuina. Sic D. Paul. plurimi vetuſtiſsimi Patres interpretantur. Chryſoſt. hom. 21. ad Hebr. cap. 1. Athanaſ. contra Arrianos orat. 2. & 5. & libro de Decretis Synodi Nicænæ. Baſil. 2. contra Eunomium, D. Auguſt. & in eundem pſal. 2. & in Enchiridio cap. 29. Cyrill. lib. 1. in Ioan. cap. 4. Greg. Mag. lib. 32. Moral. cap. 5. Fulgentius ad obiect. 10. Arrianorum. Tertull. contra Praxeam cap. 7. & 11. & perplures alij.

Nec poteſt Diuus Paulus mentiri, aut ſibi eſſe contrarius: quare ſi Act. 13. de regeneratione Chriſti ex ſepulchro eundem locum expoſuit, vtrobique veritatem certam docuit: nam de eiuſdem Filij generatione, tum æterna, tum ex morte, erat ſermo; & vna veritas indicat aliam, & alia ſupponit illam: eo enim quia ab æterno genitus Deus, potuit ſeipſum ſuſcitare iam hominem occiſum: & in hac mirabili reſurrectione ſe illum eſſe, qui ab æterno conceptus, & genitus eſt, demonſtrauit. Quapropter quod ex hoc loco Vaſquez in 1. par. D. Thom. diſput. 3. deduxit, æternam Filij generationem non probari per hunc locum pſal. 2. potuiſſet non deducere, & ſatius fuiſſet, ſi cum tot Sanctiſsimis Patribus illum locum ad hanc veritatem confirmandam aſſumpſiſſet.

Iſaiæ 53. *Generationem eius quis enarrabit?* Similis hic locus nuperrimè relato: non deſunt enim multi Patres, qui de æterna Filij generatione ex Patre, & alij, qui de temporanea ex Matre interpretantur. Sed pro æternæ explicatione generationis tuenda ſufficient mihi tres Summi, ac Sanctiſsimi Pontifices, Sixtus Papa 2. Epiſt. ad Epiſcopum Gratum tom. 1. Conciliorum. Clemens Romanus Epiſt. ad Iacob. Et egregiè Magnus Leo ſerm. 9. de Natiuitate. *Non ſolum*, inquit, *ad eſſentiam, ſed etiam ad humanam ſpectat naturam, quod dictum eſt per Prophetam, Generationem eius quis enarrabit?* quibus mirè vtramque expoſitionem conciliat, vt qui de Chriſti hominis natiuitate explicarunt locum, neque negarunt

garint de æterna eius à Patre generatione, neque negare debuerint, ne dicam potuerint: imò de æterna primo loco, tum vt prima analogata, tum vt longe difficiliori, quæ intelligatur, & enarretur: cu præſertim, quo relatos Pontifices plurimi, & vetuſtiſsimi, & Sanctiſsimi Patres ſequuntur, DD. Iuſt. Martyr in dialogo cum Triphone. Irenæus itidem Martyr lib. 2. cap. 48. Athanaſ. Dialogo 3. de Trinit. & lib. 5. de vnica ſubſtantia Trinitatis. Chryſoſt. homil. 1. de Incomprehenſibili natura Dei. Cyrill. lib. 1. Theſauri, & in expoſitione Symb. Nicæni, qui habetur tom. 2. Concil. Epheſini. Auguſt. 3. contra Maximinum cap. 14. & alibi ſæpè. Hieronym. in hunc locum Iſaiæ, & in 1. cap. Matt. Qui omnes de æterna generatione locum ſusceperunt, Qui verò de temporanea, æternam certè ſuppoſuerunt.

Iſaiæ vlt. *Nunquid qui alios parere facio, ipſe non pariam? qui generationem alijs tribuo, ſterilis ero? ait Dominus.* Quem locum licet non deſint grauiſsimi Patres, qui de generatione adoptiua filiorum, quaſi ad inſtar generationis naturalis filij accipiant; non quia per modum naturæ, ſed per liberalem, communem, & abſolutam voluntatem, per gratiam, tanquam dilectos Filios generet: optima tamen D. Iſidori explicatio lib. 1. contra Iudæos cap. 1. & Concilij Hiſpalenſis 2. de æterna Filij generatione, optimumque S. Thomæ de Potentia, art. 1. ad argumentum 9. Argumentum, quo æternam generationem arguit ab effectu ad cauſam: ex generatione nimirum temporanea filiorum per gratiam, vnigeniti Filij æternam per naturam.

Sed apertiſsima verba ſunt Prouerb. 8. de ſempiterna ſapientia genita, hoc eſt de Filij generatione, ab omnibus Doctoribus vnico hoc ſenſu expoſita. *Ante omnes colles ego parturiebar. Nondum erant abyſsi, & ego iam concepta eram: Ab æterno ordinata ſum.*

Denique omnibus illis locis, quibus prima perſona aſſeritur Pater, ſecunda Filius. Verum Hæretici blaſphemant, & dementius, quàm ſi animam, qua loquuntur, & lumen ſolis, quo vident, negarent; impiè, & impudenter negant Filium Dei eſſe verum, ac naturalem, & natum ex Patre Deo Filium, ſed factum, & adoptatum audent affirmare, vt referunt in primis SS. Hilar. lib. 4. & 6. de Trinit. & Epiphan. hæreſi 69. ex Arrio, Epiſt. ad Alexand. & Baſil. ex Eunomio lib. 2. contra ipſum, & Cyrill. lib. 3. & 4. & 8. Theſauri, & Nazian. orat. 35. Demonſtrandum igitur eſſe verum Filium natum ex Patre.

Pſal. 2. *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie* (in die æternitatis) *genui te.* 1. Ioan. 5. *Simus in vero Filio eius:* ergo natus, aliàs non eſſet verus, ſed adoptiuus. Lucæ 1. *Filius Altiſsimi vocabitur.* Matt. 16. *Tu es Chriſtus Filius Dei viui.* Matt. 14. *Filius Dei Benedicti.* Ad Roman. 8. *Qui proprio Filio non pepercit, ſed pro nobis tradidit illum.* Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret.* Quodſi Filius proprius, & Dei viui: ergo natus. Eſt D. Auguſt. 5. de Trinit. cap. 6. *Ideo Filius, quia genitus, & quia Filius vtique genitus.* In Symb. Nicæno. *Ex Patre natum ante omnia ſæcula.* Nicæna Synodus lib. 2. §. *Sæpenumero: Filius non ſolo nomine verus, & perfectus.* Et §. *Quod natura:* Filius æterni Dei. Et §. *Sæpenumero: ex ſubſtantia Patris genitus vnigenitus Dei Filius.* Athanaſius in Symb. *Non factus, nec creatus, ſed genitus.*

SS. Patres ſæpiſsimè, efficaciſsimè: Baſil. hom. 28. contra Sabellium, *Ex Patre Filius non mandato factus, ſed ex illius natura genitus eſt.* Chryſoſt. in cap. 1. Hebræor. hom. 2. *Niſi eſſet germanus Filius* (germanus autem Filius nihil aliud eſt, quàm de ipſo genitus) *quomodo poſſet ex hoc amplitudinem honoris aſſerere? Si enim eſſet gratia Filius, non ſolum non excelleret Angelos &c.* Epiph. hæreſi 62. *Perfectus exiſtens Pater in ſubſtantia, & Filius perfectus ſemper in ſubſtantia veritate, ex Patre genitus Filius genuinus.* Cyrill. Alex. contra Paulum Samoſat. lib. 2. Theſauri integro lib. 3. cap. 1. lib. 13. cap. 1. lib. 14. cap. 2. 3. & 5. tertio quoq; verbo. *Filium Dei generari, naſci, procedere, eſſe Filium eſſentialiter ſecundum naturam.*

Præterea multis Diuinarum litterarum locis *vnigenitus* aſſeritur: non ergo adoptiuus: hi enim innumeri ſunt. Io. 1. *Vnigenitus, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit nobis.* Eodem cap. *gloriam quaſi vnigeniti à Patre.* nimirum gloriam, quæ verè competeret, & ſufficeret, & qua dignus eſſet vnigenitus. Io. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum Vnigenitum daret.* 1. Io. 4. *In hoc apparuit Charitas Dei in nobis, quoniam Filium ſuum Vnigenitum miſit in mundum.* Hinc & Symb. Nicæn. *Filium Dei Vnigenitum.* Quid verò hoc ſit, ſubdit, *Et ex Patre natum.*

Quocirca doctiſsimi, & Sanctiſsimi Patres Vnigeniti rationem in hanc eandem ſententiam explicarunt. Athanaſ. Dialog. 2. de Trinit. contra Anomæum, dum reſpondet ad Scholia Eunomij: *Sic eum Vnigenitum etiam fateberis, qui ſolus ex eſſentia genitus eſt: nam ſi & ipſe voluntatis Filius eſt, nempe non eſt Vnigenitus: nam multi ſunt, quos peperit voluntas: voluntariè enim genuit nos verbo veritatis* Iacob. 1. Cyrill. lib. 10. Theſauri cap. 4. in illa verba Io. 1. *Gloriam quaſi Vnigeniti à Patre*, egregiè deducit: *Non ergo quia ſolus à Patre, creatus eſt, ſed quia ſolus ex Patre naturaliter naſcitur, idcirco Vnigenitus appellatur.* Cyrill. Ieroſol. catecheſi 11. in illa verba Symb. Nicæni. *Filium Dei Vnigenitum, Sic non exiſtimes eſſe adoptiuum, ſed naturaliter Vnigenitum Filium, qui fratrem alium habet nullum: propterea enim vocatur Vnigenitus, quod in dignitate, in Diuinitate, & ex Patre generatione fratrem non habet.* Nazianz. orat. 49. *Natum de Patre vnicum, hoc eſt de ſubſtantia Patris.* Fulgent. ad 3. object. Arianor. *In illa natiuitate verè eſt Vnigenitus, in qua ſine initio de ſolo*

Deo ſolùs natus eſt Deus. Denique Damaſc. ne plures in re certiſsima enumerem, 1. fidei cap. 9. *Vnigenitus, quod ſolùs ex ſolo Patre ſingulariter genitus.*

Neque faceſsit negotium ſi opponatur. Filius multis Diuinarum Scripturarum locis dicitur Primogenitus: ergo non eſt Vnigenitus: ſi enim aſſeritur primus genitus, aſſerendus & ſaltem ſecundus genitus. Hebræorum 1. *Cum iterum introducit Primogenitum in orbem Terrarum.* Ad Rom. 8. *Vt ſit ipſe Primogenitus in multis fratribus.* Ad Coloſſ. 1. *Qui eſt imago Dei inuiſibilis, Primogenitus creaturæ.* Apocal. 1. *Primogenitus mortuorum.* Eccl. 14. *Ego ex ore altiſſimi prodiui primogenita ante omnem creaturam.* Reſpondetur enim; nullam omnino eſſe conſequentiam, ex ignorata horum verborum ſententia, *Primogenitus creatura in multis fratribus.* Ante omnem creaturam &c.

Sed ſuppono primò duplicem Chriſti Domini generationem. Alteram naturalem ex Patre, & æternam. Alteram liberam, & temporalem ex Matre, & primam dicere relationem realem ad Patrem, & Patris ad Filium; ſecundam verò rationis dumtaxat Patris ad Filium hominem.

Suppono ſecundò, illam vocem *Primo* additam *genito*, plures ex SS. Patribus dicere, & complecti dignitatis, & perfectionis prioritates: Prima verò eſt durationis: Ante enim, & ab æterno Filius naturalis eſt genitus: fratres verò homines in tempore, ad Coloſſ. 1. *Ipſe eſt ante omnes.* Secunda perfectionis: quia Filius naturaliter genitus Deus, & imago perfectiſsima Patri æqualis: cæteri verò homines per adoptionem, ſimplices creaturæ. D. Chryſoſt. in Symb. hom. 1. *Ideo Filius Dei primogenitus, quia in ſecula nemo ſic natus eſt.* Tertia principij, & meriti. Ecenim vt Filius æternus eſt principium creans cæteros fratres adoptiuos: *Omnia* enim *per ipſum facta facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil.* Vt verò frater, & filius hominis, ita eſt Primogenitus, vt meruerit, ipſe ſanguine ſuo omnes fieri fratres adoptiuos.

Denique non primo creatus omnis creaturæ, ſed Primogenitus, vt illæ creatæ; ipſe verò genitus de ſubſtantia Patris ab æterno. Ita SS. Baſil. lib. 4. contra Eunom. Chryſoſt. hom. 3. ad Coloſſ. 1. Epiphan. hæreſi 78. Cyrill. ſuſiſſimè lib. 10. Theſauri, cap. 4. Nazianz. orat. 1. Hilar. in Pſal. 2. Tertull. lib. 5. contra Marcion. cap. 19. Thom. lect. 6. ad Roman. 8. His ergo ſuppoſitis, gemina certa colligitur ſolutio.

Prima, Chriſtus eo aſſeritur Primogenitus, vt nullus alius illo prior ſit genitus: ab æterno enim genitus. Secunda, vt de humana generatione aſſumatur Primogenitura Chriſti, qua nec derogatur æternæ generationi, ſed humana additur, qua multi deinde adiuncti ſunt filij & fratres, tamen in tempore & adoptiui.

Addenda mira confirmatio, & admodum efficax ex nomine, Homouſio, apud tot Patres, & Concilia celeberrima.

Hoc vetuſtiſſimum nomen Homouſij tanti ſemper fecerunt ſanctiſſimi Patres, vt in Concil. Niceno Fidei Symbolo inſeruerint, quod Eccleſia Latina transtulit *conſubſtantialem*, & omnes catholici profitentur, & ab ore Sacerdotis ab altari in Miſſæ myſterio audiunt, & recipiunt, & credunt, & receperunt deinde Concilia, Sardicenſe, qua parte Catholicum fuit. S. Athanaſ. epiſt. ad Antiochenſes. Alexandrinum in epiſt. D. Cyril. Alexand. quæ eſt 10. in tom. 4. operum eiuſdem Cyrilli. Conſtantinop. I. quod eſt 2. vniuerſale, cap. 1. Epheſinum I. generale, epiſt. ad Neſtorium. Et tom. 2. cap. 3. & tom. 5. cap. 1. anathematiſmo 1. Chalcedonenſe generale 4. act. 2. & act. 16. Quintum generale act. 3. in profeſſione Fidei, & act. 8. cap. 1.

Idem Pontifices Maximi receperunt in Concilijs multis, & epiſtolis. In 6. Synodo generali act. 4. in epiſt. Agathonis Papæ. Liberius Papa epiſt. 9. ad Epiſcopos Italiæ, & habetur tom. 1. Concilior. Et epiſt. 11. ad Orientales, in qua de fide Nicæna ſic eloquitur, & mirè vrget de veritate Fidei in voce Homouſij, contra Arrianos. Quæ nomine conſubſtantialis comprehenſa tanquam propugnaculum firmum, & inexpugnabile, omnes impetus, & machinas Arrij retundit, & reprimit; ſed non ſolum nodum Arrij, ſed etiam Sabellij extremos errores refellit, dum in vnitate eſſentiæ & diſtinctionem perſonarum complectitur, & perſpicuè explicat, vt obſeruat in primis S. Ambroſ. lib. 3. de Fide ad Gratian. cap. 7. his verbis: *Fruſtra verbum iſtud propter Sabellianos declinare ſe dicunt Arriani, & in eo ſuam imperitiam produnt, Homouſio enim aliud alij, non ipſum eſt ſibi.* Rectè ergo Homouſion Patri Filium dicimus, quia verbo eo, & perſonarum diſtinctio, & naturæ vnitas ſignificatur: dicitur enim de eo, cuius vnum eſt ab alio, & ab eo recipit eandem eſſentiam, vt notant Sanctus Athan. in Epiſt. de Synodis Arimini, & Seluciæ, & D. Hilarius lib. de Synodis verſus finem.

Leo. Magnus Epiſt. 93. ad Turribium Aſturienſem cap. 1. Ioan. 11. Epiſt. ad Senatores, vel lib. de duabus Naturis contra Eutychete.

Omnes Patres, qui magna auctoritate, & reuerentia hoc Symbolum ſuſceperunt, & explicarunt, Athanaſ. multis locis orat. 1. contra Arrianos. Dialog. 31. de Trinit. contra Maced. &c. Nazian. orat. 49. & 50. Hilarius lib. de Synodis. Cyrill. Alex. vberius expoſitione huius Symboli in fine tom. 4. Victorin. opuſc. de Homouſio recipiendo, vbi exiſtimat hoc vocabulū miraculo dictum, & cœlitus acceptum. Colligitur tamen ex Diuinis litteris: licet enim vox formalis non legatur, res tamen ab ea ſignificata ſufficit vbiq; locorum aſſeri: & ſatis nobis ſit, quod D. Aug. lib. 3. contra Maximinum cap. 14. & Tract. 97. in Io. tradit Homouſion nihil aliud eſſe, quàm illud, *Ego, & Pater vnum ſumus.* Et omnibus illis locis præſertim, quibus tum vnus Deus, tum tres perſonæ Deus aſſeruntur: ſi enim tres, & vnus tamen Deus, quàm clariſsimè conſubſtantiales conſpiciuntur.

S. Cyrill. Alex. lib. 1. Dialog. de Trinit. *Imprimitur*, inquit, *plantatum fuiſſe Homouſion ex Exod.*

Digitized by Google

Exod. cap. 3. Ego ſum qui ſum, hoc eſt ipſamet eſſentia, & ſubſtantia. Hinc 12. Theſauri, cap. 13. eundem locum de ſecunda perſona interpretatur ex Epiſt. Canonica Apoſtoli Thadæi. *Commonere autem vos volo ſcientes ſemel omnia, quoniam Ieſus populum de Terra Aegipti ſaluans, eos qui non crediderunt, perdidit. Si Ieſus*, inquit *S. Cyrill. ſecundum Apoſt. Iudam, populum eripuit ex terra Aegipti, ipſe certè, qui Exodi 3. dixit ad Moyſen, Ego ſum qui ſum, & audiens gemitum filiorum Iſrael deſcendi ad liberandum eos. Ergo ſi de Filio dicitur, Ego ſum qui ſum, eſſentia eiuſdem eſt Filius cum Patre &c.* Quocirca Homouſion antiquior vox, quàm ipſummet Concilium Nicænum, nec ab ipſo inuentum.

Volo ex ipſis aduerſarijs teſtimonium recenſere. Euſeb. Epiſcop. Cæſarienſ. in Epiſt. cuius meminit S. Athan. Epiſt. ad Africanos, & cuius exemplar eſt apud Theodoret. lib. 1. hiſt. Eccleſiaſt. cap. 12. ſcribens ad fratres Arrianos; *Nouimus*, inquit, *quoſdam ex Priſcis eruditos, & praeclaros Antiſtites, alioſque ſcriptores, cum de Patris, & Filij Diuinitate loquerentur, voce conſubſtantialis vſos fuiſſe.*

Certius teſtimoniũ refertur ex fragmento Concilij Niceni, quod ex Græco Vaticano ſumptum ponitur in lib. 2. Concil. ante ſubſcriptiones Patrum. *Viſum eſt omnibus noſtris conſubſtantiale in Eccleſia definiri oportere ad eum modum, quo poſt Apoſtolos SS. Patres noſtri fidem hanc tradiderunt, hoc eſt confiteri Filium, & Spiritum Sanctum eiuſdem ſubſtantiæ cum Patre; ita vt Apoſtolica traditione ab Apoſtolis Eccleſia receperit Homouſij veritatem, fidem, confeſſionem, & vſum.*

Confirmatur denique ex tradita, & explicata ſuo loco generationis definitione S. Thomæ q. 27. art. 2. & 4. contra Gentes cap. 11. eſt origo viuentis à viuente, ſicut à principio coniuncto in ſimilitudinem naturæ. Ioannis Maioris in 1. d. 13. quæſt. 1. Generatio eſt productio non de nihilo alicuius viuentis cognoſcentis, ab aliquo eiuſdem naturæ numero, vel ſpecie; ſiue res habeat eſſe poſt non eſſe, ſiue ſemper habeat eſſe, ſcilicet quod (res producta quando eſt generatio), poſſet ſic facere in productione, ſicuti res generans; ita vt complectatur vtramque generationem, tum creatam animalis producentis ſimile in ſpecie poſt non eſſe, tum æternam, eandem numero naturam communicantem.

Neque obeſt quod vltimo addit: ille verè ſit genitus, qui poſſet generare: Reſpondet enim ipſe Maior, ad generationem verè ſufficere, vt genitus ſit Filius, qui ex natura poſſit generare; ſi aliunde per accidens, vel alia ratione non repugnat: & ſic in Diuinis competit Naturæ Diuinæ in aliquo ſuppoſito poſſe generare, ſcilicet Patri; non autem Filio illi aliunde competit, quia non oportet, & quia infinitæ perfectionis eſt, cui alium Filium eſſe repugnat.

Sed in primis ad hunc locum deſeruit S. Bon. definitio diſt. 9. quæſt. 1. Generatio in Deo eſt ex ſe toto producere ſimilem in natura eadem numero: nam Diuina natura non poteſt nec partiri, nec multiplicari; quia & ſpiritus, & infinitè perfecta eſt; poteſt tamen immultiplicata ex ſumma ſimplicitate inueniri in pluribus: ergo Filius genitus eandem numero Dei Patris generantis habet eſſentiam: ergo Deus.

Tertium argumentum de Diuinitate Chriſti ex eodem 10. cap. ſumptum eſt, ex operibus Diuinitati proprijs, illis verbis. *Opera quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc teſtimonium perhibent de me*; veluti ſi diceret, opera, quæ Diuinitate Patris mei, & auctoritate, & voluntate, oſtendunt me eadem Diuinitate, qua Pater meus Deus eſt, ibidem eſſe eundem Deum. Et paucis infra. *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi; ſi autem facio, & ſi mihi non vultis credere, operibus credite, vt cognoſcatis, & credatis, quia Pater in me eſt, & ego in Patre.*

His verbis Filij Diuinitatem probari vbique tradunt Sanctiſsimi PP. Athan. lib. de Incarn. Chriſti. orat. contra Greg. Sabellij. Orat. 4. contra Arrianos lib. 3. de aſſumptione hominis. Hilar. lib. 6. de Trinit. in medio lib. 7. ibidem, & lib. 9. Chryſoſt. hom. 60. in Ioann. Cyrill. lib. 3. in Ioan. cap. 2. lib. 6. cap. 12. Aug. tract. 48. & alij. Hinc conſtituitur argumentatio. Facere miracula propria virtute eſt proprium, ac certum Diuinitatis teſtimonium: hæc Chriſtus & eo modo faciebat: ergo Deus ex his cognoſcendus, & adorandus. Maior inde conſtat, quia pſal. 71. *Qui facit mirabilia ſolus*. Pſal. 85. *Faciens mirabilia, tu es Deus ſolus*. Pſal. 135. *Qui facis mirabilia magna ſolus*. Minor probatur, primò: nam mirabilia imperando creaturis omnibus miracula patrabat Chriſtus, non deprecando ſicut reliqui Sancti. Marci 9. *Surde, & mute Spiritus, ego praecipio tibi, exi ab eo*. Lucæ 4. *Increpauit illum Ieſus dicens, obmuteſce, & exi ab eo*. Ibidem. *Imperauit febri, & dimiſit illam*. Matth. 8. *Imperauit ventis, & mari, & facta eſt tranquillitas magna*. Concedere alijs virtutem, & facultatem miracula faciendi, Diuinitatis eſt; ſed hanc ſuis Apoſtolis conceſsit Chriſtus: ergo Deus. Nam & Luc. 10. *Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſuper omnem virtutem inimici*.

Tertiò. Nam ipſi diſcipuli Ieſum inuocando miracula operabantur. Luc. 10. *Domine etiam Dæmonia ſubijciuntur nobis in nomine tuo*. Act. 3. *In nomine Ieſu Chriſti Nazareni ſurge, & ambula*. Ibidem. *In fide nominis eius hunc, quem vos vidiſtis, & noſtis, confirmauit nomen eius.*

Verum quoniam eodem cap. Chriſtus Dominus aſſeruit, *Opera Patris mei facio*; vt hoc argumento vehementius vrgeamus, numeremus Patris omnium operum capita, & eadem facere Filium ſimul confirmemus.

Primum autem opus ab intra ab æterno Patris eſt Spiritũ Sanctum ſpirare, totamque ei ſubſtantiam communicare: ſed hoc idem facit & Filius, aliàs non eſſet eiuſdem eſſentiæ cum Patre, teſte Concil. Florent. producit enim, & ſpirat: ergo eiuſdem naturæ cum Patre: ergo cum ipſo Deus.

Hoc

Hoc abundè probatum eſt quæſt. de Proceſſ. Spiritus Sancti à Patre, & Filiò.

Secundum eſt ad æternam ſalutem prædeſtinare, & eligere: Dei enim ſolius proprium eſt, omnibus illis locis, quibus Deus aſſeritur diligere, approbare, reprobare &c. *Iacob dilexi, Eſau autem odio habui. Nouit Dominus, qui ſunt eius. Quos prædeſtinauit, hos & vocauit &c.* Sed Chriſtus Ioan. 13. *Ego*, inquit, *ſcio quos elegerim*, & cap. 15. *Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos; vt eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter maneat.* Vbi non ſolum de electione temporanea ad munus Apoſtolicum, ſed ad Regnum æternum, Chriſtum agere certum eſt.

Tertium Dei Patris proprium, & Diuinitatis inſigne eſt intueri, & hominum occultas cordis; & liberas cogitationes ſcrutari, certaque futura prædicere. 1. Reg. 16. *Homo videt ea, quæ parent, Dominus autẽ intuetur cor.* 3 Reg. 8. *Tu noſti ſolus cor omnium Filiorum hominum.* Iſai. 41. *Annuntiate quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus quia Dij eſtis vos.* Quod confirmari inde etiam poteſt: nam Prophetę lumine deſuper recepto prophetabant, & D. Paulus 1. Corinth. 12. & 13. Prophetiam Dei donum eſſe teſtatur: ſequitur enim, ergo Dei ſolius proprium. Vtraque verò virtute præditum fuiſſe Chriſtum Dominum multis Diuinarum litterarum locis teſtatur Spiritus Sanctus. Pauca referam. Ioan. 2. *Eo quod ipſe noſſet omnes* (nota hanc vniuerſalitatis vocem, omnes) *& quia opus ei non erat, vt quis teſtimonium perhiberet de homine: ipſe enim ſciebat quid eſſet in homine.* Ioan. 6. *Sciens Ieſus apud ſemetipſum, quia murmurarent de hoc diſcipuli eius.* Ibidem: *Sciebat ab initio Ieſus qui eſſent non credentes, & qui traditurus eſſet eum.* Apocal. 2. *Ego ſum ſcrutans renes et corda.* Ioan. 13. *Amodo dico vobis priuſquam fiat, vt cum factum fuerit credatis, quia ego ſum.* Eadem cap. 15. His, & conſimilibus locis Chriſti Diuinitatem probari obſeruarunt ſolertiſſimè SS. Patres, Chryſoſ. Cyrill. Aug. Beda. Euthym. Theofil. &c.

Quartum eſt mundum creare. Iſai. 44. *Ego ſum Dominus faciens omnia, extendens Cælos ſolus, ſtabiliens terram, & nullus mecum.* Pſal. 95. *Dij gentium dæmonia: Dominus autem Cælos fecit.* Ierem. 10. *Dij, qui Cælos, & terram non fecerunt, pereant de terra, & de his, quæ ſub Cælo.* Quod verò cum Patre fecerit, creaueritque Filius omnia, teſtatur Ioan. 1. *Omnia per ipſum facta ſunt. Mundus per ipſum factus eſt.* Paulus Coloſſ. 1. *Omnia per ipſum creata ſunt.* Hebr. 1. *Et tu in principio Domine terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt Cæli.* Ioan. 5. *Quæcumque facit Pater, hæc & Filius ſimiliter facit.*

Impijſsima verò impoſtura, Filium eſſe inſtrumentum Patris in creando, & operando, vnde ſemper additur *Per*, quo non principale agens, ſed dependens, & inſtrumentum explicari. Reſp. Primò, id improbè affirmari, Diuinam nimirum Scripturam vbiq; dum de Verbi efficientia loquitur, explicare cum hac particula *Per*: nam Hebr. 1. de Filio loquens: *Et tu Domine*, inquit, *terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt Cæli.* Quibus de Chriſto apertum eſt mentionem fieri, ſicuti de efficienti præcipuo. Eodem cap. ſuper omnes Angelos, omnemque creaturam conſtituitur Chriſtus ſedere ad dexteram Patris, & reliquos aſſeritur tanquam adminiſtratores Spiritus adſtare. *Ad quem autem Angelorum dixit aliquando, ſede à dextris meis?* Nonne ſunt omnes adminiſtratorij ſpiritus, in miniſterium miſsi? Apoc. 1. de Filio: *Ego ſum alpha, & omega, principium, & finis.* Et ibi pariter omnipotens aſſeritur.

Præterea. Si eſt Dei virtus. 1. Cor. 1. Si portat omnia verbo virtutis ſuæ Hebr. 1. qua ratione poterit rectè miniſter, & inſtrumentum Patris dici? Deinde iam ſupra certa explicatione explicatum eſt, vocem *Per* illis locis ſimultaneam, & ſubſtantialem virtutem cum origine deſignare, nullo verò modo inæqualitatem virtutis. Quod confirmatur ex alijs nunc relatis locis. Confirmatur ſecundò ijs locis, quibus Filius præponitur Patri. Ioan. 10. *Ego & Pater vnum ſumus.* Io. 16. Ego, & Pater *veniemus, & manſionem apud eum faciemus* 2. Cor. 13. *Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti, & Charitas Dei* Patris, *& communicatio Spiritus Sancti*, vt obſeruat S. Athanaſ. tract. de teſtimonijs communis eſſentiæ Patris, Filii, & Spiritus Sancti. Confirmatur tertiò ex eodem S. Athan. eodem loco, vbi vox *Per* tribuitur Patri. 1. Cor. 1. *Fidelis Deus, per quem vocati eſtis in ſocietatem Filij Dei.* Et alijs locis ibi relatis.

Vocem vero *ex*, & *De* principium dicentem Filio dari. Ioan. 1. *De plenitudine eius nos omnes accepimus.* Ioan. 16. *Ille de meo accipiet, & annuntiabit vobis* (Spiritus Sanctus) Lucæ 8. *Ego noui virtutem de me exiſſe*, ait ipſe Filius.

Quintum. Pater regit, & dominatur mundo, dominatur & Filius. Dauid pſal. 109. *Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis.* De Patre, & Filio interpretatur ipſe Dominus Matth. 16. Deuter 6. de Patre. *Audi Iſrael, Dominus Deus tuus Deus vnus eſt.* De Filio. Ioel. 3. *Dominus de Sion rugiet, & de Ieruſalem dabit vocem ſuam & mouebuntur Cælum, & terra.* Ita S. Athan. pſal. 2. *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem Sanctum eius.*

Sextum. Pater legifer eſt. Dauid pſal. 39. *In capite libri ſcriptum eſt de me vt facerem voluntatem tuam, Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.* Filius, ad Romanos 8. *Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti.*

Septimum. Pater viuificat. Ioan. 5. *Sicut Pater ſuſcitat mortuos, & viuificat: Sic & Filius quos vult viuificat.*

Octauum Dei proprium eſt ſaluare. Iſai. 43. *Ego ſum Dominus, & abſque me non eſt ſaluator*, & cap. 45. *Deus iuſtus, & ſaluans.* Oſeæ. 13. *Ego Dominus Deus tuus, & Saluator non eſt præ*

ter

ter me. Saluator eſt Chriſtus: Matt. 1. *Vocabis nomen eius Ieſum: ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum*. Teſtatur totum Euangelium.

Nonum. Deus dimittit peccata. *Ego ſum, ego ſum ipſe, qui deleo iniquitates tuas propter me* Iſai. 43. Quoties in Euangelio Chriſtus peccata remittit? Lucæ 7. *Remittuntur tibi peccata tua*. Fatentur Iudæi. *Quis eſt hic, qui etiam peccata dimittit?*

Decimum Diuinitatis argumentum Filij ex eodem cap. 10, ex illis verbis, *Pater in me eſt, & ego in Patre*, repetitis cap. 14. *Ego in Patre, & Pater in me eſt; Quæ ego loquor, à me ipſo non loquor*: & cap. 17. *Sicut tu Pater in me, & ego in te*. Vbi explicatè de Circumincesſionis Diuinarum perſonarum myſterio agitur. Quæ quidem vna eo in alia inexiſtere aſſeritur, quo ſunt eiuſdẽ ſubſtantiæ, nec vna producit aliam, nec ab altera producitur extra ſubſtantiam, ſed intra per actum vitalem. Hinc profitentur Theologi, & fideles, in hac circumincesſione, & Homouſion contra Arrium, & originem perſonarum, & diſtinctionem, vt præſertim tradunt SS. Cyrill. lib. 3. Theſauri cap. 1. & Damaſc. lib. 1. cap. 11.

Et de Homouſio in primis, & perſonarum Diuinitate, eſt optimum, & ſolemne, & vetuſtisſimum Patrum argumentum: hoc enim vtuntur Concil. Nicænum lib. 1. verſus finem, §. Illud. SS. quoque Patres ſeiunctim frequenter: Græci, Athan. quatuor orationibus contra Arrium, præſertim 4. Et in compendio de Spiritu Sancto, & in poſtrema Epiſt. ad Serapionem, & alibi. Nazian. orat. 49. de fide. Baſil. lib. 1. & 2. contra Eunomium, & lib. vnico de Spiritu Sancto cap. 18. Nyſſ. orat. catech. cap. 2. & orat. de Deitate Filij & Spiritus Sancti. Chryſoſt. hom. 73. in Io. & orat. 9. de illis Abrahami verbis, *Pone manum tuam ſubter femur meum*. Epiph. hæreſi 69. 73. & 76. Cyrill. lib. 1. Theſ cap. 6. 7. & 8. & lib. 3. cap. 1. & integro ferè lib. 13. Latini pariter Patres SS. Ambr. lib. 1. de Spiritu Sancto cap. 10. & lib. 3. cap. 1. Hilar. ex Inſtituto lib. 3. de Trinit. lib. 4. & 5. & 8. & 9. Auguſt. Tract. 70. & 71. in Io. Fulgent. toto lib. 3. ad Monimum, præſertim cap. 7. & alij.

S. Athan. Epiſt. ad Maximum Philoſophum mirè ex Chriſti Domini in Cruce deſpectisſima morte eiuſdem Diuinitatem colligit. Primò lauanti manus ſuas Pilato nullum Ieſus vlterius verbum fecit, ſed potius vxori Pilati oraculum edidit, vt qui inter reos habebatur, non ex verbis, ſed viribus Dominus cognoſceretur. Viribus ergo, quibus conſtantisſimè acerbisſimam pertulit pasſionem, & mortem, declaratus, & cognitus eſt plus quàm homo; ſed Deus. Mira certè res eſt; opprobria, & mortia Crucis tormenta tanta animi alacritate ab innocentisſimo Agno, nedum lata, ſed amplexata, eum docuiſſe Deum. De quibus tamen prædixerat Dauid: *Ego autem ſum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis*.

Sed admodum clarius, & certius ex D. Paulo res hæc cognoſcitur. *Si enim cognouiſſent, numquam Dominum gloriæ crucifixiſſent*. Ergo Dominus gloriæ Chriſtus, & Deus eſt in Cruce affixus pendens. Quod ſi hic addubitauit Thomas; palpando tamen Crucifixi plagas, illum & Dominum, & Deum confeſſus eſt: *Dominus meus, & Deus meus*. Gloſſa verò hæretica eſt, S. Thom. illis verbis exclamaſſe ad Deum, neque Chriſtum Deum confeſſum: ita enim SS. Patres, & verborum contextus reuincit: ad Chriſtum enim Dominum S. Thom. verba dirigebat: quare & Chriſtus eidem reſpondit: *Quia vidiſti me Thoma credidiſti*. Et poſt lotos pedes Diſcipulorum, ſic eis loquitur Chriſtus, *Vocatis me Magiſter, & Domine, & benè dicitis, ſum etenim*. Cæterum quo corpore lauit pedes, in eodem peccata noſtra abſtulit in Crucis lignum, & pendentem in ligno Naturæ, & mundi Architectum cognouerunt, & confeſſæ ſunt creaturæ, etiam inanimes, contrahente Sole radios ſuos, terra contremiſcente, diſſilientibus ſaxis, carnificibuſque agnoſcentibus, illum qui ita pendebat, eſſe verum Filium Dei, & mortuis ad vitam reuertentibus illo tempore, Chriſtum morientem hominem non ſolum, ſed Deum etiam, pateſactum eſt.

D. Hilar. lib. 7. de Trinit. hoc fæcundisſimo, & multiplici argumento itidem Chriſtum Deum probat. Deum, inquit, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum his modis nouimus, nomine, natiuitate, natura, poteſtate, & profesſione.

Nomine. Primò ex veteri, deinde ex nouo Teſtamento. Ex veteri, ex nomine Saluatoris: verè enim Saluator noſter eſt Deus: ergo ſi Chriſtus Saluator, Chriſtus quoque Deus. Pſal. 67. *Deus noſter Deus ſaluos faciendi*. Iſai. 12. *Ecce Deus Saluator meus*. Iſai. 43. *Ego ſum Dominus, & non eſt abſque me Saluator*. Iſai. 45. vt paucis etiam ſupra citaui. *Deus iuſtus, & ſaluans non eſt præter me*. Oſeæ. 13. *Saluator non eſt præter me*. At verò hunc Saluatorem eſſe Mesſiam, & Chriſtum, non ſolum inde conſtat, quia maximam nobis ſalutem operatus eſt, nimirum animarum redemptionem, & à peccatis iuſtificationem; ſed quia frequentisſimè id ei à Prophetis tribuitur. Zachar. 9. *Ecce Rex tuus venit tibi iuſtus, & Saluator*. Iſai. 12. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris*. cap. 45. *Aperiatur terra, & germinet Saluatorem*. 49. *Dedi te in lucem gentium vt ſis ſalus mea vſque ad extremum terræ*. 62. *Propter Sion non tacebo, & propter Ieruſalem non quieſcam, donec egrediatur, vt ſplendor iuſtus eius, & accendatur vt lampas Saluator eius*. ſcilicet non deſinam orare Deum, & vaticinari, donec Mesſias veniat vt Saluator humani generis.

Sed pro centum clarisſima duo addam. Habacuc 3. *Ego autem exultabo in Deo Ieſu meo*. Iob. 19. *Scio enim, quod Redemptor meus viuit, & in carne mea videbo Deum Saluatorem meum*. Ex quibus repetitur argumentum. Deus ſolus ſaluare poteſt: Chriſtus ſaluauit: ergo Deus. Maior oſtenſa & multis locis, & auctoritatibus, & confirmatur egregiè Iob. 14. *Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine? Nonne tu, qui ſolus es?* nimirum Deus: Inde

Iſai.

Digitized by Google

Iſai. etiam ſupra recenſitus. *Ego ſum, qui deleo iniquitates &c.* Minor iam probata ex Habacuc. Conſequentia conſtat ex eodem Habacuc. *In Deo Ieſu meo.* Confirmat S. Cyrillus de recta fide ad Reginas. *Niſi Deus verus eſſet Chriſtus, qua eſſet vtilitas per ſanguinem eius, vel quomodo noſtram mundabit conſcientiam ab operibus mortuis? ſanguis enim communis quid magis habet, quàm ſanguis hircorum?* Sapient. 16. *Neque herba, neque malagma ſanauit eos, ſed tuus, Domine, ſermo, qui ſanat omnia.*

Ex nouo teſtamento, vbi Chriſtus Deus nuncupatur ex nomine. Ioan. 1. *Deus erat Verbum.* 1. Ioan. 3. *In hoc cognouimus charitatem Dei, quia ille animam ſuam pro nobis poſuit.* 1. Io. 5. *Scimus quoniam Filius Dei venit, & dedit nobis ſenſum*, nimirum mentem, & intellectum, *vt cognoſcamus verum Deum, & ſimus in vero Filio eius. Hic eſt verus Deus, & vita æterna.* Si enim verus Deus: ergo nec factus, nec creatus. Quid clarius vnquam docuit fides? Act. 20. *Attendite vobis, & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo.* Deus acquiſiuit ſanguine ſuo: ergo Deus ſanguinem habet; ergo homo Chriſtus eſt Deus, & homo. 2. Cor. 5. *Erat Deus in Chriſto, Mundum reconcilians ſibi.* ſcilicet in humanitate per vnionem perſonalem. Quod idem ad Coloſſ. 2. *In ipſo habitat omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter.* Ad Rom. 9. *Quorum Patres, & ex quibus eſt Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula.* Ad Philipp. 2. *Cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens.* D. Aug. lib. 1. contra Maximinum. *Natura erat, non rapina;* non enim vſurpauit, ſed natus eſt, ideſt non vſurpauit Diuinitatem, ſed natus eſt ex Deo, ex Patre Deo Deus. Ad Titum 2. *Expectantes beatam ſpem, & aduentum gloriæ magni Dei, & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti.* Ad Rom. 14. *Omnes ſtabimus ante tribunal Chriſti: Scriptum eſt enim: viuo ego, dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu, & omnis lingua confitebitur Deo.* Vbi manifeſtè D. Paulus tribunal Chriſti, Dei tribunal appellat. Denique manifeſtiſſimè. Ioan. 20. *Dominus meus, & Deus meus.* Et ridiculas hæreticorum calumnias aduerſus hanc Diuinitatis Chriſti confeſſionem ſupra reiecimus. Quod ſi Moyſes Deus Pharaonis Exodi 7, à Deo conſtituitur; & pſal. 81. *Ego dixi Dij eſtis*, de his ad quos ſermo Dei factus eſt, aſſeritur. Reſpondet D. Hilar. *Moyſen, & alios ſic deputatiuè appellari Deos: at cum audis Deus erat Verbum, demonſtratum intellige quod eſt.*

Natiuitate. Scilicet Verbum, Chriſtus, Filius: eo enim Deus, quo Verbum, & Filius verè ex Deo natus, & eiuſdem naturæ cum Patre, à quo natus eſt. Ita D. Petrus. *Tu es Chriſtus Filius Dei viui.* De qua re S. Aug. 2. contra Maximin. cap 6. *Vos Arriani Dei Filium ita degenerem vultis, vt ei ipſam Patris ſubſtantiam denegetis.* Ibi S. Auguſt. hoc argumento Maximinum conuincit. Diuina Scriptura cogit fateri Verbum eſſe verum Filium Dei genitum, & tamen naturam Dei Patris accipere Filium per generationem negatis. Canis, aſinus, homo non eſt verus Filius; niſi generantis naturam recipiat. His impiè deteriorem Chriſtum facitis. D. Cyrillus 12. Theſ. cap. 15. *Quomodo verus genitoris fructus aliud natura, quàm ſuus genitor erit?* Sed de hac re ſupra ſatis.

Natura. Quia Patri conſubſtantialis. *Ego, & Pater vnum ſumus.* Ioan. 10. Iam abundè paucis antea.

Poteſtate. Creat enim ſicut Pater. Ioan. 1. *Omnia per ipſum facta ſunt.* Ad Hebr. 1. *per quem fecit & ſæcula.* Ioan. 5. *Quæcumque ille facit*, ſcilicet Pater, *hæc & Filius ſimiliter facit.* Et alijs locis hoc eodem cap. antea recenſitis. Mar. 2. *Vt autem ſciatis, quia Filius hominis habet poteſtatem dimittendi peccata, tunc ait paralitico: tibi dico, ſurge, tolle grabatum tuum, & vade in domum tuam.* Hinc turbæ audientes quia peccata remittebat, in cordibus ſuis dixerunt, *Blaſphemat: quis poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus?* Hæc ſatis: nam ſupra de hoc argumento egimus.

Profeſſione. Omnibus illis locis, quibus profeſſus eſt Chriſtus habere cum Patre eandem Diuinitatem. Ioannis 10. *Ego & Pater vnum ſumus*, ſcilicet natura, & poteſtate. Ibidem. *Quod dedit mihi Pater maius omnibus eſt*, nimirum Diuinitatem. Ibidem: *Si non facio opera Patris mei, nolite mihi credere. Si autem facio, operibus credite.* Ioan. 5. *Propterea ergo magis quærebant eum Iudæi interficere, quia non ſolum ſoluebat ſabbatum, ſed & Patrem ſuum dicebat Deum, æqualem ſe faciens Deo.* & inde Iudæi Chriſto obijciebant. *Homo cum ſis, teipſum facis Deum.* Ioan. 8. *Ego ex Deo proceſſi.* Ioan. 14. *Creditis in Deum, & in me credite.* Ioan. 8. *Antequam Abraham fieret ego ſum*, ideſt æternus. Ioan. 17. *Mea omnia tua ſunt, & tua mea ſunt.* Apocal. 1. *Ego ſum primus, & nouiſſimus. Ego ſum Alpha, & omega principium, & finis, dicit Dominus Deus, qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt, omnipotens.* Quid difficilius, aut quid impoſſibilius, quàm Chriſti Diuinitatem in his verbis negare?

Sed quid conor loca Diuinæ Scripturæ pro Chriſti Diuinitate hoc loco referre, & congerere? Si omnis Scriptura, & totum Bibliorum corpus in hoc conſpirat, hoc teſtatur, & docet, & ab hac veritate incipit, & in hac veritate finit: in illis enim verbis, *In principio creauit Deus Cælum, & terram*, grauiſſimi Patres illud *In principio*, in Filio interpretantur, & illam vocem *Deus* ex Hebræo *Elohim* Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum accipiunt, & poſtrema verba Apocalyp. *Veni Domine Ieſu, gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti cum omnibus vobis, Amen*, & 1. cap. D. Matt. *Liber generationis Ieſu Chriſti Filij David, Filij Abraham*: & in fine ferè capitis. *Vocabis nomen eius Ieſum: ipſe enim ſaluum faciet*

ciet

ciet populum ſuum à peccatis eorum. Et paucis infra. *Et vocabit nomen eius Emmanuel, quod eſt interpretatum nobiſcum Deus*. Et in fine ſui Euangelij. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra*, nimirum per æternam generationem à Patre. Deinde. *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*. Vbi Filius, tum ſecunda perſona, Patri æqualis, Sanctiſsimæ Trinitatis, tum Sacramenti Baptiſmi inſtitutor, Diuinitatis opus, canitur.

D. Marci cap. 1. Præcurſor Chriſti parat vias Domini; vbi in Hebræo eſt Ieſouati Io. Baptiſta, quo non ſurrexit maior inter natos mulierum, adeo ſeipſo eſſe maiorem Chriſtum fatetur, vt non ſit dignus eius ſoluere corrigiam calceamenti. Auditur vox æterni Patris, *Tu es Filius meus dilectus, in te complacui*. Aperiuntur Cœli ſuper caput eius, deſcendit Spiritus Sanctus tanquam Columba manens ſuper eum. In fine Euangelij, *In nomine meo Dæmonia eijcient, linguis loquentur nouis, & ſuper ægros manus imponent, & bene habebunt*. Denique Dominus Ieſus aſſumptus eſt in Cælum, ſedet à dextris Dei. Qua ſede D. Paulus ad Hæbræos 1. vtitur ad Diuinitatem comprobandam, & conſimili modo reliqui Euangeliſtæ. Verum ſi librorum ſubiectum eſt, quod in principio proponitur, & in fine colligitur: ergo Chriſti Diuinitas eſt Diuinorum Bibliorum ſubiectum.

Remittens ergo Lectorem ad hæc Promptuaria, quæ inter vetuſtiores præcipuè collegit D. Cyrill. in lib. aureo Theſauri, & inter recentiores Bellarm. lib. 1. de Chriſto, per multa capita.

Statuo finem huic capiti, duobus verbis obſeruatis dumtaxat. Alterum eſt D. Io. iam etiam ſupra relatum 1. ſuæ Epiſt. cap. 5. vbi nedum Filium Dei Deum, ſed verum Deum appellat, *Hic eſt verus Deus, & vita æterna*. De quo loco D. Cyrill. lib. 12. Theſauri cap. 13. *Quid dicent hæretici ad hæc Beati Io. verba, quibus apertiſsimè Deus verus Filius appellatur? nam ſi Deus verus eſt, ſubſtantialiter, non participatione hoc ipſum eſt, ſicut creatura*. Qui autem Deus verus eſt, Deus natura eſt. Et D. Auguſt. lib. 1. de Trinit. cap. 6. *Filius non tantum Deus, ſed & verus Deus: quod Io. apertiſsimè in ſua Epiſt. &c.* Et D. Hieronym. in Iſaiæ cap. 65. *Iurabit in Deo Amen*, dicit, non ſolum Patrem eſſe Deum Amen, ideſt Deum verum, ſed etiam Filium, & probat ex hoc loco, *Hic eſt verus Deus*. Eadem D. Hilar. lib. 6. de Trinit. vltra medium.

Quæ hæretici garriunt, & turpiter blaſphemant, aduerſus hæc clariſsima verba, patentiſsimamq; veritatem; diluit, ſoluit, ac contemnit Bellarm. cap. 6. lib. 1. de Chriſto.

Alterum verbum, ad Rom. 9. *Ex quibus eſt Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt ſuper omnia Deus Benedictus in ſæcula Amen*. Vbi Chriſtum Deum Benedictum nominat. Quo certiſsimo loco pro Chriſti Diuinitate vtuntur Antiochena Synod. in Profeſſ. fidei, miſſa ad Paulum Antiochenum. Conc. Nic. lib. 2. ante medium §. *Quomodo*. D. Athan. multis locis diſp. habita contra Arrium in Concil. Nic. orat. 2. & 5. contra Arrianos, & alibi. SS. Irenæus lib. 3. cap. 18. Cyprian. cap. 2. lib. 2. contra Iudæos cap. 6. Hilarius lib. 4. & 8. de Trinit. Ambroſ. lib. 1. de fide, cap. 3. & lib. 1. de Spiritu Sancto cap. 3. Auguſt. lib. 2. de Trinit. cap. 13. & lib. 3. contra Fauſtum cap. 3. Cyrill. lib. 1. Theſauri cap. 5. Greg. hom. 8. in Ezechielem, & omnes huius loci expoſitores Catholici.

Addam tertium elegantiſsimum locum, & poſtremum, ad Titum 2. *Expectantes beatam ſpem & aduentum gloriæ magni Dei*. Vbi lepidè S. Athanaſ. lib. de locis collectis communis eſſentiæ tribus perſonis, Chriſtum Dominum non ſolum Deum, ſed magnum Deum verè appellari; & ego hinc colligo, Chriſtum eſſe Deum, & verum Deum, & magnum Deum, & Benedictum Deum in ſæcula.

CAPVT II.

De Dogmate Arriano, & eius origine, ex D. Ambroſio cap. 3. lib. 1. de fide, & cap. 8. de Diuinitate Filij, & D. Athanaſio Epiſt. de Synodis, Arimini & Seleuciæ.

NVnc conſideremus quas Arriani Dei Filio inferunt quæſtiones, dū diſsimilem Patri dicant eſſe Dei Filium. Hoc ſi homini obijciatur, iniuria eſt. Ex tempore cœpiſſe dicunt Dei Filium, cum conditor ipſe ſit temporum. Homines ſumus, & eſſe nolumus temporales. Ex tempore cœpimus, & ſine tempore futuros eſſe nos credimus, fieri nos optamus æternos, & quomodo negare poſſumus Dei Filium ſempiternum, quem ſempiternum docet Natura, non gratia? Creatum dicunt. Quis authorem inter opera ſua deputet, vt videatur id eſſe, quod fecit? Bonum negant. Sacrilega vox ipſa ſe damnat, vt indulgentiam ſperare non poſsit. Negant verum Deum Filium, negant omnipotentem, cum fateantur omnia facta per Filium, omnia creata per Dei eſſe virtutem. Quid enim eſt virtus, niſi perfecta natura? Negant etiam Diuinitate vnum eſſe cum Patre. Deleant ergo Euangelium, deleant Chriſti vocem: ipſe enim dixit, *Ego, & Pater vnum ſumus*. Hæc D. Ambr. loco 1. cit. Conſimilia D. Athan. loco recenſito.

De origine verò huius peruerſi dogmatis idem Ambr. ſupra cap. 8.

Filium Dei Arriani conceſſerunt Deū de Deo, nō tamen ab æterno natum, ſed in tempore factum, Deumq; creatum blaſphemando aſſeruerunt. Et cōtra Diuinas literas Deum recentem introduxerūt: *Nō erit in te Deus recens*, vt obſeruarunt D. Amb. Tract. de Diuinit. Filij c. 2. & D. Cyrill. lib. Theſ. &c.

Sed

Digitized by Google

Sed Arriani, vt profert D. Ambr. cit. cap. 8. de Diuinit. Filii, huius hæreſis monſtrum ortum eſt ex praue accepto, & impiè ignorato Incarnationis myſterio. Aiunt enim: cum ſit Deus Pater omnipotens, inuiſibilis, inconuertibilis, immutabilis, perfectus, ſemper idem, æternus: Filius verò viſibilis, quia ſæpè Patribus viſus eſt, & conuertibilis, atque mutabilis; quia in varijs figuris ſeſe monſtrauit. Qui ſi de Patris, inquiunt, eſſet ſubſtantia, nunquam fieri poſſet, vt ante carnis aſſumptionem aut viſibilis, aut mutabilis cerneretur: quin potius in æqualitate, qua Pater eſt, permanſiſſet, ex cuius ſubſtantia erat, quia quod de Patre eſt, nec videri, nec mutari, nec conuerti poſſe credendum eſt. Accedit ad cauſam cum illapſus eſt in Mariam, cum Virginis vterum oppleuit, alius vtique ex illa quàm quod venerat, natus eſt. Vnde iam, inquiunt, corrupta ſubſtantia ſtatim vertit ordinem, perdit continuò immutationem: ipſa formatio de Deo in hominem, de Spiritu in carnem, & vtique translatio omnis interemptio eſt priſtini. Ac per hoc aiunt, ſi Filius de Patris ſubſtantia eſſet, iam & Patrem minorem ſubſtantiæ ſuæ, vel traditione, vel fine; & proinde Filium ex alia ſubſtantia credere maluerunt, quod conuerti, & mutari, & videri poſſit; quia hoc de Patris ſubſtantia credi non liceat. Hæc eſt cauſa erroris; hæc origo hæreſis Arrianæ dum non intelligunt virtutem Dei, neque tanti Sacramenti diſpoſitionem agnoſcunt, cur Deum humanis conditionibus comparent. Hæc D. Ambr. quibus duo turpiſsima Arrianorum deliramenta profert, vnde in peruerſiſsimam hæreſim contra Filij Diuinitatem inciderunt; Alterum. Pater nunquam viſus eſt, Filius ſæpiſsimè apparuit, & viſus eſt antiquitus: ergo non eſt de ſubſtantia Patris. Alterum. Filius in Incarnatione mutauit naturam ſuam in naturam humanam: ergo non poteſt eſſe de ſubſtantia Patris.

CAPVT III.

In quo hæc, & quædam alia Arrianorum obiecta ſoluuntur.

VErè, præſertim his temporibus videtur nihil Arrianorum argumentis reſpondendum, adeo impia, impudentia, ſtolida, & inſulſa ſunt, quæ iam obijciebant, noſtraque tempeſtate noui Arriani, ac Tranſiluani miniſtri obijciunt, & repetunt. Primò. Nam ita docuit D. Athan. Serapionem in Epiſtola, quæ incipit, *Verſatus ſum*, illis verbis Prouerb. 26. *Ne reſpondeas ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, ne ſimilis illi ſis.* Reſponſio, quæ vobis maxime congruit, ſilentium eſt. Secundò, ita Sanctiſsimi, Doctiſsimi Patres, & vetuſtiſsimi hoc egregiè præſtiterunt, vt omnia iam ſoluta, exploſa, conſopita, & ſimul cum Arrio in Inferno conſepulta ſint, vt iterum ſolutiones repetere videantur eadem hæreſum monſtra ab Orco, & inferis reuocare ad ſuperos, & vitam denuo. D. Athanaſ. multis Tract. D. Cyrill. de Trinit. & lib. Theſauri, & in D. Ioannem. D. Ambroſ. libris de fide, & de Spiritu Sancto, & de Filij Deitate. D. Auguſt. contra Maximinum, contra Sermonem Arrianorum, & vbique. D. Fulgent. ad 10. Arrianorum obijectiones, & cæteri Patres, qui illis temporibus vixere. Ad recentiores verò iterum ex patre diabolo genitos, inter alios vberrimè Bellarm. lib. 2. de Chriſto, cap. 14. & deinceps per multa capita. Nos quoque varijs locis, vbi ſe offerebat occaſio ex Patribus.

Quædam tamen pauca loca proponam, & ſoluam, & reliquorum Theologorum veſtigia ſecutus, ſicuti hic expoſtulat locus, & primo loco quæ ex D. Ambr. præterito cap. in medium attuli.

Erat biffidum argumentum. Primum. Filius antiquitus ab hominibus viſus eſt: Pater nunquam viſus eſt: ergo diuerſa, & varia Filij natura, & eſſentia ab eſſentia Patris: nam vna inuiſibilis, altera viſibilis.

Reſpond. ipſemet D. Ambroſ. eodem cap. Primò. Patribus veteris teſtamenti, & vetuſtioribus Adam, Noè, Abraham, Iacob, Iob, &c. quando Deus apparebat, concedit Filium fuiſſe; concedunt alij Doctiſsimi Patres, quos alio loco memini me recoluiſſe. Sed ad conſequentiam contemptu, & irriſione reſpondendum foret, quaſi & Pater non potuiſſet apparere: ſerio tamen, & grauiſsimè reſpondet 1. in loco, vbi apparebat non ita viſum Filium, vt Deus erat, ſed vt homo capere poſſet de Deo. Secundò deinde varijs figuris non mutabilem, & conuertibilem ipſum eſſe, ſed hoc eſſe potentiæ Dei, vt cum ſe ſingulis prout vult reuelare dignetur, habitum mutet, non ſubſtantiam vertat, nec proprietatem qualitatis amittat; ſed iuxta meritum videntis, temperamentum Maieſtatis adhibeat; ipſe tamen idem vt ſemper eſt in ſubſtantiæ ſuæ proprietate permaneat, ſicuti ſcriptum eſt pſal. 101. *Mutabis eos, & mutabuntur, tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient.* Tertiò huc accedit, quod ſic Filium Dei, vt iam dictum eſt, viſum à Patribus approbamus, vt non totum in illo, quod Deus eſt, videretur; ſed diſpoſitiones rerum futurarum, quæ ſuis quibuſq; temporibus complenda erant, in illo per imaginem cernerentur. Et pluribus alijs rem hanc Sanctiſsimus Pater mira eruditione, & eloquentia proſequitur, quàm varijs modis ſe Patribus ex Diuinis literis reuelauerit Deus, demonſtrat, ex ſua liberrima omnipotenti virtute diuerſo modo, & quaſi vario veſtitu ſe induebat, & operiebat, & virorum illorum conſpectui offerebat, vt ab eis ſuſtineri, & intelligi poſſet, ne à maieſtate opprimerentur, & modo in Angelo, modo in homine, modo in fulgore, modo in caligine eos tum ſolaretur, tum inſtrueret, tum futura prædiceret. Sed mira, & cogens à ſenſibus objecta ſimilitudo. Si homo dum ſe varijs veſtibus induit; veſtes, non propriam ſubſtantiam mutat; cur non ita & Dij Filius Deus.

Secundum argumentum. Filius Dei in Incarnationis myſterio ſuam naturam omnem amiſit, & in carnem, quam aſſumpſit, mutatus eſt: ergo

ſub-

Digitized by Google

ſubſtantiam Patris, quæ immutabilis eſt, nunquam habuit; aliàs & Pater verus Deus mutatus eſſet, & ſeipſo factus minor.

Monſtruoſa, inſana, ſtolida, & diabolica quæ aſſumitur propoſitio. Reſpondere tamen non dedignatur D. Ambr. Cum hominem aſſumere dignatus eſt, non labem intulit, vt Spiritum in carnem mutaret, ſed vt ſuſcepto homini immortalitatem, & æternitatem cæleſtis vitæ præſtaret: nam etſi Apoſtolus ad Philipp. 1. ſemetipſum exinaniſſe Filium Dei dicit, formam ſerui accipiendo; non vtique ſic exinanitum accipimus, vt aliud quam quod fuerat idem Chriſtus fieret; ſed vt ſepoſito interim Maieſtatis ſuæ honore humanum corpus indueret, quo ſuſcepto ſalus gentium fieret: vt enim Sol cum nube tegitur, claritas eius comprimitur, non cæcatur, & lumen illud &c. paruo nubis obſtaculo includitur, non auſertur: Sic & homo ille, quem Dominus noſter Ieſus Saluator, ideſt Deus, Deique Filius induit; Deum tamen in illo non intercepit, ſed abſcondit.

Rem totam confirmat Transfigurationis myſterio. Matt. 17. in quo extra hominem paululum ſe extulit, & radios fulgoris ſui, quos intus ſecum habebat, potuit emittere, & emiſit; & niſi ſtatim temperaſſet, ac compreſsiſſet, obcæcati Apoſtoli vitam periclitati eſſent: nemo enim videt Deum, & viuit, Exodi 33. Confirmat ſecundò. Lucæ 1. *Spiritus Sanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſsimi obumbrabit tibi, ideoque & quod naſcetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei. Vides Dei Filium*, inquit Ambr. *veniſſe ad Virginem, & inde Dei, & hominis Filium proceſſiſſe*. Ergo in carnis humanæ aſſumptione in carnem non eſt mutatus.

Hic impiè etiam errat Arrius, aſſerens in Incarnatione duarum naturarum factam eſſe vnionem, nedum mutationem in natura, non in perſona ſecunda. Soluit mirè S. Athan. in Symb. *Vnus autem non conuerſione Diuinitatis in carnem, ſed aſſumptione humanitatis in Deum. Vnus omnino non confuſione ſubſtantiæ ſed vnitate perſonæ*. Ad Argumentum ergo Arrian. toto Cœlo antecedens negatur, negat fides, negat totum Euangelium.

Tertium. Omnes Patres ſcandali petram Arrio fuiſſe aſſerunt verba D. Matthei 24. *De die autem illa, & hora nemo ſcit, neque Angeli cœlorum, niſi ſolus Pater*. Et Marci 13. *neque Filius, niſi Pater*. Quibus Filium ignorare Patrem, neſcire annos, & tempora ſutura, & diem, & horam Iudicij extremi, blaſphemare non erubeſcunt.

Sed nihil minus quàm hæc verba huic hæreſi deſeruiunt, & ex plurimis Sanctorum Patrum orthodoxis expoſitionibus, luce meridiana clarius conſtabit. Sed ſupponendum primò, adeo certum Chriſtum Dominum diem Iudicij non ignoraſſe, vt ſit de fide pleniſsimè ſemper cognouiſſe, vt hæretici habiti ſint Themiſtiani cognomento Agnoetæ Arriani, qui hanc de Chriſto negare ſcientiam auſi ſunt, ſicut D. Damaſc. lib. de hæreſibus refert: explicatè enim D. Paulus ad Coloſſ. 2. *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi*. Et Ioan. 5. *Poteſtatem dedit ei iudicium facere, quia Filius hominis eſt*. Et Act. 10. referente D. Petro. *Conſtitutus eſt iudex viuorum, & mortuorum à Deo*. Et in Symbolo Apoſtolorum. *Aſcendit in Cœlum, & inde venturus eſt iudicare viuos, & mortuos*. Et itidem in Symbolis Concilij Nicæni, & D. Athanaſij, quibus ineuitabili conſequentia ſequitur, Conſtitutus eſt iudex: ergo non poteſt ignorare, quæ ad illud iudicium ſpectant. Confirmatur ex vtroque cap. 24. D. Matthei, & 13. D. Marci, vbi Chriſtus prædicit einſdem futuri iudicij plurima accidentia: ergo ea cognoſcit antequam veniant: vt hoc vnum reliquum ſit neceſſarium, plures Sanctorum Patrum expoſitiones referre: & licet alia inuenienda ſit textui accomodatior; ſingulæ tamen verè docent quàm impudenter mentiti ſint hoc loco hæretici, & ignare abuſi hac Diuina auctoritate.

Primò ex illa voce, *neque Filius, niſi ſolus Pater*, qua tentat vrgere hæreticus, ſed aerem verberat, & ſequitur ventum, & apprehendit mendacium. Primò in Deo hæc particula *ſolus* excludit aliud, & neutrum, non autem alium, & maſculinum: Neque enim Pater poteſt excludere Filium, imò neceſſariò includit, ſicuti Filius Patrem, & oppoſitum eſt inintelligibile, & Spiritus Sanctus Patrem, & Filium. Excludit quidem aliud, & aliam quamcumque eſſentiam, & creaturam, & Deos falſos: itaut ſolus Deus verus in tribus tamen ſubſiſtens, verè diem iudicij ſciat. Ratio potiſsima. Nam vnitas eſſentiæ, & perfectionis eſſentialis, ſicuti hæc de qua hoc loco cognitio, & ſcientia; neceſſariò omnes comprehendit tres perſonas, quibus vnica eſſentia idem eſt formaliſsimè. Sic neceſſariò explicanda plura diuinarum litterarum loca. Ioan. 17. *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum*. A quibus non excluditur Spiritus Sanctus: Nam non eſt aliud à Deo, & Patre, & Filio, ſed alius, & diſtincta perſona in eadem eſſentia. Matthei 11. *Nemo nouit Filium, niſi Pater, neque Patrem quis nouit, niſi Filius*. Ioan. 6. *Non quia Patrem vidit quiſquam, niſi is qui eſt à Patre*. Vbi eadem ratione nulla perſona excluditur. 1. Corint. 2. *Quæ ſunt Dei nemo nouit niſi Spiritus Dei*. Apoc. 19. *Habens nomen ſcriptum, quod nemo nouit niſi ipſe*, ſcilicet Ieſus Chriſtus. 1. ad Timot. 6. *Solus potens, & ſolus habens immortalitatem*. Ad Rom. 16. *Soli ſapienti Deo per Ieſum Chriſtum*. De qua re vberius inſra.

Hoc omnes obſeruant Theologi: hoc antiquitùs tradiderunt Patres. D. Baſilius Apolog. 2. ad Cæſarianos, & Epiſt. 141. D. Chryſoſt. hom. 8. de incompræhenſibilitate Dei. D. Cyrillus lib. 4. Theſauri cap. 2. *Si ſolum Patrem aliquid habere dixeris naturaliter, non priuabitur tamen Filius eadem re naturaliter: Solus enim Pater habere dicitur inquantum à nullo eſt &c.* (ſic ſingulæ perſonæ habent ſolæ quæ ſibi propria ſunt, & quibus ab alijs perſonis diſtinguuntur) *ſed om-*

Digitized by Google

nia quæ ſibi naturaliter inſunt, Filius ſuus ex eo prodiens naturaliter conſequitur. S. Ambr. lib. 3. de fide cap. 2. *Non ergo ſeparent Filium cum legunt ſolum Deum, nec Patrem cum legunt ſolum Filium. In terris Filius ſine Patre non eſt, & putas in Cœlis quod Pater ſine Filio?* Eadem obſeruatione multi alij grauiſsimi Patres. Quibus oppoſitum neceſſariò ſequitur argumentum. Pater nouit diem iudicij: ergo & Filius, & Spiritus Sanctus.

Secundò, Grauiſsimi Patres, Nazianz. orat. 36. quæ eſt 4. de Theolog. reſpondens ad obiectionem 10. Cyrillus lib. 9. Theſ. cap. 4. Ambroſ. lib. 5. de fide ad Gratianum cap. 7. exponunt, Chriſtum Dominum ignorare diem Iudicij quatenus homo eſt; licet enim anima Chriſti diem illum cognoſcat, non ea tamen ratione, qua homo eſt: ſed quia à Patre ei reuelatum eſt.

Tertiò. Ea ratione dixit Chriſtus, diem iudicij ignorare, & ſolum Patrem ſcire, vt ſic ſeipſum declararet à ſeipſo non ſcire, ſed à Patre accepiſſe in ſua æterna generatione hanc, & omnem ſcientiam; vt his verbis conſtituat Patrem eſſe primum principium, à quo ſicut omnis Diuinitas, ita omnis Diuinitatis perfectio. Eo ſenſu iam dicebat, etiam vt Deus, *Pater maior me eſt*, auctoritate ſcilicet, & origine: & alio loco, *Mea doctrina non eſt mea, ſed eius, qui miſit me Patris*, vt plurimi Patres docuerunt, quorum aliquos aliàs recoluimus, plures verò admodum de Montoia diſp. 50. ſect. 2. Hunc verò locum, de quo hic, explicate in hunc ſenſum exponit D. Cyrill. loco iam indicato lib. 9. Theſ. cap. 4. his verbis: *Sic poſſe quoque conuenienter intelligi, ſi dicatur ideo neſcire, quoniam inde naturaliter ſcientiam omnium habet, vnde ipſum eſſe habet*.

Quartò. Chriſtus Dominus à Patre in mundum miſſus legatione fungebatur, & non omnia, quæ à Patre ab æterno didicerat, mandatum habebat, nec inde congruebat hominibus reuelare; ita vt licet Ioan. 15. omnia quæcumque Filius audiuit à Patre, nota feciſſe dicatur diſcipulis, & Ioan. 16. de Spiritu Sancto promittatur. *Docebit vos omnem veritatem*; gloſſanda. Nota fecit, & docebit omnem veritatem, non omnimodè, ſed vtilem, quæ ſciretur à diſcipulis, & ab Eccleſia, & quam reuelare, & docere in ſua legatione acceperat. Ergo huius loci admodum congrua expoſitio: neſciebat practicè vt reuelaret, ſciebat ſpeculatiuè, & abſolutè. Ita grauiſsimè explicarunt DD. Baſil. lib. 4. contra Eunomium. Chryſ. Homil 78. in Matth. 14. in Marc. Ambroſ. lib. 5. de fide cap. 7. Hieron. in Matth. 24. Auguſt. lib. 1. de Trinit. cap. 12. & lib. 83. qq. quæſt. 61. Greg. in Regiſtro lib. 8. Epiſt. 42. ad Eulogium, & alij innumeri poſt; vt hæc ſit communior expoſitio.

Poſtremam addam elegantiſsimam D. Ambroſ. retenſito loco. Chriſtum dixiſſe ſe diem Iudicij neſcire, ſæpe repetita Diuinarum litterarum phraſi, vt ad audientium captum ſe accommodaret, quemadmodum Geneſ. 11. *Deſcendam, & videbo, an clamor, &c. verus ſit*, & ibidem: *Deſcendit, vt videret Ciuitatem*, Pſal. 52. *Dominus proſpexit ſuper Filios hominum, vt videat ſi eſt intelligens, aut requirens Deum*, quaſi niſi reſpiceret, niſi deſcenderet, ignoraret. Luc. 28. *Quid faciam? mittam Filium meum dilectum, forſitan hunc verebuntur*. Quid? certumne euentum ignorabat? abſit: humano loquebatur more, vt intelligeretur; vt loqui ſolent homines, vt ſic diſcerent occultiſsimum eſſe quod quærebant, & haud reuelandum. Hoc etiam ſenſu, neque Angeli ſciunt, ideſt ad nunciandum.

Plurima ſunt loca, quæ corrumpere, & deprauare conati ſunt Arriani pro ſua fucanda hæreſi, Filium non eſſe Deum. Otioſus eſſet labor omnia huc congerere: detecta enim, & ab antiquiſsimis Patribus, & ſequentibus Theologis protecta, & Catholicè explicata.

Matt. 20. *Sedere autem ad dexteram, vel ſiniſtram, non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à Patre meo*. Eandem hinc deducunt blaſphemiam Arriani: ergo Filius non æqualis Patri: non enim omnia quæ poteſt Pater, Filius quoque poteſt.

Prima reſp. eademque admodum collineans verborum horum veræ ſententiæ; hic non minorem Patre eſſe Filium, ſed ſecundam perſonam, quæ quicquid habet, à Patre per generationem recepit, explicari: quod enim habet, à ſe, licet in ſe, non habet, ſed à Patre principio, & origine, & auctore Filij & Spiritus Sancti. Vt Filius ergo ordinem, & originem Diuinarum perſonarum, & Patris primitatẽ teſtaretur, dixit, non eſt meum (prima origine) dare vobis, ſed quibus paratum eſt à Patre meo. Eſt hæc doctrina, & in ſimili explicatio omnium illorum Patrum, quos in explicatione ſuperioris loci Matt. 24. & Marci 13. retuli: & qua plures alij eiuſdem notæ loci idoneè explicantur, quibus Diuinarũ perſonarum æqualitas videbatur lædi, & Patris perſona cæteris duabus præponi. Matt. 25. *Venite benedicti Patris mei*. c. 16. *Venturus eſt in gloria Patris*. Io. 10. *nemo poteſt venire, niſi fuerit ei datum à Patre meo*, & alij conſimiles.

Secunda reſp. His verbis nullam fieri inter Patrem, & Filium ſuum comparationem, ſed vt hominem locutum Chriſtum exponunt D. Cyrillus lib. 9. Theſauri c. 5. & D. Ambroſius 5. de fide c. 2. locis relatis. & D. Aug. his explicatiſsimis verbis lib. 1. de Trinit. cap. 12. *Non eſt meum dare vobis. ideſt non humana poteſtate iſta do: ſed ſi omnia quæ habet Pater mea ſunt, & hoc vtiq; meum eſt, & cum Patre iſta paraui*. Si quis verò perſiſteret locutum vt Deum, faciat ei ſatis prima reſp.

Tertia reſp. Hoc in primis agere hoc loco Dominum Ieſum, primarias ſedes à Deo conſanguineis non eſſe dandas, ſed ijs, qui ea non ambiunt ſed eorum merita Dei gratia, efflagitant, ita SS. Chryſoſt. hom. 66. in Matt. Epiph. hæreſi 69. Ambroſ. & Cyrillus relato ſecunda reſp. loco. Hieronymus in hæc verba.

CA-

CAPVT IV.

De Spiritus Sancti Diuinitate.

Credo in Spiritum Sanctum Dominum, & viuificantem, qui ex Patre, Filioque procedit, qui cum Patre, & Filio ſimul adoratur, & conglorificatur, qui locutus eſt per Prophetas. Hæc eſt fidea, & veritas Catholica in Symbolo Nicæno à Spiritu Sancto tradita, & ab vniuerſa Eccleſia recepta, quæ in fide præſertim errare non poteſt; de Diuinitate Spiritus Sancti, quæ nobis, cunctiſque Chriſti fidelibus ſufficit, ſufficereque debet; mihi quoque in verſanda diſputatione, & tractatui de celſiſsima Trinitate poſtremam manum addendo. Eo præſertim, quo his verbis nedum abundè explicatur fidea hæc, & veritas de Spiritu Sancto, ſed indicantur capita ferè omnium argumentorum, quæ ex Diuinis litteris, & PP. Theologi ad eandem confirmandam aſſumere conſueuerunt, vt inter arguendum conſtabit, & etiam hac addita ratione.

Nam quæ de Filij Diuinitate præteritis capitibus congeſta, & tradita ſunt, mirè deſeruiunt, & confirmant eadem firmitate de Spiritu S. Eadem enim eſt vtriuſq; perſonæ Diuinitas, et æquè Spiritus S. Patri, et Filio, Homouſios, & conſubſtantialis eſt, ſicuti Filius Patri; & æquè per actũ ad intra vitalem ſpirationis Diuinitatem Spiritus S. à Patre, & Filio recipit, quemadmodum à Patre Filius; & æquè cooperatur Patri, & Filio Spiritus Sanctus, ac Filius Patri. Eadem proinde ratione in Filio, & Patre eſt Spiritus Sanctus, qua Pater in Filio, & Filius in Patre per circumineſsionem. Eo denique aperto, & certo ſermone de Spiritu Sancto Deo teſtante ſacræ litteræ, quo de Patre, & Filio, & in propoſito themate articuli Symboli Nicæni de Spiritu Sancto, liquido conſtat.

Verum ne locus hic vacuus relinquatur, loca Spiritui Sancto applicanda, quæ vtrique perſonæ emananti ſunt communia. Primò origo per actum immanentem, ac inde conſubſtantialitatem aſſerit, *qui à Patre Filioque procedit*, quo tum eiuſdem eſſentiæ, tum diſtinctæ perſonæ veritatem profert. De Filio Ioan. 10. *Ego & Pater vnum ſumus*, aſſerebatur: quibus & identitas ſubſtantiæ, & perſonarum pluralitas, interpretibus SS. PP. & ex inſtituto Ieſu Domino dogmatizante explicabatur.

Idem diſtinctiſsimè etiam de Spiritu Sancto 1. Ioann. 5. teſtatur, & docet ſacer textus. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in Cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus*, ecce perſonarum Trinitas: *& hi tres vnum ſunt*, ecce eſſentiæ vnitas: & iiſdem rationibus ſupponitur vnum, quibus ibi de Filio demonſtrabatur.

Secundò. Filius Deus inde colligebatur, quia ei per generationem tota Patris ſubſtantia infinita communicabatur. Ex eodem capite manifeſtè Spiritus Sanctus Deus oſtenditur: nam per ſpirationem actiuam à Patre, & Filio eandem totam Diuinam eſſentiam, & naturam recipit, & perſona ſubſiſtens producitur.

Tertiò. Probatur ex eodem Symbolo. Deinde ex Diuinarum litterarum iis locis, quibus ſupra à Patre, & Filio, & Spiritum Sanctum procedere aſſertum eſt. 1. Corint. 2. *Spiritus, qui ex Deo eſt*. Ioan. 5. *Spiritum veritatis, qui à Patre procedit*. Quibus præſertim ex commentatione S. Chryſoſt. Homil. 3. de Spiritu Sancto, explicatè deducitur, Spiritum Sanctum eſſe de ſubſtantia Dei Patris &c. Et iis etiam locis, quibus Spiritus Dei appellabatur, & Spiritus Diuinus. 1. Corint. 2. & 6. 2. Corint. 3. 1. Petri 4. Ad Roman. 8. *Qui Spiritu Dei aguntur*: quid enim aliud eſt Spiritus Dominus, vel Spiritus Dei, quam Deus? vt DD. Athan. Dial. 1. de Trinit. contra Anomæum, & Baſil. ſerm. contra Sabellianos obſeruauerunt.

Quartò. Ex operationibus. Quicquid enim facit Pater, facit & Filius, facit pariter & Spiritus Sanctus. Quo neceſſariò conſequitur. Ergo ſicuti Pater, & Filius ſunt perſonæ Diuinæ ſubſiſtentes; eadem ratione erit eis æqualis Spiritus Sanctus perſona ſubſiſtens. Antecedens egregiè probant S. Athan. præcipuè tractatu de locis Diuinæ Scripturæ ad hoc collectis, & S. Ambroſ. lib. 3. de Spiritu Sancto, & ante ipſos idem Symbolum verbo, *Dominum*, & verbo, *Viuificantem*, & verbo, *Qui locutus eſt per Prophetas*.

In quæſtionem non vocatur Pater: non enim eſt qui eius Diuinitati contradicat. De Filio contra Arrianos Patri æqualem eſſe demonſtratum eſt. Quod liberauerit à peccatis hominem. Io. 8. *Si ergo vos Filius liberauerit*. De Spiritu Sancto 2. Corint. 3. *Dominus autem Spiritus eſt, vbi Spiritus Domini, ibi libertas*. Filius ſicut & Pater viuificat, vitamque reddit quemadmodum Pater. Ioan. 5. *Sicut Pater ſuſcitat mortuos, & viuificat; ſic & Filius quos vult viuificat*. Ioan. 6. *Spiritus eſt, qui viuificat, caro non prodeſt quicquam*. 2. Cor. 3. *Littera occidit, Spiritus viuificat*. Pater eligit. 1. Corint. 12. *Poſuit Deus* (Pater) *in Eccleſia primum Apoſtolos, Secundò Prophetas, Tertiò Doctores, deinde virtutes, &c.* Ad Epheſios 4. Filius itidem eligit, *Qui deſcendit ipſe eſt & qui aſcendit ſuper omnes Cœlos, vt impleret omnia, & ipſe dedit quoſdam Apoſtolos, alios Prophetas, alios Paſtores, & Doctores*. Pariter Spiritus Sanctus. Act. 20. *Attendite vobis, & vniuerſo gregi, in quo vos poſuit Spiritus Sanctus Epiſcopos &c.* Tulit legem Pater. Pſal. 39. *Vt facerem voluntatem tuam: Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei*. Tulit & Filius. Galat. 6. *Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti*. Tulit & Spiritus Sanctus. ad Roman. 8. *Lex Spiritus vitæ in Chriſto Ieſu liberauit me à lege peccati, & mortis*.

Pater Dominus, Dominus & Filius. Pſal. 109 *Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis*. Vbi Patrem Dominum Domino Filio loqui interpretatur Chriſtus Dominus Matt. 16. & alibi ſæpe. Spiritus Sanctus Dominus, hoc Nicæno Symbolo, *Spiritum Sanctum Dominum*. & 2. Cor. 3. *Dominus autem Spiritus eſt*. Et omnia illa loca, quibus aſſeritur Spiritus Domini, interpretatur D.

Athanaſ. de Spiritu Sancto, qui Dominus eſt; & Spiritus Patris, & Filij idem eſſentia cum ipſis: & refert ex Diuinis litteris plura alia conſimilia, quæ de Deo Patre, & Filio dicuntur, de Spiritu Sancto quoque dici.

Hæc eadem, & vberius S. Ambroſ. lib. 3. de Spiritu Sancto. Sufficiat pro omnibus locis ille vnicus D. Pauli 1. Corint. 12. *Hæc autem omnia operatur vnus, atque idem Spiritus, diuidens ſingulis prout vult*. Hæc in communi dicta ſupponuntur. Modo accedamus ad ſingula verba propoſiti Symboli de Spiritu Sancto.

Et incipiamus ab illa particula, In, *Credo in Spiritum Sanctum*, de qua Catechiſmus Roman. Decreto Concilij Tridentini, & iuſſu Pij Quinti editus, & proinde vſquequaque probatus, his verbis: *IN. huius vocis proprietas cum dicimus Credo in Spiritum Sanctum, ſatis indicat, quæ ad exprimendam fidei noſtræ vim ſingulis Trinitatis perſonis appoſita eſt*. Non enim dicit Credo in Sanctam Eccleſiam, nec in Sanctorum Communionem &c. ſed Sanctam Eccleſiam: Verum dicit *Credo in Deum Patrem*. *Credo in Ieſum Chriſtum*. *Credo in* Spiritum *Sanctum*; hac exiſtimo ratione, vt Diuinas perſonas adeo æquales, vt vnus ſint numero Deus, conſtitutas nobis eſſe noſtræ fidei obiectum primum, & vltimum finem, in quem fide, & Charitate progredimur, & tendimus, vt peruenire tandem, & in eo quieſcere in æternum poſsimus intelligamus. Directionem, conſtitutionem, & tandem (ſic loquar) quieſcentiam præſefert vocula In.

Sed mirum eſt quod inter alios Patres D. Chryſoſt. de hac eadem voce Homil. 4. in Ioan. animaduertit: Licet tribus perſonis tribuatur, pſal. 59. *In Deo faciemus virtutem*, ideſt in Patre, & Chriſto. D. Paul. ad Galat. 5. *In Chriſto Ieſu*: propria tamen Spiritus Sancti eſt, his opinor fundamentis. Primò ad ſignificandum modum, quo procedit Spiritus Sanctus, nimirum per liberalitatem, & libertatem, & amorem, ideo quia quemadmodum homines ad explicandam liberam poteſtatem faciendi, & non faciendi aliquid, dicunt *Hoc eſt in me*; pariter propriè dicitur in Spiritu Sancto, quia procedit per poteſtatem, & facultatem liberalis voluntatis, & amoris; vt tamen non poſsit non procedere ex perfectione Diuina.

Secundò. Nam Dei bonitas præcipuum locum tenet in rerum conſeruatione, atque protectione, virtute cuius ſuam perfectionem, & vltimum finem conſequuntur, & ideo rectè dici poſſunt omnes res in Dei bonitate ſuſtentari, & ſeruari. Bonitas autem tribuitur Spiritui Sancto; *ideo Spiritui Sancto* ad hoc oſtendendum conſueuit Diuina Scriptura magis propriè accomodare particulam In. Docent D. Thom. quæſt. 39. art. 8. Alex. 1. par. quæſt. 9. mem. 5. & quæſt. 67. mem. 4. & Albertus 1. par. quæſt. 10. mem. 4. Hinc & Philoſoph. 4. Phyſ. tex. 23. inter alios modos, quibus aliquid eſſe in alio dicitur, hunc ſingularem docuit, eſſe in ſuo fine, quia in eo quieſcit.

Sed fateor mihi magis arridere tertiam rationem, quam affert S. Bonau. diſt. 36. dub. 4. litt. aſſerit enim vocem In indicare ordinem vltimi finis, in quo res ſiſtit per quietem; quod primis verbis indicauimus. Sed, addit, Spiritus Sanctus eſt vltima perſona, in qua ſiſtit, nec vlterius progreditur Diuina proceſsio, & in qua quaſi quieſcit virtus productiua, & voluntas producendi, quæ ex Patre proficiſcitur, & per Filium progreditur, & in Spiritu Sancto perficitur. Quod didicit ex D. Greg. Nyſſeno lib. ad Ablabium, quando dixit. *Omnis actio ad creaturam à Deo proueniens, quæ ſecundum varias motiones, atque conſiderationes nomen accipit, à Patre proficiſcitur, per Filium progreditur & in Spiritu Sancto perficitur*. Quàm fœcunda hæc vox In: quàm pulchra, & propria de Spiritus Sancti Diuinitate profert.

In Spiritum Sanctum. Non minus efficax argumentum deſumitur ab hoc nomine *Spiritus Sancti*, propriè tertiæ perſonæ Diuinitatem ſignificante, hac præſuppoſita ſpiritus ſignificatione. Modo enim accidentis, modo ſubſtantiæ rem complectitur: & dum ſubſtantiam, modo corpoream, modo incorpoream. Corpoream quidem Iob. 17. *Spiritus meus attenuabitur*, & 34. *Spiritum eius, & halitum eius ad ſe trahet*. pſal. 47. *In ſpiritu vehementi conteres naues Tharſis*, & alibi. *Ignis, grado, nix, glacies, Spiritus procellarum*. Incorpoream intellectiuam, Luc. 23. *In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum*. Ioan. 19. *Inclinato capite tradidit Spiritum*. Ad Hebr. 1. *Omnes ſunt adminiſtratorij Spiritus*. Diuinam denique Ioan. 4. *Spiritus eſt Deus*. Hoc verò nomen Deo quidem in tribus ſimul perſonis ſubſiſtenti rectè tribuitur; nam incorporea, & purè ſpiritualis ſubſtantia eſt: rectiſſimè tamen tertiæ perſonæ ita adaptatum hoc nomen ſpiritus eſt, vt ei factum ceu proprium, tum ſcripturarum, & Eccleſiæ vſu, tum rationibus admodum Theologicis; inopia tamen, & neceſsitate vocum. Inter creaturas enim licet inueniantur vera ſuppoſita viuentia patris, & filij; nullum tamen viuens, quod halitu, & per amorem procedat, ſicuti tertia perſona Diuina. Quare prima quidem perſona propriè Pater: ſecunda propriè Filius ex creaturarum attributione nuncupantur: tertia verò nomine communi quodammodo circumſcribenda Spiritus Sancti, ita tamen congruenter, vt grauiſsimi Doctores proprium eius nomen appellent.

Confirmemus ab vſu Diuinarum litterarum. Matt. vlt. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*. Ioan. 14. *Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo*. 1. Ioan. 5. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in Cœlo*, Pater, *Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres vnum ſunt*. pſal. 50. *Et Spiritum Sanctum tuum ne auferas à me*, interprete D. Hieronymo. Ad Galat. 4. ad illud. *Miſit Deus ſpiritum Filij ſui*, vbi ter ſpiritum dici in pſal. citato expoſuit. *Spiritu principali confirma me*, Patrem appellat, quia Filius ex Patre, & non ex Filio Pater. Spiritum autem *rectum*, veritatis, & iuſtitiæ ſpiritum, Chriſtum Dominum ſignifi-

cat,

cat, quia *Pater omne iudicium dedit Filio*. Tertio lueo Spiritum Sanctum (tertiam perſonam) aperto nomine vocat. Eadem Theodoretus teſtatur Dialogo Immutabilis primo. *Sacra Scriptura Patrem, & Filium, Spiritum vocauit, id quod eſt Diuina naturæ incorporeum, & quod circumſcribi non poteſt, per hoc ſignificans: Spiritum autem Sanctum ſolum Spiritus hypoſtaſim nominat.*

Subſecuta Eeeleſia dum ſuis precibus, & Litanijs, tertiam perſonam Spiritum Sanctum vbique vocat, & inuocat. Verum multis rationibus hic incepit, & perſeuerauit vſus ſemper in Eccleſia.

Prima. Rectè perſona Diuina, quæ eſt Patri, & Filio communis, earumque nexus, & ab vtraque procedens, vtriuſque nomine communi nominatur, nimirum *Spiritus Sanctus*. Docuerunt Diuus Ambroſ. in Symbulum Apoſtolicum cap. 1. D. Aug. 5. de Trinit. cap. 11. his verbis. *Vt ex nomine, quod vtrique conuenit, vtriuſque commune ſignificetur, vocatur Donum ambarum Spiritus Sanctus.* Confirmat 15 de Trinit. cap. 19. Imitatur D. Iſidorus Etymolog. lib. 7. cap. 1. Obſeruarũt communiter Theologi ex Magiſtro in 1. diſt. 10. cap. vlt. D. Bonau. art. 2. quæſt. 3. argumento affirmante poſtremo, & dub. 6. litt. S. Th. 1. par. quæſt. 36. art. 1. ex D. Aug. citato loco 15. de Trinit. cap. 19.

Secunda ex D. Thum. ibidem. Quemadmodum in rebus corporeis ſpiritus, & ventus, & flatus motionem, & impulſum operatur; & Amor in rem amatam impellit voluntatem amantis; & Amor Sanctus in Deum; æqua ratione ſic tertia perſona Diuina, quæ eſt formaliter Amor, & per amorem procedit, *Spiritus Sanctus* nominatur. Colligitur res tota ex Diuinis litteris. Ezech. 1. *Vbi erat Spiritus impetus, illuc gradiebantur.* Ioan. 3. *Spiritus vbi vult ſpirat.* ad Rom. 8. *Qui Spiritu Dei aguntur, ij ſunt Filij Dei.* Abundè rem adhuc S. Thom. verſat 4. contra Gentes cap. 19.

Excellentiorem de hoc nomine *Spiritus* rationem reddit ex SS. PP. S. Bonau. recenſita quæſt. deducto Spiritus nomine à ſpiratione, & halitu. Sicut enim, docet, actus ſpirationis in corpore eſt actus internus, continuus, viuificus, & habet originem à calore; & actus amoris vt egreditur, venit ab intrinſeco, & eſt actus vitalis, & viuificus, quia amor eſt vita; & continuus, quia continuè debet reddi amor, & eſt calor ſpiritualis à voluntate egrediens; ideo ſolus Amor dicitur ſpiritus ſpirans, & ſpiratus: & quoniam Amor poteſt ſpirari rectè, & ordinatè, & modeſtè, & immodeſtè, obliquè, & impurè; ſic amor eſt & mundus & ſanctus, & immundus, & libidinoſus; ideo perſona Diuina, quæ eſt Amor, non tantum dicitur ſpiritus incorporeus, ſicuti Pater, & Filius, ſed ſpiritus ſpiratus: non ſic autem Filius, quia generatur, & generatio eſt motus naturalis, in quo non attenditur ſanctitas, vel puritas, ſicuti inprimis attenditur circa amorem voluntatis. Fit ergo hoc vrgens argumentum. Tertia perſona procedit vt amor ex amore Patris, & Filij per actum vitalem, viuificum, & ſempiternum, & modeſtiſsimum: ergo ei ſoli optimè conuenit nomen ſpiritus ab halitu, & ſpiratione; & Sancti à puritate, & honeſtate.

Miram trahit originem hoc argumentum ex Diuinis litteris. Geneſ. 1. *Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas*: de Spiritu Sancto multi Patres. D. Ambroſ. lib 1. de Spiritu Sancto cap. 3. Spiritum Dei, Spiritum Chriſti, Spiritum veritatis, Spiritum paraclitum, eſſe idem ac Spiritum Sanctum tertiam perſonam, aſſeuerat. Geneſ. 2. *Inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ*, quem locum de Spiritu Sancto D. Cyrillus lib. 13. Theſ. cap. 3. interpretatus eſt. *Quod in ſubſtantia Patris, & Filij Spiritus Sanctus ſit, Beatus quoq; Moyſes oſtendit: formato enim ex terra homine ſufflaſſe in faciem eius Deum ſpiritum vitæ docet.*

Pſal. 32. *Verbo Domini Cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum.* Eleganter obſeruant Patres Spiritum Sanctum hic rectè vocari ſpiritum oris, quia ſpiratur, ſicut ab ore flatus, à Patre, & Filio. D. Nyſſenus orat. Catech. cap. 2. *Quomodo ex his quæ ſunt in nobis, analogicè Verbum cognouimus in ſuprema natura; eodem modo etiam adducimur ad notionem ſpiritus ineffabilis potentiæ, vmbras, & ſimulachra in noſtra contemplando natura.* Et hoc declarat per aeris attractionem, & profuſionem, ex quo præſertim S. Bon. ſupra. S. Athanaſ. Epiſt. 3. ad ſerapionem. *Hæc vnctio halitus eſt Filij, vt qui habet ſpiritum dicat, Chriſti bonus odor ſumus.* S. Baſil. 5. contra Eunomium. *Nec Filius, nec Deitatis generatio proprium eſt, ſed ex humana ſimilitudine adductum, ex qua etiam ſpiritus dictio tranſlata eſt.* Idem lib. vnico de Spiritu Sancto cap. 18. *Spiritus Sanctus non per generationem, vt Filius à Patre veniens, ſed tanquam ſpiritus oris eius.* D. Cyrillus 13. Theſ. cap. 3. de Spiritu Sancto loquens inquit: *Ex ipſa ſubſtantia Dei prodiens, ſicut ſpiritus, qui ex humano prodit ore.* Et Dialog. de Trinit. lib. 2. *Spiritum item Sanctum agnominamus ex Deo Patre per Filium naturaliter profundi, & quaſi in figura ſpirationis, quæ ex ore, illius nobis deſignat ſubſiſtentiam.* D. Ambroſ. lib. 1. de Spiritu Sancto cap. 10. ſuſtinens Spiritum Sanctum procedentem à Patre, & Filio, ab ipſorum non ſeparari ſubſtantia, ſubdit: *Quemadmodum enim ſeparari poteſt à Patre, qui ſpiritus oris eius eſt? quod vtique & æternitatis indicium, & Diuinitatis exprimit vnitatem. Eſt ergo, & manet ſemper, qui oris eſt ſpiritus.*

Sed apertiora loca ex Euangelio quæramus. Ioan. 20. Chriſtus Dominus, *inſufflauit, & dixit: Accipite Spiritum Sanctum.* Vbi D. Cyril. lib. 9. cap. 44. In Ioan. *Proterea*, inquit, *Chriſtus corporaliter ſufflauit, oſtendens hoc ſigno, quod quemadmodum ab ore humano corporaliter humanus flatus procedit, ſic ex Diuina ſubſtantia, & Deitate congruenter Spiritus Sanctus, qui ab ea eſt, profunditur.* Eadem lib. 12.

Digitized by Google

cap. 136. D. Athanaſ. ad Serapionem Epiſcopum. *Cum inſufflaſſet dedit eum (Spiritum Sanctum) ex ſe diſcipulis*. D. Baſil. optimè homil. 17. in Sanctum Baptiſma. *Dominus Spiritum Sanctum diſcipulis ſuis inſpirauit, perque illam inſpirationem, ſpiritum eſſe Diuina eſſentia, & non creata natura, oſtendit*. Idem S. Aug. tract. 120. & clarius tract. 99. & lib. 15. cap. 26. de Trinit. & lib. 10. de Geneſ. ad litt. cap. 5. & lib. 3. contra Maximinum cap. 14. D Bernard. Serm. 8. in Cantica, et alij plures. Quod cap. 1. ſic auidè ſponſa precabatur, *Oſculetur me oſculo oris ſui*. Accepit Ioan. 20. quando Chriſtus Dominus *inſufflauit, & dixit, Accipite Spiritum Sanctum*, et abunde in die Pentecoſtes: Spiritus enim Sanctus eſt Spiritus oris Patris, et Filij, quod oſculo oris ſui deſignabatur, et efflagitabatur: ergo vt cœperam dicere, ex nomine proprio colligitur vehementer tertiæ perſonæ Diuinitas.

Dominum. Sed in promptu eſt alia Diuinitatis Spiritus Sancti nota ex hoc termino *Dominum*. Ex Diuinis literis mirè. 2. ad Teſſal. 3. *Dominus autem dirigat corda veſtra in charitate Dei, & patientia Chriſti:* hinc enim S. Athanaſ. diſputat. habita in Concilio Nicæno. *Quem nam Dominum hic appellari putas? Patrem, an Spiritum Sanctum? nam Chriſtum expreſsè recenſuit: ſi enim primo modo Patrem hic conſtituas, Deus eſt Spiritus. Sin Spiritum Sanctum primo modo nominatum conſiteris, neceſſe eſt, vt eum Dominum quoque concedas. Quod ſi Dominus eſt, Deus quoque habendus erit: Scriptum enim eſt, Ego ſum Dominus Deus tuus*. Eandem aſſumit argumentationem idem S. Athanaſ. lib. de communi eſſentia Patris, et Filij, et Spiritus Sancti, & S. Ambroſ. lib. 3. de Spiritu Sancto cap. 13.

Sed obſeruanda S. Athanaſij deductio, Dominus eſt: ergo Deus; quod hac tota diſputatione totum, & ſolum quærimus. Optima ſiquidem eſt, & conſtat ex Diuina Scriptura. Actor. 5. *Anania, cur tentauit cor tuum Sathanas, mentiri te Spiritui Sancto? non es mentitus hominibus, ſed Deo*. Colligunt enim ex hoc loco apertè Spiritus Sancti Diuinitatem Sanctiſsimi Patres, Nazianz. orat. 5. de Theologia, quæ eſt 37. Athanaſ. lib. de Natura humana aſſumpta, & lib. 7. ad Theophilum de profeſsione regulæ Catholicæ. Nyſſen. orat. vlt. de Deitate Filij, & Spiritus Sancti. Baſil. lib. de Spiritu Sancto cap. 16. & lib. 5. contra Eunom. Epiphan. in Ancorato, et hæreſi 59. Cyrill. lib. 13. Theſauri cap. 2. Hieronym. Epiſt. ad Heldibiam quæſt. 9. & in cap. 63. Iſaiæ, Auguſt. lib. 3. contra Maximinum cap. 21. et alij per multi.

Quod confirmari poteſt primò, Si Spiritus Sanctus eſt Dominus omnium creaturarum, et ideo *Spiritus Domini ferebatur ſuper omnia: & ideo Spiritus Domini repleuit Orbem terrarum*; et ideo pſal. 138. *Quò ibo à Spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam? Si aſcendero in Cœlum, tu illic es &c.* Ergo infinitus eſt: ergo omnipotens eſt, qui ſicut creauit, ita tuetur, fouet, et conſeruat omne creatum; ergo Deus eſt, cui proprium eſt eſſe infinitum, et infinitæ virtutis, et vbique. Eſt argumentum D. Ambroſ. lib. 3. de Spiritu Sancto, cap. vlt. D. Athanaſ. multis locis, ſed in primis, et vberius Epiſt. ad Serapionem de Spiritu Sancto. D. Baſilij lib. 5. contra Eunom. D. Cyrilli lib. 13. Theſauri, cap. 2. et lib. 9. in Ioan. cap. 40. D. Auguſt. 3 contra Maximinum cap. 31. D. Ambroſ. lib. 1. de Spiritu Sancto cap. 7.

Confirmatur ſecundo. Nam eo Dominus, quo dominium habet ſuper omne quod creatum eſt, 1. Cor. 12. *Hæc autem omnia operatur vnus, atque idem Spiritus, diuidens ſingulis prout vult*. Ioan. 3. *Spiritus vbi vult ſpirat*. Hoc veluti optimo ex dominio Deo proprio ſumpto argumento confirmatur Spiritus Sancti Diuinitas; quocirca vtitur eodem Concil. Nicænum lib. 2. verſus finem §. *Cum ſit copioſa*: vtuntur innumeri Patres, Athanaſ. Dialogo 2. de Trinit. contra Anomœum, et de natura aſſumpta humana. Chryſoſt. hom. 29. in cap. 12. Epiſt. 1. ad Corinth. Baſil. lib. 4. de Spiritu Sancto cap. 16. Epiphan. hæreſi 74. Ambroſ. lib. 1. de Spiritu Sancto cap. 1. Nyſſen. in orat. Dominicam orat. 3.

Adhuc confirmatur, quia Spiritus Sanctus vti Deus erat. Pſalm. 32. *Verbo Domini Cœli firmati ſunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum*: quæ verba de Spiritu Sancto ſupra ſatis per Patres explicata ſunt. Iob. 33. *Spiritus Dei fecit me*. pſal. 103. *Emittes Spiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ*. Grauiſsimum, et ſemper in ore Sanctorum Patrum hoc argumentum: eſt in primis Concilij Nicæni lib. 2. §. in *lib Iob*, eſt eorum Patrum, qui verba pſal. cit. 32. *Verbo Domini &c.* de omnibus Diuinis perſonis interpretati ſunt. Paucis Dauid omnia complexus: *Scitote quoniam Dominus ipſe eſt Deus*. et quaſi reddens rationem, *quoniam ipſe fecit nos*.

Viuificantem. Mira conſequentia, et propria de Spiritu S. nam amor eſt actus vitalis, et viuificus, et viuificans. Iob. 33. *Spiritus Domini fecit me, & Spiraculum omnipotentis viuificauit me*. Et D. Cyrill. lib. 13. Theſau. cap. 3. Spiritus Sanctus dicitur non per participationem ſanctitatis, neq; per compoſitionem Sanctus eſt, ſed ſubſtantia eſt per ſeipſam, et naturaliter ſanctificatiua, ex Deo procedens, ſicut dulcedo ex melle, aut ſicut ex flore odor. Sancti Patres ex hoc capite viuificandi mirificè Spiritus Sancti Diuinitatem probant, præſertim Chryſoſtom. in cap. 16. Ioan. hom. 77. Baſil. homil. 17. in baptiſma. Ambr. lib. 2. de fide cap. 4. Athanaſ. lib. de Natura humana aſſumpta, & alij; & colligunt ex Diuinis literis. Ad Rom. 8. *Quod ſi Spiritus eius, qui ſuſcitauit Ieſum à mortuis, habitat in vobis, viuificabit mortalia corpora veſtra propter inhabitantem Spiritum eius in vobis*. Ioan. 6. *Spiritus eſt qui viuificat*. Ibidem. *Verba, quæ ego locutus ſum vobis, ſpiritus, & vita ſunt*. Ioan. 7. *Flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ: hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum*. Ioan. 4. *fiet in eo fons aquæ ſalientis*

in

in vitam æternam. Ex quibus locis citati Patres, & Cyrill. lib. 7. Dialog. de Trinitate, & lib. argumentorum de Diuinitate Spiritus Sancti; eandem Spiritus Sancti Diuinitatem efficaciſsimè roborarunt.

Ego ſumo locum Matth. vlt. quo de hoc Diuino Myſterio explicatiorem non legi. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*: eo enim & vnitas eſſentiæ contra Arrium, vbi in nomine, non in nominibus, clariſsimè euincitur. Deinde contra Sabellium, Diuinarum perſonarum diſtinctio, Patris, Filij, & Spiritus Sancti, luce meridiana clarius colligitur. Tertiò. Sicuti Pater, & Filius; ita Spiritus Sanctus in baptiſmo mundans, & viuificans, legitimè colitur, & prædicatur Deus.

Primum, & ſecundum de veritate Sanctiſsimæ Trinitatis, & vnitate eſſentiæ, & diſtinctione perſonarum, grauiſsimè doctiſsimi Patres ex hoc loco deduxerunt. Ignat. Epiſt. 5. ad Philippens. Clem. Romanus Conſtitut. Apoſtol. lib. 2. cap. 17. Iuſtin. Martyr expoſit. fidei de Trinitate fere in principio. Alexander 1. Papa Epiſt. 1. cap. 6. in tom. 2. Conciliorum. Athanaſ. duabus epiſtolis ad Serapionem, & Dialogo 1. contra Macedonium. Nazianz. orat. 2. ad 150. Epiſcopos, & orat. 37. Baſil. 5. contra Eunomium, & epiſt. 64. Cyrill. lib. 1. in Ioan. cap. 2. & lib. 1. Theſa. cap. 6. Damaſc. lib. 1. de Fide cap. 8. Theodoret. lib. 5. Decretorum Diuinorum, cap. de Spiritu Sancto. Hieronym. in Matth. vlt. & epiſt. ad Eldibiam quæſt. 9. Hilarius lib. 2. de Trinit. Ambr. lib. 1. de Fide cap. 1. Fulgent. ad vltimam obiectionem Arrianorum, & lib. de fide ad Donatum cap. 9. & de Incarnat. & Gratia Ieſu Chriſti cap. 11. Vigil. lib. 2. contra Euticheten. Magiſter in 1. diſt. 2. cap. vlt. & inde omnes Theologi. Et adeo euidens locus de Sanctiſsimæ Trinitatis vnitate, vt Arriani non potuerint ſuſtinere, ſed perfricatæ frontis expunxerint, & in baptizando prætermiſerint, *In Nomine*, ſed baptizo te, dicebant, in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto, vt ſic tres naturas ſignificarent, teſte D. Athanaſio lib. 7. ad Theophilum de profeſſione regulæ Catholicæ. D. Ambr. Arrianos conuictos affirmat, non quia legerint, ſed quia aboleuerint.

Eodem loco pro Diuinitate Spiritus Sancti probanda diſtinctè vtuntur Sancti Patres. D. Athan. loco nuperrimè relato, & de ſuſcepta natura humana. D. Baſil. in S. Baptiſma, loco itidem ſæpe recenſito. D. Epiphan. in Ancorato, D. Ambroſ. lib. 1. de Spiritu Sancto cap. 14. & alij; & animaduertunt primò, & colligunt, vnum, & idem nomen Patris, Filij, & Spiritus Sancti, quod eſt nomen Dei. Secundò, æquè Spiritum Sanctum ſuper omnia creata extollunt, ſicuti Patrem, & Filium, & æqualem ipſis fatentur, vt & alijs locis teſtantur Diuinæ literæ, præcipuè 2. Corinth. 13. *Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti, & Charitas Dei* (Patris) *& communicatio Spiritus Sancti ſit cum omnibus vobis*. Hebr. 10. *Quanto putatis deteriora mereri ſupplicia qui Filium Dei conculcauerit, & ſpiritui gratiæ contumeliam fecerit?* id eſt Spiritui Sancto tertiæ perſonæ, ex D. Athanaſ. longiori epiſt. ad Serapionem.

Tertium, Hic verè Spiritum Sanctum viuificare ſimul cum Patre, & Filio: Sacramentum enim baptiſmi ſanctificare, & viuificare eius qui baptizatur animam, eſt adeo certa fides, *vt niſi qui renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, poſſit introire in Regnum Dei. Quod natum eſt ex carne, caro eſt: quod natum eſt ex Spiritu Spiritus eſt*. Ex quo, & alijs conſimilibus locis deducit pereruditè S. Amb. lib. 2. de Spiritu Sancto cap. 9. his verbis. *Claret igitur ſpiritualis quoq; generationis authorem eſſe Spiritum Sanctum, qua ſecundum Deum creamur, vt Filij Dei ſimus*. Clarius eluceſcat ex D. Nazianz. orat. 37. de quo loco adhuc paucis ab his infra. *Si Spiritus Sanctus non eſt adorandus, quomodo me Deum efficit participatione? Si porrò venerandus, an non Deus?* & ex D. Cyrillo lib. 13. Theſau. *Natura, & eſſentia Spiritus Sanctus Deus, quoniam qui ipſum ſuſcipiunt, Dij per gratiam efficiuntur*. Deducitur & 3. ad Titum. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus Sancti*.

Eſt fere commune aliorum Patrum argumentum. Sancti Athanaſij lib. de humana natura ſuſcepta, & de profeſſione fidei lib. 7. ad Theophilum. Sancti Baſilij hom. 7. in S. Baptiſma, & lib. 3. contra Eunomium, S. Ambroſij lib. 1. de Spiritu Sancto cap. 14. Sancti Fulgentij obiectione 8. ad obiectiones Arrianorum.

Sed adhuc confirmatur ex eadem Baptiſmi forma ſanctificante. Connumeratur Spiritus Sanctus inter Sanctiſsimæ Trinitatis perſonas ſuper omnes creaturas: ergo Deus. Confirmatur. Nullibi enim in Diuinis literis Spiritus Sanctus aut Angelus, aut alia creatura appellatur: ergo impiè hæreticum eſt illum ſic nomenclare, vt peruerſiſsimi faciunt Arriani. Quod denique vehementer confirmatur. Nam Chriſtus Dominus nedum concipitur, ſed ſanctificatur à Spiritu Sancto. Act. 10. *Vnxit eum Dominus Spiritu Sancto, & virtute*. Lucæ 4. ex Iſai. 61. *Spiritus Domini ſuper me, eo quod vnxerit me, pauperibus euangelizare miſit me*. Matth. 4. *Ductus eſt Ieſus in deſertum à Spiritu*. Ad Hebr. 9. *Per Spiritum Sanctum ſemetipſum obtulit*. Quibus omnibus hæc præſertim conſequuntur. Si Spiritus Sanctus ſanctificauit, vnxit, duxit, miſit, & præcepit &c. ergo ſuperior Chriſto fuit: ergo Deus. Chriſtus enim etiam vt homo aſſumptus ſub Deo ſuper omnes eſt,

Qui ex Patre, Filioque procedit. Hoc eſt potiſsimum, & argumentum, & teſtimonium huius veritatis, quam credimus, & adoramus, & contra Hæreticos hoc loco tueri ſuſcipimus, Spiritus Sancti Diuinitatis, ab æterno principio ipſius originis, & ſpirationis deductum, vt ſic oporteat arguere. Spiritus Sanctus procedit, & ſpiratur à Patre, & Filio per actum viralem amoris, & ei ſic Diuina eſſentia eadem numero communicatur: ergo Deus eſt. Huius enthymematis

an-

antecedens ſupra conſtitit ſuo loco per diffuſam diſputationem, vt nihil opportunum ſit addere nunc. Cōſequentia ex ſe conſtat: tum quia eandem, qua Pater, & Filius eſt Deus, & perſonæ ſubſiſtētes, eſſentiam accipit Spiritus Sanctus in ſua ſpiratione: ergo cum ipſis eſt Deus, & perſona Diuina ſubſiſtens, & Homouſio. Ratio ſingularis, vt pluribus locis aſſeruimus, eſt Diuina eſſentia, quæ cū ſit infinita, & ſimpliciſsima, non poteſt partiri, nec multiplicari; & proinde neceſsitate abſoluta, eadem, quę eſt in Patre, & Filio, eſt & in Spiritu Sancto: ergo Spiritus Sanctus non eſt creatura, ſed Deus: neq; enim à Patris & Filij ſubſtantia aliud poteſt oriri, aut ſpirari, quod non ſit ipſis intimum, & conſubſtantiale. Eſt argumentum familiare Sanctorum Patrum contra Arrianos pluries repetitum, præſertim Athanaſij, Ambroſij, & Cyrilli. Aperta eſt conſequentia: Spiritus Sanctus enim de ſubſtantia Patris, & Filij ab æterno procedens, creatura autem ex nihilo in tempore producitur: ergo.

Res tota aperta eſt in Diuinis literis 1. Cor. 2. *Spiritus, qui ex Deo eſt.* Io. 15. *Spiritum veritatis, qui à Patre procedit,* ſcilicet de ſubſtantia Dei Patris &c. vt præſertim obſeruat Sanctus Chryſoſt. hom. 3. de Spiritu Sancto, & omnes Theologi; & inde vbi legitur ſpiritus Dei, & Diuinus, eodem loco D. Pauli, & cap. 6. & 2. Corint. 3. & 1. Petri 4. Diuus enim Athanaſius Dialog. 1. de Trinit. *Quid*, inquit, *aliud eſt Spiritus Dei, ac Diuinus, quam Deus?* & Sanctus Baſilius idem teſtatur ſerm contra Sabellianos.

Qui cum Patre, & Filio ſimul adoratur, & conglorificatur. Quaſi ab effectu, vel vt aiunt, à poſteriori, hoc à Spiritu Sancto dictatur argumentum de hac veritate quam quærimus, in hoc ſacerrimo Symbolo, nimirum à cultu, & latria, quæ Spiritui Sancto, & debetur, & ab vniuerſa Catholica Eccleſia tribuitur: ſequitur enim efficaciſsimè, ergo Spiritus Sanctus eſt Deus: ſoli enim Deo hæc cultus ſpecies debetur propter Diuinam excellentiam, aliàs omnes fideles decepti, peccato idolatriæ turpiter errarent, & inuoluerentur. Sancti Patres vehementer vrgent hoc argumento ex Diuinis literis pro Spiritus Sancti Diuinitate.

S. Ambroſ. lib. 3. de Spiritu Sancto cap. 12. in illa verba Io. 4. *Veri adoratores adorant Patrem in Spiritu, & veritate &c. Spiritus eſt Deus, & qui eum adorant, in ſpiritu, & veritate adorare oportet*, ſic mirè philoſophatur: prius explicat, & explodit, & deteſtatur impietatem, & impudentiam Arrianorum, eamq; geminam: primò enim accuſat eos impudentiſsimè expunxiſſe ex ſacro Euangelij textu illa verba, *Deus ſpiritus eſt*, eoſque ſic peracutè redarguit. *Si Deum hoc loco, Deum Patrem interpretamini, cur hæc verba deletis? an non Patrem Deum ſpiritum creditis? ergo Ethnici, & Gentiles, qui Deum verum negant, corporeumque colunt. Si verum Deum Patrem tenetis, quare textum Euangelij corrupiſtis, & verba hæc diuina expunxiſtis? ergo Dei oraculum obliteraſtis, quia Spiritus S. Diuinitatem his verbis teſtatam manifeſtiſsimè animaduertiſtis. Quare hæc litura vos de hæreſi conuictos prodit, accuſat; & condemnat.*

Altera vero iniquitas, ne his verbis coacti Spiritus Sancti Diuinitatem fateantur, nedum verba tollunt ſancti Dei Euangelij corruptores, ſed adorandum quidem Deum Patrem, nequaquam tamen Spiritum Sanctum, ſed Patrem in ſpiritu, & veritate, vt Spiritus Patri ſubiectus ſit; & minor, & illo dicendi modo indicetur, *adorent eum in ſpiritu.*

Contra verò Sanctus Ambroſius ſic ſoluit, & arguit, & ex his verbis adorandum Spiritum Sanctum, quia Deus eſt, & cum Patre Deus. Primò. Spiritus Sanctus aliquando in Diuinis literis pro gratia habituali, & ſanctificante ſumitur, ſicuti ad Rom. 8. *quia ſpiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, hoc eſt gratia ſpiritualis: aliquando pro perſona Spiritus Sancti. Si primo modo, horum verborum hæc eſt certa ſententia, adorandum Deum non in malitia cordis, ſed in gratia ſpirituali; neque in mendacio, ſed in veritate, & veram Diuinitatem credendo, & vt ad eam quam quærit Deus adorationem ſpectat, nimirum ſpe, & charitate: qua explicatione nihil hic de perſonis Filij, et Spiritus Sancti agitur diſtinctè.

Secundo autem modo eſt idem prorſus adora Patrem in ſpiritu, ac ſimul cum Spiritu Sancto, ſicuti eiuſdem eſt Diuinitatis cum Patre. Et per multa doctiſsimè, et elegantiſsimè probat, et primò. Sicut adorare Patrem in veritate, eſt cum eo adorare Filium, qui eſt *Via, Veritas, & Vita*; ſic et Patrem in ſpiritu, eſt adorare eum cum Spiritu Sancto. Secundò. Sicuti Filius in carne reſurgens adorabatur à mulieribus, et Apoſtolis, quod erat adorare ſcabellum pedum, quia ſanctum, ſcilicet humanitatē ſanctam aſſumptam, et nihil ſic derogabat Filio, ſicut nihil derogat Chriſto quod adoretur Deus in Chriſto, quia adoratur et Chriſtus: eadem ratione nihil derogat Spiritui Sancto, quia quod in ipſo Pater adoratur, adoratur et Spiritus Sanctus, quemadmodum dixit Apoſtolus ad Philip. 3. Spiritui Deo (editio vulgata ſpiritu Deo) ſeruimus: qui enim ſeruit, et adorat: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſerutes* Matth. 4.

Tertiò adoratur in Chriſto Pater Deus, et in veritate, vti verus in vero, Deus in Deo, ex Diuo Io. *Pater in me eſt:* ergo et adoratur in Spiritu Deus, ſicuti ſpiritus in ſpiritu, et Deus in Deo: ergo per vnitatem naturæ adoratur Deus Spiritus Sanctus cum Deo Patre.

Quartò. *Omnia in ſapientia feciſti*, hoc eſt in Filio. *Omnia* enim *per ipſum facta ſunt: & Verbo Domini cæli firmati ſunt:* ergo in Filio facere, et per Filium facere eſt idem: et qui vnum dicit, alterum non negat. Et D. Paulus 1. Cor. 8. dum *Omnia condita ſunt in ipſo*, aſſerit, non negat *Omnia per ipſum facta ſunt:* in ipſo enim, & cum ipſo, et per ipſum idem ſunt. Gen. 1. *Faciamus hominem ad imaginem &c.* Hoc eſt eadem virtute Pater, Filius, et Spiritus Sanctus faciamus: ergo eodem modo et de Spiritu Sancto loquendum, vt in ipſo, et cum ipſo adoratur Deus,

ado-

Digitized by Google

adoretur & Spiritus Sanctus, & ipſe Deus, & Diuina Trinitas. His fere modis D. Ambroſius in illa verba D. Io. 4.

S. Nazianzenus (vt pancis etiam ſupra; ſed iterum hic, quia eſt proprius locus) orat. 37. *Si Spiritus Sanctus adorandus non eſt, quomodo me Deum (participatione) efficit? ſi porrò venerandus, an non Deus?*

Adhuc Spiritui Sancto ſicuti Deo vero latriæ cultum adhibendum colligo ex apertis Diuinarum literarum locis. 1. Cor. 3. *Neſcitis quia templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis? ſi quis autem templum Dei violauerit, diſperdet illum Dominus: templum enim Domini Sanctum eſt, quod eſtis vos.* Et cap. 6. eiuſdem Epiſt. *An neſcitis quoniam membra veſtra templum ſunt Spiritus Sancti, qui in vobis eſt? quem habetis à Deo, & non eſtis veſtri &c. Glorificate, & portate Deum in corpore veſtro.* Vnde D. Aug. *Quem Deum*, inquit, *niſi Spiritum Sanctum, cuius corpora veſtra dixerat eſſe templum?* Debetur ergo latria Spiritui Sancto. *Nam ſi templum facere de lignis, & lapidibus iubemur, & templum faciendo latriam exhibere conuincimur; quanto magis latriam debemus cui non templum facimus, ſed ſumus?* Eodem ardentiſſimo veritatis zelo idem Sanctiſsimus Pater lib. 1. de Trinit. cap. 6. *Quid inſanius, & magis ſacrilegum eſt, quam vt quiſque dicere audeat membra Chriſti templum eſſe creatura, minoris ſecundum ipſos, quam Chriſtus eſt?* Et in illa verba 1. Cor. 6. Corpora veſtra membra ſunt Chriſti. *Si autem quia membra ſunt Chriſti templum ſunt Spiritus Sancti, non eſt creatura Spiritus Sanctus.* Argumentum ſumit ex latria, quæ debetur perſonæ, cui eriguntur templa: quare contra Maximinum lib. 1. circa medium, apertiſsimè: *Noli negare Deum eſſe Spiritum Sanctum, ne templum creatura facias membra creatoris.*

Eſt commune, & efficaciſsimum hoc argumentum de Spiritus Sancti Diuinitate, Sanctorum Patrum. Diui Athan. lib. de communi eſſentia Patris, Filij, & Spiritus Sancti. & Ep. 1. ad Serapionem prope medium, & Dial. 1. de Trinit. contra Anomæum. Et lib. de humana natura aſſumpta. D. Baſ. lib. 3. & 5. contra Eunom. D. Chryſoſt. de conſubſtantial. Trinit. D. Epiph. in Ancorato. D. Cyrill. lib. quod Spiritus Sanctus ſit Deus. D. Ambr. ſupra. D. Fulg. de fide ad Donatum cap. 8.

Verum ſi ſimul cum Patre, & Filio Spiritus Sanctus adoratur, & conglorificatur: ergo eiuſdem naturæ cum ipſis, eiſque conſubſtantialis. Id quod conſequitur probandum hoc loco, primò, quia phraſis dicendi indicat. Cum Patre & Filio ſimul adorari, & conglorificari, eſt conſubſtantialitatem ſupponere. Secundò, ex illis clariſsimis verbis 1. Ioan. 5. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in Cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres vnum ſunt.* Vbi, ſicuti voce *Tres ſunt*, diſtinctio perſonarum aſſeritur; ſic *Vnum ſunt*, vnitas ſubſtantiæ, & Diuinitatis prædicatur. Obſeruarunt hunc locum in hanc certam, & neceſſariam ſententiam plurimi Patres Sancti. Athan. lib. de vnita Deitate, his verbis: *Non tamen vnus eſt, quia non eſt vna perſona tantum.* Et diſput. cum Arrio in Conc. Nicæno. D. Ambr. lib. 1. de Spiritu Sancto cap. 6. D. Hieron. in Prologo in Catholicas Epiſtolas. D. Aug. in hunc locum. Et 3. contra Maximinum cap. 22. Tertull. lib. 4. contra Marcionem. D. Fulg. lib. contra obiectiones Arrianorum, citans & Diuum Cypr. lib. de ſimplicitate Prælatorum. Hyginius Papa epiſt. 1. ad omnes Chriſti fideles. Io. 2. ep. ad Valerium. Innoc III. cap. *Damnamus*, & alij. Quibus, ſicuti cum Patre conſubſtantialitatem Filij ex illis D. Io. verbis: *Ego, & Pater vnum ſumus*, omnes Patres probabant; eandem explicatè cum Patre & Filio etiam Spiritus Sancti his verbis eadem certitudine aſſerunt, & profitentur.

Eam verò teſtati ſunt, & S. Iacobus frater Domini, & S. Marcus in ſuis liturgijs. Synodus Alexandrina. Io. Papa 2. Damaſus Papa Epiſt. 1. ad Paulinum & Ep. 6. vbi non ſolum ipſe Damaſus, ſed omnes Epiſcopi, qui ad eum conuenerant, & Patres numero 318. habito tractatu in Vrbe Nicæna, hunc murum fortiſsimum contra arma diaboli ſtatuerunt, & hoc remedio venena mortifera repulſa ſunt, vt Pater, & Filius, vnius Diuinitatis, vnius virtutis, vniuſque magnitudinis credatur, vnius ſubſtantiæ ſimul cum Spiritu Sancto.

Quinta Synodus generalis, quæ eſt Concilium 2. Conſtantinop. Collat. 8. cap. 1. *Si quis non confitetur Patris, & Filij, & Spiritus Sancti vnam naturam, ſiue ſubſtantiam, & vnam poteſtatem, Trinitatem conſubſtantialem, vnam Deitatem in tribus ſubſiſtentijs, ſiue perſonis eſſe adorandam; talis anathema ſit.* Vides quam appoſitè huic Trinitati latria debeatur, & latria eadem conſequentia, & formalis probetur. Eandem conſubſtantialitatem ſtatuit 7. Synodus. Secundum Nicænum Concilium. Marc. 1. in Decretis Synodicis cap. 1. Vnum Deum in tribus ſubſiſtentijs conſubſtantialibus &c. Io. Papa 2. ep. ad Senatores. Agatho cum Concilio Rom. ep. 2. quæ habetur in 6. Synodo, Act. 4. Trinitatem conſubſtancialem appellat. Sophron. Patriarcha in 6. Synodo act. 11. & omnes Patres.

Quod ſi quæras, cur in Conc. & Symbolo Nicæno non æquè apertè Spiritus Sancti conſubſtantialitas decreta eſt, ſicuti Filij. Reſp. primò; & ibi eam Patres decreuiſſe: nam ex lib. 2. illius Concilij in reſponſione per Leontium, quæ incipit, *Si quidem inexplicabilis*, dicunt Patres, vnam Diuinitatem cogitari & credi aſſerimus, vnam ſubſtantiam, dominationem, & ſententiam vnam Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Deinde Trinitatem appellant conſubſtantialem. Secundò. Reſpondent S. Nazianz. orat. 52. quæ eſt Epiſtola 2. ad Cledonium, & S. Baſil. Epiſt. 60. et 78. quia Patres Nicæni contra Arrium de Filij Homouſio potiſsimum digladiabantur. Tertiò. In Symb. iterũ explicatè de Spiritus S. Homouſio ex decreto latriæ Spiritui Sancto debitæ, verbis quæ nunc explicamus, *Qui cum Patre, & Filio ſimul adoratur.*

Quam

Digitized by Google

Quam latriam ſemper Catholica Eccleſia fidelis exhibuit, & exhibet, & profitetur in Præfatio Miſſæ Sanctiſsimæ Trinit. in fine omnium pſalmorum: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto*: in miniſtratione Sacramentorum, Baptiſmi &c. *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*. Incipit diſciplinam Chriſtianam in eruditione puerorum ab hac ſacerrima latria. Inuicem ſe inferunt. Latria exhibetur Spiritui Sancto: ergo Deus. Deus eſt: ergo adorandus latria.

Qui locutus eſt per Prophetas. Ne prætermittamus hoc argumentum eiuſdem ponderis cum præcedenti, & vehementer vrgens, ſed paucis expediamus. Hoc per Prophetas loqui eſt maximè Dei proprium: ergo Spiritus Sanctus, qui ſic loquitur, Deus eſt. Scrutemur id ex Diuinis litteris. 2. Reg. 23. Dauid Propheta: *Spiritus Domini locutus eſt per me, & ſermo eius per linguam meam: dixit Deus Iſrael mihi, locutus eſt fortis Iſrael mihi, dominator hominum*. Vbi attende, Spiritus Domini loquitur per me, & dicitur Deus, fortis, dominator: ergo ſpiritus, qui loquitur per Prophetas, Deus eſt ille fortis &c.

Act. vlt. *Bene Spiritus Sanctus locutus eſt per Iſaiam, dicens: Vade ad populum iſtum, & dic eis: Aure audietis, & non intelligetis*. 2. Petri 1. *Spiritu Sancto inſpirati locuti ſunt Sancti Dei homines*. Mire ex Zach. Luc. 1. *Benedictus Dominus Deus Iſrael*. Et ſtatim addit: *Sicut locutus eſt per os Sanctorum*. Act. 1. *Oportet impleri Scripturam, quam prædixit Spiritus Sanctus per os Dauid*. Ec deoique omnes Prophetæ dum ad populum ſuos habebant ſermones, repetebant *Hæc dicit Dominus Deus*: ergo Spiritus Sanctus, qui locutus eſt per Prophetas, euidenter ex his Diuinis locis colligitur Deus.

CAPVT V.

In quo quædam hæreticorum argumenta euertuntur.

NOn texo ego de hæreticis, ac hæreticorum nominibus, & temporibus Cronologiam, neque contra eos diſputationem exerceo, ſed ea dumtaxat, quæ huic capiti congruunt, colligo, & conciſim ſeligo. Appellata eſt hæreſis de Spiritu Sancto, Macedoniana, & Macedoniani Pneumatonichi, ideſt Spiritus Sancti impugnatores; non Arriani, ſed Semiarriani, ſicuti refert S. Tho. 4. contra Gentes cap. 16. hac præſertim ratione, quia contra Spiritum Sanctum profeſsi ſunt hæreticam blaſphemiam: quemadmodum de Diuinitate Filij, hæretici Arriani nuncupantur, quia ſeuius contra Filium ſerociunt, licet etiam contra Spiritum Sanctum, eiuſque Diuinitatem negent.

Et quamuis in multa capita & hæc hæreſis diuidatur, pluresque euomat blaſphemias, ego tamen hanc vnicam confodio, qua ipſum eſſe Deum negauit, atque his, ex multis, quas omnes S. Th. relato lib. & cap. colligit, rationibus perſuadere, & fidelium mentes decipere conatus eſt: quæ tamen verè mea nunc redargutione non indigent: vetuſtiſsimi enim, Sanctiſsimi, & Doctiſsimi Patres, præſertim Athanaſ. Cyrill. & Ambr. eas radicitus euulſerunt, & è mentibus iam hominum peroptimè obliterarunt.

Primò igitur S. Greg. Nazian. lib. 5. de Theologia refert hoc hæreticorum argumentum. In Diuinis litteris Spiritum Sanctum dici Deum non reperitur: ergo non eſt aſſerendum. Conſequentia alio loco probata eſt ex D. Dionyſ. & D. Baſil. Quodſi argumentum contra eos retorqueatur. Nullibi in Diuina Scriptura Spiritus Sanctus dicitur creatura: ergo falſum, temerarium, & impium eſt eum ſic nomenclare. Reſpondent. Imò multis locis teſtatum legi. Amos 4. *Ego Dominus firmans tonitruum, & creans Spiritum*. Ioan. 1. *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil*. Si omnia per Verbum ita facta ſunt, vt ſine ipſo factum ſit nihil: ergo & Spiritus Sanctus: eſt enim aliquid in genere entis. Ad Rom. 8. *Ipſe poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*: ſed creaturæ eſt ſic Deum poſtulare: ergo Spiritus Sanctus creatura. Zach. 4. *Reſpondit Angelus, qui loquebatur in me*: ergo Spiritus Sanctus eſt Angelus, & creatura, nam ille eſt qui loquitur in Prophetis, vt cap. præterito multis locis.

Confirmatur. Diuus enim Baſil. hom. 17. in Sanctum Baptiſma de Spiritu Sancto inquit: *Neque ipſe Deus, ſed Dei Spiritus, & apud Deum, qui & à Deo mittitur, & per Filium nobis ſuppeditatur*.

Sed hæreticorum argumentū hoc ex multis coaleſcit mēdacijs, & turpiter peccat in forma, et materia. In forma quidem: nam nedū ex negatiuis cōſtat, ex quibus nulla deducitur idonea cōſequētia; ſed præſertim & falſum, & pernicioſum eſt, & hæreticis familiare, quod ex Scripturis negatiuè colligitur, vt ferè vbiq; authores contra hæreticos ſapienter obſeruant: neque enim omnia in ſacro textu ſunt, quæ tum credenda, tum agenda: & obuium & tritum eſt. In materia verò. Primò enthymematis falſum eſt omnino antecedens. Iam ſupra conſtitit: multis enim locis Spiritus Sanctus et Dominus, & Deus, nullo verò loco creatura appellatur. 1. Cor. 6. *Membra veſtra templum ſunt Spiritus Sancti*, & poſt pauca infra. *Glorificate, & portate Deum in corpore veſtro*. Act. 5. *Cur tentauit Sathanas cor tuum mentiri te Spiritui Sancto? non es mentitus hominibus, ſed Deo*. Dominum quoque & eſſe, & nuncupari, & ſatis ſupra in illa verba Symboli, *Et in Spiritum Sanctum Dominum*: & ex intrinſeca oſtenſa conſequentia. Deus eſt: ergo & Dominus, & vice verſa. Dominus eſt: ergo & Deus.

Impiè verò aſſumpta illa Diuinarum litterarum loca, & turpiter detorta ſunt, quibus impudenter hæretici Spiritum Sanctum creaturam eſſe non erubeſcebant aſſerere, & cautè teſtantur, & exponunt Sancti Patres: Illud enim Amos: *Ego Dominus firmans tonitruum, & creans Spiritum*. Primò

mò editio noſtra vulgata, ſemper, & vbique amplectenda, & profitenda, non *Spiritum*, ſed *ventum* habet. 70. verò interpretes *Spiritum*. Sed & ipſos ſpiritum pro vento, & ſpiritu procellarum accepiſſe, doctiſſimè tradiderunt Sancti Patres, Athanaſ. longiori epiſt. ad Serapion. & dial. 3. de Trinit. contra Macedonium. Epiphanius in Aucor. Baſil. lib. 3. de Spiritu Sancto. Hieron. & Theodoret. in hæc verba Amos.

Ad illud Ioan. 1. obſeruata primò Doctorum varietate in diſtinguendis textus verbis, & interponendis punctis, reſpondent Nazian. Oraʒ. 37. *Omnia quæcumque facta ſunt, dicit Euangeliſta, non omnia ſimpliciter, nam ne ipſe quidem Pater, nec omnia ea, quæ facta non ſunt.* Et eſt communis reſponſio, & de ſolis creaturis ibi Euangeliſtam loqui, docent omnes, & inter alios egregiè SS. Aug. & Cyrill. & certa ſuut verba textus. *Et ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt:* ergo ſermo eſt de ijs quæ facta ſunt. *Deberent*, inquit D. Cyrill. *probare Spiritum Sanctum factum*. Confirmatur. Nam cap. 4. cum Patre, & Filio Spiritum Sanctum quoque creatorem eſſe demonſtratum eſt. Nunc ſufficit Pſal. 32. verba referre: *Verbo Domini cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum.* Ea enim & multi Patres, & Concil. Nicænum lib. 2. §. *In lib. Iob.* exponunt de Filio, & Spiritu Sancto mundum creantibus, & probat Spiritum Sanctum eſſe Deum, quia creator: ergo non creatus.

Ad illud Roman. 8. peracutè Sanctus Aug. lib. 3. contra Maximinum cap. 24. *Intellige locutionem, & deuitabis blaſphemiam: ſic enim dictum eſt gemitibus interpellat, vt intelligeremus, gemitibus interpellare nos facit. Denique alio loco Apoſtolus cum dicit clamantem Abba Pater, expoſuit quid ſit clamantem Abba Pater, dicendo, In quo clamamus Abba Pater: & per hoc quid eſt clamantem, niſi clamare facientem? Equè hic, quid eſt interpellantem, & poſtulantem, niſi poſtulare facientem?* Idem S. Chryſoſt. hom. 14. in ep. ad Rom. *Clamantem eſſe donum orationis, quo anima clamat, ingemiſcit, & orat.* S. Nazian. orat. 37. ergo orare ſpiritu, et adorare, mihi nihil aliud videtur, quàm ipſum ſibi ipſi orationem, vel adorationem offerre.

Ad illud Zachariæ. Soluit S. Athanaſ. epiſ. relata ad Serapionem, Angelum illum, qui loquebatur in Zacbaria fuiſſe Angelum miniſtrum Spiritus Sancti, primum verò mouens, et illuſtrans primarium ad prophetandum, ſicut in cæteris Prophetis fuiſſe Spiritum Sanctum Deum. Ex conſimili loco 1. ad Timot. 5. *Teſtor coram Deo, & Chriſto Ieſu, & electis Angelis, vt hæc cuſtodias;* vrgebat Valentinus hæreticus, vt refert S. Athanaſ. epiſt. longiori ad Serapionem, A Deo, et Chriſto Ieſu immediatè tranſit ad Angelos: ergo Spiritus Sanctus cum Angelis à Diuo Paulo miſcetur. Arrident verba S. Ioan. 17. *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum*, nulla de Spiritu Sancto meutione facta. Et plurimis alijs locis, quibus nominatis Patre, et Filio, innominatus pertranſitur Spiritus Sanctus.

Soluit S. Athanaſ. citata epiſt. Primò ex ijs locis, quibus Spiritus Sanctus Angelis maior aſſeritur. Iſa. 4. *Et nunc Dominus miſit me, & Spiritus eius.* Vbi de Chriſto homine fit ſermo, et Spiritus Dei, ſcilicet tertia perſona maior profertur, cui Chriſto Angeli deſeruiunt, et miniſtrant. Aggæi 2. *Ego vobiſcum ſum, dicit Dominus omnipotens, & Spiritus meus in medio veſtri conſiſtit.*

Idem Athanaſ. relato loco duo animaduertit mendacia hæreticorum. Alterum, Spiritum Sanctum non eſſe Deum. Alterum, eſſe Angelum: et ad primum. *Quid cauſa eſt*, inquit, *quod Apoſtolus poſt Chriſtum non ſubiunxerit Spiritum Sanctum, ſed electos Angelos? Hic merito quis ex his roget, cur non ſubiunxerit Archangelos, Cherubim, Seraphim &c. Igitur quoniam non fecit, Angeli ſunt, Archangeli autem non ſunt? &c. Sed hoc eſt imponere neceſſitatem Apoſtolo, quare non ſic, aut cur non potius ita, vel ita ſcripſerit, & ignorare Scripturas, atque inde porro errare circa veritatem.* Et alia plura egregia ibi, quibus quod eo loco tacuerit de Spiritu Sancto, & voluerit Angelos ponere, haud prorſus quicquam contra Diuinitatem exiſtentem Spiritus Sancti colligere liceat. Ad alterum: *Quia Apoſtolicum dictum cauſantur, quod poſt Chriſtum Angelos electos poſuerit; dicant mihi, quis ſit ex iſtis Angelis, qui cum Trinitate vt eiuſdem ordinis conſtituitur, cum omnes illi vnus numero non ſint? Aut quis illorum ſit, qui in Iordane in ſpecie columbæ deſcendit? Mille enim Chiliades, & infinita Miliades ſunt, qui miniſteria obeunt. Aut cur aperto Cœlo ſcriptum non ſit, deſcendit aliquis ex numero Angelorum, ſed Spiritus Sanctus?* et plurima id genus.

Soluit ſecundò S. Thomas 4. contra Gentes cap. 23. his verbis. Nec Spiritum Sanctum à Diuinitate excludit, quod Pater, et Filius interdum couumeratur non facta mentione de Spiritu Sancto; ſicut nec Filium à Diuinitate excludit, quod interdum fit meutio de Patre non facta mentione de Filio: per hoc enim tacitè Scriptura inſinuat, quod quidquid ad Diuinitatem pertinens de vno trium dicitur, de omnibus eſt intelligendum, eo quod ſunt vnus Deus. Nec etiam poteſt Deus Pater ſine Verbo, et Amore intelligi, et è conuerſo: et propter hoc in vno trium omnes tres intelliguntur. Et refert illud D. Matth. 11. *Neque Patrem quis nouit niſi Filius*; cum tamen et Pater, et Spiritus Sanctus Patrem cognoſcant: et illud 1. Cor. 2. *Quæ ſunt Dei nemo nouit niſi Spiritus Dei*; cum tamen certum ſit ab hac cognitione neque Patrem, neque Filium excludi.

De Diuo Baſilio. Certiſſimum eſt D. Baſilium alijs multis locis fuiſſe Spiritus Sancti Diuinitatis acerrimum propugnatorem, ex quibus piè et hic interpretandus, vt dum Spiritum Sanctum non Deum aſſerit, non Deum Patrem voluerit neceſſariò dicere: eo præſertim, quo in eadem recenſita homil. probat Spiritum Sanctum non eſſe neq; factum, neque creatum, ſed Creatorem.

Se-

Secundum argumentum. Omne quod eſt, aut genitum, aut ingenitum, aut ſactum eſt: Spiritus Sanctus non eſt genitus, quia de fide non eſt Filius, ex Symbolo Athanas. *Non factus, nec creatus, nec genitus*. Non eſt ingenitus, ex communiori Patrum, & Theologorum ſententia: eo præſertim, quo *ingenitus* eſt Patris proprietas: ergo ſi eſt, ſactus eſt. Maior huius argumenti eſt Diui Hieron. in regulis definitionum contra hæreticos, vt refert Magiſter 1. ſent. diſt. 13. D. Bonau. ibidem quæſt. 4. cum reliquis ſententiarijs. D. Thom. 1. par. quæſt. 33. art. 4. ad 2. quo idem D. Hieron. Spiritum Sanctum, cum non ſit nec genitus, nec ſactus, eſſe neceſſariò ingenitum.

Reſpond. Primò. Hæc D. Hieron. auctoritas non eſt omnino certa, nec inuenitur tractatus ille inter codices D. Hieron. vt omnem probabilitatem, quam ſecum ſert, trahat à Magiſtro referente &c. Et oppoſitum grauiter probatur. Nicænum enim Concil. vt refert D. Nazian. orat. 8. de fide Nicæna, & orat. 26. de Modeſtia ſeruanda in diſputationibus, & orat. 37. quæ & 1. de Theologia, docet, Spiritum Sanctum non eſſe neque genitum, neque ingenitum. D. Aug. ſerm. 38. de Temp. eadem verba repetens dicit, *Spiritum Sanctum non eſſe neque ingenitum, quia ſi ſicut Pater diceretur ingenitus, duos Patres in Sancta Trinitate intelligeremus. Neque genitum: ſi enim genitus ſicut Filius diceretur, duo item Filij æſtimarentur eſſe in eadem Sancta Trinitate*. Et ad Oroſium vehementius. *Spiritum Sanctum non eſſe genitum, nec ingenitum, declarat fides*.

Secundò. *Genitum* idem quod generatione productum, vt Filius, ſi propriè ſumatur: *Ingenitum* verò, & quod non genitum propriè, & quod nulla ratione ab alio eſt eductum, & emanans. *Factum*, quod in tempore, aut ex nihilo, aut ex præiacente materia ab efficiente effectum.

Ad argumentum. Maior, ſi propriè ſumatur genitum & ingenitum, falſa eſt: datur enim & alius modus exeundi, & emanandi per ſpirationem: ita vt illud quod exit, non ſit neque genitum; neq; ingenitum, neque ſactum; ſed ſpiratum ex fœcunditate voluntatis. Si verò laxiori vſurpatione accipiatur, vt idem ſit genitum, quod productum: ingenitum, quod nulla ratione itidem productum; tunc vera eſt maior, ſed falſa minor, nam Spiritus Sanctus eſt genitus, ideſt ab alia perſona ſpiratus, & non eſt ingenitus, quia productus. Eſt etiam alia ſententia ingenitus, quia non generatus vt Filius. Conſequentia omni procul dubio ſemper neganda, & hæretica eſt, quia inuoluit Spiritum Sanctum factum, & non poteſt eſſe factus, quia ab æterno ex ſubſtantia Patris & Filij procedit.

Abundè de re, & ſolutione hac, & conciliatione Patrum Magiſter citata diſt. 13. & Theologi ibi, & præſertim D. Bonau. quæſt. 4.

Tertium argumentum. Spiritus Sanctus mittitur, & donatur, à ſeipſo non loquitur, neque operatur, neque eſt, ſed tertia perſona producitur, & conſtituitur, & mouetur, & partitur; & augetur, & iraſcitur, & contriſtatur, vt multis locis diuinus codex teſtatur. Ioan. 14. *Paraclitus Spiritus, quem mittet Pater in nomine meo*. Ioan. 15. *Cum venerit paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre*. Lucæ 11. *Pater veſter de cœlo dabit ſpiritum bonum petentibus ſe*. Ioan. 3. *Si ſcires donum Dei*: quem locum de Spiritu Sancto D. Aug. Ruper. Beda, & Strabus, & omnes ferè Latini interpretantur, & canit Eccleſia, Donum Dei altiſsimi, & confirmat omnis Theologorum Schola, Spiritus Sancti nimirum donum eſſe proprietatem. Num. 11. *Congrega mihi ſeptuaginta viros de ſenioribus Iſrael, & auferam de ſpiritu tuo, tradamque eis*. Et 4. Reg. 2. *Eliſeus ad Eliam, obſecro vt fiat in me duplex ſpiritus tuus*. Geneſ. 1. *Spiritus autem Domini ferebatur ſuper aquas*. Ad Epheſ. 4. *Nolite contriſtare Spiritum Sanctum Dei*. Iſa. 63. *Ipſi ad iracundiam prouocauerunt, & afflixerunt Spiritum Sanctum eius*: ergo Spiritus Sanctus eſt creatura. Conſequentia videtur euidens: eſſe enim in quem Deus poteſtatem mittendi & donandi exercet; indigere à quo recipiat vim, & loquendi, & operandi, & ipſum eſſe; & produci tertiam perſonam; & affici, & pati motum, augmentationem, partitionem &c. certè inferioris, & ſubditi creati videtur conditio.

Hic primo loco ſupponenda quæ ſupra de numero & æqualitate Diuinarum perſonarum explicata, & confirmata ſunt. Secundò. Origines, & relationes in Diuinis non diſtinguere, nec diuidere, nec producere Diuinam eſſentiam, ſed dumtaxat perſonas, vt iam ſatis demonſtratum, & elucubratum eſt. Tertiò. Interpretanda, & ſoluenda loca Diuinæ Scripturæ impiè detorta, et improbè applicata.

Ad primum. Eo Spiritum Sanctum inferiorem, et minorem Patre, et Filio, quo ab ipſis mittitur; impiè deducitur. Nam diſputat. de perſonarum miſsione pluribus probatum eſt, mitti Filium, et Spiritum Sanctum, eſſe illum apparere in carne, hunc in igne, flatu, et columba, et indicare originem, qua perſona miſſa producitur, et diſtinctionem, nequaquam verò inferiorem, et imperfectiorem naturam: et homo enim hominem verè mittit, eiuſdem tamen, et æqualis naturæ.

Neque quod donetur à Patre, et Filio Spiritus Sanctus, præſefert aliud in ipſum dominium, et poteſtatem, quàm originis, et auctoritatis. Si verò donum pro effectu Spiritus Sancti vſurpetur, certum eſt eſſe creatum, et à Deo vno et trino effici potentia, et virtute in tempore.

A ſeipſo autem non loqui, nec operari, non eſt eo indigere Spiritum Sanctum Deo Patre, et Filio, quaſi ipſe infelicior ſit, ſed ex origine, et ſpiratione paſsiua eos coexigere. Et ſicut à Patre et Filio ſpiratione Diuinam eſſentiam accipit, et ſpiratur Deus de Deo, ſic et omnem operationem etc. à quo enim eſſe, ab eo et operari, et operandi vim neceſſariò accipit.

Quod verò ex ordine perſonarum, quia Spiritus Sanctus tertia perſona, eo inferior, et alterius

naturæ

Digitized by Google

naturæ conſtituatur; fuit delirium Eunomij, vt refert S. Baſil. lib. 3. contra ipſum, et negat toto cœlo conſequentiam: inde enim dumtaxat originis ordinem in eadem Diuinitate colligi, grauiter oſtendit.

Eadem fuit phreneſis, idemque delirium Aetij, et eius ſequacium: ſed eos redarguit idem S. Baſil. lib. de Spiritu Sancto cap. 18. *Ad nihil*, inquit, *aliud tendit ſubnumerationis doloſa inuentio, quàm vt profiteantur Deum primum, ſecundum, & tertium; ſed nobis ſufficit à Deo præſcriptus ordo, quem qui confundit, non minus peccabit, quàm peccet illorum impietas*.

Alio ex capite alij Patres eandem redarguunt, et euertunt impietatem: licet enim verus originis ordo ſit Pater, Filius, et Spiritus Sanctus, non vbique tamen Scripturarum obſeruatur. Ioan. 10. primò Filius, deinde Pater profertur: *Ego & Pater vnum ſumus*. 1. Cor. 12. *Diuiſiones gratiarũ ſunt, idem autem Spiritus: diuiſiones miniſtrationum ſunt, idem verò Dominus: diuiſiones operationum ſunt, idem verò Deus*. Hac autem inprimis ratione hic variatur ordo, ex D. Chryſoſt. orat. 2. de Trinit. tom. 5. his verbis: *Spiritus primò meminit, vt manifeſtum euadat, quod etiamſi vltimo loco Spiritum nominarit, non propterea vltimum faciat, & extremum*. Poſt pauca. *Paulus vocabulorum ordinem conuertit, vt ſimal & veritatis vim patefaciat, & improborum opinionibus reſpondeat*.

Ad reliqua ferè loca quaſi eadem reſponſio, nimirum Spiritum Sanctum locutum tranſlatè, et metaphoricè, quo dicendi modo referta eſt innumeris locis Diuina Scriptura, et rationes apud expoſitores abundè expenduntur. Diſtinctè tamen. Spiritus ille, qui ferebatur ſuper aquas, aut de vento interpretantur multi, vt refert S. Thom. indicato lib. et cap. cuius locus ſunt aquæ: aut ſi de Spiritu Sancto, eius reſidere ſuper omnem creaturam, eamque fouere, explicatur.

Ad illud de ira, et contriſtatione, eodem modo, quo et illud, *pœnitet me feciſſe hominem, &c.* et ſexcenta id genus, nempe per ſimilitudinem, et metaphoram, et ad peccatorum hominum enormitatem, et turpitudinem teſtandam; quæ adeo diſplicent Deo, et inuiſa ſunt, vt ipſum commoueant, et contriſtent, et affligant, ſi poſsibile foret, vt obſeruat S. Ambr.

Ad illud de duplici ſpiritu Eliſei, & Eliæ. Primò de effectu, & gemino munere Spiritus Sancti idoneè aſſumitur, vt eo duplex petatur ſpiritus, quo Prophetiæ, & Miraculorum gratia expoſtulatur. Aut teſte Ruperto plura miracula perpetrandi donum deprecatus ſit Eliſeus, quàm perpetrauerit Elias, ſicuti verè obtinuit: octo enim Elias, ſexdecim Eliſeus magnificè operatus eſt. Aut ſub termino *duplici* abundãtiam, & donorum Spiritus Sancti copiam intimè petebat. Aut denique ipſum Spiritum Sanctum, qui hac ratione inprimis dicatur duplex, qua nexus, & amor mutuus: vt hac petitione Eliſeus prædixerit, & efflagitauerit nomine Eccleſiæ diem Sacerrimum Pentecoſtes, quo ipſe Sanctus Spiritus cum maxima donorum vbertate aduenit ſuper Apoſtolos.

Ad illum quoque locum Numer. certa eſt metaphora: repugnat enim Spiritui Sancto, & Diuinæ eſſentiæ partiri, aut diuidi. Aut de effectu, ſecundum quem habitat in nobis, in quibus & augeri, & minui poteſt: non tamen ita, inquit S. Th. vt idem numero ſubtrahatur vni, & addatur alteri, ſicut accidit in rebus corporeis, ſed quia aliquid ſimile poteſt accreſcere vni, in quo alteri decreſcat. Verùm non propterea perpetua regula eſt, vt quod in vno augetur, in altero ſemper minuatur. Quocirca dum regendi, & iudicandi populum ſeptuaginta ſenioribus collatus eſt ſpiritus, non eſt diminutus in Moyſe, ſed munus, quod in vno prius Moyſe erat, alijs quoque communicatum fuit. Quo factum eſt, vt tantiſper Moyſem exonerauerint illi ſeptuaginta coniudices, dum eum iudicando adiuuabant.

Quartum denique argumentum. Si Spiritus Sanctus eſt Deus, erit per communicatam ei Diuinam naturam: ſed non eſt communicata, nam vnica eſt communicatio, ſcilicet per generationem; ipſe verò non eſt genitus, quia non eſt Filius: ergo non eſt Deus: ergo ſi eſt, creatura eſt. Sic impijſsimus arguebat Arrius: & probari potetat. Nam in vniuerſa viuentium natura nullum inuenitur ſuppoſitum alia ratione productum, quàm per generationem, nequaquam autem per voluntatem.

Occurritur, & aperitur mendacium hoc argumento inuolutum, primò ex ſupra tradita, & explicatã Theologia de intrinſeca ratione, & neceſſitate geminæ communicationis Diuinæ, & trium perſonarum numero. Neque quod opponitur, vllius prorſus ponderis eſt. In natura creata nullum inueniri ſuppoſitum per amorem productum: ergo neque in Deo admittendum: veriſsimum enim eſt antecedens, mendaciſsima tamen conſequentia: nam ſolius Diuinæ eſſentiæ proprium eſt communicari generatione, & ſpiratione; & ratio potiſsima, quia communicationes Diuinæ ad intra ſunt eſſentiales, & per eas niſi eſsentia communicari poteſt. Hinc ſupra difficiliorem captu Spiritus Sancti communicationem aſsertum eſt, quia nullum in natura creata exemplum habet: habet tamen imaginem accidentariam, voluntatis creatæ amorem producentis.

Hæc vero, quæ hucuſque de Diuinis perſonis in D. Bonau, commentarijs, & diſputationibus attulimus, & confirmari conati ſumus, ex arida, & ſterili venula, & perpauperi promptuario noſtro, illam viduam pauperculam imitati, quæ quos habuit denarioloſ in Gazophylacium miſit, prætioſiora, elegantiora, & doctiora non habentes; ſunt, & ſufficiant. Eaque in eiuſdem Sanctiſsimæ Trinitatis & honorem, & gloriam ex imo pectore, intimo corde, mente fideli, in terra proni, & ſtati offerimus, & toto ex animo Sacroſanctæ Eccleſiæ Romanæ, cuius iudicium neque errat, neque errare poteſt, cenſuræ, & correptioni ſubijcimus. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen

INDEX RERVM NOTABILIVM.

Primus numerus eſt foliorum, ſecundus columnarum.

A

*ABraham apparuit Trinitas.fol.*221. *col.*1 *&* 2

Abſtractum, & concretum in diuinis non differunt. 117.2

Abſtracta magis propriè de concretis, quàm concreta prædicantur. ibid. *&* 118.1

Abſtractius non eſt ſemper ſimplicius. 526.2

Accidens tantum eſſe poteſt ſupernaturale, non ſubſtantia. 20.1

Accidens indiuiduatur à ſubſtantia. 148.2

Actio tranſiens differt ab immanente. 50.2

Actio immanens eſt vera actio productiua Dei. 354.1

Actionis propriè loquẽdo tres proprietates. ibid. *&* 353.1

Actioni eſſentialiter reſpondet terminus. 414.1

Actus immanentes in creatis ſunt infœcũdi. 65.1

in Actu reflexo ſunt duo. 360.1

Actus liberi in Deo nihil intrinſecum addunt actibus neceſſarijs. 522.2

Actus notionales prædicantur de perſonis, ſed non de illarum proprietatibus. 529.1

Actus ſpirationis eſt voluntarius. 550.1 *Poteſt etiam dici liber, ſed non vertibilis, aut poſſibilis.* ibid.2

Actus ſpirandi non dicitur de Patre, & Filio, vt de duobus. 440.1

Adorare Patrem in ſpiritu quid ſit. 704.2

Aetij, & eius ſequacium phreneſis. 706

Agere eſt ſuppoſitorum. 159.1

Agens non ſolum denominatur ab actione, ſed etiam à termino. 489.2

Albericus de Roſate Bergomatum patriæ decus. 146.1

Amatum eſt in amante, & quomodo. 414.2

Amor diuinus, alius complacentiæ, alius cauſalitatis. 372.1

Amor, alius amicitiæ, alius concupiſcentiæ. 388.2

Amor & charitas quomodo ſe habeant inter ſe. 467.1

Amor quadrifariã in diuinis vſurpatur. ibid.2

Amor eſt proprietas Spiritus ſancti. 471.1

Amor eſt cor cordis, & illius clauis. ibid.

Amor ex D. Auguſt. trifariam ſumitur. 472.1

Amor, alius eſſentialis, alius notionalis, & hic, alius actiuus, alius paſſiuus. 480.2

Amor eſſentialis, & notionalis idem ſunt. 492.1

Amor Dei reſpicit creaturam vt obiectum ſecundarium. 659.2

Analogum, & vniuocum, aliud Logicum, aliud Phyſicum. 198.1

Analogum mediat inter vniuocum & æquiuocum. ibid.2

Analogum plura ſignificat per ordinem ad vnũ. 199.1

Analogorum duæ ſunt ſpecies. ibid.2

Analogorum plures ſpecies referuntur. 579. *col.*1. *&* 2.

Angelus non poteſt eſſe inſtrumentum termini creationis. 14.2

Angelorum ordines. 408.2

Angelorum varij gradus gratiæ pro illorum capacitate. ibid.

Angelorum capacitatem fuiſſe congruam diſpoſitionem ad eam gratiam, quam primò acceperunt. 409.1

Anima rationalis non eſt perſona. 149.1

Anima rationalis in corpore ſubſiſtit. 167.2

Anomæorum hæreſis. 617.1

Appropriata in diuinis verè prædicari, probatur, & explicatur. 531.532.533

Argumenta pro rebus fidei ſunt vtilia. 224.1

Arrianorum hæreſis explicatur, & reprobatur. 695.2

Arrius, & Sabellius impiè ſentiunt de Diuinis perſonis. 28.2

Attributi definitio, & quidditas. 105.1

Attributum minus differt ab eſſentia, quàm relatio. 112.2

Auctoritas Latinæ editionis plurimi facienda. 323.2

Auctor digniſſimè ſemper loquitur de Seraphico S. Bonauentura.

Auctoris pietas, & obſeruantia in Scotum. 86.1

Auerroes impius in Sanctiſſimam Trinitatem. 216.2

Axioma explicatur: A quo res habet eſſe, habet & diſtinctum eſſe. 42.1

B

D. BAſilius Sãcti Spiritus propugnator acerrimus. 707.2

Beatitudo ſine perſonis viſis haberi non poteſt. 133.1

D. Bonauentura vindicatur ab omni contradictione. 122.1

D. Bonauenturæ expoſitores aberrant. 271.2

Bonitas, ac perfectio rei duplex, alia integrans, & abſo-

INDEX RERVM NOTABILIVM.

Primus numerus eſt foliorum, ſecundus columnarum.

A

Abraham apparnit Trinitas. fol. 221. col. 1 & 2

Abſtractum, & concretum in diuinis non differunt. 117.2

Abſtracta magis propriè de concretis, quàm concreta prædicantur. ibid. & 118.1

Abſtractius non eſt ſemper ſimplicius. 526.2

Accidens tantum eſſe poteſt ſupernaturale, non ſubſtantia. 20.1

Accidens indiuiduatur à ſubſtantia. 148.2

Actio tranſiens differt ab immanente. 50.2

Actio immanens eſt vera actio productiua Dei. 354.1

Actionis propriè loquẽdo tres proprietates. ibid. & 353.1

Actioni eſſentialiter reſpondet terminus. 414.1

Actus immanentes in creatis ſunt infœcũdi. 65.1

in Actu reflexo ſunt duo. 360.1

Actus liberi in Deo nihil intrinſecum addunt actibus neceſſarijs. 522.2

Actus notionales prædicantur de perſonis, ſed non de illarum proprietatibus. 529.1

Actus ſpirationis eſt voluntarius. 550.1 *Poteſt etiam dici liber, ſed non vertibilis, aut poſſibilis.* ibid.2

Actus ſpirandi non dicitur de Patre, & Filio, vt de duobus. 440.1

Adorare Patrem in ſpiritu quid ſit. 704.2

Aetij, & eius ſequacium phreneſis. 706

Agere eſt ſuppoſitorum. 159.1

Agens non ſolum denominatur ab actione, ſed etiam à termino. 489.2

Albericus de Roſate Bergomatum patria decus. 146.1

Amatum eſt in amante, & quomodo. 414.2

Amor diuinus, alius complacentia, alius ſatisfactionis. 372.1

Amor, alius amicitia, alius concupiſcentia. 388

Amor & charitas quomodo ſe habeant inter ſe. 467.1

Amor quadrifariã in diuinis vſurpatur. ibid.2

Amor eſt proprietas Spiritus ſancti. 471.1

Amor eſt cor cordis, & illius clauis. ibid.

Amor ex D. Auguſt. trifariam ſumitur. 472.1

Amor, alius eſſentialis, alius notionalis, & hic, alius actiuus, alius paſſiuus. 480.2

Amor eſſentialis, & notionalis idem ſunt. 492.1

Amor Dei reſpicit creaturam vt obiectum ſecundarium. 659.2

Analogum, & vniuocum, aliud Logicum, aliud Phyſicum. 198.1

Analogum mediat inter vniuocum & æquiuocum. ibid.2

Analogum plura ſignificat per ordinem ad vnũ. 199.1

Analogorum duæ ſunt ſpecies. ibid.2

Analogorum plures ſpecies referuntur. 579. col. 1. & 2.

Angelus non poteſt eſſe inſtrumentum termini creationis. 14.2

Angelorum ordines. 408.2

Angelorum varij gradus gratiæ pro illorum capacitate. ibid.

Angelorum capacitatem fuiſſe congruam diſpoſitionem ad eam gratiam, quam primò acceperunt. 409.1

Anima rationalis non eſt perſona. 149.1

Anima rationalis in corpore ſubſiſtit. 167.2

Anomæorum hæreſis. 617.1

Appropriata in diuinis verè prædicari, probatur, & explicatur. 531.532.533

Argumenta pro rebus fidei ſunt vtilia. 224.1

Arrianorum hæreſis explicatur, & reprobatur. 695.2

Arrius, & Sabellius impiè ſentiunt de Diuinis perſonis. 28.2

Attributi definitio, & quidditas. 105.1

Attributum minus differt ab eſſentia, quàm relatio. 112.2

Auctoritas Latinæ editionis plurimè facienda. 323.2

Auctor digniſſimè ſemper loquitur de Seraphico S. Bonauentura.

Auctoris pietas, & obſeruantia in Scotum. 86.1

Auerroes impius in Sanctiſſimam Trinitatem. 216.2

Axioma explicatur: A quo res habet eſſe, habet & diſtinctum eſſe. 42.1

B

D. Baſilius Sãcti Spiritus propugnator acerrimus. 707.2

Beatitudo ſine perſonis viſis haberi non poteſt. 133.1

D. Bonauentura vindicatur ab omni contradictione. 122.1

D. Bonauentura expoſitores aberrant. 271.2

Bonitas, ac perfectio rei duplex, alia integrans, & abſo-

abſoluta, alia relatiua, & obiectiua appetibilis. 256. 1
Bonitas, & amor Dei diuinam eſſentiam etiam conſtituunt. 142.2
Bonitas æquè intrinſeca Deo, ac ſapientia. ibid.
Bonitas Dei, ſi diſtingueretur à ſapientia, fieret compoſitio. 37. 1
Bonitas nobiliſſimum omnium de Deo prædicatum. ibid.
Bonitas diuinarum relationum non eſt in illis multiplicata ſed vna. 130. 2
Bonitas, alia, quæ conuertitur cum ente, alia fruibilis. 125.1
Bonitas fruibilis, nedum entitatiua eſt in diuinis perſonis. 129. 1
Bonum non eſſe omne quod in Deo eſt, abſonum eſt. 128.2

C

CAuſæ nomen malè à Græcis vſurpatur in Deo. 26.1
Cauſa ſemper diuerſitatem in natura cum cauſato includit. 18.2
Cauſa non admittitur in Deo ad intra. 322.1
Cauſa prima magis influit, quàm ſecunda. 460. 2
Certitudine eadem dantur in Deo perſonæ, atque relationes. 76. 2
Certitudo duplex. 233.1
Charitas quot modis accipiatur. 467.2
Charitatis commendatio, & laus. 471.2
Circuminceſſio quid ſit. 608. 1
Circuminceſſio plura in ſe includit. Ibid.
Circuminceſſionis diuinarum perſonarum ratio. 612.1
Circuminceſſionis ratione vna perſona exiſtit in alia ſecundum ſe totam, & ſecundum eſſentiam, & ſecundum relationem. ibid.
Circuminceſſio, vocis explicatio. 26.1. tract. de nom.
Cognitio duplex, intuitiua, & abſtractiua, & quid ſit. 18. 1
Cognitio Trinitatis perſonarum obſcura, atque craſſa, & potius nulla philoſophis ſine fide. 368. 1
Cognitio Dei, per quam procedit Verbum, debet eſſe comprehenſiua. 373.1
Commune non diſtinguitur à proprio. 123.1
Communitas, ſiue intentio rationis quid ſit. 279. 2
Communitas perſonæ in diuinis eſt rationis; ſed fundata in re, neque tamen eſt vniuerſalis. 280. 2
Communitas, alia vniuoca, alia analoga. 316. 2
Communitatis ratio intrinſecè continet omnia, quibus eſt communis. 120.1
Comparatio inter poſitiua debet fieri. 460. 1
Compoſitio cum his, & ex his. 164.1
Conceptus, alius obiectiuus, alius formalis, & hic, alius confuſus, alius diſtinctus. 198.1
Conciliatio S. Thomæ cum S. Bonauentura. 308. 1
Concilium Syrmienſe damnat, qui affirmat per illam auctoritatem, Faciamus hominem, &c. Patrem non loqui ad Filium. 13.1
Concilium Lateranenſe damnat eos philoſophos, qui temerariè philoſophantur contra animæ immortalitatem. 14. 2
Concreta debent multiplicari ad multiplicationem formarum, 189.1
Concretum per quo ſupponit. 209.1
Connotare effectum differt à dicere reſpectum. 337. 1
Conſtituere duplex eſt, effectiuè, & formaliter. 110. 2
Contra Durandum eſt omnis Doctor. 63.2
Contradictio ſufficienter tollitur per diſtinctionem virtualem. 112.1
Contradictio nulla eſt in myſterio Trinitatis. 224, 1
Contradictio eſt relationem neque eſſe perfectã, neque imperfectam. 128. 2
Conuertentia non eſt adæquata inter eſſentiam, & relationem. 121. 1
Creatura omnis eſt veſtigium Sanctiſſimæ Trinitatis. 106. 2
Creatura tripliciter ſumi poteſt. 478. 1
Creaturæ poſſibiles ſi non eſſent poſſibiles, Deus non eſſet omnipotens. 375.2
Creaturarum eſſe aliud exiſtens, aliud poſſibile. 392.1

D

DEmonſtratio triplex, 16. 1
De Deo quæ prædicantur in triplici genere ſunt. 190. 1
Deus formaliter vnus eſt neceſſario. 110.2. 686. & 687
Deus plura ſignificat. 116. 1
Dependentia inter diuinas perſonas non datur. 301. 2
Differentia relatiua neque ſubſtantia eſt, neque accidens in Deo. 44.2
Differẽtiæ aliæ ſunt per ſe, aliæ extraneæ. 388.2
Differentia inter De, A, & Ab. 557. 1
Differre ſe totis quid ſit. 60.1
Dignitas perſonæ eſt ab eſſentia radicaliter 133. 1
Diſcrimen inter miſſionem Verbi, & Spiritus Sancti explicatur luculenter. 35.2
Diſcrimen inter emanationes Verbi, & Spiritus Sancti diſertè aſſertur. 39. 2
Diſcrimen inter principium, & ſuppoſitum. 456. 2
Diſcrimen inter analoga attributionis, & proportionis. 199. 2
Diſcrimen inter intelligere creatum, & diuinum. 330.2
Diſperſa in inferioribus adunantur in ſuperioribus. 106. 1
Diſtinctionis triplex genus. 87.2
Diſtinctio duplex. 41. 2
Diſtinctio per qualitatem componit, per originem non componit. 78. 2

Diſtin-

Diſtinctio modi, & rei non coincidit cum diſtinctione formali. 91.1
Diſtinctio formalis poteſt dici diſtinctio rationis, & virtualis. 101.2
Diſtinctio rationis cadit in omni abſoluto, tam inter ſe, quàm ſi comparentur cum relatiuis. 106.2
Diſtinctio, aut eſt per originem, aut per qualitatem. 159.2
Diſtinctio vnitatum fit tribus modis. 633.2
Diuina perfectio includit relationes. 187.1
Doctorum diſcordiæ iuuant ad veritatem indagandam. 437.1
Donum propriè acceptum dicitur de Spiritu Sancto. 495.1
Doni definitio. 496.1
Donum in diuinis dicit relationem. ibid.
Donum eſt relatio ad dantem. 498.1
Donum eſt proprietas Spiritus Sancti. 499.1
Donum, Amor, & Spiritus vnica ſunt proprietas. 560.1
Donum magis conuenit Spiritui Sancto, quàm datum. 502.1
Donum dicit ſummam perfectionem. ibid.
Omne datum optimum & omne donum perfectum, deſcendens à Patre luminũ, &c quomodo ſit intelligendum. 503.1
Dona ſanctificantia infunduntur, & elargiuntur. 404.2
Dona quædam appropriantur etiam Filio in Diuinis. 505.2. 506.1
in Doni ratione in Deo tria conſideranda ſunt. 506.1
Dona Dei dicuntur noſtra, quomodo ſit intelligendum. 506.1. & 2
Donum dupliciter accipitur. 5 0.1
Vtrumque definitur. ibid.
Dona Dei explicantur fuſius, 511.1. & 2
Donum verè eſſentialiter accipi poteſt. 112.1
in Doni ratione tria comprehenduntur. 115.1
Donum, quod prædicatur de Spiritu Sancto, duplicem reſpectum includit. 116.2
Donum formaliter proprietatem conſtitutiuam, & diſtinctiuam Spiritus Sancti ſignificat. 517.1
Donum dicit relationem ad creaturam, per quã à poſteriori cognoſcimus Spiritum Sanctum. ibid. 2
Donum increatum ſemper eſt coniunctum cum creato. 661.1
Durandus meretur irrideri, quia omnes irridet. 54.2

E

Ecolampadij error. 145.2
Effectus idem pluribus poteſt productionibus produci. 435.1
Eliſeus habuit ſpiritum duplicem Eliæ. 338.2
Eliſæ ſpiritus duplex quomodo intelligatur. 709.1
Eloa, & El nomen ſingulare Dei. 204.2
Eloim plurale plura ſignificat, cap.7. de modis dicendi. 20
Eloim ex libertate idiomatis Hebræi pro ſingulare vſurpatur. 104.2
Eloim indicat numerum Diuinarum perſonarum ex grauiſſimis auctoribus. ibid.1. 205.1
Emanatio multiplex. 41.2
Emanationes diuinæ ſeipſis differunt. 44.1
Emanatio quæcumque diuina eſt æterna. 597.2
Ens non poteſt operari vltra ſuam entitatem. 435.1
Entitas materialis peccati eſt à Deo. 462.2
Entium diuerſa genera. 596.2
Aequalitas includit vnitatem, & multitudinem. 585.2
Aequalitas inter diuinas perſonas eſt quid poſitiuum. 586.1
Aequalitas perſonarum in potentia oſtenditur. 612. & 613. 1. & 2.
Aequalitas ſupponit ſimilitudinem. 616.2
Error Gualtery differe ab errore Gilberti. 87.1
Error Eunomij. 107.1
Eſſentia diuina eſſentiam generare non poteſt. 52.2
Eſſentia exiſtens eſt principium ſubſiſtendi. 166.2
Eſſentiam dicere perſonam, eſt error Raymundi Lullij. 185.1
Eſſentia diuina eſt de conceptu relationis. 117.1
Eſſentia nequit videri ſine perſonis, ex multiplici capite. 42.2
Eſſentia diuina dupliciter accipitur. 121.1
Aeternitatis variæ acceptiones. 595.1
Aeternitatis definitio verè reperitur in Deo. ibid. 2
Aeternitas non eſt menſura realis, ſed rationis. 596.1
Euidenter negatiue fit ſatis argumentis aduerſariorum fidei. 212.2
Euidentia atteſtantis eſt extrinſeca rei reuelatæ. 16.2
Exempla, quibus inſinuatur Trinitas. 230.2. & 231.1
Exemplo falſo boni & mali contraria explicantur. 492.1
Exiſtentia eſt de quidditate Dei. 18.2
Exiſtentiæ relatiuæ ſunt tres in Deo. 187.1
Exiſtentia relatiua eſt actus quidditatis relationis, & proinde multiplicabilis. 190.2
Explicatio verborum, Ego principium, qui & loquor vobis. 324.1
Explicatio verborum, Faciamus hominem ad imaginem, &c. 393.1. & 2
Explicatio verborum, In principio erat Verbum, &c. 360.2
Explicatio verborum ad Coloſſ. 1. Tranſtulit ad regnum filij dilectionis ſuæ. 549.2

Explicatio verborum, Ab initio, & ante ſæcula ordinata ſum. 554. 2
Explicatio verborum, Ego in Patre, & Pater in me eſt. 609. 2

F

FAbri calumnia in S, Bonauenturam euertitur. 299. 1
Facere contradictoria eſt nihil facere. 166. 1
Fecunditas perſonarum ſumitur ex primitate. 438. 2
Fecunditas eſt à natura tamquam à radice. 65. 2
de Fide ea ſunt, quæ in ſacris litteris habentur. 21. 1
de Fide quædam ſunt directè, & per ſe, quædã indirectè. 141. 1
Fides articulos omnes tenentur explicitè credere, præſertim eos, quorum ſolemnitates celebrat Eccleſia etiam ruſtici. ibid. 2
Magis explicitè tenentur & cognoſcere, & credere capita populorum, & magiſtri. ibid.
Fides ratione roboratur. 232. 1
Fides creat rationem in Theologicis, non è contra. 233. 1
Fides de eodem obiecto non pugnat cum ſcientia. 235. 2
Fidelis quis dupliciter dicitur. 533. 2
Fidelium duplex acies. 232. 2
Fieri aliquid ex aliquo ſex modis contingit. 556. 2
Filium dici Verbum à Ioanne congruum eſt. 360. 2
Filius eſt de ſubſtantia Patris. 554. 2
Filius in quo ſenſu eſt minor Patre. 589. 1. & 2.
Filij Diuinitas oſtenditur. 687. vſque ad 695
Filius dicitur primogenitus, & quo ſenſu. 690. 1
Filij Diuinitas, & conſubſtantialitas multis modis cognoſcitur. 693. 2
Finis, & efficiens ſunt eiuſdem rationis. 242. 1
Firmitas Conciliorum in rebus Fidei explicandis. 455. 2
Fontalis plenitudo in Patre quid ſit. 300. 1. & 301. 2
Formaliter, & proprie relatio prædicatur de eſſentia diuina. 117. 2
Franciſco Seraphico miſſus fuit Filius, & Spiritus Sanctus. 682. 1

G

GEnera, & Species per tranſlationem in Deo ſunt. 57. 1
Generatio Diuina probatur. 3. 1
Generatio Diuina eſt productio viuentis ſimilis de ſimili in natura, ſiue ex ipſo ſecundum totum. 32. 1
Generatio multipliciter ſumitur. ibid.
Generatio Diuina differt à creata. 35. 1
Generatio Filij differt à ſpiratione. 59. 1
in Generatione duo obſeruantur, productio ſimilis, & diſtinctio. 450. 1
Generatio Filij eſt opus naturæ. 62. 1
Generatio Verbi ſummè neceſſaria. 547. 2
Generatio eſt à voluntate concomitante, & approbante. 548. 1
Generatio Filij, alia æterna, alia in tempore. 690. 1
Geniti, & ingeniti, varijs acceptiones. 296. 1. & 2
Gratia non poteſt non infundi in miſſione Spiritus Sancti. 666. 2
Gratia à ſolo Deo creatur. 665. 1
Græcorum obſtinata pertinacia. 426. 1
Græcorum ſchiſma, atque pœna pro negata Spiritus Sancti proceſſione à Filio. 427. 2

H

HAebræorum errores circa Trinitatis myſterium. 224. 2
Hæretici ſunt Græci poſt declarationem Eccleſiæ, negantes Spiritus Sancti proceſſionem à Filio. 427. 1
Hæreſis non fuit ſemper formaliter, negare proceſſionem Spiritus Sancti à Filio. 426. 2
Hæreſis non eſt idem, atque errare in Fide. 140. 2
Hæreſis quid ſit. 141. 1
ſine Hæreſi poteſt errari de notione formaliter. 142. 1
Hæretici qui ſint, qui perperam ſentiunt de Trinitate. 216. 2
Hæreſis Macedoniana quid ſit. 706. 1
Hermes Triſmegiſtus eloquentiſſimè de Diuinitate diſſerit. 255. 2
Homo ad imaginem Dei conditus. 394. 2
Hominis dignitas propter imaginem Dei. 406. 1. & 2
Hominis capacitas reſpectu gratiæ, & quomodo, explicatur. 409. 2
Homouſio explicatur. 693. 1
Homouſio celebratur. tract. de modo dicendi. ibid.
Humilitas obſeruanda in myſterio ſcrutando Trinitatis. 56. 1. & in præfatione.
Hypoſtaſis ſignificat ſubſiſtentiam. 131. 1
Hypoſtaſis aliud ſignificat ex impoſitione vocis, aliud ex vſu. 134. 1

I

IDea creaturarum eſt Diuina eſſentia. 244. 2
Identitas formalis perfectior, quàm diſtinctio. 35. 1
Identitatis relatio neceſſariò eſt mutua. 20. 1
Imago Trinitatis eſt in anima rationali. 42. 1
Imaginis diuiſiones, conditiones, ac definitio. 379. 1. & 2

Ina-

Imaginis ſpecies triplex, naturalis, artificialis, & intellectualis. 380.1
Imaginis ratio ſoli Verbo conuenit. 382.1
Imago variè à Patribus, & Scriptura nominatur. 383.2
ad Imaginem non requiritur actualis repræſentatio. 389.2
Imago Dei qua ratione conueniat homini. 396.2
Imago in creatura rationali eſt ſimilitudo naturalis, & ſubſtantialis, & etiam gratuita Dei vnius, & Trini. 399.1
Imago eſt in potentia cognoſcendi principalius, ſimilitudo in potentia diligendi. ibid.
Imaginis ſubiectum eſt homo, & Angelus. 399. & 406.1
Imago de creata, & increata analogicè prædicatur. 404.2
Imaginis Dei dignitas. 406.1. & 2
Imaginis vtriuſque diſcrimina. ibid.2
Impeccabilitas contradictoria creaturæ. 18.2
Improceſſibilitas formaliter non eſt notio, neque dicit nobilitatem. 135.2. & 326.2
Improceſſibile bifariam vſurpari poteſt. 352.1
Inaſſumptibile eſt incurabile. 155.1
Incommunicabile ſimpliciter poteſt eſſe per aliam rationem commune, & communicatum. 284.2
Indiuiſio eſt ſignum perfectionis rei. 257.1
Indiuidui ratio affertur. 146.2
Indiuiduum triplex. 148.1
Indiuiduum, ſuppoſitum, & perſona differunt. ibid.2
de Indiuidui ratione eſt incommunicabilitas. 152.2
Inferiora eſſentialiter includunt prædicata ſuperiora etiam ſecundum modum concipiendi. 117.2
Infinitum duplex. 131.2
Infinitum definiri repugnat. 151.1
Infinitas in numero repugnat. 244.2
Ingenitum eſt notio Patris ita eſt negatiuum, vt ſignificet poſitiuum in Patre. 287.2
Diſtinguitur à relatione Paternitatis ratione. 290.1. & 2
Poteſt imperfectè cognoſci ſine Paternitate. 291.2
De formali dicit priuationem, de materiali quid poſitiuum. 299.2
Quod poſitiuum eſt, maxima perfectio eſt. 302.1
Initium ſignificat inchoationem eſſendi, & durandi. 319.1
Innaſcibilitas formalis non ad abſoluta, ſed ad relatiua pertinet. 303.1
Priuatiuè accepta non eſt relatio realis, ſed rationis. ibid.
De connotato dicit relationem non realiter diſtinctam à Paternitate. ibid.2
Innaſcibilitas ſi in Deo multiplicaretur, etiam natura multiplicaretur. 304.1
Intellectus, & voluntas, quomodo ſint principia diuinarum emanationum. 57.1
Intellectus creatus neceſſariò intelligit intellectione genita. 350.2
Intellectio ſpecificatur ab obiecto, vt formata, & completa. 354.1
Intelligere duplex, abſolutum, & relatiuum. 352.1
Intelligere in plus ſe habet, quam dicere. 349.1
Ioannis Euangeliſtæ Euangelium, ſcilicet, in principio erat Verbum, &c. commendatur, & explicatur. 366.1. & 2
Iudicij dies non latuit Chriſtum. 697.1
Cur autem dixerit illum ignorare. Vide 698.1

L

Latini cum Græcis in verbo hypoſtaſis differunt. 177.1
Latria cultus verus debetur Spiritui Sancto. 705.1
Laurentij Vallæ error. 145.2
Et cap.6. de Perſona, tract. de modis dicendi. 19.1. & 2
Libertas Dei in concedendo ſua munera. 407.2
Libertas actus ſpirandi quid ſit. 550.2
Libertas homini naturalis, non ſeruitus. 657.1
Limitata, & imperfecta non poſſunt prædicari de Deo. 114.1
Linguæ igneæ in Pentecoſte an veræ, & viſæ ſint. 675.1
Loca Scripturæ pro Trinitatis myſterio. 318.1
Logica Ariſtotelis non pertingit plurima Theologica. 120.2
Loquuntur Sancti Patres cum maxima dexteritate. 186.1
Loquuntur SS. Patres aliquando durius de hoc myſterio. 237.2
Lucifer aſtrum ſingulare. 554.1

M

Magis diſtinctum ab alio, magis vnum eſt. 253.2
Maiorem eſſe Patrem Filio in quo ſenſu intelligendum. 325.2
Manifeſtari Filium à Spiritu Sancto non eſt ab illo oriri. 331.2
Maria Virgo quare affirmabatur mater Dei, & non mater Chriſti. 617.1
Mariæ Virginis dona ceteris excellentiora ſemper in dies augebantur. 680.1
Mariæ Virgini in cælum aſcenſuræ apparuit ſuus dilectiſſimus filius. 681.2
Materia repugnat Deo. 629.1
Materia eſt ratio multiplicandi indiuidua in eadem natura. 687.1
Maxime vnum non poteſt multiplicari. 206.1

Melius eſt eſſe Patrem, quàm non eſſe. 129. 1, & 131. 1
Mentiri Deo eſt impoſſibile. 226.2
Metaphoræ definitio. 136.2
Metaphoris vtendum ex multiplici capite. 578. 1
Miſsio diuinarum perſonarum quid ſit. 649. 1. & 2
Miſsio temporalis quid ſignificet. ibid. 2
Miſsio duplex. 658. 1 & 2
Miſſio vnius perſonæ ſemper fit cum illa, & ſimul cum dono creato. 662. 2
Miſſio vnius perſonæ ſemper fit cum gratia. 665. 1. & 2
Miſſiones Filij, & Spiritus Sancti ſimilia habent dona. 668. 1 & 2
Miſſio adhuc contingit in augumento gratiæ quando extenditur ad nouos vſus. 670. 1
Miſſio facta fuit Animæ Chriſti cum ſumma gratia. 671. 2
Miſsio quibus facta ſit. 672. 1. & 2
Miſsio viſibilis quid ſit. 673. 2
Tria requirit. 674. 1
Miſsionis ſigna fuerunt vera, præſertim columba fuit verum animal. 676. 2
Ex quibus alia à Deo effecta ſunt, alia ab Angelis. 677. 1. & 2
in Miſsionum ſignis alio modo ſe habet Filius, alio modo Spiritus Sanctus. 684. 1
Mittere ſe ipſam poteſt vere dici de eadem perſona. 651. 1. & 2
Mitti non conuenit Patri. 650. 1
Mobile reducitur ad immobile. 650. 1
Modeſte loquendum de Sanctis Patribus. 321
Modus per ſe exiſtendi dicit incommunicabilitatem. 183. 2
Modus dicendi triplex eſt: vniuocus, æquiuocus, analogus. 198. 2
Modus duplex prædicandi. 528. 1
Modi, quibus poteſt contingere vnam perſonam apparere in ſigno ſenſibili. 674. 2
Modi, quibus vna perſona inexiſtit in alia. 611. 2
Modis varijs voluit apparere Deus. 696. 1
Modi tres relationis, & creaturæ, & Deo competentes. 619. 2
Motiua euidentis credibilitatis noſtræ fidei. 226. 1
Motum non eſſe ad aliquid, non intelligitur de relationibus ſubſiſtentibus. 188. 2
Motus non diſtinguitur à termino. 355. 2
Multiplicatio conceptuum rei ex multiplici capite. 105. 2
Multiplicatio conceptuum oritur ex imperfectione noſtra, & perfectione Dei. 121. col. 2.
Multiplicari perſonas nec Scriptura contradicit, imò concedit. 204. 1
Secus eſt de diuina eſſentia. ibid.

N

NAtura quid ſit. 205.2
Natura Diuinæ triplex cognitio 218.1
Natura finita vna numero, quia finita non poteſt eſſe in pluribus ſuppoſitis. 216.2
Neceſſaria Fidei differunt à neceſſarijs ſcripturæ. 139. 1
Negatio imperfectionis fundatur in poſitiua perfectione. 127. 2
Negatio communicabilitatis triplex. 155.1
Negatio communicationis eſſe poteſt triplex ſecundum Scotiſtas. 279. 1
Negatio alia eſt in genere, alia extra genus. 288. 1
Neſtorij error. 166.2
Nexus neceſſariò eſt duorum. 478. 2
Nihil in Deo prius, aut poſterius. 458. 2
Nomina de Deo non ſunt ſynonima. 103. 1
Nomine ſubſtantiæ non vtimur in perſonis Diuinis propter Arrianos. 150.2
Nomen Eſſentiæ maxime Deo conuenit. 169.2
Nomen Subſiſtentiæ poteſt accipi in concreto, & in abſtracto. 180. 2
Nomen Perſonæ antiquum in Eccleſia. 195. 1
Nomen Dei ſumitur nuncupatiuè, adoptiuè, & naturaliter. 208. 2
Nomen Deus eſt terminus diſcretus, & communis. 209.2
Nomen ſubſtantiuum ſequitur formam, à qua imponitur in vnitate, & pluralitate. 454.1
Nomen Spirator licet videatur ſubſtantiuum, eſt tamen & verbale, & participium. ibid.
Nomina perſonalia ſubſtantiue ſumpta in omni ſtatu poſſunt prædicari. 528. 2
Nomina ſubſtantiua adiectiue accepta adhuc in Diuinis numerantur. 642.2
Nomina pluralia apud Hebræos accipiũtur ſæpe pro ſingulari. 205.1
Nomen idem plures poteſt habere rationes ſignificandi. 277. 1
Notiones Diuinæ quinque. 135.2
Notio obiectiua quid ſit. 136. 1
Notio alia obiectiua, alia formalis, & hæc tres habet gradus. 139.1
Nubes in Transfigurationis myſterio ſignificatio. 683.2
Nugari verbis in Diuinis rebus nefas eſt. 271.2
Numerus quid ſit. 254.1. & 631.1
Numerus non poteſt negari in Deo. 266. 1
Numerus in Deo poſitiue accipiendus eſt. 268.2
Numeri laudes, diuiſio, & definitio. 266.2
Numeri ternarij dignitas. 248. 1
Numerus Diuinarum perſonarum in ipſis non efficit differentiam, neque numero diuerſitatem. 631. 2
Numerus triplex, formalis, mathematicus, & ſenſibilis. 635. 2

Numeri formalitas eſt ab intellectu. ibid.
Numeri partes debent in aliquo conuenire. 634. 2
Numerorum ſpecies ex S. Auguſtino referuntur. 635. 2
Numerus verè reperitur inter Diuinas perſonas. 637
Non tamen in eſſentia. 638. 2
Numerus in perſonis eſt attributum. ibid.
Numerus duodenarius in Apoſtolis quid ſignificet. 636. 1
Numerus quibus verbis ſit explicandus. 640. 1. & 2.

O

Obedientiæ dignitas & laus, 508. 2
Obiectum amoris fœcundi. 435. 1
Obiectum imaginis animæ rationalis eſt Deus, qui eſt obiectum virtutum Theologicarum. 359. 2
Obiectum debet eſſe præſens obiectiuè in intellectu. 350. 1
Obiectum duplex primarium & ſecundarium. 244. 1
Obiectum vnum poteſt ſine alio concipi, aut abſtrahendo, aut reſoluendo, idq. vel plenè, vel ſemiplenè. 191. 1
Octo modis innuitur in Scriptura Trinitatis myſterium. 218. 1
Omne quod relatiuè dicitur eſt aliquid, excepta relatione. 195. 1
Omnia per ipſum facta ſunt, quomodo intelligatur. 332. 2
Omnia abſoluta mutuo prædicantur in Deo. 529. 1
Omnia perſonalia communia de omnibus perſonis prædicantur. ibid.
Omnipotentia Dei abſoluta eſt, neque tamen ſine creaturis poteſt cognoſci. 374. 1
Opinio quid ſit, & quotuplex. 140. 2
Oppoſita relationes de ſecundo modo relatiuorum ſunt compoſſibiles eidem naturæ. 227. 1
Oppoſitio perſonarum oſtendit illarum numerum, 246. 1
Ordinis definitio & ſpecies, 600. 2
Ordo realis reperitur inter diuinas perſonas. 602. 2
Ordo hic non eſt localis, ſed naturalis originis. ibid.
Ordo cognitionis eſt inter abſoluta, & relatiua. 603. 1
Origo, & relatio adæquatè ſumpta ſunt idem. 78. 2
Origo perſonarum non conſtituit perſonas completè, ſed inchoatè. 308. 1
Origo ſecundum rationem præcedit perſonam emanantem, relatio verò conſequitur. 310. 1

P

Particula par deſignat aliquam cauſam. 402. 2
Patris nomen maximè proprium primæ perſonæ. 309. 1
Patrem eſſe terminum imaginis Filij quomodo intelligendum. 391. 2
Pater, & Filius licet ſint plura ſuppoſita, non ſunt tamen plura principia quæ. 457. 2
Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto, eſt vera propoſitio. 481. 2
Eſt etiam antiqua. 486. 2
Debet intelligi in ſenſu notionali. 490. 1
Patrem & Filium diligere nos Spiritu Sancto, tripliciter intelligi poteſt. 477. 1
Patrem eſſe ingenitum de Fide eſt. 297. 1
Paternitas vt condiſtincta ab origine diſtinctam perſonam primam, oſtendit à Filio non diſtinguit ſi verò cum origine, ſimul & oſtendit, & diſtinguit. 311. 2
Paternitas non eſt ratio quare Pater generet, ſed oppoſito modo. 306
Paternitas dupliciter accipitur, proprie & tranſlate. 294. 1
Paternitas non eſt in Filio formaliter, quia illi opponitur. 115. 1
Perfectio ſimplex, duplex. 34. 1. & 2
Perfectionis definitio. 260. 1
Perfectio non poteſt negari de Diuinis relationibus. 126. 1
Perfectum, & totum id eſt, cui nihil abeſt. 131. 1
Perfectus non eſſet Deus, imò imperfectus, ſine perſonalitatibus. 116. 2
Perſonæ acceptio multiplex. 145. 2
Perſonæ ethymon, definitio. 146. 2
Perſona dicit negationem ſecundum noſtrum modum concipiendi. 147. 1
Perſona ſecundum rem eſt quid poſitiuum. ibid. 2
Perſona formaliter dicit ſubſtantiam, implicite relationem. 158. 1
Perſona non eſt aliquid rationis, ſed reale, non negatiuum, ſed poſitiuum. 161. 2
Perſona creata analogice conuenit cum increata. 161. 2
Poſitiuum perſonæ non eſt Indiuiduatio, non ſingularitas, non accidens, non exiſtentia, ſed modus. 165. 1
Perſona dupliciter accipitur. 186. 1
Perſona æquiuoce accipitur ex D. Auguſtino. 197. 2
Analogice de diuina, & humana perſona. 200. 1
Philoſophi loquuti ſunt de Trinitate appropriatorum, non perſonarum, vel ex reuelatione aliis facta, vel ope Dæmonum. 15. 1
Plato defenditur, & vendicatur ab impoſtura. 270. 2

Pon-

Pontifex Romanus potuit ſine Græcis explicare veritatem proceſſionis Spiritus Sancti a Filio. 428. 1
Debuit additionem facere (Filioq. procedit.) ibid.
Poſſibile, aliud opponitur impoſſibili, aliud neceſſario. 564. 1
Potentia realiter differt ab actu tranſeunti, non immanenti. 565. 1
Potentia ad intra conſtat ex eſſentia, & proprietate perſonæ producentis. 567. 2
Potentia hæc non poteſt eſſe omnipotentia, qua creaturæ producuntur, & creantur. 568. 1
Probabilius conſtat ex relatione. ibid.
Potentia generandi neque eſt, neque poteſt eſſe in Filio. 570 2
Potentiam hanc non eſſe in Filio, non eſt Filij imperfectio. 571. 2
Potentia generandi triplicem habet ſenſum. 572. 2
Potentia generandi eſt tantum completa in Patre. 573. 1
Potentia in diuinis quatuor modis vſurpari ſolet. 576. 1
Poteſtas accipiendi Spiritum Sanctum non eſt poteſtas dandi illum. 655. 1
Prædicatio, alia eſt per identitatem, alia per inhærentiam. 275. 2
Prædicata de tribus perſonis nõ omnia dicuntur ſubſtantiuè. 263. 2
Prædicatio perſonæ in Deo non eſt vſquequaque vniuoca. 281. 2
Prædicata Dei, aut ſubſtantia, aut relatio ſunt. 270. 2
Præpoſitiui error de diuinis relationibus. 95. 1
Primæ differentiæ ſe ipſis differunt. 59. 1
Primitas in Patre eſt fundamentum, & origo Paternitatis. 306. 1
Principium conuenit Patri triplici ratione. 313. 2
Principium eſt nomen analogum. 314. 1
Principii productiuum, aliud intellectus, aliud voluntas. 246. 2
Principium negatiuè eſt proprium Patri, poſitiuè eſt illi appropriatum. 315. 2
Principium, quod reperitur in Deo, nullam dicit imperfectionem. 318. 1
Principium productiuum in Deo datur ex multiplici capite. 230. 1
Principiatum in Deo non admittitur. ibid.
Principium, & cauſa idem ſunt in rebus creatis. 319. 1
Principij plures acceptiones. 320. 2
Principium duplex. 438. 1
Principium quod Spiritus Sancti eſt vnum quid ſimpliciſſimum ex eſſentia Diuina, Patre, & Filio. 453. 1
Principalius duobus modis ſumitur. 440. 1
Priuatio duplex. 256. 2
Priuatio trifariam ſumitur. 287. 1
Proceſſionis intellectus, & voluntatis ſymbola, atque conuenientia. 414. 2
Proceſſio amoris vt hæc, ex vi ſuâ poſtulat produci à duobus ſuppoſitis. 451. 2
Proceſſiones diuinæ ſunt ratio, cur creatura egreſſa redeat ad creatorem ſuum. 665. 2
Proceſſio in Diuinis ponitur, non ex diuinis. 26. 2
Proceſſio in Deo non eſt neque cauſalis, neque localis. 26. *& deinceps per multa.*
Proceſſionis in diuinis difficultas. 45. 1
Ethymon. 46. 1
Verè, & realiter eſt in Deo. 47
Proceſſio propriè ſumitur paſſiua. 53. 2
Proceſſio in diuinis tantum eſt duplex. 54. 1
Proportionis, & proportionalitatis definitio. 581. 1
Proprietas prædicatur de eſſentia per identitatem, non per inhærentiam. 92. 1
Proprietates, aliæ communicabiles, aliæ incommunicabiles. 139. 2

Q

QValitatis ſpecies magis admittuntur in Deo, quam quantitatis. 616. 2
Quantum diſtinguitur in finitum, & in infinitum. 129. 1
Quaternitas relationum admittitur à Concilijs in Deo. 455. 2
Quicquid habet Pater, habet & Filius, &c. ſed non eodem modo. 129. 2
Quid nominis idem eſt ac quidditas nominis. 466. 2
A quo res habet eſſe, per id diſtinguitur. 132. 2
Quotuplex erit priuatio, erit & ingenitum, & innaſcibile. 295. 2

R

RAymundus Lullus male ſentit de perſonarum Trinitate. 55. 1
Referri ſe ipſo, & eſſentialiter tripliciter accipi poteſt. 37. 2
Regula Theologorum eſt, quòd diſtinctè tribuitur vni perſonæ diuinæ, etiam ſubintelligitur conuenire reliquis perſonis, niſi illud ſit, in quo ab alijs diſtinguitur. 26. 1
Regula eſt; Quæcumque ex creatura affirmãtur de Deo, ab imperfectionibus defæcata eſſe debent. 29. 1
Regula eſt. Comparationes debent fieri ad inuicem penes partium comparationes.
Regulæ eſt. Omnia in diuinis ſunt vnũ, vbi non obuiat relationis oppoſitio. 78. 1
Regula. Quæcumque ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe, quomodo intelligenda, & quomodo à multis expendatur. 82. 1
Regula. A coniunctis ad diuerſa non tenet conſequentia. 19. 1
Regula interpretandi diuinas litteras. 324. 1
Regula. Propter quod vnumquodque tale, & illud magis. 460. 2
Relationes diuinæ reales ſunt, & realiter oppoſitæ etiam realiter diſtinguuntur. 77. 2

Relatio vna, ſi alteri non opponatur, eſt alia ab illa, & aliquo modo diſtincta. 78.2
Relationes Diuinæ verè conſtituunt, ac diſtinguunt perſonas diuinas. 96.1
Relatio dicit duo, eſſe in, & eſſe ad. 97.1
Relatio diuina eſt eadem res cum eſſentia. 99.2
Relatio ab eſſentia plus quàm ratione ratiocinãte diſtinguitur. 107.2
Relatio diuina differt ab eſſentia tamquam modus. 108.2
Relationes diuinæ ſunt de conceptu diuinæ eſſentiæ. 119.1
Relationes formaliter dicũt perfectionem. 127.2
Realitates diſtinctas non componere implicat. 164.1
Relatio tripliciter ſumi poteſt. 194.2
Relatiua ad aliud ſunt vel explicitè, vel implicitè. 272.2
Relationes, aliæ compoſſibiles, aliæ incompoſſibiles. 290.2
Relationum triplex genus. 293.2
Relatio multiplicat Trinitatem. 306.2
Relatio non conſtituit perſonam, niſi vt actu referens. 311.1
Relatiua ſunt ſimul natura. ibid.2
Relationi non datur relatio. 623.1
Relationes perſonales propriè non fundantur in eſſentia. ibid.2
Requiſita ad proceſſionem quatuor. 48.1

S

SAbellij error. 189.2
Sacramenta cur dicantur vaſa gratiæ. 408.1
Sancti Patres ſæpe loquuntur de Deo prout concipitur à nobis. 114.2
Scotus non ſibi pugnat circa diſtinctionem formalem. 86.2
Scoti opinio de diſtinctione formali in Deo, eſt libera ab omni cenſura. 88.1
in Sempiternis idem eſt eſſe, & poſſe. 435.1
Separatio non eſt ſignum neceſſarium diſtinctionis realis. 111.1
Seruitutis duplex ſpecies. 653.1
Signa aſſumpta à ſecunda, & tertia perſona in miſſione viſibili, quæ, & qualia. 675
Similitudo inter diuinas perſonas in quo ſenſu negatur. 616.2
Similitudo verè recipitur inter diuinas perſonas. 617.2
Similitudo eſt relatio. 619.2
Non realis, ſed rationis inter diuinas perſonas. 623.2. 629.1
Sixtus V. commendat Seraphicum Doctorem. 417.1. & *in Præfatione ad Lectorem.*
Species expreſſa quid ſit, & quomodo ab impreſſa diſtinguatur. 349.2
Spiratio actiua non prædicatur de Paternitate. 136.2
Spiratio actiua ſi diſtingueretur à Paternitate realiter, ſequeretur in Deo quaternitas. ibid.
Nunquam à Seraphico Doctore aliter dictum eſt. 137.1
Spirationis ſymbola. 412.2
Spirare aliud eſt ab inſpirare. 415.2
Spirans, nomen adiectiuum eſt, Spirator, ſubſtãtiuum. 444.1
Spirator tamen poteſt multiplicari in Diuinis. ibid.
Spiritus Sanctus in quo ſenſu datur Danieli. 338.2
Spiritus Sanctus ex vi ſuæ productionis non procedit ſimilis. 390.1
Spiritus Sanctus tertia perſona dicitur. 412.2
Spiritum Sanctum à Patre, & Filio procedere de fide eſt. 417. vſque ad 424
Fuit creditum ab initio naſcentis Eccleſiæ. 425.1
Probatur efficaciſſima ratione. 430.2
Spiritum Sanctum à Patre procedere mediatè, quomodo intelligendum. 432.1
ſi Spiritus Sanctus à Filio non procederet realiter ab illo non diſtingueretur. 436.1
ſi Spiritus Sanctus non procederet à Patre, realiter ab illo diſtingueretur, & qua ratione. ibid.2
Spiritus Sancti principium duplex, quo, & quod, neque repugnat in Deo. 445.2
Spiritus Sancti tamen vnum eſt principiũ. ibid.
Spiritus Sancti principium remotum, ſiue potentia eſt diuina eſſentia, propinquum verò eſt proprietas, neque eſt conditio. 449.1. & 2
Spiritus Sanctus prius à Patre, quàm à Filio auctoritate procedit. 458.2
Spiritum Sanctum propriè ſpirari à Patre, quomodo intelligendum. 460
Spiritus Sanctus eſt à Patre mediante Filio. 462.1
Et tamen immediatè ab vtroque procedit. 464.1
Spiritus Sanctus quomodo poſſit dici ingenitus. ibid.2
Spiritus Sanctus eſt nexus. 473.1. & 2.
Explicatur. 474.1
Spiritus Sanctus procedit ex amore eſſentiæ, perſonarum, creaturarum poſſibilium. 475.1. & 2.
Spiritus Sanctus etiam ex amore creaturarum futurarum, atque exiſtentium procedit. 521.1
Neque vlla contradictio auctoris, aut Seraphici Doctoris, ſi attentè integer textus legatur, nam hæc eſt poſtrema ſententia vtriuſque. ibid.
Spiritus Sanctus quo ſenſu dicatur noſter. 507.2
Ab æterno eſt donum datum probabiliter. 518.1
Omnia nobis in illo donantur. 519.2
Subſiſtere abſolutum clauditur in relatiuo. 128.1
Subſiſtentia tripliciter accipitur. 180.2
Multiplicatur in perſonis. ibid.
Nullo modo conuenit diuinæ eſſentiæ, & exiſtentiæ. 183.1

Nullo

Digitized by Google

Nullo modo præſcindit à communicabilitate, & incommunicabilitate. 184.1
Subſtantia aut eſt materia, aut forma, aut compoſitum. 158.2
Subſtantia quid, & quotuplex. 154.1
Propriè de Deo dicitur. 175.1
Suppoſitio minus late patet, quàm ſignificatio. 208.2
Sybillarum excellentia, & diuinatio. 367.1
Syllogizandi ars etiam valet in Diuinis. 80.1

T

TEmeritatis error, quid ſit. 142.2
Templa Deo ſoli dicantur. 705.1
Terminus non ſufficit diſtinguere diuinas proceſſiones. 39.1. & deincepſ.
Terminus in diuinis triſariam vſurpari poteſt. 316.2
Terminus formalis diuinæ productionis duplex. 569.1
Terminus, Quo, diuinæ productionis eſt eſſentia. 569.2
à Terminis vltimis poteſt abſtrahi conceptus cõmunis in alio genere. 283.2
Terminus numeralis numquam additur ſubſtãtiuo. 274.2
Tetragrammaton idem ſignificat, quod Qui eſt. 191.1
Textus ex contextu eſt interpretandus. 323.2
Totum vniuerſale, aut integrale non eſt in Deo. 629.2
Tranſfiguratio Chriſti in ea vere facta eſt miſſio Spiritus Sancti ad Chriſtum. 682.1
In ea deſignati ſunt Apoſtoli, prædicatores vniuerſi. 683.1
Prædicationis fructus. ibid.
Tranſfiguratio eſt diuinitatis Filij demonſtratio. 697.1
Translatio nominum, quid ſit, & quomodo fiat. 343.2
Translatitia quomodo de Deo dicantur. 387.1. & 2.
Trinarius non debet dici Deus. 279.2
Trinitatis myſterium ſecundum ſe maximè cognoſcibile. 6.2
Omnium aliorum eſt excellentiſſimum myſterium triplici excellentia. 7
A ratione naturali non poteſt demonſtrari falſum. 9.1
Suppoſita fide tantum poteſt excogitari. 10.2
Nulla Trinitatis reuelatio facta eſt ſine Filio reuelante. 11.1
Myſterii hoc inepte probat Raymundus Lullus. 13.2
Etiam ſuppoſita fide hoc myſterium nequit demonſtrari. 16.1
Poteſt tamen probabilibus rationibus, & ſimilitudinibus ſuaderi. 17.1
Etiam ſuppoſito lumine ſupernaturali, quidditatiuè, euidenter cognoſci nequit. 18.2
Habetur hoc myſterium in veteri, & nouo Teſtamento expreſſum. 21.2. & deincepſ.
Trinitas non dicitur ter Vnitas, ſed trium Vnitas. 274.2
Triplex vox explicatur. 646.2

V

VAlentinus Gentilis deriſor notionis diuinæ. 138.2
Vaſa rationalium creaturarum ad menſuram explentur. 408.1
Verbum debet in diuinis propriè accipi, & non tranſlatè. 64.1
Verbum in Diuinis nomen notionale eſt. 330.1
Verbi definitio. ibid.
Verbum dicit ad creaturas reſpectu exemplaritatis, & quomodo diſtinguatur à reſpectu ad Patrem. 336.1
Verbum non eſt creatura Verbum. ibid. 2
Verbi conditiones. 340.1. & 2
Verbi Diuini, & creati ſimilitudines. 345.1
Diſſimilitudines. ibid. 2
Verbum quot ſignificat, & quid principalius. 348.1
Verbi creati neceſſitas, & exiſtentia. 350.2
Verbum creatum eſt de genere abſolutorum, non ad aliquid. 351.1. & 2
Quamuis ſecundam dici includat aliquam relationem. ibid.
Verbum producitur per actionem productiuam, quæ eſt dicere. 353.2
Verbum diſtinguitur ab intelligere. 355.2
Verbum tantum competit ſecundæ Perſonæ. 358.2
Nunquam propriè loquendo eſſentialiter ſumitur. 359.2
Figurate tamen dicitur de Spiritu Sancto. ibid.
Verbum procedit ex cognitione Eſſentiæ attributorum Perſonarum, & creaturarum, ſaltem poſſibilium. 372.2
Dicitur tamen Verbum Patris, non Eſſentiæ, aut Spiritus Sancti, & quare. 376.2
Verbum eſt ſimilitudo exemplaris creaturarum ad quas dicit ſolum reſpectu rationis. 377.2
Verbo reſpectus ad creaturas conuenit ratione Eſſentiæ, atque proprietatis. ibid. 2
Verbum non poteſt dici imago creaturarum. 386.2
Neque Eſſentiæ, neque Spiritus Sancti, ſed ſolius Patris. ibid.
Verbum ex vi ſuæ originis procedit, vt imago. 388.1
Verborum proprietas non nouitas eſt adhibenda in myſterio Trinitatis. 454.2
Verbi Diuinitas probatur per tria capita vltimæ Diſputationis.
Veritas eſt adæquatio rei, & intellectus. 266.1
Verum non contradicit vero. 9.1

Veſtigium Trinitatis creditur. 225.2
Eſt in omni creatura. 231.1
Viator quid ſit. 118.1
Vis ſpiratiua quid ſit. 439.2
Viſio Eſſentiæ eſt etiam perſonarum de facto. 242.1. *Et de poſſibili.* 243
Vitium in argumentando. 615.1
Vnio triplex, identitatis, ſubſtantialis, & mentalis. 474.1
Vnitas eſt de perfectione entis. 119.1
Vnitatis gradus ſunt ſex. 101.2
Vnitas formalis eſt omnium perfectiſsima. 109.1
Vnitas eſſentiæ cum Perſonarum pluralitate non pugnat. 207.2
Vnitas, & pluralitas ſecundum diuerſam rationem non opponuntur. 331.1
Vnitas numerica multiplex. 257.2
Vnitatis Euangelicæ elogium. 261.1
Vnitas Dei, neque ſecundum ſe dicit abſolutū, neque relatiuum. 262.2
Vnitas Eſſentiæ in Diuinis perſonis explicatur, & probatur. 593.1
Vniuerſale non reperitur in Deo. 284.1
Vnum tripliciter ſumitur. 248.2
Vnum à priori dicit Eſſentiam, à poſteriori priuationem. 252.2
Vnum in creaturis opponitur multitudini contrariè, & priuatiuè, non in Deo. 254.2. *&* 259.2
Vnum principium, qua ratione dicatur de Patre, & Filio. 442.1
Voluntas in Spiritu Sancto non eſt fœcunda. 492.2

X

Xp̄t ut homo mittitur à Spiritu Sancto. 651.2
Xp̄s, ut homo eſt vere ſeruus, & qua ſeruitute, declaratur. 652.1
Xp̄i gratia ita fuit ſumma, ut non potuerit augeri. 671.2

FINIS.

Digitized by Google

TRACTATVS
EX EISDEM SERAPHICO, ET ANGELICO DOCTORIBVS,

Et reliquis Theologis, & Patribus, & Concilijs,

De verbis, & dictis, & modis dicendi in hòc Diuino Sanctiſsimæ TRINITATIS MYSTERIO.

AD EMINENTISS. ET REVERENDISS. D.

DOMINVM ALOYSIVM CARDINALEM CAIETANVM.

Digitized by Google

EMINENTISS. ET REVERENDISS. D.

D. ALOYSIO CAIETANO,

PRINCIPI, ET CARD. AMPLISSIMO.

FR. THEODORVS BERGOMENSIS CAPVCCINVS. P.F.

TIBI, Eminentiſsime Princeps, Tractatulum, & libellum hunc de verbis, & dictis, ſelectis ex Sanctis Theologis, Patribus, & Concilijs, quibus arcana Sanctæ Trinitatis fides orthodoxo, & catholico ſenſu explicatur, dico, & nuncupo. Non quo acerrimum ingenium tuum, cui difficillima, atq; abſtruſiſsima quæque obuia eſſe ſolent, mentemque omni diſciplinarum genere inſtructam, quaſi Mineruam edoceam, aut velut Aquilam ad volatum prouocem; ſed potius vt peritiſsimo, & ſubtiliſsimo rerum Diuinarum indagatori, quæ Diuiniora ſunt, quæque ad profundiſsimi Myſterij lucem aperiendam conferunt, velut cognata contemplanda obijciam. Quodſi ea grauiſsimo iudicio, quo maxima quæque proſequi ſoles, expenſa haud improbaueris; iam id profecto opuſculum hoc ex innata tibi humanitate conſequi æquum erit, vt ſub Eminentiſsimi nominis tui non modo vetuſtiſsima nobilitate, verum etiam rerum omnium ſtudio, et prudentia clari, ſplendore in Orbe eluceat.

Accipe igitur, Cardinalis Ampliſsime, poſt integrum de Trinitate opus, Eminentiſsimo Domino meo, Sancti Honuphrij Cardinali, tibi addictiſsimo, dicatum, operis particulam, quę cum lucem, et formam cęteris præſtet, tibi vni de induſtria ſeruata fuit, vt qui in Dei Eccleſia lucidiſsimi ſideris inſtar doctrina, ac virtute emicas, ampliorem illi tui nominis gloria, ac maieſtate, ſplendorem conferas.

Digitized by Google

AD LECTOREM
PRAEFATIVNCVLA.

EGREGIOS Prophetas, eoſdemque Sanctiſſimos viros, ex ſe neſcios loqui, & indignos, qui Dei Sacramenta prædicerent, & impeditos, & imperitos, qui ritè, & rectè ſermones Dei loquerentur, ad Deum clamitantes; multis locis Diuinæ referunt litteræ. Ieremiæ 1. Et dixi: A a a Domine Deus, ecce neſcio loqui, quia puer ego ſum. Iſaiæ 6. Vir pollutus labijs ego ſum. Ita vt volauerit ad eum vnus de Seraphim, & manu calculum ferens tangeret os eius, dignumque redderet, qui ad prædicandum mitteretur.

Eo verò cap. 6. id ſpectandum colitur, quo Seraphinos clamantes, & quaſi mutuo cantu in Choro ponentes, Sanctus, Sanctus, Sanctus, de Sanctiſſima Trinitate. Et Exod. 3. vocauit Dominus Moyſen, vt eum Legatum ad Pharaonem mitteret. Veni, & mittam te ad Pharaonem. Et Cap. 4. Non ſum eloquens, & impeditioris, & tardioris linguæ ego ſum. Neque tamen præſtantiſſimi, & vt ſic loquar, videntiſſimi viri ſuis Prophetijs, & locutionibus, de Sanctiſſimæ Trinitatis arcano, illis gentibus potiſſimè, explicatiorem aut [illegible] ſuſcepti, ſi ſitum Theologis neceſſe eſt loqui, & eo caſtigatius, & cautius, quo aduerſus hæreticos, vafros, & verſipelles, & impiè deprauantes, & corrumpentes verba fidei, & verbis veritatis, digladiationes inituri ſunt; vel e præſentia, [illegible] ſuper falſitatis, & labendi præbetur anſa; tum teſte D. Hieronymo communiter relato, ex verbis inordinatè prolatis oritur hæreſis. Sobriè ergo, & ſecundum Dei promptè agendum, & denuò inueſtigandi dicendi rationes, & [illegible] probatis, Sanctiſque tum Magiſtris Patribus, tum Concilijs, ſeligendi termini, componendæ propoſitiones; quibus ritè, & orthodoxè hæ celſiſſimæ veritates proponantur, & propalentur, & certam, ac ſanam Theologiam lectores, & auditores legant, audiant, & proferant, & inter fideles, & contra hæreticos. Ille ergo Deus, qui die Pentecoſtes de cœlo linguas, quibus dignè, & idoneè Apoſtoli, & Diſcipuli Euangelium explicarent, & Patris, & Filij, & Spiritus Sancti fidem fidelium mentibus imprimerent, liberaliter conceſſit; elargiatur & nobis vera, & certa verba, & dicta, quibus congruè Euangelij eiuſdem promamus myſteria, & illud in primis omnium difficillimum, nimirum Sanctiſſimæ Trinitatis.

Ad hoc & ego hunc ex Sanctis Theologis, & Patribus collegi libellum, & præbeo. In quo illud in primis animaduertendum exiſtimo, diligentius elaborandum, & magis enitendum, omniſque ſolertia, & conatus adhibendus in componendis propoſitionibus: error enim propoſitionis explicatior eſt, & fidelium mentibus, quàm ſimplices voces, & termini, perniciosior: propoſitione enim aſſeritur mendacium; veritas negatur; terminis verò ſimplicibus nequaquam. Et Sanctorum Patrum in hac re recolenda documenta, & quanti fecerint quod hoc loco proponimus, obſeruandi: & in primis

D. Dionyſ. de Diuin. nomin. cap. 1. in principio. Sit quoque nobis illa Diuinorum Scriptorum præſcripta lex, vt veritatem doceamus eorum, quæ de Deo dicuntur: non enim in perſuaſibilibus humanæ ſcientiæ verbis, ſed in oſtenſione virtutis, quæ agitata

tata

tata eſt à Spiritu. Et paucis interiectis. Omnino igitur quidquam non audendum de ſumma, atque abſtruſa Diuinitate, aut dicere, aut cogitare, præter quæ nobis diuinitus ſcripta Diuina enuntiauerunt. Et ferè ſtatim. Debemus eatenus ad ſupera contendere, quatenus Diuinorum ſcriptorum radius ipſe effert: ita dumtaxat, vt à ſuperiore ſplendore, moderatione, & reuerentia coerceamur.

Et D. Auguſt. lib. 1. de Trinit. cap. 3. ſub initio. In his maximè, vbi quæritur vnitas Trinitatis, Patris, Filij, & Spiritus Sancti: quia nec periculoſius erratur, nec laborioſius aliquid quæritur, nec fructuoſius aliquid inuenitur. Et lib. 10. de Ciuit. Dei. cap. 23. Liberis verbis loquuntur Philoſophi, nec in rebus ad intelligendum difficillimis offenſionem religioſarum aurium pertimeſcunt: nobis autem ad certam regulam loqui fas eſt, ne verborum licentia de his quæ ſignificantur, impiam gignant opinionem. Vbi potiſsimè de Trinitatis myſterio loquitur.

D. Nazian. Orat. 26. de Modeſtia in diſputationibus ſeruanda, ſic mira modeſtia inquit. Ego certè humilitatis, & modeſtiæ laudem huic tribuerem, non qui de ſeipſo pauca, idque quod paucos, & rarò commemorat, nec qui inferiorem &c. ſed qui parcè, & moderatè de Deo loquitur, & quædam proloqui, quædam premere, & retinere nouit: quemadmodum etiam inſcitiam fateri noui. Et ſatis infra. Verba ea, quibus ſimul cum lacte imbutus es, mordicus retine: ſermonibus autem, & diſputationibus &c.

Denique eruditiſsimè, & maximè ad rem D. Damaſcenus lib. 1. de fide cap. 2. Non igitur fieri poteſt, vt præter illa, quæ diuinitus ſacra nobis, & veteris, & noui teſtamenti eloquia enunciauerunt, quæque dixerunt, & manifeſtauerunt, quidquam eloquamur de Deo, aut intelligamus, ſcilicet aut formaliter, aut virtute, radice, & explicatione.

Horum Sanctorum Patrum, & aliorum plurimorum, quos hoc loco referre neceſſarium non exiſtimamus, hortamenta, ſi alta mente reponamus, cautumque dicendi modum imitemur, humilitatem complectamur, nihil non tutum, non verum, non circumſpectum, noſtro ex ore elabetur, neque ſcriptis committemus. Quos quoque vtinam aliquando intuerentur, & ob oculos ſuos ponerent, qui tanta in ſcribendo etiam de quocumque fidei myſterio, libertate vtuntur, & delectantur, quanta neque Philoſophi mediocriter prudentes, in re phyſica ſunt vſi, neque delectati, abſtinerent ab ijs, de quibus poſtea à ſacris cenſoribus corriguntur, & nimis fortaſſe audenti, & confidenti intellectui moderationis habenas iniicerent. Sed hoc loco nobis ſufficiat ex Sacris Doctoribus regulas, terminos, & dicta exhibuiſſe, quibus ſine errore, ac periculo myſterium hoc enarrent, & explicent, hiſque paucis præluſiſſe.

Index

INDEX CAPITVM HVIVS TRACTATVS.

Cap. 1. Primæ partis.

DEI nomen eſt & commune, ſignificãs plures perſonas Diuinas, & naturam communicabilem tribus; & diſcretum,& ſingulare, Diuinam naturam in ſe ſingularem, & immultiplicabilem : & huius nominis hæc eſt gemina ſignificatio, ſicuti ſola natura Diuina vna in tribus inuenitur. pag.1

Cap. 2. Hoc idem nomen Deus,vt Diuinam ſignificat naturam, nulla ratione pluraliter inflecti poteſt, vt plures, aut tres Dij dici poſſint. 3

Cap. 3. Nomen eſſentiæ verè competit Deo, neque numerari poteſt. Subſtantiæ verò propriè quidem vt per ſe ſtat; vt autem ſubeſt alijs, non æquè propriè competit. Vt ſignificat perſonas, plures ſubſtantiæ poſſunt dici in Deo. Perſonæ quoque nomen tùm Deo congruit, tum numeratur. 5

Cap. 4. De eſſentia, Græco nomine Vſia, & eius cōpoſitis, Vſioſi.Homouſio, Homeuſio,Simouſio, Eteruſio. 12

Cap. 5. De nomine Græco Perſonæ, ſcilicet Hypoſtaſi. 14

De expoſitione verborum Ieremię cap. 23. Si ſtetiſſent in conſilio meo &c. & de voce Hyparxis. 17

Cap. 6. Iterum de legitimo vſu vocis Perſonæ in Diuinis. 19

Cap. 7. De voce,& ſignificatione, & vſu Helohim. 19

Cap. 8. De nomine Qui eſt, quod maximum, & inter Dei nomina præclariſſimum eſt, & idem cum Tetragrammaton. 21

Cap. 9. De his terminis, Proprietas, Relatio, Notio, Circuminceſſio. 26

Cap. 10. De his vocibus, Idem, Alius, Alter, Diuerſus, Diſtinctus, Separatus, Differens, Vnus, Vnitus. 26

Cap. 11. De his præpoſitionibus, Cum, In, Per, Ex, De, E, A, Apud. 26

Cap. 12. De huius vocis, ſolus, vſu in Deo, Diuiniſque perſonis. 34

Cap. 13. De Singulari, Indiuiduo, Vnico, Solitario. 38

Cap. 14. De Cauſa, Authore, Principio. 39

Secundæ Partis Cap. 1.

DE quibuſdam regulis obſeruandis generatim ad omnes propoſitiones componendas, præſertim ad eas ibi ſtatim excutiendas. 41

Cap. 2. De quibuſdam corollarijs propoſitionibus, ſcilicet

Solus Deus eſt. 42
Solus Deus creat. ibid.
Solus Deus eſt ab æterno. ibid.
Solus Pater eſt Pater. ibid.
Solus Pater eſt Deus. ibid.

Cap. 3. An nomina concreta numero plurium rectè prædicentur iuxta numerum formarum: ita vt ſi Verbum tres naturas humanas aſſumpſiſſet, vel tres perſonæ vnicam naturam, diceretur vnus, vel tres homines. 43

Cap. 4. De hac propoſitione, Hic Deus eſt hic Deus, & Hic ſpirator eſt hic ſpirator. 44

Cap. 5. Deus genuit Deum. 45

Cap. 6. Deus non generat, An aliquo ſenſu vera ſit. 46

Cap. 7. An, Deus generat alium Deum, & alium ſe. 48

Cap. 8. Deus diſtinguitur à Deo. 51

Cap. 9. Eſſentia non generat. 51
Eſſentia non generatur. ibid.
De eſſentia Patris generatur Filius. ibid.
Per generationem, & ſpirationem communicatur eſſentia. ibid.

Cap. 10. Multarum propoſitionum ſcrutinium. 58

Cap. 11. Has complectens propoſitiones explicandas.
Prima. Tres perſonæ vnius Dei. 60

Se-

Digitized by Google

Secunda. Tres perſonæ vnius eſſentiæ. ibid.
Tertia. Tres perſonæ de eadem eſſentia. ibid.
Quarta. Vna eſſentia trium perſonarum. ibid.
Quinta. Tres perſonæ vnius diffinitionis. ibid.
Sexta. Deus eſt Trinitas. ibid.
Cap. 12. Pater & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto. 61
Cap. 13. Pater eſt principium totius Deitatis. 63
Cap. 14. Pater non eſt ſapiens ſapientia genita, neque nouit Verbo, neque Spiritu Sancto. 64
Cap. 15. Pater non eſt potens potentia genita. 66.
Cap. 16. An Pater & Filius poſſint dici boni & ſancti Spiritu Sancto, & ſanctitate ſpirata. 67
Cap. 17. An hæ duæ admittendæ propoſitiones.
Prima. An Filius naſcendo ſit ſubſtantia. 67
Secunda. An Filius natiuitate ſit eſſentia. ibid.
Cap. 18. An Filius dicatur imago Patris etiam in ſpirando Spiritu Sancto. 68
Cap. 19. An Filius ſit ſapiens ſapientia genita, & Spiritus Sanctus bonus bonitate ſpirata. 69
Cap. 20. An Spiritus Sanctus cognoſcat omnia in Verbo. 70

Hæc verò, quæ ſequuntur, capita extra hunc Tractatum inueniuntur ſparſim ſuis locis in volumine de Trinitate.

Cap. igitur 21. De hac propoſitione, Pater & Filius ſunt vnum principium Spiritus Sancti. 440
Cap. 22. An Pater & Filius poſſint dici duo ſpiratores Spiritus Sancti. 454
Cap. 23. An Spiritus Sanctus rectius dicatur Donum, an Datum. 501
Cap. 24. An perſona & natura ad inuicem prædicentur. 527
Cap. 25. Quomodo actus notionales de Diuinis perſonis prædicentur. 545
Cap. 26. Quibus terminis explicetur numerus Diuinarum perſonarum. 640
Cap. 27. Chriſtum verè poſſe dici ſeruum Dei. 652.653
Cap. 28. An Deus poſsit dici de nihilo, quia de nullo. 553
Cap. 29. De vera huius propoſitionis intelligentia. Filius generatur de ſubſtantia Patris: & eadem ratione Spiritus Sanctus ſpiratur de ſubſtantia Patris & Filij. 553. & deinceps.
Cap. 30. An Filium generari ex Diuina eſſentia, quaſi ex materia, ſine errore dici poſsit. 557. & 558

CAPVT IGITVR PRIMVM.

Quid ſignificet, & pro quo ſupponat hic terminus: Deus. D.Bonau. diſt.4. art.4. D.Tho.1.par.q.39.art.4.

P A R A P H R A S I S.

PRIMA Propoſitio. Recenſitis duabus opinionibus ex illis, hãc cõficit tertiã: hic terminus, Deus, habet termini cõmunis naturam, & termini diſcreti. Probatur prima pars: nã poteſt ſupponere pro pluribus, & diſtinctis ſuppoſitis Diuinis: pro Patre enim ſi dicatur, Deus generat: Pro Patre, & Filio ſi aſſeratur, Deus ſpirat: pro Filio, ſi Deus genitus: pro Spiritu Sãcto, ſi Deus ſpiratus prædicetur. Secunda itidẽ pars probatur: nã pro forma, & natura Diuina ſingulari, & immultiplicabili: rectiſſimè enim dicitur, Deus eſt, Deus creat. Secundò. Hæc ſecunda pars aſſeritur ſecundis argumentis, primò ex Pſal. Benedicat nos Deus, Deus noſter, &c. & metuant eũ omnes fines terræ. *Vbi certũ eſt illud pronomen,* eum, *referre naturã, non perſonã. Confirmatur ex expoſitione D. Amb. in 1. arg. Secundò. Hæc propoſitio Deus eſt Trinitas, & Deus eſt Pater, vel Filius, &c. eſt vera ſimpliciter, & ſupponit pro termino cõmuni: ergo verè Deus ſic ſumitur. Tertiò, ſicuti hoc nomen,* homo, *ſupponit pro omni, cui ineſt humanitas: ſic hoc nomen,* Deus, *pro omni cui ineſt Diuinitas; ergo pro cõmuni perſona Diuina: ergo pro perſona qualibet Diuina: quaelibet enim habet Deitatẽ: ergo terminus cõmunis; ſed ſicut nomen concretum ſupponit pro re cõcreta, ſicut albũ pro re alba: ergo & Deus cõcretus ſupponit pro Deitate in perſona cõcreta: ergo ſimul eſt terminus diſcretus, ſignificans vnicã, immultiplicabilẽq; Diuinam naturam.*

Secunda Propoſitio. Vnius, ſoliusq; huius termini, Deus, *eſt propria hæc vtroq; modo diſpoſitio, vt ſit tã cõmunis, quã diſcretus terminus. Ratio eſt: nam ſolus Deus eſt vna, indiuiduaq; natura in tribus: in reliquis enim alijs creatis ſuppoſitis multiplicatur natura numero; quo fit, vt v.g. homo nõ poſſit eſſe ſimul terminus cõmunis, & diſcretus: eadem enim natura humana numero, nõ poteſt eſſe in pluribus ſuppoſitis. Hæc S.Doctor. idẽ docet dub.4. litterali, & diſt. 23. ar.6. ad 2. Habẽs Deitatẽ, eſt locutio duplex, vno modo neutraliter, & æquipollet ei, quod eſt Deus, quod quidem dicit, quod eſt. Alio modo maſculinè, & ſic nõ habet æquipollens, & multiplicatur: idem S.Thom. cit. art. ad 3. Hæc eadem docuit Alex. Aleuſ. 1. par. quæſt. 50. memb. 3. art. 1. His tribus aſſertis.*

Primum. Deus ex ſuo modo ſignificandi, tã naturam, quam perſonam ſupponit: ratio eſt, quia eſt nomen impoſitũ ad ſignificãdum, qund Deus: Deus autẽ eſt ſua natura, & vis naturæ, ſcilicet perſona.

Secundum aſſertum, quæſt.2. Deus ſupponit pro qualibet perſona indiſtinctè, niſi addatur terminus determinans; vt Deus generans, Deus genitus, &c. ſupponit pro ſingulari, indiuiduaq; Deitate.

Tertiũ aſſertum ead. quæſt.2. Deus ex ſe ſupponit pro eſſentia: ex adiũcto verò pro perſona. Ead. Gabr. Biel diſt.4. q.1. art. 1. notab.6. vt ibi intuenti conſtabit: qui quidẽ grauiſſimi Theologi hanc ſuã ſententiã ex D.Io. Damaſc. 3. de fide cap.4. vidẽtur deſumpſiſſe: hæc enim eo loco grandiloqua edidit verba, optimè hanc educentia ſententiã: *Diuinitatis, & humanitatis vox eſſentias, ſeu naturas indicat: at Dei, & hominis vocabulũ, tum de natura vſurpatur (quẽadmodũ cũ dicimus, Deus eſt ſubſtantia captũ omnẽ fugiens; & vnus eſt Deus) tũ etiã de perſonis, nimirum eo quod ſpecialius eſt, generalioris nomen ſuſcipiente, vt cum Scriptura ait: propterea vnxit te Deus, Deus tuus. Vides enim hic & Patrẽ, & Filium deſignari.* Hæc Damaſc. Tu verò obſerua, quã ad vnguẽ eadẽ teſtatus ſit S.Doct. alio loco Pſal. *Benedicat nos Deus, Deus noſter, & metuant eũ, &c.* Idq; ex D.Ambr. in hũc Pſal. licet inſuper & addat vocẽ hanc (eum) referre, & eandẽ naturam exiſtentẽ in tribus. D. verò Tho. quãuis varia, varijs locis locutus viſus ſit: hæc tamen in Sũma, veluti in vltima voluntate. Deus, inquit, *tã pro eſſentia, quam pro perſona.* Quandoq; enim pro eſſentia, vt cum dicitur, Deus creat: quia hoc prędicatũ cõpetit ſubiecto, ratione formę, quę eſt Deitas. Quandoq; pro perſona, vel vna tantum, cũ dicitur Deus generat: vel pro duabus, Deus ſpirat, vel pro tribus: *Regi ſæculorũ inuiſibili, & immortali, ſoli Deo honor, & gloria:* omnibus, & ſingulis perſonis debetur gloria. Neq; oppoſitũ docet in reſp. ad 3. & art.6. vbi hoc nomen, Deus, inquit, pro ſe ſupponit pro forma, & natura Diuina (in cõcreto): ex adiũcto verò eius ſuppoſitionẽ determinari ad perſonã, vt Deus generat, &c. Caiet. enim hic, & Petrus Bergom. in Concord. dub. 928. ex diuerſis locis, nedũ non cõtraria, ſed adeò cõformia colligunt, vt ex illis ſimul perfectũ dicendi modum pendere affirmẽt. Deus ſupponit pro natura in cõcreto principaliter, & ſuppoſitione naturali: pro perſona quoque indiſtinctà: tamen cõcomitãter, & ſecundariò; pro perſona verò ſingulari ex adiũcto.

Scotus diſt.4. q.1. & diſt.21. in fin. ſic. Hoc nomẽ, Deus, per ſe primò, propriè ſignificat ſingulare naturæ Diuinæ, quod eſt Deitate ens, & exiſtẽs in natura Diuina: naturali intelligẽtia quãcumque proprietatẽ perſonæ præcedens: neq; aliquid formale incõmunicabile, & ad rationem perſonę pertinens, formaliter includẽs. Quod idẽ multi recentiores.

Henricus verò quodlib.5. q.8. ad argum. tenuit hoc nomẽ, Deus, ſupponere pro perſona indiſtinctè ad tres, vel ad duas, vel ad vnam perſonam. Idem Ducan. in 1. Sent. diſt. 4. q.2. dum ait, hoc nomen, Deus, ſupponere pro ſuppoſito Diuinam habente naturã; & addit eod. modo ſe habere, Deus, & Deitas; ſicut homo, & humanitas, & quo ad rem ſignificatam, & quo ad modum ſignificandi: ſicuti enim

humanitas humanam naturam nullo habito reſpectu ad ſuppoſitum; homo verò ſuppoſitum habens naturam: ſic fermè Deus, & Deitas.

Graue diſſidium inter hos Theologos nõ exiſtere,& fortaſſe nullũ, paucis poſt hæc conſtabit. Sed prius quædam ſunt in ſancti Doct. præſertim lucidiorem interpretationem prænotanda.

Primum,vt aliàs ſuo loco ex certo, & explicato loco S.Doct. recenſuimus,& ſatis ſuſtinuimus,non dari ſubſiſtentiã abſolutam Diuini eſſe præter ſubſiſtentias relatiuas; ita vt orthodoxè neque penes Eccleſiaſticũ,& conciliarem modum dicendi: licet Deus à ſe,& per ſe exiſtat; non dicendus tamen ſit ſubſiſtere niſi in tribus perſonis: tum quia hæc eſt ratio propria ſubſiſtentiæ;vt vltimam actualitatẽ, & ſubinde incõmunicabilitatẽ dicat; tũ quia ſumma Dei ſimplicitas,& quæ magis Deũ colit,vt ſuo loco dicebat S,Doctor, id enixè expoſtulat; vt de ratione Dei noſtri ſit in tribus ſubſiſtere. Quare admodũ cautè loquitur S.Doctor:quamuis enim concedat,& rectè quidem Deũ ex ſe ſignificare, & ſupponere Diuinã naturam; non tamen id cõccdit abſolutè,neque in concreto tantũ, vt in ſe ſubſiſtẽtẽ;ſed vt in habente eã,nimirũ in ſuppoſito,& perſona; vt nec vnquã, nec vſquã ex eius ore elapſum verbum quis legere poſſet,quo Diuino eſſe rationẽ verè ſubſiſtendi niſi in perſona tribuat. Audi attentè S.Doctoris quadã verba hoc loco: Deus ſignificat Deitatẽ ex concretione;ſed non niſi in concretione ad ſuppoſitum,quod eſt perſona. Et licet hæc verba legantur in argumento ad oppoſitam partẽ; in fine tamen quæſt. approbat hoc argum. dum in vtramq; partem argum. aſſerit eſſe vera,& diſt.23. art.2.q.3.ad 2. Hoc nomen Deus,inquit, ſignificat Deitatem in cõparatione ad habentẽ eam, nimirũ ad perſonam. & q.2.argum.2.Hoc nomen Deus,eſt nomen eſſentiæ in comparatione ad perſonã, &c.

Prænotandũ ſecundò. Dum in princip. quæſt. S. Doctor aliud eſſe,*ſignificare*, aliud eſſe *ſupponere* affirmet:in horũ verborũ interpretatione inter hos duos terminos ediſcenda eſt differentia. Significatio enim latius patet,quã ſuppoſitio: illa enim eſt rei per vocẽ expreſſio, & repræſentatio. Hæc verò eſt acceptio,& vſus termini ſubſtãtiui pro aliquo, ſiue pro ſe; ſiue ſuo ſignificato in propoſitione vt ſit vera. Dixi ſubſtãtiui: nam tũ voces adiectiuæ,tũ verba nõ ſupponũt,ſed copulant. Significatio ergo omnia illa cõprehendit, quæ ipſa voce ex eius impoſitione notari mos eſt. Suppoſitio eſt determinata ſignificatio illius tantum rei, ratione cuius & aſſumitur in propoſitione,& enunciatio vera eſt,& pro qua determinatè in propoſitione accipitur. Plura,& copioſiora de re hac ex ſũmulis terminorũ conglomeranda. Vnã,aut alteram diſtinctionem addã ex D.Bonau. dub.3. & in ipſius declarationẽ. Suppoſita illa ſuppoſitionis diſtinctione; vt alia ſit formalis,alia materialis. Materialis quidẽ,dũ vox pro ſeipſa ſumitur in propoſitione, veluti cũ dicitur,homo eſt nomen:res enim,& materia,& ſubiectum eſt ipſa vox. Formalis verò,vt homo eſt animal: homo enim pro re ſignificata,illa voce *homo* accipitur. Hæc formalis propria nõ tranſlata diuiditur;vt alia ſit ſimplex,alia perſonalis. Voco ſimplicẽ,cum terminus pro ſuo immediato ſignificato vſurpatur: quemadmodũ cũ dicitur, homo eſt ſpecies: homo enim hoc loco non mediatè pro aliquo indiuiduo hominis; ſed immediatè pro ipſa natura cõmuni,vt ſic,& ſpecie. Voco perſonalẽ: cũ nõ pro immediata, ſed mediata ſignificatione ſupponit. Sed hæc: alia diſcreta,& ſingularis: alia cõmunis, vt eod. dubio,& hic quæſt.4. Diſcreta dicitur,cum aut ſumitur terminus indiuidui proprius,vt Petrus currit: in diuinis,Pater generat. Aut relatiuũ eandem perſonã referens,vt ille currit. Cõmunis verò, cũ pro ſuis inferioribus aſſumitur:ſicuti homo ſcire deſiderat: ſinguli enim homines ſcire deſiderãt. In Diuinis,vt perſona:ſingulis enim perſonis competit. Deus pro natura concreta, quæ cõmunis eſt tribus perſonis. Porrò autem hæc communis perſonalis, alia naturalis, alia accidentalis: & hæc vtraque alia diſtributiua, alia copulata; alia determinata, alia confuſa; ſed ſufficiant, facillimè enim inueniuntur vbique.

Pręnotandum tertiò ex ſecunda propoſitione D. Bonau. & ex D.Tho. eod.art. ad 3. Solus terminus hic, *Deus*, habet ſimul vim termini cõmunis, & diſcreti, & ſingularis, & proprij: ſignificat enim & naturã ſingularẽ, & vnicam immultiplicabilẽ Deitatis; cõmunicabilem tamen,& cõmunicatam tribus perſonis: hinc enim eſt,vt ſit ſingularis terminus,& ratione ſingularis naturæ,& ſingulariũ perſonarũ dicitur Deus,& Deus Pater,& Deus Filius, & Deus Spiritus Sanctus: & itidẽ communis;quia eand. naturam communẽ tribus,& de tribus ſimul, vt Deus eſt Trinitas,&c. Vt verò terminus cõmunis eſt,& ſimplex,& etiam vt ſingularis, dũ naturã Diuinam ſolã ſupponit: dũ verò perſonas,eſt perſonalis: colligitur enim terminus hic,& quo differat ab alijs terminis cõcretis creatis,& quo cõueniat: differt enim: nã nullus terminus concretus creatus poteſt ſimul vtramque vim habere: natura enim creata indiſtinctis indiuiduis realiter diſtinguitur,& diuiditur; neq; remanet eadẽ niſi ſpecie, & ratione, & ſinguli v. g. homines habent realiter diſtinctam naturã humanam: non poteſt terminus homo eſſe cõmune multis hominibus: nã ead. natura numero nõ eſt cõmunis;ſed diuiſa in ſingulis, & ſimul diſcretus ead.ratione: nã natura hæc, v.g. Petri nõ eſt ead numero cũ natura Pauli. Deus verò & ſignificat naturã Diuinam indiuiduam; & tamen communem tribus perſonis; hinc eſt ſimul, & cõmunis,& diſcretus,& itidẽ cõmunis;quia omnes perſonæ Diuinã habent naturam;& diſcretus,quia ſingulæ. Cõuenit verò;quia quemadmodum omnis natura creata nõ ſubſiſtit, niſi in ſuis diſtinctis indiuiduis; ſic fermè, & natura Diuina licet nobiliori,& inexplicabili modo, quamuis,vt hic Deus à ſe abſolutè exiſtat;non dicendus tamen niſi in tribus ſuppoſitis Diuinis perfecta,ac vere ſubſiſtẽtia ſubſiſtere; ſic nobis neceſſariò aſſerendum, ſi ad mentem S.Doct. & ad morem loquendi Eccleſiaſticum loqui volumus. His prænotatis,rem his aſſertis explicare propono.

Primũ aſſertum. Terminus hic,Deus,ſupponit,& pro Deitate in cõcreto ſumpta, & pro perſona tũ ſimul,tũ diſtinctè diuerſis propoſitionibus. Conſtat primò ex toto corpore quæſt. tũ ex rationibus in vtramque partẽ conſtructis,& 1.Sent. diſt.13.q.3.

ad 2. Duas enim diſtinctas ſententias recenſuit: alteram profitentē Deū pro perſona: alterā pro natura ſupponere, & vtramq; verā neceſſariò probauit. Quę cōfirmari poteſt. Primò ex D. Tho. Alex. & Gabr. ex Scoto in hūc ſensū rectè expoſito, etiā à Suarez lib. 4. de Trin. c. 14. idē ſentiētibus, imò ex D. Damaſc. loco indicato. Secūdò, Deus eſt & vnus, & trinus: ergo hæc vox *Deus* ſignificat, tū naturā, tū perſonas. Tertiò, in hac propoſitione, Deus eſt cōmunicabilis tribus: certū eſt ſupponere naturā; In hac quoque, Deus creat: cōſtans pariter eſt ſignificare Deū vnū, hoc eſt, Deitatē ſubſiſtentē in tribus, Deus generat, Deus eſt Trinitas: certū quoq; eſt Diuinas perſonas, & diſtinctè, & collectiuè ſupponere: ergo.

Secundū aſſertum hoc ordine Deus ſignificat, & ſupponit naturā, & perſonā indiſtinctè, & perſonam diſtinctā, & determinatā: vt primò ex impoſitione nominis naturā, deinde perſonā, denique hanc perſonā ex adiuncto termino; vt Deus Pater, Deus generat, &c. S. Bon. d. 2. dub. 3. S. Tho. 1. par. q. 13 ar. 8.

Tertium aſſertum. Hic ordo cognitionis noſtræ præciſè eſt, vt à parte rei ipſiſſima res vnica ſit, eadēq; formaliſſimè, neq; niſi in noſtra ratiocinatione diſtincta: & initiū, & progreſſum intellectionis tantū præſeferat: vt primò, à Deo natura vna exiſtenti, in cognoſcēdo ipſum Deū exordiamur cōceptu imperfecto, & cōmuni; poſt ad eius in perſonis exiſtentiam, & ſubſiſtentiam pergamus: non enim Deum in ſe ſubſiſtere abſoluta ſubſiſtentia concedimus. Tandem conceptu adæquato ad diſtinctas perſonas perueniamus.

CAPVT II.

An hoc nomen Deus pluraliter idoneè inflectatur. D. Bon. diſt. 4. par. 3. & d. 23. ar. 5. D. Tho. q. 13. ar. 9.

PRopoſitio. Hoc nomen Deus ſi naturaliter ſumatur, vt nimirū Diuinam naturam ſupponit, ac ſignificat: nullo modo ſecundū veritatē pluraliter inflecti poteſt, vt plures, aut tres Dij catholicè dici poſſit. Probatur ex vtraq; quæſt. pluribus Diſt. 23. quo ad rē, diſt. 4. quo ad modū dicendi. Vnde rectè diuerſo loco gemina quæſtio inſtituta eſt. Primò. Omne nomen plurale appellatiuū eſt: ſed nomē Deus nō eſt appellatiuū, ſed propriū Diuinæ naturæ: ergo nō plurale, ſed ſingulare. Probatur minor. Nā eſt impoſitū ad vnam Diuinā naturam immultiplicabilē ſignificandā, & eſt fidei, & Diuinarū litterarū perpetuus vſus, &c. ergo, & nomē Deus erit immultiplicabilis. Cōſequentia certa eſt. Nā vocū vſus eſt ad ſignificandā, & aſſerendā veritatem rei. Secundò, probatur ead. minor ex omnibus illis locis, & rationibus, quibus vnus Deus demōſtratur: ergo nomen ſingulare eſt. Ead. ratione conſtat cōſequentia: nam vſus vocū eſt ad rei naturā exiſtentiam, & veritatē teſtandā. Secūdò, ex vtraq; quæſt. cōfirmatur propoſitio. Hoc nomen Deus nō ſolum impoſitum eſt ad tres Diuinas perſonas, in quibus Diuina natura ſubſiſtit; ſed ad eandē vnicā in primis formam explicandā: ergo licet multiplicentur perſonæ, cū tamen nō multiplicetur forma; neque nomen multiplicari, aut plurificari poteſt. Tertiò, licet plures perſonæ in numero pluriū dicātur Diuinæ: nō poſſunt tamen dici plures Dij: nā vox illa (Diuinæ) nō dicit multiplicationē formæ, & naturę in pluribus perſonis, ſed poſſeſſionem: plures enim perſonæ dicuntur Diuinæ; quia habent, & poſſident eand. naturā Diuinam, & in eadem perfectione. Et quāuis eo dicantur tres, quo alius aliū generat, & aliū ſpirat: non tamen dici poſſunt tres Dij, ratione primo loco aſſerta. Nā Deus dicit formā, & plures Dij plures formas, & plura ſuppoſita; tres verò perſonæ, tres proprietates in ead. forma, & natura.

Licet S. Doctor vtraque quæſt. & rei veritatem quærens, modū dicendi intermiſceat, & eius dicēdi modū indagans, ad rei quoque veritatē pertrāſeat: ita enim ad inuicē ſunt cōnexa, vt vix vnū ſine alio, aut verſari, aut ſciri poſſit: tamen vnū hoc loco tāquam certū, ac verū, & ſimpliciter notū lumine & naturę, & fidei ſupponimus, Deū ſcilicet verum eſſe vnū; vt oppoſitum apertā inuoluat contradictionem, quod conſtat ex tract. de abſolutis, de vnitate Dei. Aliud quærimus, an ſalua vnitate hac ratione pluriū perſonarū, vel quacūque alia ratione, liceat ritè, & orthodoxè vnquā dicere plures Dij. Ratio quæ videtur grauis dubitādi, colligitur ex vtraque recenſita S. Doct. quæſt. diſt. nu. 4. quæſt. cir. ad 1. in illa verba Gen. 1. *In principio creauit Deus calū, & terrā*. Vbi in Hebræo loco (Deus) eſt Helhoim, numero plurium: ideſt, creauit Dij: quo arguitur, ergo aliquo idiomate ex Diuinis litteris de Deo vno, licet dicere plures Dij. Reſpondet enim & cōcedit ex proprietate idiomatis Hebręi, & modo ſignificandi illarum vocum, licitè poſſe de Deo vno proferre plures Deos, & ſalua naturę Diuinę vnitate. Neque ſolus S. Bonau. id aſſerit: ſed cum eo & S. Thom. 1. par. q. 39. ar. 3. ad 2. Ex vario, inquit, idiomate, & modo ſignificandi, ſicuti Græcè ſine errore tres perſonæ, tres ſubſtantiæ, ac hypoſtaſes dicuntur; nequaquam autē latinè. Sic Hebręo ſermone vllo abſque periculo, Deus Helhoim fas eſt pronuntiare, diuinarū perſonarū ratione. Plerique pariter alij locum recenſitum explicantes, creauit, numero ſingulari propter vnitatē eſſētię: Helhoim, & Dij propter perſonarum trinitatē aſſeruerūt: ita enim Lyranus, ita Burgenſis, & alij, quos ſequitur Galatinus lib. 2. de Arcanis ling. ſanctæ cap. 9. Catharinus lib. 4. contra Caiet. & exiſtimat eſſe ſenſum certum. Idem Magiſter Senten. 1. diſt. 2. cum communi ferè Theologorum ſententia, vbi & aliū conſimilem locum addit, nimirū verba ſerpētis ad Euā: *Eritis ſicut Dij*, ſcilicet ſicut Diuinæ perſonę. Hinc Marſilius 1. Sent. q. 5. art. 3. ad 4. & 5. & Petrus de Aliaco q. 3. circa fin. & q. 5. per totum. Licet, inquiunt, propter vſum Eccleſiæ, & propter vitandas hæreſes, ita loquendum ſit, & dicendum tres perſonæ vnus Deus: tamen re ipſa inſpecta, nō eſt omnino propria propoſitio iſta: & excluſo oīs erroris periculo, potuit alius dicendi modus introduci. Et confirmari poteſt ex illo Eccleſiæ loco, in hymno ſolēnitatis Corporis Chriſti: *Te Trina Deitas, vnaq; poſcimus*. Si enim licuit Trinam Deitatē in abſtracto dicere, multò magis videtur licere trinè Deus, quod idem eſt, ac tres Dij, ſcilicet tres habētes Deitatem; vt 3. diſt. 23. ad quintum, idem S. Doctor eand. rem videtur confirmare his verbis: *Nos*

Latini, & Græci ex inopia ſermonis nō poſſumus orthodoxè tres perſonas, tres Deos nuncupare; poſſunt tamen Hebræi ex proprietate idiomatis.

Hoc tamen primò omnino,& vndequaque certū eſt,quod nos quærimus hoc loco de hoc nomine Latino(*Deus*): adeò vetitū eſſe in plurium numero proferre; vt qui diceret tres perſonas tres Deos hæreticā propoſitionē proferret. Probatur primò, omnibus illis locis tum diuinarū Scripturarū, tum Conciliorū, quibus vnus Deus tātum eſſe decernitur: his enim locis ne dum res, ſed verba quoque, quibus nobis res credenda proponitur,reuelantur; in eoq; myſterio fatendo nobis neceſſariò adhibēda ſunt.Si ergo,vt exempli gratia,vnicum ex innumeris locum promamus Deut. 6. *Dominus Deus tuus vnus eſt*: nō licebit nobis quacunque ratione dicere plures Deos. Si Concilia,Lateranenſe cap. *Firmiter*,& cap.*Damnamus*,ſi Florētinum, ſi Toletanum,ſi Sophronius epiſt.in 6.Synodo act.11. ſi D.Athan.in Symb. *Deus Pater,Deus Filius,Deus Spiritus Sanctus;non tamen tres Dij*. Si denique omnes Patres cum numero perſonarū vnum Deū eſſe clamitant, & vno ore fatentur,& adorāt: omni dubio procul eod.modo,iiſdemq; verbis nobis ead. erit profitenda fides. Cōfirmatur,quia nulli,neque Scripturarum,neq; Conciliorū,neq; Patrum,neque Theologorū locis cōmuniter id innuitur, imò oppoſitū repetitur,& inculcatur; & adeſt etiam ſupra indicata ratio.Nomen hoc Deus ex ſua primæua ſignificatione,& impoſitione,ſignificat naturā Diuinā in concreto;ſed hęc vna eſt,& repugnat plurificari: ergo & nomen Deus vnum eſt,& ſingulare, & non licet numero plurium flectere.

Quare, non poſſum nō vehementer mirari, quomodo adhuc liceat, vel permittatur linguæ Latinæ Magiſtris in Chriſtiana Religione,vt pueros, dum eos regulis grammatices inſtruunt, doceant loco vnius Dei,Deos dicere: Sic Dij nos adiuuēt,ſi Dijs placet: vt Ciceronis puriorem linguam imitentur, ne dicā,vt ipſius Ciceronis,& gentium de Deo vno infidelitatē profiteantur: quaſi pro elegātiori ſermone liceat, cōtra Fidei veritatē mentiri: quaſi & (Deus)non ſit vera,propria,& latina vox;quaſi denique liceat hominum,& Angelorum,& Dei ipſius nomina propria immutare,vt latinior ſermo cōtexatur.Ita ferè noſtris temporibus imprudentiſſimi hæretici(tranſubſtantiationis)vocē proſcribere,vt minus latinam,ac Romanam tētarunt;vt ſic auguſtiſſimo Sacramento Euchariſtiæ incommodarent.

Quod ſi adeò inſurgunt,ac vehementi zelo exardeſcunt noſtrorū temporū Patres grauiſſimi, Salmeron in Euang. Baron.annot.in Martyrolog.in 9. diē Nouemb. Molanus, & alij in eos, qui loco Saluatoris, Seruatorem proferunt. Sic enim admodū diminutè,neq; mediam partē myſterij redemptionis illa voce confitentur,ac tanto beneficio nimis detrahunt:cōtra ipſum Ciceronem qui in 7.Verrina . . . Sotir,nō poſſe vna voce latina explicari aſſerit,& Sotir,qui ſalutem in illa prouincia fecit, vbi quaſi in Saluatorem vertit,dum ſalutem feciſſe ſcribit. Sotir verò eſt Ieſus,quē Saluatorē D.Matt. interpretatur.*Vocabis nomē eius Ieſum;ipſe enim ſalutē faciet*,&c.& lib.3.de finibus:in rebus ad philoſophiam ſpectantibus,velle dicere ornatè,puerile eſt,litteris mandauit: multò magis puerile erit,ne dicam impium, dum pro ornato ſuſtinendo ſtylo dicendi,veritatis fidei detrahere: quod ſi,inquam, in hanc vocem ſic inſurgunt, cur non & in iſtam quam nunc explicamus,& deteſtamur (Dij)qua ſic tenellos pueros de Dei vnitate, ac primo fidei articulo periculo exponuntur?

Secundò dico ex illo,ac cōſimili loco Gen.1.Neque probabiliter in Hebręo idiomate licere dicere, tres perſonas tres Deos colligitur; ſi excipias horū Theologorum linguæ Hebrěæ peritiā non profitentiū auctoritatem:& iis fermè modis perſuaderi poteſt. Primò.Nā Toſtatus opuſc.de Trinit.& Caiet.in Gen. obſeruant ibi, & quouis alio loco, vbi Helhoim nomen Deo vero inuenitur tributum, nō eſſe nomen propriū;ſed appellatiuum,& metaphoricū,ad Dei auctoritatem ſic teſtandam. Secundò, eo nihil firmum colligi poteſt, quo vſus familiaris Hebręorū plurali pro ſingulari numero vllo,abſque ſcrupulo vti. Quocirca idē eſt Helhoim, ac El, vel Eloa: probaui ſatis quęſt 1.huius voluminis,& cōfirmatur vehementer. Nā editio vulgata à Spiritu Sancto reuelata, & cōfirmata tandē in Conc.Trid. non Deos,ſed Deū vertit,& interpretata eſt: *In principio creauit Deus,&c.* & D. Hierony. inſtar magiſtri, & grauiſſimus in hac re omnium Patrū, epiſt.ad Marcellam, explicatè docet, vocem hanc Eloim indifferenter verè vſurpari,& pro ſingulari, & pro plurali ſignificatione, & eſſe ſicut vocem Athenas, quæ numero plurium vnicam ciuitatem ſignificat. Deinde pluribus locis,ac pręcipuè cap. 6.Gen. à Symmaco vertitur,potentes: à Pagnino, Principes: à Paraphraſte Chaldęo, Magnates: ab Oleaſtro,Proceres,& Præpotētes,&c. Quod ſi quis tantorū Theologorū auctoritati quid tribuere vellet,tribuat;cum additamento tamen(creauit) ſingulari numero, quo explicetur dici Eloïm; in vnitate tamen naturæ;quemadmodum & Eccleſia illo vnico loco. Semel neceſſitate metri ſic cecinit,*Te trina Deitas*,pro *Te trine Deus*, ſtatim addidit, *vnaq; poſcimus*, vt aliàs iterum obſeruatum eſt.

Sed videtur vrgere,quę attulit Magiſter in idiomate noſtro, *Eritis ſicut Dij*, ad Diuinas perſonas teſtandas: videtur enim hic concedendū,ne dum in hebræo; ſed etiam latino idiomate poſſe profiteri fidelē virum,ac proferre tres perſonas,Deos, *Eritis ſicut Dij*. Reſpond. non poſſe vrgere,vt inter omnes explicatiſſimè D.Athanaſ.in Symb.Ad locū ergo illum dicendū,nihil probare: ſunt enim verba ſerpentis prorſus falſa ad decipiendū,& fortaſſe ad tentandum Euā de pluralitate Deorū. Quare Rupert. Abbas 3.de Trin.cap.7.& 8. *Eritis ſicut Dij*; *Falſis vtiq; Dijs*,inquit,*nimirū ſui,ſuiſq; ſequacibus Angelis apoſtaticis,ſimiles illos fieri tētauit.* Secundò,*Eritis ſicuti Dij*,hoc eſt Angeli excellenter ſcientes. Helhoim enim & Angelos,& Iudices, &c.ſignificat.Tertiò,*Eritis ſicut Dij*,numerus plurium, Dij,non ſe tenet ex parte obiecti, & velit dicere, eritis ſicut plures perſonæ, quæ ſunt Dij; ſed ex parte ſubiecti, nimirum vos qui plures eſtis, eritis excellenter ſcientes, qua ſcientia, quaſi Dij ad ſimilitudinem vnius Dei eritis. Quartò, Catharinus, & Aſcanius Martinenghus in ſua Gloſſa magna,in hæc vęrba, *Eritis*,inquiunt,

ſicut

ſicut Dij, concedunt de Diuinis perſonis eſſe ſermonem; ſed obſeruant vocari quidem Deos; non tamen plures Deos, nec tres Deos; quia ſunt tres perſonæ; ita vt ſint Dij habentes æqualiter Diuinitatem, non tamen tres Dij; quia vna eſt Diuinitas, quam tres perſonæ habent. Ratio horum eſt: nam multa congruunt multis ſeiunctim ſumptis, quæ eiſdem ſimul acceptis non amplius congruunt; ita vt v.g. de re quam agunt, congruit ſingulis perſonis eſſe Deum, & verè ſunt Deus; ſimul verò ſumptis non competere poteſt eſſe tres Deos. D. autem Athanaſ. prohibet quidem Diuinas perſonas, dicendas tres Deos; nequaquam tamẽ Deos; *Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus; & tamen non tres Dij*. Quæ quidem expoſitio non ſolido nititur fundamento: ſequitur enim, *ſed vnus eſt Deus*.

Obſtare videntur ijs, quæ dicta ſunt contra Magiſtrum, Magiſtroq; fauere verba, quæ Dñs dixit Adæ: *Ecce Adam quaſi vnus ex nobis factus eſt*: ad Diuinas enim perſonas hæc verba referri, cum dixit Dominus, *vnus ex nobis* communiter interpretantur expoſitores: ſimul pariter ad verba, quæ eis dixit ſerpens, *Eritis ſicut Dij*. Deduci ergo idoneè hoc videtur, *Eritis ſicut Dij*, hoc eſt ſicut perſonæ Diuinæ: ergo perſonæ Diuinæ ſunt Dij. Reſp. hunc modũ dicendi eſſe ironicum, nihilq; ideò pro Magiſtro concludi: ita inter Patres, Theodoret. q. 40. in Gen. his verbis: *Hoc per ironiam à Domino dictum eſt vt oſtenderet fuiſſe Diaboli promiſſionem, eritis ſicut Dij*. Idem D. Epiphan. ex Lyppomani Cathena in Gen. *Refellendo opinionem Adæ, & quaſi obiurgans dicit: an quod putaſti euenit? vt eſſes quaſi vnus ex nobis? hoc enim eſt quod dixit, quaſi vnus ex nobis*: nam cum deſideraſſet altior fieri, in peiorem ſtatum eſt relapſus: ergo hæc verba referuntur ad ea verba, *Eritis ſicut Dij*; eo tamen ſenſu, quo dicta ſunt à ſerpente, vt Adam & Euam deciperet: colligitur enim, Vides Adam, quam falſa dixerit tibi, promiſeritq; ſerpens, &c.

CAPVT III.

De eſſentiæ, ſubſtantiæ, perſonæ, ſubſiſtentiæ, & naturæ nominibus. D. Bonau. diſt. 23. D. Tho. q. 30.

PARAPHRASIS.

PRIMA *Propoſitio. Eſſentiæ nomẽ in Deo admittitur, de Deoq; admodũ idoneè prædicatur. Primò ex D. Aug. 7. de Trin. c. 5. Eſſentia verè, ac propriè dicitur in Deo, vt fortaſſe de Deo ſolo. Secundò, de quocunque dicitur*, qui eſt, *dicitur & eſſentia: ſed de Deo dicitur*, Qui eſt, *Exo. 3. hoc enim ſibi propriè nomen impoſuit Deus, quod optimè explicat eſſe à ſe, & per eſſentiã: ergo & eſſentia. Tertio, nomẽ eſſentiæ eſt abſolutũ, & abſolutè ex Auicenna: rei quidditas explicatur: ergo optimè Deo conuenit; abſolutiſſimè enim Deus eſt, & independentiſſimè. Quarto. Deus eſt id*, Quo eſt, & Quod eſt: *ſed id*, Quo eſt, *eſt eſſentia, &* Quod eſt, *ſubſtantia: ergo ſicuti rectè dicitur Deus ſubſtantia, ita æquè eſſentia.*

Secunda Propoſitio. q. 2. ar. 1. Nomen ſubſtantiæ, vt per ſe ſtare, & abſolutè, & ad ſe ſignificat, optimè congruit Deo. Probatur primò ex D. Aug. & D. Boet. vt in litera. Secundò, Deus per ſe, & ad ſe, & abſolutè ſtat: ergo eſt ſubſtantia; vt verò ſubſtantia alijs ſubſtare dicitur, tũ impropriè, tum minus propriè, tũ denique propriè de Deo prædicatur: ſi enim ſubſtare, accidenti inhærenti accipiatur, hoc falſiſſimũ eſt; quo falſiſſimum quoque in Deo concedere Accidens: ſi verò alteri ſubſtare, vt diſtinguenti, aſſeratur: hac ratione Deus dicitur ſubſtantia, quia ſubſtat proprietatis diſtinguentis in perſonas; neque tamen propriè: nam alteri ſubſtare, ſemper rationem accidentis inhærentis videtur retinere. Si tandẽ alteri ſubſtare, vt perficienti ſumatur: ſic propriè perſona Diuina eſſentia perficienti, & Deificanti dicitur; hac tamen addita obſeruatione, vt inter ſubſtans, & id, cui ſubſtat, non admittatur, niſi rationis differentia.

Tertia Propoſitio. Nomẽ Naturæ ex diſt. 20. q. 2. non ſolũm ſignificat, quod & eſſentia, quid nimirum abſolutum; ſed fœcunditatem principij, & communicationis.

Quarta Propoſitio. Hoc nomen eſſentia in Diuinis nulla ratione numerari poteſt: declaratur primò q. 3. Eſſentia, *Græcè* Vſia, *eſt terminus, quo explicatur natura Diuina in abſtracto, & cõmunicabilis; ſicuti ſubſtantia reſpondens Vſioſi Græcè, quod Deus eſt. Secundò probatur q. 5. Primò. In Diuinis vnitas abſolutiſſima nõ multiplicatur, & explicatur per nomẽ eſſentiæ: ergo nomen hoc multiplicari, & numerari nõ poteſt: imò repugnat, ſicuti repugnat multiplicare Deitatẽ ſignificatã per nomen eſſentiæ. Secũdò, Deus nomen concretum ſignificat in concreto eſſentiã, in comparatione ad perſonã. (Vides & hic Deum ſignificantẽ eſſentiã referri ad perſonã pro ſubſiſtẽtia relatiua) ſed* Deus, *Deut. 6.* vnus eſt, *& numerari nõ poteſt. & in Symbolo Athan.* nõ tres Dij, ſed vnus eſt Deus: *ergo multo minus eſſentia, & Deitas. Conſequentia eſt certa. Multo enim magis repugnat abſtractũ multiplicari quã concretũ: nam eadem natura communicatur pluribus. Tertiò, ſicuti ab eadẽ perſona plures naturæ habẽtur propter infinitã perſonæ vim, quæ plures naturas ſic poteſt ſuppoſitare: ſic eadẽ natura Diuina ꝓpter infinitatẽ, & ſummã ſimplicitatẽ immultiplicata habetur à pluribus ꝑſonis: ergo neq; nomẽ, quo hæc natura ſignificatur, ſ. eſſentia numerari poteſt.*

Quinta Propoſitio. Licet Diuina perſona dicãtur tres entes adiectiuè, id eſt, tres habentes, &c. nõ rectè tamen dicuntur tres entitates: nam per entis numerantur ſuppoſita habentia eſſe; per entitatem verò forma, & natura Diuina, quæ cum ſit vna, numerari non poteſt.

Sexta Propoſitio ex q. 4. Nomẽ perſona ſatis, ſuperq; ſuo loco cõſtitit, ritè, & orthodoxè ad Diuina transferri, & numerari: Alia eſt enim perſona Patris, alia Filij, alia Spiritus Sancti.

Septima Propoſitio ex ead. quæſt. Nomen ſubſtantia, vt æquipollet ſubſiſtentiæ,& vt proprietati quaſi ſubſtat, & diſtincta eſt, numerari, & plurificari in Diuinis quamuis liceat aſſerere; communis tamen mos, & vſus loquendi, præſertim inter Latinos eſt, vt non numeretur. Probatur prima pars primò, ex D.Hilario de Synodis; Sunt quidem per ſubſtãtiam tria; ſed vnum per conſonantiam. *Ex D. Anſelmo in fine Monologij.* Aptius tres dicuntur ſubſtantiæ. *Ex Boetio lib. de duabus naturis, & vna perſona Chriſti cap.3.* Dicimus vnam eſſentiam, & tres ſubſtantias. *Secundò ratione. Subſtantia eſt media inter eſſentiam,& perſonam: ergo participat de natura extremorum: ergo ſicuti ratione eſſentiæ dicitur vna; ſic ratione perſonæ poterit dici tres. Secunda. Actus Diuini numerantur, & dicuntur plures: dicuntur enim Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus creant. ergo numeratur & ſubſtantia. Probatur. Nam ſunt ſubſtantiales; omnis enim numerus ad ſubſtantiam reducitur; neque enim accidentia, & proprietates numerantur niſi per ſubſtantiam. Tertiò. Idem eſt relatiuum ſubſtantiæ; ſed Pater non poteſt dici idem cum Filio per D. Hilarium: ergo differt à Filio in ſubſtantia: ergo ſubſtantia numeratur. Probatur ſecunda pars ex reſponſ. ad vltimum: primò ex D.Auguſt.7.de Trinit.cap.4. & ex D.Hieronymo; Deo idem eſt eſſe, & ſubſiſtere: ſed eſſe eſt vnum: ergo & ſubſiſtere. Secundò, ex communi acceptatione ſubſtãtiæ: ſumitur enim communiter, vt æquipollet Vſiuſi, nimirum, exiſtentia, & quod eſt Dei.*

Octaua Propoſitio. Nomen ſubſiſtentia numeratur: æquipollet enim perſonæ; perſonæ verò,& de fide numerantur.

COMMENTARIVM.

DVO explicatiſsimè per huiuſcemodi nomina inquiruntur, & traduntur: alterum quod in ſe,& Deo addita ſignificent; alterum, an, & quo de Deo aſſerta ſenſu, plurium numero proferri poſſunt. Pauca quædam de vtroque vſo obſeruanda.

De primo obſeruat S. Auguſt. in genere lib. 7. cap.6. de Trinit. apud antiquiores Latinos non fuiſſe in vſu nomen eſſentiæ, & ſubſtantiæ; ſed illos ſubſtantiam, & eſſentiam dixiſſe naturam: obtinuit tamen vſus etiam apud ipſum D. Auguſt. vt ſubſtantiæ, & eſſentiæ nomen vbique admitteretur; eſſentia hæc vox, neceſſariò quid ſignificet præcugnoſcendum, *ne de rebus locuturi, rem verborũ neſciamus*, docebat S.Hilarius de Synodis. Hunc hæ voces inter ſe ordinem habent, ſi penes nominum impoſitionem rem ſpectemus; vt generalius quoddam ſit eſſentia, quam natura, aut ſubſtantia: conuenit enim eſſentia cuicomque enti in decem prædicamenta diſtincto, & deducitur à verbo eſt: ita D.Auguſt.7. de Trinit. cap.5. ab eo quod eſt, eſſe appellatur eſſentia: Auctor tract. de Diffinitionibus apud D. Athanaſ. colum.3. *Dicta eſt eſſentia tamquam exiſtens, & in veritate cognita.* D. Boetius lib. de duabus naturis, *Deus vſia eſt, & eſſentia: eſt enim, & maximè ipſe eſt, à quo omnium eſſe proficiſcitur.*

Subſtantia ſtrictioris ſignificationis eſt: nam id tantum quod in primo prædicamento, non in decem locatur, ſua ſignificatione præſefert: non enim quod alteri inhæret, & ope aliena ſubſiſtit, nimirum accidens; ſed quod per ſe, & alterum ſuſtinet, exprimit.

Natura adhuc ſtrictioris, & magis contractæ ſignificationis: penes enim philoſophos ad res corporeas naturales, quas phyſicas appellant, refertur. Sic Ariſt.2.Phyſicorum cap.1. naturam definit, *principium motus tum localis, tum augmentationis, alterationis, &c.* Eodem de Diffinitionibus tractatu apud D. Athanaſ. etiam vocis etymologiam tradit: natura enim inde dicta eſt, quod ita nata ſit, & exiſtat. Et infra: natura dicta eſt à naſcendo, & germinando: de quo tactum eſt, vt D. Nazianz. orat.45. ad Euagrium Monachum dixerit, *eſſentiam rectius de Deo dici, quam naturam.* & alij: *Verbum Dei eſſe ſuper naturam.* Theophylactus. Ioan.1. contra Porphyrium: *Subſtantiam Dei eſſe ſupernaturalem.* D.Cyrillus lib.7. Theſauri cap.1. *Nimirum non eſſe naturalem, phyſicam, corpoream, &c.*

Verum eadem vox *natura*, penes Theologicam acceptationem, quamlibet naturam etiam ſpiritualem, & Diuinam eſſentiam ſua ſignificatione indicat, & patefacit ex hoc; nam quemadmodum natura phyſicè ſumpta, eſt principium motus; ſic planè quæcumque natura eſt alicuius operationis principium. Hinc citato tractatu de Diffinitionibus, *Natura, Eſſentia, Genus, & Forma vnũ ſunt.* & D. Damaſcenus de decretis primæ inſtitutionis cap.1. & 6. *Eſſentia, Natura, Genus, & Forma, vt ſanctis Patribus placet, idem valet.*

At verò hæ eædem voces dum Deo tribuuntur (tribuuntur autem natura) Ad Galat.4. *Ignorantes Deum, Dijs, qui natura non ſunt Dij, ſeruiebatis*: quaſi dicat, Deus natura ſua eſt Deus. Secundò Petri 1. *Vt Diuinæ efficiamini conſortes naturæ.* Eſſentia ſaltem in ſententia, & origine, Exodi 3. *Qui eſt.* Subſtantia, Hebr. 1. *figura ſubſtantiæ*, idem prorſus valent, eandemq; præſeferunt ſententiam: Aſſerit inter alios, ſimulq; reddit rationem S.Hilarius lib. de Synodis, his verbis: *Eſſentia eſt res, quæ eſt, vel ex quibus eſt, quæ in eo quod maneat, ſubſiſtit.* Dici autem eſſentia, & natura, & genus, & ſubſtantia vniuſcuiuſque rei poterit, Propriè autem eſſentia idcirco dicta eſt; quia ſemper eſt; quæ idcirco etiam ſubſtantia eſt, quia res quæ eſt, neceſſe eſt ſubſiſtat in ſeſe; quidquid autem ſubſiſtit, ſine dubio in genere, vel in natura, vel ſubſtantia maneat. Idem Auctor apud D. Athanaſium in diſputatione Laodiceæ habita contra Arrium: *Nos de illo diſputamus ſubſtantiæ genere, quæ vnaquæque natura, ob id quod eſt, vel ſubſiſtit, ſubſtantia nuncupatur.* Clarius Theodoretus in additionibus ad Breuiarium

Libe-

Digitized by Google

Liberati cap.vlt. *Quid eſt natura,& ſubſtantia? in nullo ſignificatorum differunt niſi nomine*. Eodem ſenſu vſi ſunt & Theologi vbicunque ſeſe offerebat occaſio. D. Bonauentura hoc eodem inter alia loco,quæſt. penultima. D.Thomas vbique, ſed præſertim 1.par.quæſt.29.art.2.ad 3.vbi vniuſcuiuſque eſſentiam docet nuncupari naturam: ſic & alij.

De ſecundo verò harum vocum vſu, dubitatur primò. An tres perſonas,tres eſſentias, vel tres naturas aliquo ſenſu proferre liceat, vel abſolutè,vel limitatè,& addita conuenienti clauſula, v.g. naturæ,& eſſentiæ relatiuæ.

Vt hæc tutè ſoluatur dubitatio, præter quæ S. Doctor appoſuit, videtur primò affirmatiuè reſpondendum ex Sanctis Patribus: nam D. Gregorius Nyſſenus lib. *de differentia Vſiæ, & Hypoſtaſeon*, ideſt eſſentiæ,& perſonæ; perſonas appellat naturas ſubſiſtentes: ergo admittit hunc modum dicendi plures naturas Diuinas relatiuas. D. Aug.lib.15.cap.14. de Trinit. *admittit eſſentiam de eſſentia*: ſed (De) teſtatur originem, & origo diſtinctionem realem: ergo pariter concedit diſtinctionem inter eſſentiam, & eſſentiam relatiuā: ergo plures eſſentiæ aſſeri poſſunt. D. Fulgentius de Fide ad Petrum cap 2. *Natura,quæ ſemper genita manet ex Patre, noſtram ſuſcepit naturam*. D. Hilarius lib. de Synodis ad Canonem tertium Orientalium: *Filius per naturam in ſe genitam conſiſtit*. Ad ſequentem Canonem quartum: *Quæ ex Patre generata eſt eſſentia*. Poſt pauca: *Vita quæ generatur ex vita*, ideſt, *eſſentia, quæ de eſſentia naſcitur*. & pluribus alijs locis idem Pater iiſdem ſermonibus vtitur. D. Gregor. Nazianz.orat.4.de Theologia,*Patrem appellat Principem naturam*: ergo plures naturas concedit,hoc eſt,& non principem, ſed genitam, & ſpiratam. D. Athanaſius ſerm.3. de geſtis Conc. Nicæni reprehendit Arrianos, qui *naturam Patris ſterilem, & infructuoſam dicebant*. Plures alios poſſem referre Patres, iiſdem phraſibus ſæpenumero vtentes.

Vnam, aut alteram rationem pro hac eadem ſententia ſufficit addere. Primò, Patres ſupra recenſiti, eſſentia, & ſubſtantia idem ſignificant: ergo ſicut tutè poterit quis dicere dubitatione ſequenti, tres ſubſtantias poterit pariter dicere tres eſſentias. Secundò, Patres eſſentiam, & naturam collectiuè pro tota Trinitate ſumunt, vt D. Nazianz. orat.2. de pace, in medio: ergo aliquando quoque licebit pro diſtinctis, & relationibus, & perſonis naturam, & eſſentiam vſurpare. Tertiò,Sanctus Bonauentura; plures perſonæ ſunt: ergo plura eſſe: ergo plures eſſentiæ. Conſequentia conſtat:nam ſi darentur plures Dij,plures quoque Deitates neceſſariò concederentur. Quartò, plures ſunt entitates relatiuæ: ergo plures quoque eſſentiæ. Conſequentia videtur certa: nam ſi non plures eſſentiæ relatiuæ: ergo vna tantum, quod per abſurdum videtur: nam plures ſunt de Fide relationes realiter diſtinctæ, vnaq; definitione, & ſpecie differentes: ergo & quidditate: ergo & eſſentia; rei enim quidditas,quæ definitur, eſt eius eſſentia. Quintò, natura aliquando pro ſubſiſtentia ſumitur: ergo ſicut ſubſiſtentiæ dicuntur plures eadem ratione, & plures naturæ. Antecedens eſt D. Cyrilli in defenſione ſecundi Anathematiſmi contra Theodoretum, nihil aliud dicendo, ſecundum ſubſiſtentiam ſignificare volentes, quam hoc ſolum, quod Verbi natura,hoc eſt ſubſiſtentia,quæ eſt ipſum Verbum humanæ naturæ verè vnitum ſit. D. Damaſcenus lib.3.de Fide cap.6. naturam Verbi, dicentes ipſum Verbum ſignificamus: imò Martinus Primus in Decretis Synodicis ad finem Lateranenſis Synodi conſultat. 5. cap.5. damnat, qui non confitetur propriè,& ſecundum veritatem vnam naturam Dei Verbi incarnatam. Denique S.Thom. de potentia quæſt. 8. In Deo plura eſſe ſunt,vt eſſe dicitur ab eſſentia.

Sed hic modus dicendi fugiendus vti falſus, & contra morem loquendi Scripturarum, & Conciliorum dicentium, *Vnicam eſſe Dei eſſentiam*; Sophronius in 6. Synodo, actione 11. *Neque tres naturas*, ait, *in Sancta Trinitate glorificamus, nec tres eſſentias*. Quinta Synodus decernit,*vnam naturam in Deo*. In ſexta Synodo, actione 4. Agatho Papa cum Conc.Romano,epiſtola ad ſextam Synodum. Martinus Primus Papa in Lateranenſi Concilio cap.1. item cap. *Firmiter*, & cap. *Damnamus* ſub Innocentio III. Concilium ſextum Toletanum, & vndecimum in confeſſ. Fidei ſtatuūt *vnam naturam in Deo*. Quod neceſſariò omnes Patres confirmant, inter quos SS. Hieronymus, & Auguſtinus, dum tantum dubitarunt concedere tres hypoſtaſes, quia timebant idem ſignificare vſiam, eſſentiam, & hypoſtaſim: multò minus admiſiſſent tres eſſentias. Idem S.Auguſt.7.de Trin. cap.4. *Humana inopia timuit dicere tres eſſentias,ne intelligeretur in illa ſumma æqualitate vlla diuerſitas*. apud D.Athanaſ. tract.de Diffinitionibus: *Si quis de Diuinitate quærat, quot cō fitearis naturas?* reſp. *vnam, & tres hypoſtaſes*. Quod ſi concederes plures poſſe dici eſſentias Diuinas,neceſſariò ſequeretur contra definitionem cap.*firmiter*,de ſumma Trinit. alteram eſſe genitam, alteram gignentem.

Potiſſima ratio eſt eſſentiæ vſus, & ſignificatio, quam præſcribere potuerunt literarum Principes, & Eccleſiæ primates, ac certò præſcripſerunt, vt refert Sozomenus lib. 6. Tripartitæ hiſtoriæ cap. 20. his verbis: *Plurimi Epiſcopi congregati in Alexandria cum Athanaſio, & Euſebio Nicæni Concilij decreta roborarunt. Sed in quo roborarunt? Quæſtio de ſubſtantia,& ſubſiſtentia turbabat Eccleſias, ſapienter decretum eſt, vt his nominibus ſolum vtamur contra Sabellianos, ne vocabulorum inopia idem putaretur ſubſtantia, quod ſubſiſtentia*. Decretum ergo eſt,eſſentiam, & ſubſiſtentiam, & perſonam,& ſubſtantiam ſignificatione differre. Eſſentia enim eſt, teſte D.Thoma 1.par.quæſt.29.art.1. ad tertium, propriè eſt, quod ſignificatur per definitionem ex Ariſt.5. Metaph.cap.8.tex.15.Per definitionem verò *principia ſpeciei; non autem indiuidui explicantur. Eſſentia eſt, quod commune indiuiduis communicabile: indiuiduum verò incommunicabile*. S. Bonauent.

Digitized by Google

nauent. hac quæſt. Perſona eſt habens naturam; natura, & eſſentia eſt quæ habetur à pluribus perſonis; ita vt perſonæ plurificentur, non plurificata natura ex ſumma ſua ſimplicitate. Eſſentia eſt radix proprietatum, & perſonarum: ergo ſignificatione differunt.

Quibus factum eſt, vt philoſophi indiuiduo, v.g. Petro duas naturas, aut eſſentias numquam conceſſerunt: alteram naturæ: alteram ſuppoſiti; & Theologi, ac Patres ſemper dixerunt, in incarnatione Diuinum Verbum naturam quidem humanam; nequaquam tamen perſonam aſſumpſiſſe: quo conſequitur, ergo eſſentia Diuina non poteſt idoneè dici perſona; nec ſubinde plurificari ad plurificationem perſonæ. Vnde neceſſariò orienda dubitatio, tollitur hoc loco. Patres quidem, & Concilia aſſeruerunt, ac decreuerunt vnam eſſentiam & eſſe, & dicendam diuinam, nimirum abſolutam; nequaquam tamen relatiuam plurem negauerunt. Poterit ergo quiſquis cum hac limitatione aſſerere plures eſſentias relatiuas? Reſpõdetur enim, omnem dubitationem ceſſare, & euaneſcere, ex iam ſupra de eſſentiæ ſignificatione obſeruatis: eſſentiæ namque vetuſtiſsimo, & receptiſſimo, & Philoſophorum, & Patrum vſu, ſignificatio reſtricta eſt ad naturam, & quod quid commune, & in Deo diuinitatem; nequaquam verò proprietates indiuiduantes, ac perſonales explicãdam. In rebus autem maximi momenti, inſigniſque difficultatis, & fidei, non proprio libito; ſed maiorum modo, & lingua Eccleſiæ loquendum: & ab iis præſertim, quæ errandi anſam vocibus præbere ſolent, ſedulò ſemper cauendum. Hinc & iterum, quod ſæpè notaui, obſeruo in D. Bonau. Non eſt licitum dicere Diuinam eſſentiam ſubſiſtere, quod valde deſeruit ad negandam eſſentialem ſubſiſtentiam.

Nullum negotium modò erit oppoſita refellere, ac diſſoluere: & primò, omnia vnico verbo: non licet iſthac vti phraſi: *plures ſunt eſſentiæ relatiuæ*: nam repugnat eſſentiæ vſus, & ſignificatio Sanctorum Patrum vetuſtate recepta, & confirmata. Quod ſi Patres ſemel, & aliquando dixerunt, *plures naturas ſubſiſtentes, naturam Verbi, Patris, naturam non ſterilem, eſſentiam de eſſentia*, quaſi eſſentiam genitam, & ſpiratam: in oppoſitũ primò infinities ferè locuti ſunt; & non mirum ſi ſemel, aut iterum non ſatis proprium verbum ex ipſorum ore effluxerit. Sic D. Bonauentura hoc loco ad primum, S. Thomas 1. parte, quæſt. 39. art. 5. ad tertium.

Præterea, aliqui ex recenſitis Patribus, honeſta, ac ferè neceſſaria ducebantur ratione, vt ſic loquerentur: qui enim verbum, Verbi naturam explicabant; ſic tum, vt quorumdam blaſphemiam exploderent, *Verbi ſubſtantiam eſſe Angelum*; Verbum Verbi naturam, hoc eſt, intrinſecè *eſſe Verbum, non Angelum teſtati ſunt*; ſic D. Athanaſius ſerm. de Deipara prope medium: tum, vt duo eſſe verba refutarent; ſic D. Cyrillus lib. 1. de recta Fide ad Reginas, & D. Athanaſius lib. de Incarnatione: *Non duas naturas vnum Filium, &c. vnam naturam Dei Verbi*: tum contra Eutychetem, & Dioſcorum, vnicam in Chriſto naturam tenentes, diſtinctam Verbi naturam, Diuinam pronuntiabant; ſic D. Cyrillus, contra quos, &c. tum denique dum naturam, eſſentiam, &c. perſonæ tribuebant, non *naturam perſonalem, & indiuiduam; ſed communem, & abſolutam in ea perſona*; vt ſic dicam, proprietate modificatam certum eſt voluiſſe indicare. Sic D. Damaſcenus 3. de Fide cap. 11. *Natura Verbi in perſona, communis eſt natura in Verbo*: & inde, & non ſterilem, & genitam, & ſubſiſtentem naturam nomenclarunt; vt ſic rigoroſè ſingulas perſonas Diuinas, eademq; & vnica Diuinitate exiſtere aſſererent, & proteſtarentur, eamq; in ſingulis ſubſiſtere: & addebant perſonæ prædicata ipſi naturæ, ratione tamen perſonæ.

Aliqui verò ex his Patribus ſtatim verba addebant, quibus, quod ex dictis exoriri incommodum poterat, excluderent. Eſt D. Auguſt. qui indicato loco 15. lib. de Trinit. cap. 14. ſtatim vt eſſentia, de eſſentia enuntiauerit, ſubdidit, *neque tamen inde tres eſſe eſſentias liberè dicendum*.

Ad rationes. Ad primam neganda conſequentia, tum ex conſueta eſſentiæ ſignificatione; tum inde quia non ſumitur ſubſtantia pro eodem cum eſſentia, niſi quando vt abſoluta vſurpatur.

Ad ſecundam eadem reſponſione; etenim fortaſſe non foret mirum, niſi obſtaret vetuſtiſſimus vocis eſſentiæ vſus.

Ad tertiam ipſe S. Doctor reſpondet. Perſonæ plures ſunt: ergo plura eſſe: negat conſequentiam, ſi eſſe abſolutè, & ſubſtantiuè ſumatur: ſi verò adiectiuè, concedit; ſed hoc nihil aliud eſt, quam plura ſuppoſita: ergo plures eſſentiæ: in corpore quæſtionis negat conſequentiam ex eodem vocis eſſentiæ vſu, eademq; ſignificatione.

Ad quartam S. Doctor in reſp. ad quartum, negat antecedens, & rationem reddit: nam ex ſe entitas formam abſolutam præfefert. Cæterum etiam ad conſequentiam. Primò. Quidquid ſit de quidditatibus, & diffinitionibus, nõ licet tres eſſentias. aut naturas etiam relatiuas dicere, & proinde in Deo non ſunt plures eſſentiæ relatiuæ: nam eſſentia id, quod commune tribus eſt, & quod proprietatum radix eſt, dumtaxat exprimit. Denique, neque exactè propriè relatiua quidditas aſſeritur, cum de re abſoluta quidditas affirmetur; neque in Deo propriè diffinitio admittetur: indefinibilis enim eſt. Quod ſi fortaſſe admitteretur exacta, vnica foret, quæ Deum trinum, & vnum comprehenſiuè explicaret.

Ad quintam, iam ſupra ſatis cum Sanctorum Patrum dicta expenderentur. Ad locum S. Thomæ reſpondetur conformiter ad ea, quæ pluribus aliis locis dixit, *Eſſentiæ vocem, dicere abſolutum eſſe*. Quod quidem & in perſonis eſt Diuinitatis: quare, plura eſſe conceditur, ſcilicet plures exiſtentiæ perſonales, quæ pullulant ab vna eſſentia.

SECVNDA DVBITATIO.

An congruè tres perſonæ, dicantur tres ſubſtantiæ.

OPtimè Seraphicus Doctor, niſi obſtaret in reſponſione ad vltimum, communis dicendi vſus (ipſe communiter non recipitur) liceret tutè vtraque phraſi vti: ne dum enim poſſet quiſque vnam ſubſtantiam, ſed etiam tres affirmare; idq; ex biſaria vocis ſubſtantiæ acceptione, & vt per ſe ſtat, & vt ſub proprietate diſtinguenti ſtat. Quæ tamen, vt quanta ſoliditate, ac eruditione prodiderit S.Doctor, conſtet: hæc addenda, & animaduertenda duxi.

Primum. Subſtantia licet, vt à ſubſtando ſumitur, non admodum propriè Deo conueniat: non enim ſubſtat accidentibus, ſed quoquomodo proprietatibus; quo ſenſu, & qua ratione D.Anſelmus in Monologio cap. 25. & 26. & Albertus Magnus 1.par.quæſt.39. Deo non conuenire ſubſtantiam aſſeruerunt. Secundò, quia ſubſtantia, vt ſumitur in creaturis, ſignificat quidem eſſentiam, vt cui quidem competit certè per ſe eſſe; vt tamen non ſit de eius eſſentia, ſicuti de eſſentia Dei eſt formaliter, eſſe, vt docent omnes Scholaſtici, S.Tho. 1.par.quæſt.3.art.5.ad primum. S.Bonau. vbique innuit. Tertiò, nam ſubſtantia in inferioribus ſimul indicat conceptus connotatiuos corporum: quibus ſimul moti præſtantiſsimi Patres, & Theologi, ſubſtantiam Deum rectè non appellari; ſed eſſe ſuper omnem notam nobis ſubſtantiam dixerũt. D.Auguſt.7.de Trin.cap.4.& 5. D.Boetius de Trinit. circa medium. D.Damaſcenus lib.1.cap.8. de Fide.D.Anſelmus in Monolog.iam citatus.Riccardus de S.Victore 2.de Trinit. cap.22. & Magiſter Sententiarum.

Si tamen à per ſe ſtãdo deducatur, adeò propriè de Deo dicitur, vt valdè diminutè creaturæ conuenire concedatur: non enim ipſam per ſe, & à ſe ſtare dicere licet, cùm ita à Deo pendeant, Deoq; indigeant; vt ipſo auertente faciem pereant, & ad nihilum redigantur. Deus verò primùm, & per ſe, & à ſe ens ipſum, neceſſarium, ſolum, immutabile ſtat, & exiſtit in æternum. Quare D. Auguſt. ſer.38. *Deus*, inquit, *propriè ſubſtãtia dicitur*. Cõfirmat 5.de Trinit.cap.10. vbi, & alibi hanc affert rationem. Quæ dicuntur ad ſe, de Deo propriè dicuntur; ſed quæ ad ſe, ſubſtantialiter dicuntur: ergo de Deo, quod dicitur ſecundum ſubſtantiam propriè aſſeritur, & dicitur. Hinc Scholaſtici diſt. 8. ſic & S.Bonau.quæſt.2. notauit. S.Thom. 1.par. quæſt.28.art.2. ad primum. Scotus quæſt.2. Gregor.quæſt.3.art.2. Marſilius quæſt.12.art.2.& alij deduxerunt aliqua prædicamenta de Deo propriè dici, nimirum ſubſtantiam, & relationem; alia impropriè. Conuenit ergo eminentiſſimè, vt dicit eſſentiam per ſe; non conuenit propriè ex varia, & imperfecta ſignificandi ratione, vt ſubſtat ratio ſubſtantiæ dicit ſubſtarē.

Secundum animaduertendum, vt idem S. Doctor obſeruat eodem loco. Inter vetuſtiores Patres magnum quidem diſſidium extitit de his vocibus *ſubſtantia*, & *hypoſtaſi*: plurimi enim hypoſtaſim, idem quod ſubſtantia ſignificare aſſeruerunt: vtramque tamen vocem, abſolutam eſſentiã tribus perſonis communem, præſeferre. Permulti in oppoſitum, hypoſtaſim, & ſubſtantiam, perſonam indicare teſtati ſunt. Adhuc & alij ſubſtantiam, eſſentiam, hypoſtaſim, perſonam, ſua ſignificatione complecti prodiderunt: quò factum eſt, vt quo ad rem, & in ſenſu catholico ſinguli diuerſa admodum, vera tamen protulerint. Quidam ſacrilegam blaſphemiã eſſe dicere, tres perſonas, eſſe tres ſubſtantias; pro eſſentia tunc ſumentes ſubſtantiam. Quidam orthodoxè eaſdem tres perſonas eſſe quidem tres hypoſtaſes, neque tamen tres ſubſtantias; illam diuerſam illarum vocum ſignificationem ſecuti, ſubſtantiam idem cum eſſentia, hypoſtaſim idem quod perſona. Quidam denique vtrumque amplexi, perſonas tum tres hypoſtaſes, tum tres ſubſtantias appellare, eſſe ab omni errore tutum: nam ſubſtantia, & hypoſtaſis conuerſim prædicantur, & idem portendũt. Quod poſtremum, eo tutius ſi probè, & ſufficienter explicetur, inter Catholicos efferunt, quo quaſi id vſus obtinuit, & plurimi etiam vetuſtiſſimi Patres, vt ſtatim poſt referemus, hunc dicendi modum indicarunt, & ſua ipſorum auctoritate poſteris conceſſerunt: ſed vberius infra.

Tertium animaduertendum proderit mea ſententia ad id quod quærimus: ſi hoc loco illorum verborum D.Pauli ad Hebræos 1. *Cum ſit figura ſubſtantiæ eius*, germanam & communiorem interſeramus explicationem: ſi enim in eo loco ſubſtantiam pro Patris perſona ſumi conſtabit, aderit locus vehementer vrgens, orthodoxè Theologos tres perſonas, tres ſubſtantias appellare. Quod interpres vulgatus vertit, *figura ſubſtantiæ*, Græcus textus habet . . . . . character hypoſtaſeos: figuram verò perfectam imaginem, & omnimodam ſimilitudinem interpretantur grauiſſimi Patres, & conferunt figuram, & imaginem ad exẽplar, tamquam ſubſiſtentis ad ſubſiſtens. Subſtantia, cuius imago hoc loco à D.Paulo aſſeritur Filius, Patris ſubſtantia, non eſſentia grauiter ſic ab auctoribus grauiſſimis demonſtratur. Primò, D. Gregorius Nyſſenus lib. de differentia Vſiæ, & Hypoſtaſeos. D.Chryſoſt.hom.2.in primum caput ad Hebræos, quem eodem loco ſecuti ſunt Theophylactus, & Oecumenius. D. Baſilius epiſt. 43. ad Nyſſenum fratrem: *Vt qui*, inquit, *in characterem Vnigeniti oculos intenderit, ex Patris hypoſtaſi in cogitationem veniat Paternæ ſubſtantiæ*. Et paulò poſt: *Et qui Filij quaſi formam mente cõceperit, Paternæ quoque hypoſtaſeos characterem animo impreſsit ſuo*. Sic idem D. Baſilius homil.16. in illud: *In principio erat Verbum.* & hom.28. contra Sabellianos, D.Epiphanius hæreſi 76. D.Cyrillus lib.3. Theſauri cap.1.lib.1. de recta in Deum fide ad Theodoſium, D.Athanaſius orat.3. cõtra Arrianos, characterẽ perſonæ Patris ſemper exiſtere, & Filium ſimilitudinem, & imaginem Patris immutabilem in ſe conſeruare. Theodoretus

doretus Epitome Diuinorum decretorum lib. 5. cap. 2. Characterem ſubſtantiæ, & perfectam ſimilitudinem oſtendit, & perſonarum docet differentiam.

In Concilio Florentino ſeſſ. 19. *Doctores Diuinam ſubſtantiam ſimpliciter proferentes, commune quoddam Patris, & Filij, & Spiritus Sancti intelligunt: ſubſtantiam verò Patris dicentes, Patris Perſonam mente cõcipiunt.* Cui Marcus: *Id quandoque, non autem ſemper, & neceſſariò contingere creditur*: quod à Concilio videtur receptum. Damaſus Papa in Anathematiſmo aduerſus hæreſes Apollinaris, Arrij, Sabellij, &c. *damnat, qui non dixerit Filium eſſe natum de Patre, hoc eſt, de ſubſtantia Patris.*

Ratione ſimul. Hypoſtaſis, vt plurimum apud Patres, & Philuſophos accipitur pro perſona, & valde rarò pro eſſentia: etiam Latini pro eodem aliquando ſubſtantiam, & ſubſiſtentiam vſurpant, vt D. Hieronymus 23. Hieremiæ verſ. 18. & 22. Patres Græci ſic quandoq; in citata ſeſſ. Conc. Florentini. Denique D. Boetius lib. de duabus naturis, exponens vocum Græcarum, & Latinarum ſignificationem, *Ideò*, inquit, *hypoſtaſes Græci indiuiduas ſubſtantias vocauerunt, quoniam cæteris ſubſunt, &c. ideirco autem nos quoque eas ſubſtantias, quaſi ſuppoſitas nuncupamus*; Ergo D. Paulus hic, quod Græcè dicitur hypoſtaſis, Latinè ſubſtantia, a ſubſtando eſſentiæ perficienti, & proprietatibus diſtinguentibus, cõceſſit nobis pro perſona interpretari ritè, & idoneè, quemadmodum tot ſanctiſſimi, & grauiſsimi Patres. Quod confirmatur ex orthodoxa, & communiſsima, & Ecclesiaſtica phraſi in Incarnationis myſterio, *Facta eſt vnio hypoſtatica perſonalis, & ſubſtantialis*: ergo ex hoc loco poterit congruè deduci: plures in Diuinis ſunt ſubſtantiæ. His obſeruatis tribus aſſertis, rem breuiter diſtinguamus, & ſoluamus.

Primum. Abſolutè ſumpta, & accepta ſubſtãtia, haudquaquam orthodoxè, & rectè in Deo poterunt plures ſubſtantiæ aſſeri, & multiplicari. Probatur primò, nam tres ſubſtantias hoc modo ſumptas, vt hæreticas voces damnant, & deteſtantur Concilia, ac Patres. Concilium Alexandrinum, cui D. Athanaſius præfuit, *tres ſubſtantiãs non dicimus*. Sardicenſe, qua parte catholicum, approbatum epiſtola Synodali. &c. *Cohors hæreticorum diuerſas eſſe ſubſtantias Patris, Filij, & Spiritus Sancti pronuntiat, & eas eſſe diuiſas: nos autem hanc habemus eſſe catholicam, & Apoſtolicam traditionem, fidem, & confeſsionem, vnam eſſe ſubſtantiam Patris, Filij, & Spiritus Sancti.* Toletanum 6. cap. 1. *Tanta eſt vnitas ſubſtantiæ, vt pluralitate careat.* Toletanum vndecimũ in profeſſione fidei: *Nec ſicut tres perſonas, tres ſubſtantias prædicamus; ſed vnam ſubſtantiam, tres autem perſonas.* In Synodo 6. Agatho Papa epiſt. ad Conſtantinum maiorem: *Tres perſonas vnius naturæ, ſubſtantiæ, ſiue eſſentiæ.* Concilium Nicænum lib. 2. §. ſicut tu. *Pater, & Filius ſecundum ſubſtantiam Deitatis, vnum ſunt.* Eodem modo Innocentius III. in Concilio Lateranenſi cap. *Firmiter*, & cap. *Damnamus*. Sic omnes Patres, omnes Theologi, inter quos hoc loco S. Bonauentura, S. Thom. 1. parte, quæſt. 39. art. 2. ad primum, et 30. art. 1. ad primũ, & 25. art. 2. ad tertium, art. 3. ad primum. Et hæc vnica ratio ſufficiat. Qui concedit hoc ſenſu tres ſubſtantias, tres quoque Deitates, ac Deos concedere neceſſe eſt: ſed de fide eſt, eſſe vnum Deum, Deut. 6. et innumeris alijs locis: ergo de fide pariter eſt, eſſe vnam ſubſtantiam; atque ita dicendum confirmatur omnibus illis rationibus, quibus vnicus Deus demonſtratur.

Secundum aſſertum. Dicere tres ſubſtantias, vt ſubſtantia cum perſona conuertitur, quo ad rem verisſima prædicatio eſt, et ſenſum facit catholicum: et probatur rationibus primò, deinde auctoritatibus. Subſtantia hunc geminum ſenſum habet, et duobus hiſce modis accipi, et vſurpari ſolet, et poteſt; vt primò pro primis ſubſtantijs, quæ ſunt indiuidua: ſi enim Ariſt. in prædicamentis, cap. de ſubſtantia, indiuidua primas, et maximè proprias ſubſtantias nuncupat; et 5. Metaph. cap. 8. textu 15. Sic Boetius in definitione perſonæ, et inde Theologi, D. Bonauentura in 1. diſt. 5. art. 2. quæſt. . in corpore. D. Thomas quæſt. 29. art. 1. ad ſecundum, dum definiunt perſonam, primam ſubſtantiam appellant. Secundo modo abſtrahendo à relatiuis, et abſoluto, et ſolam realitatem, et entitatem per ſe ſignificat, quæ non eſt accidens; vt ponitur in primo ſubſtantiæ prædicamento: tunc in vtroque ſenſu ſic ſumo argumentationem meam. In primo tres ſunt, et dicuntur perſonæ, et hypoſtaſes: ergo et tres ſubſtantiæ idoneè, et verè, et congruè poſſunt dici, et prædicari. Antecedens eſt de fide, et quo ad rem, et quo etiam ad dicendi modum: nam verè tres ſunt perſonæ, et tres in Diuinis literis, et Concilijs, et Symbolis, et Patribus omnibus enumerantur. Conſequentia iam inde conſtat: nam hoc ſenſu perſona cum ſubſtantia conuertitur, et pro eadem ſumitur. Confirmatur: nam ſubſtantia hoc loco non eo deriuatur, quo ſubſtat accidentibus, aut generibus, aut ſpeciebus, ſed proprietati diſtinguenti, et eſſentiæ perficienti; vt inter alios eruditè S. Bonauentura. Præterea in ſecundo ſenſu, tres relationes, et perſonalitates diuinæ, ſunt tres realitates verè exiſtentes, quæ nõ ſunt accidens: ergo ſunt tres ſubſtantiæ. Confirmatur ſecundò, multiplicantur primæ ſubſtantiæ: ergo multiplicantur ſubſtantiæ. Confirmatur tertiò ex D. Anſelmo in Monologio cap. 76. Subſtantia principaliter dicitur de indiuiduis, quæ maximè in pluralitate conſiſtit.

Secundò S. Bonauentura: Omnis numerus complectitur, & enumerat ſubſtantiam; non enim accidentia, vt conſtat, niſi per ſubſtantiam numerantur: ſed in Diuinis actus notionales, & Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, &c. ergo & ſubſtantiæ.

Tertiò, idem Pater refertur ad Filium relatione ſubſtantiæ: ergo multiplicata relatione, multiplicatur & ſubſtantia. Confirmatur: nam aliàs eſſet eadem perſona Patris, cum perſona Filij.

Modò pluribus locis Conciliorum, et Patrum:

idem

idem confirmatur. Concilium Antiochenum in confeſsione Fidei: *Proprium vniuſcuiuſque nominatorum ſubſtantiam, & ordinem, & gloriã; vt ſint quidem per ſubſtantiam tria, per conſonantiam verò vnum.* Quod referens, et explicans S.Hilarius lib. de Synodis: *Idcirco*, dixit, *tres ſubſtantias eſſe dixerunt ſubſiſtentium perſonas: per ſubſtantias edocentes, non ſubſtantiam Patris, & Filÿ, & Spiritus Sancti diuerſitate diſſimilis eſſentiæ ſeparantes.* Concilium Florentinum ſeſſ. 19. *Subſtantiam Patris dicentes, Patris perſonam mente concipiunt.* Concilium Epheſinum primum cap. 1. Anathematiſmi primi: *Dei Verbum Paternæ ſubſtantiæ character eſt.* Ioannes Papa II. epiſt. 2. ad Senatores, ſub initio, contra Eutychianos decernit: *Chriſtum Dominum eſſe vnam ex tribus perſonam, ſiue ſubſtantiam.* Et in eadem epiſt. verſus medium: *Subſtantias, ſiue perſonas dicit.* Sophronius Patriarcha Conſtantinopolitanus in 6. Synodo act. 11. in epiſtola profeſſionis fidei: *Neque ſubſtantias*, inquit, *confundentes, & in vnam eas ſubſiſtentiam deducentes.*

S. Epiphanius hæreſi 73. *Ne perturbet ſubſtantiarum nomen: propter hoc enim ſubſtantias dicunt Orientales* (Doctores catholici Orientis) *vt proprietates perſonarum ſubſiſtentes, & exiſtentes notas faciant.* Et addit, *proprietates perſonarum ſubſiſtentiũ ſubſtantias nominant Orientales, non tres ſubſiſtentias tria principia, aut tres Deos dicentes.*

D. Cyrillus Dialog. de Trinit. lib. 7. *Simplex, & incompoſita ſumma natura, ſubſtantiarum proprietatibus, & perſonarum nominibus dilatata.*

D. Gregorius Nyſſenus orat. Catechetica cap. 1. *Ratio fidei inconfuſam, & diuerſam hypoſtaſeos, ſiue ſubſtantiarum differentiam docet.*

D. Auguſt. 7. de Trinit. cap. 4. 5. & 6. vbi concedit *tres ſubſtantias*; ſed vt explicet, addit *perſonas*, quemadmodum cum vnam ſubſtantiam nominat, vt intelligatur adiungit, *vel eſſentiam*. & lib. 8. cap. 1. explicat, *dici tres ſubſtantias, vel perſonas, non vt aliqua intelligatur diuerſitas eſſentiæ; ſed vt vel vno aliquo vocabulo reſponderi poſſit, cum dicitur quid tres, vel tria.*

Sic S. Iſidorus Ethymologiarum lib. 7. cap. 4. *Tres hypoſtaſes, quod reſonat in Latinum, tres ſubſtantias.*

Sic D. Boetius lib. de duabus naturis, *Diuinae Vſioſes; ideſt tres ſubſtantias.*

Denique ex obſeruato loco D. Pauli ad Hebr. 1. idem planè colligitur; ſed teſtatur Boetius indicato nunc loco, hunc dicendi modum non eſſe Eccleſiæ communem morem, his verbis: *Et quod ſecundum hunc morem dixere, vnam Trinitatis eſſentiam tres ſubſtantias, treſq; perſonas.* Niſi enim tres in Deo ſubſtantias Eccleſiaſticus dicendi vſus excluderet, videretur idcirco de Deo dici ſubſtantia; quod idem poſtea hoc loco docuit S. Bonauentura. Quibus elicitur

Tertium aſſertum. Hunc dicendi modum quando aſſumimus; vt omnis errorum ſuſpectus excludatur addenda limitatio, qua nomen plurificatum ſubſtantiæ, non pro eſſentia, ſed pro perſonis ſumi explicetur: nimirum tres ſubſtantias, primas, indiuiduas, incommunicabiles, relatiuas, notionales, perſonales; ſubſtantia Patris, vel Paterna ſubſtantia Filij, &c. ſic præſertim ex locis Patrum, & Conciliorum relatis, apertè obſeruatum colligitur. Hinc conſtare exiſtimo, quo ſenſu, & qua veritate, ac ratione, ſic moderatè, ac limitatè loquutus ſit S. Doctor, præcipuè Latino idiomate, quo ipſe loquebatur.

TERTIA DVBITATIO.

An tres perſonas, tres entitates ſano ſermone appellare liceat.

NEgat S. Bonauentura hac eadem quæſt. ad quartum, & hanc reddit rationem: nam entitas dicit formam, & naturam, & ſubſtantiuè ſumitur: vnde vetitum multiplicari in Deo. Sic explicatè & Capreolus diſt. 29. quæſt. vnica, art. 3. ad primum. Adhærent reliqui Theologi, D. Thom. in 1. diſt. 22. quæſt. vnica, art. 2. ad quartum, Alexander 1. par. quæſt. 49. memb. 3. art. 2. prope fin., Riccardus diſt. 25. in fin. circa literam. Henricus in Summa art. 34. quæſt. 2. ad ſextum. Magiſt. Sententiarum diſt. 25. §. ſciendum, & §. hic ſenſus; dum perſonas tres entes, non tria entia dici concedit: negant enim poſſe dici tria entia, ſi ens ſubſtantiuè ſumatur: multò magis negaſſent tres entitates, quæ dicunt entia abſtracta. *Tria entia, vel tres entes* admittunt, ſi adiectiuè accipiatur: hunc enim legitimum prodit ſenſum, *tres habentes entitatẽ*: quibuscum in hac eadem ratione dicendi, ſentit & S. Bonauent. eodem loco: ſuam reddit S. Thomas rationem: nam ens ab eſſe deducitur; eſſe autem ſubſtantiuum, vnum tantum eſt. Ioan. 10. *Vnum ſumus.* 1. Ioan. 5. *Et hi tres vnum ſunt.* Reclamant aliqui, ſed non multum nos afficiunt, dum cautiorem, & tutiorem dicendi modum à Diuinis litteris indicatum, ſanctiores, & proceriores Theologos ſequuti, amplectimur.

QVARTA DVBITATIO.

An tres perſonæ, tria nuncupari poſsint.

NEgant S. Bonauent. & S. Thomas à Carthuſiano relatus art. 1. Sent. diſt. 24. quæſt. 2. dixi à Carthuſiano relatus: nam fortaſſe omnia exemplaria non ſic habent: ratio horum eſt: nam *tria* in neutro genere ſubſtantiuè, & abſolutè ſumitur. Confirmatur in ſimili. In Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. cap. *Damnamus*, de Summa Trinit. vbi de termino Alius, & Aliud ſic definitur: *Licet alius ſit Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus; non tamen aliud, ſed id quod eſt Pater, eſt Filius, & Spiritus Sanctus omninò idem*; vbi terminus in neutro genere ſumptus, accipitur ſubſtantiuè, & exploditur.

Quod

Digitized by Google

Quod ſi hoc ſermone vſus eſt S. Auguſtinus, reſpondet S. Bonauent. non propriè loquutum, quare exponendus. Reſpondet S. Tho. relatus, tria pro tres vſurpaſſe. Si verò & alij plures Patres ſic locuti, referantur ad omnes, cum apud ipſos hic dicendi mos frequens non inueniatur. Hæc eadem Gloſſa accommodari poteſt primò, & confirmati ex germana termini (tria) ſignificatione. Secundò, ſi attentè loca Patrum, quæ referuntur, animaduertantur ex additis, & circumſtantibus verbis quomodo ſumatur tria, nimirum relatiuè pro perſona, quæ eſt alia, non aliud, inter tres faciliè conijcietur ex Diuinis litteris 1. Ioan. 5. legitur: *Et hi tres*, non tria, *vnum ſunt*. Quem locum potius voluit imitari, & tres non tria concedere S. Bonau. Denique idem S. Doctor renuit dicere tria, ſi nihil addatur: non negaſſet cum congrua additione.

QVINTA DVBITATIO.

An tres perſonæ, tres res congruè proferantur.

TRes res Diuinas perſonas dici tutè (ſi tamen verba addantur, quibus non abſolutè, ſed relatiuè res ſumi conijciatur) docent Patres. D. Hilarius lib. 7. de Trinit. *Ego, & Pater rerum nomina ſunt*. S. Auguſt. lib. 1. de Doctrina Chriſtiana cap. 5. *Res, quibus fruendum eſt, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus*. Theodoretus ex fragmento penultimo contra Sabellium, *propter ſubſiſtentias tres, res eadem res eſt*. D. Anſelmus de Incarnatione Verbi cap. 1. *nemo Chriſtianus* negabit, Patrem, & Filium ſecundum hæc duo principia, eſſe vnam rem, ſed duas. Infra: *In duabus rebus, duas intelligendas relationes*. Sic Theologi Scholaſtici, D. Bonau. in 1. diſt. 25. dubio 3. litterali, vbi eruditè explicat, quo ſenſu ſumatur res, & quo deducatur principio dum aſſeritur, tres perſonæ Diuinæ ſunt tres res. Idem concedit in 2. diſt. 38. dubio 3. litterali. D. Thom. 1. par. quæſt. 3. art. 1. & art. 3. quæſt. 39. art. 3. ad tertium, & in 1. Senten. diſt. 29. quæſt. vnica, toto art. 4. contra gentes, cap. 14. ad quintam obiectionem. Alexan. 1. par. quæſt. 49. membro 3. Albertus 1. par. quæſt. 43. memb. 3. art. 2. Riccardus in 1. diſt. 25. circa litteram. Magiſter cum communi ſententia diſt. 25. §. ſciendũ, vbi refert & S. Auguſtinum. Et redditur ratio: nam nihil hoc termino aſſeritur, niſi relatio, quæ non eſt nihil, ſed aliqua res; deinde perſonæ producuntur, & realiter diſtinguntur: ergo ſunt tres reales diſtinctæ, non enim res producitur. Egregiè S. Anſelmus de Incarnatione Verbi cap. 3. nihil prohibet dicere duas perſonas, Patrem, & Filium eſſe duas res; ſi tamen intelligatur cuiuſmodi ſunt.

SEXTA DVBITATIO.

An tres perſonæ, tres exiſtentiæ tutè approbari poſſent.

QVod idem eſt ac quærere: an tres rationes formaliter, per quas perſonalitates, & relationes actu ſunt, tres dicendæ ſint exiſtentiæ.

Paucis expedienda: ſupra enim ſatis ferè videtur factum huic dubitationi, affirmando. Primò: nam nihil obſtat, nec vllo aut tempore, aut loco decertatum, aut bellum initum, & reclamatum contra hanc aſſertionem cum hæreticis. Secundò, eodem loquendi modo videtur vſus Ioannes Theologus in Concilio Floren. vbi ſeſſ. 19. §. quoniam, & in §. in ſequenti, exiſtentiam accepit pro perſona: & inde, ſi tres perſonæ: ergo tres exiſtentiæ. Tertiò, ex definitione perſonæ Riccardi Victorini, *perſona eſt rationalis naturæ incommunicabilis exiſtentia*: vbi iterum tres perſonæ: ergo tres incommunicabiles exiſtentiæ. Et lib. 4. cap. 16. *In Diuina proculdubio natura, eſt exiſtentia, quæ eſt pluribus communis: & eſt in exiſtentia, quæ eſt omninò incommunicabilis*: & ſimilis notæ plura eodem capite. Conſentiunt omnes illi Theologi, qui hanc Riccardi definitionem ſuſceperunt. D. Bonauent. 1. diſt. 25. art. 1. q. 2. in fine. Alex. 1. par. quæſt. 44. in corp. & ad 5. & q. 49. memb. 1. Alber. 1. par. q. 44. memb. 2. Riccardus de Media Villa art. 1. quæſt. 2. & alij hanc definitionem tuentes. Imò D. Cyrillus dialog. de Trinit. lib. 1. Cum vterque ſit, ac ſubſiſtat, propriam habere exiſtentiam dicatur: quod idem lib. 2. dialog. pluries repetit.

Quod ſi quis obiecerit, exiſtentiam eſſe de ratione eſſentiæ, & eandem cõmunem tribus, ſicut & eſſentia. Reſpond. primò, hic nos quærere modũ dicendi, & inuenimus apud grauiſſimos Theologos, & Patres, exiſtentiæ perſonalis vſum, hoc ſufficit nobis. Secundò, ex relato Riccardo Victorino, bifariam accipi exiſtentiam; tum vt communem & abſolutam; tum vt propriam, & relatiuam.

CAPVT IV.

De eadem eſſentię voce: idiomate Græco, ideſt, de Vſia, & ex ea compoſitis, Vſioſi, Homouſio, Homeuſio, Simouſio, Eterуſio.

VSia, ſecundum omnes, idem quod eſſentia, id eſt, abſolutiſsimum eſſe diuinũ; in abſtracto ſumptum, nullamq; ad creatas relationem inuoluens, ex illis verbis deducta Exodi 3. *Qui eſt*, &c. adeò propriè Deo tributa, vt ex D. Auguſtino 7. de Trinitate cap. 5. de ſolo Deo fortaſſe rectè dicatur: ſolus enim Deus eſt ens abſolutum, & independens.

Vſio-

Digitized by Google

Vſioſis, præſertim ex D. Bonauentura idem quod ſubſtantia, hoc ſolo obſeruato diſcrimine, vt Vſia eſſentiam in abſtracto, Vſioſis ipſam eandemmet in concreto, boc eſt ſubſtantiam, & Vſia termino quo, & Vſioſis termino quod, explicetur, licet ſæpe numero Vſioſis, & ſubſtantia in abſtracto ſumatur, & idem quod Vſia formaliſsimè ſignificet.

De Homouſio. Eandem eſſentiam numero cum pluralitate, & origine perſonarum certo certius explicat, & conſpicuè indicat, vt Filium in Diuinis, & Spiritum Sanctum dicat fides Homouſion, nimirum conſubſtantialem, & de eadem Patris ſubſtantia natum, & ſpiratum. Ita in Concilio Nicæno interpretati ſunt, & Symbolo fidei poſtea inſeruerunt, (Conſubſtantialem Patri.) Quod poſtea receptum in alijs Concilijs, & à ſummis Pontificibus: in Sardicenſi Generali ex Epiſt. D. Athanaſij ad Epiſcopos Antiochenos. In Alexandrino epiſt. ad D. Cyrillum: in Conſtantinopolitanô primo, qnod eſt ſecundum Vniuerſale, actione prima. In Ephesino primo epiſt. ad Neſtorium. In Calcedonenſi, quod eſt quartum Generale. In quinta Synodo Generali, act. 3. in profeſsione fidei, & act. 8. Can. 1. In ſexta Synodo Generali, act. 4. in epiſt. Agathonis, Et Concilij Romani epiſtola ad ſextam Synodum. Teſtantur Epiſtolæ Pontificiæ in Epiſt. 9. Liberij Papæ ad Epiſcopos Italiæ, in Epiſt. 11. ad Orientales. Leonis Magni in Epiſt. 193. Ioannis ſecundi Epiſt. ad Senatores, aliàs lib. de duabus Naturis contra Eutychianos §. vlt. vbi ſequitur, & veneratur Concilium Nicænum.

Hoc Symbolum, & hunc articulum, & vocem, & veritatem appoſitam Conſubſtantialitatis Perſonarum Sanctiſsimæ Trinitatis omnes Patres, tanquam rem ſummæ authoritatis receperunt, & venerati ſunt, & totis viribus defenderunt, & propugnarunt. Vox, & res quidem in primis, & maximè inuiſa Arrianis, quippe quæ ex Epiſt. citat. Liberij ad Orientales, tanquam propugnaculum firmum, & inexpugnabile, omnes impetus, & machinas Arrij retundit, & reprimit. Sed nedum Arrij, verum etiam Sabellij errores refellit, & radicitus euellit. Sic nobis Sanctiſsimi Patres obſeruarunt, & tradiderunt: D. enim Epiphanius Hæreſi 69. qui poſtquam Vſiam explicuit eſſentiam, ſtatim addidit particulam Con, *non vnum rurſus ſignificat, ſed de coeſſentiali duo perfecta ſignificat*. S. Ambroſius lib. 3. de fide ad Gratianum cap. 7. *Rectè ergo Homouſion Patri Filium dicimus, quia verbo eo, & perſonarum diſtinctio, & natura vnitas ſignificatur*. Eadem D. Fulgentius ad obiectionem ſeptimam Arrianorum. Quo conſequitur duobus ſuppoſitis creatis non poſſe hanc vocem Homonſion aptari: ſunt enim conſimilis quidem ſubſtantiæ in ſpecie, neque tamen in indiuiduo, & eiuſdem in numero, ſicuti Diuinæ perſonæ: Homouſion autem eiuſdem numero ſubſtantiæ conſubſtantialem præſefert. Ità Sancti Patres. Athanaſius Epiſt. de Synodis Arimini, & Seleuciæ. Baſilius Epiſt. ad Ancillas Dei. Hilarius de Synodis.

Neque hanc vocem adinuenerunt Patres Nicænæ Synodi, ſed valde vetuſtior, & antiquior inuenitur; & ſi non vox, res ſaltem ſignificata per vocem. Patres innumeri ita. Primò ſic habetur in fragmento Concilij Nicæni ex Græco Vaticano deſumpto in lib. 2. Concilij ante ſubſcriptiones. *Viſum eſt omnibus noſtris conſubſtantiale in Eccleſia definiri oportere ad eum modum, quo & poſt Apoſtolos Sancti Patres noſtri tradidere, hoc eſt confiteri Filium, & Spiritum Sanctum eiuſdem ſubſtantia cum Patre*. Ab Apoſtolica ergo traditione colligitur. Confirmat Diuus Athanaſius epiſtola ad Africanos referens Euſebium Cæſarienſem Nicæno Concilio ſubſcripſiſſe, & quædam verba ex quadam ſua epiſtola ad ſuos Arrianos ſcripta: *Nouimus quoſdam ex priſcis eruditos, & præclaros Antiſtites, alioſque ſcriptores, cum de Patris, & Filij. Deitate loquerentur, voce conſubſtantiali vſos eſſe*: & hæc epiſtola apud Theodoretum lib. 1. cap. 12. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ. Docuit D. Clemens epiſtola ad Iacobum fratrem Domini: *de Filio in omnibus Patri ſimili, & eiuſdem naturæ*. Ipſe D. Iacobus in Liturgia: *Spiritum Sanctum conſubſtantialem Patri, & Filio, & Filium Patri*.

Ex Diuinis litteris D. Auguſtinus, & D. Cyrillus. Hic lib. 1. Dialog. de Trinitate. vbi elegantiſſimè teſtatur conſubſtantialitatem Filij, per Homouſion ſignificatam legi in Diuinis litteris, & probat *Homouſion plantatum eſſe illis verbis* Exod. 3. *Ego ſum, qui ſum*. Ille lib. 3. contr. Maximin. cap. 17. & tract. 17. in Ioan. *Homouſion nihil aliud eſſe, quàm Ego & Pater vnum ſumus*. Quibus prorſus euaneſcit quicquid ſomniarunt, & obiecerunt Arriani, & recentiores hæretici ad hanc veritatem, & vocem conſubſtantialis, tum Græcè, tum Latinè prolatam.

Quod ſi Patres Antiocheni Concilij negarunt admittendum hoc Homouſion nomen; reſpondetur, hoc non abſolutè negaſſe, ſed in ſenſu tantum, quo Samoſeteni vſurpabant falſiſsimo: hinc enim perfidus hæreticus Filium eſſe Patris Homouſion, nimirum partem ſimilis ſubſtantiæ corporaliter. Quod certè inſulſum, falſum, & hæreticum eſt: eſſe autem Homouſion, ſcilicet à Patre totam eandem ſubſtantiam accipere; hoc nullus Catholicus vnquam negauit, ſed aſſeruit, & credidit. Ita interpretatur, & conciliat S. Athan.

Quod ſi iterum & pijſſimus Imperator Conſtantinus in epiſt. quam per Oſium ſcripſit ad Alexandrum, & Arrium, quæ extat in tom. 1. Concil. reprehendit de Homouſio diſputationem, tanquam exilem, & nullius ferè vtilitatis. Reſp. Id ex nimio zelo cōciliandi turbas in Eccleſijs excitatas dixiſſe Arrianorum, exiſtimantem diſſidia eſſe de ſola voce: ſed admonitus de Concilij diffinitione, laudauit Deum.

De voce Homeuſio. Vt Semi Arriani recedèrent à decretis Synodi Nicænæ, & à Catholica veritate de Conſubſtantialitate perſonarum, adinuenerunt hanc vocē Homeuſion, quæ conſimilem, nō eandem

Digitized by Google

ſubſtantiam ſua ſignificatione affirmat: vt enim teſte Theodoreto lib. 4. hæretic. fabul. Macedonius, vel Mautonius Nicomediæ conſtitutus à Macedonio Epiſcopus (vti Niceph. lib. 9. hiſt. Eccleſiaſticæ cap. 47.) qui Filium eſſe eiuſdem ſubſtantiæ cum Patre omnino repudiauit, vt ſimilis in omnibus diceretur conſtituit, & vt homeuſion pro homouſion diceretur, excogitauit. Sed contra hanc vocem egregiè D. Cyrillus lib. 1. Dialogi de Trinit. D. Hilarius lib. de Synodis. D. Aug. ſerm. 38. de tempore. Vberius Marius Victorinus lib. 1. aduerſus Arium: imò omnes Catholici Doctores ſemper hanc vocem deteſtati ſunt, vt teſtatur Theodoretus lib. 2. hiſt. Eccleſ. cap. 18. & 19. & licet quidem aliquem verum ſenſum admittat homeuſion, nimirum ſimilitudinis, omnimodæ identitatis: ſic enim à Theologis diuinæ perſonæ dicuntur ſimiles, quemadmodum & æquales, vt ſupra ſuo loco; refutarunt tamen ſemper conſtantiſsimè Patres hanc vocem. Primò propter ſenſum hæreticum auctorum vocis: non enim eiuſdem eſſentiæ Diuinas perſonas, ſed diuerſarum eſſentiarum ſimiliū voluerunt aſſerere; quemadmodū & diuerſi homines ſimiles in eſſentia ſpecifica, in indiuiduis tamen numerata. Secundò: hac enim ſimilitudine nulla tamen originum fiebat mentio, ac ita inducebatur Sabellij error: in forma namque & qualitatibus mos eſt ſine origine ſumere ſimilitudinem. Si non ab hæretico, ſed à Catholico proferretur; fortaſſe huius vocis ſenſus non denegandus: ſic enim viſi ſunt D. Athanaſius Epiſtola de Synodis Arimini, & Seleuciæ, & Diuus Iſidorus lib. 7. Ethimolog. cap. 2. non reſpuiſſe.

De Synouſio. Et hanc vocē excogitarunt, & peſtilenti fœcunditate pepererūt iidem hęretici, ſemper tamen à Catholicis conſtanter reiectam: Eandem enim quidem eſſentiā perſonas diuinas ſimul habere, nullum tamē earundem perſonarum diſtinctionis, & originis ſignum affert, quæ Sabellij eſt peſſima hæreſis: quod tamen fit per Homouſion: vtraque enim veritas hæc mire prædicatur, & identitatis eſſentiæ, & perſonarum pluralitatis. Egregiè D. Epiphanius in Anchorato: *Filius coeſſentialis Patri non Synouſios, hoc eſt ſimul eſſentiam habens, ſed homouſios, id eſt coeſſentialis, hoc eſt non extra Patrem genitus.* Et paucis infra: *Si dixeris coeſſentialem, ſoluiſti Sabellij poteſtatem: non enim vnius ſubſtantiæ ſignificationem habet vox coeſſentialis; ſed ſignificat in ſubſtantia eſſe Patrem, & in ſubſtantia Filium, & in ſubſtantia Spiritum Sanctum. Cum verò coeſſentialem dicis, non alienum ab eadem dignitate ſignificat, ſed Deum ex Deo.*

De Eterouſio. Patentior eſt in hac voce Arianorum, impudentior, peſtilentior, & inſolentior hæreſis, & hic fuit ipſorum progreſſus, & huc tandem deuenerunt, vt detreto à Catholicis Homouſio; ipſi toto Terrarum orbe ſe viciſſe debacchati ſint, & Homeuſion in Eterouſion permutarint, hoc eſt diſsimilis ſubſtantiæ Filium, & non amplius quoquo modo ſimilem Patri concederent, ſed prorſus diſsimilem. Sic Theodoretus eodem 2. lib. Eccleſiaſticæ hiſtoriæ cap. 21. Quare D. Baſilius, vt refert idem Theodoretus lib. 4. cap. 17. eiuſdem hiſtor. Eccleſ. rogatus à Præfecto Valentis Imperatoris, vt non vexaret Eccleſias per hanc paruam dogmatum ſubtilitatem, & differentiam harum vocum; reſpondit. *Qui ſunt in ſacris litteris educati, ne vnā quidem ſyllabam diuinorum dogmatum prodi ſinunt, ſed pro iſtorum defenſione, ſi opus ſit, nullum non mortis genus libenter amplectuntur*. & optimè quidem ad hanc rem in præſentiarum: mutatio enim Homouſion in Homeuſion, in Sinouſion, & in Eterouſioo impedienda eſt etiam ſanguinis profuſione: facit enim de Sanctiſsima Trinitate veram periclitari fidem.

CAPVT V.

De Perſona ſub nomine Hypoſtaſis, An licitè aſſeratur de perſona Diuina.

IAm fuit grauis, & moleſtiſsima quæſtio de Hypoſtaſis ſententia, ac ſignificatione: & ferè cœpta eſt agitari tempore Oſij Cordubenſis; qui à Conſtantino Magno Alexandriam miſſus ad ſedandam turbam ab Arrio excitatam, de ſignificatione Vſiæ, & Eſſentiæ, & Hypoſtaſis, incœpit dubitare, an idem ſignificarent, vt teſtantur Nicephorus lib. 10. ſuæ Hiſtoriæ, cap. 15. & Sozomenus lib. 3. cap. 7. quam poſtea è medio ſuſtulit, & optimè ſedauit D. Athanaſ. in Concil. Alexandrino, teſte eodem Nicephoro eodem lib. cap. 16. vt infrà.

Ratio verò grauis dubitandi erat, & magna opus cautela, ne ſi tres Hypoſtaſes Diuinas Perſonas aſſerere renuiſſent, in Sabellij errorem Diuinarum Perſonarum veram, & realem diſtinctionem negantis, incidiſſent: ſi verò id planè conceſsiſſent, & fortaſsè idem Hypoſtaſim cum eſſentia dixiſſent, iam Arrij peſtilentis errore labe ſe ſe commaculaſſent, & vnicam Diuinam eſſentiam diuiſiſſent, ac Filij cum Patre Homouſion turpiter negaſſent.

Controuerſa res admodum illis temporibus, inter PP. Græcos præſertim, & etiam quoſdam Latinos. Nam primò D. Athanaſ. orat. 5. contra Arrianos. *Vna planè eſt eſſentia*, inquit, *& Hypoſtaſis, qua dicitur, Ego ſum qui ſum.* Et epiſt. ad Epiſcopos Africanos. *Hypoſtaſis eſſentia eſt, nec aliud ſignificatum habet, niſi hoc ipſum Quod eſt, quod Hierem. Hyparxin nominauit.* Idem Dialogo 1. de Trinit. contra Anomæum. D. Epiphanius hæreſi 69. ex illo loco Ieremiæ 23. infrà explicando, *Subſtantia* (id eſt Hypoſtaſis) *& eſſentia idem eſt ratione.*

Inter Latinos verò Marius Victorinus lib. de

teci-

Digitized by Google

recipiendo Homouſio (to.4. Bibliotecæ PP.) quod *Græci*, inquit, *Vſiam, vel Hypoſtaſim dicunt, nos latinè vno nomine ſubſtantiam dicimus. Et Vſiam pauci, & rarò, omnes Hypoſtaſim dicunt. Dixit de Dei ſubſtantia Propheta Ieremias, quod ſi ſtetiſſent in Domini ſubſtantia, Verbum meum vidiſſent.* Quod exponit, *ſi Dei ſubſtantiam intellexiſſent, conſubſtantiale Patri Verbum cognouiſſent.*

Magis vrget D.Hieron. grauiſsimè epiſt.57. ad Damaſum Papam. *Tota*, inquit, *ſæcularium litterarum ſchola nihil aliud* Hypoſtaſim, *niſi Vſiam nouit.* Vndè infert, *quiſquis tria eſſe, hoc eſt, tres Hypoſtaſes, id eſt* Vſias dicit: *Sub nomine pietatis tres Naturas conatur aſſerere.* Et infra. *Taceantur tres Hypoſtaſes, ſi placet, & vna teneatur. Transfigurauit ſe Angelus Sathanæ in Angelum lucis.*

S. Auguſt. lib. 5. de Trinit. cap. 8. *Eſſentiam dico, quæ Græcè Vſia dicitur, quam vſitatiùs ſubſtantiam vocamus. Dicunt quidem & illi Hypoſtaſim, ſed neſcio quid volunt intereſſe inter Vſiam, & Hypoſtaſim; ità vt plerique noſtri, qui hæc Græco tradunt eloquio, dicere conſueuerint, vnam Vſiam, tres Hypoſtaſes; quod & latinè vnam eſſentiam, tres ſubſtantias.* Eadem lib. 7. cap. 4. Et alij & Græci, & Latini.

Sed quod magis vrget, Concilium Sardicenſe qua parte fuit Catholicum epiſt. Synodali: *Nos habemus Catholicam, & Apoſtolicam traditionem, & Fidem, & Confeſsionem, vnam eſſe ſubſtantiam* (*Græcè* ibi legitur vnam Hypoſtaſin) *Patris, Filij, & Spiritus Sancti.*

Liberius Papa in fragmento Epiſt. ad D. Athanaſium, & legitur poſt expoſitionem Fidei ipſius Athanaſij in eius operibus, *Trinitatem ait eſſe ſub vna Hypoſtaſi.*

Augetur dubitationis difficultas. Primò: nam ex ſua impoſitione hoc nomen *Hypoſtaſis* impoſitum fuit ad quamcumque indiuiduam ſubſtantiam ſignificandam, etiam irrationalium, & inſenſibilium, quod de Perſona nunquam auditum eſt: imò quodcumque exiſtens, etiam accidens: & colligitur ex lib. de Mundo ad Alexand. ſub nomine Ariſt. vbi dicitur: *Ea quæ in aere habent Hypoſtaſin, id eſt non fictum, & ſola cogitatione fabricatam ſpeciem, ſed realem, & ſolidam quantitatem.* Secundò: nam conceſſo etiam, Hypoſtaſim vſu redactam ad Perſonam etiam Diuinam exprimendam; non omnem tamen, ſed dumtaxat ſecundam, & tertiam docuit D. Athan. ſerm. de Sanctiſsima Deipara illis verbis: *Poſtquàm ſemel à Patre prodijt, Hypoſtaſis eſt, ſubſiſtentia eſt ſtatum indiſſolubilem poſſidens, ex quo genitus eſt: nam ſua interpretatione Hypoſtaſis deſignat id, quod ſubſiſtit, hoc eſt quaſi ſecundo loco coexiſtit, ſiquidem Pater quatenus eſt author geniti, Filium vt genitum ſub ſe habet.*

Verum his non obſtantibus, Orthodoxus, & Catholicus vſus de hac voce obtinuit, vt ritè, & fideliter Eccleſiæ Doctores Hypoſtaſim ad nominandas, & numerandas Perſonas aſſumant, & Catholico ſenſu tres Hypoſtaſes proferant; profiteantur, inuocent. Et ab auctoritate primò Patrum efficaciſsimè probatur.

D. Areopag. cap. 1. de Diuinis Nominibus docet Diuinitatem in Diuinis litt. laudari non ſolum vt vnitatem, *ſed etiam vt Trinitatem, propter Hypoſtaſeon, ſubſtantialis fœcunditatis emanationem.* D. Iuſtinus in expoſitione fidei de Trinitate, frequenter vtitur nomine *Hypoſtaſis*, & latinus Interpres vertit *ſubſiſtentias.*

D. Cyrillus anathematiſmo ſecundo in Concilio Epheſino decernit, Verbum carni ſecundum Hypoſtaſin vnitum, vbi euidentiſsimè aſſeritur Verbum Hypoſtaſis. Et lib. 2. Theſauri, cap. 3. *differentiam ſecundum relationem eſſe, per quam vtraque Perſona in propria Hypoſtaſi conſtituitur.*

D. Athan. in Symbolo, vbi nos legimus, *Alia eſt perſona Patris, alia Filij, alia Spiritus Sancti*; ille, *alia eſt Hypoſtaſis Patris, alia Filij, alia Spiritus Sancti* legit, & infrà, vbi *totæ tres Perſonæ coæternæ ſibi ſunt, & coæquales*, pariter legit *Hypoſtaſes.* libro de definitionibus, cuius author à multis aſſeritur ipſe Athan. *Natura, Eſſentia, Genus, & Forma idem ſunt: Facies autem, Character, Hypoſtaſis, Proprium, Indiuiduum, vnum quoque, & idem ſunt: nam aliud eſt natura, aliud Hypoſtaſis* (*ſignificatione.*)

Peregregium eſt, quod eò refert S. Nazianz. orat. 21. de laudibus ipſius Athanaſij, & ſuauiſsimam reddit rationem difficultatis obortæ apud Latinos, & tandem ſedatæ, huius vocis Hypoſtaſis, his verbis. *Cum eſſentia vna, & tres Hypoſtaſes à nobis prædicarentur* (*quod alterum Diuinitatis naturam, alterum trium Perſonarum proprietates declaret*) *atque eodem quidem modo apud Romanos intelligerentur. Cæterum ob linguæ illius anguſtiam, & verborum inopiam, Hypoſtaſin ab eſſentia diſtinguere non poſſent, eoque factum eſſet, vt pro ea, nè tres ſubſtantias admittere viderentur, Perſonarum vocabulum inducerent &c.* & poſt pauca. *Vtraque pars leniter, & benignè aucta, verborumque ſententia diligenter, & accuratè perpenſa, poſtea quam concordes reperit, nec quantum ad Doctrinam vllo modo diſsidentes; ità negotium tranſegit Athanaſius, vt nominum vſum concedens, rebus eos conſtringeret.*

Verùm quomodo oppoſitum alijs locis ſic explicatè aſſeruit? nequaquam. Sed diuerſum itidem verum, & requiſitum, & neceſſariò illis locis aſſerendum; ſed infrà.

Eandem quoque concordiam ipſe S. Nazianz. orat. 32. ad centum quinquaginta Epiſcopos conciliauit. Eandem orat. 39. quam tandem Ioannes Papa 2. epiſt. ad Senatores, ſeù lib. de duabus Naturis approbat, & decernit his verbis. *Vnam de tribus Sancta Trinitatis eſſe perſonam, ſiuè ſubſiſtentiam, quam Græci Hypoſtaſim dicunt.*

D. Greg. Niſſ. lib. de Trinit. ad Euſtatium, *tres hypoſtaſes, ſiuè perſonas confiteamur, vnam potentiam.* Idem oratione catech. cap. 1. idem vberius libello de differentia Vſiæ, & Hypo-

ſtaſis: vbi varijs locis aſſumit tanquam ſynonima hæc nomina, Hypoſtaſim, & Subſtantiam, Idem ad Ablabrium. Idem lib. de Trinit. & Aduentu Domini contra Iudæos, cap. 1.

D. Baſilius Nyſſeni ſanctiſsimus, & doctiſsimus frater, epiſt. 43. ad ipſum; ſumens pro eodem Hypoſtaſim, & ſubſiſtentiam. Et epiſt. 78. refert quoſdam Sabellianos, qui Vſiam, & Hypoſtaſim idem eſſe contendebant, eo quòd in fide Nicæna ita ſcriptum legerant: *Si quis verò ex alia eſſentia, ſiue ſubſiſtentia Filium eſſe dixerit, hunc anathemate reijcit Catholica, & Apoſtolica Eccleſia*. Quæ verba Concilij pereruditè ſanctiſsimus Pater declarat, & errorem ex hoc Sabellianorum: *Non enim*, inquit, *dixerunt Patres illi, idem eſſe eſſentiam, & ſubſiſtentiam: ſi enim voces iſtæ vnam, & eandem ſignificationem haberent; quid alterutram ponere opus fuiſſet?* Sed liquet ideò poſitas, *quod alij quidem Filium eſſe ex Patris eſſentia negabant: alij verò non eſſe ex Patris eſſentia Filium dicebant: adijciebant autem ex alia quoque eſſe ſubſiſtentia quadam; atque ita vtramque opinionem tanquam alienam à ſenſu Eccleſiaſtico, à Sanctis Patribus eiectam eſſe*.

Inter Patres quoque Latinos eadem diſtinctio, & differentia ſedulò obſeruata eſt; nam S. Hieronymus, vt ei tribuitur epiſt. 33. ad Damaſum in expoſitione Fidei: *Non enim*, inquit, *nomina tantummodò; ſed etiam nominum proprietates, id eſt, perſonas, vel vt Græci exprimunt, Hypoſtaſes, hoc eſt, ſubſiſtentias, confitemur*. D. Auguſt. lib. 5. de Trinit. cap. 8. *Plerique noſtri* (Catholici) *qui Græco tradunt eloquio, dicere conſueuerunt vnam Vſiam, tres Hypoſtaſes, quod eſt Latinè, vnam eſſentiam, tres ſubſtantias. Sed, quia noſtra loquendi conſuetudo iam obtinuit, vt hoc intelligatur, cùm dicimus eſſentiam, quod intelligitur, dum ſubſtantiam dicimus; non audemus dicere vnam eſſentiam, tres ſubſtantias*. Pendet ergo ex vſu, & conſuetudine, & loquitur de conſuetudine loquendi Latino idiomate, non autem Græco; quocumque ergo tempore vſus dicendi tres Hypoſtaſes viguerit, & ipſe ſanctiſſimus Pater amplexabitur. Et lib. 7. cap. 6. *Quamquam & illi*, inquit, (Græci) *ſi vellent, ſicut tres ſubſtantias, tres Hypoſtaſes, tres Perſonas, tria Proſopa. Illud autem maluerunt, quod fortaſſe ſecundum linguæ vſum aptius diceretur*.

D. Boetius lib. de duabus Naturis dum definit, *Perſonam eſſe indiuiduam ſubſtantiam*, teſtatur eodem loco, iiſdemq; verbis definiſſe & Hypoſtaſim. Et reddit rationem, *Ideò*, inquit, *Græci Hypoſtaſim indiuiduam ſubſtantiam vocauerunt, quia cæteris ſubeſt, & quibuſdam quaſi accidentibus ſuppoſita, ſubiectaq; eſt* (Diuinæ perſonæ ſub relationibus diſtinguentibus, ſub eſſentia perficienti) & plurimi alij, tùm Græci, tùm Latini poſſent referri.

Sed nedum Patres, verum & Concilia etiam generalia aſſeruerunt hoc idem, & docuerunt, inde; vſus ſic dicendi ortus, & firmatus eſt: præter enim Epheſinum, relatum ſub D. Cyrillo Præſide in ſuis anathematiſmis; Nicænum lib. 2. §. In lib. Iob. §. Siquidem. §. Cum copioſa: *Vna*, inquit, *eſt Deitas vtriuſque perſonæ, iuxta Hypoſtaſum conſideratione*. Et actione 3. in confeſſione fidei Tharaſij frequenter dicit, *tres ſubſtantias*. Et infra, *tres prædicantur Hypoſtaſes*. Et damnat Sabellianos, quoniam Deum in vnam perſonam contrahebant.

Chalcedonenſe act. 5. in ſecunda fidei confeſſione. *In vnam*, inquit, *ſubſiſtentiam concurrunt*: vbi Græcè Hypoſtaſim legitur. Et omnibus alijs locis ferè, vbi Interpretes in Latinum vertût Subſiſtentiam: textus Græcus habet Hypoſtaſim.

In quinta Synodo, quæ eſt Conſtantinopolitana ſecunda, can. 1. *anathematizat eum, qui non confitetur vnam Deitatem in tribus ſubſiſtentijs, ſiue perſonis*.

In ſexta Synodo act. 4. in epiſt. 2. Agathonis Papæ, quæ eſt inſtructio Legatorum dicitur, *Trinitas ſubſiſtentiarum, ſiue perſonarum*. Act. 11. Sophronios Patriarcha, epiſt. Profeſſionis fidei, *tres dicit ſubſiſtentias*. Act. 17. *decernitur vna ſubſiſtentia Chriſti*. Quæ omnia optimè nouit Sanctus Doctor, quocirca Hypoſtaſim æquipollere ſubſiſtentiæ docuit.

Verùm, ſi adeò conſtanter, & tanta confeſſione à Patribus Latinis, & Græcis, & Concilijs conceditur, & aſſeritur, perſonam idoneè; & orthodoxè nominandam Hypoſtaſim, & numerandam in Diuinis; quo iure, qua conceſſione, & qua veritate tot grauiſsimi Patres, tot Catholica Concilia oppoſitum docuerunt toties; vt Vſiam eſſe vnam, Hypoſtaſim idem cum Vſia ſignificare acclamauerunt? Breuibus

Primò, ex ignoratione ſignificationis huius vocis, *Hypoſtaſis*: erat enim tunc temporis ambigua ad vtrumque indicandum, tum eſſentiam, tum perſonam. Teſtatus eſt D. Hieronymus cit. epiſt. 57. ad Damaſum Papam. *Tota ſæcularium litterarum ſchola nihil aliud Hypoſtaſim, niſi Vſiam ſignificare nouit*. Valde quidem vehemens teſtatio; progreſſu verò temporis vocabuli vis. comperta eſt, & plura ſignificare, præcipuè tamen perſonam animaduerſa eſt.

Secundò, propter Arrij hæreſim vitandam, qui Filij eſſentiam à Patris eſſentia impiè diuidebat; Hypoſtaſim idem cum Vſia vbique temporibus illis clamabant omnes; ad ſuſtinendum nimirum Homouſion Filij, & Spiritus Sancti cum Patre, non diſtinguebant Hypoſtaſim ab Vſia. Præſertim id refert, & explicat Sanctus Athanaſius epiſtola recenſita ad Epiſcopos Africanos: Arriani enim in pſeudo Concilio Ariminenſi conuicti à Catholica S. Nicænæ Synodi doctrina, Filium oriri ex ſubſtantia Patris, & eiuſdem ſubſtantiæ eſſe cum Patre ſomniarunt, & perfricata fronte non erubuerunt aſſerere, Deum non eſſe ſubſtantiam, neque ſubſiſtentiam, vt inde Filium eſſe de ſubſtantia Patris negarent. His, vt reſponderetur aſſertum eſt, *Deum eſſe ſubſtantiam, Vſiam, & ſubſiſtentiam, & has voces idem ſignificare*; neque tamen negarunt & aliam ſignificationem habere. Hinc

Ter-

Tertiò. Sicuti plures perſonas ad inuicem diſtingui, Patres Latini contra Sabellij hæreſim negantis, & tres in vnam perſonam confundentis, docuerunt ſemper, & profeſſi ſunt Orthodoxi, & Catholici; ſimul tameu omni tempore, & vbique coexigerunt, & explicatè ſuſtinuerunt earumdẽ identitatem cum Diuina eſſentia: ita Patres Græci vtramque eandem veritatem eloquio Græco Catholicè explicare, & docere, & perſuadere conſtanter voluerunt; quo factum eſt, vt inter ipſos Hypoſtaſis, modò pro Vſia, cõtrarium ad Homouſion, & ideutitatem trium perſonarum cum eſſentia tuendam, modò pro diſtincta perſona vſurparint contra Sabellium, ad realem inter ſe perſonarum diſtinctionem profitendam, ſcilicet, aliquando abſolutè, aliquando relatiuè, quod vtrumque veriſſimum eſt.

Quartò. Poteſt eadem res, & alio modo explicari, & confirmari. Mos & optimus fuit Eccleſiæ, illis præcipnè temporibus, quibus aliqua oriebatur, & in primis graſſabatur hæreſis, ſuſpendere, & prohibere vſum quarumdam vocum, alioquin orthodoxarum, quæ illi hæreſi quoquomodo videbãtur fauere, iterum concedendæ extincta hæreſi illa. Sic de Ingenito, Matre Chriſti, & alijs accidit, vt iam ſuis locis notaui. Idem de Hypoſtaſi enaſcente Arrij monſtruoſa hæreſi. Cum enim hæc vox, Hypoſtaſis ſubſtantiam ſignificet, ne plures Hypoſtaſes concedendo, in Diuinis plures ſubſtantias abſolutas ad hæreticam Arrij mentem viderentur admittere, congruum fore, & vtile, Patres præſertim Latini illius temporis exiſtimarunt, ſi ab Hypoſtaſis vſu in ſenſu relatiuo ſe ſe abſtiuerent.

Quod verò D. Athanaſius relato loco tradiderit, non primam, ſed ſecundam, & tertiam perſonam Hypoſtaſim ſignificare, quaſi Hypo originem indicet, & idem ſit, quod Apud: quemadmodum cum dicitur, *Et Verbum erat apud Deum*; res noua, & nunquam aliàs audita, & contra communem, & conſueram rationem loquendi Patrum de tribus Hypoſtaſibus. Et res certa non eſt, vt obſeruat Bellarmin. de Scriptoribus Eccleſiaſticis, illius Tractatus auctorem fuiſſe Sanctum Athanaſium.

Melius, quod Buetius de duabus naturis addidit. Ideò Græci Hypoſtaſes indiuiduas ſubſtantias vocauerunt; quia cæteris ſubſunt, & quaſi quibuſdam accidentibus ſubiectæ ſunt.

Negandum tamen non eſt, inter Græcos multos inueniri Doctores, qui nomen Hypoſtaſis non vſque adeò propriè Diuinis conuenire perſonis aſſerant, licet vſu Eccleſiaſtico proprietatem acquiſierit; quam tamen inter Latinos de tribus ſubſtantijs vſque adeò non obtinuit: Diuus enim Auguſtinus, Boetius: D. Anſelm. & alij magis propriè, Deum ſupra ſubſtantiam, quam ſubſtantiam nuncupari ſcriptis tradiderunt, qua parte ſubſtantia à ſubſtando denominatur: docuerunt & Scholaſtici, vt cap. de Subſtantia retulimus.

Appendix expoſitionis verborum Ieremiæ Prophetę cap. 23. *Si ſtetiſſent in conſilio meo, &c.*

ADeſt congrua ratio exponendi propoſita verba: nam ad Hypoſtaſis veram quærendã ſententiam aſſumpta ſunt; præſertim à D. Athanaſio epiſt. ad Epiſcopos Africæ; ſub alijs tamen verbis: ipſe enim eodem capite, *Si ſtetiſſent in Hypoſtaſi mea*, vbi vulgata lectio, *Si ſtetiſſent in conſilio meo*. Sed S. Athanaſius ſequutus eſt 70. *in ſubſtantia, vel ſubſiſtentia mea*. Quid hac lectione probet S. Pater magnus Athanaſ. ſtatui ex alijs Patribus interpretari.

Diuus igitur Hieronym. primo loco, maximus diuinarum litterarum Doctor audiendus, qui in hæc verba, tria egregiè præſtat. Primum, variam horum verborum lectionem refert. Secundum vulgatæ editionis, id eſt, ſuæ veram ſententiam. Tertium, circa 70. verſionem quid ſenſerint grauiſſimi Patres; omnia verò his verbis: *Quis enim adfuit conſilio Domini? &c.* vbi nos interpretati ſumus in cõſilio Domini: & in Hebraico ſcriptũ eſt, *Beſod*. Aquila, *ſecretum*. Symmachus, *ſermonem*. Theodotio, & 70. *ſubſtantiam, ſiue ſubſiſtentiam*, interpretati ſunt. Et eſt ſenſus. *Nolite credere, ò vulgus indoctum Prophetis vobis falſa nuntiantibus, qui dicunt, & loquutus eſt Dominus, Pax vobis erit, nõ venient ſuper vos mala.* Vnde enim poſſunt Dei noſſe ſecreta, aut quo nuntiante, Dei didicerunt conſilium? Quomodo ad eos Diuinæ diſpoſitionis peruenit ſermo? *Si ſtetiſſent in conſilio meo, hoc eſt, ſi mea voluiſſent acquieſcere voluntati, & nota feciſſent populo meo verba mea, non blandientes eis, & adulatione pendentes, vt dicerent, non habetis peccata, perfectam iuſtitiam poſſidetis, ſanctitas, & pudicitia, atque iuſtitia in vobis tantummodo reperitur. Et ego non tradidiſſem eos in immunditiam, &c. vt facerent, quæ non conueniunt, & ſequerentur cogitationes ſuas peſſimas.* Quidam noſtrorum in hoc loco ſe reperiſſe putant, vbi Dei deſcribatur ſubſtantia.

Eadem refert, & eodem ſenſu conficit commentationem ſuam Theodoretus in eadem præciſa verba propoſita: *Quis ſtetit in conſiſtorio Domini, & vidit, & audiuit verbum eius? Si ſequuti fuiſſent ſermones meos, redarguiſſent vtique iniquitates populi mei, & in rectam viam reduxiſſent.*

Eadem antiquior S. Cyprian. lib. de Vnit. Eccleſiæ, vtens tamen verſione 70.

Illi verò, qui his verbis, *Dei ſubſtantiam*, deſcribi cenſuerunt, ſunt D. Ambroſ. lib. 3. de fide ad Gratianum Auguſtum, cap. 7. contra Arrianos, de eadem Chriſti ſubſtantia cum Patre, & ait, *Quoniam quis ſtetit in ſubſtantia Domini?* & alibi: *Si ſtetiſſent in ſubſtantia mea, & audiſſent verba mea, & ſi docuiſſent verba mea plebem meã, auertiſſem eos à nequitijs, & cõuentionibus ſuis. Quomodo negant Dei ſubſtantiã* (Chriſtũ?) Quomodo verbum *ſubſtantia*, quod creberrimum in Diuinis

Digitized by Google

litteris eſt, putant eſſe vitandum? Ipſi ex alia ſubſtantia, hoc eſt, *Heterouſion, dicunt Filium*; *Subſtantiam tamen in Deo eſſe non abnuunt*. Et paucis infra refert Patres in Concilio Nicæno *ſignarunt, & ſignificarunt fidem ſuam contra Heterouſion, de Homouſio Filij cum Patre ſequuti ſententiam Ieremiæ* (eodem capite) *Quis ſtetit in ſubſtantia Dei? Et quis vidit Verbum Dei?*

Sed paulò antiquior magnus Athanaſ. de vnitate Deitate Trinitatis lib. 3. iterum recenſito, *Quis ſtabit in ſubſtantia Domini*, & *videbit Verbum eius? Planè quis hominum potuit ſtare in ſubſtantia Domini, & videre Verbum, ideſt, Filium eius, ſicut ipſe dicit: Nemo vidit Patrem, niſi Filius, & nemo ſcit Filium, niſi Pater. Conſidera meam eſſe inuiſibilem ſubſtantiam Trinitatis.* Sed adhuc adiecit: *Si ſtetiſſent in ſubſtantia mea, &c.* & ibidem *Arriani in Conuentu Arimini ea audacia fuere, vt affirmauerint illicitè dictum eſſe (in Concilio Nicano à Patribus, ex Patris ſubſtantia Filium eſſe) eſſentiam, aut Hypoſtaſim habere Deum. Ex quibus, fratres cariſſimi, videre licet Patres Nicanos Scripturas ſpirare, ac redolere, loquente ipſo Domino*, tum in lib. *Exodi cap. 3. Ego ſum, qui ſum; tùm per Ieremiam: Quis ſtetit in ſubſtantia eius?* Et paulò poſt: *Si ſtetiſſent in hypoſtaſi mea, & audiſſent verba mea; Hypoſtaſis autem eſſentia eſt, neque aliud ſignificatum habet, niſi hoc ipſum quod eſt.* Quod Ieremias *Hyſparxin nominauit, dicens, Non audiſtis vocem Hyſparxeos: nam & Hypoſtaſis, & Vſia idem eſt, quod Hyſparxis, ac ſi dicas ſubſiſtentiam, & ſubſtantiam idem eſſe enim eſſentia: eſt enim* Deus, *& ſubſiſtit. Quod idem* D. *Paulus Hebraor. 2. Qui eſt ſplendor gloria, & character Hypoſtaſis eius.* Et Auctor in diſputatione habita Laodiceæ contra Arrium, verſus finem. *Ieremiae quoque prudentiſſimus Prophetarum de* Dei *Patris perſona concionatur, & dicit: Si ſtetiſſent in ſubſtantia, & audiſſent verbum meum, auertiſſem eos, &c.* Et vt eum de Filio dixiſſe probaret, ſubiungit idem Propheta: *Quis ſtabit in ſubſtantia mea, & videbit Verbum meum? Verbum enim eſſe Filium de ſubſtantia Patris teſtatur Propheta* David: *Eructauit cor meum Verbum bonum.*

D. Epiphanius hæreſi 69. *Subſtantia, & eſſentia ſunt idem ratione: conſiſtit enim* Dominus *in ſubſtantia, & in hoc ſplendor gloria, & character ſubſtantia eius.*

D. Nazianz. tract. de Fide, qui eſt oratio 49. ante medium vtitur hoc loco, & legit, *Quis ſtabit in ſubſtantia* Domini? & iterum, *Si ſtetiſſent in ſubſtantia mea*, vt inde colligat Homouſion Filij contra Arrianos.

D. Chryſoſt. *Quis ſtetit in ſubſtantia? Quis Deum videre potuit?*

D. Hilarius lib. 1. de Trinit. *Standum per fidem ante eſt, vt admonet S. Ieremias, in ſubſtantia* Dei; *vt de ſubſtantia Dei audituri, ſenſum ſuum ad ea, qua de eius ſubſtantia ſunt digna, moderetur.*

Marius Victorinus libello de recipiẽdo Homouſio: *Quis ſtetit in ſubſtantia mea? Subſtantia Domini figura ſubſtantiæ Dei.* Vbi exponit, ſi Dei ſubſtantiam intellexiſſent, Verbum Dei vidiſſent; vnde deduco, ergo Verbum eſt de intrinſeca ratione ſubſtantiæ Dei, aliàs nulla eſſet conſequentia horum Sanctorum Patrum.

Hæc à tot grauiſſimis, doctiſſimis, & ſanctiſſimis Patribus de ſententia verborum Ieremiæ Prophetæ, ex varia, ac multiplici *Beſod*, & ſignificatione, & interpretatione. Circà quæ obſeruarem.

Primò, id obuenire ex vbertate ſenſus Diuinarum litterarum, & vocum præcipuè linguæ ſanctæ, quæ quò vocabulorum penuria laborat, eò eodem ſæpè termino, & vocabulo abundat ſententijs, & myſterijs; ita vt Spiritum Sanctum per Ieremiæ innocentis os à SS. Patribus relata, voluiſſe dictare crederem; vt hoc loco admodum congruat, in mentem illa Dauid verba reducere, *ſemel loquutus eſt, & duo hac* (plura) *audiui*. Et illud Oſeæ: *In manibus Prophetarum aſsimilatus ſum, & viſiones multiplicaui eis*: nimirum plurima ſecreta per eadem verba reuelaui, vt & S. Thom. 1. par. quæſt. 1. art. 10. peracutè in hunc locum ſcriptis tradit; vbi cum multis alijs doctiſſimis Viris eundem Diuinorum Bibliorum locum, plures ſæpè ſenſus litterales complecti docuit: quemadmodum fortaſſe & hic, quem præ manibus verſamus; quod vt aſſeram hoc loco, meo quidem iudicio ferè cogunt tot vetuſtiſſimi Patres, qui in ea gemina ſententia, & verſione *Beſod* conueniunt.

Secundò. Si vox *Beſod* ſecretum, & conſilium Domini abſconditiſsimum præſefert, idoneè potuit & Diuinæ ſubſtantiæ etiam, vt in tribus ſubſiſtit abditiſſimum Sacramentum continere, & explicare.

Tertiò. Nam & conſilium, & voluntatem Diuinam in lege explicatam complecti, & obſeruare, cum ſumma hominis ſit ad ſalutem conſequendã, & ſubſtantia, & fundamentum: non abſonum fuit *Beſod*, & in conſilium, & in ſecretum, & in ſubſtantiam conuerti, & traduci. Ita D. Paulus fidem rerum ſperandarum, Hypoſtaſim, & ſubſtantiam nuncupauit: & Chriſtum Dominum fundamentum, illis verbis: *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere, prater id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus*, &c.

Eſt igitur conſilium, & voluntas Dei ſubſtantia, & immobile fundamentum, ſtabile, & incõcuſſum, quod dimoueri nullo modo poteſt in hominum ſalutis ædificio, ſine quo in arena eſt ædificare, quod tentant homines, & moliuntur: ſtatim enim ruit: cadunt, & colliduntur ad mortẽ, quibus non Deus manum ſuam ſuppoſuit. Denique *ſine me nihil poteſtis facere*, & ſicuti *qui manet in Charitate, in Deo manet*: ita *qui non diligit, manet in morte*. Ratio eſt, quia non manet in Deo.

Digitized by Google

CAPVT VI.

De Perſona.

ADmiſſa iam eſt vox Perſonæ ad Diuina ſuppoſitá nominanda, & ſignificanda ex communi vſu Eccleſiæ apud SS. Patres, & omnes Scholaſticos, & apertiſſimum, & conſtantiſſimum eſt; vt etiam nos iam antea, cum alijs docuimus ſuo loco. Qua verò perfectione explicet, & an adæquatè quid tres, in Deo.

Reſpondet D. Auguſt. 5. de Trinit. cap. 9. *Cùm quæritur, quid tres? magna prorſus inopia humanum eloquium laborat: dictum eſt tamen, tres Perſonæ; non vt illud diceretur, ſed ne omninò taceretur*: non enim rei ineffabilis eminentiam hæc vox explicare valet; tres tamen dictæ ſunt Perſonæ triplici ex capite, vt S. Bonauent. 3. dub. litt. diſt. 23.

Primò: nam reſpondendi neceſſitas imminebat. Secundò, quia ratio congruebat, & idonea vox Perſona ad ſignificandum quod quærebatur, vt diſputatione de Perſona explicatum eſt. Tertiò, quia Scriptura non contradicebat, licet neque explicatè concederet: ſicuti ex D. Auguſt. lib. 7. cap. 4. de Trinit. *Pater, Filius, & Spiritus Sanctus verè ſunt Deus, & verè dicuntur tres Perſonæ; tamen tres Dij non dicuntur, quia Diuina Scriptura contradicit*, Deuter. 6. *Audi Iſrael, Dominus Deus tuus, Deus vnus eſt.*

Si verò obijcias. Ad quid ad ineffabile myſterium Sanctiſsimæ Trinitatis explicandum aſſumere voces, quæ pro dignitate rē non explicēt? Reſp. iam S. Auguſt. Magiſter, & inde omnes Theologi neceſsitate preſſi; vt petentibus, quæ poſſemus de fide noſtra, reſponderemus; ſed hoc ferè commune in reliquis fidei noſtræ de Deo Sacramentis: omnem enim dicendi Creaturæ vim, Diuinæ rei dicendæ magnitudo vincit.

Verumtamen Laurentium Vallam extra horum ſaltare, & indigniſsimè Perſonam Theologi agere, & etiam Grammatici, dum lib. 6. cap. 34. Elegantiarum. Perſonam, qualitatem dumtaxat ſignificare aſſerit; ita vt ſi perſona pro ſubſtantia explicanda aſſumatur, non tam Deo, quam bruto conuenire; & denique tres perſonas in Deo, tres qualitates eſſe. Inciuilis, inſolens, & mirè idiota grammatulus, & Theologi, vt dicebam, impiè ſuſtinet onus: nam in Diuinis verè ſunt Perſonæ; nulla tamen qualitas: ſi verò qualitates vellet ſumere, id eſt, ad modum qualitatis, tunc erunt perfectiones Diuinæ infinitæ virtutis ad inuicem, niſi ratione diſtinctæ, & re vera vna tantum: quo ſenſu pædagogus, aut apertum ſectari Arrianiſmum, aut Sabellianiſmum. Conceditur ergo aliquando qualitatem ſignificari à Perſona; in Diuinis tamen ſemper ſubſtantiam indiuiduam; & etiā in humanis vt plurimum: & colligitur etiam ex Diuinis litteris: nam Actor. 10. ad Rom. 2. & alibi. Perſonam pro humana hypoſtaſi ſumi, clariſſimum eſt: & declarat S. Auguſt. lib. 2. ad Bonifacium, cap. 7. vbi explicans quid ſit eſſe Perſonarū acceptorem, prodit *in diſtributione bonorum non merita, ſed homines reſpicere, eiſq; plus, aut minus elargiri, quam eorum merita requirant.*

Sed quid, vt Grammaticus fœdiſsimè errat, vt proprio loco notaui: negat, Perſonam eſſe vocem Romanam, & Latinam Tullianam: Latina enim Tulliana eſt, qua ſæpè in Partitionibus, & Topicis vtitur Tullius, & Valerius Maximus lib. 1. cap. 11. & alibi ſæpè: ſaltem à pueris didiciſſet; de Perſonis enim interrogati, Ego, primam Perſonam reſpondent eſſe; Tu, ſecundam; Ille, tertiam, & de hominibus neceſſariò intelligunt.

CAPVT VII.

De ſignificatione, & vſu huius vocis Helohim.

SIngulare Helohim eſt Heloha, vt docuit S. Bonauent. dub. litt. 8. diſt. 2. & poſt notarunt Steucus Geneſ. 1. in illa verba: *In principio creauit Deus*. & ibidem Pererius diſput. 17. Et inuenitur Iob cap. 12. *Inuocauit Deum* Heloha, *& exaudiuit eum*. cap. 36. *Adhuc habeo, quod pro Deo loquar*. Hebræa Heloha. Habacuh 1. *Hæc eſt fortitudo Dei ſui*. Hebræa Heloha. cap. 3. *Deus* Heloha *ab Auſtro veniet*,

Plurale verò Helohin vbique, & aliquando Iudices vtentes, Principes participantes Dei maieſtatem, & imperium; aliquando Angelos, *Minuiſti eum paulominus ab Angelis*. Hebræa Helohin: *Adorent eum omnes Angeli eius*. Hebræa Helohim, & alibi. Ratio poteſt eſſe, quatenus ſæpè Angeli Dei ſunt Nuncij, Deumq; ſuſtinent, ac eius Maieſtatem repræſentant; ita vt quando Dei voce loquentis audiebatur: *Et ego Dominus qui loquor, & dicit Dominus* addebatur; fuerunt Angeli Dei ipſius nomine loquentes, aſſerētibus multis Patribus, & interprete D. Paulo, per Angelos miniſtratam legem: in qua tamen dictāda, & promulganda, Deus loqui dicebatur. Certa verò, & celebris, & prima, ac per ſe ſui ſignificatione eſt, qua Deum ſignificat. Vbique Diuinæ litteræ: ſufficiant prima 1. cap. Geneſ. verba: *In principio creauit Deus*: Hebræa enim Helohim habent.

Sed non contemnenda, nec diſſimulanda dubitatio. Quid cauſæ ſit in Diuinis veteris Teſtamenti litteris, cum de Deo vero occurrit ſermo, cum ſingulari nomine Heloha vti poſſet Spiritus Sanctus; vbique tamen ferè locorum ad vnum Deum nomenclandum, multitudinis nomen Helohim vſurpet, ſicuti alibi ad aliud plura retuli loca, & exempla, & aliqua pauciora nunc referam. Geneſ. 1. *In principio creauit Deus cælum, & terram*. Hebræa Helohim. Ibid *Vidit Deus quod eſſet bonum*. Hebræa Helohin legunt. Geneſ. 20. *Poſtquam eduxit me Deus*. Hebræa declinare me fecerunt Helohim. Geneſ. 35. *Apparuit ei Deus*. Hebræa. Apparuerunt ei Helohim. Ioſue 24. *Deus Sanctus eſt*. Hebraicè. Quia Helohim Sancti ipſe. 2. Reg. 7. *Propter quam iuit Deus, vt redimeret eum ſibi populum.*

Digitized by Google

pulum. Hebraicè. Propter quam iuerunt Helohim ad redimendum. Et alibi ſæpiſsimè.

Et eò difficilior redditur dubitatio, quò primò quibuſdam locis etiam ex relatis, nedum Deum, Deorum plurium nomine profert; ſed aut verbum, aut adiectiuum eius plurium numeri, vt conſtat vltimo loco relato, *Iuerunt Helohim*. Secundò, adhuc vehementer augetur dubitatio; eo enim per Moyſen dirigit Deus ſacra Biblia, ac in primis Geneſ. librum populo ſuo; vt eum de vnico Deo inſtrueret, & nimis idololatriæ propenſum, ab ea auerteret; hac tamen plurium Deorum phraſi magis videtur viam aperire, anſamque ad eam præbere.

Reſp. primò ex inſignis notæ Theologis, Magiſtro 1. Senten. diſt. 2. Ibidem S. Bonauent. dub. 3. litt. S. Thom. 1. part. quæſt. 59. art. 3. ad 2. Alexan. 1. par. quæſt. 50. memb. 2. ad 2. Carthuſ. quæſt. 8. Lyrano, Burgenſi, Galatino lib. 2. de Arcanis, cap. 9. Steuco Eugubino, Geneſ. 1. Genebrardo in Pſal. 110. in illa verba, *Exquiſita in omnes voluntates eius*. Hebraicè Helorum; qui addit, id eſt, Deus, qui eſt vnus, & trinus. Qui omnes, præſertim ex cap. 1. Geneſ. *In principio creauit Deus*, Helohim, Deus ſcilicet trinus, vt numerus multitudinis non pluralitatem Deorum, ſed vnius Dei, plurium, id eſt, trium perſonarum ſignificet; quas tamen explicatè non nominauit Moyſes rudiori illi populo, ne numero illo plurium perſonarum deceptus, plures Deos acciperet.

Scio alios viros egregios, & Hebraicæ linguæ obſeruatione præſtantes, & peritia celebres, oppoſitum docuiſſe de hac voce: in Diuinis litteris nimirum ex frequenti vſu aſſumi abſque vllo ſanctiſſimæ Trinitatis myſterio: Abulenſ. enim tract. de Trinit. Caiet. in cap. 1. Geneſ. Perer. ibidem diſp. 17. Bellarm. tom. 1. lib. 2. de Chriſto cap. 6. Vaſq. 1. par. diſp. 108. cap. 2. Suar. lib. 4. de Trinit. cap. 12. & inclinat Riccard. in 1. diſt. 4. quæſt. 3. ad 1. Hi, inquam, cum de Deo vero loquitur Diuina Scriptura, licet numero plurium, ſignificatione tamen ſingulari ad vnum Deum teſtandum, Helohim vtitur, & hunc eſſe familiarem idiomatis Hebræi vſum abſque vlla figura, aut metaphora aſſeuerãt. Et addit Bellarm. indicato loco, obtinuiſſe conſuetudinem, vt illuſtrium perſonarum nomina pluriũ numero aſſumantur, licet ad ſingularem perſonam indicandam. Quemadmodum & nos Itali, dum viris grauibus loquimur, non tu, aut te, ſed vos dicimus, licet vnum alloquamur: ipſiq; de ſe loquentes, non ego, ſed nos grauitatis, & maieſtatis gratia aiunt; ita vt abſque vllo myſterio Spiritus Sanctus in Diuinis litteris, plurali Helohim pro ſingulari Heloha. Quod efficaciſſimè probare exiſtimant: nunquam enim 70. Interpretes, neque D. Hieronym. nec alius Helohim verterũt Deos, plurium numero; ſed perpetuò Deum, in linguam latinam: ergo linguæ Sanctæ peritiſſimi ita probè intellexerunt, & verterunt, eò præſertim ne populo illi rudiori, & ad idololatriam procliui ſcandalũ præberent, & occaſionẽ idolatrandi pluribus Dijs.

Confirmat alia ratione idem Bellarminus eod. loco. Si vox Helohim terminatione pluralis, ſignificatione quoque eſſet, admitteretur frequentiſſima, & apertiſſima in Diuinis litteris cõtradictio: adeò enim frequens in illis vnius Dei repetitio; frequens enim Helohim, id eſt, Deorum; inde ſequeretur, Deus vnus eſt, Deus non vnus: credibile autem non eſt, Deum voluiſſe his apparentibus contradictionibus ſuum populum perturbare.

Reſpondeo hinc inde ex tot grauiſſimis Doctoribus in vtramque partem licitum eſſe, & tutum huius vocis Helohim vſum.

Reſpondeo ſecundò, quamuis in illam ſententiam inclinauerim, quæ Helohim in plurali nullum concedebat myſterium; ſed ex libertate idiomatis ad vnum Deum ſignificandum aſſumebat; in oppoſitum nunc libentius deſcendo. Primò, quia vtraque tuta. Secundò, ne ſine myſterio in Diuinis litteris vnum verbum admittatur, reclamantibus præcipuè multis vetuſtiſſimis, & ſanctiſſimis Patribus: mihi enim perſuadere non poſſum, Spiritum Sanctum, cum potuiſſet in ſingulari numero loqui, quaſi otiosè tamen, & nulla ratione ad Deum vnũ ſignificandum plures pronuntiaſſe. Diuinarum litterarum fœcunditati videtur hic dicendi modus tantiſper derogare, eò vel maximè; quia ille rudis populus, gnarus non poterat eſſe illius Hebraici ſermonis, loquendi ſiue myſterio idiotiſmi & errandi periculo exponebatur de Deorum pluralitate; & æquè idoneè euitatur periculum, ſi illa phraſi non duos plurificari; ſed vnius Deitatis ſuppoſita plura aſſerantur, quàm ſi illa voce Helohim plurium numero nihil de nouo ſignificari, cum aliquali diuinarum litterarum maieſtatis detrimento. Neque quicquam prodeſt, meo iudicio, ſi illo temporis curriculo, illoq; fidelium ſtatu Sanctiſſimæ Trinitatis myſterium proponere non fuiſſe oportunum, reſpondeatur: imò 70. Interpretes hac eadem ratione in ſua verſione occultaſſe hoc myſterium. Reſpondetur enim, imò innumeris locis, vt ſupra pluries notauimus, Sanctiſſimæ Trinitatis ſacramentum propoſitum, & explicatum eſſe in veteri teſtamento, ſi non ad plebem, ad plebis capita; ſi non pro illo tempore, pro noſtro tamen, & Euangelico, prædicendo, & prophetando; vt inter alios Rupertus Abbas in illud Iſai. 6. Triſagiũ: quod ſi alibi multis locis, quid abſurditatis eſt, ſi & hoc verbo Helohim indicari exiſtimamus, ſuo tempore credendum explicare? & tunc interim populus ille pedetentim de hac fide inſtrui inceperit?

Tertiò. Neque Helohim, tantum Deos, ſed potentes, magnos, & Angelos ſignificare, ſicuti qui huius vocabuli vim norunt, tradunt: & Diuinas perſonas licitè appellari magnas, potentes, &c. ſi adiectiuè hæc prædicata ſumantur, grauiſſimè docent Patres, ſicuti D. Athanaſius in Symbolo, eas *coæquales, & coæternas* fideliter dici docuit. Eadẽ ratione colligimus & magnas, & potentes; imò adſunt Concilia, Romanum tertium, vbi Damaſus primus in anathematiſmis aduerſus hæreſes Apollinaris, Arrij, Sabellij, &c. ſtatuit: *Si quis tres perſonas non dixerit veras, Patris, Filij, & Spiritus Sancti æquales, ſemper viuentes, omnia continentes, viſibilia, & inuiſibilia, omnipotentes, om-*

nia iudicantes, omnia viuificantes, omnia facientes, omnia ſaluantes, anathema ſit. Nicænum l. 2. §. in l. Iob. *dicit æqualem peritiam artificum, ideſt Patris, Filij, & Spiritus Sancti:* & infra: *quorum creationis æqualis eſt fabrica, & æqualis etiam ſit opificum appellatio.* Non deſunt, vt ceperam dicere, etiam Patres, D. Athanaſ. q. 13. de natura Dei, tres vocat Diuinas perſonas, *principij expertes, & aborigines, tria ſancta, tria conſancta, tria conformia, tria cooperantia &c.* S. Epiph. in Ancorato. *Vitas, & vitam: lumina, & lumen: glorias, & gloriam: bona, & bonum.* S. Nazianz. orat. 13. quæ eſt 21. de Pace.

Reddunt rationem primiores Theologi ſupra. S. Bonau. dum adiacentes prædicationes concedit. S. Thom. art. 3. q. 34. quia nomina adiectiua Diuinas perſonas ſignificant, per modum accidentis in ſubiecto inhærentis, à quo vnitatem ſuſcipit, aut pluralitatem: Diuinæ verò perſonæ ſunt plura ſuppoſita, & quaſi ſubiecta harum ſic ſignificatarum perfectionum: quocirca poſſunt tres boni, tres magni, tres potentes ſignificari; tunc præſertim, quando huiuſmodi adiectiua correlatiui vim continent: ergo Diuinæ perſonæ ſignificantur per Elohim &c.

Neque vrgent, quæ opponuntur, perturbari plebem huiuſmodi apparentibus contradictionibus: non ſunt enim contradictiones, vnitas Dei, & pluralitas perſonarum; neque noſtris temporibus perturbatur populus idiota de Vnitate Dei; & Trinitate perſonarum in Euangelio tradita.

Neque momenti eſt quod obijcit Ruiz, per Elohim nullo modo poſſe Diuinarum perſonarum Trinitatem ſignificari: nam non ſunt tres Dij, & vna, eademque natura Diuina in tribus: Iam enim reſponſum eſt, non plures naturas ſignificari, ſed plura prædicata Diuina adiectiuè in Diuinis perſonis.

Quod obijciebatur vltimo loco, potuiſſe Deum maieſtatis gratia, ſe ipſum numero plurium nominare, quaſi Nos Elohim. Reſp. difficillimè admittendum hunc modum dicendi, & aperire viam ad perturbandas multas veritates in Diuinis litteris. Ita aduerſarij impiè gloſſabant illa verba: *faciamus hominem ad imaginem* &c. Diuinas perſonas non eſſe locutas ad inuicem, ſed ad Angelos; dixiſſe tamen *faciamus* grauitatis gratia. Et innumeris locis auditur Deus loquens, *Dicit Dominus; Ego Dominus, qui loquor vobis,* nequaquam autem *Nos:* ita vt hic loquendi mos inter homines admittatur, non apud Deum.

Ad id quod omnium vrgentiſſimum videbatur, quod Elohim 70. interpretes, & D. Hieronymus ſemper in ſingulare Deum verterant. Reſpondetur, veriſſimum quod aſſeritur, & rectiſſimum quod factum eſt; neque nos ex hac voce plures Deos aſſerendum, aut vertendum dicimus; ſed cum vno Deo plures Diuinas perſonas idoneè conſignificari: neque hoc aduerſari libertati idiomatis, ſed idiomati eſt addere, myſterij fidei fœcunditatem.

CAPVT VIII.

De Nomine, Qui eſt. *Exod.* 3.

HOc eſt nomen quàm maximum, maximèque proprium, impoſuit ſibi Deus Opt. max. cum Exodi 3. miſit Moyſen ad Pharaonem, vt educeret populum ſuum, filios Iſrael ex Ægypto, in illis verbis: *Ego vadam ad filios Iſrael, & dicam eis: Deus Patrum veſtrorum miſit me ad vos. Si dixerint mihi, quod eſt nomen eius? quid dicam eis? Dixit Dominus ad Moyſen: Qui eſt, miſit me ad vos; Ego ſum, qui ſum:* Hebraicè (vt etiam ſupra alio loco notauimus) *Ero, qui ero, & erit, miſit me.* Sed teſte Lirano eadem eſt vtriuſque textus ſententia: neceſſitatem enim eſſendi Dei, æternitatem, & immutabilitatem per omnem modum ſignificat.

Caietanus tamen neſcio quandam energiam ex littera Hebræa futuri temporis colligit, cognitionem nimirum Diuini eſſe, populo rudiori faciliorem; per omnem enim temporis partem Deum durare clarius percipitur, quàm ſi diceretur, *eſt.*

Oleaſter, ſic melius à Dijs falſis verus Deus diſtinctè dignoſcitur: illi enim aliquando inceperunt eſſe, & deſierunt; Deus autem verus fuit, & erit in æternum. Alij, nomen Dei *Ero, qui ero:* ero primum eſt nomen, ſecundum autem ero, demonſtratio: eſt enim verus Deus, quia æternus, & nunquam deſiturus.

Sed hæc licet vera, verius tamen quod 70. D. Hieronym. editionis vulgatæ Author interpretati ſunt. Ero, pro ſum, poſitum eſſe: Ita enim ex Hebræo textus noſter habet: *Ego ſum, qui ſum: Qui eſt, miſit me.* D. Bonauen. 1. ſent. diſt. 2. dub. 4. litt. & diſt. 22. 1. p. art. 1. q. 2. his verbis: Huius nominis, vel vt ipſe ait, circumlocutionibus vim explicat: *Qui eſt,* vel *Ego ſum,* quia *ſum,* eſt nomen eſſentiæ proprium: hæc enim eſt quædam circumlocutio ſignificans entitatem in omnimoda perfectione, & abſolutione: & hoc eſt nomen proprium Diuinæ ſubſtantiæ.

D. Thom. 1. par. quæſt. 19. art. 11. hoc nomen eſſe maximè proprium profitetur tribus rationibus demonſtrare. Prima, propter ſui ſignificationem: ſignificat enim non aliquam Dei formam determinatam, ſed ipſum eſſe: ergo cum Deus ſolus ſit ſua eſſentia; ei ſoli congruit hoc nomen. Secunda, multa ex reliquis Deo attributis nominibus ad aliquid de Deo diſtinctum ſignificandum; cum tamen ſolus Deus ſit illimitatè omne ens: ergo hoc nomen hanc entis vniuerſitatem optimè prodens, maximè Dei proprium dicendum eſt. Didicit, & probat ex D. Damaſceno lib. 1. cap. 12. Orthodoxæ fidei, hoc nomen inter Dei nomina principalius exiſtere: *totum enim in ſe ipſo comprehendens, veluti quoddam Pelagus ſubſtantiæ infinitum, & indeterminatum* explicat. Tertia, ex conſignificatione temporis præſentis *Eſt,* quod eius eſſe maximè proprium, quod neque futurum, neque præteritum

tum

Digitized by Google

tum nouit ex D. Auguſt. 5. de Trinit. cap. 2.

In reſponſione ad 1. interpretatur hoc nomen. *Qui eſt*, magis proprium, quàm *Deus*, hac ratione: Eſſe Dei, quid illimitatum, & vniuerſum, independens, & inuariabile exponit. Et ad 2. eadem ratione excellentius aſſerit, quàm *boni* nomen: nomen enim *Bonum* præſupponens hoc eſſe Dei excellentiſſimè, Dei vim omnia communicandi, & cauſandi manifeſtat. Sed fortaſsè melius D. Bon. diſt. 22. quæſt. 3. Bonum dicere omnimodam perfectionem Diuinam, & integritatem, cui nihil deeſſe poſsit: gemina enim eſt bonitatis ratio. Altera, eam habentem optimè integrans. Altera, in eſſe appetibili, & vt poſsit alteri prodeſſe cōſtituens: & licet eam ipſe D. Dionyſius Areopag. exprimat, vt omnium proceſsionum manifeſtatiuam; cum tamen de proceſsionibus etiam ad intra, quæ ſunt de conſtitutione ipſius Dei (non enim eſſet ille Deus, quem adoramus ſine his proceſsionibus) congruam admittat expoſitionem, idem quod S. Bonauentura docet.

Hanc peregregiam Theologiam huius à Deo ſibi impoſiti nominis, ex clariſsimis Sanctorum Patrum fontibus ebiberunt: D. Bernardus enim lib. 5. de Conſiderat. elegantiſſimè: *Deus hoc de ſe voluit reſpondere Hebrais per Moyſen nomine Qui eſt miſit me ad vos; meritò quidem: nihil enim competentius aternitati, qua Deus eſt: ſi enim bonum, ſi magnum, ſi beatum, ſi ſapientem, vel quidquid aliud tale de Deo dixeris, in hoc verbo inſtauratur, Quod eſt; nempe hoc eſt ei eſſe, quod omnia eſſe.* Et paucis infrà: *Quid enim eſt Deus, ſine quo nihil eſt? tam nihil eſſe ſine ipſo, quàm nec ipſe ſine ſe poteſt. Ipſe ſibi, ipſe omnibus eſt. At per hoc quodammodo ſolus eſt ipſe, qui ſuum ipſius eſt, & omnium eſſe.* Quibus mirè *qui eſt*, & eſſe Diuinum complecti, & verè eſſe ſolum: reliqua quidem Dei eſſe tamen exiliter per participationem quandam, ſemper mutationi ſubiecta, explicatur.

D. Gregorius Magnus lib. 16. Moral. cap. 18. in illa verba Iob. cap. 22. *Ipſe ſolus eſt. Creauit vt eſſent omnia. Verùm aliud eſt eſſe, aliud principaliter eſſe, & aliud mutabiliter, atque aliud immutabiliter eſſe.* Et lib. 18. cap. 34. *Solus Deus veraciter eſt, cuius eſſentia comparatum eſſe noſtrum, eſt non eſſe.* Et infra, *hinc ad Moyſen dixit Deus: Ego ſum qui ſum, ſolus veraciter eſt, qui ſolus incommutabiliter eſt.* Ergo ex D. Greg. Deus ſolus eſt; quia permanens, incommutabile, & æternum eſſe habet.

D. Auguſt. in illa verba Pſal. 9. *Sperent in te, qui nouerunt nomen tuum. Dominus*, inquit, *ad Moyſen dixit: Ego ſum qui ſum, ſperent igitur in te qui cognoſcunt hoc nomen tuum. Nec ſperēt in rebus, qua temporis volubilitate praterfluunt; nihil habentes niſi erit, fuit.* Et infra, *In Dei natura non erit aliquid quaſi nondum ſit, nec fuit aliquid quaſi iam non ſit, ſed eſt ipſa tantum id quod eſt, & eſt ipſa aternitas.*

Explicatins S. Hieronymus in illa verba ad Epheſ. 3. *Ex quo omnis Paternitas in cœlo, & in terra nominatur. Sicut Deus eſſentia, & ſubſtantia ſua nomen etiam rebus cateris impertit, non quod ipſa ex ſua natura ſint: fuit enim tempus, quando vniuerſa non fuerunt, & rurſum ſi voluerit, in nihilum reuertentur; ſed quod eſſe dicantur, id habent Dei voluntate donatum; ſed & Paternitatis nomen ex ſemetipſo largitus eſt alys. Quod vt manifeſtius fiat, Scripturarum teſtimonium proferamus. Loquitur in Exodo Dominus Moyſi: Ego ſum qui ſum. Nunquid ſolus Deus erat, & catera non erant?* &c. *ob eam profectò cauſam, quod catera quod ſint, mero Dei ſumpſere beneficio. Deus verò, qui ſemper eſt, nec habet aliunde principium, & ipſe ſui origo eſt, ſuaque cauſa ſubſtantia; non poteſt intelligi aliunde habere, quod ſubſiſtit.*

D. Hieronymi doctiſsimus, & obſeruandiſsimus Præceptor Gregor. Nazianz. Orat. de Natiuit. Domini, multis elegantiſsimis, & grauiſsimis verbis hæc eadem verba *Ego ſum qui ſum*, de æternitate Dei interpretatur.

D. Iuſtinus Martyr ſermone exhortatorio, referens & Platonem, cui hoc Diuinum nomen innotuit; exiſtimauit, & expoſuit, & docuit, hoc nomen *Ego ſum qui ſum*, primò ſibi impoſuiſſe Deum, vt ſe ſolum Deum verum eſſe declararet, cæterorumque Deorum falſam opinionem, & cultum, & idololatriam extirpandam eſſe; & ex Platone his verbis, ſibi nomen Deum non impoſuiſſe, ſed natura ſua à ſe exiſtente veræ Deitatis explicata, aliud ſibi nomen non competere: ſolus enim Deus eſt: nominibus vero diſtinctis indigere multitudinem, vt per hæc multi inter ſe dignoſcantur, & diſtinguantur.

Omniū fere vetuſtiſsimus inter Patres D. Areopagita de Diuinis Nomin. cap. 5. eruditiſsimè de Diuino eſſe per hoc verbum *Qui eſt*, explicatè refert, ac docet primò, magnificentius Deum à ſuo Diuino eſſe commendari, & cognoſci, quàm à quocumque alio effectu: eſt enim tum primò quod & Deo, & cuique alteri rei aduenit, tum intimum maximè, independens, maximè neceſſarium, vniuerſaliſsimum, infinitum, ſimpliciſsimum, perfectiſsimum, continens eminenter cæteras perfectiones. Quæ omnia explicantur per hæc, *Ego ſum qui ſum*: ergo maximum Dei nomen. Imò & Philo Hebræus antiquiſsimus lib. de Vita Moyſis, ſic Moyſi reſpondit Dominus: *Ego ſum qui ſum*, vt diſcerent gentes differentiam inter ens, & non ens, & ſcirent nullum nomen de me dici propriè, cui ſoli eſſe competit. Quod ſi vt debiliores ingenio, inſiſterent quærere nomen meum; dices eis, non tantum me eſſe Deum, ſed Deum trium Virorum à virtute denominatorum Abrahæ, Iſaac, & Iacob &c. ita vt his verbis Philo Deum ſolum verum eſſe habere, neque indigere nomine velit.

Sed quid? inter Gentes, Ethnicos populos hoc celebratiſsimum nomen cognitum, & magnificatum fuit: nam *Qui eſt*, cognouit & Plato in Thimæo, vt retulit ſupra Iuſtinus: eo enim libro id ſolum eſſe affirmauit, quod prorſus immutabile eſt, neque principium, neque finem habens.

Steucus refert in Ægyptiorum Templis hæc Dei

Digitized by Google

Dei verba inſcripta : *Ego ſum omne quod fuit , quod eſt , quod futurum eſt . Velum meum nemo vnquam reuelauit .*

Plutarchus in quodam opuſculo , in foro Templi Apollinis Delphici teſtatur fuiſſe inſculptas has duaa ſententias . Alteram, qua quaſi Deus ingredientibus ſalutem dicebat : *cognoſce te ipſum .* Alteram , qua Deum inſalutantes , qui ingrediebantur Deo dicebant , *Tu es* , & Deum ſolum qui eſt confitebantur , vt ad Dei hanc celſiſsimam cognitionem prærequiri ſui ipſius cognitionem . Hæc magni , ac maximi huius nominis aſſerta celebritaa , & vberrima myſteriorum Dei ipſius comprehenſio , & ſignificatio .

Verum quatuor ex hia exurgunt non paruipendendæ dubitationes de hoc Dei nomine ſacerrimo. Prima . An verè ſit Dei nomen *Qui eſt*, vel magis nominis negatio . Secunda. An inter reliqua Dei nomina hoc ſit maximum,maximèque proprium. Tertia. Quid huius nominis cognitio ad Sanctiſsimæ Trinitatis myſterium percipiendum , & explicandum attineat . Quarta . Qua perfectione , & an Deum ſolum ſignificet .

Ad primæ dubitationis ſolutionem aſſurgo, & in genere fateor , *Qui eſt* apparere potius negationem nominis Dei, quàm poſitionem, & non deeſſe qui id ſuſtineant, ijs facile moti coniecturis. Tu quæria nomen meum ? Sed cum ego ſim qui ſum , nimirum ipſum eſſe illimitatum, & omne , & ſubinde incomprehenſibile; nullum mihi nomen verè , & propriè conuenire poteſt : nullum enim tantæ comprehenſionis , & ſignificationis . Et fortaſſe hinc Prouerb. 30. *Quod nomen eſt eius , & nomen Filij eius ?* Et Iudicum 13. *Cur quæris nomen meum quod eſt mirabile ?*

Hanc voluiſſe ſententiam ex ante relatis conſtat D. Iuſtinum Mart. & ab ipſo relatum Platonem,& Philonem hebræum: negaſſe nimirũ Deum Moyſi ſuum nomen , ac rationem reddidiſſe iam indicatam , & ad hoc addidiſſe: *Si tibi inſtarent de nomine meo , ſic dices illis : Deus patrum veſtrorum , Deus Abraham , Deus Iſaac &c. ac ſi dixiſſet : Ego ſum Deus, quem Sanctiſsimi Patres veſtri coluerunt , & inde verus Deus : hoc ſufficiat vobis , nihil aliud de nomine meo curantes .*

Verum reliqua Patrum , ac Theologorum cohors oppoſitum ſentiens , hoc eſſe nedum veri Dei nomen , ſed maximum, & maximè proprium aſſerit: ſi enim *Qui eſt* , eſt Iehoua , & hoc ineffabile nomen Dei ; hoc quoque erit nomen . Neque videtur exiſtimandum voluiſſe Deum deludere Moyſen ab ipſo tam enixè efflagitantem de nomine ſuo:neque quomodo hoc nomen non ſit Dei, ſi ſtatim addidit diuinus textus: *Et hoc nomẽ mihi eſt in æternum , & hoc memoriale meum in generationem & generationem*; videre valeo .

Ad 2. dubitationem . Inter plurima ,ac clariſsima Dei nomina , hæc quatuor principaliora , & ſignificantiora exiſtimantur, Bonum, Deus, Iehoua , & Qui eſt .

Bonum Deo ſoli conuenire teſtantur D. Marcus cap. 10. D. Lucas 18. *Nemo bonus, niſi Deus.* Tradidit Dionyſ. cap. 3. de Diu. Nom. *Hoc nomen principalius Dei : eſt enim interpres , & manifeſtatiua diuinarum proceſsionum ratio* , nedum ſcilicet ad extra , ſed etiam ad intra : his enim (fas ſit ita loqui) in eſſe completo, & adæquato conſtituitur Deus . Recipit S. Damaſc. lib. 1. de fide cap. 12. *Placet Dionyſio vt primarium Dei nomen ſit Bonum* . Reddit rationem : *neque enim in Deo prius ipſius eſſentiam dicere licet , poſtea bonitatem* . Eodem tamen cap. *Qui eſt* eſſe Dei nobilius nomen, idem Sanctus Damaſ. aſſerit . Interpretatur,& conciliat S. Thom p.par. quæſt.13. art.11. ad 2. vtrumque Patrem vera docuiſſe , ſed diuerſa ratione: Bonum enim in genere cauſæ eſt primum ; nam eſt cauſa finalis inter cauſas prima : *Qui eſt* , ſimpliciter , & abſolutè primum eſt . D. Bonau. citato dub. litt. *Qui eſt* , aît , dicit abſolutionem , nimirum ens ipſum abſolutiſſimè, & illimitatè, independens, & vlla abſque cuiuſcumque extra Deum connotatione ; Bonum verò perfectionem, ſed omnimodã, & vndequaque infinitam,ac ſummam Dei integritatem, cui quicquam deeſſe repugnat . Vbi geminam bonitatis rationem crudité indicat ; primam , qua res , & Deus in ſe perfectus eſt , & ſibi ſufficit, ab Hebræis ſubinde Sadai vocatus ; alteram , qua inde Bonus alijs , & appetibilis . Et diſt. 31. p. 2. quæſt. 3. art. 1. ad 2. egregiam ſimilitudinem proponit . Pulchritudo , inquit , imaginis , alia qua in ſe pulchra, alia qua refertur,& conformis imitatur prototypum : quod enim de pulchro , de bono poteſt vlla abſque formidine aſſeuerari ; pulchrum ſiquidem , & bonum conuertuntur .

S. Thomas p. par. quæſt. 95. art. 1. abſolutè,& extra metaphoram , Bonum ideo appetibile , inquantum perfectum eſt , & art. 3. Ens inquantum ens , & ſub ratione entis , eſſe bonum , & ad inuicem bonum & ens non differre niſi ratione .

S. Bernardus 5. de Conſiderat. quod etiam paucia ſupra indicaui : *Nihil* , inquit , *competentius æternitati , qua Deus eſt* (loquebatur de nomine Qui eſt) *ſi bonum , ſi magnum , ſi beatum , ſi ſapientem , vel quid tale de eo dixeris , in hoc verbo inſtauratur , Eſt nempe hoc ei eſſe , quod hæc omnia eſſe. Si centum talia addas , non receſſiſti ; ſi dixeris , nihil addidiſti ; ſi non dixeris , nihil minuiſti* .

Hoc idem D. Damaſc. dum ſupra eodem cap. *Qui eſt* infinitum pelagus deitatis ſuo complexu continebat. D. Bonau. cit. dub. 4. nomen *Qui eſt* in omnimoda abſolutione , & perfectione ſignificat. Ratio iam videtur aperta, & euidena : ſi enim *Qui eſt* , ipſum ens illimitatum , infinitum , & omnem entia gradum complectitur : ergo & bonitatia perfectionem pariter complectetur , aliàs neque infinitum , neque omne ens eſſet .

Sanctus Thomaa quæſt. 6. p. par. art. 3. Deum per eſſentiam eſſe ſummum bonum prodit : ergo de ratione eſſentiæ Diuinæ , quæ eſt ipſum eſſe, eſt eſſe ſumme bonam : ergo inter bonum, & *Qui eſt*, non videtur alia quam vocum diſtinctio , ac differentia : ergo *Qui eſt* , idem cum Bono , & idem cum Iehoua , vt infra demonſtrabitur , maximum

Dei

Dei nomen à ſeipſo impoſitum, hoc in æternum declamandum.

Deus, vt explicatè docet D. Damaſcenus cit. cap. quem ſequitur in primis D. Bonau. in 2. Sent. Deus, inquam, hoc nomen à Græca voce à videndo, fauendo, & currendo deducitur: ſed hæ ſunt operationes ad extra: ergo non eſt nomini *Qui eſt* æquiparandum, quod Diuinam eſſentiam exactiſsimè indicat, & explicat.

Ad 3. propoſitam dubitationem reſpondeo, plurimum quidem per omnem modum huius Diuiniſsimi nominis cognitionem ad Sanctiſsimæ Trinitatis myſterium percipiendum conducere. Si enim *Qui eſt* nedum abſolutiſsimam, ſimpliciſſimamq; eſſentiam, ſed actualiſsimam, & perfectiſſimam exiſtentiam, & ſubinde (vt ſupra ſuo loco) ſubſiſtentiam ſignificat; & non eſt ſubſiſtentia Diuina niſi in tribus perſonis: ergo per hæc verba, ſignificata Diuina natura, ſignificatur & Sanctiſsima Trinitas: hic enim *Qui eſt*, in vltimo actu ſuæ perfectionis eſt formaliſsimè Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus.

Hinc addidit Spiritus Sanctus ſequentibus verbis ſtatim quoddam ſacerrimi huius myſterij lumen, dum Deum Abraham, Deum Iſaac, Deum Iacob ſe nomenclat: trina enim repetitio, Deus cum illo ſingulari verbo, apparuit mihi, quidni dicere liceat quod indicet Diuinarum perſonarum Trinitatem in vnica eſſentia? & Abraham pater, qui obtulit filium ſuum in holocauſtum, nonne Patris æterni, qui Filium ſuum Vnigenitum ita dedit Mundo, vt Crucifigeretur, ſymbolum? & Iſaac filij? & Iacob, qui ab Iſaac immediatè, & ab Abrahám mediatè proceſsit; nonne vmbra quædam eius Spiritus Sancti, qui à Patre, & Filio, licet immediatè procedat, mediatè tamen etiam à Patre per Filium?

Sed ſolidior, & efficacior ratio eſt, quæ hic additur. Nomen Iehouah continet, & exprimit egregiè (vt prius ante ſuo loco docuimus) hoc Diuiniſsimum myſterium, præſertim ex Galatino lib. 2. cap. 8. & ibi ex Rabbino Haccados. Secundò: nam ſæpiſsimè in Diuinis litteris hoc nomen Iehouah & ſecundæ perſonæ tribuitur: ſed hoc nomen Iehouah idem eſt cum eo, quod nunc explicare conamur *Qui eſt*: ergo eodem nomine idem myſterium nobis ob oculos fidei ponetur.

Quod verò hoc idem ſit nomen, tradunt & docent Clemens Alex. lib. 5. ſtrom. Theodoretus in Exod. q. 15. Philo Iudæus. Stheucus, Lippomanus in 3. Exod. Caiet. in 3. & 6. Exod. Lyranus in Hierem. 23. Galatinus lib. 2. c. 8. ex Rabino Haccados, Pagninus in Theſauro, Genebrardus lib. 1. de Trin. & alij. Secundò. Verba D. Thadæi in epiſt. Cath. *Ieſus populum de terra Aegypti ſaluans*, referũtur à D. Cyril. lib. 12. Theſ. c. 11. ad verba Exod. 3. *Ego ſum qui ſum &c. deſcendi, vt liberem eum.* Ergo *Qui eſt* ad Trinitatis perſonas attinet. Præterea *Qui eſt* ſignificat Diuinum ſuppoſitũ indiuiduum, incommunicabile ad extra, & hoc aliquid, quod idem, inquit Lyranus, ſignificat & Iehouah, Diuinam nimirum ſubſtantiam vllo abſque reſpectu ad creaturas. Steuens in hunc locum Exodi, relatus etiam, & confirmatus à Benedicto Pererio diſp. 12. in cap. 3. Exod. explicatè ait, Nomen Iehouah, non eſt aliud à nomine *Qui eſt*; vt teſtatur etiam Gregorius de Valentia, & Vaſquez. Et deductum eſt ab hoc loco *Qui eſt*, hebraicè, Erit, verbi ſum. Quod ex eo etiam confirmat: nam eodem contextu Exod. Dixitque iterum Deus ad Moyſen: Dominus Deus patrum veſtrorum, Deus Abraham, Deus Iſaac, Hebraicè eſt nomen Iehouah Eloe. Quo prolato addidit Deus, & hoc eſt nomen mihi in æternum: nomen ſcilicet Iehouah, explicatum iam per *Qui eſt*; ita vt ſi voluerimus Iehouah explicare, dicemus *Qui eſt*, vel ſine relatiuo, quod facillimè prætermittunt Hebræi, Eſt, vel Erit, ad textum hebraicum.

Et hoc eſt, quod Dictionarij, præſertim Sanctes Pagninus, Haia, à quo Iehouah, quod eſt verbum eſſentiæ, ſicut Haia. Addit vero Caietan. in clariorem explicationem, poſſe dici eſſe duo numina, Iehoua, & *Qui eſt*, quo ad litteras, & ſyllabas componentes, ſed non quo ad rem ſignificatam: eadem enim eſt. Præterea ex integro contextu colligi adæquatam, & integram reſponſionem petitioni Moyſis: *Si dixerint mihi, quod eſt nomen eius, quid dicam eis?* Primò reſpondit: *Ego ſum qui ſum*. Deinde addit, & reſponſionem perficit: *Sic dices filijs Iſrael, Dominus Deus Patrum veſtrorum*, hebræa Iehouah, Eloe, prius rem ſignificatam notat, poſtea nomen, ex ea deductum Iehouah, & hoc eſſe nomen ſibi in æternum maximè proprium, nulli creaturæ commune: eſt enim æternum. Et inde colligit, tria de ſe Moyſi Dominum tradidiſſe hoc loco. Primum, nomen proprium ex proprietate naturæ deductum, Iehouah. Secundum, nomen officij, Eloe, id eſt Iudicis. Tertium, venerationem exhibitam ſemper ab eorum PP. antiquis, vt ſic Moyſi expoſtulanti abſolutè ſatisfaciat, &c.

Hanc de identitate horum Diuinorum nominum veritatem indicato loco eſſe Hebræorum communiorem ſententiam, teſtatur Pererius.

Quod ſi in oppoſitam ire ſententiam inueniantur grauiſsimi, & doctiſsimi PP. & Theologi; D. enim Hieronymus epiſt. ad Marcellam, quæ eſt 136. vbi enumerans decem Dei nomina Hebræa, & differens, diſtincta ponit, *Qui eſt*, & Iehouah. El, id eſt fortis, Eloa ſingulare, & Eloim plurale, quod idem eſt ac Deus, Iudex. Quartum Sabaoth, Deus virtutum, vel exercituum. Quintum Helion, Excelſus. Sextum Eſer, Eheie; Qui eſt miſit me. Septimum Adonaï, Dominus. Octauum Ia ab Haia, fuit. Nonum Iehouah. Decimum Saddai, robuſtum & ad omnia ſufficiens: & D. Tho. p. p. quæſt. 13. art. 11. ad 1. vbi Dei magis proprium nomen Iehouah, quàm *Qui eſt*, nulla reddita ratione, ſolum D. Hieronymum imitatus.

Reſpondeo, haud mirum in re maximi momenti, nominandi, & explicandi Diuinam naturam nomine proprio, & adæquato, in alieno, & Hebraico idiomate inueniri etiam inter doctiſsimos aliquam ſententiarum varietatem. Secundò, communiorem eſſe, quam ſequimur oppoſitam ſententiam, & æquè plurium, & doctiſsimorum vi-

Google

virorum. Tertiò, S. Hieronymum, & S. Thomam non admodum vrgere pro illa ſententia, ſed paucis verbis eam potius enumerando, quàm demonſtrando pertranſire, præſertim D. Hieronymum ad mulierem ſcribentem. Quartò, ſua ſupra tradita diſtinctione Caietanum ferè has ſententias conciliaſſe, dum in re ſignificata conuenire docuit, & eandem eſſentiam abſolutè ſumptam ſignificare, (ſecundum abſolutionem dicebat D. Bonauent. citato dub. litt. 4. diſtinct. 2.) differre verò quoad voces, Qui enim eſt, litteræ non ſunt Iehouah.

Ad quartam dubitationem. An hoc in primis nomen Dei *Qui eſt*, diſtinctè & perfectè ſolam Diuinam eſſentiam abſque creaturæ connotatione ſignificet. Iam conceſſit Scotus in 1. diſt. 22. queſt. vnica, quem ſequuntur Gabriel ibidem, & alij plurimi. Inter alios verò negat noſter Trigoſius q. 8. dub. 3. in art. 2. S. Bonauenturæ, qui concedit quidem poſſe Deum ſibi imponere nomen, quod Diuinam ſubſtantiam ſicuti eſt ſignificet; ſed de facto nunquam impoſuiſſe, vt neque illud nomen, de quo hic, abſolutè Deum ſicuti eſt ſignificet, idq; aſſerit, inquit ille, de mēte SS. Bonau. & Thomæ: vbi verò horum SS. mentem collegerit, non indicat: ſui aſſerti verò rationem reddit, quæ potiſſima eſt. Si hoc reuelatum eſt nomen ad ſignificandum quid ſit Deus; peto, cui ſignificabit? non Deo, neque Beatis, quia non indigent: non nobis: non enim in via huius cognitionis capaces ſumus, neque niſi cum dependentia à creaturis; & phantaſmatibus etiam Diuina percipimus; & ad hanc rem ſuſtinendam multa conſarcinat non admodum vrgentia.

Ego verò cum maioribus Theologis oppoſitum ſentio, non ex mente, ſed ex explicata, & clara ſententia D. Bonau. quem miror hunc Theologum non animaduertiſſe. In 1. enim diſt. 2. dub. 4. litt. de nomine *Qui eſt* ſic diſtinctiſsimè loquitur: *Ego ſum qui ſum*, eſt nomen eſſentiæ, propriè ſignificans entitatem in omnimoda perfectione, & abſolutione, nimirum explicat omnem Diuinam perfectionē, vt idem cum nomine Boni, & Iehouah, vt ſupra, & abſolutè, ſcilicet nulla indicata relatione ad creaturas. Deinde hoc eſt nomen, quod Dominus ſibi dixit eſſe proprium, & ab æterno. Exod. 3. Ergo ante omnem creaturam, & nulla ad ipſas habita ratione.

Tertiò ex fœcundiſsima inſita Diuinis verbis vi ſignificandi, quæ mirum in modum excedit intellectus creati omnem facultatem.

Quartò ex facili ad oppoſitum argumentum ſolutione: licet enim Deus Pater non indigeat verbo exprimente, vt ſibi propriam perfectionem exprimat; ipſum tamen ab æterno producit hac præcipua ratione, nimirum vt ſeipſum ſibi exprimat, & ſui imaginem generet. Eadem ratione potuit ſibi imponere nomen maximè proprium, quo inuocetur, & colatur ab Angelis, & hominibus. De quo Zacharias 14. de Dei nomine loquens. *Erit*, inquit, *nomen eius vnum*, ſcilicet inter omnia perfectiſsimè Deum repræſentans. Nos verò viatores quomodo diuinas res intelligamus mirè explicat D. Bonau. in 1. diſt. 34. quæſt. 1. art. 1. licet enim, inquit intellectus humanus Dei ſimpliciſsimam naturam non poſsit intelligere, niſi per aliquam prædicationem componentem (addam eadem ratione, niſi per dependentiam à phantaſmate) corrigit tamen ſeipſum, & credit fidelis, & intelligit rem Diuinam à parte rei ita eſſe, ſcilicet ſimpliciſsimam, & independentem. Sed ſe, vt viator eſt, in intelligendo à corpore dependens, non poſſe alio modo altiſsima Dei percipere.

Idem S. Bonau. 3. ſent. diſt. 1. vbi quærens Diuinæ Incarnationis potiſsimam cauſam, reſpondens ait, eam eſſe, quæ in diuinis litteris reuelata eſt, nimirum hominis peccatoris Redemptionem; & ſuæ aſſertionis hanc reddit rationem: Non poſſe ſibi perſuadere, Spiritum Sanctum non docuiſſe Eccleſiam ſuam de potiori huius Sacratiſsimi myſterij cauſa: Docuit hanc: ergo hæc eſt potior, ac longè præcipua.

Hinc arguo. Licet homo viator nomina Dei ſubſtantiam ſicuti eſt præſeferentia, niſi etiam connotatis creaturis, ex ſui conditione non poſsit percipere; illa met tamen nomina profert, & fatetur, & corrigit ſeipſum, & præſcindit dependentiam illam: ergo non ideo neganda excellentiſsima Dei nomina: eadem enim ratione Deum incomprehenſibilem vocamus, licet non comprehendamus. Præterea durum, & aſperum nimis videtur, nullum ſuæ Eccleſiæ nomen ſibi maximè proprium vnquam reuelaſſe, ſi non vt intelligatur plenè, vt dicebam, ſaltem vt eo Deus colatur, & celebretur, & Diuina maieſtas inexplicabilis credatur. Innumera ſunt in Diuinis litteris, & in Eccleſia Dei, quæ legimus, & proferimus, quæ tamen abſque dubio plenè; & planè non intelligimus, ſicut in ſe ſunt; ſed ijs ſuſtinemur, & adiuuamur, & fidem exercemus, & perpetuis diebus in Diuinarum litterarum ſcrutinio nos ipſos continemus. Sed hic compendio agimus, non quæſtiones voluimus. Indicabo tamen, quod ſequenti capite explicatius referam, ſcilicet, locum Hieremiæ 23. *Si ſtetiſſet in conſilio meo*, vbi D. Hieronymus multos Patres Catholicos recolit his verbis Diuinam ſubſtantiam deſcribi, ex traductione ſcilicet ſeptuaginta, & multorum Patrum obſeruatione: ſi verò deſcribitur, ſicuti eſt deſcribi videtur exiſtimandum.

Digitized by Google

CAPVT IX.

De his vocibus, Proprietas, Relatio, Notio, Circumince ſſio.

NOmina hæc, hiq; termini in ſcholis tanquam valde idonei ad Diuinarum perſonarum tum conſtitutionem, tum diſtinctionem explicandam admittuntur, & in vſu apud antiquos Patres inueniuntur, & originem trahunt à Diuinis litteris. Nã de Proprietate, ſi Ioan. 1. *Filius eſt vnigenitus*: ergo proprium illi eſſe Filium; & inde filiatio proprietas. Et ſi vnus Deus eſt Pater, 1. Cor. 8. neque proinde Filius, aut Spiritus Sanctus eſt Pater: ergo iſtius perſonæ paternitas eſt proprietas, Et ſi Spiritus Sanctus Ioan. 14. *à Patre, Filioq; procedit*, Filius à ſolo Patre per generationem, Spiritus Sãctus per amorem, Pater à nullo: ergo Spiritus Sancti huiuſce proceſſio eſt proprietas.

Hinc patet hic quæri non eſſentiæ, ſed perſonæ proprietatem: aliud enim proprium perſonæ, aliud proprietates eſſentiæ. D. Athan. dial. 1. de Trin. Huius termini vſus inuenitur apud DD. Cyril. lib. 1. de Trin. Auguſt. lib. 5. de Trinit. cap. 11. 12. & ſequent. Baſil. epiſt. 43. & alios.

Relationis verò vox eo ſæpius innititur in ſacris litteris, quo toties ſecunda perſona Filius, prima Pater, &c. nominatur: non enim eſt intelligere Patrem ſine ad Filium relatione, & vice verſa; & præſertim in Diuinis, vbi perſonæ ſunt relationes formaliter, licet ſubſiſtentes: in abſolutis enim cõueniunt omnino, atque vna ſimul res omnes prorſus. Neque vlla ratione licet rationis vocare, aut intelligere has relationes, ſed reales, & veræ tenẽdæ, & credẽdæ ſunt; aliàs fictæ, & chimericæ eſſent perſonæ; ac Diuinæ litteræ, primam perſonam Patrem, ſecundã Filium, tertiã Spiritum S. nominantes, mentirentur: nõ enim niſi fictè eſſent perſonæ. Si ergo de fide verus eſt Pater, verus Filius &c. vera erit relatio Paternitatis, & Filij, & Spiritus Sancti.

Itidem Notio, quæ eſt ratio cognoſcendi perſonam Diuinam: & licet ſit eadem formalitas realis cum proprietate & relatione; diuerſam tamen continet ſignificandi rationẽ: Paternitas enim v. g. eſt proprietas, quæ ſoli Patri conuenit, eum conſtituens, ac diſtinguens: eſt relatio, nam totum eſſe illius eſt reſpectus ad Filium; tamen eo eſt notio, quo in cognitionem Patris ducit. Eſt communis Theologorum ſententia, præſertim SS. Bonau. diſt. 26. q. 4. Thom. ibid. quæſt. 2. art. 3.

Deducitur ex Diuinis litteris. Matt. 11. *Nemo nouit Patrẽ niſi Filius, & cui voluerit Filius reuelare*. Eſt receptiſſima vox in tota ſchola. Vſi ſunt inter PP. D. Baſil. ep. 43. D. Aug. lib. 5. de Trin. c. 6.

Circũinceſsio, vel circũinſeſsio ex D. Dion. c. 2. de Diu. nom. *Primariarũ, principaliũq; perſonarũ (ſi ita dicendũ eſt) aliarũ in alijs omnino coniuncta, & nulla cum parte confuſa manſio, & ſedes*: à ſede enim ſeſſio, inde circũinſeſſio. D. Damaſc. lib. 1. de Fide c. 19. vocat eã circuitionẽ, nimirũ intus perſonarũ inhabitationẽ. Vſus eſt Circũinceſsione, voce græca *Perichoreſis* D. Damaſc. lib. 1. c. 21.

De re tractarunt Patres SS. Hilar. lib. 4. de Trin. Amb. in c. 13. ad Cor. 2. Aug. lib. 6. de Trin. cap. vlt. *Singula ſunt in ſingulis, & omnia in ſingulis, & ſingula in omnibus, & vnum omnia*. Acceperunt omnes Scholaſtici, & ſæpè in ſcholis profitentur. Res hæc tanquã certa de fide colligitur ex Diuinis litteris. Ioan. 14. *Non creditis quia ego in Patre, & Pater in me eſt? Pater in me manens, ipſe facit opera*. & cap. 1. *Vnigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit*. & cap. 10. *Vt cognoſcatis, & credatis quia Pater in me eſt, & ego in Patre*. D. Paul. Coloſ. 2. *Quia in ipſo* (ideſt in Chriſto) *inhabitat omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter*. De qua re S. Athan. lib. 5. de vnitate ſubſtantiæ Trinit. *Inenarrabilis eſt hæc plenitudo ſubſtantiæ indiuiſæ Trinitatis, ſicut ipſe Deus Dei Filius indicat: Ego in Patre, & Pater in me eſt. Sed & Spiritus Sanctus in Patre, & Filio inuicem, & in ſe conſiſtens eſt, &c.* De myſterio hoc ſatis ſupra: hic enim præcipuè de nomine.

CAPVT X.

De terminis Idem, Alio, Altero, Diuerſo, Diſtincto, Differente, Separato, Vno, Vnito, &c.

P*RIMA Propoſitio*. Idem *maſculinè ſũptũ nõ admittitur inter Diuinas perſonas: falſa enim propoſitio eſt, Pater idẽ q Filius: æquè enim eſt ac ſi diceretur, Pater eſt eadem perſona qua Filius: ſi tamen neutro ſenſu vſurpetur, conceditur: ſignificat enim eandem naturam & eſſentiam trium perſonarum, quæſt. 1. art. 2 diſt. 23. indicatur*.

Secunda Propoſitio ex dub. 1. litt. diſt. 4. Inter Diuinas perſonas ꝓprius terminus eſt alius, *& opponitur termino* idẽ *maſculinè: aſſerit enim diſtinctionẽ inter ꝑſonas*. Alia eſt perſona Patris, alia Filij, alia Spiritus Sancti, *& excludit Sabellij hæreſim*. Aliud *verò prohibetur: ſiquidẽ in natura diuerſitatẽ aſtruit, ꝙ Arrianum eſt. Aequè & eodẽ modo admittitur* Alter, *& nõ* Alterum.

Tertia Propoſitio ex dub. 1. lit. diſt. 24. ſicuti alius, *ita diſcretus, diſtinctus, pluris admittitur*; *non verò* diuerſus, *diuiſus, ſeparatus, & multiplex. Ratio primorum eſt, quia dumtaxat pluralitatem, & diſtinctionem perſonarum in eadem eſſentia ponũt. Ratio ſecũdorum, quia vnitati eſſentiæ, & eſſentiali perfectioni derogant, ſeparationemque circa formam aſtruunt*.

Quarta Propoſitio ex q. 2. art. 1. diſt. 24. Vnũ *abſolutè, & neutro ſenſu ſumptũ admittitur, ſed nõ numeratur: oppoſito modo ſi relatiuè, & perſonæ adiunctum. Si indeterminatè accipiatur, penes vnam eſſentiam non numerabilẽ accipiendum*.

Quinta Propoſitio. Hæc dictio vnitè, *& quæ videtur æquipollere* coniunctè, *admittitur in Diuinis, vt rectè poſſit dici: Perſona Diuina diſtinguũtur ſuppoſitis, ſed in vna Deitate vniũtur. Ratio iſtorũ eſt, quia nomina triplicis generis, quædam omnimodam vnitatem, quædam omnimodam diſtinctionem, quæ in Deo vitãda, vbi vnitas, & diſtinctio aſſerenda: ergo media admittenda, ſicuti vnio, quæ & vnitatem, & diſtinctionem præfert, ex diſt. 4. quæſt. 2.*

Digitized by Google

Sexta Propoſitio ex dubio litt. diſt. 24. Hæ voces, diuerſitas, multiplicitas, diuiſio, & ſeparatio non admittuntur, hac inprimis ratione; quia ſeparatio ſupponit diuiſionem, diuiſio multiplicitatem, multiplicitas diuerſitatem, diuerſitas verò ponit naturæ diſtinctionem: derogāt ergo omnimodæ vnitati Diuinæ naturæ; quapropter recipiēda, & attendūtur penes ſubſtantiā, &c.

COMMENTARIVM.

AD hæc, quæ hoc capite, & alijs infra colliguntur, primò neceſſariò obſeruandum. Plurimi faciendū vſum vocum, nedum quoad ſubſtantiam vocis; ſed quoad eius ſententiā, ac ſignificationem, in qua cōmuniter ſine ſcandalo & proferantur, & ab audientibus, & legentibus accipiantur: tunc enim vox licet in ſe, ac rigoroſè ſumpta fortaſſe non eſſet admittenda; ſi tamen apud eos ſie mos, & communis vſus illius vocis in rectū ſenſum audire, licita erit. Sit exemplū de Hypoſtaſi: quamuis enim rigoroſè ſubſtantiā abſolutè ſignificet; vſus tamen longus ferè huius termini, aut mutauit, aut auxit; vt abſque erroris periculo pro perſona ſumatur, ac tres perſonæ tres hypoſtaſes fideli confeſsione tutè dicātur. Vice verſa S. Bonau. cū de perſona incarnata 3. Sent. loqueretur, nō audebat ex duabus naturis eſſe cōpoſitā concedere, hac ratione. Nō conſueſcunt homines cōpoſitionis vocē audire, ac percipere ſine phyſica, ac materiali imperfectionem inuoluente conceptione. Quibus addendum: ſi apud Patres, & graues Auctores pluſquam ſemel, aut bis prolatæ inueniantur: non enim ſemel, aut iterum ſi legantur; oritur tamen legitimus, & certus vſus earum; præſertim ſi in oppoſito ſenſu frequentius apud ipſos Patres nobis occurrant.

Secundò obſeruandū. In his nominibus habenda ratio eſt, vt & vnitas ſubſtantiæ ita explicetur, vt perſonarum diſtinctione nihil incōmodetur; & vice verſa, ita tuenda diſtinctio iſthæc, vt ſimul & vnitas ſubſtantiæ: hæc enim ſunt duo extrema omnino vitanda; alterum Arrij negantis vnitatem eſſentiæ Filij cum Patre; alterum Sabellij, qui aſſerēs eſſentiæ vnitatem, impiè perſonarum diſtinctionē negabat, vt obſeruat hoc loco S. Tho. 1. par. q. 31. at. 2. & 1. Sent. diſt. 24. ar. 1. & q. 2. & de potentia q. 9. ar. 8.

Tertiò obſeruandū circa ſingulas dictiones, quas ex S. Doct. elici, earumq; vſum; quem idem licet cautiſſimè docuerit; aliorum tamen ſententijs augendum, & confirmandum. Quo igitur ad nomen primo loco obſeruatum, & poſitum *Idem*; maneat certa, & incōcuſſa gemina illa S. Doct. obſeruatio, nimirum, ſi neutro genere ſumatur, & ſubſtantiuè, vt ſi aſſeratur, Pater eſt idem cum Filio, & Spiritu Sancto in Deitate: eſt enim abſolutè vera, ceu omnem diuerſitatem in Deitate, & natura perſonarum contra Arrium negans, ſed eandem in tribus eſſentiam atteſtans. Si verò maſculinè, vt ſi Pater idem qui Filius; prorſus vt falſa reijcienda eſt: tolleret enim ſic cum Sabellio realem perſonarum diſtinctionem, fide tamen fatendam, & profitendā: hunc enim hæreticum ſenſum faceret: Pater eſt eadem perſona cum Filio.

Hoc multis ante temporibus tradiderūt ſanctiſſimi Patres, D. Athanaſ. Dial. 3. de Trinit. contra Macedonium, cui interrogādo dixit: *Idem ergo eſt Pater, & Filius? abſit* (reſpondens pro orthodoxo) *vt hoc dicam.* & D. Amb. lib. 1. de Fide cap. 2. & idē D. Athan. Dial. 1. contra Anomæum. *Pater eſt idē ipſe, quod & Filius*; nō admittunt tanquā falſum. & D. Cyril. lib. 1. in Ioan. cap. 2. *Non ſunt idem numero Pater, & Filius; ſed ſubſiſtit vterque, & alter in altero propter identitatē ſubſtātiæ inſpicitur.*

Addendum inſuper primò. Non indefinitè, abſolutè, & indiſtinctè pronuntianda eſt hæc vox *Idem*, propter ancipitem ſuppoſitionem, cum & de eſſentia, & de perſonis accipi poſſit.

Addendum ſecundò. Eadem vox *Idem* adiectiuè vſurpata, vim & ſignificationem ſumit ex termini natura cui adijcitur, & facit veram, & falſam ſic propoſitionem: veram quidem, ſi terminus ille cui adiunctam legimus, ex parte eſſentiæ ſe tenet; falſam verò ſi ex parte ſuppoſiti, & perſonæ: quare vera hæc prapoſitio: *Pater eſt idem Deus, qui Filius*: nam Deus pro natura Deitatis accipitur hoc loco. Falſa: *Pater idem qui Filius*: nam terminus relatiuus *Qui*, perſonam refert. Itidem falſa: *Pater idem, qui Deus Filius*; nam hoc loco Deus pro Filij perſona ſupponit.

De termino verò *Alius* tutiſsimum S. Doctoris documentum, cum quo & S. Tho. 1. par. q. 31. art. 2. ex SS. Patribus, D. Fulgentio de Fide ad Petrum cap. 1. ad 7. obiectionem Arrij. ex D. Vincentio Lirenenſi contra hæreſes cap. 19. ex D. Nazianz. orat. 41. in Pent. ex Symb. D. Athanaſ. *Alia eſt perſona Patris, alia Filij, &c. ſed Patris, & Filij, &c. vna eſt Diuinitas, &c.* ex Lateranenſe Conc. ſub Innocentio III. cap. Damnamus: *Licet alius ſit Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus; non tamen aliud; ſed id quod eſt Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus*, nimirum omnino idem. Inuenitur tamen *aliud eſt Verbum ab eo, cuius eſt Verbum*, in D. Cyrillo Hieroſolym. orat. Catechetica cap. 1. ſed ſumendum hoc loco *aliud* adiectiuè, ſcilicet aliud ſuppoſitum: & eodem modo interpretandum quocumque loco legeretur ex Diuinis litteris, Ioan. 5. *Alius eſt qui teſtimonium perhibet de me.* Ioan. 14. *Alium paraclitum dabit vobis*.

Cui ditioni mirificè deſeruiunt omnia, quæ circa ei oppoſitā vocem *Idem* nuperrimè addidimus.

Eadem quoque prorſus attendenda de termino *Alter*, & *Alterum*, quæ de *Alius*, & *Aliud*, nimirum de *Altero* maſculinè accepto, ex D. Athan. cōtra gregales Sabellij circa princip. *Si vna perſona eſt, cur altera emittitur?* ex D. Cyril. lib. 1. in Ioan. cap. 2. *Alter in altero propter identitatem ſubſtantiæ inſpicitur, & alter ex altero, hoc eſt Filius ex Patre.* ex D. Hilario lib. 2. de Trin. longè à princip. *Quia alter in altero, & plenitudo Diuinitatis in Filio.* & paucis poſt: *Alter ab altero nihil differunt.* Eadem ex D. Fulgentio de Fide ad Petrum, ad 7. Arrij obiectionem.

In neutro verò genere, & ſubſtantiuè nullum in Deo habere locum, lepidè docuit D. Bernardus epi-

ſtola 190. *Nam quod alter ex altero, vel ad alterũ veraciſsimè dicitur, perſonarum ſanè deſignatio eſt, non vnitatis diuiſio: licet namque in hac ineffabili, & incomprehenſibili Deitatis eſſentia* Alter, *& alter; id quidem requirentibus proprietatibus perſonarum, ſobriè, & catholicè dicatur; non tamen* Alterum, *& alterum, ſed ſimplex vnũ, &c.* Cõfirmatur ex ijs omnibus, quę dę *aliud* collecta, & relata ſunt; eadẽ enim ratio ſicut & ſignificatio.

Eadem ratione in hoc myſterio explicando, abſtinendum à voce *Alienum, Alteratum, Extraneũ, Diſtans*: diuerſitatem enim in natura apertè indicant: ſi tamen adiungantur perſonis, aliquando quædam ex ijs vſurpata apud Sanctos Patres legũtur. Diuus enim Damaſc. lib. de duabus Chriſti voluntatibus: *Diſtare*, inquit, *inter ſe dicuntur ſibi inſignitis proprietatibus*. Baſil. hom. 28. contra Sabellianos, *Perſonarũ alterationem* affirmat, quod tamen negat D. Epiphan. hæreſi 62. loquens de Spiritu ſancto: *Non alteratus*, inquit, *præter Patrem, & Filium*. Quare ex communiori Theologorum conſilio ab ijs vocum vſu abſtinendum, ſed abſolutè nullo contradicente ab his vocibus, *alienationis* præcipuè, ex Conc. Nicæno lib. 2. poſt med. §. *Cum ſit copioſa*. ex D. Nazian. orat. 29. ex D. Cyril. lib. 9. in Ioan. cap. 24. ex D. Tho. q. 31. art. 2. ad 3. Itidem negandus vſus termini *Extraneum*, præcipuè ex Origene ad cap. 3. epiſt. ad Rom. lib. 3. *Nihil diſcrepans*, inquit, *aut extraneum in Trinitate*.

Oppoſitum obſeruandum de Chriſto, in quo *aliud, & aliud* admittitur, nimirum duplex natura; non verò *alius & alius*, nempe alia, & alia perſona. D. Nazianz. epiſt. 1. ad Cledonium, *Aliud, atque aliud ſunt ea, ex quibus conſtat Saluator, non tamen alius, atque alius*: abſit.

Ad illa verò nomina, *Diuiſus, Diuerſus, Separatus, &c*, quorum vſum in hoc Diuino myſterio explicando negant S. Bonau. & S. Thom. 1. par. q. 31. art. 2. & 1. Sent. diſt. 24. q. 2. art. 1. & de Potentia q. 9. art. 8. negant ſimul, & plurimi Patres, D. Ambroſ. lib. 1. de Fide cap. 2. *Pater, & Filius in Diuinis vnum ſunt, vbi neque ſubſtantia, nec voluntatis vlla eſt differentia: namque aliter quomodo vnum Deum dicemus?* Diuerſitas pluris fit à D. Auguſt. lib num. 7. de Trinit. cap. vlt. *Ita dicat*, inquit, *vnam eſſentiam, vt non exiſtimet aliud alio vel maius, vel melius, vel aliqua ex parte diuerſum*. D Leo ſer. 2. de Pent. *Quia in Deitate Patris, & Filij, & Spiritus Sancti neque ſingularitas, neque diuerſitas*. D. Fulgen. lib. 3. ad Traſim. *Sempiternus, atque incommutabilis Pater alterũ genuit, non diuerſum*: & alij multis locis.

Neque tamen tanta aſſeueratione hic vſus vetandus, ac negandus, quando itidem grauiſſimi Patres ijſdem vocibus aliquando vſi fuerint, vt Magiſter Senten. in 1. diſt. 28. & Alexander 1. par. q. 44. ſine ſcrupulo *differentis*, & *diuerſi* vſum conceſſerint, præſertim ſi de proprietatibus perſonarum limitatio addatur. Nam & Iuſtinianus Imperator in quinta Synodo, actione 4. *Confitemur credere in Patrem & Filium, & Spiritum Sanctum, &c. Trinitatem in vnitate adoramus; admirabilem habentem & diuiſionem & vnitionem*. Et infra; *Diuiditur ſine diuiſione (vt ſic dicam) & coniungitur diuiſè*. D. Cyrillus lib. 3. in Ioan. cap. 29. *Pater ad Filium, & Filius ad Patrem ſe habent in vna quidem natura; ſed tum diuiſim, quia vterque ſubſiſtit; tum coniunctim, quia alter ſine altero non eſt*. D. Nazianz. orat. 21. in laudem Neronis: *Non verò*, inquit, *ſatis habe docere Trinitatem in vnitate, & Trinitatem in vnitate adorandam, cuius & diuiſio, & coniunctio planè admirabilis ſit*.

Satius tamen ex cõmuniori vſu, tum Conciliorum, tum frequentiori Patrum, magis *diſtincti*, & *diſcreti*, quàm *diuerſi*, & *diuiſi*, & *differentis*, ex D. Thoma (licet non ita grauiter) vocibus vti erit. Ita enim Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. cap. *Firmiter*, Toletanum ſextum cap. 1. D. Nazianz. tractatu de Fide: *Et ſi illa in perſonis diuida; diſcretio tamen perſonarum rurſus eadem nomina in vnitatem ſui naturalis fœderis lege conſignat*. Simplicius enim, & ab omni deceptionis, & erroris periculo remotius hæc, quam illa, vnitate intemerata Diuinæ eſſentiæ permanente, perſonarum diſtinctionem prædicatur, ac docent. Et quemadmodum cum ex creaturis ad Deum perfectiones tranſmittimus, ab omni creaturæ imperfectione impermixtas, & defæcatas conamur, & tenemur tribuere, & tranſmittere; æquè, ac fortaſſe ſolertius incumbere rationi, & difficiliori myſterio conſonum, quod iurè explicare, & profiteri enitimur, vt eas ſolas voces ſeligamus, quibus magis idoneè ex celebriori Doctorum, ac Patrum vſu diſtinctionem perſonarum cum identitate naturæ enodemus: *diuerſi* autem, & *diuiſi*, &c. in rebus creatis voces in natura, diuerſitatem, & diuiſionem vt plurimum ſignificare conſueuerunt.

Hinc à voce *confuſi* prorſus abſtinendum, ſicuti vſu docent, & præcipiunt (ne ad aures impij Sabellij Diuinas confundentis perſonas loqui videamur) Concil. Toletanum vndecimum in profeſſione Fidei: *Inſeparabilis, & inconfuſa hæc Trinitas à nobis creditur, & prædicatur*. & inde: *Tres ergo illas vnius & inſeparabilis naturæ perſonas ſicut non confundimus, ita ſeparabiles nullatenus prædicamus*. D. Ambroſ. lib. 1. cap. 2. de Fide: *Neque confuſum quod vnum eſt, nec multiplex quod indifferens*. D. Hilarius lib. 8. de Trinitate: *Vna Fides eſt Patrem in Filio, & Filium in Patre per inſeparabilis naturæ vnitatem confiteri, non confuſam, ſed indiſcretam*. Eadem S. Damaſ. lib. 1. de Fide cap. 11. & 12.

Quod verò conceſſit, & ſua locutione probauit D. Bonauent. de termino vnionis perſonarum cum Diuina eſſentia; apprimè quidem: nam idem prorſus probauerunt Concilium Toletanum primum in aſſertione Fidei: *Hanc Trinitatem perſonis diſtinctam, ſubſtantia vnitam, virtute, & poteſtate, & maieſtate indiuiſibilem, indeficientem, &c.* Sophronius in Confeſſione Fidei ſexta Synodo, actione 11. *Sancta Trinitas numerabilis perſonalibus facta eſt ſubſiſtentijs: ſiue ſancta vnitas extra omnem numerum eſt, & hæc quidem indiuiſibilem habet diui-*

diuiſionem, & inconfuſam gerit coniunctionem. D.Athanaſ.ſer.4.contra Arrianos: *Cum ſimilibus quandam naturalem coniunctionem, & coadunationem habere ſolent.* Et contra gregales Sabellij: *Cum Filius habeat identitatem cum Patre, ipſe interim tamen Pater non eſt, ſed unius natura cum Patre.* D.Cyrillus lib.1.in Ioan. cap.5. *Patrem ſimiliter cum Filio conſubſtantiali natura quidem vniri; ſola verò ea ratione diſtingui, qua Pater eſt, intelligimus.*

Quare quod idem ſanctiſsimus Pater viſus eſt prohibere epiſt. 10. cum Synodo Alexandrina: *Coniunctionis nomen euitamus, tamquam non exiſtens idoneum, quod ſignificet vnitatis arcanum*; ne ſibi contraria videatur locutus, interpretandus, tunc temporis cum illa Synodo ad vitandas captiones Neſtorij, contra quem agebatur, & explicandum Incarnationis myſterium contra ipſum Neſtorium, illa vox *coniunctionis* minus idonea erat: neque tamen inde ſequitur D. Cyrillum negaſſe quod aliàs de eodem termino in explicanda ſanctiſſima Trinitate, natura eadem perſonis diſtincta, conceſſerat. Ante omnes citatos Patres vetuſtiſsimos id docuit D.Dionyſ.cap.2. de Diuin. nomin. cum quæ Trinitati erant communia, *coniuncta* appellaret.

S.Bonau. huius vocis loco indicato hanc in primis reddit rationem: hæc enim vox *vnio* ad verũque congrua, quia media: neque enim omnimodam identitatem, neque omnimodam diſtinctionẽ, ſed vtrumque ſimul, vt in hoc dogmate neceſſariò requiritur, præſefert. Qua ſcrupulus D. Bernardi, qui lib.5. de conſiderat. hanc eandem *vnionis* deteſtatus eſt vocem, quippe quæ ſimplicitati Diuinæ detraheret, ceſſare debet: non enim detrahit, ſed vnitatem naturæ cum perſonarum diſtinctione præclarè indicat, & enucleat. Deinde alia ratione dictiones iſtæ *vnionis, vniti, coniunctionis*, &c. ſuſtinendæ ſunt: nam pro vnitate, & identitate Patres Sancti vſurparunt. D. Cyrillus dialog. de Trinit.lib.1. *Subſtantiæ*, inquit, *identitas vnionem declarat.* Theodoretus lib. 2. de principijs. *Quæ duo*, ait, ſcilicet *Verbum, & Spiritus Sanctus, & in Patre conſiderantur, & ſeorſum pro ipſa, ſingillatimq; creduntur, quaq; & coniuncta ſunt, & diſcreta: vnita quidem, eo quod eiuſdem natura ſunt; proprietate verò differentia.*

Sed ſolerter animaduertendum, Patres Latinos ab huiuſmodi vocibus abhorruiſſe, ſi vnicum excipias D. Auguſtinum, qui ſemel ſer. 2. de Natiuit. vnitam Deitatem Patris, & Filij dixit. Imò D.Hilarius tanquam hæreticum dictum refutat vnionẽ Patris, & Filij; contra tamen Sabellium, qui vnicam dicebat eſſe Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, & pluribus locis hanc eandem inſequitur, & negat vocem, lib.5. de Trinitate, lib. 6. lib. 7. frequenter, & lib.8.9. & 10. Ab hac Latini Patres voce fortaſſe abſtinuerunt ea ratione, quam docuit & D. Epiphanius inter Græcos, ne diuerſarum naturarum in Diuina eſſentia videretur admitti confuſio, & mixtio.

Satius ergo fortaſſe erit, ſi Theologus dum his vocibus vtitur, addat ad declarationem, & ſubiungat limitationem, de perſonis eſſe ſermonem indicantem.

CAPVT XI.

De his vocibus Cum, In, & Per. D.Bonau. diſt. 36. dubijs litteralibus. & diſt.37.dub 1. D.Thom. quæſt.39. ar.8.ſimul de his, Ex, De, E, A, Apud, & Propter. D.Bonau.diſt. 5.quæſt.2. & 2.Sent. D.Thom.diſt.38. art.1.q. 3. & in 3.diſt 24.art. 2. q.vlt.

In duas partes hoc diuidimus caput, & in prima de primis tribus præpoſitionibus, in ſecunda de reliquis: ac in prima de primis hæc ſit

PARAPHRASIS.

PRIMA Propoſitio D. Bonau. Hæc præpoſitio In *poteſt in Deo dicere identitatem, & cauſalitatem, & ſecũdum tria genera cauſarum in ordine ad creaturas, efficientem finalem, idealem, &c. ex 1.dub.lit.diſt.36. Secunda Propoſitio ex dub.4. lit. Ex ipſo, per ipſum, & in ipſo, ſi quantum ad rem ſignificatã, Deum ſolum eſſe omnium rerum principium optimum, & ex ipſo, ſcilicet primum, & à nullo alio natum:* per ipſum, *nimirum per propriam virtutem ſufficientiſſimum:* in ipſo, *vt infinito principio, ita vt nihil extra ſe agat, quia omnia eius ambit virtus. Si verò approprientur perſonis; ipſarum ordinẽ præſefert, vt* ex ipſo, *Patrem primam perſonam:* per ipſum, *Filium mediam perſonã:* in ipſo, *Spiritum Sanctũ vltimã perſonã, in qua deſinunt, & finiunt, & quieſcũt proceſſiones Diuinæ: ita vt illa D. Pauli verba, illaq; dictiones, tũ Deo vni, tum tribus ſingulis perſonis idoneè conueniant, & diſtribuãtur.*

COMMENTARIVM.

EO vrget magis de his tribus particulis ſolerter agere, ac propriam earum ſignificationẽ perquirere, & germanum orthodoxũ, & catholicum vſum explicare; quo hæretici, ac præſertim Arrius, & Aetius cum ſequacibus conati ſunt deprauare, & in hæreticum ſenſum retorquere, vt Filium præſertim natura à Patre differre, eoq; minorẽ eſſe, ijs vocibus perſuaderetur, & hac hæreſi populos inficerent, vt referunt, ac generoſi impugnant, & expugnant, & deuincunt, D.Athanaſius diſputatione habita in Concilio Nicæno. D.Baſilius lib.de Spiritu Sancto, Theodoretus lib.4. hæreticarum fabularum, & alij: ita vt cum in Diuinis litteris omnia per Chriſtum facta. 1.Cor.8. *Omnia per ipſum facta ſunt.* Ioan. 1. *Per quem fecit & ſæcula.* Heb. 1. Hæretici iſti ſua vafritie particulam *per* præcipuè & *in* ſignificare inſtrumentalem cauſam, & miniſterium, & famulatum Filij, & Spiritus Sãcti,

Digitized by Google

quemadmodum *ex quo* cauſam primam, & principalem tentauerunt ſuſtinere, & Actius cum ſuis idem aſſerens, de ſolo Patre *ex quo*, de Filio *per quem*, de Spiritu Sancto *in quo*, interpretatus eſt, vt inde ſolum Patrem Deum effectorem primum rerum, Filium verò & Spiritum Sanctum, ceu minores deſeruire Patri vt miniſtros, effutiret.

Noſtris quoque temporibus eodem errore miſerè debaccantur Tranſiluani, relatore Bellarmino lib. 1. de Chriſto cap. 9. Quo factũ eſt, vt dum Deo laudes decantare putant, hæreticè blaſphement; Deo enim Patri per Filiũ, & in Spiritu Sancto gloriam reddunt, vt ſic non eandem, neque æqualem tribus perſonis tribuant.

Has particulas, ac præpoſitiones Diuinis perſonis adiungi teſtis eſt (cui refragari non licèt) inſignis D. Paulus ad Rom. 11. *Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia.* 1. Corinth. 8. *Vnus Deus Pater, ex quo omnia, & vnus Dominus Ieſus Chriſtus, per quem omnia, &c.*

Et quamuis de loco ad Romanos non prorſus Sanctorum Patrum videatur conſona, & conformis explicatio; eadem tamen vis, & ſententia, & in propoſita difficultate veritas ex omnibus explicationibus colligetur. Tribus igitur modis veris, & miris à magnis, & miris viris inueniuntur huiuſmodi dictiones, & verba explicata. Nam primò D. Baſilius lib. de Spiritu Sancto cap. 5. teſtatur aliquando accipi hunc locum de eadem perſona: ex contextu enim hoc loco antecedentium verborum de Chriſto Domino ſolo eſſe ſermonem conſtat: ex ipſo enim *per ipſum, & in ipſo ſunt omnia*. Quo deducitur argumentum. Si hæc tria, *ex quo, per quem*, & *in quo*, de eadem perſona enunciantur: ergo particula *per quem*, & *in quo* non dicit diuerſitatem naturæ, neque vim inſtrumentalem, ſed eandem, eadem æqualitate dignitatem, naturam, & virtutem exprimit: ſiquidem eadem eſt pariter perſona. Secundò, alij Patres ad totam Trinitatem hanc D. Pauli ſententiam referunt, & ad ſingulas perſonas; ſic D. Dionyſius 2. de Diuin. nomin Vtramque hanc poſteriorem expoſitionem D. Bonauent. amplexatus eſt. Tertiò. D. Chryſoſtom. hom. 14. in Geneſim, & hom. 4. in Ioan. eandem Diuinitatem, eundemq; Deum his verbis ſignificari à D. Paulo valde conſentaneè exiſtimat.

Vtramque complectitur S. Ambr. in Symbolum Apoſtolorum cap. 3. *Dicamus, ſicut B. Apoſtolus ait, vnus eſt Deus Pater, ex quo omnia: vnus eſt Dominus Ieſus Chriſtus, per quem omnia: & vnus Spiritus Sanctus, in quo omnia. Hoc ipſum autem quod dicimus, ex quo, per quem, & in quo omnia, non naturam ſecamus, ſed vnitatem naturæ, & voluntatis operationes confitemur. Vnus ergo Deus in tribus, & hæc tria vnus eſt Deus, quod ita eſſe idem comprobabat Apoſtolus, dicens: Ex ipſo, per ipſum, & in ipſo ſunt omnia.* Sic quoque poſt ipſum S. Bonau. vt in 2. propoſitione. Ex quibus omnibus, vt iam indicaui, harum dictionum germana vis, & ſignificatio liquidò colligitur, ſingulas eandem primæuam efficientiam, & vim in Deo, Diuiniſq; perſonis, & æqualem, licet ſub diuerſa ratione, varioq; conceptu, teſtare, & affirmare. Quod totum efficaci argumentatione confirmatur ex obſeruato earundem vocum vſu, *per*, & *In*, ex ſacris diuiniſq; litteris, & ſanctis Patribus.

Cum, hæc particula ex D. Bonau. diſt. 37. conſociationem dicit: in Diuinis verò ex D. Baſilio lib. de Spiritu Sancto cap. 27. conſubſtantialitatis ſocietatem præſefert: ſic enim ſolis perſonis ſolet attribui. In hymno Angelorum in Natiuitatis nocte: *Tu ſolus altiſſimus Ieſu Chriſte, cum Sancto Spiritu.* In Symbolo Nicæno: *Qui cum Patre, & Filio ſimul adoratur, & conglorificatur.* Ad Canticum trium puerorum addit Eccleſia: *Benedicamus Patrem, & Filium cum Sancto Spiritu.* Liturgia D. Iacobi ſic precatur: *Quem vna cum æterno Patre ſuo, ac modis omnibus ſancto, bono, & viuifico Spiritu, gloria, decus, &c.* Innumeris locis S. Eccleſia ſic ſuas concludit orationes: *Qui viuis cum Patre, & Sancto Spiritu, &c.* æqualitatem ergo Diuinarum perſonarũ hac particula *Cum* confitemur: quod idem Arrius, vel inuitus, non eſt auſus negare: & ideò non eſſe glorificandum Patrem cum Filio, ſed per Filium: quod tanquam blaſphemum quoque ex vſu *Per* quàm euidentiſſimè conſtabit.

Per igitur hæc dictio ad cauſam principalem ſignificandam, Deo, ſinguliſq; perſonis legitur adſcripta in Diuinis litteris. Deo, 1. Corinth. 1. *Fidelis Deus, per quem vocati eſtis in ſocietatem Filij eius.* Ad Epheſ. 1. *Paulus Apoſtolus Ieſu Chriſti per voluntatem Dei.* ad Galat. 4. *Quod ſi Filius, & hæres per Deum.* Filio, Ad Rom. 6. *Chriſtus reſurrexit à mortuis per gloriam Patris.* Spiritui Sancto 1. Cor. 2. *Nobis reuelauit Deus per Spiritum ſuum.* 2. ad Timot. 1. *Bonum depoſitum cuſtodi per Spiritum Sanctum.* 1. Cor. 12. *Alij quidem per Spiritum datur ſermo ſapientiæ.* Frequentius tamen, idq; multis, ac grauiſſimis rationibus, Filio: Ioan. 1. *Omnia per ipſum facta ſunt.* Ibidem: *Mundus per ipſum factus eſt*: ad Roman. 1. *Per quem accepimus gratiam, & Apoſtolatum.* Ibidem: *Gratias ago Deo meo per Ieſum Chriſtum.* Ad Roman. 5. *Pacem habemus ad Deum per Dominum Ieſum Chriſtum.* Ad Coloſſ. 1. *Omnia per ipſum creata ſunt.* 1. Cor. 8. *Vnus Dominus Ieſus Chriſtus, per quem omnia, & nos per ipſum.* Ad Hebr. 2. *Per quem omnia.*

D. Baſilius hanc huius frequentioris Filio appropriationis reddit rationem lib. de Spiritu Sancto cap. 7. & 8. *Vt agamus gratiam per Chriſtum Patri, donaq; per eum recipienda innoteſcat.* D. Fulgentius quæſt. 4. ad Ferrandum eandem fatetur rationem: *Quoniam mediator Dei, & hominum factus eſt, necnon Sacerdos & Pontifex.* Sed hæc de Chriſto homine.

De Chriſto autem Deo, Inter omnes Auctor lib. quæſt. noui; & veteris teſtam. quæſt. 122. Filius differt in cauſalitatis gradu, quia omnis potentia à Patre in Filium eſt, & in ſubſtantia minor non eſt Patre; in auctoritate tamen minor eſt Patre, ipſo Domino teſtante, & dicente: *Si diligeretis me, gauderetis vtique, quia vado ad Patrem,*

quia

quia Pater maior me eſt. Quem etiam modum dicendi explicuit D.Paulus 1.Cor.8. *Vnus*, inquit, *Deus Pater, ex quo omnia, & nos in illum: vnus Dominus noſter Ieſus, per quem omnia, & nos per ipſum*: vt primus gradus ſit *ex quo omnia ſunt*; ſecundus *per quem omnia*; tertius *in quo omnia*. Et quia nullus gradus ex his à parte rei in veritate minor eſt alio, in vnitate Dei ſignificati ſunt. Rom. 11. *Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia, ipſi gloria in ſecula*. Aſſeritur origo perſonarum, in qua Filius à Patre recipit vim operandi, & Spiritus Sanctus à Patre, & Filio. Quem dicendi modum poſtea imitati ſunt, neque per latum vnguem deſerentes, D. Bonauent. dub. recenſito 4. D.Thom. quæſt.39. art.8. & quæſt. 45. art. 6. ad 3. vbi præpoſitionem *Per* non ſignificare, inquit, inſtrumentalem, ſed mediã cauſam, ſeu principium de principio, ad Romanos 11. lect. 5. Præpoſitio *Per* quando iungitur Filio, ſignificat quod Filius operatur per virtutem, quam accipit à Patre, principalem tamen. Idem art. 9. quæſt.39. Idem Alexander 1.par. quæſt.67. memb. vlt. Albertus 1.par. quæſt.50. memb. vlt. Magiſter 1.Sentent.diſt.36.cap. *Proinde*.

Quod ſi aliquando in Diuinis litteris, & apud Sanctos Patres legatur *Per* appoſita Patri, & Spiritui Sancto, vt iam paucis ſupra recenſuimus, quaſi per Patrem Filius, & per Spiritum Sanctum operetur; nihil tamen quam nunc collegimus doctrinam perturbat; imò mirificè roborat, & adauget. Reſpondet enim Magiſter in 1.diſt. 36. Ideò illud dictum eſſe non iſtud, vt in Patre monſtraretur auctoritas: non enim Pater à Filio, ſed Filius à Patre operatur, & Spiritus Sanctus ab vtroque; ideóq; etiam Filius per Spiritum Sanctum legitur operari, quia cum Spiritus Sanctus operatur, hoc ipſum à Filio habet, vt operetur. Cui ſuccinunt Scholaſtici communiter. Conſequenter Verbum operatur per Patrem, hoc eſt per virtutem, quam accipit generatione à Patre: ſic congruè creat per Patrem. Sic D.Cyrillus Hieroſolym. catecheſi 4. cap. 3. de Filio ait, *Cum Patre ſimul regnans, & omnium per Patrem opifex*. Addit S. Thomas opuſc. 1. contra errores Græcorum cap. 15. ideò dicitur per Spiritum Sanctum operari Filius, vt homo eſt.

De præpoſitione *In* eadem, & eodem ordine promenda, & obſeruanda, quæ iam de præpoſitione *Per*. Primò enim identitatem, & conſubſtantialitatem perſonarum ſignificare, docet magnifico, & grandiloquo dicendi genere D. Athanaſius orat. contra Gregales Sabellij: & fuſius in vtraque epiſt. ad Serapionem Epiſcopum de Spiritu Sancto: ſed magis ex propoſito D.Baſilius lib. de Spiritu Sancto cap. 6. & primò dictio *In* ei perſonæ (vt ſupra) tribuitur, cui & *ex quo*; ſicuti *ex quo* eandem, & æqualem ſignificat virtutem efficiendi, & inde eandem naturam; eandem ita neceſſariò ſignificabit & *In*: de eodem enim Chriſto dicitur *ex quo*, & *in quo*. Ad Epheſios 4. & ad Coloſſ.1. & de Spiritu ſancto legitur *de quo*, & *in quo*: ad Galat. 6. *Qui ſeminat in Spiritu, de Spiritu metet vitam æternam*. Matth. 2. *Quod in ea natum eſt, de Spiritu Sancto eſt*. Ioan. 3. *Quod natum eſt ex Spiritu, Spiritus eſt*.

Præterea dictio *In* Deo adiungitur Pſal. 17. *In te eripiar à tentatione, & in Deo meo tranſgrediar murum*. Ioan.3. *Vt manifeſtentur opera eius, quia in Deo ſunt facta*. Ad Theſſal.1. & 2. Corinth. 10. Quo conſequitur, & deducitur à S.Baſilio eodem loco, & cum eo à S.Ambroſ. lib. 2. de Spiritu Sancto cap. 10. per hanc particulam *In* ſignificari Diuinam virtutem, qua Deus operatur quidquid operatur.

Sæpius tamen, & per magis propriam ſignificationem congruit hæc præpoſitio *In* Spiritus Sancti perſonæ: ſic fuſa oratione D. Chryſoſt. hom.4. in Ioan. *Hoc verbum in quo, quamuis proprium ſit Spiritus Sancti, id tamen Deo attribuere non recuſat Propheta: inquit enim, in Deo faciemus virtutem*: & Paulus ad Galat.5. Chriſto, *In Chriſto Ieſu, &c.* Deinde conformiter Patres, & Theologi illa verba ad Romanos 11. *ex quo*, Patri: *per quem*, Filio: *in quo*, Spiritui Sancto diſtribuunt, rationesq; obſeruandas reddunt, quarum ſit

Prima. Ex propria *In* ſignificatione elicita aliquid in alio dicitur eſſe, in cuius poteſtate, & imperio eſt, & quo contineatur, & ſuſtineatur, & conſeruetur. Eſther 13. *Domine in ditione tua cuncta ſunt poſita, & non eſt qui tuæ poſſit reſiſtere voluntati*. Act.17. *In ipſo viuimus, mouemur, & ſumus*: ergo peroptimè Spiritui Sancto conuenit, qui Patris, & Filij voluntate, quæ omnipotens eſt, producitur, & ſpiratur.

Secunda ex D.Thoma 1.par. quæſt.39. art.8. & lect.5. in epiſt. ad Romanos cap. 11. ex Alexandro 1.par.quæſt.9.memb.3. & quæſt. 66. memb. 4. ex Alberto 1.par.quæſt.50.memb.4. In Dei perfectione, & bonitate nedum producuntur, ſed perficiuntur, & conſeruantur omnia: ſed bonitas congruè tribuitur Spiritui Sancto: ergo & dictio *In*.

Denique D Bonauent.dub.4. indicato egregiè. Dictio *In* dirigit in finem, & indicat in quo res aliqua ſiſtit, & quieſcit: ſed Spiritus Sanctus eſt vltima perſona, in qua quieſcit, & finit fecunda, & vltima proceſſio: ergo Spiritu Sancto ductus D. Paulus illa dictione *in quo* explicuit Spiritum Sanctum, vnica voce. S.Bonau. *In quo* dicit rationem vltimi, ſiue quietatiui. Didicit ex D.Gregorio Nyſſen. lib. ad Ablabrium: *Omnis actio ad creaturam à Deo perueniens, quæ ſecundum varias notiones, & conſiderationes accipit; à Patre proficiſcitur, per Filium progreditur, in Spiritu Sancto perficitur*. Imò ex Philoſopho 4.Phyſ.tex. 33. Qui inter alios modos dicendi eſſe in alio ponit & hunc, quo res eſt in fine, & in quo quieſcit, & terminum accipit. Bonitas verò rationem finis habet. Ferè reliquas rationes in ſua complexus eſt Sanctus Doctor.

Secunda pars, de reliquis in cap. principio poſitis præpoſitionibus.

PRæpoſitio *De* aſſerta de Diuinis perſonis, vt Filius de ſubſtantia Patris generatur, conſubſtan-

ſtantialitatem præſefert, & originem; ita vt *De* hoc in propoſito, ſit ſenſus; Filius generatur à Patre de ſua ſubſtantia: eandem enim numero Filio ſubſtantiam communicat. Quo conſequitur: Pater non eſt de ſubſtantia Filij: nam licet ſit ei conſubſtantialis; non trahit tamen à Filio Pater originem: & præpoſitio *De* vtrumque complectitur. Probat S.Doctor auctoritate tum Magiſtri, tum Diuinæ Scripturæ, in qua frequenter legitur, Pater de ſua ſubſtantia genuit Filium; tum multis Sanctorum Patrum ſententijs à Magiſtro relatis; tum denique ratione. Pater generat Filium, aut de nullo, aut de aliquo: non primum, quia tunc eſſet creatura: ergo de aliquo: aut alieno, aut proprio: non primum, quia ſic differrent natura Pater & Filius: ergo de propria ſubſtantia: ergo *De* conſubſtantialitatem, & originem ſignificat.

Ex, S.Doctor diſt.25.dub.2.litt: importat habitudinem cauſæ, vel principij ad effectum cum diſtinctione; vnde Diuinæ perſonæ non ſunt ex eadem eſſentia, ſed eiuſdem eſſentiæ, quaſi informatiuè, & denominatiuè, ſicut mulier dicitur egregiæ formæ.

A, idem S.Doctor cit.quæſt.2. diſt.5. art.1. in reſp.ad 3. dicit habitudinem cauſæ, & principij, neque tamen conſubſtantialitatem.

Apud, diſt.37. dub.2. in Deo tranſitionem dicit quoad modum, ſicut dum dicitur, Deus apud ſe eſt, ita vt ſecundum eſſentiam dum accipitur, diſtinctionem non dicat; dum verò ſecundum perſonas, vt *Verbum erat apud Deum*, diſtinctionem aſtruat.

Propter, Dicit finem principalem, *In* verò & finem cuius, & ſub quo.

Propter ſi. Duobus modis: primò vt opponitur ei, quod eſt propter aliud: ſecundò ei, quod eſt per accidens.

Quod de prima primo loco præpoſitione *De*, & differentia ab illa *Ex*, veriſſimum eſt, & colligitur ex communi Doctorum Eccleſiæ vſu, Ex D. Aug. lib.1. de natura boni contra Manichæos cap.26. *Ex ipſo autem non hoc ſignificat, quod de ipſo: quod enim de ipſo, poteſt dici ex ipſo; non autem omne quod ex ipſo, dicitur rectè de ipſo: ex ipſo enim cælum & terra, quia ipſe fecit ea; non autem de ipſo, quia non de ſua ſubſtantia: ſicut aliquis homo, ſi gignat filium, & faciat domum; ex ipſo filius, ex ipſo domus; ſed filius de ipſo, domus de terra & ligno.* Quem ſequuntur D.Bonauent. indicatis locis, D.Thom.1.par.quæſt.41. art.3.ad 2. & 1.Sent.diſt.5.quæſt.2.art.1.& communis ſuorum diſcipulorum ſchola. Henricus in Summa par.2. art.54. vbi quæſtionem illã verſat, An Deus produxerit mundum de nihilo.

Secundò ex D.Nazianz. orat.43. de Fide ante medium, contra inſidioſa Arrianorum verba: *Quia Pater lumen, & lumen Filius; rectè lumen de lumine credimus: tu autem non lumen de lumine, ſed lumen ex lumine aſſeris, quaſi à Patre qui verè lumen eſt, aliud lumen ſit factum, quod de ipſa Patris ſubſtantia non ſit: ſed ſicut aliud quodlibet lumen, quamquam à Deo ſit factum, longè tamen ſit ab eo, qui fecerit, & ideò lumen ex lumine, non de lumine dicis.* Quo quid clarius, & apertius de re hac ſcribi, ac afferri poteſt? & quo magis harum vocum animaduerſionis neceſſitas oſtendi? Sed grauius colligitur ex ipſomet Conc. Nicæno, vbi Euſebius Nicomedienſis Arrianorum Princeps cum ſuis ſimulans ſe Catholicum, Filium ex Deo concedebat: etenim nos quoque ex Deo ſumus; vnus namque Deus, ex quo omnia. Catholici verò Epiſcopi, Arrianorum decipiendi conatu explorato, clariùs ſubiecerunt ex Deo eſſe, vt tum creaturæ (propterea quod non ipſæ ex ſe, aut ſine cauſa ortæ ſint; ſed principium ſui ortus habent) ex Deo eſſe dicantur; tum Filius ſolus ex Patris eſſentia exiſtimetur conſtare: hoc enim vnigeniti, & veri Verbi Dei Patris propriũ. Sic huiuſmodi verba referunt D. Athanaſius epiſt. ad Epiſcopos Africæ, & Theodoretus lib.1. hiſtor. Eccleſ. & ponuntur in ipſo Nicæno Concilio lib.2. prope finem.

In quæ tamen verba hoc obſeruandum, præſertim D.Auguſt. nuperrimè recolitis verbis de natura boni; non ita ſua ſignificatione dictionem *Ex* diſtingui à dictione *De*, vt tantum creaturæ ortum à cauſa ſua ſignificet, neque vnquam etiam ſimul conſubſtantialitatem: apta enim nata ipſa quoque ad idem quod *De* indicandum, vt remota Arrianorum fraude, adiunctiſq; congruis verbis, ſicut nunc relatis ex Conc. Filius ex Patris eſſentia gigni dicatur: hac enim ratione ſupra D. Auguſt. *Non omne quod ex ipſo dicitur, de ipſo rectè dicetur*, quaſi vellet innuere, non omne quidem quod ex Deo omni modo procedit, de Deo, nimirum de Dei ſubſtantia procedit, ſcilicet creatura: aliqua tamen res, hoc eſt Filius, & Spiritus Sanctus, ſi addatur, *ex* Dei Patris, &c. ſubſtantia, progreditur. Itaque Pſal. 109. *Ex vtero ante luciferum genui te*. Eccleſiaſtici 24. *Ex ore Altiſsimi prodiui*. Latina Eccleſia in Symbolo, *Ex Patre natum ante omnia ſecula*. & de Spiritu Sancto: *Qui ex Patre, Filioq; procedit*.

Quod verò opponunt quidam, Driedo lib.3. de Regulis in Dogmatibus Sacræ Scripturæ, quem inter alios recentiores ſequitur Vaſquez. Neque *De* dicere conſubſtantialitatem, diſput.162. cap.2. nam de Chriſto ſecundum humanitatem legitur Matt.1. *Quod in ea natum eſt, de Spiritu Sancto eſt*. & in Symbolo Apoſtolorum: *Qui conceptus eſt de Spiritu Sancto*. & in Symbolo Nicæno: *Et incarnatus eſt de Spiritu Sancto*; certum enim eſt humanitatem Chriſti non eſſe Spiritui Sancto conſubſtantialem.

Reſp. primò ex D.Ambroſ. lib.2. de Spiritu Sancto cap.5. textum Græcum non legere *De Spiritu Sancto*, ſed *ex Spiritu Sancto*: ex D Athanaſ. dialogo 3. de ſanctiſſima Trinit. verba D.Matt.1. *Inuenta eſt grauida ex Spiritu Sancto* legente: ex D.Baſilio lib.5. cõtra Eunomium cap.2. qui, *Quod in ea natum eſt, ex Spiritu Sancto eſt*, legit. Secundò. Non omni loco, neque omnem vſum præpoſitionis *De* ſignificare conſubſtantialitatem neceſſe eſt, ſed ſufficit dum ad Diuinarum perſonarum origines proprias explicandas aſſumitur; de qua re nos hic præcisè laboramus. Tertiò. Diuina

uina prouidentia factum putant doctiſsimi viri, Concilia, & Patres aliquando de induſtria varijs vſos præpoſitionibus ad diſtinctius, & clarius diuinas emanationes teſtandas, & enucleandas, præſertim inter perſonas diſtinctionem realem ex origine, vt loco *De, Ex, Ab*, dixerint Filium à Patre, ex Patre genitum: vt ſicut per bas dictiones creaturarum egreſſum exprimunt, quem euidentiſſimũ eſt à Deo creante realiter differre; ſic per eaſdem dictiones, & Filium quidem à Patre generante, & Spiritum Sanctum à Patre, & Filio ſpirantibus re vera realiter differre: neque tamen eodem modo: neque inde tollitur earundem perſonarum cum Patre conſubſtantialitas. Quod vtrumque cum rectius, & grauius per dictionem *De* explicetur; relinquitur dictionem hanc magis propriam, & communiorem eſſe vſum, eundemq; tenuiſſe, docuiſſe, ac ſuſtinuiſſe Patres in Concilio Nicæno, vt paucis iam ante: eodemq; vtitur Eccleſia in confeſſione Fidei, dum in Symbolo ipſa canit: *Deũ de Deo, Deum verum de Deo vero, lumen de lumine, conſubſtantialem Patri, &c.*

De præpoſitione *A*. Primò, quod docuit S. Bonauent. comprobauit Henricus ſupra relatus, ſcilicet de rigore ſermonis hanc præpoſitionem, originem à principio actiuo, nequaquam ſubſtantialitatem denotare; quod tamen non eo rigore aſſeritur, quin ex ſubiecta materia inueniatur aſſumpta ad vtrumque. Quod & præpoſitio *De* præſeferendum, nimirum eandem ſubſtantiam cum diſtinctione perſonarum. Ioan. enim 16. *A Deo exiui*. Ioan. 17. *Exiui à Patre*. In Symbolo D. Athanaſij: *Filius à Patre ſolo eſt, Spiritus Sanctus à Patre, & Filio*. Et apud quoſdam alios Patres eodem ſenſu vſurpata legitur, apud D. Athanaſium orat. de fide Nicæna. Apud D. Nazianz. orat. 13. quæ eſt 2. de pace, &c.

E, idem quod *Ex*. D. Iuſtinus lib. de Trinit. *Pater è propria eſſentia generat Filium*. D. Ambroſ. lib. 1. de Fide ad Gratianum cap. 7. *Verus Deus è vero Deo*.

Ab, prorſus idem quod *A*, ſignificat, tantum in vſu conſtructionis differt euphoniæ cauſa: ſic vtitur D Hilarius lib. 8. de Trinit. *Quod eſt ab eo eſt, nec tamen ab eo per aliquam naturæ diſsimilitudinem ſeparatur*. & lib. 3. *Ab ingenito, perfecto, æternoq; Patre vnigenitus, & perfectus, & æternus Filius eſt*.

Apud. Præſuppono quæ aliàs notaui in explicatione eorum verborum Ioan. 1. *Et Verbum erat apud Deum*; propterea hic pauca addo. Dixerat S. Bonau. dictionem *apud*, ſi Deo addatur, ac dicatur, *Deus apud ſe eſt*; non habere vim tranſitiuam, vt Deum à ſe diſtingui aſſerat, ſed modum quo Deus eſt aſtruat. Nunc quia verba, & particulaa, quibus Diuinarum perſonarum myſterium idoneè, congruè, & tutè explicetur, æqua lance librare conamur; accipimus *Apud* vt de perſona prædicatur, & illud Ioan. 1. *Et Verbum erat apud Deum*, breuibus enodamus.

Et primò vox illa *Deum*, licet ex D. Auguſt. lib. 6. de Trinit. cap. 2. ſupponat, & ſignificet Deum vnum, ac tres ſimul perſonas: ex communiori tamen Patrum aliorum expoſitione, D. Athanaſ. orat. quod Deus de Deo ſit Verbum. D. Chryſoſt. hom. 2. D. Baſilij in hæc verba. D. Hilarij 2. de Trinit. Bedæ, Theophylacti, Euthymij, &c. *Apud Deum*, Patrem ſignificare, vt Verbũ apud Deum ſit apud Patrem: idem verò eſt, ac eſſe in ſinu Patris: nam quod nunc dicitur apud Deum, paulò poſt in ſinu Patris eſſe ſcribitur: conſilio tamen Diuino D. Ioannes *apud Patrem*, non in Patre litteris conſignauit; nam Filium apud Patrem, non Patrem apud Filium eſſe, honoratiorem quendam (vt ſic dicam) Patri locum, & ſitum tribuit; quaſi Filius diceretur in domo Patris, non Pater in domo Filij: non ad inæqualitatem aliquam in natura, aut perfectione aſſerendam; ſed originem, qua Filius à Patre, non Pater à Filio. Qua ratione multi Patres, præſertim Græci, Patrem maiorem, non meliorem Filio aſſeruerunt.

Licet igitur *Apud* hoc loco idem ſit quod *In*, qua Homouſion, & identitas ſubſtantiæ, & circũinceſſio perſonarum indicetur; *Apud* tamen Spiritus Sanctus. D. Ioanni dictauit hoc arcano, vt nedum vnitatem ſubſtantiæ, ſed originem, & ordinem ſimul nobia reuelaret perſonarum: ergo *Apud* vbi inter diuinas perſonas aſſeritur, idẽ quod *De*, nobia aperit.

Propter. Præter ea quæ S. Doctor de hac particula communiter ſumpta, & præſertim ratione creaturarum dicit finem; nunc vt ingreditur ad Diuinas relationes explicandas ex illo Ioan. 6. loco: *Ego viuo propter Patrem*. Hunc locum D. Cyrillus lib. 14. Theſauri cap. 15. ſic interpretatur. Viuere propter Patrem dicitur, nõ quia particeps vitæ ſicut nos ſit; ſed quia omnia Paternæ ſubſtantiæ naturaliter in ipſum, ſicut in Filium tranſeunt. Proprium autem Patris eſt viuere, vel vt apertius dicam, ipſe eſſentialiter vita eſt. Hoc igitur & Filius propter Patrem, quoniam ex eo naſcitur. D. Ambroſ. lib. 4. de Fide ad Gratianum cap. 5. *Si ad Diuinitatem referunt; propter Patrem viuit Filius, quia ex Patre Filius eſt. Propter Patrem, quod vnius ſubſtantia cum Patre: Propter Patrem, quod Verbum eructatum ex Patris corde, quod à Patre proceſsit*. D. Hilarius lib. 7. de Trinit. cum ait, *Sicut miſit me viuens Pater. & ego viuo propter Patrem*; docuit vitam in ſe per viuentem Patrem ineſſe. D. Chryſoſt. hom. 46. *Viuo ego, & Pater, & ne ingenitum arbitreris, addidit propter Patrem*. Et paucis poſt: *Quid ergo ſignat propter Patrem* (loquitur Græcè) *nos principium*. D. Auguſt. tract. 26. in Ioan. *Viuo ego propter Patrem, quia ipſe de illo eſt, & non ille de ipſo*. Ergo dictio *Propter* ponit originem, & ordinem emanandi, & ex D. Ambroſio identitatem ſubſtantiæ.

Quod ſi aliqui alij Patres de Chriſto homine hæc eadem verba ſumunt, nihil refert: primò, ſi relati Patres ſufficiunt ad hanc huius particulæ vim legitimam reddendam. Deinde addita explicatio non eſt neque contraria, nec oppoſitam negat; imò vtraque congruè vera, etiam penes ſenſum litteralem; ſicuti à parte rei veriſsimum eſt Chriſtum Deũ, & Chriſtum hominem viuere propter Patrẽ.

C A-

CAPVT XII.

De huius vocis (Solus) vſu in Deo, Diuiniſq; perſonis. D. Bonau. diſt. 21. D. Tho. eadem diſt. & 1. par. q. 30. art. 3. & 4.

NOn inquiritur hic an abſolutè, & aliquo modo hæc vox *Solus* competere poſſit Deo, ac congruè vocetur, & prædicetur ſolus: adeò namque certa eſt veritas hæc affirmatiua; vt qui eam negare auderet, negaret ſimul innumera ferè Diuinarum litterarum oracula. Deuter. 32. *Videte quod ego ſim ſolus, & non ſit alius Deus præter me:* quo loco vtitur D. Athanaſ. contra Arrianos orat. 4. Pſal. 82. *Tu ſolus ſuper omnem terram.* Iob. 9. *Qui extendit cælos ſolus.* Iſaiæ 37. *Tu es Dominus ſolus.* Iſaiæ 44. *Ego ſum Dominus faciens omnia, extendens cælos ſolus, ſtabiliens terram, & nullus mecum.* Ioan. 17. *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te, ſolum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.* Ad Rom. 16. *Soli ſapienti Deo, &c.* 1. Timot. 1. *Regi ſæculorum, immortali, inuiſibili, ſoli Deo honor, &c.* Ibid. cap. 6. *Beatus, & ſolus potens, Rex Regum, & Dominus Dominantium, qui ſolus habet immortalitatem,* & alia plurima huius veritatis: quibus, & conſimilibus locis Sancti Patres, D. Fulgentius lib. de Fide ad Donatum, cap. 3. D. Auguſt. de Trinit. cap. 7. & lib. 7. cap. vltimo, & alibi, & alij Patres deduxerunt; ita contra hæreticos Deum eſſe ſolum, vt ſimul tamen trinus in perſonis ſemper credatur, ipſamq; Trinitatem eſſe ſolum Deum.

Inquiritur ergo & indagatur, quomodo, & ſub qua ratione *ſolus*, tum à Diuinis litteris, tum à Sanctis Patribus Deo tribuatur: an Deo v. g. vnius naturæ, prædicatorumq; eſſentialium, an perſonis. Neque mirandum ſi Patres, ac Theologi tam accurati, tamq; anxij in notandis, diſtinguendis, explicandis his terminis, ac dictionibus, & aliquando negandis inueniantur, præſertim D. Hilarius lib. 7. 8. & 9. de Trinitate. D. Ambroſ. lib. 5. de Fide cap. 1. & 2. D. Auguſt. lib. 7. de Trinit. cap. 4. D. Leo ſerm. 2. de Pentecoſt. & alij, & Magiſter in 1. diſt. 23. S. Bonauen. S. Thom. Albertus, &c. vt infra: adeò enim ipſis inuiſus Sabellij error erat, qui vnicam ſolam perſonam in Diuinis blaſphemus aſſerebat, adeò eum deteſtabantur, vt has dictiones vbi eis occurrebant, ſuſpectas haberent.

Hinc primò quaſi oculatè animaduertere conſueuerunt, cui termino particula, *ſolus*, adiungatur, an abſoluto, an relatiuo, an prædicato, an ſubiecto propoſitionis aſſertæ. Præterea, an vbi aſſeritur cathegorematicè, vel ſyncathegorematicè pronuntietur: & hinc quid ſit cathegorema primò deſcribunt. Cathegorema ſignificat ſuppoſitum aliquod habens aliquam formam, ſiue illa forma ſit de ratione ſuppoſiti, & diſtinctè, ſiue de materiali, & confusè, vt adiectiua per modum ſuppoſiti. Syncathegorema verò dicit ordinem, & modum formæ ad ſuppoſitum, non ſignificando ipſum ſuppoſitum, & ex D. Thoma, terminos hunc ordinem indicantes, ſicuti nullus, omnis, & omnia aduerbia. Subinde S. Bonau. quæſt. 1. in veſtibulo quæſtionis concedit, & probat congruè de Deo prædicari, *ſolus*, reſpectu termini eſſentialis, vt ſolus Deus creat, hac in primis ratione: *ſolus* aliquid de ſubiecto propriè, & ſoli illi competens exprimit; ſed Deus ſuas habet proprietates eſſentiales: ergo rectè per terminum *ſolus* exprimuntur. Huc referuntur loca nuperrimè ex Diuinis litteris allata.

Secundò, *ſolus* cathegorematicè ſumptus, nimirum ſignificans de ſubiecto vnicam rem, & hoc ſenſu ſolitudinem, vt idem ſit ac ſolitarius; haud rectè de Deo ſubſtantialiter affirmari poteſt. Ratio eſt: Solitudo de Diuina ſubſtantia omninò remouenda; nam de fide in tribus perſonis inuenitur: ergo cathegorematicè non poteſt dici Deus ſolus.

Primum aſſertum S. Bonau. eſt commune aſſertum D. Thom. 1. par. quæſt. 31. art. 3. Alberti 1. par. quæſt. 40. memb. 1. Alexandri 1. par. quæſt. 63. mẽb. 3. Henrici fuſiſſimè 2. par. art. 73. quæſt. 5. Riccardi diſt. 21. Scoti ibidem quæſt. vnica, & aliorum: vt vt ſolus Deus eſt infinitus, æternus, ſolus Deus creat. & probatur Lucæ 18. *Nemo bonus, niſi ſolus Deus.* Quod Matt. 19. & Marci 10. dicitur: *Nemo bonus, niſi vnus Deus.* Quibus Chriſtus, & ſe eſſe Deum, & infinitum bonitate propria infinita declarabat, & Legisperitum increpabat, quia Chriſtum bonum nuncupans, bonitate finita bonum intelligebat; vt vtrumque locum innumeri Patres, vt ab Arrio deprauato ſenſu ſumente tuerantur, aſſerunt, & exponunt.

Secundò, 1. Tim. 1. *Regi ſæculorum immortali, inuiſibili, ſoli Deo, &c.* Quem locum communi ferè conſenſu Patres de communi perſonarum Diuinitate interpretantur. D. Nazianz. orat. 4. de Theologia. D. Baſilius in Apologia ad Cæſarianos, vt epiſt. 141. D. Auguſt. lib. 2. contra Maximinum cap. 3. & 15. & lib. 3. cap. 9. & 13. & lib. contra ſermonem Arrianorum cap. 1. Theodoretus in hunc locum, &c. Quod ſi D. Ambroſ. & D. Chryſoſtom. hom. 4. in hunc locum, de perſona Patris ſumunt; reliquas perſonas non excludunt, ex regula communi Theologorum, vt infra.

Tertiò, 1. Tim. 6. *Solus Deus habet immortalitatem.* Pſal. 82. *Tu ſolus altiſſimus ſuper omnem terram, &c.* Ratio potiſſima. Nam hoc ſenſu ſumitur, vt nullam ex perſonis excludat *ſolus*; ſed à Diuinitate, æternitate, infinitate, actiua creatione, omnes creaturæ, quod veriſſimum eſt: ſolus enim Deus infinitus, nullaq; ſecum creatura infinita, &c.

Sed hoc loco opportunè aduertendum, quod docet Riccardus quæſt. 1. Licet veriſſimum ſit *ſolus Deus æternus*: haud tamen verum, ſolus Deus eſt ab æterno: cathegorematica enim propoſitio eſt, & tollit fœcunditatem, & conſociationem perſonarum æternam.

Secun-

Digitized by Google

Secundum pariter S. Bonauenturæ aſſertum communis Theologorum ſententia complectitur, S. Thomas art. 3. cum ſuis. Albertus &c. & poteſt probari ex Diuinis litteris. Io. 16. *Solus non ſum*, & infra: *qui me miſit, mecum eſt, & non relinquit me ſolum.* Io. 16. *Non ſum ſolus, quia Pater mecum eſt*: Quibus locis perſonarum ſolitudo excluditur, & obſeruant communiter Patres. D. Athanaſ. orat. contra gregales Sabellij. D. Baſil. hom. 8. contra Sabellianos. D. Ambr. lib. 2. de fide ad Gratianum. D. Auguſt. tract. 26. in Ioannem. D. Fulgentius lib. de fide ad Donatum cap. 3. D. Hilarius vehementer inculcans eſſe ad fidem ſpectans dogma, Deum non eſſe neque ſolum, neque ſolitarium, lib. 4. de Trinit. lib. 7. & lib. 8. & lib. de Synodis, & Symbolum Nicænum, & D. Leo ſerm. 2. de Pentecoſte &c. *Sic in tribus concedenda eſt perſonis, vt ſolitudinem non recipiat Trinitas.* Ratio iam reddita: nam Deus, neque eſt, neque poteſt eſſe ſolitarius, & ſine perſonis: & Diuina ſubſtantia non poteſt ſubſiſtere niſi in tribus: & de ratione Deitatis quam adoramus, eſt eſſe in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto.

Repugnat de Montoia, & contra Theologorum torrentem exiſtimat tutam eſſe de Deo eſſentialiter ſumpto cathegoricam propoſitionem, Deum eſſe in Deitate ſolum ſignificantem; & conatur multa loca ex Diuinis litteris inferre, quæ ferè omnia indicauimus huius capitis initio: Deut. 32. *Videte quod ego ſim ſolus &c.* & addit multos Patres: concluſ. tamen 2. adiungit ex Tertull. lib. contra Praxeam, eſſe magis tutum dicere ſimul ita Deum eſſe ſolum, vt non ſit ſolus: ſi enim ſolus in Deitate, non eſt in perſonis ſolus. Tertulliani verba. *Deus erat ſolus &c. ſolus autem, quia nihil aliud extrinſecus præter illum: cæterum ne tunc ſolus quidem: habebat enim ſecum, quam habebat in ſemetipſo rationem ſuam*, nimirum perſonam. Sed ni fallor, poteſt tutè negari, Deum eſſe Deitate ſolum eſſe propoſitionem cathegoricam: eſt enim ſyncathegorica, ex definitione iam hoc cap. tradita termini ſyncathegorematici: diſtinctè enim quomodo ſe habeat prædicatum hoc *ſolus* ad ſubiectum, & quomodo Deus ſit ſolus, nimirum Deitate, non verò perſonis, explicat. Sic explicatè S. Doctor in fine corp. quæſt.

Tertium ex D. Bon. ſelectum aſſertum. Syncathegorematicè abſque dubitatione admittendum, Deum eſſe ſolum. Explicatione ſolâ ſatis confirmatur: nam tunc *ſolus* dictio excluſiua priuat aſſociationem in termino cui adiungitur, & de quo prædicatur; vt ſic dicatur, ſolus Deus eſt omnipotens, infinitus &c. & tunc eſt hæc ſubiecta ſententia; Nulla cum Deo creatura eſt omnipotens, neque infinita &c. ſed Deo vni, & ſoli eſt propria omnipotentia &c. Eadem ratione dicitur Deus ſolus, vt negetur de creatura Deitatis ratio, & ſoli Deo vero ſit Deitas propria, quod veriſsimum eſt, & confirmant omnia loca Diuinarum litterarum ſupra in cap. initio recenſita.

Cumulat diſtinctè, & ſubnectit 4. aſſertum eadem quæſt. S. Bon. & S. Thomas art. 3. eodem indicato ſenſu ſyncathegorematico, idoneè, congruè, & legitimè recipitur à Patribus, & Theologis; in vſu eſt, & colligitur ex Diuinis litteris, ſolus Deus eſt Pater. Explicat S. Doctor. Non alius quàm Deus eſt Pater, & probat primò ex communi vſu: ex Ariſt. 1. Elencorum cap. 4. *ſolus* idem eſt ac non cum alio. Secundò. Sicut idem eſt dicere, nihil præter Petrum currit, ac ſolus Petrus currit, ex communi & dicendi, & intelligendi vſu; ita eadem ratione erit idem dicere, ſolus Deus eſt Pater, ac nihil præter Deum eſt Pater. Tertiò. Pater præcisè prædicatur de Deo: ergo cum excluſione ſolus Deus eſt Pater. Antecedens conſtat: nam à quocumque remouetur *Deus*, remouetur & *Pater*: nam à quo remouetur quod eſt in plus, vt Deus; remouetur quod eſt in minus, ſcilicet Pater. Deus verò eſt & Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus; Pater verò vt Pater nequaquam: neque enim eſt Filius, aut Spiritus Sanctus. Eandem doctrinam eadem diſt. art. cit. tradit S. Thom.

Quintum Aſſertum ex quæſt. 2. art. 2. S. Doctoris, & art. 4. S. Thomæ. Licitus quoque, & aliquo ſenſu concedendus huius dictionis *ſolus* vſus, ſi addatur termino perſonali, ratione ſubiecti, & prædicetur terminus eſſentialis, & dicatur, ſolus Pater eſt Deus. Et primò ſecundum aliquorum ſententiam: nam ille terminus *ſolus Pater* non excludit correlatiuum Patri, nimirum Filium, itaut prædicetur, ſolus Pater eſt Deus, non autem Filius; ſed eſt Deus cum ſuo correlatiuo. Secundò. Ex propria ſententia, & magis rationi conſona: nam dum aſſeritur ſolus Pater eſt Deus, idem eſt ac ſi aſſereretur, Ille, qui ſolus inter Diuinas perſonas eſt Pater, eſt Deus: Ita vt *ſolus* remoueat, & neget formam termini ſubiecti ab alijs, & dicat ſolum Patrem, qui non eſt Filius, neque Spiritus Sanctus; non tamen formam prædicati, vt de alijs perſonis neget Deum in hac propoſitione prædicatum, Solus Pater eſt Deus: erit tamen tutior omnis huiuſmodi prædicatio, ſi addatur limitatio, vt in illa addit Eccleſia. *Tu ſolus altiſsimus Ieſu Chriſte*: addit enim, *cum Sancto Spiritu in gloria Dei Patris*.

S. Thomas eandem complectens ſententiam, & eadem gloſſa gloſſans propoſitionem, aſſerit: Si dictio *ſolus* ſumatur Syncathegorematicè, & excludat formam ſubiecti, veram facit propoſitionem, & hunc promit ſenſum: Ille qui inter Diuinas perſonas ſolus eſt Pater, eſt Deus. Si verò poneret ſolitudinem, & cathegorematicè ſumeretur, omnino eſſet falſa: diceret enim, ſolus Pater eſt Deus, & nulla alia perſona. Quod idem repetit S. Doctor in reſp. ad 1. ſub alijs verbis, quando ſcilicet excludit principalem compoſitionem, vel vt ait Riccardus quæſt. 3. compoſitionem ſimpliciter, hoc eſt Deum ab alijs perſonis; eſt falſa: qui Riccardus, & ante ipſum Albertus, eadem explicatione vtuntur, & eundem ſenſum, & vſum admittunt.

Probat S. Thomas ex D. Aug. 6. de Trinit. cap. 7. illis verbis. *Solum Patrem dicimus Deum, non quia ſeparatur à Filio, vel Spiritu Sancto; ſed hoc dicentes ſignificamus, quod illi cum eo*

non

non ſunt Pater. Addit tamen non eſſe vſque adeo propriam, nec conſuetum dicendi modum; qui ſi alicubi inueniatur, non extendendus, ſed piè gloſſandum, & ibi hanc reddit rationem: nam in hac, & conſimili propoſitione, *ſolus*, ſecundum proprium ſenſum, penes prædicatum, quod eſt Deus, ſumitur, à quo alias excludit perſonas; vt velit dicere, ita ſolus Pater eſt Deus, vt Filius, & Spiritus Sanctus non ſit Deus: & Riccard. hanc propoſitionem à multis exiſtimari falſam. Conuenit ergo *S.* Thomas cum S. Bon. in ſenſu, ſed non in vſu: ille enim verum aliquem ſenſum admittit; ſed neque proprium, neque communiter vſurpandum: hic verò & ſenſum, & vſum legitimum admittit cum illa additione &c.

Mihi eſt animus breuibus cum D. Bonauentura huius dictionis vſum confirmare ex Diuinis litteris, & Patribus. Io. 17. *Hae eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum*: & eſt certa, & communis Patrum expoſitio, hæc verba ad Patrem referri, eumque ſolum vocari Deum; non eo tamen vt excludant Filium, & Spiritum Sanctum, ſed Idola ficta, & falſa: ergo de Patre dicitur ſolus Pater eſt Deus. Matt. 11. *Nemo nouit Filium, niſi Pater &c.* Vbi certè licet non legatur particula *ſolus*, eius tamen aperta æquipollens vis dignoſcitur. Matt. 24. de die autem illa nemo ſcit, neque Angeli cælorum, niſi ſolus Pater. 1. Corint. 2. *Quæ Dei ſunt nemo cognouit, niſi Spiritus Dei.* Ioan. 6. *Non quia Patrem vidit quiſquam, niſi is, qui eſt à Deo, hic vidit Patrem*. Vbi ſolum Filium videre Patrem legitur conſpicuè. 1. ad Timot. 6. *Qui ſolus habet immortalitatem*, & de Patre præſertim interpretantur Euariſtus Papa Epiſt. 1. ad omnes epiſcopos Africanos. D. Chriſoſt. hom. 18. in Epiſtola ad Timoth. D. Ambr. lib. 5. de fide ad Gratianum cap. 1. D. Athanaſ. dialogo 1. & 3. contra Macedonium, & Dialogo 1. de vnita Deitate. 1. Timoth. 1. *Regi ſæculorum immortali, & inuiſibili, ſoli Deo &c.* quem locum de Patre accipiunt D. Chryſoſt. hom. 4. D. Ambr. in eundem locum. Ad Roman. 16. in fine. *Soli ſapienti Deo per Ieſum Chriſtum*. Vbi de Patre eſſe mentionem contextus demonſtrat.

Quibus ego colligo. Ergo nedum ex Diuina Scriptura, ſed ex Patribus, huius termini *ſolus* ad perſonam Patris cum termino communi *Deus*, declaratur, & comprobatur vſus. Quod eo fidentius aſſero, quod nullum immineat periculum, hac particula *ſolus* excludendi reliquas perſonas, ex communi illis locis Sanctorum Patrum obſeruatione. Præterea ex communi ex prædictis Patribus collecta regula. Quando alicui perſonæ, præſertim Patri, aliquid commune tribuitur, non excluduntur reliquæ perſonæ, ſed potius ſemper includuntur: in Patre enim tanquam in fonte, & origine comprehenduntur Filius & Spiritus Sanctus, vt à quo procedunt: & de ſingulis magis in genere. Ioan. 14. *Ego in Patre, & Pater in me eſt*. Io. 8. *Qui miſit me, mecum eſt*. Io. 16. *Non ſum ſolus, quia Pater mecum eſt*.

Tradunt hanc regulam D. Chryſoſt. hom. 5. de Incomprehenſibilitate Dei. *Quoties audis vnus, & nullus, & cætera generis huiuſmodi, non Trinitatis opinionem diminui, ſed quantum inter eam, & creaturas intereſt, verbis hic ſignari arbitrare*. D. Cyrillus Alexand. lib. 4. Theſa. cap. 4. *Si ſolum Patrem aliquando dixeris habere naturaliter Diuinitatem; non priuabitur tamen Filius eadem re naturaliter: ſolus enim ea dicitur Pater habere, in quantum à nullo habet: ſed omnia quæ ſibi naturaliter inſunt, Filius ſuus ex eo progrediens conſequitur naturaliter*. D. Ambr. lib. 3. de fide ad Gratianum cap. 2. *Non ergo ſeparent Filium cum legunt ſolum Deum Patrem; nec Patrem ſeparent cum legunt ſolum Filium. In terris Filius ſine Patre non eſt; & putas quod Pater ſine Filio in Cælo erit?* D. Hieronymus in Matt. cap. 24. In Patre comprehendit Filium: omnis enim Pater, Filii nomen eſt. D. Aug. optimè probat hanc regulam lib. 3. contra Maximinum. Apertiſsimè D. Leo. ſer. 4. de Pentecoſte. D. Epiph. in Ancorato, & hæreſi 69. & D. Hilarius toto lib. 4. de Trinit. & eſt etiam regula logica: nam dictio excluſiua non excludit concomitantia ſubiecti.

Addenda eſt hæc gemina ratio. Prima. Solus Pater eſt Deus æternus, infinitus &c. Ita explicatur, vt nihil aliud à Patre ſit Deus infinitus, æternus, ſcilicet non alius Deus: hoc enim veriſsimum eſt; ita ſolus Pater eſt Deus vt nihil aliud differẽs ab eſſentia Patris ſit Deus. Secũda, Solus Pater eſt Deus: nam dictio *ſolus*, nõ excludit Filiũ, non ſolũ ratione abſoluti, de quo hic ex tot hucuſque recolitis Patrib. & locis Diuinæ Scripturæ; ſed ex conditione termini relatiui *Patris*, qui nõ poteſt correlatiuũ *Filij* excludere: quæ ambæ rationes licet vndequaque non placeant vtrique Sancto Doctori, neque tamen abſolutè negantur; vt liceat eas aſſumere ad proprietates verborum Sanctæ Scripturæ ſuſtinendas, & tuendas, præſertim adiuncta explicatione illa, ſolus Pater eſt Deus, hoc eſt inter Diuinas perſonas illa quæ ſola eſt Pater, eſt Deus.

Sextum aſſertum ex quæſt. 1. art. 2. Dictionis *ſolus* additæ termino relatiuo proprio vſus legitimus eſt, & certam veritatem in propoſitione progignit, dum dicitur, ſolus Pater eſt Pater. Primò ex D. Aug. 7. de Trinit. cap. 9. In illa Trinitate ſolus Pater dicitur Pater, quia nullus niſi ipſe ibi eſt Pater. Secundò. Ita perſona Patris in Diuinis perſonis eſt Pater, vt nulla alia perſona ſit Pater: ergo ſolus Pater eſt Pater. Tertiò. Pater propriiſsimè eſt Pater idem ſibi re, & ratione, vt conſtat: ergo ſolus eſt Pater. Quartò. *Solus* ſyncathegorematicè ſumptus, & excludens ſolitudinem, poteſt tribus modis priuare aſſociationem formæ termini ſubiecti, vt Ille, qui ſolus eſt Pater, eſt Pater, vel ratione prædicati, quod eſt Pater, vt dicat, ratio Paternitatis illi ſoli perſonæ conuenit; vel tertiò ratione comparticipationis, vt in Paternitate cum nulla alia perſona participet: ſed quocumque modo ex his ſumatur, vera eſt propoſita propoſitio, ſolus Pater eſt Pater: nam in Paternitate cum alia non conuenit, neque alteri perſonæ Paternitatis ratio pertinere poteſt: neq;

Patri

Digitized by Google

Patri ſoli poteſt non congruere eſſe Patrem : ergo ſimpliciter eſt vera .

Neq; quicquam obijci poteſt quod ſubſiſtat, & facillimo negotio non diluatur, vt intuenti patet.

Eadem imitatur Riccard. q. 2. & ſtatuit, eo præcipuè verus eſt vſus termini *ſolus*, & verum in propoſitione hac ſenſum promit; quia neq; alius à Patre eſt Pater, & quia ille qui ſolus eſt Pater, eſt Pater. Itaq; & ratione prædicati, & ratione ſubiecti.

Hæc eadem Magiſter diſt. 21. c. 1. ex D. Aug. 6. de Trinit. c. 7. ſolum Paerem dicimus Patrem, nõ quia ſeparatur à Filio, vel à Spiritu S. ſed hoc dicentes ſignificamus, quia cum eo nõ ſunt Pater: ſolus enim Pater eſt Pater. Quod nõ dicitur, quia ipſe ſit ſolus id eſt ſine Filio, aut Spiritu S. ſed per hoc Filius, vel Spiritus Sanctus à Paternitatis conſortio excluduntur. Eadem prorſus ratione ſolus Filius eſt Filius, ſolus Spiritus Sanctus eſt Spiritus Sanctus.

Hæc veritas ea certitudine pollet, qua tres tantum eſſe perſonas, & eſſe diſtinctas, & vnã non eſſe aliam. *Tres ſunt qui teſtimonium perhibent in cælo, Pater, Verbum & Spiritus S.* & ex D. Athan. Symbolo, *alia eſt perſona Patris, alia Filij, alia Spiritus Sancti*.

Septimum aſſertum ex q. 2. ar. 1. Particula *ſolus*, ſi cum de perſonis Diuinis eſt ſermo, addatur termino ſubſtantiali vt prædicato, & dicatur Pater, aut Trinitas eſt ſolus Deus; verus quidem vſus eſt, & vera locutio; nõ tamen propria, niſi addatur hæc alia particula *vnus*, & dicatur, Trinitas eſt vnus ſolus Deus. Probatur huius aſſerti prima pars: conſtat enim tribus partibus. Primò ex D. Aug. 3. contra Maximinum cap. 9. *Ita Trinitas eſt vnus ſolus verus Deus*. Secundò. Sicuti quando prædicatum ineſt ſoli illi ſubiecto, verè de illo ſubiecto poteſt dici *ſolus* ex parte ſubiecti: ita quando ſubiectũ ſubeſt illi ſoli prædicato de illo ſubiecto poteſt prædicari hic terminus *ſolus*. ſed Trinitas ſubeſt ſoli Deo: ergo verè dicitur, Trinitas eſt ſolus Deus. Probatur 2. pars. Dicere Trinitas eſt ſolus Deus, nihil aliud eſt, quàm dicere, eſt tantum Deus, & nihil aliud quàm Deus; ſed hoc eſt ſuperfluum, & impertinens dicere: nullus enim, neq; hæreticus, qui dixit Trinitatem eſſe Deum, vnquam inuentus eſt dicere eſſe aliquid aliud etiam præter Deum. Præterea in hac propoſitione: Trinitas, vel Pater eſt ſolus Deus, licet videatur particula *ſolus* ſe tenere ex parte prædicati; verè tamen ſe tenet ex parte ſubiecti. Probatur 3. pars. Sicut enim fuerunt hæretici, qui aſſeruerunt tres perſonas eſſe tres Deos; ſic verè, & legitimè contra eos aſſeritur, Trinitas eſt vnus ſolus Deus. Quo conſequitur, nõ ęquè legitimè dici, Pater, vel Filius eſt vnus ſolus Deus: non enim inuenitur qui aſſeruerit, Pater &c. & vna perſona ſola eſt plures Dij: ergo non admodum conſonè rationi additur, Pater eſt vnus ſolus Deus.

Addendum tamen, licet hoc loco particula *vnus* fungatur munere proprio, condiſtincto à particula *ſolus*: adauget enim explicationem vocis *ſolus*, habita ratione ad impios, plures Deos plures perſonas eſſe aſſerentes: coniunctè tamen hæ ambæ dictiones, *ſolus* & *vnus*, ad inuicem æquipollent. Colligitur ex D. Baſil. Epiſt. 141. & ex Diuinis litteris: quod enim Matt. 19. dicitur. *Vnus eſt bonus Deus*, & Marci 10. *Nemo bonus, niſi vnus Deus*: Lucæ tamen 18. *Nemo bonus, niſi ſolus Deus*.

Obſeruandum ſecundò ex S. Doctore, & ex alijs, adinueniri multas propoſitiones, veras quidem, tamen improprias, ſuperfluas, & nequaquam legitimas: quare non communiter vſurpandas, neq; admittendas Exemplum eſt in promptu hoc loco. Dicere, Trinitas eſt ſolus Deus, vera quidem, ſed ſuperflua, & non propria. Plures huius notæ colligi poſſent, & huc referri, ſed non eſt neceſſe.

Subnectenda hoc loco non abs re vnicæ dubitationis ſolutio, ad 5. aſſertum ſpectans. An magis propriè poſsit dici, ſolus Pater eſt Deus, quàm ſolus Filius, aut ſolus Spiritus Sanctus.

Reſp. 1. Id æquè quidem de reliquis perſonis poſſe, & debere affirmari: ſingulæ enim perſonæ ſunt Deus, ex Symbolo præcipuè D. Athanaſ. *Deus Pater, Deus Filius &c.* & ſolus Pater eſt Deus, eo ſenſu, quo ſupra explicatum eſt, ita ſolus Filius &c.

Secundò. Quadam ratione, & magis conſonè de Patre, quàm de cæteris Diuinis perſonis affirmare licet, ſolus Pater eſt Deus. Indicant Patres: Diuus Cyrill. nuper ſupra relatus lib. 4. Theſauri cap. 2. *Solus Pater aliquid habere dicitur, in quantum à nullo eſt. Solus Pater verus eſt Deus, quoniam ſolus habet Filiũ, qui veritas eſt. Solus eſt ſapiens & potens, quoniam Chriſtus Dei Filius, virtus, & Dei ſapientia eſt*. Eadẽ ferè D. Ambr. 1. ad Timot. 1. *Regi ſæculorũ &c. Hæc ad Dei Patris perſonam pertinent, quẽ immortalẽ ideo ſolum, & inuiſibilẽ appellat; quia omnis immortalitas ab ipſo eſt, vt ipſi ſoli magis competat in veritate, quia quiſquis immortalis eſt, non à ſe hanc habet, ſed ab illo*. Addit eodem loco. Ideo ſolum Patrem appellari à D. Paulo inuiſibilem Deum, quia à nullo vnquam viſus eſt: ſoli enim, Filius per quem omnia fecit Pater, & Spiritus Sanctus, qui teſtimonium Filio perhibuit, viſi ſunt, & in terris apparuerunt.

Alia poteſt huiuſmodi dicendi reddi ratio. Pluribus locis Diuinarum litterarum Pater abſolutè nuncupatur Deus. Io. 3. *Sic Deus dilexit mundum*, ideſt Pater, *vt Filium ſuum vnigenitum daret*. Eodem capite. *Non enim miſit Deus Filium ſuum in mundum, vt iudicet mundum*. Ad Galat. 4 *Miſit Deus Spiritum Filij ſui in corda veſtra*. Io. 1. *Et Verbum erat apud Deum*; Patrem. Et omnibus illis locis, quibus Verbum, Dei Verbum, & ſpiritus, Dei ſpiritus aſſeritur: ibi enim Dei nomen pro Patre ſumitur: ergo eo ſenſu, quo Pater abſolutè Deus nuncupatur, vlla abſq; abſurditate poterit dici, ſolus Pater eſt Deus.

Ex his vnicam conflemus rationem. Pater antonomaticè dicitur Deus, ea in primis ratione, qua eſt prima perſona, & totius Diuinitatis fons, nimirum communicationis, & originis aliarum perſonarum: ergo in hac ſententia idoneè dicitur ſolus Deus: nedum enim reliquæ perſonæ non excluduntur, ſed comprehenduntur, earumque aſſeritur origo, atque emanatio.

CAPVT XIII.

De terminis ſingulari, Indiuiduo, vnico, ſolitario.

DEum non eſſe nuncupandum ſingularem docuerunt Magiſter diſt. 21. cap. penult. quod nec ſingularis, nec diuerſus, nec vnius, vel ſolitarius confitendus eſt Deus; quia ſingularitas, vel ſolitudo, perſonarum pluralitatem excludit. S. Thomas 1. par. quæſt. 31. art. 2. ex D. Hilario 7. de Trinit. & 1. ſent. diſt. 24. quæſt. 2. art. 1. S. Bon. ibidem dub. vnico litt. Albertus 1. par. quæſt. 40. Alexander 1. pat. quæſt. 60. memb. 1. Hi omnes ei rationi, quam indicauit Magiſter, nituntur, ſcilicet propter Sabellium, pluralitatem perſonarũ negantem. Ideo S. Bon. quia ſingularitas excludit communicabilitatem, ſolitudo pluralitatem; idq; ex D. Hilario relato loco à S. Th. & lib. 8. & lib. 9. ex D. Ambr. lib. 3. de fide c. 1. & c. 2. ex D. Aug. 7. de Trinit. cap. 4. & ex D. Leone ſer. 2. de Pentecoſte c. 2. & 3.

Verum quoniam plurimi Patres, iique grauiſſimi oppoſitum clariſsimis verbis aſſeruerunt de ſingulari, & indiuiduo. De primo enim Areopagita de Diuin. Nomin. cap. 1. D. Athanaſ. Dialogo 1. de Trinit. contra Anomæum, D. Baſil. 3. contra Eunomium. D. Epiphanius in Ancorato, Sophronius ſexta Synodo act. 11. & in Epiſtola profeſsionis fidei, & alij complures. De ſecundo, hoc eſt, indiuiduo, Nycænum Conc. lib. 2. §. *Sancta*, & *Magna*, & §. *Si quidem*, aſſerit Trinitatem indiuiduam. Conc. Lateranenſe cap. *Firmiter*. Hæc Sancta Trinitas ſecundum communem eſſentiam indiuidua. Sic multi Patres, S. Iuſtinus quæſt. 17. ad Orthodoxos. S. Nazianz. orat. 5. de Theologia. Ipſemet S. Hilarius lib. 9. & alij, & colligitur certa illatione, Eſt indiuidua: ergo ſingularis, & vice verſa. Idcirco, vt quæ videntur oppoſita concilientur, & in eandem ingrediantur ſententiam.

Obſeruandum primò ex D. Bon. 1. ſent. diſt. 4. Nomen *Deus* ſignificare diſcretè, & communiter, hoc eſt naturam Diuinam vt indiuiduam, & ſingularem, vt opponitur pluralitati Deitatis; & communem, vt pluribus communicabilem, & communicatam: quibus deducitur, aliam eſſe ſingularitatem exquiſitè ſingularem, ſicuti ſuppoſita diſtincta, quæ nullam communitatem, neque communicabilitatem vlla ratione continent; vnde incommunicabilia propriè ſunt, & cognoſcuntur: aliam verò eius ita rationis eſſe ſingularitatem; vt non excludat tamen quandam eminentem communitatem: qua ratione eſt natura Diuina ita ſingularis, & indiuidua, vt tamen etiam ſit communis tribus: poterit ergo diuerſa habita ratione vtroque modo dici & ſingularis, & communis.

Secundò obſeruandum. Penes rationem dicendi in rebus ad fidem explicandam pertinentibus, vehementer habenda eſt ratio ad illos errores, qui illo tempore ſerpunt; vt aliquæ illius erroris cauendi fugiendæ ſint voces, ac propoſitiones, quæ ſopito errore illo, alio tempore non erunt fugiendæ: ſic enim euitandi periculi, & erroris cauendi ratio poſtulat. Sic Patres, ac Doctores aliquando feciſſe, memoriæ in ſcriptis traditum legitur de termino *hypoſtaſis*, de voce *Matris Chriſti*, qua hæretici eo tempore vtebantur, vt ſic Chriſti Diuinitatem negarent, abſtinebant à voce *Matris Dei*. Tunc vt refert D. Damaſc. veritum fuit dicere Matrem Chriſti, quod tamen (exploſo, & extincto illo errore) nomen poſtea, vt decentiſsimum, & honeſtiſsimum, trito ſermone, & vſu acceptiſsimum fuit.

Qua eadem ratione tempore illo erroris Sabellij, vt inquam omne periculum euitaretur; huius vocis *ſingularis*, & *vnici*, omnis ſublatus eſt vſus, etiam ad Deum eſſe vnum contra gentium multitudinem Deorum aſſirmandum. Euanuit, & ab Orco abſortum eſt illud mendacium: redire potuit, redireque fecerunt harum vocum vſum legitimum Theologi; vt etiam noſtris temporibus multi Theologi plurimis tradunt. Bannes, Vaſquez, Molina, Suarez, Ruiz, & alij; & inter vetuſtiores Henricus 2. par. art. 75. quæſt. 5. De indiuiduo concedunt Alexander 1. pat. quæſt. 44. ad 3. arg. & Durandus 1. ſent. diſt 9. quæſt. 1.

Diuerſa igitur ratione, diuerſis temporibus licitè, & congruè potuit tum prohiberi, tum concedi harum vocum *ſingularis*, & *vnici* vſus; vt nulla inter Patres, & Theologos pendeat lis, nulla inueniatur contrarietas, nullisq; cõtradicentibus ad hanc fidei vnitatem profitendam de Deo vno, & non pluri poterit quis tutè, & legitimè. Deum, Diuinamque eſſentiam ſingularem: vnicam, & indiuiduã appellare nullum enim adeſt periculum errandi, aut decipiendi: & quo verè Diuina eſſentia eſt vna numero, non vniuerſalis; ſed indiuidua: non enim diuidua, vt docet D. Hilarius lib 9. de Trinit. dici poteſt Diuina natura: ergo ſingularis: ergo vnica.

Prima conſequentia videtur certa: quod enim indiuiduũ, & non vniuerſale; & vnũ; eod. ſenſu non poteſt euitari quin & ſingulare ſit. Secunda quoq; cõſequentia eſt D. Dioniſij primò in omnibus ſuis ferè Diuinis libris: aduertimus Diuinitatem Sanctè prædicari, vt ſingularem, & vnicam ob ſimplicitatẽ, atq; vnitatem illius excellentis indiuidui. D. Athan. Dialogo 1. de Trinit. contra Anomæum de Diuina eſſentia aſſerit, cum ſit vnica, & ſingularis. Tertull. cõtra Praxeam c. 2. & c. 12. Deum vnicum appellat, & ſingularem. Deniq; ratione. Ad Dei rationem formalem pertinet, vt non multiplicetur, multiplicatis etiam ſuppoſitis, & de rigore, & ſermonis veritate opponitur pluribus: ergo ſicut verè eſt vnus, verè quoque erit vnicus.

Solitarij verò nominis ſignificatio, & vſus ab omnibus vnanimi conſenſione exploditur, primò negatiuè: nullus enim inuenitur ex Patribus locus, quo Deus nominetur ſolitarius, licet ſolus. Quo deducitur, *ſolus* & *ſolitarium* ſua ſignificatione differre, & magis pluralitatem omnem negare *ſolitarium*, quàm *ſolum*. Secundò poſitiuè: id enim prohibent D. Hilarius lib. 7. & lib. 8. de Trinit. D. Aug. quæſtionum noui, & veteris teſtamenti q. 122. & Conc. Toletanum 6. & communiter Theologi.

Non eſt cur de vocibus ad explicandum numerũ in Diuinis, nouum intexam caput: de his enim meæ paupertati nihil relinquitur addendum; nam ſupra cum de numero, de vocibus quoq; quibus rectè explicetur numerus, integro capite actum recolo.

CA-

CAPVT XIV.

De his terminis, Cauſæ, Authoris, & Principij.

HIc paucis me expediam: de ijſdem enim nominibus, cum de Spiritu Sancto ageretur ſatis actum eſt: in hunc tamen tanquam proprium locum quædam pauca aut conijcienda, aut repetenda duxi.

Græcos etiam Sanctiſsimos Patres hac voce vſos eſſe, & delectaros, ſuo loco & retulimus, & vidimus, & occulta, & certa, & vera cognitione, nimirum principij, & originis, quemadmodum & Latinæ Eccleſiæ Patres. Et certiſsimum eſt, vt doctiſsimus declarauit Beſſarion orat. pro vnione, quæ habetur in fine Concilij Florent. Patres ſcilicet Orientales, & Græcos nomine Cauſæ vſos, prout productionem, & emanationem à principio eius, quod eſt à Deo, ſignificat, & ante ipſum S. Athanaſ. Dialogo 2. de Trinit. contra Anomæum. *Spiritus Sanctus habet pro cauſa Deum, non vt effectorem, ſed vt ſui fontem.*

Inter Latinos etiam non deeſſe quoſdam, qui eandem vocem, cum de Diuinis emanationibus verba facerent, vſurparunt, conſtitit: D. enim Hilar. lib. 11. de Trinit. colum. 7. lib. 12. Colum. 4. & Colum. 8. D. Aug. quæſt. 122. quæſtionum veteris, & noui teſtamenti) ſi tamen earum eſt auctor) & lib. 83. quæſtionum. quæſt. 15. D. Anſelm. Epiſt. de Proceſsione Spiritus Sancti contra Græcos, hanc admittunt vocem, tum Patrem eſſe Filij cauſam, & Patrem, & Filium Spiritus Sancti cauſam: & repetit §. 2. eiuſdem epiſtolæ. Et quod magis referre videtur: Patres Latini in Concil. Florent. ſeſſ. 25. §. *Quibus reſponderunt Patres Latini*; abſolutè pronunciant, *Patrem & Filium eſſe cauſam Spiritus Sancti*: licet ſeſſ. 26. diſputatione peracta, & pace compoſita, Eugenius 4. in litteris vnionis, quibus omnes Patres ſubſcripſerunt, Filium quoque ait, *eſſe ſecundum Græcos quidem cauſam, ſecundum autem Latinos principium ſubſiſtentiæ Spiritus Sancti, ſicuti & Pater.*

Non poteſt tamen negari, quin omnes Scholaſtici communiter in 1. diſt. 29. grauiter ſentiant, cauſæ nomen noſtro Idiomate latino, Patri in productione Filij, & Patri, & Filio eadem ratione in productione Spiritus Sancti non eſſe tribuendum. D. Bonauentura eadem diſt. quæſt. 1. ad 3. reddit rationem. Nam quod à cauſa producitur eſt effectus, differens realiter à cauſa, & in corp. Quia cauſa eſt, ad cuius eſſe ſequitur aliud. Albertus Magnus 1. par. quæſt. 43. memb. 1. Alex. 1. par. quæſt. 46. memb. 2. S. Thomas opuſc. 1. contra errores Græcorum cap. 1. & 1. par. quæſt. 33. ar. 1. ad 1. & 1. ſent. diſt. 29. quæſt. 1. art. 1. quibus locis eandem, quam S. Bonau. reddit rationem. Non poteſt Pater eſſe cauſa materialis; nec formalis, vt conſtat, nec efficiens: nam tunc Filius eſſet effectus; nec finalis, nam induceret perſonarum inæqualitatem, inquit S. Bonau. Perfectior enim finis eſt ijs, quæ ſunt ad finem. Quæ tamen omnia vetat S. Athanaſij Symbolum. *Non factus, nec creatus, ſed genitus.* Factus autem eſt idem, quod effectus. Differret proinde natura à Patre, eſſet poſterior, penderet ab ipſo: hæc enim cauſæ vis, & notio, & communis ſignificatio, & vſus apud Patres Latinos, & quoſdam etiam Græcos, D. Cyrillum Dialog. de Trinit. inter Hermiam, & ipſum Cyrillum, relatum ab eodem Beſſarione, cap. 3. Nullo Diuinarum litterarum loco in hunc vſum vſurpatum *cauſa* nomen inuenitur. Et idem Beſſarion indicato loco, Patres Græcos hoc nomine cauſæ vſos lato ſenſu, non ſtricto, nec rigoroſo. Ergo ad Diuinas emanaitonum origines, & principia explicanda non aſſumendus hic terminus *cauſa*, ſicuti nunquam communiter aſſumptus, & à Latinis ſuus obſeruandus dicendi modus.

Notandum tamen ex Eugenio 4. qui in recenſitis vnionis litteris viſus eſt confirmare vtriuſque Eccleſiæ in hac re conſuetudinem, hac addita appendice. *In gratiam, & reuerentiam Sanctiſſimis Patribus Græcis, & ijs Latinis, qui conformes Græcis loquuti ſunt.* Notandum, inquam; ſicuti nullus inuenitur inter Patres Latinos, qui hanc Græcorum phraſim prohibuerit, aut notauerit falſi, imò quidam vſurparunt; ita ſi quis his temporibus Theologus ea vteretur, nulla nota notandus, niſi quod magis propriè, ſi latinè principij nomen, quàm cauſæ in Sanctiſsimæ Trinitatis explicando myſterio aſſumeret, loqueretur. Quod ſolum obſeruauerunt, & tantum expetierunt & S. Bonau. & S. Thomas,

De nomine *principij*, nihil videtur addendum ijs, quæ iam ſuo loco notauimus. Patentiſsimum enim eſt, Deo etiam ad intra principij nomen conuenire. *Pater*, inquit Sanctus Auguſt. 5. de Trinit. cap. 16. *Ad Filium eſt principium, quia genuit eum. Ego principium, qui & loquor vobis.* Suppoſita ſupra horum verborum explicatione. *Caput Chriſti Deus.* 1. Corint. 11. idem ac principium. *Pater eſt principium totius Deitatis*, certiſsimum omnium Patrum aſſertum. Denique rationibus, S. Bonauentura quæſt 1. Principium optimè explicat veram originem, quæ eſt in Deo: ergo Deo hoc nomen optimè competit. Secunda, S. Thom. art. 1. quęſt. 33. Principium nihil aliud eſt, quam id à quo aliquid procedit: ſed in Diuinis Filius à Patre procedit, & Spiritus Sanctus à Patre, & Filio: ergo Patri, & Filio principij nomen maximè congruit. Sic omnes Theologi, vt tutiſsimus ſit huius vocis vſus, & orthodoxus.

Animaduertunt tamen vterque S. Doctor, non æquè congruum vſum principiati: implicat enim, inquit S. Bonauentura, principiatum ſua ſignificatione imperfectione imperfectionẽ. Nec mira huius correlatiui differentia: nam & Pater etiam origine æterna dicitur Filio maior; neq; tamen Filius minor, ſed æqualis. Et S. Th. eod. art. ad 2 Principiati nomen apud nos non eſt in vſu: videtur enim ſubiectionem, & minorationem in Filio ponere.

Neque *initij* vox vlla ratione ad intra admittenda eſt: inceptionem enim æternitati repugnantem præfefert S. Bon. ibidem.

De Auctoris voce. Patrem Filij rectè dici auctorem. S. Bonau. in 1. diſt. 9. dub. 14. & diſt. 20. art. 1. quæſt. 2. S. Thomas quæſt. 33. art. 1. ad 2. & de Potentia quæſt. 10. art. 1. ad 9. & 17. dicit enim innaſcibilitatem, & ſummam principabilitatem, & non maioritatem, ſed originem. Didicerunt ex SS. Patribus: nam S. Nazianz. Orat. 29. Patrem eſſe *cauſam*, & *auctorem* Filij, & Spiritus Sancti docuit. S. Aug. lib. 3. contra Maximinum cap. 14. *Si propterea Deum Patrem Dei Filij dicis auctorem, quia ille genuit, hic genitus eſt, quia iſte de illo eſt, non ille de iſto; fateor, & concedo. Si autem per nomen Auctorem, minorem vis facere Filium, Patrem maiorem; deteſtabor, & reſpuam.* S. Athanaſ. Dialog. 1. contra Macedonium, & Dialog. 1. de S. Trinitate contra Anomæum. *Spiritus Sanctus non eſt genitus, ſed habet cauſam, & auctorem Deum, à quo procedit.* Et Dialog. 2. *Patrem eſſe cauſam, & Auctorem Filij*, & alibi. D. Areopag. de Cæleſ. Hierar. cap. 1. *Deum lucis auctorem* appellat, ſed Ieſum prius lucem Patris nuncupauit.

S. verò Hilarius frequentius vſus eſt hoc nomine lib. 4. 6. 7. & 9. de Trinit. vbi inſuper, poſtquam Patrem Filij auctorem aſſeruit; addidit tamen, *Filium non habere contumeliam, qui ſe auctoris ſui eſſe imaginem genuina natiuitate conſummat.* Idem aſſeruit lib. 10. 11. & 12. & lib. de Synodis ad Canon. 1. & 2. Orientalium.

* Eodem nomine tutè appellandus Filius, vt origo Spiritus Sancti. D. Athanaſ. epiſt. ad Serapionem, *Filium Spiritus Sancti auctorem vocat.* D. Hilarius 2. de Trinit. *Spiritus Sanctus de Patre, & Filio, inquit, auctoribus confitendus eſt.* Addendum. Auctor de Auctore, vt quod negauit S. Thom. 1. ſent. diſt. 29. quæſt. 1. art. 1. non tamen in ſumma, admittatur.

SE-

Digitized by Google

SECVNDA PARS TRACTATVS.

CAPVT PRIMVM.

De quibuſdam regulis generatim obſeruandis ad omnes propoſitiones componendas, præſertim ad primas ſtatim excutiendas.

VT cautius, & tutius in hoc difficillimo fidei noſtrę arcano ita loquamur, vt in verbo nullo offendamus, & firmius ita pedem figamus, vt nobis pedē fugere, & turpiter in errorē labi nunquam contingat; hoc c. ſubijciendæ quædam Regulæ, quædamque documenta.

Primum documentum ex modo relatis Patribus, vt tum in componendis propoſitionibus, tum aſſerendis, eas tantum voces aſſumamus, & de Deo, Diuiniſq; perſonis prædicemus, quarũ vſus tum ſit frequens apud S. Patres, probatoſq; Auctores: nõ enim ſemel, aut iterũ prolata ab aliquo S. Patre vox, aut aſſerta propoſitio, cuiquam indiſcriminatim licita erit: imò ſæpènumero primiores Theologi nõ raro gloſſare, quaſdam propoſitiones non eſſe extendendas; ſed piè ſumendas, non vſq; adeo proprias, inueniuntur: tum voces ſignificatione cohærentes: *Nõ enim bona ſuſpicionis eſt*, inquit D. Hieron. Ep. 34. ad Damaſum Papam, *cum in eod. ſenſu verba diſſentiunt; vt nihil nouiter inuentum aſperis & inſuetis verbis vnquam aſſerere liceat*; vt idẽ S. Hieron. de ſe in Epitaphio S. Paulę Romanę clariſsimè dicebat, ſe nunquam præſertim in Diuinis litteris explicandis, & ex proprio capite quicquã docuiſſe: in tanti enim momenti rebus ad libitũ verba proferre temeritatis delictũ aſſerebat. Ille tamen Hieronimus à Spiritu S. in primis ad Diuinas Scripturas vertendas, & explicandas ſelectus, vt de eo inſigni prçconio Romana canat Eccleſia. *Qui Eccleſiæ tuæ in exponendis ſacris Scripturis B. Hieron. Doct. max prouidere dignatus es*. In quo documẽto magis vrget S. Areopagita in præfatiuncula recenſitus, vt de Deo, nec Verbum vllum promamus, quod in Diuinis litteris, aut Concilijs reuelatum ſaltem virtute, & in ſimili, & in re non ſit. Omnino non audendum quicquam de ſumma, abſtruſaq; Diuinitate, aut dicere, aut cogitare, præter ea quæ nobis Diuinitus ſcripta diuina enunciauerunt: idcirco enim D. Baſilius contra Eunomium hæreticum vehementer inſurgebat, quod Dei Filium ſine Sacræ Scripturæ textu vocitare auſus fuerit genitura; vt idem tandem D. Baſil. lib. de Spiritu S. etiam de minutiſsimis apicibus, & Syllabis, & iotis in Dei fide profitenda, & tradenda, in primis habenda ſit ratio docuerit his verbis. *Si ex lege nec Iota vnum, nec vnus apex præteribit, quomodo nobis tutum fuerit vel minutiſsima tranſilijſſe*?

Secundum documentum ex quæſt. 2. Sicuti non habet locum omnimoda diſtinctio, vbi nõ eſt ex diuerſis cauſis vnio: quo conſequitur. inter Petrũ, & Ioannẽ eſſe omnimodam diſtinctionem, qua ex diuerſis humanitatibus vniuntur & ab oppoſito, in Diuinis perſonis nõ adeſſe omnimodam diſtinctionem, quia in vnica Deitate vniuntur, & ſunt vnus Deus. Ita ibi nõ poteſt eſſe omnimoda vnio, vbi cũ vnione eſt aliqua diſtinctio; quemadmodum in Diuinis, licet adſit ſumma vnio ratione vnius Deitatis, neq; tamen omnimoda; nam interuenit diſtinctio originis, & oppoſitionis ad inuicem relatiuæ. Quibus ſic poſitis, in explicãdo hoc Diuino myſterio non aſſumendæ ſunt voces, nec vſurpandæ propoſitiones, quæ aut omnimodam diſtinctionem excludentem abſolutè vnionem, aut omnimodam vnionem nullam admittentem diſtinctionem præſeferunt, vt ibi egregiè Sanctus Doctor.

Tertium Documentũ ex q. 1. diſt. 5. S. Doct. Nomina, quæ ad Diuinam explicandam, & nominandam eſſentiam communiori Doctorũ aſſenſu aſſumuntur, triplicis generis reperiuntur: quædã enim ſunt omnino concreta, quemadmodum *Deus* & quædam prorſus abſtracta, veluti *eſſentia* quædam autem medio modo, vt ſapientia, lumen, voluntas. Quę ſunt primi generis, propriè pro perſona ſupponũnt; quæ verò ſecundi generis, omnino impropriè; quæ autem tertij, partim propriè, partim impropriè: quibus conſequitur, *Deus generat*, omnino propria dicitur, & in vſum admittenda: *eſſentia generat*, omni ex capite impropria, & vbiq; neganda: *ſapientia generat*, exponenda, & ſuſtinenda.

Quartum documentum In formandis, & efferendis prædicationibus de hac Diuiniſsima re, in primis attendendum, & ſolerter animaduertendum ex D. Th. art. 2. q. 3. vt duos extremos caueamus errores, alterum Arrianorum, qui cum Trinitate perſonarum, & ſubſtantiarum Trinitatem hæreticè affirmarunt; Sabellianorum alterum, qui ex aduerſo cũ ſubſtantiæ, & eſſentiæ vnitate, perſonarum quoq; vnitatem, vt earum tollerent pluralitatem, effutierunt; vt ita tueri vnitatem Dei conemur, vt nullo verbulo perſonarũ Trinitati derogemus; aut adeo in de Diuinis perſonis diſserendo ita diſtinctionẽ veram explicare intendamus, vt naturæ vnitatem non obliuiſcamur; ſed ex D. Bon. diſt. 4. q. 2. ita diſtinguamus perſonas, vt naturam non ſeparemus; ita vnitatem naturæ protegamus, vt nõ confundamus perſonas; ſeligenda verba, efformandęq; mediæ aſſertiones, quæ ſic vnum de Deo aſtruant, vt alterum omnino non excludant; neq; omnimodam ita diſtinctionem, vt vnitatem negare videantur; neq; ita vnitatem, vt Trinitatem claudicare ſuſpitio inde oriatur. Hinc

Quintum documẽtum. Propoſitiones ex terminis maſculini, vel feminini generis de Diuinis perſonis quæ aut vnitatem, aut diſtinctionem præſeferant, ita vnitatem, & diſtinctionem præſeferunt, ita vnitatem, & diſtinctionem affirmant perſonæ; vt nullo neq; apparente colore eſſentiæ, aut naturæ; ſi

enim vnus Pater, vel vna perſona Patris, aut alius eſt Pater, alius Filius &c. ſic vnitas, & diſtinctio perſonarum aſtruitur, vt tamen in eadem vnica, & indiuidua natura Diuina. Si verò in neutro genere, & ſubſtantiuè, vt ſi vnum, vel aliud, vnitatem & diſtinctionem eſſentiæ tunc liquidò altruitur. Primũ ex Io.4. *Ego, & Pater vnum ſumus*: alterũ ex Lateranẽſi Conc. cap. *Dãnamus*. de ſumma Trinit. iam ſupra relato. *Alius, non aliud, & idem omnino*. Si tamen eodem genere adiectiuum adiungatur ſuppoſito, vt dicatur *vnum*, vel *idem*, vel *aliud ſuppoſitum*; eodem modo, quo ſi maſculino genere, vnitatem, & diſtinctionẽ tantum perſonæ enucleabit.

Sextum Documentum ex S. Bonau. quæſt. 1. diſt. 4. In propoſitionibus de ſingulari, cuius forma non eſt multiplicabilis, negatiuis, negationem poſtpoſitam licet æquè præponere, vt vbi dicitur. v. g. Petrus non currit, poteſt quoque dici non currit Petrus: ſic cum D. Bonau. Riccardus, Henricus in ſumma atr. 54. quæſt. 3. Carthuſianus, & alij receotiores. Vbi tamen obſeruandum. Licet ex natura ſua negatio ſit efficacior, & magis neget, & ad plura ſe extendat, & vniuerſalius, quàm oppoſita affirmatio affirmet, vt exemplo conſtat; Petrus ægrotat, & Petrus non ægrotat: vt enim Petrus ægrotet, ſufficit ægrotare in vna corporis patte: vt verò non ægrotet, neceſſe eſt vt ab omnibus eiuſdem corporis partibus remoueatur ægrotatio. Negat ergo de omnibus partibus, & ſufficit vt de vna tantum parte affirmet. Explicatius tamen id appatet quando termino ſingulari negatio præponitur: remouet enim à quocumque quod de vno ſolo affirmatum erat. Confirmatur exemplo. Deus generat, & Deus non generat; & non generat Deus. Generatio aſſeritur tantum de Patre; ſed ex vi negationis negatur de quacumque alia perſona. Quo deducunt Theologi, vt infra, affirmationem hanc propoſitam veriſsimam eſſe; negationẽ verò omni ex capite falſam.

Septimum Documentum ex D. Bonau. eodem loco, & Alberto Magno. Terminus ſignificans multitudinem ſuppoſitorum ſine dſtributione acceptus, ſtat pro illo, pro quo propoſitionem veram reddit, vt cum dicitur. Homo currit; vera locutio pro currente, ſi aliquis currit: neque tamen terminus ille, qui efficit veram propoſitionem, diendus tunc reſtrictus: aliud enim eſt terminum reſtringi, aliud reddere propoſitionem veram; idque ad aliud tuendum documentum, illud nimirum. Terminus poſitus in prædicato non reſtringit terminum à parte ſubiecti ratione ſignificationis. Sit exemplum. Deus generat Deum. Per particulam *Generat*, ibi Deus pro Patre ſupponit, & de Patre redditur vera propoſitio; non dicitur ramen limitare Deum ad Patrem.

Octauum Documentum. Relatiuum in propoſitione refert antecedens ſub eodem modo ſupponendi, ſub quo antecedens præceſsit ipſum relatiuum. Quod ſi oppoſitum contingat, nulla erit argumentatio, ex communi errore variatæ ſuppoſitionis; ita vt hoc v. g. argumentum, Deus generat Deum: aut ergo Deum, qui eſt Pater, aut qui non eſt Pater: ſed ſi Deum, qui non eſt Pater; ergo Deus non eſt Pater: ſed vtrumque eſt abſurdum: ergo non generat. Probatur prima conſequentia. Nam de ijs quæ per ſe implicantur, valida eſt conſequentia, ſicut ſi diceretur, homo qui non currit diſputat: ergo homo non currit; eadem ratione hic implicatur, Deus, qui non eſt Pater: ergo ſequitur, Deus non eſt Pater. Vitioſum, & nullum eſt argumentum, quia dum deducitur, ergo Deus non eſt Pater; variatur, & fit alia ſuppoſitio: relatiuum enim *qui* non indicat Deum qui non eſt Pater, ſed Deum genitum, tamen colligitur, ergo Deus non eſt Pater: hoc enim modo primo loco ſicut non ſumebatur Deus; ita neque poſtremo loco idoneè hoc modo ſumitur: Antecedenti loco dicebatur Deus genitus: poſteriori loco Deus abſolutè non eſt Pater.

CAPVT II.

De quibuſdam Corollarijs propoſitionibus, ex tradita doctrina cap. 7. 1. par. huius tractatus.

PRima. Solus Deus eſt, cathegorematicè ſumpta eſt falſa: tollit enim abſolutè perſonarum aſſociationem, & omnimodam ſolitudinem aſtruit: Deus verò nedum ſolus, & vnus eſt, ſed etiã trinus.

Secunda. Solus Deus creat, eſt æternus, infinitus. Vera: ſyncathegorematica enim eſt, & diſtinctè ſignificans prædicatum de Deo. Nam aliquid propriũ de Deo aſtruit, & ſolum Deũ creare, & poſſe creare, & eſſe æternum &c. vt nihil præter Deum poſsit creare, eſſe æternum, & infinitum &c.

Tertia. Solus Deus eſt ab æterno. Falſa, & non admittenda ex Riccardo: ponit enim in Deo ſolitudinem perſonarum ab æterno.

Quarta. Solus Pater eſt Deus. Si explicetur *ſolus* hoc modo, Ille, qui inter Diuinas perſonas eſt ſolus Pater: non enim Filius eſt Pater; aliquo modo admittenda. Si verò ſic enodaretur *ſolus*. Ita Pater eſt Deus, vt Filius ſimul, & Spiritus Sanctus non ſint Deus; omnino falſa, & reijcienda. Itaque *ſolus* excludit circa ſubiectum, non circa prædicatum: non enim excludit eſſe Deum à reliquis perſonis, ſed Paternitatem: prima enim perſona ſola eſt Pater, & tunc admittitur.

Quinta. Pater eſt vnus ſolus Deus, magis propriè dicitur, quàm Pater eſt ſolus Deus: dicitur enim ad excludendam Deorum pluralitatem. Maximè propria: Trinitas eſt vnus ſolus Deus: optimè enim aſſerit aduerſus eos hæreticos, qui plures perſonas plures Deos impiè blaſphemabant. Si verò abſque addita illa particula *vnus*, Trinitas eſt ſolus Deus; ſuperflua, & impertinens eſſet: affirmaret enim Trinitatem eſſe Deum, & nihil aliud; quod ex termino *Deus* per ſe conſtat: qui enim nouerit Deum, intelliget Trinitatem non poſſe eſſe niſi Deum.

Sexta. Solus Pater eſt Pater; vera, & propria: nam illa perſona quæ eſt Pater, ita ſola eſt Pater, vt nulli alij perſonæ Diuinæ Paternitatis ratio conueniat, aut illæ vllo modo eam cõparticipare poſsint.

Se-

by Google

Sep-tima. Solus Pater eſt Deus, quadam ratione magis propriè dicitur, quàm Filius ſolus, aut Spiritus Sanctus eſt Deus: hoc verò non quo Filius, & Spiritus Sanctus non ſint Deus: ſunt enim veriſsimè; ſed quo Pater ita ſit Deus vt prima perſona, vt ab ipſa oriatur, & communicetur Deitas aliarum perſonarum, & ſit principium fontale totius Diuinitatis.

CAPVT III.

An nomina concreta, numero plurium rectè prædicentur iuxta numerum formarum.

HAec proponitur diſcutienda dubitatio à Theologis propter quandam ex 3. ſent. ſatis difficilem, ac dubiam, ac variè à Theologis agitatam propoſitionem. An ſi Verbum tres naturas humanas aſſumpſiſſet, vel tres perſonæ vnicam naturam; dicendus vnus, vel tres homines.

Hinc inde grauiſsimi Theologi difficilem reddiderunt dubitationem, & difficiliorem S. Thom. vbique tamen ſemper Angelicus, & Angelica perſpicuitate ſplendens: viſus enim eſt vario, & diuerſo, ne dicam contrario modo hac de re locutus 3. ſentent. diſt. 1. quæſt. 2. art. 5. ad 2. & 3. & 1. p. quæſt. 39. art. 3. hac ratione ſuis verbis docuit. Singularitas, vel pluralitas nominis ſubſtantiui attenditur ſecundum formam ſignificatam, quia nomen ſubſtantiuũ per modum ſubſtantiæ ſignificat, quę ſicuti per ſe habet eſſe, ita pe ſe habet & vnitatem, vel multitudinem. Quo conſequitur: ergo quemadmodum vnitas formæ ſufficit ad ſingularitatem, ſic pluralitas ad pluralitatem.

Oppoſito modo docuit ſupra quæſt. 36. art. 4. ad 2. vbi apertè aſſerit, propterea Patrem non dici duo principia, nempe Filij, & Spiritus Sancti, licet habeat vim generandi, & ſpirandi, quia pluralitas ſuppoſitorum implicaretur. & 3. par. q. 5. art. 7. Si vna perſona, aſſerit, duas naturas aſſumeret, non propterea duo homines eſſet dicenda, ex vſu ſignificationis nominum: nunquam enim nomen ab aliqua forma impoſitum pluraliter dicitur, niſi propter pluralitatem ſuppoſitorum. Ergo propter duas naturas aſſumptas Verbum non diceretur duo homines: vnum enim tantum ſuppoſitum inuenitur. in quo duæ naturæ aſſumptæ reperiuntur: ſicuti multi homines vnus populus, quia in illo vniuntur, non tamen ſimpliciter: remanent ſiquidem multi in ſe.

D. Bonau. 3. ſent. diſt. 1. art. 1. quæſt. 2. quærit, an tres perſonæ vnam naturam aſſumere poſſint, & ex hypotheſi, tunc Incarnatio facta cum idiomatum communicatione fieret; & reſpondet abſolutè, rem eſſe impoſsibilem, propter multas inde contradictiones, quas eo loco refert. Si verò de Dei abſoluta potentia proponeretur quæſtio; id fieri non poſſe, non eſſe aſſerendum, aureo illo fundamento: plura enim poteſt facere Deus, quàm nos intelligere.

Quod ſi fieret, tunc tres perſonæ non eſſent dicendæ tres homines, propter vnicam naturam aſſumptam, quod idem ſentit S. Thom. cit. quæſt. diſt. ſupra. Ergo ab oppoſito, ſi tres naturæ aſſumerentur ab vna perſona, tres dicerentur homines propter triplicem naturam aſſumptam.

Neque contradicit vnitas ſuppoſiti, tum quia in hoc caſu à ſuppoſito pendere, & oriri vnitas, vel pluralitas prædicati concreti in hac prædicatione negatur; *&* eſt omnis nodus difficultatis ſoluendæ. (Dixi *concreti*: nam ſi de abſtractis ageretur, nulla poſſet eſſe difficultas: omnes enim Theologi concedunt, tam in Deo, quàm in rebus creatis, ſi abſtractè ſumantur prædicata, ſingulari numero prædicari ſi vna, plurali ſi plures formæ &c.) tum quia vnicum illud ſuppoſitum Diuinum, ita ſingulas illas naturas ſuppoſitaret, ac diſtinctas ſuppoſitationes præſtaret, ac ſi illis ſingula ſuppoſita tribuerentur.

Huius ſententiæ duobus in locis fuit S. Thom. fuit & Altiſiodorenſis lib. 3. Summæ, Tract. 1. c. 1. quæſt. 5. hac ratione. Si humanitas à tribus aſſumpta à duabus dimitteretur, vna remaneret: ergo fuit ſemper vna in ſe: non enim dimiſsione corrupta.

Capreolus eandem amplexus eſt ſententiam in 1. diſt. 4. art. 4. ad primum Aureoli. Si vna perſona plures aſſumeret naturas, plures homines dicerentur; quia ſignificatum nominis hominis cum ſit ſubſtantiuum, eſt formæ, non ſuppoſiti.

Scot. quæſt. 3. hac itidem ratione eandem ſuſtinet ſententiam. Omne quod pendet neceſſariò determinatur ab eo, quod non pendet, atque ab alio pendenti pendere non poteſt: quare adiectiuum à ſubſtantiuo cui inhæret, neceſſariò pendet, quia formam accidentariam, vel per modum accidentis ſignificat: Subſtantiuum verò cum per ſe ſtet, non dependet ab alio: ſignificat enim formam per ſe ſtantem. Ergo ab alio nec terminabitur, nec ſuſcipiet eſſe, nec conſequenter multiplicabitur. Ergo plures formæ, & naturæ ſubſtantiales, ſi fuerint aſſumptæ, non indigebunt ſuppoſito vt plurificentur.

Alij de hac ſententia aliam reddunt rationem, hac ſuppoſita nominum diſtinctione. Primò. Quædam nomina ſunt naturæ, vt homo, Deus: quædam perſonæ, vt indiuiduum, ſubſiſtentia, ſuppoſitum. Secundò. Nomina perſonæ per ſe dicunt perſonam, & ſubſiſtentiam, hoc eſt terminum naturæ, quo conſtituitur perſona; directè verò connotat naturam illius perſonæ. Nomina verò naturæ, vt quidam homo, directè naturam, perſonam verò connotat, in qua ſubſiſtit. Ita D. Thom. quæſt. 29. art. 4. Quibus conſequitur, in ſignificatione nominum debere numerari quod directè ſignificatur; ſed concretum naturæ humanæ, quæ in caſu aſſumeretur, non eſt ſuppoſitum, ſed forma: ergo non habita ratione ad ſuppoſitum numerarentur formæ, & naturæ.

Riccard. in 3. quæſt. 5. art. 1. & Durand. quæſt. 3. ad 3. & Caiet. partim hanc ſententiam videntur amplecti, partim negare: aſſerunt enim, ſi plures naturæ aſſumerentur ab vna perſona, plures prædicarentur ratione naturarum aſſumptarum. Si vna natura à tribus aſſumpta prædicaretur vna,

ratione naturæ vnius. Ita vt cum hoc additamento neceſſarium velint explicari propoſitionem. Scotus impugnat quæſt. 3. ad 1. Vnum, & multa ſunt paſsio entis, & ex æquo diuidunt ens: ergo vbi erit ens ſimpliciter, erit & vnum, & vbi plura entia, plura quoque in numero ſimpliciter: ſed in aſſumptione ab vna perſona trium naturarum ſunt plura per ſe entia: ergo pluraliter abſque vlla additione prædicabuntur.

Conantur plures conciliare varia dicta S. Thomæ, & inter ſe, & cum noſtra ſententia. Nobis hic non relinquitur locus, quia non diſputamus, ſed dumtaxat probabilé propoſitæ propoſitionis ſenſum quærimus. Lubet tamen vnum hoc loco referre. Primis duobus locis conceſſit pluralem prædicationem, quando ſubſtantiua ad modum ſubſtantiui ſe habebant: quando verò ad modum adiectiui, licet ſubſtantiua, non pluríficatis ſuppoſitis plurificari noluit. Modò in hypotheſi, plures naturæ aſſumptæ ab vnica perſona Diuina aduenirent ei iam in ſe perfectiſſimæ perſonæ, & in ipſa verè ſuppoſitarentur ad modum quaſi accidentis, & tunc non plurificarentur propter vnicam perſonam.

Caiet. alio modo art. 3. quæſt. 39. & 3. par. quæſt. 3. art. 7. quem multi ſequuntur, legendus ibi.

Ruiz diſp. 77. pluribus ſuſcipit impugnare noſtram ſententiam ſect. 6. impugnet: nihil tamen contra D. Bonauent. Nam primò non loquitur de tribus naturis aſſumptis, ſed de vna natura à tribus perſonis; vbi etiam in illo caſu negat factam fuiſſe idiomatum communicationem, quæ tamen ab omnibus ſupponitur, & difficilem reddit quæſtionem Theologis. Plura paratus eram dicere, & ex Patribus contra hunc Doctorem, ſed meipſum cohibeo propter ſingularem, quam huic eruditiſſimo viro ſemper adhibui reuerentiam. Vnum verbum addam, aut alterum. Primum. Miram eſſe vim, quam inſert verbis S. Thom. quæſt. 39. art. 3. vt intuenti non cæco patet. Alterum. In illo caſu, ſi Verbum aſſumeret tres humanitates, ſequeretur fore tres homines; & inde de facto ſequitur, Chriſtum eſſe duos, contra tum Diuinam Scripturam, tum Concilia, & Sanctos Patres, & omnes Theologos, quibus exiſtimat triumphare, &c.

En præſertim, quò explicatè D. Athan. in Symbolo: *Non duo tamen, ſed vnus eſt Chriſtus.* Reſpondeo negandam eſſe conſtanter conſequentiam ſecundam: *duo* enim maſculinè ſumptum denotat ſuppoſita, non naturas; ita vt hoc ſenſu non poſſit Chriſtus dici duo, quia vnum ſuppoſitũ habet. Neque eſt aliud, & alius, quòd idem eſt, niſi in ordine ad ſuppoſitum Patris & Spiritus Sãcti, vt ex Conc. Conſtantinop. 5. collat. 8. can. 3. & 6. & ex alijs Patribus, quos refert Vaſquez diſp. 131. cap. 1. in 1. par. & hoc eſt quod aſſerit D. Athan. in Symbolo, Chriſtum non eſſe duo, quia licet duas naturas habeat, vnum tamen eſſe ſuppoſitum.

Sed animaduertendum, non dicere D. Athanaſ. Filium Dei incarnatum præcisè eſſe vnum, ſed vnum Chriſtum.

CAPVT IV.

De hac propoſitione, Hic Deus eſt hic Deus, & hic Spirator eſt hic Spirator, &c.

CErtum eſt in clariorem, & huius, & reliquarum propoſitionum explicationem, pendere veritatem, & falſitatem, & proprietatem, ac improprietatem earum ex propria, germana, vel ſpuria, & falſa, ac impropria terminorum, propoſitionem ingredientium ſignificatione, & ſuppoſitione: quare hic neceſſariò, quæ ſupra de legitimo vocum vſu notauimus, mente retinenda.

Certum quoque inde hoc loco neceſſariò recolenda, & ſupponenda, quæ multa tum à Theologis traduntur, tum nos collegimus cap. 1. huius tractatus de propria huius termini *Deus* ſuppoſitione: quibus enim, & quot modis rectè ſumatur, & ſupponat; veræ, vel falſæ erunt de eo affirmatæ affirmationes, & negationes: & in primis, & primo loco quam nunc proponimus, *Hic Deus eſt hic Deus*: quam placuit explicare, licet (quod ego viderim) non diſtinctè à Sancto Doctore propoſitam; quo à nullo ferè, præcipuè his temporibus, Theologo prætermiſſam, & ſuis difficultatibus implicatam, & complexam: quas probè Bartholomæus Torres attingens, ab ea ferè abſtinendum dixit, nimirum abſoluta prolatione. Si enim hic Deus eſt hic Deus, abſolutè quis concedat, Sabellij errori aſſentiri videtur, qui Diuinas confundebat perſonas. Si oppoſito modo, hic Deus non eſt hic Deus; Idololatrarum perniciei de Deorum pluralitate videtur adhætere: Pater, qui eſt hic Deus, ſi non hic Deus qui eſt Filius: ergo alius Deus: ergo duo, & tres Dij. Quare diſtinctione vti hic Doctor neceſſarium duxit, cuius conſilium Didacus de Montoia ingenuè ſecutus, ſanioris, inquit, & prudentioris conſilij erit, has propoſitiones abſque declaratione prolatas euitare: poſſunt enim æquiuocationes valde ſuſpectæ latere in hoc complexo, *hic Deus*. Si à parte ſubiecti perſonam diſtinctam à parte prædicati deſignat: an verò indiuiduum Deitatis in concreto ſumptum, qui varius deſignandi, & ſupponendi modus, quam varias, & diuerſas, & contrarias in propoſitione ſententias gignat, ex ſe ſatis liquidò conſtat.

Dicendum ergo primò. Si *Hic Deus* indiuiduum Diuinitatis in concreto præſefert, veriſſima eſt propoſitio, quia identica, licet non vtilis, neque ſcientifica. Hic Deus eſt hic Deus. Neque dubium timendum eſt hoc termino complexo *Hic Deus* ſic ſumpto ſignificari Patrem vt Patrem, & Filium vt Filium: Vnus enim cum ſit & abſolutum ex ſe, & commune tribus, nullo termino reſtringente adiuncto, non poteſt ſignificare Patrem, aut Filium diſtinctè relatiuum. Eodem ſenſu eius oppoſita falſiſſima eſt, hic Deus non eſt hic Deus: idem enim eſſet, ac idem non eſt idem, & Deus non eſt Deus.

Si ve-

Si verò *hic Deus*, vel ex voluntate loquentis, vel ex concreto, vel ex materiali ſignificatione termini *Deus*, vel ex eo quod vtrumque æquè ſignificet, abſolutum, & relatiuum adæquatè (vt omnium Theologorum ore loquar) Patrem deſignet ex parte ſubiecti, & Filium, vel Spiritum Sanctum ex parte prædicati; maximè liquet eſſe falſiſſimam, & omninò hæreticam propoſitionem hanc, *hic Deus eſt hic Deus*: eſt enim idem, ac in ſententia Sabellij dicere, Pater eſt eadem perſona, quæ eſt Filius, vel Spiritus Sanctus: & alia ratione eius oppoſita negatiua erit itidem propoſitio falſa, ex ſupra tradito 4. documento, vbi negationem magis negare, quàm eius oppoſita affirmatio affirmet, obſeruatum, & demonſtratum eſt. Negabit ergo iſta propoſitio, *Hic Deus non eſt hic Deus*, Paternitatem non ſolum eſſe filiationem, ſed etiam Patris Deitatem eſſe Filij Deitatem: negat enim negatio quidquid inuenit, & poſt ſe relinquit. Quibus conſequitur, hac negatione plures perſonas eſſe plures Deos: quod non conſequeretur, ſi limitatè quis aſſereret, Hic, qui eſt generans, non eſt hic, qui eſt genitus: præciſè enim negaret dumtaxat Paternitatem eſſe filiationem.

Qui verò diceret, hic Deus, cui competit generare, eſt hic Deus cui competit generari, vera eſſet: nam hunc efficeret ſenſum: Pater, qui generat, eſt idem Deus cum eo qui generatur: vnde infra falſa, & ab omnibus negata propoſitio, Deus alium Deum generat.

De Spiratore verò, Hic Spirator eſt hic Spirator, eadem conſtanter dicenda ſunt: nàm eadem quoque ratio cum ſpiratores, vel ſpirantes ſint duæ perſonæ, dicere, Hic ſpirator. hoc eſt Pater, eſt hic ſpirator, idest Filius; eſt falſa, quo duas perſonas fatetur vnam: qui verò Spiratorem ex duabus perſonis, & vnica vi ſpirandi, vnum indiuiduum principium concipiens diceret, hic ſpirator eſt hic ſpirator, identicam propoſitionem efficeret, & veram.

CAPVT V.

De hac propoſitione, Deus genuit Deum. D. Bonau. diſt. 4. q. 1. D Tho. ar. 4. ad 3.

Deus genuit Deum. Veriſſima, & concedenda, adeò vt ſit ad fidem pertinens. Prima pars probatur. Primò, Deus generat: ergo ſibi ſimilem Filium, ex ratione naturali, & Ariſtotelica: ergo Deum. Secundò. Quidquid habet Filius, habet à generante: habet Deitatem: eſt enim Deus: ergo eam habet à Patre: ergo à Patre generatur Deus. Secunda pars ex ſymbolo Fidei patet, quod ab Eccleſia Romana canitur in Miſſa: *Lumen de lumine, Deum de Deo, Deum verum de Deo vero.*

In vtraque parte & veritate huius propoſitionis, nullus eſt Theologus qui reclamet, ſed omnes vnanimi conſenſione in eandem ſententiam conſpirant, eandemq; veritatem fatentur, ac profitentur. Eandem Sancti Patres vbicumque ſeſe illis offerebat occaſio. D. Dionyſ. Areopag. de Diu. nominib. cap. 2. *De Deo quidem, qui genuit Deũ.* D. Athanaſ. dialogo 2. de Trinit. contra Anomæũ: *Deus genuit Deum.* D. Epiphan. hæreſi 76. *Deus genuit ex ſeipſo Deum, ſimilem ſibi, & æqualem per omnia.* Denique ex omnibus diuinarum litterarum locis, quibus prima perſona aſſeritur Pater, ſecunda verò Filius, & quibus Pater & Filius Deus aſſeritur, & Meſſiæ Diuinitas, & in Diuinis credenda proponitur generatio.

Neque vllum argumentum, quod poſſit confringere in oppoſitum veritatem hanc, aut offuſcare, aut loco dimouere, vlla ratione ſufficit. Si enim primò Deus à Deitate eſt & eſſentiale nomen, & ſignificat eſſentiam: cum eſſentia non generet, vt infra ex neceſſaria Theologia, & ex Conc. Lateran. ſub Innocentio III. cap. *Damnamus* de Sũma Trinitate: ergo neque Deus generat.

Reſp. & negamus conſequentiam. Nam Deo in concreto non imponitur eſſentiæ nomen, ſicuti neque rei albæ albedinis nomen, ſed ſuppoſito: Deus, licet idem ſit cum eſſentia; cum eadem eſſentia ſubſiſtat in perſonis, ſupponit pro perſona Patris, tum ex adiuncto notionali *genuit*, primæ ſolius perſonæ proprio, tum ex termino *Deus* indefinitè ſumpto, & communi tribus perſonis: vt ſic enim competit Patri: Pater enim verè eſt Deus. Vnde ſicut Pater generat, ſic æquè Deus generat, licet vt Pater: & quemadmodum dum Petrus currit, verè dicitur homo currit; eadem ratione dum Pater generat, rectè poterit dici Deus generat. ex D. Hilario lib. 6. de Trinit. *Deus vt eſt Deus quod permanet, & permanens Deus, Deum genuit.*

Hanc eandem obſeruauit doctrinam Sanctus Doctor quæſt. 4. huius diſt. dum propriè ex ſua intrinſeca ſignificatione *Deus*, inquit, tam naturam, quàm perſonam ſupponit: ergo etiam ſupponit propriè Patrem habentem Deitatem concretè. Neque oppoſitum docet, ſi alicubi per notionale additum trahi aſſerat Deum ad diſtinctam perſonam ſignificandam; vtrumque enim eſt verum, & vtrumque docet, & manifeſtiſſimè colligitur etiam ex reſponſ. ad 2.

Eſt ergo 2. Argum. *Deus* aut ſupponit pro omni perſona, aut pro determinata. Si primo modo ergo & hoc loco: ergo verum erit dicere & Deus Filius genuit, quod tamen falſiſsimum eſt. Si ſecundo modo, non alia ratione niſi ratione adiuncti prædicati *genuit*: ſed prædicatum non reſtringit ſua ſignificatione ſubiectum ex Regula communi antea tradita: ergo ſtat pro omni perſona.

Reſp. *Deus* ſupponit ex ſe pro illa perſona, pro qua vera eſt illa locutio, quæ tunc profertur, ex ſua intrinſeca ſignificatione, ſicuti quando dicitur, homo currit, ſupponit illam perſonam, quæ currit ſingularem ſine vlla addita reſtrictione; eadem & potiori ratione dum dicitur Deus generat, ſupponit pro perſonâ generante ex ſe. Ad formam argumenti neganda primò conſequentia: ſuppo-

ſupponit enim diſtinctè io hac propoſitione, de qua hoc loco, pro ea perſona, pro qua vera eſt locutio, nimirum pro Patre, vlla abſque reſtrictione, ex vi inſita termino *Deus* ſupponendi pro quacumque perſona, tum ſimul, tum diſiunctim oblatis occaſionibus, & veritatibus explicandis. Proinde neganda & 2. conſequentia: non enim contra propoſitum documentum in argumẽto, in hac propoſitione vlla fit reſtrictio, ſed explicatur ſubiecti *Deus* in hac propoſitione ſingulari ſignificatio, Hoc idem teſtatur Albertus Magnus.

Tertium Argumentum. Non conceditur, Deus pro Filio non generat: ergo neque pro Patre Deus generatur. Antecedens conſtabit cap. ſequenti, Conſequentia probatur. Nam tum oppoſitorum eadem ratio; tum terminus Deus æquè pro Filio, quàm pro Patre ſupponit,

Reſp. & neganda conſequentia, ex documẽto 4. tum quia hæ duæ propoſitiones non ſunt oppoſitæ formaliter: in prima enim ſupponit *Deus* pro Patre, in ſecunda pro Filio; eadem ratione hæc non opponuntur, homo eſt ſpecies, Petrus homo non eſt ſpecies, propter, inquam, variam ſuppoſitionem; tum quia negatio magis negat, quàm affirmet affirmatio, ex hac regula præſenti: nam in ſingularibus propoſitionibus æquè poteſt præponi, ac poſtponi negatio. Sed ſi præponitur, & dicatur, non Deus generat, remouet abſolutè à quocumque ſubiecto, & ſuppoſito, quod ſit Deus: ergo cum dicitur, Deus non generat. Quocirca optimè negata eſt conſequentia, & vera relinquitur affirmans, *Deus generat*; & reijcitur conſentaneè rationi, Deus non generat,

CAPVT VI.

De hac propoſitione, Deus non generat.

EX tertia argumenti ſolutione colligitur explicanda, & neganda natiua propoſitio, Deus non generat; ratione à Sancto Doctore ibidem indicata, & expoſitione aucta.

Verumenimuerò non eſt æquè in confeſſo apud omnes Theologos, ſicuti erat præcedens affirmatiua: imò non deſunt plures, & egregiæ quidem eruditionis viri, qui eam vti veram, ſaltem in rigore ſermonis, conantur & multis rationibus tueri, licet non vſu admittendam. Sunt autem Greg. Arim. hac diſt. 4. quæſt. vnica. Gabriel quæſt. vnica, art. 2. concl. 2. Ochan ibidem ad 1. Maior. quæſt. vnica ad 1. Argentinas quæſt. vnica, art. 3. Durand. quæſt. 2. Aureolus quæſt. 2.

Argumenta verò Durandi. Primum. Omnia, quæ de Diuinis perſonis verificantur, prædicantur de Deo; ſed de Diuinis perſonis verum eſt dicere, *non generat*: ergo idem de Deo poteſt affirmari, Deus non generat.

Secundum. *Deus* eſt terminus ſingularis reſpectu prædicatorum eſſentialium, & communis reſpectu perſonalium, & plurium ſuppoſitorum: ergo ſicuti ratione diuerſorum ſuppoſitorum veræ ſunt iſtæ propoſitiones, homo currit, & homo non currit; eadem ratione verum erit dicere, Deus generat, & Deus non generat.

Tertium. Sicuti in Chriſto ratione diuerſarum naturarum verificantur, quæ videntur contradictoria, Chriſtus infinitus, finitus, mortalis, immortalis, Deus, homo, creator, creatura: conſequitur eadem ratione de eodem Deo diuerſorum ſuppoſitorum ratione hæc poſſe eſſe vera: Deus generat, & Deus non generat.

Aureoli verò inter alia, argumentum: Indefinita quæ prædicantur, verificantur pro vno ſolo ſingulari: ergo & hæc, Deus non generat, vt verificetur ſufficit, vt de vno, ſcilicet Filio, imò & de Spiritu Sancto, &c. Deinde. Deus non generat, & eſſentia non generat, ſunt æquipollentes propoſitiones; ſed ſecunda eſt vera: ergo & prima, ex ratione, & natura æquipollentium.

Ariminenſis quoque hæc eſt ratio. Sicut vera eſt hæc, Perſona Diuina genuit Deum; ita hæc erit vera, perſona Diuina non genuit. Vtriuſque ratio recenſita iam eſt: nam propoſitio indefinita, vt ſit vera, ſufficit vnius ſingularis veritas: ergo eadem ratione, Deus genuit, & Deus non genuit, erit vtraque vera pro diuerſis perſonis; nequaquam tamen ſi præcederet negatio, Non Deus genuit.

Grauiores, & vetuſtiores, & ſanctiores Doctores oppoſitum, & magis rationi conſonè docuerunt, ac litteris nobis poſteris mandarunt. D. Bonauen. indicato loco ad 3. D. Thom. 1. par. quæſt. 39. art. 4 ad 3. & 1. Senten. diſt. 4. q. 1. art. 2. Deinde Riccard. quæſt. 1. ad 2. Capreolus quæſt. vnica, art. 2. & 3. Henricus in Summa art. 54. quæſt. 3. ad 4. Caiet. cum cæteris expoſitoribus in hunc art. Torres in 3. par. Comment. dub. 4. Molina 1. par. quæſt. 36. art. 4. diſp. 3. Valentia 1. par. quæſt. 13. de Trinit. puncto 3. Vaſquez diſp. 157. cap. 3. Suarez lib. 6. de Trinit. cap. 7. & communiter recentiores. Hanc ſicuti veram ſententiam his fulcimus fundamentis, & his enitimur argumentis perſuadere.

Sed antequam hoc præſtemus, animaduertenda primò. Diſtinctio propoſitionum, quam oppoſitæ ſententiæ auctores referunt, & ſtatuunt, nobis admodum placet, & eſſe obſeruandam, & plurimi faciendam dicimus; vt alia ſit falſa, alia vera; reticenda tamen, ceu inſueta, & improprijs terminis, nec ritè explicata: veriſſima enim eſt, & ſolerti, ac fuſo ſermone à Theologis, præſertim ab Alphonſo de Caſtro, Bannes, & alijs explanata. Alia enim propoſitio inter Theologos abſque grauiori cenſura inter opiniones exiſtimata falſa; neque tamen vetita quin poſſit ſuſtineri: alia ita falſa, vt propter periculum, & ruinam, quæ in auditoribus efficere poſſit, ſcandaloſa ſit, & ideò prohibita: alia adhuc grauiori nota notanda, vt adeò falſa, vt vicina errori, aut erronea, aut denique hæretica: alia ex oppoſito, & in rigore, ſenſu aliquo, & explicatione vera; retinenda tamen, neque vlla ratione admittenda, tum veluti noua, & inſueta, & graui auctore, et ratione deſtituta, vt poſſit temeraria nuncupari: alia ſic incruditis, et improprijs verbis prolata, vt niſi reticeatur, vel ritè

expli-

Digitized by Google

explicetur, poſſet in auditotibus, ac lectoribus, præcipuè ineruditis, deceptionis, et erroris, ac fortaſſe hæreſis eſſe cauſa: quod illa notiſſima D. Hieronymi ſententia aſſerebat: *Verba inordinatè prolata faciunt hæreſim aliquando:* alia denique mitiori cenſura tractanda, quæ ſcilicet verbis conſtat exagerantibus, et vt ait S. Thom. emphaticis; quia tamen à grauiſsimo auctore de Theologia; ac diuinarum litterarum expoſitione optimè merito, vel dum ad populum concionem, et homiliam haberet, vel dum contra hæreticos fidei zelo motus, cauſam fidei ageret, vel denique vt veritatem aliquam efficaciori energia explicaret, et auditorum mentibus imprimeret, prolata, et nimis (vt aiunt) amplificata, toleranda eſt, et honoris gratia ſuſtinenda, et explicanda; neque tamen extendenda: et erunt infra grauiſſima exempla, dum illa propoſitio, an eſſentia generet, verſabitur. Hinc

Secundò animaduertendum. Dum à nobis hoc loco ex relatis grauiſsimis Theologis reijcitur tamquam falſa propoſita propoſitio, non eo rigore refutabitur, vt omni probabilitate, quam etiam à ſuis auctoribus habere potuit, deſtituta; vt à cenſoribus legibus ſit proſcribenda, ac prohibenda: neque deinde in eam ſic agetur, vt ſuorum auctorum mens, et conceptus veritatem non contineant: eſt enim vt Filium, et Spiritum Sanctum non generare (quod veriſſimum eſt) doceant, vt limitatè his verbis explicata; Deus Filius non generat, et vera, et propria, et admittenda. Sed eo huius opinionis intentio, et ſententia tendit, vt hæc propoſitio. Deus non generat, ſub ijs præcisè verbis ſit tamquam falſa reprobanda, et ex ſuis ſolitis fundamentis oppoſitis non ſuſtinenda.

Primò ex S. Thoma loco indicato. Deus ex ſe ſupponit pro natura Diuina in ſe ſingulari, et tribus ſuppoſitis communi; neque diſtinctè pro perſona, niſi addito notionali illius perſonæ: ergo vera affirmans propoſitio, Deus generat propter additum notionale: tunc enim Deus pro Patre ſupponit: ergo falſa, Deus non generat: nihil enim termino *Deus* additur, quo ad Filium, aut Spiritum Sanctum limitetur, ſed ex ſua primæua ſignificatione, et ſuppoſitione relinquitur pro natura Diuina ſingulari, et communi ſupponere: ergo falſa: non ſic abſolutè à Diuina natura remouet generationem.

Conſequentiam huius argumenti, explicatiori argumento probat S. Bonau. Æquè poteſt ſecundum artem dialecticam dici, non Deus generat; et idem eſt ac Deus non generat: ſed non Deus generat, de quocumque ſuppoſito Diuino negat generationem: ergo et Deus non generat; et nedum inſueta, ſed grauiter falſa. Explicetur magis, et confirmetur. Deus generat, et Deus non generat, opponuntur contradictoriè, vt docuerunt S. Thom. in 1. diſt. 4. quæſt. 1. art. 1. ad 3. Henricus in Summa art. 54. quæſt. 9. ad 4. Capreolus art. 2. Molina, et Vaſquez vbi ſupra. Suarez lib. 6. de Trinit. cap. 7. et colligitur apertè ex D. Bonau. et Riccardi argumento.

Ratio redditur, eamq; ſecum fert argumentum, *Deus* ſupponit pro natura Diuina indiuidua, pro perſonis, et pro ſingularibus perſonis ex ſe: debet in vtraque propoſitione ſic ſupponere: ergo Deus non generat, negat Deo, & vt natura eſt; & vt in quacumque perſona, etiam Patris, competere generationem. Quo conſequitur, vt ſic legitimè ſumatur: Pater generat, Pater non generat.

Sed vim argumenti ex vtroque ſancto Doctore magis explicemus, & hoc dilemmate argumentationem noſtram dirigamus. Deus in his duabus propoſitionibus, aut ſupponit pro Deitate eſſentialiter ſumpta, aut notionaliter pro determinata perſona: quocumque modo ſumatur, ſemper negatiua erit falſa. Si enim primo modo, Deus non generat, remouet à natura Diuina in quocumque ſuppoſito habita generationem, ex reddita ratione nuperrimè ab vtroque Sancto Doctore, & confirmatur; quia eadem indiuidua natura non multiplicata cum ſit in ſingulis ſuppoſitis; in propoſitione, Deus non generat; Deus ſupponit pro Deo in ſingulis ſuppoſitis, & ab ipſis omnibus remouet generationem. Si ſecundo modo, nimirum penes notionem additam, pro Patre; tunc ex regulis dialecticis eadem eſt ſuppoſitio in affirmatiuis, & negatiuis: ergo ſi Deus generat, eſt vera: nã Deus hoc loco eſt Pater; hæc quoque erit falſa: nam Deus non generat, erit idem Pater.

Hoc ſenſu; ſicut vera fuit tẽpore diluuij, Leo eſt in arca, & eius oppoſita falſa, Leo non eſt in arca: ſicuti enim affirmatiua pro aliquo indiuiduo Leone ſumebatur, ſic & eadem ratione in negatiua. Eodem ſenſu D. Auguſt. lib. 5. de Trinit. cap. 7. docebat. Sicut genitus non ſecundum ſubſtantiam, & abſolutè, ſed relatiuè dicitur; ſic ingenitus & non genitus. Et ibidem. In negatiuis id tantum negatur, quod in affirmatiuis aſſerebatur.

Confirmatur poſtremo loco ex negatiuis. Nullus ex antiquioribus, & grauioribus Theologis legitur hanc admiſiſſe propoſitionem, de qua hoc loco agitur: imò apud nullum ex Patribus inuenitur, neque iure inueniri poteſt. Primò. Erant enim toti in refutandis hæreticis, qui blaſphemo ſermone, Deum, neque generare, neque generari, neque ſpirare, neque ſpirari concedebant; vt ſic conſubſtantiales eſſe Diuinas perſonas exploderent: vbi ſi vllo loco hanc permiſiſſent audiri, aut apparere propoſitiones, Deus non generat; tributa certè tunc errandi anſa, & protegendi illam hæreſim fuiſſet. Secundò. Sicuti abhorrent piorum aures has audire propoſitiones, Deus non eſt Pater, Deus non eſt Filius, Deus non ſpirat, licet Deus Filius non ſit Pater, & Deus ſpiratus non ſit Filius; eadem ratione certè abhorrent, & abſtinere decet, Deus non generat, licet Deus Filius non generet: ergo non admittenda hæc propoſitio ex documento cap. 1. tradito, quia inſueta, & ex rationibus, quia falſa.

Ad argumenta autem pro ea à ſuis Protectoribus conſtructa, & relata. Caiet. primò ex Capreolo refert, & ſoluit plura argumenta Aureoli, & Durandi, & Gregorij: quare licet ego ab hoc ſoluendi labore poſſem abſtinere; illucq; lectorem remittere: ne tamen hoc loco argumentorum pro-

propoſitorum ſolutio deſit, ea breuibus ſoluam.

Ad primum igitur Durandi, maiorem argumenti priuſquam concedat Caiet. multa diſtinguit, & in vniuerſum eam non concedit, vt apud ipſum legere licet: ego verò citius me expediens; dum affirmatiuè prædicantur, tranſeat; dum negatiuè, nego: alia enim admodum diuerſa ratio, & nulla erit conſequentia: fit namque tranſitus à non diſtributo, vel minus diſtributo, ad magis diſtributum ex vi negationis, quæ abſolutè de omni perſona negat generare: generare enim de Patre Deo aſſeritur, non generare de omni perſona negatur, & ſic etiam de Patre, quod falſiſsimum eſt: quare ex ſua regula argum. ſoluit S. Bonau.

Ad ſecundum ferè eadem ſolutione ſatisfit: licet enim in affirmatiuis indeterminatè ſumatur pro aliqua perſona: in negatiuis tamen abſolutè pro omnibus perſonis; & quod de vna aſſerebatur, de omnibus negatur, propter eandem vim negationis, & propter contradictionis rationem: ſunt enim generare, & non generare, contradictoriæ: quod de exemplo propoſito, homo currit, & homo non currit, non eſt verum. Ad argumentum ergo neganda conſequentia in negatiuis. Ad exemplum, non eſt par ratio. Legendus D. Thom. ad 3. & ibi Caietan.

Ad tertium reſpon. & conceditur quod prætenditur, affirmatiuè, & negatur negatiuè, etiam in propoſito exemplo de Chriſto, diuerſarum naturarum ratione: Chriſtus enim eſt mortalis, & immortalis affirmatiuè, & verificantur contradictoria, hoc eſt non ſunt contradictoria: negatiuè verò nequaquam: nam dicere, Chriſtus non eſt mortalis, negat nedum de natura Diuina mortalitatem, ſed etiam de humana, ex vi negationis negandi quodcumque inuenit.

Ad Aureolum. Ad primum adhuc eadem ſufficere poteſt ſolutio. Deus non generat, non eſt indefinita propoſitio, vt de aliqua diſtincta perſona verificari poſſit: nam de omnibus verificatur, ideſt abſolutè de omnibus perſonis negat generationē. Præterea alia quoque ratione alij non concedunt indefinitam, Deus non generat, ſed ſingulariſſimā aſſerunt, propter vnicam Deitatem, pro qua ſemper ſupponit Deus; licet addito notionali verificetur de ea perſona, cuius notionale eſt.

Ad ſecundum negandum antecedens: non enim æquipollent, eſſentia non generat, & Deus non generat, propter diuerſum modum ſignificandi, abſtractè *eſſentia*, & concretè *Deus*.

Ad argumentum Gregorij gemina reſponſio. Supponit duo iam negata. Alterum, abſolutè quæ prædicantur de perſonis, de Deo pariter prædicantur: quod inquam, in vniuerſum negatum, & diſtinctè de propoſitionibus negatiuis. Alterum, Deus nō generat eſſe propoſitionem indefinitam: eſt enim tum ſingularis ratione vnicæ naturæ Diuinæ, tum vniuerſalis, pro omnibus perſonis negatiuè diſtribuens. Quare ad argumentum neganda tum ſimilitudo, tum ratio.

CAPVT VII.

An Deus generet, tum alium Deum, tum ſe. D Bonau. quæſt. 2. D. Thom. ibidem.

COguntur Theologi hanc diſtinctam proponere, & ſoluere dubitationem, & excutere propoſitionem. Garruli enim ratiocinatores, inquit Magiſter, ex ſuperiori capite ab omnibus conceſſa, & amplexa propoſitione, Deus generat Deū: ergo (cœperunt deducere) Si Deus generat Deum, aut ſe Deum, aut alium Deum: ſi alium Deum: ergo plures Dij, generans, & producens, & genitus, & productus, ac ſpiratus. Si ſeipſum: ergo (quod tamen abominandum videtur paradoxon redolere) aliquid ſeipſum generat. Præterea ſi Deus Pater genuit Deum; aut Deum, qui eſt Deus Pater; aut Deum, qui non eſt Deus Pater. Si primum: ergo genuit ſeipſum. Si ſecundum: ergo eſt Deus, qui non eſt Deus Pater: ergo plures Dij. Vt ergo his captionibus obuium fiat, hæc neceſſariò propoſita propoſitio enucleanda, eaque gemina.

Et quidem vtrique breuem, tamen ſolidam, & veram adhibet Magiſter ſolutionem. Primæ autem, Deus genuit Deum, neque tamen alium Deum, aut ſemetipſum, ſed in eadem Deitate numero aliud ſuppoſitum, à generante proprietate diſtinctum, vt non ſit eadem proinde perſona ſeipſam generans. D. enim Auguſt. 1. de Trinit. cap. 7. *Qui putant*, inquit, *eius potentia eſſe Deum, vt ſeipſum ipſe generet; & plus errant, quod non ſolum Deus ita non eſt, ſed neque ſpiritualis, nec corporalis creatura: nulla enim eſt, quæ ſeipſam gignat vt ſit.*

Alteri quoque, Deus Pater genuit Deum, qui non eſt Deus Pater, ſed Filius; tamen idem Deus, ſed in Deitate diuerſa perſona: Deus enim genitus eſt idem Deus, qui eſt Pater; non tamen eadem, ſed alia perſona. Veriſsima quidem; tamen vberiori, & diſtinctiori doctrina cum indigeant, diſtinctas propoſitiones librādas proponit, & ediſſerit S. Doctor vnanimi conſenſu cum omnibus Theologis, præſertim in prima.

Prima igitur propoſitio. Deus alium Deum genuit, ab omnibus reiecta, & falſiſsima eſt, ſi ille terminus *alius* ita afficiat Deum, vt alium Deum aſtruat, & vt aiunt, adiectiuè ſumatur: ſi verò ſubſtantiuè, & appoſitiuè, vt *alius* aliam perſonam dicat, quæ eſt Deus Filius; vera quidem in re, adeò tamen inſueta, & improprijs terminis propoſita, & expoſita, vt tamquam errori peruia prorſus ſit reijcienda. Vtraque pars propoſitionis explicanda, & tuenda.

Et prima primo loco, pro qua his S. Doctor vtitur argumentis. Primò ex D. Anſelmo in Prolog. cap. 2. *Cum dicimus Deum de Deo, non intelligimus alium Deum, ſed eundem de ſeipſo.* Deinde ſi alium Deum genuit: ergo duo Dij: nam vbi

Digitized by Google

vbi eſt vnus & alius, ibi ſunt duo. Tertiò. *Alius* in genere dicens alietatem, contrahitur ad ſpeciem ab adiuncto *Deus*, & ſpecificatur: ſed ſi ſpecificatur, ſpecificatur per formam: ergo Deus per formam Deitatis ſpecificat: ergo alius Deus dicit aliam Deitatem: ergo propoſitio falſa. Quartò. Sicut in Deo nec omnimoda diſtinctio, nec omnimoda identitas admittenda eſt, ſed vnitas eſſentiæ cum diſtinctione perſonarum; ita falſa erit illa propoſitio, quæ aut omnimodam diſtinctionem, aut omnimodam vnitatem affirmabit: ſed hæc nullam vnitatem indicans omnem aſſerit diſtinctionem, Deus genuit alium Deum: ergo vti falſa reijcienda. Confirmatur: eadem enim oppoſita ratione falſa eſt, Deus genuit ſe: nullam enim præſefert diſtinctionem.

Neque prodeſt quod ſolet opponi. Deus genuit: ergo alium: ergo aut alium Deum, aut non Deū: hoc ſecundum non poteſt dici, neque credi; nam alius genitus eſt Deus: ergo alius Deus. Conſequentia videtur conſtare; nam Deus & non Deus opponuntur. Sed hæc inquam non proſunt: neganda enim omnino conſequentia, & ſubinde aſſerta contradictio: non enim ſufficienter diuidit: poteſt enim eſſe alius, & non alius Deus, ſed alia perſona in eadem Deitate: & obſeruanda regula de contradictione, vt negetur in negatione totum affirmatum in affirmatione.

Secunda pars. Si *alius* ſubſtantiuè ſumatur, nimirum alius qui eſt Deus; veritatem quidem rei Theologicè aperit: etenim Pater verè aliam perſonam Diuinam generat in eadem Deitate numero: ſi tamen artem communiter dicendi, & ſermonis proprietatem ſequi volumus, & profiteri; aliter dicendum: nam terminus ex ſe adiectiuus, ſicuti *alius*, additus ſubſtantiuo *Deus* ex communi Grammatices lege, adiectiuè, non ſubſtantiuè ſumendus eſt. Confirmatur. Nam dum homo albus auditur, illa vox *albus* congruè non percipitur ſubſtantiuè. Confirmatur ſecundò ex reſp. ad 4. Terminus ab eo cui adiungitur ſuſcipit ſuppoſitionē. Confirmatur tertiò. Sicuti dum dicitur vnus Deus, vnitas eſſentiæ aſtruitur, ſic dum alius Deus, alietas eiuſdem eſſentiæ ſignificatur.

Eadem de vtraque parte propoſitionis S Thom. indicato loco addit, hanc poſteriorem partem exponere errori plurium Deorum auditorem. Reddit rationem S. Doctor: nullum enim vnitatis veſtigium continet, aut ſignificat hæc propoſitio, Deus generat alium Deum.

Secunda Propoſitio. Deus generat ſe. Falſa vſquequaque, nullam in Deo diſtinctionem ſua ſignificatione pandens, & Sabellianam ſententiam ſuggerens, & inuoluens, & paradoxon redolens.

Tertia Propoſitio. Deus alterum ſe genuit. Vera, tum ex D. Auguſt. epiſt. 66. ad Maximum: *Pater generat alterum ſe*: & in D. Ioannem: *Pater mittens Filium, alterum ſe miſit*: tum ratione: nam medium ſenſum explicat: de vnitate eſſentiæ, dum *ſe*: de diſtinctione perſonarum, dum *alterum* in propoſitione aſſerit.

De prima Propoſitione, & prima propoſitionis parte, quod ſit ſimpliciter falſa, eſt omnium Theologorum ſententia, SS. Bonauent. & Thomæ indicatis locis. Vgonis de S Victore in Summa Sent. tract. 1. cap. 11. Magiſtri diſt. 4. cap. 1. Alexand. 1. par. quæſt. 50. memb. 3 art. 2. Alber. quæſt. 51. Riccardi diſt. 4. art. 1. quæſt. 2. Scoti quæſt 1. Durandi quæſt. 2. Henrici in Summa art. 54. quæſt. 3 ad 3. Gabr. quæſt. 1. art. 3. Argentinæ art. 4 quæſt. vnica. Maioris quæſt. vnica ad 3. Caiet. & omnium recentiorum, & omnium hæc vnica ratio. Nam non eſt alius Deus, quàm vnus. Deuter. 6. *Audi Iſrael, Dominus Deus noſter, Dominus vnus eſt*. Iſaiæ 45. *Ego Dominus, & non eſt alius*. Ibidem: *Ego Deus, & non eſt alius*. Baruch 3. *Hic eſt Deus noſter, & non æſtimabitur alius aduerſus eum*. Cantic. Annæ: *Non eſt Sanctus, vt eſt Dominus: neque enim eſt alius extra te*. Quibus, & conſimilibus locis, nedum veritas rei, ſed propoſitionis, & modus, & vſus termini *alius* adiectiuè ſumendi, explicatiſſimè aſſeritur, & colligitur; & oppoſitum eſſe de Arrij hæreſi deſumptum. Nicænum Concilium lib. 2. §. *Siquidem*. Non alium Deum &c. ſicuti impius Arrius blaſphemanit. Sophronius in 6. Synodo act. 11. epiſtola profeſſionis Fidei: *Non alius Deus Pater, neque alius Deus Filius, neque alius Deus Spiritus Sanctus, quia neque alia natura Pater, neque alia natura Filius, neque alia natura Spiritus Sanctus*.

Quod ſi opponas, vt plures Theologi, præſertim recentiores obſeruant. Ioan. 14. alium paraclitum promittens Dominus Apoſtolis, *Alium*, inquit, *Paraclitum dabit vobis*: & tamen Paraclitus eſt nomen commune tribus, & eſſentiale, vt ex vi nominis, & ſignificatione colligitur. Paraclitus enim eſt conſolator, & æquè Pater, & Filius, ac Spiritus Sanctus eſt conſolator: Deus enim eſt, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra, vt exponunt inter alios S. Baſilius lib. de Spiritu Sancto cap. 19 & S. Hieronymus epiſt. ad Hedibiam quæſt. 9. Ergo ſicut in alijs abſolutis licet aſſerere alius & alius de perſonis, eadem ratione licebit in Deo alium Deum Patrem, alium Filium &c. & ſubinde Deum genniſſe alium Deum.

Reſp. aliam eſſe rationem, primò ex auctoritate: hanc enim, & non illam admittunt diuinæ litteræ, & Patres, & Theologi. Secundò ex ratione: licet enim Paracliti, & conſolatoris, & aduocatoris (vtrunque enim complectitur munus) quo ad operationem, tribus commune aſtruat; ſubinfert tamen, & indicat aliquam rationem notionalem, non Patri, ſed Filio, & Spiritui Sancto competentem, quemadmodum hæc vtraque perſona, tum ad conſolandum, tum ad aduocandum ſic miſſa eſt, vt ſimul originem ſupponat vtriuſque à Patre. Pater ergo mittet alium Paraclitum, ratione implicitæ originis perſonarum. Præterquamquod adhuc ſtrictius Spiritui Sancto conſolatoris nomen, & officium congruit: amoris enim, & doni, proprium videtur lenire, & conſolari, ac proinde dum alius paraclitus aſſeritur, Spiritus Sancti

proprietas relatiua, non prædicatum abſolutum promittitur.

Hæc eadem ferè omnia ad ſecundam partem propoſitionis, tum explicandam, tum ſimul tuendam mirificè deſeruiunt; & præſertim, quo ex Sanctæ Scripturæ, & Patrum locis termini *alius*, & tollitur vſus in hac propoſitione, vt ſubſtantiuè ſignificet.

Ad ſecundæ propoſitionis anctiorem, & robuſtiorem refutationem nihil opus eſt addere: etenim & vnanimi cum Sancto Doctore conſenſu reliqui Theologi. Albertus, D. Thomas locis in ſuperiori propoſitione citatis. Alexand. 1. parte, q. 50. m. 3. art. 2. §. 3. Scotus diſt. 4. quæſt. 1. ad 1. Argentina quæſt. vnica art. 4. Maior quæſt. vnica ad 3. & ad 6. Caietan. Torres, & alij D. Thomæ recentiores commentatores, & Patres, ijs locis, quibus contra Sabellium Diuinarum perſonarum realem diſtinctionem tradunt, ac ſuſtinent; apertiſsimè confodiunt, & è medio tollunt, Deum ſeipſum generare. D. Cyrillus lib. 1. in Ioan. cap. 2. & Dial. 1. de Trinit. D. Gregor. Nyſſen. orat. catech. cap. 1. & lib. de Trinitate ad Euſtochium, & lib. de differentijs eſſentiæ & hypoſtaſeon. D. Athanaſ. lib. 2. de proprijs perſonis. D. Nazianz. orat. 32. ad centum quinquaginta Epiſcopos, & orat. 2. ad Atrianos, & orat. 5. de Theologia, & orat. 13. quæ eſt 2. de Pace, & orat. 38. in Chriſti Natiuitatem. D. Iuſtinus quæſt. 17. ad Orthodoxos. D. Ambroſ. in Symbolum Apoſtolorum. D. Hilar. lib. de Synodis, & 2. de Trinit. & 7. & vbique. D. Maximus integro libello de Trinit. & Concilia, præcipuè Nicænum, vbi non ſolum vnitatem ſubſtantiæ, ſed perſonarum diſtinctionem aſtruunt, & decernunt: & diuinæ denique litteræ ijs locis, qui plures perſonas Diuinas enumerant, hæc veritas traditur, & patentiſſima eſt etiam lumine naturali: nihil enim ſeipſum generat.

Inter quoſdam tamen Theologos non ab re orta eſt concertatio, num quamuis ritè & orthodoxè iam exploſæ, & reiectæ ſunt hujuſcemodi oppoſitæ propoſitiones, & extremæ, Deus alium Deum, & Deus ſe Deum generat, & hæc recepta, Deus ſe alterum generat: hæc tamen quoque ſimul exiſtimetur reiecta, Deus eundem Deum generat, an recepta, & approbata.

Et quidem Scotus diſt. 4. quæſt. 1. ad 1. & ante ipſum Alexan. 1. par. quæſt. 50. memb. 3. art. 2. §. 3. & poſt ipſos Vaſquez diſput. 157. cap. 7. neceſſaria conſecutione hanc propoſitionem exiſtimant concedendam. Si enim genuit Deum, vt fides docet: neque alium, vt itidem omnes vnanimes fatentur, & meritò: ergo eundem. Colligunt conſequentiæ rationem ex Ariſt. 4. Metaph. cap. 5. tex. 11. Diuerſum & idem omne ad omne dicitur, quæcumque dicunt, & vnum, & ens. Et pancis poſt: In omnibus entibus dicitur, nimirum idem, & diuerſum: vnde deducunt. Vnum, & diuerſum diuidunt omne ens, etiam Diuinum: ergo Deus ſi alium non Deum genuit, eundem genuit: immediatè enim opponuntur idem, & diuerſum. Confirmant. Nam ex termino *eundem* identitatem naturæ: ex altero termino *genuit* perſonarum diſtinctionem appoſitè colligunt. Quocirca ex tradita S. Bonauenturæ regula admittenda propoſitio: diſtinctionem enim, & vnitatem præmonſtrat. Communire quod aſſerunt conatur quidam eruditus recens Scotiſta ex plurimis Patrum locis, quibus vnica, eademque trium perſonarum eſſentia, & natura aſſeritur.

Attamen oppoſitum ſentiunt, & docent plures, & excellentiores Theologi, eamq; propoſitionem haud admittunt, velnti alteri, *genuit ſeipſum*, admodum ſimilem, ne dicam eandem. D. Bonauentura dum *ſe Deus generat*, prohibet dicendum: æquipollet enim dicere, ſe generat, & eundem Deum generat. Et dub. 2. litt. dum idem & diuerſum omne ens diuidere negat, etiam creatum: nam pars in ordine ad totum, neque omnino idem, neque diuerſa omnino cernitur: & diſt. 19. quæſt. vlt. ad vlt. elegantiſſimè Diuinum ens non diuidere ſic oſtendit: Nam & eadem numero in tribus natura, & diuerſæ tamen, ac diſtinctæ perſonæ: & inde aſſertum Ariſiot. admittendum in rebus creatis, vbi numerantur, & diſtinguuntur in ſuppoſitis naturæ. Mirificum D. Hilarij locum affert *Deum ex Deo natum*, nec eundem natiuitas, nec alium eſſe natura promittit: quare deducit. Deus tenet medium inter idem, & diuerſum numero.

D. Thom. 1. Senten. diſt. 4. quæſt. 1. art. 3. ad 3. Albertus 1. par. quæſt. 51. art. 1. Durandus, & nonnulli alij idem aſſerunt: quorum potiſſima ratio. Sicut *Deus generat* ſupponit ſuppoſitum Patris; ita neceſſariò eadem ratione *eundem Deum* Filij ſuppoſitum ſupponet, & conſequenter identitatem, nedum naturæ, ſed ſuppoſiti, hæc propoſitio *Deus genuit eundem Deum*, oſtentat, & apertè aſſerit: ergo è medio tollenda: & ſi aduerſarijs prodeſſet indicari diſtinctionem ex termino *generat* in hac propoſitione; prodeſſet pariter & hęc, *Deus generat ſe*, ab omnibus tamen reiecta, et deteſtata, veluti Sabellij ſententiam pręſeferens.

Ad locum Ariſtot. S. Thomas id quod & S. Bonauent. reſpondet, & eandem rationem reddit, et reſponſionem, et interpretationem ſuam tuetur. Durandus verò hanc gloſſulam ſupponens, aliam adhibet, et etiam Deo congruere Ariſt. aſſertum, hac diſtinctione concedit. Si identitas, et diuerſitas refertur et ad eſſentiam, et ad perſonas dumtaxat diſtinctè, currit ſententia Ariſt. Si verò ad vtrumq; ſimul, haudquaquam; ſic enim eſt et idem, et diuerſum, quod euenit in hac quam nunc excutimus propoſitionem.

Neque quicquam opitulamenti afferunt recenſiti Patres aduerſarijs. Licet enim veriſſima ſint quæ Patres illi, illis locis docent, neque tamen rei, et propoſitioni quam declaramus proſunt, in qua nedum identitas naturæ, ſed etiam perſonarum diſtinctio profitenda eſt, quod haudquaquam tamen ſit ex illa voce *eundem*.

Ad argumentum propoſitum, & à S. Bonau. ſolutum. Pater genuit alium: aut Deum, aut non Deum: non Deum, eſt falſa: ergo alium Deum. Conſequentia conſtat: nam immediatè opponuntur,

tur; & videtur vnica argumentatione duas propoſitiones complecti,& duas in ſolutione eaſdem declarare. Prima, quid de hac propoſitione, Deus alium generat. Secunda, quid de hac, Deus generat alium ,vel Deum, vel non Deum.

Ad argumentum, primò abſolutè neganda eſt conſequentia: non enim opponuntur immediatè, alius Deus, & alius non Deus. Et licet opponantur Deus, & non Deus: omne enim quod eſt, aut eſt Deus, aut nõ eſt Deus; omnis verò alius Deus non opponitur immediatè cum hoc, alius non Deus: nam in eadem natura Diuina eſt alius,qui eſt Deus, diſtinctus tamen proprietate ab alio, qui quoque Deus eſt: idq; propter non multiplicatam naturam in tribus ſuppoſitis. Generat ergo Deus alium, non tamen alium Deum,ſed aliam perſonã, quia tres perſonæ diſtinctæ ſunt Deus,& vnus Deus. Hinc non poteſt eſſe hic contradictio, quia ſupra totum complexum fertur *alius Deus*, vel dumtaxat ſupra partem, quæ eſt *Deus*. Deus, & non Deus contradicunt: ſed alius Deus,& alius non Deus nequaquam. Exemplo res fiat manifeſtior. Eſt vir bonus,& muſicus: ergo muſicus bonus; non valet,nam alia bonitate eſt bonus,alia muſicus: pariter eſt alius, & eſt Deus: ergo alius Deus; non conſequitur, nam eſt alius perſonalitate, non Deitate. Logica regula. A diuiſis ad coniuncta non ſemper recta oritur conſequentia. 2.Periherm.cap.2.

Tertia Propoſitio vti vera admittenda eſt, declaranda tantummodo præcipuè illa particula *ſe*. D. igitur Thom. hoc art.4. particulam *ſe* gemino in caſu poni poſſe animaduertit: in ablatiuo, vt ſit ſenſus, *Pater generat alterum ſe*, ſcilicet à ſe, hoc eſt diſtinctum à ſe: vel in accuſatiuo, vt *alterum ſe* ſolam identitatem naturæ dicat, non autem perſonæ. Quod quidem verum eſt, tamen figuratè, & impropriè explicatum, ac emphaticè, vt *generat alterum ſe* idem ſit, ac ſi diceret, generat ſibi ſimillimum, ac quaſi ſe.

Alexander 1. par. quæſt.50. art.2. memb. 3. ad 1. ad eandem particulam *ſe* duas adhibet explicationes, quarum prima hæc eſt: *ſe* non eſt terminus verbi *genuit*, vt generet ſe: nam terminus hic eſt *alterum*: generat enim alteram perſonam; ſed eſt terminus alteritatis, hoc eſt alteram perſonam à ſe. Secunda verior, vt terminus *alterum* additum *ſe*, hunc faciat ſenſum, & velit dicere *alterum ſe*,alteram perſonam eiuſdem eſſentiæ cum perſona generante. Vtrinſq; Doctoris interpretatio probabilis, ſed Alexãdri fortaſſe explicatior.

CAPVT VIII.

De hac propoſitione, Deus diſtinguitur à Deo. D.Bonau. diſt. 1. q. 1. art. 1. & art.2. quæſt.1. D.Thom.art.5.

FAlſa eſt,& non concedenda, ex regula quam communiter ſuſcipiunt Scholaſtici,Riccardus, Scotus,Henricus,Maior,Ocban,à S.Bonau.tradita hac quæſt. Quæ omnimodam diſtinctionem dicunt in Deo propoſitiones non ſunt admittendæ: proinde hæc eo falſa, quò Deum ſic diſtinguit à Deo: perſona enim licet diſtinguatur ab alia, vt perſona,non diſtinguitur tamen vt Deus: quo ſit vt nulla ſit conſequentia, Deus generat Deum, & non generat ſe: ergo Deus diſtinguitur à Deo, ſicut generans à genito.

CAPVT IX.

Has complectens explicandas propoſitiones.

Prima. Eſſentia non generat. diſt. 5. quæſt. 1. S.Bonau.

Secunda. Eſſentia non generatur. art.2.q.1.

Tertia. De eſſentia Patris generatur Filius. quæſt.2. art.1.

Quarta. Per generationem, & ſpirationem communicatur eſſentia, quæſt.2.art.2. D.Thom. art.3. quæſt.39.

PRima Propoſitio. Eſſentia generat eſſentiam, in Diuinis eſt impropria, falſa, & nulla ratione ſuſtinenda. Probatur primò ex dub.4.litt. auctoritate Conc. Lateran. vbi libellus Abbatis Ioachim oppoſitum contra Magiſtrum aſſerentis, dãnatus ſimul cum propoſitione, & oppoſita Magiſtri ſententia approbata, & decreta. Secundò rationibus. Et prima. Cui conuenit generare, conuenit & referri: ſed Diuinæ eſſentiæ non poteſt cõpetere referri: eſt enim ad ſe, & abſoluta: ergo neque generare. Maior, & conſequentia conſtant. Nam *generare* ſicuti eſt proprietas, ſic relatio ad terminum genitum. Minor iam probata. Hinc ſecundò. Vbicumque relatio,ibi & diſtinctio,& multiplicatio: ſed Diuina eſſentia ita eſt vna, vt haud poſſibile ſit diſtingui, & plurificari: ergo neque generare poteſt. Probatur. Nam ſicuti inter generantem, & genitum eſt realis relatio, ita realis diſtinctio, & multiplicatio; ac proinde ſi eſſentia generat, plures erunt eſſentiæ, alia generans, alia genita, alia ſpirata. Tertiò.Generare eſt actus,& proprietas perſonalis: ergo non poteſt conuenire eſſentiæ, quæ eſt communis tribus; & cum ſit omnino abſtracta,pro perſona ſupponere non poteſt: perſona enim incõmunicabilis,eſſentia cõmunicabilis tribus &c. Confirmatur ex corp.quæſt. Deus æquè verè eſt vnus, ac trinus, vt de fide vtraque hæc veritas firmiſſimè tenenda, & profitenda

ſit, et his vocibus, ac terminis explicanda: vnitas, quæ diſtinctionem nullam dicat, ac multiplicationem: ergo *generare* relationem, & diſtinctionem, & multiplicationem ſecum ferens, nulla ratione de eſſentia quæ vna eſt, affirmari poteſt, ac proinde, ergo eſſentia generat, ſimpliciter falſa propoſitio.

Hæc eadem S. Thom. art.5. licet vniuerſaliori titulo quæſitum propoſuerit, nimirum An abſtracta eſſẽtialia pro perſona ſupponere poſſint: In argumento tamen *ſed contra*, D. Aug. propoſito loco de Trinit. lib. 1. cap. 1. apertiſsimè declarat, ad hãc ipſam executiendam propoſitionem ſe inſtituiſſe articulum, & propoſitionem eſſe falſam, hac eadẽ potiſſima tum decretali Conc. Lateran. relata cap. *Damnamus*, de Summa Trin. & Fide Cath. tum ratione à D. Auguſt. petita. Si eſſentia generat eſſentiam: ergo ſeipſam generat, & diſtinguitur à ſeipſa ſicuti genitum à generante. Probatur conſequentia. Nam nihil aliud in Deo, quod à Diuina eſſentia diſtinguatur, aut diſtingui poſsit.

Vt hanc tamen veritatem explicatiorem vterque S. Doctor, & oppoſitorum argumentorum ſolutionem faciliorẽ reddant, quædã animaduertũt.

Primò. S. Bonau. hac quæſt. cum S. Tho. hoc art. & Alex. 1. par. q. 42. memb. 3. Nominum Diuinam eſſentiam ſignificantium trinum genus conſtitui; quædam enim in concreto, quæ etiam pro perſonis ſupponere poſſunt, vt Deus: quædam in omnimoda abſtractione, ſicuel eſſentia, Deitas, Diuinitas; quibus vt ſic nulla ratione poteſt competere, vt perſonas ſupponant: quædam denique medio modo, vt ſapientia, virtus, lumen, &c. quæ abſtracta quidem ſignificant, nimirum eſſentiam; connotãt tamen ſimul quodammodo & ordinem principij ad illud, quod à principio oritur. Ita S. Tho in reſp. ad 1. In his nominibus abſtractis eſt quidam ordo attendendus, quia ea quæ pertinent ad actũ, magis propinque ſe habent ad perſonas: actus enim ſunt ſuppoſitorum. Vnde minus impropria eſt iſta, natura de natura, ſapientia de ſapientia, quàm eſſentia de eſſentia: & Scotus diſt. 5. Sapientia, inquit, licet abſtrahat à ſapiente, adhuc tamen retinet potentiam operatiuam: & huius generis cætera nomina eandem vim retinent, ac pariter connotant: ſic & Alexander indicato loco. Quibus deducit S. Doctor. *Deus generat*; vera, & propria. *Deitas, & eſſentia generat*; impropria: & licet non addat falſa; in argumentis tamen id perpetuò inculcat. *Sapientia generat*; partim propria, partim impropria.

Secundò ex eodem S. Doctore eadem quæſt. animaduertendum, Sanctos Patres dum contra hæreticos, & in hac re vt veritatem exprimerent, & cõtra Arrianos de perſonarum conſubſtantialitate vt efficacius imprimerent, nõ vſque adeò propriè, & penes Scholaſticorum terminos locutos, ſed loco concretorum abſtractis vſos, vt eſſentia de eſſentia &c. quas locutiones D. Tho. art. 4. ad 4. emphaticas nuncupat, & art. 5. ad 1. his propoſitionibus expreſſius locutos, quàm propriè, et interpretandos abſtracta pro concretis aſſumpſiſſe.

Tertiò ex eodem loco ad 2. et diſt. 33. quæſt. 3. in corp. et ad 3. et 4. cum Scoto hic quæſt. 1. ad arg. animaduertendum, geminam inueniri prædicationem. Altera, quæ dicitur identica, quæ abſtractis terminis conflatur, et conſtat, quę tribus modis fit et exercetur: primò, dum fit eſſentiæ ad eſſentiam comparatio, veluti quando duo prædicata ad inuicem eſſentialia prædicantur, et eſſentialis identitas nominatur: ſecundò, dum primò eſsentia de proprietate, vel vice verſa, et adhuc eſsentialis nũcupatur; tertiò, quando proprietates ad inuicem; ſed hæc eſsentialis non eſt appellanda: non enim conueniunt vt ſic niſi in ratione proprietatis, et reſpectu. Altera, quam per inhærentiam appellat, et ſemper in concreto fit, et ratione ſuppoſiti. Nũcupatur autem per inhærentiam: nam prædicatur illud de ſubiecto in eo quaſi inhærens, et denominat id de quo. Dicitur verò formalis: tum quia ceu forma inhæret, præſertim quando eſt ratio formalis, et quidditatiua ſubiecti; tamen quoque ſub ratione qualitatis, et tunc in quale quid, dũ differentiæ eſsentiales de ſubiecto pręedicantur. Dicitur denique denominatiua, ſed ampliori latitudine: denominatur enim ſubiectum, nedum à forma ſubſtãtiali, ſed à propria paſſione, ab effectu formali, et à quocumque alio accidente.

Differunt autem huiuſcemodi prædicationes: nam primò abſtractum eandem rem et ſignificat, et ſupponit: concretum verò aliam rem ſignificat, pro alia re ſæpenumero ſupponit, vt D. Bonau. diſt. 4. quæſt. 1. Secundò. Abſtractum nomen imponitur formæ, et à forma denominatur, vt albedo imponitur formæ albedinis, et à forma albedinis nuncupatur ſic: concretum verò imponitur à forma, nõ autem formæ, ſed ſuppoſito: dicitur enim ſuppoſitum album, non alba albedo. Tertiò. Aliquam neceſsariò diuerſitatem complectitur prędicatio per inhærentiam: identica verò omnimodã identitatẽ.

Quibus liquidò conſequitur, negandam conſequentiam, dum fit ab identica ad per inhærentiam ratiocinatio, et ab abſtracto ad concretum: licet enim res ſignificata eadem ſit, præſertim in Diuinis; varius tamen, et diuerſus eſt modus ſignificandi. Quæ quidem animaduerſio tanti facienda, tantiq; eſt momenti, vt eius ignoratio Abbatem Ioachimum (inquit S. Tho. art. 5.) in illud erroris barathrum à cap. *Damnamus* deteſtatum, proſcriptũ, et anathemate damnatum, induxerit.

Quartò animaduertendum ex D. Bonau. diſt. 33. q. 4. et D. Tho. 1. par. q. 32. art. 2. ad 2. Actus notionales expreſsè quidem, et propriè prædicantur de perſonis proprijs nominibus in concreto, et legitimè dicitur, Pater generat, Pater et Filius ſpirãt, &c. nequaquam tamen idoneè de abſtractis: non enim conceditur, Paternitas generat, nec Filiatio generatur, nec Spiratio ſpiratur. Rationem reddit S. Bonau. his verbis: Notiones ſeipſas denominare non poſsunt, vt rectè poſſit hæc fieri prædicatio, Paternitas generat &c. hac in primis ratione: huiuſce denominatio, ac prædicatio *generat*. indicat actum, et relationem: ſed actus et relatio ſunt ſuppoſiti, ſuppoſitumq; inuoluunt: ergo Pater in concreto dicendus generat, non Paternitas. Conſequentia probatur. Nam notio non perſonam

con-

Digitized by Google

concernit, aut ſupponit: in eadem enim perſona plures inueniuntur notiones.

Quintò animaduertendum ex S.Bonau.quæſt.1. diſt.5. S.Thom.1.par.quæſt.39. art.5.ad 5. Alexan. 1.par. quæſt. 42. Nomina perſonalia ſubſtantiuè ſumpta de Diuina eſſentia, & in concreto, & in abſtracto prædicantur: idoneè enim dicitur, eſſentia eſt Pater, & Paternitas: adiectiuè verò accepta, nequaquam, niſi interponatur aliquod ſubſtantiuum: non enim appoſitè licet affirmare eſſentia eſt generans, eadem ratione, qua neque *eſſentia generat*, licebit aſſerere: licet autem ſi dicatur, eſſentia eſt res generans.

Hoc tamen documentum non erit neceſſariò obſeruandum, ſi abſtracta, de quibus componenda, & aſſerenda prædicatio, aut ſunt mediæ abſtractionis, vt ſapientia, lumen, virtus, natura &c. aut omnimodæ abſtractionis, vt eſſentia; pro concretis tamen aſſumuntur. Propterea erit aliqua ratione congrua prædicatio, Filius eſt lumen de lumine, Sapientia de Sapientia, eſſentia de eſſentia.

Sextò animaduertendum. Huius, & ſequentis propoſitionis explicatio, iuſtificatio (vt ſic loquar) ac protectio, eo pluris, & magis æſtimanda, quò à Sacroſancto Concilio progreſſa eſt, & originem duxit: cap. enim *Firmiter* Conc. Lateranen. decreuit omnino falſam hanc propoſitionem, eſſentia generat, aut generatur; idque tunc temporis in primis, nedum ad explicandam huius dogmatis veritatem, ſed etiam ad Magiſtrum Senten. ab hæreſis impoſtura tuendum: ipſe enim primus inter Theologos huiuſcemodi propoſitiones obſeruare, diſcutere, & exquiſitè integra diſt. 5. vti falſas prodere, & demonſtrare cœpit.

Neque etiam inter Patres quis, qui explicatè has propoſitiones tradiderit, & redarguerit, inuenitur: rem quidem notarunt, & indicarunt multi, vt D. Iuſtinus in confutat. dogmatum Ariſt. *De Deo cum dicitur ingenitus, negatur ſecundum eſſentiam generatio*. D. Athanaſ. Dial. 2. de Trinit. contra Anomæum: *Pater, Filius, & Spiritus Sanctus ingenita ſunt eſſentia*. D.Baſil. 5. contra Eunomium: *Ingeniti appellatio ſignificat quomodo ſe habeat ſubſtantia in Deo, & quod nata non ſit*. S. Ephrem ſerm. de pœnit. vnam conſubſtantialis Trinitatis naturam ingenitam dicit, &c.

Explicatè tamen modum dicendi, & propoſitionem hanc neque propoſuerunt, neque librarunt: quod ſatis audacter aliàs moderatiſsimus, & de pietate, ac diuinis litteris optimè meritus Riccardus de S. Vict. Magiſtri Sent. coætaneus, & in hac re vehemens aduerſarius lib.6. de Trinit.cap. 22. negat, & teſtatur his verbis: *Nullo modo concedunt, quod ſubſtantia gignat ſubſtantiam, ſapientia ſapientiam*. Pertinaciter negatur quod omnes Sancti affirmant. Ad illud quod ipſi dicunt, auctoritatem inuenire non poſſunt. Aſſerant ſi poſſunt auctoritatem; non dicam plures, ſed ſaltem vnam, quæ neget, *ſubſtantia gignit ſubſtantiam*.

Hinc Abbas Ioachim nimio zelo correptus non ſecundum ſcientiam, non ex prauitate mentis, & veritatis odio, ſed ignorantia deceptus: erat enim vir ſimplex, hoc eſt ineruditus, vt teſtatur S.Bonau. indicato dub. 4. litt. libello quodam refutauit Magiſtrum conſimili argumentatione. Si eſſentia neque generat, neque generatur: ergo datur in Deo quaternitas, quod tamen hæreticum eſt: res generans, res genita, res ſpirata, & res quæ nec generat, neque generatur: ergo ad euitandam hanc hęreſim concedenda tamquam veriſſima hæc propoſitio, eſſentia generat &c.

Allucinatus eſt ex ignoratione Diuinæ ſimplicitatis, & identitatis eſſentiæ cum perſona generante & genita, & ex non obſeruatis modis ſignificandi varijs terminorum abſtractorum, & concretorum: & inſulſiſſimè hæreſim, quæ ex illa conceſſa propoſitione oriebatur, intollerabilis abſurditatis effutiuit. Si enim eſſentia generat eſſentiam: ergo tum idem generat ſeipſum, tum eſſentia Diuina principium habet, & non vna, ſed plures eſſentiæ, & ſubinde non vnus, ſed plures Dij. Tunc neceſſariò ſacerrimum Conc. pro Magiſtro contra Ioachimum, illum dicendi modum proſcripſit, ac illas propoſitiones è medio ſuſtulit, & damnauit. His obſeruatis per illhæc aſſerta, ſoluo dubitationem propoſitam, vel vt magis ad rem explico veritatem.

Primum aſſertum. Eſſentia præcisè, & abſtractè ſumpta, natura, ſubſtantia, & conſimilia nomina, abſolutè, & ſub perfecta abſtractione, non generat eſſentiam, neque perſonas. Indicant illi præſertim 6. animaduerſione citati; ſed determinat, & decernit Conc. Lateranen. ſub Innocentio III. & refertur extra de Summa Trinit. & Fide Catholica cap. *Damnamus*, his verbis: *Qualibet trium perſonarum eſt illa res, ſcilicet ſubſtantia, eſſentia, ſiue natura Diuina, quæ ſola eſt vniuerſorum principium, præter quod aliud inueniri non poteſt; & illa res non eſt generans, neque genita neque procedens; ſed eſt Pater, qui generat, & Filius, qui generatur, & Spiritus Sanctus, qui procedit; vt diſtinctio ſit in perſonis, & vnitas in natura*. Et paucis poſt infra præcipit, tamquam hæreticum euitãdum, qui cum Ioachim oppoſitum ſentire, ac profiteri vellet. Sic à Concil. decretum. Quod quidem decretum vniuerſa Eccleſia in illo Conc. generali repræſentata profitetur, & docet; & ſequuntur omnes Scholaſtici nullo contradicente, & fauent Patres vetuſtiores, & probatur etiam multis rationibus, quarum potiores poſitæ ſunt à Magiſtro, & à Theologis ſuſceptæ, & inter illas hæ præcipuè.

Prima. Si Diuina eſſentia generat: primò, ergo ſeipſam: ſecundò, ergo eſſentia ſimpliciter producta: tertiò, ergo plures eſſentiæ: ſed hæc abſurdiſſima ſunt, & paradoxon implicant: ergo non ſunt dicenda. Probo primam conſequentiam. Nã vnica eſt Diuina eſſentia, quo fit, vt ſi eſſentia generat, ſeipſam abſolutè producat. Probo ſecundam conſequentiam eadem ratione: nã vnica eſt, & primum ens, cui repugnat produci; et contra fidẽ, quę Patrẽ eſſe primam perſonã ingenitã et improductã docet,

cet, & teſtatur D. Athanaſ. in Symbolo: *Pater à nullo eſt factus, nec creatus, nec genitus*; & ſubinde à nullo accipit, ſed à ſe habet eſſentiam.

Tertiam tandem conſequentiam probo. Vbi eſt vera generatio, inter generans & genitum intercedit vera relatio, & realis diſtinctio: ſed in Deo vera eſt generatio (ſuo loco ſatis demonſtratum) ergo & vera, & realis diſtinctio: ergo ſi eſſentia generat aut perſonam, aut eſſentiam, plures erunt eſſentiæ, & plures Dij, & nullus verus Deus: repugnat enim verum Deum non eſſe vnũ. Et ecce Gentium infida religio de pluribus Dijs: & ecce Arrianiſmum: nam tunc Filius genitus differret à Patre eſſentia, & ſic non conſubſtantialis, atque tandem creatura. Idem de Spiritu Sancto.

Rem verò iterum ſic perſuadere aggrediar; & primò falſiſſimum. D. Athanaſ. lib. de proprijs perſonis: *Nemo ſibi ipſi Pater Pater eſt, & nemo ſibimetipſi Filius, Filius eſt, dum Pater non ſit genitus, & Filius non ſit ingenitus?* D. Epiphanius hæreſi 57. *Pater ſeipſum generare impoſſibile eſt*. Clemens Alexand. lib. 8. Stromat. *Non eſt aliquid ipſum ſui ipſius cauſa*. Idem Tertull. contra Praxeam cap. 10. & cap. 11. D. Hilarius lib. de Synodis poſt 8. Canonem Orientalium: *Cum non poſſit niſi & alius, & alius eſſe generans, & genitus*. D. Auguſt. de Trinit. relatus à Magiſtro, & à S. Doctore. Ipſe Ariſt. lib. 2. de Anima: *Generat autem nihil ſeipſum, ſed conſeruat*. Sed vehementius: adeò falſum, vt inuoluat contradictionem. Primò. Generans aliquo modo præcedit genitum, ſaltem origine: ergo ſi generans ſeipſum generat, idem & eſt & non eſt, & ſeipſum præcedit. Secundò. In Diuinis ergo eſſentia vt ſic, & præcisè ſumpta, & abſoluta, & ad ſe, relatiua eſt: generatio enim eſt relatio, & inter genitum & generans neceſſariò interuenit relatio. Tertiò. Repugnat Diuinæ eſſentiæ multiplicari, aliàs non eſſet ipſa eſſentia: ergo & generare, & generari, & diſtingui.

Secunda ratio S. Bonauenturæ, S. Thomæ, Alberti, Alexandri, Scoti, Durandi, &c. Generatio eſt actio: ſed actiones ſunt ſuppoſitorum ſingularium: ergo ad perſonam, non ad eſſentiam ſpectabit generare.

Quod ſi opponas. Sicuti eſsẽtia intelligit, amat, creat &c. æquè poterit generare, & producere. Reſpondet S. Thomas diſt. 5. quæſt. 1. art. 1. & negat ſimilitudinem, & conſequentiam: nam intelligit, amat, & creat vt in tribus ſuppoſitis, & cum tribus eſt idem; generat verò vt in vno ſuppoſito realiter diſtincto ab alio. Secundò. Nullum ſequitur inconueniens de eſſentia prædicari actus communes creandi, intelligendi &c. maximum verò ſequitur, ſi actus proprij, veluti generatio de eadem prædicaretur, vt ſupra deductum eſt.

Opponit S. Bonau. Diuina eſſentia, & Deus Pater ſunt idem, neque ad inuicem differunt: neque enim diſtinctas habent proprietates, vt conſtat: neque ſufficit diſtingui per habere proprietatem, & non habere; nam non inducit diſtinctionem realem: ergo ſi Pater generat, & eſſentia generat. Eſt commune argumentum. & probatur conſequentia. Id quod prædicatur de aliquo, pro eo etiam ſupponit: ergo & eſſentia, quæ prædicatur de Patre, pro eodem ſupponit: ergo poterit dici, eſſentia generat.

Reſp. Licet ad inuicem ſint idem; illud tamen *non habere* Diuinæ eſſentiæ & eſſe commune, & communicabile, & abſtractum; & illud habere proprietatem perſonæ ſufficit vt aliquid affirmetur de vno, quod de alio affirmari non poſſit: de Deo nimirum Patre generatio, nequaquam de eſſentia. Quod S. Thomas, & alij alijs verbis, ex ſcilicet diuerſo modo ſignificandi, & ſupponendi non valere conſequentiam. *Deus* enim pro ſuppoſito, & *eſſentia* pro natura in abſtracto ſupponit. Et Ioan. Theolog. Latinorum nomine in Conc. Florentino ſeſſ. 19. Quoniam Diuina ſubſtantia nomen abſtractum exiſtit, idcirco generatio non poteſt ei attribui; nam cum vna numero ſit, ſi quidem generare poſſet, proculdubio in Diuinis eſſet diſtinctio, quandoquidem non ſeipſam, verum quicquam aliud generaret. Iterum declaratur, &

Primò ſupponendum. In veritatibus propoſitionum ſeruandum non modo rem quæ ſignificatur, verum etiam modum ſignificandi; ita vt in inferendo non ſuſtinenda, neque admittenda illatio, quando variatur, & fit alius, & diuerſus modus ſignificandi terminorum: qua re ſuppoſita, in hoc argumento conceſſo antecedenti, neganda conſequentia: nam eſſentia in antecedenti & ſignificat, & ſupponit idem identicè in abſtracto, & facit prædicationem identicam: in conſequentia autem ſupponit in concreto pro Patre, & aliud ſignificat: non admittitur autem, neque idoneé conſequitur ab abſtracto ad concretum; neque à prædicatione identica ad prædicationem per inhærentiam, & formalem, legitima foret conſequentia (inquit S. Thomas) ſi eſſentia prædicaretur de Patre, ſicut vniuerſale de particulari. S. Bonau. Si prædicaretur per inhærentiam, quod prorſus idem eſt: nam ſtatim addit; ſignificaret formam communem, & ſupponeret pro inferiori: ergo eſſentia identicè ſumpta cum Patre, cum non ſupponat niſi pro eo quod ſignificat, non autem pro perſona; non concedendum quod generet.

Riccardus. Si diceretur, Pater eſt ille qui generat: ergo eſſentia eſt ille qui generat; alius eſſet modus dicendi ſupra explicatus.

Ad confirmationem conſequentiæ dicendum, regulam, ac legem illam in propoſitione identica, non eſſe veram in formali, & per inherentiam.

Riccardus aliam addit obſeruandam ſolutionem, & aliam differentiæ rationem, qua Pater dicitur de eſſentia, & qua de Patre aſſeritur generatio, differit. Pater enim generare dicitur, quia habet Diuinam eſſentiam non ab alio, ſed à ſe. Diceret S. Bonau. quia prima perſona dicitur: de Diuina verò eſſentia propter identitatem ſummam in Diuinis prædicatur Pater.

Tertiò. De quocumque dicitur ſubiectum, dicitur & propria paſſio: ſed generare eſt propria paſſio Patris: ergo de quocumque dicitur Pater, & generare pariter dicetur: ergo ſicut Pater dicitur

Digitized by Google

citur de eſſentia, ita de ea diceretur & generare.

Quemadmodum idem ferè argumentum, ita eadem quoque reſponſio, addito, & mutato quodam termino. Reſp. ergo veram eſſe maiorem, ſi eadem ratio prædicandi ſeruetur: verum quoniam diſtincta, & alia ratione prædicatur de eſſentia Pater, & de Patre generare; hinc conceſſa maiori, & minori, neganda eſt conſequentia: prima enim prædicatio identica eſt, & in abſtracto, & per modum ſubſtantiui: ſecunda verò per adiacentiam, & formalis, & in concreto, & per modum adiectiui; & ab vna ad aliam non idoneè infertur: ac proinde ſicuti riſibile prædicatur, & de homine, & de inferiori, v. g. Petro, quia in vtroq; inuenitur eadem ratio prædicationis: conuenit enim Petro riſibilem eſſe, quia homo: in oppoſitum de homine affirmatur ſpecies, non autem de Petro, & indiuiduo, quia ſpecies conuenit homini, vt commune, & vniuerſale multis: Petrus autem, & indiuiduum, eſt ſingularis, & determinata ratio. Ita eadem ratione generare conuenit Patri, quia Pater, non quia eſſentia in abſtracto: eſſentiæ verò identicè propter ſummam ſimplicitatem conuenit Pater, & Paternitas: nulla ergo hoc loco conſequentia admittenda propter variam, & diuerſam rationem. Hæc realis S. Bon. reſponſio, & Riccardi, quamuis ſub diuerſis verbis.

Quartò. Pater definitur Filij Pater: ergo Filius quoque eſt Diuinæ eſſentiæ Filius. Conſequentia conſtat, tum per præcedens argumentum, tum ex eo, *de quo prædicatur definitum, prædicatur & definitio*. Sed definitum, hoc eſt Pater, de eſſentia prædicatur: ergo & definitio, quæ eſt Filius.

Reſp. primò per præcedentis argumenti reſponſionē. Secundò, dum dicitur eſſentia eſt Filij Pater, aut ſumitur abſolutè, & identicè pro re, quæ eſt Pater; & eſt vera prædicatio: aut ſimul vt continet relationem, & diſtinctionem, & ita vt referatur eſſentia, & diſtinguatur à Filio; tunc omnino falſa eſt: nam in antecedenti primo modo, id eſt identicè ſumitur; in conſequentia ſecundo modo, formaliter; tunc conſequentia nulla prorſus.

Quintum. Filius producitur ex ſubſtantia Patris, & eſt ſolemniſsimum dogma: ſed illa vox *ex* & *De* dicit principium productiuum: ergo ſubſtantia producit.

Ad hoc infra vberius. Interim ad minorem dicendum, & diſtinguendum, particulam *De* hoc loco non dicere principium *quod* productiuum, ſed quo communicatur Diuina ſubſtantia.

Sextum, & potiſsimè. Innumeri Patres. D. Hilarius locis à Magiſtro relatis. D. Aug. pariter ab eodem, & D. Thoma recenſitus. D. Ignatius Epiſtola ad Magneſianos. De Verbo, *eſt operatio Deitatis ſubſtantia genita*. D. Epiphanius hæreſi 76. *Ingenita natura eſt cauſa ad vnigenitum germen, & ad Spiritum de ea Sanctum*. D Nazianz. orat. 4. de Theologia: *Pater eſt princeps naturæ*. D. Cyrillus lib. 2. Theſauri cap. 1. *Diuina ſubſtantia ineffabilis, ſupremaque natura conſtituta, Filium ex Patris hypoſtaſi genuit: Non enim poteſt eſſe perfecta Deitas, niſi habeat Filium*. Diuus Athanaſius ſer. 3. geſtorum Conc. Nicæni reprehendit Arrianos aſſerentes, Patrem eſſe ſterilem, & infructuoſam naturam. Denique Riccardus Victorinus lib. 6. de Trinit. & lib. 5. pugnax hanc ſententiam tuetur, & tuendam fatetur, & oppoſitam errare, & mendaces facere hos Sanctos Patres.

Reſp. primò, has ſententias Patrum, ac conſimiles, vti improprias, non tamen falſas, accipiendas eſſe, & non extendendas, ſed piè, & moderatè, & prudenter interpretandas: Emphaticas fuiſſe ad conuincendos hæreticos, eiſque perſuadendam perſonarum conſubſtantialitatem. Sic ferè D. Bon. & D. Thomas hoc loco, & opuſc. 1. contra Græcorum errores, & Alexander, & Albertus.

Secundò. Hos Sanctos Patres figuratè abſtracta pro concretis, & perſonis tum producentibus, tum productis aſſumpſiſſe; adhibendamque hanc congruam explicationem, eſſentia generat, nimirum Pater, qui eſt eſſentia. Itidem eodem modo, eſſentia generatur: ſic enim Magiſter diſt. 5. cap. *Prædictis*. D. Bon. ad 3. D. Thomas ad primum, & alij: & eo facilius, & ſuauius explicandi hi Patres, dum in illis ſententijs non eſſentia, ſed ſubſtantia, & natura vtuntur; quò hi termini viciniores ſunt ad operationem, & concreti rationem, & præſertim ſubſtantia, quę pro hypoſtaſi facillimè ſumitur.

Tertiò. Vt eſſentia, ſubſtantia generat &c. non quaſi principium quod, indiuiduum agens, ſed quo; & virtute cuius perſona fœcunda producit; vt generationis, & ſpirationis eſſentia ſit quidem principium, tamen formale, & quo. Hæc quoque communis, & certa reſponſio, & diſtinctio.

Ad Riccardum, diſtinctè recipit quidem & ipſe gloſſam ſecundam: pater namque ſubſtantiam pro hypoſtaſi, & perſona ſumi. Deinde eſſentiam, & ſubſtantiam generare, fuit huius ſententiæ potius vt Patrum, quas ſimiles ſententias inueniret, modum dicendi tueretur, quàm aliquid à fide auerſum intra ſe ſenſerit: neque ideo à Lateranenſi Conc. cum Ioachimo, ſicuti neque nominatum, ita neque damnatum exiſtimo: opinabatur enim Ioachim vnitatem Diuinæ eſſentiæ in tribus perſonis, non eſſe veram, ac realem, ſed impropriam, & quaſi collectiuam, ſicut natura humana in tribus hominibus; in quibus ſicut & realiter eſſentia multiplicatur, ſic & in Diuinis perſonis, vt verè eſſentia differrent, quod eſt manifeſta hæreſis. Quo proinde ducebatur, vt aſſereret, eſſentia generat, & generatur. Riccardus verò vnam numero vnitatem eſſentiæ concedebat, & profitebatur; improprijſsimè tamen hac phraſi vtebatur, vt exiſtimans ſubſtantiam, & eſſentiam pro perſona poſſe ſupponere, vt Patrum dicendi modum imitaretur. Reprehendendus igitur de verbis, & improprijs propoſitionibus, & gloſſandus ſicut & reliqui Patres, & in ſententia exiſtimandus catholicus.

Se-

Secundum aſſertum conſectarium. Proprietates in abſtracto, neque ſeipſas denominant, vt ait S. Bonau. neque rectè, ac verè dicuntur producere. v. g. Paternitas generat &c. licet enim rectè dicatur, Deitas creat; non rectè tamen, Paternitas generat. Ratio primi, quia Deitas ſuppónit Deum. Ratio ſecundi. Paternitas notio, aut non ſupponit perſonam: plures enim notiones in eadem perſona inueniuntur, vt in Patre Paternitas, & ſpiratio actiua, & in Filio ſpiratio actiua, & Filiatio paſsiua: aut ſicuti proprium notionis propriè diſtinguere, ſic perſonæ producere: aut tertiò generare eſt actus ſuppoſiti, & dicit emanationem: ergo non poteſt ad notionem pertinere: aut quartò cum dicitur relatio generat, aut generat quia relatio, aut quia perſonam ſupponit. Non primum, quia relatio non agit. Non ſecundum: nam neque ſupponit perſonam: quædam enim conueniunt notioni, quæ non conueniunt perſonæ, vt præcedenti ratione notatum eſt.

Idem Alexander 1. par. quæſt. 68. memb. 5, art. 5. abſolutè docens notionalia non prædicari de notionibus. D. Thomas de potentia quæſt. 8. art. 4. ad 7. eſſe improprias huiuſmodi prædicationes.

Tertium aſſertum. Eſſentia eſt generatio identicè; eſſentia eſt principium quo generationis, hæ propoſitiones non reprehenduntur, neque repelluntur à decreto Conc. Lateranenſis. Conſtat, Imò ab omnibus Theologis admittuntur, & recipiuntur.

Quartum aſſertum. Retenta, & ſuppoſita ſententia catholica de vera vnitate eſſentiæ Diuinæ in tribus perſonis, dicere eſſentia generat &c. eſt impropria locutio, et temeritatis nota digna: eſt enim contra omnes Scholaſticos, et periculoſa, et errori proxima; et qui ea vteretur propoſitione vteretur à Conc. generali contra Ioachimum maximis rationibus damnata.

Quintum aſſertum contra Holcoth temeratiè oppoſitum ſentientem, eadem retenta veritate, et improprietate loquẽdi proteſtata, adhuc tamen ſi quis diceret eſſentia generat etc. neq; periculosè, neque erroneè loqueretur; inconſideratè tamen, et irreuerenter, et temerariè. Secunda pars certa eſt. Nam contra omnes Theologos etc, loqueretur. Prima tamen pars hinc conſtare poteſt. Nam primò aſſerere, abſtractum, et eſſentiam pro perſona in concreto poſſe ſupponere, non eſt error condemnatus; quod inde conijcitur: nam Riccardus de Sancto Victore clariſsimus tempore Conc. Doctor, hunc dicendi modum multis profeſſus eſt, neque tamen ab illis Patribus vlla nota notatus, aut vllo verbo indicatus; multo minus ſententia mulctatus. Secundò, huiuſmodi Sanctorum Patrum frequentes ſententiæ, et phraſes à nullo vnquam Doctore, nullaque Scholaſticorum vniuerſitate, de errore, aut falſitate notatæ ſunt, ſed omni adhibita illis Patribus reuerentia, dumtaxat illas propoſitiones improprias, et nimis expreſſas, proinde non extendendas, ſed piè gloſſandas, et interpretandas, obſeruatum eſt.

Secunda Propoſitio ex S. Bonau. quæſt. 2. ex S. Thoma eodem loco. Licet in rebus creatis, & ſingulare indiuiduum, et forma communis, et producatur, et à producente intendatur; in Diuinis tamen, natura, eſſentia, Deitas, neque in ſe, neque in ſuppoſito producitur; ita vt æquè falſa, et damnata ſit hęc propoſitio, Eſſentia generatur, ac illa, eſſentia generat. Conſtat tribus partibus hæc propoſitio, quęlibet probanda.

Prima. Licet ex communi, et certa, et patenti Philoſophia ſingulare producatur, ſitque illud legitimus generationis terminus; congeneratur tamen, et ſimul comproducitur ſubſtantia, et forma communis, et à generante prætenditur communicari genito. Ratio potiſsima gemina eſt. Prima. Generans ſibi ſimile vult producere: ergo vult ei ſuam ſubſtantiam communicare. Secunda. Subſtantia generantis, quamuis eadem ſit in ſpecie, non tamen in numero: verè enim numeratur: ergo eam generans generat. Idem S. Thomas ad 2.

Secunda pars, quæ hoc loco potiſsimè proponitur, ferè iam expedita eſt: eadem enim ratio, & eodem cap. *Damnamus*, damnata: nam idem erat Ioachimi error. Illa res, ideſt eſſentia Diuina, non eſt generans, neque genita, neque procedens; & Conc. Tolet. 1. à Leone 1. confirmato anathemate percellitur, qui diceret Deitatem eſſe naſcibilem. Patres ijſdem locis, quibus & ſuperiorem propoſitionem indicant. Scholaſtici omnes ijſdem locis, & rationibus. D. tamen Bon. his hoc loco diſtinctis rationibus agit, & pugnat. Prima. Omne quod generatur, ab alio generatur: nihil enim ſeipſum generat: ſed Diuina eſſentia non habet alium, aut aliud diſtinctum, à quo poſsit generari: ergo. Secunda, & confirmatur. Si eſſentia generatur: ergo genita, & principiata à diſtincto realiter principio, quod abſurdiſsimum, & paradoxum eſt. Tertia. Vna in Diuinis ſubſtantia, & quod generatur de ſubſtantia generantis eſt: ergo ſeipſam eſſentiam generat, quod non minus falſum, erroneum, & repugnans eſt. Quarta. Omnis actio ad ſingolare terminatur: ergo & generatio cum ſit actio, ad ſingularem, & indiuiduam perſonam in concreto, non ad eſſẽtiam in abſtracto terminabitur. Eſt Ariſt. 1. Meth. cap. 1. *Actiones, & generationes omnes circa ſingularia*. Sed vt dicebam, ferè eædem rationes primæ propoſitionis.

Tertia pars non eſt omni iure, & omni rigore cenſenda falſa, neque omni notamine cenſuræ notanda; falſam tamen cenſent D. Thomas hoc art. ad primum. Riccardus art. 1. quæſt. 1. ad 6. Capreolus quæſt. 1. art. 1. concluſ. 3. Aureolus art. 2. & art. 4. Et Conc. Lateranenſe, & Toletanum abſolutè dicunt, eſſentiam non eſſe genitam, neque naſcibilem: ergo neque vt in Filio: tunc enim aliquo modo eſſe genita, & nata. Probatur. Eſſentia vt in Filio eſt eadem numero, quæ eſt in Patre: ergo ſicuti in Patre non eſt genita, ita neque in Filio. Conſequentia probatur. Nam ſi in Filio diceretur eſt genita per accidens: generari per accidens eſt vi generationis exiſtere, quæ prius origine non exiſtebat: ſed prius origine eſſentia quæ

eſt

eſt in Filio, exiſtebat in Patre: ergo neque per accidens generatur in Filio. Confirmatur. Nam etiam in humanis eodem modo natura communis ſic dicitur produci in ſuppoſito: ergo non eſt dicendum in Diuinis: exponeretur enim vt ſicut in humanis verè numeratur, & producitur, ſic crederetur & in Diuinis; quod tamen hæreticum eſſet. Tertiò. Si vt in Filio generatur: ergo eſſentia vt in Filio ab eſſentia vt in Patre realiter neceſſariò differret, ea neceſsitate, qua inter generans, & genitum intercedit realis diſtinctio; & tamen dogma eſt, perſonas Diuinas non eſſentia, ſed proprietatibus differre: aut eſſentia ſeipſam generaret; & ſic rediret ſupra deteſtatum paradoxum. Quartò. Eſſentia Diuina à ſe formaliſsimè eſt: ergo ei repugnat vt vllo modo producatur.

Neque oppoſitum aut vnquam ſenſit, aut docuit S. Bonau. in reſponſ. ad arg. vbi aſſerit, etiam in Diuinis generatur commune vt in hoc. Nam primò hoc ſecundo loco dixit, ſicut poſt ipſum, & Riccardus ad 6. explicata primo loco vera ſententia. Secundò, hic dicendi modus nihil aliud prætendit, quàm Filium per generationem accipere eſſentiam, quod quam verum ſit. 4. propoſitione conſtabit. Tertio addit quod huius loci maximè proprium, licet concedatur commune in Diuinis vt in hoc produci, quo Deus Deum generat, in concreto; adhuc tamen falſum eſt in abſtracto, eſſentia generatur: ergo ex D. Bonau. eo verum, commune producitur in hoc, quo verum in concreto Deus generat Deum; & eo nutum inde falſum eſſe eſſentia generatur, quo abſtracta neque generant, neque generantur. Et hæc vnica propoſitio hic verſatur ex Conc. Lateran. contra Abbatem, & hanc eſſe falſam clariſsimè concedit S. Doctor, & omnes reliqui Theologi, & ipſe S. Thomas.

Videntur tamen vrgere oppoſita argumenta ſecundo loco à S. Doctore propoſita, quæ concedit in aliquo ſenſu, & tamen contendunt eſſentiam generari: quare diſtinctè reſpondendum.

Primum erat. Motus, & generatio ad ſubſtantiam, perfectionis eſt, ex Ariſt. 5. Phyſ. text. 7. & 1. de generat. textu 18. ergo & ad Deum hoc transferendum.

Reſp. translatum quidem in Deum, & generationem Diuinam terminari primò ad ſubſtantiam, tamen ad primam, hoc eſt ad perſonam. Secundò terminatur ad ſubſtantiam, tamen in concreto, eo quod Deus generatur à Deo, ſecundum omnes, & ſecundum fidem Symboli Nicæni.

Secundum, quod iam ſolutum eſt. Generatio vera in Deo: ergo aut ad ſubſtantiam, aut ad accidens, aut ad relationem: non ad tertium, ex Ariſt. quia ad aliquid non eſt motus: non ad ſecundum, quia ibi nullum accidens: ergo ad primum, hoc eſt ad ſubſtantiam.

Reſp. terminari ad tertium, ideſt ad relationem ſubſiſtentem, quæ eſt perſona, quàm ignorauit Ariſt. & inde ad primum, ideſt ad primam ſubſtantiam.

Tertium. Motis nobis, & corruptis, mouentur, & corrumpuntur omnia, quæ in nobis ſunt: ergo & in Diuinis genita perſona generatur & ſubſtantia, quæ in ea eſt, imò quæ idem eſt cum perſona. Commune argumentum S. Thomæ, Riccardi &c.

Reſp. primò, ex vltima addita particula idem argumentum quod primum in præterita quæſt. & propoſitione, cui eadem adæquat ſolutio, quam hoc loco virtute affert S. Doctor dum diſtinguit de abſtractis, & concretis, & negat ab vno ad alterum conſequentiam. Secundò. Ideo in creaturis generatur ſubſtantia in generatione ſuppoſiti, quia plurificatur, & numeratur in ſuppoſitis: ſed in Deo cum ſit vna, eademque numero, cui repugnat multiplicari, neque poteſt generari. Itaq; ſecum argumentum S. Bonau. ſuam fert reſponſionem: & quædam huius rei imago in generationibus creatis inuenitur, in quibus licet generetur natura, & ſuppoſitum; neque tamen materia generatur, cum ſit ingenerabilis: neque ideo in Diuinis dum generat perſona, generat eſſentia, quæ cum ſit vna, quæ multiplicari non poteſt, neque generari poterit.

Quartum. Etiam in Diuinis generare eſt ſibi ſimile producere: ſed ſimilitudo tota ſita eſt in natura: ergo in productione ſimilis perſonæ producitur natura.

Reſpondet Sanctus Doctor. Concedo in concreto, dum generatur Deus, ideſt perſona Filij; nego in abſtracto, de quo hic tota diſputatio eſt. Secundò, ideo ſimilis producitur perſona, quia per generationem perſonæ communicatur natura; non tamen inde generatur natura, & eſſentia, quo vna, & immultiplicabilis.

Tertia Propoſitio ex quæſt. 2. art. 1. & ex D. Thoma 1. par. quæſt. 41. art. 3. Filius generatur de ſubſtantia Patris, & Spiritus Sanctus ſpiratur de ſubſtantia Patris & Filij: legitima, & vera, orthodoxa, & catholica propoſitio, cui quo ad rem diſputatione de generatione Filij ſatis exiſtimo factum; quo item ad formam dicendi, ſuprà cap. de hac præpoſitione *De*, & hoc eodem cap. in reſp. ad 2. vbi ſatis explicata eſt propoſitio, Filius de ſubſtantia Patris, hoc eſt de Patre qui eſt ſubſtantia, generatur, vt hac propoſitione tum perſonarum eadem ſubſtantia, tum vnius origo ab alio aſſeratur.

Probat S. Bon. Primò. Filius eſt Patri conſubſtantialis, & ab eo eſt: ergo de eius ſubſtantia generatur. Secundò. Pater generat Filium: ergo aut de aliquo, aut de nihilo: non de nihilo: tunc enim crearetur: ergo de aliquo. Non de aliquo diuerſo à ſe; nam tunc non ei eſſet conſubſtantialis: ergo de ſe, & de tota ſua ſubſtantia; aliàs ſubſtantia Diuina partiretur, & non eſſet eadem numero in tribus: ſed ſi hæc eſt res vera: ergo propoſitio hæc, Filius generatur de ſubſtantia Patris, eſt vera, & propria. Vera quidem, nam adæquatur rei quam ſignificat. Propria; nam eſt Patrum, & Conciliorum D. Aug. 15. de Trinit. c. 19. D. Damaſc. lib. 1. cap. 8. D. Anſel. in Monologio cap. 40. D. Hilar. lib. de Synodis. D. Epiphanij in Ancorato. Conc. Nycæni lib. 2. Symboli Nycæni, Synodi Alexandrinæ Epiſtola ad D. Cyrillum. D.

Atha-

Athanaſ. rompendio de Spiritu Sancto, vbi refert Patres in Nicæna Synodo de hac re ſtatuentes; quod idem referr D. Nazian. orat. 49. D. Iuſtini in expoſitione fidei de Trinit. &c.

Quarta Propoſitio ex quæſt. 4. Diuina eſſentia per generationem communicarur. Licer hoc loco potius res quàm verba quærantur, ac librentur, vtrumque tamen ſimul indagantes alterum ex altero confirmemus. Igitur veritatem hanc, non quidem generari ſubſtanriam, communicari tamen perſonis per generationem, & ſpirationem, explicat, & probat S. Doctor.

Præmitrit verò primò. Id dicitur commune, quod ex ſe indifferens eſt, vt ſit in pluribus. Deinde commune in gemino ſtatu inueniri poteſt, vt aut ſit commune, & communicabile, & in potentia, aut iam actu communicatum, & in pluribus.

Secundò. Quod eſt communicatum, aut poteſt communicari, & eſſe in pluribus, duobus modis poteſt eſſe, & fieri, aut per multorum aggregationem, aut per propagarionem. Hinc ergo Diuina natura ex ſe apra communicari; & eo magis, quò infinitè bona, non potuit communicari niſi per id, quo plurificanrur, & aggregantur indiuiduæ perſonæ: ſed hæ per generarionem, & ſpirationem producuntur, & fiunt plures: ergo per emanationes & fit in pluribus, & communicarur. Sed diſtinctè perſuadetur, & confirmatur.

Hoc modo communicatur natura in humanis: ergo multo magis in Diuinis. Probarur conſequentia. Primò. Nam *inuiſibilia Dei per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur*. Deinde quia & perfectior, & fœcundior eſt Diuina natura, vt tota detur, & tota retineatur. Denique quod hoc modo communicatur, perfectius communicatur.

Neque obeſſe poteſt quod fortaſſe opponeretur Primò. Generatio eſt principium diſtinguendi, & appropriandi quod commune erat: ergo non communicandi. Secundò. Si per generarionẽ cõmunicatur, & commune fit: ergo anre generarionem non erar commune, ſed proprium. Tandem fieri commune per generationem eſt generari: Diuina autem ſubſtantia (vt iam probarum eſt) non poteſt generari: ergo.

Non obeſt inquam, imò irerum expreſsius enucleat, & robotat iam aſſerrum. Generatio eſt quidem diſtinguendi ſuppoſitum à ſuppoſito ratio, non ramen commune, imò ſimul commune fieri actu: vtrumque enim ſimul præſtat, & vnum ſine altero fieri non poreſt. Quod ſi in creatura etiam commune diſtinguit; id per acridens euenit, ratione naturæ creatæ, finiratis, & imperfectionis. Neque commune vt ſic per generationem appropriatur, ſed in ſingulis remaner commune: neque fit commune, quod ideo primò non erat commune: fit namque commune actu, quod prius erat aptirudine; communicatur enim quod communicabile erat: neque generatur quod communicatur (falſum ſupponitur formaliter) licet communicationis ratio ſit generatio.

Scotus eadem diſt. quæſt. 1. ad arg. obſeruat, longe differre cõmunicare, & producere: producere enim facir differre realiter producens & productũ propter realem relationem, & proinde negamus eſſenriam generare. In communicatione verò relatio dumtaxat rationis requiritur, quatenus per generationem eſſenria communicatur ſuppoſito, cum eadem remaneat cum eo, à quo communicatur. Hinc quæſt. 9. arr. 2. teſte Marſilio, idem ſeipſum communicare poteſt. Denique communicare eſt in eadem eſſentia aliam perſonam producere: ſufficir ergo differentia rarionis inter quod communicat, & cui communicar.

Docuit prius in 3. ſenr. D. Bonau. hanc eandem rem, dum communicabile & incommunicabile negat contraria eſſe, ſed differre per habere, & non habere; & commune eo non diſtinguere, nec diſtingui, quo commune eſt &c.

Hæc rei veritas eſt, ſed eadem verborum quoque veritas. Nam ſi res ira ſe haber; ita quoque pronuntiari poteſt: ergo hæc propoſitio, de qua hoc vltimo loco, vera, & propria.

CAPVT X.

Multarum propoſitionum complectens ſcrutinium.

PLures hoc cap. propoſitiones colligimus explirandas; ad quædam ramen pauciora aſſerta redacta: quędam enim ſunt, quæ commune quoddam habent, in quo conueniant, & vnico aſſerto contineri, & explicari poſſunt. Sit igitur

Primum aſſertum. Perſonæ poſſunr prædicari, & verè prædicantur de nominibus eſſentialibus, vr huiuſmodi communi ex conſenſu admittanrur propoſitiones: Deus, eſſentia &c. eſt rres perſonæ, eſt Trinitas &c. quicquid in oppoſirum quidam affirmare præſumpſerinr, referente Magiſtro 1. ſenr. diſt. 4. cap. penult. nimirum Gilbertus Porretanus ex S. Thoma quæſt. 37. art. 6. Alex. 1. par. quæſt. 50. memb. 3. arr. 1. §. vlr. qui eo negar Deus eſt Trinitas, quò relationes ab eſſentia realirer diſtingui, vt non poſsint de illa affirmari, aſſerere audear.

Probatur verò quod hoc loco aſſeritur. Primò ex his, quæ ſuo loco contra Porretanum aſſerra, & congeſta ſunt. Secundò ex communi Theologorum voto: Primo enim Magiſter ſupra indicaro loco, vnum Deum, ſiue Diuinam eſſentiam eſſe rtes perſonas, ſiue Trinitarem, affirmar expreſsè. S. Bonau. 1. diſt. 4. art. 1. quæſt. 4. S. Tho. art. 6. ex titulo arriruli & reſponſionibus arguitur, quod has propoſitiones hoc aſſerto propoſiras concedar. Alex. quæſt. 5. memb. 3. art. 2. Albert. 1. par. quæſt. 51. mem. & art. 1. Riccard. in expoſit. litt. Scot. diſt. 4. quæſt. 2. Ocham. Gabr. ibidem Henric. 2. par. Sum. art. 73. quæſt. 11. Diſcipuli S. Thomæ Caietan. Torres, Vaſquez, Molina &c. Traditur à Conc. Nicæno lib. 2. *§. Sancta & Magna*, vbi per Oſium loquitur: *Diuinitas non eſt vna, ſed tres perſonæ*; & infra; *Indiuiſa*

Tri-

Trinitas eſt Pater, Filius, & Spiritus Sanctus.

Litteris mandarunt SS. Patres, D. Nazian. orat. 10 Sancta lumina. D. Damaſc. lib. 1. de fide cap. 11. Magis propriam dicunt hanc propoſitionem; Diuinitas eſt tria, quàm in tribus. Secundò, hæc propoſitio, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus eſt vna Deitas, & eſſentia; decernitur à Conc. Generali ſub Innocentio III. Cap. *Firmiter*. Vnus enim aſſeritur Deus eſt Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Tres quidem perſonæ; vna autem eſſentia. In Epiſt. Sophronij in 6. Synodo, act. 11. *Non alium vnum Deum præter tres perſonas cognoſcentes*. Frequens apud Sanctos Patres inuenitur: eam enim in veritate tradunt D. Epiphan. hæreſ. 69. D. Cyrill. lib. 12. Theſau. cap. 14. D. Auguſt. lib. 5. de Trinit. cap. 8. lib. 6. cap. 7. lib. 8. cap. 1. lib. 11. cap. 24. & innumeri alij.

Ratio verò. In illis propoſitionibus vbi ſubiectum eſt abſtractum, vt eſſentia, ſubſtantia &c. Propoſitiones ſunt veræ identicè: in illis verò vbi eſt concretum, vt Deus eſt Trinitas; etiam formaliter: nam ex adiunctis hic terminus *Deus*, & ſignificat, & ſupponit etiam pro perſonis. In quibus dicendi, & prædicandi modis intercedit hæc attentè animaduertenda differentia, quoad veritatis certitudinem. Cum enim ſubiectum eſt concretum, adeo propoſitio certa eſt, vt eam negare eſſet apertus & manifeſtus error, cap. *Firmiter* decretus. Alio verò modo ſi non negaretur identitas, vt negabat Porretanus; non eſſet manifeſtua error ex non propria, neque formali propoſitione, ſed temeritas, & erroris ſuſpicio, quia contra communem, & ad errorem Porretani accedere videretur.

Quod ſi opponeres. Si admittitur eſſentia eſt Trinitas: ergo & hæc, eſſentia eſt trina, quam tamen falſam de rigore inter alios tradunt S. Bonau. in 1. diſt. 24. art. 3. quæſt. 2. in fin. Riccard. quæſt. 1. & 2. Sed neganda eſt conſequentia, hac in primis ratione. Nam à ſubſtantiuis ad adiectiua in modo loquendi, ex ratione diuerſa ſignificandi, non idoneè infertur. Terminus *trina* cum ſit adiectiuus, ex formali ſua appellatione formaliter numerum in ipſa Deitate ponit, nequaquam verò, Trinitas: cum enim ſit ſubſtantiuus, non efficit niſi identicam veritatem. Hæc ferè communis reſponſio. Sed in primis S. Thomæ quæſt. 7. art. 5. ad 3. Scoti in 1. diſt. 5. quæſt. 1. Et colligitur ex Conc. Florent. ſeſſ. 19. *§. ad exemplum*. Vbi nomine Latinorum Ioannes Theologus ideo negat, Deitas generat; quia, inquit, Deitas eſt nomen abſtractum, quod ex ſua ſignificatione non poteſt connotare perſonam, ex communi ſententia.

Secundum aſſertum. Nomina abſtracta abſolutam eſſentiam præſeferentia, nequaquam de Diuinis perſonis numero plurium enunciare licet; vt penitus huiuſce propoſitiones ſint repellendæ, Diuinæ perſonæ ſunt tres Sapientiæ, tres potentiæ, tres vitæ &c. Eſt communis ex Magiſtro, 1. diſt. 22. cap. *ſciendum*, & cap. *Poſtremo*. Ex D. Auguſt. 5. de Trinit. cap. 6. & 8. & lib. 7. cap. 1. Omnes Scholaſtici, tum negando, tum tacendo. Liquidò conſtat ex modo ſignificandi abſtractorum: abſtracta enim huiuſmodi formam dumtaxat abſolutam, & eſſentialem ſignificant, quæ ſicuti in Deo multiplicari non poteſt; ita neque verè numero plurium enunciari. Neque id concedunt plura attributa Diuina conceſſa: neque enim in ſe, nec in perſonis multiplicantur, ſed ratione dumtaxat diſtinguuntur. Propter ſingulare myſterium Incarnationis addendum nouum aſſertum.

Tertium aſſertum. Quicquid auſerit Marſilius lib. 1. quæſt. 5. art. 2. ad 5. & ſuſius lib. 2. quæſt. 1. art. 3. dub. 2. cum Ocham, lib. 1. diſt. 12. quæſt. 2. art. 2. Gabr. in 3. diſt. 1. quæſt. 1. art. 3. & alibi ex communi, & certa Theologorum ſententia; Nomina concreta ſubſtantiuè prolata, & propoſitiones ex his conflatæ, falsò numero plurium de Diuinis perſonis affirmantur: vt tres perſonas aſſerere eſſe tres Deos, tres omnipotentes, tres Dominos ſubſtantiuè ſumptos. Sic omnes Theologi. D. Bon. loca ſunt in 1. diſt. 9. dub. 2. litt. diſt. 21. dub. 4. litt. diſt. 24. art 2. quæſt. 4. De qua re in initio tractatus huius. Omnes Patres. Symbolum D. Athanaſij. *Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus, & tamen non tres Dij &c. Dominus Pater &c. Omnipotens Pater &c. Et tamen non tres Domini &c.*

Quod verò Marſilius. Niſi impediret vſus Eccleſiæ, & Patrum, liceret in rigore ſermonis dicere tres perſonas, tres Deos; valde temerarium, & pernicioſum eſt: exponit enim fidelium mentes ad Paganiſmum, & ad multorum Deorum errorẽ, & videtur concedere ante reuelationem Eccleſiæ factam, & Patrum explicationem, Dei nomen ex ſe æquè poſſe tres Deos, ac tres perſonas ſignificare; & improprium nomen vſurpatum in Diuinis litteris Dei ad vnam Diuinitatem ſignificandam, & à Spiritu Sancto aſſumptum. Ratio omnium potiſsima. Nam ſubſtantiua nomina per modum ſubſtantiæ ſignificant; & ſubſtantia (loquor de Diuina) ſicuti per ſe eſt, & à ſe eſt; ſic à ſe vna. Ergo ita quoque ſignificanda. Impugnat hanc rationem Scotus. Optimè ſoluit Caietanus.

Quartum aſſertum. Nomina verbalia ſubſtantiua, veluti creator, opifex &c. numero plurium enunciari non poſſunt; ita vt prohibeatur aſſerere tres perſonæ ſunt tres Creatores &c. Ratio communis. Nam vis creandi eſſentialis eſt, & vnica, & in perſonis idcirco immultiplicata: in qua Diuinæ vniuntur perſonæ. Colligitur ex Diuinis literis: Eccleſiaſtici 1. *Vnus eſt altiſsimus Creator omnipotens, & Rex potens*. Iacob. 4. *Vnus eſt legiſlator, & Iudex*. In Conc. Lateran. cap. Firmiter. *Vnum vniuerſorum principium, Creator omnium*. Damaſus primus in Conc. Rom. 3. in profeſsione fidei, & Anathematiſmis aduerſus Apoll. Arrium, Sabellium &c. *Si quis non dixerit, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti vnam eſſe Diuinitatem, poteſtatem, maieſtatem, gloriam, dominationem, vnum Regnum, atq; vnam voluntatem, ac veritatem, Anathema ſit.*

Quintum

Digitized by Google

Quintum aſſertum. Propoſitiones ex nominibus adiectiuis compoſitæ, licet aliquid abſolutum ſignificantibus, verè, & legitimè plurium numero de Diuinis prędicantur perſonis. D. Epiphanius in Ancorato, *tres perſonas, tria Sancta, tria conformia, tria operantia, tria cooperantia &c.* nuncupat. D. Athanaſ. in Symb. *Tres perſonæ coæternæ ſibi ſunt, & coæquales*. Innoc. 3. cap. Firmiter. *Pater generans, Filius naſcens, Spiritus Sanctus procedens, conſubſtantiales, & coæquales, coomnipotentes, & coæterni*. In Conc. Rom. 3. Damaſ. 1. *Si quis*, inquit, *tres perſonas non dixerit veras, coæquales, ſemper viuentes, omnia viuificantes, ſaluantes &c. Anathema ſit*. Ratio prima communis omnium horum eſt Sanctorum Bonau. & Thomæ hic art. 3. Nomina adiectiua ſignificant per modum inhærentis accidentis in ſuo ſubiecto & ſuppoſito: Quo fit, vt ad multiplicationem ſuppoſitorum multiplicentur. Ergo cum tria ſint ſuppoſita Diuina, trino numero ſuo modo multiplicatæ more adiectiuorum iſtæ perfectiones prædicari poſſunt. Secunda ratio aliquorum, ſcilicet S. Bonau. diſt. 9. dub. 2. lit, S. Thomæ diſt. 9. quæſt. 1. art. 2. ad 1. Ricc. diſt. 22. quæſt. 7. Nam conſignificant Relationes, vel reales, vel rationis, vt cum æquales, ſimiles &c. dicuntur.

CAPVT XI.

De hac Propoſitione, Tres perſonæ vnius Dei.

NEgant Magiſter, D. Bonau. dub. 5. litt. diſt. 34. Aegidius, Durand. Probant Magiſter, & D. Bonau. Primò quia non eſt in vſu. Secundo, genitiuus *Dei* non habet rationē formę, ſed quaſi principij, & poſsidentis. Quo non difficile conſequitur, hac propoſitione Deum eſſe principium efficiens, & poſsidere Diuinas perſonas ad modum creaturarum: proinde ſequitur neque hanc concedendam, Deus Trinitatis: eundem enim gigneret ſenſum, quem & huiuſmodi gignunt, Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob &c. nimirum creaturarum, & inde perſonarum Trinitas Dei creaturæ viderentur. Vnde nedum Filius, & Spiritus Sanctus, more Satanico Arrianorum, ſed etiam Pater negaretur Deus, & dumtaxat Deus crederetur, & à Deo vno remoueretur Sacerrima Trinitatis veritas, & fides. Confirmatur. Nam ex D. Bonau. cit. loco, ſimiles propoſitiones dicuntur ad conuertentiam; tres perſonæ vnius Dei, & Deus trium perſonarum; quemadmodum & mulier egregiæ formæ, et forma egregiæ mulieris. Ergo ſicuti è medio tollenda, et neganda hæc propoſitio, Deus trium perſonarum, et Trinitatis, ita eius conuerſa.

Quod nequaquam euenire poteſt de hac propoſitione, Tres ſunt Dei perſonalitates: ſic enim ſolum tres rationes et formæ ſubſiſtendi Dei in tribus perſonis ſignificat, quod veriſsimum eſt.

Tres Perſonæ vnius Eſſentiæ.

VEriſsima: docent D. Bonau. eodem loco. D. Thom. 1. par. quæſt. 39. art. 1. Aegid. Durand. Ratione hac in primis vtriuſque S. Doctoris: Eſſentia enim accipitur vt forma trium perſonarum, et vt exprimens quomodo tres perſonæ ſint vnus Deus.

Præcipit Sancta fides de hac propoſitione, et decernit veritatem hanc in Concilijs Tolet. 6. can. 1. Bracarenſi 1. cap. 1. ſexta Synodo generali act. 4. in Epiſtola Agathonis Papæ. Tradit S. Auguſt. lib. 7. de Trinit. cap. vltimo, et 3. contra Maximinum.

Oculatè tamen animaduertunt Theologi, propoſitionem hanc integram, vt iacet, ſumendam in vſum, nullumque verbum prætermittendum, ita vt ſi tres perſonę eſſentiæ, aut perſonæ vnius eſſentiæ pronuntiaretur; euaderet inepta, et inſufficiens; et aut reijcienda, aut corrigenda, et integranda foret: ſi enim tres perſonæ eſſentiæ, non addito termino *vnius*, quis diceret; nihil prorſus ad rem faceret; quemadmodum ſi quis mulierem formæ aſſereret, et non adiungeret egregiæ; haud certè ſatis ſpecioſæ mulieris formam explicaret, ſed tantum formam aliquam habere, quam cæteræ mulieres habent: æquè propemodum ſi in hac propoſitione, *vnius eſſentia* non adderetur; non ſatis perſonarum Diuinarum vnitatem explicaret, ac ab illa regula S. Doct. ſupra tradita recederet. Omnes propoſitiones de Deo idoneas, nec omnimodam vnitatem vllam abſque diſtinctione, nec ſolam diſtinctionem non ſimul indicata, et aſſerta etiam vnitate, ſed vtrumque ſimul debere continere, et affirmare; alias reijciendas veluti aut Arrio, aut Sabellio fauentes.

Conſimili ratione, ſi quis depoſito numero, *Tres*, tantum perſonas vnius eſſentiæ pronunciaret; inſufficientiſsimè Trinitatis, et æqualitatis Diuinarum perſonarum myſterium exprimeret. Secus tamen eſſet relata propoſitio recta, et amplexanda foret, ſi loco eſſentiæ, aut vnius eſſentiæ, tres Deitatis perſonæ diceretur: nam certum eſt ex ſe Deitatem eſſe vnam, et termino vnius æquipollere.

Tres Perſonæ de eadem eſſentia.

EST re vera alia propoſitio, et alia diuerſa difficultas. Tradit S. Bonauent. diſt. 25. ex Magiſtro dub. 2. litt. hac præſertim ratione. Nam illa præpoſitio *Ex*, vel *De*, principij rationem præfert, et diſtinctionem inter eſſentiam, et perſonas inducit, et aſtruit; quod erroneum, et pluſquam falſum, et iam damnatum.

Eodem modo S. Thom. quæſt. 39. art. 2. ad 5. et communis ſententia. Didicerunt ex S. Aug. 7. de Trinit. cap. vlt. et eſſet idem ac eſſentia generat, aut ſpirat; quod iam vetuit Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. et refertur cap. *Damnamus*. De Summa Trinit. etc. Quod ſi legatur

Digitized by Google

apud quoſdam Patres, *eſſentia de eſſentia*; reſpondendum, ibi tum abſtractum pro concreto vſurpatum, tum eſſe propoſitionem emphaticam ad conſubſtantialitatem Filij cum Patre magis exprimendam.

Vna eſſentia trium Perſonarum.

ADmittenda, eſt D. Thomæ, & communis, & ea antiquiſsimè vſus eſt Agatho Papa; & ratio eſt, quia ſignificatur ratio formæ.

Tres Perſonæ vnius definitionis.

ADmittenda: eſt enim æquè ac ſi diceretur, Tres perſonæ vnicam habent definitionem, ſicuti & vnicam eſſentiam, quæ quemadmodum vna eſt, ita vnico verbo comprehenditur, & veluti definitur, à qua perſonæ non diſtinguuntur.

Deus eſt Trinitas.

VEra eſt contra Gilbertum Porretanum, habetur in Concilio Tolet. 11. & in epiſtola Sophronij, & D. Auguſt. ea ſæpè vtitur, præſertim lib. 5. de Trinit. & vera eſt de fide, teſte Suarez lib. 4. cap. 6. de Trinit. Si verò addatur, Deus inquantum Deus, eſt Trinitas; adhuc vera eſt, duplici ratione. Prima, ſi dictio illa *inquantum* reduplicet rationem quaſi radicalem Deitatis, & realem, & identicam. Secunda, ſi reduplicet rationem formalem, per quam conuenit prædicatum: ſicuti enim ſupra docuimus, eſt de ratione, & conceptu adæquato Diuinæ eſſentiæ: quibus conſequitur, *Deus eſt Trinitas*, eſſe propoſitionem per ſe in primo modo dicendi.

CAPVT XII.

An Pater, & Filius diligant ſe Spiritu Sancto. D.Bon. diſt. 32. quæſt. 1. & 2. S. Thom. quæſt. 37. art. 2.

HIc ſuppoſita aliàs explicata re, & rei veritate, quæritur propoſitionis veritas, quam ceu propriam & legitimam communi aſſenſu admittunt, ſuſtinent, & tuentur Theologi, & colligunt ex SS. Patribus, & ferè ſola idonea explicatione mirificè perſuadetur.

Sic vero his duabus quæſtionibus S. Bon. eam enodat, ac inde demonſtrat, & ſingula quatuor verba, ac terminos, quibus conſtructa eſt propoſitio, æqua lance librat, & ſedula diſcuſsione diſcurit. Primum verbum, *Pater, & Filius*. Secundum, *Diligunt*. Tertium, *Se*. Quartum, *Spiritu Sancto*. Primò relatis duabus extremis ſententijs, mediam hoc modo ſuſcipit, & proponit: Et incipit à verbo ſecundo loco propoſito, hoc eſt *Diligunt*: & *diligere* in primis animaduertendum, non accipiendum, vt aiunt, eſſentialiter, vt ſit quædam voluntatis, tribus perſonis communis, complacentia; verum notionaliter, quod dicat voluntatis in Patre & Filio fœcunditatem ad Spiritum Sanctum producendum, vt hanc præſeferat ſententiam: Pater & Filius mutuo, & reciproco amore nectuntur dum producunt Spiritum Sanctum; vt Spiritus Sanctus ſit amor perſonalis, quo Pater, & Filius ſe mutuo dicantur diligere dum eum ſpirant.

Probat verò primò ex SS. Patribus. D. Aug. 7. de Trinit. *Non eſt aliquis duorum, quo genitus à gignente diligitur, genitoremque ſuum diligit.* Quæ verba ex D. Aug. recenſita recipit S. Fulg. quæſt. 4. ad Ferandum. Et hinc, & ex 15. lib. de Trinit. cap. 19. prope finem, liquidò exiſtimant D. Bernardus, & Ricc. Vict. in declarationibus ad ipſum D. Bern. cap. vlt. & D. Thom. hoc art. conſtare, hanc propoſitionem, & veritatem docuiſſe Diuum Aug. tantum abeſt, vt eam in ſimili retractauerit. S. quoque Hieron. in Pſal. 13. *Spiritus Sanctus eſt amor Patris ad Filium, & Filij ad Patrem.* S. Ber. de Amore Dei cap. 7. *Amat te amabilis Domine, cum à Patre & Filio procedit Spiritus Sanctus Amor Patris ad Filium, & Filij ad Patrem, & tantus amor, vt ſit vnitas.* Ricc. de S. Vict. (licet in textu legatur Hugo) ep. ad D. Ber. *Si rectè diceres te amare amore, qui à te procedit, cur non rectè dicuntur Pater & Filius diligere amore, qui ab ipſis procedit? &c.*

Ratione, & prima inſigni, & proportione ſatis efficaci. Pater Verbo, quod à ſe per generationem procedit, ſeipſum dicit: ergo Pater, & Filius Spiritu Sancto, qui ab ipſis procedit, ſeipſos diligunt. Antecedens iam ſuo loco ſatis conſtat. Conſequentia inde patet; nam ſicuti ſe habet verbum ad dicere, ſic amor ad diligere. Explicatur vberius in reſp. ad 4. & apud D. Thom. ad 3. Confirmatur. Sicut Filius, niſi generando, non poteſt produci; ita neque Spiritus Sanctus niſi diligendo: ergo diligendo ſe Pater & Filius producunt Spiritum Sanctum, qui eſt tertia perſona, & diligendo amore, qui eſt Spiritus Sanctus: Et inde ſecundò. Amor, quo diligunt Pater, & Filius, non poteſt eſſe eſſentialis: ergo perſonalis: ergo Spiritus Sanctus, aliàs eſſent duæ perſonæ, quæ eſſent amor. Conſequentia eſt certa: nam alius amor in Diuinis non datur. Antecedens inde conſtat: nam ſi eſſet eſſentialis, conueniret & Spiritui Sancto, quocirca & ipſe amorem produceret.

Quodſi in reſponſione ad 5. videtur quoquo modo concedere eſſe eſſentialem; præter ea, quæ in hunc locum notauimus, reſpondet ipſe egregiè; connotari quidem eſſentiam quo ad creaturas eodem amore à Deo dilectas; dicere tamen intrinſecè, & in primis notionem duabus perſonis communem in ratione ſpirandi, & producendi Spiritum Sanctum.

Verum eſt tamen quod inde paucis ſupra deduximus, Patrem, & Filium amore notionali diligere etiam creaturas, & ex eis etiam tamquam ex obiecto, diminuto tamen, Spiritum Sanctum ſpirare. Ita D. Thom. hic ad 3. & de Pot. quæſt. 9. ad 15.

Digitized by Google

Et in 1. diſt. 32. quæſt. 1. toto art. 3. Hent. art. 61. quæſt. 7. Ric. art. 1. quæſt. 2. Argent. quæſt. vnica. art. 2. Marſil. quæſt. 35. art. 1. Propoſit. 5. Vaſq. diſp. 152. cap. 2. & alij. Ergo Pater & Filius, amore, qui eſt Spiritus Sanctus, ipſum producendo, propriè, & verè, non eſſentialiter, ſed notionaliter, diligunt ſe.

Neque in vllo negotium faceſſunt argumenta oppoſita. Nam ſi primò. Sicuti falſum eſt, Patrem & Filium eſſe Spiritu Sancto: ſunt enim per eſſentiam, & per notionale perſonaliter ſunt, & conſtituuntur ſingulæ perſonæ per propriam relationem; ita falſum erit diligere Spiritu Sancto Patrem & Filium. Reſpondeo enim, eſſe quidem falſum ſi eſſentialiter res ſumatur, ratione nunc relata; nequaquam tamen ſi in ſenſu notionali accipiatur, vt hucuſque demonſtratum eſt: neque tamen conſtituuntur in eſſe proprio perſonæ per hanc dilectionem; de qua nunc; imo ſupponuntur conſtitutę; ſed in eſſe diligendi &c.

Neque ſi ſecundò. Pater non eſt ſapiens ſapientia genita, vt ex communi Theologorum ſententia ſequenti cap. conſtabit; eodem modo neque vera erit, Pater et Filius diligunt ſe Spiritu Sancto, ex proportione ſapere ad Filium, & diligere ad Patrem & Filium: neganda tamen toto cœlo conſequentia, & ſimilitudo, vt infra.

Si tertiò. Si vera hæc propoſitio, Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto: ergo & hæc, Pater diligit ſe Spiritu Sancto. Nulla eſt conſequentia, eo quia Spiritus Sanctus procedit ex amore mutuo duarum perſonarum, non autem ex ſolo Patre.

Si quartò, Nulla notio reflectitur ſupra principium actus: non enim dicitur Pater generat ſe, nec ſpirat ſe: ergo neque rectè dicitur, Pater & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto notionaliter: idem enim eſt diligere, ac ſpirare. Neque vlla notio alicuius perſonæ reflectitur ſupra aliam perſonam; ergo notio diligendi, & ſpirandi Spiritum Sanctum non poteſt reflectere ſupra Patrem & Filium: ergo falſa dum dicitur, Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto.

Reſp. primò. Non reflectitur notio ſuper principium actus, tamquam terminum productum, ſed tamquam obiectum dilectum: non enim dicitur, Pater generat ſe, aut ſpirat ſe: omnino enim falſum, & paradoxum inuoluit; idoneè tamen dicitur, Pater dicit ſe, hoc eſt exprimit ſe, ſuæ Diuinę cognitionis obiectum: eadem ratione Pater & Filius diligunt ſe vt obiectum diligibile; imo diligunt & Spiritum Sanctum vt obiectum, producendo ipſum Spiritum Sanctum vt terminum: eſt enim bonus, & diligibilis: & vt ſic accuſatiuum caſum requirit. Ita D. Thom. ad 3. & hic D. Bon. ad 4. Secundò. Notio ſpirandi, ſicuti communis duabus perſonis, ita duas tangit perſonas obiectiuè: & Pater, & Filius ſe mutuo diligunt notionaliter, ſi addatur Spiritu Sancto; eſſentialiter verò ſi dumtaxat dicatur diligunt ſe; tunc enim, vt ait S. Doct. terminus *Diligere* ſe tenet eſſentialiter, & ad rem non ſpectat. Quibus deducitur in hac propoſitione quam verſamus, explicatio huius tertij termini ſe,

Si quintò. Diligere Spiritu Sancto conuenit tribus: vnaquæque enim perſona diligit Spiritu Sancto: ergo non eſt notio, ſed eſſentialis, vt tribus communis. Reſp. primò, ad formam argumenti, Et amore notionali Spiritum Sanctum diligere Spiritu Sancto, negatur: Amore verò eſſentiali, conceditur, licet impropriè, ex D. Thom. diſt. 32. quęſt. 1. art. 2. ad 4. ex Ricc. ibid. art. 1. quęſt. 1. Marſ. quæſt. 35. art. 1. propoſit. 4. Et redditur ratio, Sicuti Pater non diceretur ſapiens, niſi producere Verbum poſſet; ita neque propriè Spiritus Sanctus dicitur diligere Spiritu Sancto, cum non poſsit producere Spiritum Sanctum, dicitur tamen: terminus enim eſſentialis & notionalis idem eſt, differens tantum ratione. Sicuti Verbum penes ſuam quidditatem perſonalem reſpicit obiecta ſua, quę Pater eodem Verbo loquitur: ſic quoque Spiritus Sanctus penes ſuam formalem, ac perſonalem quidditatem debet ſua obiecta reſpicere, quę Pater & Filius eodem Spiritu Sancto diligunt. Deinde reſp. Diligere in hac propoſitione neceſsariò vt notio ſumendum: ſiue enim dicat modum ſpirandi per mutuum amorem Patris, & Filij, ſiue actum ſpirandi; vtroque modo eſt notio. Sicuti de Verbo idem veriſsimum eſt: dicitur enim Verbum à Patre dici, & generari: Per generationis vocem aſſeritur actus generandi; per *dicere* verò, modus, quo Pater generando Filium exprimit ſe, & alia quę intelligit &c. Quibus deducitur, non eſse verum quod aſſerebatur, diligere, & ſpirare eſsé omnino idem in ratione ſignificandi.

Si ſextò. Diligere iterum conuenit tribus: connotat enim creaturas, quę Spiritu Sancto & eodem amore diliguntur; ergo eſsentiale. Reſp. & negatur conſequentia in vniuerſum à D. Bonau. Nam diligere, vt dicit ſpirare præciſè, non conuenit creaturæ; & Spiritus Sanctus vt ſpiratur amore notionali, licet obiectiuè etiam ſpiretur ex creaturis dilectis; hinc tamen non conceditur quod ſpiretur ſpiratione & dilectione eſsentiali: aliud enim eſt actus productionis, aliud obiectum.

Placuit D. Bon. vt faciliori vteretur reſponſione, ſic concedere, vt ratione connotatę creaturę denominaretur hic amor, quo Spiritus Sanctus ſpiratur, eſsentialis; qui tamen ſit notionalis, ſi hęc explicatio addatur: Perſona & notio eſt Diuina eſsentia, quę vt ſic ſubſiſtit, in perſona tamen quę ideo conſtat ex eſsentia & notione, & conſequenter eſsentialia vt in perſona ſuo modo fiunt propria, & notionalia; & ſubinde Spiritu Sancto amore producto, includente etiam amorem eſsentialem, diliguntur etiam creaturæ, & ex earum amore producitur Spiritus Sanctus; ita tamen vt amor ille eſsentialis in perſona rectè dicatur notionalis. Dum ergo Sanctus Doctor aſserit amore eſsentiali tangi creaturas, interpretandus locutus de amore eſsentiali, vt in perſona.

Si denique ſeptimò. Dum aſseritur in hac propoſitione, Pater & Filius diligunt, dictio hęc ſi aſſumenda vt notio; quęritur primò pro qua notione ſumitur, aut actiua, hoc eſt pro communi vi ſpi-

Digitized by Google

ſpiratiua; aut paſsiua, nimirum pro Spiritu Sancto producto: ſed neutro modo. Non primò; nam tunc poſſet dici Pater & Filius ſpirant ſe: ſunt enim idem diligere & ſpirare hoc ſenſu, quod tamen falſum &c. Non ſecundò; nam illa notio non poteſt prædicari de Patre & Filio. Reſp. Sumenda actiuè, vt communis Patri, & Filio; neque tamen conceditur quod inde deducebatur, ex varia ratione ſignificandi *ſpirare*, & *diligere*, vt iam ſupra: diligere enim modum, ſpirate verò actum dicit. Quod idem docet S.Th.ad 3.ratione iam ſupra indicata,& proportione ad Patrem,de quo aſſeritur,dicit ſe Verbo,neq;tamen generat ſe Verbo.

Remanet ex quæſt. 2. Sancti Doctoris, & ex eodem art. S. Thom. enucleare vltimam particulam, *Spiritu Sancto* (de prima enim nihil remanet dubitandum) quod vnanimes ſolerter præſtat vterque S.Doct. ſecuti in primis Hug. de S.Vict. qui teſte S. Doct. plane & plene aſſecutus eſt hanc veritatem; licet Magiſt. difficultate territus, eam inaſſequibilem, & inſolubilem exiſtimauerit. Aſſerit igitur S. Bon. hunc ablatiuum *Spiritu Sancto* non ſatis eſſe ſumere vt ſignum, vt hunc gignat ſenſum: Spiritus Sanctus amore ſpiratus, ſignum eſt Patrem & Filium ſe ad inuicem diligere: ſic enim liceret dicere, Pater intelligit ſapientiã genita, quia Filius ſapientia genitus eſt ſignũ intelligentię Patris; quod tamen communi Theologorum voto prohibetur.

Neque ſecundo loco conceditur congruè interpretari formaliter, vt dicatur, Spiritus Sanctus eſt cauſa formalis, qua Pater, & Filius nectuntur ad diligendum fœcundè, & ſpirandum: Tunc enim ſi Spiritus Sanctus vt forma necteret Patrem & Filium,à Spiritu Sancto forma aliquid reciperent, nimirum nexum; cum tamen ipſe Spiritus Sanctus à Patre, & Filio quicquid eſt, & quicquid habet, per productionem recipiat. Ergo ſi ſumatur in ratione termini producti, & ceu effectus formalis, erit admodum congrua & pertinens ſumptio: ſic enim Pater & Filius ab eo denominabuntur diligentes: in ipſis enim exiſtit Spiritus Sanctus, non tamen inhæret quaſi accidens, aut informat quaſi forma, ſed ſubſiſtit vt vere perſona. Et hoc ſenſu admittit argumenta primo loco poſita, & interpretatur terminum ibi aſſumptum formaliter, non pro forma, ſed pro effectu, ideſt termino formali.

Probat verò ratione, & exemplo Hugonis. Sicuti idoneè quis diligere ſe, aut alium, amore à ſe procedente, & in ſeipſo remanente dicitur; eadem ratione peroptimè Pater & Filius denominabuntur ſe diligere Spiritu Sancto,amore à ſe, & in ſeipſis producto. Confirmatur alio ſæpe recenſito exemplo. Quemadmodum Pater dicit ſe Verbo optimè, hoc eſt exprimit ſe dum generat Verbum, vt Verbum ſit terminus formalis, quo Pater ipſum generando ſe dicit, & explicat; ſic propemodum Pater & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto; nam producendo Spiritum Sanctum ad inuicem nectuntur amore, vt amor ſit terminus, quo formaliter dicuntur diligere.

Eſt commune Theologorum dictum, licet in modo explicandi tantiſper differant. Ita Alex. quæſt. 43. mem. 3. art. 3. Ita Alb. quæſt. 50. m. 10. quamuis enim interpretati ſint in propoſitione hac, Pater & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto, Spiritum Sanctum ſignificare Patrem & Filium adinuicem ſe diligere, tandem tamen conceſſerunt hic Spiritum Sanctum ſignificare per modum formæ. Egregijs exemplis ediſſerit rem S. Thom. Primò. In genere aliquid denominatur formaliter, licet illud à quo, non ſit forma: ſicuti qui à veſtimento denominatur veſtitus. Secundo. Sicuti ignis dicitur caleſaciens caleſactione, actione à ſe procedente. Sicuti arbor dicitur florere formaliter floribus, à ſe tamen emiſſis; & tunc quando effectus neceſſariò includitur in actione agentis: ſic Pater & Filius dicuntur ſe diligere Spiritu Sancto, eum producendo; quemadmodum arbor aſſeritur florere flores producendo;licet neque flores ſint forma arboris,neq; Spiritus Sanctus forma Patris &c.

Plura hic obijcit Scot. ſed quia minimi ſunt momenti, & potius grammaticæ, quàm Theologicæ obiectiones, & ſæpius diſſolutæ ſunt; operepretium non exiſtimo hic diutius immorari.

An vero ſicuti Spiritu Sancto in ablatiuo, ita in accuſatiuo idoneè diceretur, Pater & Filius diligunt ſe per Spiritum Sanctum? Negant locis citatis Alex. & Alb. Concedit Mag. Innuit in ſimili D. Bonau. quæſt. 2. art. 2. ad argumenta. Nullus alius negat. Ratio peti poteſt, neque contemnenda, ex Grammaticis, cum ſit ſermo de modis dicendi: quod enim ablatiuo exprimitur, concedunt Grammatici congruè & accuſatiuo, addita præpoſitione *Per*. Confirmatur ex D. Aug. lib. 7. de Trinit. vbi dum reijcit hanc propoſitionem, Pater eſt ſapiens ſapientia genita, modo eam profert in ablatiuo, modo per accuſatiuum. Confirmatur ſecundò. Nam particula hæc *Per*, ſubauctoritatem, & originem indicat: *Omnia per ipſum facta ſunt &c.* vt alibi.

CAPVT XIII.

Pater eſt principium totius Deitatis. D. Bonau. diſt. 15. dub. 12. & diſt. 29. dub. 1. D. Thom. q. 39. ar. 5. ad vlt.

PRopoſitam propoſitionem & admittit, & tuetur S. Doctor ſua admodum idonea, & erudita explicatione, nimirum, Pater eſt principium, conſtitutum ex paternitate, & fœcunditate ſpirandi, fontale totius Deitatis, ſcilicet omnium perſonarum in Deitate emanantium: quare non ſui ipſius: non enim ipſe emanat; diſtributione tamen accomoda, totius Deitatis, omnium nempe communicationum Diuinæ eſsentiæ. Quemadmodum & Cœlum omnia continere aſseritur, ſeipſo tamen excepto.

Vox verò *totius*, cum ſimpliciſsimo non congruat totalitas, veluti partes includens; non

eſsentiæ, cuius neque Pater eſt principium, ſed perſonis additur, vt perſonarum numerum attingat, cuius numeri partes admittuntur; & promit hanc ſententiam. Eſt principium omnium emanationum, communicationum, & perſonarum procedentium.

Verum Deitatis magis propriè quàm Diuinitatitatis, ex D. Aug. in Magiſt. peracutè notat dici S. Doctor: nam aliquando emphatica quadam dicendi ratione & res creatæ ad aliquam ipſarum excellentiam inſignem explicandam, Diuinæ nuncupantur, eiſque quædam Diuinitatis nominatio tribuitur. Deitatis verò, niſi blaſphemo mendacio, nunquam.

Eadem S. Thom. recenſito loco. Pater, inquit, eſt principium totius Diuinitatis, omnium nempe perſonarum in Diuinitate. Neque oportet eſſe ſui ipſius principium, ſicuti vnus de populo eſt totius populi Rector; neque tamen diſtributione accomoda ſui ipſius. Prętetea addit non eſse incommodum ſi & totius ipſius Deitatis accipiatur Pater principium; non quia Deitatem generet, aut ſpiret, ſed quia eam generando, & ſpirando communicat, quod hoc ſenſu neque S. Bonau. negaret. Eadem Magiſter cum communiori Theologorum ſchola.

Hanc tamen propoſitionem abſolutè non eſse concedendam, contendunt Conarienſ. quæſt. 33. art. 1. & Vaſq. diſp. 189. cap. 3. Mitius Suarez lib. 8. de Trinit. cap. 3. & Molina in præſenti quæſt. art. 1. diſp. 2. continere aliquam improprietatem aſtruunt. Ego verò, vt iacet eſse impropriam, & non vſurpandam eam propoſitionem non intelligo, nec intelligere valeo, quæ apud Sanctos Patres, & Concilia ſæpe inuenitur, & frequenter aſsumitur, & quæ veram continet ſententiam, ex vtriuſque S. Doctoris explicatione: eo præſertim, quo ex eadem recenſita expoſitione mirum eſt quàm cito ruant, & omnes aduerſæ oppoſitiones euaneſcant.

Porrò D. Dionyſ. 2. de Diu. nom. *ſolum Patrem* eſse *fontem cæleſtis Trinitatis*; ſcriptis mandauit. Et infra. *A Diuinis Scripturis accepimus, Patrem quidem eſſe, vt ita dicam, fontanam Diuinitatis; Ieſum autem, & Spiritum Sanctum fœcundæ Diuinitatis (ſi ita fas eſt loqui) gemmas, ſiue germina.* S. Athanaſ. orat. contra gregales Sabellij. De Patre ait, *ſolus fons Deitatis*. Et infra. *Pater radix, & fons Filij. & Spiritus Sancti*. Et orat. 5. contra Arrianos, *Patrem eſſe principium vnum, non duo Deitatis*, & in epiſt. ad Epictetum, *Vt fons fluuius non eſt, neque è diuerſo fluuius eſt fons: vterque tamen vna & eadem aqua, quæ ex fonte in fluuium propagatur; ita ex Patre in Filium perenniter, & indiuiſim &c. nunquam tamen Deitate Filij exinanitus eſt Patris ſinus*. Item alijs verbis eadem orat. contra gregales Sabel. & Dial. 1. contra Macedonium.

D. Aug. 4. de Trinit. cap. 20. declarans illa verba Ioan. 13. *Quem ergo mittam vobis à Patre*; Oſtendit ſcilicet quod *totius Diuinitatis, vel ſi melius dicatur, Deitatis principium Pater eſt*. D. Ambr. in Symb. Apoſtol. cap. 2. *Pater origo eſt Deitatis, & bonitatis*. D. Cyril. Alex. Dialog. de Trin. lib. 3. Hieroſolimitanus Cathec. 11.

Concilia. Tolet. 6. & 11. in Confeſa. fidei: *Fons, & origo totius Diuinitatis eſt Pater*. Vormacen. in profeſs. fidei: *Pater eſt principium totius Trinitatis, nimirum perſonarum*, vt dicebat præſertim S. Bonau. Florentinum ſeſs. 23. approbat verba de re hac S. Athanaſij ſerm. de æterna Filij, & Spiritus Sancti eſsentia. Eugenius 4. ſeſs. vlt. in litteris vnionis dicit: Pater fons, & principium totius Diuinitatis.

Denique colligitur ex Diuinis litteris. Pſal. 35. *Apud te eſt fons vitæ*. Vbi Pater fons vitæ nuncupatur, quia generat Filium &c. & communicat eſsentiam, & Diuinitatem. Ita hunc locum interpretatur Concil. Nicænum lib. 2. & per Leontium Epiſcopum confirmat, Patrem eſse fontem, Filium fluuium (de quo Iſa. 66. *Ecce ego declinabo ſuper eam quaſi fluuium pacis*) Spiritum Sanctum aquam. Ioan. 7. *Flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ, hoc autem dicebat de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.*

D. Athanaſ. orat. 4. contra Arrianos de Patre accipit Hierem. 2. *Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ*. & Baruc. 3. *Relinquebatis fontem ſapientiæ*. Nazian. orat. 37. Auguſt. lib. de fide & Symbolo cap. 9. Anſel. lib. de Incarnat. cap. 7. & Epiſt. de Spiritu Sancto, mira, & fœcunda, & amplificata eloquentia, quàm accomodatè Pater nuncupetur fons reliquarum perſonarum; grauiter enucleant. Quod idem ac principium totius Diuinitatis. Quod ergo ex Diuinis litteris, nulla illata vi: quod certis, & repetitis verbis plures Patres: quod apertè ſacra ſemper docuerunt Concilia: quod denique certum continet dogma; miror inueniri viros, qui non tutè, & propriè aſſeri affirment. Non deſunt & rationes Theologicæ, hæc vna ſufficiat. Pater eſt innaſcibilis, & à nullo, & prima perſona, à qua reliquæ perſonæ producuntur, & quibus communicat ſuam totam Diuinitatem: ergo rectè, idoneè, & orthodoxè à Theologis pronuntiatur: Pater eſt principium totius Deitatis.

CAPVT XIV.

Pater non eſt ſapiens ſapientia genita. Et nouit Verbo, & in Verbo. D. Bon. quæſt. 1. art. 2. D. Tho. vbi ſupra ad 1. & in 1. diſt. 32. quæſt. 2. art. 1. &c.

EX communi & certa ſententia hæc non eſt admittenda Propoſitio. Docet, & probat S. Doct. primò ex D. Aug. qui licet eam aliquo ſenſu docuerit lib. 83. quæſtionum, quæſt. 23. eandem tamen rettactauit, & correxit lib. 1. retract. eamque ſic correctam tradidit lib. 7. de Trinit.

cap.

Digitized by Google

cap. 1. & lib. 15. cap.7. & alibi ijſdem libris. Nam primò ablatiuus hic *ſapientia genita*, aliqnam præſefert cauſæ, vel formæ, vel principij rationem, vt hunc efficiat ſenſum, Pacer eſt ſapiens ſapientia genita, nimirum Filius, qui eſt ſapientia genita, eſt aut forma, qua Pater ſapiens eſt, aut cauſa, & principium: quæ omnia pluſquam falſa, & perabſurda ſunt: tollunt enim tum perſonarum diſtinctionem, ſi ſcilicet Filius eſſet forma Patris; tum ordinem inuertunt: Filium enim Patris principium, & originem conſtituunt.

Secundò ex eodem loco. Sapientia ex ſe in humanis eſt ex ijs, quæ deforis ex obiectis per ſpecies ingrediuntur ad animam, vt docuit etiam Ariſt. libris de Anima. Ergo non recipit propoſitio illum ſenſum, vt ideo Pater dicatur ſapientia genita ſapiens, quia per ſuam ſapientiam, & intellectionem generat filium, qui eſt ſapientia & Verbum: nam ſapientia ex ſe non eſt ab anima, ſed in anima. Quod cum oppoſitum ſit de amore, cuius eſt ab anima, & volũtate egredi; hinc liquido cõſtat quare non ſit ſimile, & non teneat cõſequentia: Pater & Filius idoneè dicũtur diligere ſe Spiritu Sancto, quia Spiritus Sanctus ibi vt effectus, & terminus formalis eſt, non tamen ſapientia ſic in ſua propoſitione propoſita.

Quod & tertia ratione confirmatur. Nam amor, & Spiritus Sanctus eſt, & poteſt eſſe notionalis, ſicuti hoc loco eſt; ſapientia verò eſt neceſſariò ſumenda eſſentialis. Quod idem ſimul omnes fatentur Theologi.

Quarta ratio elicitur ex D. Aug. Pater eſt ſimpliciſsimus: ergo eſſe & ſapere in ipſo non differunt: ergo ſi ſeipſo, & per ſuam eſſentiam eſt, ſeipſo, & per eamdem eſſentiam erit ſapiens. Denique quintò. Non intellecta generatione Filij, adhuc eſt intelligere Deum ſapientem: ergo ſapientia Filij non poteſt eſſe ratio ſapientiæ Patris; neq; hoc ſenſu aſſeri, Pater eſt ſapiens ſapientia Filij. Hæc communis & certa reſponſio.

Sed pertinet duo in primis circa S. Doct. litteram & veritatem obſeruare. Primum eſt, modus, & verba, quibus S. Aug. hanc propoſitionem iam alibi conceſſam correxit, & re vera negauit. Quod idem ipſe S. Doctor dub. 3. litt. obſeruat: non enim abſolutè propoſitionem, velnti falſam negat, ac reijcit; ſed dumtaxat melius ſe dixiſſe in libris de Trinit. Quibus certe videtur, aliquo ſenſu, licet improprio, vti veram concedere propoſitionem.

Secundum. Sicuti ſuperiori cap. & quæſt. dum propoſitionem illam tuebatur S. Doct. obijcienti eam in ſimili retractaſſe S. Auguſt. reſpondebat, tum haud retractaſſe, tum ſi ille retractauit, nequaquam reliquos Patres retractaſſe: eadem ratione hic obijcere licet de hac propoſitione: quamquam enim S. Aug. eam correxerit, S. Nazianz. & Hieron. non inferioris nominis Patres, docuiſſe, ac ſuſtinuiſſe indicatur. De his Patribus S. Doct. dum ſi ubi inueniuntur hanc propoſitionem docuiſſe, exponendam, & in meliorem ſententiam gloſsandam adſtruit.

Quo ad primum S. Doct. indicato dubio litt. licet abuſiuam eſse cõparationem dicat quam indicant S. Aug. illa verba; Melius nimirum lib. 7. de Trin. quàm quæſt. 23. lib. 83. quæſtionum ſe explicuiſſe propoſitionem; abſolutè tamen oppoſitum aſserit poſteriori loco, eius quod primo loco aſseruerit: & infra paucis verbis, primo loco aliqua vera docuiſse. Quæ autem hæc vera ſint, breuibus explicandum.

Primò cum multis infra recenſendis Patribus. Sic iſthæc propoſitio tunc conceſsa ad hoc vnum contra Arrianos aſserendum, Verbi nimirum cum Patre æternitatem, & inde conſubſtantialem naturam, vt nunquam fuerit ſapiens Pater ſine Filij ſapientia, hoc eſt nunquam extiterit Pater ſine Filio, & ſine Verbo, vt Pater dum dicitur ſapiens ſapientia genita, præcisè dumtaxat durationis ſimultatem præſeferat: hoc ſenſu propoſitio veritatem inſignem complecteretur, ac verè proderet.

Secundò. Si quis interpretaretur, & ſumeret in propoſitione *Sapientia genita*, pro effectu, & termino formali; eſset quidem impropria ex communi ſapientiæ ſignificatione eſsentiali; ſententiam tamen veram contineret: Pater exercendo ſuam infinitam ſapientiam, producit ſapientiam de ſapientia, nempe Verbum. Et certum eſt apud Patres ſæpe pro Filio genito vſurpari ſapientiam, & pro notione accipi: & præſertim quia Sancti Doctoris ſolutio huius argumenti ſecundo loco non videtur admodum vrgens quod aſserit: id enim tantum de ſapientia creata, nequaquam de Diuina & increata concedendum, reſponderi poteſt.

Tertiò. Ex hoc fortaſse poterit quis hanc enucleare veritatem, quam docuit Apoſtolus 1. Cor. 1. Chriſtum eſse Dei, ideſt Patris, ſapientiam, Deiq; virtutem: qua ratione Filius Verbum à Patre procedit, gigniturque, vt per eum omnia fecerit Deus Pater. Io: 1. *Omnia per ipſum facta ſunt*, vt ſine illo factum ſit nihil. Eſt ergo ſapiens ſapientia genita: nam intellectu ſuo ſapientiſsimo generat ſapientiam; & ſapientiæ ſuæ genita ſapientia euidens ſignum, & terminus eſt. Sic primo loco eam S. Aug. interpretabatur, quod eam ipſe genuerit, qua ſapiens dicitur, ſapientiam.

Hæc inquam ſunt, mea ſententia, illa vera, quæ innuit S. Doctor; tamen hæc propoſitione impropriè, & malè, & cum aliquo erroris periculo explicata, vt ex communi Theologorum placito hæc ſit è medio tollenda propoſitio. Hæc tamen obſeruata in litteræ explicationem attendendo.

Quo ad ſecundum pauca remanent quæ dicantur, cum ferè in primo ſolutæ ſint locutiones Patrum, quæ fouere hanc propoſitionem inueniuntur, & in bonam frugem interpretatæ: iudicanda tamen quædam loca. D. Athan. orat. 3. contra Arrianos prope medium. *Quomodo Pater per Verbum omnia condiderit, ſi non ſit Verbum Patri ſuo ſua ipſius ſapientia?* Et paucis interiectis, Irrationalem, hoc eſt ſine ratione, & Verbo, inſipientem Patrem aſserit. Et orat. 2. contra gregales Sabellij circa medium. *Sapientia Patris eſt Filius, non ita vt in homine, vbi per ſa-*

Digitized by Google

pientiam nemo ſit ſapiens, ſed ex ſapienti ſapientia iſta ortum trahis. Et alibi pluribus locis. Ser. 3. de geſtis Conc. Nicæni: quem locum refert S. Thom. opuſc. contra errores Græcorum cap. 7. In Compendio de Spiritu Sancto prope finem. D. Greg. Naz. orat. 49. de fide circa medium. *Ideo ſapientia appellatur, vt nunquam Pater ſine ſapientia, hoc eſt ſine Filio, eſſe credatur.* D. Epiphan. hæreſi 67. *De Filio vita ex vita, lumen ex lumine, ſapientia ex ſapientia.* D. Baſil. lib. 2. contra Eunom. *Quàm abſurdum eſt dicere Maieſtatem Dei non habere ſplendorem, vel ſapientiam Dei?* D. Anſel. 1. Cor. 1. *Si aliquando fuit Deus ſine Filio, fuit ſine virtute, & ſapientia*, ideſt fuit infirmus, & inſipiens. D. Cyrill. lib. 22. Theſauri. *Si Chriſtus, qui eſt ſapientia, & virtus Patris, à nihilo productus ſit, neceſſe erit confiteri inſipientem aliquando, & impotentem Patrem Deum fuiſſe; poſtea verò & ſapientem, & potentem factum, quando Filius à nihilo ad eſſe productus eſt.* Ergo ex his, & plurimis alijs conſimilibus locis, quæ poſſent referri, non erit abſurdum, & inſuetum, & abſq; auctoribus dicere aliquo ſenſu, Pater eſt ſapiens ſapientia genita: eo præſertim, quo non occurrunt, neque inueniuntur loca, quibus iſti grauiſsimi Patres ſe retractauerint, quemadmodum ſolus D. Aug.

Ipſe D. Aug. adeo pertæſus primæ opinionis, & adeo ſecundam toto animo complexus lib. 6. de Trinit. cap. 1. inſurgit contra horum Patrum argumentationem ex abſurdo inde deducto. Ergo inquit, *Pater per ſe non eſt ſapiens, niſi habendo ſapientiam, quam genuit*. Quod vti abſurdiſsimum deteſtandum cenſet.

Reſpondetur primò, & conciliandus S. Aug. cum reliquis Patribus, vt illi noluerint vnquam negare, Patrem conſtitui ſapientem per eſſentialem ſapientiam, ſed ſicuti ex ſapientia Dei Patris neceſſariò ſequitur Verbi productio, Patris imago perfecta, vt idem S Aug. 15. de Trinit. cap. 11. Ita ex oppoſitio, ſi non produceret Pater Verbum, ſequeretur non habere ſapientiam, vt inferunt indicati Patres, nihilque aliud prætendunt.

Secundò ex fine, & ſcopu horum SS. Patrum idem colligitur, & eorum mens, & intentio colligenda. Toti erant contra Arrium, ad probandum Verbum Patri eſſe conſubſtantialem; vt ſi non ita res ſe haberet, neceſſariò inferretur, eo ſpatio, quo ab æterno Pater fuit ſine Verbo, ſapientia caruiſſe, qua produceret Verbum, nihil tunc curantes de huius propoſitionis propoſitæ proprietate. Aliud ergo eſt quærere, qua ſapientia Pater ſit formaliter ſapiens. Aliud, qui ſit terminus ſapientiæ in Patre productus; quæ huius productionis ratio, & neceſsitas. Aliud, quibus verbis vtrumque propriè explicandum.

Argumenta D. Bonau. oppoſita nihil difficultatis, quod explicatione indigeat, continent: ſecunda igitur explicanda propoſitio. An congrua: Pater nouit Filio, vel in Filio.

Reſp. primò. Pater eſt ſapiens in ſapientia genita, & in Verbo; congruè, & idoneè aſſeritur, & conceditur; ſi tamen prius diſtinguatur ſenſus, cum poſsit eſſe geminus. Alius, vt *in Filio* dicat quaſi ſubiectum, & hunc faciat ſenſum: Filius eſt ratio Patri cognoſcendi; & tunc eſſet falſa, ea ferè ratione, qua & ſuperior. Secundus, vt *in Filio* dicat rationem obiecti, & tunc eſt vera: eſt enim æquè ac ſi dicatur, Filius & Verbum eſt ratio, & exemplar, veluti in quo relucent omnia; ex quorum cognitione progenitum eſt. Sic S. Doctor ex reſp. ad arg. & eſt D. Aug. & reliquorum Theologorum diſt. 39. vbi de Ideis, ceu vt in Verbo omnes Ideæ, & cognoſcendarum rerum rationes continentur, & eſt ars quædam omnipotentis, & ſapientis Dei, vbi omnia nouit. Docet S. Auguſt. hoc loco relatus lib. 6. de Trinit. cap. 10.

Reſponſio autem. Pater nouit Filio; omnibus iiſdem rationibus reijcitur, quibus & prima, Pater eſt ſapiens ſapientia genita. Hinc corollaria reijcitur & hæc propoſitio, Pater, & Filius cognoſcunt omnia in Spiritu Sancto: licet enim identicè Spiritus Sanctus ſit ſufficiens obiectum, vt comprehendens omnia Diuina, cum quibus habet quidditatiuam connexionem identitatis: formaliter tamen eſt falſa; nam ratio formalis Spiritus Sancti non eſt obiectiuè repreſentare, quia non eſt Verbum.

CAPVT XV.

Pater non eſt potens potentia genita. D. Bon. quæſt. 2.

PRobatur primò omnibus illis rationibus, quibus & illa prima: Pater eſt ſapiens ſapientia genita; imò & magis. Secundò. Idem eſt eſſe potentem in Deo, & eſſe; nam potentia eſt eſſentialis: ſed Pater eſt à ſeipſo, neque à Filio habet eſſe: ergo neque potentiam. Maiorem diffusè probat diſt. 42. art. 1. quæſt. 1. Potentia appropriatur Patri; ergo Filius neque propriè, neque appropriatè poteſt dici Patris potentia: ergo hæc magis impropria, quàm illa, Pater eſt ſapiens ſapientia genita: nam ſapientia Filio appropriatur. Præterea Patrem generare, & Filium generari, ſequitur ordine intelligendi ad potentiam, qua poteſt generare Pater, & Filius generari: ergo Filius genitus non eſt potentia, qua Pater poteſt generare, & qua abſolutè potens.

Rurſus ſi aliquid obſtaret, id in primis eſſet, quia Pater omnia operatur per Verbum. Io. 1. *Omnia per ipſum facta ſunt &c.* Vt ſine ipſo nihil operari poſsit: ergo ab ipſo habet vt operetur, & ipſo potens. Sed nihil prorſus hoc obſtat, & probatur. Primò enim hæc neganda conſequentia: operatur per Verbum: ergo Verbo potens; nam per Verbum operari indicat in Verbo ſubauctoritatem ex origine: Ideo enim dicitur per Verbum operari, quia generando Verbum, tribuit Verbo operandi vim, & quicquid habet, & quicquid eſt; & non poteſt ſine Verbo operari, quia

vnica

Digitized by Google

vnica eſt operandi vis Patris, & Filij.

At verò eſſe potentem Patrem Verbo, & per Verbum, aſſerit in Verbo vim cauſæ, quaſi Verbum ſit potentiæ Patris cauſa, & à Filio operandi vim recipiat, & ſubinde eſſe; quod vt conſtat, eſt perabſurdum, & omnino falſum; & vt ſupra etiam dicebamus, Diuinarum perſonarum ordinem, & originem inuertit. Idque ex recto & more recepto huius particulæ *Per* vſu, quæ dum verbo abſoluto *eſt* additur, cauſam ſignificat, vt hic, Pater eſt potens per Verbum: dum verò verbo tranſitiuo adiungitur, vt *operatur per Verbum*, ſubauctoritatem præſefert.

Iterum neque obſtat. Rectè dicitur, & deducitur: Nouit per Filium: ergo nouit Filio. Sapiens eſt Filio: ergo pariter operatur per Filium: ergo potens Filio, ex proportione notitiæ ad ſapientiam, & operationis ad potentiam. Reſp. & totum antecedens negatur ex quæſt. c. huius art. & ſupponitur iam negatum à S. Doct. Secundò negatur analogia hæc, & proportio, & ſubinde conſequentia, ex diuerſa ratione connotandi *noſſe*, *& operari*: operari ſiquidem connotat ſubauctoritatem vnius ab alio: noſſe verò nequaquam, quia eſt in Patre ſolo, & à ſolo Patre.

Hæc S. Doctoris propoſitio, & propoſitionis explicatio, eſt etiam Ric. art. 2. quæſt. 1. ad 5. Carthuſ. tota quæſt. 4. Nec eſt qui rectè contradicat ex ſupra aſsignatis rationibus.

Sed ſubnectitur dubitatio ex reſp. ad 4. S. Doctoris. Quare ſicuti rectè communi voto, imò ex D. Io. c. dicitur, Pater operatur per Filium, cur idem non conceditur per Spiritum Sanctum? eo præſertim, quo Spiritui Sancto voluntas appropriatur, ex qua immediatè elicitur operatio.

Reſp. Nam ex D. Paulo 1. Cor. c. Filio virtus, & operatio tribuitur: eſt enim *Dei virtus &c.* & hac ratione. Nam per generationem Patris Filius recipit æqualem virtutem Patris ſpirandi Spiritum Sanctum; idcirco Dei Patris virtus nuncupatur: licet verò operetur & per Spiritum Sanctum, quia vnica trium perſonarum virtus ad extra; neque tamen ad intra: nam Pater ſolus generat; Pater & Filius ſpirant Spiritum Sanctum; Spiritus Sanctus verò nullam aliam perſonam producit; propterea per Filium diſtinctè, non verò diſtinctè per Spiritum Sanctum aſſeritur Pater operari. Addendum id præciſè docuiſſe Theologos: id enim ex D. Io. & D. Paulo locis indicatis collegerunt. D. verò Io. in primia de Filio, quia contra Cherintum, Filij Diuinitatem, & æqualitatem tuebatur.

Neque impedit quod opponebatur, Spiritui Sancto voluntatē appropriari, & operationum voluntatem eſſe principium. Non enim hic quæritur de operationis principio, ſed quaſi de principiati ſubauctoritate, & operationis cooperatione per ſubauctoritatem: neque tribuitur Spiritui Sancto voluntas, niſi ſub ea ratione, qua imitatur proprium Spiritus Sancti, quod eſt procedere à voluntate per modum amoris &c.

CAPVT XVI.

An Pater & Filius poſsint appellari Sancti & boni Spiritu Sancto, & Sanctitate ſpirata.

SI verborum Sanctorum Patrum apicibus hæreamus, non difficili negotio in hanc veniemus ſententiam concedendæ propoſitæ propoſitionis: inter alios enim Patres D. Baſil. 3. contra Eunómium. *Spiritus natura ſanctitas eſt*. Et lib. 5. cap. 8. de Spiritu Sancto loquens, *Sanctitatis Dei character eſt*. D. Aug. lib. 10. de Ciu. Dei cap. 24. *Spiritus Sanctus eſt ſanctitas amborum*. Et lib. 11. cap. 24. *Vtrum autem boni Patris, & boni Filij Spiritus Sanctus, qui ambobus communis eſt, rectè bonitas dici poſsit amborum; non audeo temerariam præcipitare ſententiam: veruntamen cum amborum dicere ſanctitatem facilius auſus fuero, non amborum quaſi qualitatem, ſed ipſam quoque ſubſtantiam, & tertiam in Trinitate Perſonam: ad hoc enim me probabilius ducit, quod cum ſit & Pater Spiritus, & Filius Spiritus, & Pater Sanctus, & Filius Sanctus; propriè tamen ipſe vocatur Spiritus Sanctus, tanquam ſanctitas ſubſtantialis, & conſubſtantialis amborum*. Verum non abſolutè concedenda propoſitio, niſi adhibita, & animaduerſa diſtinctione: & propriè loquendo non dicendum, Pater & Filius ſunt Sancti bonitate, & ſanctitate ſpirata; & eadem ratio reddenda, quæ fuit D. Aug. ſupra, dum impugnabat, Patrem non eſſe ſapientem ſapientia genita, ſed per eſſentiam: ita enim Pater, & Filius non per ſpiratam bonitatem, ſed per eſſentiam ſunt boni, & Sancti. Si verò ſumatur *Spiritu Sancto* appropriatè pro bonitate eſsentiali; erit admittenda, ex D. Aug. loco nunc recenſito.

CAPVT XVII.

An hæ duæ admittendæ propoſitiones.

Prima. An Filius naſcendo ſubſtantia ſit.
Secunda. An Filius natiuitate ſit eſſentia.

RAtio dubitandi primæ Propoſitionis. Nam ſi naſcendo ſubſtantia Deitas eſt: ergo ſubſtantia, & Deitas, & eſsentia naſcitur, & generatur, contra Concil. Lateranen. de Summa Trinit. &c. et contra omnium Theologorum ſententiam: tunc enim multiplicaretur ſubſtantia, & eſſentia Diuina, & Filius à Patre differret eſsentia, vt impiè contra Homouſion blaterabat Arrius.

Vera tamen, & legitima Propoſitio, quam accipit, & tuetur primò Magiſter diſt. 18. *§. Notandum*, quod ex D. Auguſt. 5. de Trinit. cap. 15. Filius non habet tantum naſcendo vt ſit Filius; ſed omnino vt ſit: ergo etiam vt ſit ſubſtantia: eſt

enim

Google

enim ſubſtantia. Idem aſſerit de Spiritu Sancto ſua proceſsione; & neceſſariò quidem: nam eadem prorſus eſt ratio. Animaduertit tamen, id Spiritum Sanctum non habere, quia datur in tempore: ſic enim eſſet ſubſtantia Diuina in tempore, non ab æterno. Haber ergo, quia in diebus æternitatis procedit, & ſpiratur à Patre, & Filio, & ſic eſt ſubſtantia, & eſſentia, & Deus de Deo, ſpiratione ſua paſsiua.

Idem egregiè præſtat S. Bonauentura dub. 2. litt. & addit. In ſua latitudine, & abſque limitatione (quidquid oppoſuerint quidam, ab ipſo ſine nomine tamen relati) admittendam eſse propoſitionem: hunc enim facit ſenſum legitimum, & orthodoxum; Filius naſcendo accipit à Patre per communicationem ſuæ ſubſtantiæ vt ſit ſubſtantia, & eadem.

Neque eſt vllius roboris, quod initio opponebatur: non enim ſubſtantia, quæ eſt Filius, generatur, aut naſcitur, ſed in generatione communicatur; ſicuti & in humanis, vbi non generatur natura humana, ſed homo: multo verius in Diuinis, vbi repugnat naturam multiplicari. Generatur ergo perſona, communicatur natura. In qua quidem communicatione Diuina non oritur niſi differentia rationis, cum eadem eſsentia communicet ſeipſam, neque à ſeipſa differre poſsit, vt ſuo loco explicatum eſt. Niſi in hac propoſitione velimus ſubſtantiam pro Hypoſtaſi vſurpare: tunc enim abſque vllo errore, aut abſurdo inde conſequente, verè & generatur, & multiplicatur ſubſtantia, hoc eſt perſona.

De ſecunda verò propoſitione adeo dubitat Magiſter eodem tex. & §. vt eam prorſus reijciat, & tanquam falſam prohibeat: nam licet & Filius naſcendo accipiat per communicationem eſſentiam; neque tamen natiuitate eſt eſſentia: non enim Pater eo Pater, quo Deus: neque Filius eo Filius, quo Deus: ergo non generatione Deus, & eſſentia Diuina. Et ex D. Aug. conſtat lib. 7. de Trinit. cap. 2. His nominibus relatiua eorum extenduntur, non eſſentia.

Quod ſi oppoſitum viſus ſit innuiſſe D. Hilarius 5. de Trinit. in fine illis verbis: *Non per deriuationem ex Deo Deus eſt, ſed ex virtute natura in eadem natura natiuitate ſubſiſtit Filius &c.* (eſt enim Deus Filius per naturam Diuinam communicatam, non tantum ratione præciſa ſolius relatiuæ generationis) conatur in ſuam interpretari ſententiam illa verba *ex virtute natura &c.* hoc modo; ea Patre, qui eſt virtus ingenita, Naturam, quam habet eandem Filius natiuitate, ideſt naſcendo, & Spiritus Sanctus proceſſione, ideſt procedendo, habet &c.

Sed & hanc propoſitionem verum complecti ſenſum, ſi explicetur, nec contradicere Magiſtrum, docet S. Bonauen. dub. 3. litt. Poteſt illa vox *natiuitate*, Filius natiuitate eſt eſſentia, aut in ratione formæ, & ſic eſt falſa, quia natiuitas non eſt cauſa formalis prædicati eſſentialis. Aut in ratione principij, & tunc vera eſt: omnia enim, quæ habet Filius, per natiuitatis originem habet, & inde eſſentiam. Primo modo rectè negauit Magiſter. Secundo modo idoneè aſſerimus nos, & propoſitionem amplectimur.

CAPVT XVIII.

Filius dicitur & eſt imago Patris etiam in ſpirando Spiritu Sancto.

REnuntiant hanc propoſitionem S. Tho. art. 2. quæſt. 35. & opuſc. 1. contra errores Græcorum, & Albert. 1. par. quæſt. 31. mem. 1. & alij recentiores, ratione, aut potius auctoritate S. Auguſt. 5. de Trinit. cap. 6. *Nam per relationes non dicitur nec æqualis, nec inæqualis Filius, ſed per ſubſtantiam eandem.* Verum à Didaco de Montoia diſput. 64. ſect. 4. aliæ adinuentæ ſunt rationes ad hanc obruendam propoſitionem, ne repellendam dicam.

Prima. Si quidditas imaginis Filij poſtulat ſimilitudinem cum Patre in ſpiratione actiua, ſequitur Filium non eſſe perfectiſsimam imaginem, quia non eſt ſimilis Patri in generatione actiua, & primitate perſonæ.

Secunda. Inuoluit contradictionem, imaginem eſſe omnino ſimilem exemplari, etiam in proprietatibus relatiuis: hoc enim omnem tollit diſtinctionem inter Patrem, & Filium: quam tamen ſupponit imaginis relatio. Si enim vndequaque eſt ſimilis: ergo exemplar & Pater: & tamen imago exprimitur ex Patre, & originem trahit.

Tertia. Tota ratio in Filio eſt vt procedat vt Verbum perfectiſsimè exprimens, & repræſentans ſuum principium, & obiectum, in quo ſigno adhuc nulla eſt ratio ſpirationis: ergo in illo ſigno non poteſt eſſe ratio ſpirationis: conſequitur enim ratio ſpirandi ad Verbum, & imaginem, & ſupponit iam perſonam conſtitutam Filij ſpirantis.

Eandem verò propoſitionem affirmat, & amplectitur Riccard. de Sancto Victore lib. 6. de Trinit. cap. 11. & cap. 18. vſque ad 21. hac ex multis in primis ductus ratione. Ideo Verbum procedit vt imago, quia procedit vt ſimile, nedum quoad rationes eſſentialium, & abſolutarum perfectionum, ſed etiam ſimul quoad vim ſpirandi Spiritum Sanctum: quocirca Spiritus Sanctus non ſpiratur vt ſimilis, quia cum fœcunditate actiua ſpirandi non ſpiratur.

Eandem retinuerunt, & profeſsi ſunt Alexan. 1. par. quæſt. 62. mem. 3. art. 2. S. Bonau. 1. ſent. diſt. 31. art. 1. quæſt. 2. Quod hoc ferè modo probat: vt enim perſuadeat, ſolum Filium, non autem Spiritum Sanctum procedere vt imaginem; hoc geminum aſſumit medium. Primum eſt modus emanandi: nam per modum naturæ: generatur enim: ergo Filius: ergo ſimilis: ergo imago; ſed filiatio, & ſimilitudo, & imago eſt ſumma, & infinita: ergo vna, & ſola: ergo ſolus Filius, non Spiritus Sanctus, eſt imago. Secundum medium. Imago in Diuinis eſt imitatio perſonæ, non eſſentiæ: Filius enim eſt imago Patris, non Diuinæ eſſentiæ: ſed Pater ſpirat Spiritum Sanctum: ergo

ergo & Filius etiam in hoc imitatur Patrem, & eſt eius imago.

Probatur præterea. Diuinæ perſonæ dicuntur ad inuicem ſimiles, & æquales, quia ſunt conſubſtantiales, & conueniunt in identitate naturæ, diſtinctæ tamen relatione reali, & docent omnes Theologi: & hinc non deſunt doctiſsimi, & claſſimi viri, qui hac ratione relationes æqualitatis, & ſimilitudines tuentur eſſe reales: ergo Pater, & Filius poſſunt, & debent dici ſimiles, quia identitate notionis ſpiratiuæ conueniunt, & vnum principium dicuntur: & eo præſertim, quo identitas non eſt ipſa ſimilitudinis relatio, ſed fundamentum.

Itidem Filius vt Filius habet à Patre vt ſit ipſius Patris imago, accipit à Patre per generationem vt ſpiret: ergo vt Filius eſt imago ſpirantis. Probatur. Quidquid eſt, & habet Filius, habet, & accipit per generationem, & quidquid per generationem accipit, ad Filium formaliter pertinet: ergo ad Filium pertinet ſpirare: ſed Filius eſt formaliter imago: ergo & vt ſpirans.

Ad locum S. Auguſt. quod eſt fundamentum S. Thom. ſi rectè interpretemur, conciliabimus & S. Thomam. Verba S. Auguſt. ſunt. *Secundum quid ſit aqualis Patri Filius, vtrum ſecundum id, quod dicitur ad ſe, an ſecundum quod ad Patrem dicitur? non enim ſecundum quod dicitur ad Patrem: quoniam ad Patrem dicitur Filius, ille autem non Filius, ſed Pater eſt.* Vbi apertiſsimum eſt, non de quacumque relatione loqui, ſed de oppoſita: nos autem de ea relatione, in qua non opponuntur, ſed conueniunt Pater & Filius: & adeo certum eſt conuenire in hac notione, vt ſi non conuenirent in ea, ſed differrent; differrent quoque eſſentia, teſte Concilio Florent. ſeſſ. iam aliàs relata. Præterquamquod adhuc poſſem inſtare. Filius vt imago opponitur Patri relatiuè, & tamen vt imago dicitur ſimilis: ergo etiam per relationem oppoſitam Filius eſt ſimilis Patri.

Ad primam rationem neganda omnino ſequela. Nam nulla ratione rei perfectioni detrahitur, ſi res non habet quod ei repugnat: imò ſi haberet, detraheret, & ipſius eſſe conturbaret, & tolleret; vt in caſu, ſi Filius Dei eſſet adeo ſimilis Patri, vt eſſet Pater; non tunc eſſet Filius, & implicaret contradictionem: Similitudo enim, & imago ſupponit diſtinctas perſonas; hæc verò ſimilitudo, quam deducit aduerſarius, verè tollit diſtinctionem perſonæ: nos autem hic non de relatione oppoſita, & diſtinguente, ſed de communi vtrique perſonæ, & nectente, ex qua nullum ex relatis abſurdis ſequitur, aut ſequi poteſt. Duo igitur negantur. Primum, ideò Filium eſſe imperfectam imaginem, quia non eſt ſimilis in Paternitate, quia hoc ei repugnat. Secundum, eſſe eandem rationem de notione ſpiratiua in Patre, & Filio, ac de alijs notionibus.

Ad ſecundam. Negat hic Theologus quod non aſſeritur, & refutat quod non obijcitur. Nos non dicimus, ad perfectiſsimam æqualitatis Filij imaginem debere Filium eſſe æqualem in omnibus proprietatibus, ſed dumtaxat in his, quæ ſeruata diſtinctione perſonarum, non repugnant, ſed conueniunt, nimirum in notione, & vi ſpiratiua. Quare negandum illud ſuppoſitum, & illa aſſerta implicatio.

Ad tertiam. Reſpondeo primò, ratione hac non impugnari S. Bonauenturam: teſtatur enim ipſe de Montoia S. Doctorem loqui conſequenter, & ad Verbum, & imaginem Verbi conſequi eſſe imaginem in ſpirando. Secundò. Hæc ſigna eſſe ratiocinationis humanæ, inadæquatè, & conciſè Diuinas res concipientis; ſed à parte rei eodem inſtanti æternitatis primam perſonam eſſe fœcundam ad generandum, et ſpirandum, et actu generare, et ſpirare; et de ratione primæ perſonæ, vt vtraque fœcunditate conſtet; et de ratione huius Verbi geniti, et Filij, vt cum hac ſpirandi vi generetur. Et licet in præciſa ratione Filij filiatione conſtituatur perſona: in ratione autem perſonæ huius Filij completa, conſtituitur etiam per hanc fœcunditatem: ſola enim filiatione ſecunda perſona non eſt conſtituta niſi in ordine ad Patrem; non ad Spiritum Sanctum, niſi per hanc actiuam ſpirationem. Quibus addo, et repeto quod ſupra indicaui. Filius in generatione accipit vim ſpirandi actiuè: ergo ad Filium vt ſic ſpectat ſpirare.

CAPVT XIX.

An Filius ſit ſapiens ſapientia genita, & Spiritus Sanctus ſanctitate ſpirata.

Reſpondetur. Sicuti Pater non eſt ſapiens ſapiētia genita, vt iam antea, neq; ingenita, quo ingenitū eſſe dicit proprietatē perſonalem, ſed ſapientia ingenita eſſentiali: eadem ratione Filius neque ſapientia ingenita, neque genita eſt ſapiens, ſed eſſentiali. Niſi dictum quis vellet interpretari, quemadmodum D. Bon. dub. 4. litt. huius d. ſt. his verbis. Ablatiuus ille *ſapientia genita* aut teneturformaliter, aut originaliter: ſi primo modo, Filius eſt ſapiens ſapientia genita. & Pater ſapientia ingenita: Si ſecundo modo, Filius eſt ſapiens ſapientia ingenita: eſt enim ſapientia genita de ſapientia ingenita. Et dub. 5. litt. valde eruditè. In ſapientia duo ſunt conſideranda, ſcilicet ſignificatum, & ſuppoſitum. Significatum eſt eſſentia, ſuppoſitum eſt perſona. Cum dicimus ergo ſapientiam genitam, & ingenitam, dicimus ſuppoſitum, non ſignificatum; nimirum numeramus & diſtinguimus perſonas, & ſignificamus eamdem, & vnam ſapientiam, ſicut vna eſt eſſentia, diuerſo tamen modo in diuerſis perſonis: in Patre ingenitam, & in Filio genitam. Et dub. 2. Sapientia, inquit, eſt de nominibus medijs, quæ nata ſunt ſupponere pro perſona (dicit nominibus mediis, quæ non ſunt omni abſtractione abſtracta) Sicut igitur dicitur Deus de Deo, & Deus genitus, & ingenitus; ita eadem ratione ſapientia,

pientia, non tamen ita propriè, quia eſt quodamodo nomen abſtractum &c. Quibus locis, & modis mirificè explicat quibus itidem modis, & quot, & quo ſenſu, & qua proprietate vera ſit, & propria hæc propoſitio. D. quoque Thom. plures ſimiles refert modos diſt. 32. q. 2. art. 2. Ex Magiſtro hic cap. *Poſthac*. Eadem explicatio de perſona, & bonitate ſpirata.

CAPVT VLTIMVM.

An Spiritus Sanctus cognoſcat omnia in Verbo.

Ratio dubitandi. Nam quæ Verbum repræſentat, cuicumque perſonæ repræſentare debet. Non abſolutè reijcienda Propoſitio: non ea tamen proprietate de Spiritu Sancto, qua de Patre: repræſentat enim Verbum Patri, quia terminus Patris intellectionis, non quia intellectio Spiritus Sancti.

Plures alias huc poſsem referre, & conferre propoſitiones; ſed ſuis locis ſparſim per tractatus propoſitæ, et explicatæ ſunt. Hæc igitur ſufficiant ad gloriam Patris, et Filij, et Spiritus Sancti. Amen

LAVS DEO.

INDEX AVCTORITATVM
SACRAE SCRIPTVRAE,

Quæ in hoc Tractatu de modis dicendi continentur, & aliquo modo explicantur.

Ex Geneſi.

Cap. 1. 1. *In principio creauit Deus cælum & terram* 3. 4. 19.
10. *Vidit Deus quod eſſet bonum.* 19.
26. *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram.* 21.
Cap. 3. 5. *Eritis ſicut Dij, ſcientes, &c.* 3. 4.
22. *Ecce Adam quaſi vnus ex nobis factus eſt.* 5.
Cap. 20. 13. *Poſtquam eduxit me Deus de domo Patris mei.* 19.
Cap 35. 7. *Ibi enim apparuit ei Deus, &c. ibid.*

Ex Exodo.

Cap. 3. 13. *Ecce ego vadam ad filios Iſrael, & dicam eis: Deus patrum veſtrorum miſit me ad vos. Si dixerint mihi: Quod eſt nomen eius? quid dicam eis? Dixit Deus ad Moyſen; Ego ſum qui ſum. Sic dices filijs Iſrael: Qui eſt miſit me ad vos.* 6. 13. *ſed fuſius à* 21. *vſque ad* 25.
15. *Hoc nomen mihi eſt in æternum, & hoc memoriale meum in generationem, & generationem.* 23.

Ex Deuteronomio.

Cap. 6. 4. *Audi Iſrael, Dominus Deus noſter, Deus vnus eſt.* 19. 49.
Cap 32. 39. *Videte quod ego ſim ſolus, & non ſit alius Deus præter me.* 34. *& ſeq.*

Ex Ioſue.

Cap. 24. 19. *Deus enim Sanctus, & fortis, &c.* 19.

Ex lib. Iudicum.

Cap. 13. 18. *Cur quæris nomen meum, quod eſt mirabile?* 23.

Ex lib. 2. Regum.

Cap. 7. 23. *Quæ eſt autem, vt populus tuus Iſrael, gens in terra, propter quam iuit Deus vt redimeret eam ſibi in populum.* 19.

Ex Eſther.

Cap. 13. 9. *Domine Rex omnipotens, in ditione tua cuncta ſunt poſita, & non eſt qui poſſit tuæ, reſiſtere voluntati.* 31.

Ex Iob.

Cap 9. 8. *Qui extendit cœlos ſolus.* 34.
Cap. 12. 4. *Inuocabit Deum, & exaudiet eum.* 19.
Cap. 36. 2. *Adhuc habeo quod pro Deo loquar. ibid.*

Ex Pſalmis.

Pſal. 8. 6. *Minuiſti eum paulominus ab Angelis.* 19.
Pſal. 17. 30 *Quoniam in te eripiar à tentatione, & in Deo meo tranſgrediar murum.* 31.
Pſal. 44. 1. *Eructauit cor meum verbum bonum.* 18.
8. *Propterea vnxit te Deus, Deus tuus, &c.* 1.
Pſal. 61. 12. *Semel locutus eſt Deus, duo hæc audiui, &c.* 13.
Pſal 66. 8. *Benedicat nos Deus, Deus noſter, benedicat nos Deus.* 1.
Pſal. 82. 19. *Tu ſolus Altiſſimus in omni terra.* 34.
Pſal. 109 3. *Ex vtero ante luciferum genui te.* 32.
Pſal. 110. 2. *Magna opera Domini, exquiſita in omnes voluntates eius.* 21.

Ex Prouerbijs.

Cap. 30. 4. *Quod eſt nomen eius, & quod nomen Filij eius? ſi noſti.* 23.

Ex Eccleſiaſtico.

Cap. 1. 8. *Vnus eſt Altiſſimus, creator omnipotens, & Rex potens.* 59.
Cap. 24. 5 *Ego ex ore Altiſſimi prodiui primogenita, &c.* 32.

Ex Iſaiæ.

Cap. 37. 20. *Tu es Dominus ſolus.* 34.
Cap. 44. 24. *Ego ſum Dominus faciens omnia, extendens cœlos ſolus, ſtabiliens terram & nullus mecum. ibid.*
Cap 45. 18. *Ego Dominus, & non eſt alius.* 49.
22. *Ego Deus, & non eſt alius. ibid.*
Cap. 66. 12 *Ecce ego declinabo ſuper eam quaſi fluuium pacis.* 64.

Ex Ieremiæ.

Cap. 2. 13. *Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ.* 64.
Cap. 23. 22. *Si ſtetiſſent in conſilio meo, &c.* 17. *& ſeq. diffuſè explicantur.*

Ex Barucch.

Cap. 3. 12. *Dereliquiſti fontem ſapientiæ.* 64.
36. *Hic eſt Deus noſter, & non æſtimabitur alius aduerſus eum.* 49.

Ex Oſea.

Cap. 12. 10. *Et ego viſionem multiplicaui, & in manu Prophetarum aſſimilatus ſum.* 18.

Ex Habacuc.

Cap. 1. 11. *Hæc eſt fortitudo eius Dei ſui.* 19.
Cap 3. 3. *Deus ab Auſtro veniet. ibid.*

Ex Matthæo.

Cap. 1. 20. *Quod enim in ea natum eſt, de Spiritu Sancto eſt.* 31. *& ſeq.*
21. *Vocabis nomen eius Ieſum: ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* 4.
Cap. 11. 27. *Nemo nouit Filium, niſi Pater, neque Patrem quis nouit, niſi Filius, &c.* 26. 36.

Ex Marco.

Cap. 10. 18. *Nemo bonus, niſi vnus Deus* 34. 37.

Ex Luca.

Cap. 18. 19. *Nemo bonus, niſi ſolus Deus.* 23. 34. 37.

Ex

Digitized by Google

Ex Ioanne.

Cap. 1. 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum.* 9. 33 37.
3. *Omnia per ipſum facta ſunt.* 29. & *ſeq.* 63. 65. & *ſeq.*
18. *Vnigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit.* 26.
Cap. 3. 16. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret.* 37.
21. *Vt manifeſtentur opera eius, quia in Deo ſunt facta.* 31.
Cap. 5. 23. *Alius eſt, qui teſtimonium perhibet de me.* 27.
Cap. 6. 46. *Non quia Patrem vidit quiſquam, niſi is, qui eſt à Deo, hic vidit Patrem.* 36.
58. *Sicut miſit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem.* 33.
Cap. 7. 38. *Qui credit in me ſicut dicit ſcriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ: hoc autem dicebat de ſpiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* 64.
Cap. 8. 29. *Qui me miſit, mecum eſt, & non reliquit me ſolum.* 35. & *ſeq.*
Cap. 10. 30. *Ego & Pater vnum ſumus.* 11. 42.
38. *Vt cognoſcatis, & credatis, quia Pater in me eſt, & ego in Patre.* 26.
Cap. 14. 10. *Non creditis quia ego in Patre, & Pater in me eſt?* 26. 36.
16. *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis.* 27. 49.
28. *Si diligeretis me, gauderetis vtique quia vado ad Patrem, quia Pater maior me eſt.* 30.
Cap. 15. 5. *Quia ſine me nihil poteſtis facere.* 18.
26. *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre.* 64.
Spiritum veritatis, qui à Patre procedit. 26.
Cap. 16. 27. *Quia ego à Deo exiui. Exiui à Patre, &c.* 33.
32. *Et non ſum ſolus, quia Pater mecum eſt.* 35. & *ſeq.*
Cap. 17. 3. *Hæc eſt autem vita æterna, vt cognoſcant te, ſolum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.* 34. 36.

Ex Act. Apoſtolorum.

Cap. 17. 28. *In ipſo enim viuimus, & mouemur, & ſumus.* 31.

Ex Epiſt. ad Romanos.

Cap. 1. 5. *Per quem accepimus gratiam, & Apoſtolatum, &c.* 30.
8. *Primum quidem gratias ago Deo meo per Ieſum Chriſtum, &c.* ibid.
20. *Inuiſibilia enim ipſius à creatura mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur.* 52.
Cap. 5. 1. *Iuſtificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.* 30.
Cap. 6. 4. *Vt quomodo Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam Patris.* ibid.
Cap. 11. 36. *Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia.* 31. & 32.
Cap. 16. 27. *Soli ſapienti Deo per Ieſum Chriſtum, &c.* 34. 36.

Ex Epiſt. 1. ad Corinthios.

Cap. 1. 9. *Fidelis Deus per quem vocati eſtis in ſocietatem filij eius.* 30.
18. *Iis autem, qui ſalui fiunt, id eſt nobis, Dei virtus eſt.* 67.
Cap. 2. 10. *Nobis autem reuelauit Deus per Spiritum ſuũ.* 30.
11. *Ita & quæ Dei ſunt, nemo cognouit, niſi Spiritus Dei.* 36.
Cap. 3. 11. *Fundamentum enim aliud nemo poteſt ponere, præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus.* 18.
Cap. 8. 6. *Vnus Deus Pater, ex quo omnia, & nos in illum, & vnus Dominus Ieſus Chriſtus, per quem omnia, & nos per ipſum.* 30. & *ſeq.*
Cap. 11. 3. *Caput verò Chriſti Deus.* 39.
Cap. 12. 8. *Alij quidem per Spiritum datur ſermo ſapientiæ, &c.* 30.

Ex Epiſt. ad Galatas.

Cap. 4. 6. *Quoniam autem eſtis filij, miſit Deus Spiritum filij ſui in corda veſtra, &c.*
7. *Quod ſi filius, & heres per Deum.* 30.
Cap. 4. 8. *Sed tunc quidem ignorantes Deum, ijs, qui natura non ſunt Dij, ſeruiebatis.* 5.
Cap. 6. 8. *Qui autem ſeminat in Spiritu, de ſpiritu metet vitam æternam.* 31.

Ex Epiſt. ad Epheſios.

Cap. 1. 1. *Paulus Apoſtolus Ieſu Chriſti per voluntatem Dei,* 30.

Ex Epiſt. ad Coloſſenſes.

Cap. 1. 16. *Omnia per ipſum, & in ipſo creata ſunt.* 30.
Cap. 2. 9. *Quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter.* 26.

Ex Epiſt. 1. ad Timotheum.

Cap. 1. 17. *Regi autem ſeculorum immortali, inuiſibili, ſoli Deo honor, & gloria in ſecula ſeculorum Amen.* 1. 34. 36. & *ſeq.*
Cap. 6. 15. *Beatus & ſolus potens Rex regum, & Dominus dominantium, qui ſolus habet immortalitatem.* 34. 36.

Ex Epiſt. 2. ad Timotheum.

Cap. 1. 14. *Bonum depoſitum cuſtodi per Spiritum Sanctum, qui habitat in nobis.* 30.

Ex Epiſt. ad Hebræos.

Cap. 1. 2. *Per quem fecit & ſecula.* 29.
3. *Qui cum ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius.* 6.
6. *Et adorent eum omnes Angeli Dei.* 19.
Cap. 2. 10. *Decebat enim eum, propter quem omnia, & per quem omnia, &c.* 30.

Ex Epiſt. B. Iacobi.

Cap. 4. 12. *Vnus eſt legiſlator, & Iudex, qui poteſt perdere, & liberare.* 59.

Ex Epiſt. 2. B. Petri.

Cap. 1. 4. *Vt per hæc efficiamini Diuinæ conſortes naturæ.* 6.

Ex Epiſt. 1. B. Ioannis.

Cap. 3. 14. *Qui non diligit, manet in morte.* 18.
Cap. 4. 16. *Deus charitas eſt, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* ibid.
Cap. 5. 7. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres vnum ſunt.* 11. 37.

Ex Epiſt. cath. B. Iudæ.

5. *Quoniam Ieſus populum de terra Ægypti ſaluans.* 24.

IN-

INDEX RERVM NOTABILIVM.

Primus numerus eſt foliorum, ſecundus columnarum.

A

A & ab dicit habitudinem cauſæ, ſed non conſubſtantialitatem, fol. 32. col. 1.
Alius maſculinè, & adiectiuè ſumptus de perſonis diſtinctis dicitur, & opponitur termino idem. 26.2. & 27.2
Aliud ſubſtantiuè de Diuinis perſonis non rectè dicitur ex Concilio Later. c. Damnamus, ſignificat enim eſſentiam. 27.2
Aliud adiectiuè acceptum, admittitur, vt aliud ſuppoſitum. ibid.
Alter, & alterum, eadem ratione, ſicut alius, & aliud. ibid.
Alienum, & alteratum, indiſtinctè prolata de Deo, non conceduntur. Si tamen perſonis adiungantur aliquando apud Patres inueniuntur, & & ſolam diſtinctionem præſeferunt. 28.1
Apud, ſi ſubſtantiuè ſumatur, modum Diuinæ eſſentiæ dicit, & rectè: ſi adiectiuè, perſonarum diſtinctionem; & originem. 32.1
Auctor relatiuè dicitur Pater Filij, & Pater, & Filius Spiritus Sancti. 40.1. & 2

B

Beſod, vox Hæbræa, ſecretum, conſilium, Sermonem, ſubſtantiam, & ſubſiſtentiam ſignificat. 17.2
Bonitas duplex, vel bonitatis duplex ratio: alia integrans, & conſtituens, & abſoluta: alia obiectiua, appetibilis, & relatiua. 23.2
Bonum conuertibile cum ente, & fruibile. ibid.
Bonum, primarium Dei nomen, in Deitate ipſum conſtituens. ibidem. ex D. Areopagita, & ſupra in alio Indice notatum.
Bonum omnimodam perfectionem, & vndequaque infinitam, & illimitatam comprehendit. ex D. Bonau. ibid.

C

Cathegorema ſignificat ſuppoſitum habens formam quocumque modo. 34.1. & 2
Cauſa de Diuinis perſonis non admittitur, neque à Patribus latinis, neque ab vniuerſa ſchola, vt rectè non dicatur. Pater eſt cauſa Filij, & Pater, & Filius Spiritus Sancti. 39.1. & 2
Cauſam tamen Græcos de iiſdem perſonis admittentes non reprehendit Eugenius quartus in Concilio Florentino: neque Patres Latini prohibent. ibid. 2
Cauſa, ſi vteretur latinus Doctor; non de alio redarguendus eſſet, niſi quia ita non propriè loqueretur. ibid.
Circumincesſio eſt nomen vſu acceptum in ſchola, & apud Patres, & intus perſonarum inhabitationem ſignificat, & vnam perſonam in altera exiſtere & ratione eſſentiæ, & relationis. 26.1. & 2
Concreta nomina prædicantur in Diuinis iuxta numerum formarum ſubſtantialium. 45. 2. & 46. 1
Confuſum, hoc nomen non admittitur in Diuinis. 28.2
Cum, conſociationem dicit. 30.1
Cum, in Diuinis perſonis conſubſtantialitatem, & æqualitatem ſignificat. ibid.

D

De, Præpoſitio hæc idoneè de Deo, & Diuinis perſonis prædicatur. 31.1. & 32.2
Diuerſus, diuiſus, & ſeparatus ad diſtinguendas Diuinas perſonas prohibentur a DD. Auguſt. Leon. Fulgent. Bonau. & Thom. & eſt communior vſus. 28.1
Deus ex ſe, tam Naturam, quàm perſonam ſignificat. 1. 1
Deus ex ſe pro eſſentia, ex adiuncto pro perſona. ibi. 2
Deus pro qualibet perſona, quæ diſtinguitur ex adiuncto. ibid.
Deus eſt terminus communis, & diſcretus 1. 1. & ſoli Deo conuenit.
Deus ſupponit pro Deitate in concreto ſumpta, in ſuppoſitis exiſtente, & pro perſona ex adiuncto ſignata. 2.1
Deus ex ratiocinatione noſtra primò pro eſſentia conceptu imperfecto: ſecundò, pro perſonis in communi: tertiò, conceptu adæquato pro diſtinctis perſonis. 3.1
Deus Diuinam naturam ſignificans, nulla ratione numero plurium poteſt pronuntiari, nec flecti in Idiomate latino, & admodum probabile, neque in Hæbreo. 3.2. & 4.1. & 20.1. & 2.
Non debet puerorum magiſtris in grammaticæ regulis concedi, vt doceant, ſi Dijs placet, elegantiæ gratia. 4.1
Illa loca Geneſis, Eritis ſicut Dij, & ecce Adam quaſi vnus ex nobis factus eſt, explicantur. ibid. 2. & 5.1
Deus eſt Trinitas. 61.1

Deus hic eſt hic Deus, An ſit vera. 44.1.& 2
Deus generat Deum. vera. 45.1
Deus non generat. falſa. 46.1.& 2
Deus generat ſe. falſa. 49.1.
Deus generat alium. Vera. ibid.
Deus generat alium Deum. falſa. 48.& ſeq.
Deus generat ſeipſum. 48.2.50.1
Deus generat alium ſe. vera. 49.1. & 2
Deus diſtinguitur à ſe. falſa. 51.2
Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus. vera, & Catholica. 59.2
Deus diſtinguitur à Deo. falſa. 51. 2
Dominus in Diuinis non numeratur. 59. 2

E

EPrepoſito admittenda. 33. 1
Entes tres poſſunt dici perſonæ Diuinæ. 5.2
Entitates tres nequaquã appellari poſſunt. ibid.
Eſſentia quid abſolutum dicit. 5.2
Eſſentia eſt radix proprietatum. 8. 1
Eſſentia eſt quod indiuiduis communicatur. 7.2
Eſſentia propriè eſt quod per definitionem ſignificatur. ibid.
Eſſentiæ nomen apud vetuſtiores non erat in vſu. Ex D. Auguſt. 5. 1
Eſſentiæ res, & nomen optimè competit Deo, & eſt vſu receptiſſimum. 5.8
Eſſentia ita dicta, quia ſemper eſt. 6.2
Eſſentia in Diuinis numerari non poteſt. ibid. 2. & 7. 2. neque eſſentiæ tres relatiuæ rectè poſſunt dici tres perſonæ. ibid. 1
Eſſentia non generat, neque generatur. 51.52. & 53. diffusè per plura.
Ex cap. Firmiter in Concilio Lateranenſi de hac re error Abbatis Ioachim. 53. 1
Eſſentia eſt generatio identicè. 56. 2.
Eſſentia eſt principium quo generationis. ibid.
Eſſentia generat, retenta, & ſuppoſita Catholica & vera ſententia de vnitate Eſſentiæ diuinæ in tribus perſonis; eſt impropria, & temeraria propoſitio. ibid.
Eſſentia generat, etiam proteſtata improprietate loquendi, & veritate vnitatis, adhuc eſt inconſiderata, & temeraria. ibid.
De Eſſentia Patris generatur Filius &c. 57.2
Eſſentia communicatur per generationẽ &c. 58.1
Ex, importat habitudinem cauſæ ad effectũ. 32.1
Ex, non dicitur de eſſentia in ordine ad perſonam. ibid.
Ex, differt à De, & quare. ibid.
Exiſtentia in Deo ſumitur, & cõmunis idem quod eſſentia, & de eius ratione, & propriè, vt idem quod perſona. Et primo ſenſu non poteſt numerari; In ſecundo verò numeratur; & rectè tres perſonæ dicantur tres exiſtentiæ. 19.2
Extranei, terminus non admittitur in Diuinis perſonis. 28.1

F

FIdes ad Trinitatem intelligendam prerequiritur. In præfatione.

Filius eſt ſapiens ſapientia genita, origine, & formaliter. 69.2
Filius non eſt ſapiens ſapientia ingenita, nec genita, ſed eſſentiali. ibid.
Filius eſt imago Patris, etiam in ſpirãdo Spiritum Sanctum. 68.2.69.1.& 2
Filius naſcendo ſubſtantia eſt. 67.2
Filius natiuitate eſt eſſentia origine. 68.1
Filius non eſt natiuitate eſſentia, ſormaliter. ibid.
Filius non eſt bonus bonitate ſpirata. 67.2
Filius eſt bonus bonitate Spiritui Sancto appropriata, hoc eſt eſſentiali. ibid.
Filius non generatur de ſubſtantia Patris, quaſi ex materia. 556.& 558
Filius verè generatur de ſubſtantia Patris. 553
Filius eſt principium de principio, & auctor de auctore Spiritus Sancti. 39.& 40
Filius ſolus eſt Deus, ſi excludit Patrem, & ipſe ſolus ſit Deus, non etiam Pater; falſa. & hæretica. Si ita dicitur, ſolus, vt hunc faciat ſenſum, Ille, qui inter Diuinas perſonas ſolus eſt Filius, eſt Deus. vera. 42.2
Filius, ſi in Incarnatione ſumpſiſſet tres naturas humanas, tres homines dicendus fuiſſet. 43. 2. et 44. 1

G

GEneratio relationem, et deſtinctionem realem inter generans & genitum dicit. 51.52. 1. & 2.
Generatio ſubinde non poteſt conuenire eſſentiæ, neque Deus poteſt ſeipſum generare. ibidem diſuſè.
Generari dehinc non poteſt Diuina eſſentia. ibid.
Generari non competit eſſentiæ Diuinæ, quia tunc principium haberet. 53.2
Generare neque eidem conuenire poteſt, primo, eadem ratione, ſecundo quia repugnat vnitati, & ſimplicitati eiuſdem. ibid.

H

HElohs nomen Hebræum ſingulare, vt inuenitur multis in locis ſacrarum litterarum. 19.2
Helohim, plurale, plura ſignificat, Deos, Magnos, potentes, Angelos, Iudices. 20.2
Helohim, ex multis doctoribus abſque vllo Myſterio ex vſu idiomatis Hebræi plurium numero prolatum, ſingularis rei retinet ſignificationem. 20.1
Helohim. probabilius magni Sacræ Theologiæ Magiſtri ſignificare tradunt vnum quidem Deum in eſſentia, trinum tamen in perſonis. ibid. 2. & 21.1
Helohim ſignificationem adiectiuam poteſt habere. 20.2
Humilitas, & ſui cognitio requiritur ad Trinitatem capeſſendam. In præfatione.
Hyparxis, idem ferè quod Hypoſtaſis, & Subſtantia, & Subſiſtentia, & perſona. 19.1

Hypo-

Hypoſtaſia; an abſolutè, vel relatiuè ſumenda, controuerſum admodum fuit apud antiquos Patres. 14.1. & 15.1

Hypoſtaſis, ex vſu Sanctorum Patrum in Eccleſia, Diuinam perſonam ſignificat. 16. 1. & 2

Hypoſtaſia adhuc ex quibuſdam Græcis de Diuinis perſonis non vſquequaquè propriè dicitur. 16.2

I

IDem, abſolutè, & ſubſtantiuè in genere neutro ſumptum legitimè in diuinis aſſumitur; ſignificat enim eandem eſſentiam in tribus perſonis. 26.& 27.2

Idem, ſi maſculinè, & adiectiuè ſumatur, non admittitur: confunderet enim Perſonas, ſcilicet Patrem eſſe eamdem perſonam cum Filio &c. aſſereretur. ibid.

Idem non eſt indiſtinctè pronuntiandum, propter ancipitem ſenſum, quem facere poteſt. 27.2

Idem ſumit ſignificationem ex termino, cui adiungitur. ibid.

In, hæc præpoſitio in Deo identitatem, & conſubſtantialitatem Diuinarum perſonarum ſignificat. 29.2.31.1

In, ſignificat virtutem, & efficientiam, & finem, & exemplar. 29.2

In, adiungitur Deo, ſed magis propriè Spiritui Sancto. 31.2

In, indicat poteſtatem, & Ditionem, in quo aliquid poſitum dicitur. ibid.

In, dirigit in finem. ibid.

Indiuiduũ, dici Deum, ſicut ſingulare, olim vetitum fuit propter vitandam Sabelij hæreſim, Diuinas confundentem perſonas. 18.2

Indiuidua exquiſitè non eſt Diuina eſſentia: Nam & communis eſt. 38.1

Indiuiduum in Deo admittitur nunc, poſt extinctum errorem Sabelij, ex vſu Patrum, & Theologorum, ad plures Deos gentium excludendos, & ſub ratione ſingularis, & propria indiuidui. ibid.2

L

LIcet de Filio dicatur catholicè lumen de lumine, Tria tamen lumina quoque dicuntur Diuinæ perſonæ. 21. 1. ex S. Epiphanio in Ancorato.

M

MAgnæ numero plurium Diuinæ perſonæ nuncupari poſſunt. 21. 1

N

NAtura non æquè propriè de Deo dicitur ſicut eſſentia, & ſubſtantia, ex Diuo Nazianzeno: aſſeritur tamen & ex ſcriptura, & Patribus, & omnibus Theologis. 6.2

Natura dicta eſt à naſcendo. ibid.

Natura ita dicta, quod nata ſit; & exiſtat. ibid.

Natura penes phyſicos de rebus corporeis dicitur. ibidem. Natura verè prædicatur de Perſona mutuo. 7. diffusè

Natura eſt principium motus, & quietis. ibid.

Natura idem ac ſubſtantia, & eſſentia. ibid.

Natura in hoc ſolo differt ab eſſentia, & ſubſtantia, quia alicuius operationis principium dicit. ibid.

Negatio, vel ſi præponatur, vel poſtponatur verbo, æquè negat. 42.1

Negatio magis, & vniuerſalius negat, quàm oppoſita affirmatio affirmet. 42.1

Nomina, quæ de Deo affirmantur, ſunt triplicis generis, quædam omnino concreta, vt Deus, quædam omnino abſtracta, vt eſſentia, quædam media, vt ſapientia. 41.2

Nomina concreta propriè pro Perſonis ſupponunt; abſtracta omnino impropriè; media medio modo. ibid.

Notio, ex receptiſſimo vſu, de Diuinis proprietatibus aſſeritur. 26.1

Notionalis actus, non poteſt prædicari de proprietatibus in abſtracto. 545.1

neque de alijs terminis eſſentialibus. ibidem 2. prædicatur de Deo ibidem. propriè de Perſonis, vel pro Perſonis ſupponentibus. ibid.

Numerus Diuinus, quibus terminis explicetur. 640. 1. & 2. & deinde per plura.

O

OMnipotẽtes adiectiuè dicuntur tres perſonæ. 20. 2. ex Damaſo Papa in Concilio Rom. 3

Opifices quoque tres eodem modo, & eadem ratione, ex Nicæno Concilio lib. 2. 24.1

Oratio ad Trinitatis ſecretum percipiendum, prærequiritur. In præfatione.

P

PAter ſeipſum dicit Verbo, & adæquatè explicat. 61.2

Pater & Filius, diligunt ſe Spiritu Sancto, quaſi effectu formali. 61.2.& 62.1.& 2

Pater & Filius diligunt nos Spiritu Sancto etiam actu exiſtentes, ibidem diffusè.

Pater non eſt ſapiens ſapientia ingenita notionali, ſed eſſentiali. 69.2

Pater non eſt bonus, neque Sanctus, Spiritu Sancto, eadem ratione. ibid.2

Pater non operatur per Spiritum Sanctum ad intra. ibid.

Pater nouit omnia Verbo. Falſa, ſicuti & ſuperior formaliter. 66.1.

Pater omnia in Verbo nouit obiectiuè. ibid.

Pater non eſt potens potentia genita formaliter, ſed eſſentiali. ibid.2

Pater operatur per Filium. ibid.

Pater eſt ſapiens ſapientia genita productiuè, & oſtenſiuè. ibid.

Pater, Deo vni tribuitur ad creationem, prouidentiam, & cætera reſtanda, & cõmune tribus: primæ vero perſonæ, vt Filium generat, &c. vbique.
Per, cauſam principalem ſignificat, & Deo, ſingulíſque perſonis legitimè adſcribitur. 30.2
Per, ex Diuo Bonauentura ſignificat cauſam mediam, & originem, & principium de principio. 31.1
Perſonæ nomen ad Diuina ſuppoſita nominanda adinuentum, receptum, & probatum eſt. 49.1
Perſona ex Diuo Auguſtino non adæquatè quid Diuini ſuppoſiti exprimit. ibid.
Perſonæ nomen egregiè latinum, & in Diuina ſcriptura legitur. ibid.
Laurentij Vallæ error circa perſonæ ſignificationem. ibid.
Perſona non tantum qualitatem, ſed primam ſubſtantiã in creatura rationali ſignificat. ibid.
Perſonæ verè in Deo ſunt, & rectè creduntur. ibid.
Perſonæ poſſunt prædicari de eſſentialibus, vt Deus, eſſentia, &c. eſt Trinitas formaliter. 58.2
De Perſonis Diuinis non poſſunt prædicari abſtracta abſoluta, vt Diuinæ Perſonæ ſunt tres potentiæ, & cætera: eadem prædicata concretè, & adiectiue ſumpta prædicari poſſunt. nomina concreta ſubſtantiue ſumpta, vt tres Perſonæ ſunt tres Dij, tres omnipotentes prædicari non poſſunt. 59.2
Nomina verbalia ſubſtantiuè accepta, vt tres Perſonæ ſunt tres creatores; non licet prædicare. 59. 1. adiectiuè vero accepta idoneè prædicantur, vt Perſonæ Diuinæ tria ſanctã, creã, operantia, &c. idoneè dicuntur. 60.1
Perſonæ Diuinæ vnius Dei, non directè dicitur, ex Magiſtro, & Diuo Bonauentura. ibid.
Perſonæ Diuinę ſunt vnius eſſentiæ. 60.2
Perſonæ Diuinæ ſunt de eſſentiã eadem. ibid.
Perſonarum trium vna eſſentia. 61.1
Perſonæ Diuinæ vnius definitionis. ibid.
Principium eſt id, à quo aliquid procedit. 19.2
Principium Patri optimè conuenit: ab ipſo enim Filius, & Spiritus Sanctus procedunt. ibid.
Principium de principio, Filio conuenit. ibid.
Principium de perſonis procedentibus non æquè propriè conuenit. ibid.
Proprietatis nomen in ſchola apud Patres admittitur, & de perſonis dicitur. 26.1
Propter, hæc vox finem principalem indicat, & originem. 33.2

Q

QValitas ſuo modo magis competit Deo, quam quantitas.
Qui, relatiuum aliquando ab hebræis prætermittitur abſque ſcrupulo. 24.2
Qui, eſt hebræi vertunt ero, vel erit. f. 2 1. c. 3. ſed vtriuſque verſionis eadem ſententia. ibidem, aptior tamen latinorum verſio. ibid.
Qui eſt, eſt nomen proprium Dei, ex Diuo Thoma. ibidem. Magis proprium, quàm Deus, quàm bonum, &c. ex eodem Diuo Thoma. ibid.
Qui eſt, Dei æternitatem ſignificat, ex SS. Nazianzeno, Auguſtino, Hieronymo, & Gregorio Magno. 22. 1. & 2
Qui eſt, Deum, ens, primum, independens, neceſſarium, omne, ſignificat, & maximum, & maximè Deo proprium, ex Diuo Areopagita. ibid.
Qui eſt, nomen Deo proprium, notum fuit etiam gentibus. 22. 2. 23. 1
Qui eſt, non negat Deo nomen, ſed affirmat. 23.1
Qui eſt, includit nomina, bonum, Deus, Ieoha, & probatur diffusè. 23. 2. &c.
Qui eſt, ad Diuinam Trinitatem apprimè ſpectat. 24. 1
Qui eſt, ſolam, & Diuinam eſſentiam in tribus ſubſiſtentem, abſque creaturarum connotatione ſignificat; præſertim ex Sancto Bonauentura. 25. 1. & 2
Qui eſt, hoc ſibi nomen impoſuit Deus Exodi 3. 2 1 2. & integro illo capite.

R

REgula. In componendis de Deo, Diuiniſque perſonis aſſumendi terminis aſſueti, & frequentes apud Patres, & probatos auctores. 4 1. 1
Regula. Propoſitiones de hoc myſterio debent ſemper tum vnitatem eſſentiæ, tum deſtinctionem perſonarum continere. ibid.
Regula. Obſeruandæ propoſitiones de Deo, quæ propriæ, quæ omnino impropriæ, et vitandæ quæ mediæ. ibid. 2
Regula. In efformandis de hac re propoſitionibus, ex S. Thoma vitanda prorſus hæc duo extrema, Arrianorum, & Sabellianorum. ibid. 2
Regula ex D. Bonauentura. In propoſitione de ſingulari, cuius forma non eſt multiplicabilis, negatiua ſiue præponatur, ſiue poſtponatur; æque negat. 43. 1
Regula ex D. Bonauentura. Terminus ſignificans multitudinem ſuppoſitorum, ſine diſtributione acceptus: ſtat pro eo, pro quo propoſitionem reddit veram. ibid.
Regula. Relatiuum in propoſitione, refert antecedens ſub eodem modo ſupponendi, ſub quo antecedens præceſsit ipſum relatiuum. 42. 1
Relationis vox, in vſu in Diuinis. 26. 1

S

SOlus, hic terminus & cathegoromaticè, & ſyncathegoromaticè ſumitur. 54.2
Solus, aliquando idem ac ſolitarius. ibid.
Solus, ex Diuinis literis Deo attribuitur. ibid. 1
Solus Deus abſolutè, & cathegorematicè ſumptus Falſum; nam excludit Trinitatem. 54.2
Solus, additus eſſentialibus, vt excludat falſos Deos, & vnum Deum aſſerat, ſyncathegorematice, verum. ibid.
Solus Deus æternus, ſolus Deus creat. Verũ. ibid.

Solus

Solus Deus ab æterno. Falſum: nam Perſonarum ſocietatem excludit. ibid.
Solus aſſerit, & tollit ſocietatem in termino, cui adiungitur. 35. 1
Solus Deus eſt Pater, ſolus Deus eſt Filius, ſolus Deus Spiritus Sanctus; eſt vera. 35.2
Solus Pater eſt Deus, &c. adhuc vera, ſi explicetur, non tamen æque propria, ſicut ſuperior. ibid.
Solus Filius eſt Deus; non ita propria, quia non eſt prima perſona. 37.2
Solus Pater eſt Pater, ſolus Filius eſt Filius &c. vera. 36.2
Spirator nomen verbale. 454
Spirantes, & ſpiratores duo poſſunt dici Pater, & & Filius. ibid.
Spiritus Sancti, Pater & Filius ſunt vnum principium. 440
Spiritus Sanctus rectius dicitur donum, quàm datum. 501. 2. & deinceps.
Spiritus Sanctus eſt Sanctus Sanctitate ſpirata, formaliter, nam ea conſtituitur in eſſe Perſonæ. 70.1
Spiritus Sanctus non eſt Sanctus Sanctitate ſpirata à ſe, quia eam habet à Patre, & Filio. ibid.
Spiritus Sanctus non cognoſcit omnia in Verbo propriè ſicut Pater: non eſt tamen reiicienda, ibidem. 2
Syncathegorema, dicit ordinem, & modum formę ad ſubiectum, non ſignificando tamen ſubiectum. 32.2

T

Terminus, ſignificans multitudinem non diſtributè acceptus, ſtat pro eo, pro quo propoſitionem reddit veram. 42.1
Terminus poſitus in prędicato, nō reſtringit terminum à parte ſubiecti ratione ſignificationis. ibid.
Termini maſculini, & fœminini generis in propoſitionibus de Diuinis Perſonis, ita vnitatem, & diſtinctionem perſonarum ſignificant, vt nulla ratione tangant Diuinam eſſentiam. 41.2
Termini de Deo aſſerendi, ſint in vſu apud Grauiores Auctores. 41.2
Termini inſueti, ſi quando apud Patres inueniuntur, non ſunt extendendi, ſed piè interpretandi. ibid.
Totum ex Diuo Bonauentura non omnino propriè de Deo aſſeritur. 63.2
Tres, aſſeritur de exiſtentijs, relatiuis, rebus, hypoſtaſibus, ſubſiſtentijs, ſubſtantijs, Perſonis, proprietatibus perſonalibus. 8. & ſequentibus.
Tria, non prædicantur de ijſdem. 11.& 12
Trinitas eſt trium vnitas. in ſuperiori indice.
Trinitas prędicatur de Eſſentia, de Deo, &c. ſupra.

V

Vita, & vitæ in numero plurium, dicitur de Diuinis perſonis. 21.1
Vnio, legitima vox, vt idoneè dicatur Diuinarum perſonarum vnio cum eſſentia. 28.2
Vnita Eſſentia, & vnitè aduerbium, admittitur, ſi intelligatur de Perſonis cum eſſentia. 24.1
Vnum, neutro genere pro Eſſentia non numeratur. 26. 2
Vnus, maſculinè pro perſonis numeratur. 26.2
Vſia græcè, idem quod eſſentia latinè. 12.2

Compoſita ex ea.

Homouſio, optima vox eandem vnitatem cum pluralitate perſonarum, conſubſtantialitatem cum origine ſignificans. 13. 1. & ſequentibus. Eius vetuſtas. ibid. Origo, & vnde deſumpta, ibid. Semel prophibita ex legitima cauſa, & poſtea reſtituta. ibid.
Homeuſio, ideſt ſimilitudo à Semiarianis adinuenta, vt ab Homouſio diſcederent, ideo deteſtanda. 14.1
Homeuſio, ad identitatis ſimilitudinem teſtandam, ſi Arianorum fraude ad identitatem Perſonarum negandam non fuiſſet adinuenta, toleranda foret. ibid.
Synouſio, vnitatem, & identitatem ſine vlla pluralitate indicans, adhuc ab hæreticis iuuenta, vt Diuinarum perſonarum pluralitatem negarent, deteſtanda. 14.1
Eterouſio, hoc eſt diſsimilitudo, heretica, & maledicenda. ibid. 2
Vſioſis, Vſiæ concretum, & ſignificat ſubſtantiam, admittenda. 5. 2

Quartus Index pro concionibus qui deeſt quam cito addetur.

REGESTVM.

✠ ✠✠ ✠✠✠ ✠✠✠✠.

A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sſ Tt Vu Xx Yy Zz.

Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii Kkk Lll Mmm Nnn Ooo.

✠ a b c d e f g.

Omnes ſunt Terniones, præter ✠ ✠, quæ eſt folium ſimplex, & Ooo, Duernio cum dimidio folio, ✠ Duernio, & g folio cum dimidio.

ROMAE,

Ex Typographia Iacobi Maſcardi,

MDCXXXIII.

SVPERIORVM LICENTIA.

Digitized by Google

Digitized by Google

5-3-1